NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
2 H
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

47.1.H.

Digitized by Google

148

Digitized by Google

Cellarium potissimum petit hoc opusc. V. Admonit. ad lectorem
et Sectionem ultimam.

Digitized by Google

Bibliothecæ Secretæ Coll. Rom. Soc. Jesu.

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA

LIBRI QVATVOR,

SELECTISSIMIS CLERI GALLICANI PROCERIBVS.

Primo libro agitur de Hierarchiæ nominè, natura, principiis, actionibus.
Secundo, de Chariſmatibus, & ficta Chariſmatum Hierarchia.
Tertio, de Ordinibus Hierarchicis, eorum dignitate, aliiſque affectionibus.
Quarto. de Iuriſdictionis Hierarchicæ neceſſitate, & conditionibus: de Hierarchiæ, ratione Iuriſdictionis, diuiſione: de Metropolitanis, Primatibus, Patriarchis: de prærogatiua honoris, ſiue Ordini, ſiue Iuriſdictioni tribuenda.

Singulis autem libris varij errores tam circa Hierarchiam vniuersè ſpectatam, quàm ſingulas eius partes refutantur.

Auctore M. FRANCISCO HALLIER, *in ſacra Theologia Pariſienſi Doctore, & in Sorbona Regio Profeſſore.*



LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus IACOBI QVESNEL. via Iacobæa, ſub ſigno Cochleæ, & Columbarum.

M. DC. XLVI.

Cum Approbatione Doctorum, & Priuilegio Regis.

12 . 2 . H . 14

Digitized by Google

EMINENTISSIMIS

CARDINALIBVS,

ILLVSTRISSIMIS ET REVERENDISSIMIS

ANTISTITIBVS,

CÆTERISQVE VENERANDIS CLERI Gallicani Proceribus Lutetiæ congregatis, FRANCISCVS HALLIER in iiſdem Comitiis Promotor.

NON eſt quòd votiua tabella nouum opus vobis inſcribam (Ordines ſanctiſsimi) *veſtrum ſe vel ipſo titulo prodit; eíſque etiam me tacente ſe nuncupat, quorum vindicat iura, auctoritatem illuſtrat, aſſerit dignitatem. Iamdudum publicæ gratitudinis autoramento in Ordinem veſtrum tran-*

ſcripſi, quidquid induſtriæ ac laboris ad veritatis patrocinium, iuſtitiæ tutelam, Eccleſiæ cauſam affero; dúmque recenti partu venire in lucem aggredior, non oſtento fidem meam, ſed diuturna pollicitatione addictam libero. Fecit argumenti neceſsitas, vt in hoc campo iterùm includerer; fecit immenſitas, vt premerem apud me diutiùs, quod vobis ante aliquot annos debebatur. Enimuerò propugnari ſatis Hierarchia non poteſt, cui noui quotidie aduerſariorum conatus perniciem intentant. Atque vt iuſta ſemper extitit Ordinis illius defenſio, cuius Religio nuſquam potuit citra ſacrilegium violari: Ita hoc maximè tempore neceſſaria eſt, cùm videmus ſacram illius arcem non vnius aut alterius

hominis auſu nefario, ſed publica multorum conſpiratione, non tacitis, vt olim, cuniculis, ſed aperta vi, & euidentibus arietum machinis quaſſari. Noui equidem alliſas iri, & irrito impetu ad hanc petram diuina ſoliditate fundatam, peruenturas hoſtium ſagittas. Noui quàm fruſtrà in veritatis exitium mendacia concitentur, in iuſtitiæ ruinam temeritas conſpiret, in Eccleſiaſtici regiminis æternitatem nupera heterodoxorum commenta ſubinde repullulent. Sed noui etiam quàm ſit zelotes Deus; quàm non patiatur ſegnes ac tepidos ſponſæ ſuæ Eccleſiæ defenſores; quàm denique inuiſam habeat illorum audaciam, qui capiti membra confundere, auellere à parentibus liberos, diuina om-

nia humanáq; miſcere, in auguſtæ Hierarchiæ locum miſeram quandam anarchiam ſubſtituere tota animorum contentione meditentur. Statui ergo accenſa vetuſtatis lampade caliginem illam diſpellere, quam conſtantiſſimæ veritati, & tot retrò ſæculorum conſenſione firmatæ cæca malignitas offundit; Scripturæ ac Traditionis regulam, quæ in Chriſtiana fide potiſſimùm dominatur, humanis inuentis obieci; quæq; in Conciliorum ſanctionibus, Pontificum oraculis, Patrum monumentis, Theologorum, ac Iuris Canonici peritorum voluminibus ſparſa vndique erant, & diſſeminata, in vnius corporis compagem quanta potui diligentia collegi.

Neque verò parùm fœliciter conti-

git (Illuſtriſsimi Eccleſiæ Principes) *vt quo tempore communem Cleri Gallicani cauſam agitis, communem pariter Eccleſiaſticæ dignitatis defenſionem Auguſtiſsimo Cœtui deuouerem. Par enim fuit opus illud gloriæ veſtræ conſecrari, quod ſe inter exempla veſtra creuiſſe recordatur, & eum facilè probaturi eſtis Hierarchiæ vindicem, quem virtutis veſtræ ſingularis, pietatis eximiæ, ſtupendæ eruditionis, vigoris Apoſtolici quotidianum teſtem eſse voluiſtis. Scilicet beneficentiſsimo veſtro de me iudicio decreuiſtis hunc quaſi cumulum accedere, vt qui hactenus ſacrorum Comitiorum venerator extiteram, pars etiam forem, & adminiſter, & qualemcumq; meæ tenuitatis induſtriam agen-*

do vobiſcum, & de vobis ſcribendo pariter. In quo vt humanitatis veſtræ riuos exhauſiſse videmini, ſic meam oneraſtis modeſtiam, gratitudinem obruiſtis; ſimúlque aperuiſtis palàm, quàm forti animo is eſse debeat, quem veſtro iam munitum ſuffragio, auctoritate comprobatum, nuper etiam in partem Eccclesiaſticæ ſollicitudinis, & laborum communionem aduocare non eſtis dedignati.

Sinite me (Humaniſsimi, & Religioſiſsimi ſacrorum Præſules) *agnoſcere beneficium, quod rependere nequeam; ſicq; demùm apud vos perpendite Opus iſtud ſui tantùm argumenti, & obſeruantiæ meæ pretio æſtimandum, pauciores complecti characteres, quàm*

pro

pro veſtra, & totius iuxtà Hierarchiæ incolumitate vota concipiam. Certè quicquid illud eſt, quod aut qualicumque vigiliarum conatu deſudatum offero, aut nuſquam violanda miniſterij mei lege debitum deuoueo; ab eius hominis affectu proficiſcitur, qui vnicæ veritati calamum, vnicæ iuſtitiæ animum, vnicæ gratitudini memoriam rite iam conſecrarit.

Pariſiis anno 1646

AVCTORIS ADMONITIO ad Lectorem.

DVO ſunt, Beneuole Lector, quæ initio cuiuſque operis præfari ſolent Auctores, quorum in hoc opere declaratio mihi valdè neceſſaria viſa eſt, tum ad totius libri intelligentiam, tum ad conſilij mei defenſionem. Ea autem ſunt occaſio ſcribendi, & totius ſcriptionis argumentum.

Occaſio ſcribendi mihi fuit Ludouici Cellotij è Societate Ieſu integrum volumen *de Hierarchia & Hierarchis*: Nam iſto quidem volumine, & nouam de Hierarchia doctrinam Eccleſiæ Dei conatur obtrudere iſte auctor, traditionem à maioribus acceptam conuellere nititur, ſignificationis verborum impreſſam hominum mentibus notionem obliterare, ac delere contendit; & quod vtique mitius mihi ferendum, ſed tamen non negligendum erat, conuitia paſſim in me, ac Petrum Aurelium, probra, contumelias tanquam è plauſtro coniicit, quæ fortaſſe modeſtiâ & patientiâ concoquere generoſius fuiſſet, quàm refellere: niſi & falſa plurima mihi affinxiſſet, quaſi à me dicta, quæ dicta non fuerunt; quæ ſi ſaltem non abnuiſſemus, nec noſtra eſſe abnegaremus; de partium ſtudio, & religioſæ vitæ odio, quod ſi in Chriſtiano crimen eſt, in ſacerdote horrendum flagitium erit, & de doctrinæ hæreticæ aſſenſu, (cuius vel minimam ſuſpicionem viri omnes boni cane peius & angue vitare debent) notari potuiſſemus: itaque ad ſcribendum nos tum communis Eccleſiaſticæ traditionis propugnandæ, tam propulſandæ à nobis iniuriæ priuata ratio prouocauit.

Verùm, vt quæ occaſio Cellotio fuerit, caput meum impetendi, & lucubrationes meas fœdis conuitiis aſpergendi noſſe poſſis, Lector, ab altiori principio totius controuerſiæ ſeries deducenda eſt: ita enim & totius cauſæ argumentum clarius tibi patebit, & intentionis meæ, & innocentia tibi manifeſtior futura eſt. Mihi namque de Hierarchiæ Eccleſiaſticæ inuiolabili ordine à diuina prouidentia conſtituto tam prolixè ac aſſiduè ſcribenti neceſſarium viſum pertinacis iſtius ſtudij rationem tibi reddere, ne aut ſola primariis Eccleſiæ dignitatibus gratificandi cupiditate, aut Regularium virorum exiſtimationis lædendæ ſtudio, hoc me mihi penſum præfixiſſe exiſtiment, qui res ante annos aliquot geſtas ignorant; néve qui ſua mala ac iurgia in huius ætatis conſpectum reuocari ægrè ferunt, dicant me ad animi libidinem compegiſſe monſtra quæ vincerem, & propugnandis Hierarchiæ iuribus ludum magis quàm ſerium iuſtúmque certamen adornaſſe. Quæ ergo neceſſitas, illa quæ anteà à me in lucem emiſſa ſunt, vel quæ nunc in vulgus prodeunt, ſcribendi mihi fuerit, paucis aperiendum eſt, totiúſque controuerſiæ hiſtorica narratio contexenda.

Anno circiter 1630. vt eſt aliquis errorum ac ſcelerum, ſicut & tempeſtatū circulus; nouiſque hæreſibus locum facit Dæmon, vbi veteribus faſtidium

imminere nimiâ antiquitate animaduertit, & volubilis ingenij homines, quos parentum conſenſus in Eccleſiæ Catholicæ ſinu retinere non potuit, nouitatis ambitione pertentare ſolet, vt iam pertæſi aliorum opinationes ſequi, ſuas ingerant, id ſibi licere putantes quod Magiſtris ſuis; ideò noua dogmata in Anglia, magno ardore à quibuſdam Catholicis, perinde, atque hæreticis euſa ſunt ad Epiſcopatus exterminationem, quæ factionis adeò potentis, vt huius regni Monarchiam concuſſerit, & Epiſcopatus in Anglia reliquias ipſis etiam hæreticis venerabiles ſuſtulerit, ſeminaria ac præludia præparauit Sathan, etiam inſciis iis à quibus cudebantur.

De hæreticis non querimur, apud quos omnia ſemper noua ſunt, de quibus nos monet Cyprianus, epiſt. 52. Antoniano, nec *curioſos nos eſſe debere, quid illi doceant, cùm foris doceant.*

Id verò maiorem in modum bonis omnibus, & Eccleſiaſticæ pacis ſtudioſis ſtomachum mouit, quod quaſi coitione facta, eodem tempore plurimi ſparſi ſunt in ea regione à Catholicæ communionis hominibus libelli aduerſus Epiſcopale faſtigium contumaces, in Sacramentum Confirmationis contumelioſi, in hierarchicam œconomiam, & ſacrorum omnium legitimam diſpenſationem ita acres, vt in Epiſcopalis ordinis ſubuerſionem, Curionum ordinum contemptum, hierarchicæ gubernationis excidium, Sacramenti Confirmationis, & ſingulorum officiorum Epiſcopalium neglectum comparati viderentur.

Nouam quotidie auxerunt monſtroſi iſti fœtus aliunde excitatam inter operarios in vinea Anglicana diſcordiam, cuius nouæ quotidie in Galliam relationes aduentantes Gallicanos Antiſtites graui mœrore implebant. *Quoniam pro ſe inuicem ſollicita ſunt membra, & ſi patitur vnum membrum, compatiuntur cætera membra, & ſi glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra.* Et quamuis iure potuiſſent in eos Epiſcopalis increpationis ſeueritatem diſtringere, qui Eccleſiam Anglicanam ſibi in Chriſti corpore charitate deuinctam turbabant, quia vt ait Ambroſius lib. 3. de Officiis cap 3. *In vno membro totum corpus violatur, & in vna Eccleſia totius ſanctæ Eccleſiæ congregatio, quæ in vnum connexum corpus, atque compactum vnitate fidei, & charitatis aſſurgit.* Quandiu tamen zizania iſta exotici ſcriptoris manu culta, & alieno in ſolo manſerunt, nec aliunde aſportata, damnationis mucrone minimè excidenda viſa ſunt, nec peregrino idiomate ſe tegentem Auctorum inſolentiam ferro amputare placuit.

Auguſtinus lib. contra epiſt. Parm. cap 2. & alij paſſim Patres.

At vbi reſcitum eſt peregrina lingua editos iſtos libros in Latinam verſos, & quorumdam Doctorum Facultatis Pariſienſis ſollicitatam fidem, vt eos probarent; vbi & è Clero Anglicano miſſi fuerunt aliqui Presbyteri, doctíque ſacerdotes, conſilium à vicinæ Eccleſiæ Præſulibus, Doctoribúſque petituri; tunc nec conſulentibus è vicinia pluribus reſponſum negare charitas debuit, nec quibuſdam erroris ſui virus in noſtras terras ſpargere adnitentibus, Paſtores Doctoréſque cohibere ſe ampliùs potuerunt, quin manifeſtè reſiſterent: ad hoc illos & Paſtorale officium, & periculi metus compulerunt. Quare ab eo tempore monſtrum iſtud exarmari patientia poſſe nemo ſapiens iudicauit: ſed tam flagitioſis conatibus conuiuere viſi ſunt, qui non intercedendum putarent: nec tam flagitioſis conatibus non apertè renitendo morbus refrigeſcere, ſed potiùs exaſperari viſus eſt. Quamobrem anno 1631. die penult. Ianuarij prodiit decretum illuſtriſſ. Archiepiſcopi Pariſienſis, quod

valuis templorum affixum, & è ſacro ſuggeſtu populis denuntiatum eſt, quo præcipiebatur à libris Danielis à Ieſu, Nicolai Smithæi, qui doctrinam iſtam aduerſus Hierarchiam continebant, ſibi omnes cauerent, aliáſque propoſitiones ex Hibernia allatas tanquam peſtilentes execrarentur.

Secuta eſt epiſtola Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Pariſiis degentium eiuſdem anni decimo die Februarij, quâ vniuerſis per Gallias conſtitutis renuntiant; eoſdem à ſe libros fuiſſe damnatos, & tanquam heterodoxos, proſcriptos. Hanc præceſſerat cenſura Facultatis Pariſienſis, in quam incubuerant Doctores à die ſecunda Decembris anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi vſque ad diem quintum menſis Februarij anni milleſimi ſexcenteſimi trigeſimi-primi, quo die concluſa ac confirmata eſt: quæ vtique præcipua errorum capita prædictis libellis contenta, damnata, ac ſingularibus notis aſperſa ſunt.

Iis omnibus tam accuratè perpenſis, tam ſubtiliter ventilatis, tam maturè deliberatis acquieuiſſent omnes, niſi æmulatione quadam accenſi, & dedecoris inuidiâ exacerbati, quidam Spongias cenſuræ, Querimonias, Appendices, Defenſiones ſcriptitaſſent maledicentiſſimas, contumelioſiſſimas pluſquam Lycambæo felle intinctas, ſcommatum Comicorum ſale conditas, quibus Epiſcoporum, & Doctorum exiſtimationem non vulnerarent, non pungerent, ſed interficerent ſi poſſent: eâ ſiquidem audacia putarunt perficere ſe poſſe, vt deficientes pleroſque à partibus ad ſe reuocarent.

Nec eos euentus fefellit: reperti ſunt enim ex plebeis hominibus, & imperitis, qui tamen ſibi ſapientes videbantur, quibus iſta vociferatio auctorum damnatorum innocentiam perſuaſit, qui maluerunt auctoritatem Magiſtrorum in dubium reuocare, quàm circulatoribus nouas merces ſuas iactantibus non ſe adiungere.

Dicat & ſentiat Lector, quid tunc facto opus erat iis quibus aliqualis ſcribendi facultas atque induſtria non deerat, & à ſuperioribus veritatis defendendæ onus impoſitum fuerat? an pax cum veritatis diſpendio emenda? & vt quietiùs viueretur, cum Aſſyriis aut Babyloniis ſanctam ciuitatem populantibus ſocietas ineunda erat?

Videor mihi mentem grauiſſimi ac ſanctiſſimi Doctoris Gregorij Nazianzeni ſecutus, qui reprehendendum minimè putat, ſi qui de primariis quęſtionibus pugnant, grauiter commoneantur, pacémque reſpuant, quinimmò, ſi verè loquendum eſt, eos laudandos cenſet, ipsíſque gratulatur, votúmque ſuum illud eſſe manifeſtat, ex eorum ſe eſſe numero τῶν ὑπὲρ ἀληθείας ἀγωνιζομένων, καὶ ἀπεχθανομένων, *qui pro veritate decertant, atque in odium & offenſionem incurrunt*, in eorum ſe ſocietate eſſe gloriaturum affirmat: rationémq; ſubiungit, Κρᾶσσον γὰρ ἐπαινετὸς πόλεμος εἰρήνης χωριζούσης Θεοῦ, *Melius enim laudabile bellum pace à Deo diſiungente.* Huic ergo me bello commiſi, quod diuturnum eſſe prȩuidebam, non diſſenſionis accendendæ ſtudio, ſed ſopiendæ vel leniendæ. Librum vindiciarum cenſuræ Facultatis Pariſienſis ſeu defenſionis Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, quatuor menſium ſpatio confeci, aduerſus eos qui conuitiis potiùs quàm argumentis illam impetierant: quod opus anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo-ſecundo in lucem Pariſiis prodiit. In eo verò nec aduerſarij mei verborum acrimoniam, nec conuitiorum vllam petulantiam notarunt, ſed *ſenſuum malignitatem* ineſſe calumniati ſunt:

Digitized by Google

vt cùm nihil haberent, quod apertè reprehenderent, arcana quædam ſcriptoris conſilia diuinarent.

Quibuſdam ſequentibus annis magnum volumen *de ſacris electionibus & ordinationibus*, in lucem edidi, anno ſcilicet 1636. in eo diſciplinæ fundamenta iacere ſtudui, & reformandi Cleri non mea, ſed Patrum & Conciliorum manu effictam, in eorum ordinatione, imaginem exhibere curaui.

Nihil in eo ſæcularis Clerus, cuius præſertim inſtaurationi elaboratum eſt, reprehendendum reperit; nec doluerunt Cleri, ſi quos temporis vetuſtate næuos contraxiſſet, ſi quam maculam, defectus bono animo legentium nonnunquam oculis exhiberi. At duobus duntaxat in locis Regularium cauſam attigi: ſemel cùm de probandis ac deligendis ad Ordines Regularibus viris appendicem generali tractationi inſerui pag. 86. & ſeqq. iterùm cùm quæſtionem iſtam diſcutiendam aſſumpſi, An Regulares proprium habeant quoad ordinationem, Epiſcopum, & quiſnam eorum proprius Epiſcopus ad eam cenſeatur, pag. 641. & ſeqq. Diſplicuit in his poſterioribus paginis quippiam quibuſdam Regularibus, ad quos Typographus exemplaria nondum perfecti libri, me nequaquam renitente, ſed nec expreſsè conſentiente, detulerat; eorum quæ ibi ſcripſeram, duriora quædam viſa ſunt. Quorum offenſio cùm mihi per aliquos magnæ dignitatis viros relata eſſet, dixi nolle me cuiuſpiam offenſionem incurrere, ſi fieri poſſet; paratum emendare, ſi quid non ſolùm eò loci, ſed & ſi quid toto opere diſpliceret: gratum mihi facturos, ſi hunc laborem inſumere vellent, vt quæ anteà typis edita fuerant, reuiſerent, & ea ad nos referrent, quæ iniucunda futura eſſent, paratum eorum iudicio & voluntate emendare: accepta eſt à me data conditio: nihil ab ipſis adnotatum eſt, quàm quod pag 643. & 644. diſplicuerat. Reformata res eſt: placuit: nouum confectum eſt foliolum, & Codici adſutum, quemadmodum Lectori patebit ad oculum: quid amplius poſtularent? diu tamen poſteà de me conqueſti ſunt, quaſi fidem violaſſem: ineſſe ſiquidem pag. 95. & 96. adhuc aliqua eidem tomo, quæ probare non poterant: dixi nullam de iis querimoniam mihi allatam: ſi allata fuiſſet, re integra, me haud dubiè eorum voluntati obſecundaturum: minati ſunt ſe aduerſum me ſcripturos; reſpondi, neque hoc mihi diſpliciturum, ſi cum veritatis inquiſitione charitatis cura potiſſima eſſet. Quid in hoc reſponſo reprehendi poterat? ſed aliter à me dictum, aliter factitatum referunt, eo ſcilicet modo, quo nominandus mihi poſteà Cellotius in præfatione ſua narrauit iis verbis, *Has excudebat vigilias, cùm rogatus abſtinere à pacis amantibus, ne quietos ſollicitaret, data primùm fide, & ſubtractis è Typographico prælo foliis annuit: mutato deinde conſilio, poſſe ſcriptis certari reſpondit, modò conuitiis abſtineatur. Fuit*, inquit, *illa certa prouocatio, quæ reparandi huiuſce operis mentem ſuperioribus noſtris iniecit.* Itaque prodit tandem opus grande Ludouici Cellotij è Societate Ieſu, *de Hierarchia & Hierarchis*, libris nouem comprehenſum, nouem annis elaboratum, Vrbano octauo ſummo Pontifici dicatum, anno 1641. Nouus fœtus, magnæ expectationis proles multùm laudata antequam nata, non immatura certè, ſi tantùm ſinceritatis & doctrinæ in ea formanda, quantùm temporis aut ſtomachi auctor inſumpſiſſet.

Sed rurſus ad iniurias, ad ſcommata, ad tragicum plauſtrum, ad Lycambæos ſales reditur; modeſtiùs tamen, quàm prioribus libris, furiis litatum eſt; tota ferè in priuatos indignatio auctoris erupit, quæ aduerſus ſacratiſſima

Epiſcoporum capita, & Theologorum Pariſienſium corpus prioribus libris, de quibus conqueſti ſumus, deferbuerant: at Petro Aurelio, mihique ſacræ Hierarchiæ defenſoribus non leuiter ſubiratus Auctor, conuitiis, criminationibus, calumniis, fictorum præſertim aduerſus totum Monachorum ordinem criminum, de quibus nequidem ego cogitaueram, ſuppoſitione, propoſitionum in prauum ſenſum contra verborum ſignificationem diſtortione, ſententiarum probabilium, ac verarum iniurioſa ex aggeratione, ſcommatis, dicteriis, extra rem, de qua ageretur, effuſis, aduerſus vtrumque certatum eſt.

De hoc opere aliter loqui non mihi licet, quàm quomodo de Iuliani commentariis locutus eſt Auguſtinus lib. 1. contra Iulianum cap. 1. *Contumelias tuas & verba maledica*, Celloti, *quæ ardens iracundia anhelaſti, ſi me contemnere dixero, mentior: quomodo enim poſſunt iſta contemnere, vbi teſtimonium conſcientiæ meæ cogitans, vel gaudere me video debere pro me, vel dolere pro te, & pro eis qui decipiuntur abs te? Quis autem contemnat ſiue exultationis ſuæ materiam, ſiue mœroris? nam vnde partim lætamur, partim contriſtamur, nullâ ratione contemnimus. Meorum quippe cauſa gaudiorum eſt promiſſio Domini dicentis; cùm dicunt omne malum aduerſum vos mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cælis. Et rurſus mei cauſa mœroris eſt Apoſtoli affectus, vbi lego, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Sed ne maledicentiam, Cellotio falsò affingere videar, poſſem eiuſdem ſpecimina ſparſim ex toto eius libro colligere, quæ ſequenti reſponſione, aliiſq; meris lucubrationibus refellentur. Verùm hominis bilem vel ex iis, quæ in ſua præfatione aduerſus me concitatus effudit, diſcere poteris, Lector, quæ diſſoluere in noſtra præfatione placet. Reperies iſtos floſculos: *Franciſcus Hallier Theologus Pariſienſis, qui ſe à piiſſimis parentibus ita inſtitutum, & informatum profitetur, vt Regularibus viris quos ſuſpicit, & veneratur, ſit charitate coniunctiſſimus* (quid in iis reprehendere potuiſſet inuidia?) *libros ad noſtrum propoſitum ſpectantes ſcripſit duos, Vindicias in Spongiam, & De ſacris ordinationibus. In priori nulli priuatim ordini contumelioſus*: (& hoc ad excuſationem mihi debebat adſcribi, quod à pluribus, quos noueram, laceſſitus, nemini infenſus eſſe voluiſſem) *omnes vniuerſim multis modis exagitat, ſed furtim, & occultè vindicandi Cleri ſpecie, aſſerendæ dignitatis Epiſcopalis occaſione, propugnandæ Theologicæ Facultatis prætextu.*

Et hoc primum Aduerſarij mendacium eſt. Nam Regularium ordinem neque publicè, neque priuatim perſtrinxi, neque clandeſtinis aut furtiuis inſidiis appetij, ſed ſincerè, & candidè, quas aliqui clancularij Auctores nomen ſuum mentiti, Regularibus viris aduerſus Eccleſiæ ſenſum, in depreſſionem Paſtorum prærogatiuas attribuerant, & ſacri Galliarum Antiſtites, ac Facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctores ſuis cenſuris proſcripſerant: eas ego & Scripturarum ſacrarum teſtimoniis, & Conciliorum ac ſummorum Pontificum decretis, & Patrum auctoritatibus, & Doctorum grauiſſimorum ſententiis explodendas demonſtraui. Hoc Aduerſarius in ordinis Regularium contumeliam, in omnium Regularium vniuersè exagitatorum grande piaculum, & ſacrilegium longè contumelioſius appellar. Quàm verò grauiſſimè *totum ordinem exagitarim* iis verbis maledicentiſſimis exponit, *Omnium ludibriis & contemptui religioſum ſtatum exponit, non quidem verborum conuitiis, ſed ſenſuum malignitate dedecoratum.* At nihil profert toto libro, quo id probet, niſi quia à Clero, & ab Hierarchia ſtrictè ſumpta Monachos, vt Monachi,

ſunt excluſi; quod omnia Concilia, Patres omnes, Doctoréſque etiam ij, qui pro Monachis Apologias ſcripſerunt, Thomas & Bonauentura docuerunt. Quódque Curatos, atque Archidiaconos in ſtatu quoque perfectionis eſſe, æquè ac Regulares, cum Doctoribus Pariſienſibus Gerſone & aliis ſcripſi, quibus & Suarez ipſe,atquealij Regulares Doctores non pertinaciter reclamant: magnum illud crimen eſt,expoſiti ad omnium contemptum & ludibrium Regularis ſtatus à Doctore Pariſienſis Facultatis eiuſdem cenſuram defendente. Pergit audaciùs mentiri, *Religioſos, vt diſciplinæ Eccleſiaſticæ perturbatores, hæreticis ſimillimos, fautores amplificatoréſque hæreſeon, Religionis ſimulatores, & periuros deſcribit; ab iis ſchiſma metuit, apoſtaſiam futuram ominatur, & id genus piiſſimorum Parentum inſtituta.*

Demiror hîc Aduerſarij frontem, qui, quæ à me multò mitioribus verbis aduerſus Nicolaum Smithæum, Danielem à Ieſu, & alios Anglicanorum librorum ſuppoſititios ſcriptores, vel eorum fautores (quos nec Regulares contumlioſè appellaui) Hermani Loemelij auctoris Spongiæ importunis cauillationibus adactus reſpondi,hæc tanquam in Religioſos vniuersè dicta, vel in aliquem Religioſum Ordinem coniecta eſſe velit, vt inuidiam mihi conciliet: cùm è contrà nec verba mea id ferant, nec animus meus iis vnquam conſenſerit.

Verè enim & candidè proteſtor, neque mihi in mentem vnquam veniſſe, vt Religioſum ſtatum vniuersè vllo duriori verbo, vel leui vlla contumelia afficerem: aut contemptui exponerem: quem potiùs magnificis ſæpe laudibus extuli, & debitas ei prærogatiuas eripi à quibuſdam dolui, ac pro iis aſſerendis, pluribus librorum meorum locis laboraui. Neque cogitaui vnquam vllum ſingularem ordinem perſtringere: neque nominatim Societati Ieſu vllam inurere infamiæ notam, eo nomine,quaſi turbulentorum quorumdam aduerſus Epiſcopalem & Hierarchicum ordinem coitioni conſentiret, aut in Eccleſiæ perniciem aliquid moliretur, vnquam in animum meum induxi.

Si quos pungo (neminem autem mihi videor non neceſſariis ad cauſæ defenſionem aculeis punxiſſe) ſi quos, inquam, pungo, eos ſolùm pungere mihi animus fuit, ſiue præcedentibus meis libris, ſiue iis quos recèns emitto, quos ſcilicet adorior, & quibuſcum diſputo; ad alios qui orationis meæ qualemcumque acrimoniam extendi voluerit, nec animi mei ſenſa capit, nec voluntatis arcana conſentaneè exponit: cum iis mihi ſingulare certamen eſt: *Tros, Rutulúſque fuat*, qui veritatem mihi videbitur impugnare, & Eccleſiaſticam Hierarchiam euertere, ac diſciplinam peſſundare, *nullo diſcrimine habebo.*

Quæ pariter aduerſus hominem, qui, ſecluſis omnibus priuilegiis, eam vim eſſe religioſæ profeſſionis prædicauerat, vt Regularem à propriorum Epiſcoporum obedientia eximeret, de priuilegiis dixeram, quaſi contra priuilegia dicta interpretatus eſt, dum ait, *Declamat in priuilegia, perniciem Reipublicæ ab iis paratam minatur, ſummo Pontifici auctor eſt, vt ea recognita & contractiora iubeat promulgari.*

Nunquam aduerſus vera Regularium priuilegia declamaui: quæ à ſummo Pontifice conſtaret eſſe conceſſa, hæc ſeruanda admonui: neque plura, neque ampliora eſſe ſcripſi, quàm diſciplina patiatur, quamuis Concilia generalia ſępe, ſummíq; ipſi Pontifices, dum eorum multitudinem reſecant, co-

Epiſcoporum capita, & Theologorum Pariſienſium corpus prioribus libris, de quibus conqueſti ſumus, deferbuerant: at Petro Aurelio, mihique ſacræ Hierarchiæ defenſoribus non leuiter ſubiratus Auctor, conuitiis, criminationibus, calumniis, fictorum præſertim aduerſus totum Monachorum ordinem criminum, de quibus nequidem ego cogitaueram, ſuppoſitione, propoſitionum in prauum ſenſum contra verborum ſignificationem diſtortione, ſententiarum probabilium, ac verarum iniurioſa ex aggeratione, ſcommatis, dicteriis, extra rem, de qua ageretur, effuſis, aduerſus vtrumque certatum eſt.

De hoc opere aliter loqui non mihi licet, quàm quomodo de Iuliani commentariis locutus eſt Auguſtinus lib. 1. contra Iulianum cap. 1. *Contumelias tuas & verba maledica,* Celloti, *quæ ardens iracundia anhelaſti, ſi me contemnere dixero, mentior: quomodo enim poſſunt iſta contemnere, vbi teſtimonium conſcientiæ meæ cogitans, vel gaudere me video debere pro me, vel dolere pro te, & pro eis qui decipiuntur abs te? Quis autem contemnat ſiue exultationis ſuæ materiam, ſiue mœroris? nam vnde partim lætamur, partim contriſtamur, nullâ ratione contemnimus. Meorum quippe cauſa gaudiorum eſt promiſsio Domini dicentis; cùm dicunt omne malum aduerſum vos mentientes propter me, gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cælis. Et rurſus mei cauſa mœroris eſt Apoſtoli affectus, vbi lego, Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Sed ne maledicentiam, Cellotio falsò affingere videar, poſſem eiuſdem ſpecimina ſparſim ex toto eius libro colligere, quæ ſequenti reſponſione, aliiſq; meris lucubrationibus refellentur. Verùm hominis bilem vel ex iis, quæ in ſua præfatione aduerſus me concitatus effudit, diſcere poteris, Lector, quæ diſſoluere in noſtra præfatione placet. Reperies iſtos floſculos: *Franciſcus Hallier Theologus Pariſienſis, qui ſe à piiſsimis parentibus ita inſtitutum, & informatum profitetur, vt Regularibus viris quos ſuſpicit, & veneratur, ſit charitate coniunctiſsimus* (quid in iis reprehendere potuiſſet inuidia?) *libros ad noſtrum propoſitum ſpectantes ſcripſit duos, Vindicias in Spongiam, & De ſacris ordinationibus. In priori nulli priuatim ordini contumelioſus:* (& hoc ad excuſationem mihi debebat adſcribi, quod à pluribus, quos noueram, laceſſitus, nemini infenſus eſſe voluiſſem) *omnes vniuerſim multis modis exagitat, ſed furtim, & occultè vindicandi Cleri ſpecie, aſſerendæ dignitatis Epiſcopalis occaſione, propugnandæ Theologicæ Facultatis prætextu.*

Et hoc primum Aduerſarij mendacium eſt. Nam Regularium ordinem neque publicè, neque priuatim perſtrinxi, neque clandeſtinis aut furtiuis inſidiis appetij, ſed ſincerè, & candidè, quas aliqui elancularij Auctores nomen ſuum mentiti, Regularibus viris aduerſus Eccleſiæ ſenſum, in depreſſionem Paſtorum prærogatiuas attribuerant, & ſacri Galliarum Antiſtites, ac Facultatis Theologicæ Pariſienſis Doctores ſuis cenſuris proſcripſerant: eas ego & Scripturarum ſacrarum teſtimoniis, & Conciliorum ac ſummorum Pontificum decretis, & Patrum auctoritatibus, & Doctorum grauiſſimorum ſententiis explodendas demonſtraui. Hoc Aduerſarius in ordinis Regularium contumeliam, in omnium Regularium vniuersè exagitatorum grande piaculum, & ſacrilegium longè contumelioſius appellat. Quàm verò grauiſſimè *totum ordinem exagitarim* iis verbis maledicentiſſimis exponit, *Omnium ludibriis & contemptui religioſum ſtatum exponit, non quidem verborum conuitiis, ſed ſenſuum malignitate dedecoratum.* At nihil profert toto libro, quo id probet, niſi quia à Clero, & ab Hierarchia ſtrictè ſumpta Monachos, vt Monachi,

ſunt excluſi; quod omnia Concilia, Patres omnes, Doctoréſque etiam ij, qui pro Monachis Apologias ſcripſerunt, Thomas & Bonauentura docuerunt. Quódque Curatos, atque Archidiaconos in ſtatu quoque perfectionis eſſe, æquè ac Regulares, cum Doctoribus Pariſienſibus Gerſone & aliis ſcripſi, quibus & Suarez ipſe, atque alij Regulares Doctores non pertinaciter reclamant: magnum illud crimen eſt, expoſiti ad omnium contemptum & ludibrium Regularis ſtatus à Doctore Pariſienſis Facultatis eiuſdem cenſuram defendente. Pergit audaciùs mentiri, *Religioſos, vt diſciplinæ Eccleſiaſticæ perturbatores, hæreticis ſimillimos, fautores amplificatoréſque hæreſeon, Religionis ſimulatores, & periuros deſcribit; ab iis ſchiſma metuit, apoſtaſiam futuram ominatur, & id genus piſſimorum Parentum inſtituta.*

Demiror hîc Aduerſarij frontem, qui, quæ à me multò mitioribus verbis aduerſus Nicolaum Smithæum, Danielem à Ieſu, & alios Anglicanorum librorum ſuppoſititios ſcriptores, vel eorum fautores (quos nec Regulares contumlioſè appellaui) Hermani Loemelij auctoris Spongiæ importunis cauillationibus adactus reſpondi, hæc tanquam in Religioſos vniuersè dicta, vel in aliquem Religioſum Ordinem conie&cta eſſe velit, vt inuidiam mihi conciliet: cùm è contrà nec verba mea id ferant, nec animus meus iis vnquam conſenſerit.

Verè enim & candidè proteſtor, neque mihi in mentem vnquam veniſſe, vt Religioſum ſtatum vniuersè vllo duriori verbo, vel leui vlla contumelia afficerem: aut contemptui exponerem: quem potiùs magnificis ſæpe laudibus extuli, & debitas ei prærogatiuas eripi à quibuſdam dolui, ac pro iis aſſerendis, pluribus librorum meorum locis laboraui. Neque cogitaui vnquam vllum ſingularem ordinem perſtringere: neque nominatim Societati Ieſu vllam inurere infamiæ notam, eo nomine, quaſi turbulentorum quorumdam aduerſus Epiſcopalem & Hierarchicum ordinem coitioni conſentiret, aut in Eccleſiæ perniciem aliquid moliretur, vnquam in animum meum induxi.

Si quos pungo (neminem autem mihi videor non neceſſariis ad cauſæ defenſionem aculeis punxiſſe) ſi quos, inquam, pungo, eos ſolùm pungere mihi animus fuit, ſiue præcedentibus meis libris, ſiue iis quos recèns emitto, quos ſcilicet adorior, & quibuſcum diſputo: ad alios qui orationis meæ qualemcumque acrimoniam extendi voluerit, nec animi mei ſenſa capit, nec voluntatis arcana conſentaneè exponit: cum iis mihi ſingulare certamen eſt: *Tros, Rutulúſque fuat*, qui veritatem mihi videbitur impugnare, & Eccleſiaſticam Hierarchiam euertere, ac diſciplinam peſſundare, *nullo diſcrimine habebo.*

Quæ pariter aduerſus hominem, qui, ſecluſis omnibus priuilegiis, eam vim eſſe religioſæ profeſſionis prædicauerat, vt Regularem à propriorum Epiſcoporum obedientia eximeret, de priuilegiis dixeram, quaſi contra priuilegia dicta interpretatus eſt, dum ait, *Declamat in priuilegia, perniciem Reipublicæ ab iis paratam minatur, ſummo Pontifici auctor eſt, vt ea recognita & contractiora iubeat promulgari.*

Nunquam aduerſus vera Regularium priuilegia declamaui: quæ à ſummo Pontifice conſtaret eſſe conceſſa, hæc ſeruanda admonui: neque plura, neque ampliora eſſe ſcripſi, quàm diſciplina patiatur, quamuis Concilia generalia ſępe, ſummíq; ipſi Pontifices, dum eorum multitudinem reſecant, co-

Digitized by Google

piam contrahunt; de eorum frequentia, abuſúque conquerantur. Sed ab iis abſtinui, nec me iudicem Patrum meorum conſtituere volui. Circa dubia priuilegia, de quibus an reuocata forent, an in viridi obſeruantia (qualia ſunt erúntque ſemper plurima, niſi ſummi Pontificis auctoritate variæ hominum opinationes ſibi abblandientium peremptorio iudicio reprimentur) circa ea, inquam, ſummi Pontificis exoptaui iudicium: magnum crimen à Legiſlatore legis ſuæ explicationem, à Principe voluntatis declarationem, à ſummo Sacerdote dubiorum explicationem expetere.

Sed tamen magnum illud crimen eſt, quod mihi obiicitur, quod non ab ipſis partibus priuilegiorum explicationem haurire, ſed à priuilegiorum largitore audire adlubeſcat; hoc vtique magnis par criminibus, & nunquam remittenda animaduerſione dignum Cellotio videtur.

Ac ſubdit, *Poſterioris operis materia licèt harum mercium minùs ferax, tamen hic virides etiam occultant dumeta lacertos: ita ſparſim & frequenter ingratiis intruduntur, eque in totam Religioſorum nationem, & aliquoties ſigillatim in Patres Societatis Ieſu, ſiue illos aperte nominet, ſiue iis pingat coloribus, qui nullum requirunt titulum, vt medio digito denotentur.*

Nulla toto hoc opere aut dumeta, aut latentes in iis lacerti; Eccleſiæ mentem ex Conciliis, & ſummorum Pontificum decretis, ac Patrum auctoritate circa electiones & ordinationes patefacio; quid circa Regulares Concilium præſertim Tridentinum, quid Concilia Mediolanenſia ſub S. Carolo Borromęo hab ta, & à ſummis Pontificibus approbata, quid Cleri Gallicani Comitia præſ bant, aperio; Epiſcopos, Cardinales, Pontifices, Patres accuſet neceſſum eſt, qui me ob iſta capita incuſare voluerit.

Præſtabo profectò, vt quæ à me eo tomo copiosè & ſolidè de Regularium ordinatione dicta ſunt, fuſiùs alibi explicata, & omni teſtimoniorum genere cumulatiùs inſtructa vbi prodierint, nihil habeat inuidia quod hiſcere poſſit, nihil habeat arrogantia quod queratur, niſi quòd ſe victam doleat.

Narrat ſubinde hiſtoriam mutati à me conſilij, & violatæ ſponſionis quam feceram: quam falſam eſſe iam demonſtraui: atenim præclaram illam modeſtiæ ſuæ indicem coronidem adhibet: *Accepta igitur conditio eſt, & ſine contumelia verborum artes detectæ, apertæ inſidiæ, propalatum Religioſi ſtatus odium, & eius fronti, qui inuitat vt Abſalom, ſalutat vt Ioab, conſulit vt Chuſai, eo pernicioſior quo tectior, veri antiregularis character impreſſus. Cauſas illius odij aperire morum diſciplina non patitur.* Neſciebam ſine contumelia verborum proditionis crimen alicui impingi poſſe, neque affici hominem contumelia, qui cum inſidiatoribus ſicariis, & ex occulto ac compoſito ſimulatæ amicitiæ dolo graſſantibus percuſſoribus comparetur: Neſciebam veteratoriæ artis, & maledicentiſſimæ, ac fraudulentæ calliditatis malignitatem, odium erga Regulares, morum diſciplinam violatam quæ nec nominari debeat, obiectari poſſe ſine verborum aſperitate. Neſciebam flores illos eloquentiæ eſſe Chriſtianæ, quibus ſacra capita coronentur, non onerentur.

At id me docuit Cellotius, qui ſe ea, quæ ibi aduerſum me ſcribit, vacare verborum contumelia crediderit, quid demum eſt in quo verborum contumeliam reponat? Sed nec iſtis verbis Tulliana eius eloquentia contenta eſt, niſi antitheſi & apoſtrophe ſuam illam eloquentiam adornet: *Scio*, inquit, *quid obtendat: pro Epiſcopis ſe ſtare gloriatur: nos præterea pro regularibus. Tu Patribus blandiris: ego ſic illos veris orno laudibus, vt ab eorum latere filios diuelli non patiar.*

patiar. Tu de Hierarchia ſcribis, vt eam anguſtis concludas limitibus: ego vt dilatem ſpatia charitatis. Quos anguſtiæ tuæ repellunt, ad bella & lites prouocant: amplitudo mea dignitatem patribus, patres filiis, pacem omnibus conciliat. Tu ſtylum pretioſo ſtringis compendio: ego gratuita amplificatione diffundo. Tu Facultatem omni veneratione dignam vt protegas, non ignobilem, neque inutilem Eccleſiæ ſtatum indignis contumeliis turpificas: ego vtriuſque honorem aſſero, promoueo gloriam, prædico ſanctitatem. At quàm verius, ſi, Lector benigne, patiaris, hanc ad Cellotium apoſtrophen dirigere mihi licet. Tu Regularibus blandiris, ego ſic illos veris orno laudibus, vt à parentum latere filios diuelli non patiar, quos Epiſcoporum poteſtati ordinario iure ſubiici, dignitatem perpetua & inuariabili Dei lege reuereri debere contendo Ego antiquam de Hierarchia doctrinam trado, tu nouam te reperiſſe gloriaris, quæ ſcilicet totam Eccleſiam non ſolùm ſua falſitate, verùm etiam nouitate perturbat.

Tu dum Hierarchiæ ſpatia dilatas, & omnes ferè in eam ſine delectu intrudis, confundis Eccleſiæ ordines, ſubordinationem Hierarchiæ deſtruis, pulcherrimam à Deo inſtitutam diſpoſitionem ſubuertis, Eccleſiæ inferiora membra ſuperioribus æquiparas, charitatis & æquitatis fines prætergrederis, eámque confuſionem inducis, quam poſteà vrgentibus doctis, & piis viris annuentibus reuocare coactus es.

Ego dum diuerſas Hierarchiæ ſignificationes detego, dum ambiguitatem huius vocis tollo: dum iis limitibus illam in ſtrictiori ſignificato acceptam concludo, quibus maiores noſtri concluſerunt, ius ſuum vnicuique ſeruo, Hierarchiam tanquam caſtrorum aciem ordinatam ſecundum Concilij Tridentini definitionem exhibeo, ordinem diuinitùs inſtitutum cuſtodio, pacem foueo, quæ nonniſi aſſignata vnicuique membro ſua functione ſeruatur: ſi enim omnia membra oculi ſibi vendicant officium, vel alterius membri, quæ conſenſio in toto corpore membrorum eſſe poterit? denique conſentientibus omnibus bonis veræ & inuiolabilis doctrinæ magiſter audio.

Tu ſtylum gratuita, vt ais, id eſt, nullo nixa fundamento amplificatione diffundis: ego pretioſo, quandoquidem ita vis, ſed non venali ſtringo compendio; me quidem, quem nullo pretio domabilem nouit, cuius conſtantiam nulla ambitione allici potuiſſe, vt ad aſſentiendum Magnatibus flecteretur, leui ſtipendio Clerus Gallicanus donauit, quo & ſcribendi exſcribendíque ſumptus ſubleuaret, & teſtaretur doctrinam meam ſibi gratiſſimam atque orthodoxam; contrariam, quæ tua eſt, inuiſam ſibi & execrandam eſſe. Summus Pontifex Vrbanus octauus, vt orthodoxiæ meæ teſtis accederet, bis me ad Tullenſem Epiſcopatum nominauit. Primùm, data, vt id apud Regem procuraret illuſtriſſimo ſuo Nuntio Scotti Epiſcopo ſancti Domuini poteſtate: cui ego, ne vel tantillum iſtud negotium promoueretur, interceſſi: tum iterùm obeunte illo, qui ſubrogatus fuerat, eámque Sedem breui tempore tenuit: iterùm data eadem cura Eminentiſſimo Cardinali Grimaldi, qui tunc Nuntium in Francia agebat, à quo negotiatio iſta me inſcio promota, morte Pontificis maximi terminata eſt: tu nihil aliud ſcribendo profeciſti, quàm vt Liber tuus primùm Pariſiis à Facultate Pariſienſi damnaretur, tum Romæ inter libros prohibitos referretur: deinde Meduntæ à Comitiis Cleri Gallicani graui cenſura afficeretur: à te demùm in pluribus reuocatus, ab omnibus periculoſæ doctrinæ, ne quid amplius dicam, atque exitialis haberetur.

Rem placet accuratiùs narrare : quia hęc tam conſentiens libri tui damnatio vna ex cauſis fuit, ob quam mihi licere exiſtimarem interpretem agere ſummi Pontificis, Epiſcoporum, Facultatis Pariſienſis, ac pręcipua notarem errorum capita, quæ animum eorum mouiſſent, vt librum tuum damnandum illi crederent, tu in pluribus emendandum.

Statim ergo ac liber ille tuus in lucem prodiit, Facultas Pariſienſis, quæ tanquam cuſtos de nocte in excubiis poſita eſt, vt videat ne ex nouis erroribus Reſpublica Chriſtiana detrimenti aliquid capiat, ad incudem & examen iſtam tuam lucubrationem reuocandam, proponente Syndico, exiſtimauit, anni ſcilicet 1641. die 1. menſis Februarij. Maturè agendum cenſuerunt omnes : commiſſum eſt ſelectis Doctoribus iſtud examen, vt ad Facultatem referrent. Sedulò incubuerunt illi, variáſque propoſitiones, quæ toti Hierarchiæ exitiales apparerent, è libro tuo excerpſerunt, de quibus ad Facultatem retulerunt. Re in deliberationem miſſa; die tandem tertia Aprilis eiuſdem anni damnatio concluſa eſt, viſúmque omnibus hunc librum *continere propoſitiones nouas, falſas, periculoſas, temerarias, ridiculas, humilitati & charitati Chriſtianæ aduerſas, hierarchici ordinis actus & miniſteria deprimentes, Monachis & Regularibus iniurioſas, Epiſcopis & vniuerſo Clero contumelioſas, Conciliorum & ſummorum Pontificum decretis contrarias, eorúmque vim ac robur debilitantes, in errorem inducentes & hæreſim, impias*, &c.

Sed cùm iam cenſura in lucem emittenda eſſet, intercessit Eminentiſſimus Cardinalis Richelius, quominus prælo committeretur, ſatius eſſe ducens pacifica collocutione negotium tranſigi, Cellotium ideò Pariſiis euocandum duxit, vt cum Facultatis Pariſienſis Doctoribus conueniens ſedulò ſua cum illis recenſeret, ne dicam retractaret; locus indictus eſt Sorbona, delecti à Cardinali maximo Illuſtriſſimus D. Henricus de la Motte Epiſcopus Redonenſis, & adiuncti ſapientiſſimi Doctores Iacobus Leſcot, qui ipſi à Confeſſionibus erat, iam verò digniſſimus Epiſcopus Carnotenſis ſacratus eſt, & Hardouinus de Pereſixe de familia Dominorum de Beaumont, qui nunc Regis Chriſtianiſſimi Præceptor delectus omnium votis laudabiliter, & ad totius Galliæ vtilitatem hoc officio perfungitur; ſelecti & pietate atque eruditione inſignes Doctores, quibuſcum pacificè componi grauis iſta diſceptatio poſſet, nimirum Magiſtri Nicolaus Yſambert Regius in Sorbona Profeſſor, Franciſcus Ytherius Chaſtellain Canonicus Pariſienſis, Iacobus Pereyret Cardinalitius in Nauarra Theologiæ Profeſſor, Iacobus Charton magnus Eccleſiæ Pariſienſis Pœnitentiarius, Claudius Morel Doctor Sorbonicus, & Regius librorum Cenſor, Nicolaus Cornet magnus tunc temporis Collegij Nauarrici Moderator, & Iacobus de Saincte-Beufue, & ipſe iam Regius in Sorbona Profeſſor.

Acceſſit ad eos Ludouicus Cellotius comitantibus è Societate ſua Religioſiſſimo Patre Hayneufue, doctiſſimo Petauio, ſubtiliſſimo Theologiæ Profeſſore Bouchero. Selecta ſunt ex pluribus capitibus (nam omnia ſe perſequi nolle Doctores teſtati ſunt) aliqua quæ offenſioni aliquid continerent. Res vltrò citróque diſceptata eſt, tandémque conſentientibus omnibus ab vtraque parte declaratio iſta conceptis verbis expreſſa eſt, cui ſubſcripſit Cellotius, an. 1641. die 29. Maij, annuerunt cæteri; in lucem verò ipſa prodiit die 15. Iunij eiuſdem anni. Cùm vero ex Approbatoribus libri Cellotij duo ex gremio Facultatis Pariſienſis delecti ab Auctore fuiſſent,

Digitized by Google

Vnus non diu poſt extremum diem obiit: alter iuſſu Facultatis, eiuſdem anni 1641. die 1. Iulij approbationem ſuam reuocauit, ſéque quod eum librum approbaſſet, *pœnitere* chirographo ſuo profeſſus eſt in Comitiis publicis Facultatis.

Neque vero ſummo Pontifici ea ad libri proſcriptionem ſufficere viſa ſunt, ſed ipſius mandato, anno 1642. die 22. Ianuarij ſacra Congregatio Eminentiſſimorum & Reuerendiſſimorum S. R. E. Cardinalium à ſanctiſſimo Vrbano octauo ad librorum correctionem deputatorum, cui præerat Aloyſius Cardinalis Caietanus, decreuit, vt *de Hierarchia & Hierarchis libri nouem, auctore Ludouico Cellotio Pariſino, donec corrigantur, in indicem librorum prohibitorum referantur.* Quod decretum prædicti Cardinalis, & F. Ioannis B. Marini Ordinis Prædicatorum S. C. Secretarij manu ſubſcriptum, ſigillo munitum eſt eodem die; *Die verò 16. Februarij in campo Floræ affixum & publicatum fuit.* Quod vtique decretum in Comitiis Cleri Gallicani Meduntanis die 12. Aprilis lectum, & probatum eſt, ſpecialibúſque iſtis notis liber affectus eſt atque proſcriptus, *Quòd contineat doctrinam nouam, temerariam, falſam, pernicioſam & ſeditioſam, quæque eo tendat, vt ſanctæ Sedis auctoritatem imminuat, ſchiſmata procuret, diſſenſiones in Eccleſiam inducat, inferiores aduerſus ſuperiores erigat, Hierarchiam confundat, & ordinem à Ieſu Chriſto in Eccleſia ſua inſtitutum, antiquorum Canonum, quos auctor non intelligit, diſciplinam euertat, nouos contemptui exponat, propoſitionibus adductis erroneis, abſurdis, & falſis.*

Inſupérque ſummo Pontifici totus conuentus gratulatus eſt, quod librum iſtum inter damnatos retuliſſet: ad Regem vero deputauit Illuſtriſſimos Præſules Ebroicenſem, Vaſatenſem, Nemauſenſem ex primo ordine, reuerendos ex ſecundo ordine Abbatem de Vic Archidiaconum Arelatenſem, & magnum Priorem Monaſterij ſancti Victoris Maſſilienſis, qui huius libri ſuppreſſionem à Rege efflagitarent.

Quid itaque aliud mihi aduerſus librum iſtum agenti obiectari poteſt, quàm ſumma conſenſio cum tantæ auctoritatis hominibus? qui certè ignauiæ ac pigritiæ arguere poterant Auctores, quos paſſim Cellotius iniuriis & ſcommatibus laceſſit, niſi eorum aliquis tam pro ſua quàm veritatis cauſa dimicaret.

Hoc mihi impoſitum onus ab iiſdem Galliæ Antiſtitibus fuit, tum vt veritatis patrocinium, tum vt obiectas mihi etiam hæreſes atque erroris notas, in qua cauſa neminem ſecundum Hieronymum decet eſſe patientem, repellerem, méque à variis aliis calumniis, quibus impetitus ſum, æquitate immunem præſtarem.

Parui eorum imperio, quibus obluctari non poteram, & quàm modeſtiſſimè laceſſenti aduerſario reſpondi, ſtylúmque ita temperaui, vt citra iniurias & maledicta ſolas opiniones ac dogmata ſim adortus.

Qui enim Chriſtianus non exhorreat caninam illam, ac mordacem dicendi licentiam, qua nonnulli in homines, non in opiniones deſæuiunt? qua ſe grande aliquid, atque æterna memoria dignum perpetraſſe arbitrantur, ſi ſcurrilibus iocis, aut pungentibus dicteriis mulceant lectores? & quibus doctrina aut argumentorum pondere placere non poſſunt, eos ſaltem turpiſſima maledicentia oblectent?

Scilicet quis eos vllo pietatis ac religionis ſtudio ad ſcribendum incitari exiſtimet, qui humanitatem, modeſtiam ac charitatem violantes, turpiſſimis

maledictis eorum famam proſcindunt, pro quorum ſalute Chriſtus mortuus eſt?

An ita aggreſſus eſt Seruator etiam hoſtes veritatis ac nominis ſui acerrimos? an nota etiam ſibi atque explorata (nihil enim eum latebat) ſcelera obiecit? an ignominiæ metu compeſcuit, etiam pro ſuperſtitione & mendacio dimicantes? imo vero ipſe inimiciſſimis ſibi ſacerdotibus, quantum potuit, venerationis & honoris comparauit: docuit colere eos, à quibus quotidie vexabatur, iniuriam amore vltus eſt, cúmque poſſet fulminibus, & publica calamitate, Euangelij contemptum vlciſci, maluit iniurias ſuorum ferre, quàm iuſtitiæ ſeueritate punire.

Et certè dedecorant veritatis dignitatem funeſti illi & rabioſi maledicentiæ clamores: deſperatæ cauſæ nulla certior nota, quàm cùm malis artibus certamus: atque, vt natiui & ſpontanei fontes perpetuo fluxu ſine labore decurrunt: contrà vero adſcititij & artificioſi infinitis machinis, magnoque ſtrepitu in canales importantur: ita ſuæ ſinceritatis conſcia veritas ſola auctoritate rationum freta, faciles in omnium animis aditus reperit: dum mendacium, error & ſuperſtitio ingentes turbas excitant, vt non tam volentibus perſuadeantur, quàm reluctantes & inuitos turbatione proſternant.

Ab hac itaque methodo recedendum mihi arbitratus ſum; quippe qui ſcirem inter prouocantem & prouocatum nihil eſſe diſcriminis, cùm inter ſe reciproca maledicentia debacchantur, niſi quod ille in flagitio prior, ille poſterior eſt. Vterque tamen læſi hominis reus eſt apud Deum, qui omne flagitium prohibet & damnat.

Et hac in parte modeſtiam lector, vt ſpero, agnoſcet, non imputabit ignauiam: quanquam ſi id honeſta quadam & Chriſtiana erga eos à quibus laceſſitus ſum, indulgentia feciſſe exiſtimer, non exhorreſcam tam religioſum crimen, malímq; in hac, quam ſuſcepi, defendendæ hierarchiæ prouincia, etiam eos à quibus laceratur, quos Eccleſiæ Catholicæ ſinus complectitur, vt fratres dilexiſſe, vt patres coluiſſe, quàm vt veritatis hoſtes atrociùs obiurgaſſe.

Ex aduerſo tamen ptecor te, Lector, ne adhibitas propoſitionibus, quas oppugno, notas in contumeliam auctoris ſcriptas interpreteris: charitatis enim lex eſt inter hominem, eiúſque errorem diſcernere; homini malè ſentienti indulgere: prauæ vero & erroneæ ſententiæ nequaquam parere, ne, ſi leui manu tractetur, probabilis, non execrabilis viſa, ex noſtra refutatione auctoritatem conſecuta, fautores ſectatoréſque inueniat.

Hæc occaſio prima totius Operis: alia acceſſit ex noua editione quorumdam librorum à Nouatoribus duobus viris doctis conſcriptorum, qui Metropolitanorum, Primatum, Patriarcharum hierarchicum ordinem, quibus poſſunt machinis, adoriuntur, vt labefactent. Huic eorum conatui obſiſtere me ſapientiſſimi è Clero Gallicano Patres decreuerunt, quem ſummi Pontificatus & Epiſcopalium infularum defenſorem deſtinarunt, eumdem hoc Opere hierarchicam iſtam ſubordinationem tueri, eiúſque antiquitatem, vtilitatem, continuámque in Eccleſia Dei obſeruationem oculis legentium ſubiicere voluerunt.

Vtrumque igitur toto hoc Opere perfeci, vt potui, hierarchiæ notionem atque affectiones vniuerſè primo libro tractaui. Secundò, Chariſmata hierarchica explicui, & fictitiam hierarchiam Chariſmatum Cellotianam refutaui. Tertiò, ordinum hierarchicorum naturam expoſui, & dedecoratam

eorum venuſtatem à Cellotio priſtino decori reſtituere tentaui. Quartò, qui ſua mole & amplitudine reliquos excedit, & Iuriſdictionis hierarchicæ neceſſitatem, atque proprietates expoſui: & varios Epiſcoporum gradus, quibus Hierarchia Eccleſiaſtica conſtat defendere atque illuſtrare conatus ſum: tum demùm Cellotij errores potiſſimos aduerſus ſingula Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ratione Iuriſdictionis diſtributæ membra quàm breuiſſimè redargui.

Perſpicuitati, non eloquentiæ operam dedi: docere, non placere volui: in loquendo ſimplicitatem rerum magnitudo excuſabit. Mihi ſemper dictum illud Auguſtini lib. 4. de doctr. Chriſt. cap. 11. placuit, *Bonorum ingeniorum inſignis eſt indoles verum amare, non verba. Quid enim prodeſt clauis aurea, ſi aperire, quod volumus, non poteſt? aut quid obeſt lignea ſi hoc poteſt, quando nihil quærimus, niſi patere quod clauſum eſt?*

Digitized by Google

APPROBATIO DOCTORVM
Facultatis Pariſienſis.

NOs ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctores Sorbonici, teſtamur lectum à nobis Librum *De Hierarchia Eccleſiaſtica*, *Auctore* M. FRANCISCO HALLIER, Presbytero, Socio Sorbonico, ſacræ Facultatis Doctore, & Theologiæ Profeſſore Regio, nihilque repertum in eo, quod Catholicæ fidei & bonis moribus repugnet. Datum Pariſiis, die 3. menſis Maij, anno Domini 1646.

M. GRANDIN.

C. MALLET.

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

LOVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre: A nos amez & feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes ordinairss de noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, leurs Lieutenans, & tous autres nos Iuſtitiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Noſtre bien amé IACQVES QVESNEL, Marchand Libraire en noſtre bonne ville de Paris, nous a fait expoſer qu'il luy auroit eſté mis entre les mains vn Liure intitulé *De Hierarchia Eccleſiaſtica*, compoſé par le ſieur HALLIER, Docteur en la Faculté de Theologie, de la Maiſon de Sorbonne, qu'il deſireroit imprimer: Mais dautant qu'il luy conuient faire de grandes aduances, & qu'il craint d'en eſtre fruſtré ainſi que de ſon trauail, par la concurrence de quelque autre, s'il n'eſtoit pourueu de nos Lettres à ce neceſſaires; il nous a tres-humblement ſupplié de luy accorder. A CES cauſes auons permis & permettons par ces preſentes audit Queſnel d'imprimer, vendre & debiter, en tel volume & charactere que bon luy ſemblera, ledit Liure intitulé *De Hierarchia Eccleſiaſtica*, & ce durant le temps & eſpace de cinq ans entiers & accomplis, à compter du iour qu'il ſera acheué d'imprimer: faiſans tres-expreſſes inhibitions & defenſes à tous Libraires, & autres perſonnes de quelque condition qu'elles ſoient d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny debiter ledit Liure durant ledit temps, ſans le conſentement, ny d'autre impreſſion que dudit Queſnel, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de trois mil liures d'amende, deſpens, dommages & intereſts. VOVLONS qu'en mettant vn Extraict des preſentes au commencement ou à la fin de chacun exemplaire, il ſoit tenu pour bien & deuëment ſignifié: & que foy ſoit adiouſtée comme à l'original. A la charge d'en mettre deux exemplaires en noſtre Bibliotheque, & vn en celle de noſtre tres cher & feal le ſieur Seguier Cheualier, Chancelier de France, à peine d'eſtre decheu du preſent Priuilege. SI VOVS MANDONS & enioignons que du contenu és preſentes vous faſſiez iouyr ledit Queſnel, & au premier Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire tous Exploits neceſſaires, ſans demander Placet, Viſa, ne Pareatis: nonobſtant oppoſitions ou appellations quelsconques faites ou à faire, Clameur de Haro, Chartre Normande, & autres choſes à ce contraires. CAR tel eſt noſtre plaiſir. Donné à Paris le quatorzieſme iour de Ianuier, l'an de grace mil ſix cens quarante-cinq: Et de noſtre regne le deuxieſme. Signé, Par le Roy en ſon Conſeil, MABOVL, Et ſeellé du grand ſeau de cire iaune.

Acheué d'imprimer le 11. May 1646. pour la premiere fois.

INDEX
SECTIONVM, CAPITVM,
ARTICVLORVM, ET PARAGRAPHORVM,
quæ in hoc Opere continentur.

LIBER I.

De Hierarchia generatim.

SECTIO I.

Hierarchiæ notio ex antiquis Patribus, medij æui Scriptoribus, Concilij Tridentini explicatione & recepta apud recentiores loquendi formula colligitur.

Cap. I.

De origine vocis Hierarchiæ, *& vſu apud Dionyſium,* p. 1

Cap. II.

De vſu eiuſdem vocis apud cæteros poſt Dionyſium Patres, 4

Cap. III.

De medij æui Scriptoribus, qui Theologiæ Scholaſticæ parentes dici poſſunt, 9

Cap. IV.

De vſu eiuſdem vocis apud ſanctos Thomam & Bonauenturam, 11

Cap. V.

Aliqui alij celebriores Scholaſtici Theologi proferuntur, itemque Facultatis Theologiæ Pariſienſis, & Concilij prouincialis Senonenſis, ac Synodi Diœceſanæ Carnotenſis decreta ante Concilium Tridentinū, 16

Cap. VI.

De explicatione Hierarchiæ per Concilium Tridentinum, 19

Cap. VII.

De eiuſdem nominis acceptione apud recentiores Societatis Ieſu ſcriptores, 20

SECTIO II.

Hierarchiæ, Hierarcharum, actuum hierarchicorum multiplex acceptio traditur.

Cap. I.

Regula ſtatuitur ſecundum quam variæ acceptiones Hierarchiæ expendendæ ſunt, & ſecundum ipſam generaliſſima Hierarchiæ acceptio in Hierarchiam perſonarum & functionum diſcutitur, 22

Cap. II.

Generaliſ alia acceptio hierarchiæ perſonarum tam pro initiantibus, quàm pro initiandis examinatur, 25

Cap. III.

Hierarcharum multiplex acceptio explicatur, 30

Cap. IV.

Hierarchicorum actuum multiplex ſignificatio detegitur, 33

SECTIO III.

Actuum Hierarchicorum propriè dictorum natura & diuiſio explicatur.

Cap. I.

Cellotij explicatio refellitur, 36

Cap. II.

Definitiones & diuiſiones actus hierarchici propriè & ſtrictè ſumpti traduntur, 42

Cap. III.

Vtrum Pſalmodia & recitatio Horarum Canonicarum, itemque mortificatio, ſiue in Clericis, ſiue in Monachis ſint in aliquo ſenſu actus hierarchici, ibid.

Articulus I.

De Pſalmodia & recitatione Horarum Canonicarum, 50

Art. II.

Vtrum auſteritates & mortificationes vitæ Religioſæ aliquo ſenſu ſint hierarchicæ, 54

Cap. IV.

Vtrum functiones ſacræ Subdiaconatus, vel minorum Ordinum ſint hierarchicæ, 56

Cap. V.

Vtrum functiones omnes Ordinum ſacrorum Epiſcopatus, Presbyteratus & Diaconatus ſint hierarchicæ, 58

Cap. VI.

Vtrum iudicare & corrigere quemquam ſit

actus hierarchicus, 63

CAP. VII.

Vtrum prædicare ſit actus hierarchicus, & quomodo, 65

CAP. VIII.

De officio docendi in ſcholis fuſiùs diſputatur.

Art. 1.

Opinio Cellotij proponitur, 68

Art. 2.

De Scholis Prophetarum & Collegiis à Salomone fundatis, 69

Art. 3.

De ordine Scribarum, ſectis Iudæorum, & docendi munere ex diuina inſtitutione ſolis ſacerdotibus & Leuitis proprio, 71

Art. 4.

De praxi veteris Eccleſiæ vſque ad tempora Caroli Magni circa ſcholas, 77

Art. 5.

Vſus Eccleſiæ à tempore Caroli Magni circa ſcholas, 83

Art. 6.

Cellotij 1. obiectio ſoluitur, 88

CAP. VLT.

Contemplationis, charitatis, & aliarum virtutum actus non eſſe functiones hierarchicas ſtrictè & propriè ſumptas, 89

SECTIO IV.

De Hierarchiæ Eccleſiaſticæ propriè dictæ natura.

CAP. I.

De definitione Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. 94

Art. 1.

Eius definitio traditur & explicatur, ibid.

Art. 2.

Quædam obſeruationes circa iſtam definitionem adiunguntur, 97

CAP. II.

Quòd omnis Hierarchia ſubditos habeat.

Art. 1.

Probatur iſta veritas variis rationibus quæ ex prædictis inferuntur, 98

Art. 2.

Probatur à conſenſu Theologorum & Patrum, circa quæſtionem, vtrum detur Hierarchia diuina, 99

Art. 3.

Idem probatur ex notione Hierarchiæ tam latè quàm ſtrictè ſumptæ, quòd ſit ordo vel ordinatio inferioris & ſuperioris, 101

Art. 4.

Probatur Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ordo neceſſarius in ſuperiorum & inferiorum collocatione exemplo Hierarchiæ cæleſtis, 105

§. 1. *Argumentum iſtud fusè tractatur,* ib.

§. 2. *Cellotij obiectiones & criminationes ſoluuntur,* 106

Art. 5.

Id vltimò probatur exemplo Hierarchiæ legalis, & digreſſione quadam calumniæ circa Religioſos & Prophetas obiectæ diluuntur, 112

§. 1. *Ratio proponitur,* ibid.

§. 2. *Criminationes Cellotij aduerſus Aurelium occaſione Prophetarū refelluntur,* 113

§. 3. *Criminationes Cellotii aduerſus Auctorem eadem occaſione excogitatæ redarguuntur falſitatis,* 115

LIBER II.

DE HIERARCHICIS CHARISMATIBVS.

SECTIO I.

Quænam ſit neceſſitas Chariſmatum ad Eccleſiaſticam Hierarchiam.

CAP. I.

QVid ſit Chariſma, 122

CAP. II.

An Chariſmata Eccleſiaſticæ Hierarchiæ neceſſaria ſint, 123

Art. 1.

Quo ſenſu Hierarchia Eccleſiaſtica ſine Chariſmatis abſolutè eſſe poſſit, ibid.

Art. 2.

Varii ſenſus iuxta quos Hierarchia Eccleſiaſtica ſine chariſmatis eſſe nequeat, 124

Art. 3.

Peculiaris ſenſus, quo neceſſaria Eccleſiæ dicuntur Chariſmata, ad cuius illuſtrationem Chariſmatum diuiſio exponitur, 129

CAP. III.

Chariſmata Hierarchiæ Eccleſiaſticæ conſtituendæ non ſufficere, 133

Art. 1.

Temerè & periculosè Hierarchiam Chariſmatum inuſitatis voce ac ſignificationibus nominari, 133

Art. 2.

Hierarchiam propriè ſumptam in gratia ſanctificante, charitate vel donis Spiritus ſancti, gratiis gratis datis, actionibus virtutum fundari, errorem eſſe Wiclefi in Synodo Conſtantienſi damnatum, 137

§. 1. *Probationem continens,* ibid.

§. 2. *Cellotii exceptiones aduerſus iſta refelluntur,* 140

Art. 3.

Digitized by Google

Art. 3.

Hierarchiæ chariſmatum Cellotianæ naturam Hierarchiæ non conuenire, 146

Art. 4.

Aliis argumentis ex natura & qualitate hierarchiæ ductis idipſum probatur, 151

Art. 5.

Abſurda quædam proferuntur, quæ ex Cellotiana chariſmatũ hierarchia conſequuntur, 156

§. 1. *Varia abſurda ex Cellotiana ſententia conſequentia proponuntur,* ibid.

§. 2. *Contradictiones quædam Cellotii notantur, & obiectiones refutantur,* 157

§. 3. *An beata Virgo in hierarchia ſtrictè ſumpta ſit collocanda,* 158

§. 4. *Merè laicos non eſſe in hierarchia Eccleſiaſtica ſtrictè ſumpta,* 160

§. vlt. *Catechumenos ab hierarchia ſtrictè ſumpta excludendos,* 161

Art. 6.

Varia alia abſurda ex eiuſdem hierarchiæ poſitione conſequentia explicantur, 162

§. 1. *Ex poſitione hierarchiæ chariſmatum, iunctis Cellotii principiis, ſequi Angelos eſſe Paſtores, Sacerdotes, Diaconos, vbi & eius quædam contradictiones notantur,* 162

§. 2. *Sequi item Monachos etiam ordinatos ordinariam habere poteſtatem docendi,* 163.

§. 3. *Variæ ambages Cellotianæ ſententiæ, circa principium conſtitutiuum hierarchiæ chariſmatum, cuius hac in parte varietates notantur & refelluntur,* ibid.

§. 4. *Aliæ Cellotij perplexitates, & errores, ambages quoque ipſius ſententiæ deteguntur circa ordinem, quem tenet hierarchia chariſmatum inter reliquas quas ſtatuit,* 165

§. 5. *Confuſio maxima quæ ſequitur ex iſta chariſmatum hierarchia,* 167

Cap. IV.

Obiectiones Cellotii proponuntur & refelluntur, 169

Art. 1.

Ex textu Apoſtoli ad Epheſ. 4. & 1. Cor. 12. hierarchiam chariſmatum colligi non poſſe, ibid.

§. 1. *Conferuntur hæc loca Apoſtoli cum Concilio Tridentino,* ibid.

§. 2. *Explicatio locorum Pauli, Cellotianæ nouitatis arguitur, noſtra verò ab antiquitate robur accipit,* 171

§. 3. *Obiectiones quædam Cellotii aduerſus explicationem noſtram prædictorum locorum ſancti Pauli refelluntur,* 174

§. 4. *Leuiores aduerſum nos circa locorum prædictorum Pauli explicationem criminationes Cellotii refelluntur,* 176

§. 5. *Pro Monachis & Monialibus in hierarchiam chariſmatum intrudendis,* 179

§. 6. *Continuatio obiectionum circa opitulationes, gubernationes & diuiſum linguarũ,* 182

§. 7. *Iniqua reprehenſio huius veritatis Catholicæ, quod noui fidei Catholicæ articuli nunc non cudantur, ſed reuelati duntaxat à Chriſto & Apoſtolis, Scripturæ vel traditionis beneficio credendi ſint,* 185

§. 8. *Leuiores quædam Cellotii reprehenſiones circa textum Ambroſiaſtri refelluntur,* 186

§. 9. *Donorum Paulinorum diuerſorum explicatio ex mente ſanctorum Patrum ſubiungitur ab hierarchia chariſmatum Cellotiana diſſentiens,* 188

§. 10. *Corollaria quædam ex prædictis inferuntur,* 197

SECTIO II.

Errores aliqui & contradictiones Cellotij circa fictitiam chariſmatum hierarchiam notantur.

Cap. I.

Error Wicleſi de neceſſitate gratiæ & chariſmatum ad ordinis & iuriſdictionis poteſtatem, cum quibuſdam contradictionibus auctoris in libro Cellotii aperitur, 199

Art. 1.

Alter error Cellotii, quòd hierarchia chariſmatum ſit ſuprema & perfectiſſima in ratione hierarchiæ, eiuſque reuocatio in ſua declaratione, 205

Art. 2.

Alii errores & contradictiones, in quæ Cellotius tres hierarchias à ſe poſitas comparans prolapſus eſt, 207

§. 1. *Error primus, quod ſanctitas ſingulariter præ cæteris hierarchiæ chariſmatum tribuenda ſit,* ibid.

§. 2. *Alter error, quòd auctoritas excellentiæ ſingulariter præ cæteris hierarchiæ chariſmatum conueniat,* ibid.

§. 3. *Variæ contradictiones & errores Cellotij circa varios modos ſanctitatis, quos tribus Hierarchiis à ſe aſſignatis proprios ſtatuit,* 208

§. 4 *Sanctitatem interiorem neceſſariam eſſe vt aliquis hierarchica iuriſdictione conuenienter vtatur,* 210

Art. 3.

Alij errores & contradictiones Cellotij circa eandem hierarchiæ chariſmatum tractationem, 212

§. 1. *Errores præſertim refelluntur,* ibid.

§. 2. *Contradictiones aliquæ oſtenduntur,* 215

LIBER III.

De Ordinibvs Hierarchicis.

SECTIO I.

De neceſſitate Ordinationis ad Eccleſiaſticam Hierarchiam.

Cap. I.

Vtrum ordo ſacer, ſeu conſecratio perſonæ per ſacramentum Ordinis ad Eccleſiaſticam Hierarchiam requirantur, 217

Art. 1.

Quædam præſupponuntur, & quæſtionis ſolutio profertur, ibid.

Art. 2.

Probatur quòd nemo perfectè in Hierarchia Eccleſiaſtica eſſe poſſit, qui non ſacramento Ordinis initiatus ſit, 218

Art. 3.

Probatur neminem propriè in Hierarchia eſſe qui non ſaltem debeat eſſe ordinatus, ſed in ea imperfectè conſtitui, qui per accidens ordinatus non ſit, 221

Art. 4.

Concluſio aduerſus Cellotium cum reſponſionibus ad eius obiectiones, 222

§. 1. *Contradictiones quædam & errores Cellotij retexuntur,* ibid.

§. 2. *Ignatium malè à Cellotio Auctorem Hierarchiæ ordinis à iuriſdictione diuulſæ proferri, qui contrarium doceat,* 123

§. 3. *Dionyſium quoque ordinem cum iuriſdictione coniunxiſſe in explicanda Hierarchia,* 225

§. 4. *De Ignatij mente iterum diſputatur, & Cellotij periculoſa expoſitio refellitur,* 226

§. 5. *Verùm electi Pontifices non ordinati imperfectè in Hierarchia collocandi,* 228

SECTIO II.

De diuiſione Hierarchiæ ratione ordinis in Epiſcopos, Presbyteros & miniſtros.

Cap. I.

Epiſcopalem, Presbyteralem & Diaconalem veros ordines hierarchicos eſſe, 230

Art. 1.

Auctoritatibus Patrum id generatim probatur, ibid.

Art. 2.

Speciatim Diaconatum ordinem hierarchicum eſſe oſtenditur, 236

§. 1. *Diaconos quibuſdam plebibus olim præfectos legi,* 236

§. 2. *Diaconos virginibus ſacris & Monialibus olim præpoſitos,* ibid.

§. 3. *Diaconos immundorum curam habuiſſe,* 273

§. 4. *Quænam officia publica, nonniſi præſente Presbytero vel Diacono celebrata docetur, vbi & varia officia publica explicantur,* ibid.

§. 5. *Diaconis olim Eccleſiaſticæ diſciplinæ cura commiſſa,* 239

Cap. II.

Solos iſtos ordines Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, non cæterorum inferiorum, hierarchicos eſſe, 240

Art. 1.

Auctoritatibus Patrum id ſuadetur, ibid.

Art. 2.

Rationibus idipſum demonſtratur, 242

§. 1. *Variæ rationes, quibus ſoli Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum ordines hierarchici eſſe comprobantur,* 242

§. 2. *Potiſſima ratio petita à poteſtate in corpus Chriſti verum, Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis præ cæteris Clericis, communi,* 243.

Art. 3.

Eccleſiæ ritus praxim & diſciplinam, ternarium hierarchicorum ordinum numerum probare, ampliorem improbare, 247

§. 1. *Ex Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis S. R. E. Cardinalibus,* ibid.

§. 2. *Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi in Conciliis,* ibid.

§. 3. *Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi benedicunt,* 249

§. 4. *Inter Epiſcopos Archiepiſcopi, inter Presbyteros Archipresbyteri, inter Diaconos Archidiaconi,* 250

§. 5. *In Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum ordine conſiſtebant,* 252

§. vlt. *Plures aliæ Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum prærogatiuæ,* 253

Art. 4.

Obiectiones contrariæ ſoluuntur, 254

SECTIO III.

Errores Cellotij circa hierarchiam quam vocat ordinis.

Cap. I.

Errores eiuſdem generales circa ordines ſacros proponuntur & refelluntur, 259

Art. 1.

Error Montaniſtarum ſupra Epiſcopos aliquos in Eccleſia gradus ſtatuentium, à Cellotio renouatur, 265

Art. 2.

Aliorum error, mulieres in hierarchia ordinis collocantium, vel inter Clericos referentium, in Niceno I. Concilio damnatus: quorumdã item temeritas Monachorum ſine Eccleſiaſtica ordinatione Clericalem gradum ſibi vendicantium à Cellotio renouatus, 260

Art. 3.

Error Cellotii, nullam auctoritatem, vel præeminentiam ſupra populum hierarchiam ordinis continere, vbi de auctoritate, quæ conuenit vi ordinis tam hierarchici quàm non hierarchici diſputatur, 262

§. 1. *Sententia Cellotii exponitur, & rationibus exagitatur,* ibid.

§. 2. *Veneratio & auctoritas Clericis debita à Patribus aſſeritur, vel ipſo ordinationis & Clericatus titulo,* 264

§. 3. *Venerationis & auctoritatis Clericorum aliquæ rationes proferuntur,* 266

§. 4. *Expreſſiora pro præſenti veritate Patrum teſtimonia proferuntur,* 267

§. 5. *Ex ritu conſecrationis Clerici & Monachi huic auctoritas deeſſe, illi conuenire demonſtratur,* 270

§. vlt. *Teſtimonium S. Franciſci profertur,* 271

Art. 4.

Error Cellotii, quòd loco pœnæ ad Sacerdotium ſicut ad Monaſterium detrudi aliquis æquo iure poſſit, 272

§. 1. *Criminoſos ad Monachatum promoueri poſſe, non ad Sacerdotium,* ibid.

§. 2. *Quo ſenſu Monachi pœnitentes, aduerſus criminationes Cellotii,* 274

§. 3. *Quàm ſit diuerſa ratio pœnitentiæ in Clericis & Monachis,* 275

§. 4. *Sacerdotium vel Clericatum pœnæ loco imponi non potuiſſe, ſicut Monachatum,* 276

§. 5. *Reſpondetur exemplis à Cellotio prolatis, quibus ad Sacerdotium aliquos adductos liquet,* 277

§. 6. *Eccleſiam in Monaſterium aliquos inuitos detruſiſſe,* 280

§. 7. *Quoſdam ex iis qui in Monaſterium pœnitentiæ cauſa detrudebantur, ad Monachatus profeſſionem fuiſſe compulſos,* 282

§. 8. *Quædam errata Cellotii diſputationi intertexta referuntur ac refelluntur,* 286

§. vlt. *Cellotii contra prædicta ſubtilitates refelluntur,* 288

Art. 5.

Errores alij in contemptum hierarchiæ, ordinationis Eccleſiaſticæ, & Eccleſiæ ipſius à Cellotio prolati refelluntur, 291

§. 1. *Refellitur primus error, quòd Regulares donatum cælitùs Conciliis Spiritum puriùs nobiliúſque cuſtodiant,* 291

§. 2. *Conuitium Cellotii aduerſus Clerum ſæcularem,* 292

Art. 6.

Error Cellotii de nunquam nimia multitudine ſacerdotum, 293

§. 1. *Cellotii ridicula ſententia de nunquam nimia multitudine ſacerdotum,* ibid.

§. 2. *Æquum eſſe vt Clericorum determinatus ſit numerus,* 293

§. 3. *Pauci in Eccleſia primitiua Clerici, ſed gnaui, & in officio aſſidui,* 294

§. 4. *Statutum ab Eccleſia, vt determinatus eſſet numerus Clericorum,* 294

§. 5. *Monachorum in Presbyteros & Clericos promouendorum ab Eccleſia poteſt numerus determinari,* 295

§. vlt. *Concluſio aduerſus Cellotium,* 297

Art. 7.

Error Cellotii functiones hierarchicas Eccleſiaſt. ordinũ poſtponentis cæleſtis hierarchiæ, ſeu cuſtodiæ Angelicæ officiis, 298

§. 1. *Præcellentiam ſacerdotii ſupra officium Angelicæ cuſtodiæ non officere Angelorum dignitati,* 298

§. 2. *Inſignes prærogatiuæ ſacerdotii in productione corporis & ſanguinis Chriſti in ſanctificatione hominum,* 300

§. 3. *Prærogatiua ſacerdotii ampliùs inquiritur ex conformitate ſacerdotii cum diuino Principatu,* 303

§. 4. *Eadem prærogatiua ſacerdotii ex conformitate cum ſacerdotio Chriſti & cum ipſo Chriſto colligitur,* 307

§. 5. *Prærogatiua vltima ſacerdotii, quòd homines diuinos faciat,* 310

§. 6. *Fundamentum quo Cellotius aduerſus rationes à nobis allatas in vindiciis pro prærogatiua ſacerdotii, excepit, diſſoluitur,* 312

§. 7. *Rationũ Auctoris vindiciarũ firmitas aduerſus Cellotii ridiculos conatus aſſeritur,* 314

§. 8. *Quo ſenſu omnes Angelicæ cuſtodiæ effectus ſint naturalis ordinis,* 318

§. 9. *Vtrùm Epiſcopi munia obeant Angelicæ cuſtodiæ, illuminentur immediatè à Deo, & Angelos aliquando illuminauerint,* 321

§. 10. I. *Error Cellotii eorum quos ad probandum prærogatiuam Angelorum ſupra ſacerdotes inuenit, puta ex nullo capite hierarchicis actionibus hominem Angelo æquiparari poſſe, eiuſdémque in eo contradictio,* 325

§. 11. *Alter error in depreſſionem virtutis ſacramentaliũ, ipſorúmq; Exorciſtarũ, itémq; prædicationis verbi Dei factæ ab hominibus, & precum à ſacerdotibus fuſarum,* 327

§. 12. *Alii errores iniuriam gratiæ Chriſti,*

prædicationi verbi Dei, & miniſterio legis Euangelicæ inferentes, 329

Art. 8.

Errores Cellotij Paſtoratum & Sacerdotium tribuentis Angelis, itémque Eccleſiam inuiſibilem ſine Sacerdotibus & Paſtoribus viſibilibus fingentis, refelluntur, 331

§. 1. *Angelos non eſſe Paſtores aduerſus Cellotium,* ibid.

§. 2. *Error Cellotij Eccleſiam inuiſibilem Paſtores tantùm inuiſibiles habentem proponitur & refellitur,* 335

§. vlt. 3. *Error, Angelos ſacerdotes eſſe,* 337

CAP. III.

Errores Cellotii aduerſus ſingulos hierarchicos ordines commiſſi refelluntur, 339

Art. 1.

Errores aduerſus Epiſcoporum neceſſitatem & Eccleſiæ Epiſcopo viduatæ ſtatum, ibid.

§. 1. *Cellotius dum Epiſcoporum neceſſitatem adſtruere videtur impugnat,* ibid.

§. 2. *Regimen Eccleſiæ eſſe morale & à Preſbyteris ſuppleri poſſe,* 341

§. 3. *Diſtinctio officiorum regiminis,* 344

§. 4. *Statum & dignitatem Epiſcopalem manere in Eccleſia vacante,* 348

Art. 2.

Errores Cellotii circa Presbyterorũ ordinẽ, 355

§. 1. *Presbyteros Epiſcopale regimen ne ad breue quidem tempus ſupplere poſſe,* ibid.

§. 2. *Error Cellotij quòd Presbyteris Monachi ex hierarchica ordinatione non ſubſint,* 357

Art. 3.

Errores Cellotii circa ordinem Diaconorũ, 362

§. 1. *Quidam in Diaconatus ordinem Auctoris errores referuntur,* ibid.

§. 2. *Alius error proponitur, ſimulque dictorum eiuſdem futilitates, temeritates & contradictiones,* 363

§. 3. *Probatur aduerſus Cellotium Diaconum non eſſe ordinarium miniſtrum ſacramenti Baptiſmi,* 334

Art. 4.

Cellotii contemptus circa Subdiaconum & minores Ordines, 378

LIBER IV.

DE IVRISDICTIONE HIERARCHICA.

SECTIO I.

De Iuriſdictionis neceſſitate ad Hierarchiam conſtituendam vel quemcunque Hierarchiæ inſerendum.

CAP. I.

Iuriſdictionem aliquam requiri, vt aliquis in Hierarchia reponatur, 384

Art. 1.

Quædam notanda præmittuntur, ibid.

Art. 2.

Prædictam neceſſitatem etiam ex mente Dionyſij veram eſſe, 385

Art. 3.

Qualis iuriſdictio ad Hierarchiam requiratur, 390

§. 1. *Iuriſdictionem neceſſariam requiri, vt quis perfectè in Hierarchia ſtatuatur,* ibid.

§. 2. *Iuriſdictionem voluntariam abſque ordinis conſortio non ſufficere vt aliquis ſit in Hierarchia etiam imperfectè,* 393

Art. 4.

Requiri ad habendam perfectè iure in Hierarchia ſedem iuriſdictionem ordinariam, 393

§. 1. *Probatur concluſio,* ibid.

§. 2. *Obiectiones in contrariũ diluuntur,* 396

Art. 5.

Plura alia circa iuriſdictionis hierarchicæ qualitatem definiuntur, 399

SECTIO II.

De conditionibus Iuriſdictionis hierarchicæ.

CAP. I.

De prima conditione Iuriſdictionis hierarchicæ vt ſit ſacra, 401

Art. 1.

De vnico inter Angelos ſacro Principatu, duplici inter homines, ſacro & prophano, ibid.

Art. 2.

Varia diſcrimina inter ſacrum & politicum Principatum, 402

Art. 3.

Quiſnam illorum Principatuum ſit vniuerſalior occaſione teſtimonii Caſſiodori, 406

Art. 4.

Varii proferuntur Auctores pro differentiis inter vtrumque Principatum Eccleſiaſticum & ciuilem, 409

Art. 5.

Oppoſitiones quædam inter vtrumque Principatum explicantur occaſione teſtimonii Gregorii II. 410

Art. 6.

Diuerſus vtriuſque Principatus modus procedendi occaſione teſtimonii eiuſdem Gregorii II. vbi de pœnis & ſacro & politico Magiſtratu infligendis, 411

Art. 7.

Excellentia ſacri Principatus, quoad modum procedendi, 415

Art. 8.

Varia alia teſtimonia quibus vterque Prin-

cipatus decernitur, 415

Art. 9.

Corollarium 1. patẽ in Eccleſia eſſe aliquam iuriſdictionem coactiuam, 419

§. 1. *Damnantur qui Eccleſiæ iuriſdictionem coactiuam adimunt,* ibid.

§. 2. *Fũdamẽta erroris cõtrarij refellũtur,* 420

§. 3. *Eccleſiaſtica poteſtas quomodo corporales pœnas prodigioſa virtute inferat,* 421

§. 4. *Quomodo vim interdum adhibeat Eccleſia; & pœnas corporales inferat ratione domeſticæ poteſtatis,* 422

§. 5. *Cogit Eccleſia ad corporales pœnas ſubeundas excommunicationis metu,* 425

§. 6. *Excommunicandi poteſtas eſt coercitiua ſeu coactiua,* 429

Art. 10.

Quædam alia Corollaria ex præcedentibus deducuntur, 435

CAP. II.

Vtrùm ſufficiat ad poteſtatem ſeu iuriſdictionem hierarchicam, quòd ſit merè domeſtica ſeu œconomica, 437

Art. 1.

Poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe tam œconomicam quàm publicam, ibid.

§. 1. *Principia huius cõcluſionis tradũtur,* ib.

§. 2. *Ex prædictis principijs oſtenditur, quòd poteſtas ſacra nouæ legis tam œconomica quàm publica eſſe debeat,* 443

§. 3. *Ex aliis vtraque poteſtas, domeſtica & publica, Eccleſiæ cõuenire demonſtratur,* 444

Art. 2.

Differentiæ quædam inter poteſtatem œconomicam & publicam traduntur, 446

Art. 3.

Poteſtatem merè domeſticam ſeu œconomicam ad hierarchiam non ſufficere, ſed publicam requiri, 448

CAP. III.

De conditione hierarchicæ poteſtatis, vt ſit neceſſaria ratione ſubditi ſeu patientis, 455

Art. 1.

Obſeruationes aliquæ præmittuntur, ibid.

Art. 2.

Voluntariam iuriſdictionem quæ extenditur ad actus nullam neceſſitatem inferentes patientibus, requiri ad hierarchiam, & eo ſenſu dici poſſe hierarchiam, ibid.

Art. 3.

Iuriſdictionẽ quæ nullã patiẽti neceſſitatẽ inducit, non ſufficere ad perfectam hierarchiã, 458

Art. 4.

Non requiri, vt quis ſit in hierarchia, quòd ſummam & omnibus numeris abſolutam iuriſdictionem coercitiuam habeat, ſed ſufficere aliquam gradui proportionatam, 460

CAP. IV.

De quarta conditione iuriſdictionis hierarchicæ, vt ſit neceſſaria ex parte agentis, ſeu vt ſit ordinaria non delegata, 467

Art. 1.

Iuriſdictionem hierarchicam neceſſariam eſſe debere ex parte agentis, ibid.

§. 1. *Omnis iuriſdictio hierarchica cum obligatione coniuncta eſt,* ibid.

§. 2. *Obligatio habẽtis iuriſdictionẽ hierarchicam ſtata & permanens quomodo eſſe debeat,* 469

Art. 2.

Iuriſdictionem hierarchicam debere eſſe ordinariam, 469

§. 1. *Quid ſit iuriſdictio ordinaria, quid delegata,* ibid.

§. 2. 1. *Ratio, propter quam iuriſdictio hierarchica debeat eſſe ordinaria,* 470

§. 3. *Altera ratio, propter quam iuriſdictio hierarchica debeat eſſe ordinaria,* 471

§. 4. *Tertia ratio, propter quam iuriſdictio hierarchica debeat eſſe ordinaria,* 474

§. 5. *Vltima ratio, propter quam iuriſdictio hierarchica debeat eſſe ordinaria,* 475

§. 6. *Corollaria quædam ex præcedentibus concluſionibus inferuntur,* 476

SECTIO III.

De diuiſione Hierarchiæ habita præſertim ratione iuriſdictionis.

CAP. I.

Quædam circa diuiſionem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ in vniuerſum ſtatuuntur, 477

CAP. II.

Variæ diuiſiones Hierarchiæ ratione præſertim iuriſdictionis traduntur, 478

CAP. III.

De diuiſione Hierarchiæ, ratione iuriſdictionis, 479

SECTIO IV.

De debita membrorum hierarchicorum ratione iuriſdictionis ſubordinatione, & eorumdem inter ſe comparatione.

CAP. I.

Quænam Metropolitani circa Suffraganeos ſuos, & ipſis ſubitos exequi poſſint, 482

Art. 1.

Obſeruationes quædam generales præmittuntur, 482

Art. 2.

Archiepiſcopi ſeu Metropolitani iuriſdictionem potiùs circa Suffraganeos eſſe, quàm circa

ſubditos ipſorum : vbi varia de poteſtate Metropolitanorum in Suffraganeos, & Suffraganeorum circa Metropolitanos, 483

Art. 3.

De iis quæ poteſt Metropolitanuss circa ſubditos Suffraganei, 485

§. 1. *Per querelam aduerſus Suffraganeum, & appellationem ab eius ſententia Metropolitanum iudicare de cauſis fidelium totius ſuæ prouinciæ*, ibid.

§. 2. *Per negligentiam vel malitiam Suffraganei, quandonam eius auctoritas ad Metropolitanum deuoluatur*, ibid.

§. 3. *Quomodo ad extirpandam inueteratam conſuetudinem in tota prouincia, Metropolitanus iudex euadat*, 486

§. 4. *Crimen Clerici depoſitione dignum quâ ratione Metropolitano reſeruatum*, 487

§. 5. *Quænam ob infirmitatem vel mortem Suffraganei ad Metropolitanum referantur*, 487

§. 6. *De quibus Metropolitanus inter viſitandum cognoſcat, & quæ concedere vel agere poſſit, aliâque de iure viſitandi ipſis attributo*, 488

§. 7. *Quid ſpecialiter in Monachos & Moniales poſſint Metropolitani*, 490

§. 8. *Inuitati Metropolitani à Suffraganeis ad conſulendum, & adiuuandum in rebus præſertim arduis & momentoſis*, 491

§. 9. *Delegati ſæpè Metropolitani à Sede Apoſtolica ad cauſas aliquas fidelium totius prouinciæ audiendas ac definiendas*, 493

§. vlt. *Plures alij caſus enumerantur, propter quos ſubditi Suffraganeorum à Metropolitanis iudicantur*, 494

Art. 4.

Quæ præſertim non poſſit Metropolitanus in ſuos Suffraganeos, 495

Art. 5.

Quæ præſertim non poteſt Metropolitanus circa ſubditos Suffraganeorum, 498

CAP. II.

Quid Primates circa Metropolitanos & eorum ſubditos poſſint, 501

Art. 1.

De poteſtate Primatis Carthaginenſis, vbi plurima circa veteris Eccleſiæ, præſertim in Africa, hierarchicā formā obſeruantur, 501

§. 1. *Quædam de Primatibus generatim præmittuntur*, ibid.

§. 2. *De antiquitate & amplitudine Primatus Eccleſiæ Carthaginenſis*, 502

§. 3. *Quibus modis antiquitùs Primas Carthaginenſis de Epiſcopis Africanis aliarum prouinciarum iudicaret*, 505

§. 4. *Quanta Primatis Carthag. eſſet auctoritas, & vtrùm eius relationi fides denegari, ipſius ſententia reſcindi poſſet, ex Cypriano diſcutitur, cuius verba expenduntur*, 507

§. 5. *De poteſtate Primatis Carthag. circa Epiſcoporum ordinationes*, 508

§. 6. *De grauioribus negotiis Primatem Carth. ab Epiſcopis Africanis fuiſſe conſultū, vbi de eius in Conciliis Africanis poteſtate*, 511

§. 7. *Continuatio de poteſtate Primatis Carth. in Conc. Africanis, vbi obiter de euſdē veneratione in tota Eccleſia Africana*, 512

§. 8. *Solutio obiectionis aduerſus dignitatem Primatis Carthaginenſis*, 514

§. 9. *Continuatio poteſtatis Primatis Carth. in Conciliis per totam Africam*, 516

§. 10. *Quædam ſparſim argumenta dignitatis Primatis Carthag. ex dictis proferuntur*, 518

§. 11. *De iudiciaria poteſtate Primatis Carth. in iudiciis Africanis*, 518

§. 12. *De iure viſitationis penes Primatem Carthag.* 521

§. 13. *Aliæ honorificæ prerogatiuæ Primatis Carth.* 522

§. 14. *De poteſtate ſingulari Primatis Carthag. circa Monachos*, 523

Art. 2.

De Cæſarienſi Epiſcopo Primate totius Ponticæ Diœceſeos, 525

§. 1. *Quædam præmittuntur explicationi neceſſaria*, ibid.

§. 2. *Poteſtas Primatis Cæſarienſis circa ordinationes Epiſcoporum variis exemplis ordinationum factarum à Baſilio*, 526

§. 3. *Eadem poteſtas Cæſarienſis Antiſtitis in ordinationibus Epiſcoporum Exarchica, quibuſdam ſequentium temporum exemplis probatur*, 534

§. 4. *Poteſtas Cæſarienſis Primatis in iudiciis Eccleſiaſticis*, 536

§. 5. *De poteſtate Primatis Cæſarienſis circa Synodorum celebrationem*, 540

§. 6. *Quædam obſeruantur circa Concilia in tota Diœceſi Pontica haberi ſolita*, 544

§. 7. *Aliqua alia Caſ. Prim. priuilegia*, 548

§. 8. *Alia in laudem Cæſar. Eccleſiæ*, 550

§. 9. *Solutio obiectionis aduerſus prædicta*, 551

§. vlt. *Reſtrictam Cæſarienſis Epiſcopi in ſua Diœceſi Exarchica poteſtatem fuiſſe*, 552

Art. 3.

De Primatu Theſſalonicenſis Epiſcopi in Diœceſi Illyrici, 553

§. 1. *Præmittuntur quædam de Illyrici ſtatu politico, ad Eccleſiaſticam Sedis Theſſalon. ἐξαρχίας intelligendam neceſſaria*, ibid.

§. 2. *Quando primùm & à quibuſdam Pontif.*

Theſſal. Primatus dignitas inſtituta ſit, 556

§. 3. *Leges generales Primati Theſſ. præfixæ,* 557

§. 4. *Leges ſpeciales Theſſ. Primati à Leone I. præſcriptæ,* 559

§. 5. *Prærogatiua Theſſ. Præſulis in Conciliis generalibus,* 560

§. 6. *Primatum Theſſal. nondum fuiſſe tempore Concilij Nicæni,* 563

§. 7. *A quibus ſummis Pont. primùm inſtituti fuerint Primates Theſſ. quo conſilio & cui vtilitati,* 564

§. 8. *Quinam primùm Theſſ. Primates, quid potuerint, quid egerint,* 565

§. 9. *Continuatio Theſſ. Primatus, acturbatio propter adhæſiculum Schiſmati Acaciano,* 568

§. 10. *De ſubſtracta Primati Theſſ. Achaia, & origine Primatis Metropolis Corinth.* 569

§. 11. *De ſubductis variis aliis prouinciis Theſſalonicenſi Vicario & Iuſtinianæ 1. Archiepiſcopo attributis,* 573

§. 12. *Miſcellanea quædam complectens,* 582

Art. 4.

De Primatibus Galliarum, quorum occaſione, etiam de Metropolitanis Galliæ, & forma hierarchicæ gubernationis contingentis præſertim prioribus annis à Chriſto nato, 583

§. 1. *Quædam huic diſputationi præmittuntur,* ibid.

§. 2. *Metropolitanorum in Gallia antiquitas generatim probatur,* 584

§. 3. *Exempla Metropolitanorum in Gallia ante Concilium Nicænum,* 585

§. 4. *Pro Metropolitano Arelatenſi teſtimonia quædam,* 586

§. 5. *De Lugdunenſi Metropoli,* 587

§. 6. *De Senonenſi Metropoli, & obiter de Bituricenſi,* 588

§. 7. *De Metropoli Rothomagenſi,* ibid.

§. 8. *De Metropoli Remenſi,* 589

§. 9. *De Metropoli Burdegalenſi,* ibid.

§. 10. *De Metropoli Turonenſi,* 590

§. 11. *De Metropoli Ebredunenſi,* ibid.

§. 12. *De Metropoli Aquenſi,* 591

§. 13. *De Metropoli Tarentaſienſi,* 572

§. 14. *De diuiſione Galliarum ad ſequentium intelligentiam neceſſaria,* 594

§. 15. *Origo diſſenſionis inter Arelat. & Viennenſem Metropolitanos de iure Metrop.* 595

§. 16. *Ab antiquo tempore & ante Conſtantin. plures in Gallia quàm quatuor fuiſſe Metropolitanos, in Galliis Narbonenſi, Aquitanica, Celtica, & Belgica,* 597

§. 17. *Singulariter diſputatur de Viennenſi & Arel. Epiſcopis, quinam eorum ab initio Metropolitanus fuiſſe videatur,* 597

§. 18. *Narbonenſem Præſulem etiam ab antiquo Metropolitanum fuiſſe,* 599

§. 19. *Variæ obiectiones in contrarium opponuntur,* ibid.

§. 20. *Cauſæ propter quas ignoti eſſe potuerunt, vel certè incerti aliquo tempore Metropolitani Arelat. ac Viennenſis termini,* 602

§. 21. *De Proculi Maſſilienſis inuaſione diſſimulata à Concilio Taurinenſi, correcta à Zoſimo, & de Maſſilienſis ciuitatis ordine inter comprouinciales,* 603

§. 22. *Reſponſio in gratiam Aquenſis Metropolitani,* 604

§. 23. *Zoſimo ab Arelatenſi Metropolitano obreptum, hancque obreptionem ab ipſo & ſummis Pontif. correctam,* 605

§. 24. *Diſcutitur 1. decretum Leonis Papæ aduerſus Arelat. Metropolitam,* 605

§. 25. *Præambula quædam ad poſteriorem Leonis ſententiam inter Arelat. & Vienn. Metropolitanos decretoriā examinātur,* 608

§. 26. *Sententia Leonis circa prædictam controuerſiam diſcutitur,* 612

§. 27. *Vtrum Arelat. & Vien. Præſules, aut ſimul aut alternis vicibus prouinciam Viennenſem tanquam Metropolitani regerent ante Leonis ſententiam,* 613

§. 28. *Obſeruata poſterioribus temporibus prædicta ſententia ſancti Leonis,* 614

§. 29. *De confirmatis Metropol. Ebredunenſi & Aquenſi,* 615

§. 30. *De variis immutationibus circa Metropolim Viennenſem,* 615

§. 31. *De Metropoli Narbonenſi,* 617

§. 32. *De Auſciorum Metropoli,* 619

§. 33. *De Metropoli Veſontienſi,* 621

§. 34. *De Metropoli Mogunt. & Colonien.* 624

§. 35. *Quo ſenſu ſub finem regni Merouingiorum Metropoleon diſtinctio in Francia obſoleuiſſe dicatur,* 628

§. 36. *Aliqua de Metropoli Moguntina ac Colonienſi adduntur,* 631

§. 37. *De Metropoli Treuirenſi,* ibid.

§. 38. *De metropoli Toloſana,* 632

§. 39. *De metropoli Auenionenſi,* 633

§. 40. *De metropoli Pariſienſi,* ibid.

§. 41. *De Cameracenſi & Machlinienſi metropolibus,* 633

§. 42. *Concluſio totius iſtius tractatus de metropolibus Galliarum,* 634

§. 43. *Origo Arelatenſis Primatus quæ, & quàm iuſta,* ibid.

§. 44. *De Galliis, & quinque vel ſeptem prouinciis quædam notatu digna præmittuntur,* 635

§. 45. *De priuilegiis Eccleſiæ Arelat. cura Patrocli illius Epiſcopi à Zoſimo Papa conceſſis*, 638.
§. 46. *De priuilegio Patroclo Arelat. conceſſo, vt Epiſcopis longiùs abeuntibus literas daret, ſine quibus proficiſci eis non liceret*, ib.
§. 47. *Alia duo Eccleſiæ Arel. à Zoſimo conceſſa*, 639
§. 48. *Confirmatum ſubdinde Arel. Eccleſiæ Primatum à variis Pontificibus*, 640
§. 49. *De Pimatu Hilarij Arelatenſis in Galliis plura*, 641
§. 50. *De ſententia ſancti Leonis aduerſus ſanctum Hilarium Arelatenſem*, 643
§. 51. *Ex iis quæ de Hilario dicta ſunt Primatus Arelatenſis Epiſcopi colligitur*, 645
§. 52. *Probatur eadem Exarchica poteſtas Arelatenſis Præſulis ex epiſtolis ſcriptis ab Epiſcopis Gallis ad Leonem poſt obitum Hilarij, & epiſtolis quibuſdam Leonis*, 647
§. 53. *Probatur Primatus eiuſdem Eccleſiæ ex Synodo Arelatenſi* 2. 648
§. 54. *De eadem poteſtate ex epiſtolis Hilarij*, 649
§. 55. *Exempla Primatus Arelatenſis circa tempus Hilari Papæ & quorumdam ſequentium ſummorum Pontif.* 651
§. 56. *Ex perturbatione Galliarum ſubſecuta exaltatio Eccleſiæ Viennenſis*, ibid.
§. 57. *Primatus Arelatenſis circa eadem tempora in regno Gothico vſque ad Hiſpanias extenſis* 652
§. 58. *Primatus eiuſdem Arelatenſis Eccleſiæ poſt deuictos à Francis Wiſigothos, & Arelatem Francis deditam*, 653
§. 59. *Quibuſdam obiectionibus occurritur*, 655
§. 60. *Continuatio probationum Primatus Arelatenſis ſub Vigilio & Pelagio II.* 656
§. 61. *Primatus Arelat. Eccleſiæ probatus à Gregorio in aliquam regni Gallici partē*, 657
§. 62. *Imminutus Arel. Primatus ſub Gregorio, cuius imminutionis cauſæ deteguntur*, 659
§. 63. *Remanſit ſub Gregorio Arelatenſis Primatus, licèt debilitatus*, 661
§. 64. *Aliorum Metropolitanorum pro Primatu obtinendo tempore Greg. conatus*, 662
§. 65. *Alia ratio Primatus Arelatenſis neglecti à tempore Gregorij*, 663
§. 66. *Extincti poſt Gregorium Arelat. Primatus argumenta*, ibid.
§. 67. *Variarum Eccleſiarum & Epiſcoporum Primatus obiter enumerantur, & ſuſcitatus à Ioan. VIII. Primatus Arel. oſtēditur*, 664
§. 68. *Non ſolas perſonas, ſed Eccleſiam quoque Arelatenſem vicariatus Sedis Apoſtolicæ ſeu Primatus Arelatenſibus Præſulibus conceſſus affecit*, 665
§. 69. *Secundæ obiectioni reſpondetur, & de vſu Primatus Arelatenſis diſſeritur*, 666
§. 70. *An priuilegia quæ Eccleſiæ Arelatenſi ſunt conceſſa, aliis communicata fuerint, vbi de origine Primatus Lugdun. quædā*; 667
§. 71. *Duo in Gallia Vicarij Sedis Apoſt. tempore S. Gregorij, Arelat. & Auguſtodunenſis, vbi de origine Primatus Lugdunenſis aliqua adduntur prædictis*, 669
§. 72. *Nec Primatis, nec aliam ſuperiorem Epiſcopis dignitatem in Eccleſia eſſe poſſe, ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ*, 670
§. 73. *Modeſtam, ſed non ideò inefficacem Primatum auctoritatem fuiſſe*, 673
§. 74. *Obiectio proponitur petita ex ſubſcriptionibus Conciliorum*, 675
§. 75. *Quædam exceptiones aduerſus ſubſcriptionum diuerſitatem*, 677
§. 76. *Subſcribendi prærogatiua non ſemper auctoritatis argumentum, nec obſequij excluſionem inferre viſa*, 678
§. 77. *Rationes proferuntur cur Epiſcopi ante Metropolitanos aliquando nominati & ſubſcripti reperiantur*, 780
§. 78. *Rationes proferuntur, ob quas diuerſis Galliæ Conciliis diuerſarum Sedium Metropolitani ſubſcripſerint*, 681
§. 79. *Diſtinctio Galliarum profertur, ratione cuius diuerſi vt plurimum præſidebāt*, 682
§. 80. *Quomodo diuerſis Conciliis iidem aliàs modò priores, modò poſteriores ſubſcripſiſſe legantur*, 683
§. 81. *Concluſio totius iſtius diſputationis*, 684

Cap. III.

De Patriarcharum poteſtate in Primates, Metropolitanos, Epiſcopos, 686

Art. I.

De Patriarcharum inſtitutione, & poteſtate generatim, ibid.
§. 1. *De varia acceptione nominis Patriarchæ*, 686
§. 2. *Acceptionem communem Patriarchæ pluribus Epiſcopis, eorum æqualem dignitatem non oſtendere*, 689
§. 3. *Patriarchæ nomen oſtenditur ſingulariter quibuſdam tantùm excellentioribus Patriarchis attributum*, 690

Art. 2.

De prædictione Patriarchalium Sedium omnium ab Iſaia, 693

Art. 3.

De inſtitutione & origine trium vetuſtiſſimarum Sedium Patriarchalium, Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, 695
§. 1. *S. Petrum trium priorum Patriarcha-*

lium ſedium fuiſſe auctorem, ibid.

§. 2. *Quorum rationum habuerit S. Petrus, in inſtituendis tribus Patriarchalibus ſedibus, Romana, Alexandr. & Antioch.* 702

§. 3. *Solutio quarumdam obiectionum contra primam iſtarum ſedium Patriarchalium inſtitutionem,* 706

Art. 4.

De addito de nouo Patriarcha Conſtantin. 709

§. 1. *Occaſio Patriarchatus Conſtantinop. erigendi,* ibid.

§. 2. *Diſcutiuntur rationes, quibus probatur origo Metropoliticæ dignitatis Eccleſiæ Conſtantinop. ſtatim ab eo tempore fuiſſe, quo regia ciuitas Conſtant. facta eſt,* 710

§. 3. *Diſcutiuntur rationes, quibus decreto Concilij Conſtant. I. origo Metropoliticæ dignitatis Conſtantinop. adſcribitur,* 712

§. 4. *Iudicium de origine Metropolitanæ dignitatis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ & diuiſione prouinciæ ſubditæ in duas, quorum vnam regeret Conſtantinopolitanus, alteram Heracleenſis,* 713

§. 5. *Canone 3. Concilij Conſtant. Epiſcopum Conſtant. exarchica ſeu Patriarchica dignitate auctum fuiſſe,* 715

§. 6. *Canonem iſtum 3. non fuiſſe factum ab œcumenico Concilio,* ibid.

§. 7. *Hiſtoria Concilij Conſtant. I.* 716

§. 8. *Variæ rationes, quibus conſtat Canonem 3. Concilij Conſtant. ab œcumenico non fuiſſe editum,* 717

§. 9. *Aliqui Socratis errores notantur circa hiſtoriam Concilii Conſtantinopolitani,* 720

§. 10. *Canonem 3. Concilii Conſtant. in conuentu paucorum Epiſcoporum factum anno ſequenti Concilium œcumenicũ, in quo & alia quædam geſta narrantur,* 721

§. 11. *Summa eorum quæ de Conſtant. Concilio dicta ſunt, & exceptionis aduerſus prædictum Canonem confirmatio,* 723

§. 12. *Pugnare geſta & decreta Concilij Conſtant. œcumenici, cum geſtis & decretis à poſteriori conuentu in eadem ciuitate in gratiam ſedis Conſtant.* 724

§. 13. *Quænam in conuentu Conſtant. in gratiã illius ſedis Antiſtitum decreta ſint,* 726

§. 14. *Ante Canonem Concilij Conſtant. Antiſtitem illius ciuitatis non fuiſſe vllius Diœceſis Primatem ſeu Patriarcham,* 727

§. 15. *Quas Diœceſes poſt conuentum Conſtant. vſurpare conati fuerint Conſtant. Præſules, explicatur, eorumque concilium aperitur,* 728

§. 16. *Exempla vſurpationum Conſtant. Eccleſiæ ſub Nectario examinantur,* ibid.

§. 17. *Examinantur exempla vſurpationum Eccleſiæ Conſtant. ſub Ioanne Chryſoſt.* 730

§. 18. *Exempla vſurpationum Conſtant. Eccleſiæ ſub Attico,* 732

§. 19. *Varia exempla earumdem vſurpationum diſcutiuntur,* 734

§. 20. *Exempla vſurpationum Eccleſiæ Conſtant. ſub prædicto Attico,* 735

§. 21. *Exemplum vſurpationis Eccleſiæ Conſt. ſub Chryſoſt. Proclo, Flauiano, diſcutitur,* 736

§. 12. *Exempla vſurpationis Conſtant. Eccleſiæ ſub Flauiano,* 737

§. 23. *Cætera exempla eiuſdem vſurpationis Eccleſiæ Conſtant. ſub Proclo & Anatolio ante Concilium Chalced. expenduntur,* 740

§. 24. 1. *Exceptio aduerſus decretum Concilij Chalced. in gratiam Eccleſiæ Conſtant.* 744

§. 25. 2. *Exceptio aduerſus decretum Concilij Chalced. in gratiam Eccleſiæ Conſtant.* 746

§. 26. 3. *Exceptio confirmatur,* 747

§. 27. 4. *Exceptio proponitur & probatur,* 750

§. 28. 5. *Exceptio ſtatuitur,* 751

§. 29. 6. *Exceptio confirmatur,* 753

§. 30. 7. *Exceptio profertur,* 754

§. 31. 8. *Exceptio exponitur,* 756

§. 32. 9. *Exceptio explicatur,* ibid.

§. 33. 10. *Exceptio probatur,* 760

§. 34. *Non fuiſſe etiam poſt Concilium Chalcedonenſe vſu receptum, vt à Patriarcharum ſententiis prouocaretur ad ſedem Conſtant. nec vt Metropolitani iiſdem ſubditi apud eandem ſedem conuenirentur,* 763

§. 35. *Cur Canones 9. & 17. Concilii Chalced. quaſi Canones approbati in Collectionibus habeantur, 28. autem reiiciatur,* 764

§. 36. *Corollaria quædam ex prædictis deducuntur circa ea quæ vſus poſterorum temporum probaſſe, vel improbaſſe viſus eſt, tanquam à Concilio Chalcedonenſi Conſtantin. Epiſcopo conceſſa,* 766

§. 37. *Vtrùm ſtatim poſt Concilium Chalced. Patriarcha Conſtantin. ius integrum Exarchicum Heracleenſi Epheſino, & Cæſarienſi Cappadociæ Præſulibus in Diœceſibus Thracica, Aſiana & Pontica ademerit,* 768

§. 38. *De vſurpationibus Epiſcopi Conſtant. temporibus Zenonis & Anaſtaſii Impp.* 770

§. 39. *De poteſtate Patriarchæ Conſt. tempore Iuſtini Imperatoris,* 774

§. 40. *De poteſtate Patriarchica Epiſcopi Conſtant. ſub Iuſtiniano Imperatore,* 776

§. 41. *Admiſſum ab Orientalibus inter Patriarchas Conſtant. Epiſcopum circa tempora Iuſtini ſenioris & Iuſtiniani ab Eccleſia Romana tunc tacitè ſaltem, poſtea verò expreſſè probatum,* 777

§. 42. *Aliqua præmittuntur ad accuratiorem*

diſcuſsionem circa poteſtatem Patriarchæ Conſtant. in Diœceſibus Thracicã, Aſiana, & Pontica & extinctionem antiquorũ earum Diœceſeon Primatum, 779
§. 43. *Rationes proferuntur, quibus probari videtur Primatum Heracl. Epheſini & Cæſarienſis Cappadociæ poſt erectionem Patriarchatus Conſtant. non fuiſſe penitus abolitam dignitatem,* 780
§. 44. *Prædictos Primates in Diœceſibus ſibi ab antiquo aſſignatis auctoritatem iudiciorum aliquam retinuiſſe,* 781
§. 45. *Rationes, quibus probatur partem prædictarum Diœceſeon à Patriarcha Conſtant. aliam partem ab antiquis Primatibus fuiſſe ordinatam,* ibid.
§. 46. *Expenduntur argumenta, quibus generatim vel in ſolidum in iiſdem prouinciis Primatus Cæſarienſis, Heracleenſis & Epheſini Epiſcopi poſt erectionem Patriarchatus Conſt. manſiſſe probantur,* 782
§. 47. *Oſtenditur, Diœceſes Thracicam, Ponticam & Aſianam ex æquo inter Patriarchas Conſt. & Primates proprios non fuiſſe tempore Iuſtiniani diuiſos,* 786
§. 48. *Argumenta prolata ſuperiùs ad prædictarum Diœceſeon partitionem probandam diſcutiuntur,* 790
§. 49. *A quo tempore primus in Oriente Patriarcha Conſtant. eſſe cœperit,* 792
§. vlt. *Corollarium ex prædictis elicitur circa receptionem priuilegiorum Eccleſiæ Conſt. eorúmque refutationem à Rom. Sede,* 794

Art. 5.

De erectione Patriarchatus Hieroſolymorum, 795
§. 1. *Quæ cauſa fuerit huius Patriarchatus erigendi,* ibid.
§. 2. *De interpretatione Canonis Nicæni VII. & prærogatiua honoris Epiſcopo Hieroſol. attributa cum ſubiectione Cæſareæ Metropoli,* 796
§. 3. *Ex Hieronymo Epiſcopum Hieroſol. Metropolitano Cæſareæ Paleſtinæ & Patriarchæ Antioch. ſubditum fuiſſe,* 798
§. 4. *Alia duo argumenta, quibus probatur Eccleſiæ Cæſarienſis prærogatiua ſupra Hieroſol.* 802
§. 5. *Antiqua honoris priuilegia ad tempus vſque Nicænæ Synodi Hieroſol. Epiſcopo attributa exemptionem eius ab Eccleſiæ Cæſar. non probare,* 806
§. 6. *Diſcutiuntur exempla prærogatiuæ Antiſtitis Hieroſol. ſub Macario,* 810
§. 7. *Exempla prærogatiuæ Eccleſiæ Hieroſol. ſub Maximo Macarij ſucceſſore expenduntur,* 813
§. 8. *Exempla prærogatiuæ Eccleſiæ Hieroſol. ſub Cyrillo,* 815
§. 9. *Prærogatiua Eccleſiæ Hieroſol. ſub Ioanne,* 816
§. 10. *Eadem prærogatiua à Iuuenali plurimùm aucta, cuius primi conatus pro Patriarchica Hieroſol. Antiſtitis auctoritate obtinenda referuntur,* 816
§. 11. *Patriarchicæ dignitatis quædam argumenta in Iuuenale Hieroſol. Antiſtite,* 821
§. 12. *Confirmata in Concilio Chalced. Patriarchica poteſtas Hieroſol. Epiſcopo, & Diœceſis ei aßignata,* 822
§. 13. *Corollaria quædam circa Patriachatum Epiſcopi Hieroſol. Diœceſim ipſi vt Patriarchæ, ac prouinciam eidem vt Metropolitano attributam,* 824
§. 14. *Poſt Concilium Chalced. iure Metropolitani vnius Palæſtinæ, & Patriarchæ Diœceſis trium Palæſtinarum potitum fuiſſe Epiſcopum Hieroſol.* 824
§. 15. *De noua acquiſitione quarumdam prouinciarum Patriarchatus Hieroſ. poſt Synodum Chalced.* 826

Art. 6.

De Patriarcharũ officiis & prærogatiuis, 827
§. 1. *Prima prærogatiua Patriarcharum, quòd vnitatem Eccleſiæ eorum concordia foueat, & augeat,* 827
§. 2. *De communicatione ſtrictiori Patriarcharum inter ſe,* 828
§. 3. *De nominibus Patriarcharum ſacris dyptichis inſcribendis & recitandis,* 829
§. 4. *Patriarchæ vbique deferunt inſignia poteſtatis,* 830
§. 5. *Patriarchæ in vniuerſali Eccleſiæ regimine ſummi Pontificis ſingulares aſſeſſores, & adiutores,* 831
§. 6. *Patriarcharum in Conciliis generalibus præſentia vel legatio quantum expetita,* 833
§. 7. *Patriarchæ præ cæteris Epiſcopis Apoſtolicæ poteſtatis magis participes,* 834
§. 8. *De poteſtate Patriarcharum in ordinandis tam Metropolitanis quàm Epiſcopis quibuſdam ſuarum Diœceſeon,* 836
§. 9. *De relationibus maiorum cauſarum ad Patriarchas,* 837
§. 10. *De cauſis Epiſcoporum à Patriarchis & Primatibus iudicandis, imò etiam cauſis Clericorum,* 838
§. 11. *Antiquæ ad Patriarchas maiorum cauſarum relationes, antiquus mos Presbyterorum coram Patriarchis litigantium,* 839
§. 12. *Metropolitanos primo iudicio coram*

Patriarchis conueniri ſolitos, 839
§. 13. *Patriarcharum eſſe dare iudices*, 841
§. 14. *Epiſcopos in certis caſibus coram Patriarcha conuentos fuiſſe*, 842
§. 15. *Patriarchis ius Concilia conuocandi conuenire*, 843
§. 16. *Ius abſoluendi à cenſuris & peccatis Patriarchæ conceſſum*, 844
§. 17. *De poteſtate legiſlatiua Patriarcharum*, 845
§. 18. *Cura diſciplinæ Eccleſiaſticæ penes Patriarchas*, 446
§. 19. *Monaſteriorum ſingularis cura, & in ea auctoritas penes Patriarchas*, 847
§. 20. *Concluſionem totius diſputationis de hierarchica ſubordinatione Metropolitanis Primatibus, Patriarchis complectens*, 849

SECTIO V.

De prærogatiua honoris modò ordini, modò iuriſdictioni attributa.

CAP. I.

Nulli olim iuriſdictionem niſi in ſui vel inferioris ordinis viros conueniſſe, 853

CAP. II.

Diaconorum in Presbyteros inſurgentium ambitus & antiquus, & antiquis temporibus notus, 855
Art. 1.
Varia eius rei teſtimonia proferuntur, ibid.
Art. 2.
Auctoris quæſtionum ex veteri & nouo teſtimonium profertur, vbi varia circa reuerentiam ſingulis ordinibus exhibitam obſeruantur, 858
Art. 3.
Decretum quiniſextæ Synodi quo Diaconorum ambitio reprimitur, 860
Art. 4.
Decretum Alexij Comneni, & Balſamonis teſtimonium & variæ obſeruationes circa morem Græcorum, 861
Art. 5.
De prærogatiua S. R. E. Cardinalium, 862

CAP. III.

Quomodo Diaconorum auctoritas & iuriſdictio progreſſu temporis ad Clericos ſuperiorum ordinum extenſa fuerit, 863
Art. 1.
Diaconos olim in ſolos Diaconos, & inferiores miniſtros poteſtatem habuiſſe, iiſque prælatos fuiſſe, 864
Art. 2.
Origo prælationis Archidiaconorum ſupra Presbyteros in Gallia, 864
Art. 3.
Origo præeminentiæ Archidiaconorum ſupra Presbyteros in Hiſpania, 868
Art. 4.
Origo præeminentiæ Archidiaconorum in Italia & Oriente, 871
Art. 5.
De prærogatiua Archidiaconorum, ex more Eccleſiæ Orientalis, 872
Art. 6.
Poſteriorum ſæculorum teſtimonia pro Archidiaconorum præeminentia, 873

SECTIO VLTIMA.

In qua plurima Cellotij errata aduerſus hierarchicam iuriſdictionem, & quoſuis in hierarchica Eccleſiaſtica hominum ſtatus notantur, 874

CAP. I.

Errores Cellotij aduerſus hierarchiam Eccleſiaſticam vniuerſim ſumptam, 875
Art. 1.
Error primus Cellotij aduerſus Eccleſiæ viſibilitatem, ibid.
Art. 2.
Alter error Cellotij contra Eccleſiæ infallibilitatem, 878

CAP. II.

Error Cellotij aduerſus ſummum Pont. 882
Art. 1.
Primus error Cellotij contra auctoritatem ſummi Pontificis in aſſignandis limitibus ipſius poteſtatis Patriarchalis, 882
Art. 2.
Error Cellotij Pontificis auctoritatem in Eccleſia Gallicana indebitè conſtringentis, ibid.
Art. 3.
Varia errata Cellotij circa ſummum Pontificem & poteſtatis ipſius inſtitutionem: vbi varia inſerit reprehenſione pariter digna, circa Apoſtolos & Epiſcopos, 890
§. 1. *Docet Cellotius rationem capitis, & Epiſcopatum ſibi inuicem in Petro accidentaria eſſe*, 890
§. 2. *Petrum docuit Cellotius quà Epiſcopum Romanum, ſeu quà priuato gregi ius dicit & Presbyteros ordinat, Apoſtolis inferiorem eſſe*, ibid.
§. 3. *Petro vt capiti Eccleſiæ vt Patriarchæ, vt Epiſcopo Rom. ineptæ functiones aliquæ ſingulis rationibus reſpondentes à Cellotio aſſignantur*, 892
§. 4. *Cellotius tres dotes, rationem capitis, Apoſtolatum & Epiſcopatum habere Apoſtolos priores duas à Chriſto, vltimam depen-*

dentem à Petro aſſerit, 893

§. 5. *Circa Apoſtolorum inſtitutionem primam Cellotius aliqua turbat contra Euangeliſtarum narrationem,* ibid.

§. 6. *Peccat in comparatione Apoſtolorum cum Cardinalibus & Epiſcopis nondum ordinatis,* 894

§. 7. *Defenditur Aurelij dictum de Epiſcopis electis nondum ordinatis,* ibid.

§. 8. *Errata Cellotij circa quæſt. ab eo propoſitam de poteſtate Epiſcoporum, à quo ſit immediatè, an à Deo, an à Papa,* 895

Art. 4.

Quædam alia circa ſummum Pont. errata, 896

CAP. III.

Error Cellotij circa R. E. Cardinales, 899

Art. 1.

Impropria quædam Cellotij locutio notatur, tum refellitur eiuſdem ſententia, quâ Clero Rom. & Card. ſede vacante, imperium in Eccleſias huc illuc diſperſas adimit, ibid.

Art. 2.

Error Cellotij, Cardinalium Collegium ſeu Clerum Rom. Senatum orbis Chriſtiani olim non fuiſſe, 901

Art. 3.

Quomodo Cardinales in hierarchia Eccleſiæ conſiſtant, aduerſus Cellotiũ explicatur, 902

CAP. IV.

Perperàm quædam dicta à Cellotio tum circa Romani Epiſcopatus limites, tum circa Patriarchas, 903

CAP. V.

Quid peccet Cellotius contra Epiſcopos, 905

Art. 1.

Peccat Cellotius contra ſtatum & inſtitutionem Epiſcoporum, ibid.

Art. 2.

Errata Cellotii circa Epiſcoporum iuriſdictionem, 907

Art. 3.

Errata Cellotii circa Epiſcoporum dignitatem, 908

CAP. VI.

Errata Cellotii aduerſus Parochorum ordinem & adminiſtrationem, 909

CAP. VII.

Quæ peccet Cellotii aduerſus vniuerſum Cleri ſæcularis ordinem, 914

CAP. VIII.

Errores Cellotis contra Concilia Eccleſiæ, 920

Art. 1.

Error eiuſdem contra vtilitatem Conciliorum generalium, ibid.

Art. 2.

Iniuria à Cellotio illata Conciliis Epheſino I. quintæ & octauæ Synodis generalibus, 923

Art. 3.

Quædam alia errata Cellotii circa Conciliorum tractationem caſtigantur, 925

Art. 4.

Archicappellanum Regum Franciæ Conciliorum Præſidem ſine fundamento ſtatuit Cellotius, 928

Art. 5.

Cellotius iniurius Comitiis Cleri Gallicani, & Epiſcoporum Galliæ conuenientibus, 930

CAP. IX.

Errata Cellotii aduerſus membra, vt vocant, hierarchizatæ hierarchiæ, 932

Art. 1.

Cellotius in veteres Monachos contumelioſus, 932

Art. 2.

Cellotius in ſtatum laicorum contumelioſus, 935

Art. 3.

Cellotius in ſtatum pœnitentium contumelioſus, 938

DE

Digitized by Google

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA.

SEV

DE HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ DOTIBVS,

LIBER PRIMVS.

DE HIERARCHIA GENERATIM.

SECTIO I.

Hierarchiæ notio ex antiquis Patribus, medij æui Scriptoribus, Concilij Tridentini explicatione, & recepta apud recentiores loquendi formula, colligitur.

CAPVT PRIMVM.

De Origine vocis Hierarchiæ, *& vſu, apud Dionyſium.*

SICVT fluuiorum, ita errorum initia ſunt & progreſſus; parui fontes continuâ aquarum acceſſione, in ingentes euadunt fluuios, & minimus error initio, conſequutiones longè deteriores parit; nam, vt rectè docet Chryſoſtomus in c. 2. poſterioris ad Tim. hom. 5. ſubſiſtere error non poteſt: ὅπερ γὰρ τι καινὸν ἐπινοηθῇ ἀεὶ καινοτομίας τίκτει, καὶ ἄπειρος ἡ πλάνη τοῦ ἐξελθόντος τὸν λιμένα τὸν εὔδιον καὶ ὕδα μοῦ φέρεται. *Nam quid noui fuerit inuentum, ſemper noua id parturit, infinitúſque fit error eius, qui tranquillam fidamque ſtationem littoris egreſſus per denſa cœperit vagari.* Periculoſiſſimè itaque aberrat, qui offendit in limine, impingit in portu. Talis eſt error Cellotij, qui eorũ numero recenſeri poteſt, de quibus Pſal. 57. dicitur, *Errauerunt ab vtero, loquuti ſunt falſa.* Adderem & ſequentia, niſi me modeſtiæ Chriſtianæ profeſſio retineret. Totus vtique ipſius liber falſo hoc principio innititur, triplicem diſtinctam eſſe Hierarchiam Eccleſiaſticam, ſupremam *Chariſmatum*, mediam *Ordinis*, tertiam *Iuriſdictionis*: hoc qui concuſſerit, vnâ operâ & totum eius librum condemnat, & ſtatutam à nobis veritatẽ defendit; huius vel vnici principij confutatio Cellotium & exarmat & iugulat.

Nollemus aduerſarium perdere, ſi ſeruari vellet. *Quare cùm is*, teſte Stobæo Apophtegmate 58. *qui ſemel aberrauerit in quadriuio, fere in varia diuerticula tandem deuiat: nec errorem benè explicat, niſi regreſſus quaſi nouam viam ineat. Ita qui errare cœpit, facilè multos errores congerit, niſi paulatim intermittat, ac quaſi recèns ad intermiſſam diſputatio-*

nem redeat. Cellotio conſilium iſtud ſaluberrimum erit, vt quia in triuio vel etiam in quadriuio errauit, vnicæ Hierarchiæ Eccleſiaſticæ Ordinis, & Iuriſdictionis poteſtate inſtructæ, & chariſmatum diuerſitate exornatæ planam, & calcatam à maioribus viam ſequi renuit, & per inacceſſa diſtinctarum Hierarchiarum diuerticula vagari conſtituit, nobiſcum redeat ad viam, & *Hierarchiæ* notionem ſequatur, quam & nominis enodatio, & vſus approbauit, à qua qui deflectit, in non minima abſurda & errorum præcipitia labatur neceſſum erit.

Vnam, inquam, Hierarchiam Eccleſiaſticam conſtitui oportere, quæ dotes habere debeat ſuas, *Ordinem* ſcilicet, *Iuriſdictionem*, & *Chariſmata:* nec ſine iuriſdictione, ſine imperandi auctoritate, & obediendi neceſſitate, (quot toties impugnat Cellotius, eã fingi poſſe, vel ipſa nominis ipſius expoſitio demonſtrat. Nam ſi vim nominis expendimus, *Hierarchia* eſt ἱερὰ ἀρχὴ, *ſacer Principatus.* Principatum qui dicit Eccleſiaſticum, principatrium imperium, parentium ſubiectionem denotat. Inde enim v. g. quia S. Petrus Princeps Apoſtolorum refertur, Apoſtoli & Epiſcopi Principes dicuntur: inferunt Catholici aduerſus Hæreticos, auctoritate & Imperio Petrum cæteris Apoſtolis, Apoſtolos & Epiſcopos reliquis eſſe prælatos. Quam rectam collectionem infirmat, quicumque abſque imperio & ſubiectione Principatum aliquem Eccleſiaſticum ſtatuit: vox iſta hæreticorum eſt Principatum Petri ſupra cæteros Apoſtolos *Chariſmatum* eſſe non *Iuriſdictionis:* nec abluderet à vero, ſi Principatus propriè dictus Eccleſiaſticus aliquis in ſola *Chariſmatum* præeminentia conſiſteret. Verùm id ad euertendam friuolam iſtam diſtinctionem firmiſſimum eſt, quod nullus antiquorum Scriptorum in alio ſenſu aut aliter *Hierarchiam Eccleſiaſticam* acceperit, quàm prout tres prædictas dotes coniunctas vnitáſq; complectitur. Fuſiùs iſtius nominis acceptionem & originem explicabimus: tum quòd Auctor hiſtoriæ Concilij Tridentini ſecutus anteriores quoſdam hæreticos ad diſcuſſionem ſeſſ. 23. cap. 4. & Can. 6. nomen *Hierarchiæ* tanquam peregrinum, prophanum, Scripturæ ſacræ non solùm ignotum, verùm etiam contrarium, à neſcio quo Dionyſio excogitatum, à nullo Patrum antiquorum vſurpatum reprehendat: tum quòd ex abuſu iſtius vocis Cellotianus error prodierit, vel potiùs ad errorem ſuum obuelandum nominis abuſum expedire Cellotius iudicauerit.

Primus huius nominis Auctor cenſetur Dionyſius antiquiſſimus Scriptor: Is autem modo ſuprà explicato Hierarchiam ſumpſit, & ita ſumptam definiuit, vtroque tam de cæleſti, quàm de Eccleſiaſtica libro; prioris ſiquidem capite primo enumerans ea, quæ in vtraque Hierarchia ſibi reſpondeant, ſatietatis eius, quæ ſolâ mentis contemplatione habetur, ſacras diſciplinas ſigna eſſe & ſimulachra dicit cæleſtis Hierarchiæ beatitatem referentia, quemadmodum καὶ τὸ ἐναρμόνιον πρὸς τὰ θεῖα, καὶ τεταγμένης ἕξεως, τὰς τῆς ἐνθάδε διακοσμήσεως τάξεις, *Et eos, qui hic ſunt graduum ritè diſpoſitorum ordines*, ſigna eſſe teſtatur, *virtutis in Angelicis Hierarchiis circa diuina optimè conſonantis & ordinatæ:* imperij ſimul & ſubiectionis, in vtraque tam Eccleſiaſtica quàm cæleſti Hierarchia, non ſemel, vt infrà docebimus, meminit: ideóq; in vtraque *ordinem* & *imperium* quoddam (quod in Eccleſiaſtica Hierarchia, *Iuriſdictio* dicitur) & *chariſma* collocat: cap. verò 3. Hierarchiam vniuerſim ita definit, ἔστι μὲν ἱεραρχία κατ' ἐμὲ τάξις ἱερὰ καὶ ἐπιστήμη, καὶ ἐνέργεια, πρὸς τὸ θεοειδὲς, ὡς ἐφικτὸν ἀφομοιουμένη, καὶ πρὸς τὰς ἐνδιδομένας αὐτῇ θεόθεν ἐλλάμψεις ἀναλόγως ἐπὶ τὸ θεομίμητον ἀναγομένη. *Eſt quidem Hierarchia, meo quidem iudicio, ſacer ordo, ſcientia & actio, quæ ad diuinitatis ſimilitudinem, quoad eius fieri poteſt, & pro proportione illuſtrationum, quæ diuinitùs datæ ſunt, ad Dei imitationem traducitur.* Quâ definitione tria iſta in Hierarchia, quæ neceſſaria docuimus, exprimuntur: primum ἱερὰ τάξις, *ſacer ordo*, alterum ἐπιστήμη, *ſcientia*, quæ vnum eſt ac potiſſimùm ex chariſmatis hierarchicis: tertium ἐνέργεια, *actio*, ſiue illa ſit purgatrix, ſiue illuminatrix, ſiue perfectrix inferiorum, vt eodem capite explicatur, quæ proinde qualiſcumque ſit neceſſariò iuriſdictionem cum Eccleſiaſtico Principatu coniunctam expoſcit. Itaque iſta in omni Hierarchia admittit *ordinem ſacrum, energiam quandam* & operationem aliorum directiuam, quæ in Hierarchia Eccleſiaſtica iuriſdictioni coniungitur: in cæleſti in omnem iuriſdictionis modum tranſcendit; & *ſcientiam*, quæ in Eccleſiaſtica Hierarchia *Chariſma*, ſeu propria quædam Dei gratia cenſetur, in cæleſti viſio quædam longè ſuperioris ordinis vocitatur. Id au-

tem non minùs euidenter confirmat, dum eodem cap. 3. aliam hierarchiæ deſcriptionem tradit tria iſta complectentem. Nam, inquit, ὁ λέγων ἱεραρχίαν, ἱεράν τινα καθόλου διακόσμησιν δηλοῖ, εἰκόνα τῆς θεαρχικῆς ὡραιότητος, ἐν τάξεσι καὶ ἐπιστήμαις ἱεραρχικαῖς, τὰ τῆς οἰκείας ἐλλάμψεως ἱερουργοῦσαν μυστήρια, καὶ πρὸς τὴν οἰκείαν ἀρχὴν ὡς θεμιτὸν ἀφομοιουμένην; *Qui hierarchiam dicit, is profectò ſacram quandam ordinatam diſpoſitionem* (quo nomine Eccleſiaſticos ordines, ſeu gradus ſacris cæremoniis operam nauantium, & adſcriptorum vocare ſolet Dionyſius) *declarat, quæ diuinæ ſit pulchritudinis ſimulachrum.* Nam & ordines Eccleſiaſticos participationem eſſe ſacerdotij Chriſti, & characterem ornatum quemdam eſſe animæ à Deo impreſſum, diuinitatis notâ eos figurantem, qui eius miniſteriis, & cultui ſunt mancipati, docent communiter Theologi poſt ſanctum Thomam tertiâ parte, quæſt. 63. art. 1. 2. & 3 quæ cauſa fortaſſe fuit, ob quam Damaſcenus libr. 2. de fide, cap. 3. *ornatum* hierarchiam noſtram dixerit: eum verò ornatum ſplendorémque in hierarchiis Angelicis longè nobiliorem Dionyſius admittit, qui diſpoſitionem iſtam conſiſtere ſubdit, *In ordinibus ſcientiiſque hierarchicis ſuæ illuſtrationis myſteria ſacrè peragentem, & ad ſui principij ſimilitudinem, quam poteſt proximè accedentem.* Quibus verbis & ordinem in hierarchia, & chariſmata ſcientiarum oſtendit, non priuata, quæ ad hierarchiam conſtituendam minimè ſufficerent, ſed hierarchica cum poteſtate agendi in alterum, eámque ad Deum ſacris cæremoniis & myſteriis adducendi, & cum aliqua ſubiectionis & Principatus diſtinctione, quæ in eo conſiſtit, quòd vt mox ſubiungitur, *Ordo hierarchiæ hoc poſtulet, vt alij purgentur, alij purgent: quidam luce doctrinæ illuſtrentur, nonnulli illuſtrent, & aliqui perficiantur; alij perficiant*, &c. Quæ omnia complexionem trium iſtarum dotum, *ordinis, iuriſdictionis, & chariſmatum*, ad hierarchiæ Eccleſiaſticæ, immò etiam quodam eminentiori modò, ad ipſius cæleſtis integritatem neceſſariam credidiſſe diuinum Dionyſium oſtendunt.

Verùm præcedentibus lucem addunt & robur, quæ ipſe libro de Eccleſiaſtica hierarchia in eandem ſententiam adducit, cuius initio docet & ſtatim præmonet demonſtraturum ſe ex diuinis ſanctiſſimiſque ſcriptis, ὅτι μὲν ἡ καθ' ἡμᾶς ἱεραρχία, τῆς ἐνθέου καὶ θείας, ἐστὶ τῆς θεουργικῆς ἐπιστήμης, καὶ ἐνεργείας καὶ τελειώσεως· *Quod quidem hierarchia noſtra diuinitùs tradita, ac diuinæ diuinitùſque efficientis ſit ſcientiæ & operationis, & conſecrationis ſeu ordinationis.* Quæ deſcriptio paucis multa complectitur, tres ſcilicet Eccleſiaſticæ hierarchiæ dotes ἐπιστήμην, ſeu *chariſma ſcientiæ*, ἐνέργειαν, ſeu *operationem, & efficaciam miniſterij* circa alios, ſeu iuriſdictionis, καὶ τελείωσιν, *conſecrationem, ordinationem, initiationem* quibuſdam cæremoniis perficiendam.

Vlteriùs mentem ſuam explicat in progreſſu capitis, gratiam ſacerdotalis & hierarchici ordinis, vim diuini ſacerdotij, ſcientiam hierarchicam, officium illuſtrationis, illuminationis, & perfectionis circa ſubditos exponens: quæ omnia prætereo, in iis duntaxat verbis eiuſdem capitis hæſurus, τοσοῦτον δὲ ὅμως εἰπεῖν ἀναγκαῖον, ὡς ἐκείνη τε καὶ πᾶσα ἡ νῦν ὑμνουμένη παρ' ἡμῶν ἱεραρχία, μίαν ἔχει, καὶ τὴν αὐτὴν διὰ πάσης τῆς ἱεραρχικῆς πραγματείας τὴν δύναμιν, αὐτόν τε τὸν ἱεράρχην, ὡς ἡ κατ' αὐτὸν οὐσία, καὶ ἀναλογία, καὶ τάξις ἔχει, τελεσθῆναι, κατὰ τὰ θεῖα, καὶ θεωθῆναι, καὶ τοῖς ὑποβεβηκόσι μεταδοῦναι, κατ' ἀξίαν ἑκάστῳ τῆς ἐγγινομένης αὐτῷ θεόθεν ἱερᾶς θεώσεως. τούς τε ὑποβεβηκότας, ἕπεσθαι μὲν τοῖς κρείττοσιν, ἀνατείνειν δὲ τοὺς ἥττους ἐπὶ τὰ πρόσω. τοὺς δὲ καὶ προϊέναι, καὶ ὡς δυνατὸν ἑτέροις ἡγεῖσθαι, καὶ διὰ ταύτης τῆς ἐνθέου καὶ ἱεραρχικῆς ἁρμονίας, τοῦ ὄντως, καλοῦ καὶ σοφοῦ, καὶ ἀγαθοῦ μετέχειν ἕκαστον ὅσον δυνάμις. *Sed tamen tantùm dici neceſſum eſt, & illam hierarchiam, & omnem, & eam, quæ nunc à nobis laudatur, vnam eandémque in omni hierarchico munere hanc vim habere, vt & ipſe Pontifex pro ſuæ conditionis natura, modo & ordine in diuinis myſteriis ac rebus proficiatur, deificetur, & ſubditis ſuis diuinam ſimilitudinem, quæ ipſi diuinitùs ineſt, pro ſua cuique dignitate impertiat: & inferiores tum perfectiores imitentur, tum inferiores ſe ad maiora prouocent, tum ipſi congreſſum faciant, tum pro virili parte aliis ſe duces præbeant, atque hâc ipsâ diuinitùs traditâ, hierarchicique ordinis conſenſione, & quaſi conſpiratione pro ſua quiſque parte, id quod vere eſt honeſtum, & ſapiens, & bonum conſequatur.*

Nihil iis eſt ad propoſitum noſtrum efficacius, nihilq; euidentius dici potuit. Primò enim herarchiam Eccleſiaſticam, & omnem aliam, vnam eamdémque eſſe ſignificat

Dionyſius, quamuis varias dotes includat ſui ipſius, & aliorum perfectionem, aſſecutionem propriæ perfectionis, & alienæ curationem, ſui ipſius diſpoſitionem ad officia hierarchica dignè exercenda per aſſimilationem cum Deo & ſubditorum ad Deum directionem. Secundò, in omni hierarchico munere eas omnes dotes non diuulſas, ſed coniunctas eſſe oportere teſtatur. Tertiò, hierarchicum ordinem tam Epiſcopalem, quàm inferiorum & ſacrorum graduum poſtulare affirmat, vt qui hierarchizant, tanquam duces ſubditis imperent; qui hierarchizantur, tanquam ſubditi principantibus ordinibus obſequantur. Quartò, eorum tamen omnium finem eſſe aſſecutionem ſummi boni aſſerit, ad quam diuerſis quidem actionibus, ſed vnicæ charitatis agitatione conſpirent omnes, & ſibi conſentientes ferantur. Quæ ſanè doctrina pro diuerſis functionibus diuerſas hierarchias conſtitui reſpuit, ſed ordinis Eccleſiaſtici, iuriſdictionis atque chariſmatum, in vnaquaque hierarchica functione indiuiſam ſocietatem probat.

Inſuper hierarchiam omnem obſequentium ſub imperantibus, ſubditorum ſub præpoſitis ſuis, atque ducibus legitimam eſſe diſpoſitionem: ideòque ſublatâ hierarchici ordinis notionem peruerti demonſtrat. Quæ omnia Cellotij prædictis erroribus è diametro repugnant.

Sed pergit Dionyſius eodem capite 1. & in hierarchia Eccleſiaſtica ac vnoquoque ordine, (quos ſingulos ſingulas hierarchias appellari poſſe ibidem aſſerit, teſte Maximo) ſiue Epiſcoporum, ſiue Presbyterorum, ſiue Diaconorum coniuncta hæc eſſe confirmat, ſcientiam ſacrorum, quæ chariſma eſt, poteſtatem ſacrorum, quæ & ordinis, & iuriſdictionis eſt, & conſecrationem ſanctam, quæ ſolius ordinis eſt; ita tamen vt ſuperior ordo auguſtiorem conſecrationem nactus, eminenter ſcientiam & poteſtatem inferiorum omnium contineat; quæ doctrina prædictam iſtorum trium in omni hierarchia connexionem arguit; quin etiam argumentum ſubminiſtrat, diuerſitatem chariſmatum vel functionum diuiſim ſpectatorum, hierarchiarum diuerſitatem non operari: alioqui hierarchia ſuperior, Epiſcoporum, verbi gratia, quæ inferiorum chariſmata & functiones & operationes complectitur, cæteras quoque inferiores hierarchias in ſe contineret.

Infinita alia propè ſunt, quæ ſanctus iſte Doctor pro omnium dotum prædictarum in vnaquaque hierarchia, indiuiſa ſocietate locutus eſt: quæ fuſiùs à nobis explicata ſunt, quia cùm nominis hierarchiæ parens extiterit, eius ſenſum cæteros ſecutos fuiſſe probabile eſt, nec in alia hierarchiam, quàm in qua eam Dionyſius vſurpauit, ſignificatione ſumpſiſſe.

CAPVT II.

DE VSV EIVSDEM VOCIS APVD CÆTEROS poſt Dionyſium Patres.

NEQVE nos iſta coniectura feſellit: nam qui deinceps ſancti Patres hierarchiæ nomen ſumpſerunt, eodem vtique ſenſu non alio ipſum vſurparunt. Sanctus Maximus accuratus Dionyſij interpres, ab ea ſignificatione ſcholiis in ſuperiùs citata loca minimè diſcedit, ſed ex iis, quæ ipſe ſcripſit circa inſcriptionem libri de cæleſti hierarchia, hoc loco deſumere ſufficiat, ſic enim ibi præfatur, ἰστέον δὲ ὅτι ἱεραρχία μέν ἐστιν ἡ τῆς διατάξεως αὐτῆς τῶν ἱερῶν ἀρχὴ, καὶ φροντίζων καὶ προνοῶν, οὐ μὴν τῶν ἱερέων, ἀλλὰ ὁ τὰ ἱερὰ καὶ τὴν κατάστασιν αὐτῶν, καὶ τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν μυστηρίων διατάττων, οὐ μὴν ὁ ἀρχιερεύς. *Sciendum igitur eſt, quòd hierarchia quidem ſit Principatus ipſius diſpoſitionis ſacrorum, & veluti cura, & Hierarcha ſacrorum Princeps & curator, & prouiſor, nec tamen ſacerdotum: ſed is, qui ſacra, & ipſorum conſtitutionem, atque Eccleſiæ & myſteriorum diſponit: nec tamen Princeps ſacerdos.* Quæ definitio à ſancto Maximo tradita, corrigere debuit Cellotium, ne deinceps pertinaciter defendat *Hierarchiam* ſeu ſacrum Prin-

cipatum dici poſſe, vel chariſma Dei ſine ordine & iuriſdictione, vel alterum eorum; ſine alio, quippe cùm audiat Maximum duo hæc coniungentem, ſacrorum ſcilicet diſpoſitionem, quæ eſt ordinis, cum cura ſacrorum, quæ iuriſdictionem infert. Cui enim ſacrorum procurandorum obligatio imminet, is ſubditos habeat neceſſum eſt, quibus iſta ſacra procurare teneatur: atque ita aliquâ iuriſdictione perfrui debet; chariſmatum verò iis illigatam diſtributionem non negat, ſine quibus videlicet neminem poſſe ſacra legitimè procurare docet capite tertio cæleſtis hierarchiæ, *ſecundum differentiam & eminentiam Ordinum etiam ſciendi facultatem ineſſe oportere* ediſſerens.

Sed & *ſubiectionem* in hierarchia etiam cæleſti admittit in capite quinto eius libri, τῶν ἱεραρχιῶν τάξεις καὶ τὰς ὑπερβεβηκυίας, καὶ κατωτέρας, καὶ ὑφειμένας, id eſt, *ſuperiores ſeu tranſgredientes, & inferiores, ac ſubmiſſos, velutique incuruatos alios ordines*, admittens. Antiochenus Monachus Palæſtinus Lauræ ſancti Sabbæ, qui à mille annis ſcripſiſſe creditur, homiliâ centeſimâ vigeſimâ ſecundâ de dignitate & functione Pontificis, hierarchici nominis dignitatem, nonniſi Epiſcopo, & cæteris è Clero eius adiutoribus tribuit ex Dionyſio, nam ſermone de Paſtoribus incœpto verba iſta coniungit, inſerens quæ huic inſtituto faciant, ἡ γὰρ ἱεραρχία τάξις ἐστὶν ἱερὰ, καὶ ἐπιστήμη· σκοπὸς οὖν ἱεραρχίας ἐστὶν, ἡ πρὸς Θεὸν ὡς ἐφικτὸν ἀφομοίωσίς τε, καὶ ἕνωσις, αὐτὸν ἔχουσα πάσης ἱερᾶς ἐπιστήμης τε καὶ ἐνεργείας καθηγεμόνα. καὶ πρὸς τὴν ὑπ' αὐτοῦ θειοτάτην εὐπρέπειαν ἀκλινῶς ἐνορῶν, ὡς δυνατὸν ἀποτυπούμενος, καὶ τοὺς ἑαυτοῦ θιασώτας, ἀγάλματα θεῖα τελῶν, ἔσοπτρα διειδέστατα, καὶ ἀκηλίδωτα, δεκτικὰ τῆς ἀρχιφώτου, καὶ θεαρχικῆς ἀκτῖνος. ταύτην δὲ αὖθις ἀφθόνως εἰς τὰ ἑξῆς ἀναλάμποντα, κατὰ τοὺς θεαρχικοὺς θεσμούς. οὐ γὰρ θεμιτόν ἐστι τοῖς τῶν ἱερῶν τελεταῖς ἢ τοῖς ἱερῶς τελουμένοις ἐνεργῆσαι τι καθόλου, παρὰ τὰς οἰκείας ἱερὰς διατάξεις· *Hæc eſt enim hierarchia ſacer Ordo & ſcientia: eſt itaque hierarrarchiæ ſcopus & aſſimilatio Deo in quantum homini poſſibilis eſt, & cum eodem vnio Deum habens ſacræ totius ſcientiæ & operatoriæ virtutis præceptorem: & quidem aciem mentis, Paſtor ſeu Epiſcopus, in diuiniſſimum illius decorem indeclinabiliter intendens, & pro modulo virium Deum imitatus, ſuos etiam* vel ſic ſuos etiam, *in eodem ſacro cœtu conuiuas*, ſeu ſocios, θιασώτας, *diuinas imagines perficit, ſpecula nitidiſſima, & capacia primariæ illius lucis; radij prorſus diuini: hanc rurſus hierarchicam functionem, in cætera ſuo quoque ordine elucentia tranſmittit. Non enim fas ſit ſacrorum cæremoniis, aut ſacris initiatis quidquam omninò efficere præter proprias, & eas ſacras conſtitutiones.*

Nolim Cellotium in huius textus lectione infructuoſam operam terere; eum itaque moneo, vt ex iſta Antiochi doctrina, quæ ex capite tertio Dionyſij deſumpta, ſcholiiſque Maximi, in eundem locum illuſtrata eſt, hæc diſcat; Primùm Monachos alloquentem, locum iſtum Monachum numquam dignitatis ipſorum hierarchicæ mentionem ob oculos ipſis poſuiſſe: tunc ſolùm hierarchiæ mentionem feciſſe cùm de Epiſcopis & Paſtoribus iuriſdictionem habentibus, & ad ponendam animam ſuam pro ouibus ſuis Paſtoratus lege obſtrictis verba faceret; ac proinde & *ordinis & iuriſdictionis* hierarchiam eſſe cenſuiſſe. Alterum, hierarchiam ab eo, & Ordinem ſacrum & ſcientiam definiri; quæ ordo & ſcientia iuriſdictionis hierarchicæ ſeu Paſtoralis, quam ibi explicat, connaturaliter adnexa ſunt. Tertium, non pro modulo ſcientiæ, & chariſmatum licere vnicuique in præficiendis, illuſtrandis, purgandis, magis minúſve occupari, ſed pro modulo ſui gradus & ordinis Eccleſiaſtici, quod etiam inculcat homiliâ ſequenti, *In omni hierarchica purificatione* vnumquemque docens, in ordine perſtare ſuæ functionis. Quod ipſum expreſsè docet ſanctus Maximus ex Dionyſio capite tertio cæleſtis hierarchiæ citato, prohibens, ne quis quidquam aggrederetur παρὰ τὰς τῆς οἰκείας τελεταρχίας ἱερὰς διατάξεις, *Præter proprias ſacræ cæremonialis conſecrationis præſcriptiones*, quibus verbis ſibi videri ait, *eum declarare, quod non oportet aliquem in ſacro gradu annumeratorum aliquid ſupra proprium ordinem facere: ſed tantùm quod propriæ incumbit dignitati efficere, & docentem tradere, non verò manum admouere iis, quæ dignitatem ſuperant, ſicut Presbyteros docere, & donum offerre, non autem ordinare; Diaconos docere, non autem baptizare debere*, &c. 4. Sacris cæremoniis ordinatum eſſe debere inſinuat quicunque ſacram ſibi aliquam functionem ſeu hierarchicam, quamuis auſus fuerit ar

rogare: quæ duæ obſeruationes hierarchiam *chariſmatum* à cæteris omninò conuellunt.

5. Perfici in conuiuio Euchariſtico hierarchicis perfectionibus ſubditos, quæ etiam obſeruatio iuuat, vt diſcas perfectionem fidelium, nonniſi Euchariſtiæ beneficio obtineri, ac proinde cùm ad eam perfectionem hierarchicæ aliæ duæ functiones, purgatio & illuminatio ordinentur, nulliushierarchicæ functionis capacem eſſe, qui ad ſacrificium Miſſæ proximè vel remotè ordinatus non fuerit: quam rationem infrà fuſiùs proſequemur.

Sed fuſiùs in vnico Antiocho Dionyſiacæ ſententiæ interprete dum moror, cæterorum ferè oblitus videor. Redeo itaque ad aliorum Patrum & ſententias & locutiones, nonniſi hierarchiæ à Dionyſio expoſitæ, quæ ordine, iuriſdictione, & chariſmatis inſtructa eſſe debeat, congruentes. Cyprianus, ſeu quiuis alius antiquus Auctor ſermonum de Operibus Cardinalibus ſermone de Cœna Domini, prò quouis ſacerdote nomen hierarchæ vſurpat iis verbis: *In his omnibus laborare ſe dicit Deus, nec eſſe voluntatem ſuam in miniſtris impuris, indignatione diſtrictâ teſtatur: ſed Hierarcha pius, quem Spiritus ſanctus compungit, excitat, inhabitat & ſanctificat, eleuatione manuum crucis myſterium repræſentans, confidenter orat pro ſua & populi ignorantia.* Amphilochius in vita Baſilij, Epiſcopum appellat *magnum Hierarcham*, id eſt, magnum Sacerdotem, cap. 12. num. 111. ἐπέθηκα τὴν χεῖρα ἐπὶ τὸν ὅσιον Ἐφραὶμ ὁ μέγας ἱεράρχης, *ſancto Ephraim manus impoſuit magnus Hierarcha.* Chryſoſtomus ſermone de ſancto Ioanne Theologo prope finem, tomo ſexto ipſius operum, Epiſcopos per excellentiam, ſed iuriſdictione præditos, & ſacris chariſmatibus inſtructos *Hierarchas* nominat, τούτων τοίνυν ὡς παρειλήφασι τὴν ἐξουσίαν καὶ τὴν ἀρχοντίαν, καὶ τὸν ζῆλον διαδέχονται οἱ τίμιοι διδάσκαλοι: οἱ ἱεράρχαι καὶ ποιμένες τῆς τοῦ Χριστοῦ ποίμνης κατ' ἴχνος τῶν ἀποστόλων βαδίζοντες. *His igitur Apoſtolis in poteſtate, & principatu & zelo ſuccedunt, vt ante dictum eſt venerandi Doctores, Hierarchæ, & Chriſti gregis paſtores, veſtigiis Apoſtolos conſequentes.* Sophronius Hieroſolymorum Antiſtes epiſtolâ Sergio Patriarchæ Conſtantinopolitano, ſeu Honorio Pontifici Romano relatâ, actione 11 ſextæ Synodi, Hierarchiam pro ipſa Pontificali dignitate, & diœceſibus, ordinibúſve Hierarchicis ſubditis Epiſcopi regimini vſurpat: ἐπεὶ δέ τις ἀποστολικὴ καὶ ἀρχαία παράδοσις ἐν ταῖς κατὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἁγίαις ἐκκλησίαις κεκράτηκεν, ὅπως οἱ πρὸς ἱεραρχίαν ἀγόμενοι τοῖς πρὸ αὐτῶν τὰς ἱεραρχίας ἰθύνουσι πάντα εἰλικρινῶς ἀνατίθωνται. *Quia verò quædam Apoſtolica, atque priſca traditio in ſanctis Dei per totum orbem Eccleſiis tenuit, vt qui ad hierarchiam* (id eſt, Pontificatum) *deducuntur, qui ante illos hierarchias* (id eſt, diœceſes, vel ordines Epiſcoporum regimini ſubditos) *regunt, omnia ſinceriter conferant & exponant.* Felix tertius epiſtolâ quintâ ad Zenonem Imperatorem per dignitatem hierarchicam, Eccleſiaſticam, Paſtoralem, ſiue Sacerdotalem tam ordinis quàm iuriſdictionis intelligit, hæc ſcribens aduerſus Petrum Alexandrinum, *Valentini, & Eutychetis diſcipulum expelle à ciuitate ſimul, & Eccleſiaſtico regimine, & à dignitate hierarchica deiectum eſſe ſancito.* Octauæ Synodi Patres act. 10. Can. 11. beatos Spiritus, qui aliis præſunt, Hierarchas appellant, ſtatuentes eos, *Qui à diuina gratia ad munus Epiſcopi euocantur honorandos eſſe*, ὡς εἰκόνα καὶ τύπον φέροντας τῶν ἁγίων, καὶ οὐρανίων ἱεραρχῶν. *Vt geſtantes imaginem, & figuram ſanctorum cæleſtium Hierarcharum.* Nicephorus Calliſtus qui floruit ſub Andronico maiore & Michaële filio eius, Andronicóque minore Michaelis huius filio Palæologis libri ſecundi hiſtoriæ capite trigeſimo quarto agens de argumento epiſtolæ primæ ad Timotheum, ait in hac epiſtola tanquam in typo, ſeu formâ adumbratâ rationem & vitam hierarchicam, id eſt, Sacerdotum & Diaconorum, de quibus ſcilicet prudenter eligendis, & ritè ordinandis Timotheum à ſe factum Epiſcopum exprimit, ac proinde ad hierarchiam Eccleſiaſticam Sacerdotes tum primi, tum ſecundi ordinis, ac Diaconos præſertim ad hierarchiam ſpectare, eóſque ordines hierarchicos eſſe inſinuat. Idem quoque libri decimi ſeptimi capite decimo nono Clericos honorariores Hierarchas primarios indigetat, eóſque Monachis opponit, teſtatus Aphthartodocitarum hæreſi, *Non ſolùm ex eis, qui magiſtratus geſſerunt, ſed etiam Hierarchas, Primarios, & Monachos vitâ illuſtres, & ex ſacerdotali ordine alios aſſenſiſſe*, quatuor hominum genera denotans magiſtratus dignitate politicâ ornatos, Monachos vitæ auſteritate conſpicuos, Antiſtites ſacrorum ſeu ex Clericis dignitate Eccleſiaſticâ conſpicuos, Sacerdotes inferioris

notæ, & gradus, ſeu illi ſecundi ordinis intelligendi ſunt, ſeu inter Sacerdotes ſecundi ordinis, qui nullâ iuriſdictione, vel illuſtriori officio inſignes. Hæc per Satyram à nobis allata teſtimonia oſtendunt hierarchiæ & Hierarchæ nomen in Eccleſia Dei, regiminis & dignitatis Eccleſiaſticæ, ac ſacri Ordinis ſignificationem continere. Alios iam Eccleſiaſticos Scriptores in eodem ſenſu expendamus copioſiùs.

Elias Metropolitanus Cretenſis commentariis in orationem primam Gregorij Nazianzeni hierarchiæ mentionem facit, ſed in ea ſignificatione, quâ exteriùs Eccleſiæ regimen, & gubernationem ſignificat per homines ad id ſacris Ordinibus, Epiſcopatu, Presbyteratu, ac cæteris deinceps Ordinibus conſecratos, atque initiatos; vbi enim hierarchiã noſtram cum cæleſti contulit, in qua Ordines quoque admiſit, & ſacras cæremonias, ſeu myſteria quædam, & duces aliquos cæteris prælucentes, loco præpoſitorum ac Paſtorum: & legali, in qua externi quoque initiationum ritus habentur, mox ad vtriuſque comparationem hæc ſubdit. *Ac ſpectes velim quonam pacto in noſtra quoque hierarchia typus exactè ſeruetur: an non enim vt illic, ſic in noſtra quoque hierarchia, Hierarcharum ordo initiandi ac perficiendi vim habet; ſacerdotum autem illuminandi; eorum autem qui deinceps ſequuntur purgandi ac diſcernendi. Verùm quodnam vnumquodque horum ſibi velit, ſi qui ſcire cupiant, magni Dionyſij liber eos docebit. Nos verò hæc eò commemorauimus, vt demonſtraremus, quam ſimilitudinem ea quæ à nobis celebrantur, ad princeps illud exemplar habeant, & quonam pacto animos in altum erigant.* Ex quo vel vnico diſcet Celſotius, tantum abeſſe, vt ex analogia hierarchiæ noſtræ cum cæleſti & legali elici poſſit diuulſio iſta hierarchiarum, vt potiùs ex ea hierarchiam nullam inferat Elias Cretenſis, quæ non ordinum Eccleſiaſticorum conſecrationem, regiminis exterioris auctoritatem, quæ à iuriſdictione haud differt, & chariſmatum ſubſidium coniuncta habeat.

Sanctus Germanus ex Cyzicenſi Epiſcopo Patriarcha Conſtantinopolitanus, Hierarcharum mentionem facit, ſumpto nomine pro Eccleſiæ Paſtoribus, libro contemplationis rerum Eccleſiaſticarum non longè ab initio, vbi Eccleſiam, *ἐν προφήταις προκηρυχθεῖσαν, ἐν ἱεράρχαις κατακοσμηθεῖσαν, καὶ ἐν μάρτυσι τελειωθεῖσαν, In Prophetis prænunciatam*, dicit, *in hierarchis exornatam & in Martyribus conſummatam.* Et paulò poſt, vbi ſanctum Petrum *ἀρχιεράρχην τοῦ Χριστοῦ, Principem Hierarcharum*, ſeu Paſtorum *Chriſti* vocat. Quæ ſignificatio Hierarchæ oſtendit, cùm Hierarcha Paſtorem Eccleſiæ ſignificet, hierarchiam eiuſdem eſſe Paſtoratum.

Synodi ſeptimæ Patres Canone vigeſimo primo, qui ad Epiſcopatum euehendi ſunt in ſacris Scripturis exercitatos eſſe debere definientes hanc ex Dionyſio ſubdunt rationem, *οὐσία γὰρ τῆς καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίας ἐστὶ, τὰ θεοπαράδοτα λόγια, ἤγουν, ἡ τῶν θείων γραφῶν ἀληθινὴ ἐπιστήμη. Noſtræ enim hierarchiæ ſubſtantia ſunt eloquia diuinitus tradita, diuinarum ſcilicet Scripturarum vera ſcientia.* Quo loco hierarchia pro dignitate ordinis ſimul & iuriſdictionis ſumitur, cui ſcientia coniuncta tanquam ad eius ſubſtantiam ſeu integritatem ſpectans, ac proinde hierarchia nobis ibi exhibetur, tanquam ex tribus iſtis dotibus conflata, non in tres, pro tribus iſtis dotibus diuiſa.

Verùm ex eodem quoque Canone iunctâ Anaſtaſij Bibliothecarij, (qui ſtatim conſequenti poſt ſeptimam Synodum ſæculo floruit) verſione, nominis hierarchiæ illuſtratio peti poteſt. Nam quos Chriſtianis plebibus opponit ſeptima Synodus, quos *τοὺς τὴν ἱερατικὴν, ἀμπεχομένους ἀξίαν* vocat: hos Latinè interpretatur Anaſtaſius, *Qui hierarchicam conſecuti fuerunt dignitatem*, & Gentianus Heruetus, *Qui ſacerdotalem dignitatem obtinent.* Quo certè loco de Paſtoribus ſermo eſt, ordine & iuriſdictione inſignitis, quibus ad ſubditorum inſtructionem ſcientiæ Scripturarum habendæ tanquam ad ſuum ſtatum pertinentis onus iſto Canone, vt vidimus, imponitur. Vnde patet tria iſta ad eumdem hierarchicum ordinem teſtimonio ſaltem Anaſtaſij Bibliothecarij ſeptimam Synodum interpretantis concurrere. Iuuat ad eandem explicationem nominis, Concilij Laodiceni Canon vigeſimus quartus, *ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικοὺς ἀπὸ πρεσβυτέρου ἕως διακόνου καὶ ἑξῆς τῆς ἐκκλησιαστικῆς τάξεως ἕως ὑπηρετῶν, ἢ ἀναγνωστῶν, ἢ ψαλτῶν, ἢ ἐφορκιστῶν, ἢ θυρωρῶν, ἢ τοῦ τάγματος, τῶν ἀσκητῶν, εἰς καπηλεῖον εἰσιέναι.* Quem Canonem, Dionyſius cognomento Exiguus, meritis magnus, Monachus Scytha, in cuius egregias laudes effunditur Caſſiodorus, eius æqualis, de diuinis lectionibus cap. 23. iis

Latinis verbis reddit, *Quod non oporteat ſacro miniſterio deditos, à Presbyteris vſque ad Diaconos & reliquum Eccleſiaſticum ordinem, id eſt, vſque ad Subdiaconos, Lectores, Exorciſtas, & Oſtiarios, & ex numero continentium, & Monachorum ingredi tabernas.* Quo canone tria hominum genera denotari conſtat, quibus tabernarum frequentatio interdicitur, primum genus eorum, qui ſingulariter ἱερατικοὶ dicuntur, quaſi hierarchici, qui ſunt Epiſcopi, & Diaconi. Alterum, καὶ ἑξῆς τῆς ἐκκλησιαστικῆς τάξεως, *Qui deinceps ſunt Eccleſiaſtici ordinis, Subdiaconi* videlicet, quos ὑπηρέτας vocat ſequens Canon vigeſimus quintus, *Lectores, Cantores, Exorciſtæ* & *Oſtiarij*, quos fortè etiam in generali acceptione ἱερατικοὺς vocat, vt certè hierarchici aliquâ ratione, ſed non pari cum Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis iure nuncupari poſſint, vt infrà exponemus. Tertium tandem τοῦ τάγματος τῶν ἀσκητῶν, *qui ſunt ordinis eorum, qui monaſticis officiis exercentur.* Iuxta quam ordinum diſtributionem, hierarchicis ſoli Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi ſingulari iure adſcenſebuntur, Eccleſiaſticis deinceps ordinibus, qui ad iſtos ordines in inferiorum graduum officiis exercentur, vt ad ſuperiores diſponantur: Aſcetæ denique ſeu Monachi, qui puritati vitæ ſtudentes, eò aptiores ad Eccleſiaſticorum ordinum aſcenſum euadunt, ſi cætera adfuerint, quo fuerint puriores.

Addimus luculentum ſancti Gregorij teſtimonium lib. 3. indict. 12. epiſt. 11. Maximiano Syracuſarum Epiſcopo, vbi hierarchici viri fit mentio, pro principantis ordinis, & dignitatis Eccleſiaſticæ, atque auctoritatis viro: Sic enim loquitur Gregorius, *Illud quoque charitatem tuam commonere curauimus, vt ſi quiſpiam Epiſcoporum de hac luce migrauerit, vel (quod abſit) pro ſuis fuerit remotus exceſſibus, conuenſentibus hierarchicis cunctiſque Cleri primoribus,* &c. Quibus verbis, quis non videt hierarchicorum nomine eos ſolùm ſignificari, qui & ordinis & iuriſdictionis prærogatiuâ, non ſolùm laicis, verùm etiam inferioribus Clericis præcellerent, Clerique primores eſſent.

Denique vt quædam alia, quæ fortè ſuâ multitudine nauſeam excitarent, prætermittamus, iis omnibus veterum auctorum ſententiis, vnicum addimus, ex Acacij Archiepiſcopi Conſtantinopolitani epiſtola ad Petrum Archiepiſcopum Antiochenum, quæ habetur tomo ſecundo Conciliorum generalium Binij part. 1. *Quomodo autem & aſcendere nunc Sacerdotalem thronum non erubeſcis, quem contaminaſti per tuas blaſphemias extra hierarchicum ordinem, & alienus factus es ab ouili Chriſti,* &c. Videmus enim quadam gradatione miſerabilem ſtatum Petri Antiocheni hîc deſcribi, quòd omni Pontificiâ dignitate ſit exutus, atque adeò Pontificalem thronum aſcendere minimè deberet: quòd ab hierarchico ordine, ſacerdotali ſcilicet & Diaconali pulſus, ſeu quòd ſacri miniſterij omni poteſtate priuatus eſſet. Denique quòd ab ouili Chriſti, & Eccleſiaſtica omni communione eiectus eſſet, atque ideò hierarchicum ordinem, ibi ſumi animaduertimus pro eo, qui & ordinem & iuriſdictionem complectatur, & cæterorum Chriſtianorum, qui ſacris initiati non ſunt, ordine ſuperior ſit.

Digitized by Google

CAPVT III.

DE MEDII ÆVI SCRIPTORIBVS, *qui Theologiæ ſcholaſticæ parentes dici poſſunt.*

HIS quæ ex antiquorum Eccleſiæ Patrum teſtimoniis ad hierarchiæ Eccleſiaſticæ notionem, & conditiones exponendas adduximus, ſplendorem adferent egregia ſequentium ſæculorum Doctorum teſtimonia, eorum præſertim, qui Theologiam Scholaſticam, primùm pepererunt, vel plurimùm promouerunt. Ab his diſcet Cellotius, quænam ſit hierarchia Eccleſiaſtica, & quas dotes potiſſimùm, ſi propriè ſumatur & adæquatè, ſuo ambitu complecti ac comprehendere debeat. Diſcet enim hierarchiam Eccleſiaſticam ab iis vix ſumi, niſi quæ tres prædictas dotes ſecum habeat: vel quæ ſaltem non ordinis poteſtatem includat: nunquam pro ea, quæ diuinorum duntaxat chariſmatum, abſque ordine & iuriſdictione, vel vim, vel aliquem vſum habeat. Primus in aciem prodit Hugo Victorinus, qui fusè in ea materia verſatur libris ſuis adnotationum elucidatoriarum in librum Dionyſij de cæleſti hierarchia: ille vbique hierarchiarum imperium, hierarchicos ordines, principantes & dominantes, cæteros qui ab iis perficiuntur, ſubiectos vocat: vbique tria iſta quæ expoſuimus in vnam hierarchiam conflandā neceſſaria putat. Exempli causâ lib. 1. hæc ſcribit: *Imperium per partes & diuiſiones, gradus & ordines diſtributum eſt: ab eo deſcendens, & reſpiciens ad eum & ſub eo ordinatum, qui fons & cauſa eſt omnium, & principium primum: vnum opus & artifex vnus, vnum imperium & vnus rector, vnus Princeps & vna Reſpublica. Item eandem ſub ſe dominantibus bonitatem ac virtutem ſecundum menſuram participationis & miniſterij rationem per ordines & gradus multifariam diſpenſauit, excellentioribus quidem & ſuprà poſitis imperio maiora & excellentia dona impertiens: inferioribus autem & ſuppoſitis gradibus minora chariſmata: & liberè famulantia, ad ſubiecta quoque ſine oppreſſione prælata concedens.*

Collige ex iſta ſententia hierarchiam ibi ab Hugone Principatus & imperij nomine inſigniri, cuius varij & ordines & gradus exiſtant ſub Deo vnico ſupremo principe, cuius auctoritas in alios ſub ipſo dominantes transfunditur, collige ſub hierarchicis ordinibus alios ſubditos, ſuppoſitos, ac liberè famulantes exiſtere. Collige imperij iſtius ſeu iuriſdictionis facultatem cum ordine, & chariſmatum donis eſſe coniunctam, & quantumlibet in gradus & ordines diuidatur, tamen pro dignitate ordinis, pro maiori vel minori participatione imperij & iuriſdictionis chariſmata communicari: ac proinde nec ternionem hierarchiarum Cellotianarum, nec hierarchiæ abſque reſpectu ad ſubditos, vllius admiſſionem Hugoni noſtro probari: Patebit id ampliùs ex iis, quæ libro quarto ad explicationem hierarchiæ à Dionyſio traditæ ſubiungit: *Tria*, inquit, *in definitione hierarchiæ principalia ponit, quæ perficiunt ipſam hierarchiæ definitionem. Sunt autem hæc, ordo, ſcientia & actio; horum trium ſi defuerit omnium aliquod, non conſtat hierarchia. primùm eſt ordo diuinus, quia non eſt poteſtas, ſi ordinata non eſt à Deo, propter hoc, ait, ordo diuinus, omnis enim poteſtas a Deo eſt; & quæ à Deo ſunt, omnia bona & ordinata: propterea qui poteſtati reſiſtit a Deo ordinatæ, Deo reſiſtit, propter hoc ergo hierarchia eſt ordo diuinus, id eſt, poteſtas à Deo ordinata, & ſecundum Deum diſpoſita: a Deo quippe eſt, per ordinationem, & ſecundum Deum per imitationem, propterea ordo diuinus, quia a Deo eſt, vt ſit, & ſecundum Deum eſt, vt qualis, & quantus ſit. Deinde quia omnis poteſtas, quæ à Deo ordinata eſt, ad aliquid perficiendum atque complendum ordinata eſt. Sequitur in definitione, poſt ordinem ſcientia & actio: ſcientia quidem, qua, quid faciendum ſit, intelligant: actio verò, quâ quod intellexerunt agendum perficiant; in ordine officium, in ſcientia diſcretio, in actione miniſterium, ſine ordine præſumptio eſt actio, ſine actione negligentia eſt ordo, ſine ſcientia veri & actio reprehenſibilis, & ora*

Digitized by Google

do inutilis. Quid iis verbis ad inſtituti probationem aut expreſſiùs, aut clariùs dici potuit?

Sequitur Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus, qui tractatus de vniuerſo ſecundæ partis principalis primâ parte capite centeſimo ſexageſimo ſexto, cæleſtis hierarchiæ denominationem iis verbis explicat, *Hierarchia verò eſt ex Græco eloquio interpretatum ſacer Principatus. Communiter igitur ſacros Principatus vocat omnes huiuſmodi ſubſtantias, ſacros propter elongationem & inacceſſibilitatem ad omnem obſecrationem. Principatus verò propter ſublimitatem & præcellentiam, quæ eſt eis ſuper alias creaturas: nec non & propter perfectionem ſubiectionis, quia primo Principi atque principio ſubiectiſſimæ ſunt, & à gubernatione ſiue regimine ipſius nullo modorum declinabiles, aut diſcrepabiles, ſimiliter in eandem legem ſubiectionis eandémque pulchritudinem gubernationis prout poſſe acceperunt, & ſuper hoc beneplacitum eſſe, ſiue iniunctionem creatoris cognoſcunt, vel intelligunt ſibi ſubiecta & inferiora ſe ſummopere reducentes ſeu conuertentes.* Audis doctiſſimum iſtum Præſulem hierarchiam abſque ſubiectionis & imperij vicibus nullam agnoſcere, eóſque ſolùm ſacro Principatu exornatos credere, qui ſubditi ſummo Principi, non quoſuis, ſed ſibi ſubditos & obnoxios, non quomodolibet, ſed auctoritate à ſummo Principe acceptâ, ad ſummi boni conſequutionem, & Dei imitationem reducere debeant. Eo modo ad politicum Principatum in tantum pertinent, qui principalis auctoritatis ſunt participes, & ſubditos habent, quibus vt imperent, vel ius imponant, aut reddant: quam comparationem fusè eodem capite proſequitur, ſi ita capis, cur renuis, ſi non capis, ediſce.

Sed clariùs ſequenti capite hierarchiam Eccleſiaſticam nobis exhibet definitione & partium diſtributione à Cellotiana omninò diuerſam. *Addam*, inquit, *tibi & aliam ſimilitudinem regni ſcilicet ſpiritualis, quod gens Chriſtianorum Clerum vocat, in quo Pontifex vel ſacerdos ſummus ſimilitudinem tenet primi ac ſummi Regis; cuius loco eſſe, & cuius vices agere quantum ad ſpiritualem gubernationem ipſum dicunt in terris. Circa ipſum verò nulli intelligenti dubium eſſe quin eſſe debeant, & adſiſtere eidem iugiter tres ordines Clericorum, quorum primus inſtar Seraphim debet eſſe amore creatoris feruentiſſimorum, & totaliter ardentium: ſecundus inſtar Cherubim debet eſſe ſapientiſſimorum, & in rebus diuinalibus eruditiſſimorum, tertius inſtar thronorum, ſeu ſedium iudicum, qui & iura Spiritualia, & leges Eccleſiaſticas ſiue Clericales ad perfectum nouerint, & iura reddant petentibus, & iſta hierarchia trium iſtorum ordinum vocatur apud gentem Chriſtianorum ſacer cœtus Cardinalium. Manifeſtum autem eſt tibi quia tribus iſtis ordinibus vehementer indiget Reſpublica Spiritualis, & gubernatio eiuſdem. Et manifeſte vides, quia nulla maior pernicies poteſt prouenire regno Spirituali ſiue Clericali, quàm ſi loco iſtius hierarchiæ è contrariò ſe habens cœtus, loco iſtius conſtituatur*, &c. *Dominationibus verò Patriarchæ, ſiue Primates qui indubitanter poſt antedictos tres ordines præeminentiores ſunt in Clero: Principatibus Archiepiſcopi, ſiue Metropolitani adaptantur, ſicut & cognominatio eorum ſonat: Poteſtatibus Epiſcopi; Virtutibus Archidiaconi, Archangelis Archipresbyteri, Angelis Presbyteri conuenienter reſpondent, iuxta ſermonem Prophetæ, qui dicit, quia ſacerdos Angelus Domini exercituum eſt: Virtutibus autem ideò Archidiaconos comparari, quia eorum eſt virtute irrumpere iniquitatem, cùm iudices ſint, & ad eos iurgia pertineant. Quòd ſi Presbyter Angelus Domini exercituum eſt, quis dubitat, conſequens eſſe, quod & Archipresbyter Archangelus Domini exercituum ſit. Poteſtates quoque non immeritò Epiſcopis aptantur, quoniam ad iſtos maximè pertinet exercitus Spiritualis regere legiones, ducere ſpirituales: acies ordinare atque inſtruere, militiam ſpiritualem, ſeu docere*, &c. commentario iſta non indigent.

Legis Celloti hierarchiæ notionem toto hoc diſcurſu eandem, quæ ſpiritualis regni ac Clericalis, cum imperandi auctoritate, & habitudine ad aliquos ſubditos expreſſam: legis in ea hierarchia, non Monachis locum aſſignari, vt Monachi ſunt, non Monialibus, non Conuerſis Religionum Monaſticarum, ſeu Fratribus, vt vocant, [illegible]cis (noua enim iſta figmenta ſunt prioribus ſæculis inaudita) ſed ſolis Clericis in ſacro ordine conſtitutis ordinariam iuriſdictionem habentibus

Digitized by Google

(nullos enim alios Auctor iſte nominat) iiſque qui iis dotibus præditi eſſe debeant, quæ ſacrum Principatum decent: ſecus enim ex inimicis Dei, incipientibus & iniuſtè iudicantibus collectum cœtum *Antihierarchiam Eccleſiaſticam malignantium, & Synagogam Satanæ, & quodammodo regnum ſpirituale huiuſmodi diabolo præparatum* fieri ibidem affirmat.

Legis ad Eccleſiaſticæ hierarchiæ cum cæleſti ſimilitudinem atque analogiam ſeruandam, nihil opus diſtinctis hierarchiis *Chariſmatis, Ordinis & Iuriſdictionis* (ex qua firmum quid tibi videris, ad ternarium iſtum numerum hierarchiarum ſtabiliendum deſumere) ſed configuratam cæleſti hierarchiam vnam reperiri poſſe, in qua & iuriſdictio ordini, & ordo iuriſdictioni, & vtriſque Dei dona ſeu chariſmata ſtrictiſſimâ & indiuulsâ ſocietate deuinciantur. Quem, ergo toties, vt tum, citas Guillelmum Pariſienſem, propter religioſæ perfectionis æquiſſimam commendationem, iſte, inquam, tuus non eſt, totus noſter eſt: In quibuſdam ſateor dotibus cæleſtium ſpirituum ſanctitatem referre Regulares aliquando prædicat; iſtas tamen Regularium priuatas dotes, iſtas pietatis regularis functiones hierarchicas dicere ne cogitauit quidem, niſi ex ordinis Eccleſiaſtici charactere, & iuriſdictionis ordinariæ auctoritate proficiſcantur.

Comitem Guilelmo Pariſienſi dabo alterum Guilelmũ Antiſſiodorenſem Epiſcopum. Quàm egregiè ipſe, quàm apertè hierarchiam nobis indicat, non ſine ſubditis, ordine ac iuriſdictione pollentem, & chariſmatum conſortium conſentaneè exigentem! ita enim ſcribit lib. 2. ſummæ Theolog. tract. 3. c. 1. *Hierarchia eſt rerum ſacrarum & rationalium ordinata poteſtas in ſubditis debitum retinens ducatum. [ordinata poteſtas] ponitur ibi genus [rationalium] ponitur ad differentiam dæmonum & prauorum hominum, quorum & ſi poteſtas ſit ordinata: quia omnis poteſtas à Domino Deo eſt, ſicut dicit Apoſtolus: non eſt tamen eorum Principatus in ſubditis. [Debitum retinens Principatum] ponitur ad differentiam ſubditorum, qui ſunt res ſacræ & rationales, ſed eorum tantùm eſt obedire, non principari, quia non habent ſubditos.* Qualem mentem putas fuiſſe iſtius auctoris, qui vniuerſam hierarchiam definiens, iſtorum, quæ enumerauimus, trium meminit: putáſne hierarchiam, ſiue ſacrum Principatum, ſine iuriſdictione, ſine chariſmatis admiſiſſer, qui abſque ſubditis negat eſſe Principatum, & abſque chariſmatis ſacrum?

Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis licèt ab hierarchiæ nomine abſtineat, nobis tamen in eo fauet lib. 1. ſententiarum diſt. 10. quòd prælationem in ſuperioribus ſpirituum agminibus admittat, ac proinde & ſubiectionem in inferioribus, quòd tres medios ordines inter vtroſque ſuperiores & inferiores conſiſtere doceat. *Non modò dignitate vel loco, ſed etiam officio, quia præceptum diuinum à ſuperioribus accipiunt, & deferunt ad inferiores.*

CAPVT IV.

De vſu eiuſdem vocis apud ſanctos Thomam & Bonauenturam.

SANCTVS autem Thomas 1. p. q. 108. a. 1. in corpore euidentiùs hierarchiã quidem *ſacrum Principatum* deſcribit, eóq; nomine & Principem & multitudinem ordinatam ſub Principe intelligi docet, atque adeò hierarchiam omnem inſinuat, in imperandi auctoritate & parendi neceſſitate conſtitutam: vnde etiam colligit, manifeſtum eſſe eos errare, & contra intentionem Dionyſij, qui ponunt in diuinis perſonis hierarchiam, quam vocant *ſupercæleſtem:* In diuinis enim perſonis eſt quidam ordo naturæ, ſed non hierarchiæ. *Nam,* vt Dionyſius dicit, cap. 3. cæleſt. hier. *Ordo hierarchiæ eſt, alios quidem purgari, & illuminari, & perfici, alios autem purgare, & illuminare, & perficere, quod abſit, vt in diuinis ponamus,* atque iterùm art. 2. in corpore, vnam hierarchiam dicit eſſe *vnum Principatum, id eſt, vnam multitudinem ordinatam ſub Principis gubernatione.* Ex quo concludit ordinum in ea diuerſitatem requiri, ne inordinata ipſa & confuſa ſit. Ad tertium quoq; fatetur, quod obiectum fuerat, in Eccleſiaſtica hierarchia ordines diſtinctos eſſe ſecundum diuerſas functiones purgandi, illuminandi & perficiendi, quas infimis etiam Angelis reſpectu homi-

num conuenire poſſe ſubiungit: denique art. 4. ordinem *Gubernationis*, cum ordine hierarchiæ confundit, & diſtinctionem ordinum Angelorum *completiue quidem, ſecundum dona gratuita; diſpoſitiuè autem ſecundum dona naturalia* peti affirmat.

Quæ quidem omnia ſi Eccleſiaſticæ hierarchiæ pro ſuo modulo applicentur, vt certè applicari debere ipſe inſinuat, dum Eccleſiaſticam à cæleſti exemplar deſumere fatetur, oſtendent Eccleſiaſticam hierarchiam nullam eſſe ſecundum S. Thomam, ſine gubernandi poteſtate, Ordines quoque ſacros in Eccleſiaſtica hierarchia admittendos eſſe; Deúmque, qui Angelis ſecundum naturalia, ſeu pro maiori dignitate naturæ nobiliores vel ignobiliores gratias diſtribuit; naturæ perfectionē in hominibus non attendere, chariſmata ſua pro diuerſitate ordinum Eccleſiaſticorum, quos inſtituit, & quos iſtis gratiis ornaturum promiſit, diſtribuere ſolere, ac communicare; quemadmodum oſtendit Opuſc. 15. contra impugnantes ſtatum Religionis, cap. 4. ita vt Eccleſiaſtica hierarchia omnem ſimul *Ordinem, Iuriſdictionem,* & *Chariſmata* ſecum habere neceſſum ſit.

Idem verò ſanctus Doctor plurima alibi commodiùs exponenda docet, quibus Monachos, vt Monachi ſunt, à ſuperiori hierarchia amouet Opuſc. 15. cap. 4. citato, vnum hoc ſpecimen doctrinæ S. Thomæ profero ex eodem capite excerptum, propoſuerat ſibi ſoluendum hoc argumentum, quod ab impugnantibus ſtatum Religionis aduerſus Mendicantes ſolebat obiici, quia *nec Papa, nec aliquis mortalium, poteſt Eccleſiaſticam hierarchiam diuinitùs ordinatam aut mutare, aut euertere, cùm nulli Prælatorum data ſit poteſtas in deſtructionem, ſed in ædificationem, vt dicitur 2. Corinth. 10. ſed iſte eſt ordo Eccleſiaſticæ hierarchiæ, quòd Monachi & ordines ſint in ordine perficiendorum, vt patet in 6. cap. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, ergo non poteſt hoc aliter immutare, vt ſcilicet Religioſi perficiendi habeant officium.*

Aliter hoc argumentū ſoluit D. Thomas, aliter ſolueret Cellotius: diceret hìc non deſtrui hierarchiam Eccleſiaſticā, quantumuis ad Eccleſiaſticas functiones exercēdas Mendicantes deſtinentur: eos, quà Monachi ſunt, ad hierarchiam Eccleſiaſticā & Clericalē ſpectare: quà Mendicantes ſunt, etiam ad ſacerdotiū, quà Theologi ſunt, Iuriſperiti, vel aliis ſcientiis inſtructi, ad chariſmatum hierarchiā pertinere, Epiſcopos & Curatos nihil præ illis habere, quo *hierarchiæ* nomen ſibi vendicent. At ille modeſtiùs & veriùs agnoſcens hierarchiæ propriā maximè rationē, Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis ordinariâ gubernandi auctoritate prędititis conuenire reſpondit, *Dionyſium ibi loqui de Monachis laicis, qui non ſunt Epiſcopi, Presbyteri vel Diaconi: ſi tamen de omnibus intelligeretur, non deſtruere hierarchiam Eccleſiaſticam Papam mittentem Monachos ad prædicandum, quia, ſicut ſuprà dictum eſt, in Eccleſiaſtica hierarchia ille qui eſt inferioris ordinis, poteſt ſuperioris officium exercere, etiam in ſuo ordine manens, ſicut etiam & in cæleſti, & vlteriùs poteſt ad ſuperiorem ordinem promoueri, quod non eſt in cæleſti.* In qua ſolutione ſupponit Eccleſiaſticam hierarchiam pro Paſtorum tam ſuperiorum, quàm inferiorum coordinatione vſurpari: agnoſcit Monachos hierarchici ordinis Clericis inferiores eſſe, ex commiſſione tamen ſuperiorū ordinum hierarchicarum officia Eccleſiaſtica peragere poſſe, manentes tamen in ſuo ordine, quia vt eodem cap. ſæpiùs aſſerit, non ideò ſunt gubernatores, quamuis delegatâ auctoritate populos paſcant, niſi etiam ordinariâ paſcerent; nec officium habent, ſed officij tantùm executionem: quod & confirmat 2.2. q. 188. a. 4. ad 1. docens, *Quòd auctoritate Prælatorū aliquis prædicet, vel alia huiuſmodi faciat, non ſupergredi diſcipulatus, vel ſubiectionis gradus.* Ipſos tandem infra ordinatam diuino iure hierarchiam collocatos, ad ſuperiorem iſtam hierarchiā, per electionem legitimam prouehi poſſe aſſerit: quòd in hierarchia Eccleſiaſtica ſecùs quàm in cæleſti contingere obſeruat; in qua vnuſquiſque in quo collocatus eſt gradu ſemper permanet; nec Angelorum vllus, v. g. ad Archangelorum gradum aſcendere vnquam poteſt: cùm è contrà ab vno hierarchiæ Eccleſiaſticæ gradu ad ſuperiorem aliquis promoueri poſſit. Vnde nec Monachos vt Monachos ſtatu Clericos, nec Monachos Mendicantium Ordinum ſtatu ſacerdotes, aut ſacerdotium ſibi debitum arrogare, nec eo etiam ſtatu, quo hierarchicis functionibus occupantur, vel hierarchicum officium habere, vel hierarchicè prædicare, aut quippiam aliud facere, vel hierarchicis ordinibus ex mente S. Thomæ adnumerandos eſſe, aduerſus nouitiam Cellotij, & qui eiuſdem cum eo ſunt ſententiæ, præſumptionē innoteſcit.

Nec

Nec diſſimilis ſententia eſt ſancti Bonauenturæ: Primò enim ſermone 21. libri qui inſcribitur *Luminaria Eccleſiæ*, hierarchiam cum ſancto Dionyſio definit, *Ordinem diuinum ſcientiam & actionem ad deiformem, quantum poſſibile eſt, aſſimilatam, & ad inditas ei aſſimilationes proportionaliter ad Dei ſimilitudinem aſcendentem.* Addit, *Ordinem reſpondere Patri, ſcientiam ſacram Filio, operationem Spiritui ſancto. Vnde hierarchiam dici potentiã, ſcientiam, actionem: potentia enim ſine ſcientia, ſine actione infructuoſa eſt*, &c. Quibus verbis indicat in omni hierarchia tria hæc coniuncta eſſe, *ordinem*, *ſcientiam*, (quæ chariſma in Eccleſiaſtica hierarchia dicitur) & *operationem*, quæ iuriſdictioni Eccleſiaſticæ reſpondet: & ita quamuis ſingulæ hierarchiæ, vt poſteà oſtendit, aliæ Patri, aliæ Filio, aliæ Spiritui ſancto, ratione eius, quod in iis excellit, approprientur, quamlibet tamen hierarchiam ſigillatim ſumptam tria prædicta complectentem, Patri ratione ordinis potentiam ad agendũ conferentis, Filio ratione ſcientiæ, de functionibus ſuis, hierarchicos viros inſtruentis, Spiritui ſancto ratione iuriſdictionis potentiã ordinis complentis reſpondere debere putat. Ordinem verò in vnaquaq; hierarchia primùm requiri, ſed eum ſine ſcientiæ chariſmate, vel ſine operandi auctoritate infructuoſum eſſe ait: quod Cellotianam, hierarchiæ, in *ordinis*, *iuriſdictionis*, & *chariſmatis* hierarchias tanquam ſpecies diuerſas, diuiſionem omninò conuellit, & acceptionem hierarchiæ apud antiquos vſitatam corroborat.

Secundò, part. 3. Centiloquij, ſect. 16. eandem definitionem tradit, *Hierarchia eſt ordo diuinus, ſcientia, & actio, vt ordo, id eſt, ordinata poteſtas reſpondeat Patri, ſcientia Filio, actio Spiritui ſancto.* Aliam quoque ei connectit Eccleſiaſticæ hierarchiæ, quam *magiſtralem* vocat, & quam etiam Angelicæ conuenire poſſe affirmat, *Hierarchia eſt rerum ſacrarum & rationabilium ordinata poteſtas debitum in ſubditis obtinens Principatum.* Quæ definitio omnem hierarchiam Eccleſiaſticam gubernationis eſſe ſeu iuriſdictionis, & ſine ſubiectione cogitari non poſſe contra aduerſarium probat.

Tertiò, Apologiæ pauperum 4. reſp. 3. part. art. 1. Religioſos, ait, *Penſatis multiformi vtilitate ac numeroſitate animarum, numeroſitate indigentium plebium, & raritate ſufficientium Miniſtrorum ſubcæleſtem hierarchiam voluiſſe & debuiſſe approbare*: Nomine enim ſubcæleſtis hierarchiæ opus eſt, vt Paſtorum Eccleſiæ ordinem intellexerit Bonauentura, à quo Mendicantes, exigente Eccleſiæ non ſolùm vtilitate, verùm etiam neceſſitate foueri, ſuſcipi, ac probari debuiſſe contendit.

Quartò, in declaratione terminorum Theologiæ, *Hierarchia Angelica*, inquit, *eſt Angelorum multorum habitudo ad inuicem, in ſcientia, actione, deiformitate, illuminatione, & ad Deum aſcenſione. Hierarchia Eccleſiaſtica eſt rerum ſacrarum & rationabilium ordinata poteſtas, debitum in ſubditis retinens Principatum.* Quam vltimam definitionem idem Sanctus in ſentent. diſt 9. *magiſtralem* vocat, & vtrique hierarchiæ tam cæleſti, quàm Eccleſiaſticæ communem dicit.

Verùm iis in ſpeciem repugnantia duo loca Bonauenturæ proponi poſſunt; primum ex lib. cit. qui *Luminaria Eccleſiæ* inſcribitur ſerm 20 & 22. Opuſcul. eius prima parte: alterum ex tract. de hierar. Eccl. in varias partes diſtributo, 2. part. Opuſcul. ipſius. Vtrobique enim videtur chariſmatum hierarchiam ſtatuere à ſacris ordinibus & iuriſdictione Eccleſiaſtica diuerſam: poſteriori quidem loco in Eccleſiaſtica hierarchia homines recenſens, qui ordines hierarchiarum Angelicarũ expreſſiùs referant, tribus ordinibus primæ hierarchiæ cæleſtes comparat. Perfectorum quidem tres ordines hierarchiæ primæ Angelicæ reſpondentes ſtatuit, docens ſpirituales & contemplatiuos, propter feruorem dilectionis ſimiles Cherubinis, propter plenitudinem ſapientiæ, Seraphinis, propter iuſtitiæ & humilitatis virtutem Thronis; quorum omnium exemplum ferè vnicum profert religioſæ vitæ ſectatores. Secundæ hierarchiæ Dominationibus Pontifices & Paſtores, Imperatores ac Clericos, propter Prælationis officium, & Clericalis ſtatus libertatem aliáſque dotes comparat, Virtutibus quidem, eos qui viriliter iuſtitiam defendunt, Paſtores ac Iudices: Poteſtatibus Reges, ac Principes ſeculares generosè compeſcentes eos, qui hierarchicam Prælationis & ſubiectionis ordinationem impediunt. 3. hierarchiæ Principatibus ſubditos bonos aſſimilat, eóſque qui ſuis maioribus humiliter obtemperant per donum reuerentiæ, Thronis; Archangelis verò, eos qui virgineâ caſtitate conſpicui ſunt; Angelis, qui miſericordes & cæteris compatientes.

Priori verò loco idem Bonauentura, plurimos ordines hierarchiæ cæleſtis enumerat; ſermone quidem 21. hierarchiæ perfectiuæ nouem ordines ſtatuit, totidem Eccleſiæ

ordinibus reſpondentes, ſcientiam contemplantium 1. hierarchiæ Eccleſiaſticæ pro variis rationibus Seraphim, Cherubim & Thronis aſſimilat, actionem infimæ hierarchiæ, prout varia eſt, Dominationes, Virtutes & Poreſtates referre docet. Denique eos qui vitam ex ſcientia & actione permixtam ducunt, Principatibus, Archangelis & Angelis ſimiles tradit: ſermone verò 22. proſequitur eandem anagogicam tractationem, ac 1. hierarchiam illuminatiuam nouem ordines repræſentantes enumerat, tres fundamentales reſpondentes primæ hierarchiæ cæleſtis ordinibus, ſcilicet ordinem Apoſtolorum, Seraphim, Propheticum Cherubim, Patriarchalem Thronis; tres ordines Eccleſiæ ſplendorem promouentes, nempe Martyrum Dominarionibus, Confeſſorum Virturibus, Virginum Poteſtatibus reſpondenres: tres denique conſummantes, nimirum Præſidentium ſeu Prælarorum Principatibus, Magiſtrorum ſeu docentium Arrhangelis, Regularium Angelis, quos omnes nouem etiam Patri, Filio, & Spiritui ſancto reſpondentes facir.

Deinde ratione aſcenſuum & graduum Eccleſiæ triplicis generis gradus ſtatuit; tres purgatiuos, Oſtiariorum, Lectorum & Exorciſtarum, quorum primi ſimiles Angelis excommunicatos & alios immundos ab Eccleſia excludunt. 2. Archangelos referentes Catechumenos; tertij Principatus, Energumenos ſacris adiurationibus à dæmone liberant: tres item illuminatiuos Acolythorũ, qui per exempla illuminant, in quo reſpondent Poteſtatibus, Subdiaconorum, qui per documenta mediocria epiſtolarum ſcilicet lectionem, illuminant, Virrutibus ſimiles: & Diaconorum, qui per ſublimiora documenta Euangelij, quod legunt, illuſtrare audientiũ mentes dicunrur, in quo Dominationibus comparantur: tres deniq; perfectiuos, Sacerdotũ, Epiſcoporũ & Patriarcharũ Thronis, Cherubim & Seraphim reſpondentes: quibus omnibus ſummus Pontifex eminet. Prætereà ratione exercitiorum 9. item ordines ſtatuir, conremplatiuorum Monachorum ſupremæ hierarchiæ, actiuorum ſeu Clericorũ infimæ, & mixtum, qui eſt Prælatorum mediæ. In 1. ordine tres ordines Monachorũ recenſet, contemplatiuorũ pro ſuis fundaroribus orantium, qualis eſt Carthuſianorum, Ciſtercenſium, Præmonſtratenſiũ, Grandimontenſium, & Canonicorum Regularium, qui Thronos exhibenr; alium eorum qui rontemplationi intendunt, per modum ſpeculatorũ Cherubinis ſimiles, quales ſunr Prædicatores & Minores, & tertium eorum, qui vacant Deo per modum excedentium, Seraphinis cõfigurati; in quibus conſummabitur Eccleſia. Prælatorũ rres ſimiliter ordines Epiſcoporum, Preſbyterorũ, Diaconorũ. Deniq; tres ordines laicorum Principum, Conſiliariorũ, & ſubditorũ. Quibus omnibus adiungir & animæ hierarchicæ varios gradus ſtatui poſſe naturæ, gratiæ, & induſtriæ, quos iterũ cum aliqua cõparatione ad hierarchias cæleſtes ſubdiuidit. Paſſim ex iis argumenta deprompſit Cellotius, & cùm per omnia ordinibus iſtis à Bonauentura prolatis non cõſentiat, ſuæ tamẽ ſententiæ ab iis locis auctoritatẽ emẽdicare coactus eſt.

Verùm infirma iſta probatio eſt, 1 quia ſermones iſti opuſculi de luminaribus Eccleſiæ, toti ſunt anagogici ac myſtici: cuius etiam notæ eſt tractatus de Eccl hierar. inſcriptus, de quo ſi Bonauenturam ipſum conſulas, hoc iudicium ab eo audies, *Impoſſibile eſt, vt dicit Dionyſius, aliter nobis lucere diuinum radium, niſi varietate ſacrorum voluminum anagogicè circumuelatum. Ideò Theologia Poeticis informationibus vſa eſt, vt ex rerum viſibiliũ ſimilitudinibus, allegoricæ allocutiones, & myſtici intellectus tranſumptiones formentur, & ſic ſenſibilibus & viſibilibus ſpiritualia & inuiſibilia coaptentur. Huius rei gratia præſens opuſculũ etſi laborioſum, mihi tamen & aliis paruulis in Chriſto lac petentibus (vt ſpero) non infructuoſum, offero ad ædificationẽ domus Domini, qui eſt ſublimis, & glorioſus in ſæcula ſæculorũ. In quo agitur de proprietatibus rerũ naturalium, quas ſecundum paruitatem meam, nunc tropologicè, nunc allegoricè, nec non quandoque anagogicè rebus ſpiritualibus comparaui: iunioribus relinquens materiam exercitij, ſenſibilia inſenſibilibus, & carnalia ſpiritualibus coaptandi.* Ex quibus vides ſcopum S. Doctoris in hoc opere non eſſe hierarchiæ doctrinam tradere, ſed anagogicè ac figuratiuè cæleſtis hierarchiæ dotes ad homines transferre, relinquendo etiam cæteris liberum, vt in eadem materia, piè & ad ędificationem proximi, ludant atque excurrant; vnde in opuſculo iſto ſicut & ſermonibus citatis opuſculi luminarium Eccleſiæ ſupercæleſtis hierarchiæ in Trinitate mentio fit, quam S. Thomas ſuperiùs nequaquã admittendam credit; animæ quoq; hierarchicæ ordines varij ſtatuuntur: cùm certũ ſit propriè dictam hierarchiã animam ſibiipſi eſſe non poſſe. Temerarium itaque eſt ex iſtis locis, in quibus non doctrina Theologica traditur, neque aſſerendæ de Eccleſiaſtica hierarchia veritates ſtatuunrur, ſed myſtici conceptus proponuntur, libertate, vnicuique relictâ eoſdem ad morum ędificationẽ,

Digitized by Google

& Angelorum commendationem, magis ac magis ampliandi, ad eorum, inquam, normam, Theologicam de Eccleſiaſtica hierarchia tractationem metiri, neglectis iis eiuſdem Auctoris, in quibus ſe *magiſtraliter* loqui, & receptam à Theologis doctrinam tradere profitetur. Dum ergo ſanctus Bonauentura varios ordines Chriſtianorum Hierarchiæ cæleſtis, vel Eccleſiaſticæ ordinibus comparat, non ideò illos hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſtrictè ſumptæ inſerendos, aut ſacri Principatus propriè dicta ſubiecta eſſe putat, ſicut nec Gregorius omnes bonos, omnes hierarchiæ Eccleſiaſticæ propriè dicta membra eſſe putat, quamuis eos cæleſtis hierarchiæ ordinibus conferat, hom 34 in Euangelia.

Secundò, quia nec iis ipſis locis, quæ à nobis citata ſunt S. Bonauentura vnquam dicit ſe diuiſiones hierarchiæ Eccleſiaſticæ, aut propriè aut impropriè dictæ, multo minùs propriè dictæ tradere; ſed ſolùm ſe comparationẽ quandam inſtituere hominum & Angelorum ſecundum varias dotes in illis præſertim qui ſaluandi ſunt, refulgentes, ratione quarum, hierarchiæ Angelicæ aſſimilari poſſunt. nihil ergo iſta loca iuuant Cellotium in ſtabilienda propriè dictâ hierarchiæ diuiſione, in qua Regulares primos & ſublimiores gradus habeant.

Tertiò, quia tantum abeſt, vt in iis diuiſionibus hierarchiæ propriè dictæ partitionem agnoſcat ſanctus Bonauentura, vt prædicti opuſculi de Eccleſiaſtica hierarchia parte primâ, hierachiam Eccleſiaſticam propriè dictam definiat ipſe tribus prædictis dotibus, *ordinis*, *iuriſdictionis*, & *chariſmatum* plenè inſtructam, ad quam non niſi per Clericales gradus in Eccleſia receptos aſcendatur, cæteras autem comparationes, quas poſteà ſubiungere propoſuerat, valere duntaxat inſinuat, ad vitæ noſtræ conformationem cum beatis ſpiritibus, & ipſorum imitationem explicandam, quod ne ex meo dixiſſe videar, ipſum loquentem audire præſtat. *Tertia eſt ſubcæleſtis, ſcilicet humana, quæ in prædeſtinatis hominibus perficitur, & præcipuè in Prælatis. Hæc autem hierarchia humana ad ſimilitudinem cæleſtis hierarchiæ ordinata eſt, & diſpoſita, & ſecundum maiorem vel minorem gratiæ ſiue poteſtatis perceptionem in maiori vel minori, ſiue in excellentiori & inferiori gradu ordinatiſſimè conſtituta. Vnde in Iob dicitur, Nunquid noſti ordinem cæli? aut rationem eius pones in terra? noſſe cæli ordinem eſt cognoſcere ſupernarum virtutum ordinatiſſimam diſpoſitionem: eius rationem in terra ponere, eſt vitam & officium hominum, quandiu in terra ſunt, ſecundum ſimilitudinem cæleſtium Spirituum ſanctè & reuerenter ordinare. Vnde nouem ſunt ordines ordinandorum, ſicut nouem ſunt ſancti ordines Angelorum. Eſt enim ordo Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorciſtarum, Lectorum, Pſalmiſtatus, & Oſtiariorum: Sicut Moyſi dictum eſt, Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt. Noſtra itaque exemplaria ſunt SS. Angelorum agmina ordinata, vt ſcilicet ſecundum ipſorum ordinationem & operationem noſtram (quantum poſſibile eſt) ordinemus conuerſationem. Vt igitur illa omittamus ratione difficultatis, & prolixitatis, quæ dixit Dionyſius in Eccleſiaſtica hierarchia, hoc ſufficiat de hoc iſtâ vice, quòd Eccleſia militans in ſuis membris diſponitur ſecundum ſimilitudinem Eccleſiæ triumphantis, & hoc quoad ordinationem, & quoad actionem. Eſt enim hierarchia (vt dicit Dionyſius) ordo diuinus, ſcientia & actus, deiformis ſimilans, & ad inditas ei diuinitùs illuminationes proportionaliter aſcendens. In ordine notatur diſtinctio illorum, qui per ordinatum officium, maiorem vel minorem recipiunt poteſtatem. In ſcientia notatur diſcretio; in actione verò miniſterium: ſine ordine enim præſumptio eſt actio; ſine actione negligentia eſt ordo: ſine ſcientia & diſcretione eſt actio reprehenſibilis, & ordo inutilis, & ideò tam in ordine, quàm ſcientia & actione hominum poteſtas Dei vniformitatem imitatur, & ſecundum modum & menſuram ſuæ illuminationis, in ordine ſuo proficit, & rectè diſcernendo, & benè operando, ad Dei conformitatem quantum poſſibile eſt, aſcendit. Tunc verò Angelorum hierarchiæ, quibus per imitationem, & vitæ conformationem: dum tres electorum hominum ordines ſecundum trinas conditiones ſiue differentias ſingulas appropriatas comparantur; & hi tres ſaluandorum ſtatus ſignificantur, per illos tres, quos dixit Ezechiel liberandos, Si fuerint, inquit, in ciuitate hi tres viri ſcilicet Daniel, Noe & Iob, &c.*

Noli itaque, ſi ſapis, quæ de conformatione vitæ ſaluandorum ad ſanctos Angelos, & de illorum ab his imitatione fructuosè à ſancto Doctore ſcripta ſunt, ad ſacri Principatus, & Eccleſiaſticæ hierarchiæ dignitatem transferre, neque qui dotes aliquas Angelorum magis, quàm alij imitantur, eos nobiliores hierarchas dicendos putes; nam noſtræ & cæleſtis hierarchiæ differentia eſt, quòd hæc pote-

ſtatem gubernatiuam præſertim ſignificat in actione poſitam : illa verò in contemplatione potiſſimùm, & Dei poſſeſſione conſiſtit. In hac maiorem quis gradum obtinere poſſit, qui cæteris præfertur, & ſanctus non ſit : in illa verò eadem ſit dignitatis ordinis, & ſanctitatis in ſingulis proportio.

CAPVT V:

Aliqui alij celebriores Scholaſtici Theologi proferuntur, itemque facultatis Theologicæ Pariſienſis, & Concilij prouincialis Senonenſis ac Synodi diœceſanæ Carnotenſis decreta ante Concilium Tridentinum.

HIS Scholæ Theologicæ Magiſtris adiungo Gabrielem Biel in 2. diſt. 9. q. 1. docentem hierarchiam dici, quaſi ſacrum Principatum, definitionéſque eiuſdem hierarchiæ creatæ ſuperiùs traditas probantem, tum illam, quòd nimirum ſit *rerum ſacrarum & rationabilium ordinata poteſtas, in ſubditis debitum retinens Principatum*: tum iſtam, *vt ſit ordo ſacratus, & ſcientia, & operatio, quæ ad Dei ſimilitudinem pro viribus nititur*, &c. denique hanc postremo loco adiungentem, *Hierarchia creata, eſt ſacra quædam poteſtas plures continens ordines, communicans inferioribus determinato ordine, quod à prima poteſtate diuina ſuſcepit*. Quæ omnes definitiones hierarchiam nullam eſſe demonſtrant, quæ non *ordine, ſcientiâ, & actione* inſtructa ſit, quæ non poteſtatem *ordinis & iuriſdictionis* ſimul cum *chariſmatis* habeat ; quæ non principantium & ſubditorum collectio ſit, quæ totius præſentis diſputationis ſumma eſt.

Adiungo Richardum de Media villa Ordinis Minorum Doctorem clariſſimum, qui eadem diſt. quæſt. 1. magiſtralem nuncupat prædictam definitionem *Hierarchia eſt rerum ſacrarum & rationalium* (*rationale* interpretatur idem eſſe quod intellectuale) *ordinata poteſtas, debitum in ſubditis retinens Principatum*, quam vtique definitionem Eccleſiaſticæ & cæleſti hierarchiæ communem aſſerit.

Ibidem quoque non eſſe concedendum ait inter perſonas diuinas propriè dictam hierarchiam eſſe, *quòd inter eas non ſit ordo principandi*, ſed ſumma æqualitas, innuens proinde hierarchiam propriè dictam, non eſſe niſi inter eos, quorum aliqui principantur, alij verò principantibus ſubiiciuntur.

Idem tandem in 4. diſt. 4. quæſt. 3. comparans hierarchiæ Eccleſiaſticæ ac cæleſtis ordines nouem huius, ſeptem duntaxat illius eſſe contendit ; diſparémque vtriuſque hierarchiæ rationem eſſe, quòd ordines omnes Eccleſiaſticæ hierarchiæ ad Corporis Chriſti conſecrationem ordinari debeant : quòd ipſum docuerat ſanctus Bonauentura ibidem, quæ doctrina acceptionem Eccleſiaſticæ hierarchiæ confirmat pro ſolis Clericorum ad Chriſti Corpus conficiendum ordinibus, excluſis cæteris, de qua infrà, cui quomodo iuriſdictio adnexa ſit, paulò poſt explicabimus.

Item Durandum de ſancto Portiano Dominicanorum familiæ inſigne ornamentum, Apoſtolicum quondam Pœnitentiarium & Epiſcopum Meldenſem, qui hierarchiam à Dionyſio traditam, vt ſit ordo diuinus, ſcientia, & actio, nobis ita explicat, in 2. diſt. 9. quæſt. 1. vt hæc tria vnam hierarchiam conſtare neceſſum ſit, nec hierarchia ſit, ſi aliquid eorum deſit, nec abſurdum eſſe putat, quòd hierarchia, quæ vnitate tantum ordinis vna eſt, per hæc tria diuerſorum generum integra definiatur : qui pariter in 4. diſt. 24. quæſt. 2. obiectioni aduerſus numerum ſeptem Ordinum ſatisfaciens, reſpondet, quòd licèt hierarchia Eccleſiaſtica ſit exemplata à cæleſti, non tamen poteſt eam imitari in omnibus, vnamque hierarchiam Eccleſiaſticam tamen eſſe teſtatur, quantumuis cæleſtis, propter plures modos recipiendi diuinam illuminationem, diuerſa ſit ; cùm è contra homines in ſtatu viæ, vno modo recipiant, Ordines verò ſeptem tantùm in eadem Eccleſiaſtica hierarchia ſtatuit ; quia quotquot ſunt Eccleſiaſtici ordines ad vnum Euchariſtiæ ſacrificium referuntur. Quæ omnia, quo ſenſu hierarchiam Eccleſiaſticam pro ordinis hierarchia ſumpſerit, nec varias illas Cellotij hierarchias probauerit, manifeſtè demonſtrant. Quòd verò nobis in omni hie-

rarchiâ Eccleſiaſticâ perfectâ iuriſdictionem admittentibus non repugnent, poſteà explicabimus.

Nec ſilere patior Henricum Gandau. quodlibeto 6. q. 23. a. 1. vbi hierarchiam ratione chariſmatum ſub Deo vno Monarcha in eo ſenſu dici fatetur, quo ſenſu etiam creaturæ irrationales ſub Deo, ad Deum reduci poſſunt imperfectè, creaturæ verò rationales ad Deum perfectiùs reducuntur; eámque reductionem, ac proinde hierarchiam ipſam in ea fundatam in Eccleſia militante incipere, in triumphante finiri docuit: Eámque ab Eccleſiaſtica hierarchia diſcriminat: & ita Cellotij toto libro aberrationem detegit, qui diſpoſitionem iſtam creaturarum ſub Deo quatenus ad ipſum Deum referuntur, vt ei vniantur à quo exierunt, cum hierarchia Eccleſiaſtica confundit, & Bonauenturæ aliiſque myſticis Doctoribus ſimiliter locutus lucem adfert, quam vtique auget, dum conſequente ſerie, de ordine hierarchico militantis Eccleſiæ ita diſſerit, *In qua*, inquit, *ſub Deo Chriſtus, ſecundum quod homo, caput eſt & Monarcha, non tantùm in Spiritualibus, ſed etiam in temporalibus*, &c. *Vnde de ipſo dicit Dionyſius cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ: in ipſo perficitur, & completur omnis hierarchiæ noſtræ diſpoſitio: ipſe autem tanquam homo peregrè proficiſcens in altum, non abſque regimine & ordine in terris relinquere nos voluit, ne tumultuaret iuuenis contra ſenem, & contra ſapientem fatuus, ſed inferiores in donis & naturalibus & gratuitis, per ſuperiores in ordine debito cuſtodiret, & ſic in hierarchia totius Eccleſiæ militantis, eſſet principans, & cui principaretur, inuenire. Quæcunque enim, vt dicit Philoſophus 1. Politic. conſtituunt vnum aliquod commune, ſiue in coniunctis ſicut homo ex corpore & anima, ſiue in diuiſis, ſicut exercitus in militibus, in omnibus eſt inuenire principans, & ſubiectum: quemadmodum in harmonica muſica eſt vnus ſonus principalis; & in mixto vnum elementum prædominans: & in homine anima corpori, & intellectus appetitui ſenſibili, & in domo vir vxori & vniuerſaliter maſculus fœminæ & homo beſtiis. Vnde quæcunque perſonæ talem habent inter ſe diſtantiam in gratuitis, ſiue naturalibus, ſiue acquiſitis, ſiue à Deo datis, quamuis diſtent prædicta ab inuicem: talem inter ſe habent diſpoſitionem, quod vnum natum eſt & debet alteri principari & ipſum dirigere.* Ex iis & aliis, quæ ibidem ſubdit fundamenta Cellorij ſubuertuntur, & aduerſus eius inſultus Catholica ſententia munitur.

Inter vltimos patientur aduerſarij Ioanni quoque Gerſoni Cancellario Pariſienſi honorificum locum eſſe, à quo ſcilicet hierarchiæ varias acceptiones, eiúſque præſertim, quæ omnibus ſuis numeris abſoluta eſſet, addiſcere poterunt. Audiamus eum loquentem de Poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione nonâ, vbi hierarchiæ Angelicæ, & cæleſtis hanc comparationem inſtituit, *Papalis auctoritas ſuo modo cum Cardinalibus imitatur triplicem, primam* (Angelorum hierarchiam) *alteram verò mediam imitatur Patriarchalis, Archiepiſcopalis, & Sacerdotalis auctoritas in habentibus ſubiectos ſibi; quod dicitur propter curatos, vel etiam propter ſolos titulares Epiſcopos carentes plebe. Vltimi ſunt inſtar tertiæ hierarchiæ, qui hierarchizantur in Eccleſia, ſed non alios auctoritatiuè hierarchizant: quemadmodum ſunt populi & ſimplices religioſi ſecundum Dionyſium.* Clariùs certè & expreſſiùs in prædictæ hierarchiæ hierarchizantis gratiam, ſermone contra Bullam Mendicantium. *Si quis ergo*, inquit, *petat quomodo ſtabit Chriſtianitatis regnum in his inferioribus. Reſponſio hæc erit, ſeruando ordinem, & exemplar regni ſuperioris, Regnum cælorum certo ordine & eſſentialibus ordinationibus, atque permanentibus (quas nos hierarchias appellamus) inſtitutum eſt. Hæc eſt determinatio ſancti Dionyſij in libro ſuo, quem ea de cauſa edidit de cæleſti hierarchia & inſtitutione ſancti Pauli*, &c. *Apparet per has duas conſiderationes in ſancta Eccleſia ordinem eſſe hierarchicum & eſſentialem, hoc eſt, ordinatum, ſtabilem & permanentem ad Epheſios 4. & 5. exemplum in homine, qui regnum eſt perſonale, videmus membrum vnum alteri iungi certo ordine. Et hic eſt ordo in ſancta Eccleſia, vt ſit vnus Papa Ieſu Chriſti Vicarius, ſint Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Apoſtolorum ſucceſſores, ſint Curati ſucceſſores 72. diſcipulorum, quos dicemus in ſequentibus. Patet ſi aliquis homo, aut ſtatus ſine cauſa vel neceſſitate perturbare vellet hunc ordinem, illi reſiſtendum eſt*, &c. *Item poſteà Chriſtianitatis regnum fundatum eſt, & inſtitutum in ordine, & diſpoſitione hierarchicæ prælationis, hoc eſt, Deus ſic ſuam ordinauit Eccleſiam, vt in ſancta Eccleſia eſſet ordo prælaturæ ad gubernandos alios, & ad Deum dirigendos ſecundum tres, quæ ad prælaturam ſpectant, operationes, purgare, illuminare & perficere, & hunc ſeruando ordinem ſtare debere regnum Eccleſiæ ſanctæ hìc inferiùs, ſic enim eſt in ſuperiori regno cælorum*, &c.

Digitized by Google

Eorum autem omnium doctorum ac Patrum, quos pro explicanda hierarchiæ notione proferendos iudicauimus (nam innumeros alios proferre poſſemus, tam ex ſæcularibus quàm ex regularibus viris, quique huic hierarchiæ acceptioni, vt pro Paſtorum ſubordinatione ſumitur non inuiti fauerunt, & quos, ne faſtidium generemus, libenter omittimus) agmen claudet Henricus Kalteiſen Dominicanus ſacræ Theologiæ Profeſſor in Academia Colonienſi, & hæreticæ prauitatis Inquiſitor, oratione habitâ per duos dies aduerſus Bohemos de libera prædicatione verbi Dei, factâ continuatione, altero die non longè ab initio. *Notandum*, inquit, *quòd ſicut in Eccleſia triumphante ſunt tres Angelicæ hierarchiæ, quarum Trinitas beatiſſima caput eſt, quarum ſupremam illuminat ipſa Trinitas per ſe, ſuprema mediam, & media infimam, & non è conuerſo: ita in Eccleſia militante ſunt tres ſtatus ſuo modo illam imitantes ſub vno capite, quod eſt Chriſtus, ſecundum quod homo; ſummum Papa loco Chriſti tenet in terris: medium Epiſcopi loco Apoſtolorum: tertium Curati loco 72. diſcipulorum: ex quibus apparet, quòd ſecundum diuini Principatus ordinem, quæ hierarchia vocatur, ſunt ordinarij Eccleſiæ doctores, ad quos inexcuſabiliter ratione qualitatis ſui ſtatus pertinet illuminare populum Dei, ac cæteros actus hierarchicos exercere, ſcilicet ad Papam Epiſcopos ac Plebanos, vel loca eorum tenentes*, &c. *nam vnguentum, id eſt, pinguedo totius Eccleſiaſticæ ſanctitatis, vt eſt in capite, ſcilicet in Chriſto homine, prout congruit Eccleſiæ hierarchiæ, deſcendit in barbam ſuam, id eſt, in B. Petrum proximum eius Vicarium, & quemlibet eiuſdem legitimum ſucceſſorem: dehinc in barbam Aaron, id eſt, cuiuſlibet Prælati ſeu Epiſcopi legitimè ſuccedentis; dehinc in veſtimentum, id eſt, Eccleſiaſticos: dehinc in oram veſtimenti, id eſt, populares, qui ſunt extrema pars Eccleſiaſticæ hierarchiæ.*

Probat ex Bernardo hanc ſubordinationem neceſſariam eſſe, ac tandem concludit, *quòd ſummâ diligentiâ inuigilandum, ne hic ordo hierarchicus tam regulariter à Deo inſtitutus ab vllo infringi patiatur*, &c. quæ omnia quàm perfectè iis conſentiant, quæ nos de hierarchia ſcripſimus, ex prædictis innoteſcet.

Iam verò turmatim totius Facultatis Theologicæ Pariſienſis ſenſum non nuperum, qui ex cenſura librorum Anglicanorum patuit, ſed antiquiorem profero ex litteris ipſius ad Regem Franciſcum I. datis anno 1535. cùm à Rege occaſione naſcentis in Germania hæreſis, rogata fuiſſet proferre ſententiam, in quibus de hierarchia ſic ſcripſit: *Firmiter tenendum eſt hierarchiam Eccleſiaſticam, quam politiam Eccleſiæ nonnulli vocant, ſanctam eſſe, & vtilem, ſed etiam iure diuino inſtitutam, quæ vſque ad conſummationem ſæculi perduratura eſt, nec in humana eſſe poteſtate, illam inſtituere aut deſtituere.* Poſtcà diuidit illam eadem facultas, non Cellotiano more, ſed noſtro in *Papam*, *Epiſcopos*, & *Plebanos*, ſeu *Curatos*. Similiter Concilium Prouinciale Senon. ſub Antonio à prato Cardinale, tempore Clementis VII. anno 1528. in decretis morum c. 1. *Orandus*, inquit, *igitur benigniſſimus Deus, vt fatiſcentem Petri nauiculam tutâ tandem ſtatione recipiat, ſanctiſſimum dominum noſtrum Papam, & ſtatum hierarchicum Eccleſiæ in perfecta charitate contineat, & Chriſtianiſſimum Regem noſtrum, ac ſupremum Dominum incolumem nobis ſeruet, votorúmque compotem efficiat, vt commiſſus illi populus*, &c. Quid eò loci per ſtatum hierarchicum intelligi poteſt, quàm ſtatus Paſtorum & Prælatorum Eccleſiæ, qui Papæ coniungitur, & vnitur, & cuius mentio in Eccleſiaſticis precibus, regum temporalium ac populorum mentioni præmittitur?

Synodus denique Carnotenſis anni 1626. apud Bochellum lib. 3. titulo 2. decretorum cap. 81. ad Eccleſiaſticam hierarchiam nemini niſi per ſuſceptionem Tonſuræ Clericalis aditum patere teſtatur, ac proinde hierarchiam Eccleſiaſticam collectionem eſſe virorum ſacramento Ordinis initiatorum ſatis euidenter inſinuat. Sic autem loquitur iſta Synodus, *Cùm ſecundum ſanctorum Patrum ſanctiones, qui volunt in Domini ſortem Eccleſiaſticæ hierarchiæ adſcribi, vt primam Tonſuram Clericalem accipiant, à ſuo Epiſcopo eam petere debeant*, &c.

Digitized by Google

CAPVT VI.

De explicatione Hierarchiæ per Concilium Tridentinum.

AB iis verò gradus nobis faciendus eſt ad Concilij Tridentini de hierarchia definitionem. Synodus enim Tridentina præcedentium vtique Scriptorum inſiſtens veſtigiis, nec nouam ſibi fingens hierarchiæ acceptionem, ſed vſitata n ſupponens cap. 4. ſeſſ. 23. apertè & euidenter hierarchiam definit poteſtatẽ *ordinis, iuriſdictionis* & *chariſmatum* donis conſtantem. *Quod ſi quis*, inquit, *omnes Chriſtianos promiſcuè noui teſtamenti ſacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quàm Eccleſiaſticam hierarchiam, quæ eſt Cant. 6. vt caſtrorum acies ordinata, confundere, perinde ac ſi contra S. Pauli 1. Cor. 11. ad Eph. 4. doctrinam, omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Euangeliſtæ, omnes Paſtores, omnes ſint doctores. Proinde ſacroſancta Synodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & poſitos, ſicut ait idem Apoſtolus Act. 20. à Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei; eóſque Presbyteris ſuperiores eſſe*, &c. *docet inſuper*, &c. *eos qui tantummodò à populo aut ſeculari poteſtate, ac magiſtratu vocati & instituti ad hæc miniſteria aſcendunt, & qui ea propriâ temeritate ſibi ſumunt, omnes non Eccleſiæ miniſtros, ſed fures, & latrones per oſtium non ingreſſos habendos eſſe.* Poteſtatem ordinis iis verbis contineri fatetur Cellotius lib. 6. cap. 1. ſed ſolam vult contineri: cæteras dotes ab hierarchia à Tridentino ibi explicata propellit: quòd hæc doctrina ſacramenti Ordinis explicationi inſerta ſit. At quàm aperta etiam iuriſdictionis in ea hierarchia neceſſitas inſinuatur, dum ſcilicet ipſa vt caſtrorum acies ordinata, ſub Epiſcopis tanquam potiſſimis Hierarchis deſcribitur, ita vt ſicut omnis exercitus ſuis ducibus paret, atque ordinatâ diſpoſitione ſubiicitur: ſimiliter tam Preſbyteri quàm reliqui inferiores miniſtri Epiſcoporum iuriſdictioni ex Chriſti inſtitutione ſubdantur: dum nonniſi acceptâ facultate ab Eccleſiaſtico Præpoſito, ad Eccleſiaſticos gradus aſcendi, aut ipſorum miniſteria exerceri poſſe definitur? Quid enim eſt, quæſo, iſta licentia, quæ inferioribus ad miniſteria Eccleſiaſtica liberè exercenda conceditur, ordinis eſt, an iuriſdictionis? Certè iuriſdictionis particula quædã eſt, quâ in hac vel illâ Eccleſiâ, huic vel illi populo ſacrorum miniſteriorũ fructus impendere ab habente ordinariam iuriſdictionem conceditur. Gratiarum quoque ſeu chariſmatum implexas hierarchiæ Eccleſiaſticæ notioni dotes eadem Synodus oſtendit, dum ad eiuſdem explicationem, quam hierarchiã ordinis faſſus eſt, nos etiam iuriſdictionis eſſe monſtrauimus, Apoſtoli ea loca proferuntur, ex quibus potiſſimùm ſuam Cellotius chariſmatũ hierarchiam conficit & confirmat lib 7. c. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. Fixum ergo ac ratum ſit, non ita de hierarchia ordinis Concilium Tridentinum loqui, vt ad eius perfectionem atque integritatem, ordinem ſolum Eccleſiaſticum ſufficere, ſed inſuper iuriſdictionis poteſtatem, & chariſmatum diuinorum ſubſidia neceſſaria eſſe cenſeat: quam proinde hierarchiam ita cumulatè dotibus iſtis inſtructam, ita munitam in tres ordines diſtribuit Can. 6. dum ait, *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam diuinâ ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & miniſtris, anathema ſit.* Quibus verbis licet ſummi Pontificis, qui iure diuino præeſt omnibus Hierarchis, & fidelibus populis, licèt Archiepiſcoporum, Primatum, Patriarcharum non meminerit, quos conſtat non diuinâ, ſed Eccleſiaſticâ ordinatione inſtitutos, ab hierarchia tamen nec gradu iſtos, nec iuriſdictionem excludit; ſed duntaxat ſacrum Principatum Eccleſiaſticum omnibus ſuis numeris abſolutum diuidit in eos ordines, quibus iuriſdictio connaturalis eſſe poteſt, quibus officia iuriſdictionem inferentia conſentanea ſunt, & chariſmata ordini atque officio adnexa debentur. Quos ordines eſſe docet Epiſcoporum, Preſbyterorum & miniſtrorum: quo nomine *Selectos*, quos vocat Dionyſius *Miniſtros*, id eſt, Diaconos interpretamur, quos miniſtrorum nomine duntaxat ſignificauit Tridentinum Concilium, definire ſcilicet nolens quæſtionem duplicem, primam, an reliqui etiam ordines à Diacona-

tu diuerſi ſint ex diuina ordinatione, an verò ex Eccleſiæ inſtitutione addititij: alteram an eiſdem Principatus quoque ſacer connaturalis ſit, v. g. num etiam Subdiaconorum ordini & aliis inferioribus officia iuriſdictionis adnecti conſentaneè poſſint, ſicut Epiſcoporum ordini ampliſſima iuriſdictio congruit, & Preſbyterorum ordini, Curatorum; Diaconis Archidiaconorum officia iuriſdictionem adnexam habentia demandantur. Vnde Synodus Tridentina haud dubiè tam ordinis quàm iuriſdictionis mixtionem hierarchiæ Eccleſiaſticæ conflandæ neceſſariam cenſuit, eámque fuiſſe mentem omnium Patrum Concilij Tridentini auctor alioqui damnandus, ſed in iis, quæ hæreſi minimè fauent, nequaquam gratuitò mendax cenſendus teſtatur, lib. 6. hiſt. Concilij.

Perperam igitur à Cellotio lib. 6. cap. 1 de perturbatione accuſamur, quaſi modò ordinem, modò iuriſdictionem, modò vtrumque commiſceamus, vt quadremus cum Tridentino, cuius mentem nondum perceperamus, cùm meliori nos iure queri poſſimus aduerſus Cellotium de hierarchiæ iniuſta, & contra Concilij mentem ab ipſo tentata dilaniatione, dum eas dotes, quas Tridentina Synodus vt perfectam hierarchiam conſtituant, coniunctas expoſcit, diuulſas à ſe inuicem, atque abſtractas, quaſi diſtinctas, perfectas hierarchias conficere contendit, in quo nec ſe Concilij mentem, nec totius antiquitatis quàm Concilium ſecutum eſt, ſenſum adhuc percepiſſe fateatur neceſſum eſt: quis enim probet Concilij Tridentini mentem eum aſſecutum fuiſſe, qui fateatur nouam ſe, & ſine cuiuſpiam auctoris præcedentis ductu, hierarchiæ diuiſionem inueniſſe? at idipſum fatetur Cellotius lib. 3. cap. 18. ſcilicet Tridentinæ Synodi veſtigia ſequitur, qui primus à nemine calcatam viam terit? Monitum te, Ludouice, velim à percipienda Concilij Tridentini mente longè aberrare, qui nouam viam ſequeris, redeundúmque tibi ad communem & antiquam hierarchiæ notionem, ſi quidquam appoſitè ad ſenſum Tridentinæ Synodi volueris loqui.

CAPVT VII.

De eiuſdem nominis acceptione, apud recentiores Societatis Ieſu Scriptores.

MELIVS fortaſſe mentem Synodi Tridentinæ aſſecutus es, quàm aut Sotus in 4. diſt. 24. quæſt. 2 art. 2. aut Albertus Pighius toto libro de Eccleſiaſtica hierarchia, aut Sanderus lib. 7 de viſibili Monarchia Eccleſiæ, & alij paſſim, qui hierarchiam iuxta noſtrum ſenſum acceperunt: melius fortè, quàm qui ex tuis non minimam doctrinæ ac pietatis laudem aſſecuti ſunt? Non cepit fortè mentem Synodi Tridentinæ Cardinalis Bellarminus, dum lib. 1. Controuerſiæ generalis de membris Eccleſiæ, ſeu de Clericis cap. 11. reſpondens ad obiectionem Kemnitij numerum ordinum Eccleſiæ ſeptenarium ex eo impetentis, quòd tres tantum ordines hierarchiæ à Dionyſio referantur, conſequutionem negat. *Tres enim ſunt*, inquit, *hierarchiæ in Eccleſia militante, vt etiam tres ſunt in Eccleſia triumphante: prima eſt Pontificum, ſecunda Sacerdotum, tertia Diaconorum: Diaconi enim etſi miniſtri dicuntur, & ſint, ſi comparentur ad ſacerdotes, tamen ſunt etiam Principes & Præſules, ſi comparentur ad plebem, & ideò dicuntur Hierarchæ. Ordines autem inferiores non præſunt populis, ſed tantùm miniſtrant Diaconis & Sacerdotibus.* Potuitne clariùs Bellarminus non ſolùm meæ ſententiæ de Diaconibus in Principantium ordinem præ cæteris inferioribus Clericis transferendis aſſentiri, quàm iis verbis aſſenſus eſt? potuitne certiùs inſinuare præter ordinem, Præſulatum quoque ſeu poteſtatem gubernationis ac iuriſdictionis ad hierarchiam requiri: defectu cuius, inferiores Diaconatu ordines, licèt veri ordines eſſent, hierarchici tamen non eſſent: putáſne eum qui miniſteria & functiones miniſtrorum Eccleſiæ hierarchica negauit ſecundum Dionyſij mentem, quòd iuriſdictionem connaturalem minimè obtinerent; Monachorum vt Monachi ſunt, etiam eorum quos Fratres laicos dicimus, etiam Monialium hierarchica putaſſet? reſpuiſſet ſanè nouam iſtam præſumptionem, quam ne quidem in vllius mentem venturam ſuſpicatus eſt.

Digitized by Google

Ignorauit ſenſum eiuſdem Tridentinæ Synodi Henricus Henriquez in Academia Salmaticenſi ſacræ Theologiæ Profeſſor de Sacramentis lib. 10. cap. 25. parag. 1. dum ait, *Hierarchia Eccleſiaſtica conſtituitur ex varijs membris, cum diſpari gradu dignitatis, & cum poteſtate clauium*, cui hierarchiæ Papam, Cardinales, Legatum à latere ac Nuntium Apoſtolicum, Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Vicarios Epiſcoporum & alios inſerit, & cap. ſeq. parag. 1. *In Eccleſiaſtica hierarchia ſunt varia membra, & vnum excellit alterum in gradu & poteſtate ordinis: quod verò eſt ordine æquale, aut inferius, interdum excellit gradu dignitatis Eccleſiaſticæ*, quam parag. 2. attendi docet reſpectu *iuriſdictionis in foro contentioſo*. Ex quo colliges mentem ipſius eſſe hierarchiam Eccleſiaſticam, & ordinis & iuriſdictionis complexione conſtare: ita ſcilicet, vt in membris iſtius hierarchiæ vnicæ inter ſe comparandis, tam huius, quàm illius habeatur ratio, & fieri poſſit, vt vno reſpectu vnum alteri præcellat, & ab alio alterius ratione vincatur.

Ignorauit Franciſcus Turrianus vir ex eadem Societate doctiſſimus notis ſuis in c. 44. lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum, vbi ex eo quòd Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi Dynaſtæ dicantur à ſancto Clemente, Nouatores noſtri temporis hæreticos, tanquam ordinis hierarchici turbatores refellit, quòd in eam alios, quàm eorum graduum viros intrudant. *Ergo*, inquit, *Apoſtolicam doctrinam negant, qui Clerum & Eccleſiaſticam hierarchiam, quæ ex Clero conſtat, non ſeparant à laicis, quin potiùs eam prorſus tollunt*: ergo ſecundum eius mentem hierarchia ſolùm ex Clero conſtat, nec niſi ex Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis, quos Dynaſtas appellat ſanctus Clemens; & qui ſecus ſentiunt, Apoſtolicam doctrinam euertunt: audis quàm ſeuerè doctrinam tuam Turrianus tuus perſtringat?

Nihil tandem de Concilio Tridentino audiiſſe tibi videbitur Magallianus ſacræ Scripturæ olim in Hiſpania Profeſſor, dum procemij in tres D. Pauli epiſtolas, ſcilicet vtramque ad Timotheum, & vnicam ad Titum ſect. 8. Eccleſiæ gubernationem, prout eſt in ſummo Pontifice rectè vocari dicit Monarchiam. *Si autem*, inquit, *ſpectetur, quatenus ab illo deriuata ad inferiores Prælatos funditur hierarchia, id eſt, ſacer Principatus, rectè appellatur*. tum ſect. 9. in qua tam ordinis quàm iuriſdictionis poteſtatem hierarchicam explicat, & vnam ab alia in hierarchiæ conſtitutione nequaquam diſtinctam eſſe oſtendit. Eorum prout in mentem mihi venerunt auctoritatem tibi obiicio, plurium fortè expreſſiora alia, ſi hæc ſoluere potueris (quod tibi difficillimum futurum eſſe ſcio) teſtimonia daturus,

Sed quid neceſſum eſt varia Auctorum teſtimonia colligere, quibus placuerit non ex vna poteſtate vel ordinis vel iuriſdictionis, multo minùs ex liberali in aliquos chariſmatum ſacrorum diffuſione hierarchiam conficere, aut ex vna ex iis dotibus perfectè aliquos hierarchicos & principanribus ordinibus inſertos dicere, ſed nonniſi ex complexione iſtorum omnium perfectæ hierarchiæ ſtatum conſtare? quid, inquam, hæc referre neceſſum eſt, cùm facilior ſit & expeditior aduerſarij conſtringendi ratio, ſi cogatur ipſe aliquem nominare, qui hierarchiam aut ordinis excluſâ iuriſdictione, aut iuriſdictionis excluſo ordine, aut (quod vel leuiter inſinuatum nunquam leget) hierarchiam chariſmatum aliquam ab ordine Eccleſiaſtico, & iuriſdictione ſeparatam apertè ſtatuerit. Si aliquem ex antiquis Auctoribus nominauerit, herbam porrigo: ſi ex recentioribus ante enatas iſtas controuerſias, temeritatis apud me ſe vtcunque excuſabit, quamuis auctoritatis parum exinde ſententiæ conciliaturus ſit. Si verò (quod indubiè ſpero futurum) nec ex antiquis nec ex recentioribus ante enatas iſtas controuerſias, qui ſecum in acceptione hierarchiæ, omninò conſenſerit, reperire poſſit, vllum proferre poſſit, nemo eſt, qui non videat vocis innouationem, doctrinæ innouationi tanquam neceſſariam excogitatam fuiſſe; doctrinæ verò nouitatem, vel hoc vnico præiudicio eſſe damnandam.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SECTIO II.

HIERARCHIÆ; HIERARCHARVM; actuum hierarchicorum multiplex acceptio traditur.

CAPVT I.

Regula ſtatuitur ſecundum quam variæ acceptiones hierarchiæ expendendæ ſunt, & ſecundum ipſam generaliſſima hierarchiæ acceptio in hierarchiam perſonarum & functionum diſcutitur.

QVONIAM noſtrûm non eſt nominum ſignificationes pro arbitrio inuertere; ſed ſicut nummos, eò quòd apud populum ſunt in pretio, expendere: ita & voces, eâ, quam habent communiter, ſignificatione proferre oportet. Ideò non abs re ſuperiori Sectione diſcuſſimus, quo in ſenſu herarehia ab initio ad noſtram vſque ætatem vſurpata fuerit, ne inuerſâ huius nominis ſignificatione, de doctrina parum conſtaret. Eâ verò acceptione ſtabilitâ, quàm varia iſtius nominis acceptio eſſe poſſit, quænam frequentior, quænam propriè dicta fuerit, non obſcurè quærentibus innoteſcet. Cellotium preſſis veſtigiis inſequi non eſt animus, quamuis reprehenſionis campum ampliſſimum præbeat: ſed veritatis illuſtrationem malo, quàm aduerſarij inſectationem: deinde adeò fusè hæc proſequitur lib. 1. 3. 4. 6. & 8. prioribus capitibus, vt immenſum opus excreſcere neceſſum foret, ſi lateri eius ſemper inhærere, & ſingulos eius lapſus notare, conuitia refellere, contradictiones obſeruare vellem. Breuiter rem totam explico, & quæ ſine negligentiæ nota & veritatis diſpendio, tum pro me, tum contra ipſum prætermittere non poſſum, hæc ſolùm referam.

Primùm igitur ſtatuo cum Cellotio lib. 1. cap. 2. hierarchiam vel ἀπὸ τῦ ἱερῦ, καὶ ἀρχῆς, vel ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἀρχῆς deriuari poſſe, vtramque deriuationem probo, vt & à priori *ſacer Principatus*, & à poſteriori *in rebus ſacris imperium* hierarchia dicatur. Fateor tamen hierarchiam, ſi ſola vocis ἐτυμολογία ſpectetur, poſſe etiam licèt minús communiter vel principium ſacrum vel ſacrorum principium dici: quod & confirmat Ambroſius lib. 2. de Abraham cap. 11. iis verbis, *Sacra enim dicitur* ἀρχὴ ἐμή, *hoc eſt, poteſtas mea, vel Principatus mei initium, vel regis, ſacra Græce dicitur* ἀρχόδσα, *Latine, quæ regat*: quibus verbis & Principatum & initium ſignifieari hoc nomine ἀρχὴ innuitur, ſed Principatum ſæpiùs hac voce indigetari, vt verò hierarchia ſumatur prò principio ſacrorum, non autem pro ſacro aut ſacrorum priucipatu, vſus nunquam probauit: nec cætera, quæ de hierarchia, hierarchis, hierarchicis actibus conſentaneè nomini hierarchiæ dicenda ſunt, huic ſignificationi tam aptè conueniunt. Potiſſima tamen eſt etymologia à ſacro Principatu deducta, ſicut enim Monarchia dicitur vnius Principium vel Principatus: ita & hierarchia ab omnibus paſſim auctoribus dici ſolet ſacer Principatus, non ſacrorum principium Et certè paſſim non ſolùm apud prophanos, verùm etiam Eccleſiaſticos Auctores, nomina compoſita ex iſta voce ἀρχὴ Principatum potiùs quàm principium ſignificant, ſic ἀρχιερεῖς Epiſcopi *ſacerdotum Principes* dicuntur à Patribus: ἀρχιεπίσκοποι *Epiſcoporum Principes*: & Archangelus à Chryſoſtomo homil. 3 aduerſus Anomæos dici aſſeritur, quòd Angelis imperet. Ex ea verò hierarchiæ deriuatione, varij eius, Hierarcharum, & hierarchicorum actuum ſignificatus ſumi debent, prout enim Principatus variè ſumetur, neceſſum erit & varios eſſe eorum

qui Principatus ſunt participes, & functionum ipſius Principatus acceptiones.

Hanc regulam non ſeruat Cellotius, nam quamtumuis hierarchiam omnem ſacrum Principatum, & in rebus ſacris imperium dici fateatur loco citato; tamen lib. 3. cap. 5. iis verbis negat, *Ambitioſum*, inquit, *principatus & imperij vocabulum, vt à diuina & Angelica, ſic ab Eccleſiaſtica hierarchia ſaltem in aliquibus partibus excludendũ diſputo*: vbi malè & ad depreſſionem dignitatis à Deo inſtitutæ ambitioſum nomen vocat, quod rem à Deo inſtitutam ſignificat, & Eccleſiæ vſu receptum eſt. Quâ ſimili humilitatis & modeſtiæ ſpecie vtuntur hæretici, dum ſummi Pontificis, Patriarcharum, Archiepiſcoporum nomina reſpuunt, dignitates iſtas abolent, & ordinem Eccleſiæ inuertunt.

Sed ne ſoli nomini infenſus videretur Cellotius, paſſim toto opere, etiam rem nomini ſubſtractam conuellere conatur, dum hierarchiam admittit, ſine Principatu, ſine Imperio, dum iis hierarchiam attribui debere contendit, qui ſine imperio fuerint, ſubditóſque, ad quos omnis Principatus refertur, nullos habuerint: dum vnam ſaltem ex hierarchiis, putà hierarchiam chariſmatum à cęteris diuerſam excogitat, omnis principatus & imperij expertem; hoccine eſt ſibi ipſi, vel veritati conſtare?

Ex prædicta verò regula, & hierachiæ, & hierarchicarum functionum, & Hierarcharum variæ acceptiones deſumuntur, quarum licèt aliquas admittat Cellotius, alias reſpuit, nullas commodè & conſentaneè principiis ſuis explicat.

Primò itaque conſtat ſicut Principatus poteſt ſumi vel pro collectione perſonarum tam principantium quàm ſubditorum: vel pro functionibus Principatus, gubernationis & imperij: ita Principatum ſacrum ſeu hierarchiam pro vtriſque ſumi poſſe, tam pro ordine agentium & patientium, quàm pro functionibus hierarchicis, purgatione, illuminatione & perfectione.

Hanc acceptionis diuerſitatem dum notamus in vindiciis lib. 4. cap. 1. & hierarchiam monemus pro perſonis ſumptum eſſe Principatum ſeu ordinem ad ſacra officia inſtitutum, ordinem ſcilicet, *in imperantium & parentium rectè diſpoſita collectione conſiſtentem: generaliùs verò acceptum eſſe ordinem ſacrum, ſeu ad æternam fœlicitatem inſtitutum, non agentium ſolum, verùm etiam patientium: nec agentium & patientium ſolummodò, verùm etiam actionum, quæ ad eum finem diſponuntur*. Quibus verbis non quidem accuratæ definitionis tradendæ, ſed multiplicis acceptionis hierarchiæ explicandæ, cogitatio nobis in mentem venerat. In eo tamen Cellotium lib. 3. cap. 5. reprehenſorem nacti ſumus, nobis obiicientem Logicæ ignorationem, 1. quòd definitionem cum diuiſione permiſcuerimus, 2. quòd ab Angelica & legali hierarchica hierarchiam non diſtinxerimus. 3. quòd etiam prędeſtinationi hæc definitio conueniat. 4. quòd etiam Religioſorum ordines ad vitam æternam ordinentur, ideóque ſinguli iſti ordines ſingulæ hierarchiæ dici poſſent, ſi definitio noſtra hierarchiæ admittenda eſſet. 5. quòd ordinis nouam explanationem tradiderimus, quandoquidem dici nequeat hierarchia eſſe actiones, aut ordo actionum? patietur Lector nos iſtas pueriles ſubtilitates obiter diſſoluere. Primam quidem, quia de definitione accurata nihil cogitauimus: nec cogitare debuimus, quippe cùm homonymorum terminorum, & analogorum accurata definitio nulla dari poſſit, ſed eorum prout ſunt communes homonymè vel analogicè ea ſit ratio, vt abſque ſubiectorum quibus conueniunt diſtributione ritè explicari non poſſint, verbi gratiâ, *canem*, vt eſt vox æquiuoca, explicare non potes niſi explicatione eorum, quæ eo nomine communi æquiuocè ſignificantur: *ſanum* ſimiliter, vt eſt terminus communis analogicè exponere ſi velis, oportet vt ad diſtributionem ſubiectorum, quæ ſana dicuntur, recurras, & dicas id ſanum vocari, quod vel habet vel efficit, vel ſignificat ſanitatem: idem in definitione hierarchiæ ſumptæ generaliter, tam pro functionum ſacrarum, quàm perſonarum ordine, contingere debet, vt explicari ipſa non poſſit, niſi & perſonarum, & functionum mentio fiat.

Alterum ſoluimus dicendo nec opus fuiſſe, vt ab Angelica hierarchia Eccleſiaſticam diſtingueremus, cùm enim varias acceptiones Eccleſiaſticæ hierarchiæ traderemus, quæ poterant etiam circa cæleſtem hierarchiam occurrere, quid opus erat in iis tradendis Eccleſiaſticam hierarchiam à cæleſti diſtinguere? nihilominus vtramque ſufficienter diſtinximus, tam ratione ſubiecti, quàm finis: ratione quidem ſubiecti; docueramus enim in Angelis vnicam eſſe ſocietatem, vnicum Principatum, putà ſacrum & ſpiritalem, quem hierarchiam cæleſtem vocamus: in hominibus verò eſſe duplicem ſocie-

Digitized by Google

tatem, duplicem Principatum: vnum Politicum, alterum Eccleſiaſticum, quem verum que ratione finis diſtinximus, ita vt politicus Principatus ad pacem ciuilem & temporalem, Eccleſiaſticus (qui ſolus hierarchia Eccleſiaſtica dici poteſt) ad finem æternæ vitæ ordinaretur: hoc dicentes Eccleſiaſticæ hierarchiæ & cæleſtis diſcrimen ratione ſubiectorum ſeu membrorum, ex quibus vtraque conſtare debeat, Lectori, qui intelligere maluerit quàm litigare, notum euidenter facimus, ratione quoque finis diſcrimen inter Angelicam & noſtram hierarchiam conſtituimus, dum ad æternæ beatitudinis conſtitutionem dicimus hierarchiã noſtram referri: ſtabit enim hierarchia noſtra donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, ad Epheſ. 4. Pſal. 109. Math. 22. Quo tempore impleturi ruinas & lacunas Angelorum lapſibus vacuas relictas ad cæleſtes hierarchias transferemur, erimúſque ſicut Angeli Dei. Cæleſtis autem Angelorum hierarchia nonniſi breuiſſimo tempore ad æternam beatitudinem obtinendam deſtinata fuit: perpetua verò perſtitura eſt, non ad fœlicitatis conſecutionem, ſed ad fœlicium ſpirituum ordinatam diſpoſitionẽ. A legali verò hierarchia, nec Eccleſiaſticam hierarchiam diſtinguere inſuper neceſſum erat, quia & ipſa legalis hierarchia dici poteſt Eccleſiaſtica, ſicut & ipſa Synagoga Eccleſia nonnunquã dicta eſt, Num 19. & 20 Deut. 25. Iud. 20. 1 Reg. 17. & alibi, & ab initio hierarchia humana quædam viguiſſe dici poteſt, cùm Eccleſia ab initio fuiſſe paſſim dicatur à Patribus, quamuis & addere poſſimus legalem quoque hierarchiam à noſtra, ratione finis diſtinctam fuiſſe, quòd ſcilicet nihil illa per ſe conferret ad conſecutionem beatitudinis, dicente Paulo ad Heb. 7. ad Rom. 4. ad Galat. 3. & alibi paſſim, *Nihil ad perfectum adducit lex, lex iram operatur, ſi data eſſet lex, quæ poſſet iuſtificare, vere ex ea eſſet iuſtitia*, & alia paſſim, quæ legi ſecundum ſe, & ſacerdotalibus ſacrificiis atque myſteriis, omniſque generis functionibus vim ſanctificandi denegant, cùm è contra hierarchicis noſtris functionibus tribuant. Lege ſi vacat Auguſtinum paſſim lib. 3. de ſpiritu & littera, lib. de gratia Chriſti, lib. ad Bonifacium cap. 4. lib. 4. ad eumdem cap. 5 lib. contra Adimantum cap. 18. lib. 10. de ciuit. cap. 11. lib. 2. contra aduerſarium legis & Prophetarum cap. 7. & alibi paſſim: ſed hæc non ſunt noſtri inſtituti.

Tertia obiectio ridicula eſt, nam eſto prędeſtinatio diuina ordo ſit in Deo ad æternam hominis fœlicitatem tendens; non is tamen ordo dici poteſt, qui ſit in hominibus, qui in agentium & patientium, vt explicuimus, parentium & imperantium ordinata diſpoſitione conſiſtat, qualem hierarchiam noſtram delineauimus.

Quarta ſimiliter ſoluitur, retorquendo argumentum in aduerſarium fortiùs, quàm in nos ipſe contorſit. Nam v. g. Guillelmi Pariſienſis definitionem 2 p. de vniuerſo p 2. cap. 141. *Quòd hierarchia ſit diuinus ordo, id eſt, diuinæ ordinationis: ſiue cœtus diuinitùs aggregatus atque ordinatus ad obſequia, ſeu officia creatori placita, vel ab eodem impoſita*; quam ſtatim adducit Cellotius & probat, hanc, inquam, definitionem quis non ſingulis Religioſis ordinibus conuenire debere colligat, cùm ipſe lib. 9. cap. 10 errorem Vviclephi eſſe putet, *Religionem quamlibet particularem, extra illam populare fundamento deſtitus legis Chriſti*: & ex teſtimonio Vvaldenſis, tandem concludat, *a Chriſto Ieſu & Deo priuatos religionum ordines fuiſſe inſtitutos*. Eoſdem verò ad obſequia ſeu officia Creatori placita, vel ab eodem impoſita inſtitutos eſſe negare nemo niſi impius poteſt, ſingulos tamen iſtos ordines ſingulas hierarchias eſſe, nequidem ipſe dixerit. Videat ergo vt quod mihi de definitione nihil cogitanti in definiendo vitium obiicit: à definitione, quam vt definitionem, & vt ſuam probat, reiiciat, & de Dionyſiaca definitione quam ſubdit ſecundum eius explicationem intellecta, idem moueri poſſet ſcrupulus, quem nobis obiicit: ſed nolo difficultatibus aduerſarium fatigare, ne deſperatione extricandi me alios intricare velle videar. Nodum itaque propoſitæ aduerſum me difficultatis ſoluo, ſatis ex tota ſerie orationis hierarchiã inſtitutam ad finem vitæ æternæ obtinendæ à me eo ſenſu dictam, vt ſine ea conſequi vitam æternam nemo poſſit, qui enim hierarchicarum functionum, inter quas purgatio per doctrinam Chriſti receptam, & illuminatio per baptiſmum recenſentur, particeps non fuerit, quomodo ſaluus ille eſſe poterit? De Religioſis autem ordinibus nihil ſimile dici poteſt; mitto quòd non agentium & patientium ordines complectitur quæuis factitia religio, eo modo quo agentia, & patientia dicimus hierarchizantia, & hierarchizata; proindéque nec eo ipſo titulo cum noſtra, ſi definitionem eam eſſe voluerint, hierarchiæ definitione conſentire.

Denique

Denique quod nobis improperat hierarchiam à nobis dictam ſacras functiones hierarchicas vel earum ordinem, non eſt quòd curemus, quandoquidem vadem habeamus huius locutionis Dionyſium ita loquentem cap. 1. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, ἔστι μὲν ἱεραρχία πᾶσα κατὰ τὸ σεπτὸν τῆς ἡμῶν παραδόσεως ὁ πᾶς τῶν ὑποκειμένων ἱερῶν λόγος, καὶ γενικωτάτη τῶν τῆς δεῖνος ἱεραρχίας, ἢ τῆς δεῖνος ἱερῶν συγκεφαλαίωσις, *Eſt quidem hierarchia omnis, vt auguſta ſacráque tradit religio, omnis ratio ſacrorum quæ ſubiecta ſunt, vniuerſáque ſacrorum huius vel illius hierarchiæ ſumma.* Et clariùs paulò pòſt, ἱεραρχίαν ὁ φήσας, ἁπάντων ὁμοῦ συλλήβδην ἔφη τῶν ἱερῶν διακόσμησιν, *Qui hierarchiam dixit, omnium ſimul ſacrorum ordinum diſpoſitionem dixit.* Perpendat iſta Cellotius, notétque non poſſe reprehendi, quòd dixerim ſumi hierarchiam pro ſacrarum functionum ordine, quin etiam reprehendat Dionyſium, qui dixit omnem ſacrarum functionum rationem hierarchiam eſſe, eúmque qui hierarchiam nominat, omnium ſimul ſacrorum diſpoſitionem nominare; nec malè etiam acceptionem prædictam hierarchiæ, ipſe ex Dionyſio collegeram, quòd ternionem hierarchicæ diuiſionis in ſacras functiones, diuinos Myſtas, & eos, qui pro ſuo captu euehuntur, tradidiſſet cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ; ideóque videat Cellotius, ne dum me incautus petit, in Dionyſium temerarius irruat, eúmque per meum latus feriat: fauet etiam Principatus ſignificatio, ad quam hierarchiæ noſtræ ſeu ſacri Principatus ſignificationes omnes accommodatè tradi debent: nam Principatum dici poſſe, etiam functionum Principis & officiorum complexionem, iudicia ſcilicet, legum lationes, belli adminiſtrationem quis neſcit? Quis enim non dictum iſtud probauerit, Principatum optimum eſſe, eorum omnium legitimum vſum, & rectam diſpoſitionem? ſimiliter ergo ſacrum Principatum ſeu hierarchiam, ordinem ſacrarum functionum conuenientem dici poſſe, quis iure reprehendat?

CAPVT II.

Generalis alia acceptio hierarchiæ perſonarum tam pro initiantibus quàm pro initiandis examinatur.

EXPLICATA præcedenti acceptione hierarchiæ, quæ omnium ampliſſima eſt, & latiſſima, ſequitur alia anguſtior quidem, ſed tamen maximè generalis, ſecundum quam ſcilicet hierarchia perſonarum ſumitur tam pro ordinibus hierarchizantium ſuperiorum & agentium, qui ſacri Myſtæ vocantur, & initiatores ſunt cæterorum, purgatores ſcilicet, illuminatores, perfectores: quàm pro ordinibus inferiorum ſubditorum hierarchizandorum, initiandorum, id eſt, purgandorum, illuminandorum & perficiendorum: pro vtriſque ſumi poſſe hierarchiam docuimus, iuxta regulam iam ſtatutam, tot ſcilicet modis ſumi poſſe hierarchiam, quot modis ſumitur Principatus, quam regulam ſecutus S. Thomas 1. p. q. 108. art. 1. in corpore, *ex eo quòd hierarchia ſit ſacer Principatus, in nomine autem Principatus duo intelliguntur, ſcilicet ipſe Princeps, & multitudo ordinata ſub Principe*: colligit hierarchiam Angelicam & humanam vnam eſſe habitâ ratione vnius omnium Principis Dei; diuerſas autem eſſe ratione diuerſorum modorum, quibus diuinas illuminationes percipiunt, eandem etiam nos ſequuti, quia legimus nonnunquam & Principatum regnúmque politicum tam pro ordinibus ſuperiorum, qui Eccleſiaſtico regimini admouentur, quàm pro eorum, qui reguntur ſolùm & gubernantur, accipi. Ideò hierarchiam faſſi fuimus tam pro principantium ſeu Myſtarum ſacrorum, quàm pro ſubditorum & initiandorum ordinibus ſumi poſſe; quia licèt illi principandi vim non habeant, ſine ipſis tamen Principatus ratio non ſubſiſtit, ſecundum illud quod habet Auctor Operis imperfecti in Mathæum inter opera Chryſoſtomi, qui ideò Chryſoſtomi nomine citari ſolet, *Fundamentum in ædificatione dignius eſt, non vtilius, ſic & caput dignius eſt quàm membra, tamen nec membra ſine capite, nec caput ſine membris eſſe poteſt. Sic digniores ſunt Sacerdotes, quàm populus, non tamen*

vtiliores, quia nec populus ſine Sacerdotibus, nec Sacerdotes ſine populis eſſe poſſunt: cui conſentit Ambroſius lib. 3. de officiis cap. 3. *Quinetiam ea, quæ videntur infirmiora membra eſſe, multo magis neceſſaria ſunt, & maiorem plerumque tuendi ſe requirunt ſollicitudinem.* Quas auctoritates ex eo confirmare poteris, quod prædictus auctor operis imperfecti in Math. cap. 21. homiliâ 40. notat priores eſſe populos, quàm ſacerdotes, ſeu Eccleſiæ Principes. *Prior enim populus creatus eſt, deinde Sacerdotes, qui regunt populum.* Hæc enim ſicut & alia huiuſmodi populorum, qui regantur, neceſſitatem demonſtrant: proindéque non abs re, ob iſtam populorum ad Principatum neceſſitatem, Principatus quoque nomine ipſos concludi.

Eam itaque nos, dum plebi locum in hierarchia dedimus, eam quicunque alij ex antiquis, aut in vindiciis cenſuræ, aut hoc opere à nobis prolati, qui aliquem locum in hierarchia aſſignare viſi ſunt, eam, inquam, ſolummodo neceſſitatem populorum, ad principatum ſpectauimus: cuius rationem habuit præ cæteris S. Dionyſius cap. 3. de cæleſti hierarchia ſcribens, *Hierarchiæ ordinem hoc poſtulare, vt alij purgentur, alij purgent: alij illuminentur doctrinæ luce, alij illuſtrent: alij perficiantur, alij perficiant.* Non ſufficit autem iſta neceſſitas, vt fideles populi, ſeu qui initiandorum gradum excedunt, & nondum ad initiatorum dignitatem accedunt, propriè in hierarchia locum habere dici debeant, quòd aduerſus Cellotium iam probandum eſt, qui lib. 1. cap. 13. & 14. nec non lib. 3. cap. 12. aduerſum me excandeſcit, quòd initiandos nonniſi impropriè in hierarchia eſſe cenſuerim, malignéque obiicit me, qui benè de hierarchia, & *Eccleſia philoſophari inceperim, cùm oculos retorſiſſem in regulares, quibus eo dicto gratificari videbar, in veritate non ſteterim.*

In qua accuſatione conuitiandi ſtudium in aduerſario deprehenditur, qui, quod dixi generatim de omnibus hominibus laicis initiandis, & ſpeciatim de Angelis inferioris hierarchiæ & ordinis, impropriè tantùm hos in cæleſti, illos in Eccleſiaſtica hierarchia eſſe, id quaſi in odium Regularium, & retortis in Regulares oculis à me dictum fuerit inuidioſè criminatur: cùm tamen neceſſarium mihi Facultatis Pariſienſis cenſuram defendenti fuerit impropriè tantùm illis omnibus locum in hierarchia concedere, quippe cùm ad primam propoſitionem Nicolai Smithæi Facultas Theologica Pariſienſis ſtatuerit propriam acceptionem hierarchiæ eſſe, quæ ad vim actiuam importat, impropriam, quæ paſſiuam infert toti multitudini initiandorum, ſeu participantium res ſacras communem.

Itaque cùm loquendi modum mihi mater mea Facultas Theologiæ præſcripſiſſet, pietatis ac reuerentiæ in matrem, non odio in Regulares, quòd ita vt ab ea didiceram, locutus fuiſſem, adſcribere debuerat aduerſarius. Importunus autem commonitor videri poteſt, dum non impropriè, ſed minùs perfectè laicos in hierarchia collocandos me dicere debuiſſe ſuggeſſit; quaſi verò ad habendum in hierarchia locum, conditiones aliquæ requirantur, quarum partem habeant initiandi, partem non habeant, & ideò imperfectè in hierarchia eſſe dicendi ſint, eo ſcilicet modo, quo quia vera hierarchia, & ordinem & iuriſdictionem complectitur; qui Epiſcopus electus eſt nondum ordinatus, imperfectè in hierarchia à nobis eſſe dicitur: quia conditionem vnam habet, ob quam hierarchiæ adcenſeatur, alteram non habet; cùm è contra nihil eorum, qui ad Principatum ſeu hierarchiam requiruntur, laici ſeu initiandi habeant: ſed ſolùm in hierarchia eſſe dicantur, quatenus correlata ſunt eorum quæ ad propriè dictum ſacrum Principatum habent, & ſubiecta ſunt, circa quæ functiones ſacræ, & imperia ſuperiorum ordinum exercentur. Quæ ſanè habitudo nonniſi impropriè Principatus nomen alicui tribuere poteſt, eo modo, quo cùm ſanum propriè dicitur quod habet ſanitatem, ſequitur cætera ea quæ dicuntur ſana duntaxat per habitudinem quam habent ad præcipuum iſtud analogatum, putà quæ vel ſignificant vel efficiunt ſanitatem, nonniſi impropriè ſana nominari.

Quod autem nihil habeant populares homines & laici, ſeu quiuis initiandi quo hierarchiam conſtituant, patet, quia ex prædictis ſupra, quæ inferiùs confirmabuntur, conſtat propriè dictæ hierarchiæ conditiones eſſe ordinem, iuriſdictionem, & obligationem habendi chariſmata in aliorum ſanctificationē tranſmittenda: atqui laici ſeu initiandi nullam earum conditionem habent, non ordinem ſacrum, licèt enim omnes Chriſti ſanguine

tincti ſint in Baptiſmo, à quo etiam habent, vt gens ſancta, Regale ſacerdotium dicantur: at non is ordo hierarchiæ ſufficit ex Dionyſio, & eius interpretibus ſuperiùs citatis, ſed is qui illuſtrationis myſterium ex officio peragat, & cæteros ad Deum adducat, qualis non eſt ordo ſacrorum fidelium, qui ex officio nihil eorum agunt, nec alios ſacris initiant, nec ſacrorum ſunt præceptores, quos proinde malè Cellotius in ordine hierarchico lib. 3. cap. 11. & 12. conſtitutos, & ad ſacra peragenda ordinatos cenſet. Non etiam laicis conuenit iuriſdictio Eccleſiaſtica, vt fatentur omnes, neque etiam competit iiſdem obligatio habendi chariſmata in aliorum vtilitatem, licet enim *Spiritus vbi vult ſpiret*, vt habetur Ioannis 3. licet ſuper omnem carnem effuſio nonnunquam Spiritus Dei contingere poſſit Ioelis ſecundo, & Actorum ſecundo: attamen eorum ſolùm ſtatui, qui ad aliorum gubernationem ordinati ſunt, chariſmatum iſtorum obligatio imminet & vſus neceſſarius: igitur nihil eorum, quæ ad hierarchiam requiruntur populares homines ſeu initiandi, habere debent, proindéque ne imperfectè quidem hierarchiæ propriè dictæ adcenſeri debent. Ex quo amplior confirmatio noſtræ ſententiæ deſumitur, neque enim vlla forma propriè dicitur, niſi ſubiecti cui ineſt, verbi gratiâ, albedo propriè tantùm eſt parietis albi, non eius quæ circa ipſum verſatur potentiæ: neque enim, verbi gratiâ, dicitur ens, forma, vel accidens viſus; ſed ens, forma, perfectio & accidens parietis, nec niſi viſus obiectum dici poteſt. Atqui hierarchia ſeu Principatus ſacer concipitur tanquam forma quædam ſeu formarum complexio, putà tanquam ordo Eccleſiaſticus, iuriſdictio, ſcientia, quorum neutrum ineſt initiandis, ſed initiantibus ordinibus, quibus Principatus auctoritas, & ratio, putà ordo, iuriſdictio, ſcientia inſunt. Subditis autem ſolùm Principatus conuenire poteſt, in quantum ſubditi obiectum ſunt Principatus, circa quos ſcilicet imperium, ordinis & iuriſdictionis virtus, ſcientiáque ipſa ordinum principantium exercetur. Igitur propriè hierarchia non dicitur eſſe ordinum initiandorum, ſed tantùm initiantium.

Addo argumentum ad hominem, nam ſi laici, & initiandi ſunt in hierarchia propriè dicta, debent eſſe in aliquo eius ordine & ſpecie, quemadmodum quidquid eſt in aliquo genere, in aliqua pariter eius generis ſpecie eſſe debet: atqui laici iuxta diuiſionem Cellotianam, in nulla ſunt ſpecie, in nullo ordine hierarchiæ: nam in hierarchia chariſmatum, ſolos charitatis profeſſores, Theologiæ, & Canonum Doctores enumerat; eos verò, qui in iis erudiantur præterit: in hierarchia ordinis ſolos Epiſcops, Preſbyteros & miniſtros: in hierarchia iuriſdictionis, Papam, Epiſcopos, Archidiaconos, Parochos, non qui iis ſubditi ſunt: igitur nonniſi impropriè ex eius ſententia ſubditi & initiandi, in hierarchia ſunt collocandi. Abſurda verò eſt reſponſio Cellotij lib. 3. cap. 15. agentis & patientis vnam eſſe rationem, vnam contemplationem, ac proinde ſe nomine Theologiæ canonum & charitatis Doctorum diſcipulos complexum fuiſſe; nomine Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum, ab iis initiandos: nomine Papæ, Epiſcoporum, Archidiaconorum & Parochorum etiam ſubditos: ſed hæc ſpeculatio omnia confundit, Deum creantem eiuſdem ordinis cum creaturis conſtituit; in Republica temporali ſubditum eum Principe Magiſtratus cum popularibus viris eiuſdem ordinis ſtatuit: in Eccleſia ſacerdotum & laicorum eundem ordinem facit, non diuerſos. Quæ omnia communi omnium ſenſui ac pietati repugnant.

Noua & inaudita eſt eadem fictio, contra Dionyſium cap. 5 & 6. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, Maximum in cap. 6. eiuſdem diuerſos initiantium, ſeu Præceptorum ſacræ diſciplinæ, & initiandorum ſeu diſcipulorum ordines apertè conſtituentes, quos & Hugo & Bonauentura, & alij ſuperiùs citati ſequuntur.

Quò ſi nihil velit Cellotius iſtâ reſponſione, quàm reduci patientia ad agentia, ſibi ipſi contradicit, qui aduerſum nos cap. 13. lib. 1. indirectè & reductiuè ea in hierarchia collocari non poſſe, probare conatus eſt: cùm tamen eâ explicatione poſitâ, non niſi reductiuè patientia quatenus nempe ad agentia referuntur, in hierarchia dici poſſent. Iis ſe laqueis implicant, qui veritatem, qui antiquitatem deſerunt.

Neque verò par eſt ratio Eccleſiæ & hierarchiæ: nam Eccleſia propriè Paſtoribus omnibus, & initiantibus & initiandis conuenit. Nam licèt illi digniùs officium, hi vilius in Ec-

cleſia gerant, omnes tamen eandem fidei profeſſionem, eandem æternæ fœlicitatis ſpem, eiuſdem Dei amorem, eandem ſanctificationem, eadem ſacramenta recipienda, idem corpus conflandum vocantur: in quibus omnibus Eccleſiæ ratio conſiſtit. Sed Principatus ſacer, nonniſi paſtoribus, rectoribus, & hierarchicarum functionum exercendarum vim habentibus propriè conuenit, quibus ſolis hierarchicæ dotes conueniant.

Vnde patet nec hierarchiam formaliter idem eſſe, quod Eccleſiam Catholicam: ideóque quibus propriè conuenit eſſe in Eccleſia, non ſequi iiſdem propriè conuenire debere eſſe in hierarchia, nec eſſe materialiter & identicè: nam hierarchiæ propriè dictæ longè anguſtiores ſunt limites, quàm Eccleſiæ, quippe cùm populi fideles appellatione Eccleſiæ contineantur, qui ab hierarchiæ propriè dictæ finibus arcentur; hierarchiæ verò latiùs ſumptæ amplior paulò ſit ambitus, quàm Eccleſiæ, à qua ſcilicet Catechumeni ſaltem excludantur, nondum per Baptiſmum Eccleſiam ingreſſi; quamuis hierarchiæ huiuſmodi vaſtitate comprehendantur, purgandi ſcilicet ab Eccleſiæ Miniſtris, & Chriſtianæ fidei myſteriis imbuendi: & ideò eadem ratione Principatus ſacri participes, quâ & Energumeni, & pœnitentes, eodémque hierarchicæ diuiſionis ternario numero ex æquo cum poſterioribus iſtis à Dionyſio cap. 3. & 6. Eccleſ. hierarch. part. 1. & à Maximo cap 5. Dionyſij, Pachymere, & aliis paſſim comprehenſos; quos ſi ab hierarchia initiandorum elimines cum Cellotio cap 13. lib 3. defectu ſacri ſignaculi, quo ab infidelibus diſcernantur, iam mutilus erit ternarius numerus Ordinum initiandorum ab iſtis Patribus traditus, Miniſtrorum ordini in hierarchia initiantium, & purgationi in hierarchia initiatorum reſpondens, & ita tota analogia illorum ordinum euertetur, ac ſancti Dionyſij accepta ab Apoſtolo doctrina conuelletur: in quam abſurditatem coniicit ſe Cellotius, dum Eccleſiæ Catholicæ, & Eccleſiaſticæ hierarchiæ eoſdem omninò limites tueri pertinaciter contendit, nullâ firmâ ratione ductus: nam quòd Catechumeni ſignaculum Chriſtianæ profeſſionis nondum habeant, probat quidem eos ad Eccleſiæ corpus nondum ſacramento ſpectare, ſed non oſtendit ad ſacrum Eccleſiæ Principatum, nondum ſubiectione ſuâ pertinere: ſignaculum certè non habent, & ideò exercentur ab Eccleſiæ Principibus, vt habeant; & ita ſpectant ad Eccleſiæ Principatum eo modo, quo qui in religione exercentur, quamuis nondum profeſſionis ſacramento addicti; religioſæ tamen profeſſionis deſiderio, nondum ad corpus Religionis aggregati iam ipſius gubernationi ſubditi cenſentur. In quo proinde, & eorum, & Gentilium, & hæreticorum diſpar eſt ratio non ſatis ab Aduerſario animaduerſa; quia hi nullam Eccleſiæ ſubiectionem Catechumenorum more profitentes, non pari inter initiandos ordine, cum iis ſunt collocandi.

Pro hac tamen acceptione Auctorum plurima teſtimonia nominat Cellotius cap. 12. lib. 3. Nominat, inquam, ſed ad pompam ſolùm & oſtentationem, non ad robur & probationem. Citat Origenem homiliâ vigeſimâ primâ in Numeros, qui ne verbulum quidem quod ad iſtam vocum confuſionem trahi poſſit, homiliâ iſtâ proloquitur. Citat Vualdenſem lib. 3. doctrinalis fidei, art. 1. cap. 37. qui Eccleſiæ quidem militantis diſpoſitionem ad modum cæleſtis hierarchiæ refert, *Vt ſcilicet quanto eſt altior gradus beatitudinis, tanto pauciores in illo gradu locentur.* Sed non video hæc ad confuſionem nominum Eccleſiæ & hierarchiæ ſtabiliendam quomodo trahi poſſunt: hæc argumentandi ratio ſi valeret, fateor Origenem & plures alios Patres adſtipulatores ipſum habiturum; nam Origenes lib. 4. contra Celſum ante medium, ordinibus quibuſdam recenſitis, *Videmus*, inquit, *nos illos longo interuallo proximos, ſperantes interim per bonam vitam doctrinæ reſpondentem euaſuros nos ad eorum ſimilitudinem.* Similia dicunt alij Patres; ſed quid iſta ad Andromachum? Citat Dionyſium & Bonauenturam non meliori fide, qui nempe iſtam hominum in virtute proficientium cum Angelis comparationem admittunt, quam non reuocamus in dubium. Citat tandem S. Paulum & Michaelem Syngelum, quòd hic in vita S. Dionyſij ſcribat S. Dionyſium ſpeculatum fuiſſe τὰς τρεῖς τῶν ὑπερκοσμίων λαμπροτάτων ταγμάτων ἐκκλησίας, id eſt, vt tu explicas, *tres clariſſimorum, cæleſtium ordinum Eccleſias*, ille verò nominans ad Heb. 12. *Eccleſiam primitiuorum qui conſcripti ſunt in cælis, idem ſignificare videatur*, id eſt, ni fallor, Eccleſiam pro hierarchia cæleſti ſimiliter ſumat: ac proinde vterque Eccleſiæ & hierarchiæ nomen pro eodem habeat, ſed monere te debuerat Lauſſellius ſocius tuus, Eccleſiam apud

Digitized by Google

Syngelium ſumi, non pro Eccleſia Catholica, ſed pro quolibet cœtu; ſic enim ipſe Eccleſiam vertit, quo ſcilicet pacto, etiam *Eccleſiam malignantiũ*, cœtum peruerſorum legimus dictum, Pſalm. 25. quem tu malè vertes hierarchiam malignantium: & 1. Cor. 16. *domeſticam hierarchiam*, quæ tu, vt opinor, *domeſticam Eccleſiam* non interpretaberis. Quam ſolutionem ſi animaduertiſſes, Paulum quoque tibi eâdem eripi poſſe vidiſſes: Sed non placet illa pro teſtimonio Pauli, quod vtique ſi intellexiſſes, nunquam protuliſſes. *Nam per Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cælis*; Theodoretus prædeſtinatos, Theophylactus, & Oecumenius pari ſenſu fideles, quorum nomina ſcripta ſunt in cælis; S Thomas & alij recentiores SS. Apoſtolos & alios, qui tempore reuelatæ gratiæ primi crediderunt, & dignitate cæteris eminentiores fuerunt: & vt alias explicationes omittam, omnes ferè de cœtu fidelium in terris degentium, ſed nomina habentium ſcripta in cælis, interpretantur, quem cœtum inuiſibilem, nobiſque ignotum, ſi cum Eccleſia Catholica, vel cum hierarchia Eccleſiaſtica viſibili confundas, non video quomodo à Vviclefiſtis, Huſſitis, Lutheranis & Caluiniſtis ea in parte diſſideas. Et hęc ſunt teſtimonia auctorum, quæ ad eluendam nouitatis ſuſpicionem aduerſus Aurelium comparaueras.

Alibi quoque, putà cap. 12. eiuſdem libri rationum nubem minaris, quibus laicos in hierarchia propriè dicta collocandos conficias: ſed hæc in ventos abit, & facili negotio diſflatur; nam quòd ais omnem ordinem neceſſariò tribus contineri, non eſt ad propoſitum, & contra te militat, qui ſine ſubiectionis & obedientiæ nexibus hierarchias fingis. Quod addis agere & pati hierarchicum eſſe, ita demùm verum eſt, vt pati diſpoſitiuè hierarchicum dici poſſit: ſola actio completiuè hierarchia cenſeri debeat: quia nempe ſecundum Dionyſium diuinæ tradiationes priùs recipi debent à ſuperioribus, quàm ad inferiores ordines tranſmittantur. Sed exinde non ſequitur eos, qui inferiores non habent, nec ex officio aliis purgandis, perficiendis, illuminandis dant operam, eos, inquam, in hierarchia propriè dicta eſſe collocandos, ſimiliter & interpretor, quod aliqui gradus hierarchici non per id quod inferioribus cõmunicant, ſed per id, quod recipiuntur, ſed à modo recipiendi ipſis proprio denominentur: id enim licèt fundamentaliter & diſpoſitiuè verum ſit, at non completiuè, verum erit, vbi de propriè dicta hierarchia ſermo fuerit. Deinde quod ſubdis, agere etiam quà patiuntur, ita verum puto, vt tamen nullam actionem cum paſſione coniunctam, niſi quæ ad alios ex officio referatur, hierarchiam dicendam velim, vt infrà fuſiùs exponetur. Denique Principatum in omnibus hierarchiæ gradibus non reperiri, de hierarchia propriè dicta: iam falſum eſſe ex prædictis colligi poteſt, ſed infrà fuſiùs demonſtrabitur.

Cæterùm antequàm manum à tabella remoueam, ne quid deſit, quod ad iſtarum ambiguarum vocum intellectum neceſſarium videatur; obſeruandum puto, pro varia iſta acceptione vocis *Principatus*, modò Principatum ſacrum ſeu hierarchiam *in* hominibus dici, modò homines *in*, *&* *de* Principatu ſacro, ſeu hierarchia eſſe, modò *ſub* ſacro Principatu ſeu ſub hierarchia affirmari: vt enim pro virtute regendi & gubernandi, & regimine & gubernatione ſumitur hierarchia, eſt ipſa in paſtoribus, non Paſtores in ipſa, vt pro collectione rectorum ſumitur, ſub ipſa ſunt oues, ſeu laici, & ſubditi quiuis, & in ipſa ſoli ſunt Paſtores & rectores: vt tandem pro collectione tam Paſtorum, quàm ouium, tam initiantium quàm initiandorum vſurpatur, in ipſa ſunt tam initiatores, & ſacrorum perfectores, ſeu ſacri Myſtæ ac Paſtores, quàm initiandi, diſcipuli & oues. & tanquam partes integrantes totius iſtius multitudinis numerantur. Sed quia nonniſi impropriè ad ſignificandam ſubditorum & initiandorum multitudinem, Principatus ſacri, & hierarchiæ nomen, vt oſtendimus, ampliatur; propriè verò partes integrantes ſunt in ſuo toto: ideò noluimus dicere impropriè, dici laicos & initiandos eſſe in hierarchia, ſed eos eſſe in hierarchia impropriè dicta. Vnde nec Aurelius à nobis in re diſſentit, nec nos ab Aurelio, & vtrique principiis iſtis certiſſimis muniti, Cellotij imbellia & ſine ictu tela ridemus.

CAPVT III.

Hierarcharum multiplex acceptio explicatur.

HIERARCHÆ ſecundum ſtatutam à nobis regulam, dicuntur, quicunque Principatu potiuntur: ideò Hierarcharum duplicem acceptionem obſeruat ſanctus Maximus ſtatim in limine Scholiorum ſuorum in librum De cæleſti hierarchia (quem locum ſuperiori capite protulimus) vt ſcilicet & pro Principe Sacerdotum vox iſta *Hierarcha* ſumatur, & pro Principe Sacrorum, qui curam habeat, diſpoſitionem & prouidentiam, quamuis Sacerdotum curam non habeat: ſecundum quam diſtinctionem patet Epiſcopum ſingulariter *Hierarcham* dici poſſe, quod & Sacerdotum ſit Princeps, & in eum hierarchia tendat, ad eúmque omnis actio hierarchica vltimò terminetur; eo modo ordo Seraphim ab eodem de cæleſti hierarchia cap. 13. ἱεράρχης καὶ μετὰ θεὸν ἡγεμὼν *Sacrorum Princeps, & poſt Deum dux atque gubernator* dicitur, quia ad eum quiuis Angelus expiandi ſuam ſcientiam & vim, quam Deo, vt auctori tribueret, quaſi in primum Hierarcham referre debet. Eóque ſenſu Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 8. cap. 45. ita tres illos ordines Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum diſtinguunt, τοῖς μὲν ἐπισκόποις τὰ τῆς ἀρχιερωσύνης ἐνείμαμεν. τοῖς δὲ πρεσβυτέροις τὰ τῆς ἱερωσύνης, τοῖς δὲ διακόνοις τὰ τῆς πρὸς ἀμφοτέρους διακονίας· *Epiſcopis quidem aſſignauimus quæ ad Principatum Sacerdotum pertinent: Presbyteris vero quæ ad ſacerdotium, Diaconis verò quæ ad miniſterium vtriuſque.* Quibus ſimilia docet Cyrillus Alexandrinus lib. de adorat. in ſpiritu & veritate.

Nihilominùs alio ſenſu Presbyteros & Diaconos dici poſſe *Hierarchas* docet S. Maximus loco à nobis citato, non quòd ſacerdotum ſunt Principes ſeu ἀρχιερεῖς, ſeu quòd τῶν ἱερῶν ἀρχὴν, καὶ προνοίαν, καὶ φρόντισμα, *Principatum, prouidentiam, & curam habeant.* Quibus ſcilicet, non omnium ſacrorum, ſed certi generis cura commiſſa eſt, vt Presbytero Curato eorum, quæ ad purgationem præſertim, & illuminationem pertinent, & Diacono, cui purgationis ſollicitudo propria eſſe poteſt, vt ex officio in eo munere omnium mediorum prouidentiam habeat, vt initiandorum præcipuam curam gerat; & iſtius officij ſummam quodammodo complectatur. In quo haud dubiè ſenſu Archidiaconus à ſancto Maximo in caput primum de Eccleſiaſtica hierarchia, Diaconorum hierarchiæ hierarchia, ſeu Hierarcha dicitur, ὃς ὀφείλει γινώσκειν τὰς λειτουργικὰς ἐνεργείας· *Qui ſcilicet*, inquit, *debet cognoſcere Miniſtrorum omnium officia.* Quin etiam Presbyteri peculiari præ Diaconis iure Hierarchæ dici poſſunt, quia ſacris præſident, quibus Diaconi ſolùm miniſtrant: præſident, inquam, ſacris, quæ & celebrant & conficiunt: eóque ſenſu ἀρχιερεῖς dicuntur à ſancto Ignatio epiſt. 9 ad Philadelphenſes, iiſque Diaconi iſto titulo obedire iubentur.

Propriè ergo etiam inferiores Epiſcopo, ſacrorum Principes dicuntur, tum quòd ſacrorum certi generis curam & prouidentiam habere poſſint; tum quòd ordinariæ poteſtatis in aliquos initiandos capaces ſint, & alios habere queant, quos ex officio tanquam ſubditos hierarchicis functionibus excolant, tum quòd certi ordinis duces eſſe poſſint: ſicut enim in antiqua lege infra ſummum Pontificem erant etiam aliqui tribus Leui Proceres, ſicut & cæterarum tribuum, qui *Principes* vocabantur, Num. 5. & Deuter. 7. ſimiliter ſacri Principes dici poſſunt, qui cuiuſuis ordinis primarij ſunt rectores, vt Archipresbyteri & Archidiaconi.

Ex quibus colligitur Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum ordines, Hierarcharum etiam ordines dici poſſe; ex iis verò ordinibus eos, qui ordinariam iuriſdictionem habent, & Hierarchas, & duces potiori ratione poſſe nuncupari: non enim v. g. magis abſurdum videri poteſt, vt Diaconus aliquis dicatur Archidiaconus, quàm Hierarcha Diaconorum, vtrumque nomen Principatum ſonat: hoc quidem ſacri miniſterij, quod λειτουργικὴν ἱεραρχίαν Patres vocant: illud Diaconorum ordinis: ac proinde maius etiam aliquid & auguſtius ſonat: nec abnuit Dionyſius, qui cap. 1. Eccleſiaſticæ

hierarchiæ, non ſolùm ſuperioris ordinis viris, verùm etiam inferioris, cuius ſecundum ipſum inter ſacros Myſtas ſunt Diaconi, dignitatem quandam Principatus, Ducatum, & imperij vim in alios ſubditos agnoſcit, quorum videlicet officium ait, *ἢ προϊέναι καὶ ὡς δυνατοὶ ἑτέροις ἡγεῖσθαι, & proficere, & aliis pro captu imperare, ſeu duces ſe præbere.*

Quæ omnia ſi vel nouiſſet vel attendiſſet Cellotius, nequaquam lib 1. cap 2. & me & Bellarminum tanquam grauioris erroris accuſaret, quòd Hierarcharum & Principum, populique Ducum Presbyteris & Diaconis nomina tribuerimus, quos, inquit, titulos ſi miniſtris traditos volumus, nihil Epiſcopis ſe videre dixit peculiare reſeruari; cùm tamen aduertere potuiſſet, etiamſi ſacrorum certi generis Principatum Presbyteris aut Diaconis aſſignemus, ſupereſſe adhuc ampliſſimum omnium ſacrorum Principatum, ſupereſſe in totius ordinis ſacerdotalis viros imperium, quod Epiſcopis reſeruetur.

Sed, inquit, *quis vnquam Presbyteros Principes, quis Diaconos Patres in Conciliis & Patribus legit appellatos?* Quæris quis legerit? omnes qui vel tantiſper in eorum lectione verſati ſunt, ſaltem ſi de Presbyteris ſermo ſit; ſed Diaconos non placet à Presbyteris diſiungere, quos Patres & Principantes dici poſſe pertinaciùs ille negat.

Nos verò Patrum teſtimoniis euidenter id conuincimus, primò enim Clemens in Conſtitutiones Apoſtolicas lib. 8 citato cap 45. Presbyteri & Diaconi, *Poſt Deum omnipotentem & Filium eius dilectum, δυνάσται τῆς ἐκκλησίας* id eſt, *Eccleſiæ poteſtates, dominatores, præfecti, Magiſtratus* (hæc enim eſt huius nominis ſignificatio) *nuncupantur.* In iiſdem Apoſtolicis Conſtitutionibus præcipitur, lib. 7 cap. 32. vt eoſdem honorent & reuereantur, *ὡς πατέρας, ὡς κυρίους, ὡς εὐεργέτας, ὡς τοῦ εὖ εἶναι αἰτίους, tanquam Patres, tanquam Dominos, tanquam beneficos, tanquam boni ſtatus auctores.*

Tertullianus lib. de fuga in perſecutione cap 11. Ordines inferiores Diaconatu vt diſpoſitiones ad maiorem gradum nobis repræſentat, tres verò iſtos Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, tanquam principantes, *Hoc ſentire*, inquit, *& facere omnem ſeruum Dei oportet, etiam minoris loci vt maioris fieri poſſit, ſi quem gradum ex perſecutionis tolerantia aſcenderit, ſed cùm ipſi auctores* (id eſt, auctoritatem habentes & imperium) *Diaconi, Presbyteri & Epiſcopi fugiunt, quomodo laicus intelligere poterit,* &c.

Idem innuit Origenes tract 24. in Math. dum eos, qui vellent vocari Rabbi, nomine ſcilicet indice ſacræ auctoritatis & dignitatis, Principatui ſacro optimè conuenienti, eos interpretatur, qui Epiſcopi vel Presbyteri, vel Diaconi vocari cuperent. Item dum tres ordines tanquam ſpiritalium Magiſtrorum & Correctorum Eccleſiæ, ac proinde Principum proferuntur, *Omnes*, inquit, *Epiſcopi, atque omnes Presbyteri, vel Diaconi erudiunt nos, & euidentes adhibent correptiones, & verbis auſterioribus increpant.* Denique tractatu 3. vbi Epiſcopos ait propriè eſſe D. Ieſum, Presbyteros, Patriarchas & Apoſtolos, & Diaconos Dei Archangelos.

Adſtipulatur Baſilius epiſt. 296. Satalenſibus, ex quibus Presbyteros & Diaconos his verbis alloquitur, *οἵ τε κορυφαῖοι τῆς ἐκκλησίας ὑμεῖς, οἷς ἡ θεραπεία τοῦ θυσιαστηρίου πεπίστευται, Vos Coryphæi Eccleſiæ, quibus altaris cura commiſſa eſt.* Et paulò poſt, *οἱ μὲν καθηγούμενοι πρὸς τὸ ἀγαθόν, ad bonum anteſignani, & ductores.* Quin etiam ibidem totum Clerum vocat, *τὴν κεφαλὴν ἐπὶ τοῖς ὕψοις κειμένην, caput in ſummitate conſtitutum*: atque iis vt parentibus obediendum edicit.

Illuſtria ſunt hæc Hieronymi teſtimonia, quorum primum eſt tom. 2. Commentariorum in cap. 2. ad Titum: *Non ſolùm Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi debent magnoperè prouidere, vt cunctum populum cui præſident, conuerſatione ſermonis ac ſcientiæ, præcedant: verùm & inferioris gradus Exorciſtæ, Lectores, Æditui, & omnes omninò, qui domui Dei ſeruiunt.*

Alterum lib. 1. Commentariorum in cap. 1. Hieremiæ, *Si quando Reges Iuda, quæ interpretatur confeſſio, & Principes eius & Sacerdotes, & populi, Epiſcopi videlicet, & Presbyteri & Diaconi & vulgus vile atque ignobile contra ſanctum virum inſurgere voluerunt.*

Tertium lib. 3 Commentariorum in cap. 5. Michææ, *Iſte liquidò prouidebit, quòd Principes domus Iacob, & reliqui de domo Iſrael, ſiue, vt meliùs in Hebræo ſcriptum eſt, Iudices domus Iſrael, non ſint alij niſi Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi.*

Quartò, ſi legiſſes Epiphanium, didiciſſes Presbyteros ſaltem, licèt diſſimili ratione quâ Epiſcopos, Patres tamen Chriſtianorum dici & poſſe & debere: nam in Panario, hæreſi 66. aliàs 77. docet hanc differentiam inter Epiſcoporum ordinem, & Preſ-

byterorum eſſe, quòd prior Patrum ſit generator, id eſt, Presbyterorum & Diaconorum per ordinationem: poſterior, cùm patres generare non poſſit, filios per baptiſmum generet: quæ ratio cùm etiam pro Diaconis ſimiliter, quippe qui ſacramento Baptiſmatis perficiendo interdum adhibeantur, quin etiam à Cellotio tanquam ordinarij Miniſtri, vt infrà dicemus, aſſumi poſſe credantur, eoſdem quoque Patres dici poſſe Epiphanius non obſcurè oſtendit.

Inſuper verò ſi Clementem Alexandrinum legiſſes, cauſam aliam didiciſſes, cur Diaconi ſimiliter Patres vocari & poſſint, & antiquitùs ſoliti fuerint, cùm enim notum, vt opinor, Cellotio fuerit, proprium officium Diaconorum eſſe Catechumenos purgare, & Religionis Chriſtianæ catecheſi imbuere, atque ita ad Baptiſmum præparare, vt Dionyſius cap. 5. & 6. Eccleſiaſticæ hierarchiæ part. 1. docuiſſet eum Clemens Alexandrinus omnes Catechiſtas Patres dici ſolitos; ita enim ipſe lib. 1. ſtromatum non longè ab initio αὐτίκα πατέρας τοὺς κατηχήσαντας φαμὲν, *Iam Patres eos dicimus, qui nos catecheſi inſtituerunt.* Cuius etiam nomenclaturæ rationem paulo pòſt ſubdit, υἱὸς δὲ πᾶς ὁ παιδευόμενος κατ᾽ ὑπακοὴν τοῦ παιδεύσαντος. *Filius autem quiſque creditur, quatenus ei, à quo eruditur, morem gerit.* Quæ omnia confirmat Nyſſenus Orat. de Reſurrect. docens, *fœtum* ſpiritalem, *per fidem concipi, & per Baptiſmi regenerationem in lucem edi.* Ac proinde didiciſſet prioribus ſæculis etiam Preſbyteris ac Diaconis Patrum nomen, quod eis aſſerit Hieronymus, dum *Clericos* vocat *Monachorum Patres*, epiſt. 10. communiter attributum fuiſſe.

Quintò duces ipſos Diaconos populi Chriſtiani dici poſſe apud Ennodium legere potuiſſet, qui in vita ſancti Epiphanij Ticinenſis Epiſcopi ait, *Ducem ſe Chriſtianorum exhibere poterat Diaconus factus.*

Denique ſi recentiores Auctores legiſſet, Gerſonem Cancellarium Pariſienſem, & Facultatem totam Pariſienſem, à qua mihi diſcedere nefas fuit, minores hierarchas etiam Parochos dici poſſe determinantes obſeruaſſet. Vt enim alia Gerſonis loca prætercam, meminit ipſe conſiderat. 12. de poteſtate Eccleſiaſtica articuli cuiuſdam Facultatis Pariſienſis his verbis concepti, *Domini Curati ſunt in Eccleſia minores Prelati, & Hierarchæ ex primaria inſtitutione Chriſti, quibus competit ius prædicandi, ius confeſſiones audiendi*, &c.

Hæc atque alia plura dum mihi in mentem redeunt, miror Cellotium auſum fuiſſe tanquam inauditam, & in Conciliis & Patribus inuſitatam loquendi rationem reprehendere, quòd dixerim Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos duces eſſe populi Chriſtiani, eóſque ſemel duntaxat Hierarchas dici poſſe inſinuauerim, cùm tamen eiuſdem acceptionis vades tot ſanctiſſimos Patres, tot magnæ auctoritatis Doctores dare poſſem. Sed vnum eſt, quod admirationem auget, eundem ipſum Cellotium, qui ſolos Epiſcopos affirmat Hierarchas dici poſſe, librum tamen ſuum *de hierarchia & Hierarchis* inſcripſiſſe: ſi enim Hierarchas in iſta inſcriptione vult ſolos Epiſcopos dici, malè de Hierarchis ipſum inſcripſit, de quibus leuiter tantùm, & nulla ſpeciali ratione diſſerit: ſi verò Hierarchas vocat, quicunque ad hierarchiam pertinent, quam acceptionem videtur amplexus fuiſſe, Hierarcharum nomen non tam Epiſcopis proprium, imò nec Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis, ſed pluribus aliis, quos in ſuam hierarchiam intrudit, commune fateatur neceſſe eſt: atque ideò laxiorem & ampliorem quàm nos admiſetimus huius nominis ſignificationem admittet. Prætereà hierarchizantes non ſolùm Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos, ſed plures alios admittit, quos omnes hierarchiæ hierarchizantis limitibus concludit: non ſolùm cap. 14. lib. 1. ſed & alibi non ſemel: at, ſi depoſito omni contentionis ſtudio ex animo reſponderet, non dubito, quin quos ex ſtatu & ordine ſuo hierarchizantes admitteret, eoſdem quoque ſaltem ſecundum quid, & in genere ſuo Hierarchas & Principes admitti poſſe cognoſceret: itaque dica iſta de nomine hierarchæ malè Bellarmino, qui Diaconos diſertè Hierarchas dixit, malè mihi, qui ſubobſcurè tantùm id inſinuaui, videtur intentata.

Aliam addo impropriam nominis *Hierarchæ* ſignificationem, quæ ex prædictis inferri poteſt, vt nempe Hierarcharum nomen iis etiam tribuatur omnibus, qui in ordine Eccleſiaſtico, & Clericali conſtituti ſunt, tum propter partes eis demandatas in hierarchica purgatione immundorum, (licèt enim vim & ſcientiam purgandi habeat propriè Diaconus, ſolúſque ex miniſtris ordini ſuo congruentem, & ordinariam iuriſdictionem

Digitized by Google

conſentaneè habere poſſit, tamen officij ſui executionem in Subdiaconos, & cæteros inferiores gradus transfert; vt poſteà explicabimus, à quo munere & ipſi impropriè hierarchæ dici poſſunt, non per auctoritatem, quam habeant, ſed per operam Diaconorum ordini ſubſeruientem, quam impendunt, vt poſteà explicabimus:) tum etiam propter diſpoſitionem ad ordines principantes, & acceſſionem maiorem gradus ipſorum ad gradus principantes & hierarchizantes, quàm ſint gradus eorum, qui in ordine plebis, ſine ordinatione conſiſtunt. Hæc enim diſpoſitio & acceſſio ad gradum Principatus, licèt Principem propriè & Hierarcham non denominet, diſpoſitiuè tamen & reductiuè, & impropriè eoſdem Hierarchas & Principes facit, vt infrà explicabimus.

Atque hinc eſt, quod in cap. 1. Hieremiæ loco ſuperiùs citato, & aliis inferiùs citandis, eoſdem Clericos in Subdiaconatu, vel inferioribus gradibus conſtitutos nomine Diaconorum comprehendat Hieronymus, quos & Dionyſius, nomine *τῶν λειτουργῶν* vocat, quamuis eos, qui Diaconi ordinati ſunt, *τοὺς λειτουργοὺς ἐκκρίτους, electos Miniſtros*, ad illorum differentiam nominet, impropriè autem illos cæteros ordines, hierarchicos dicendos moneo, quibus vim agendi hierarchicè, & auctoritatem ordinariam ac propriam in Eccleſia imperandi denego, ob rationes allatas, quas fuſiùs proſequemur, quæ Cellotio os obturabunt, ne deinceps ſelectis aduerſum nos iis, quæ in Grammaticorum ſcholis didicit, magnificis & turgidis verbis, lib. 1. cap. 1. *Nihil boni ab eo expectari poſſe, qui fœdè lapſus ſit in terminis, qui ſit canterius in porta.* Quo etiam luto Arcadium & alios conſpurcat, quaſi rem hierarchicam neque explicuerint, neque diligenter inueſtigarint: quòd non ad euertendum omnem hierarchicum ordinem eum ipſo conſpirarint. Hierarchas autem dici poſſe eos, qui ſunt de hierarchia initiandorum omninò pernego, ſicut nec Principes dici poſſunt imperantes aut dominantes, ij, qui in regno ſine publica auctoritate ſubditi viuunt, neque in ſchola, magiſtri, aut Doctores diſcendi ſtudio vacant, non docendi partes habent.

Denique nequid intactum maneat circa hanc Hierarcharum acceptionem: hoc vnum moneo videri apud Gregorium lib. 3. indict. 12. epiſt. 12. & aliis ſuprà citatis per hierarchicos, quos ſimul cum Cleri primoribus acciri iubet, mortuo, vel depoſito Epiſcopo, ad inuentarium bonorum Eccleſiæ faciendum, intelligi eos, vel qui curam Eccleſiæ cum Epiſcopo gerebant, quales iam ſunt Cathedralis Eccleſiæ Canonici, qui ab Hierarcha, cui aſſidebant, hierarchici dicantur, vel quibus animarum cura præſertim commiſſa erat, qui ideò ab iſta præfectura, & Principatu ſacro *hierarchici* appellentur. Quæ proinde etiam auctoritas iuuat ad confirmandum, quod ſuperiùs diximus non ſolùm Epiſcoporum, verùm etiam Presbyterorum & Diaconorum ordines hierarchicos ſeu principantes, & ſacro Principatu fungentes dici poſſe.

CAPVT IV.

Hierarchicorum actuum multiplex ſignificatio detegitur.

HIERARCHICORVM actuum varias acceptiones eſſe oportuit, non ſolùm quia Hierarcharum & hierarchiarum variæ ſunt acceptiones, verùm etiam quia variæ ſunt rationes, ob quas hierarchici actus aliqui dici poſſunt. Iuxta noſtram regulam ſuperiùs ſtatutam, actus hierarchici quaſi principales à ſacro Principatu dicendi ſunt: ideóque actus hierarchici non dicuntur per reſpectum ad ſubditos tanquam ad cauſas efficientes, ſed per reſpectum ad eos, tanquam ad ſubiecta, circa quæ occupantur: ſicut nec actus Regij dicuntur per ordinem ad ſubditos tanquam eorum cauſas: aut ad conditionem ſubiectionis à qua proficiſcantur, ſed illi potiùs actus plebeij dicuntur, nec actus Dominici dicuntur prout à ſeruis exercentur, ſed prout exercentur à Dominis circa ſeruos: qui enim exercentur à ſeruis & à ſeruili conditione manant, potiùs ſeruiles dicuntur, nec actus Magiſtrales, qui à diſcipulis, ſed qui à Magiſtris fiunt. Quare dicendi ſunt actus hierarchici per reſpectum ad Hierarcham ſeu Principem ſacrum, vel potiùs per reſpectum ad hierarchiam ſeu ad Principa-

Digitized by Google

tum, cuius actus eſſe videntur, ſicut actus Regij per reſpectum ad poteſtatem Regis vel officium.

Quæ vt meliùs intelligantur, obſeruandum eſt actus aliquos ab Hierarchis vel hierarchicis ordinibus, fieri poſſe vel elicitiuè, vel deriuatiuè, & imperatiuè: elicitiuè quidem ſi ab iis eliciantur, proficiſcantur, exerceantur: imperatiuè verò & deriuatiuè, ſi ab iis quidem minimè exerceantur, ſed eorum vel auctoritate, vel nomine, vel imperio, vel directione fiant.

Quomodo verò tam hi, quàm illi actus hierarchici dici poſſunt, hîc breuiter explicandum eſt. Statim ergo in limine ſtatuendum non quemlibet actum, qui fit, & elicitur ab Hierarcha hierarchicum eſſe dicendum: ſicut etiam nec quilibet actus Regis regius eſt: Quis enim v. g. comeſtionem, potum, & alios actus Epiſcopi, qui ad Principatum Eccleſiaſticum nihil faciunt, hierarchicos vocauerit? Similiter nec quilibet actus, Hierarchæ, ſeu ſacrorum prouiſoris, tanquam priuatæ perſonæ, qui ipſi, quatenus Hierarcha eſt, & ſacrorum curam gerit, minimè conuenit, hierarchicus dici poteſt.

Secundò, obſeruandum in ampliſſima quadam ſignificatione dici poſſe hierarchicum actum, quicunq; ſacrorum Procuratorem, ſeu Hierarcham, & quicunque ordinem aliquem hierarchicũ decet. Actus v.g. omnes, qui congruunt Epiſcopis, Preſbyteris & Diaconis ſub ea ratione, quâ Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi ſunt, ſeu qui dignitates iſtas decent, cohoneſtant & exornant, ſplendorémque aliquem & ornamentum adferunt; item qui ad finem ab Hierarchis intentum iuuant, putà adductionem ſubditorum ad Deum; ij vtique hierarchici dici poſſunt. Sed hæc acceptio valdè ampla eſt & generalis: nam actuum illorum quidam ſunt communes tam Hierarchis quàm non Hierarchis, tam hierarchicis ordinibus, quàm non hierarchicis. Alij verò ſunt hierarchicis ordinibus proprij & peculiares. Et ij quidem à Principatu ipſo ſacro promanant, vt *a principio quo*, & circa obiectum Principatus ſacri verſantur. Communes verò nec à Principatu ſacro profluunt, nec circa obiectum ſacri Principatus feruntur, quantumuis finem ſacri Principatus promoueant, & ad illum referantur. Neque enim v. g. propriè architecturæ, aut artis machinarum bellicarum confectricis actus, ſunt actus Mathematicarum ſcientiarum, quamuis & illos artifices maximè deceant, & ad artium iſtarum fines obtinendos iuuent; quia nempè nec ab artibus iſtis promanant, nec circa obiecta iſtarum per ſe verſantur, nec proprij Theologi ſunt actus, vel Theologici appellantur, qui communes Theologis & Philoſophis, his ornamento ſunt, Theologis verò ſubſidio, niſi ab ipſa Theologia eliciantur, & circa obiectum Theologiæ verſentur: neque proprij Regibus ſunt actus, aut ſtrictè & propriè regij, quicunque Regem decent, quales ſunt linguarum peritia, Mathematicarum ſcientia, quantumuis & Regibus vtiles, & regni adminiſtrationi ſalutares ſint, niſi ab ipſa arte, & poteſtate regendi promanent, & circa publicam regni adminiſtrationem verſentur.

Tertiò notandum, actus qui ab aliis, quàm hierarchicis ordinibus fiunt, ab iis tamen quodammodo pendere poſſe, vel quia eorum exercendorum officia ordinant, & diſtribuunt, vel quia circa illos actus aliquid præcipiunt, vel ad actus iſtos actus dirigunt: vel tandem quia auctoritatem, & regiam poteſtatem iis actibus neceſſariam impendunt, vt publico nomine & ex officio ac munere publico fieri dici poſſint: exempli cauſâ, omnium artificum Collegia, ſodalitates, corpora, à Principe Reipublicæ politicæ ordinantur, & nemo abſque eorum conſenſu ac voluntate iis corporibus aggregati poteſt Solent etiam à Principibus præcipi atque ordinari tam priuatæ vitæ, quam ſocietatis politicæ negotia, verbi gratiâ, ad priuatam vitam cuiuſque componendam leges iſtæ feruntur, de cauendo veſtium luxu, conuiuiorum nimiâ lautitiâ, & apparatu coërcendo & ſimiles: ad ſocietatem verò ciuilem eæ promulgantur, quæ feruntur circa publica commercia, communem ciuium concordiam & æquitatem vnius ciuis ad alterum, cuiuſmodi ſunt leges, quæ mercibus pretium imponunt, quæ Monopolia vetant, quæ venditionum dies, horas, loca præſcribunt, quæ vnicuique certa arma præſcribunt, & cætera huiuſmodi. Actus autem qui ſecundum Principis voluntatem, & ordinationem etiam ex officio vnicuique aſſignato fiunt, regiæ functiones dici non ſolent, ſed potiùs functiones ſunt ſubditorum, quos conuenit Principis ſui ordinationi parere, & ad eius leges tam in publica ſocietate, quàm in priuata ſe componere. Actus verò iſti, qui ab ipſo Rege minimè fiunt, ſed regiæ auctoritatis participationem aliquam

poſtulant, vt legitimè fiant, vel quæ regio nomine publicè exercentur, aut ad quos proinde efficiendos Rex ſuam videtur auctoritatem commodare: cuiuſmodi ſunt iudicia, quæ à Iudicibus regiis populo redduntur, edicta, quæ à Proregibus & Gubernatoribus à Rege conſtitutis ſtatuuntur, bella, quæ à Ducibus Regis geruntur, legationes quæ publico nomine fiunt, & cætera omnia, quæ auctoritate vel nomine Regis aut Regni fiunt, ſùntque partes officij regij, quas qui exercent, neceſſum eſt, vt ſubditos Regis ſibi in iis ſubiectos ac ſubditos habeant: actus, inquam, iſti propter deriuatam ab ipſo Principe auctoritatem, & publici nominis ſpeciem, atque officij publici geſtionem, functiones regiæ dici poſſunt, iudicia regia, ſtatuta regia, bella regia, legationes regiæ. Pari ratione non ideò actus eſt hierarchicus, quia fit ſecundum ordinationem, directionem, præceptum Epiſcopi, qui potiſſimus eſt Hierarcha, vel aliorum inferiorum Hierarcharum, etiam ſi cum deſtinatione ad iſtos actus, ex officio & ſtatu veluti fieri videantur: nam alioqui omnium artificum, mercatorum & cæterorum in ſingulis ſtatibus politicis ſecundum ſtatum ſuum, actus ſimiliter regij & principantes dici poſſent, quod abſurdum eſt. Alioqui etiam coniugati per ſacramentum Matrimonij in ſuo ſtatu conſecrati (quæ conſecratio & benedictio, licèt ratione finis ignobilior ſit quàm conſecratio Monachorum & Monialium, in ratione tamen Sacramenti, conſecrationi Monachorum & Monialium, quæ tantùm ſacramentalis quidam ritus eſt, minimè cedit) ſi quid ex præſcripto Epiſcopi, vel Curati circa educationem & inſtitutionem prolis, vel circa coniugum mutuam pacem ac cohabitationem obſeruent, hierarchica iſta munia, hierarchici iſti actus dicentur, alioqui & cæteri populorum Chriſtianorum actus, qui per Baptiſmum conſecrati ſunt ad officia pietatis Chriſtianæ & Hierarcharum ſeu Eccleſiæ Paſtorum præceptionibus ſpeciatim obſtringuntur, per ingreſſum iſtum ſolemnem Eccleſiæ, eorum, inquam, actus omnes, qui ſecundum directionem & ordinationem Hierarchæ ſeu Epiſcopi, ſeu inferioris ſui Prælati fiunt, hierarchici cenſerentur. Alioqui & ipſæ pœnitentium ſaltem eorum, qui in ſolemni pœnitentia ſunt, actiones, quæ nonniſi ex præſcripto Hierarchæ, & eius ordinatione fieri ſolebant, & ad quas nonniſi quibuſdam ritibus ſacris præuiis & conſecratione quadam homines admittebantur, ex Tertull. de pœnit. cap. 9. ex Concilio Agathenſi Can. 15. Tolet. 1. cap. 2. Tolet. 4 cap. 54. & aliis paſſim, hierarchicæ putabantur, quæ tamen potiùs hierarchicæ dignitati obſtaculo fuerunt. Ideóque pœnitentes Dionyſius cap. 6. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, nonniſi in initiandorum poſtremo ordine, eorum ſcilicet qui hierarchizantur non hierarchizant, recenſet. Alioqui etiam mulieres, quibus ex Apoſtolo non permittitur in Eccleſia docere, 1. Corinth. 14. & 1. ad Timoth. 2. Quæ ſecundum Tertullianum de velandis virginibus, cap. 9. *nec vllius virilis muneris, nedum Sacerdotalis*, id eſt, hierarchici, nam etiam ea illis ibi denegat, quæ Diaconis conueniunt, *officij ſortem* ſibi vindicare poſſunt: quas ἱερατεύειν, ſeu *hierarchizare*, ſeu hierarchicas functiones exercere, παρὰ φύσιν, contra naturam docent Apoſtolicæ conſtitutiones lib. 3. cap. 9. Alioqui laici ſeu minimè Eccleſiaſticis ordinibus initiati, ſacras aliquas & hierachicas exercere poſſent functiones, nec pauci duntaxat, & ex iis ſelecti, ſed paſſim omnes, cum enim vnicuique in officio ſuo, quod ab Eccleſia probatum fuerit, dirigere ſe conſentaneum ſit, ad officia pietatis iuxta ſui Hierarchæ monita, ac præſcripta, hierarchicas functiones in ſuo ferè ſinguli ſtatu exercere dicendi ſunt. Quod vtique Patrum doctrinæ repugnat: an non enim Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 3. cap. 10. vetant laico ποιεῖν τι τῶν ἱερατικῶν ἔργων, *Aliquid facere hierarchicarum ſacrarum ſeu ſacerdotalium functionum?* An non Baſilius lib. 2. de Baptiſmo cap. 8. laicos ordinibus Eccleſiaſticis minimè initiatos reprehendit, τῆς ἱερωσύνης, καὶ λειτουργίας τὴν ἐξουσίαν, *Poteſtatem ſacerdotij, ſeu functionis hierarchicæ, & miniſterij* vſurpantes? An non teſte Cyrillo Alexandrino lib. 13. de adoratione in ſpiritu & veritate, longè ante medium, populus omnis, qui ſcilicet Sacerdotum vel Miniſtrorum ordini inſertus non eſt, ἄμοιρος ἱεροῦ πράγματος, *Omnis ſacræ functionis ſeu hierarchicæ expers eſt.* An non Philo Carpathiorum Epiſcopus in Canticorum verba iſta, & *guttur meum*, & hominibus per ſacros Ordines datum eſſe affirmat, *& ſibi rectè ſumere & cæteris miniſtrare ſacratiſſimè*, id eſt, circa alios, ſacras & hierarchicas functiones operari? An non Dionyſius paſſim, ſed cap. 5. & 6. Eccleſiaſticæ hierarchiæ euidentiùs, Maximus quoque paſſim in Scholiis, ſed in cap. 5. diſtinctiùs & fuſiùs, Antiochus item Monachus Paleſtinus homi-

liâ 123. & Theophylactus ad cap. 19. Lucæ omnes ſacras functiones diuidunt in purgationem, illuminationem, & perfectionem, eáſque à ſolis Epiſcopis, Preſbyteris, & Diaconis perfici aſſerunt circa Monachos, & plebem fidelem, & immundos eorum proinde ordinum homines, qui initiandos vocant, ab omni hierarchica functione remouentes. Quorum teſtimonia non eludunt, qui de ſolis hierarchiæ ordinis functionibus iſtos locutos aſſerunt, quippe cùm probare deberent, qui hæc dicunt, alias ſanctos iſtos Patres hierarchicas functiones agnouiſſe, quàm quæ ab ordine penderent, non autem pro arbitrio nouum genus hierarchicarum functionum comminiſci. Item meminiſſe deberent ſe cum ſanctis Patribus ſimiliter hierarchicas functiones vniuerſim in purgationem, illuſtrationem & perfectionem diuidere, quas tam aliis quàm ſacris initiatis ordinibus tribuant, neceſſe eſt, vt explicationem iſtarum functionum ab illis traditam non ſequantur; ſed ipſis apertè repugnent, dum huiuſmodi functiones aliis, quàm quibus ipſi tribuerunt, pari iure concedunt.

SECTIO III.

ACTVVM HIERARCHICORVM propriè dictorum natura & diuiſio explicatur.

CAPVT I.

CELLOTII EXPLICATIO REFELLITVR.

CVM prædicta circa actum hierarchicum diſtinguere callidè noluerit, vel neſcierit Cellotius, multa dicit, nihil probat, actiones & paſſiones in hierarchiis confundit, & ad principatum æquo iure cenſet, etiam ſubditorum paſſiones hierarchicas: omnia turbat, omnia miſcet; ex actibus communibus, tam hierarchicis ordinibus, quàm non hierarchicis, hierarchicos aliquos ordines eſſe colligit; modò finem, modò obiectum, modò principium actionis in hierarchicis functionibus ſtatuendis conſiderat; nihil certò, nihil conſtanter loquitur; neque ſibi, neque recentibus, neque antiquis Doctoribus conſentit.

Abſtineo à fuſiori omnium iſtorum recenſione ac probatione, quia infructuoſa, ac moleſta futura eſſet. Specimina ſolùm quædam omnium iſtorum aliqua profero, ac 1. inanitatis & futilitatis explicationis aduerſarij, hoc certiſſimum indicium eſt, quòd cùm de nominis præſertim hierarchiæ, & hierarchicæ functionis inſtituta ſit diſputatio, eos omnes qui nomina iſta vſurparunt tanquam minùs idoneos teſtes repudiet. Nam verbi gratiâ, Dionyſium cap. 10 lib. 1. hierarchicarum functionum interpretem non recipit, *Quia*, inquit, *totus eſt in ordinis hierarchia*; etiamne vbi de cæleſti hierarchia? vbi de hierarchiæ cæleſtis, & Eccleſiaſticæ hierarchiæ communi notione loquitur, affirmare videtur Cellotius; Quis verò id credat? reiecto illo Dionyſio conſequenter neceſſe eſt, vt commentatores eius omnes Maximum, Pachymerem, Hugonem à ſancto Victore, & alios reiiciat, qui eius veſtigiis inſiſtunt, & ad eius mentem, quem interpretantur, loqui debent; opus eſt vt cæteros Patres qui nomina iſta vſurparunt, & Dionyſium auctorem primum huius vocis ſequuti ſunt, minùs idoneos teſtes putet: hinc Aduerſarius & Tridentinam Synodum tanquam de ſola ordinis hierarchia locutam eodem titulo iudicem reſpuit. Gerſonem verò tanquam de ſola hierarchia iuriſdictionis locutum cap. 2. lib 1. & Pariſienſes Doctores, qui iuxta Gerſonis mentem loquuti ſunt minùs idoneos cenſet. Bellarminum lib. 1. cap. 2. tanquam rem non ſatis expenderit, recuſat: aduerſus Arcudium & nonnullos alios, qui & plures ſunt & magni nominis

minis atque Arcudio in acceptione ordinis hierarchici conſentiunt cap. eodem excipit, quòd rem hierarchicam neque explicarint, neque diligenter inueſtigarint: poſt hos alióſque eiuſmodi eiectos circa acceptionem hierarchiæ, & hierarchicarum functionum, quos alios teſtes proferet? certè miratus ſum, quòd cùm mirificè promiſiſſet in ſummario cap. 10. lib. 1. *Actuum hierarchicorum fontes, è Patrum & Conciliorum doctrina recludendos*, nequidem vnum teſtem explicationis hierarchicorum actuum à ſe ſuo ingenio fictæ produxerit. Aliquas fateor Conciliorum, Patrúmque ſententias protulit, quibus quædam Epiſcopis virtutum ornamenta commendantur ad officij ſui partes ritè explendas; ſed iſtine ſunt hierarchicorum actuum fontes? ad inſtitutum quid illa ſpectant? adeóne nos rerum hierarchicarum ignaros putas, vt quidquid Pontifici, quidquid Sacerdoti, quidquid Clerico præcipitur, id propriè hierarchicum ſit? id hierarchicorum actuum fons & origo cenſeatur? Annon plurima ſunt communia Pontificum, Sacerdotum & Clericorum officia cum omnibus Chriſtianis? hæc tu hierarchica cenſebis? à quibus non tam aliquis bonus Epiſcopus, bonus Sacerdos, Clericus bonus denominatur, quàm bonus Chriſtianus? Annon ſcire debueras, quod, vt monet Dionyſius cap. 2. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, ſupremus omnium ordo cæterorum vim, ſcientiam & perfectionem continet, atque vt idem docet cap. 5. *Inferiores quidem ordines ad maiora ſuperioráque munera tranſilire non poſſunt, ac præterea nefas eſt ei manus huic oſtentationi adhibere. Diuiniores autem ordines vnà cum ſuis, inferiores quoque ſua perfectione, ac virtute ſanctas ſcientias tenent.* αἱ μὲν γὰρ ἥττους, ἐπὶ τὰ κρείττω μεταπηδᾶν ἀδυνατοῦσι, πρὸς τὸ μηδὲ θεμιτὸν αὐταῖς εἶναι πρὸς τοιαύτην ἐγχειρεῖν ἀλαζονείαν. αἱ δὲ θειότεραι δυνάμεις μετὰ τῆς οἰκείας καὶ τὰς ὑφειμένας τῆς αὐτῶν τελειότητος ἱερὰς ἐπιστήμας γινώσκουσιν· hoc ſi te non latebat, facilè colligere poteras quoſdam eſſe Pontificum, Sacerdotum ac Diaconorum functiones minimè ſacerdotales, minimè hierarchicas, eis ſcilicet cum omnibus Chriſtianis, vel quibuſdam Chriſtianorum generibus, verbi gratiâ, Monachis, & Monialibus, aliiſque ex voto ſimplici continentibus, & ad perfectionis ſtudium præ cæteris anhelantibus communes? Quàm nouum & inauditum temeriraris genus, vt cùm nullum auctorem pro tua explicatione cites, tibi ſoli credi velis? An videris tibi eſſe Paulus, qui audierat arcana myſteria, quæ non licebat homini loqui? imò maior fortè Paulo Cellotius, qui Dionyſij à Paulo acceptam doctrinam, tanquam mutilam ac mancam perfecerit, *Indigebant quippe* (aiunt Approbatores libri ſtatim initio operis) *ingenia etiam valentiora tali diui Dionyſii Interprete ac* SVPPLETORE. Hoc ſe elogio exornari patitur homo modeſtiſſimus: hoc titulo gloriatur, vt deinceps in rebus hierarchicis diui Dionyſij SVPPLETOR habeatur.

Sed & inanitatis probationum eius hæc ſpecimina accipe: capite duodecimo libri primi probat, vt ſibi videtur, *efficaciter*, non omnes hierarchicas actiones à ſuperiore in inferiorem tranſire: argumento petito ex theſauro Eccleſiæ, ex quo depromuntur indulgentiæ, & Sanctorum communio conſeruatur; hinc enim oſtendit ieiunare omnibus Monachum, pſallere omnibus Clericum, meditari omnibus Carthuſianum; ac proinde infert non omnes hierarchicas actiones à ſuperiori in inferiorem tranſire: quænam hæc probandi ratio, quæ eum contra quem profertur, non lædit: ſolùm proferentem offendit: talis iſta ratiocinatio eſt: nam contrariæ explicationis auctores, ne leuiter quidem attingit: qui nempe priuatas actiones, quantumcunque vtiles & proficuas alteri, non ideò hierarchicas fatentur. Ideòque cùm hierarchicas iſtas actiones negent, deſumpto ab iis actionibus exemplo, nihil aduerſus iſtos conficit Cellotius. Quem tamen ſua ipſius ratiocinatio inuoluit: nam ſi ideò hierarchicæ actiones ſunt Carthuſiani meditantis, vel Monachi ieiunantis, quia in theſaurum Eccleſiæ inferuntur: cùm ſimiliter laicorum quorumlibet pietatis exercitiis vacantium, cùm antiquorum Anachoretarum ſatisfactiones abundantiores, qui nullâ conſecratione ſingulari à cæteris diſcernebantur, in theſaurum Eccleſiæ etiam inferantur, ipſorum omnium actiones erunt hierarchicæ. Quò ergo abibit illa conſecratio perſonarum, quam & eodem cap. 12. vt neceſſariam præſupponit, & cap. 10. innuit, & in hierarehia etiam chariſmatum admittit lib. 8. cap. 2. excluſis etiam iis, qui ab iſta conſecratione, & deſtinatione vel opitulantur ægris, vel ſacram doctrinam interpretantur, quam

Digitized by Google

tandem alibi paſſim inculcat) quo, inquam, illa conſecratio deinceps abibit? Deinde quomodo aut Carthuſianum ab omnibus meditandum, aut Monachum ab omnibus ieiunandum conſecratum eſſe ab Eccleſia, & publico nomine Eccleſiæ, aut hunc ieiunare, aut illum meditari probabit? Nugæ iſtæ ſunt, imò errores à Patribus olim damnati, qui ſibi Monachum viuere prædicant, quorum *dicta licèt forte ad Mendicantes, nouum à quingentis fere annis in Eccleſia Monachiſmi genus*, trahenda negentur, non tamen de Monachis omnibus, maximè, qui antiquum ſolitariæ vitæ morem ſectantur, vniuerſim negari poſſunt.

Quàm imbellis etiam ſequens eiuſdem notæ per oratoriam amplificationem diſputatio, de religioſis viris ad pietatem Epiſcopis, Preſbyteris & Diaconis, præeuntibus? quorum pietatis opera negantur à nobis hierarchica, etſi Hierarchis ſalutaria ſint, ſicut nec in Republica ciuili regia ſunt, & magiſtralia opera bonorum ſubditorum licet Principibus vtilia, nec in ſocietate Oeconomica, aut Patrica, vel Deſpotica dicuntur; vel filiorum, vel ſeruorum opera, quæ vtilitati, & ornamento, Patribus, vel Dominis fuerint. Neque hierarchica ex ipſo aduerſario ſunt, quæ ſine conſecratione Eccleſiaſtica à laicis fiunt, quæ tamen in bonum totius Eccleſiæ, & Paſtorum exemplum perficiuntur, nihilominùs hæc eſt *illa impreſſio vehementior, quâ ad ſarium ſuis illum caſtris, & munitionibus ſe impacturum pollicetur*: Sed & Principatum quem ſtatuimus perpetuum & neceſſarium in iis, qui de hierarchia eſſe dicuntur, conſternatum à ſe gloriatur cap. 12. lib. 1. ſed quibus, Deus bone, argumentis duobus iſtis, quæ propoſuerat cap. præcedenti.

Quorum primum illud eſt, quia quicunque ſunt in hierarchia, & agunt & patiuntur; quid tum? conclude aliquid exinde ſi potes? an fortè concludes, ſi quid ſubditi edocti & inſtituti ab hierarchicis ordinibus agunt, ad finem hierarchiæ conſequendum, putà vt aſſimilentur Deo, eorum iſtas actiones eſſe hierarchicas: ſed tu ipſe negas: niſi ad id conſecratione aliquâ deſtinati ſint, vt ſcribis, locis citatis, vel niſi ab Hierarcha illæ actiones præſcriptæ ſint, vt doces cap. 2. lib. 1. Quòd ſi illas omnes actiones, quæ fiunt à patientibus in hierarchia etiam in finem hierarchiæ, nequidem hierarchicas eſſe fateris: quid ergo totâ iſtâ diſputatione conficis?

Alterum eſt, quia in hierarchia prior & nobilior eſt paſſio, quàm actio, ne hoc quidem nos ferit: nam ſiue nobilior ſit actio, ſiue ſit paſſio, hierarchicus tamen ordo ſeu principalis, nullus eſt qui non agat, & functio principatus ſacri, potiùs in vſu poteſtatis & gratiæ quam vir hierarchicus acceperit, quàm in receptione cuiuſquam conſiſtit? quemadmodum enim Doctorem oportet primùm edoctum fuiſſe, quàm Doctor dici poſſit, neque tamen Doctoris officium dicitur doceri, ſed docere: ita priùs oportet quemlibet hierarchicum ordinem, & ſcientiam, & vim, & poteſtatem accepiſſe, quàm communicare poſſit, ipſius tamen officia, ſeu functiones non ſunt recipere, ſed accepta communicare: fatebor etiam aliquid ampliùs, quàm probare potueris: quod libentiùs à me dictum accipies, quòd ex animo faſſurus ſum, non vi argumentorum tuorum coactus, quæ nulla eſt, ſed veritate conuictus, quæ apud me ſemper plurimùm potuit: ordinem quemuis hierarchicum per paſſionem non meri actus, ſed poteſtatis ad agendum in ſuo gradu conſtitui, putà per exceptionem poteſtatis ordinis & iuriſdictionis, itémque chariſmatum, quæ ad ordinem hierarchicum requiruntur; ſicut Doctoris gradus per receptionem poteſtatis docendi præſuppoſitâ ſcientiæ acquiſitione conſtituitur. Quòd cùm libenter fatear, officia tamen hierarchica, ſeu ordinum hierarchicorum pernego in paſſione conſiſtere, ſed in actionibus eius virtutis, quæ in quouis hierarchico gradu recipitur, & ad agendum ordinatur, ſicut Doctoris officium in communicatione doctrinæ & vſu ſuæ poteſtatis ad agendum collatæ conſiſtit.

Addam etiam, ſi volueris, ratione termini paſſionem magis perficere patiens, quàm actio perficiat agens; negabo tamen ratione modi, quem ſecum adnexum habet actionem nobiliorem eſſe paſſione, quia paſſio ſubiicit patiens agenti, cuius poteſtati ſubditur, vt ab eo hâc vel illâ formâ conſignetur: actio verò liberat agens ab iſta ſubiectione, & ei patiens viciſſim ſubiicit: paſſio tanquam alicuius rei indigenti & imperfectæ accidit: actio tanquam affluenti, & bona ſua communicanti conuenit, vt explicat Dionyſius cap. 3. de cæleſti hierarchia, ſed

eſto ſecundum id, quod vltimum adfert, actio paſſioni cederet : quia tamen omnis actio paſſionem ſeu receptionem formæ ſecundum quam agat in eo, quod agit, præſupponit : paſſio verò non eius, quod patitur, neceſſariò infert actionem : ideò actionem completè ſumptam tam pro eo quod ex ſuo aduehit, tam pro eo quod ſupponit, longè nobiliorem eſſe, quàm paſſionem, conſtat. Eóque ſenſu dixit Hugo de ſancto Victore lib. 9. Elucidatoriarum adnotationum in caput nonum de cæleſti hierarchia, *Recipere hierarchicum eſſe, agere verò diuinum :* quod eo ſenſu intellige, quia per receptionem hierarchicæ functionis ab Hierarcha ſecundum illud quod recipit initiatus initiatori ſuo aſſimiletur ; quippe cum vnumquodque agens intendit ſibi aſſimilare paſſum ; per id verò, quod agit hierarchica perſona, & hierarchizat, aſſimilatur Deo omnium bonorum fonti, & omnis hierarchiæ auctori. Quæ omnia quantumcumque vera, & tenuiter à Cellotio prolata ſint ; nihil tamen ad confirmandas ab eo tràditas hierarchicarum functionum definitiones promouent. Eæ tamen ſunt machinæ quas mouet ; ea tela de quorum iactu gloriatur.

Si expendamus duas, quas profert hierarchicarum functionum, explicationes, ſeu, vt ipſe malle videtur, definitiones, vt videamus vtrum ipſæ veritati, vtrum ſibi ipſi conſentiant : cap. 2. lib. 1. actionem hierarchicam definit eam eſſe, *quæ ab hierarcha, vt ſic, vel fit, vel imperatur, per quam ad finem hierarchiæ cum ſubordinatione ſub Principe ſacrorum peruenitur.* Quam definitionem explicans, *quidquid vel ab ipſo Hierarcha, vel ab aliis, quibuſlibet auctoritate inde deriuatâ, & velut publico iure officij conficitur, hierarchicum ſe vocare dicit. Itaque hoc ſenſu*, inquit, *Baptiſmus ab obſtetrice collatus hierarchicus non eſt, ſed qui à Parocho : recitatæ preces diuinæ à laico coniugato, hierarchicæ non ſunt : ſed quæ à ſacerdote. Erogatus in egentes nummus priuatâ pietate, hierarchica res non eſt, ſed qui tempore Iubilæi, quia genus illud operis ab Hierarcha præſcriptum eſt.*

Capit. verò 20 ita definit, quidquid Dei cognitionem & amorem, vel ſimpliciter, vel perfectiùs in animis noſtris excitat : *Quidquid purgationem peccatorum aut ignorantiæ facit, hierarchicum eſſe poteſt : ſi nimirum Eccleſia per homines aliquos, & aliqua vitæ genera ad eiuſmodi actiones deſtinat, & conſecrat, Quo ſenſu quidquid ab Hierarcha quolibet, quidquid à Clerico, quidquid à Religioſo ex officio, & quaſi nomine & munere publico fit, illud quia fit per dedicationem hierarchicam*, &c. & hanc explicationem paſſim ſæpiùs, quàm præcedentem ſequitur, vt iam inſinuauimus. Plurima verò aduerſus vtramque obiiciuntur : primò enim vtraque iſta explicatio ſeu definitio, nullo ſolido fundamento innititur ; nec ex vſu vocis iſtius hierarchicæ actionis comprobari poteſt, nec ex analogia, quam vox illa *hierarchica* cum cæteris ſimilibus habeat. Neque enim quæcunque actiones fiunt ſecundum leges Principis, aut ſecundum regulas officij à Principe probati dicuntur regiæ : cur ergo quæ ſecundum Hierarchæ præſcriptum, vel officij publici ordinationem fiunt, dicentur hierarchicæ? verbi gratiâ, qui renuet dicere regiam eſſe functionem, quòd quis pretio à Principe impoſito mercetur, cur hierarchicam functionem eſſe admittet, quòd aliquas pecunias ex præſcripto Iubilæi pauperibus eroget ? qui regium eſſe negabit cauſidici, mercatoris, agricolæ ſecundum Regias ordinationes officium, cur hierarchicam putabit hominis in aliquo ſtatu à Pontificibus approbato ſecundum ordinationes Pontificias, vnamquamque functionem?

Secundò, non cohærent, aut ſibi conſentiunt duæ iſtæ definitiones, non explicationes, quæ ſubduntur, definitionibus, non exempla allata explicationibus congruunt. Etenim in priori definitione nulla conſecrationis perſonæ ad officia hierarchica neceſſitas inſinuatur, & exemplum de erogatione nummi tempore Iubilæi, quam hierarchicam functionem putat, oſtendit nec conſecrationem perſonæ agentis, nec deſtinationem perſonæ ad certum aliquod opus requiri, vt illud ipſum hierarchicum dicatur, quis enim eos qui indulgentias tempore Iubilæi lucrantur, conſecratos, aut deſtinatos publico Eccleſiæ iudicio ad opus per Bullam indulgentiæ præſcriptum dicere niſi ridiculè audeat ? Poſterior autem definitio requirit certam quandam perſonæ agentis conſecrationem ac deſtinationem ab Eccleſia, vt opus aliquod dicatur hierarchicum. In vtriuſque pariter definitionis explicatione, videtur tan-

quam neceſſarium requiri, quòd opus hierarchicum publico Eccleſiæ nomine fiat: hoc autem in neutra definitione, vel implicitè, vel explicitè, vel expreſsè, vel conſequenter, & illatiuè continetur, & exemplis propoſitis nonniſi falsò iſta conditio adhibetur: nam verbi gratiâ, quantumuis Monachus conſecretur ac deſtinetur ad orationem & ieiunium: tamen falſum eſt ipſum nomine publico aut orare aut ieiunare. Qui enim Monachi ad vacandum contemplationi, & mortificationi conſecrantur, non ad orandum vel ieiunandum pro aliis, ſed pro ſe conſecrati ſunt. Nam quòd eorum orationes, precationes & ieiunia in aliorum commodum cedant, & in Eccleſiæ theſauro, ſi ipſæ ſuperfluæ ſint, recipiantur, atque exemplo laicis eſſe poſſint, eóſque ad virtutem accendere: hoc etiam de laicorum omnium orationibus & ieiuniis dici poteſt. Nec præſumere de ſe hoc debent Monachi, ſibi ſuperfluas futuras mortificationes, & non neceſſaria ſibi exercitia pietatis, quæ in alios tranſmittunt: nec eorum ordo hoc requirit, cùm tantùm inter initiatos recenſeantur, quos recipiendis duntaxat hierarchicis purgationibus, illuminationibus ex ſuo ſtatu idoneos cenſet Dionyſius capite tertio cæleſtis hierarchiæ: ſolis verò Myſtarum ſacrorum ordinibus purgatiuis περιουσίαν καθάρσεως, *Purgationis abundantiam* ineſſe dicit, vt purgare poſſint: ſolos illuminatiuos πανολβίως τῆς ἱερᾶς ἀποπληρουμένους αἴγλης, *beatiſſimè ſacri luminis plenos eſſe debere putauit*, vt illuminent: idem de perfectiuis ſtatuens, vt perficiant; Monachos autem nec in alios ex officio ſuam perfectionem transfundere: nec ex officio ad purgandos, illuminandos, perficiendos, alios hierarchicis functionibus ab Eccleſia deſtinari cap. 6. Eccleſiaſticæ hierarchiæ in Theoria declarat, docens τὴν μοναχικὴν τάξιν οὐκ εἶναι προσαγωγικὴν ἑτέρων, ἀλλ' ἐφ' ἑαυτῆς ἑστῶσαν ἐν μοναδικῇ καὶ ἱερᾷ στάσει ταῖς ἱεραρχικαῖς ἑπομένην τάξεσι, καὶ πρὸς αὐτὰς ὡς ὀπαδὸν ἐπὶ τὴν θείαν τῶν κατ' αὐτὴν ἱερῶν ἐπιστήμην ὑπηκόως ἀναγομένην, *Monachorum ordinis non eſſe alios deducere, ſed in ſe ac per ſe perſtare in ſingulari ſanctóque ſtatu, hierarchicos ſacróſque Ordines aſſectantem, & ab eis ad diuinam, quæ circa ipſum ſacra ſiunt, ſcientiam facili negotio deduci.* Et certè ſicut ſingulari & præcipuo iure Pontifici proprium eſt eligi è populo, qui Eccleſiæ nomine hoſtias & ſacrificia pro ipſo offerat ſecundum Apoſtoli ſententiam ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis: qui condolere poßit iis qui ignorant, & errant: quoniam ipſe circumdatus eſt infirmitate, & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis: nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Quibus verbis teſtatur & Pontificis peculiarem eſſe dignitatem, quòd ex hominibus ſelectus ſit, qui pro reliquis oret: & ad hanc dignitatem neminem niſi ex vocatione canonica, quâ olim honoratus fuit Aaron, conuolare debere. Ita pro ſuo modulo Presbyteris aut Diaconis, idem honor communis eſt, qui & ipſi tanquam Aaron vocantur, & ad orandum atque offerendum pro ſuo captu, & conditione ſacrificium conſecrantur; non quidem ex æquo cum Pontificibus, neque pari conditione, ſed pro ſui ordinis captu, ideóque ſicut ſola inter Iudaicas tribus Leui, cui Clericorum ordo ſucceſſit, loco primogenitorum filiorum ad ſacrificia pro populo offerenda conſecrata, & à Domino tanquam eius propria accepta fuerat, Numerorum 3. & 8. ita quoque ſoli Eccleſiaſtici ordines ad orandum pro populo ab Eccleſia, & ab ipſo Chriſto deſtinati ſunt: quod intuens Hieronymus epiſtolâ primâ ad Heliodorum. *Monachus*, inquit, *ſi ceciderit, orabit pro eo ſacerdos, pro ſacerdotis lapſu quis rogaturus eſt?* ac ſi diceret eo eſſe periculoſiorem ſacerdotis quàm Monachi caſum, quòd cùm ille ad orandum pro aliis nomine totius Eccleſiæ deſtinatus ſit, neminem habeat, qui pro ipſo rogare ex officio teneatur, hic verò cùm ex ſtatu ſuo ſibi ſolùm viuere, non publico Eccleſiæ nomine pro aliis orare teneatur, ſacerdotem habeat, qui pro ipſius, cùm lapſus fuerit, erectione precetur. At verò contrarium diceret Cellotius, non exinde maius ſacerdoti quàm Monacho periculum cadendi imminere, quandoquidē ſicut pro lapſu Monachi ſacerdos publico nomine Eccleſiæ ita pro lapſu ſacerdotis tot ſanctiſſimi Monachi, tot agmina Deo dicatarum Monialium ex officio & publico Eccleſiæ nomine precentur. Atque hinc etiam fit, vt Can. 6. Concilij Chalced. Eccleſiæ ciuitatis vel pagi à Monaſteriis & Martyriis diſcriminentur, quòd ædes Monaſteriorum nequaquam Eccleſiæ vocentur, ſicut aliæ ad quas populi ciuitatis aut pagi cum Sacerdote conueniunt: eo quòd, qui in Monaſteriis orant, nomine

vtique Eccleſiæ publico minimè orare, ſed priuato videantur; hinc etiam nihil contra Apoſtolum præcipientem, *vt mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui.* Nihil contra Concilij Laodiceni Canonem 15. vetantem quemquam præter τοὺς κανονικοὺς ψάλτας, *qui nempe canonicè ordinati ſunt ad canendum in Eccleſia*: Nihil præter antiquum Eccleſiæ vſum, quo cantus in Eccleſiis mulieribus interdictus eſt, fieri putarunt, multi graues & docti viri, quòd Moniales noſtræ in ſacris ſuorum Monaſteriorum ædibus ad Horas Canonicas pſallant, quippe cùm priuatæ illæ ſint ædes, priuata oratoria, non publicæ Eccleſiæ, ad quas publicus ordinariúſque conuentus fieri debeat; nec illæ publico Eccleſiæ nomine canant, quòd ſolis canonicis cantoribus, qui ad hoc ab Eccleſia deſtinati ſunt, conuenit, ſed ſibi ipſis ad priuatam ſuam ædificationem canant, quamuis cantu iſto beneficia aliis promereri poſſint, ſicut & laici priuatim apud ſe orantes; nullúſque hactenus repertus eſt, qui in iis vel aliis ſpiritalibus miniſteriis Moniales publicorum Eccleſiæ miniſtrorum perſonam, & conſecrationem habere dixerit. Quare ratum maneat nullum eorum, quæ ibi proferuntur, tanquam Monachorum hierarchica opera, hierarchicum eſſe: verùm multo minùs dici poteſt is, qui tempore Iubilæi nummum erogat iuxta præſcriptum ſummi Pontificis, quaſi nomine, & munere publico nummum iſtum erogare, quippe cùm in ſatisfactionem tantùm peccatorum ſuorum, vt priuatæ perſonæ indigentis ſatisfactionibus ex theſauro Eccleſiæ deſumptis, talis homo nummum iſtum largiatur, ſuccedátque iſta largitio pœnitentiæ, quæ à ſacerdote iniungi debuiſſet, pro quarum pœnitentiarum iniungendarum relaxatione indulgentiæ conceduntur: vt & forma earum concedendarum vſitata oſtendit, & communis Doctorum omnium conſenſus probat. At pœnitentiæ iniunctæ à ſacerdote opus non publico Eccleſiæ nomine, multo minùs tanquam ex munere fieri nemo vnquam audiit? quanto veriùs priuato ſibi quiſque fungens munere pœnitentiam ſibi à ſacerdote iniunctam exequitur: ergo nec illnd exemplum explicationi iſtarum definitionum conſentit. Deinde, ſi, qui ex præſcripto Epiſcopi nummum largitur, hierarchicum opus exercet: Iudex quoque vel Princeps politicus, qui ex præſcripto Epiſcopi, (cuius eſt vnumquemque ſui muneris commonere) Rempublicam piè iuſtéque adminiſtrabit, illúdq; contendet, vt plebs ſibi ſubdita liberè Deo vacet, opus hierarchicum efficiet, verbi gratiâ, Theodoſij lex de executione ſententiarum damnatorũ 13. Cod. Theodoſiani, 20. Cod. Iuſtinian. de pœnis, quam Theodoretus lib. 5. hiſt. c. 17. Ambroſij præſcripto latam refert, hierarchica erit, omníſque functio Chriſtiani Principis, qui ſi Chriſtianum ſe meminit, ſalutis æternæ populi ſibi commiſſi debet eſſe memor, & benè beatéque viuendi ab Epiſcopis præcepta haurire, hierarchica dicenda erit: atque ita ſacri & ciuilis Principatus officia confundentur.

Prætereà non conſentiunt inter ſe iſta, *quòd quidquid Dei cognitionem & amorem, vel ſimpliciter vel perfectiùs in animis noſtris excitat, quidquid purgationem peccatorum aut ignorantiæ facit, hierarchicum eſſe poſſit: quidquid vel exemplo ſolùm amorem Dei excitat*: nam & exemplum rem eſſe hierarchicam iis teſtimoniis, quibus ſacerdotes cæteris bono exemplo eſſe iubentur, quaſi nempe quidquid ſacerdoti præcipitur, id ſit hierarchicum, inſulsè ipſe & futiliter confirmat lib 1. c. 10. illúdq; ipſum alibi paſſim ſupponit: non, inquam, iſta conſentiunt, cum iis quibus conſecrationem ac deſtinationem, & nominis ac muneris publici ſpeciem ad opus hierarchicum requirit. Neque ipſorum Monachorum opera omnia pietatis, quibus per exemplum prodeſſe poſſunt, & quæ ideò ex prioribus verbis hierarchica eſſe deberent, conditiones poſteà ab eodem adhibitas ad functiones hierarchicas ſortiuntur; quis enim audeat dicere quidquid agit Monachus, vel Monialis, quòd ad amorem Dei aliquem incendere poſſit ſuo exemplo, opus eſſe hierarchicum, & ad illud omne Monachos vel Moniales deſtinati, conſecrari? illúdque qualecunque ſit, ex officio & quaſi munere & nomine publico fieri?

Deinde cur, quæ ex præſcripro Hierarchæ humani ſeu Pontificis fiunt, dicuntur hierarchica: quæ autem ex præſcripto & ordinatione diuini Hierarchæ Chriſti Ieſu (quem omnis hierarchicæ ſcientiæ & operationis ducem c. 3. cæleſtis hierarchiæ: ſummum Hierarcham c. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ ſtatuit Dionyſius, & agnoſcunt Catholici omnes) perficientur, hierarchica non erunt? maximè cùm diuinam deſtinationem ad hierarchicas functiones ſufficientem Cellotius admittat lib. 9. cap. 19. pag. 944. vbi Catharinæ Senenſis, aliarumque piarum fœminarum hierarchicas

multas actiones eſſe probat, quod diuinâ delegatione, mandatóque diuino fierent. *Nónne*, inquit, *Catharinam Senenſem ad Pontifices legauit Deus, quemadmodum Debboram ad Barach, Thecuitidem ad Dauid.* At verò ſi quæcumque opera ex Dei mandato fiant, hæc ſunt hierarchica: nulla erit diuini præcepti obſeruatio facta à laico, quæ non ſit hierarchica.

Velim etiam reſpondeat Aduerſarius, cur quæ ex conſecratione, verbi gratiâ, Monaſtica fiunt, hierarchica potiùs cenſeantur, quàm, quæ ex conſecratione baptiſmali, quâ vnuſquiſque Chriſto conſecratur, diuinæ legi obſtringitur, eiurat Satanam, totum ſe addicit Deo? cur opera antiquorum Anachoretarum, & Monachorum, qui nullâ conſecratione Eccleſiaſticâ & publicâ Deo deuouebantur, non hierarchicâ, aliorum ſubſequentibus ſæculis pietatis & meritis inferiorum hierarchica dicenda erunt? cur Regum & Principum, qui publica & ſolemni Eccleſiæ benedictione inaugurantur ſollicitudo & adminiſtratio non pariter dicenda ſit hierarchica? Quàm autem abſurda ſint iſta & ſimilia, quæ ex opinione Cellotij conſequuntur, quis non videt?

Ampliùs quoque abſurditas ſententiæ eiuſdem apparet ex iis, quòd actum interiorem ardentiſſimæ charitatis putet eſſe actum hierarchicum, cùm tamen nec nomine publico à quoquam exerceatur, & omnibus Chriſtianis debeat eſſe communis: & ſi aliqui ſint, quibus proprio iure conueniat, ſolis vtique Paſtoribus, qui ſoli obligantur ad animam dandam pro ouibus ſuis competet. Ideóque ſaltem contra eiuſdem intentionem actus interiores charitatis, vt hierarchici dicerentur, reſtringi deberent ad eos, qui exercentur à Paſtoribus ex officio paſtoralis ſuæ curæ & dignitatis: quos tamen nequidem eo reſpectu debere hierarchicos dici patet; quia cùm actus omnis hierarchicus ſit purgatiuus non quidem agentis, ſic enim ſpectat ad purgationes, illuminationes & perfectiones paſſiuas, potiùs quàm actiuas, ſed aliorum in quos ex plenitudine propria ſua bona agens transfundit, vt docet Dionyſius cap. 3. cæleſtis hierarchiæ, & cap. 5. Eccleſiaſticæ, hinc ſit, vt actus charitatis interioris, qui ad aliorum bonum nec conſert, nec per ſe refertur, nullatenus hierarchicus dici poſſit, etiamſi à Paſtoribus ipſis exerceatur.

Denique, ſi actus hierarchicos non conſecratis exteriori conſecratione tribuit, omnibus tribuit, merè etiam laicis: ſi ſolis conſecratis vult tribuendos; iuriſdictionem ſolam habentibus, actus hierarchicos exercendi facultatem denegat: atque ita diſtinctam à cæteris iuriſdictionis hierarchiam perperàm ſtatuit.

Cætera minutiora non perſequor, cùm tamen innumera ea ſint, quæ amplum nobis reprehenſionis campum aperire poſſent.

CAPVT II.

Definitiones & diuiſiones actus hierarchici propriè & ſtrictè ſumpti traduntur.

IAm verò reiectis iis, qui nobis tanquam actus hierarchici obtrudebantur, vniuerſim patet actus hierarchicos propriè & ſtrictè definiri poſſe, 1. per reſpectum ad obiectum & finem ſuum, vt dicatur actus hierarchicus, *ſacra functio circa ſubditos, per ſacrorum myſteriorum initiationes*, quas Dionyſius cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ part. 1. τὰς ἁγιαστείας τῆς τελετῆς ἱερουργίας: cap. verò 3. cæleſtis hierarchiæ, τελεταρχίας ἱερᾶς nuncupat, Scotus in interpretatione cap. 3. citati, *Propria hoſtiarum myſteria, aut ſacras ordinationes.* Hugo verò Victorinus, *Propria gratiarum dona & ſacros ordines vnicuique proprios aſſignatos, vel per ſacræ doctrinæ efficacem, & vt ita dicam, magiſtralem, ac cum imperio traditæ explicationem, commonitiones, præceptiones, correptiones, quas ἱερολογίας cum Dionyſio rectè dixeris ad Dei ſimilitudinem & vnionem deducens*: quæ definitio ex Dionyſio locis citatis, Maximo, Pachimere, Hugone à ſancto Victore, aliiſque paſſim deducitur, & inferiùs confirmabitur.

2. Definiri poteſt per reſpectum ad ordines hierarchicos, vt ij propriè actus hierarchici dicantur, qui ordinibus hierarchicis proprij fuerint, non aliis.

3. Per ordinem ad ſacrum Principatum, vt ij dicantur actus hierarchici, qui à laico Principatu integro, putà ab ordine, iuriſdictione, & chariſmatis ſimul iunctis profluunt, quales ſunt ij actus, quos Dionyſius numerat pro hierarchicis cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ & alibi paſſim, putà κάθαρσις, id eſt, *Purgatio*, φωτιστικὴ μύησις, *initiatio illuminatoria*, ſeu vno verbo, φωταγωγία, quomodo à ſancto Maximo nominatur; & τελείωσις, ſeu *perfectio*, quæ omnes functiones ordinem hierarchicum requirunt ex communi ſaltem lege, quâ non niſi ab initiatis ordinibus Diaconatu, Presbyteratu, & Epiſcopatu tanquam ex officio, & ordinaria auctoritate fieri poſſunt; & iuriſdictionem adnexam habent atque hierarchicam ſcientiam. Probantur definitiones iſtæ ex doctrina ſuperiùs tradita, cui inferius tradenda conſentiet: conformitas enim iſta loquendi, & conſentaneè, verba iſta omnia, *Hierarchia, Hierarchæ*, *Hierarchica functio*, interpretandi, veritatis teſtimonium eſt, & rectæ loquutionis argumentum.

Sed peculiaris pro hierarchicæ functionis definitionibus traditis probatio, eſt Dionyſij Maximi, Antiochi, Theophylacti conueniens in omnibus expoſitio atque interpretatio, ex qua diuiſionem quoque hierarchicarum functionum edocebimur. Ordimur à Dionyſio, cuius in hanc rem varia proferri poſſunt teſtimonia: tum illud videtur eſſe apertiſſimum quod ex c. 5. hierarchiæ Eccleſiaſticæ deſumitur, vbi functionum hierarchicarum & ordinum tam agentium quàm patientium rationes deſcribit, eóſque ordines inter ſe iis verbis confert: Ἡ μὲν οὖν ἁγιωτάτη τῶν τελετῶν ἱερουργία πρώτην μὲν ἔχει θεοειδῆ δύναμιν τὴν ἱερὰν τῶν ἀτελέστων κάθαρσιν· μέσην δὲ, τὴν τῶν καθαρθέντων φωτιστικὴν μύησιν· ἐσχάτην δὲ καὶ τῶν προτέρων συγκεφαλαιωτικὴν, τὴν τῶν μυηθέντων ἐν ἐπιστήμῃ τῶν οἰκείων μυήσεων τελείωσιν. Ἡ δὲ τῶν ἱερουργῶν διακόσμησις, ἐν μὲν τῇ δυνάμει τῇ πρώτῃ διὰ τῶν τελετῶν ἀποκαθαίρει τοὺς ἀτελέστους· ἐν τῇ μέσῃ δὲ φωταγωγεῖ τοὺς καθαρθέντας, ἐν ἐσχάτῃ δὲ καὶ ἀκροτάτῃ τῶν ἱερουργῶν δυνάμεων, ἀποτελεῖ τοὺς τῷ θείῳ φωτὶ κεκοινωνηκότας ἐν ταῖς τῶν θεωρηθεισῶν ἐλλάμψεων ἐπιστημονικαῖς τελειώσεσιν. Ἡ δὲ τῶν τελουμένων δύναμις, ἡ πρώτη μέν ἐστιν, ἡ καθαιρομένη. μέση δὲ μετὰ τὴν κάθαρσιν, ἡ φωτιζομένη, καὶ τινῶν ἱερῶν θεωρητική· τελευταία δὲ καὶ θειοτέρα τῶν ἄλλων, ἡ τῶν ἱερῶν φωτισμάτων, ὧν ἐγεγόνει θεωρὸς, ἐλλαμπομένη τὴν τελειωτικὴν ἐπιστήμην. τῆς μὲν οὖν ἁγίας τῶν τελετῶν ἱερουργίας, ἡ τριπλῆ δύναμις ὕμνηται· τῆς μὲν ἱερᾶς θεογενεσίας, ἐκ τῶν λογίων ἀποδειχθείσης καθάρσεως καὶ φωτιστικῆς ἐλλάμψεως. τῆς συνάξεως δὲ καὶ τῆς τοῦ μύρου τελετῆς τελειωτικῆς τῶν θεουργιῶν γνώσεως καὶ ἐπιστήμης, δι᾽ ἧς ἱερῶς ἡ πρὸς τὴν θεαρχίαν ἑνοποιὸς ἀναγωγὴ καὶ μακαριωτάτη κοινωνία τελεσιουργεῖται. Quæ ita vertit Lanſſellius: *Ac ſanctiſſimum quidem myſteriorum munus primam quidem habet vim diuinæ ſimilem, ſanctam eorum; qui non ſunt initiati, ſúntque, vt ita dicam, imperfectiſſimi expiationem: mediam autem illuminationem eorum, qui iam expiati ſunt, inſtitutionem: poſtremam verò, quæ eadem ſuperiores concludit, earúmque ſumma eſt, eorum, qui inſtituti doctique ſunt ſcientiæ inſtitutionum ſuarum perfectionem. Eorum autem, qui ſacra perficiunt ordo, in prima quidem vi ſacris myſteriis minus perfectos expiat: in media expiatos illuſtrat; in poſtrema atque ſumma vi ſacrificiorum eorum, qui diuini luminis participes facti ſunt, perfecta viſarum illuſtrationum ſcientia abſoluit. Eorum verò qui initiantur & perficiuntur vis prima eſt, quæ expiatur: media quæ ſecundum expiationem illuſtratur, & quæ nonnulla ſacra ſpectat: poſtrema quæ eadem cæteris eſt diuinior, ea quæ ſacrorum luminum, quæ ſpectauit, perficiente illuſtratur ſcientiâ. Ac ſancti quidem myſteriorum operis & muneris triplex via à nobis laudata eſt: ita vt ſacrum quidem ortum à Deo ſcriptorum diuinorum teſtimoniis expiationem, illuſtrationémque ſplendorem eſſe demonſtrauerimus: Synaxim autem, vnguentique ſacram cognitionem ac ſcientiam, quæ Dei opera perficiat, quâ ſanctè deducitur ad diuinitatem, quâ vnum facit, beatiſſimáque communio abſoluitur.*

Paucis iſta accipe à S. Maximo ad oculos in tabulis redacta,

Διαιρεῖται, *Diuiditur,*	ἡ τῶν τελετῶν ἱερουργία, εἰς *Sacrorum myſteriorum miniſterium, in*	κάθαρσιν. *Purgationem.* μύησιν. *Illuſtrationem.* τελείωσιν: *Perfectionem.*
	ἡ τῶν ἱερουργῶν διακόσμησις, εἰς *Eorum qui ſacra perficiunt ordo, in*	κάθαρσιν τῶν ἀτελέστων. *Purgationem eorum, qui rudes ſunt.* φωταγωγίαν τῶν καθαρθέντων. *Illuſtrationem eorum, qui expiati ſunt.* τελείωσιν τῶν φωτισθέντων· *Perfectionem eorum, qui illuſtrati ſunt.*
	ἡ τῶν τελουμένων δύναμις, εἰς *Initiatorum poteſtas, in*	καθαιρομένοις. *Purgandos.* φωτιζομένοις. *Illuminandos.* τελειουμένοις. *Perficiendos.*

Quibus paulo pòſt ſubiungit ordinis Eccleſiaſtici diuiſionem, *in expiatiuum, illuminatiuum, perfectiuum.* Sed & fusè S. Dionyſius epiſt. 8. ad Demophylum, Monachos omni illuſtrandi vi ac munere carere docet, & ideò nihil ſacerdotibus communicare poſſe, non eos reprehendere debere demonſtrat.

Quandoquidem igitur generis ea natura eſt, quæ omnibus ſpeciebus communis eſt: quis non ex hierarchicarum functionum omnium explicata à Dionyſio & Maximo naturâ, hierarchici actus eam eſſe rationem animaduertit, quam allatis definitionibus tradidimus? hierarchicum actum vniuerſim diximus eſſe ſuperiorum in inferiores. Quicunque ſunt actus hierarchici eos tales eſſe ſtatuit Dionyſius, ſtatuit Maximus: omnem actum hierarchicum ab ordine Eccleſiaſtico pendere docuimus: nullum actum hierarchicum, ſiue ille purgatio, ſiue illuminatio, ſiue perfectio dicatur, niſi ab ordine Eccleſiaſtico vel perfectiuo Epiſcoporum; vel illuminatiuo Preſbyterorum, vel purgatiuo Diaconorum fieri poſſe iidem ſancti Patres ſtatuunt. Poteſtatem ſeu iuriſdictionem in aliquos, ad actum hierarchicum requirimus. Ordo ſuperioris ad inferiorem, qui actui hierarchico à prædictis Patribus inſeritur, eandem iuriſdictionis neceſſitatem probat: & eorum omnium actuum, quos hierarchicos ſtatuunt, conditio id exigit: neque enim vllos actus hierarchicos recenſent, niſi vel explicationis ſacrorum & doctrinæ cæleſtis, quæ pro variis gradibus expiatoria, illuminatoria, perfectrix dicitur: vel confectionis & adminiſtrationis ſacramentorum, quorum potiſſima & omnibus neceſſaria numerat Baptiſmum, Confirmationem & Euchariſtiam: quibus ſolis homo quaſi per quoſdam gradus ab initio vitæ Chriſtianæ ad eius perfectionem deducitur. Ea verò poteſtatem ſeu auctoritatem in alios, quæ iuriſdictio Eccleſiaſtica dici ſolet, requirunt: nam ſicut doctrinam tradere nemo poteſt, niſi qui iuriſdictionem per miſſionem acceperit, docente Apoſtolo ad Rom. 10. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* ita nec ſacramenta adminiſtrare cuiquam licet, niſi ſubdito; nec paſtoribus licet paſcere niſi proprium gregem. Denique chariſmata ad actus hierarchicos requiſiuimus: ea verò ad eoſdem illos actus, ab ordine & iuriſdictione pendentes, neceſſaria, & ratio docet, & Patres prædicti confirmant, qui ſcientiam hierarchicam ad iſtos actus requirunt, & hos per illam definiunt. Itaque noſtris definitionibus per omnia Dionyſius & Maximus aſſentiuntur: fautores alios, ſeu potiùs auctores noſtræ ſententiæ quæris? duos alios adducimus, Antiochum Palęſtinum Monachum, & Theophylactum Bulgariæ Epiſcopum: prior homil. 123. quæ eſt de ordinatione Clerici, pluribus ex epiſt. 8. S. Dionyſii ad Demophilum Monachum, vnumquemque in ſui ordinis functione perſtare debere variis exemplis è ſcriptura peti-

tis ſtatuit, nec vllam hierarchicam functionem, niſi ab Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis agnoſcit, in quorum ordines inuolare eos oſtendit, qui aliquam ſibi temerè arrogarint. Sed apertiùs & breuiùs poſterior in cap. 19 Lucæ, nullam functionem hierarchicam iis, qui non ſunt initiati Eccleſiaſticis ordinibus, vel nullam in Eccleſia præſidentiam ſeu iuriſdictionem aut gubernandi, iubendique auctoritatem habent, tribuendam eſſe demonſtrat, quantumcumque ſcientiâ præditi ſint: ita ſiquidem loquitur, δοῦλοι δὲ αὐτοὶ οἱ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διακονίας πεπιστευμένοι, δέκα λεγόμενοι εἶναι, διὰ τὸ τέλειον τῆς ἐκκλησιαστικῆς προστασίας, ἡ γὰρ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τάξις τελείαν ἔχει τὴν τῶν προεστώτων διακόσμησιν, καὶ οὔτε πλείονας ἔδει εἶναι, οὔτε ἐλάττονας, οἷον λόγου χάριν, τρία ταῦτα ὁρῶμεν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ κάθαρσιν, φωτισμὸν, καὶ τελείωσιν· τρία δὲ τὰ ταύτας τὰς ἐνεργείας κληρωσάμενα τάγματα: οἱ διάκονοι καθαίρουσι διὰ κατηχήσεως, καὶ διδασκαλίας, οἱ πρεσβύτεροι φωτίζουσι διὰ τοῦ βαπτίσματος, οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ ἱερατικὰς τάξεις καθιστῶσι, καὶ τελειοῦσιν, ὅ ἐστι χειροτονοῦσιν. ὁρᾷς τὰ τάγματα πρὸς τὰς ἐνεργείας, καὶ οὔτε πλείω, οὔτε ἐλάττω, τὰ τῶν προεστώτων φημί. τούτοις οὖν τοῖς δούλοις διανέμει δέκα μνᾶς, τὰ χαρίσματά φημι ἃ ἑκάστῳ, δίδοται πρὸς τὸ συμφέρον. πᾶς γὰρ ὁ προστασίαν ἐγχειρισθεὶς, κἂν ἀνάξιος ᾖ, χάρισμα ἔχει ἐξ αὐτῆς τῆς χρίσεως, καὶ ἔστι τοῦτο μέγα ὄντως τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας, καὶ οἰκονομίας μυστήριον. *Serui autem illi ſunt, quibus in Eccleſia miniſterium concreditum eſt, Decemuirique dicuntur eſſe, propter perfectionem Eccleſiaſticæ præſidentiæ. Ordo enim in Eccleſia perfectam præſidentium diſpoſitionem habet: & neque plures oportebat eſſe, neque pauciores: vt exempli gratiâ, tria hæc videmus eſſe in Eccleſia, purgationem, illuminationem, & perfectionem. Operationes enim illas tres ſortiti ſunt ordines: Diaconi purgant per doctrinam, Presbyteri illuminant per baptiſmum, Epiſcopi ſacerdotales ordines ſeu hierarchicos conſtituunt & perficiunt, hoc eſt, ordinant. Vides ordines cum operationibus, & neque plures neque pauciores præſidentium ordines. Illis igitur ſeruis diſtribuit decem munera, hoc eſt, chariſmata, quæ vnicuique data ſunt in vtilitatem. Omnis enim cuicumque concredita eſt præſidentia, etiamſi indignus fuerit, chariſma habet ex vnctione ſua, id quod magnum diuinæ miſericordiæ ſacramentum eſt.* Audis quòd operationes hierarchicæ non plures ſint quàm ſacri ordines, quibus Eccleſiæ præſidentia ſeu iuriſdictio connaturalis eſt, & ideò ſicut ij tres ſunt Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, ita functiones hierarchicæ tres ſunt, purgatio Diaconorum officium, illuminatio Preſbyterorum, perfectio Epiſcoporum. Audis operationes iſtas ordinibus prædictis eſſe proprias, nec vllis aliis conuenire: nec nudis ordinibus proprias eſſe, ſed quibus iuriſdictio ſeu præſidentia adnexa eſt. Audis tandem chariſmatum donum ad eaſdem operationes neceſſarium, indigniſque etiam ordine & iuriſdictione præditis, chariſmata ſaltem aliqua dari: nam & ipſa poteſtas ſiue ordinis ſiue iuriſdictionis chariſma eſt. Audis nulla chariſmata hierarchica dici, niſi quæ ordinibus ſacris initiatis conueniunt.

Nec generalis Aduerſariorum reſponſio ſatisfacit, iis locis agi tantùm de actionibus ſpectantibus ad hierarchiam ordinis: quandoquidem conſtet ibi agi de actionibus, quæ ad hierarchiam ſpectant, quæ ſimul fit, & ordinis & iuriſdictionis, & chariſmatum, ſine quibus omnibus actionem hierarchicam non eſſe docent; nominatímque Theophylactus chariſmata hierarchica, nonniſi iis, qui ſacris ordinibus initiati ſunt & præſidentiam habent, conceſſa exponit: procul à Cellotij ſententia recedens, qui chariſmatum hierarchicas actiones abſque vlla præſidentia vel ordine Eccleſiaſtico ſtatuit. Cui refragatur Hugo Victorinus allatis Patribus conſentiens, dum lib. 9. Annotationum in cæleſtem hierarchiam Dionyſij ait, *Ducere dico hierarchicè, id eſt, ſecundum modum & menſuram prælationis ſuæ.* Et paulo pòſt, *Ideò hierarchicè ducunt, quia in eo, in quo prælati ſunt, duces eſſe non poſſunt.*

Neque prætermittendum Cellotium lib. 1. c. 8. actuum hierarchicorum naturam nec ſapere nec intelligere, dum nempe hierarchicorum actuum à Dionyſio traditorum interpretem agens alios nullo præeunte doctore confingit.

Primum ſtatuit admirationem ex ignoratione profectam: alterum Philoſophiam, ſeu ſcientiam, *Rationem ducem ſecutam & inueſtigatione tanquam venatico cane inſtructâ, quæ nuda ipſa & mera eſt cogitatio, in qua vehementer laborat intellectus, & reliquas animæ vires pene exhaurit: tertium ſuauitatis maioris contemplationem, quæ quoniam inueſtigatione non indiget, atque obiectum ſuum directiùs atque immediatiùs attingit, ſumma cum facilitate exercetur.* Quam ſententiam tam nouam, tam inſulſam, nullo niſi Ariſtotelis 1.

Metaph. c. 2. & Hugonis à S. Victore lib. 6. in c. 7 cæleſtis hierarch. detorto teſtimonio probari, quis non miretur? idoneus ſcilicet hierarchicæ explicationis teſtis Ariſtoteles, dum Philoſophiam ex ignoratione prognatam attendit, hierarchicæ operationis adſtruendæ fundamenta nobis egregiè ſubminiſtrat? ſed quàm aptus etiam huic veritati ſtatuendæ Hugo accerſitur teſtis; qui ſtuporis quidem, ſeu admirationis, illuminationis, & amoris, quæ in hominibus nonnunquam contingunt, citato loco meminit: ſed quòd actiones iſtæ ſint tres hierarchicæ functiones propriè dictæ, nec per ſomnium quidem cogitauit, fictio iſta magni hierarchicæ ſcientiæ magiſtri fabuloſa, & inanis eſt. Quis enim in Angelicis hierarchiis actiones iſtas hierarchicas ſibi fingat? an verò admiratio ex ignorantia profecta in Angelos cadere ſolet, vt hęc functio propriè hierarchica dicatur? an earum rerum quæ labore inueſtigari poſſunt, vel ab hominibus per diſcurſum colligi, Angelos ſubire poteſt ignoratio: an admiratio ſuperioris Angeli in inferiorem transfunditur, ſimúlque ignoranria ipſius mater á ſuperiori in inferiorem deriuatur: quemadmodum omnes hierarchicæ actiones à ſuperioribus in inferiores transfundúntur? ſcilicet Angeli ſuperiores, qui nonniſi in inferiores puriores reuelationis lucem tránsfundunt, & admirationem in aliis gignunt, & ignorantiæ tenebris eorum mentes obſcurant? An ſcientia inueſtigatione & labore comparata in Angelis locum habet, & Philoſophia illa ab Ariſtotele definita? ſine diſcurſu, ſine labore beati illi ſpiritus ſcientiam naturalium rerum ab origine ſua habent: ſed & ſi talis in Angelos caderet *ſcientia*, poſſétne illa hierarchica operatio dici, quam à principio diuinæ veritatis hauriri debere, & à ſuperioribus inferioribus communicari poſt Dionyſium & Maximũ paſſim, docent omnes hierarchicæ doctrinæ tractatores? Prophana Philoſophia, non ſancta, non ſacra, non hierarchica dici poteſt: in ea tamen ſicut & in ſimilibus functionibus etiam Angelicã hierarchiam conſiſtere docet homo doctrinæ de hierarchia & hierarchis callentiſſimus, qui *Dionyſij ſuppletor* haberi cupit; quaſi verò, qui hoc docet non Dionyſij doctrinam euertat, potiùs quàm ſuppleat. Miror tantùm Doctorem hierarchicarum functionum differenrias aſſignantem, & triplicem viam Deum cognoſcendi, triplicem hierarchiæ functionem aſſerentem, ita concludere. *In prima Philoſophorum Ethnicorum Theologiam fuiſſe arbitror: in ſecunda ſancti Dionyſij librum de diuinis nominibus; in tertia myſticam eius Theologiam confici.* Quaſi nempe Erhnicorum Philoſophorum Theologia, & ipſa functio ſit hierarchica, ac purgatio hierarchica dici poſſit, quam ſanctus Paulus, *vt deceptionem, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, non ſecundum Chriſtum reprehendit*, ad Coloſſenſes 2. de qua rectè dicit Tertullianus de præſcriptionibus, cap. 7. *Hæ ſunt doctrinæ hominum & dæmoniorum prurientibus auribus natæ, de ingenio ſapientiæ ſeculi, quam Dominus ſtultitiam vocans: ſtulta mundi in confuſionem etiam philoſophiæ ipſius elegit. Ea eſt enim materia ſapientiæ ſecularis temeraria interpres diuinæ naturæ, & diſpoſitionis: ipſæ denique hæreſes à philoſophia ſubornantur.* Quæ omnia confirmat lib. 5. aduerſus Marcionem cap. 19. Apologetici cap. 47 & de Reſurrectione carnis cap. 3. cui etiam concordant Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi myſtagogicâ 18. & alij. Secularis illa ſapientia, prophana, errorum ſeminarium, quam Iſidorus lib. 1. epiſt. 96. ἐχθρὰν τῆς ὄντως σοφίας, *veræ ſapientiæ inimicam* vocat, tibi fortè pro ſacra & hierarchica functione erit; hæreticorum Patriarchæ Philoſophi, Tertulliano aduerſus Hermogenem cap. 8. & Hieronymo initio libri contra Pelagianos ad Cteſiphontem; Ethnici quoque Philoſophi Hierarchæ tibi ſunt, ſeu hierarchicarum functionum miniſtri? Erroris an blaſphemiæ nomine hanc doctrinam notari ſatiùs ſit neſcio: vtroque certè nomine notari poſſe ſcio.

Propiùs ad veritatem accedit cap. 9. niſi quòd, ſi mentem Dionyſij aſſequi velit, non diuerſas ratione obiectorum actiones, purgationem, illuminationem & perfectionem ex eius mente ſtatuere debeat, ſed vnicam pro varietate ſubiectorum diuerſorum: nam ſicut Sol eundem aërem, eodem actu purgat. illuminat, accendit: ita diuina veritas ab Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis propoſita, purgat Catechumenos, quorum ſtatui ſufficit, quòd à neſcientia ſacræ doctrinæ purgentur, & primis doctrinæ Chriſtianæ elementis imbuuntur: eadem plebem fidelem illuminat, à qua nempè ex primo ſtatu tenebræ iſtæ diſpulſæ eſſe debuerunt, ſiue ad captum Catechumenorum Doctor loquatur, ſiue ſublimiorum myſteriorum doctrinam proponat.

Digitized by Google

Denique perficit eadem Monachos, quorum quò perfectior reliquâ plebe fideli conditio eſt, eo maioris debet eſſe veritatum diuinarum meditatio, & cæleſtis vitæ ducendæ cognitio. Nullam aliam definitionem iſtarum functionum agnoſcit Dionyſius libris ſiue de cæleſti, ſiue de Eccleſiaſtica hierarchia conſcriptis: placet ipſum de Eccleſiaſtica cap. 5. in cæleſtibus, primùm naturis, tum in hierarchicæ Eccleſiaſticæ ordinibus, id non obſcurè ſignificantem audire: de prioribus ita loquitur: αὗται γὰρ εἰς τὰς ὑποβεβηκυίας ἱερὰς τάξεις ἀγαθοειδῶς, καὶ ἀναλόγως διαπορθμεύουσι τὰς δωρουμένας αὐταῖς ἀεὶ θεουργικὰς γνώσεις ὑπὸ τῆς αὐτοτελοῦς, καὶ σοφοποιοῦ τῆς θείας νοῦς θεαρχίας· hæ in ſubiectos ſacros ordines benignè, atque pro captu cuiuſque data ſibi à perfecta ſapientiæque effectrice diuinitate rerum ſcientiam *cognitionémque diffundunt*. De poſterioribus verò ſimiliter diſſerit: Ἡ μὲν οὖν ἁγιωτάτη τῶν τελετῶν ἱερουργία πρώτην μὲν ἔχει θεοειδῆ δύναμιν τὴν ἱερὰν τῶν ἀτελέστων κάθαρσιν· μέσην δὲ, τὴν τῶν καθαρθέντων φωτιστικὴν μύησιν. ἐσχάτην δὲ καὶ τῶν προτέρων συγκεφαλαιωτικὴν, τὴν τῶν μυηθέντων ἐν ἐπιστήμῃ τῶν οἰκείων μυήσεων τελείωσιν. ἡ δὲ τῶν ἱερουργῶν διακόσμησις, ἐν μὲν τῇ δυνάμει τῇ πρώτῃ, διὰ τῆς τελετῶν ἀποκαθαίρει τοὺς ἀτελέστους. ἐν τῇ μέσῃ δὲ, φωταγωγεῖ τοὺς καθαρθέντας. ἐν ἐσχάτῃ δὲ καὶ ἀκροτάτῃ τῶν ἱερουργῶν δυνάμεων, ἀποτελεῖ τοὺς τοῦ θείου φωτὸς κεκοινωνηκότας ἐν ταῖς τῶν τεθεωρημένων ἐλλάμψεων ἐπιστημονικαῖς τελειώσεσιν· ἡ δὲ τῶν τελουμένων δύναμις, ἡ πρώτη μὲν ἐστὶν ἡ καθαιρομένη· μέση δὲ μετὰ τὴν κάθαρσιν, ἡ φωτιζομένη καὶ τινῶν ἱερῶν θεωρητική, τελευταία δὲ καὶ θειοτέρα τῶν ἄλλων, ἡ τῶν ἱερῶν φωτισμῶν, ὧν ἐγεγόνει θεωρὸς, ἐλλαμπομένη τὴν τελειωτικὴν ἐπιστήμην. *Ac ſanctiſſimum quidem ſacrorum myſteriorum munus ac miniſterium; primam quidem habet vim diuinæ ſimilem, ſanctam eorum, qui non ſunt initiati, ſúntque; vt ita dicam, imperfectiſſimi, expiationem: mediam autem illuminationem, eorum, qui iam expiati ſunt. Poſtremam verò, quæ eadem ſuperiores concludit, earúmque ſumma eſt, eorum qui inſtituti doctique ſunt ſcientiæ inſtitutionum ſuarum perfectionem. Eorum autem, qui ſacra perficiunt ordo in prima quidem vi ſacris myſteriis minùs perfectos expiat, in media expiatos illuſtrat: in poſtrema atque ſumma vi ſacrificiorum, eos qui diuini luminis participes facti ſunt, perfectâ viſarum illuſtrationum ſcientiâ abſoluit. Eorum verò, qui initiantur & perficiuntur, vis poſtrema eſt, quæ expiatur: media quæ ſecundùm expiationem illuſtratur, & quæ nonnulla ſacra ſpectat: Poſtrema quæ eadem cæteris eſt diuinior, ea quæ ſacrorum luminum ſpectant, perficiente illuſtrantur ſcientiâ.*

Audiſtis Dionyſium expiationem, illuminationem & perfectionem vtrobique diſtinguentem, nec tamen vnquam ab obiectis diſtinctionem iſtam petentem, ſed à ſubiectorum diſpoſitione, pro quorum ſcilicet captu diuina lux participatur, clariùs & perfectiùs, obſcuriùs vel imperfectiùs, neque aliam eſſe diſtinctionem purgationis, illuminationis, & perfectionis. Patet apertiùs ex eodem Dionyſio cap. 6. ſequenti in fine, vbi ſublimiores diuinioréſque naturas Angelorum pro proportione inferiorum ordinum ab ignoratione purgare, & diuinis illuſtrationibus complere, & abſolutâ ac perfectâ diuinarum intelligentiarum ſcientiâ imbuere docet, inferiores autem pro ſuo captu clariſſimâ diuini radij luce illuſtrari: Sed & paulò ſuperiùs idem Dionyſius dixerat, ὅτι κάθαρσις ἐστὶ ταῖς ὑφειμέναις οὐσίαις ἡ παρὰ θεοῦ τῶν πως ἀγνοουμένων ἔλλαμψις, ἐπὶ τελειοτέραν αὐτὰς ἐπιστήμην ἄγουσα τῶν θεαρχικῶν γνώσεων, καὶ τῆς ἀγνοίας ὧν οὔπω τὴν ἐπιστήμην εἶχον, οἷον ἀποκαθαίρουσα. *Purgationem eſſe in inferioribus naturis eorum quæ ignorantur, à Deo profectam illuminationem, quæ eas & ad perfectiorem diuinarum rerum ſcientiam deducat; & ab ignoratione earum, quarum nondum ſcientiam habebat, purget ac liberet.*

Quo teſtimonio S. Thomas primâ parte quæſt. 106. art. 2. ad 1. tres iſtas functiones eandem eſſe actionem dicit, quæ dicatur purgatio quatenus tollit ignorationem, illuminatio, vt illuminat intellectum, perfectio, vt per veritatem cognitam intellectum conſummat, *Sicut*, inquit, *ſi dicamus viſum corporalem purgari, in quantum remouentur tenebræ: illuminari verò in quantum perfunditur lumine: perfici verò, ſecundum quod perducitur ad cognitionem colorati*, quem modum interpretandi tres iſtas functiones amplectitur etiam S. Bonauentura in 2. ſent. diſt. 10. art. 2. in fine. Quæ omnes explicationes planæ ſunt, & omni difficultate carent in hierarchia cæleſti, cuius ordines per iſtas functiones tanquam diuerſæ rationis & naturæ minimè diſtinguuntur, quantumcunque ſuperiores perficere potiùs quàm illuminare dicantur ob perfectionem reuelationis quam communicant, quâ nulla maior ſit; medij potiùs illuminare cenſentur, quia vim quidem inferiores illuminandi à ſuperioribus habent, ſed ſuperiorem inferioribus. Vi-

timi tandem potiùs purgare dicendi ſunt, quia aliis ſuam puritatem ſeu liberationem ab omni creaturarum diſſimilitudine, quibus diuinas reuelationes communicant, pro ſuo modulo impertiuntur; veritates illis reuelantes non à creaturis petitas, ſed ab ipſo Deo hauſtas, vt explicat S. Dionyſius cap. 3. de cæleſti hierarchia. Sed in Eccleſiaſtica hierarchia maior eſt difficultas rectè explicandi iſtas functiones, eáſque ſingulis prædictis ordinibus accommodatè tribuendi, vt ſcilicet Epiſcoporum ordo purgandi, illuminandi, ac maximè perficiendi vim habeat, atque ideò perfectiuus dicatur; Preſbyterorum, vt poteſtate perficiendi careat, purgandi virtute, præſertimque illuminandi præditus ſit, ob ídque illuminatiuus appelletur: denique Diaconorum ordo purgandi ſolùm vim habeat, atque ideò vocetur purgatiuus, ſeu expiatiuus. Iuxta eam tamen explicationem, quæ veritatis diuinæ reuelationem in initio purgationem vocat, eandem in progreſſu illuminationem nominat, & in fine perfectionem; facile eſt tam ordinum ipſorum functiones à ſe inuicem diſcernere, quàm Monachorum, plebis fidelis, & immundorum ordines ſuperare. Ita tamen, vt ſtatus potiùs & conditionis diſcentis habeatur ratio, qualis eſſe debeat, quàm qualis ſit: nam, verbi gratiâ, quia Catechumenus in eo ſtatu verſatur, in quo non eſt neceſſe, quòd gnarus diuinæ legis ſit pœnitens, item ad eum ſtatum decidit, in quo qui conſiſtit, didiciſſe videtur Chriſtianas veritates; ideò eorum inſtructio purgatio eſt, & committitur Diacono, cuius eſt immundos ab ignoratione ſua & neſcientia liberare. Plebs fidelis ex ſuo ſtatu Chriſtianæ vitæ principia debuit edocta eſſe, ei verò ſufficit, ſi Chriſtianas veritates ad communem vitæ rationem ineundam neceſſarias ſciat, ideò plebis inſtructio, cui nimirùm eò vſque progredi ſufficit, nec ad conſilia ſublimioris perfectionis vlteriùs aſpirandi obligatio imminet, vocatur illuminatio, ac Preſbytero committitur: Monachi verò inſtitutio perfectio dicitur, cui ſcilicet, vt colliges ex Dionyſio cap. 1. & 6. dictæ Eccleſiaſticæ hierarchiæ, neque purgari ab ignoratione diuinorum myſteriorum, neque illuminari communibus vitæ Chriſtianæ præceptis ſufficit, niſi etiam pro modo ſuo ad ſummam perfectionem transferatur, & vitæ ſingularis inſtitutum amplectens à rerum diuinarum coniunctionibus abſtractus, vitam *vniuſmodi*, & per eam diuinæ vnionis perfectionem conſequatur. *Quamuis enim*, vt ait Dacrianus Abbas in Speculo, *obligatus non ſit ad perfectionem peruenire, eſt tamen ex ſua profeſſione obligatus adniti, quantum in ſe eſt, vt ad illam perueniat.* Itaque propter iſtam perfectionem huius inſtitutio, quæ fit per regulas Monaſticas, Epiſcopo tribuitur, cui ſcilicet regulam Monaſticam Monacho ſeruandam ptoponere ac præſcribere, vel iam ſactam approbare ſoli conuenit: atque ita commodè interpretari poſſumus S. Dionyſium, dum nempe Epiſcopis perfectionem, Preſbyteris illuminationem, Diaconis purgationem attribuit: primis Monachos peculiari titulo ſubiicit, mediis plebem fidelem, poſtremis immundos ad Chriſtianæ vitæ regulam vel primùm formandos, vel poſt lapſum reformandos.

Quòd ſi à ſancti Dionyſij mente paululùm diſcedere liceret diuerſa eruditionis Chriſtianæ capita diſtinguere poſſemu, de quorum primo, quod ad diſciplinam exteriorem attinet, quicunque inſtrueretur, purgari dici poſſet, & expiari: quippe cùm exterior iſta diſciplina in ſeparatione mundorum ab immundis, & ſacrorum à prophanis (quæ etiam à Dionyſio cap. 5. parte 1. libri de Eccleſiaſtica hierarchia purgatio dicitur) præſertim ſita ſit: illuminatio verò in bene beatéque viuendi præceptis, quibus qui imbuitur, iam videre incipit, & illuminari, cùm anteà cupiditatum caligine offuſus cœcutiret: denique fidei doctrina perfectio diceretur, quæ perfectiſſimum eſt viatori quoad intellectum & præſtantiſſimum ornamentum; quorum munerum diſtributio ſingulis hierarchicis ordinibus propria aſſignatur à Clemente Romano ep. 3. iis verbis, *Audire Epiſcopum attentiùs oportet, & ab ipſo ſuſcipere doctrinam fidei; monita autem vitæ a Presbyteris inquirere, à Diaconis verò monita diſciplinæ.* Et ſanè hæc officiorum partitio commoda & opportuna videbitur ei qui in antiquos Eccleſiæ mores oculos coniecerit. Certũ eſt enim per Diaconos Eccleſiæ ordinem & diſciplinam maximè procuratam, vt patet ex Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2 cap. 57. Diaconúmque Epiſcopi miniſtrum fuiſſe, qui legem Eccleſiæ & Epiſcopi voluntatem in iis quæ ad diſciplinam ſpectarent, ſingulis ſignificaret, ratione cuius officij, *os Epiſcopi* vocatur eiuſdem lib. 44 itémque *Angelus*, cap. ·o Certum eſt ſimiliter monita bene beatéque viuendi Preſbyteris conuenienter tribui, quos nempe Epiſcopi plebibus ad pietatem informandis præficere ſolent.

Digitized by Google

lent. Denique etiam certum, Epiſcopis doctrinam fidei præ cæteris ſingulari priuilegio attribui, in quantum controuerſarum circa fidem quæſtionum deciſio, ac iudicium nonniſi Epiſcopis permittitur.

Poſſemus & Diaconis purgandi, Preſbyteris verò illuminandi vim tribuere, quia nempè Catechumenis ſacris doctrinis imbuendis non integra, ſed imperfecta myſteriorum fidei cognitio tradebatur; ſed aliorum quorumdam reuelatio poſt Baptiſmum tradenda reſeruabatur ex Synodo Alexandrina apud Athanaſium, Apolog. 2. ex Cyrillo Hieroſolymitano in Præfatione Catecheſeωn, Nanzianzeno orat. 40. de Baptiſmo, Gaudentio Brixiano tractatu 2. *regreſſis à fonte Neophytis*, Auguſtino tractat. 11. in Ioannem, & aliis paſſim: quæ differentia inſtructionum facit, vt prima & imperfecta purgatio, ſecunda illuminatio dici poſſit; prima Diaconis conueniat, quibus ad illuminantia Sacerdotum ſacra eos, qui expiati ſunt, deducere, & nondum initiatos expiantibus Scriptorum diuinorum ſplendoribus inſtituere conuenit, ex Dionyſio cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ: Altera, quæ Baptiſmum ſequebatur, Preſbyteris ſaltem, quemadmodum & ipſa Baptiſmi ordinaria collatio reſeruetur. Denique perfectio doctrinæ Epiſcopo peculiariter adſcribatur, qui nempe & Monachos perfectioris vitæ rationem edocere, & Clericos ad officia ſua ritè exequenda informare debet, Chriſtianorum cuiuſcunque conditionis Doctor & Magiſter.

Theophylactus in cap. 19. Lucæ tribus iſtis ordinibus prædictas tres functiones alio ſenſu attribuit, quòd ſcilicet Diaconi Catechumenos ex proprio officio inſtruant, & ad Baptiſmum diſponant, Preſbyteri Baptiſmum conferant, quem paſſim Dionyſius, ſed præſertim cap. toto 2. de Eccleſiaſtica hierarchia φώτισμα appellat; Epiſcopi Sacramenta perfectiua, ſeu quæ in ordine perfectorum hominem conſtituunt, & eum ſignaculo quodam à reliquis diſcernūt, quales ſunt Confirmatio & Ordo, ſoli adminiſtrent. Theophylacti verba iam audiuimus, quæ iterùm Latinè reteximus, ne quid huic loco neceſſarium deſit. *Diaconi*, inquit, *purgant per doctrinam, Presbyteri illuminant per Baptiſmum, Epiſcopi ſacerdotales ordines conſtituunt & perficiunt, hoc eſt ordinant. Vides ordines cum operationibus, & neque plures neque pauciores.*

Aliam Simeon Theſſal. functionum differentiam Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi aſſignat cùm de eadem ediſſerit; cùm enim dixiſſet eos, qui tabernaculo conſecrantur in tres ordines diſcerni, Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos, expreſsè ſtatim ſubiungit: *Quorum*, inquit, *Epiſcopus dicitur φωτιστικὸς, illuminatiuus; vt pote qui diuini luminis impertiendi auctoritate pollet: omnes enim ab eo accipiunt inaugurationem, & characteres, ſacerdotes & Clerus, dedicationem, templa, Baptiſmum, remiſſionem peccatorum, ſanctificationem, myſteriorúmque communionem laici: omnia vt ex lumine fontis gratiæ Epiſcopalis: Presbyter autem dicitur τελεστικός ſanctificatiuus, vt pote cui tantùm ad ſacra peragenda ſacrificatoria, non autem communicatória gratia data ſit. Baptizat enim & ſacris operatur: non poteſt autem initiare ordinibus, nec alium creare Sacerdotem, aut quicumque ſunt de ſacro ordine: Diaconus, λειτουργικὸς miniſtratorius dicitur, vt qui miniſtri locum teneat, & citra Sacerdotem facere nihil poſſit, quod eſt vltimi ordinis Angelici.* Iuxta hanc explicationem exulare debet diſtinctio functionum à Dionyſio tradita, & Epiſcopus tanquam omnis doni & gratiæ fons in Eccleſia Dei, ſeu luminis omnis diuini auctor illuminatiuus dicetur, Preſbyter à ſacrificio ſacrificatiuus, ſeu ſacra operans, ac proinde τελεστικός; Diaconus in omni miniſterio primum locum tenens λειτουργικός, ſeu miniſterialis hierarchicæ functionis auctor nominabitur.

CAPVT III.

Vtrùm pſalmodia & recitatio Horarum Canonicarum, itémque Mortificatio, ſiue in Clericis, ſiue in Monachis, ſint in aliquo ſenſu actus hierarchici.

ARTICVLVS PRIMVS.

De pſalmodia & recitatione Horarum Canonicarum.

PRIMA quæſtio mouetur de pſalmodia ſacra, & recitatione Horarum Canonicarum, quatenus ex officio Clericis incumbit, vel Monachis, v.g. pſalmodia: Canonicis, recitatio Horarum Canon. Clericis in ſacris Ordinibus conſtitutis, vel Beneficium Eccleſiaſticum habentibus, vel Monachis aut Monialibus ad chorum deſtinatis, de qua ſecundum ea, quæ notauimus, hæc eſt noſtra ſententia.

Primò quidẽ ſtrictè & propriè iſtas actiones hierarchicas dicendas non eſſe: tum quòd ſolis hierarchicis ordinibus propriæ iſtæ functiones non ſint, ſed etiam Pſalmiſtatum ordini, & Clericorum Beneficia ſimplicia, vt vocant, habentium, ſolâ tonſurâ Clericali inſignitorum, quibus propriè ſacer Principatus non conuenit; tum quòd nec à virtute hierarchica ſeu ſacro Principatu propriè dicto iſtæ functiones profluunt, tum quòd nec circa ſubditos ferantur, nec ſint ſacrorum operationes ſeu τελεταρχίαι ἱεραὶ, quarum ſcilicet duo tantùm genera admittit Dionyſius c. 2. Eccleſ. hier. ἱερουργίας ſcilicet, ſeu *ſacrorum operationes*, cuiuſmodi ſunt Baptiſmi, Eucbariſtiæ, Confirmationis, quas ex profeſſo explicat c. 2 3. & 4. & ἱερολογίας, ſeu *ſacræ doctrinæ explicationes*, quibus immundi purgantur, fideles inſtruuntur, & confirmantur, ſacri Monachi perficiuntur, c. 5. & 6. eiuſd. lib. nullos alios actus hierarchicos, tum iis locis, tum cap. 3. cæleſt. hierarch. quibus de iis pleniùs tractat, tum alios paſſim, admittens, quàm iſtos, quos ad purgationẽ, illuſtrationem & perfectionem refert: igitur cæteri actus Dionyſio propriè non ſunt hierarchici, ſicut nec commentatoribus eius, qui ipſius mentẽ ſecuti ſunt: quos proinde hierarchicos dicere temerarium eſt. Confirmatur, nam vnicum aduerſariis effugium eſt, vt dicant Dionyſium de ſola hierarchia ordinis, non vniuersè de hierarchia tractaſſe; quod effugium vbi agitur de ſacris precibus, quas ex officio Clerici pro omni populo perſoluunt, aduerſariis patere non poteſt: ſi enim huiuſmodi preces hierarchicæ functiones forent, ad hierarchiam ordinis ſpectarent potiùs, quàm ad hierarchiam, aut iuriſdictionis, aut chariſmatum, ideóque à Dionyſio excludi ab actibus hierarchicis minimè debuiſſent.

Secundò, impropriè tamen & meliori titulo pſalmodia, vel recitatio Horarum Canonicarum, quæ ex officio fit à Clericis, iis præſertim, qui in Eccleſiis Epiſcopalibus, & Parochialibus deſeruiunt, dicuntur functiones hierarchicæ, quàm eædem orationes, vt fiunt à ſimplicibus Monachis nullâ Clericali dignitate inſignitis, vel à Monialibus.

Primò, quia obligatio priorum fundatur in ordine ſacro Subdiaconatus, vel in Eccleſiaſtico Beneficio proximè, & remotè in tonſuræ Clericalis ſuſceptione, ſine qua omnis de Eccleſiaſtico Beneficio prouiſio irrita eſt: vtraque autem diſpoſitio ad hierarchiam magis ſpectat, quàm profeſſio Monachatus, in qua poſteriorum conſuetudo vel obligatio pſallendi, ac preces Canonicas recitandi, fundatur: quippe cum aliquo ſenſu, tum tonſura ipſa Clericalis, tum ordines Eccleſiaſtici hierarchici dicuntur, non autem profeſſio Monachatus, vt ſuprà inſinuauimus, & infrà fuſiùs probabimus.

Secundò, quia Clerici per ſacram ordinationem, imò etiam tonſuræ Clericalis ſuſceptionem deſtinati ſunt à populo, qui pro eo orent, quemadmodum & tribus Leui in antiqua lege pro toto populo diuinis officiis vacatura, à Deo ipſo electa fuerat. Vnde & definiuntur Clerici, *Qui diuino cultui miniſteria religionis impendunt*, l. 2. Cod. Theodoſiani, *de Epiſcopis & Clericis*, ac ſi dicerentur ij, qui conſecrantur ad diuinum cultum, & religionis officia pro cæteris exhibenda, vt capite ſuperiori docuimus. Atque ideo ex

deſtinatione Eccleſiæ, ex munere officióq; publico, totiúſq; Eccleſiæ nomine pro populo precantur, dum *penſum ſeruitutis ſuæ* (vt loquitur vetus Canon Concilij cuiuſdam, quod Agathenſe nominat Burchardus lib. 2. Decreti cap. 104. Iuo Carnotenſis part. 6. Decreti cap. 181. Gratianus Can. Presbyter diſtinct. 91. & Gregorius Decretalium cap. 1. de celebratione Miſſarum exoluunt: dum, vt ait ſanctus Eligius homilâ 9. in Cœna Domini, *Canonicis Horis quotidie, iuxta ritum Eccleſiaſticæ traditionis, Pſalmodiis, precibúſque conſuetis, Dominum rogare & laudare non deſiſtunt.* Monachi verò & Moniales per profeſſionem Monaſticam ad iſtas preces, Pſalmodiáſque non conſecrantur ex prædictis, nec qui ex ipſis huic numero ſecundum regulas ſuas vacaturi deſtinantur, ſelecti ſunt, vt nomine publico id officij exequantur: ſed vt eo fungantur, ad propriam exercitationem, & vitæ profectum, non ad totius populi ab onere iſto publicam liberationem. At quæcunque actio publico nomine, & ex publico officio ac munere fit ex deſtinatione Hierarchæ ſeu Epiſcopi, hæc quodammodo eſt hierarchica, non quæ priuatis perſonis cuiuſcumque Corporis vel Collegij ab ipſis etiam Hierarchis præſcribitur. Igitur potiori iure Pſalmodia Clericorum, & recitatio Horarum Canonicarum, quæ ratione ordinis, officij, vel beneficij Eccleſiaſtici imponitur, eſt hierarchica, quàm eadem munia prout à Monachis vel Monialibus alio titulo præſtantur.

Confirmatur hæc ratio, etenim argumentum eſt non obſcurum, quòd alterius nomine & in alterius gratiam aliquid factum probetur, dum operi ſtipendia ab alio debentur: è contra verò quòd in alterius liberationem, ſeu nomine publico officium aliquod factum non ſit, pro quo ſtipendia publica non debentur; id enim non ſolùm æquitas naturalis oſtendit, verùm etiam canonicæ & ciuiles leges indicant, putà Canon, *Quicumque*, 12. quæſt. 4 Lex *Pomponius*, in fine, & lex ſequens, *ſed an vltro, ff. de negotiis geſtis*, quibus addendæ illæ omnes, quæ ſtipendia operarum, nonniſi ex ſtipulatione vel reali ſcilicet, vel ex æquitate præſumptâ, deberi probant: demonſtrant enim iſtæ, quòd quandocunque ſtipendia debentur, quædam procuratio operas iſtas præſtantibus commiſſa ſit alieno nomine agendi quod faciunt: è contra verò quibus ex gratitudine tantùm eleemoſynæ pro operis præſtitis conceduntur, non ſtipendia debentur, falsò ipſos alienum nomen prætendere, & alieni officij curam ad ſe trahere. Atqui Clericis ſaltem iis qui ex mandato Epiſcopi Eccleſiis populi deſeruituri adſcribuntur, debentur pro precibus, & recitatione Horarum Canonicarum à plebe ſtipendia publica, Monachis autem precantibus & pſallentibus, nulla debentur. Igitur ſignum eſt illos ex officio publico, & quaſi nomine publico orare, & pſallere, hos verò minimè.

Minor probatur primò ex comparatione ſtatus nouæ legis cum veteri: in hac ſiquidem, quæ fuit vmbra & typus futuri in lege gratiæ ſacerdotij, miniſteriíque publici Pontifici, Sacerdotibus & Leuitis pro miniſterio, quòd impendebant templo, pro ſacrificiis quibus vacabant, & diuinæ Religionis officiis, quæ procurabant, decimæ, primitiæ, & alia id genus tanquam tributa, ad eorum ſuſtentationem à cæteris pendebantur, Numer. 18. quo proinde loco *portare* dicuntur *peccata populi*: ſicut etiam Ozeæ 4. *peccata populi comedere* dicuntur, filiis autem Prophetarum, qui ſecundum aduerſarios, Monachos referunt, nulla ex populis conſtituta ſtipendia leguntur; ſicut nec Phariſæis nullo publico officio fungentibus, aut Eſſenis, qui religioſæ vitæ ſpeciem præferebant: quinimò Phariſæum gloriantem in Euangelio, Luc. c. 18. legimus ſe decimas dare omnium quæ poſſidebat: tantum abeſt vt ſibi decimas religioſæ vitæ prætextu debitas putaret, quinimò Leuiticæ tribui à ſe perſoluendas fateretur. Similiter ergo Clericis pro ſacris miniſteriis, & publicæ religionis officiis, quæ impendunt ſtipendia debentur. Quam comparationem vrget Paulus 1. Cor. 9. Clemens Conſtit. Apoſt. lib. 2. cap. 9. & 34. vrget Cyprianus epiſt. 66. vrgent & alij paſſim.

2. Hanc differentiam clarè & apertè agnoſcit Hieronymus epiſtolâ 1. ad Heliodorum iis verbis, *Alia cauſa eſt Monachorum, alia Clericorum, Clerici paſcunt oues, ego paſcor, illi de altari viuunt: mihi quaſi infructuoſæ arbori ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad altare non defero.*

3. Quod ad Clericos ſpectat, eos etiam, qui inferioribus ordinibus conſtituti, altari deſeruiunt, & publicæ religionis officiis, ſeu aliis mancipati ſunt, à populo ſtipendia percipere debuiſſe oſtendit, tum viſus veteris Eccleſiæ in Conſtitutionibus Apoſt. lib. 2. cap. 25

citato, & apud Cyprianum epiſt. 34. *66.* & alios paſſim, tum Eccleſiæ praxis ſecuta: nam prioribus quidem ſæculis Clericos omnes in Eccleſiis populi conſtitutos, à populo quoque ſtipendia accepiſſe innumeris documentis exploratum eſt, permiſſum poſteà in Concilio Chalcedonenſi Can. *6.* vt in Martyriis & Monaſteriis Clerici ordinarentur, ita ſcilicet, vt qui Martyriis adſcripti eſſent, ſeu Oratoriis, ij ſtipendiis quibuſdam donarentur, quæ in fundationem iſtorum relicta fuerant (neque enim Oratoria indotata erigi licebat, ex Conc. Brach 2. Can. 5. Toler. 3. Can. *9.* Mogunt. ſub Arnulpho Can. 4. Vormacienſi Can. *6.* & 55. Troſleiano Can. *6.*) ideóque ij pro fundatoribus Oratoriorum oraturi, ab iis quoque reditus conuenientes accipiebant. Quemadmodum & Clericos pro Monaſteriis ordinatos Monachi alere tenebantur. Reliqui verò Clerici, qui Eccleſiis populi, ſeu Epiſcopalibus ſeu parœcialibus, quas iam vocant, adſcribebantur, ij oraturi pro populo & in eiuſdem gratiam, eiúſq; nomine precaturi, ſtipendia quoque accipiebant à populo, & de bonis Eccleſiæ alebantur, vt tum ex pluribus, tum etiam ex variis Can. relatis 12. q. 1. probari poteſt: quæ omnia diligenter examinare non eſt noſtri inſtituti. Ideóq; Clerici vocabantur, quòd de bonis Domini viuerent, teſte Auguſtino in Pſal. 67. Iſidoro de Eccleſiaſt. officiis lib. 2. c. 1. Aquiſgranenſi Conc. c. *99.* & aliis paſſim. Iuxta quam conſuetudinem Innocentius III. Zamorenſi Epiſcopo cap. *Cùm ſecundùm de præbend. & dignitat.* prædicta confirmat, *Cùm*, inquit, *ſecundum Apoſtolum, Qui altari ſeruit, viuere debet de altari, & qui ad onus eligitur, repelli non debet a mercede. Patet à ſimili, vt Clerici viuere debeant de patrimonio Ieſu Chriſti, cuius obſequio deputantur, vt ipſa ratio nominis perſuadet.* & paulò pòſt, *dignum eſt, vt Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtententur, in qua & per quam diuinis obſequiis adſcribantur.* Vnde rigorem quidem antiquorum Canonum relaxat, qui ordinationes ſine titulo factas irritas declarabant; per Epiſcopos tamen iis prouideri mandat, qui nulli titulo adſcripti ordinantur, donec Eccleſiaſtica beneficia conſequantur. Quod etiam ſeruari optaſſe videtur Synodus Tridentina variis decretis. Itaque ex toto iſto diſcurſu patet Clericos ex prima ſua inſtitutione pro populo precari, & ideò ſtipendia à populo accipere debere: ſi qui priuatis poſteà Oratoriis adſcripti ſunt, eos priuatim pro quibuſdam precaturos ab iis ſtipendia quoque mereri: corruptelam eſſe, quòd nulli titulo addicantur: ac proinde ſaltem, qui Eccleſiis populi deſeruiunt, publicum officium gerere, cui publicum ſtipendium adnexum ſit.

4. De Monachis è contra & Monialibus patet eis nulla à populo deberi ſtipendia, quinimò decimas ipſis Sacerdotibus, vt precentur, & Deum colant, ab ipſis iure communi deberi, cap. *Veniens, de Tranſact.* cap. *Commiſſum, de decim.* Can. *Cunctis*, parag. 1. 16. q. 1. & ante Concilij Moguntini & Paſchalis II. priuilegium ipſis conceſſum perſoluere ſolitos ipſos fuiſſe decimas etiam ex laboribus ſuis, notat Gloſſa 2. in cap *Ex parte*, de decimis. Si quid eis collatum ſit ab Eccleſia ſiue ex decimis ſiue aliis, id per modum eleemoſynæ tanquam pauperibus datum, non tanquam ex officio publico militantibus perſolutum fuiſſe, colligitur ex Canonibus finalibus 12. quæſt. 2 & 16 quæſt. 1. quâ probatione concludo Monachos tanquam voluntariam & gratuitam militiam profeſſos, ſtipendiis carere, quòd nullo publico officio fungantur, nec in cohortes ſacri Principatus, quibus populus ſtipendia perſoluit, adſcribantur. Cæteros autem etiam inferiorum ordinum & graduum Cantores, Pſalmiſtáſque, tanquam tyrones militiæ, in cohortibus iſtis hierarchicis diſpoſitos pro functionibus tanquam publico nomine geſtis ſtipendium recipere.

Vltimam probationem adiungimus, quia nempe eiuſdem eſt orare pro populo nomine publico, & ex officio publico, cuius eſt Dei voluntatem populis notam facere. Vtrumque enim munus ad eos ſpectat, qui internuntij ſunt, & quodammodo mediatores inter Deum & populum, qui ſunt veluti Angeli, iſti Iacob aſcendentes ad Deum orandum ac contemplandum: deſcendentes verò ad inſtruendos homines & monendos, ſeu, vt ait Bernardus ſermone 6. in dedicatione Eccleſiæ, *Aſcendentes, vt videant faciem Patris, deſcendentes, vt prouideant nobis*: atqui Monachi ſpectatâ ſolâ ratione Monachatus, docere populum publicè non conuenit: igitur nec publico nomine orare pro populo. Ea verò duo munera potiſſimùm Paſtoribus conueniunt: & Clericis inferioribus, in quantum, ad Eccleſiaſticam præfecturam appropinquant, & dignitatis ſacerdotalis participes redduntur. Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 2. capite vigeſimo quinto, Epiſcopos *τοὺς μεσίτας Θεοῦ καὶ τῶν πιστῶν αὐτοῦ, mediatores Dei & fidelium eius*

Digitized by Google

voeant. Gregorius Nazianzenus oratione poſt medium pag. 37. Sacerdotem dieit *μεσιτείαν Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, mediatoris officium inter Deum & homines* ſuſcipere. Sine heſitatione Clemens Alexandrinus aſſerit lib. 7. Stromatum. Quicumque aliorum docendorum præfecturam nacti ſunt tanquam mediatores hominem Deo coniungere: Sacerdotem quoque Chryſoſtomus lib. 6. de Sacerdotio, Hieronymus epiſtolâ ad Fabiolam, & in cap. 2. Malachiæ, Iſidorus Peluſiota, lib. 1. epiſt. 348. Gregorius 1. part. Paſtoralis cap. 11. eodem *Mediatoris* elogio exornant: cuius officium graphicè depingit Chryſologus, *Verſatur inter altaria ſemper, peccatorum cauſas, dolores populi ſuſcipit, fert, offert, ingerit preces, reſtituit impetrata, ex homine totus in Angelum ſubſtituitur.* Hæc licèt de primi ordinis ſacerdotibus potiſſimùm dicta ſint, reliquis tamen prout ad ſacerdotalis ordinis dignitatem propiùs vel remotiùs accedunt, & Eeeleſiaſticæ præfecturæ ac muneris regendi animas plus minùſve ſuſcipiunt, magis vel minus conueniunt. Nam in Scripturis ſacris animarum præfectura, & ſacerdotale miniſterium, legatio quædam eſt 2. Corinth. 5. Monachiſmus talis legatio non eſt: aliorum curam nullam habet, cur ex officio publieo pro iis orare dicatur, priuatus ipſe, & priuatim ſibi vacans; ſibi viuit, ſibi vincit: aliorum eatenus ſolicitus, quatenus charitas imperat, non officij publici ratio expoſcit. Hæc ſententia veterum Monachorum fuit lib. 5. de vitis Patrum libello 11. Num. 41. dixiſſe ſenex quidam Monachus refertur, *Sicut miles & venator proficiſcentes ad propoſitum ſibi laborem, non cogitant vtrum vulneretur aliquis vel illæſus maneat alter: ſed vnuſquiſque pro ſe certat, ita oportet & Monachum eſſe.* Hæc pariter Theologorum omnium ſententia eſt, quam iis verbis diſertè expreſſit veſter Suares lib. 4. de Horis Canonicis cap. 9. *Quamuis enim ſemper principalis finis chori ſit laus Dei, & communis Eccleſiæ deprecatio, & ad deuotionem excitatio iuxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 83. art. 12. & q. 91. art. 1. tamen interdum in tali loco, ſeu congregatione introducitur principaliter ad vſum populi, vt habeat diuina officia publica, quibus intereſſe poſſit, & Deum precari, vel laudare per communes miniſtros eius ſuo modo cooperando, vel aſſentiendo. Aliquando verò in aliqua congregatione inſtituitur, primò ac principaliter propter vſum talis congregationis, & perſonarum eius, quæ ad chorum deputantur, vt in illo religioſe, & præſtantiſſimo actu occupentur, priori modo eſt chorus ordinariè inſtitutus in Eccleſiis Clericorum ſæcularium, in quibus Clerici conſtituuntur tanquam miniſtri publici diuinorum officiorum pro commoditate, & vſu totius populi: & de hoc intelligo, quod D. Thomas opuſculo 16. cap. 5. dixit orationibus & pſalmis vacare in Eccleſia diuinum officium celebrando, eſt quoddam opus publicum ad Eccleſiæ ædificationem ordinatum. Poſteriori autem modo videtur principaliter inſtitutus chorus in religionibus, quibus ex proprio inſtituto conuenit profiteri chorum. Nam licèt contingere poſſit vt miniſtri deputati ad cantum pro vſu totius populi religioſi ſint: vel quòd Religio aliqua aſſumat hoc munus ad inſeruiendum populo: tamen per ſe ſine vllo reſpectu ad populum audientem ſolet hoc munus inſtitui in Religionibus Monachalibus ad ipſorum Religioſorum laudabilem occupationem. Nam quia diuino cultui dedicantur, & non ſemper poſſunt internæ meditationi, vel contemplationi intenti eſſe, nec labore manuum, aut alia exteriori actione ſemper occupantur, inſtitutus eſt eis chorus, in quo ſanctè & vtiliter otientur & occupentur, etiamſi nullus populus, propter quem canant, neque eorum vita & inſtitutum ad aliorum vſum per ſe ordinetur.* Lege in eandem ſententiam D. Thomam quæſt. 31. ſupplement. art. 1. Bellarminum lib. 2. de verbo Dei cap. 16. docentem, *ſolis Clericis relictum eſſe, vt communes preces, & laudes in Eccleſia perlegant.* Gretſerum in defenſione eiuſdem capitis aduerſus Iunium idipſum confirmantem, & alios paſſim. Verùm quandoquidem diximus Eccleſiæ Præſides duo iſta officia habere, & docendi populum, & precandi pro populo, illud ſolum offieium propriè & ſtrictè hierarchiam cenſet S. Thomas, quòd in docendo conſiſtit. Secundâ ſiquidem ſecundæ quæſt. 181. art. vlt. ad 2. vtrumque iſtum actum eontemplationis, ad quam reducitur oratio, & doctrinæ in Angelis, quos aſcenſus eorum & deſcenſus interpretatur, nonniſi in poſteriori purgationem, illuminationem & perfectionem vnius Angeli ab alio, ac proinde eos, qui hierarchiei dicuntur actus, agnoſeit.

Digitized by Google

ARTICVLVS II.

Vtrùm auſteritates & mortificationes vitæ Religioſæ aliquo ſenſu ſint hierarchicæ.

MVLTÒ minùs verò dici poſſunt ieiunia & mortificationes Monachorum, eo ſenſu actiones hierarchicæ, quòd à Monachis quaſi nomine publico, & quaſi ex officio publico ad theſaurum Eccleſiæ dotandum ſuſcipiantur; vel ad id conſecrati ipſi ſint, vt iis operibus laborioſis pro reliquo populo ſatisfaciant, quemadmodum innuit Cellorius loco ſuperiùs citato. Quanto humiliùs, ſed veriùs de ſtatu Religionis cenſet Hieronymus, dum ep. 61. ad Pammachium, & ſe & Vincentium vrbes celeberrimas reliquiſſe teſtatur, *Vt in agris & ſolitudine adoleſcentiæ peccata deflentes, Chriſti in ſeipſos miſericordiam deflecterent?* Quanto modeſtiùs de Monachis Monachus ipſe Petrus Damiani loquitur, lib. 4. epiſt. 3. ad Cunibertum Taurinatenſem Epiſcopum, ſeu Opuſculi 18. diſſert. 2. cap. 8. dicens, *Nempe quanto maior eſt Presbyter Monacho in dignitatis Eccleſiaſticæ priuilegio, tanto deterior eſt in peccato. Nam cùm Monachis nihil de populo pertineat, Sacerdotibus iuſtum eſt populi peccata portare?* Neque verò nego, quin Monachi pro aliis ſatisfacere poſſint: quin ſupetabundantes aliquando ſatisfactiones habeãt, quas Eccleſia ſalutariter in aliorum vtilitatem expendere poſſit; quin ex charitatis feruore, pro aliorum culpis ſatisfacere interdum velint. Sed hoc non ſolis Monachis proprium eſt, verùm etiam laicis quibuſlibet poteſt eſſe commune. Nego itaque hos ordines à Chriſto vel Eccleſia deſtinatos, vt aliorum ſatisfactionibus vacent, vt aliis ieiunent non ſibi; nego ipſos eo fine ab Eccleſia conſecrari, & Monachiſmo initiari, vt pro aliis ſatisfaciant, ſoli Chriſto proprium eſt deſtinatum, conſecratum & vnctum à Patre fuiſſe, vt pro populo ſatisfaciat, *quem propitiauit Deus propitiationem per fidem*, ad Rom. 3. *Qui ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, 1. Ioan. 2. Cuius dignitatis cõmunicatio, ſi cui ordini cum maxima diminutione conuenit, ſacerdotali duntaxat, non monachali conueniet: non quòd ad ieiunandum pro populo, aliáſve mortificationes propter eius ſolutionem à peccatis ſubeundas teneatur ſacerdotalis ordo, niſi in quantum peccata populi Sacerdotem ſæpè propter eius conniuentiam, & negligentiam inuoluunt: ſed quod nulli parcere debeat labori, nulli mortificationi, vt omnes Chriſto lucrifaciat, eóque ſenſu Paulus ad Coloſſ. 2. dicebat, *Adimpleo quæ deſunt, paſſionem Chriſti in carne mea, pro corpore eius quod eſt Eccleſia.* Quia, vt interpretantur Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, multis laboribus ac ſudoribus, etiam poſt Chriſti paſſionem opus ad colligendam Eccleſiam, hominéſque ad fidem vocandos, & ad ſalutem perducendos, quorum nihil pro Eccleſiæ conſummatione Paulus detrectabat; qui in eodem pariter ſenſu *omnia*, inquiebat, *ſuſtineo propter electos, vt ipſi ſalutem conſequantur.* 2. ad Tim. 2. Suſtinebat autem in Euangelio laborans vſque ad vincula. Apoſtoli eodem ſenſu à S. Machario homiliâ 28. λυτρωταὶ ſeu *redemptores* hominum dicuntur, ab Ambroſio lib. 2. de Abel c. 3 Leuitæ *redemptiones aliorum*: ab Ozea c. 4. ſacerdotes veteris legis *peccata populi comedere, & ad iniquitatem eorum ſubleuare animas eorum* referuntur. Ac proinde eo ſenſu Sacerdotes noſtri, & Diaconi, qui Sacerdotibus antiquæ legis, Apoſtoliſque ſuccedunt, ex officio publico, & nomine publico poſſunt dici labores, faſtidia, mortificationes ſubire, qui adnexas operi publicas moleſtias, labores, curas, contemptus, ſudores pati æquo animo debent. Sed & alio ſenſu eaſdem mortificationes nomine publico perferunt, quia & peccantibus compati ex officio debent, & publicas nonnunquam mortificationes indicere, non tantùm lege, ſed & exemplo iuxta illud Ioelis 1. *Accingite vos, & plangite Sacerdotes, vlulate miniſtri altaris: ingredimini, cubate in ſacco miniſtri Dei mei: quoniam interiit de domo Dei veſtri ſacrificium, & libatio, ſanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate ſenes omnes habitatores terræ in domum Dei veſtri*, &c. In quem locum Cyrillus Alexandrinus, χρῆναι δὴ ὅτι, ἔφη, τοὺς ἱερουργοῦντας μονονουχὶ καὶ δανείζειν τοῖς ἄλλοις τοὺς ἐν ταῖς λιταῖς πόνους κεκμηκότας, καὶ θρῆνοι, καὶ στεναγμοὶ περιβολὴν δι' οὗ σημαίνεται τρυφῆς, καὶ ἀπαλῆς ἀποθέσεως συναγωγία, καὶ πόνος, καὶ ζωῆς, ἁγιοπρεπούς

ὀρθὴ καὶ ἀμώμητος ἐπιτήδευσις. *Oportet igitur, ait, ſacerdotio fungentes ſeu Hierar. has* (nam & eos nomen ἱερατεύοντες, ſignificare dici poteſt) *propemodum cæteris etiam commodare de obſecrationum laboribus, vlulatu, lamento, ſacci amictu, per quem deliciarum, & otij depoſitio ſignificatur, durior tractatio, laborum moleſtia, & vitæ, quæ ſanctos deceat, ſincerum inculpatumque ſtudium.* Quem vtrumque ſenſum complectitur Cyrillus idem in cap. 4. Ozeæ his verbis, ὁρᾷς, ὅπως μεσιτεύουσι τὰ ὑπὲρ τῆς ἁμαρτίας ἐσθίοντες οἱ τῷ θείῳ θυσιαστηρίῳ παρεστηκότες, καὶ καθαρωτάταις λιταῖς τὴν ἐπὶ τοῖς ἁμαρτάνουσιν ὀργὴν καταπραΰνοντες, καὶ μονονουχὶ τὰς ἰδίας ψυχὰς ὑπὲρ τῶν τοῦ λαοῦ πλημμελημάτων εἰς ὀσμὴν εὐωδίας καθιεροῦντες Θεῷ. *Vides quomodo,* ſacerdotes *mediatores agunt, qui diuino altari adſtant pro peccatis oblata comedentes, & caſtiſſimis precibus iram in peccantes intentatam amolientes, & tantùm non animas ſuas pro peccatis populi in odorem ſuauitatis Deo ſacrificantes.* Quid de Monachis & Monialibus ſimile dici poteſt? qui nec labores & moleſtias publicæ conuerſionis animarum miniſterio adnexas ſubire ex ſuo ſtatu tenentur, vt pote qui curam animarum & præfecturam publicam non habeant: nec compati peccantibus, aut ieiunia aut mortificationes aliis indicere exemplo ſuo magis tenentur, quàm ſæculares laici: imò minùs fortè quàm illi, vt potè qui à cæterorum conuerſatione magis ex ſtatu ſuo remoti, ad exemplum aliis præbendum minùs adſtricti videntur: ſed quâ fronte dicentur ipſi Monachi altiori quodam ac diuiniori ritulo conſecrati, ad ieiunia, ac mortificationes alias, nomine publico, & ex publico munere ſubeunda, quaſi plenitudine quadam ſatisfactionum effluentes in alios ſuarum ſatisfactionum cumulum effundant: cùm & in Monaſterium ij recipi poſſint, quibus ad expiationem pœnarum peccatis debitarum mortificatio religioſa paucorum annorum vix aliquando ſufficiat: & ij, qui videntur aliquando iuſtiores, ſatisfactionum nihil reliqui habeant, quin immò pœnarum multarum reatu adſtricti ſunt? Dedeceret certè Religioſorum ſtatum ipſas indulgentias ab Eccleſia conceſſas lucrari, ſed ad id per religionis ſtatum conſecrati eſſent, vt vacui reatus, cuiuſcumque criminis pro aliis ſatisfaciant, & Eccleſiæ theſaurum ſuis cumulatioribus ſatifactionibus locupletent: dedeceret eos in peccatis ſuis expiandis verſari, ſi ſatisfaciendum per altioris ac ſublimioris ordinis actiones pro aliis ex officio, & munere publico per religioſam conſecrationem deſtinati forent. Sed & grauiſſima religioſis hominibus ſarcina imponeretur, Angelicis humeris formidabilis, imò longè ſuperior, ſi pro peccatis populorum ſatisfacere tenerentur. At ſi ex officio publico, & munere publico pro iis ſatisfaciant, quis dubitet, eos pro iis ſatisfacere debere, pro quibus ex officio ſatisfacient? quippe cum quidquid ex officio fit, & munere, id quoque ex obligatione fiat. Sequitur etiam quòd de Chriſto redemptore noſtro dictum eſt, ipſum *factum eſſe pro nobis maledictum*, ad Galat. 3. Religioſis ex munere publico ſatisfacientibus conuenire: proindéque qui Religioſis gratificari turpi iſtâ adulatione quærunt, ipſis potius iniuriam inferunt, quos tanto onere grauant, quod nullus alius hominum ferre potuit: ſuperbiæ quoque & arrogantiæ notam ipſis inurunt, quaſi ſe cum Phariſæis inſtar cæterorum hominum diuinæ iuſtitiæ obnoxios eſſe negent, ſed expiandis cæterorum peccatis, debitiſque ſoluendis, quaſi vades generis humani conſtitutos prædicent. Si qui id credant, ô ſtultas hominum iſtorum cogitationes! ô periculoſam perſuaſionem! ô temerariam credulitatem! Videant qui vanis iſtis, & blandientibus ſermonibus Monachorum aures implent, ne domus Dei ædificium concutiant ad ruinam, quòd ſurrexerat ad conſummationem: ſuperbia enim perfectiores aggredi ſolet, vt monet S. Antonius ad fratres ſuos Arſemitas, & Antiochus Monachus Paleſtinus homiliâ 44. vltimáque dediſcitur maximè à perfectis: nam vt rectè dicit Arnulphus Lexouienſis, epiſt. 38. ad nobilem quamdam viduam, quæ ſæculo renuntiarat. *Prima hæc & vltima pernicies ante omnia vitia ſuperanti, poſt omnia ſuperatur.*

CAPVT IV.

Vtrùm functiones ſacræ Subdiaconatus, vel minorum ordinum ſint hierarchicæ.

ALTERA quæſtio mouetur de functionibus ordinum Diaconatu inferiorum, vtrùm illæ ſint hierarchicæ. Huius quæſtionis ſoluendæ gratiâ obſeruandum eſt, officia omnia iſtorum ordinum, partem aliquam eſſe miniſterij Diaconatus; etenim ita diſtributæ ſunt omnes functiones ſacræ, vt Epiſcopis Principatus Sacerdotij, & Preſbyteris Sacerdotium, Diaconis quæcunq; ad miniſterium vtriſq; exhibendum pertinent, conueniant; quemadmodum docent Conſtitut. Apoſtolicæ lib. 8. cap. 45. ſuperiùs citatæ: ad quam omnium ordinum diſtributionem accedit alia omnium functionum ordinum partitio, quam tradit Cyrillus Alexandrinus lib. 13. de adoratione in ſpiritu & veritate, iis verbis, *ἱερατεύουσι μὲν οἱ προὔχοντες, συλλαμβάνονται δὲ οἱ Λευῖται τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱερατείας τῇ τάξει, Præſtantiores quidem*, id eſt, ſacerdotes, *ſacerdotale munus explent*, ſeu munera hierarchica obeunt, *Leuitæ verò*, id eſt, Diaconi, *adiuuant ordinem, Eccleſiaſtici ſacerdotij ſeu Eccleſiaſticæ hierarchicæ operationis.* Nec diſſentanea eſt iſta diuiſio iuxta Clementem Alexandr. vt Diaconorum ſit ἱερατεία ὑπηρετική, *cultura ſeu cura miniſtralis*, ſacerdotum verò βελτιωτική, *ſeu quæ meliorem hominem reddit, quæ ipſum ſanctificat*: Neque ſenſu differt Dionyſiana officiorum omnium ordinum diſtributio cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, docens Epiſcoporum ordinem eſſe perfectiuum τελειωτικόν: Presbyterorum illuminatiuum φωτιστικόν, Diaconorum tandem ſeu τῶν λειτουργῶν καθαρτικόν, καὶ διακριτικόν, purgandi & ſecernendi vi præditum. Hæc ſi obſeruaueris, omnia penitus officia miniſterialia, ſeu ad expiandos immundos, aut eos à cæteris diſcernendos ad officium Diaconi pertinere animaduertes; ac proinde cæterorum ordinum officia omnia, quæ vel ad altaris miniſterium ſpectant, principaliùs Diaconorum eſſe, quàm Subdiaconorum & Acolytorum: vel quæ ad gubernationem & directionem populi pertinent, qualia ſunt Exorciſtarum, Lectorum, & Acolytorum, quæque in expiandis immundis, vel diſcernendis conſiſtunt, ad Diaconum ſimiliter præcipuè ſpectare. Lectores enim, verbi gratiâ, ex officio immundos purgant, per lectionem Scripturarum ſacrarum, homiliarum, ac cæterorum id genus, quæ ad ædificationem pietatis, & inſtructionem fidei pertinent; Exorciſtæ per orationes, & adiurationes, quibus ab Energumenis & Catechumenis Dæmonum inſultus repellunt. Oſtiarij verò ſeparandis ac diſcernendis immundos, quos ab introitu arcent Eccleſiæ ex inſtituto ſuo vacant. Quæ omnia aliaque id genus miniſteria fusè aliquando explicabimus, ſi quando nobis vacet, inchoatum & magna ex parte elaboratum de ſacris ordinum functionibus tractatum abſoluere. Hæc autem omnia Diaconorum etiam officia ſunt, qui in immundorum purgatione præcipuas partes habent.

Inter Diaconum itaque & cæteros inferiores Eccleſiæ miniſtros, quoad iſta officia triplex differentia eſt. Prima, quam iterùm infrà proſequemur, quod ſi quid circa plebem agere videantur, inferiorum ordinum miniſtri, Diaconi ordinatione, & præſcripto id totum agant, verbi gratiâ, neminem Oſtiarius ad ſacra admittit, niſi ex præſcripto Diaconi, ideóque peregrinos aduenientes ad Diaconum remittit, qui litteras eorum commendatitias probet, Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 58. ianuis, per quas viri ingrediuntur præficitur Oſtiarius lib. 2. earumdémque Conſtitutionum cap. 57. ſed præeſt Diaconus, lib. 8. cap. 11. ſicut ianuis quibus mulieres intrant, Diaconiſſa propter honeſtatem præficitur cap. 57. citato, lib. 2. earumdem Conſtitutionum, ſed præeſt Subdiaconus lib. 8. cap. 11. citato, Diaconi videlicet loco. Oſtiarij curæ eſt emittere immundos, Catechumenos, pœnitentes, Energumenos, ſed ad Diaconi vocem iubentis eos foras exire, lib. 8. cap. 5. 6. 7. 8. 9. 12. earumdem Conſtitutionum, & Liturgiis omnibus antiquis, & cap. 3. hierarchiæ Eccleſiaſticæ Dionyſij. Lectores ſimiliter & Cantores in pulpito canunt & legunt, & eis Diaconus

Digitized by Google

præeſt lib. 8. earumdem Conſtitutionum cap. 11. Lectores apud Cyprianum epiſt. 24. imò & laici primis Eccleſiæ ſæculis inſtituendis laicis aliquando præficiebantur ex Conſtitut. Apoſtolic. lib. 8. cap. 32. ſcilicet propter miniſtrorum Eccleſiæ penuriam (quæ nempe etiam cauſa fuit, vt Pantænus adhuc laicus in Eccleſia Alexandrina catecheſibus præficeretur, & in Indiam ad prædicandum mitteretur, apud Euſebium lib. 5. hiſt. cap. 10. & Hieronymum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in Pantæno: & Origenes in eadem Eccleſia poſteà 18. anno antequam ordinatus eſſet, *Opus Catecheſeωn* diſperſâ, vt loquitur Hieronymus in eodem libro, in Origene, *Eccleſiâ aggrederetur*.) Sed antequam inſtituendi ſuſciperentur, ad præpoſitos Eccleſiæ remittendi erant, lib. 3. earumdem Conſtitutionum cap 3. Per Diaconos autem ad Epiſcopos & Preſbyteros adducebantur probandi, vtrùm ad Catecheſim admitterentur lib. 3. cap. 32. iam citato: à Lectoribus quidem inſtruebantur, vt ex S. Theoduli Lectoris officio in eius vita apud Metaphraſtem 4. Aprilis patet; ſed Diaconi ipſis Lectoribus inuigilabant, quibus nempe ſubdebantur. Ideóque Dionyſius cap. 5 Eccleſiaſticæ hierarchiæ, & Maximus in illud caput, & in cap. 3. cæleſtis hierarchiæ, totius inſtructionis curam & auctoritatem in Diaconos refundunt, ſub quorum etiam poteſtate & prouidentia educabantur, referentibus iis ad Epiſcopum vel Preſbyterum, ſi quid Chriſtianâ profeſſione indignum geſſiſſent, à quibus etiam frequenter de officio admonebantur, teſte Cyrillo Catecheſi 1. illuminatoria, dum nempe ipſos à Clericis admonitos fuiſſe teſtatur. Purgabant Exorciſtæ immundos per manus impoſitionem ex Carthaginenſi 4. Concilio Can. 9. Sed illud munus Diaconi in Miſſa cumulatiùs perficiebant preces pro iis fundentes, quas Epiſcopi benedictio conſequebatur, lib. 8. Conſtitutionum, cap. 6. 7. 8. 9.

Altera differentia eſt, quòd Diaconis cæteri inferiores miniſtri in iis, quæ officij ſui forent, ſubditi eſſent, & à Diacono delinquentes abſente Epiſcopo, vel Preſbytero puniri poſſent: cæteri autem miniſtri nequidem hypodiaconis inferiores abſentibus Epiſcopo, Preſbytero, Diacono, plectere vel excommunicare poſſent, ex Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. cap. 28. ideóque hi iuriſdictionis incapaces dirigere tantùm & monere poterant delinquentes.

Tertia tandem eſt, quòd partem officij purgatiui, ſeu expiationis ſacræ quilibet ex miniſtris inferioribus attingebat; Oſtiarius partem vnam, Lector alteram, Exorciſta aliam. Sed Diaconus integram diſcretionis & expiationis immundorum functionem ſuo munere complectebatur, vt iam docuimus.

Ex quibus differentiis colligo functiones prædictas circa immundos prout à Diaconis fiunt, vel eorum auctoritate, iuſſione, ordinatione, ab Oſtiario, Lectore, Exorciſta perficiuntur per relationem, quam habent ad Diaconum, propriè & ſtrictè hierarchicas dici poſſe, quia nempe fiunt ab eo, qui & ordine hierarchico initiatus eſt, & iuriſdictionis ordinariæ capax eſt, & in ſubditos exerceri poteſt, quia etiam Diacono, vt poſteà confirmabimus, non ſolùm immundi, quos ipſi ſubiiciunt Dionyſius cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, & 6. Maximus Scholiis in ea capita Dionyſij, & alij ſuperiùs citati, verùm etiam populi fideles ſubiici poſſunt, tanquam ordinariis Paſtoribus ac Prælatis, vt docebimus infrà. Eædem verò actiones, ſi quatenus fiunt à Lectoribus, Oſtiariis, Exorciſtis conſiderentur, ſeu ſecundum ordinem & relationem ad ipſos inferiores miniſtros, qui nec iuriſdictionis ordinariæ Eccleſiaſticæ capaces ſunt, nec ordine hierarchico inſigniuntur, nec ſubditos propriè habent, ea vtique ratione hierarchicæ iſtæ functiones dici non poterunt, niſi lato quodam modo in quantum functiones iſtæ omnes hierarchicæ dicuntur, quæ ex officio publico & miniſterio publico fiunt: quæ ex ordine Eccleſiaſtico peraguntur, vt à quibuſdam fiant, & in quoſcunque ſacræ expiationes dici poſſunt, quemadmodum ſuperiùs explicuimus.

Digitized by Google

CAPVT V.

Vtrùm functiones omnes Ordinum ſacrorum Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus ſint hierarchicæ.

TERTIA quæſtio mouetur de functionibus quibuſdam Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, quæ ab ordine eorum pendent, ſed iuriſdictionem coërcitiuam tanquam ſui originem habere non videntur, cuiuſmodi ſunt confectio chriſmatis, celebratio ſacrificij à ſimplici Presbytero, miniſterium Diaconi à Diacono, extra omnem Eccleſiaſticam dignitatem conſtituto; dubitatur ſiquidem, vtrùm illæ functiones ſint hierarchicæ. Pars affirmans probari videtur 1. quia Dionyſius 3. cap. de cæleſti hierarchia propriè eas functiones hierarchicas vocat τελεταρχικὰς ἱερὰς διατάξεις. Quibus verbis Scotus *propria hoſtiarum myſteria aut ſacras ordinationes exponit*. Nec dubium, quin iis verbis ſacrorum quælibet confectio adhibitis iuxta ordinem Principatus ſacri ceremoniis intelligi poſſit: quam idcò omnem actionem hierarchicam Dionyſius credidit.

2. Quia idem Dionyſius cap. 1. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, hierarchicas functiones pro varietate ſignorum, quæ à Pontifice adhibentur, vt iis ad diuinitatis ſocietatem traducamur, diuerſas eſſe docet; omnes proinde ceremonias ſacras, quæ à Pontifice fiunt, hierarchicas actiones ſentiens, quod confirmat paulò pòſt eodem capite, dum hierarchiam noſtram ſignis contineri aſſerit, quibus, quæ intelligibilia ſunt, per ſenſibilia in mentem noſtram reuocentur.

3. Quia eodem ipſo capite hierarchia ab eodem vocatur, non ſolùm ὁ πᾶς τῶν ὑποκειμένων ἱερῶν λόγος, *Omnis ſubiectorum ſacrorum ratio ſeu ſermo*: verùm etiam ἡ τῶν ἁπάντων ἱερῶν πραγματεία, *omnium ſacrorum confectio*, & cap. 2. eiuſdem libri, ἱερουργία, ſeu *ſacrorum operatio* eadem hierarchia vocatur.

4. Quia eodem cap. 2 Dionyſius hierarchicarum functionum ἀρχικωτάτην πρόοδον, *principaliſſimam progreſſionem* nominat Baptiſmum, vnguenti verò profuſionem τελείωσιν appellat, cap. verò 3. Euchariſtiam τὴν τελείωσιν τῶν θεαρχικῶν καὶ τελεσιουργῶν δωρεῶν, *perfectionem diuinorum & perficientium donorum*: quia nempe vix ſine Euchariſtia licet vllam perficere τελετὴν ἱεραρχικὴν, *operationem ſacramenti hierarchicam*: Catechumenos quoque ἀμεθέκτους καὶ ἀμυήτους παντὸς ἱεραρχικοῦ τελεστηρίου vocat, *quaſi excluſos & minimè initiatos vllis hierarchicis ſacris*, manifeſtè proinde innuens ea ſacra, à quibus excludebantur Catechumeni, id eſt, ſacra Miſſarum ſolemnia, à quibus præ cæteris expellebantur, hierarchica fuiſſe. Cap. 4. confectionem Chriſmatis iiſdem hierarchicis operationibus adcenſet, tanquam finitimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſeu affinem τελεσιουργίαν. Denique ne plura in hanc rem congeramus cap. 6. hierarchicæ diuiſionis membra aſſignans, 1. ſtatuit, τὰς ἁγιωτάτας τῶν τελετῶν ἱερουργίας, *ſanctiſſima ceremoniarum ſacrificia, ſeu ſanctiſſimas ſacramentorum conſecrationes*.

Contraria pars è contrario ſuaderi poſſet, 1. quia omnis hierarchica operatio ex prædictis eſt ſuperioris circa ſubditos. Atqui actiones iſtæ non ſunt circa ſubditos, ſed vel circa Deum potiùs ad Corporis Chriſti confectionem, Dei laudes & gratias Deo referendas, ac ſacrificium offerendum referuntur, vel circa aliquod miniſterium verſantur, quibus in his Sacerdoti miniſter cooperetur; vel in conſecrandis quæ ad iſtud ſacrificium pertinent, vel in quibuſdam aliis benedicendis, & ſacrandis rebus inanimatis, quas perſonas ſubditas, in quas Principatus ſacer exerceatur, ſibi fingere nemo poteſt, igitur actiones iſtæ non ſunt propriè hierarchicæ.

2. Quia omnis actio hierarchica vel eſt purgatio, vel illuminatio, vel perfectio: atqui nihil eorum dici poſſunt actiones, de quibus agimus: neque enim purgat, quemquam illuminat, vel perficit ſimplex Sacerdos, qui Miſſam celebrat, Epiſcopus qui Chriſma conficit, Diaconus qui miniſtrat, &c igitur operationes iſtæ non poſſunt dici hierarchicæ.

3. Quia omnis hierarchica functio fit non tantùm ab ordinato, verùm etiam ab ha-

bente iuriſdictionem, à qua ex parte pendere debet: atqui iſti actus ſunt tantùm ordinis ſacri non iuriſdictionis, & ideò à non habente iuriſdictionem perfici poſſunt: igitur hi actus non ſunt hierarchici.

Hæc tamen omnis controuerſia facilè tolli poteſt: 1. enim concedamus quaſdam ex prædictis actionibus ſumi poſſe, vel perfectè, & cum habitudine ad ſuum omne complementum, ſuamq; perfectionem, quam ex ſuo fine & inſtitutione ſua habere debent, vel inadæquatè, imperfectè ac præciſè vt ſunt hæ vel illæ ſacræ operationes abſq; ordine ad vlteriorem finem & complementum ſui, eiuſmodi ſunt obſecrationes, gratiarũ actiones, Dei laudes, ſi priori modo conſiderentur, dicendum eſt illas hierarchicas eſſe tantùm imperfectè, & inadæquatè: qui ab ordine hierarchico pendent, & ab iis fiunt, qui ordine iſto inſigniti ſunt, & ad iſtas ex officio deſtinati ſunt abſque vlteriori reſpectu ad alteram conditionem hierarchicæ operationis, alterúmque eius principium, quod eſt iuriſdictio, & Principatus in perſonas inferiores, quibus ſacra omnia quæ conficiuntur, à ſuperioribus adminiſtrari debent, quem reſpectum cùm præſcindimus, & ipſam operationem inadæquatè concipimus imperfectè, & ex parte: & ideò inadæquatè pariter, & imperfectè, hierarchicam cogitamus. Illæ tamen actiones poſteriori ſaltem modo prout ſumuntur cum reſpectu & habitudine ad ſuum complementum, hierarchicas fore, nullamque ex iſtis futuram, quæ non iuriſdictionem aliquam etiam in perſonas ſubditas ſaltem delegatam includat.

Atque, vt hæc ſolutio ipſi celebrationi Miſſæ à ſimplici, vt vocant, Presbytero applicetur, dicimus hanc prout adæquatè ſumitur cum reſpectu ad oblationem pro populo nomine publico faciendam; ad benedictionem populi, & ad eius refectionem ſpiritali iſtâ Sacramenti eſcâ procurandam, iuriſdictionem quamdam ſaltem generalem, ac præpoſituram quamdam includere, & ideò hierarchicam eſſe: primò quidem offerendi ſacrificij publico nomine poteſtas auctoritatem quamdam in populum importat, iuxta illud Apoſtoli ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur, in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit iis, qui ignorant & errant.* Quorum partem repetit cap. 8. ideoque Chryſoſtomus quaſi communem totius orbis patrem Sacerdotem offerentem depingit homiliâ 6. in epiſt. 1. ad Tim. quem ſequuntur Theophylactus & Oecumenius. Quod & agnoſcens Celeſtinus I. ep. 1. ait, *Cùm ſancti Præſules mandatâ ſibimet legatione funguntur, apud diuinam clementiam humani generis cauſam agunt.*

2. Poteſtas etiam benedicendi populo quamdam iuriſdictionis ſpeciem ſeu primatũ auctoritatis in Sacerdote denotat, cùm dicat Apoſtolus ad Heb. 7. *Sine vlla autem contradictione, quod minus eſt à meliore benedicitur.* Vnde & Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 8. cap. 28. benedictionem tanquam dignitatis & ſacerdotalis Principatus, ac iuriſdictionis argumentum proferunt, dicentes Epiſcopos benedicere, non benedici, Presbyteros benedici non benedicere, benedictionem verò accipere ab Epiſcopo, vel Presbytero, id eſt, facultatem benedicendi ſumere; quam etiam Epiſcopos in alieno territorio accipere docent lib. 2. cap. 58. ſatis innuentes etiam ordinato, & in culmine Eccleſiaſticæ ordinationis poſito, putà Epiſcopo, in alieno tamen territorio benedicendi facultatem non cõpetere, niſi ex licentia Epiſcopi iuriſdictionem habentis: ac proinde non eſſe, iſtam benedictionẽ ſolius ordinis, verùm etiam iuriſdictionis.

3. Nemo etiam dubitat, quin Sacramenti Euchariſtiæ communionem cuiquam impertiri proprium ſit Paſtoris, cuius officium eſt verbo & Sacramento oues ſuas reficere. Quod vtique ſignificat Tertullianus lib. de Corona militis, dum ait, *Euchariſtiæ Sacramentum non de aliorum manu, quàm præſidentium ſumimus.* Et ideò hac etiam ex parte celebratio Miſſæ à ſimplici, vt vocant, Presbytero facta iuriſdictione indiget, vt ſcilicet Presbyter ille aliquos ad ſacram Communionem admittere poſſit, quibus ſpiritali illâ eſcâ refici placuerit, ſine qua poteſtate imperfecta quodammodo eſt Miſſæ celebratio: imperfectum conuiuium, ex quo ſoli Sacerdoti veſci licet: imperfecta repræſentatio Chriſti Domini omnes ad ſpiritalem eſcam adhortantis; imperfecta myſteriorum celebratio, quæ omnes ad Communionem inuitat, vt fusè oſtendit Chryſoſtomus hom. 61. ad populum Antiochenum.

Quæ omnia oſtendunt Miſſæ celebrationem etiam à ſimplici Presbytero non eſſe ab omni iuriſdictione diuulſam. Sed iuriſdictionem aliquam ſaltem generalem ne-

ceſſariam eſſe, vt aliquis Preſbyter ſacrum legitimè celebret: quæ quidem veritas confirmari poteſt iis argumentis.

1. Quia nec iniuſſu Epiſcopi Presbyteris licet ſacrum facere ex Concilij Gangrenſis Can. 6. Carthag. 2. Can. 9. Vernenſis ſub Pipino Can. 8. & aliis paſſim.

2. Nec Epiſcopo in aliena Diœceſi ex epiſtola Innocentij I. ad Florentium Tiburtinum, ex querimoniis Chryſoſtomi aduerſus Epiphanium apud Georgium Alexandrinum in vita Chryſoſtomi, & Ioannis Aitæ Epiſcopi, tum aduerſus Naupacti Metropolitanum, tum Leucadis Archiepiſcopum lib. 3. iuris Græco-Romani in ſubnotatione Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani: at verò non ad aliud, quàm ad habendam aliquam iuriſdictionem, Epiſcopi loci licentia ad celebrationem Miſſæ requiritur. Igitur ad celebrandam Miſſam aliqualis iuriſdictio neceſſaria eſt, adeóque iſta celebratio cùm ab ordine, & iuriſdictione pendeat, hierarchica dici poteſt, nec refert, quòd qui Miſſam celebrat, quoad omnia officia ſacra iuriſdictionem non aſſequatur, nam iuriſdictio conceſſa ad vnum actum, non neceſſaria ad omnes trahi debet: ſed quo pacto auctoritas iſta iuriſdictio dici poſſit, mox explicabimus.

3. Argumentum addimus ab eorum religioſa obſeruantia petitum, qui cùm noſſent decere eum aliquâ in populum publicâ auctoritate & iuriſdictione præſtare, & eo actu curam aliquam populorum ſuſcipere, qui ſacrum Miſſæ in conuentu populi celebrat, ceſſabant ipſi à celebratione Miſſæ, quòd in cæteris paſtorali auctoritate & iuriſdictione minimè potirentur, exemplum Hieronymi & Vincentij alibi protulimus, quos Epiphanius epiſt. 60 inter Epiſtolas Hieronymi ad Ioannem Hieroſolymitanum refert, *Propter verecundiam & humilitatem noluiſſe debita nomini ſuo exercere ſacrificia, & laborare in hac parte miniſterij, quæ Chriſtianorum præcipua ſalus eſt.* Cur enim ſacrum munus fugiebant, niſi quia (vt de ſeipſo teſtatur Hieronymus epiſt. ſequenti,) populi curam omnem, ac præfecturam Eccleſiaſticam detrectabant, ſéque vlli Eccleſiæ addici renuebant? Quæ etiam, vt opinor, cauſa Abbatem Muthues, & fratrem eius induxit, ne viderentur pro populis offerendo, populorum curam ſuſcipere, quâ ſe indignos arbitrabantur, ad finem vſque vitæ ad altare accedere non præſumerent: quem proinde Abbatem dixiſſe ſolitum refert Rufinus lib. 3. de vitis Patrum Num. 188. *Confido in Deum meum, quia non habeo grande iudicium propter hanc ordinationem, quia oblationem mihi non præſumpſi offerre.* Cuius exemplum ſecutus eſt Abbas Daniel teſte Caſſiano Collat. 4. cap. 1. Sed illuſtrius exemplum eſt, quod narrat Palladius hiſtoriæ Lauſiacæ cap. 7. Eccleſiam in monte Nitriæ maximam fuiſſe, cui octo Presbyteri præeſſent. *Ita tamen, vt quandiu viueret primus Presbyter huius Eccleſiæ, nullus alius offerret, nec iudicaret, nec haberet ſermonem, ſed tacitè ſolùm cum eo ſederent.* Indignum ſcilicet arbitrabantur eum ſacrificium Miſſæ offerre, niſi qui & iudicandi & docendi poteſtatem haberet.

Quòd ſi ad antiquos Eccleſiæ primitiuæ mores oculos conuertamus, in ſacra Synaxi, in ipſa myſteriorum Euchariſtiæ celebratione præcipuum Principatus & poteſtatis hierarchicæ in fideles vſum fuiſſe recordabimur. Hic enim fidelium & infidelium ſeparatio fiebat, quorum hi omninò excludebantur, illi admittebantur: hic mundorum & immundorum diſcretio, quorum primi integris Miſſarum ſolemniis intererant; poſtremi à ſacratioribus & diuinioribus myſteriis excludebantur: hic ſanctæ plebis in ſuas claſſes diſtributio, & ordinatio: hic ſacris precibus & impoſitionibus manuum purgabantur immundi: hic lectione ſacrarum Scripturarum, & doctrinæ Chriſtianæ explicatione illuminabantur rudiores Chriſtiani, prouectiores perficiebantur. Quæ omnia leges fuſiùs apud Clementem in Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 2. & 8 Dionyſium cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, & alios. Sed iis omnibus omiſſis ſacram iſtam Sacerdotum in Miſſa præſidentiam iuuat ex Tertulliano ampliùs diſcere Apologetici cap. 39. *Cogimur*, inquit, *ad diuinarum litterarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas aut præmonere cogit aut recognoſcere: certè fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominùs inculcationibus denſamus: Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura diuina: nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conſpectu; ſummique futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercij relegetur. Præſident probati quique ſeniores,* &c. Præſidentiæ nomen ſacrificantibus tribuit Tertullianus, tribuit etiam Iuſtinus Martyr Apologia 2. ſacrificantem Sacerdotem προεστῶτα vocans,

vocans, legatur etiam in eam ſententiam Conſtitutionum Apoſtolicarum liber ſecundus.

Quarũ Synaxeωn veterem ſpeciem dum animo meo reuoluo, nullam expreſſiorẽ apud nos earum imaginẽ ſupereſſe animaduerto, quàm in Miſſarum celebratiooe in Parœciis, in quibus, vt ait Agathenſe Conc. Can. 21. *Legitimus eſt ordinariúſque conuentus*: Ibi enim proprius Paſtor præſidet, eiuſdémque Eccleſiæ Preſbyteri ac miniſtri adſiſtunt, populus præcipua fidei capita edocetur ex veteri conſuetudine, quam renouauerunt Gontrandus Rex Aurelianenſium, Conc. Vaſenſe 2. c. 2. Arelatenſe ſub Carolo Can. 10. Capitularia Caroli lib. 1. c. 70. 109. 166. l. 5. c. 102. l. 6. c. 160. 163. & 173. quam etiam propius noſtro ſæculo Concilia plurima præſcripſerunt. Ibi ex veteri inſtit. cuius meminit Tertull. lib. de pudic. c. 1. Pontificum edicta, decretáq; ſuperiorũ promulgantur. Ibi cenſuræ propalantur, adhortationes, increpationes, admonitiones, quæ ex potiſſimis ſunt functionibus hierarchicis, à Paſtoribus adhibentur. Ibi oblationes propriis Paſtoribus perſoluuntur, quas perſolui iubent Matiſc. 2. c. 4. Tolet. 4. Can. 37 Mogunt. ſub Carolo c. 44. Tribur. Can. 35. Theodulphus Aurelian. ad Preſbyteros ſuos c. 24. Gregorius VII. in Synodo Romana cap. 13. & prioribus ſęculis, Cyprianus tract. de opere & elemoſ & alij Patres. Ideóq; Miſſæ iſtæ hierarchicæ iure merito diei poſſunt, contra quarum contemptores iure torqueri poteſt, quod declamat Petrus Chryſolog. ſerm. 132 aduerſus eos, qui orationi diſpuraſſe ſe confingebant, quòd rempori ſacrarum Synaxeωn celebrando debebatur. *Qui*, inquit, *dum propriis deſideriis mancipantur, diuina contemnunt & deſpiciunt inſtituta. Iſti ſunt*, addit, *qui corpus Chriſti diſſipant, membra diſpergunt: nec ad decorem ſuum patiuntur formam Dominici habitus peruenire: quam Propheta cùm vidiſſet in Spiritu ſic canebat: Specioſus formâ præ filiis hominum: habent quidem ſingula proprium ſui munus officij, quod tamen tunc implere potuerunt, ſi connexa ſibi & compaginata perfecti corporis perueniant ad decorem. Hoc ergo intereſt inter congregationis plenitudinem glorioſam, & ſeparationis præſumptam de ignorantia aut negligentia vanitatem: quod in ſalute & honore integri corporis ſpecies eſt vnitas membrorum; & in ſeparatione viſcerum eſt fœda, letalis & horrenda pernicies. Homo quid aliud te docuit in tuo corpore, vt ſit diuiſa coniunctio, aut tam coniuncta diuiſio, niſi vt ex multis vnus, & vnus in multis viueres? eſt membrorum commercio ſalutari pretioſus oculus, ſed ſi perſeuerat in corpore: alioqui vbi defuerit corpori, ſibi non aderit: debent illi membra omnia ſuæ lucis obſequium: ſed & ipſe oculus ſentit ſe corpori debere quòd lux eſt: qui vtiq; cum omnibus membris miniſtratum membrorum prouideat, euulſus à corpore nec ſibi videt*, &c. Plura alibi ea de re.

Hanc ſolùm ex Amulonis Lugdun. Archiepiſcopi, qui vixit regnante Carolo Caluo, breui libello ad Theobaldum Lingonenſem Epiſcopum, egregiam admonitionẽ ad frequentandas Eccleſias Parœciales, potiùs quàm oratoria quęuis etiam Martyrum ſepultutis & miraculis ioſignia, parænelim adiungimus. *Vnaquæque*, inquit, *plebs in Parœciis & Eccleſiis, quibus attributa eſt quota, conſiſtat: atque ad ea ſanctuaria, vbi ſacrum Baptiſma accipit, vbi corpus & ſanguinem Domini percipit, vbi Miſſarum ſolemnia audire conſueuit, vbi à ſacerdote ſuo pœnitentiam de reatu, viſitationem in infirmitate, ſepulturam in morte conſequitur; vbi etiam decimas offerre præcipitur, vbi filios ſuos Baptiſmatis gratia initiari gratulatur, vbi verbum Dei aſſiduè audit, & agenda & non agenda cognoſcit: illuc, inquam, vota & oblationes ſuas Domino effundat, ibi ſuffragia omnium Sanctorum quærat, qui, vt ſcriptum eſt, ſequuntur agnum quocumque vadet*. & paulò poſt, *Hæc eſt enim legitima, & Eccleſiaſtica religionis forma, hæc antiqua fidelium conſuetudo, per quam & nouitatum vanitas amputetur, & vetuſta ac recta Euangelicæ atque Apoſtolicæ inſtitutionis ſemita cuſtoditur*. Sed hæc obiter tantùm dicta ſunt ad Miſſarum iſtarum, quæ æquiori conditione, quàm priuatæ hierarchicæ dici poſſunt, commendationem, ob varia miniſteria, quæ in hoc ſacræ Miſſæ ſacrificio adhibentur. Licèt enim quædam ex iis miniſteriis pręcisè conſiderata iuriſdictionis nihil habere videantur, neque in res, neque in perſonas, niſi in quantum publicarũ actionum legitimè efficiendarũ poteſtatẽ inuoluunt, abſq; vlla tamen rerum vel perſonarũ immutatione, quæ proinde nõ eſt propriè iuriſdictio. Si tamen adęquatè ſumatur, totũ eorum miniſteriũ hierarchicũ eſſe apparebit, & cum iuriſdictione etiã in perſonis, pro quibus ſacerdotes ſacrificiũ offerunt ex opere operato meritorium, ac ſatisfactorium: quibus ſacrum corpus Chriſti vel ſanguinem diſtribuunt, & quos in officio toto ſacrificij tempore tanquam magiſtratus quidam ſacri continere iubentur. Hanc enim in veteri Eccleſia regendi populi toties Diaconis poteſtatem attributam fuiſſe, quæ etiamnum apud nos, ſi aliqua Eccleſiaſticæ diſciplinæ cura reſideret, vigere deberet, legimus Conſtitutionum Apoſtolicarum lib 2. cap. 57. *Cùm verò*, inquiunt, *Eccleſiam Dei conuocas tanquam magnæ nauis gubernator, iube*

F

cum omni prudentia gubernare, præcipiens Diaconis veluti nautis, vt loca fratribus tanquam nauigantibus valde accuratè & honeſtè diſponant, &c. *ſit autem horum cura, vt laici in altera parte ordine, & decorè, & quietè ſedeant: item vt ſedeant mulieres ſeparatim*, &c. *Si quis autem repertus fuerit, qui ſedeat loco non decenti, increpetur à Diacono, tanquam à Proreta; traducatúrque in locum, qui eum deceat. Eſt enim Eccleſia non ſolùm ſimilis naui, ſed gregi: nam vt paſtores ſingulas pecudes, capras dico, & oues pro generis & ætatis ratione locant: & eorum ſimile cum ſimili congregatur; ſic in Eccleſia*, &c. *locis verò occupandis præſit Diaconus, vt quiſque eorum qui ingrediuntur in locum ſuum ſe conferat, & nemo præter decorum ſedeat: ſimiliter Diaconus populum ſpeculetur, ne quis murmure obſtrepat, dormitet, aut nutus faciat*, &c. Iſta verò aliáque id genus officia, quæ Diaconis eo in loco tribuuntur, Eccleſiaſticam in ſacris præfecturam Diaconorum oſtendunt: adeò, vt ſacerdotum quidem in iſtis officiis miniſtri, populi verò duces, præpoſiti, ac magiſtratus quidam Diaconi videantur, nec omnis iuriſdictionis ſpecies ab illis officiis excludenda cenſeatur.

Reſponderi etiam poteſt prædictorum officiorum plurima, cæteráque, quæ inſinuata ſunt ſuperiùs officia, cuiuſmodi ſunt vnguenti ſacri confectio, Baſilicarum dedicatio, aquæ luſtralis aſperſio, aliáque ſimilia duobus illis titulis, quibus hierarchica eſſe negantur, à nobis talia eſſe propugnari. 1. quidem quia inter operationes expiatrices, illuminatrices, atque perfectrices referri poſſunt: neque enim ſanctus Dionyſius, perſonarum duntaxat expiationem, illuſtrationem & perfectionem agnouit, verùm etiam rerum ſacrarum: nam v. g. Chriſmatis ſacri confectionem τοῦ μύρου τελείωσιν, *vnguenti perfectionem* vocat, & ipſum vnguentum τελετὴν à perfectione dici poſſe contendit, & altaris conſecrationem ſimiliter τελείωσιν nuncupat, c. 4. Eccl. hier. ſacræ Euchariſtiæ cõſecrationem eodem nomine donat c. 3. & aquæ baptiſmalis benedictionem cap. 2. itaque ex ea parte etiam omnia iſta opera præcisè etiam conſiderata hierarchica dici poſſent.

2. Quia licèt iuriſdictio qualem ſtrictè ſumptam Iuriſconſulti definiunt, poteſtatem de populo introductam cum iuriſdicendi, & æquitatis ſtatuendæ neceſſitate ſumatur, qualis iuriſdictionis notio ad forenſem vſum requiritur, neque ad opera omnia hierarchica requiritur: nihilominus alia vtique ad iſta dici poteſt neceſſaria iuriſdictio, quæ definiri poſſit auctoritas publica ſeu poteſtas iuſta publico nomine, & ex publico officio aliquos actus legitimos efficiendi circa res vel perſonas immutandas, qualis in iure ciuili poteſtas dicitur adoptandi, manumittendi, emancipandi, qui actus etiam ad iuriſdictionem pertinere dicuntur l. 2. ff. *de officio Proconſulis & Legati*; qualis quodammodo in Angelis ſuperioris hierarchiæ, licèt abſq; coercitione auctoritas ad legitimè, id eſt, ſecundum diuinæ ordinationis legem inferiores ſuos purgandos, illuminandos, perficiendos conceſſa, diuinitùs admittitur: qualis tandem in omni hierarchico munere conſecrationis v. g. Chriſmatis, benedictionis aquæ luſtralis, dedicationis templi duntaxat neceſſaria eſt: quippe cùm nonniſi in proprio territorio legitimè hæc munia exerceri poſſint à Paſtoribus ordinariis, vel eorum iuſſu: vnde tot Canonibus vetatur, ne quis in aliena Diœceſi Baſilicas conſecret, vel aliquod aliud Pontificale munus exerceat. Quare licèt cum ordinaria poteſtate iſta munia exercendi coniuncta ſit etiam iuriſdictio puniendi & corrigendi populos, nihilominus ad iſta præcisè officia iuriſdictio iſta coercitiua non requiritur, multominùs fori contentioſi iuriſdictio deſideratur, ſed ſufficit iſta, quam explicuimus iuriſdictionis ſpecies, quæ quamuis ad forum minùs faciat, ad hierarchica officia tamen pertinet. Rectè enim in iis ſentit, qui pro ratione operis, de quo loquitur, publicæ poteſtatis rationes diuerſas cogitat: quemadmodũ prudenter monuit nos Paulus Iuriſc. lib. ſingulari *ad leg. Fuſ. Canin.* cuius verba referuntur l. 215. ff. de verb. ſignific. *Poteſtatis verbo multa ſignificari; in perſona Magiſtratuum imperium: in perſona liberorum patriam poteſtatem, in perſona ſerui dominium.* Similiter in perſona iudicis Eccleſiaſtici poteſtatẽ eius quod æquum & honeſtum eſt ſecundum leges Canonicas, iudicandi circa res, perſonas vel actiones ſacras, iuriſdictio ſignificabit: in perſona ſacrificantis vel conſecrantis aliqua, ſacerdotis poteſtas publica ſacrorũ legitimè perficiendorũ dicetur, & vtramq; poteſtatem, modò hanc, modò illam ad hierarchica munia pro conditione & natura iſtorum officiorum exigere debemus: quamuis in eo, qui poteſtatem habet ordinariam vtraque poteſtas pro ſuo modulo coniungatur, & quo quis ſacrorum poteſtatem maiorem habet, eo & in perſonas maiori auctoritate præditus ſit: vnde Epiſcopus, qui in ſacra poteſtatem habet ampliſſimam, in regendis quoque ſibi ſubditis Presbyteris habet cæteris

Digitized by Google

ampliorem; & Presbyteris, qui reſtrictiorem habent in inferiores Clericos auctoritatem, ſacrorum quoque conficiendorum habent minorem poteſtatem.

Præterea in prædictis etiam officiis quandam poteſtatem agendi circa populum tanquam ſibi ſubditum elucere demonſtro. 1. quidem, quia ſicut non ſolùm is, qui medicamenta applicat, verùm etiam qui præparat, & conficit circa ægrotos, agendi videtur habere poteſtatem, ſaltem mediatam: ita qui ſpiritalia medicamenta noſtris languoribus ex officio publico præparat, eáque diſponendi curam gerit, quæ expiandi, illuſtrandi, & perficiendi vim habent, etiam circa populos, tanquam in iis ſibi ſubditos publicam exercere videtur auctoritatem, quod Dionyſij citatis capitibus lectio te manifeſtè docebit. 2. Quia ab eodem quoque Dionyſio diſcimus, tum cap. 1. Eccl. hierar. tum alibi paſſim, non ſolùm initiandos ſacris myſteriis verbis ac ſermonibus, verùm etiam ſignis quibuſdam viſibilibus ac cæremoniis, quibus reconditiora myſteria figurantur, purgari atque illuminari: quas proinde cæremonias dum ſibi ſubiectis populis paſtores exhibent, eos quodammodo purgant atque illuſtrant: vnde & Catechumeni parte 3. cap. 3. hierarch. Eccleſiaſt. ſacris initiati negantur, quod diuinis myſteriis, & hierarchicis cæremoniis intereſſe prohibeantur: è contra fideles magno Dei beneficio affecti prædicantur, quod *ἀρχετύποις κάλλεσι primigeniis figurarum pulchritudinibus*, diuinam ſimilitudinem in ſeipſis efformatam habeant.

CAPVT VI.

Vtrùm iudicare & corrigere quemquam ſit actus hierarchicus.

QVARTA quæſtio eſt, vtrum actus iudicandi corrigendíque fideles, prædicandi, docendi, Scripturam ſacram interpretandi, & ſimiles hierarchici dici poſſint. De iudiciis & correctionibus ciuilibus hîc nequaquam nobis ſermo eſt: nemo enim eos actus inter actus hierarchicos ſtatuit, etiamſi ab Hierarcha, id eſt Epiſcopo præſcribi poſſint: nemo enim dubitat, quin Epiſcopi politicis magiſtratibus formã iudicandi & puniendi ex regulis Chriſtianæ religionis præſcribere poſſint; quemadmodum & reliquis cuiuſlibet conditionis ſæcularis tenendæ formam præſcribunt: quo officio erga principes ipſos Aquigran. Concilij Patres ſub Ludouico Pio & Lothario ſaluberrimè functi ſunt, propter quam etiam cauſam S. Bernardus Eugenio ſcripſiſſe legitur epiſt. 256. temporalem gladium non manu Petri aut eius ſucceſſorũ, ſed nutu eſſe ſtringendum. Neque tamen hierarchica ſunt huiuſmodi opera, vt ſuperiùs aduerſus Cellotiũ opus quodlibet hierarchicum ſtatuendum exiſtimantes, quod ex præſcripto Hierarchæ factum ſit, vrgebamus. Neque etiam loquimur de correctionibus paternis aut patrumfamilias, aut dominorum erga ſeruos, aut magiſtrorum erga diſcipulos, quarum nullæ hierarchicæ dici poſſunt: quia nedum ſacri Principatus opus eſt, cùm nec vllius Principatus functio ſit, ſed paternæ duntaxat poteſtatis, quæ à iuriſdictione publica, maximè verò ab Eccleſiaſtica, quæ ordini ſacro adnecti ſolet, omni ratione diſtinguitur. Cuiuſmodi vtique poteſtatem Abbatum eſſe in Monachos, Abbatiſſarum in ſuas Moniales ſaltem ordinariam, & eam, quam ex primæua ſua inſtitutione habent, inferiùs docebimus.

Agitur ergo primùm de iudiciis, vel correctionibus à poteſtate ſpirituali profectis, adhibitis etiam, ſi opus ſit, canonicis & ſpiritalibus pœnis, vtrùm iſta iudicia ſint opera hierarchica, ſi laico committantur vel Clerico ſimplici, non initiato ſacris ordinibus.

Reſpondemus hierarchica futura imperfectè, & inadæquatè propter dependentiam, quam habent ab Eccleſiaſtica iuriſdictione, à qua dimanabunt, & cuius opera futura ſunt; non futura autem opera hierarchica perfectè & adæquatè, quia non profluent ab ordine ſacro, cui poteſtas ordinaria iudicandi in negotio ſpiritali adnexa eſſe debet, non ſolùm ex inſtitutione Chriſti, qui ligandi & ſoluendi poteſtatem partem ſacerdotij eſſe voluit, priúſq; ſacerdotes Apoſtolos in die Cœnæ moriturus conſecrauit, quàm iudices ſpirituales conſtituerit: licèt enim abſoluendi & ligandi poteſtatẽ Math. 18. promiſiſſet: eam tamen non videtur contuliſſe, nec iudicandi præfecturam ſpiritalẽ, niſi poſt mortem ſuam, cùm iiſdem dixit, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*, cùm in eos inſufflauit, cùm poteſtatẽ

remittendi peccata, & retinendi conceſſit, Ioan. 20. verùm etiam ex praxi Eccleſiæ, non enim ſolùm in controuerſiis ſpiritualibus iudicandi auctoritas penes Clericos fuit excluſis laicis, ſed ad Epiſcopum præſertim reuocata eſt ſecundum formam à Paulo Timotheo traditam, *aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Quòd ſi quos aſſeſſores ſibi in iudicando aſſumebant Epiſcopi, eos vtique nonniſi ex Preſbyterorum vel Diaconorum ordine, quemadmodum edicunt Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 2. cap. 47. quæ etiam leuiora negotia à Diaconis terminari poſſe oſtendunt eiuſdem lib. cap. 44. ideò Presbyterorum Collegium *Senatum Dei, & cœtum Apoſtolorum Chriſti*, συμβόλους ϗ συνεδρευτὰς, *Conſiliarios & aſſeſſores Epiſcopi*, Ignatius tradit epiſtolâ ad Trallianos: quem ſequuti Hieronymus in cap. 3. Iſaiæ, & ad Titum 1. Ambroſius in cap. 3. prioris ad Timotheum, & alij *cœtum Presbyterorum, Eccleſiæ Senatum nominarunt.* Quemadmodum & Tertullianus loco ex Apologetico ſuprà citato, *Præſides* apud Chriſtianos, *probatos quoſque Seniores* dixit, & indignum iudicauit ſi digami, qui Clerici per leges Eccleſiaſticas eſſe non poſſent, *præſiderent*, lib. 1. ad vxorem, & de monogamia. Ab iis iudiciis excluſi laici, teſte Ambroſio lib 5. epiſt. 32. ad Valentinianum Imperatorem, aſſerente *In cauſa fidei vel Eccleſiaſtici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar ſit, nec iure diſſimilis, Sacerdotes ſcilicet, non niſi de Sacerdotibus. Si enim*, ſubdit, *docendus eſt Epiſcopus à laico, quid ſequetur? laicus ergo diſputet, & Epiſcopus audiat, Epiſcopus diſcat à laico*, &c. idcóque & laudauit ibidem Imperatorem, qui dixerat, *Non eſt meum iudicare inter Epiſcopos*, & alibi, putà lib. 1. de officiis c. 20. Epiſcoporum virginum & viduarum grauiores cauſas à ſolis Presbyteris terminari præcipit, *Quid enim*, inquit, *neceſſe eſt vt demus obtrectandi locum ſæcularibus.* Teſte Hieronymo in Micheæ cap. 3. iudices domus Iſraël non ſunt alij niſi Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, quibus adde innumeros alios, qui nonniſi à Clericis iudicia Eccleſiaſtica fieri debere negant. Quæ prohibitiones inualeſcentibus abuſibus diſtrictiùs prohibitæ ſunt, Conc. Hiſpal. 2. Can. 9. *Indecorum eſſe*, decernit, *laicum vicarium eſſe Epiſcopi, & ſæculares in Eccleſia iudicare: in vno enim eodémque officio non decet diſpar profeſſio: quod etiam in lege diuina prohibetur, dicente Moyſe: Non arabis in boue & aſino: ſimile, id eſt, homines diuerſæ profeſſionis in officio vno non ſociabis, vnde oportet nos, & diuinis libris, & ſanctorum Patrum obedire præceptis, vt hi qui in adminiſtrationibus Eccleſiæ, Pontificibus ſocientur, diſcrepare non debeant, nec profeſſione, nec habitu.* Innocentius quoque tertius in Concilio generali Lateranenſi Can. 40. in fine, prohibet, *Ne ſuper rebus ſpiritualibus compromittatur in laicum, quia non decet vt laicus in talibus arbitretur.* Tantùm itaque abeſt, vt ordinaria poteſtas iudicandi laico committi poſſit: cùm nequidem arbitrandi, aut delegatâ poteſtate aliquid ſtatuendi laicis ius fieri Canones permittant. Conuellitur enim totus ordo Eccleſiæ, ſi pedes loco capitis conſtituerentur, & capiti imperarent: ſi laici, quos, vt loquitur Concilium Lateranenſe generale ſub Innocentio III. cap. 44. *Subſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi*, præſidentiam in ordine Eccleſiaſtico conſtitutis præciperent. Ad quid ordo in Eccleſia, ſi Eccleſiaſticum Magiſterium non ordinatus aſſumat? Ad quid gratiæ cæleſtis robur Sacramento diuinitùs adnexum? ſi ad præfecturæ Eccleſiaſticæ, & iudicandi officium laicus iſto auxilio priuatus accedat? itaque vt iudicandi munus Eccleſiaſticum perfectè hierarchica functio cenſeatur, iiſque demandetur, quibus congruentiùs inſtitutioni diuinæ, & conſentaneè praxi Eccleſiaſticæ, ac Canonicæ diſciplinæ demandari debet non laicis, ſed in ſacro ordine conſtitutis, & quidem in ordine ſaltem Diaconali, ſi ordinarium munus ſit, committi debet, quippe cùm nonniſi Presbytero aut Archidiacono Canones illud demandari ſignificent, vt innoteſcit ex Matiſconenſi primo capite 8. Gregorij VII. in Concilio Romano anni incerti Can. 4. & aliis paſſim; vnde deducitur hierarchicam iſtam functionem perfectam ab ordine ac iuriſdictione pendere, vt Principatus actio dicatur, quemadmodum etiam pendet à chariſmatis, vt actio ſacra & ſancta cenſeatur.

CAPVT VII.

Vtrùm prædicare ſit actus hierarchicus & quomodo.

ALIA quæſtio mouetur de officio prædicandi: de quo eodem modo, quo de officio iudicandi ſentiendum eſt, nam & ab ordine & à iuriſdictione pendet vt perfectè, ab alterutro, vt imperfectè hierarchicum cenſeatur. Ordinem hierarchicum ad docendi munus neceſſarium eſſe præter ſanctum Dionyſium, qui purgandi, illuminandi, ac perficiendi per doctrinã munia Diaconis, Preſbyteris & Epiſcopis propria facit, præter S. Maximum, qui in c. 8. cæleſt. hierarch. *Presbyteros*, ait, *docere debere, & munus offerre, non autem ordinare: Diaconos debere docere, non tamen baptiſare*: præter Theophylactum & Antiochum ſuperiùs à nobis citatos, qui docendi ſtudia iſtis ordinibus ſimiliter adaptant; habemus exemplum Chriſti, qui nonniſi 70 diſcipulis & Apoſtolis docendi munus commendauit, quibus Epiſcopi & Preſbyteri ſicut in officio, ita & in ordine ſuccedunt: habemus Spiritus ſancti teſtimonium, quo iubente Actorum 13. Saulus & Barnabas per impoſitionem manuum Epiſcopi ordinati ſunt, vt ſegregati à cæteris per ordinationem, ad annuntiandum Euangelium ſecundum præſcriptam à Chriſto rationem maxima cum auctoritate proficiſcerentur: habemus exemplum Apoſtolorum, qui ad docendum Euangelium Epiſcopos, Preſbyteróſque conſecrarunt: Epiſcopos enim, ſeu Preſbyteros ad docendum idoneos ordinari præcipir Paulus 1. Timoth. 3. & ad Titum 1. Preſbyteros in ſermone & doctrina laborare dicit 1. ad Timotheum 5. Diaconos quoque docuiſſe patet ex Actorum 6. & 8 ſed & Actorum 20. ad Preſbyteros Epheſinos inquit Paulus ipſos poſitos eſſe à Spiritu ſancto ad regendam Eccleſiam Dei, nec in tota Scriptura ſacra, alij quàm ex iſtis ordinibus prædicaſſe Euangelium referuntur. Iudas quidem & Silas, cùm eſſent ipſi Prophetæ, adhortati fratres dicuntur Actor. 15. & Apollo Act. 18. Chriſtum prædicaſſe & Antiochiæ Prophetæ & Doctores aliqui fuiſſe numerantur, Barnabas, Simon, qui vocabatur Niger, Lucius Cyrenenſis & Manahem & Saulus: ſed priores quidem Preſbyteros vel Diaconos fuiſſe probabile eſt, cùm inter 70 diſcipulos fuiſſe Barnabam Euſebius lib. 1. cap. 12. & Epiphanius lib. 1 aduerſus hæreſes cap penult. n. 4 referant, quibus ipſe addit, Nigrum & Apollo, quem Appellem vocat cæteros fortè additurus, ſi integrum eorum catalogum texere potuiſſet. Certè qui numerantur Act 13. ſacro ordine inſignitos fuiſſe patet ex eo quod eodem cap. de iiſdem ſubdatur λειτουργούντων δ' αὐτῶν τῷ κυρίῳ, *Miniſtrantibus illis Domino*, in officio ordinis ſacri: eo ſiquidem nomine Dionyſius cap. 5 & 6. Eccleſiaſticæ hierarch. Diaconorum officium peculiariter deſignat, eodémque nomine paſſim Patres, tam Presbyterorum, quàm Diaconorum partes in ſacris celebrandis ſignificant, vnde & liturgias vocare ſolent ſacrificij Miſſæ celebrationem: ac proinde cum iis, qui Prophetas fuiſſe & Doctores ibi referuntur λειτουργοῦντες dicantur Presbyterorum vel Diaconorum ordine inſigniti fuiſſe videntur. Vt vt ſit, probari non poteſt ex Scripturis ſacris vllum ad docendum ab Apoſtolis deſtinatum fuiſſe, niſi qui ab iiſdem Epiſcopus, Presbyter vel Diaconus ordinaretur: quamuis cùm primis iſtis temporibus tot reperiri non poſſent, in Eccleſiaſtico ordine conſtituti, quò ad officia exequenda neceſſaria fuiſſent, primùm omnes docuiſſe, & omnes baptizaſse fateatur Ambroſius in cap. 4. ad Epheſios, ſecus tamen aſſerens compoſitam rem fuiſſe poſtquàm omnibus locis Eccleſiæ conſtitutæ fuerunt, & officia ordinata; ita vt nequidem Diaconis in populo (ſolemnirer ſcilicet, & è Cathedra) docere conceſſum fuerit, ſed de plano tantum minus ſolemniter & ſine Catbedra.

Habemus etiam huius rei continuam Eccleſiæ praxim: nam Irenæus quidem lib. 4. cap. 45. oportere docet adhærere his, *qui cum Presbyteri ordine ſermonem ſuum & conuerſationem ſine offenſa præſtant ad informationem, & correctionem reliquorum.* Tertullianus de præſcriptionibus cap. 42. Hæreticis exprobat, quòd conculcatis ordinum Eccleſiaſticorum gradibus, *omnes tumeant, omnes ſcientiam polliceantur*, quòd etiam *mulieres* apud eos *docere audeant*: quòd & *laici ſacerdotalia munia iniungant*.

ideóque primis etiam iſtis ſæculis laici à concionandi munere & docendi excludebantur.

Pantænum & Origenem in ſchola Alexandrina, etiam tum cùm eſſent laici, docuiſſe obiicies, imò & Pantænum in Indiam miſſum Euangelicæ prædicationis causâ. Sed multiplex reſponſio proferri poteſt: 1. morem hunc vnius fuiſſe Eccleſiæ, in qua Lectoris officium contra cæterarum morem etiam Catechumenis demandabatur, teſte Sozomeno lib. 7. cap. 19. & Nicephoro lib. 2. cap. 34. Altera, neceſſitatem Eccleſiæ & raritatem miniſtrorum prætendi potuiſſe, quæ legis obligationem ſoluit. 3. nec tamen publicè in Eccleſia laicos iſtos docuiſſe, nec publico Eccleſiæ miniſterio functos fuiſſe, Scholarchas extitiſſe erudiendæ in ſpem Eccleſiæ iuuentuti datos, ſed non probandis Eccleſiæ nomine, ac purgandis proximè baptizandis idoneos iudicatos: cui veritati teſtis omni exceptione maior Demetrius Alexandrinus epiſtolâ ad Epiſcopos Hieroſolymitanum & Cæſarienſem, apud Euſebium lib. 6. hiſt. cap. 13. vbi grauiter eos increpat, quòd Origenem adhuc laicum ad Scripturas in cōmuni conſeſſu aperiendas inuitaſſent, quâ occaſione ſcribit, ὅτι τοῦτο οὐδέποτε ἠκούσθη, οὐδὲ νῦν γεγένηται, τὸ παρόντων ἐπισκόπων λαϊκοὺς ὁμιλεῖν, *Quod illud numquam auditum aut vſurpatum eſſet, vt laici præſentibus Epiſcopis diſputarent.* Licèt enim Epiſcopi ad quos reſcripſerat Demetrius, in excuſationem ſui reſpondeant, laicos interdum habiles & idoneos, qui fratribus adiumento ſint, à ſanctis Epiſcopis rogari poſſe, vt populum inſtruant, exempla tamen paucorum proferunt, putà apud Larandas Euelpidos à Neone Epiſcopo, apud Iconium Paulini à Celſo; & apud Synædos Theodori ab Attico rogatorum ad id muneris, quos ſolos proferre ſe poſſe oſtendunt, dum in aliis locis idem veriſimile fieri coniiciunt, & aduerſus totius Ægypti conſuetudinem, quam obiiciebat Demetrius primariæ Ægypti ſedi præfectus, & reliquarum Eccleſiarum, in quibus nihil ſimile factitatum dicebat, nihil excipere poſſunt, nec exempla vlla alia laudare poſſunt: ideóque regulam generalem exempla ab iis prolata non conuellunt, quinimò confirmant: nec niſi in neceſſitate, vel ob inſignem Eccleſiæ vtilitatem indultum ab Epiſcopis docendi in Eccleſia laicis priuilegium credendum eſt. Quare Origenes ipſe tractatu 24. in Math docendi Cathedram Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis in Eccleſia ſingulariter attributam fuiſſe oſtendit, dum eos, qui primas Cathedras ambiunt, eos eſſe interpretatur tractatu 24. in Mathęum, qui ad Epiſcoporum, Presbyterorum vel Diaconorum gradus aſcendere moliuntur. Appoſitè iis Gregorius Nazianz. orat. 9. præclarum monitum laicis ſuggerit, ne docendi munus vſurpent iis verbis, τὰ πρόβατα μὴ ποιμαίνετε τοὺς ποιμένας, μὴ κρίνετε τοὺς κριτάς, μηδὲ νομοθετεῖτε τοῖς νομοθέταις· οὐ γάρ ἐστι Θεὸς ἀκαταστασίας καὶ ἀταξίας, ἀλλ' εἰρήνης, καὶ τάξεως, μὴ τοίνυν ἔστω τις κεφαλὴ μόνης ποῦ χεὶρ τυγχάνων, ἢ πούς, ἢ ἄλλο τι τῶν εὐτελεστέρων μελῶν τοῦ σώματος, ἀλλ' ἕκαστος ἐν ᾗ ἐκλήθη τάξει, ἀδελφοί, ἐν ταύτῃ μενέτω, κἂν ᾖ τῆς κρείττονος ἄξιος, ἐν ᾧ στέργει τὴν παροῦσαν, πλεῖον εὐδοκιμῶν, ἢ ἐν ᾧ ζητεῖ ἣν οὐκ ἔλαβε· *Oues paſtores ne paſcite, nec ſupra fines veſtros aſſurgite: ſatis enim vobis eſt, ſi ritè paſcamini: Iudices ne iudicate, nec Legiſlatoribus leges præſcribite, non eſt enim diſſenſionis & confuſionis Deus, ſed pacis & ordinis. Ne quis igitur caput ſit, qui vix aut manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud corporis membrum eſt. Verùm quò vocatus eſt, vnuſquiſque, in eo gradu maneat. etiamſi alioqui præſtantiori dignus ſit: plus vtique laudis habiturus, ex eo quòd præſenti gradu acquieſcit, quàm ſi eum quærat, quem non accepit.* Egregiè quoque orat. 26. μέγα τὸ διδάσκειν, ἀλλὰ τὸ μανθάνειν ἀκινδυνότερον, τί σεαυτὸν ποιεῖς ποιμένα, πρόβατον ὤν· τί γίνῃ κεφαλή, πούς τυγχάνων; τί στρατηγεῖν ἐπιχειρεῖς, τεταγμένος ἐν στρατιώταις· *Magnum & præclarum docere, ſed diſcere periculo vacat, quid Paſtoris munus tibi arrogas, cùm ouis ſis? quid caput efficeris, cùm pes ſis? quid exercitum ducere aggrederis in militum ordinem adſcriptus?* Addidiſſet Nazianzenus, ſi in aliquem eiuſdem cum Cellotio ſententiæ incidiſſet: Quid hierarchicum ordinem docendo affectas, qui nec ordine ſacro inſignitus es, nec iuriſdictione præditus? ſed quæ ipſe docuit, eiuſdem ſunt & ſignificationis & virtutis.

Poſſem in hanc ſententiam proferre Patres innumerabiles, qui Sacerdotis officium docendi munus ſtatuunt, poſſem & illos adducere, qui vix etiam Diaconis munus iſtud concedunt. Poſſem tandem Auguſtinum epiſt. 59. Hieronymum, Chryſoſtomum, Theodoretum, Oecumenium, & alios plures interpretes capitis 4. ad Epheſios proponere, qui eoſdem Doctores eſſe, quos Paſtores; nec diſtincta iſta eſſe munia conten-

Digitized by Google

dunt. Ex iis enim omnibus luce clariùs pateret, nonniſi in ſacris ordinibus conſtitutis docendæ ſacræ doctrinæ prouinciam tanquam ordinarium munus, ac publicum officium demandari poſſe. Lacis nonniſi ex indulgentia illud attingere licere. Quæ quidem poſitio iis Conciliorum Canonibus confirmatur, Carthaginenſis 4. Can. 98. *Laicus præſentibus Clericis, niſi ipſis rogantibus* (aliàs iubentibus) *docere non audeat.* Leo I. epiſt. 62 ſecundum editionem Pariſienſem anni 1623. ad Maximum Antiochenum, c. 6. *Illud quoque dilectionem tuam conuenit præcauere, vt præter eos, qui ſunt Domini Sacerdotes, nullus ſibi ius docendi & prædicandi audeat vendicare, ſiue ſit ille Monachus, ſiue ſit laicus, qui alicuius ſcientiæ nomine glorietur. Quia etſi optandum eſt, vt omnes Eccleſiæ filij, quæ recta & ſana ſunt, ſapiant: non tamen permittendum eſt, vt quiſquam extra ſacerdotalem ordinem conſtitutus gradum ſibi Prædicatoris aſſumat, cùm in Eccleſia Dei omnia ordinata eſſe conueniat, vt in vno Chriſti corpore, & excellentiora membra ſuum officium impleant, & inferiora ſuperioribus non reſultent.* Quod teſtimonium integrum exſcripſi, vt ex eo doceatur Cellotius, ſi quis fortè vel Monachus vel Monialis, vel facultatis alicuius teſtimonio, laureâque donatus Doctorali, in Sacerdotali vel Diaconali ordine minimè conſtitutus, in Eccleſia Doctoris munus aſſumat, non exinde membrum Eccleſiæ excellentius fieri, & ad hierarchiæ Eccleſiaſt. ſuperiorem aliquem locum transferri: ſed potiùs remanens in inferiori ſuo gradu indebitum offi ium aſſumere, & hierarchici corporis proportionem ac decorem violare, nec caput fieri; aut oculum, aut linguam, ſed contra naturæ ordinem remanere pedem, vel aliud infimum membrum, capitiſque oculi, linguæ functionem præripere. Hanc autem legem iterùm inculcat S. Leo epiſtolâ ſequenti ad Theodoretum Epiſcopum Cyri, his verbis, *De iis vero, quæ in ſupradicto Concilio illicitâ, contra venerabiles Nicænos Canones, præſumptione tentata ſunt, ad fratrem & Coepiſcopum noſtrum Antiochenæ Sedis Præſulem ſcripſimus. Adiicientes, & illud quod nobis propter improbitatem Monachorum quorumdam religionis veſtræ verbo mandaſtis per vicarios noſtros, & hoc ſpecialiter ſtatuentes, vt præter Domini Sacerdotes nullus audeat prædicare, ſiue ſit Monachus, ſiue ille ſit laicus cuiuſlibet ſcientiæ nomine glorietur.* Addo Synodi Trullanæ Canonem 64. ὅτι ὁ χρὴ δημοσίᾳ λαϊκὸν λόγον κινεῖν ἢ διδάσκειν, ἀξίωμα ἑαυτῷ διδασκαλικὸν ἐντεῦθεν περιποιούμενον· ἀλλ' εἴκειν τῇ παραδοθείσῃ παρὰ τοῦ κυρίου τάξει καὶ τὸ οὖς τοῖς τὴν χάριν τοῦ διδασκαλικοῦ λαβοῦσι λόγου διανοίγειν, καὶ τὰ θεῖα παρ' αὐτῶν ἐκδιδάσκεσθαι, ἐν γὰρ τῇ μιᾷ ἐκκλησίᾳ διάφορα μέλη πεποίηκεν ὁ θεὸς κατὰ τὴν τοῦ ἀποστόλου φωνὴν· *Quòd non oportet laicum publicè diſputare, vel docere, docendi auctoritatem ex eo ſibi vendicantem, ſed ordini à Domino tradito cedere, & aurem iis, qui docendi gratiam acceperunt aperire, & diuina ab eis doceri: in vna enim Eccleſia diuerſa membra fecit Deus, vt eſt vox Apoſtoli.* Quam Conſtitutionem Synodus teſtimonio Nazianzeni orat. 26. quod ex parte mox protulimus, confirmat.

Sufficiunt iſta, quibus probetur docendi ſacram & Cathollcam doctrinam munus perfectè hierarchicum non eſſe, imò nec publicum officium, nec Eccleſiaſtici ſaltem perfecti Principatus gradum habitum, niſi cùm ſacro ordine coniungeretur.

Iam verò & iuriſdictione opus eſſe, quo gradus iſte confirmetur, nec niſi iniuriâ, & cum hierarchiæ perturbatione cuiquam licere, munus iſtud ſibi arrogare, niſi conſenſu Eccleſiæ, quæ iuriſdictionem, licentiam & auctoritatem impetrat, probare nobis in propatulo eſt, cùm id doceat Apoſtolus ad Rom. 10. dicens, *Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Definierit id ipſum Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 3 aliiſque paſſim Canonibus ſtatutum ſit, & aduerſus errores Bohemorum vnicuique Sacerdoti ac Diacono liberam eſſe debere prædicationem verbi Dei, nec auctoritate alia opus eſſe, quàm quæ in ordinatione confertur, ſolidè propugnarit in Concilio Baſileenſi Honorius Kalteiſen Dominicanus ſacræ Theologiæ Profeſſor in Academia Colonienſi & Hæreticæ prauitatis Inquiſitor: à quo prætereo cætera, quæ in gratiam Curatorum docet, & ad propoſitum plurima conducentia adducit, velim iſtud ſolum norent, quod ipſe habet poſt proœmium, circa primum notabile, quod Bohemorum erroris defenſor ſtatuerat, *Soli Curati habent ordinariè verbum Dei prædicare poſt Prælatos maiores, ſcilicet Epiſcopos. Alij non Curati non tenentur, nec debent prædicare verbum Dei, niſi ex ſpeciali licentia Prælati.* Hæc enim ſi iis coniunxeris, quæ de gradu hierarchico inferiùs dicemus, quem eminentem aſſequi perfectè dici poſſit, niſi ordinariam habeat poteſtatem actus hierarchicos exercendi, docebitur aduerſarius, quinam tandem ill

Digitized by Google

quos in gradu hierarchico propriè ac perfectè conſtituere debeat. Sed quia nondum iſta vrgendi locus eſt: aliud ex communi ſententia Theologorum, quam proponit D. Thomas in 4. diſt. 23. q 3. obſeruari velim, duplicis generis actus Sacerdotis eſſe, quoſdam in corpus Chriſti verum, alios in Chriſti corpus myſticum, ad actus vltimi iſtius generis populi fidelis inſtructionem & eruditionem referri debere: & huiuſmodi poſterioris generis actus à poteſtate in corpus Chriſti verum dependere. Nec vllum ad iſtud munus conſecrari, niſi per conſecrationem, quam ex ordinatione ſacra ſuſcipit. Ideóque malè à Cellotio quemquam ſiue per religioſum ſtatum, ſiue per quamlibet aliam etiam pilei Doctoralis ſuſceptionem dici poſſe conſecratum ad docendum, quod rantùm per ſacram Ordinationem incompletè fit, ita vt deſtinatione Eccleſiæ compleri iſta conſecratio & perfici debeat, vt ex officio docere tanquam Chriſti miniſter, & Eccleſiæ nomine poſſit. Quod cùm ipſe Cellotius alicubi, vt docuimus, ad hierarchicum opus requirat, conſequenter deducimus, nec ſecundum eius principia ritè explicata perfectè hierarchicam prædicandi functionem eſſe, niſi ab ordine, & iuriſdictione promanet.

CAPVT VIII.

DE OFFICIO DOCENDI IN SCHOLIS fuſiùs diſputatur.

ARTICVLVS I.

De officiis Doctorum ſiue Theologiæ, ſiue Canonici iuris.

OPINIO CELLOTII PROPONITVR.

QVOD de prædicandi, & docendi in Eccleſia munere dictum eſt, ſimiliter de actu docendi in ſcholis, ſiue Theologiam, ſiue Ius Canonicum, ſiue etiam ſcribendi libros ad ſacram doctrinam vel Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentes dici debet: nullum eorum actuum hierarchicum eſſe nequidem imperfectè, niſi vel ab ordine hierarchico, vel ab Eccleſiaſtica iuriſdictione profluat. Eadem ſunt iſtius aſſertionis fundamenta, quæ ſuperiorum, non igitur neceſſum eſt ea iterùm inculcare, ſed ſupponere.

Refellenda ſolùm ea ſunt, quæ Cellotius lib. 8. cap. 14. & 15. in gratiam, vt ſibi videtur, Theologiæ & Iuris Canonici Profeſſorum diſputat. Iſtorum quidem functiones hierarchicas contendit, nec tamen vel ab ordine vel iuriſdictione dependentes; non ab ordine, quia Iuris Canonici Profeſſores coniugio, & curis ſæcularibus implicatos videmus. Theologiæ Doctores, etſi Academiæ nullo ordine conſecratos à Pileo reiiciant, rectè quidem & conuenienter faciunt, ſed non neceſſariò: *ſed nota*, inquit, *omnibus Sorbonici decreti ea de re nouitas & cauſa*: Rationem etiam adiungit: Nam ſi Chriſtus Apoſtolos, Eccleſia Epiſcopos ex ipſo coniugum ſinu quondam aſſumpſit, futuræ Theologiæ Epoptas, & populi Chriſtiani perfectores; quod eſt adeò arctum in rebus iſtis vinculum, vt Theologici Magiſterij inſignibus donari non debeat, qui priùs Eccleſiaſticis ordinibus non ſit initiatus? Neque etiam à iuriſdictione pendere functiones probare nititur, quòd nullos determinatos ſubditos habeant, quod neque Epiſcopis, neque Curatis adcenſeri poſſint ſolâ Pilei donatione.

Functiones autem Doctorum ſiue Theologiæ, ſiue Canonici Iuris hierarchicas eſſe iis argumentis probat, quæ nos breuiter contrahimus, reſciſſis iis, quæ modò in me, modò in Aurelium frigidus orator declamat. 1. Quia ab antiquæ legis inſtituto, & Scholæ & Collegia, & Doctoratus inauguratio exemplum habent: leguntur enim Prophetarum Scholæ, leguntur Collegia à Salomone fundata, legitur & Scribarum ſeu Doctorum Synagogæ ordo ab Eſdra ſacerdote fundatus, & per Antigonum, Hillelem,

Digitized by Google

Samaæam aliosque innumeros ad Simeonem iuſtum deuolutus, in quo Academiæ Iudaicæ ſceptrum defecerit.

Alterum, quia ad hanc formam Eccleſia compoſita, nam & Alexandriæ doctores Act. 13. leguntur, quorum ordo à S. Marco ad multa tempora teſte Euſebio lib. 6. cap. 5. propagatus eſt: illudque inſtitutum Romam transferre cogitauit Caſſiodorus, ſed felicius in vrbe Pariſienſi perfecit Carolus Magnus.

3. Quia publicâ auctoritate docendi munus à Doctoribus perficitur in ædificationem corporis Chriſti, qui eſt finis hierarchiæ per actus illuminationis & perfectionis; quid verò amplius ad actum hierarchicum deſiderari poteſt?

4. Quia ſi res vrilitate penditur, vix vlli ſacro muneri poſt Hierarcham Eccleſia tantùm debet, quantum Doctoratui Theologico.

5. Nihil magis hierarchicum, quàm perfectio & illuminatio, nihil magis Hierarcham ſpectat, quàm docendi munus.

6. Quia ex Eccleſiæ bonis ſtipendium iis ſolis conferri debet, qui functiones ſacras & Eccleſiaſticas obeunt; quale ſtipendium decerni Doctoribus nemo neſcit; eos igitur ſacra obire munia fatendum eſt.

Nihil his argumentis leuius proferri potuit, non indiget Doctorum ordo iis defenſoribus, qui quem laudare videntur ordinem, deiiciunt, & vt hierarchicum adſtruant, laicum ac prophanum probant: vt hierarchico ordini inferant ipſum ab Hierarcharum ſocietate diuellunt. Nos itaque veram de Doctoribus, & eorum officiis doctrinam tradituri: primùm de Doctoribus veteris legis, tum de Doctoribus nouæ legis diſſeremus, ac demùm argumentis aduerſarij reſpondebimus.

ARTICVLVS II.

De Scholis Prophetarum & Collegiis à Salomone fundatis.

Triplicis generis ſcholarum in veteri lege videtur meminiſſe Cellotius, primi generis Scholæ ſunt Prophetarum, quales ex Abulenſi in 4. Regum cap. 2. quæſt. 9. fuiſſe refert, quæ habitæ ſunt à Samuele, Elia & Eliſæo, qui in oppidis Bethel, Iericho, Rama congregaſſe diſcipulos leguntur, *habentes vitam religioſam*, Abulenſis in 4. Reg. cap. 2. quæſt. 9. *Qui volebant eſſe perfectiores reliquis de populo, & conueniebant in locum vnum vbi erant Prophetæ, & ibi vacabant doctrinæ eorum & laudibus Dei.* Sed eæ Scholæ ad propoſitum nihil faciunt, 1. enim priuatæ ſcholæ erant: ac domeſticæ, iis duntaxat patentes, qui perfectiorem vitæ ſtatum profitebantur: & gregatim conueniebant: at inſtitutio purè priuata & domeſtica hierarchica propriè & ſtrictè dici non poteſt; aliàs Patresfamilias, quibus familiæ inſtituendæ cura committitur Pſal. 43. & 77. Deut. 6. & 11. atque alibi paſſim, eſſent veri Hierarchæ, & ſacras functiones & hierarchicas propriè obire dicerentur & inter ſacros Myſtas atque initiatores locum haberent: & ita laicis paſſim æquè ac Clericis inter initiatores locus daretur, & Eccleſiæ ordo turbaretur, dum omnes pro Doctoribus haberi vellēt, & domeſtica poteſtas cum publica eâque ſacra confunderetur: neque enim ſolùm parentes, verùm etiam & plurimos alios eodem loco, & gradu habere oporteret: nam, vt tradit S. Chryſoſtomus hom. 13. ad populum Antiochenum: πολλοὺς δὲ καὶ ἑτέρους μετὰ τοῦ συνειδότος ἐπέστησεν ἡμῖν διδασκάλους ὁ θεὸς, καὶ γὰρ καὶ πατέρας τοῖς υἱοῖς, καὶ δεσπότας τοῖς δούλοις καὶ ἄνδρας ταῖς γυναιξὶ, καὶ διδασκάλους τοῖς μαθηταῖς, καὶ νομοθέτας καὶ δικαστὰς τοῖς ἀρχομένοις, καὶ φίλους τοῖς φίλοις. *Multos autem & alios præter conſcientiam præceptores nobis Deus propoſuit. Etenim patres filiis, & dominos ſeruis, & legiſlatores, & iudices ſubditis, & amicos amicis*: Ex quibus omnibus ij ſolùm, qui νομοθέται καὶ δικασταὶ dicuntur, legiſlatores & iudices, publicâ auctoritate prædíti τοὺς ἀρχομένους ſeu *ſubditos* habere à Chryſoſtomo dicuntur: atque adeò eorum duntaxat officium ἀρχικὸν exiſtimant: etſi circa ſacra verſetur ἱεραρχικόν. Cæteri poteſtatem habent priuatam, domeſticam, non principalem, non hierarchicam. Igitur ſcholæ iſtæ Prophetarum, vt pote priuatæ ad hierarchicam conſiderationem nullius momenti ſunt, nulliuſque ponderis.

Quòd autem ſcholæ iſtæ priuatæ & domeſticæ fuerint, videtur ex Abulenſi Cel-

lotius ipſe oſtendere, nihilominus quia id minus clatè expoſuit, nobis euidentiùs eſt demonſtrandum.

Obſeruandum ſiquidem eſt Prophetarum nomen duplicem, quod ad præſentem materiam ſpectat, ſignificationem habere: primò enim Prophetæ dicuntur, qui futura prædicunt, quales fuerunt Moyſes, Aaron, Ioſue, Samuel, Gad, Natham, Ahias Silonites, Michæas, Elias, Elizæus, Iſaias, Ieremias, Ezechiel, Daniel, aliíque qui Prophetæ minores vocantur. Quæ acceptio communis eſt & vulgata. 2. Prophetæ dicuntur, ſeu filij Prophetarum, itémque cunei & gteges Prophetarum, qui ſub cura vt plurimùm alicuius Prophetæ extra ordinem à Deo miſſi, in commune viuentes erudiebantur: cuiuſmodi duas congregationes tempore Samuelis legimus: vnam quæ obuiam Sauli proceſſit, de qua 1. Reg. c. 10. ſcribitur *Obuiam habebis gregem Prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & cytharam ipſóſq; prophetantes.* Prophetas enim eò loci *ſacrarum litterarum ſtudioſos* Chaldæus Interpres, Rabbini, Theodoretus quæſt. 24. Abulenſis, Caietanus & alij exponunt, eóſque prophetantes interpretantur quaſi Deum laudantes: horum Collegia in Gabaa Beniamin fuiſſe fusè probat Abulenſis quæſt. 4. vltra medium. Ex tribu verò Leuiticea præſertim ea collecta fuiſſe, idem Abulenſis obſeruat quæſt. 15. Alteram quoque eodem tempore legimus ſub ſpeciali regimine in Ramatha, in qua vrbe ipſe degere ſolebat, cuius 1. Regum cap. 19. verſ. 20. mentio fit iis verbis: *Miſit ergo Saul lictores vt raperent Dauid, qui cùm vidiſſent cuneum Prophetarum vaticinantium, & Samuelem ſtantem ſuper eos, factus eſt etiam Spiritus Domini in illis, & prophetare cœperunt etiam ipſi.* De vtraq; autem congregatione loquens Scriptura, miraculi meminit, quomodo nempe Saul in alterum virum mutatus vtrobique inter Prophetas ſpiritu extra ſe raptus, prophetare & ipſe cœperit, eorum oblitus, quæ anteà in animo voluebat: vt diſcas non tam ordinarias iſtas ſcholas quàm extraordinarias, ſpiritu Dei in vnum aliquos congregante, quos etiam extraordinariis viſionibus vel reuelationibus aliquando donaret: nec ſolum Prophetas dictos, quòd Deum laudarent, quamuis & hoc nomine Prophetæ dici potuerint: verùm etiam quòd quibuſdã extraordinariis reuelationibus nonnunquam illuminarentur, & exceſſus quoſdam animi paterentur. Locus autem doctrinæ apud eos eodem capite vocatur Naioth, *pro domo doctrinæ* vertit Chaldæa paraphraſis. In aliis quoque vrbibus ſuccedenti tempore filios Prophetarum conuixiſſe conſtat ex 3. Regum cap. 18. vbi Abdias centum Prophetas à furore Iezabel ſeruaſſe & occultaſſe narratur 4. Regum cap. 2. verſu 3 in quo Bethel filij Prophetarum fuiſſe dicuntur, & verſu 4. in Iericho, qui omnes Eliam tanquam magiſtrum habuiſſe videntur 4. eiuſdem libri cap. 4. verſu 39. mentio item filiorum Prophetarum coram Eliſæo in Galgalis commorantium. Extra verò iſta tempora Samuelis, Eliæ & Eliſæi iſtorum ac gregum Prophetarum mentionem non legimus, niſi cantores Prophetas, filiis Prophetarum adnumeres, de quibus cap. 15. & 25. lib. 1. Paralipomenon, qui *prophetaſſe* dicuntur, id eſt, *Dominum laudaſſe in Canticis*, quorum aliqui diuino ſpiritu afflati canebant, erant autem ij omnes ex tribu Leui, & miniſteriis templi addicti erant, & ſub Principibus quibuſdam Leuiticæ tribus merebant.

Secundò nec exempla iſta probant Doctorum munus in iis, qui ordinati non fuerint, & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ expertes extiterint, hierarchicum eſſe debere: neque enim Prophetarum iſtorum Collegia ſolita fuiſſe ab aliis regi oſtendunt, quàm ab iis, qui & ſacerdotes, & iuriſdictione præditi erant: cùm enim Leuitarum præſertim eſſent iſta Collegia, à Principibus Leuiticæ tribus dirigi ſolita fuiſſe quis neget? Principes Prophetarum ſeu Cantorum, de quibus lib. 1. Paralipomenon mentio eſt, ex eadem tribu fuiſſe referuntur, qui capita familiarum erant. Samuel autem Leuita fuit per lineam Iſaar filij Caath, vt colligitur ex lib. 1 Paralipomenon cap. 6. verſu 2. & 33. vſque ad 39. ideò etiam miniſtrabat templo 1. Regum 3. nec infima dignitate etiam in ſacris præditus erat: Elias verò ſacerdos erat, de familia Aaron, teſtibus Epiphanio de vita & morte Prophetarum, Iſidoro Hiſpalenſi de vita & morte ſanctorum. Solus Eliſæus ex alia quàm Leuitica tribu progenitus, purà de tribu Ruben, ſed mirabiliter bouis aureæ mugitu die ipſo quo natus eſt, deſignatus, & à ſummo Sacerdote conſultis Pectoralis lapidibus declaratus, vt referunt citati ſancti Patres miraculis poſteà, & Prophetiæ dono agnitus, extra ordinem miſſus, particeps dignitatis hierarchicæ in veteri lege eſſe potuit; in qua extra ordinem quoſdam mitti nonnunquam contingebat, cum po-

Digitized by Google

teſtate & auctoritate publica, adeò vt iiſdem non obtemperare nefas eſſet: quod in noua lege ſecus accidit, in qua licèt prophetiæ donum nequaquam ceſſaſſe dici debeat: extraordinaria tamen iſta miſſio locum non habet, ſed ſola ordinaria decurrit ſatis ſupérque Chriſti documentis inſtructa; ſatis eius promiſſionibus munita, & abundè aduerſus quoſlibet inſultus tuta, quod ſupra Petrum, id eſt, Petri Cathedram fundata ſit. Hæc Eccleſiæ Catholicæ doctrina eſt, hæc fides, quæ hæreticorum figmenta refellit, qui ad extraordinarias miſſiones, vel inuiti confugiunt, dum ordinariam probare non poſſunt: ſed hac de re infrà.

Quare ex diſcrimine iſto Eccleſiæ & Synagogæ, quod hæc habere potuerit Hierarchas extra ordinem ſacerdotalem ac Leuiticum extraordinariè miſſos; illa ſecundum diuinam inſtitutionem non poſſit; deducitur nihil præiudicij ſtatuto à nobis hierarchico ordini inferiori, cui ſolenne eſſe diximus, vt omnia hierarchica munia exercendi penes ſolos ordinis ſacerdotalis viros poteſtas reſideat; quantumcunque ex alia quàm ſacerdotali ſeu Leuitica tribu, Prophetæ extra ordinem miſſi in veteri lege exercuiſſe munera hierarchica probarentur: quibus nempe etiam ſupra ordinem ſuum ſacrificandi poteſtas legitur aliquando conceſſa: nam verbi gratiâ, Gedeon de tribu Manaſſe erexit altare in Ephra, & obtulit holocauſtum Domino, Iudic. 6. Samuel Leuita quidem, ſed non ex familia Aaronis in Maſphat, Bethel, Galgalis, Ramatha, Bethleem, & altaria erexiſſe, & ſacrificium obtuliſſe narratur 1. Reg. 7. & 16. Quidni ſimiliter etiam alij quàm ſacerdotes, ſed propheticâ dignitate extraordinariâ præditi, (qualis nulla iam in Eccleſia poteſtas extraordinaria admittenda eſt) & docere, & Collegia congregare, & confraternitates ac ſodalitia erigere potuerint: quod nemo præter Domini Sacerdotes in Eccleſia iam poteſt.

Quod addit Cellotius de Scholis ſeptem ſeu de Gymnaſiis à Salomone fundatis, quod exinde deducit Pineda, quia ſcriptum eſt Prou. 9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem*: nec ex iſto loco ſolidè deducitur, nec firmiſſimis vllis auctoritatibus nititur, nec ſi verum eſſet, quidquam aduerſus nos vrgeret, quin potiùs ideò in ciuitate ſacerdotali fundata dicerentur, vt faciliùs Doctores ac Leuitæ reperiri poſſent, qui ad docendum in ipſis præficerentur.

ARTICVLVS TERTIVS.

De ordine Scribarum, Sectis Iudæorum, & docendi munere ex diuina inſtitutione ſolis Sacerdotibus & Leuitis proprio.

IN Scribis recenſendis, & Iudæorum ſectis confundit plurima Cellotius, eáque inuoluit, quæ diſiunctiſſima ſunt: *Reuerſis*, inquit, *deinde poſtliminiò è captiuitate Babylonica Iudæis, Eſdras ſacerdos, ſcriba legis Dei cæli doctiſſimus, eam Simoni Pontifici Synagogæ præfecto tradidiſſe dicitur, quæ per Antigonum Hillelem, Samæam, & innumeros alios ad Simeonem iuſtum deuoluta dicitur, eum, qui Chriſti vidit, & adornauit infantiam, in quo Academiæ Iudaicæ ſceptrum defeciſſe aiunt.* Poſt eum tamen alios agnoſcit in Scholis celebres Iudam & Mathæum Profeſſores apud Iudæos, Gamalielem Pauli præceptorem, & alios: Synagogarum quoque meminit ſeu Collegiorum, quorum mentio fit in Actibus Apoſtolorum. Confusè hæc omnia, primùm enim, quid intelligat per particulam *eam*, quam ab Eſdra Simoni Pontifici traditam dicit, non ſatis explicat, nam totâ præcedenti periodo nihil eſt, ad quod referri pronomen iſtud poſſit, præcedenti autem periodo de ſapientia Salomonis mentio, ad quam fortè refert iſtam voculam, ſed malè, nam nec ſapientia Salomonis ab Eſdra potiùs quàm ab aliis, à quibus confirmatâ traditione peruenit ad poſteros, propagata dici poteſt, nec in Simeone defeciſſe, quam multi ſibi poſteà vendicarunt; nec Simeoni Pontifici ab Eſdra tradita, cùm nullum Simeonem Pontificem tempore Eſdræ nec paulò poſt fuiſſe ex lib. Eſdræ cap. 11. & Ioſepho colligatur: neſi Simeoni iſti tradita fuiſſet ab eo per Antigonum, Hillelem, Samæum & alios deriuata dici poſſet: tum quòd ij Eſdra multo tempore poſteriores ſint, & eodem ferè illi omnes tempore vixerint. Nam Ioſephus lib. 14. Anti-

quitatum cap. 17. & lib. 5. cap. 1. Samæum ſub Hircano primùm, deinde ſub Herode floruiſſe teſtatur, eiuſdem quoque lib. 15. cap. 13. meminit Manahemi, quem omnes Talmudiſtæ Hillelis collegam faciunt: tum quòd diuerſæ ſectæ Hillel & Samæus fuerunt, quorum contentiones plurimas referunt iidem Talmudiſtæ ſibi in eo omnes conſentientes. Denique falſum eſt Academiæ Iudaicæ ſceptrum defeciſſe in Simeone, tum quòd penes iſtum Simeonem Academiæ Iudaicæ ſceptrum vnquam fuiſſe ſine fundamento, imò & falſò dicatur, ſi nempe iis verbis ſummo Pontifici Iudaico ſuprema poteſtas in omnes Academias & Synagogas denegetur: tum quòd iſta ſibi non conſtent, defeciſſe in iſto S. Simeone Academiæ Iudaicæ ſceptrum, & tamen poſt ipſum diu Academias iſtas viguiſſe. Auctores etiam, quos in margine citat Cellorius, nihil eorum dicunt, quæ ipſe in textu aſſerit, vt iure in eum extorqueri poſſit, quod remerè aliquando in nos torquet, quos citat ipſum nec legiſſe, nec fideliter citaſſe.

Argumentum itaque ex iis, quæ in eam rem dicere debuiſſet, ſi vel leuirer horum cognitione imbutus fuiſſet, vel ratiocinandi artem didiciſſet, ita formo: quia tam Scribis quàm Phariſæis apud Iudæos auctoritas docendi tributa eſt, vel ipſo atteſtante Domino Mathæi 23 *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis ſeruate & facite.* Quò etiam tendunt ea omnia, quæ de ipſis paſſim referuntur, vt quòd primas Cathedras in Synagogis ambirent Math. citato capite, Marc. 12. Luc. 12. & 20. Item quòd ad quæſtiones de fide & lege dirimendas paſſim legantur vocati, Math. 3. & 20. Ioann. 1. & 11. paſſim: ſed iſti tam Scribæ quàm Phariſæi, nec ex ordine ſacerdotali, imò nec ex tribu Leuitica neceſſariò erant: quamuis enim eorum numero plurimi ex ſacerdotibus & Leuitis adcenſerentur, vt ex eo patet, quòd qui ad Ioannem Baptiſtam interrogandum miſſi ſunt à Iudæis Ioannis 1. cap. verſ. 19. *Sacerdotes & Leuitæ* dicuntur: iidem verò verſ. 24. de Phariſæis fuiſſe referantur; nihilominùs ex aliis quoque tribubus tam Scribæ dignitatem aſſequi, quàm Phariſæorum ſectam amplecti poterant; Nam *Paulus ex tribu Beniamim ſecundum legem Phariſæus*, ad Philipp. 5. & Ioſephus Phariſæus plurimos profert ex aliis tribubus quàm Leuitica; & Chryſoſtomus in cap. 15. Mathæi, ex omni tribu Scribas deligi potuiſſe teſtatur, ideóque forſan *Scribæ populi* dicuntur Math. 2. quaſi ad docendum ex omni populo electi: idque tanquam indubitatum hiſtoria Cozri, nec non hiſtoria Cabbaliſtica Rabbi Abrahæ, quam Latinam fecit Genebrardus, & Iudæi omnes docent. Quin etiam Chaldæus Ionathas in cap. 49. Geneſeos, & R. Salomon in Commentariis in idem caput, ex paupere tribu Simeon plures vt pote magis ad laborem comparatos Scribas fuiſſe, quàm ex vlla alia tribu teſtantur. Igitur exemplo veteris legis docemur, abſque ordine vel iuriſdictione ſacerdotali, ſacræ legis interpretes tam Theologos, quàm Canoniſtas. (nam vtrorumq; officia Scribæ præſtabant) conſtituti in Eccleſia Chriſti poſſe, qui & gradum habeant hierarchicum, & primas Cathedras in Eccleſiis in ſignum hierarchicæ dignitatis ſuo ſibi iure vendicent.

Quia verò argumentum iſtud ad hierarchiæ Eccleſiaſticæ peruerſionem tendit, vt ad laicos ſacerdotalia, ac potiſſimùm docendi & prædicandi, imò & de rebus iudicandi munia transferri poſſe doceantur: quandoquidem hæc omnia Scribæ, & Phariſæi ſibi vendicaſſe ex Scripturis ſacris dignoſcuntur. Ideò aliam fuiſſe diuinam inſtitutionem, quàm vt ordinarium munus aliis quàm Sacerdotibus tribui poſſet, primùm nobis probandum tum labeſcente apud Iudæos diſciplinâ, nomina iſta & officia inuenta fuiſſe præter diuinam inſtitutionem docendum eſt.

Primùm facilè conficimus, tum ex Scripturis ſacris, tum ex Ioſepho, nam ſi Scripturas ſacras expendimus, ſolis Sacerdotibus ac Leuitis docendi munus proprium, Deum voluiſſe ipſæ teſtantur. Scriptum eſt Leuit. 10. *Omne quod inebriare poteſt non bibetis tu Aaron, & filij tui, vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: doceatiſque filios Iſrael omnia legitima mea, quæ locutus eſt Dominus ad eos per manum Moyſi.* Scriptùm eſt etiam Deuter. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe perſpexeris, veniéſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæréſque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis morietur homo ille.* Quo loco forma iudiciorum præſcribitur, & ad Sacerdotes Leuitici generis difficultatum circa legem emergentium ſolutio referenda ſtatuitur, ſeruatâ

tâ

tà ſummi Sacerdotis auctoritate, & iudicis in executione ſententiæ poteſtate. Quare ad exactam veteris legis obſeruantiam renouare omnia volens Dauid Propheta, nonniſi ex ſacerdotibus & Leuitis ad docendũ populos aliquos conſtituiſſe legitur 1. Paralip. 23. numeratiq; ſunt Leuitæ à 30. annis & ſuprà: & inuenta ſunt triginta octo millia virorum. *Ex his electi ſunt, & diſtributi in miniſterium domus Dei viginti quatuor millia, Præpoſitorum autem, & Iudicum ſex millia.* Qui autem Præpoſiti & Iudices ibi dicuntur ſelecti illi cap. 26. ſequenti indicantur Iſaaritæ fuiſſe, qui regendis & docendis populis ex officio inuigilarent, habetur enim: *Iſaaritis verò præerat Chonenias, & filij ad opera forinſecus* (id eſt, extra templum) *ſuper Iſrael ad docendum, & iudicandum eos.* Iſaaritæ verò dicebantur, qui ex Iſaar filio Chaath filij Aaron originem ducebant, vt colligitur ex cap. 6. Exodi; 3. Numerorum, & 23. lib. 1. Paralipomenon, nec aliud inſtituiſſe dicendus eſt Ioſaphat lib. 2. Paralipomenon cap. 17. quamuis enim ibi ſcribatur *tertio anno regni ſui miſiſſe de Principibus ſuis Benhail, & Abdiam, & Zachariam, & Mathanael, & Michæam, vt docerent in ciuitatibus Iuda.* Ad docendum tam voluntatem regis, qui antiquam ſeruari volebat religionem, quàm ad interpretationem diuinæ legis miſſi dici poſſunt, vt ex immediatè ſequentibus verbis iſtis colligitur, *Et cum eis Leuitas, Semeheiam, & Nathaniam, & Zabadiam, & Semiramoth, & Ionatham, Adoniámque & Thobiam, & Thobadoniam Leuitas; & cum eis Elizama & Ioram ſacerdotes: docebántque populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas vrbes Iuda, & erudiebant populum.* Patet enim differenter de officio docendi ſacerdotibus & Leuitis à Ioſaphat demandato, ac de eodem officio Principibus regni commiſſo ſcripturam loqui; nam hi ad docendum duntaxat miſſi dicuntur, illi docuiſſe, & erudiiſſe populum ex verbis legis, & Codices legis habuiſſe referuntur, vt interpretandi doctrinam apud ſacerdotes & Leuitas, admonendi verò populum, eique nomine regis iubendi, quatenus prædicantibus ſacerdotibus & Leuitis auſcultarent, penes Principes fuiſſe curam & auctoritatem animaduertamus. Ideóque cap. 19. de Leuitis dicitur, *Habetiſque magiſtrot Leuitas coram vobis, confortamini, & agite diligenter, & erit Dominus vobiſcum.* 2. pariter Paralipomenon cap. 15. populi Iſraelitici reprobatio ac calamitas iis verbis prædicatur, *Tranſibunt autem multi dies in Iſrael, abſque Deo vero, & abſque ſacerdote Doctore*: quæ verba ſupponunt eum, qui ſecundum legem Dei eſſet Doctor, ſacerdotem fuiſſe: oſtendúntque inſuper populi exitium eſſe, ſi Doctoris officium gerat, qui non eſt ſacerdos. Propheticæ quoque Scripturæ ſacerdotibus docendi & interpretandi Scripturas munus proprium eſſe paſſim indicant, vt dum Aggæi ſecundo dicitur, *Interroga ſacerdotes legis*, & Malachiæ 2. *Labia enim ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam; & legem requirent ex ore eius.* Dum item aduerſus ſacerdotes, ſcientiæ acquiſitionem negligentes declamant, verbi gratiâ, Oſeæ 4. *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi*, Iſaiæ 28. *Sacerdotes & Prophetæ neſcierunt, & neſcierunt videntem, ignorauerunt iudicium*, Ieremiæ 2. *Sacerdotes non dixerunt, ibi eſt Dominus, & tenentes legem neſcierunt me, & Paſtoret præuaricati ſunt in me, & alibi paſſim.* Quæ loca & ſimilia, ſi acuratè expendantur, inuenent profectò docendi munus proprium ſacerdotibus ac Leuitis fuiſſe, & ita proprium, vt nullis aliis eo tempore conueniret: in iis enim locis populi calamitatem Prophetæ deplorant, quod abſque præceptoribus remaneant; quæ vtique calamitas tanta minimè fuiſſet, ſi eorum tempore aliis, quàm ſacerdotibus (quales poſteà fuerunt Scribæ & Phariſæi) munus docendæ & erudiendæ plebis demandatum fuiſſet. Ioſephus pariter penes ſacerdotes docendi ex lege Moſaica auctoritatem fuiſſe docet libro aduerſus Appionem, in quo fusè omnium ſacrorum curam penes ipſos fuiſſe demonſtrat, omniâque ipſorum munia iis verbis concludit, quòd fuerint ſacerdotes ἐπόπται πάντων, *inſpectores omnium*, δικασταὶ ἀμφισβητουμένων, *iudices ambiguorum*, κολασταὶ τῶν κατεγνωσμένων, *vindices damnatorum.*

Scribarum igitur ordo ad legis interpretationem, Phariſæorum quoque & aliarum ſectarum, quarum Profeſſores, ac Doctores apud Iudæos poſteà fuerunt, inſtituta noua ſunt, & quidem præter Dei inſtitutionem: imò contra eiuſdem inſtitutionem militant, niſi negligentia ſacerdotalis ordinis virorum, ad neceſſariam doctrinæ, & eruditionis adminiſtrationem inſolita iſta ſubſidia euocare meminiſſet: ita enim diuinas leges interpretari conuenit, vt quando vna alteri obſiſtit, eámque magis vrget,

& cuius finis magis eſt neceſſarius, alteri præualere oporteat, & aliam in eo caſu vim ſuam non habere credere liceat. Sic enim verbi gratiâ, diuinâ lege Epiſcopis & Curatis cum ſua plebe morari neceſſum eſt: ita tamen, vt tota Eccleſiæ neceſſitas, vel maior vtilitas Paſtoribus abſentiæ legitimæ cauſæ cenſeantur: nam ſanctior iſta & ſtrictior eiuſdem Dei lex eſt, toti Eccleſiæ laboranti prodeſſe, quàm in Eccleſia ſua aſſiduum eſſe. Similiter ergo diuina lex populo Iudaico præſcripta videtur, ne quis docendi munus præter Leuitas & Sacerdotes attingeret, à qua tamen lege neceſſitas erudiendæ plebis, quæ per Leuitas & ſacerdotes procurari minimè poterat, diſpenſandi auctoritatem dedit, vt etiam laici ad hæc munia vocarentur.

Notat igitur Genebrardus lib. 3. chronologiæ ad annum mundi 3985. corrupto Reipublicæ Iudaicæ ſtatu, ſacerdotibus diuitiis ſtudentibus, & officium docendi præ ſocordia & auaritia negligentibus, eam docendi prouinciam Scribas & Phariſæos occupauiſſe: quod eis obiicit Chriſtus Dominus cap. 11. Lucæ, dicens, *Væ vobis Legiſperitis, quia tuliſtis*, (Græcè ὅτι ἤρατε, id eſt, *rapuiſtis & arrogaſtis vobis*) *clauem ſcientiæ*, id eſt, vt exponit Tertullianus lib. 4. aduerſus Marcionem c. 11. *interpretationem legis, ſeu munus docendi ſacram Scripturam; ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis.* Quibus verbis maledicit Chriſtus Dominus Scribis, quòd poteſtate, quam rapuerant, ac ſibi minimè debitam, ex Synagogæ indulgentia tulerant, in ſuam & aliorum perniciem abuterentur. Habebant igitur Scribæ docendi poteſtatem, quam cum clauis nomine dictam intelligis, iuriſdictionis quoque nomine non immeritò donari potuiſſe diſcis; nam ſicut in priuatarum rerum commerciis traditio clauis argumentum eſt acquiſiti dominij l. *Cùm pater*, 77. §. *pater pluribus*, & ibi Gloſſa, *Cuſtodiæ*, ff. de legatis 2. l. *Clauibus*, 74. *de contrah. empt.* §. item *ſi quis*, Inſtitut, de rerum diuiſ. ita publicarum clauium traditione, qualis eſt ſcientiæ clauis, auctoritas aliqua publica, & iuriſdictio tribuitur: eóque proinde titulo, & principatum & præpoſituram tribuit ipſis Tertullianus, loco mox citato, his verbis, *Primatum quoque locorum, & honorem ſalutationum cùm incuſat, ſectam creatoris adminiſtrat, eiuſmodi Principes Sodomorum ἄρχοντας appellantis; prohibentis etiam confidere in præpoſitos: imò & in totum miſerrimum hominem pronuntiantis, qui ſpem habet in homine. Quòd ſi propterea quis affectat principatum, vt de officiis aliorum glorietur, qui officia vetuit eiuſmodi ſperandi, & confidendi in hominem, idem & affectatores principatuum increpuit.* Porrò ſi ἄρχοντας dicti ſunt Scribæ in lege Moſaica à Creatore tradita, ſi præpoſiti, ſi ipſorum officium principatus vocatur, quidni imperfectè quoque ipſi Hierarchæ & ſacri Principes? imperfectè, inquam, nam principatum habebant, conſecrationem verò ſacerdotalem ex inſtitutione Dei connaturaliter debitam principatui non habebant: idcóque verè ἄρχοντες, non ἱερεῖς, non ἱεροὶ propriè dici poterant, Doctores creari, non conſecrari dici poterant, quibuſcunq; ritibus crearentur: niſi & ad ſacra myſteria, per quæ omnis hierarchica poteſtas perficitur, conſecrarentur. Habebant Scribæ poteſtatem, ſed extra proprium ſubiectum exiſtentem, atque ideò iure reprehenduntur à Chriſto, quòd primas Cathedras in Synagogis appeterent, quòd ſcilicet miniſterio alieno fungentes abſque conſecratione propria, dignitatem tamen & excellentiam propriam quærerent: Dei perſonam, quam ſacerdos exhibet, minimè repræſentantes, ſibique non Deo honores & obſequia, quorum auidi erant, quærere viderentur. Quam coniecturam meam ex eo firmo, quòd nunquam reprehenderit Deus ſacerdotem loci prærogatiuam in ſacris functionibus quærentem: imò pompa quædam & maieſtas tum in veſte, tum in aliis ei præcipitur, vt Dei ſe figuram gerere & meminerit ipſe, & cæteros moneat, vt cogitent. Phariſæos autem & Scribas non conſecratos, & in Synagogis docentes, quòd Dei perſonam minimè exhiberent, nec Deo per ſacerdotium conſecrati eſſent, in Synagogis primas Cathedras amantes carpat. Quia nempe hi ex miniſterio humano ſibi affectabant honorem: illi diuinum ordinem & diuinam repræſentationem etiam in ſeipſis cæteris honori eſſe volebant: quorum primum humanæ cupiditatis eſt; alterum religioſæ obſeruantiæ.

Sed vereor, ne extra limites diſſiluiſſe videar; continenda oratio, ne liberiùs diſcurrat, illúdque ſolum addendum pro eo ſtatu, quo quibuſdam ex alia, quàm ſacerdotali tribu oriundis conceſſa poteſtas fuit, prærogatiuam tamen quandam docendi in iis agnitam, qui ex tribu Leuitica & ſacerdotali familia procreati eſſent: ac proinde rectè

S. Ambroſius lib. 1 in Lucam hanc rationem reddidit, *Cur Ioannis Baptiſtæ nobilitas non ſæculari poteſtate ſublimis, ſed religionis ſucceſſione venerabilis ab Euangeliſta deſcribatur. Tales enim*, inquit, *maiores habere debuit prænuntius Chriſti, vt non repente conceptam, ſed à maioribus acceptam, & ab ipſo infuſam iure naturæ, prædicare fidem Domini videretur aduentus.*

Subſidiarij igitur, & aduentitij, tam Scribæ quàm Phariſæi, ſacerdotibus Leuiticæ tribus, in eorum ſcilicet defectum creati ſunt, ſicut Doctores Theologi & Canoniſtæ ab Vniuerſitatibus probati, ac regulares viri ad ſupplendas Paſtorum vices ab Eccleſia deſtinati fuerunt. Nam Scribæ iidem apud Iudæos erant, qui apud nos Doctores ab Vniuerſitatibus probati; ideóq; & Scribæ ſeu *γραμματεῖς*, & *νομικοὶ*, ſeu *Legis periti*, & *νομοδιδάσκαλοι*, *Legis Doctores* appellantur in Euangeliis Math. 22. 23. Luc. 11. & 14. & Marci 7. & qui Mathæi 22. *νομικὸς*, *Legis Doctor* dicitur in vulgata editione, & quos Marcus cap. 11. *νομικοὺς* nominauit: Tertullianus lib. 4. contra Marcionem *Legiſperitos dixit*, & quæ *νομικοῖς* & Phariſæis obiecta, quæ officia attributa Luc. 11. eadem & obiecta & attributa *τοῖς γραμματεῦσι*, ſeu Scribis & Phariſæis Math. 23. Narrántque Iudæi Scribas publicè initiatos gradui Doctoris adhibitis quibuſdam ritibus à noſtris non omninò abhorrentibus. Phariſæos autem à ſecta & auſteriori viuendi genere tam Euangelium, vbi de his mentionem facit, quàm Ioſephus lib. 17. Antiquitatum cap. 3. & lib. 18. cap. 2. & lib. 1. de bello Iudaico cap. 4. nobis commemorat: ideóque Ianſenius in Concordia Euangelica cap. 84. & Petauius notis in Epiphanium, hæreſi 15. ſecuti Theophylactum, Phariſæos regularibus viris, Scribas Doctoribus comparant: Sed audiamus Theophylactum ipſum loquentem commentario in cap. 11. Lucæ, *ἄλλοι δὲ ἦσαν οἱ νομικοὶ παρὰ τοὺς Φαρισαίους· οἱ μὲν γὰρ Φαρισαῖοι ὡς ἀσκηταὶ ἐδόκουν, καὶ ἀποκεκομμένοι τῶν ἄλλων, οἱ δὲ νομικοὶ γραμματεῖς ἦσαν, καὶ διδάσκαλοι τοῖς βουλομένοις, τὰ τοῦ νόμου ζητήματα λύοντες· Sanè alij erant legiſperiti, & alij Phariſæi: nam Phariſæi videbantur vt Monachi, & qui ab aliis ſe ſegregabant, legiſperiti verò Scribæ erant, & Doctores, qui ſoluebant quæſtiones legis.*

A quo tempore Scribarum ordo & Phariſæorum ſectæ ortæ fuerint, non adeò clarum eſt: plurimi ab Eſdra inſtitutum Scribarum ordinem fuiſſe ſcribunt, eo præſertim argumento ducti, quòd Scribarum tunc primùm ſub Eſdra in eo ſenſu mentio fiat in Scripturis ſacris. Nam verbi gratiâ, de ipſo Eſdra legitur lib. 1. eius nomen præferentis cap. 7. v. 6. *Quòd fuerit Scriba velox in lege Moyſi, quam Dominus Deus dedit Iſrael.* & verſ. 11. dicitur, *Sacerdos Scriba eruditus in ſermonibus, & præceptis Domini & cæremoniis eius*, & 12. *Sacerdos Scriba legis cæli doctiſſimus*, & 21. *Scriba legis Dei cæli.* Quibus ſimilibus elogiis exornatur 2. Eſdræ 8. 12. 13. quod argumentum, per ſe videtur eſſe leuiſſimum, quia potuit legis Doctor & Scriba dici, quamuis nondum ordo vllus Doctorum ac Scribarum à ſacerdotum ordine diſtinctus inſtitutus eſſet. Rabbinorum tamen teſtimonio inducimur, vt Scribarum aliquod Collegium ab Eſdra inſtitutum credamus, qui legem ad litteram interpretarentur, libróſque ſacros intactos conſeruarent, ne quid corruptelæ in eos irreperet. Quam ſententiam amplectitur Genebrardus lib. 2. ſuæ chronologiæ, vbi agit de geſtis ſub Ioſue, ſiue Ieſu filio Ioſedech. Sed vtrùm ipſe ſolos ſacerdotes in hoc Collegium admiſerit, non conſtat: mihi certè probabilius eſt ſolos ſacerdotes aut Leuitas admiſiſſe, ſed non multò poſt in illud corpus etiam ex aliis tribubus doctiores admiſſos fuiſſe: de eo item corpore ſermo mihi fieri videtur 1. Mach. c. 7. *Et conueniebant ad Alcemum & Bacchidem congregatio Scribarum requirere quæ iuſta ſunt, & primi Aſſidæi, qui erant in filiis Iſrael, & exquirebant ab eis pacem.* ſeu vt habetur in Græco, *πρῶτοι οἱ Ἀσιδαῖοι ἦσαν ἐν υἱοῖς Ἰσραήλ· Primi Aſſidæi erant in filiis Iſrael.* Quibus verbis & Scribarum congregatio iam tum tempore Iudæ Machabæi floruiſſe deſcribitur, & ex eorum numero Aſſidæi fuiſſe perhibentur, quorum ordo ſi credimus Serrario in c. 7. lib. 1. Machab. vel idem cum ordine Eſſenorum, vel valdè coniunctus fuit: ij autem cùm plurimi ex filiis Iſrael fuiſſe ſcribantur, videntur non ex vna ſolùm tribu, ſed ex pluribus congregati fuiſſe; ac proinde & Scribarum ordo iam tum ex aliis, quàm ſacerdotalis ordinis viris cõflatus fuiſſe. Hieronymus tamen in cap. 8. Iſaiæ Scribas & Phariſæos à Sammæi & Hillel illuſtribus in Synagoga viris originem duxiſſe, nec multò priùs, quàm Dominus naſceretur, ortos eſſe in Iudæa affirmat, cuius merito ſententiam vel explicát vel corrigunt Serrarius c. 12. lib. 2. Trihæreſij, & Genebrar. in chron. docentes, ab iis quidem viris inſigniter

Digitized by Google

eorum ordinem propagatum, legibúſque quibuſdam, & formulis conſtitutum. ſed non prognatum fuiſſe. Clarius itaque quàm Hieronymus ad veritatis explicationẽ, videtur docuiſſe Epiphanius lib. 1. aduerſus hæreſes, hæreſ. 15 quæ eſt Iudaiſmi 2. *Poſt Sadducæos interiecto tempore, vel eodem etiam quo illi, Scribas prodiiſſe legis interpretes, ac veluti quandã Grammaticam profeſſos, cum cæteris rebus Iudæorum inſtitutis inhærentes, quæ cauillatoriis & ſuperſtitioſis inuentis interpolarunt.* At Sadducæi à Doſithæo quodam, qui ad Samaritanos defecerat originem habuerunt, teſte eodem Epiphanio hæreſi 14. quæ eſt 1. Iudaiſmi, cui aſſentitur Hieronymus dialogo aduerſus Luciferianos: qui Doſitheu poſt Eſdræ tempora vixiſſe ante principatum Machabæorum videtur, eo nempe tempore, quo religionis Iudaicæ maxima erat perturbatio: poteſtque ex eo confirmari quod Axibam quemdam magiſtrum ſeu Baraxibam, & Andanum vel Annanum, qui & Iudas dicebatur, antiquiorem Aſſamonæorum filiis ſuarum traditionum auctores Scribæ citarent, teſte ibidem Epiphanio. Itaque ante Aſſamonæorum tempora, cùm Prophetæ tam maiores quàm minores defeciſſent, Scribarum ordo, ex omnibus, qualiſcumque tribus eſſent, doctioribus viris conflatus primùm videtur fuiſſe.

Phariſæi autem ab Eſſenorum inſtitutis, quæ antiquiora ſunt omnibus ſectis Iudæorum, promanaſſe videntur, ita tamen vt priorum auſteritatem illi temperarint, & ſolitudinem fugerint, & contemplationi minùs addicti rebus gerendis magis vacarerint, & quædam etiam circa doctrinam immutarint, idcóque Chriſtus Dominus, qui Sadducæos & Phariſæos ſæpè ſciſcitatus legitur, Eſſenos ſeu Aſſidæos numquam grauiùs reprehendit, aut cum dedecore nominauit: Ioſephus ſub Ionatha ſummo Pontifice, primùm meminit enatarum trium apud Iudæos ſectarum, Phariſæorum, Sadducæorum & Eſſenorum lib 3. Antiquitatum cap 9 Phariſæorum autem inſtituta, auctoritatem erga populum, dominandique libidinem, & turbas exinde natas poſteà deſcribit, cap. 13. 14. & 23. eiuſd. libri, itémque cap. 4 lib. 1. de bello Iudaico, & lib 2. cap. 2.

Ab eo verò tempore quoad alios quàm ad ſacerdotes docendi munus tranſlatũ eſt, quæ fuerit ex diſſidiis iſtarum ſectarum, tum in politico ſtatu, tum in Eccleſiaſtico, Synagogæ immutatio, quæ perturbatio, ex hiſtoria diſcimus. Ex qua præſertim hoc admiratione dignum ſileri non debet, quòd toto eo tempore, quo penes ſolos ſacerdotes docendi populi, & interpretandi ſcripturam ſacram munus commiſſum eſt, ſimpliciùs quidem, ſed ſinceriùs doctrina ſacra tradita fuerit, nec vlla vnquam inter Iudæos hæreſis exorta ſit. At poſt Scribarum ordinem inſtitutum, poſt Phariſæorum, Sadducæorum & Eſſenorum ſectas exortas in varias partes populus diſtractus ſit, ſuperſtitioſis commentis doctrinæ ſinceritas obſcurata ſit, breuique tempore peſſimâ quadam æmulatione, & nouitatis ſtudio in hæreſes ſectæ iſtæ degenerarint, quemadmodum conſtat ex Tertulliano de præſcriptionibus cap. 45 Epiphanio in catalogo hæreſeωn Iudaiſmi, Philaſtrio lib. de hæreſibus, Damaſceno eodem libro & aliis inter hęreſes ſectas iſtas reponentibus, Epiphanio quoque & Damaſceno Scribarum ordinem hæreticorum catalogo adiungentibus.

Ex tota verò iſta narratione nihil pro ſe colligere poterit Celſotius Plurima verò nos pro ordinis hierarchici qualem ſtatuimus, commendatione, inferre poſſumus. Primùm ex Moſaicæ legis inſtitutione, ſolis ſacerdotibus ac Leuitis docendi populum, & interpretandi legem munus commiſſum fuiſſe, adeóque cùm in figuris omnia Iudæis contingerent, nec miniſterium ſacerdotum nouæ legis in aliquo miniſterio veteris legis cedere debeat ex doctrina tradita à beato Paulo 2. Corinth. 3. & alibi; idem munus in noua lege ex Chriſti inſtitutione, ſolis ſacerdotibus aut Diaconis addictum videri; nec niſi vigente neceſſitate, vel expoſcenti maiori vtilitate, aduerſus eam Chriſti inſtitutionem atque ordinationem laicis illud officium indulgeri potuiſſe.

Alterum vbi Scribæ ad officium docendi publicum admiſſi ſunt, iuriſdictionis ipſos ſaltem inferioris notæ, quæ ad actus legitimos efficiendos conceditur, & poteſtatem circa perſonas in eo ſibi munere ſubditas agendi, eáſque immutandi largitur, fuiſſe donatos. Eâ verò ſimiliter iuriſdictione, quæ per clauem ſcientiæ explicatur, Doctores nouæ legis ad inſtar Scribarum conſtitutos, præditos dici debere, ratione cuius imperfectè Principatus Eccleſiaſtici dicantur participes, ſicut & ipſos Scribas participes exiſtimatos fuiſſe docuimus.

3. Diuinior apud nos cùm ſit ordinatio ſacra, & Chriſti inſtitutionis maior cura, ideò

non ſicut ſcribis iis nempe, qui vel Archiſynagogi conſtituti eſſent, ſi qui tamen ex alia tribu quàm Leuitica Archiſynagogi ex Scribis creati ſint, vel in Senatum maiorem Iudæorum allecti forent (quales ex ſingulis tribubus corruptâ iam Synagogæ diſciplinâ allectos conſtat) iuriſdictionem coercitiuam, & iudicialem attributâ Doctoribus fuiſſe nullo ſacro ordine inſignitis: ideóq; eo titulo Doctores, qui ab vniuerſitatibus iam probantur, inferiores eſſe; & maiorem perfectè in hierarchicis dignitatibus conferendis Eccleſiæ curam habuiſſe, quàm Synagogam, necnon initiatis ſacro ordine ad eos gradus promoueri poſſent.

4. Licentiam iſtam communicandi aliis, quàm ſacerdotibus & Leuitis Doctoris gradû ac munus, multa grauia nocumenta Iudęis intuliſſe, ſignúmq; inclinantis ad interitum Synagogæ fuiſſe; grauiſſimas quoq; diſſenſiones, & diſciplinæ innouationes exortas fuiſſe, ex eo quòd aliis quàm ſacerdotibus & paſtoribus ordinariis poteſtas publica docendi, & ſacram doctrinam paſſim tradendi facta ſit: nec immeritò vereri aliquem poſſe, ne turbatio iſta diſciplinæ & tot in ſubſidium ordinariorum Paſtorum vocandorum neceſſitas, extremorum imminentium temporum argumentum ſit: Quemadmodum ruituræ domus indicia ſunt addititia omnia fulcra, quibus ad tempus innititur.

ARTICVLVS IV.

De praxi veteris Eccleſiæ vſque ad tempora Caroli magni circa Scholas.

INTERPRETANDI ſcripturam ſacram, populúmque docendi diuina myſteria, ſolos ſacerdotes à Chriſto poteſtatem accepiſſe ſuperiùs docuimus. Addo ſolùm iſta, quòd poteſtatem baptiſandi cum poteſtate docendi Chriſtus coniunxit Math. 28. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. *docentes eos ſeruare omnia*, &c. Quod Paulus docendi munus Apoſtolicæ dignitati, quæ ſacerdotalis ordinis primaria eſt, magis inſertâ innuat, quàm baptizandi, dum ait, *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare*. 1. Cor. 1. Quòd 1. ad Tim. 3. moneat *Epiſcopum oportere eſſe Doctorem*; quod eiuſd. epiſt. c. 4. præcipere & docere in Epiſcopo coniungat, quòd Timotheo iubeat *attendere lectioni, doctrinæ & exhortationi*: ſtatímq; monitum iſtud ingerat, *Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterij*; ac ſi diceret ei prouidendum eſſe, ne gratiam, quam in ordinatione accepit docendi non vtiliter impendat, & otioſam reddat: ordinationi proinde rectè docendi gratiam coniunctam aſſerens, nec ex diuina inſtitutione diuulſam illam & diſtinctam eſſe debere; quod cap. 5. *Qui bene præſunt, Presbyteros duplici honore dignos haberi velit, maximè, qui laborant in verbo & doctrina*; quod ad Tit. 1. Epiſcopum deſcribat, *Qui potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt arguere*.

Neque ipſe Chriſtus Dominus præceptoris officium reſpuit, qui *præceptoris* nomine donari voluit Iſ. 30. & 35. & Luc. 5 8. 9. 13. & 21. qui ſuos, quos ad ſuæ Eccleſiæ plantationem deſtinabat, diſcipulorum nomine paſſim vocari voluit, quos ſcilicet tanquam in Schola apud ſe diu erudiendos habuit, primùm faciliora, tum difficiliora eos docens & ad Spiritus ſancti cæleſtem doctrinam præparans.

Apoſtoli quoque non contenti publicè docere, circa domos quoque docebant Act. 5. & quos ad ſacrum miniſterium deſtinabant, eos priuatim etiam docebant, v. g. Paulus Timotheum priuatim ſe edocuiſſe teſtatur, 2. ad Tim. 2. & ſe edoctum circa Eccleſiæ diſciplinam pollicetur prioris ad eumdem 3. ab eodem Titum edoctum conſtat ex epiſtola ad ipſum directa: ab ipſo Dionyſium, Hierotheum & Lucam, cæleſtia myſteria priuatim edoctos, Dionyſius ipſe cap. 4. & 6. cæleſtis hierarchiæ, cap. 11. de diuinis nominibus, & alij teſtantur. Eodémque modo Petrus Marcum, & alij alios diſcipulos ſuos Apoſtoli erudierunt.

In Apoſtolis proinde primaria Doctorum inſtitutio, primúmque Doctorum munus eſſulſit, quod ad omnes Paſtores ampliatum atque extenſum eſt, vt ex Apoſtolicis de Epiſcopo deligendo admonitionibus ſuperiùs prolatis patet. Quod proinde agnitum habens Auctor operis imperfecti in Math. hom. 11. inter opera Chryſoſtomi Clericali ordinatione Doctorem populi conſtitutum ait. *Sic*, inquit, *ſacerdos & omnis Clericus, etſi ſpiritaliter non promittat, tamen per hoc ipſum, quod Doctor conſtituitur aliorum, tacitè*

promittere videtur, in omnibus ſe obauditurum Deo. Clariùs autem Nyſſenus oratione in Baptiſmum Chriſti conſecratione & ordinatione hominem repentè euadere καθηγήμονα καὶ διδάσκαλον εὐσεβείας, *Præceptorem & Doctorem pietatis.* Sed & Cyrillus Alexandrinus orat. 2. de recta in Deum fide ad Reginas, ſtatim initio aſſerit, nonniſi τοὺς τεταγμένους εἰς ἱερουργίαν, *in ſacerdotum ordinem electos*, eam prouinciam ſortiri, vt populis myſteria fidei proponat. Maximus quoque Dionyſij Interpres in cap. 3. cæleſtis hierarchiæ, à ſacerdotibus ad hoc conſtitutis doctrinâ Chriſtianâ fideles illuſtrari affirmat.

Septima denique Synodus Can. 10. ſacerdotium ad hoc etiam tribui teſtatur, vt à ſacerdotibus pueri & ſerui diuinas maximè Scripturas doceantur; μᾶλλον δὲ οὖν, εἰ πρὸς διδασκαλίαν τῶν τε παίδων, καὶ τῶν οἰκετῶν ἐπαναγινώσκων τὰς θείας γραφάς. εἰς τοῦτο γὰρ καὶ τὴν ἱερωσύνην ἐκληρώσατο. *Potiùs autem ad docendos pueros & ſeruos accedat, legens eis diuinas Scripturas: ad hoc enim ſacerdotium ſortitus eſt.* Sed ad Epiſcopos præſertim, quibus auctoritas ordinandorum Clericorum committebatur, eoſdem in Scripturis exercendi, & Theologicâ cognitione imbuendi cura manauit: eiuſdem enim eſt agentis diſpoſitiones introducere, cuius eſt formam producere. Hinc Ioannem adoleſcentem ſibi chariſſimum Epiſcopo, teſtibus Chriſto & Eccleſiâ, commendaſſe erudiendum narrat Clemens Alexandrinus apud Euſebium lib. 3. cap. 17. Anthiam Eleutherium filium ſuum Aniceto inſtruendum tradidiſſe, ab eòque ſacras litteras edoctum ſacro Cleri numero inſertum fuiſſe refert Nicephorus lib. 3. cap. 19. Irenæus epiſtolâ ad Florimum grauiter illum accuſans, quòd ab accepta à Presbyteris Doctoribus ſuis doctrina deſciuiſſet, ſeque & ipſum eodem præceptore S. Polycarpo vſos aſſerit, ſibique ante oculos mentis verſari locum, è quo aſſidebat ſanctus Polycarpus cùm diſſereret, & ſermones occurrere, quos à Ioanne acceptos ille memorabat, teſtatur, vt conſtat ex fragmento eiuſdem epiſtolæ apud Euſebium lib. 5. cap. 19. non diffitemur tamen quin primis illis temporibus, vrgente neceſſitate Eccleſiæ, vel vtilitate exigente, laici quidam præſertim ex Philoſophis magni nominis ad fidem conuerſis doctrinam Chriſti docere ſaltem Catechumenis permitterentur. De Schola Alexandrina ſuperiùs iam locuti fuimus, quam cùm à Ptolemæis fundatam referant, ex Ethnica, Philoſophis pluribus ac Gentilibus, ac doctioribus Iudæis ad fidem conuerſis, Chriſtianam factam fuiſſe non dubito, admiſſis etiam, ſaltem ad infidelium, qui conuerti vellent, inſtructionem, inſignioribus Philoſophis, qui Chriſti fidem ſuſcepiſſent, cuiuſmodi fuerunt Pantænus è Stoicorum Philoſophia ad Chriſti fidem conuerſus, vt eſt apud Euſebium lib. 5. cap. 10. & Origenes, quem notauimus Grammaticam primùm, tum eâ abiectâ ſacras litteras docuiſſe, teſte eodem Euſebio lib. 6. cap. 3. In ea verò Schola alios celebriores Doctores, imò ferè omnes Clementem Alexandrinum, Heraclam, Dionyſium & Achillam, qui poſteà Epiſcopi fuerunt, Presbyteros fuiſſe tradit Euſebius variis locis. Sed de Achilla notandum eſt quod ait Nicephorus lib. 6. cap. 35. eum *in Presbyterorum Cathedra laudem magnam eſſe conſequutum ſacrarum Scripturarum doctrinæ præpoſitum*, vnà cum Pierio pariter Presbytero. Hæc enim oſtendunt, Cathedram, è qua Scripturæ docerentur, Presbyteris addictam fuiſſe: Arrio quoque Presbytero Alexandriæ ſacrarum Scripturarum interpretationem concreditam probant Theodoretus lib. 1. hiſt. cap. 2. & Nicetas lib. 1. Theſaur. cap. 1. Dydimum poſteà Alexandrinum Hieronymi præceptorem Presbyterum fuiſſe refert ipſe Hieronymus, de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Dydimo. Similiter & in cæteris Scholis Eccleſiæ obſeruatum legimus: nam verbi gratiâ, Pamphilum ac Lucianum Presbyteros Cæſareæ Palæſtinæ, ſacram doctrinam docuiſſe. Hunc quidem Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Luciano, & epiſtolâ Arrij apud Nicephorum lib. 8. cap 9. fidem faciunt, illum verò Nicephorus innuit lib. 5. cap. 37. Dorotheum quoque Presbyterum Euſebius lib. 7. cap 26. ſe Antiochiæ ſacras Scripturas docentem audiuiſſe teſtatur, quem Nicephorus lib. 6. cap. 35. prodit Hebraicam linguam apprimè didiciſſe, vt Scripturas commodiùs interpretaretur. Quod autem de Pontiano diximus, eum Alexandriæ laicum ſacras litteras docuiſſe, de Quadrato & Ariſtide, qui Adriano Apologias pro Chriſtianis exhibuere, Athenis eos ſimiliter Scholas habuiſſe probabile eſt. Quod etiam de Iuſtino Martyre dici debet, quem Euſebius lib. 4. cap. 10. Romæ in habitu Philoſophi verbum Dei prædicaſſe, & ſcriptis pro fide acriter decertaſſe refert Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſt. in Iuſtino, & Photius in Biblioth. τὰς διατριβὰς habuiſſe ſcribit.

Verùm non eſt credendum iſtos omnes ſcripturas ſacras ex profeſſo docuiſſe; Pantænum quidem *inſtitutioni Chriſtianorum præſertim*, τῆς πιστῶν διατριβῆς ἡγεμόνα dicit Euſebius lib. 5. cap. 10. & Alexandriæ ab antiquis temporibus διδασκαλεῖον τῶν ἱερῶν λόγων, *ſacrarum ſcripturarum Scholam* fuiſſe teſtatur: ſed vtrùm huic Pantænus præfectus eſſet, an verò non ſolùm fideles inſtrueret, verùm etiam ſcripturas ſacras interpretaretur, non conſtat: certè Origenem ab initio quantumuis Catechiſta eſſet, ſolam Grammaticam docuiſſe Euſebij teſtificatione docuimus: Philoſophicas ſolùm diſciplinas Quadratum & Ariſtidem, Iuſtinum quoque Martyrem ex profeſſo tractaſſe ex eo conncio, quòd Philoſophi ex eo dicti ſunt: ſed de Iuſtino Martyre clariùs conſtat, quem Philoſophi habitu inceſſiſſe docuimus, & publicas Scholas babuiſſe Auctores citati innuunt, quod & ipſe confirmat Apologia ad Imperatores, vbi ſe cum Creſcente Cynico palàm diſputaſſe teſtatur, & ſe Philoſophum profitetur. Idémque liquidò conſtare debet de iis omnibus, qui publicas lectiones habuerunt: neque enim eo tempore Imperatores in Catholicos ſæuientes, publicè ſcripturas ſacras interpretari cuiquam paſſi fuiſſent, qui nequidem ſcripturarum ſacrarum Codices habere ſinebant: nec Eccleſiæ diſciplina ſcripturas publicè interpretari permiſiſſet, eo tempore, quo Gentilibus fidei ac religionis myſteria euulgare nefas erat. Neque verò à Philoſophicis diſciplinis publicè edocendis Chriſtianos iiſce etiam temporibus abſtinuiſſe credendum eſt, cùm & Origenem ſcripturas ſacras docentem philoſophicas lectiones minimè intermiſiſſe tradat Euſebius lib. 9. cap. 3. citato, & earum doctrinam ad fidem etiam Catechumenis perſuadendam vtilem aſſerit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum eaſdem profeſſus: & Ammonium eodem ferè tempore, quo Origenem Philoſophiam Chriſtianam publicè Alexandriæ docuiſſe, ac Plotinum Platonicum Ethnicum Philoſophum eius auditorem fuiſſe teſtetur Porphyrius in vita Plotini; & Pamphilum preſbyterum Cæſarienſem in eadem vrbe prophanæ & diuinæ Philoſophiæ Scholam inſtituiſſe referat Nicephorus lib. 6. cap. 37. & Malchionem Antiochiæ presbyterum, eum qui aduerſus Paulum Samoſatenum excipientibus Notariis publicè, diſputauit, in eadem vrbe Rhetoricam docuiſſe teſtetur Hieronymus lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis: quo etiam libro meminit Miltiadis, quem Eccleſiarum Sophiſtam vocat Tertullianus aduerſus Valentinianum: Arnobium quoque & Lactantium Chriſtianos factos Rhetoricæ profeſſionem minimè deſeruiſſe ex Hieronymo eodem libro aliiſque colligimus: & Conſtantium poſteà refert Sozomenus lib. 3. cap. 7. noluiſſe Iulianum niſi à Chriſtianis Profeſſoribus erudiri, & lib. 6. cap. 16. Gregorium Nazianzenum & Baſilium ſe Athenis præſtantioribus Sophiſtis, Numerio, & Prohæreſio totos dediſſe, quos narrat Hieronymus fidei Chriſtianæ adeò tenaces extitiſſe, vt vetante Iuliano Chriſtianos publicè profiteri, ſcholas ſuas ſtatim reliquerint. Quòd ſi verò legantur aliqui laici ſcripturarum ſacrarum explicationem ſuſcepiſſe, rarum illud fuit, nec niſi ob Eccleſiæ neceſſitatem vel vtilitatem maximam indultum.

Redditâ per Conſtantinum Eccleſiæ pace eadem lex ſeruata eſt, nec ſcripturas aliquos docuiſſe, quàm Epiſcopos, Presbyteros, vel Diaconos reperies, nec dedignati ſunt hoc munus per ſeipſos etiam ſacrati Antiſtites exercere: & cùm ipſi vacare huic muneri ſufficienter non poſſent, Presbyteros vel Diaconos eiſdem intentos eſſe voluerunt; & quidem in Eccleſiis interdum, vel in ipſis Epiſcopiis Epiſcopos hoc officium per ſeipſos exercuiſſe: hæc exempla demonſtrabunt. Euſebius Emiſſenus in ſcripturæ ſacræ libris accuratiùs perdiſcendis Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo & Patrophylo Scythopolitano interpretibus & magiſtris vſus eſt, teſte Sozomeno lib. 3. cap. 5. Gregorium Nazianzenum præceptorem ſuum vocat Hieronymus, & eo enodante ſe ſcripturas didiciſſe gloriatur in catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, & epiſt. 2. ad Nepotianum: ab eóque ſe eruditum ſcribit, cùm eſſet Conſtantinopolis Epiſcopus, commentariis in 6. Iſaiæ. Chryſoſt. epiſt. 61. lectorem Theodotum apud ſe retinere ac fingere, & erudire ſibi cordi fuiſſe ait. Sed & eius ſe diſcipulum fuiſſe, & quæ ipſe ſcripſiſſet, ab eo hauſiſſe gloriatur Caſſianus ſub finem libri de Incarnatione; Iſidorus quoque Peluſiota, Nilus & Marius præclari Aſcetæ, & Theodoretus in vtraque Philoſophia eodem Chryſoſtomo præceptore vſi fuiſſe referuntur à Nicephoro lib. 14. cap. 54. Nepotianum Hieronymus ab auunculo Pontifice, *in omnibus, quæ ſancta ſunt*, edoctum fuiſſe refert epiſtolâ 2. ad eumdem. For-

tunatus lib. 1. S. Germanum Scholarum, quibus Clerici inſtruerentur, moderatorem nobis depingit, carmine in laudem Pariſiaci Clerici:

In medio Germanus adeſt Antiſtes honore,
Qui regit hinc iuuenes, ſubregit inde ſenes.

Sub hoc Pontifice quantum Pariſienſis Clerus doctrinâ præcelluerit, canit idem carmine ſequenti,

Nam quæcunque illis, veteris velamine legis
Clauſa fuere priùs, hîc reſerata patent, &c.

Hæc fuerunt præſagia ſucceſſuræ in ciuitate Pariſienſi literarum gloriæ potiùs, quàm exordia: nam, vt refert Gregorius Turonenſis lib. 10. hiſt. Francorum cap. 26. mortuo Ragnemodo eiuſdem vrbis Epiſcopo, qui S. Germano ſucceſſit, Euſebius Syrus per pecuniam ordinatus *omnem Scholam* (aliàs familiam) *deceſſoris ſui abiecit*. Item ſanctus Medardus ab Epiſcopo Viromanduenſi, *in fide & doctrina Eccleſiaſtica* dicitur eruditus ab auctore vitæ huius ſancti, qui dici ſolet Fortunatus Pictauienſis apud Surium 8. Iunij cap. 8. Sanctum quoque Frodobertum primum Abbatem Cellenſem prope Trecas vetus exſcriptor vitæ eius in Promptuario Antiquitatum Eccleſiæ Trecenſis, refert in Scholis Ragnegiſili Trecenſis Antiſtitis erudiendum traditum fuiſſe. Denique Beda lib. 4. hiſtoriæ Anglicanæ cap. 2. Theodorum Cantuarienſem Archiepiſcopum, & Adrianum presbyterum & Abbatem congregatâ diſcipulorum catervâ, linguarum peritiam, ſcientiáſque tam prophanas, quàm ſacras docuiſſe prodit.

Quæ omnia & ſimilia exempla Epiſcoporum, in tanta negotiorum, quibus obruebantur, multitudine, non detrectantium per ſeipſos ſcripturæ ſacræ exponendæ munere defungi, & Clericos ſuos in doctrina Domini erudire creditu faciliora reddentur, ex eo quod refert Ioannes Diaconus lib. 2. vitæ ſancti Gregorij cap. 6. ſanctum iſtum Pontificem infra dignitatem ſuam nequaquam putaſſe pueros Clericos cantum edocere, & flagello terrere.

Eaſdem verò docendi partes in Presbyteros & Diaconos nonnunquam Epiſcopi reiiciebant. Alexandriæ præter ſcientiarum ſæcularium magiſtros (inter quos etiam Ariſtotelicæ doctrinæ Profeſſores numerat Sozomenus) plures alios ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, *in Eccleſiis* fuiſſe idem Auctor teſtatur lib. 3. cap. 14. citato, ἱκανοὺς διδάσκειν, καὶ διαλέγεσθαι περὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν, *Idoneos cùm ad docendum, tum ad diſſerendum de ſanctis litteris*. Circa quæ verba nota illos idoneos in Eccleſiis repertos dici à Sozomeno, non quia laici ſcientiæ acquiſitione ad docendum & diſſerendum de rebus ſacris idonei forent (quales aliquos eo tempore à plebe fuiſſe aſſerit eodem capite) ſed qui ſcientiâ, ordine & gradu idonei eſſent, atque adeò Eccleſiis dicati, & deuoti eſſent. Talis Baſilius Presbyter Cæſareæ Ponti ſub Euſebio Epiſcopo, τῶν θείων ἐξηγητής, *ſacrorum enarrator*, dictus à Nazianzeno orat. 20. qui etiam in eo *vim docendi admirabilem*, διδασκαλίας κράτος, commendat: Dydimus Alexandrinus, qui cùm eſſet προεστάμενος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τοῦ ἱεροῦ διδασκαλείου, *Præfectus ſacræ in Alexandria Scholæ*, Presbyter Alexandrinus fuiſſe innuitur à Socrate citato cap. Apollinarius item Laodicenus Presbyter, quem Antiochiæ docentem Hieronymus ſe audiuiſſe teſtatur ep. 65. ad Summachium, & Oceanum. Nec dubito, quin in cæteris quoque publicis Scholis eadem conſuetudo viguerit, vt ad ſacras diſciplinas, nonniſi Presbyteri vel Diaconi eligerentur: floruit autem iſtis temporibus præter memoratas, etiam Niſibenſis Schola, in vrbe Syriæ, in quâ (vt teſtatur Iunilius Africanus epiſt. ad Primaſium Epiſcopum præfatoriâ in libros ſuos de partibus *diuinæ legis*) *diuina lex per magiſtros publicos, ſicut apud nos in mundanis ſtudiis Grammatica & Rhetorica ordine, ac regulariter tradebatur*. In ea ſe idem Iunilius Paulum quendam nomine, genere Perſam audiuiſſe teſtatur, qui Clericúſne fuerit an laicus, non exprimit: Clericum fuiſſe cæterorum exempla me mouent.

Quædam etiam ſunt, quæ de more circa publicas Scholas (quas ſtudiorum Vniuerſitates dicimus) iſtis temporibus obſeruata ſilere non debemus, nempe in ſtudiis publicis, quæ Romæ, Conſtantinopoli, Alexandriæ, Antiochiæ, aliiſque locis habebantur, legibus Conſtantini ad Voluſianum, Valentiniani & Valentis tam ad Mammerinum, quam ad Prætextatum, itémque poſteà ad Olybrium, Honorij & Theodoſij ad Monachium, quæ referuntur titulo C. *de Profeſſoribus & Medicis*, nec non lege Theodoſij & Valentis vnicâ, *de Profeſſoribus, qui in vrbe Conſtantinopolitana* colligi, Grammaticæ,

Rhetoricæ, legum & medicinæ Doctores è publico ſtipendia ac ſalaria habuiſſe, variiſque immunitatibus ab Imperatoribus donatos fuiſſe, Doctoris habitum proprium induiſſe, ſed non niſi ordinis iudicio probatos. Quibus autem ritibus pallium induerent, ſcribit Nazianzenus orat. 20 in funere Baſilij, & Photius in Olimpiodoro num 80. Bibliothecæ. Mentio etiam poſterioribus temporibus ſtipendiorum Oratoriæ Facultatis Profeſſoribus perſolui ſolitorum apud Auguſtinum lib. 5. Confeſſ. cap. 13. Mentio quoque apud Sidonium lib. 3. epiſt. 3. ab Hecdicio nobili Aruerno inſtitutarum florentiſſimarum Scholarum, & ab Imperatoribus modò prophanorum ſtudiorum celebritatem auctam, modò imminutam. Porrò nec prædictis legibus, nec Auctorum teſtimoniis fit mentio magiſtrorum puerilis ætatis ſeu Catechiſtarum, aut Theologiæ Profeſſorum, ſeu ſacrarum Scripturarum interpretum, ab Imperatoribus vel legibus inſtitutorum: ſed toto iſto tempore Scholarum, tum in quibus pueri ſimul cum primarum elementis litterarum erudiebantur ad pietatem, tum in quibus adultiores ſacri eloquij intelligentiam pleniorem hauriebant, Profeſſores ab Epiſcoporum deſignatione dependiſſe leguntur. Nam verbi gratiâ, Origenem Euſebius lib. 6. cap. 7. Demetrij Alexandrini Epiſcopi auctoritate & adhortatione Catechiſtam primùm ac Grammaticæ Doctorem, tum ſacrarum literarum Interpretem egiſſe narrat. Cæſarauguſtanum Concil. ſub Damaſo contra Priſcillianiſtas Can. 7. Epiſcoporum hoc ius fuiſſe oſtendit, *Item lectum eſt, ne quis Doctoris ſibi nomen præter has perſonas, quibus conceſſum eſt, ſecundum quod ſcriptum eſt ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt placet.* Caſſiodorus præfatione in libros diuinarum Inſtitutionum, *Grauiſſimo*, vt ait, *dolore permotus, quòd ſcripturis diuinis magiſtri publici deeſſent, cùm mundani Auctores celeberrimâ proculdubio traditione pollerent.* Concilium iſtud cum Agathone contulit, *Niſus ſum*, addit, *cum beatiſſimo Agapeto vrbis Romæ, vt ſicut apud Alexandriam multo tempore fuiſſe traditur inſtitutum, nunc etiam in Niſibi ciuitate Syrorum Hebræis ſedulò fertur exponi, collatis expenſis in vrbe Romana profeſſos Doctores Scholæ potiùs acciperent Chriſtianæ, vnde anima ſuſciperet æternam ſalutem, & caſto atque puriſſimo eloquio fidelium lingua comeretur.* Meminit & ſtipendiorum ab Epiſcopo Clerico datorum ad docendum Gregorius Turonenſis lib. 6. hiſtoriæ cap. 36. narrans Atherium Lixoenſem Epiſcopum, *qui ſe litterarum eſſe Doctorem protuliſſet, & promiſiſſet, quòd ſi ei pueros delegaret, perfectos eos in litteris redderet*, in adulterij crimine deprehenſo non ſemel induliſſe, pueros ciuitatis collegiſſe, & ad docendum ei delegiſſe, terræ quoque aliquid & vinearum largitum ipſi fuiſſe.

Ex eo quoque profluxit, vt duo iſta genera Scholarum, tam quæ ad erudiendos pueros inſtituta ſunt (quarum vtilitatem longè præfert Auguſtinus libri primi Confeſſionum capite decimo tertio Eloquentiæ, & aliarum liberalium profeſſionibus) quàm ad Scripturarum ſacrarum interpretationem, & diuinæ legis explicationem ſpectant, non in prophanis locis publicis, vel laicorum domibus, ſed vel in Eccleſiæ templis, vel in Epiſcoporum Palatiis, vel in Clericorum communiter viuentium conclauibus, vel Preſbyterorum domibus, vel Monaſteriorum receſſibus haberi ſolerent. De doctrinæ ſacræ lectionibus id infrà patebit, de puerorum Scholis fidem facit Socrates lib. 3. cap. 1. qui Conſtantinopoli in Baſilica παιδευτήριον, ſeu *ludum literarum pro pueris inſtituendis* feciſſe, in eóq; Iulianum, qui poſteà Imperio potitus à fide deſciuit, inſtitutum ſcribit. Neque mirum eas præſertim Scholas, & in Eccleſiis habitas, & Epiſcoporum ſingulari prouidentiæ ac curæ fuiſſe, quandoquidem maximè interſit, vt pietas ingeniis tenerioribus puerorum inſtilletur: conſuetúmque fuerit, vt ante Grammaticæ præceptiones & Rhetoricæ aliarúmque diſciplinarum culturam, ſacris etiam literis pueri ab ineunte ætate, ſi non accuratè quidem & pleniſſimè, minùs tamen exquiſitè imbuerentur. Eóque mihi ſenſu exponendus videtur Tatianus, dum apud Chriſtianos ait, omnem ætatem & ordinem, & ſexum philoſophari, virgines etiam lanificio intentas de diuinis loqui. Eíque confirmando illuſtria duo exempla proferri poſſunt; primùm Origenis, quem refert Euſebius lib 5. cap. 2. cum litterarum ſtudiis ſacrarum literarum ſcientiam ab ineunte ætate combibiſſe. Alterum Euſebij Emiſſeni, qui à pueritia dicitur à Socrate lib. 2. cap. 6. ſacris litteris inſtitutus, antequam diſciplinis humanioribus imbueretur, quòd ipſum referens Sozomenus lib. 3 cap. 5. morem patrium id tuliſse teſtatur. In Scholis etiam iſtis, in quibus Theologia pleniùs docebatur, obſeruo non ſolùm Clericos, ſed & laicos admiſsos: Nam eumdem Euſebium Emiſſe-

Digitized by Google

num ab Euſebio Cæſarienſi & Patrophylo Scytopolitano ſacri eloquij intelligentiam exquiſitiùs perdoctum, Antiochiam ſe contuliſſe; ab eaque vrbe, ne ſacris ordinibus initiaretur, fugiſſe, Sozomenus eodem capite refert: & laicos plures Origenem etiam in ſacris Scripturis præceptorem habuiſſe, ex Euſebio lib. 9. & aliis probabiliter colligi poteſt.

Paſſim verò ſæculares, qui ad Eccleſiaſticum ſtatum nequaquam anhelarent, ad earum litterarum ſtudium poſterioribus temporibus in ſcholis publicis admiſſos fuiſſe, præterquàm quod non lego, plurima ſunt, quæ quominùs admitterentur, obſtare mihi videntur. Erenim reperio primò, ſacræ Scripturæ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ lectiones, quæ nempe extra celebres prædictas ſcholas habebantur, in Epiſcopalibus, vel communibus Clericorum domibus, quæ Diaconia nonnunquam vocantur, vt plurimùm habitas fuiſſe, ſub Diaconi vel Preſbyteri præfectura. Hoc probant Optatus Mileuitanus lib. 1. aduerſus Parmenianum Maiorinum referens *in Diaconio Cæciliani Archidiaconi fuiſſe*, ſacris vtique diſciplinis imbuendum: Chryſoſtomus epiſt. 135. Theodoto Diacono, Theodotum lectorem, quem per ſe ipſum edocere non potuerat, inſtruendum commendans; Paulinus Scriptor vitæ S. Ambroſij, qui ſe ſub cura Caſti Diaconi in Eccleſia Mediolanenſi lectorem militaſſe memorat hoc libello de vita Ambroſij: Metaphraſtes ſanctum Gregorium Agrigentinum Epiſcopum narrans, ab huius ciuitatis Antiſtite, à quo in Clericorum numerum cooptatus fuerat; Donato Eccleſiæ Archidiacono erudiendum traditum, vitæ eiuſdem Sancti cap. 10. Gregorius Turonenſis ſcribens S. Patroclum ab Arcadio Bituricæ vrbis Epiſcopo in Clericum attonſum, in Archidiaconi poteſtate traditum fuiſſe lib. de vitis Patrum cap. 9. & Ioannem quemdam ab Innocentio Ruthenæ vrbis Epiſcopo Clericum factum Archidiacono erudiendum traditum, lib. 10. hiſt. cap. 8. Innumera exempla omitto idipſum Conciliorum auctoritate probaturus: nam Concilium Toletanum 2. Can. 1. *Lectores in domo Eccleſiæ ſub Epiſcopali præſentiâ à præpoſito ſibi erudiri debere* ſtatuit: Toletanum 4. Can. 21. Clericos adoleſcentes, *in Eccleſiaſticis diſciplinis agere, deputatos probatiſſimo ſeniori decernit.* Vaſenſe 2. Can. 1. ſecundum morem, quem per totam Italiam receptum ait, iubet, vt Parochitani Preſbyteri iuniores lectores ſecum in eamdem domum admiſſos, *in lege Domini erudire contendant*. Emeritenſe Can. 18. eoſdem, qui in eadem domo iſtis inſtruerentur, arctiſſimè conſtringendos præcipit.

Neque verò propriæ ſolùm Diœceſis homines, verùm etiam laicos alienæ Diœceſis ad ſe venientes, quatenus miniſteriis diuinis addicerentur, erudiendos apud ſe Epiſcopi recipere ſolebant, eoque ſibi vinculo alligabant: quorum exempla plurima protulimus part. 2. de ſacris ordinationibus ſect. 5. cap. 3. art. 1. parag. 4. Decreto verò Synodi Arelatenſis 2. Can. 55. id ipſum confirmatum eſt, *Si quis ſæcularium amore religionis ſe ad quemcumque ſacerdotem crediderit conferendum, ipſe ſibi eum, quem erudiendi gratiâ ſuſceperit, vindicabit.*

2. In Eccleſiis pariter ſacræ Scripturæ lectiones fiebant: reprehenſos ſuprà Epiſcopos, Cæſarienſem & Hieroſolymitanum à Demetrio Alexandrino docuimus, quòd Origenem nondum ſacris initiatum ordinibus, publicè in Eccleſia Scripturas interpretari permiſiſſent, & Alexandriæ conſuetudinem viguiſſe, vt quartâ & ſextâ feriâ legerentur Scripturæ, & Doctores illas interpretarentur, ex conſuetudine antiqua, ab ipſo Origene repetita. Apud Cæſaream verò Cappadociæ, & per Cyprum moris fuiſſe, vt die Sabbati, & Dominico ſemper ſub veſperum accenſis lucernis, Epiſcopi & Preſbyteri Scripturas interpretarentur, ait Socrates lib. 5. cap. 21. Legimus itaque in Eccleſiis καθέδραν Preſbyterorum, apud Nazianzenum orat. 10. Nicephorum lib. 6. cap 35. & alios: apud Chryſoſtomum in Pſalm. 49. θρόνον διδασκαλικὸν, *doctrinæ ſuggeſtum*, è quo ſcilicet Scripturarum interpretationes, & doctrinæ cæleſtis oracula fundebantur. Eò etiam alludere dici poteſt Chryſoſtomus, docens ibidem Eccleſiam quoque κοινὸν διδασκαλεῖον *communem ſcholam* dictam eſſe. In iis omnibus locis ſoli Preſbyteri vel Diaconi ſacras literas docebant, & in Eccleſiis quidem vix niſi Preſbyteri, iis præſertim erudiendorum Chriſtianorum cura iis temporibus commendabatur; ideóque Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 287. τοῖς βοηθοῖς τοῦ πρεσβυτέρου φοιτηταῖς inſcripſit, diſcipulos Preſbyteri nominans, quòd ſub eo militarent, & ab eo diſciplinarum luce illuminarentur, idem quoque lib. 3. epiſt. 325. ſacerdotes ὀφ-

γητὰς τοῦ λόγου, *interpretes ſermonis* vocat Synodus Trullana Can. 64. cit. Scripturam ſacram interpretandi ac docendi, vel de fide diſputandi poteſtatem tanquam Epiſcopis & Preſbyteris peculiarem laicis adimit. Eáque Eccleſiæ tam conſtitutio quàm conſuetudo naturæ quodam inſtinctu Ethnicis perſuaſa eſt, apud quos puerorum inſtitutio ſacerdotibus propria, & qui præficiebantur Gymnaſiis, ſacerdotes dicebantur, teſte Iſocrate in Buſiride, quo exemplo apud Chriſtianos Tertullianus libro contra Iudæos, eoſdem *ſacerdotes* Clemens Alexandrinus *Prophetas* vocauit.

3. In Monaſteriis litteræ quoque ſacræ edocebantur, Baſilius regularum fuſiùs diſputatarum reſponſione ad interrogationem 19. rationem edocendæ iuuentutis in Monaſteriis fusè explicat, eiuſdémque corrigendæ modum præſcribit reſponſione ad interrogationem 53. Chryſoſtomus lib. 3. contra vituperatores vitæ Monaſticæ copiosè fideles hortatur, vt iuuentutem Monaſteriis tradant ad inſtitutionem. Vterque verò pietatis ſtudiis & ſacris litteris non prophanis iuuenes ac pueros in Monaſteriis fuiſſe oſtendit, eóſque tantùm, qui ſe Monaſteriis deuouerent, vel à parentibus conſecrarentur. Socrates lib. 6. cap. 3. Chryſoſtomum Theodorum poſteà Epiſcopum Mopſueſtenum, & Maximum Seleuciæ apud Iſauros poſteà Antiſtitem, in Monaſterio, cui præerant Diodorus Thatſenſis, deinde Epiſcopus factus, & Carterius, ſacras litteras, & Monaſticam diſciplinam didiciſſe memorat. Gregorius Turonenſis lib. 5. cap. 14. Merouęum Chilperici Francorum regis filium prodit preſbyterum ordinatum ad Monaſterium Cœnomanenſe, quod vocatur *Aninſula* directum, vt ibi ſacerdotali erudiretur regulâ. In regula Monachis pręſcripta à Cæſario Epiſcopo cap. 5. parag. 3. cautum eſt, *Vt nullus vnquam infantibus paruulis, niſi ab annis ſex aut ſeptem, qui iam & literas diſcere, & obedientiæ poſſit obtemperare ſuſcipiatur, nobilium filij ſiue ignobilium ad nutriendum aut ad docendum penitùs non accipiantur.*

Ex quibus patet antiquorum temporum conſuetudinem, ac veluti legem communem fuiſſe, vt Preſbyteris quidem, vel Diaconis puerorum inſtructio in fide, & ſacrarum Scripturarum lectio, tum in Eccleſiis tum in Epiſcopalibus domibus, tum etiam in Preſbyteralibus, aut Clericorum communibus conclauibus traderentur, ab eo etiam tempore, quo in Monaſteriis Presbyteri eſſe cœperunt, ab iis ſacras ſimiliter literas expoſitas fuiſſe, ſed iis duntaxat explicari ſolitas fuiſſe, qui diuinis ſimul ſcientiis & Monaſticis diſciplinis excoli vellent: aliorum quidem, qui in Monaſteriis inſtruerentur exempla quædam, ſed rara minúſque frequentia referri poſſe.

ARTICVLVS V.

Vſus Eccleſiæ à tempore Caroli Magni circa ſcholas.

HACTENVS priora Eccleſiæ ſæcula decurrimus ad ætatem vſque Caroli Magni, in iiſque Theologiæ publicæ profeſſionis, cum ordine ſacro vinculum, quod nullum eſſe, vel certè nouum eſſe aſſerit Cellotius, perpetuum, & ſublatâ neceſſitate Eccleſiæ, vel niſi maximâ vrgente neceſſitate indiſſolubile, diuinâ inſtitutione conſtrictum, perpetuâ traditione colligatum vidimus. Cætera tempora à Carolo Magno ſi proſequamur, rem fortè non infructuoſam, neque propoſito diſſentaneam perficiemus.

Adhortante igitur & adnitente piiſſimo Imperatore Carolo Magno, eiúſque poſteà liberis, Religionis Chriſtianæ decorem ſtudioſè inquirentibus, ad hanc ſcientiæ laudem & commendationem Eccleſia Gallicana ſeſe extulit, vt eam deinceps inter cæteras Chriſtiani orbis prouincias ſemper retinuerit. Ab eo igitur tempore, quod ſuperiori Eccleſiæ ætate obſeruatum erat, id diligentiùs cautum eſt: vt aliqui ſacerdotalis ordinis viri, tam puerorum primæ inſtitutioni, quàm diuinæ legis, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ cognitioni tradendæ inuigilarent. Eadémque quæ in vſu prioribus ſæculis fuerant, congruenti temporibus ſuis ordinatione firmata ſunt.

Laboraſſe Carolum Magnum vt inſtaurarentur in Galliis ſtudia litterarum, & ſcholæ publicæ conſtituerentur, teſtantur, præter cæteros Concilij Cabilonenſis 2. Patres cap. 3. & Pariſienſis ſub Ludouico Pio lib. 13. & qui eius vitam ſcripſit Monachus En-

goliſmenſis auctor eſt, in eam maximè curam incubuiſſe, poſt tertium iter Romanum, cùm ab vrbe Grammaticos adduxiſſet anno ſcilicet 787. iuxta calculum à Sirmundo initum, à quo eriam habemus epiſtolam eiuſdem Imperatoris Caroli, quâ hortatur Metropolitanum quemdam, vt curet ſacræ Scripturæ ſtudia inſtaurari; de ea re epiſtolam ad omnes ſuos Suffraganeos, & per vniuerſa Monaſteria dirigi non negligat. Extat quoque eiuſdem Capitulare Aquiſgr. promulgatum, in quo ab Eccleſiaſtici ordinis viris efflagitat, *Vt Scholæ legentium puerorum fiant, Pſalmos, notas, computum, Grammaticam per ſingula Monaſteria, vel Epiſcopia diſcant.* refertur lib. 1. Capitul. cap. 72.

Præſtat audire citati Cabilonenſis 2. Concilij Can. 3. *Oportet etiam, vt ſicut Dominus Imperator Carolus, vir ſingularis manſuetudinis, fortitudinis, prudentiæ, iuſtitiæ & temperantiæ præcepit, vt* (Epiſropi) *ſcholas conſtituant, in quibus & literaria ſolertia diſciplinæ, & ſacræ Scripturæ documenta diſcantur; & tales ibi erudiantur, quibus meritò dicatur à Domino, Vos eſtis ſal terræ.* Eadem cura fuit eius filij Ludouici Pij, vt patet ex Capitulario ſecundo ab eo edito ſub Pontificatu Paſchalis I. Papæ, quod lib. 2. Capitularium refertur cap. 1. *Scholæ ſanè ad filios & miniſtros Eccleſiæ inſtruendos vel edocendos, ſicut nobis præterito tempore ad Attiniacum promiſiſtis, & vobis iniunximus, in congruis locis, vbi necdum perfectum eſt, ad multorum vtilitatem & profectum à vobis ordinari non negligantur.*

Concilia iiſdem temporibus habita priuatas ſrholas tam in Epiſropiis, quàm in Monaſteriis, pro paruulis & rudioribus præſertim nobis memorant, publicas verò aliquas nobis exhibent in diuerſis regni partibus babendas. Priorum meminit Concilium Moguntinum ſub Carolo cap. 45. *Propterea dignum eſt, vt filios ſuos donent ad ſcholam, ſiue ad Monaſteria, ſiue foras, Presbyteris, vt fidem Catholicam rectè diſcant.* Arelatenſe verò ſextum ſub eodem Can. 4. Turonenſis 3. Can. 18. & 22. Rhemenſis Can. 4. 5. 6. 7. Epiſcopis inſuper onus iſtud imponunt, vbi priuatim publicéque Presbyteros ac Clericos ſuos tam de Sacramentorum adminiſtratione, quàm aliis ſacris functionibus erudiant atque inſtruant. Exactiùs quoque ex Capitulari Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis ad Presbyteros ſuæ Diœceſeos ſub Carolo, eandem ſcbolarum pro Cleriris inſtruendis formam edocemur. Capite ſiquidem 19. ſtatuit, *Si quis ex Presbyteris voluerit nepotem ſuum aut aliquem conſanguineum mittere ad ſcholam, in Eccleſia S. Crucis, aut in Monaſterio S. Aniani, aut S. Benedicti, aut S. Liſardi, aut in cæteris de his Cœnobiis, quæ nobis ad regendum conceſſa ſunt, ei licentiam id faciendi concedimus.* Nora licentiam concedi nec quibuſlibet, ſed tantùm nepotibus ſacerdotum, vt Monaſteria ſtudiorum cauſâ frequentent, ſecus enim ſæcularibus id vetabatur. Ideóque generaliùs Can. ſequenti, *Presbyteri*, inquit, *per villas & vicos ſcholas habeant, & ſi quilibet fidelium ſuos paruulos ad diſcendas literas eis commendare vult, eos ſuſcipere & docere non renuant, ſed cum ſumma charitate eos doceant*, &c. Quibus verbis patet, quòd Monachis indultum erga aliquos, vt eos ad ſcholas reciperent, Presbyteris iuſſum, vt omnes indiſcriminatim admitterent. Eiuſdem verò Theodulphi ætate, regnante Ludouico Pio cautum fuit, additione 1. Capitularis ab ipſo editi c. 45. *Vt ſchola in Monaſterio non habeatur, niſi eorum, qui oblati ſunt.* De priuatis ſcholis iuniorum Clericorum communi vitâ viuentium loquitur Concilium Aquiſgranenſe ſub Ludouico Pio cap. 135. vbi renouat antiquas conſtitutiones ſuperiùs memoratas, vt ij probato ſeniori ad cuſtodiendum tradantur, *licèt ab alio erudiantur.* De priuatis & publicis ſrholis ſub eodem Imperatore Ludouico, & filio eius Lothario loquitur Concilium Pariſienſe 6. lib. 1. cap. 30. de priuatis iſta decernit, *Iamdudum à pio & orthodoxo Principe Domino Ludouico Deo amabili Imperatore iuſſum & admonitum eſt* (additione 2. Capitularium cap. 5.) *vt Rectores Eccleſiarum in Eccleſiis ſibi commiſſis, ſtrenuos milites Chriſti, quibus Deus placari poſſet, præpararent & educarent, attendentes illud Danielis Prophetæ cap. 12. Qui autem docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt alios, ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates. Sed ſuper hâc eiuſdem Principis admonitione, imò iuſſione, à nonnullis Rectoribus tepidè, & deſidioſè hactenus actum eſt. Vnde omnibus viſum eſt, vt ab hinc poſtpoſitâ totius corporis negligentiâ, ab omnibus in educandis & erudiendis militibus Chriſti, & vigilantior adhibeatur diligentia. Et quando ad Prouinciale Epiſcoporum Concilium ventum fuerit: vnuſquiſque Rectorum, ſicut iam in præcedentibus memoratum eſt, ſcholaſticos ſuos eodem Concilio adeſſe faciat, vt ſuum ſolers ſtudium circa diuinum cultum, omnibus*

Digitized by Google

nibus manifeſtum fiat. De publicis autem ſcholis inſtituendis ita cenſet lib.3.cap.12. alloquens Imperatores. *Similiter obnixe & ſuppliciter veſtræ Celſitudini ſuggerimus, vt morem paternum ſequentes, ſaltem in tribus congruentiſſimis Imperij veſtri locis, ſcholæ publicæ, ex veſtra auctoritate fiant : vt labor patris veſtri, & veſter, per incuriam, quod abſit, labefactando non depereat. Quoniam ex hoc facto & magna vtilitas, & honor ſanctæ Dei Eccleſiæ & vobis magnum mercedis emolumentum, & memoria ſempiterna accreſcet.*

Eandem, quam ſuprà memorauimus priuatarum ſcholarum formam auctoritate Conciliorum videre eſt ſub Carolo Caluo confirmatam : nam Concilium Meld. Can. 35. decernit, *Vt quiſque Epiſcopus talem iuxta ſe pro viribus habere decertet, qui iuxta ſinceriſſimum & puriſſimum ſenſum Catholicorum Patrum, de fide & obſeruatione mandatorum Dei, ſeu & prædicationis doctrinâ Presbyteros plebium aſſiduè inſtruat, & informet*, &c. Conc. Valent.3. Can. 18. vt *de ſcholis tam diuinæ, quàm humanæ literaturæ, necnon & Eccleſiaſticæ cantilenæ, iuxta exemplum prædeceſſorum noſtrorum, aliquid inter nos tractetur, & ſi poteſt fieri, ſtatuatur, atque ordinetur*, &c. Lingonenſe, cuius Canones relecti, & confirmati ſunt in Synodo apud Saponarias Can. 10. *Vt ſcholæ ſacrarum Scripturarum, & humanæ literaturæ, vnde annis præcedentibus, per Religioſorum Imperatorum ſtudium magna illuminatio Eccleſiæ, & eruditionis vtilitas proceſſit, deprecandi ſunt pij Principes noſtri, & omnes fratres & omnes Coepiſcopi noſtri, inſtantiſſimè commonendi, vt vbicumque omnipotens Deus idoneos ad docendum, id eſt, fideliter & veraciter intelligentes donare dignetur, conſtituantur vndique ſcholæ publicæ, ſcilicet vt vtriuſque eruditionis & diuinæ ſcilicet & humanæ in Eccleſia Dei fructus valeat accreſcere*, &c.

Atque hæc de ſcholis publicis ſub Carolo Caluo ſtatuta ſunt, quarum erectionem iam à Carolo Magno factam, & Ludouico Pio filio eius, ordinatam ſub Carolo Caluo decretis iſtis magis confirmatam agnouimus, nec dubium, quin inter publicas ſcholas tunc temporis fundatas ac compoſitas primum locum tenuerit Pariſienſis ſtudiorum Vniuerſitas, cuius reſtaurationem omnes Carolo Magno tribuunt, quamuis ante ipſum Carolum non dubitemus, quin Lutetia per Chlodouæum regni ſedes effecta ſcientiarum quoque laude, & ſcholarum ornamento commendabilis extiterit, maximè cùm longè antè tempora Caroli Magni, ad formam Gallicanarum ſcholarum Sigebertum Regem Angliæ ſcholas Anglicanas iuuanre Epiſcopo Felice compoſuiſſe teſtis ſit Beda lib. 3. hiſt. Anglicanæ cap. 18. Porrò in Vniuerſitate ſtudiorum Pariſienſi Alcuinum fama eſt ſub Carolo Magno diuinas lirteras docuiſſe. Rabanum Maurum ſub Ludouico & alios conſequentibus temporibus doctrinâ & pietate inſignes.

Ex iis autem patet in vſu fuiſſe, vt priuatarum ſcholarum Magiſtri Presbyteri forent, Monachos tamen eorum ſubſidio aliquando fuiſſe : vnde & ſubſequentibus temporibus in Monaſterio Beccenſi Lanfrancum publicè docuiſſe leges apud Th. Vvalſingham ad an. 1097. Hypodigmatis Neuſtriæ : in Monaſterio Fuld. ſcholas celebres fuiſſe legimus apud Brouuerum cap. 9. lib. 1. Antiquitatum Fuldenſium : in Monaſterio Augienſi apud Surium in vita S. Vvolfangi cap. 2. in Monaſt. S. Galli apud Eckeardum Iuniorem, lib. de caſ. Monaſt. S. Galli, & in actis S. Notkeri, & S. Vdalrici Epiſc. Auguſt.

Adiutores Presbyteris etiam fuiſſe inferiores Clericos conſtat ex Capitulari 2. Hincmari Rhemenſis c. 11. quo inquirendum à Decanis præcipit, *Si Presbyter habeat Clericum, qui poſſit tenere ſcholam.* In publicis autem ſcholis diuinarum Scripturarum Lectores atq; Interpretes ſimiliter Presbyteros eſſe debuiſſe colligere ex variis poſſumus; tum quòd inferiores ſcholæ Presbyteris demandarentur, ergo potiori iure ſuperiores: tum quòd vix ad eas lectiones audiendas admitti videntur, niſi Clerici, quantò magis ad docendum alij quàm Presbyteri admittebantur : tum quòd Epiſcoporum curæ & inſpectioni demandarentur eæ ſcholæ: tum quòd Epiſcopis ipſis, earum habendarum cura iis temporibus commiſſa legatur, nam v. g. Burchardo Herbipolenſi Epiſcopo 12. adoleſcentes, quos obſides à Saxonibus acceperat, ſeruandos & erudiendos commiſiſſe dicitur Carolus Magnus à Capgrauio, Lelando & aliis : tum quòd reditus ſcholarum Eccleſiis addicti fuerint, v. g. ad habendas ſcholas linguæ Græcæ & Latinæ Epiſcopo & Eccleſiæ Oſnabrug. varia prædia attribuit Carolus Magnus, reſcripto publico relato à Crantzio lib 1. Metrop. c. 2. quod indicat Eccleſiaſticis viris addicta docendi in ſcholis publicis munia, quemadmodum & bona ipſa ſcholarum Eccleſiæ attributa fuiſſe. Leges & ſimile argumentum apud eumd. Crantziũ l. 3. c. 43. vbi occaſione Odincari nobilis de regio Danorũ ſemine viri, diſcipuli ſenioris cognominis, qui in Eccleſia Bremenſi literis excultus fuerat,

H

notat apud inſignes Eccleſias olim doctos viros fuiſſe, qui publicas ſcholas ſuſtinerent. Ad cuius confirmationem refert ſuo tempore, nullam fuiſſe publicam in Saxonia ſcholam, quæ centeſimum longè ſuperet annum, ſcilicet, quòd penes Eccleſias munus iſtud docendi anteà reſideret. Nolim ad eorum confirmationem referre ea quæ de ſcholis in clauſtro Pariſienſi, ex ſocio noſtro Sorbonico doctore clariſſimo Hemeræo refert ipſe Cellotius, quæ etiam argumento ſunt in Eccleſiis & penes Eccleſiaſticos viros docendi præſertim tam fidei doctrinam, quàm Eccleſiæ diſciplinã munus & officium ab antiquo in Gallia fuiſſe: eáſque coæuas vniuerſitatibus ſtudiorum leges fuiſſe, à quibus diſcedere non liceret. Ideóque temerè pronuntiaſſe Cellotium conſtat, dum nouum Sorbonæ decretum ſcire ſe affirmat, quo Doctores in Theologia Preſbyteri eſſe iubentur. Quòd ſi res noſtras vel tantillum ſciuiſſet, nec iuris Canonici Doctores, imò nec Artium nec Medicinæ Profeſſores olim licuiſſe niſi Clericos fieri, agnouiſſet: quam conſuetudinem firmant iſta, quòd ſcilicet nec coniugari, nec digami ad vllam eiuſdem Vniuerſitatis ſtudiorum Pariſienſis præfecturam aut dignitatem eligi poſſint: quod meo tempore viderim digamis, & coniugatis, vt pote qui ad Clericatũ inepti eſſent ius ſuffragij ferendi in eadem Artium Facultate, non ſine controuerſia fuiſſe conceſſum: quod inter ſtatuta eiuſdem Vniuerſitatis, quæ à Touteuillæo Cardinali edita ſunt anno 1452. vnum iſtud legatur, *de Coniugatis à regentia Medicinæ non repellendis*, quia nempe prioribus temporibus vix ad ipſum Medicinæ Doctoratus gradum (etiamſi eius ſtudium Clericis per Canones interdictum ſit) niſi qui vel Clerici eſſent, vel ad Clericatum ſuſcipiendum liberi, promoueri permitterentur. Ideóque inter Profeſſores ipſius Medicinæ plurimos Canonicos Pariſienſes refert, libro à nobis ſuperiùs citato cap. 5. Doctor Hemeræus. Quod denique ab ipſa Facultate Theologica ab initio ſeruatum ſit, vt non niſi Preſbyteri Doctoralem gradum conſequi poſſent; adeò vt anno 1387. die 4. Iunij, vt conſtat ex veteri manuſcripto Codice eiuſdem Facultatis, fol. 12.) ad ſtrictiorem huius legis obſeruantiam ſtatutum fuerit, vt vnuſquiſque *in licentia Iuris, quod eſt in ſacris Ordinibus conſtitutus, etſi aliquis Magiſter credat oppoſitum, teneatur illud Facultati reuelare*: nec opus eſt fuſiori probatione, nam nomen ipſum *Clerici*, quod Doctioribus omnibus viris conceditur, ſatis oſtendit, in Gallia nequidem prophanarum ſcientiarum docendarum poteſtatem niſi Clericis factam olim fuiſſe: nec vnquam niſi ex priuilegio quodam perrarò accidiſſe, vt Scripturæ ſacræ publicè docendæ auctoritas vllis, niſi Preſbyteris vel Diaconis concederetur.

Subſtraherem ab hac tabella manum, niſi cætera, quæ adiuncturus ſum, ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ notitiam plurimùm facerent. Plurima igitur obſeruatu non indigna ſubiicio, quæ adnexa naturâ ſuâ Eccleſiaſticis ordinibus docendi munia demonſtrabunt: naturâ autem ſuâ, vt iam inſinuaui, adiunctum aliquid Eccleſiaſtico ordini dico, quòd conuenienter ordinationi Chriſti, excepta Eccleſiæ neceſſitatis vel vtilitatis occaſione adnexum eſt, quomodo vitæ communitatem de natura fermè omnium Religioſorum ordinum dicimus, & voti indiſſolubilitatem; quamuis primum Eccleſiæ tantùm lege firmatum ſit, alterum Eccleſiæ neceſſitatis vel vtilitatis exceptionem admittat. Primum eſt quod prioribus ſæculis obſeruatum diximus, hoc ſeſquioribus in vſu quoque fuiſſe, vt Epiſcopi ipſi, vel ſaltem Preſbyteri in ipſis Epiſcopiis docerent. Teſtatur id Adelmani epiſt. ad Berengar. quâ eum hortatur, vt meminerit eorum, quæ à S. Fulberto Carnot. Epiſcopo audierat, cùm ipſe in Academia Carnotenſi doceret, & iuxta Capellam Epiſcopij in horto deambulare ſoleret. Teſtatur Arnulphi Lexouienſis Epiſcopi epiſtola ſeptuageſima ſexta ad Bartholomæum Exonienſem Epiſcopum: *Lator*, inquit, *præſentium Iordanes veſter, apud nos pluribus adoleſcentiæ ſuæ diebus commoratus eſt, vt in Eccleſia noſtra diuinis informaretur officiis, & inter ſcholares liberalibus poſſet inſtrui diſciplinis.* Teſtantur & complures alij, qui Sanctorum vitas ſcribentes, eos in Eccleſiis vt plurimùm celebriorum ciuitatum edoctos teſtantur; quamuis, quod ad Galliam ſpectat, ſolerent plurimi in inferioribus diſciplinis inſtructi ad Pariſienſem ciuitatem poſteà accedere pleniùs ac perfectiùs imbuendi, vt de ſancto Odone refert Ioannes Monachus Cluniacenſis in eius vitæ libro primo, eum primùm Grammaticæ præceptis in Eccleſia Turonenſi imbutum, Pariſiis verò Dialecticâ & Muſicâ; Remigium, qui poſteà Antiſſiodorenſis Epiſcopus fuit, præceptorem habuiſſe: & generatim in laudem Pariſienſis ciuitatis decantatum illud profert Stephanus Tor-

Digitized by Google

nacenſis epiſtolâ centeſimâ ſexageſimâ, quòd *vſurparetſibi non immeritò doctrinam, Remenſis vero Eccleſia diſciplinam.*

Alterum eſt, quòd ſcholæ ipſæ à Canonicis vt plurimùm, ſeu Clericis Eccleſiarum Cathedralium haberi ſolerent, vt de ſcholis Pariſienſibus refert Hemeræus toto libro de Academia Pariſienſi ſuperiùs citato, præfecturâque ipſa ſcholarum in ſingulis Cathedralibus dignitas quædam eſſet, modò Scholaſtici, modò Cancellarij, modò Cantoris nomine inſignita. Nam, verbi gratiâ, Scholaſtico Moguntino reſcribit Innocentius III. capite *Licet de tranſlatione Epiſcopi, Scholaſtico Demerenſi*, cap. *Veniens, de regularibus, magiſtro ſcholarum Bituricenſium*, cap. *Cùm Apoſtolica, de his quæ fiunt à Prælato*; Scholaſtici quoque meminit à Cancellario diuerſi cap. *Conſtitutis, de Appellationibus*; Gregorius item nonus eodem titulo reſcribit *Magiſtro Scholarum*; cap. *ex parte* 2. Cancellarij autem Pariſienſis in Opuſculo prædicto Hemeræi ſæpè fit mentio, tanquam eius, cui maiorum ſaltem Scholarum cura incumberet: nam Cantorem Pariſienſem minorum ſcholarum moderatorem eſſe vetus ad noſtra vſque tempora perdurans fert conſuetudo: quemadmodum id Cantori Eduenſi attributum fuiſſe refert Oldradus in reſponſo centeſimo quadrageſimo ſexto: eius nempe fuiſſe officij per totam ciuitatem ac Diœceſim ſcholas moderari: quod etiam in vſu apud Turonenſes fuiſſe colligitur ex iis, quæ in Bibliotheca Cluniacenſi referuntur ex actis Conſulum Andegauenſium, *In Fulcone bono*, vbi dicitur ſanctus Odo, qui poſteà Abbas Cluniacenſis fuit, *Magiſter Scholæ, & Præcentor Eccleſiæ ſancti Martini fuiſſe.*

Tertium, quòd publicis etiam Eccleſiæ decretis ſtatutum fuerit, vt Eccleſiaſtici viri munere iſto fungerentur, nam præter citata ſuperiùs Conciliorum decreta referri poſſunt Pariſienſis Concilij ſub Ludouico & Lothario, libri tertij caput primum ſatius longè eſſe diſſerens Chriſti miniſtros *diuinis officiis implicari, & in ſcholis habendis & educandis militibus ſanctæ Dei Eccleſiæ operam dare.* Eugenij quoque ſecundi & Leonis quarti Romanorum Pontificum (qui à Gregorio ſeptimo in Synodo Romana incerti anni confirmatus eſt) in Synodo Romana Canone trigeſimo quarto, quâ iubetur *Vniuerſis Epiſcopis, ſubiectiſque plebibus, & aliis locis, in quibus neceſſitas occurrerit, omninò cura & diligentia habeatur, vt Magiſtri & Doctores conſtituantur, qui ſtudia litterarum, liberaliùmque artium ac ſancta habentes dogmata aſſiduè doceant*, &c. *& vt diuinæ Scripturæ Magiſtri, & inſtitutores Eccleſiaſtici officij nullatenus deſint, qui & annualiter proprio Epiſcopo, de eiuſdem actionis opere ſollicitè inquiſitus debeat reſpondere.* Item Alexandri III. in Concilio Lateranenſi generali Can. 18. quo cauetur, *Vt per vnamquamque Eccleſiam Cathedralem magiſtro, qui Clericos eiuſdem Eccleſiæ & ſcholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium aſſignetur, quo docentis neceſſitas subleuetur, & diſcentibus via pateat ad doctrinam. In aliis quoque reſtituatur Eccleſiis ſiue Monaſteriis, ſi retroactis temporibus aliquid in eis ad hoc fuerit deputatum.* Cui conformia ſunt decreta Concilij Lateranenſis ſub Innocentio tertio, Can. 11. Pragmatica ſanctio ex decretis Concilij Baſileenſis edita, Concordata Gallica inter Leonem X. ſummum Pontificem, & Franciſcum I. Franciæ Regem inita, & in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. confirmata, aliáque eiuſmodi, quibus nempe ſtatuitur, vt reditibus Eccleſiarum alantur Grammaticæ, Theologiæq; Doctores, ad Clericorum tam iuniorum, quàm prouectiorum inſtructionem, & Præbendæ Canoniales Theologis ſaltem aſſignentur, qui ſacerdotes erudiant, quos proinde poſteriores ſaltem in Clericatu eſſe debere Eccleſia poſtulat, imò quia ſacerdotum magiſtros conſtituit, videtur ſacerdotali eos inſuper ordine præditos exoptaſſe.

Quartum, quòd in Eccleſia Orientali, quæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ leges plurimas accuratè ſeruauit, in ſacris Ordinibus conſtituti ſacræ Scripturæ Doctores & Interpretes deſtinentur. Nam Ioannes Epiſcopus Citri in Reſponſione ad Conſtantinum Cabaſilam Dyrrachii Archiepiſcopum, inter officia, quæ Preſbyteris maximè congruunt, primum numerat, officium Catechiſtæ; & Codinus in octaua Pentade officiorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ quatuor numerat Scripturarum ſacrarum Interpretes, 1. τὸν διδάσκαλον τοῦ εὐαγγελίου, alterum, τὸν διδάσκαλον τοῦ ἀποστόλου, tertium, τὸν διδάσκαλον τοῦ ψαλτηρίου, ſingulos nempe, qui ſingula iſta interpretantur; quartum denique τὸν ῥήτορα, qui Scripturas ſacras interpretatur, generatim ſcilicet,

& oratorio ſtylo, quem proinde concionatorem vocare poſſumus, reliquos autem poſitiuæ Theologiæ Doctores. Sed circa iſtos Doctores ex ſententia Eccleſiæ Orientalis Balſamon in Canonem 19. Synodi Trullanæ notari voluit, rectè & conſentaneè noſtro inſtituto, ὅτι τὸ διδάσκειν τὸν λαὸν, μόνοις ἐνεδόθη τοῖς ἐπισκόποις, ϗ οἱ διδάσκαλοι τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, δικαίῳ τοῦ πατριάρχου διδάσκουσι· *Quod populum docere ſolis Epiſcopis datum eſt, & magnæ Eccleſiæ Doctores Patriarchæ iure docent.* Quod ipſum infert ex Nouella Alexij Comneni deſcribente quomodo & quinam debeant in Eccleſiis eligi, & ex publico, frumenti modios, tam iis, qui ſunt in Eccleſia, quàm extra Eccleſiam conſtituenti; quibus verbis extra Eccleſiam Doctores fuiſſe aliquos liquet, at non ſacrarum litterarum; vel certè ſi ſacrarum litterarum nonniſi in defectum & ſupplementum tam Epiſcopi quàm Preſbyterorum, qui Epiſcopo coadiutores dati ſunt, vt ipſi in animarum ſalute collaborent, eúmque in officio adiuuent: ideóque vult Imperator Doctores poſt Officiales proximos Patriarchæ aſſidere, ὡς ἐκπροσωποῦντας αὐτῷ, *tanquam eius perſonam repræſentantes.*

Hæc autem omnia Theologicâ ratione concludo: ea ſiquidem eſt diuina bonitas, vt contra languores ac morbos quibus hominis natura, in peccati primi parentis pœnam conflictatur, ac frangitur, remedia ſalutaria deſtinarit. Ea Chriſti ſeruatoris noſtri prouidentia eſt, vt nulla officia inſtituerit, cuius difficultates non aliquo diuinæ gratiæ ſuæ ſubſidio temperarit ac ſolatus ſit. Quare cùm Chriſtus aperiendæ & explicãdæ ſacræ doctrinæ officium Eccleſiæ ſuæ quàm maximè neceſſarium inſtituiſſet, illúdq; innumeris difficultatibus obſitum ſciret, imò & ſupra naturæ captum: non eſt probabile illud officium ita inſtituiſſe, quin aliquod ad tollendas iſtas difficultates, ad naturam ſupra vires ſuas euehendam, ad dignam tanti muneris executionem, inſtituerit ſolatium & remedium: illud autem ſacri Ordinis inſtitutione prouiſum eſt, quòd vberem ſuſcipienti gratiam adfert, quod aduerſus ignorantiæ atque infirmitatis humanæ ægritudinem, ſalutare remedium inſtitutum eſt, vt agendo de ſacra ordinatione aliquando probauimus. Igitur ex diuinæ prouidentiæ regula, & Chriſti inſtitutione, ſacra ordinatio, ſaltem ordinariè loquendo Doctoratus, & magiſterij ſacræ Scripturæ officio adnexa eſt, vt mens Doctoris diuinæ gratiæ beneficio clariùs illuminetur, & vtiliùs erga auditores ſuos afficiatur. Quem ordinem peruertit Cellotianus iſte diſcurſus, quo nullum Theologicæ profeſſionis cum Eccleſiaſticis ordinibus connubium, nullum artium vinculum eſſe aſſeritur.

ARTICVLVS VI.

Cellotij prima obiectio ſoluitur.

ESt profectò ex inſtitutione diuina, ex veteris & noui Teſtamenti analogia, ex Eccleſiæ praxi continua, ſacri Ordinis cum ſacri Doctoris munere coniugium; nec ſine corruptela, vel Eccleſiæ neceſſitate aut vtilitate maxima vnum ſine alio eſſe poteſt. Ideóque naturâ ſuâ munus iſtud eſt hierarchicum, non ſolùm, quia ſacro Ordini adnexum per ſe, verùm etiam, quia iuriſdictionis particulam quandam habet, non eius, quæ ad contentioſum forum neceſſaria eſt, ſed quæ voluntariæ iuriſdictionis eſſe videtur, & ad actus legitimos in quoſdam ſibi in eo officio ſubiectos, ac perficiendos, immutandóſque conceditur; hinc enim & Doctores in omni Theologica facultate vel Epiſcopi, vel ſummi Pontificis auctoritate creantur: quemadmodũ ſuperiùs docuimus: nec vnicuique licet ad hunc gradum officiúmque ſuo arbitratu irrepere, nemini quantumuis perito, alios probare, ac deſtinare, niſi acceptâ ab hierarchis maioribus poteſtate, auctoritate & aliquali iuriſdictione. Et ita in ſacro Doctore præter chariſma ſcientiæ, Ordinis ſacri, & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quæ in omni hierarchico munere conſociantur, ſtricta per ſe fœdera ac vincula iſta tria animaduertimus, tantùm abeſt, vt eo exemplo hierarchiæ cuiuſdam chariſmatum ab omni ſacro ordine ac iuriſdictione diuerſæ figmentum comprobetur. Quid ſi iuriſdictionem Doctoribus adimat Cellotius, quòd nullos determinatos ſubditos habeant. In prom-

Digitized by Google

ptu reſponſio erit eſſe aliquam Iuriſdictionem ſine determinatis, certis, & aſſignatis ſubditis, qualis eſt illa omnis, quæ voluntaria iuriſdictio dicitur: qualis etiam ea, quæ regularibus in ſubſidium Paſtorum tam ſuperiorum, quàm inferiorum miſſis conuenit. Ea verò iuriſdictio quia imperfectior, eò etiam dignitatem in hierarchia minorem tribuit: ſufficiens tamen eſt, vt aliqua actio, quæ ipſam naturâ ſuâ exigit, hierarchica cenſeatur. Addi etiam poterit, Doctoris officium tanquam natiuum olim iis tantùm tributum, quibus coercendi auctoritas aliqua ineſſet, & Paſtoribus maximè propriè conuenire: Epiſcopis præſertim, quibus ex prædictis patet docendi tam Cleri, quàm populi ſacram doctrinam officium competere. Eos verò, qui hoc munere funguntur, in eo Epiſcopi perſonam gerere, quem Apoſtolus 1. ad Timotheum 1. ait, *oportere eſſe Doctorem*, & ita eum ſaltem, qui ſingulariter, & ex proprio ac natiuo officio Doctoratum exercet ſubditos habere. Sed & antiquum morem fuiſſe, vt eo ipſo, quo quis Doctor aliquorum conſtituebatur, imperium in eos haberet: quod innuit Gregorius Nyſſenus lib. de vita Moſis circa medium, his verbis, τὸ μὴ πάντας, ἑαυτοὺς εἰσωθεῖν πρὸς τὴν τῶν μυστηρίων κατάληψιν, ἀλλ' ἐπιλέξαντας ἐξ ἑαυτῶν τὸν χωρῆσαι τὰ θεῖα δυνάμενον, ἐκείνῳ τὴν ἀκοὴν εὐγνωμόνως ὑπέχειν, πιστὸν ἡγουμένους ἅπαν ὅ τι περ ἂν παρὰ τοῦ τὰ θεῖα μυηθέντος, ἀκούσωσι· *Non permittitur omnibus ad myſteriorum cognitionem ſeipſos intrudere, ſed eligitur vnus e multis diuinarum rerum capax, cui cæteri auditum præbeant, illud ſibi credendum faciendúmque putantes, quòd ab eo, qui initiatus eſt, audierint.* Audis enim in iis verbis & imperij, & initiationis ſeu ordinationis Doctoris Eccleſiaſtici expreſſam mentionem.

Quòd ſi vlteriùs vrgeat Cellotius, quid cenſendum de iſtis lectionibus, quas Doctor aliquis extra ſacros ordines conſtitutus, nullâ iuriſdictione fultus habuerit?

Reſpondeo ſi abſque omni iuriſdictione quis legerit, tantùm abeſſe, vt eæ lectiones ſint hierarchicæ, cùm potiùs ſchiſmaticæ futuræ ſint, illegitimæ, prophanæ, & antihierarchicæ, vt pote præter ordinem, imò contra ordinem Eccleſiæ & Chriſti prohibentis neminem publicè docere niſi mittatur, & auctoritate legitima ad docendum iuuetur. Quòd ſi patrocinetur quidem Doctori auctoritas Eccleſiæ, ſed deſit ordo ſacer, dico actiones iſtas, quæ per ſe hierarchicæ omni ex parte eſſe deberent, ac proinde ſoli ordinariè loquendo in ſacris ordinibus conſtituto congruunt, per accidens tamen hierarchicas perfectè, & omni ex parte in particulari ſpectatas non eſſe, quia à ſacris perſonis minimè prodeunt; ſuapte tamen naturâ ſacras eſſe, & à ſacris perſonis fieri exigere, & ideò vniuerſim ac generaliter hierarchicas dici poſſe: in indiuiduo etiam & comparatè ad hunc vel illum hominem docentem, hierarchicas pariter, ſed imperfectè dicendas, quia ſaltem ab habente Eccleſiæ auctoritatem, approbationem atque iuriſdictionem perficiuntur. Quæ duplex ſolutio omnem Cellotij conatum inutilem oſtendit, & penitùs inefficacem.

CAPVT VLTIMVM.

Contemplationis, charitatis, & aliarum virtutum actus non eſſe functiones hierarchicas ſtrictè & propriè ſumptas.

VLTIMA quæſtio ſupereſt de actibus contemplationis, & feruentiſſimæ charitatis, quæ in diuini numinis contemplatione exardeſcit, iuxta illud Pſal. 138. *In meditatione mea exardeſcet ignis*: ſintne illi actus propriè hierarchici. Id fusè & copiosè contendit Cellotius lib. 8. c. 19. & 20. ſed omnia eius argumenta eò tendunt, vt contemplationis & amoris Dei vtilitatem excellentiámque commendent, vt varias earum actionum dotes & proprietates explicent, & vt contemplationis gradus, ad Angelicas hierarchias accommodentur. Quæ omnia ſcopum ne tantillum quidem feriunt, aut intentum probant. De contemplationis quidem, & charitatis excellentia non dubitamus; ſed hanc præcellentiam ad hierarchiã ſeu ſacrum Principatum nihil facere, nec maiorẽ in Eccleſia gradum Principatus tribuere Catholica ſen-

tentia eſt contra Vvicleſiſtas & Huſſitas, in Conc. Conſt. damnatos ſeſſ. 15. in qua ſcilicet inter erroneas propoſitio damnatur, *Quod quicunque eſt humilior, Eccleſiæ ſeruicinior & in amore Chriſti quoad ſuam Eccleſiam amantior, eſt in Eccleſia militante maior, & proximus Chriſti vicarius reputandus.* Euaſio enim Cellotij, qua damnationem iſtam effugere conatur, & ridicula eſt; & errorem ipſius grauiorem in aliquo, errore Vvicleſiſtarum eſſe demonſtrat. Ridicula quidem eſt, quatenus Vvicleſum & ſequaces damnatos aſſerit, quòd in hierarchia ordinis ex ſola charitatis excellentia aliquos reputandos cenſerent, non item in hierarchia chariſmatum: cùm enim ſolam illi chariſmatum hierarchiam eſſe crederent, nullam ordinis, falſum eſt eos eſſe damnatos, quòd in hierarchia ordinis aliquem ob ſolam charitatis excellentiam reponerent, non in hierarchia chariſmatum, quam ſolam inuehebant: in eo proinde errore communi cum Cellotio laborantes, quòd principatum quemdam, & agendi in alios vim atque prærogatiuam à charitate præſtari crederent; maiorémque eos gradum, non tantùm præ aliis, ſed ſupra alios, quem ſuperioritatis & Principatus dicere poſſumus aſcendere. qui charitate præcellerent: quod abſolutè & à Vvicleſo & ſequacibus, & à Cellotio aſſertum Synodus Conſtantienſis damnauit. Sed & errorem Cellotij euaſio eius ſecundum quid ſaltem grauiorem facit; etenim errabant quidem Vvicleſiſtæ, quòd charitati debitum ſacrum Principatum & adnexum putarent: idipſum putat Cellotius: ſed in eo magis excuſabiles erant, quòd ſaltem Principatui ſacro eas actiones proprias eſſe agnoſcerent, quas agnoſcit Eccleſia: putà actiones ordinis & iuriſdictionis, quas ideò etiam habentibus charitatem tribuebant: cùm è contra Cellotius maiorem in hierarchica tractatione confuſionem inducat: dum actionem charitatis, ad quam vnuſquiſque fidelis adſtringitur, hierarchicam ſtatuit. Item turpiùs etiam in eo errat, quòd aliquem ſacrum Principatum ſtatuit, qui non ſit Vicariatus Chriſti, aliquam actionem hierarchicam, quæ non fiat à nobis tanquam miniſtris Chriſti, & participibus ſupremæ illius poteſtatis hierarchicæ, ſeu ſacerdotij Chriſti & iuriſdictionis præcellentis, quam habet Chriſtus in Eccleſia ſua; cùm è contra Theologi omnes & Patres conteſtentur omnem poteſtatem hierarchicam in Eccleſia eſſe Chriſti Vicariatum iuxta illud Apoſtoli 1. Corinth. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei*: omnem actionem hierarchicam fieri à Chriſto, tanquam principali Hierarchâ, ab hominibus autem tanquam eius inſtrumentis eiuſdem nomine & auctoritate: quem proinde Dionyſius, *πρῶτον ἱεροτελέστην, primum initiatorem ordinum* vocat, quem c. 1. Eccleſiaſt. hierarch. ſicut ſanctitatis omnis, ita & hierarchicæ functionis auctorem agnoſcit, eum enim vocat *τῆς πάσης ἱεραρχίας, ἁγιαστείας τε καὶ θεουργίας ἀρχὴν, totius hierarchiæ, tum etiam ſanctitatis & diuinæ actionis principium; in quem vt hierarchiam omnem videmus terminari: ad eundem modum ſingulas in proprium Epiſcopum deſinere docet*: ὡς ἅπασαν ἱεραρχίαν ὁρῶμεν ἀποπερατουμένην, οὕτως ἑκάστην εἰς τὸν οἰκεῖον ἔνθεον ἱεράρχην. Quo proinde titulo, quia omnis actio hierarchica fit nomine & auctoritate Chriſti, Euſebius lib. 1. hiſtor. cap. 3. eum *μόνον ἀρχιερέα τῶν ὅλων, ſolùm Pontificem ſeu Hierarcham vniuerſorum* vocat, & Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 35. *Authenticum Pontificem Dei Patris, elimatorem humanarum macularum* appellat. At verò charitatis & diuinæ contemplationis actus nequaquam fiunt à nobis tanquam à miniſtris Chriſti, aut vicariis eius poteſtatis hierarchicæ; mouemur quidem ad eos actus à gratia per Chriſtum conceſſâ, ſed non eius vice agimus, dum charitatis actum elicimus; eorum ipſe principium eſt, vt ſanctificator hominum, non vt Hierarcha, ſeu ſacer Eccleſiæ gubernator & princeps: virtutem dat ad charitatis actum & contemplationis, ſed non auctoritatem præſtat, nec ſuos nos miniſtros huius actus conſtituit: non fiunt tales actus hierarchicâ Chriſti poteſtate & auctoritate: ſed eius miſeratione & gratiâ: nec denique eodem modo actus charitatis vel contemplationis diuinæ in Chriſtum terminantur ac refunduntur, quomodo actiones hierarchicæ in ſingulis Diœceſibus, & priuatis Eccleſiis in Epiſcopum proprium, cuius auctoritate, approbatione ac deſignatione iuridicâ fiunt. Ac proinde ex iis apparet longiùs à Catholica ſententia abeſſe Cellotium, quàm Vvicleſiſtas, & Huſſitas: nam ij ſaltem charitati tribuentes, quòd idoneos ad hierarchica munia homines efficeret, hierarchicorum actuum rationem à Catholicis acceptam retinebant; ſed eam falsò charitatis effectum dicebant. Cellotius verò & hierarchicæ functionis dignitatem, & ſublimiorem atque potentiorem in hierarchia ſupra cæteros gradum charitati tribuens, &

Digitized by Google

hierarchiæ notionem euertit, & Chriſti præcellentem prærogatiuam tollit, quòd omnis actus hierarchicus ab ipſo, vt præcipuo Hierarcha, & Principe Eccleſiæ fieri debeat, eiúſque nomine & auctoritate, non tantùm virtute. Cuius prærogatiuæ mutilatio quantam iniuriam Chriſto inferat familiari exemplo demonſtro: quis enim non regis poteſtatem imminui, ac delibari putat, ſi quis in eius regno partem aliquam regiæ poteſtatis & gubernationis, non prætento eius nomine, non acceptâ ab eo auctoritate gerere ſe glorietur? Quare cùm ſacer Chriſti Principatus longè omni regiâ poteſtate vniuerſalior, & in vnoquoque actu efficacior ſit; quis ferat actus aliquos hierarchicos dici, qui non Chriſti vice fiant? qui non eius nomine prodeant? qui non ipſius auctoritate perfici dicantur? nónne Principatum Chriſti ſacrum mutilat, qui ſacri Prnicipatus aliquas actiones à nobis proprio noſtro nomine fieri affirmat. Videat Cellotius, in quas abſurditates nouitatis eum ſtudium præcipitem impulerit.

Verùm ſi lubet, rationum hominis inanitatem perpendite, *Catholicam*, quam iactitat *ſoliditatem*, in qua errorem iſtum fundet. Bonauenturæ teſtimonium profert libri de Eccleſiaſtica hierarchia cap. 2. Religioſos Seraphinis comparantis 1. *Quia Angeli illius ordinis diuini amoris incendio præ cæteris inflammati, aliorum ſunt inflammatiui.* 2. *Quia mobiles in ſe aliorum ſunt motiui.* 3. *Acuti ſunt & penetratiui.* 4. *Quia ſunt inferiorum & ſuppoſitorum reductiui. Quia quos igne charitatis accendunt, ad Deum, qui surſum eſt, deducunt.* 5. *Quia actiui & exemplificatiui.* Hæc de Seraphinis Bonauentura, quibus religioſos comparat. Ex qua tamen comparatione nullum argumentum duci poteſt, quo vel religioſi, vel quiuis alij charitati, & contemplationi addictiſſimi viri, ideò hierarchicam poteſtatem complecti, ideò hierarchico in gradu eſſe dicantur, quòd vel diligant Deum, vel contemplentur, aliiſque exemplo ſuo ad diligendum Deum & contemplandum præeant, nullum item argumentum, quo vel contemplatio, vel actio functiones hierarchicæ propriè dictæ eſſe dicantur.

Etenim qui eos actus exercent, imò & alios ad eiuſmodi actus ſuo exemplo mouent; Seraphinis quidem aſſimilari poſſunt, & quoad beneficium, quod à Deo accipiunt, & quoad vtilitatem, quam aliis impendunt, ſed non quoad auctoritatem, quam circa *ſuppoſitos* ſibi & inferiores, vt loquitur Bonauentura, exercent; quam auctoritatem ex diuina ordinatione, tanquam perfectores illorum conſtituti, tanquam miniſtri diuinæ auctoritatis exercent; ita vt eis ad audiendum diuina oracula, ad recipiendas diuinas illuſtrationes, alij inferiores ac ſuppoſiti beatiſſimi ſpiritus ſubiicere ſe debeant, abſque vllo tamen coercitionis, ſicut & ſine inobedientiæ periculo. In qua auctoritate cùm propriè hierarchia ſeu hierarchica functio radicetur: eámque auctoritatem nec religioſi, nec vlla alia Eccleſiæ militantis membra eo præciſo titulo, quo charitate feruentiores ſunt cæteris, aut contemplatione præſtantiores, vel habeant, vel referant, ideò fit, vt nec titulo charitatis aut contemplationis, aut in hierarchico gradu ſuperiori conſiſtere, aut hierarchicas functiones operari dicantur.

Quæcunque poſteà de diuerſis amoris dotibus, de actione amori præmittenda, de contemplationis definitione & differentiis à cogitatione, meditatione, ſpeculatione, & intuitiua viſione, de gradibus contemplationis ad hierarchias Angelicas accommodatis, aliiſque eiuſmodi ſubiungit Cellotius, παρεργα ſunt & nullius ad probationem momenti, in iiſq; omnibus nulla hierarchiæ vel implicita vel explicita mentio. Duo ſunt duntaxat, quæ aliqualem explicationem expoſcunt, primum teſtimonium Bonauenturæ cap. 5. partis quintæ breuiloquij iis verbis conceptum, *Nam ad vitam hierarchicam & contemplatiuam, neceſſarium eſt animam purgari, illuminari & perfici. Purgari autem oportet à concupiſcentia, à malitia, ab ignorantia, ab infirmitate ſeu impotentia.* Ex quo infert Cellotius impotentiam animi, motuum ſubiectionem, ad rationis imperium circumductionem, illuſtria deinde virtutum Chriſtianarum exercitia, vt patientiæ, vt demiſſionis animi, vt mortificationis, actus eſſe hierarchicos; ſibique videri non minus hierarchizaſſe eos, quos ad peſte tabidorum obſequium amor diuinus impulit, inque eo defunctos, pro Martyribus colit Eccleſia, quàm plerique cæleſtibus recreati deliciis Anachoretæ hierarchizent, quos vtique toto poſtremo paſſim libro perfectè hierarchizaſſe defendit. Næ magno ſcilicet elogio vtroſque afficit, quos adeò communi donat titulo, vt nulla deinceps bona actio ſuperſit, quæ non hierar-

H iiij

chica dici poſſit. At quàm grauiter Eccleſiæ ordinem turbat, qui quibuſlibet actionibus Principatum ſacrum & Eccleſiaſticum adnectit. Non ea mens D. Bonauenturæ fuit, qui ſiue vitam hierarchicam ſumat pro ea, quæ Eccleſiæ Hierarchas, ac Primores Cleri decet, rectè dixit ad eam purgatione paſſiuâ, illuminatione, & perfectione opus eſſe, neque tamen actus, quibus propria ab vnoquoque purgatio, illuſtratio, illuminatio, perfectióque procuratur, hierarchicos ſeu principatus Eccleſiaſtici functiones, & officia ſtatuit, alios omnes actus virtutum hierarchicos eo ſenſu ſtatueret, ſiue potiùs vitam hierarchicam accipiat, pro ea, quæ conuenit homini, qui ſibi quodammodo Rex ſit, & myſticus Hierarcha: quæ acceptio, vt notauimus ſuperiùs, S. Bonauenturæ myſtico Doctori propria eſt; nec ſine graui turbatione ordinis Eccleſiæ transferri poteſt ad ordinem Eccleſiæ hierarchicum. Pari tamen fraude, quòd de hierarchia quadam myſtica, quæ homini tribuitur ſibi imperanti, ſuóſque motus animi ad rectæ rationis dictamen flectenti, ad Eccleſiæ hierarchiam transfert aduerſarius; quâ hæretici noſtri temporis, verbi gratiâ, Lutherus de Miſſâ priuata abroganda part. 1. & alij, iis quæ myſticè dicuntur à Scriptura ſacra, quòd totus populus ſit *Regale ſacerdotium*, 1. Pet. 2. quod fideles omnes *Regnum & ſacerdotes Deo* Chriſtus effecerit Apoc. 1. & 2. quæ dicuntur à Patribus de communicata regni & ſacerdotij fidelibus omnibus dignitate, verbi gratiâ, à Clemente lib. 3. Conſtitutionum cap. 15. Origene hom. 9. in cap. 16. Leuitici, Ambroſio lib. 4. de Sacramentis cap. 1. Auguſtino 20. de ciuit. cap. 10 Iſidoro Peluſiota lib. 3. epiſt 75 Leone 1. ſerm. 3. in die anniuerſario Aſſumptionis ſuæ, & aliis, iis, inquam, impiè ad tollendum ſacerdotij Chriſtiani ordinem diſtinctum à claſſe & ordine laicorum abutuntur: ſicut enim hi ex eo quòd populus totus Chriſtianus ſacerdos ſit, & Rex quidem ſpiritalis, inferunt, ſingulis ex populo ſacerdotalem in Eccleſia gradum & dignitatem conuenire. Ita ex eo quòd ſpiritalem quandam hierarchiam ſtatuat Bonauentura, quo homo ſuiipſius principatum quemdam ſacrum ſpiritaliter ac myſticè complectitur; colligit eos, qui eius principatus participes ſunt, in Eccleſia quoque principatum ſacrum exercere, & eodem, quo rectores Eccleſiæ gradu hierarchico ornandos & cohoneſtandos eſſe.

Alterum, quòd aliqualem difficultatis ſpeciem haberet, niſi eâdem, quâ Bonauenturæ ſententia explicatione ſolueretur, eſt Vercellenſis dictum iſtud in Dionyſium *In ſingulis mentibus hierarchicis diſponuntur tres hierarchiæ*, id enim ſolùm animæ progreſſionem in virtute nobis oſtendit, quæ progreſſio per gradus veluti quoſdam inferiores medios, & ſuperiores, triplicem hierarchiam Eccleſiæ myſticè nobis exhibeat: quæ tamen ſicut cæleſtis hierarchia dici non poteſt; ita nec Eccleſiaſtica hierarchia: imò nec per eam præcisè gradus vllus auctoritatis, vel ſacri Principatus in Eccleſia conſcenditur, cùm incrementum aliquod dignitatis Eccleſiaſticæ nemo ex eo conſequatur, quòd maiores in virtute profectus fecerit: perperàm igitur ex iſta ſimilitudine progreſſionis ſpiritalis cum hierarchia cæleſti, quam etiã deſcribit Dion. c. 10. cæl. hier. progreſſio iſta vel actus, quibus homo in virtute progreditur, Eccleſiaſt. hierarchiæ munia dicuntur: falſoq; actus illi ſpiritali pietate ita prouectũ. Eccleſiaſticæ ex eo hierarchiæ inſerere creduntur. Ridiculè verò imò & contra mentem Cellotij, ſi quid tamen certi in tanta verborum eius & ſententiarũ varietate ac repugnantia de eius mente ſtatuere licet, textus quidam Scripturæ ſacræ, qui progreſſionem iſtam explicant, huic rei probandæ ab ipſo proferuntur: ij quidem de omnibus omninò fidelibus, piis, & iuſtis, non de Religioſis, aut aliis exteriori quouis ritu conſecratis, intelliguntur. Annon de omnibus exponendus eſt Pſaltes Regius, dum ait Pſalm. 83. *Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* Et paulò poſt, *Ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus Deorum in Sion*: quòd ſi de omnibus hoc dictum, vel ex eo hierarchica virtus actiua, & poteſtas omnibus communis, vel nulli colligi poteſt. Alium textum à Cellorio cap. 20 citato prolatum ſciens omiſi, quia in eo citando hallucinatus eſt, citat enim Pſalmi 47 verſum, qui ſecundum vulgatam editionem Is eſt *Deus in domibus cognoſcetur*: notat autem ſecundum 70. Interpr. ſcribi, *Deus in gradibus eius cognoſcitur.* Quod vtique falſum eſt; Ambroſius quidem in eum Pſalmum lectionem Cellotij, quoad verba iſta *in gradibus*, probat, quamuis in commentario, *in excelſis, & magnis com.bus*, Deum dignoſci pariter exponat; quæ 70. Interpretum eſt verſio, qui *ἐν τοῖς βάρεσιν* ſcribunt: quinta verò editio *ἐν τοῖς βασιλείοις*, & vtrumque legit Chryſoſtomus eodem planè ſi-

Digitized by Google

gnificatu: nam ſicut τὰ βασιλεῖα ſunt palatia, ita & hîc & Pſal. 44. βάεις magnum ædificium ſeu palatium ſignificat, teſtibus Græcis Patribus in præſenrem Pſalmum, & Hieronymo in Pſalm. 44. Quibus adſtipulatur Ammonius lib. de ſimilibus & differentibus vocibus: huic enim ſi credimus, βάεις μὲν ἐστὶν Αἰγύπτιον πλοῖον· λέγεται δὲ καὶ ἡ μεγάλη οἰκία, quibus verbis duæ huius vocis ſignificariones exprimuntur, prior pro Ægyptio nauigio, poſterior pro magna & excelſa domo, ſeu pro regia & palatio. Alias addit Suidas huic voci, βάεις, gemina iſta vocabula proferens, πλοῖα, τείχη, ςοαὶ, αὐλαὶ, πύργοι, σφαῖραι, *Naues, muri, portus, aulæ, turres, Sphæræ.* Nemo verò eſt, qui gradus eo nomine dicat ſigificari: ideóq; nec Septuaginta Interpretum eſt probata à Cellorio verſio, nec vllius, quàm Ambroſij, qui nec conſtanter in ea permanet, in cuius etiam ſenſu nulla graduum mentis, & progreſſionum animi eo Pſalmo fit mentio.

Cęteras Thomæ à Ieſu Carmel. ac Richardi Victor. lacinias, quas operi ſuo aſſuit ad propoſitum omninò nihil facere leget, cui per otium vacabit. Quàm autem efficaciùs, nec actus dilectionis Dei, nec amoris, nec alia exerciria pietatis hierarchicas eſſe functiones ex dictis colligere poteris: quia nec ab ordine ſacro, aut iuriſdictione procedunt: nec auctoritate aliquâ, &, vt aiunt, ſuperiori in Eccleſia gradu indigēt, vt exerceantur: nec in inferiores exercentur, nec ſupremi Hierarchæ Chriſti miniſteria ſunt. Item nec ordinem iſtum ſeruant; quem omnes hierarchicæ functiones ſeruare debēt, vt cum ſubordinatione ad ſuperiorem Hierarcham ita fiant, vt in eum tanquam πρωτουργὸν ἱεράρχην, *primum ſacrorum Hierarcham*, qui agunt opus ſuum reiiciant, eiq; ſuam functionem attribuant: quod duplici exemplo probat Dionyſius cap. 13. cæleſtis hierarch. 1. Pontificis, qui per miniſtros ſuos & ſacerdotes purgare & illuſtrare dicitur, 2. Seraphim, cui tanquam primo Hierarchæ & ſacrorum duci poſt Deum Angelus purgator expiationis à ſe factæ vim, & functionem ſuam tribuit, à qua auctoritatem hierarchicè agendi accipit, & extra cuius communionem legitimè agere non poteſt: quæ ſubordinatio hierarchiæ ſacræ vnitati, ſicut & quæuis Monarchia ſacra temporalis paci neceſſaria, cùm in actibus charitatis, contemplationis, & cæteris priuatæ pietatis exercitiis locum habere non poſſit; quæ ſingulis hominibus propriæ ſunt, & abſque vlla ſubordinatione ac dependentia inferiorum à ſuperioribus fiunt: ſingulariáque diuinæ gratiæ beneficia videntur, quæ in homines ſine impietate, & Pelagiana hęreſi, tanquam auctores reiici non poſſunt, nec in Chriſtum tanquam ſacra miniſteria refundi: quomodo, inquam, illi actus ſubordinationis incapaces, quam tam in cæleſti quàm terrenâ hierarchiâ vniuerſim exigit Dionyſius, & poſtulat ratio ipſa hierarchiæ, qui ſacer quidam ordo eſſe debet, hierarchici proprio ac ſtricto ſignificatu dicentur?

Adde quod generalis ſit ad iſtos actus omnium fidelium conſecratio, ac proinde ſi actus iſti naturâ ſuâ hierarchici ſunt, omnes ex officio ex conſecratione ſua, ex obligatione actus hierarchicos exercebunt: nulláque ampliùs erit hierarchizantium & hierarchizatorum diſtinctio: ſed omnes penitùs hierarchizantes erunt. Quæ confuſio hierarchiarum ita omnem ordinem perturbat, vt ſatiùs ſit nullam hierarchiam ponere, quàm permixtam, & omnibus in agendi purgandíque, illuſtrandi & perficiendi munere communem.

SECTIO IV.

DE HIERARCHIÆ ECCLESIASTICÆ propriè dictæ natura.

CAPVT I.

De definitione Hierarchiæ Eccleſiaſticæ.

ARTICVLVS I.

EIVS DEFINITIO TRADITVR ET EXPLICATVR.

HIERARCHIÆ Eccleſiaſticæ propriè dictæ ex prædictis natura facilè colligitur, varias eius definitiones ex Dionyſio ſuperiùs prolatas in animum reuocare oportet, quibus conſentiunt Maximi & Antiochi Paleſtini Monachi deſcriptiones, quas item illuſtrant Hugonis à S. Victore, & aliorum Theologorum prolatæ ſuperiùs explicationes.

Expedit etiam meminiſſe eius definitionis hierarchiæ, iuxta quam dicitur hierarchia *Rerum ſacrarum & rationabilium ordinata poteſtas, debitum in ſubditos retinens principatum.* Circa quam obſeruare conueniet iſtos Auctores, qui eam tradiderunt, citatos nempe Guillelmum Antiſſiodorenſem, Bonauenturam, Richardum, Gabrielem, Bielem, itémque Dionyſium Carthuſianum in 2. diſt. 9. alióſque plures, qui eamdem tanquam magiſtralem ac celebrem in ſcholis commendarunt, iſtos, inquam, voluiſſe hâc definitione hierarchiam, non ſolùm perſonarum, verùm etiam actionum cõprehendere, ideóq; nomine communi rerum, non perſonarum, vſos fuiſſe: quamuis, vt mox dicemus, hierarchiæ perſonarum hæc definitio conuenire poſſit: itémq; voluiſſe hierarchiam Eccleſiaſticam, etiam & cæleſtem hâc definitione complecti, nec vllam aliam hierarchiam propriè dictam inter homines atque Angelos, quàm iſtam, cui hæc definitio conueniret, agnouiſſe, nec ad ſacerdotalis ordinis ſeu Clericalis, quæ in Angelis locum non habet, hierarchiam, definitionem ſuam reſtrinxiſſe. Quia verò de hierarchia iam loquentes, de perſonarum hierarchia, non functionum loqui ſolemus, nec de hierarchia cæleſti verba hîc facimus, ideò nos hierarchiam Eccleſiaſticam in eo ſenſu ſumentes, hierarchiam definimus, *hominum ſacrorum ordinatam poteſtatem, debitum in ſubditos retinentem principatum ſeu ducatum.* Quâ definitione tam veteris quàm nouæ legis hierarchiam complectimur: non enim ab Eccleſiaſtica hierarchia, ſeu ſacro Eccleſiaſtico Principatu, legalem reiicimus, cui nouæ legis ſtatus ſuccedit, qui ab initio mundi, vel ſaltem à receptione legis, ſicut & Eccleſia decurrens ſucceſſionis non interruptæ tramitem regiminis eandem quodammodo formam ſeruat, eatenúſq; diuerſus eſt, quatenus fecunditatis in noua lege ſucceſſibus copioſior, gratiarum copiâ vberior, rerum prædictarum, euentu illuſtrior, promiſſorum præſtantiâ clarior, antiquæ legis principatum ampliori longè gloriâ ſuperat, qui tamen noſtri & principatus & ſacerdotij & initium eſſe videtur & origo: vnde ſicut fluuius idem dicitur, & qui primum aquarum paucitate inglorius, accurrentium vndique riuulorum copiâ intumeſcit, & deinde profluentes largiter alueos ſuos latiùs emittit; robur vnum eſt, quod tenaci radice fundatum ramos exinde ſuos fœliciùs expandit: ita vna eſt Eccleſiaſtica hierarchia, quæ

Digitized by Google

in ſtatu naturæ confuſior, in ſtatu Moſaicæ legis ordinatior, in ſtatu gratiæ optimè compoſita; multóque ſacratior, fœcundior & locupletior effecta eſt. Quòd reſpiciens Apoſtolus ad Epheſios 1. ſuper omnem Eccleſiam, tam quæ in cælis, quàm quæ in terra eſt, Chriſtum caput datum eſſe ſcribit, Eccleſiæ, quæ in terra eſt, nomine, tam fideles in noua lege futuros, quàm qui in veteri fuerant, haud dubiè intelligens, quibus ſcilicet vtriſque caput eſt Chriſtus, vtroſque connectens, & vtrorumque Redemptor agnoſcendus.

Poteſtas dicitur [*hierarchia*] nullus enim principatus abſque poteſtate, & agendi auctoritate: duo enim iſta nomine poteſtatis ſignificantur, noménque iſtud, & pro ordine ſacro, qui poteſtas quædam eſt ad actiones ordinis, cuiuſmodi ſunt ſacrificij & ſacramentorum confectiones, ac celebrationes, aliáque ſacra miniſteria; & pro iuriſdictione ſumitur, quæ poteſtatem actus quoſdam legitimos faciendi, & agendi in ſibi ſubditos importat. Dicitur [*poteſtas ſacrorum*] hominum, eorum ſcilicet, qui in alios, eóſque purgandos, illuſtrandos, perficiendos (in quibus poteſtas ſacra conſiſtit) ordinati ſunt ac conſecrati.

Dicitur [*poteſtas ordinata*] *Quæ enim à Deo ſunt, ordinata ſunt*, ad Rom. 13. idcóque Dionyſio cap. 13. cæleſtis hierarchiæ, hierarchia omnis ἱερὰ τάξις, ſeu ſacer ordo dicitur. Conſiſtit autem iſte ordo primò in auctoritate ſuperiorum circa inferiores, vt docet Dionyſius eodem cap. ἡ τάξις ἱεραρχίας ἐστὶ τὸ τοὺς μὲν καθαίρεσθαι, τοὺς δὲ καθαίρειν· καὶ τοὺς μὲν φωτίζεσθαι, τοὺς δὲ φωτίζειν, καὶ τοὺς μὲν τελειοῦσθαι, τοὺς δὲ τελεσιουργεῖν. *Ordo hierarchiæ hoc poſtulat, vt alij purgentur, alij purgent: alij illuminentur, alij illuminent, alij perficiantur, alij perficiant*: quod fuſiùs proſequuntur Nazianzenus orat. 26. Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 116. & alij paſſim.

2. Conſiſtit etiam in eo, quòd tota virtus inferiorum hierarchiarum in ſuperiori contineatur, & non è contra, vt docet Dionyſius cap. 5. cæleſtis hierarchiæ aſſerens πᾶσαν ἱερὰν διακόσμησιν, αἱ μὲν ὑπερβεβηκυῖαι τάξεις, ἔχουσι τὰς τῶν ὑφειμένων διακοσμήσεων ἐλλάμψεις καὶ δυνάμεις. ἀμέθεκτοι δὲ τῶν αὐτῶν ὑπερκειμένων εἰσὶν αἱ τελευταῖαι. *Eos quidem ordines, qui ſuperiores ſunt, inferiorum etiam illuſtrationibus virtutibúſque eſſe præditos, extremos autem iis, quæ ſuperioribus inſunt, carere.* Item cap. 11. eiuſdem libri, αἱ μὲν ὑπερβεβηκυῖαι διακοσμήσεις, περιουσίως ἔχουσι, καὶ τὰς τῶν ὑφειμένων ἱερὰς ἰδιότητας, αἱ δὲ τελευταῖαι τὰς τῶν πρεσβυτέρων ὑπερκειμένας ὁλότητας οὐκ ἔχουσι. *Summi Spirituum ordines abunde etiam inferiorum ſanctas proprietates habent, vltimæ autem excellentes, nobiliorum in totum perfectiones non habent.* Quibus ſimilia habentur cap. 1. Eccleſiaſticæ hierarchiæ: quod ipſum confirmat Ambroſius in caput 4. epiſtolæ ad Epheſios, docens, *In Epiſcopo omnes ordines eſſe, quia primus ſacerdos eſt*, &c.

3. In eo quod vetitum ſit ſupra ſuum ordinem cuiquam aliquid aggredi, quod ipſum & Dionyſius iubet cap. 3. hierarchiæ Eccleſiaſticæ loco à nobis ſuperiùs citato, atque in eo conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 3. cap. 11. ἐκκλησιαστικὴν ἁρμονίαν, *Eccleſiaſticum concentum & ordinem* collocant.

4. Quòd inferiores in ſuperiores omnem *actionem hierarchicam reiicere* ac refundere debeant, & per inferiores ſuperiores agere dicantur tanquam per miniſtros ſuos; quemadmodum ſuperiùs ex eodem Dionyſio cap. 13. cæleſtis hierarchiæ docuimus. Quod etiam ex eius epiſtola ad Demophylum diſcere poteramus.

5. Quòd membra omnia conſentire debeant, nec vllum aliud contemnere, vt fuſè docent Nazianzenus oratione ſuperiùs citatâ, Nyſſenus homil. 13 in Cantica, S. Leo ſerm. 10 in Quadrageſima, & alij paſſim.

6. Quòd vnumquodque hierarchiæ membrum ſuo loco ſtare, nec vnquam alterius officia vſurpare debeat, ſinguláque ſingulorum vtilitatibus deſeruiant: in quo *harmoniam Eccleſiæ omnium membrorum* collocat Ambroſius lib 3. de officiis cap 3. *ordinem Eccleſiæ*, Nazianzenus orat. 26. citatâ. Quòd ſi ſecus fiat, vt præpoſtero ordine ponantur hierarchiæ Eccleſiaſticæ membra, & vnum ſuper aliud indebitè efferatur, totum exinde corpus deformari tradunt Auguſtinus de Ciuit. lib. 19. cap. 12. Bernardus de conſideratione ad Eugenium lib. 3. cap. 4.

7. Denique quòd diuinæ gratiæ, motiones, illuſtrationes, virtúſque omnis operandi diuina à Deo ad ſupremum Hierarcham, eóque mediante ad ſupremos ordines, ab iis ad medios, à mediis ad ſuperiores transferantur, quod copioſè pariter diuinus

Digitized by Google

Dionyſius explicat cap. 9. 10. & 13. cæleſtis hierarchiæ, & epiſtolâ ad Demophylum, & breuiùs cap. 5. Eccleſiaſticæ, iis verbis, θεσμὸς μὲν οὗτός ἐστι τῆς θεαρχίας ὁ πανίερος τὸ διὰ τῶν πρώτων, τὰ δεύτερα πρὸς τὸ θειότατον αὐτῆς ἀνάγεσθαι φέγγος, *Mos quidem diuinitatis hic eſt ſanctiſſimus per prima, ſecunda, & inferiora ad diuiniſſimam lucem ſuam deducere*; quod fusè poſteà tam in ordine naturæ quàm gratiæ proſequitur. Explicat idipſum eleganter Clemens Alexandrinus lib. 7. ſtromatum egregiâ iſtâ comparatione, ὡς οὖν συγκινεῖται, καὶ μικροτάτη σιδήρου μοῖρα τῷ τῆς Ἡρακλίας λίθου πνεύματι διὰ πολλῶν τῶν σιδηρῶν ἐκτεινομένη δακτυλίων· οὕτω καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι ἑλκόμενοι, οἱ μὲν ἐνάρετοι, οἰκειοῦνται τῇ πρώτῃ μονῇ, ἐφεξῆς δ' ἄλλοι μέχρι τῆς τελευταίας. *Quemadmodum ergo vel minima pars ferri lapidis magnetis Spiritu mouetur per multos annulos ferreos extenſa: ita etiam qui ſunt virtute præditi, diuino Spiritu attracti cum prima manſione coniunguntur, deinceps autem alij vſque ad poſtremam.* Confirmant Athanaſius, lib. de communi eſſentia, necnon qq. ad Antiochum Reſponſ. ad 31. Nazianzenus oratione 12. S. Leo epiſt. 89. & ſerm. 3. in die anniuerſario aſſumptionis ſuæ, Piſidas de mundi opificio, S. Maximus ſcholiis in ſanctum Dionyſium, Pachymeres, & alij paſſim.

Adduntur in prædicta definitione iſta verba, *debitum in ſubditis retinens principatum*, quibus duo ſignificantur, primùm hierarchiam omnem ſubditos habere, in quos exerceatur; alterum debitum inter eos ordinem obſeruari debere, nec indebitam poteſtatem quemquam vſurpare oportere: hanc verò mutuam inter agentia & patientia neceſſitudinem; hanc perficiendi alium obligationem, recipiendi ab alio perfectionem indigentiam: hanc neceſſitatem parendi, & auctoritatem imperandi hierarchiæ pulchritudinem non ſolùm, verùm etiam vnitatem fouere oſtendunt S. Gregorius lib. 4. indict. 13. epiſt. 52. Epiſcopis Galliarum, & Gregorius 7. lib. 6. epiſt. 35. *Rothomagenſi, Turonenſi, & Senonenſi Archiepiſcopis*, his verbis. *Ad hoc diſpenſationis diuinæ prouiſio gradus diuerſos & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent: vera concordiæ fieret ex diuerſitate contextio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum; neque enim vniuerſitas aliâ poterit ratione ſubſiſtere, niſi eiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret*, &c. Vide etiam ea de re fuſiùs differentem eumdem Gregorium Magnum lib. 28. Moralium cap. 6.

Ex quibus definitio hierarchiæ non recèns fictæ, ſed à maioribus traditæ nobis conſtat, quæ ordinem connotet ac conſecrationem eorum, quos ſuo ambitu complectitur; item eorumdem iuriſdictionem, poteſtatis ordinatæ nomine debitóque in ſubditis principatu ſignificatam; chariſmata tandem, quæ ad actus hierarchicos facultatem agendi ipſis tribuunt non auctoritatem: excluditur autem per hanc definitionem fictitia hierarchia chariſmatum, cui nec ſubditi ex aduerſo reſpondent, in quos principatum exerceat ſuum, ac poteſtatem ordinatam agendi tribuat modo ſuperiùs explicato, excluditur temporalis principatus, ad quem non conſecratione, non ordinatione opus eſt: excluditur ordinatio Dæmonum, quæ & inordinata eſt, quia à Deo non habet initium, nec ſacra eſt, vel ſacrorum, nec debitum exercet principatum, excluditur hierarchia cæleſtis, quia hominum non eſt, ſed Angelorum, vel ſi hominum eſt, non iam humanâ conſecratione illuſtrium, nec humano principatu fruentium, ſed hominum in Angelicos ordines, & hierarchias quodammodo tranſlatorum, qua de re Theologi primâ parte differunt cum D. Thoma quæſtione 108. art. 8.

ARTICVLVS

ARTICVLVS II.

Quædam obſeruationes circa iſtam definitionem adiunguntur.

VERVM aliqua circa prædictam definitionem vlteriùs obſeruanda ſunt: 1. quidem ad definiendam hierarchiam actionum retineri potuiſſe traditam ab antiquis definitionem, *vt ſit rerum ſacrarum & rationalium ordinata poteſtas in ſubditis debitum retinens principatum.* Eo enim quòd ſit *rerum rationalium poteſtas*, id eſt, quæ ratione geruntur & diſponuntur, à naturali poteſtate differt. In eo, quòd ſit *rerum ſacrarum*, à temporali poteſtate, quæ circa prophanas verſatur. In eo quòd debitum in ſubditis retineat principatum, ab vſurpata & illegitima rerum ſacrarum inuaſione, quæ *poteſtas facti*, dicitur, *non iuris* diſcriminatur, & à priuata poteſtate, quâ vnuſquiſque in ſeipſum agit, non in ſubditos, diſcernitur: & ita hierarchica poteſtas à cæteris poteſtatibus ſeparatur. Sed hæc definitio cęleſti & Eccleſiaſticæ hierarchiæ conueniet: ideóque adhibendæ erunt aliquæ particulæ, quibus Angelicam hierarchiam ab humana, Eccleſiaſticam à cæleſti diſtinguas, vt quod hominum viatorum eſſe dicatur: ita enim humanam ab Angelica; Eccleſiaſticam hierarchiam à cæleſti ſeparabis.

Alterum obſeruandum eſt, in prædicta definitione vtroque illo modo explicata, alio modo chariſmata includi, alio verò tam ordinem quàm iuriſdictionem: nam hierarchia directè poteſtas dicitur tam ordinis quàm iuriſdictionis. Poteſtas autem chariſmatũ directè nón dicitur. Etenim poteſtas, quam hierarchiam eſſe prior definitio oſtendit, habet tres conditiones, quarum nulla poteſtati ſeu facultati, quam chariſmata tribuunt, æquè conuenit, ac poteſtati ordinis vel iuriſdictionis. 1. Dicitur poteſtas *ſacrorum hominum*, quòd propriè poteſtati ordinis conuenit, quæ ſacros homines facit, & nonniſi per conſecrationem ad altaris miniſterium tribuitur: conuenit etiam poteſtati iuriſdictionis, tum quòd poteſtatis iuriſdictionis pars potiſſima, quæ verbi gratiâ, in abſolutione à peccatis, & in ordinatione ſacrorum miniſtrorum aliiſque conſiſtit, in poteſtate ordinis fundetur, & ab ea ſeparari ac diuelli nequeat: tum quòd cæteræ iuriſdictionis partes, licèt per accidens aliquando ab ordine ſeparentur, tamen hæc ſeparatio violenta ſit, & accidentaria, nec ex diuina inſtitutione perpetua, nec officia iuriſdictionis qualiſcunque in Eccleſia Dei vllis præterquàm ſacro ordine initiatis debita ſint aut connaturalia, vt oſtendemus: è contrà verò, quòd ad chariſmata ſpectat, *Spiritus vbi vult ſpirat*, Ioan. 3. & effunditur nonnumquam *ſuper omnem carnem*, Ioelis 2. & Actor. 2. Ideóque non poteſt æquè dici poteſtas ſacrorum hominum ac poteſtas ordinis ac iuriſdictionis. 2. Eadem poteſtas dicitur ordinata propter varios gradus ſibi ſubordinatos, & ab vno principio dependentes, qui gradus vel attenduntur ſecundum poteſtatem ordinis, quæ in Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum ordinibus ſibi ſubordinatis diuerſa eſt, vel ſecundum poteſtatem iuriſdictionis, quæ in Patriarcharum, Primatum, Archiepiſcoporum, aliorúmque gradibus à ſummo Pontifice dependentibus ordinata reſplendet: non item poteſtas chariſmatum, quæ diuiditur ſingulis, prout vult ſpiritus, & ita diuerſa cenſetur, vt ab eodem tamen ſpiritu immediatè ſingulorum animis infundatur, vt colligitur ex 1. Corinth. 12. 3. Dicitur poteſtas iſta *in ſubditis debitum retinens principatum*, quòd poteſtati chariſmatum præcisè non competit, cui nulli ſolitariè ſpectatæ ſubditi debentur, ſiue ſpeciatim ſiue generatim: cùm è contrà poteſtati ordinis ſubditi aliqui generatim ſaltem & indeterminatè reſpondeant: Poteſtati verò iuriſdictionis ſaltem perfectæ determinati aliqui ſubditi debeantur. Similiter in definitione poſteriori, poteſtas *circa res ſacras & rationabiles* eſt poteſtas ordinis, quæ circa res ſacras & rationabiles dicitur verſari, quatenus poteſtas eſt ordinis, cui proprium eſt circa ſacra myſteria, quæ ratione & conſilio fiunt, non bonitate aut ſanctitate miniſtri perficiantur; & ideò *res rationales* vocantur, *ſacra* verò *officia* ſunt, quia ad altaris miniſterium referuntur, in quo omnis ſanctitatis & conſecrationis fons Chriſtus; & ideò *res ſacræ* dicuntur. In ſubditis verò debitum retinet principatum quatenus eſt poteſtas iuriſdictionis, chariſmatum autem poteſtas tanquam ſolùm adnexa poteſtati ordinis, ac iuriſdictionis in hierarchia conſideratur: ſiue tanquam

diſpoſitio ad vtramque poteſtatem conſentaneè & congruenter recipiendam: ſiue tanquam vtramque adiuuans, & in ſuis officiis vtrique deſeruiens: vnde chariſmatum iſta virtus homines non quidem Hierarchas efficit, ſed hierarchicos, nec illos hierarchiæ inſerit; ſed dignos facit, qui vel hierarchiæ tanquam primores inſerantur, eo nempe ſenſu, quo apud Sidonium *ſacerdotales viri* dicuntur, non *ſacerdotes*, qui morum ſanctitate præcellunt, lib. 4. epiſt. 9. & in Canone *Epiſcopales* vocantur, qui non ſint Epiſcopi, ſed Epiſcopatu digni; vel certè dignos facit, qui hierarchicis functionibus interſint, iiſque ſubiaceant; quam acceptionem videtur amplexus Dionyſius cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ in Theoria τῶν ἱεραρχικῶν ἀμιγεστάτην διάκρισιν, *hierarchicorum ab omni admixtione liberam prudentiam*, commendans; eorum nomine ſanctum omnem populum complectens, iiſque opponens, qui deſertâ diuinâ vitâ, ac moribus cum pernicioſis dæmonibus conſentiunt: & ideò miniſtri voce illos à ſacris expellentis, hos verò retinentis diſcerni docens. Non itaque principatum vllum poteſtas iſta chariſmatum tribuit, ſed ornat, & ad ſua officia habilem facit: non hominem ad gradum vllum maiorem promouet, ſed ſuo gradu dignum & officiis ac gradui parem præſtat: actionibus potiùs neceſſaria eſt quàm gradui. Atque ideò Dionyſius hierarchiam præſertim tam pro functione ſumens, quàm pro gradu hierarchico, hierarchiam & ſcientiam, & operationem definiuit. Theologi verò hierarchiam potiùs pro gradu ſumentes, quàm pro actione, non operationem, ſed poteſtatem eam definiunt, nec ſcientiam eſſe dicunt, ſed poteſtatem ſcientiâ, aliiſque chariſmatis ad ſua munia ritè obeunda, ad gradum legitimè tenendum indigentem definiunt. Quamuis vtrique conueniant, quod nec Dionyſius hierarchiam ſine poteſtate ordinata, quam ordinem vocat interprete Hugone lib. 3. cæleſtis hierarchiæ, nec Theologi hierarchiam omnibus ſuis numeris abſolutam putent, niſi & ſcientiam & operationem habeat.

CAPVT II.

Quòd omnis hierarchia ſubditos habeat.

ARTICVLVS I.

Probatur iſta veritas variis rationibus, quæ ex præcedentibus inferuntur.

EX prædicta definitione patet hierarchiam agentium nullam eſſe, quæ non ſubditos habeat, circa quos ſuam actiuam poteſtatem exerceat, & in quibus debitum principatum retineat. Quod cùm Cellotius paſſim neget, fuſiùs hîc nobis & accuratiùs probandum eſt. Omitto definitionis præcedentis auctoritatem non à nobis fictæ, ſed à maioribus noſtris acceptæ, ex qua apertè id conuincitur. Omitto nominis principatus vim, & ἐνεργείαν, quem abſque ſubditis ſtatuere vel cogitare ridiculum omninò eſt, & à natiua vocis ſignificatione penitùs alienum. Omitto eodem modo, ſeruatâ proportione, de hierarchia ſeu ſacro principatu loquendum, quomodo de temporali. At temporalem principatum ſine ſubditis nemo hactenus ſomniauit. Omitto omnes actus hierarchicos ex prædictis in ſubditos terminari, ac proinde & ipſam hierarchiam.

ARTICVLVS II.

Probatur à conſenſu Theologorum & Patrum, circa quæſtionem, vtrum detur hierarchia aliqua diuina.

VERVM prætermittere non poſſum Theologorum & Patrum conſenſum, 1. enim Theologi inter perſonas diuinas nullam hierarchiam ideò admittunt, quòd nulla aliâ ſuperior ſit, nulla aliâ inferior, ea eſt ratio D. Thomæ q.108.a.1. in corpore, vbi enim docuit diſtingui hierarchias *ratione multitudinis ſubiectæ*; mox ſubdit, *Vnde manifeſtum eſt eos errare & contra intentionem Dionyſij loqui, qui ponunt in diuinis perſonis hierarchiam, quam vocant ſupercæleſtem, nam, vt Dionyſius dicit 3. cap. cæleſtis hierarchiæ: ordo hierarchiæ eſt, alios quidem purgari & illuminari & perfici: alios autem purgare, & illuminare, & perficere.* Ea ratio Richardi de Media-villa inter perſonas diuinas hierarchiam non eſſe aſſerentis, quòd inter eas *non ſit ordo principandi*, ſed ſumma æqualitas: eadem cæterorum plurium Theologorum eſt ratio.

Eadem quoque eſt ſententia & ratiocinatio Patrum. Dionyſij mentem ex loco citato colligere poſſumus; verbis enim à D. Thoma citatis ſubdit, beatitudinem diuinam ab omni diſſimilitudine liberam eſſe, purgare quidem, illuminare & perficere. *μᾶλλον δὲ κάθαρσιν ἱερὰν καὶ φωτισμὸν καὶ τελείωσιν ὑπὲρ κάθαρσιν, ὑπὲρ φῶς ὑπερτελείως, αὐτοτελεταρχίαν, καὶ πάσης μὲν ἱεραρχίας αἰτίαν, παντὸς τοῦ ἱεροῦ κατὰ τὸ ὑπερέχον ἐξῃρημένην, ſeu potiùs non tantum eſſe purgationem, illuminationem, perfectionem, ſed eſſe ſupra omnem purgationem ſupergredi imitationem illuminationis, imò ipſam perfectionis auctorem eſſe principalem, & omnis quidem ſacri Principatus cauſam eſſe eo omni, quod ſacrum eſt per excellentiam præſtantiorem.* Quibus verbis ſatis, ni fallor, oſtendit non ſolùm ſacram Trinitatem ſupergredi hierarchiam omnem, ſed & diuinam beatitudinem, quia ipſa videtur tranſcendere omnem hierarchicam functionem: cauſam tamen ipſam eſſe totius hierarchiæ, quæ ad eam aſſimilationem, quam Dei viſione aſſequimur, tendit, quemadmodum eodem capite docet. Athanaſij eadem ſententia eſt, qui hierarchiam à Trinitate excludit reſp. ad quæſt. 13. variarum quæſt. tom. 2. inter eius opera. Ibi enim iubet tam Patrem, quàm Filium & Spiritum ſanctum dici *τοὺς ἀνάρχους, durationis principio & principatu dignitatis carentes, καὶ τοὺς συνανάρχους, ſimul principij & principatus expertes.* Nazianzenus pariter carmine de principiis abſolutè Deum *ἄναρχον* ſtatuit, quamuis de Patre poſſit intelligi. Cùm ergo Principatus & principij expertes perſonas diuinas Athanaſius ſaltem velit, ab iis quoque hierarchiam excludit, quam ſcilicet Cellotius lib. 1. cap. 2. *& ſacrum principium, & ſacrum Principatum* præſeferre aſſerit: & in Trinitate principij non principatus rationem inferre affirmat, lib. 2. cap. 1. Nos verò à principio ſacrorum, non à principio ſacro æquè ac à principatu ſacro deduci docuimus: Eſto itaque, ponamus principium aliquod originis, & principatû in diuinis perſonis admiſti, non tamen vna perſona principium eſt ſacrorû reſpectu alterius, nec alterius princeps dici poteſt. Hilarius ſiquidē l. 6. de Trin. hanc vt Arrianam propoſitionem damnat, *principatur autem* (Pater) *ei* (Filio) *vt pote Deus eius, cùm ſit ante ipſum*: atqui hierarchia ſi inter perſonas diuinas admitteretur, oportet vnam eſſe alterius principem, ſeu principium ſacrorum mouens & dirigens aliam ad actiones ſacras: igitur nulla in diuinis perſonis hierarchia. Dionyſium tamen cap. 3 cæleſtis hierarch. Ignatium epiſt. ad Trallianos, Guillelmum Pariſienſem & Hugonem de S. Victore in cap. 3. Dionyſij, itémque Sophronium in Encomio Angelorum, & S. Bonauenturam in Apol. paup. reſp. 4. 3. part. art. 1. hierarchiæ increatæ inter diuinas perſonas teſtes profert Cellotius lib. 1. cap. 15. Sed nullus eorum ſententiam ipſius probat, iique omnes duntaxat in Deo hierarchiam ſeu ſacrum principatum reſpectu creaturarum admittunt, non perſonarum diuinarum inter ſe aliquam hierarchiam adſtruunt. De Dionyſio ex prædictis certa res eſt. Hugonis Victorini eadem quoque mens eſt, qui Commentariis in iſtud caput Dionyſij non ſemel locis etiam à Cellotio citatis hierarchiam ſeu ſacrum Principatum Deo tribuit, in quantum omnia moderatur, virtutem & poteſtatem omnibus tribuit, ſeu in quantum (vt idem Hugo loquitur) lib. 1. in cap. 3 cit.

Digitized by Google

Sacrum omne imperium per partes & diuiſiones, & gradus, & ordines diſtributum eſt ad eum & ſub eo ordinatum, qui fons & cauſa eſt omnium & principium primum: vnum opus, & artifex vnus, vnum imperium, & vnus rector, vnus princeps, & vna reſpublica. Quod etiam ſibi velle Ignatium haud dubium eſt epiſt. ad Trallianos, dum Angelicis hierarchiis, quas ſe intelligere non poſſe dicit, ſubiungit, τοῦ τε πνεύματος τὴν ὑψηλότητα, ἐ τοῦ κυρίου τὴν βασιλείαν, καὶ ἐπὶ πᾶσι τὸ τοῦ παντοκράτορος Θεοῦ ἀπαράβλητον· *Spiritus ſublimitatem & Domini Regnum, & incomparabilem Dei Patris omnipotentis diuinitatem.* Etenim Ignatius vel nullam hierarchiam Deo hîc tribuit, vel eam, quæ βασιλείαν, ſeu *regnum* importat. Atqui hæc, teſte Cellotio libri ſecundi capite ſecundo, non admittitur in Trinitate, quam *principium* eſſe, non *principatum* dicit: & certum eſt, inter diuinas perſonas non eſſe βασιλείαν, ſeu regnum. Igitur Ignatius ſolùm reſpectu creaturarum Deum Hierarcham ſtatuit, ſeu vt conuenientiùs cum Dionyſio loquamur, ὑπεράρχην, ſuper omnes Hierarchas, & hierarchias, Principem ſcilicet omnium creaturarum, quibuſcum ſocietatem habere dici non poſſit. Quo etiam argumento probatur Sophronium vel nullam hierarchiam admittere, vel ſolùm reſpectu creaturarum eam aſſerere: quod enim ait Cellotius eum meminiſſe *trini vnicique Principatus vndecunque perfecti*, id vtique verum eſt, ſed addendum fuerit, eiuſdem meminiſſe à creaturis participati: etenim Sophronius ita alloquitur, *Vos ſecundaria luminaria, emanatione planè beata, è prima luce prodeuntia, rectè appellamini, vt quæ immenſum infinitúmque trini vnicique Principatus illius, numeris omnibus abſoluti ſplendorem quantum fas eſt citra vllum medium excipiatis, exceptúmque cæteris mentibus, vt intelligentiis communem faciatis.* Qua ſimili phraſi principatus paulò poſt affatur, *O flecti mouerique neſcij Principatus, qui à diuino Principatu, omnis principij experte, omniſque Principatus auctore, & nomen & dignitatem Principatus citra controuerſiam accepiſtis.* Quibus verbis ita Principatum in Deo admittit, vt omnis iſte Principatus in creaturas tendat, non in ipſa Trinitate ſe cōtineat. Nec aliud intendit Guillelmus Pariſienſis, quem malè non ſemel citat Cellotius, vt qui part. 2. partis 2. principalis de vniuerſo c. 140. ſuæ ſententiæ faueat; cùm tamen 24. tantùm ſint capita iſtius partis, quam citat: & in ea de hierarchia diuina, ne verbulum quidem habeatur. Iis autem, quæ ex eo profert, ſimilia quædam habentur part. 1. 2. partis cap. 173. & 175. fuſiùs: vbi de ordinum Angelicorum cum ſanctiſſimæ Trinitatis aſſimilatione diſſeritur, & beatiſſima hierarchia trium puerorum Angelicorum *ordinum imago eſt pulcherrima glorioſiſſimæ, atque ſupereminentiſſimæ Trinitatis, & repræſentatio eiuſdem expreſſa, prout poſſibile eſt creaturis affirmatur.* Quam imaginem repetit ex affectibus, qui in iſtis ordinibus elucent, & Patris poteſtatis, Filij ſapientiæ, Spiritus ſancti bonitatis ſeu amoris appropriatis dotibus, ſeu attributis reſpondent: quantumuis à tota Trinitate perficiantur: quæ quidem probant diuinam eſſentiam exemplarem eſſe cauſam omnium hierarchiarum, ſicut & effectricem, & hierarchiæ creatæ finem in aſſimilatione cum Deo conſiſtere, ſed non probant inter perſonas diuinas dari aliquam hierarchiam ſeu ſacrum Principatum. Similiter nec Bonauentura loco ex Apolog. pauperum citato, inter diuinas perſonas hierarchiam ſtatuit, ſed reſpectu ſubcæleſtis hierarchiæ, cuius acta diſponit, & approbat, vt ibidem inſinuat, mentémque ſuam clarè aperit, in 2. diſtinct. 9. in enarratione, vbi inter hierarchiæ increatæ definitionem vnicam, & tertiam, quæ creatæ hierarchiæ deſcriptiua eſt, hanc diſtinctionem ponit, quòd prima illarum attenditur principaliter penes egreſſum à Domino, ſed vltima penes regreſſum. Ac ſi diceret Deo hierarchiæ rationem conuenire, quatenus ab ipſo creaturæ egrediuntur. Creaturis verò hierarchiæ rationem tribui, in quantum hierarchica omnis actio nititur pro fine habere aſſimilationem cum Deo, quam ſuperiores in inferioribus perficere adnituntur. Quæ differentia ſatis oſtendit hierarchiam, ſi quæ in Deo ſit, attendendam eſſe penes creaturas: diuinæque eſſentiæ ſimplicitatem ac pulchritudinem, veluti fundamentum ſolum eſſe diuini Principatus, conſummatiuam verò vim diuinitatis rationem eſſe quodammodo formalem ipſius, ſeu diffuſionem liberalem diuinitatis ad extra (vt vult Biel in ea diſt. quæſt. 1.) cuius principatus ſtatuendi potiſſimam eſſe rationem.

Ex quibus proinde tantùm abeſt, vt Cellotius hierarchiam inter perſonas diuinas abſque inferioribus colligere, aut aliquam ſine actione vlla cum ſola paſſione exemplo eiuſdem hierarchiæ, prout Spiritui ſancto tribuitur deducere; aut me exinde quod dixerim Angelos inferioris hierarchiæ, quia in alios nihil agunt, impropriè tantùm

in hierarchia eſſe iure coarguere poſſit : cùm potiùs contrarium omninò ſequatur. Mitto impropriè loqui Cellotium, dum paſſionem in S. Trinitate admittit, quandoquidē terminatio, quæ verbo paſſiuo exprimitur in Deo quidē, non autem vlla paſſio locum habere queat : quæ duo valdè differre vel hoc exemplo percipies, quod propriè pati oculus videns à viſione dicatur; paries verò, eo quòd videatur, non pati, ſed terminare viſionem cenſeatur : & vniuerſim id tantùm quod ſubiectum eſt actionis ac paſſionis, dicatur patiens, non autem id quod terminus eſt actionis : nam vt iſtud etiam exemplum ſubiungam, verbum mentis non dicitur patiens intellectionem, ſed terminans : eodémq; modo nec Verbum diuinum pati, dum producitur à Patre, ſed terminare productionem Patris dicendum erit. Hęc quia ſupra captum aduerſarij ſunt, obiter tantùm mouenda erant. Regredior ad ſuſceptam diſputationem, ac conuinco, cùm Theologi quicunque hactenus ſcripſerunt, vel hierarchiam Trinitatis nullam admiſerint, qui & plures ſunt, & nobilioris notæ, quòd in Trinitate ſuperiores & inferiores gradus non agnoſcerent : vel ſi qui admiſerunt, qui pauciſſimi ſunt, ij à prioribus tantùm voce differentes, hierarchiam iſtam in ſanctiſſima Trinitate, reſpectu creaturarum, quatum effectrix & exemplaris cauſa eſt, adſtruant, eíque proinde inferiores aſſignent : conuenire omnes quotquot ſcripſerunt vnquam Theologos, nullam eſſe hierarchiam propriè dictam, quæ non inferiores habeat in quos agat.

ARTICVLVS TERTIVS.

Idem probatur ex notione hierarchiæ tam latè quàm ſtrictè ſumptæ, quòd ſit ordo vel ordinatio inferioris & ſuperioris.

2 THEOLOGORVM etiam conſenſus ex eo innoteſcit, quòd illi ipſi, qui hierarchiā in latiori ſignificatione vſurpant, nuſquam tamen eam concipiant, niſi in imperantium & parentium mutuâ relatione poſitam : nam, v. g. S. Thomas eò loci, quò hierarchiam latiùs vſurpare videtur, pro agentium & patientium collectione ac ſocietate; eam tamen ita ſumit, non vt in ſeipſis ſingula agere & pati poſſunt, nullúmque inter ſe imperantium vel parentium, Principum & ſubditorum ordinem retinent, ſed vt ordine iſto mutuáque relatione ſe reſpiciunt, ſic enim loquitur 1. par. q. 108. a. 1. in corpore, ***Reſpondeo dicendum quòd hierarchia eſt ſacer Principatus, vt dictum eſt, in nomine autem Principatus duo intelliguntur, ſcilicet ipſe Princeps, & multitudo ordinata ſub Principe.*** Proinde hierarchiam negat S. Thomas concipi vllam poſſe, in qua non in eo, in quo hierarchia conſtituitur, neceſſum ſit, vel agentem reſpectu alterius, vel patientem eſſe : vel principis vel ſubditi locum tenere eum, qui in ea collocatur, vel imperantium vel parentium, ordini adcenſeri. D. Thomam ſequuntur cæteri : quare qui herarchiam alio modo explicant, non *ἱεραρχίαν* nobis exponunt, ſed *ἀναρχίαν*. Sed vlteriùs illi ipſi Theologi, qui communi illi hierarchiæ acceptioni conſentiunt, fatentur penes eos, qui Principatus participes ſunt, hierarchiam longè meliori titulo reſidere, ac proinde ſtrictè ſumptæ hierarchiæ rationem ſolis iis tribuunt, qui ſubditos habent, in quos ſuum principatum exerceant. Neque verò aliud ſibi vult Tridentina Synodus, dum ſeſſione 23. cap. 4. hierarchiam latiùs acceptam eſſe *vt caſtrorum aciem ordinatam* docet. Nam ſtrictiùs ſumptam ex ſolis Principatus ſacri participibus ſubditóſque habentibus, putà Epiſcopis, Preſbyteris, & miniſtris conſtantem aſſerit, Can. 6. eiuſdem ſeſſ. non admittit friuolas diſtinctiones Cellotianas Trident. Synodus, quaſi nempe de ſola hierarchia ordinis loquuta ſit, & aliam agnouerit : licèt enim Canoni hæc ſolutio vtcumque applicari poſſit, quo ordinatorum quidem, ſed non excluſâ iuriſdictione fit mentio : at cap. 4. Synodi cit. nec Cellotio ipſo teſte, hæc reſtrictio conuenit, in qua vniuerſim, & fuſiſſimè de omni hierarchia loquitur Eccleſiaſtica, etiam prout ad populum ipſum extenditur; quem tamen neutiquam in hierarchia collocat, niſi in quantum ſuis Paſtoribus ſubeſt; nec Paſtores, niſi in quantum ſuis populis præſunt, vt ex vtriſque *Caſtrorum acies ordinata* conſurgat : ſed paſtoribus præcipuè hierarchiæ rationem, in ſtrictiori & magis proprio ſignificatu tribuens, ſolos eos hierarchiæ adnumerat, qui Imperij ſacri & poteſtatis ſpiritualis actiuæ in ſubditos ex ſua conſecratione & ordine capaces ſunt :

in hierarchia proinde latè ſumpta neminem collocandum putans, niſi agentium in alios vel patientium ab aliis,initiantium alios; vel initiatorum ab aliis;imperantium, vel parentium loco: in eadem verò ſtrictiùs accepta & magis propriè eos ſolùm collocans, qui ſubditos habere poſſunt, & ex eo ordine ſuo ac gradu connaturaliter debeant. Nec alio modo loquuntur Patres, ex quibus, vt aliquos proferam, 1. mihi nominandus hierarchicæ ſcientiæ magiſter S. Dionyſius, qui libro cæleſtis hierarchiæ paſſim, Angelos diuerſorum ordinum, vel ſuperiores ὑπερβεβηκότας, vel inferiores, *ſubmiſſos, & incuruatos*, ὑφειμένους eſſe aſſerit, quod libro de Eccleſiaſtica hierarchia non minùs frequenter repetit, eoſdem gradus ſuperioritatis & ſubiectionis inter ordines hierarchiæ admittens, vt ſuprà oſtendimus, quod cap. 1. enucleatè tradit iis verbis hierarchiæ vim in eo ſitam eſſe docens, αὐτός τε ὁ ἱεράρχης ὡς ἡ κατ᾽ αὐτὸν οὐσία, καὶ ἀναλογία καὶ τάξις ἔχει τελειωθῇ κατὰ τὰ θεῖα, καὶ θεωθῇ, καὶ τοῖς ὑποβεβηκόσι μεταδοῦναι, κατ᾽ ἀξίαν ἑκάστῳ τῆς ἐγγινομένης αὐτῷ θεόθεν ἱερᾶς θεώσεως. τούς τε ὑποβεβηκότας, ἕπεσθαι μὲν τοῖς κρείττοσιν ἀνατείνειν δὲ τοὺς ἥττους ἐπὶ τὰ πρόσω· τοὺς δὲ καὶ προϊέναι καὶ ὡς δυνατὸν ἑτέροις ἡγεῖσθαι καὶ διὰ ταύτης τῆς ἐνθέου καὶ ἱεραρχικῆς ἁρμονίας, τοῦ ὄντως ὄντος καλοῦ, καὶ σοφοῦ, καὶ ἀγαθοῦ μετέχειν ἕκαστον ὅσῃ δύναμις. *Vt & ipſe Hierarcha pro ſua natura, modo, & ordine in diuinis myſteriis ac rebus perficiatur, atque diuinitatem conſequatur, eiſque, qui ipſi parent, diuinam ſimilitudinem, pro ſua cuique dignitate impertiat: & inferiores tum ſuperiores imitentur; tum inferiores ad maiora ſe excitent: tum ipſi progreſſum faciant: tum pro virili parte aliis ſe duces præbeant: Atque hæc ipſa diuinitùs tradita, hierarchicique ordinis conſenſione, & quaſi conſpiratione pro ſua quiſque parte, id, quod verè eſt, & honeſtum, & ſapiens, & bonum conſequatur.* Diſcimus enim ex iſtis verbis omnem hierarchiam ſuperiorum & inferiorum ordinem eſſe, ſuperiorúmque munus eſſe, vt poſtquam ipſi diuinitatis formam in ſe ſuſceperunt, aliis imprimant, medij verò ordines, vt à ſuperioribus moti inferiores ſe excitent, eos verò, vt dignè opus ſuum exequantur, oportere quidem medij ordinis viros ſuperiores imitari, ſicut ipſos omnium infimi imitari pariter debent; illos verò Dei in ſe formam exprimere; eaque conſpiratione hierarchiæ finem, qui, diuina eſt ſimilitudo, obtineri. Nihil verò aduerſarium iuuat, quod & ſuæ perfectionis ſinguli ordines ſtudioſi eſſe debeant, quatenus perfectionem, quam acquiſierunt, in alios refundant, neque enim dubitamus, quin etiam qui virtutis hierarchicæ capaces ſunt, ſatagere debeant, vt ad hierarchicas functiones circa inferiores ritè obeundas per ſui perfectionem adnitantur, & ita alios perficiant, vt & ipſi perficiantur. Sed hoc præſertim vrgemus nullam agentium hierarchiam à Dionyſio admitti, quæ non ſit ſuperiorum erga inferiores, quæ non ſubiectas habeat ſibi perſonas, in quas pro ſuo iure agere debeat. Vide eundem Dionyſium locis à nobis ſuperiùs citatis ex cap. 5 & 6. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, vbi initiantium & initiatorum ordines deſcribit, & fusè epiſtolâ ad Demophilum.

Ignatium Dionyſio ſubiungo, qui epiſtolâ ad Philippenſes, quòd Epiſcopis Presbyteri, Presbyteris Diaconi, populus Presbyteris & Diaconis obediant, τὴν εὐταξίαν, decorem ordinis Eccleſiaſtici, ſeu hierarchici eſſe admonuit: quod & paſſim alibi inculcat. Nazianzenum teſtem etiam adduco orat. 1. Apologeticâ ita de ordine hauddubiè hierarchico diſſerentem: ὅτι καθάπερ ἐν σώματι, τὸ μέν τι ἄρχον ἐστὶ, καὶ οἷον προκαθεζόμενον, τὸ δὲ ἀρχόμενον καὶ ἀγόμενον, οὕτω καὶ ταῖς ἐκκλησίαις διέταξεν ὁ Θεὸς ἰσότητος νόμῳ τῆς ἐχούσης τὸ κατ᾽ ἀξίαν, ἢ καὶ προνοίας, ἣ τὰ πάντα συνέδησε, τοὺς μὲν ποιμαίνεσθαί τε, καὶ ἄρχεσθαι, ὅσοις τοῦτο λυσιτελέστερον, καὶ λόγῳ, καὶ ἔργῳ πρὸς τὸ δέον ἰθυνομένους. τοὺς δὲ εἶναι ποιμένας, καὶ διδασκάλους πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῆς ἐκκλησίας, ὅσοι τῶν πολλῶν εἰσὶν ἀνωτέρω καὶ κατ᾽ ἀρετὴν, καὶ τὴν πρὸς τὸν Θεὸν οἰκείωσιν, λόγον ψυχῆς πρὸς σῶμα, ἢ νοῦ πρὸς ψυχὴν ἐπέχοντας. *Nam quemadmodum in corpore aliud membrum principatum habet, & velut preſidet, aliud ſubeſt, & regitur: ad eumdem quoque modum Deus, vel æquitatis lege, qua meritum cuiuſque perpendit, vel etiam prouidentiæ, per quam omnia velut inter ſe deuinxit, hoc in Eccleſiis conſtituit, vt alij paſcantur & pareant, quibus videlicet id vtilius eſt, ac tum ſermone tum opere ad officium dirigantur: Alij autem ad Eccleſiæ perfectionem Paſtores ac Magiſtri ſint, nimirùm qui virtute coniunctioneque, & familiaritate apud Deum, vulgò ſublimiores ſunt, rationem animæ ad corpus, aut mentis ad animam obtinentes.* Nazianzenus hierarchiam Eccleſiæ hic deſcribit, ſuperiorúmque & inferiorum ordinum eam diuerſitatem inferre docet, ita vt hierarchia non ſit, niſi per reſpectum ſuperiorum ad inferiores,

quæ propriè dicta eſt hierarchia, vel inferiorum ad ſuperiores. Fuſiùs autem idem Nazianzenus oratione 26. hierarchiæ eam eſſe rationem oſtendit, vt in ea nonniſi ſuperiorum & inferiorum gradus ordinéſque ſtatuantur; quódque ſuperioritatem, vt vocant, vel inferioritatem non dicit, illud ad hierarchiam per ſe & formaliter neutiquam ſpectare; nec aliquod membrum in hierarchia collocari poſſe, niſi in ſuperiorum vel inferiorum ordine. Athanaſius quidem oratione aduerſus Gentes concinnam diſpoſitionem vniuerſi ex eo oriri contendit, quòd ſuperiora contra inferiora veri moderatoris ductum ſequentia non inſurgant, ſed omnia in commune vnum ordinem efficiant mirificum; concentum vnum ex diuerſis ſonis contingere arte Muſici omnes ſonos ad concentum harmoniæ miſcentis ſuperiores ſcilicet & inferiores: quibus exemplis patefacio hierarchiæ Eccleſiaſticæ vnitatem abſque inferiorum & ſuperiorum ordinum diſtinctione ſub vno moderatore nullam eſſe. Ad quod etiam probandum vtor ratione Chryſoſtomi, hom. 26. in cap. 11. prioris ad Corinthios, ἡ γὰρ ἰσοτιμία μάχην ποιεῖ, *Nam in honore æqualitatis contentionem facit.* Quod confirmat homil. 37. ordinem ex eo præſertim naſci docens, quòd tam maiora quàm minora debito ſuo loco conſtituantur. Quod Imperator paucis conſtringit l. 1. *de officio præfecti vrbis; ſit*, inquit, *ſocietas muneris, ita vt inferior gradus meritum ſuperioris agnoſcat.* In eo ergo, in quo membra alicuius totius ſunt ordinatè diſpoſita, in eo vnum rationem ſuperioris, alterum rationem inferioris habere neceſſum eſt: atqui membra Eccleſiæ hierarchica dicuntur, quatenus ordinatè diſponuntur ſub vno aliquo Principe: hierarchiam enim qui dicit, ſacrum ordinem vel ſacram ordinationem intelligit. Igitur eo ipſo, quo membra hierarchica dicimus, ea vel vt ſuperiora aliis, vel vt inferiora cogitamus.

Atque ita latè ſumpta hierarchia, nonniſi ſuperiorum & inferiorum ſub ea ratione complexionem, ſub vno Principe Chriſto, vel ſummo Pontifice ſignificat, duoſque habet ordines, quos explicuit Nazianzenus ſuperiorum & inferiorum; ad quorum vnum, ſi reſtringere ipſam velimus, quis non proculdubio fateatur, ſatius eſſe, vt tam ad ſuperiorum quàm inferiorum ordinem hierarchia reſtringatur; atque ita vt ſtrictiùs ſumpta hierarchia ſuperiorum ſit ordo inferiores habens; latiùs ſumpta ordinatio ſit ſuperiorum & inferiorum, quatenus mutuâ iſtâ relatione ſe reſpiciunt.

Prior verò huius argumenti propoſitio probatur exemplo acerui lapidum, domus, corporis humani. Etenim aceruus lapidum ideò ordinatam diſpoſitionem partium habere negatur, quia tumultuariè lapides in eo collocantur, abſque eo quod neceſſum ſit, vnum potiùs quàm alium ſuperiorem vel inferiorem locum occupare. E contra ordinata diſpoſitio domus & corporis humani dicitur, quia partes ſingulæ cùm domus tum corporis humani ſuum locum exigunt, ſuperiorem hæ, inferiorem illæ. Igitur eo ipſo, quo partes aliquæ ordine diſpoſitæ dicuntur ſecundum ſuperiorum & inferiorum reſpectum conſiderari debent.

Alterum argumentum ex priori iſto ſequitur: etenim rerum diuerſarum vnio non niſi beneficio ordinis, & ordinatæ diſpoſitionis vnitatem alicuius totius efficit. Atqui partes omnes hierarchiæ vnum quid efficere debent: partes quidem hierarchiæ latiùs ſumptæ vnum Eccleſiæ corpus continens, initiatores & initiandos omnes, ipſoſque etiam Catechumenos; exteriore voto, & profeſſione fidei ad Eccleſiam, (licèt non ſacramento) pertinentes. Eiuſdem verò ſtrictiùs acceptæ membra vnum principatum efficiunt, vnúmque ſactum ordinem cæterorum initiatorem; ad quam vtramque ſignificationem hierarchiæ Cyprianus alludens libro de vnitate Eccleſiæ, & Eccleſiam vnam, & Epiſcopatum vnum eſſe demonſtrat, quia ad Eccleſiæ vnitatem requiritur, vt totum Eccleſiæ corpus gregum Paſtorúmque adhæſione vnum ſit, & Principatus ipſe Eccleſiæ, Paſtorum omnium mutuâ charitate ac ſubordinatione in vnum coaleſcat: quod fusè toto iſto libro ſanctus iſte Doctor demonſtrat. Igitur Eccleſiæ vnitatem ſcindit, qui Principatus ſacri vnitatem violat, qui poteſtates Eccleſiaſticæ hierarchiæ aliquas inſerit non ordinatas, id eſt, vt mox oſtendimus, diuerſos ordines hierarchiæ inter ſe minimè ſubordinatos, & quorum neuter reſpectu alterius ſuperioris, vel inferioris, rationem habeat, conſtituit: Ac proinde Cellotius, qui ordines hierarchiæ huiuſmodi ſtatuit, & Eccleſiæ & Principatus ſacri ſcindit vnitatem.

I iij

Iis adiungó auctoritates duorum grauiſſimorum Patrum: primûmque Leonis teſtimonium profero, qui epiſt. 61. ad Maximum Antiochenum negat prædicandi officium extra ſacerdotalem ordinem cuiquam eſſe concedendum; *Cùm*, inquit, *in Eccleſia Dei omnia ordinata eſſe conueniat, vt in vno Chriſti corpore & excellentiora membra ſuum officium impleant, & ſuperiora inferioribus non reſultent.* Ac ſi nempe ita argueret S. Leo, nemini hierarchica officia extra ſacerdotalem ordinem tribuenda: vt pote cùm Eccleſiæ ordo poſtulet, vt nonniſi ſuperiores gradus in inferiores agere, nec inferiores turbato Eccleſiæ ordine in ſuperiores aſſurgere debeant: ordinémque Eccleſiæ in eo conſiſtere, vt & ſuperiora & nobiliora Eccleſiæ membra ratione Ordinis ſacri ſimul & iuriſdictionis auctoritatem habeant in inferiora, vt in ipſa ex officio publico agere poſſint: deteriora verò in ſuo loco ſubſideant, & ſuperioribus ad perfectionem maiorem obtinendam ſubiiciantur.

Ex Hieronymo verò iſta profero, quibus in omni hierarchico ordine, legali, Eccleſiaſtico & cæleſti ſuperioritatis cuiuſdam & dominationis vim, & poteſtatem neceſſariam ſcribit eodem modo, quo in exercitu & publico regimine. Audiatur libro 2. contra Iouinianum, cap. 15. ex eóque loco ea præſertim verba pendantur: *Archangelus vtique aliorum minorum eſt Angelorum Archangelus: & Poteſtates, & Dominationes habent aliqua, ſuper quæ exerceant poteſtatem, & quæ in ſubiecta dominentur. Hoc in cælis eſt, hoc in miniſterio Dei, ne nos ſolito more irrideas, atque ſubſannes, ſi Imperatores poſuerimus, & Præfectos, & Comites, & Tribunos, & Centuriones, & Manipulos, & reliquum militiæ ordinem.* Audiatur lib. 1. aduerſus Ruffinum, *Quæ diſtributiones officiorum*, inquit, *non ſolùm in præſentiarum, ſed etiam in futuro ſæculo erunt, vt per ſingulos profectus, & honores, & aſcenſiones, & deſcenſiones, vel creſcat aliquis, vel decreſcat, & ſub alia, atque alia poteſtate, virtute, principatu, & dominatione fiat. Et poſt exemplum terreni regis, totámq; Palatij deſcriptionem, per quam diuerſa miniſteriorum Dei officia demonſtrabam, addidi: &, putamus Deum Dominum dominorum, regémque regnantium ſimplici tantùm miniſterio eſſe contentum, quomodo Archangelus non dicitur, niſi qui prior eſt Angelorum; ſic Principatus, & Poteſtates, & Dominationes non appellantur, niſi ſubiectos aliquos habeant, & inferiores gradus.* Lege etiam lib. 1. Commentariorum eiuſdem in cap. 1. ad Epheſios lib. 2. in caput 3. vbi eadem ferè repetita habentur.

Iis itaque omnibus repugnat Cellotius, præſertim dum hierarchiam chariſmatum aliquam comminiſcitur, in qua ſuperiorum & inferiorum gradus nulli ſint, nec ſubiectionis ordo, nec ſubditi, ſed collaterales ordines exiſtant, cùm etiam in iſta chariſmatum diuerſitate, quatenus Eccleſiæ, ſeu Eccleſiaſticæ hierarchiæ membra diſtinguit, ſuperioritatem & inferioritatem agnoſcat Bernardus lib 3. de Conſideratione c. 4. nec eorum chariſmatum miniſtros publicos, quos ſubiunxit Deus, comparandos doceat, ſed ſuperioribus ſubiiciendos: nec id immeritò, nemo enim publico nomine vel ex officio publico vllam cuiuſuis etiam chariſmatis, verbi gratiâ, ſcientiæ, aut liberationis à Dæmone, aut cuiuſuis alterius functionem exercere poteſt: niſi qui ſupremus eſt Hierarcha, vel ſi inferior ſit à ſupremo poteſtatem habeat, aut legitimum duntaxat in eius communione vſum: inferiorésque ſortitur, aut commodatos à ſuperiori, à quo mittitur, aut proprios: atque ita chariſmatum falsò ſibi aliquis fingit hierarchiam nullis ſuperiorum, & inferiorum gradibus diſtinctam.

Probationem iſtam firmo auctoritate Hugonis à ſancto Victore lib. 9. in cap 9. cæleſtis hierarchiæ, quæ in tantùm hierarchicum aliquod opus ſtatuit, quo prælationis & auctoritatis in ſubditos particeps magis fuerit, *Ducere*, inquit, dico hierarchicè, id eſt, *ſecundum modum & menſuram prælationis ſuæ.* Et paulò poſt, *ideò hierarchicè ducunt, quia in eo, in quo prælati non ſunt, duces eſſe non poſſunt.*

ARTICVLVS IV.

Probatur hierarchiæ Eccleſiaſticæ Ordo neceſſarius in ſuperiorum & inferiorum collocatione exemplo hierarchiæ cæleſtis.

§. I.

Argumentum iſtud fusè tractatur.

3. PATET prædicta veritas exemplis hierarchiæ cæleſtis, in qua tam teſtimonio Hieronymi docuimus ſubiectionis & prælationis gradus eſſe; propriéque loquendo hierarchiam cæleſtem admitti in ſuperioribus reſpectu inferiorum. Sed id vlteriùs eſt confirmandum, 1. quidem auctoritate S. Dionyſij, qui cap. 4. libri de cæleſti hierarchia, ordinem à diuina lege ſancitum Theologorum conſenſu firmatum ait, ὡς τῆς θεονομικῆς τάξεως ἐκεῖνο θεσμοθετούσης, τὸ διὰ τῶν πρώτων τὰ δεύτερα πρὸς τὸ θεῖον ἀνάγεσθαι, καὶ γὰρ οὐ μόνον ἐπὶ τῶν ὑπερκειμένων τε, καὶ ὑφειμένων νοῶν, ἀλλὰ, καὶ τοῖς ὁμοταγέσιν οὗτος ὁ θεσμὸς ὥρισται παρὰ τῆς πάντων ὑπερουσίου ταξιαρχίας, τὸ καθ᾽ ἑκάστην ἱεραρχίαν, πρώτας, καὶ μέσας, καὶ τελευταίας εἶναι τάξεις τε καὶ δυνάμεις, καὶ τῶν ἡττόνων εἶναι τοὺς θειοτέρους μύστας καὶ χειραγωγοὺς ἐπὶ τὴν θείαν προσαγωγὴν καὶ ἔλλαμψιν καὶ κοινωνίαν. Nempe ea, quæ ſecundum locum obtinent ab iis, quæ primùm ad diuinitatem excitari. *Etenim non ſolùm in iis Spiritibus, qui ſuperioris & inferioris ordinis, verùm etiam in iis, qui ſunt eiuſdem, hæc lex ab ordinante Principatu ſuper eſſentiæ omnia ſuperantis ſancita eſt, vt in vnaquaque hierarchia primi ſint, & medij, & poſtremi ordines, ac virtutes, & inferiorum ſint diuiniores initiatores, & manuductores ad diuinum aditum & illuſtrationem & communicationem.* Deinde idem Dionyſius eiuſdem libri cap. 7. 8. & 9. quæ loca in vindiciis turbatis aliquantulum numeris Typographus ediderat) paſſim ſuperiores Angelos ἀρχικῶς erga inferiores ſe gerere, ſeu cum imperio, ἡγεῖσθαι καὶ ἐπιστατεῖν, *præſidere & præcipere docuit.* etiam cap. 15. vbi fusè ſuperiores inferioribus ἱεραρχεῖν, inferiores verò ἱεραρχεῖσθαι demonſtrat. Athanaſius libello de communi eſſentia Patris, Filij, & Spiritus ſancti prope finem hierarchiam Angelicam ita nobis deſcribit, vt nullus ſit eorum ordo, qui non ſubiiciatur, nullus qui non præſit, οἱ μὲν θρόνοι καὶ τὰ Σεραφὶμ, καὶ τὰ Χερουβὶμ ἀμέσως παρὰ Θεοῦ μανθάνουσιν, ὡς πάντων ἀνώτερα καὶ Θεῷ πλησιάζοντα, ταῦτα δὲ διδάσκει τὰ κατώτερα τάγματα, καὶ οὕτως ἐφεξῆς τὰ ἀνώτερα διδάσκει τὰ κατώτερα. τὸ δὲ κατώτερον τάγμα εἰσὶν οἱ Ἄγγελοι. οἱ καὶ τῶν ἀνθρώπων ὄντες διδάσκαλοι. *Throni ſcilicet Cherubim & Seraphim, qui continuò, & ſine vllo mediatore, aut interprete à Deo condiſcunt, vt pote cæteris ſublimiores & Deo propinquiores, & ab iis erudiuntur inferiores ordines atque ita cæteri pro ſuo gradu. Poſtremi autem omnium ſunt Angeli, qui & hominum pædagogi ſunt cenſendi.* Quæ omnia repetit iiſdem ferè verbis reſponſione ad interrogat. 31. quæſtionum ad Antiochum. Nazianzenus ſimiliter oratione 26. & in Angelis ordinem iſtum ſuperioris & inferioris eſſe teſtatur. Fusè etiam Gregorius Magnus prælationis & ſubiectionis gradibus Angelorum diſtinctiones metiri oportere diſſerit homil. 34. in Euang. quod expreſſiùs affirmat Principatuum & Dominationũ (quos in ſecunda hierarchia ordines ſtatuit) nomen explicans iis verbis: *Principatus etiam vocantur, qui ipſis quoque bonis Angelorum Spiritibus præſunt, qui ſubiectis aliis, quæ ſunt agenda diſponunt, eis ad explenda diuina miniſteria principantur. Dominationes autem vocantur, qui etiam Poteſtates diſſimilitudine altâ tranſcendunt. Nam principari eſt inter reliquos priorem exiſtere: dominari verò etiam ſubiectos quoſque poſſidere. Ea ergo Angelorum agmina, quæ mirâ potentiâ præeminent, pro eo quòd eis cætera ad obediendum ſubiecta ſunt, Dominationes vocantur.* Quod etiam eleganter explicat lib. 28. Moralium cap. 2. *In conſpectu conditoris Angelica miniſteria ordinata graduum diſpoſitione diſtincta ſunt: vt & pro communi fœlicitate, beatitudinis opificem ſuum ſimul videntes gaudeant: & tamen pro diſpoſitione dignitatis alij aliis ſubminiſtrent. Ad Prophetam Angelus Angelum mittit, & quem ſecum de Deo gaudere communiter conſpicit, & docet, & dirigit: quia eum & per ſuperiorem ſcientiam virtute cognitionis, & per præſtantiorem gra-*

tiam culmine poteſtatis excedit. Nec minus clarè idipſum annuit Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. ſentent. c. 12. *Inter Angelos*, inquit, *diſtantia poteſtatum eſt, pro graduum dignitate miniſteria eiſdem ſunt diſtributa, aliique aliis præferuntur, tam culmine poteſtatis, quàm ſcientiâ virtutis. Igitur alij aliorum præceptis obediunt, atque iuſſu.* Idipſum etiam aſſerit S. Ephrem oratione ad correctionem eorum, qui vitioſè viuunt, & honores appetunt: *Nam*, inquit, *ſi in cælis etiam, vbi omnes incorrupti & immortales, cùm miniſtratorij ſint Spiritus, noluit Deus vnicum cunctorum eſſe ordinem, ſed in iis quoque Poteſtates inſtituit & Dominationes, nulluſque ſibi præſcriptum ordinem excedit, cùm omnia debito ibi modo & ordine conſtituta ſint: cur nos iniuſtis in inuicem contentionibus exercemur? Angeli & Archangeli imperata ſibi non tranſgrediuntur; at nos inuicem collidimur*, &c. Ex ordine hierarchiæ cæleſtis Gregorius Magnus ordinem prælationis & ſubiectionis in Eccleſia ſeruandum concludit lib. 4. indict. 13. epiſt 52. *Quia verò*, inquit, *quæque creatura in vna eadémque qualitate gubernari, vel viuere non poteſt, cæleſtium militiarum exemplar nos inſtruit: quia dum ſunt Angeli, & ſunt Archangeli, liquet, quòd non ſunt æquales, ſed in poteſtate & ordine, ſicut noſtis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos, qui ſine peccato ſunt, iſta conſtat eſſe diſtinctio; quis hominum abnuat, huic ſe libenter diſpoſitioni ſubmittere, cui nouit etiam Angelos obedire?* Item Bernardus lib. 3. de conſideratione cap. 4. *Nec vilem reputes formam hanc, quia in terra eſt, exemplar habet in cælo*, &c. *ego enim propter ſimilitudinem dictum reor, quod ſicut illic Seraphim & Cherubim, cæteri quique vſque ad Angelos, & Archangelos ordinantur ſub vno capite Deo: ita hîc quoque ſub vno ſummo Pontifice Primates, vel Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Presbyteri vel Abbates, & reliqui in hunc modum. Non eſt paruipendendum quod, & Deum habet auctorem, & è cælo ducit originem.* & libro de ordine vitæ, *Si enim Angelus Angelo imperat, & inter iubentem & obedientem ſumma manet concordia, videat ille, quàm grauiter peccat, qui debitam ſuis maioribus exhibere reuerentiam non curat.*

§. II.

Cellotij obiectiones & criminationes ſoluuntur,

AT, inquit, Cellotius lib. 2. cap. 13. vltimus ſaltem tertiæ hierarchiæ Angelus non habet ſubditos, igitur hierarchia abſque ſubditis conſiſtit. Vlteriùs vrget cap. 14. etiam circa Deum hierarchicè, beatos iſtos Spiritus occupari, eum laudando, magnificando, clarificando, benedicendo; ergo ſaltem hierarchia non conſiſtit formaliter in eo quòd habeat ſubditos. 3. inſtat cap. 16. Et ſi ſuperiores Angeli in inferiores agant, tamen ab iis ordinibus procul abeſſe iuriſdictionem, & principatum hierarchicum, ſiquidem prohibitionis, minarum, coërcitionis, furi interni, aut externi, nullam in pacatiſſima pacis viſione mentionem eſſe; quorſum igitur nos hierarchiam omnem ad ordinem & iuriſdictionem reducimus? Varia iis obiectionibus interſerit, dicacitate & mordacitate pleniſſima, vt cùm acriùs me inſectatur, quòd tertiam hierarchiam Angelicam impropriè hierarchiam eſſe, ſublato ad homines reſpectu, dixerim, eámque ſiſtendo in ſolis Angelicis ordinibus hierarchizatam, non hierarchizantem. Quæ omnia hîc accuratiùs, breuiter tamen expendenda ſunt, meaque mens aperienda clariùs, quàm vt pote in re extranea propoſito, non exactè aperueram. Primùm ergo diſtinguenda ſunt, quænam in obiectione à me dicta ſunt, quænam in reſponſione; neque enim opus eſt, vt quæ in obiectione habentur, ea omnia mea ſint. Obiectio præſertim nitebatur auctoritate Gerſonis triplicem hierarchiam iis verbis diſtinguentis de poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione 9. *Tres primi ordines hierarchizant, non hierarchizati ab aliis; tres medij hierarchizantur & hierarchizant; tres infimi hierarchizantur, & non alios hierarchizant.*

Hanc ſententiam Gerſonis tanquam communi omnium ſententiæ contrariam impetit Cellotius, docens Principatus Archangelos, hos Angelos illuminare, quibus conſentaneè docere debet Seraphim illuminare Cherubim, Cherubim Thronos. Sed res iſta non adeò conſtat ac ipſe putat, nam ſententiæ Gerſonis fauet ipſe Hieronymus, dum cap. 6 cæleſtis hierarchiæ docet primam hierarchiam εἶναι τὴν περὶ Θεὸν οὖσαν ἀεὶ καὶ πρὸ τῶν ἄλλων ἀμέσως ἑνοῦσθαι παραδεδομένην, *Circa Deum ſemper exiſtentem*

Digitized by Google

& præ cæteris ei nullâ re interiectâ coniunctam eſſe. *Eodem quoque capite primam hierarchiam* ex tribus conſtantem ordinibus, ait, *vnam & eiuſdem generis*, ἕνα καὶ ὁματαγῆ: eámque totam, ταῖς πρωτουργοῖς τῆς θεαρχίας ἐλλάμψεσιν ἀμέσως προσεχῆ νeveρα nuncupat, *Primoribus effectiuis diuini Principatus ſplendoribus immediatè coniunctam.* Fuſiùs quoque cap. 7. toti primæ hierarchiæ proprium facit edoceri à Deo, ideóque hierarchia iſta πάσης ὑφέσεως ἀμιγὴς ab illo dicitur, *nihil ſubiectionis admixtum habens*: ſeu non hierarchizata, capite quoque 8. mediam hierarchiam à prima purgari, perfici & illuminari aſſerit, & cap. 9. Angelorum primam hierarchiam circa ſecundam hierarchicas functiones exercere: ſecundam tertiæ, tertiam hominum hierarchiis imperare dicit, ac ſi diceret erga homines ſolùm hierarchizantem eſſe, quod ipſum repetit cap. 10. Athanaſius ſupra tres primæ hierarchiæ ordines, nullo interprete aut mediatore, à Deo immediatè condiſcere, non alios ab aliis diſcere teſtatur: quod etiam Gregorius homil. 32. in Euangelia ordines totius ſuperioris hierarchiæ ab intimis *numquam recedere, numquam mitti docet, ſic contemplatione intimâ perfrui, vt ad explenda foras opera minimè mittantur.* Legi tamen aliquando mitti, vtrùm verò per ſeipſos mittantur, an verò mitti dicantur, *quòd per ſubiecta agmina agantur, quæ in eo, quòd à maioribus veniunt, maiorum vocabula ſortiuntur*; determinare non audet. Angelos item ab Archangelis in eo diſtinguit, quòd hi ſumma, illi minima annuntient. D. Thomas quæſt. 108. art. 6. in corpore, tres iſtas hierarchias ita diſtinguit: quia *prima hierarchia accipit rationes, verum in ipſo Deo: ſecunda verò in cauſis vniuerſalibus: tertia verò ſecundum determinationem ad ſpeciales effectus.* Quod ipſum dixerat fuſiùs art. 1. in corpore, & propter iſtam rationem primam hierarchiam ſecundum Dionyſium cap. 7. cæleſtis hierarchiæ, immediatè ad Deum extendi, & quaſi in veſtibulis Dei collocari aſſeuerat: ibidem quoque Principatus ab Angelis & Archangelis diſtinguit, quòd regnis & nationibus præſideant, quam diſtinctionem clariùs tradunt Bonauentura in 2. diſt. 9. in explicatione textus. Richardus ibid. q. 2 & alij, ordines iſtos diſtinguentes, quòd Principatus regnis, Archangeli prouinciis, Angeli ſingularibus hominibus præſint. Sed & Richardus explicare videtur clariùs hanc ſententiam D. Thomæ de diſtinct. trium hierarchiarum, dicens primæ hierarchiæ Angelos *in Deo non tantùm videre rationes, ſecundum quas Deus de lege communi regit aliquas partes mundi determinatas, vel vniuerſum orbem, ſed etiam rationes, quibus prædicta regit, ſecundum leges, quas diſpenſat ex priuilegio ſpeciali.* ſecundæ hierarchiæ, *Quamuis in Deo non conſpiciant rationes, quibus Deus regit vniuerſum & eius partes determinatas ſecundum leges, quas diſpenſat ex priuilegio ſpeciali, ſed eis reuelatur à Deo, mediantibus Angelis primæ hierarchiæ, tamen in Deo immediatè conſpicere rationes, quibus Deus regit vniuerſum de lege communi. Denique tertiæ hierarchiæ ſpiritus, nec ad primam, nec ad ſecundam cognitionem attingere; ſed tantùm immediatè conſpicere in Deo rationes, quibus Deus regit vniuerſum de lege communi.* Quæ ſententia, ſi vera eſt, videtur nullus ordo primæ hierarchiæ illuminatione alterius egere, quandoquidem Deus eos Arrianas rationes gubernationis ſuæ edoceat. Secundæ verò hierarchiæ ſpiritus eas, quas neſcit ſpeciales rationes, à ſolis primæ hierarchiæ ordinibus edoceri: ſicut etiam tertiæ ordinis, nonniſi à ſecundæ ſpiritibus illuminari. Ipſe quoque D. Thomas art. 6. ad 4. explicationem Principatuum à Gregorio traditam, quòd bonis ſpiritibus præſint, virtutibus mediæ ſcilicet hierarchiæ conuenire affirmat, quibus quædam fortitudo conuenit, dans efficaciam inferioribus ſpiritibus ad exequenda diuina myſteria, quaſi nempe vis & efficacia hierarchica non vni ordini tertiæ hierarchiæ in aliam, ſed ſuperioris hierarchiæ alicui ordini tribuenda ſit. Suares quoque lib. 1. de Ang. c. 13. n. 10. *Probabile eſſe*, ait, *Angelos ſecundi ordinis, dictos eſſe Archangelos, propter aliquam maiorem dignitatem in opere miniſtrandi, non propter aliquam poteſtatem, quam habeant in Angelos primi ordinis, quaſi ad regendos vel mouendos illos: nam Angeli ad cuſtodiendas priuatas perſonas deputantur, Archangelis verò Regum, Principum, Pontificum, & ſimilium perſonarum cura committitur; Angeli ad priuata beneficia communium hominum, Archangeli verò ad grauiora negotia & publica commoda hominum deſtinantur.* Contraria verò ſententia iis auctoritatibus nititur. Dionyſius apertiùs eam docere videtur cap. 7. cæleſtis hierarchiæ, vbi loquens de ordine Seraphim ait, ipſum propinquiſſimum eſſe Deo, ideóq; ſubdit, ὡς πρωτούργοις θεοφανείας καὶ τελειώσεως εἰς αὐτὴν ὡς ἐγγυτάτην ἀρχικῶς προσεχομένην, *Primas effectrices Dei reuelationes & initiationes ad eum, vt maximè vi-*

Digitized by Google

cinum principaliùs transferri. Quo etiam capite de ordine Cherubim affirmat eum habere vim largè communicandi inferioribus ſapientiam: Item ſub finem capitis ait primum ordinem eos, qui deinceps ſequuntur, ſcientiæ ſuæ participea facere, cap. 9. ſecundam hierarchiam tertiæ imperare affirmat. Tertia verò, quæ ex Principatuum, Archangelorum & Angelorum ordinibus conſtat hominibus δι' ἀλλήλων ἐπιςατεῖν, id eſt, *vno per alium præſidere.* cap. verò 10. ex eo quod ſcribitur Iſaiæ *6. Seraphim clamare alter ad alterum*, infert, ὅτι τῆς θεολογικῆς γνώσεως πρῶτοι τοῖς δευτέροις μεταδιδόασι, *Quòd Theologicarum notionum primi ſecundos participes faciant.* item cap. 12. ordines ſubditos Cherubim participes fieri cognitione cum reſpectu ad ipſos: cap. 13 ſequentibus ordinibus omnibus Seraphim ſuæ lucis ſplendorem eximiè & prius cæteris communicare, omnéſque ſacras expiationes, 1. Seraphim, vt auctori tribui debere contendit. Iis ſimilia paſſim leguntur apud S. Maximum Dionyſij commentatorem, quæ omnia probant non ſolùm ſubiectam eſſe vnam hierarchiam alteri, verùm etiam ordines vnius hierarchiæ ſuperioribus eſſe ſubditos, ab iiſque purgari perfici, illuminari, ſeu ἱεραρχεῖν, id eſt, vt loquitur Gerſon, *hierarchizari*, imò & in vno & eodem ordine poſſe vnum aliquem ſuperiorem inferiorem alium ſeipſo inferiorem illuſtrare. 2. Athanaſius videtur idipſum ſentire locis citatis, aſſerens ſiquidem ordines inferiores deinceps ſemper doceri à ſuperioribus: videtur id etiam de ordinibus intelligere, non ſolùm de hierarchiis; concludit enim Angelos infimos eſſe, eóſque hominum eſſe Doctores. Quibus verbis inſinuare videtur, eos à ſuperioribus illuminari, & quia alios Angelos ipſi illuminare non poſſunt, hominum illuminandorum curam eis eſſe demandatam. 3. Gregorius Magnus lib. 4. indict. 13. epiſt. 52. citatâ, Angelos Archangelis ſubditos eſſe non obſcurè inſinuat; nec non homil. 34. in Euangelia citatâ quæ poſt enumerationem iſtorum omnium ordinum ſubdit, *ſupernas iſtas diſtinctiones beatorum Spirituum ita eſſe conditas, vt aliæ aliis ſint prælatæ.* Damaſcenus libro 2 de fide cap. 31. de Angelis hæc habet, *Cæterùm ſplendoris & ordinis ratione inter ſe differunt: ſiue pro ſplendoris portione ſedes illis ſua conſtituta ſit: aliique alios ob ordinis vel naturæ præſtantiam illuſtrent.* Quibus verbis videtur aſſerere non ſolùm hierarchias ſuperiores, verùm etiam ordines inferioribus lucem ſuam communicare. 5. Apertiſſimè Bernardus lib. 4. de Conſideratione cap. 4. vbi Epiſcopos qui Archiepiſcopis, Abbates qui Epiſcopis parere nolunt, hoc modo conſtringit, *Niſi tu forte Angelorum quempiam dicentem audiſti, nolo ſub Archangelis eſſe, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem ſubeſſe cuiquam niſi Deo.* 6. Communiter Patres tam Luciferum, quàm Michaelem Angelorum duces fuiſſe docent, quos ita interpretari, vt inferiorum tantùm hierarchiarum, atque ordinum non eiuſdem etiam hierarchiæ, & ordinis Angelorum rectores ac principes extiterint, vel vt ſingulari quodam priuilegio non ex connaturali ordine inter omnes Angelos ſeruari ſolito, ducatum in cæteros habuerint, minùs eorum menti videbitur fortè conſentaneum: ideóque non tantùm diuerſarum hierarchiarum Angelos inferiorum hierarchiarum alios illuminare, verùm etiam ſuperiorum in eadem hierarchia ordinum, imò & in eodem ordine aliquorum vim iſtam eſſe, ex ſenſu Patrum communi interpretari debemus: ac proinde non ſimpliciter dicendum eſſe tres inferiores Angelorum nullatenus hierarchizare, ſed tantùm infimum ordinem, nec infimum totum, ſed aliquos, vel aliquem ex iſto infimo ordine. 7. D. Thomas quæſt. 108 citat. art. 5. ad 3. Principatus tertiæ hierarchiæ, *Cæterorum ductores* eſſe aſſerit *cum ordine ſacro: illi enim qui alios ducunt, primi inter eos exiſtentes, Principes propriè vocantur, ſecundùm illud Pſalmi 67. Præuenerunt Principes coniuncti pſallentibus.* Ibidem ad 4. docet, *Archangelos dici quaſi principes Angelos, quia reſpectu Angelorum ſunt Principes, reſpectu verò Principatuum ſunt Angeli.* Similia plura habentur apud cæteros Theologiæ Scholaſticæ Doctores: quorum tamen plurimi ita exponi poſſunt, vt per accidens tantùm propter maius bonum & vniuerſalius quod procurant ſuperiores ordines tertiæ hierarchiæ, cùm è contrà inferiores tertiæ bona minora minúſque vniuerſalia faragant; conſentaneum eſſe, vt in iis inferiores ſuperioribus obſequantur, quemadmodum interpretatur Suarez loco cit.

Probabiliorem longè poſteriorem iſtam ſententiam arbitror, vt pote quæ ordini magis faueat, & ordinatiorem Angelorum ſocietatem conſtituat. Alteram tamen ſi quis defendet, abſit *vt omnium conuitiis vapulet*: quemadmodum ait Cellotius, cap. 13.

citato

Digitized by Google

citato, omnium ſcilicet animos ex ſuo metiens; eum potiùs ab omni reprehenſione immunis futurus ſit, qui hoc ſenſerit. Quantò temperatior Cellotio Auguſtinus, qui in Enchiridio ad Laurentium cap. 57. in quæſt. magis enodata, non facilè ſe quemquam reprehenſurum, nec facilè quidquam certi ſe pronuntiaturum profitetur iis verbis, *Quomodo autem ſe habeat beatiſſima illa, & ſuperna ſocietas, quæ illi ſint differentiæ perſonarum, vt eum omnes tanquam generali nomine Angeli nuncupentur,* &c. *ſint tamen & ibi Archangeli: & vtrùm iidem Archangeli nominentur Virtutes,* &c. *& quid inter ſe diſtent quatuor illa vocabula, quibus ipſam cæleſtem ſocietatem videtur Apoſtolus eſſe complexus, dicendo ſiue ſedes, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates, dicant qui poſſunt: ſi tamen poſſunt probare quid dicant: Ego me iſta ignorare confiteor.* Et libello aduerſus Priſcillianiſtas & Origeniſtas ad Oroſium cap. 11. *Altiora*, inquit, *te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris, ſed quæ tibi præcepit Dominus, illa cogita ſemper, vt magis in iſtis temeraria præſumptio, quàm cauta ignoratio culpanda videatur. Certè ait Apoſtolus; Siue Sedes, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates: & eſſe itaque Sedes, Dominationes, Principatus, Poteſtates in cæleſtibus apparatibus firmiſſimè credo, & differre inter ſe aliquid indubitatâ fide teneo. Sed quo me contemnas, quem magnum putas eſſe Doctorem, quænam iſta ſint, & quid inter ſe differant, neſcio. Nec eâ ſanè ignorantiâ periclitari me puto, ſicuti in obedientia, ſi Domini præcepta neglexero,* &c.

Abſit itaque vt alterutram ſententiam, qui defenderit, *conuitiis omnium vapulet*: quamuis, vt dixi, probabilior mihi poſterior ſententia longè videatur, quæ poteſt dici non diſplicuiſſe Gerſoni; quem explicate licet, quaſi tres infimos ordines collectiuè ſumptos nullos Angelos hierarchizare docuerit, licèt diſtributiuè ſumptos aliquos putà ſuperiores hierarchicam auctoritatem in inferiores habere poſſe crediderit. Eodem modo & ipſum Angelorum ordinem Dionyſius complere & determinare omnes cæleſtium naturarum ordines ac diſtinctiones, & extremo loco nuntiandi hominibus proprietatem obtinere docet cap. 9. cæleſtiæ hierarchiæ quamuis & inter ipſos ſecundum iſtam ſententiam aliqui ſint extremi; alij verò ab hominibus remotiores ſint, qui & nuntianda hominibus non ipſi annuntient, ſed inferioribus patefacienda commendent. Quam explicationem qui renuerit, Dionyſium eiuſdē, quo Gerſonem falſitatis incuſet, neceſſum eſt iiſdem ferè verbis vtentem cap ſcilicet 15. ſupremæ cæleſtium naturarum deſcriptiones ἱεραρχούσας, *ſeu præſidentes & hierarchizantes*, & ἱεραρχουμένας, *ſeu hierarchizatas & ſubditas* aſſerendo, medias verò modò hierarchizatas, modò hierarchizantes eſſe, quod ipſiſſima eſt Gerſonis ſententia. Quid autem ſenſerit Gerſon noſtra parùm intereſt; ego enim duntaxat ſupponendo ſententiam Gerſonis, cámque minimè exponendo vel approbando reſpondi, nullatenus ex ipſa quocunque modo explicata ſequi hierarchiam propriè dictam eſſe, quæ actiuâ virtute careat, tertiámque hierarchiam collectiuè ſumptam impropriè hierarchiam dicendam, quatenus nempe ei competit hierarchizari, non hierarchizare: quòd ſi eius ordinibus hierarchizare conueniret, non negauimus, quin propriè hierarchiæ titulo gauderent, ſed duntaxat iis, quibus conueniret paſſiua hierarchizatio, non actiua, hierarchiæ ſtrictè ſumptæ rationem denegauimus. Addidimúſque id reſpectu Angelicæ hierarchiæ, prout in ſeipſa concluditur intelligendum eſſe: etenim vt ad homines refertur nullum eſſe Angelicum ordinem, nullum Angelum, cui non hierarchia ſeu *ſacer Principatus*, ſaltem in homines conueniat. Quæ doctrina noua non eſt, ſed Patrum & Theologorum, qui ante me ſcripſerunt, qui omnes hierarchiam propriè dictam in actiua virtute conſtituunt, eíque proprium munus adſcribunt, ἱεραρχεῖν, οὐχ ἱεραρχεῖσθαι, *hierachizare, non hierarchizari*, vt ſuperiùs paſſim oſtendimus.

In eóque diuinus ordo magis elucet, quòd Angelicam & humanam hierarchiam ita coniunxerit, vt quemadmodum diuina hierarchia non intra ipſum Deum exercetur, ſed ad creaturas extra ipſum fertur, ita hierarchiam Angelicam poſtquam in ſeipſa completa fuit, in homines extendi oporteat, vt Principatus eius amplitudo cernatur, & per Angelicam hierarchiam humana Deo ſocietur. Quod eleganter deſcribit nobis Dionyſius capite nono libri citati de cæleſti hierarchia, docens Principatuum, Angelorum, & Archangelorum ordines ſuperiorum interpretes, hominum hierarchiis vni per alium imperare, ἵν' ἡ κατὰ τάξιν ἡ πρὸς Θεὸν ἀναγωγή, καὶ ἐπιστροφή, καὶ κοινωνία, καὶ ἕνωσις, καὶ μὲν, καὶ ἡ παρὰ Θεοῦ πάσαις ταῖς ἱεραρχίαις ἀγαθοπρεπῶς ἐνδιδομένη, καὶ κοινωνικῶς ἐπιφοιτῶσα, καὶ μετ' εὐκοσμίας ἱερωτάτης πρόοδος.

Digitized by Google

dos, Vt ſit ordine & exercitio in Deum & conuerſio, & cum eo ſocietas & vnio, non à Deo omnibus hierarchiis optimè indita, & cum communicatione ſuperueniens, & cum ſanctiſſimo decore progreſſio. Confirmátque Athanaſius locis citatis, quibus ita Angelicam hierarchiam cum humana coniungit, & vltimi beatorum ſpirituum τῶν ἀνθρώπων διδάσκαλοι, *hominum præceptores exiſtant.* Itaque Principatus ſacer propriè dictus ſubditos habere debet, ipſique Angeli eatenus principatu iſto potiuntur, quatenus vel ſubditos habent Angelos, vel homines: quatenus enim ipſi Deo ſubiiciuntur vel Angelis ſuperioribus, neutro reſpectu propriè loquendo principatus participes ſunt, nec, vt ex Dionyſio oſtendimus, hierarchizant, ſed ſolùm hierarchizantur, rationémque ſubiectionis nanciſcuntur ad principatum quidem neceſſariam, non vt eius partem, ſed vt oppoſitam relationem: eodem ſcilicet modo, quo filiatio paternitati neceſſaria eſt, & paternitas filiationi, quæ tamen viciſſim opponuntur, vnde quemadmodum filius ſub ea ratione non eſt paternitatis particeps, nec pater filiationis; ita nec ſubiectionis ordo, hierarchiæ ſub ea ratione, ſeu ſacri Principatus particeps dici poteſt. Quam veritatem confirmat, quod fatetur ipſe Cellotius lib. 2. cap. 4. poſt reſurrectionem hominum generalem, nullas hierarchias Angelicas fore quoad officia illa & actiones, quæ in prioribus ſtatibus habentur, id eſt, ſecundum rationem hierarchicam, quæ in officiis, muniiſque conſiſtit; quamuis remaneat iſta inæqualitas naturæ, gratiæ, & gloriæ, quam fundamentum fuiſſe diſtributionis inæqualis iſtorum officiorum probabile eſt, cui conſentit Apoſtolus 1. Corith. 15. ita de iſtis ordinibus hierarchicis loquens, ac ſi in eo ſtatu remanere omninò non debeant. *Deinde*, ait, *finis, cùm tradiderit Chriſtus regnum Deo, & Patri, cùm euacuauerit omnem principatum & poteſtatem, & virtutem. Quod idem eſt*, inquit Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 8. à Cellotio citato, *ac ſi diceretur, cùm perduxerit credentes ad contemplationem Dei & Patris*, &c. *tunc reuelabitur Filio Pater, cùm euacuauerit omnem Principatum, & omnem poteſtatem & virtutem, id eſt, vt neceſſaria non ſit diſpenſatio ſimilitudinum per Angelicos Principatus, & Poteſtates, & Virtutes.* Cui interpretationi Anſelmum in eum locum, Alenſem ſecundâ parte quæſt. 41. memb. 4. art. 19. ſanctum Thomam primâ parte quæſt. 108 artic. 7. idoneos teſtes Cellotius adiungit. Ex quibus arguere in hunc modum licèt, *Si quandiu*, vt loquitur Anſelmus, *præſentis vitæ conuerſatio tenetur, neceſſarios hactenus Angelicos Principatus, & Poteſtates, & Virtutes habemus, per quorum diſpenſationem gubernemur, & bona opera & mala ſuperare poſſimus, & ideò in futuro ſæculo euacuabuntur omnes huiuſmodi prælationes.* Si teſte Auguſtino citato, ſublatâ neceſſitate diſpenſationis reſpectu hominum per Angelos procurandæ, ordines Angelicæ hierarchiæ euacuantur, ſequitur primò nihil eſſe abſurdi, ſi Angelorum hierarchiam ſaltem tertium & vltimum per reſpectum ad homines conſtitui dicamus, eo verò reſpectu ſublato, impropriè tantum ipſam hierarchiam dici; quandoquidem tota diſpoſitio officiorum & ordinum in Angelis propter homines fiat, ad quorum gubernationem Deus quædam ſibi vicinioribus Angelis communicat, quæ ipſi remotioribus patefaciunt, vt per inferiores executioni demandentur. Sequitur 2. nec in actionibus Angelorum erga Deum hierarchiam Angelorum conſiſtere, nec in diuinis gratiis, quas à Deo recipiunt, quippe cùm remanentibus iugiter actionibus ipſorum circa Deum, quibus nempe in perpetuas æternitates ei acclamabunt, gratias agent, laudes concinent, cæteriſque eiuſmodi actionibus cultum indeficientem & venerationem impendent, remanentibus circa ipſos diuinis influxibus; hierarchica tamen diſpoſitio, ac diſtinctio ceſſabit. 3. Sequitur in prælatione, & gubernatione hierarchiam ex iſtorum Patrum mente interpretantium Apoſtolorum conſiſtere, qui nempe doceant, nonniſi propter iſtam gubernationem & diſpenſationem ſacram illam ordinationem in Angelis, quam hierarchiam dicimus, inſtitutam eſſe, ciúſque neceſſitate ſublatâ, tollendam ipſam atque euacuandam eſſe.

Quòd ſi aliquando apud diuinum Dionyſium, vel apud S. Thomam legimus in diuinarum illuſtrationum recipiendarum varietate, totius quoq; hierarchiæ cæleſtis diſtinctionem fundari; ex eo demùm concludere licebit, in paſſione radicaliter ordinum hierarchicorum diſtinctionem fundatam, licèt formaliter hierarchiæ ratio in relatione ſuperiorum ad ſubditos conſiſtat. Sicut enim potentia viuendi radicaliter reſpicit animam

cuius eſt proprietas, & à qua naturali emanatione profluxit: formaliter autem reſpicit viſibile, circa quod vt proprium obiectum verſatur, & cuius percipiendi eſſentialiter vis eſt & facultas naturalis. Ita hierarchia omnis ſeu ſacer Principatus radicaliter reſpicit Deum, à quo omnis principatus emanat, & ex quo, vt loquitur Apoſtolus ad Epheſios 3. *omnis paternitas in cælo & in terra nominatur*: reſpicit & ſuperiores, per quos ſcilicet ad inferiores vis omnis hierarchica defertur, principatúſque & virtutis agendi diuina communicatio traiicitur: formaliter autem reſpicit inferiores, in quos agendi vis & officium datur, & propter quos auctoritas, poteſtas, ac dignitas hierarchica conceditur: quos proinde ſubditos, qui non habet, nequaquam dignitatis, vel virtutis hierarchicæ particeps dici poteſt.

Neque verò, dum ſubditos in omni hierarchia tanquam neceſſarios ad Principatus ſacri exercitium, & ſplendorem exigimus, eos ſubditos neceſſariò requirimus, qui minis, coercitionibuſque ducantur: aut eam, in cæleſti præſertim hierarchia, iuriſdictionem, requirimus, quæ contentioſa ſit, litigioſa, & pœnarum inflictrix. Abſit vt hæc vnquam animum noſtrum cogitatio ſubierit, ſed pro conditione ſtatus iuriſdictionem, poteſtatem prælationis diſparem ponimus, & quidem in cæleſti hierarchia inter bonos Angelos eam iuriſdictionem ſeu poteſtatem prælationis, vimque Principatus ſacri deſideramus, quæ in directione & imperio, ſeu in iuſſionum diuinarum manifeſtatione ac promulgatione conſiſtit, vt ex prædictis patet, quamuis & boni Angeli in malos poteſtatem habeant coercitiuam, vt oſtendit Michaelis pugna ac victoria cum dæmonum Principe, Apocalyp. 12. & ligatio Satanæ ab Angelo bono, Tobiæ 8. & Apocalypſis 20. & explicatio nominis poteſtatum à Gregorio tradita homilia 34. in Euangelia, iuxta quam nempe, *Poteſtates vocantur, hi qui hoc potentiùs cæteris in ſuo ordine perceperunt, vt eorum ditioni virtutes aduerſæ ſubiectæ ſint, quorum poteſtate reformantur, ne corda hominum tantùm tentare præualeant quantum poſſunt.* Quod ipſum tradunt pariter Auguſtinus libro 20. de Ciuit. cap. 7. Item ſanctus Gregorius lib. 2. Moralium cap. 11. & ſequentibus, & lib. 4. cap. 11. Andræas Epiſcopus Cretenſis in 20. caput Apocalypſis, Beda in caput 8. Tobiæ, D. Thomas primâ parte, quæſt. 64. art. 4. ad 3. & lib. 4. contra Gentes cap. 90. Abulenſis in cap. 20. Math. quæſt. 506. & alij. Extenditur etiam eorumdem Angelorum bonorum principatus, nonnunquam ad coercendos homines, eoſque caſtigandos, quemadmodum variis exemplis conſtat, quæ tum ex Scripturis ſacris, tum etiam ex vitis Patrum colligi poſſunt.

Similiter autem eſto Principatus ſacer hominum coercitiuam poteſtatem nonnunquam includat, quando nempe, omnis generis iuriſdictionem includit, & culpam reperit, quam plectat, nihilominùs ex prædictis patet ſufficere aliquando ad Principatum ſacrum reſtrictam ſaltem, ac limitatam poteſtatem perficiendi actus legitimos, cum aliqua poteſtate immutandi perſonas ſibi ſubiectas, ſeu ſufficere vim, auctoritatem & facultatem dirigendi homines ad ſuum finem, etiam ſine coercitione cum ordine hierarchico coniunctam; nec eſſe neceſſum, vt qui imperandi poteſtatem habet, & obligandi, illicò coercendi, puniendi, & in foro exteriori iudicandi habeat poteſtatem; nam nec Curati ſecundum hodiernam Eccleſiæ conſuetudinem forum habent externum, aut legiſlatiuam poteſtatem, quamuis iuriſdictionem habeant, ratione poteſtatis, quam habent, tum abſoluendi in foro pœnitentiæ, & ligandi, tum ſubditis imperandi hîc & nunc, quæ ad ſalutem eorum neceſſaria videntur, legéſque ſuperiorum manifeſtandi ac promulgandi: atque ideò ab Eccleſiaſtica hierarchia à nemine reiiciantur: ac proinde nemo noſtrûm aut forum contentioſum aut legiſlatiuam virtutem, aut omnimodam coercitiuam poteſtatem ad Eccleſiaſticam hierarchiam ſimpliciter requiſiuit. Quam ſententiam nobis impingere videtur Cellotius; multominus verò Principatus mutilatus aut imperfectus dici poteſt, ſi coercitiua facultas, ſeu punitiua Principi deſit, defectu culpæ in quam animaduertat, & peccati in quod ſæuiat: neque enim minùs Apoſtolorum Hierararcha fuit S. Petrus, quamuis in illis confirmatis in gratia nihil eſſet, quod plecteret excommunicatione poſſet, nihil quod cenſuris puniret: neque bonorũ minus principes ſunt ſacræ noſtræ Religionis Antiſtites, quàm malorum, quamuis, vt rectè monet S. Greg. l. 1. indict. 9. ep. 24. Ioanni Epiſcopo Conſt. & aliis Patriarchis ita affectus rector

Digitized by Google

eſſe debeat, *vt & benè agentibus ſit per humilitatem ſocius, & contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus: quatenus & bonis in nullo ſe præferat, & cùm prauorum culpa exigit, prioratus ſui poteſtatem agnoſcat: vt & honore ſuſpenſo, æqualem ſe ſubditis benè viuentibus deputet, & contra peruerſorum culpas, ex zelo iuſtitiæ creſcat*, &c. Quæ eadem ferè inculcat homil. 18. in Ezechiel. & part. 2. paſtoralis curæ cap. 6. Repetit verò lib. 7. epiſt 64. iis verbis, *Si qua culpa in Epiſcopis inuenitur, neſcio quis Epiſcopus Sedi Apoſtolicæ ſubiectus non ſit: cùm verò culpa non exigit, omnes ſecundum rationem humanitatis æquales ſunt.* Quidni igitur Principatus Angelicus integer, perfectúſque cenſeatur, quamuis prout inter bonos Angelos exercetur, coërcitionis expers ſit: non quòd non poſſet ſuperior Angelus inferiorem coercere, ſi delinqueret, cùm & malum Angelum aliquando corripiat & flagellet dum delinquit, ſed quod in iſto ſtatu beatiſſimo, quo pacificè perfruuntur omnes, nec ipſi delinquere, nec diuinæ voluntati contradicere, nec inter ſe rixari, vel ſeditioſè contendere poſſint.

ARTICVLVS V.

Id vltimo probatur exemplo hierarchiæ legalis, & digreſſione quadam calumniæ circa Religioſos & Prophetas obiectæ diluuntur.

§. I.

RATIO PROPONITVR.

VLTIMVM argumentum, quo hierarchiam nouæ legis ordinationem eſſe superiorum & inferiorum probamus, ita vt regentium & initiantium ſacer Principatus dici, & ſuperiorem quemdam in ſubditos auctoritatem continere debeat, ſumitur ab exemplo hierarchiæ legalis, qualis à Moſe diuini numinis interprete compoſita, atque ordinata fuit: hæc ſiquidem Principatus fuit, cum ſubiectione, in cáque ſoli ſacri Myſtæ, quibus ſacerdotalis ordinis viri reſpondent, Principatus ſacri & hierarchiæ propriè participes dicti ſunt. Audiatur Dionyſius cap 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ ταύτῃ δὲ τῇ κατὰ νόμον ἱεραρχίᾳ, τελετὴ μὲν, ἡ πρὸς τὴν πνευματικὴν λατρείαν ἀναγωγή, χειραγωγοὶ δὲ πρὸς ταύτην καὶ τὴν ἁγίαν ἐκείνην σκηνὴν ὑπὸ Μωσέως ἱερῶς μυηθέντες, τοῦ πρώτου τῶν κατὰ νόμον ἱεραρχῶν μύστου τε καὶ ἡγεμόνος. *Ea verò ſecundum legem hierarchia, conſecratio quidem ſeu cerimonia, & ad ſpiritalem cultum introductio, duces autem ad eum ij fuerunt, qui ſacri illius tabernaculi ritum à Moſe primo Hierarcharum ſecundum legem Myſta, ſeu initiatore, ac duce didicerant.* Audiatur Gregorius Nazianzenus oratione 26. circa medium, vbi ſcilicet ordinem in Eccleſiis neceſſarium eſſe, vt alij iubeant, alij pareant, alij doceant, alij diſcant, perſuadere nititur exemplo veteris Teſtamenti, in quo vnus cæteris præerat Aaron, ſub quo Leuitæ alij præſtantiores diuini myſterij partes implebant, καὶ οὐδὲν ἀόριστον, οὐδὲ ἄτακτον, οὐδὲ τῶν ἐλαχίστων, *Nec quicquam non diſtinctum, non ordinatum erat, nequidem minimarum rerum.* Innumeros eiuſdem ordinis teſtes Iudæos Chriſtianóſque citare poſſem, ſi res iſta dubia vel controuerſa foret; ſi non à Cellotio lib. 3. cap. 2. doceretur, qui hierarchiam agentium in ordine ſacerdotum & Leuitarum præſertim conſtituit: quibus Prophetas adcenſet, eóſque nec ordine valdè diſpares, nec iuriſdictione inferiores. Et tamen quaſi ſacerdotij Chriſtiani vis minor eſſet, aut neceſſitas, hierarchiæ agentium in noua lege plurimos infert nullo ordine inſignitos nullâ prælatione illuſtres, nullâ iuriſdictione cæteris valentiores, ſcilicet in noua lege abſque auctoritate hierarchicarum functionum particeps aliquis erit; & tamen in veteri, ſi credimus Cellotio parag. 1. publicè vaticinandi auctoritas deſiderari videtur, vt actio illorum hierarchica dici poſſit.

Digitized by Google

§. II.

Criminationes Cellotij aduerſus Aurelium occaſione Prophetarum refelluntur.

OCCASIONE verò Prophetarum Aurelium primùm Cellotius aggreditur, Prophetas ab hierarchia legali ablegantem: tum in me tanquam artificiosè in Religioſos contumelioſum inuehitur, in vtrumque contumelioſus & fallax.

Vtrique primùm imponit, quaſi Prophetas quoſque in veteri lege, regularium typum figurámque eſſe dixerimus. Ita enim in æquiuocatione nominis Prophetæ, ſicut & toto libro in homonymia aliorum vocabulorum ludit, homo æquiuocationis ſtudioſiſſimus, vt quia Prophetarum filios, qui & Prophetæ dicti ſunt, quòd diuinis laudibus canendis aſſiduè incumberent, ſimúlque in communi viuerent, Regularium typum eſſe docuimus, exinde Regulares in locum & dignitatem eorum Prophetarum, qui diuino oleo æquè ac ſacerdotes & reges inuncti eſſent 3. Regum decimo nono, & teſte Innocentio tertio capite vnico *de ſanctà vnctione*, parag. *vnde in veteri*, qui pariter conſecrati, qui à magno Synagogæ Concilio approbati, qui extraordinariæ diuinæ voluntatis in lege, quæ tota ferè prophetica erat, interpretes, publicam auctoritatem, cui auſcultare & credere vnumquemque oportebat, exercebant: in eorum, inquam locum & dignitatem Regulares nos ſubſtituiſſe concludat. Itáne hæc confundere audes, Ludouice, parag. 1. capitis, quod citauimus: hæccine quia eodem nomine aliquando ſignificantur, eadem tibi munia, officiáque eſſe videntur? eoſne ordines eiuſdem dignitatis & auctoritatis cenſes, quia ambiguo nomine Prophetarum vocantur? hæc tua certè argumentandi ratio iis tantùm placere poteſt, qui errori patrocinari, & fallaciter illudere minùs ſapientibus geſtiunt. Placet eadem tibi æquiuocatio in Aurelij reprehenſione, nam quòd ille negauit Prophetas ad ordinariam legalem hierarchiam pertinere, *quòd nec ſucceſſionem haberent, vnde orirentur, nec quam ex ſe propagarent, ſed extraordinaria, & ſingulari miſſione progeniti, proprias ſeorſim radices agerent, vel non agerent potiùs, ſed individuo & quaſi ſterili trunco vigerent, hierarchiæ ſeu miſſionis ordinariæ legatis non gentilitij, ſiue,* vt Tertullianus loquitur, *collaterales, & ab eodem cum illa auctore Deo propriâ, & æquè propinquâ origine oriundi.* Hæc, quod omnes concedunt, & nominatim Eminentiſſimus Cardinalis Perronius in reſponſione *de vocatione Paſtorum*, iiſdem ferè verbis quibus Aurelius Latinè & Gallicè expreſſit, tu caninâ quadam facundiâ arrodis: Grammaticè primùm diſputando, tum ineptiis potiùs veritatem effundendo, quàm Theologicas veritates Theologicis opponendo. Quòd enim obiicis, ſi opus ſit continuâ ſucceſſione ad ordinariam hierarchiam, nec Preſbyteros, nec Diaconos in hierarchia iſta locum habere, quorum ſcilicet ſucceſſio à Pontificibus ſolùm trahitur, non ab aliis eiuſdem ordinis viris; merum ſophiſma eſt; licèt enim non ordinentur Preſbyteri à Preſbyteris, nec Diaconi à Diaconis, Preſbyterorum tamen & Diaconorum prædeceſſorum ſunt ſucceſſores in eodem ordine, officio, & dignitate, Pontificum ſuffragio, manus impoſitione, & delectu ad illos tranſeuntibus. Eodem modo, quo licèt ſummus Pontifex ſuum ſucceſſorem ordinare non ſoleat, à prædeceſſore tamen mediante electione alterius per Cardinales, & ordinatione ab Hoſtienſi vt plurimùm Epiſcopo, in ſucceſſorem dignitas poteſtáſque Pontificia transfertur, quo etiam modo Epiſcoporum cuiuſlibet Diœceſeos ſucceſſio fieri dicitur: non enim Epiſcopi eiuſdem Eccleſiæ à prædeceſſoribus ſolent, ſed ab aliarum ſedium Epiſcopis, Suffraganei, verbi gratiâ, à Metropolitano, Metropolitani à digniore, vel antiquiore prouinciæ Antiſtite ordinari. Succedere tamen in Eccleſia ſibi dicuntur, in quantum Eccleſiarum iura ac priuilegia ab vno ad alios per manus veluti tranſeunt: ab iíſque continuâ quadam ſerie deducta, qui in eadem Cathedra ſederunt in ſucceſſoribus conſeruari videntur. Quod addis ex Rabbinorum commentis apud Galatinum lib. 1. de Arcanis cap. 1. ſucceſſionem traditionum in Prophetis conſertuatam, rectè ſubiungis Chronologiam ab ipſis ſtatutam te non præſtare; neque enim adeò correcta reperiretur, neque ex ea ſucceſſionem perſonalem in

dignitate Eccleſiaſtica colligere poſſes, ſed doctrinæ, ad quam hæretici noſtri veterum hæreſiarcharum more priore deſtituti recurrunt: cùm tamen ſcias ad hierarchiam ordinariam priorem neceſſariam à Catholicis eſſe iudicatam. Aliquos etiam inter cuſtodes traditionis, quos numeras, ab Hebræis recenſitos refers, quos Prophetas fuiſſe perperàm diceres, totiúſque iſtius ſucceſſionis ratio à te probatæ, nulli ſolido fundamento innititur. Scire quidem debebas & traditionum Hebraicarum fontes alios ab Epiphanio contra Scribas, hæreſ. 15. (quæ eſt 2. Iudaiſmi) referri, & plurima inepta, falſa & inania à Iudæis traditionum iſtarum ſpecie velata irrepſiſſe dici.

In iis quæ addis, ſatis oſtendis Aurelium te nec intellexiſſe, nec *conſanguineorum*, & *collateralium* nomina ab Aurelio probata ſatis tibi nota fuiſſe: quorum poſtremum, vt barbarum, & Latinitati puræ inauditum, ſolâ auctoritate Aurelij fictum pueriliter reprehendis. Etenim alludere voluit Aurelius ad Iuriſconſultorum nuncupationem, qui, vt habetur lib. 1. ff. *de gradibus affinitatis & nominibus eorum*, *gradus cognationis alios ſuperioris ordinis, alios inferioris: alios ex tranſuerſo, ſiue à latere* conſtituunt: ſeu vt dicitur lib. 9. Cod. *de naturalibus liberis*, §. 1. alios *ab eodem patre deſcendentes, vel aſcendentes*, alios *ex latere agnationis vel cognationis iure eius patri coniunctos*. Inter quos certè hæc differentia, quòd deſcendentes per rectam lineam, qui *heredes ſui* dicuntur, longè aliis è tranſuerſo tantùm venientibus ad hereditatem præferuntur: ideóque iuxta hanc acceptionem docuit Prophetas, vt pote qui per rectam lineam Moſaici ſacerdotij, ac gubernationis hierarchicæ minimè deſcenderent, qui nec Aaronici ſeminis traduces haberent, nec originem ſuæ dignitatis in aliquem ab Aarone deſcendentem referre poſſent, tanquam conſanguineos dignitate, ad hierarchiam ordinariam aſpirare minimè potuiſſe, licèt vt conſanguineos doctrinæ, & ex latere venientes ad dignitatem hierarchicam, tanquam ab eodem Deo prognatos, à quo Aaron ipſe ſacerdotij, & hierarchiæ Iudaicæ fons exiſtit, ad eamdem poteſtatem ipſos contendere potuiſſe non neget. Quod ergo de conſanguinitate dignitatis, dixit Aurelius, hoc tu de conſanguinitate carnali intelligis, & refers aliquos Prophetas à parentibus Prophetis oriundos fuiſſe, quod cùm & rarum fuerit, & merè accidentarium, fruſtrà exinde propagatione carnali Prophetas factos fuiſſe colligeres: perperàm Aurelianam propoſitionem exagitas, Prophetas ſacerdotum Moſaicæ legis conſanguineos non fuiſſe, ſed collaterales, quæ ſcilicet conſtat, prætermiſſo ordine Patrum, & familiarum nullâ ratione habitâ, non ab aliis accipientes auctoritatem, neque in alios deriuantes, extra ordinem à Deo variis temporibus excitatos fuiſſe. Hæc cùm nullâ ſolidâ ratione impugnare poſſes, redis ad familiarem tibi, & vnicam ferè agendi rationem, homonymiam nimirum, quâ tectus Aurelium incuſas, quòd Religioſos, nominatimque Ieſuitas, *Collaterales Epiſcoporum* faciat, Collaterales, inquam, *& propriâ origine*, non à Pontificibus oriundos. Quod enim de exemplari fatetur, id eſt, id de Prophetis, de antitypo, putà Ieſuitis, ac cæteris Religioſis ipſum negare non poſſe contendis. Bella ſanè & lepida argumentatio, ſi ſapientiæ aliquid ineſſet. Quæ enim in ea vel ſapientiæ ſpecies eſſe poteſt, vt quod Aurelius de Prophetis, id eſt, hominibus contemplationi vacantibus, & communiter viuentibus, ex quibus vix pauculos dixit ab vxoribus vacaſſe, in cenſura propoſitionis 13. pag 658. quos proinde nonniſi impropriam & imperfectam regularium figuram geſſiſſe cenſuit, tu tanquam de Prophetis, ſeu ſactis fatidicíſque Doctoribus, extra ordinem cum auctoritate miſſis interpreteris, & de perfecta repræſentatione explices, ita vt id omne, quod in exemplari præfuerit, in antitypo expreſſum eſſe oporteat: quæ tamen hæc tua temeritas eſt. vt adeò futilem rationem vrgens in Aurelium magnificâ quadam verborum pompâ declames.

§. III.

Criminationes Cellotij aduerſus auctorem eadem occaſione excogitatæ redarguuntur falſitatis.

NEQVE minùs mihi iniurius es, dum dimiſſo Aurelio, vnam ex propoſitionibus meis carpis nulli non conuitio parcens; hanc ſcilicet propoſitionem excerpis ex lib. 4. c. 1. §. 3. pag. 424. eamque, vt iacet, iis verbis refers, *Non enim ſicut in antiqua lege Deus ex fæce nonnumquam populi Prophetas ſuſcitauit, extraordinariè, qui Synagogæ ſtatum reſtaurarent: ſic in noua lege ſuſcitari opus eſt Prophetas, qui labentem Eccleſiæ ordinem, vt pote indefectibilem corrigant.* Addidi quædam alia, quæ tu omiſiſti ad explicationem ſententiæ meæ valdè neceſſaria, & ad tuam reprehenſionem euitandam conſentanea: verba ſcilicet iſta, *Quæ publica Eccleſiæ oracula ſundant, quibus fidelis populus inſtruatur: verùm Eccleſia à Chriſto & Apoſtolis fundata ſufficienter inſtructa eſt, vt nouis de cætero propheticis oraculis non indigeat,* Ierem. 31. & Ioan. 6. *Non docebit vltrà vir proximum ſuum, erunt omnes docibiles Dei, id eſt, nulla dogmata credenda de cætero proponentur, ſed ea credenda erunt, quæ à Deo edocti, nobis ſcripto aut traditione ſanctiſſimi Apoſtoli & Euangeliſtæ reliquerint.* Quibus verbis explicabam diſcrimen nouæ legis, & veteris (quod in veteri lege præter ſacerdotes ordioarios, Deus excitaret variis temporibus Prophetas duplici de cauſa; quarum prima eſt reſtauratio Synagogæ, quam licet nunquam Deus extingui ſineret, patiebatur tamen plurimùm aliquando obſcurari, ita vt ſacerdotium ordinarium eius priſtino ſplendori reſtituendo minùs ſufficeret, niſi prophetarum operâ iuuaretur: quos proinde Deus variis temporibus extra ordinem excitabat ad componendas res Synagogæ valdè afflictas, quemadmodum contigit tempore Dauidis, Ioſaphati Regis, & Eſdræ, quibus ad componendum etiam ſacerdotij perturbatum ordinem Deus Prophetas ſuſcitauit, cùm è contrà non egeat Eccleſia Catholica Prophetis extra ordinem miſſis, qui miraculorum virtute & Propheriæ dono, ſi ſufficientem ſuæ inſtaurationi hierarchicum ordinem ſemel ſtabilitum inuenit, eiúſque reparationem aggrediantur. Altera eſt, quòd cùm Synagogæ fides amplior, diſtinctior & clarior fieri poſſet, quò vicinior fiebat legi gratiæ, & ad tempora Meſſiæ venturi appropinquabat; ideò neceſſarij erant Prophetæ, qui fidem Iudæorum illuſtrarent & ampliarent tot fidei noua capita cudentes, quot noua vaticinia & Prophetica de Chriſto, aliiſque rebus oracula ſuadebant. At in Eccleſia Catholica, quæ nouas reuelationes non ſuſcipit, ſed traditas veritates cuſtodit, ſi quæ temporum obliuione fortè obſoleſcunt, diuinitùs adſiſtente Dei gratiâ ad lucem reuocat: noui Prophetæ, qui publicam auctoritatem habeant proponendi nouos fidei articulos neceſſarij non ſunt, ſed ſibi ipſi hierarchicum ſacerdotium ſufficit. Quæ differentia vtriuſque legis à Catholicis omnibus traditur, explicatúrque & probatur ab Eminentiſſ. Cardinali Perronio loco à nobis ſuperiùs citato. Et quidem prima ratio differentiæ earum legum eſt, quia nouum Teſtamentum, vt loquitur Apoſtolus ad Hebræos 8. *in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt*, ideoque noua lex minùs quàm Synagoga collateralibus Prophetis, qui in reſtaurando Eccleſiæ ſtatu collaborent, indiget: nec nobis præceprum vnquam fuit, vt Prophetarum publicis vocibus attendamus, ſed Paſtorum: nam, vt rectè Cyprianus epiſt. 69. ad Florentium Propianum docuit, *Chriſtus dicit ad Apoſtolos, ac per eos ad omnes, qui Apoſtolis vicariâ ordinatione ſuccedunt, Qui audit vos, me audit, & qui me audit, audit eum, qui me miſit, & qui reiicit vos, me reiicit, & eum qui me miſit.* In veteri autem lege commoniti fuerant Iſraelitæ, vt Prophetis auſcultarent, eiſque parerent. Altera verò probatur à ſancto Thoma duplici in loco, tum 1. part. quæſt. 37. art. 5. ad 3. vbi hæc habet, *Inter ipſos Prophetas* (veteris legis) *poſteriores cognouerunt, quod priores non cognouerant, ſecundum illud Pſal. 118. ſuper ſenes intellexi: & Gregorius dicit,* (homil. 16. in Ezechielem) *quòd per ſucceſſiones temporum creuit cognitionis argumentum.* ſed expreſſiùs 22. qu. 74. art. 6. in corpore, vbi aſſerit, *quantum ad fidem Incarnationis Chriſti: manifeſtum, quòd quantò fuerunt Chriſto propinquiores, ſiue antè ſiue pòſt, vt plurimùm pleniùs de hoc in-*

ſtructi fuerunt, pòſt tamen plenius quàm antè, vt dicit Apoſtolus ad Epheſios 3. quantum verò ad directionem humanorum actuum prophetica reuelatio diuerſificata eſt, non ſecundum temporis proceſſum, ſed ſecundum conditionem negotiorum: & fuſiùs in reſponſione ad 3. vbi ait, *Quod Prophetæ præ nuntiantis Chriſti aduentum, non potuerunt durare niſi vſque ad Ioannem, qui præſentialiter Chriſtum digito demonſtrauit* Matth. 11. *Et tamen vt Hieronymus ibidem dicit, non hoc dicitur, vt poſt Ioannem excludat Prophetas: legimus enim in Actibus Apoſtolorum & Agapum prophetaſſe, & 4. virgines filias Philippi* (nota nos idem exemplum protuliſſe, pag. 421. à Cellotio citatâ) *Ioannes etiam librum propheticum conſcripſit de fine Eccleſiæ, & ſingulis temporibus non defuerunt aliqui Prophetæ ſpiritum habentes, non quidem ad nouam fidei doctrinam deponendam, ſed ad humanorum actuum directionem.*

Confirmatur hæc doctrina à Tertulliano Catholico de præſcriptionibus cap. 21. & quibuſdam ſequentibus, vbi fusè probat non eſſe nouas iam in Eccleſia reuelationes expectandas, ſed à Chriſto reuelata omnia Apoſtolis, & ab Apoſtolis Eccleſias omnes Apoſtolicas de omnibus fidei veritatibus inſtructas eſſe, atque eam eſſe certiſſimam veritatis fidei inueſtigandæ rationem, vt Eccleſiæ Apoſtolicæ conſulantur, & cuſtoditæ ab eis traditioni acquieſcatur, contrariáque ſententia videtur eſſe error Montani, qui, vt loquitur Tertullianus iam factus hæreticus, & Prophetiſſis Montani fidem adhibens, de virginibus velandis cap. 1. *Iuſtitiam*, dicebat 1. *fuiſſe in rudimentis: deinde per legem & Prophetas promouiſſe in infantiam, dehinc per Euangelium efferbuiſſe in iuuentutem, nunc per Paracletum componi in maturitatem.* Quòd autem Prophetarum diuinorum ope fides apud Iudæos ampliaretur, diffiteri non poteſt, qui ſcripta eorum & oracula, parem auctoritatem apud eos cum lege habere crediderit: itaque vtraque pars diſparitatis inter legem veterem, & nouam ſecundo loco aſſignatæ, nullo ariete concuti, nullo certo ictu conuelli poteſt.

Mihi autem gratulor quòd pari me calumniâ laceſſas, quâ Eccleſiam Catholicam Tertullianus hæreticus afficiebat: cùm enim Catholici Montani Prophetias tanquam publicæ in Eccleſia auctoritatis reſpuerent, ab iiſque dogmatum veritatem peti nollent, eóque ſenſu legem & Prophetas vſque ad Ioannem duraſſe interpretarentur, inclamabat Tertullianus Montani, & Prophetiſſarum eius errore deceptus Catholicos Spiritus ſancti dona reſtringere, Prophetiam tollere, priuatas reuelationes negare, quod tu mihi pari fraude & maledicentiâ obiicis. Audi Tertulliani verba lib. de ieiuniis aduerſus Pſychicos cap. 11. *Sed rurſus palos terminales figitis Deo, ſicut de gratia, ita de diſciplina: ſicut de chariſmatibus, ita & de ſolemnibus: vt proinde officia ceſſauerint, quemadmodum & beneficia eius, atque ita negetis vſque adhuc eum munia imponere, quia & hic lex & Prophetæ vſque ad Ioannem, ſupereſt vt totum auferatis quantum in vobis tam otioſum.* Compara verba iſta cum iis, quibus in me, Prophetiæ publicum in Eccleſia Chriſti poſt Apoſtolos officium tollentem declamas, cum Tertulliani verbis, quibus in Catholicos eadem aſſerentes Montani ſectatores inuehebantur, & reperies doctrinam meam Catholicorum doctrinæ fuiſſe ſimillimam, obiurgationem tuam Montaniſtarum reprehenſioni ita affinem, vt non ouum ouo ſimilius. Eorum igitur nomine gloriare, quorum facta dictáque tam imprudenter, ne quid ampliùs dicam, imitaris.

Miror itaque quòd in meis verbis doctrinæ Catholicæ adeò conſcius repererit maledicentia quod morderet, excogitarit calumnia quod argueret: *Duo*, inquit Cellotius parag. 2. *de Prophetis Theologus Hallier docet, primùm ex fæce populi ſuſcitatos, etiam Iſaiam & eius patrem Amos, & Danielem & Zachariam filium Ioiada, & Ioannem filium Zachariæ, & Ezechielem ſacerdotem; vt quando comparatos audies cum Prophetis Regulares memineris, & hos eſſe de fæce populi. Alterum non alio fine, quàm ad reſtaurandam Synagogam afflatos à Deo Prophetas, quaſi reparandæ hierarchiæ, & non promittendo Meſſiæ: & morum prauitati corrigendæ miſſi ſint diuinitùs Prophetæ. Atque cùm in Eccleſia deficere non poſſit hierarchia, quid ſunt opus Regulares noui Prophetæ, qui corrigant? Stat profectò Hierarcharum maiorum, minorúmque ſolium, & ſtabit vſque ad conſummationem ſæculi; quapropter ſi viris ſuſtinendi ſola neceſſitas religioſos Ordines ſtetit Eccleſiæ: Quin ea ſublata funditus extermimentur? Tuum hoc votum, illi, mi Doctor, adiungo, quo nuper Angelos ex humanis negotiis abigebas, quòd omnia illorum officia à ſacerdotibus, & inferioribus miniſtris, obeantur.* Quàm veriùs regero tuum hoc mendacium eſſe, Ludouice, nec in iſtis

duabus obiectionibus tuis præter conuitia, & mendacia tua, à quoquam veritatis ſtudioſo quidquam agnoſci. Primùm enim non generatim neque vniuerſaliter dixi *Prophetas ex fæce populi aſſumi*, ſed *nonnunquam ſuſcitari*: quod non ad deprimendam Prophetarum gloriam, neque temerè à me dictum eſt, ſed vt oſtenderem Prophetarum dignitatem, ſicut regiam aut ſacerdotalem carnali generatione à maioribus ad poſteros non fuiſſe traductam: ſed ex fæce populi nonnunquam Prophetas aſſumptos à Deo, & ſuſcitatos, eo modo, quo Propheta regius de iis, qui ad maximas dignitates ex populari familia eliguntur, dicit Pſalm. 112. *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit, ſuſcitans à terra inopem, & de ſtercore eleuat pauperem.* Quod vt exemplis confirmemus, num tibi Eliſæus ex aratro aſſumptus ad propheticam dignitatem à regibus minas intentandas, & interficiendos peccatores, vt habetur 3. Reg. cap. 19. ex fæce populi aſſumptus dici potuiſſe videtur? an non tibi Ionas, ſi credimus Epiphanio lib. de vitis Prophetarum, in Iona, mulieris Sareptanæ pauperrimæ filius, ex fæce quoque populi ſuſcitatus dici potuit? an non Amos paſtor & ruſticus ex oppido Tecue, vt ex tota eius Prophetia, ſed præſertim ex cap. 1. colligitur, ac proinde non ipſe Iſaiæ filius, qui de genere nobili in Hieruſalem ortus eſt vt rectiùs notauit Iſidorus Hiſpalenſis de vita & morte Sanctorum, in Iſaia, & Amos, quàm Epiphanius libro citato? Annon Abdias, Abachuc, Sophonias, & alij ex agris oriundi, & ruſticanâ origine ſecundum vtroſque, quos citauimus, videntur dici poſſe ex fæce populi ſuſcitati? quorum dum humilia initia fatemur, Dei magnificam virtutem, & miſericordiam prædicamus: ſicut dum negationem Petri, Pauli Eccleſiam perſequentis in Chriſtianos odium, & Magdalenæ ante conuerſionem famoſam vitæ licentiam Scriptura narrat, Dei in eos benignitatem, & miſericordiam prædicare, non gloriæ ſanctorum inuidere credenda eſt.

Quod tu de Regularibus ſomnias quaſi Prophetas ideò de fæce populi ſuſcitatos dixerim, vt ſi quando Regularium cum Prophetis ſimilitudo legentium animis occurreret, illos etiam è fæce populi extractos cogitarent, ne quidem ſomniaui ego: adeò ingenioſior tua maledicentia in fingendo, quàm ego in iis, quæ verè mihi viſa ſunt referendo fui. Vide quæſo, mi Ludouice, quomodo te à calumnia liberare poſſis, qui animum crimineris, cùm verba non poſſis; qui in indice materiarum operis tui, quo malitioſè plura in me congeris, ais, me loco à te præſenti, quam diſcutio, paginâ citato, *Regulares* dixiſſe *eſſe de fæce populi*: cùm eo loco de Regularibus ne verbulum quidem: de Prophetis totus ſermo ſit; iiſque, non qui filij Prophetarum vulgò dicebantur, communitérque viuebant, & in ſolitudine; in quo regularem vitam, ſeu Cœnobiticam referebant; ſed de iis, qui futura prædicebant, mittebantur extra ordinem ad promittendum Meſſiam, ad corrigendos populos, redarguendos reges ipſos, & ſacerdotes, adeò vt quemadmodum habetur Ieremiæ cap. 1. *Conſtituti ſuper gentes & regnа* dici poſſent, *vt euellerent, & deſtruerent, & diſperderent, & diſſiparent, & ædificarent, & plantarent.* Quibus ſi regulares æquiparare audeas, audacior eris, quàm mihi perſuadere poſſim, minùs modeſtus quàm credere potuerim.

Neque verò minùs verax aut contumelioſus circa aliud reprehenſioris caput detegeris, ais me dixiſſe non alio fine quàm ad reſtaurandam à Deo Synagogam, afflatos à Deo Prophetas, falſum illud eſſe, vel quod ipſe retuliſti, vel quod ſiluiſti, oſtendunt: memini ſolùm Prophetas variis temporibus in noua lege ſuſcitatos ad reſtaurandum labentem Synagogæ ſtatum, ſed non negaui, quin ad alia mitterentur: aliud eſt vnum ſolum expreſsè dixiſſe, aliud cætera negaſſe. Num enim is tibi videtur, qui bonum Deum dicit, nihil de eius iuſtitia dicendo aut ſapientia, eum iuſtum negare aut ſapientem: ſi id affirmas omnium communi voce refelleris, ſi negas, deſine eandem aduerſus me ratiocinationem proponere: ſed nec contentus non id negaſſe, de cuius negatione accuſor, apparet me ea in mente habuiſſe, quæ negaſſe redarguor. Etenim in redditione comparationis varia protuli, ob quæ in antiqua lege Prophetæ publicam auctoritatem habentes neceſſarij fuerunt, in noua neceſſarij non ſunt, vt quod in antiqua publica Eccleſiæ oracula funderent, quæ Synagogam adſtringebant, qualia in noua lege nulla oracula totam Eccleſiam ad credendum obligantia, expectanda ſunt, nam hæc ſatis indicant me etiam ad aliud Prophetas in antiqua lege neceſſarios, quàm ad reſtaurandam Synagogæ diſciplinam crediddiſſe, maximè enim huic diſparitati explicandæ, fuſiùs in

hæreſim? Quâ ergo fronte andes mihi improperare, quaſi eo ſolùm fine Prophetas in veteri lege ſuſcitatos dixerim, vt Synagogæ labentis ſtatum reſtaurarent; addideriſque alios fines negatos, vt quod Meſſiæ promittendo mitterentur. Qua etiam veriſimilitudine excuſare poſſis negare me Religioſos eſſe neceſſarios; næ quam oculatus es, qui corda inſpicias, & in iis, non quod paret, non quod latet, ſed quod omninò nullum eſt, nec fuit vnquam, videas. Iterùm dico, de Prophetis loquenti, Regulares numquam mihi in mentem venerunt, quos Prophetis quantum ad auctoritatem hierarchicam, quam illi extra ordinem, & vt è latere veteri ſacerdotio accedentes, non ab Aarone aut ſucceſſoribus eius, non à ſacerdotibus, ſed à Deo ſolo miſſi in communione tamen ordinarij ſacerdotis, poteſtate ſingulari gerebant, Regulares longè inferiores eſſe nemo prudens rerum æſtimator inficiabitur: ideóque deſine, mi Ludouice, credere me Prophetarum dignitati detractum aliquid voluiſſe, vt Regularium ſimiliter prærogatiuæ detractum eſſet; nihil ſiquidem commercij Regularibus, vt præcisè Regulares ſunt, cum Prophetis iſtis, de quibus loquebar, nec quod de his dicitur, vel negatur, de Regularibus aut concedere, aut inficiari pari iure neceſſum eſt.

Quàm contumelioſum autem illud eſt, quod addis, expetere me exterminari penitùs omnes Ordines Religioſos: abſit, vt id vel incogitanti obrepſerit vnquam: nunquam cuiuſquam Regularis acerbior aduerſum me querimonia, aut indignatio bilem ita mihi mouebit, aut ſtomachum, vt maxima Eccleſiæ ornamenta ſublata velim; quin imò ex animo dico, & teſtimonium reddente mihi conſcientiâ, tantùm abeſt vt id expetierim vnquam, vt potiùs vel cum vitæ propriæ diſpendio, quominùs idipſum contingeret, ſi neceſſum eſſet, libenter mihi videor obſtiturus.

Subdis Angelos me ex humanis negotiis nuper abegiſſe: quod etiam rotundum mendacium eſt, nec à te veriùs dici poteſt, quàm probatio tua conuincat. Id ergo me dixiſſe probas, quòd dixerim in vindiciis pag. 144. lib. ſcilicet 2. cap. 1. §. 2. omnium Angelorum munia ſacerdotes ac Epiſcopos obire poſſe: Quid tum? Ergone Angeli ex humanis negotiis abigendi ſunt? tua hæc illatio eſt, non mea. Quid, ſi quis diceret Epiſcopos omnia munia Preſbyterorum & Diaconorum obire: quod certè dici poteſt, & à Dionyſio, Maximo, aliiſque ſuperiùs citatis dictum eſt: ergone Preſbyteros ille & Diaconos abigendos ab Eccleſiæ gubernatione & ordine diceret? tam malus iſte Theologus, quàm Dialecticus foret, qui hoc ex illo ſequi pertinaciter aſſereret. Quid? nónne Deus operatur omnia in omnibus? Ergone creaturæ nihil operantur, ſed tanquam ſtipites mouentur, non mouent, & ſine vlla actione langueſcunt? An quia Franciſcani omnia agunt in ordine ad proximorum ſalutem, quæ Dominicani, ideò horum poſitio, illorum exterminatio eſt? An quia Ieſuitæ omnia quæ præſtant Pædagogi, Doctores, Parochi, Mendicantes, ad erudiendos fideles in ſcholis, admonendos eoſdem ex Eccleſiarum ſuggeſtu, eoſdémque ſacramento Pœnitentiæ imbuendos, & Euchariſtiæ communione perficiendos, quia, inquam, hæc omnia præſtant: ideò cæteri, quos nominauimus, abigendi ſunt? næ tu quidem ſi Chriſtianam, ſi Catholicam Eccleſiam amas, id expeteres, ſimiles tamen conſecutiones tua te Logica docuit, tu iis & deterioribus probationibus conciliare mihi inuidiam tentas? vtrùm viri pij, & religioſi eæ ſint partes, apud te, mi Celloti, expende, nec reuocare pigeat, quòd iræ vehementia ſuaſerit: vis tuæ probationis vitia clariùs intueri, aduerte me ſolùm dixiſſe, nullum eſſe genus officij Angelicæ cuſtodiæ, quòd non ſacerdotes peragant, quod ita ſolidè probaui, vt impugnare non potueris, ſed alio modo illâ, aliáque ratione ab Angelis, aliâ ratione à ſacerdotibus perfici, clarè & dilucidè aſſerui: Quæ diuerſitas iſtarum functionum Angelicarum & ſacerdotalium ſufficiens fundamentum eſſe poteſt, vt & eæ & illæ neceſſariæ ſint, quia & illis diuerſis modis conſtituit Deus, vt homines iuuarentur. Deinde etiam, quamuis iiſdem modis eoſdem effectus Angeli, quibus ſacerdotes erga homines erudiendos, docendos, dirigendos, à Dæmonum incurſu liberandos, prece iuuandos, puniendos ſe gererent, quos modos diuerſos eſſe diximus; quia tamen diuina prouidentia modò ab iis, modò ab iſtis, illos effectus præſtandos diſpoſuiſſet, non ideò Angelos abigendos eſſe dici poſſet: quemadmodum nec abigendi ſunt cæteri Mendicantes à prædicatione & confeſſione, quamuis eadem iſta omnia, quibus illi funguntur, Ieſuitæ quæque iiſdem modis vel ſimilibus & præſtantioribus, atque efficacioribus, ſi velis, obeant. Vrget etiam ex Scriptura, vbi etiam Theologicè nos

Google

impugnare videatur. *Quòd ſi nulla Prophetarum in Eccleſia neceſſitas eſt, quamobrem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas? dic, amabo, quando dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam tamen Prophetas, an Apoſtolicis temporibus? Certè, ſi Paulus dixit, & tamen labentem Eccleſiæ ordinem non correxerant, noſtriſne etiam ſæculis? profectò certè in imagine, vt fateris, quemadmodum Apoſtolos in ſucceſſoribus Epiſcopis.* Loquere clariùs & diſertè mentem tuam aperi: an admittas in Eccleſia Catholica Prophetas poſt Apoſtolos extraordinariè mittendos, qui in ea habituri ſint publicam auctoritatem: quorum oracula ſint apud omnes Catholicos certæ fidei, qui Eccleſiaſticum ordinem reformare ex officio poſſint: qui Eccleſiam ſolo ordine hierarchico non ſatis tutam ſuffulciant: ſi eos non admittis, mecum ſentis, conſentientem cur reprehendis? Si Prophetas huiuſmodi admittis, idem nominatim ſentis cum Montano, cuius errorem ab Eccleſia damnatum Philaſtrius catalogo hæreſeon ſub Apoſtolis exortarum, hæreſi 2. hunc profert, *Quòd plenitudinem ſancti Spiritus, non per Apoſtolos, Chriſto dante, fuiſſe conceſſam, ſed per illos ſuos pſeudoprophetas æſtimat impertitam.* Eadem tu fateri compelleris ſi ad noua fidei dogmata credenda extra ordinem mittendos, in noua lege Prophetas cenſeas: faucbis Caluino, cæteriſque hæreticis, qui ſe extraordinariè ad Eccleſiæ reformationem miſſos eſſe iactitant, & extraordinariis miſſionibus in Eccleſia Catholica poſt eius ab Apoſtolis fundationem, locum aliquem concedunt: quos toto opere ſuo de præſcriptionibus Tertullianus, & integro commonitorio aduerſus hæreſes, Vincentius Lirinenſis impugnauit. Huiuſmodi ergo Prophetas, quos in antiqua lege admiſſos conſtat, ab Eccleſia nouæ legis arcere neceſſum eſt: quales vtique nos duntaxat reiicimus cum Euangelio aſſerente, *Legem & Prophetas vſque ad Ioannem* fuiſſe, Matth. 11. Cui ſententiæ conſentaneè loquuntur Philaſtrius lib. de hæreſibus in hæreſi Aquariorum, inquiens, *Sunt nonnulli, qui Prophetas quotidie adferunt, prophetias fieri prædicant, ignorantes legem & prophetias vſque ad Ioannem Baptiſtam fuiſſe, fructúmque legis & Prophetarum in Chriſti præſentia completum atque conſummatum.* Auguſtinus in expoſitione epiſtolæ ad Romanos, reprehendens tanquam negantes aduentum Chriſti, quem tenemus, eos, *qui Prophetas in Phrygia* (Phrygiæ porrò, & cæterarum nationum eadem ratio eſt) *per quas tanto pòſt tempore loqueretur elegiſſe contendunt.* & libro decimo ſeptimo de Ciuitate, capite vltimo, *Ioannem nouiſſimum Prophetarum* appellauit, qui *iuuenis iam iuuenem Chriſtum, non quidem futurum prædixit, ſed tamen incognitum propheticâ cognitione monſtrauit, propter quod ipſe Dominus ait, Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem.* Petrus Chryſologus ſermone 86. de Conceptione ſancti Ioannis Baptiſtæ, *Clauſulam idcò Prophetarum* vocat, Hilarius Arelatenſis, ſeu Eucherius Lugdunenſis homiliâ primâ de eodem Ioanne, inter Euſebianas. *Illum oportet creſcere, quia per omnem mundum Chriſti Euangelium dilatatur; me autem minui, quia Ioannis prophetia finitur. Prophetia finem accepit, quia is qui prophetabatur aduenit.* Et homiliâ 2. de eodem, *Meritò tacuerunt Prophetæ, quia is, de quo prophetauerunt, venit; & impletum eſt quod dixerat Dominus, Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem prophetauerunt, quid ergo opus eſt iam Prophetis, cùm ille præſens ſit, qui propheticis promittebatur oraculis? Quis autem adhuc quaſi in obſcuro requirat lucernam, cùm diſruptis iam tenebris ſucceſſerit dies? Quis tenui luce ſtellæ micantis indigeat, cùm ſe iam per totum mundum Solis ſplendor infuderit?* Fruſtrà plures alios Patres proferrem, ex iis, quæ cæterorum ſententia fuerit, diſces: & ſi frontem habes, reprehendere me deſines, quaſi Apoſtolo contrarius, Prophetarum ordinem hierarchicum ab Eccleſia nouæ legis ſuſtulerim: Scio Patres ferè omnes Prophetas, quorum mentio eſt, apud Apoſtolum 1. Corinth. 12. intelligere enarrationes Scripturarum: quòd ſi moroſiùs contendas, eos intelligere debere Prophetas, qui futura prædicant, nec id pertinaciùs abnuerim: libenter enim concedo prophetiæ donum in Eccleſia ſemper vigere, nec prædicendorum futurorum gratiam etiam in noua lege fuiſſe extinctam, vt præter alios diſertè docet Epiphanius hæreſi vigeſimâ octauâ, aliàs quadrageſimâ octauâ, numero ſecundo & tertio. Sed eos Prophetas, qui futura prædicant, hierarchico Principatui inſerendos nego, neque reformandæ Eccleſiæ poteſtatem, nec totam Eccleſiam obligandi ad aliquid credendum de fide auctoritatem, nec corripiendi aut populum publicè monendi ius vllum ex prophetico iſto ſtudio obtinere contendo. Sed nec iſtos Prophetas, qui futura prænuntient, Regularium nouæ legis

Digitized by Google

aut typum fuiſſe, aut imaginem vnquam arbitratus ſum, aut prudens vllus arbitrabitur. Quò ergo tendit illa tua animoſa concluſio? *Ex quo Chriſtianæ charitatis aduerſus homines Deo conſecratos, ſenſim ſine ſenſu Doctorem noſtrum duxit obliuio, vt nullo Conciliorum Canone, nullâ Patrum & Theologorum conſpirante ſententiâ credere cogatur Euangelicis, Propheticis ſucceſsiſſe regulares, & legalibus ex æquo reſpondere: qui hoc tamen probabiliter, & ab aliquibus, & à ſeipſo credi ſentit, ne quem iis in Eccleſia dignitatis locum gratificetur, Apoſtolo palam contradicere, & noſtræ Religionis fundamenta malit euertere. Prædicat enim Apoſtolus poſitos in Eccleſia, datos Eccleſiæ Prophetas: negat illos opus eſſe Hallier, id eſt, non eſſe vllos in lege noua. Vocat eos Paulus, cum Apoſtolis Eccleſiæ fundamenta: pronuntiat Hallier non eſſe neceſſarios, vult eos Apoſtolus conferre cum cæteris ordinibus, imò præ cæteris; ſi Apoſtolos excipis ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij. Hallier aduocari ſcribit extraordinariè, vt tamen Eccleſiæ ordinem, qui tamen indefectibilis eſt, corrigant. Primò poſt Apoſtolos ordine, ante Doctores & Euangeliſtas collocat Apoſtolus. Hallier è fæce populi ſuſcitari per contemptum indicat. Scio quam in ſignificationem Euangelicos Prophetas deflectat, ſed eius animum conſulo, num antiquæ legis Prophetis reſpondere putet Religioſos, ex Hieronymi & aliorum Patrum ſenſu? non ea quæ paginis quinque de Prophetis Euangelicis diſputata, ſatis perplexè, eo conſilio attulerit, ne Regulares in Prophetarum nomen & officium veniſſe, cogatur admittere.*

Satis quique feruidè, ſed per quàm incautè futiliter animum meum conſulis, vt accuſes, qui ſcripta mea carpere non potes; hâc me tu curâ liberaſti, ne tuum conſulere neceſſum eſſet, ſatis enim ſcripta hæc tua te produnt iræ impotentem; addes ipſe cætera, cùm in te ipſum deſcenderis, & te ex ſcriptis tuis iudicaueris. In ſuſpicionem me adducis, quaſi ab Eccleſia Dei Prophetas, eo ſenſu, quo iam explicui, ideò allegauerim, vt Regulares ab eadem arcerem: ſemel iam hoc confidenter aſſerueras, quod iterùm coniicere ac ſuſpicari tantùm videris, adeóque vt certior fias à me, quid intenderim, inquiris. Non effugiam interrogationem tuam, aut eludam: rotundè & ingenuè reſpondebo mihi ſolùm in animo fuiſſe cùm hæc ſcripſi, deſtruere fictitiam illam tuam chariſmatum hierarchiam, cuius ne te parentem iactare poſſis, effecit Nicolaus Smithæus, dum conſequi aliquem ex eo affirmat maiorem in Eccleſia gradum, eo quòd maioribus ſeu præſtantioribus gratiæ donis præditus ſit, ad id proferens locum Apoſtoli, cui tu duntaxat inniteris, cuius varias ſolutiones aſſignaui, quas tu impugnare & non in perſonam agere debueras, ſed conuitiari maluiſti, nam comptula illa tua, ac florida, vt tibi videtur, oratio potentiorem ac liberiorem in criminationibus quàm in Theologicis diſſertationibus habet campum. Reſponſio mea non de ſolo Prophetiæ dono confuſa, ſed de omnibus chariſmatis ſatis perſpicua fuit. Nihil dixi de meo; protuli quid Patres ſenſiſſent: Religioſos in Prophetis ſignificari non magis cogitaui quàm in Euangeliſtis aut Apoſtolis: nam, vt tibi plus donem, quàm poſtules, & videas me erga Religioſum ſtatum, & ſponte propenſum eſſe & ſine vlla coactione liberalem: in viuendi ratione & Apoſtolis & Prophetis Regulares affines eſſe non diffiteor, Apoſtolis verò magis, qui communiorem vitæ rationem ſequebantur, & à plebis commercio minùs abhorrentem, quàm Prophetis, ſeu filiis Prophetarum, qui ſolitudinis ſtudioſiores quàm vrbium: de quibus loquitur Hieronymus epiſt. 107. ad Paulinam de inſtitutione Monachi iis verbis: *Noſter Princeps Helias, noſter Elizæus, noſtri duces filij Prophetarum, qui habitabant in agris & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula propè fluenta Iordanis.* In eo ſenſu pro iis qui communiter, & in ſolitudine viuerent, Paulum de Prophetis locutum non fuiſſe, dum in Eccleſia alios Apoſtolos, alios Prophetas eſſe dixit, ſed pro interpretibus ſacræ Scripturæ; vel pro iis, qui futura prædicerent, Prophetarum nomen ſumpſiſſe nemo non videt: Itaque eum nec Hieronymus, nec alij Patres Regulares, niſi in priori ſenſu Prophetarum veſtigia ſequi dixerint: quid tu mihi Regulares pro Prophetis, in cauſa omninò diſpari, omni probabilitatis ſpecie deſtitutus, obtrudis? Mea dicta cum Apoſtoli ſententia componis, nec meam, nec Apoſtoli fideliter explicans. Sed ne longior ſim, meorum dictorum cum dictis Apoſtoli conſonantiam habere potuiſſes, ſi quid dixerim, quod Apoſtolus aut ſine contentione intelligere, aut non artificioſè diſſimulare voluiſſes. Docuit Apoſtolus poſitos in Eccleſia Prophetas, id eſt, qui cum publica auctoritate interpretarentur Scripturas, qui prophetiæ dono inſignes futura prædicerent, ita tamen vt ex eo nullam in Eccleſia au-

ctoritatem

ctoritatem, vel publicum officium acquirerent. Vtrumque ego aſſerui, hoc ſolùm negaui, quod nemo Catholicus affirmare potuit, datos Eccleſiæ Prophetas, qui nouas poſt Apoſtolos ad fidem ſpectantes reuelationes haberent, qui ad ſibi credendum vniuerſos Chriſtianos adſtringerent, qui Eccleſiam auctoritate extraordinariâ reformarent, qui inſufficientem ſuæ reſtaurationi ſacerdotalem ordinem fulcirent: num ideò contrarius ſum Apoſtolo? prædicat Apoſtolus Prophetas veteris legis cum Apoſtolis Eccleſiæ eſſe fundamenta, dum ad Epheſios 2. Chriſtianos, *ſuperæ dificatos* aſſerit, *ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*: Quo vtique loco de fundamento doctrinæ non auctoritatis debet intelligi: eo ſenſu, quòd Eccleſia doctrinam tam in Propheticis libris, quàm Apoſtolorum ſcriptis & traditionibus traditam, tanquam depoſitam fideliter ſeruet: ſed illa ipſa Eccleſia in ſolo Petro fundamentum auctoritatis primariæ agnoſcit, in Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus Epiſcopis, non in Prophetis auctoritatem fundatam habet: an ideò Apoſtolo repugno, qui Prophetas quidem neceſſarios, imó concedendos dixi, non tamen eo ſenſu quaſi in noua lege publica cum auctoritate mittantur, ſintque collaterales tam Petri, quàm Apoſtolorum, ſed neminem velim, niſi qui à Petro, vel Apoſtolis, aut eorum ſucceſſoribus miſſus ſit, auctoritatem prædicandi, docendi, decernendi in Eccleſia vendicare, quantò magis tu Apoſtolo, & fidei Catholicæ repugnas, ſi hoc aſſeris? Prophetas Apoſtolus eos, qui ex officio Scripturas ſacras interpretentur, Apoſtolis ſuppares facit, vel inter chariſmata Prophetiæ donum infra Apoſtolicum Spiritum (de quo Petrus dicebat epiſt. 1. c. 2. *Habemus firmiorem propheticum ſpiritum, cui benefacitis attendentes*, collocat,) Ego verò & honorificè de Interpretibus Scripturæ ſacræ, & magnificè de Prophetiæ dono loquens, ad commendandam Dei erga genus humanum benignitatem Prophetarum quoſdam è fæce populi, id eſt, vili & abiecta conditione, quemadmodum & Apoſtolos ipſos ad Apoſtolatus faſtigium, ad nobiliſſimam Prophetarum dignitatem euectos dixi; an ideò Apoſtolo palam contradicere, & noſtræ Religionis euertere fundamenta dici poſſum? nihil aduerſum te commotius, nihil acrius dicam: conſecutionis iſtius futilitatem ob oculos Lectorum ponere ſatis eſt, vt opinor, ad accuſationis tuæ aduerſum me refutationem, quod ſolùm intendo, ad pudorem tibi ſuffundendum quod nollem. Deſine, quæſo, mi Celloti, hanc illiberalem, ne quid grauius dicam, diſputandi rationem inire, vt aduerſario falſa crimina impingas, quæ accuſes: non eſt iſta in rebus præſertim ſacris ferenda, non dicam falſitas, ſed nec exaggeratio, modeſtiùs, ni fallor, poſt hac, & veriùs diſputabis, ſaltem ſi quid ex ea admonitione proficias. Crede mihi pungere etiam poſſem, & mordere ſi vellem, ſed animo ſemper meo inſedit celebre illud dictum inſignis Epiſcopi Galliarum Rurici epiſt. 37. *Ruſticitatem meam malo prodere, quàm perdere charitatem.*

Sufficiunt autem iſta generatim ad naturam hierarchiæ intelligendam: quæ vtique magis innoteſcet ex iis quæ dicemus de chariſmatibus, ordinibus, & iuriſdictione ad hierarchiam pertinentibus, de quibus ſequentibus libris fuſiùs diſſeretur.

LIBER SECVNDVS DE HIERARCHICIS CHARISMATIBVS.

SECTIO PRIMA.

QVÆNAM SIT NECESSITAS CHARISMATVM ad Eccleſiaſticam Hierarchiam.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſint Chariſmata.

CHARISMATVM nomine vſus eſt diuus Paulus 1. Cor. 12. illud nomen retinuit Latinus Interpres verſ. 31. cùm aliàs illud reiecerit, ac modò *donum*, modò *donationem*, modò *gratiam*, Græcam vocem χάρισμα Latinè reddat; exempli causâ eo ipſo cap. verſ. 4. *Diuiſiones vero*, inquit, *gratiarum ſunt*, Græcè χαρισμάτων. Hilarius hanc vocem ſemel retinet lib. 8. de Trinitate, quo etiam loco donorum nomen pro eadem ſubſtituit, quemadmodum & Hieronymus epiſt. ad Hedibiam, Auguſtinus verò vocem *donationum*, epiſt. 57. ad Dardanum, Itémque Vigilius Trident. diſputatione *de Chriſto Domino noſtro, & de fide S. Trinitatis*, verſ. item 28. vbi Græcè habetur χαρίσματα ἰαμάτων, Interpres vertit, *gratiam curationum*, Hilarius legit *donum curationum*. Alij Parres modò hoc, modò illo modo legunt: imò verò verſu 31. citato, quo retentam videmus chariſmatum vocem in editione vulgata, dum ſcripſit Interpres, *Aemulamini chariſmata meliora*; Tertullianus eamdem Pauli ſententiam referens lib. 1. ad vxorem cap. 3. *meliores donationes* legit. fateor chariſma aliquando ſumi etiam pro gratia gratum faciente, quæ & ipſa gratis data: ſed magis propriè, & ſæpiùs pro gratia, quæ gratum facienti opponitur ex modo loquendi Scripturarum ſacrarum ac Patrum poteſt intelligi, putà pro donis, pro gratiis, quas Theologi *gratis datas* vocant, quæ in aliorum præſertim ſalutem à Deo ſine vllo noſtro merito conceduntur, quas proinde rectè notat D. Thomas 1. 2. quæſt. 111. art. 4. ad 1. *excedere debere naturæ facultatem, ſicut quod piſcator abundet ſermone ſapientiæ & ſcientiæ, & aliis huiuſmodi.*

Cæterùm ſicut in cæteris ita hoc loco neque in verbis, neque in ſententiis modum vllum tenuit Cellotius: nam ſicut verba laxiori ſignificatione ferè ſemper ſumpſiſſe viſus eſt, & ſententias fuſioribus exaggerationibus à propoſito vt plurimùm alieniſſimis toto libro obſcurauit: ita in præſenti materia toto libro 8. & aliis de chariſmate diſſerens, paſſim ab eo factum idipſum deprehendit: nam chariſmata ſæpiùs ſumpſit pro

Digitized by Google

gratia ſanctificante, ac piis ipſis operibus, quæ in ſalutem propriam directè præ ſe primariò referuntur, cuiuſmodi ſunt, quæuis opera religioſæ mortificationis & auſteritatis: abſit enim, vt Religioſos dicamus Phariſaico more *exterminare facies ſuas, vt appareant hominibus ieiunantes*, quemadmodum ſcribitur Math. 6. ſibi ieiunare ipſos credimus vt placeant Deo, & cum Apoſtolo *corpus ſuum caſtigent, & in ſeruitutem redigant*; quamuis aliis exemplo ſuo ſubinde proſint, & de ſuperfluis nonnunquam ſatisfactionibus communicent. Opera itaque iſta, quæ paſſim tanquam fundamenta ſuæ hierarchiæ chariſmatum oſtentat Cellotius, *chariſma* vocat laxiori certè ſignificatione, & ab hierarchica explicatione alieniſſimâ, vt pote cùm dona iſta ſolummodo ad hierarchicam diſſertationem facere poſſint, quæ ad alios per ſe tendunt, cum hierarchia præ ſe multorum ſubordinatio ſit, qualis in Angelis reperitur.

Idem quoque linguarum peritiam aut ſcientiam humanâ ſolùm induſtriâ comparatam, non fidei ſupernaturali per ſe innixam, non rei ſupernaturali vacantem, non diuinitùs infuſam, paſſim chariſmatibus inſerit, dummodo ex iuſſu Hierarchiæ in Eccleſia bonum impendatur, vt patet ex libro eius primo cap. præſertim 8. & lib. 8. cap. 14. quo vltimo ludimagiſtros, & linguarum peritiam habentes vel docentes, hierarchiæ chariſmatum adcenſet. Nos Theologorum ſenſa ac rationem loquendi ſecuti, chariſmata ſumimus pro gratiis gratis datis iuxta explicationem S. Thomæ loco citato, & in epiſtolam 1. ad Cor. c. 12. citatam, Caietani ibidem, & aliorum paſſim. Quærimúſque an chariſmata in hierarchia omninò neceſſaria ſint, & hierarchiæ fundandæ ſufficiant?

CAPVT II.

An chariſmata Hierarchiæ Eccleſiaſticæ neceſſaria ſint.

ARTICVLVS I.

Quo ſenſu Hierarchia Eccleſiaſtica ſine chariſmatis abſolutè eſſe poſſit.

QVOD ſpectat ad chariſmatum neceſſitatem pro hierarchia Eccleſiaſtica, reſpondemus, hierarchiam ſumi vel pro ordine, cui quis inſeritur, vel cui debetur poteſtas ſacra: vel pro poteſtate ipſa, vel pro vſu poteſtatis, quemadmodum ſuperiùs inſinuauimus. Si pro ordine ſacro, cui poteſtas ſaltem ordinis inſeritur, & modo explicato, debetur poteſtas iuriſdictionis, hierarchia ſumatur, fateri debent omnes neceſſariam non eſſe ſimpliciter & abſolutè ad hierarchiam vllam donorum ſupernaturalium ſeu gratiarum gratis datarum, ab ipſo ordine & poteſtate diſtinctarum largitionem, nec talem ad poteſtatem ordinis vel iuriſdictionis, ſimpliciter & abſolutè neceſſariam defendi poſſe: nec ad functionum ſimiliter validitatem, vt vocant, ſed tantùm ad vſum legitimum ac licitum poteſtatis, ad decorem, atque ornamentum ordinis, ad conſentaneam tam pro ordinibus, quàm pro Poteſtate recipiendâ diſpoſitionem. Hæc omnia explicatione potiùs indigent quàm fuſiori probatione. Primùm enim error eſt Vvicleſi, & ſequacium damnatus in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. 15. & 45. neminem eſſe verum ſacerdotem, neminem aut ordinem aut iuriſdictionem habere, niſi qui gratias vel quas gratum facientes, vel quas gratis datas dicere ſolemus, habuerint, vt patet ex pluribus articulis condemnationis eorum. Idem error paſſim damnatur à Patribus, nam Clemens Romanus lib. 8. Conſtitutionum cap. 2. etiam impios, & ob malitiam voluntariam obcæcatos, à quibus Deus etiam gratias gratis datas ſubſtraxit, ſacerdotes tamen eſſe affirmat, licèt ſacerdotis nomine indigni ſint, eodem modo, quo Reges tyrannicè gubernantes Regum nomen aliquando amittunt, & Tyranni dicuntur. Dionyſius quoque epiſtolâ 8. ad Demophylum, etſi illuſtratos à Deo negat, vt mox dicimus conſentaneè ſacerdotes dici poſſe, ſeu ſacerdotio dignos, nihilominùs in iis quoque ordinem ſacerdotalem & dignitatem admittit, vt pote quos abſque ordinis perturbatione ab inferioris ordinis viro, putà Monacho

negat reprehendi poſſe. Auguſtinus ſeu quicunque eſt auctor qq. 65. inter opera Auguſtini q. 64. & 65. docer quoſdam ſacerdotes ab homine non à Deo miſſos eſſe, quibus nempe ſacerdotium ineſſe agnoſcit, gratias ſacerdotij à Deo datas negat. Quod vtique expreſſè de regibus aſſerit Oſeas cap. 8. *Ipſi regnauerunt, & non ex me, principes facti ſunt, & non agnoui.* Quod ipſum de ſacerdotibus innuit Ieremias cap. 23. dum paſtores gregem diſſipantes us opponit, quos Deus ipſe ſuſcitabit, qui ſcilicet *ſecundum cor Dei erunt paſcéntque ſcientià & doctrinâ*, vt habetur cap. 3. Ratio etiam in promptu eſt; quis enim dubitare poteſt, quin poſſit etiam infans, cui gratiæ, quæ vulgò gratis datæ dicuntur, minimè dantur, poteſtatem ſaltem ordinis habere? quin impius, qui ſacramentum minimè ſalubriter aut vtiliter ſuſceperit, etiam extra Eccleſiam poteſtatem ordinis habeat; nec tamen iis, quæ chariſmata dici ſolent, præditus ſit diuinis? quin etiam iuriſdictione aliquis præditus, ſed indignus ſacerdotio, poſſit poteſtatem iſtam retinere cum ordine, quamuis gratiis datis deſtitutus ſit, quas ſcilicet, quamuis impius habere poſſit, non tamen ex lege Dei ordinaria habere debet, maximè cùm dona iſta *omnia*, vt loquitur Apoſtolus 1. Corinth. 12. *operetur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult*; & diuina moneat ſapientia cap. 1. *Quoniam in maleuolam animam non intrabit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis: Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate.*

ARTICVLVS II.

Varij ſenſus iuxta quos Hierarchia Eccleſiaſtica ſine chariſmatis eſſe nequeat.

NON tamen diffiteri debemus, quin quemadmodum Clemens citatus Regis nomen impio non conuenire, ſed tyranni docuit; ita quoque ignaro, & ei qui diuinis motionibus minimè ducitur, nec illuſtrationibus diuinis regitur, hierarchiæ nomen tanquam indigno abnegari, & antihierarchiæ potiùs attribui poſſit; atque adeò ſanctus Dionyſius integro libro de hierarchia ſpectans potiùs quid deberet fieri, quàm quid contra diuinæ ordinationis regulas ab hominibus attentari poſſet (quod moraliter loquendo in iure impoſſibile dicitur, quando ſine crimine fieri non poteſt, vt notat Gloſſa *habere*, in cap. *ad audientiam, de ſponſalibus*, Gloſſa 1. in regulam *non eſt obligatorium, de regulis Iuris in 6.* Gloſſa 1. in Can. Catinenſis diſtinct. 61.) hierachiam ſemper nobis deſcripſit chariſmatibus innixam, & ea in alios effundentem, quæ cumulatiùs à Deo hauſerit: hucuſque mentem interpretatus Hugo Annotationum elucidatoriarum in libros de cæleſti Hierar. lib. 4. *Tria*, inquit de Dionyſio, *in definitione hierarchiæ principalia proponit, quæ perficiant ipſam hierarchiæ definitionem. Sunt autem hæc, ordo, ſcientia, & actio: Horum trium ſi defuerit vnum aliquod, non conſtat hierarchia*, &c. Idem tamen ſequentibus ſine actione non ordinem impoſſibilem adſtruit, ſed & *actionem reprehenſibilem, & ordinem inutilem.* Vnde colligo tria hæc vnius hierarchiæ principia ſtatuiſſe Hugonem, ordinem ſcilicet, iuriſdictionem & chariſma ſcientiæ, vt mutuum inter ſe nexum habentia, non diuerſas, quemadmodum vult Cellotius, hierarchias conſtituentia; ita tamen vt & ordo & iuriſdictio abſque chariſmate eſſe poſſit, ſed inutiliter ordo, reprehenſibiliter actio fiat, ac proinde ad hierarchiam quidem vtilem, fructuoſam, & ad Dei regulas compoſitam qualis eſſe debet, non qualis abſolutè eſſe poteſt, requiri chariſmata, ſeu gratias gratis datas. Quod ipſum paulo pòſt magis explicat eodem libro iiſdem verbis. *Nam ſine gratia operari vanum eſt, præter ordinem operari, aut contra, peruerſum. Habent namque ſinguli propria dona, ſecundum quæ debeant operationem ſuam moderari. Propterea neceſſe eſt, vt ſtudeat vnuſquiſque gratiam, quam accepit, agnoſcere, ne incipiat præſumere in eo quod non poteſt; & officium proprium ordinémque attendere, ne audeat tranſgredi in eo quod non debet*, &c.

Alio ſenſu chariſmata ad hierarchiam neceſſaria dici poſſunt. 1. tanquam conſentaneæ diſpoſitiones, tam ad ordinem quàm ad iuriſdictionem. Quis enim dubitet, quin aptiores ſint ad ſacrum ordinem, qui diuinis iſtis gratiis abundantiùs prædici ſunt, quàm qui iis vel parcius, vel nullo modo ſunt donati? quin etiam iuriſdictionis poteſtati ſuſcipiendæ magis capaces ſint, quorum intellectus diuinis ſcientiis ac donis illuſtriùs effulſerint, quàm quibus ea donorum ſuppellex defuerit? eoque proinde ſenſu diuina vocatio ad ſacerdotium, quod vtramque partem complectitur, *Prophetia* vocatur, ad Tim. 1. eodem ſenſu à S. Leone ſermone 2. in die anniuerſario aſſumptionis ſuæ dicitur, *Eos rectores Eccleſiæ accipere, quos Spiritus ſanctus præparauit: vt in populo adoptionis Dei: non prærogatiua terrenæ originis obtineat vnctionem, ſed dignatio cæleſtis gratiæ gignat Antiſtitem.* Eodem ſenſu dixit Nazianzenus Orat. 3. ſacrum imperium οὐκ ἅρπαγμα τύχης, ἀλλ' ἀρετῆς ἆθλον, *Non fortunæ furtum, ſed virtutis præmium eſſe dixit.* Nyſſenus lib. de vita Moyſis θεόθεν προσγίνεσθαι τῆς ἱερωσύνης τὴν χάριν, *non ab hominibus, ſed à Deo ſacerdotij eſſe gratiam.*

2. Neceſſaria ſunt chariſmata tanquam effectus ordinationis ex eâ ſaltem ritè ſuſceptâ conſequentes. Vt enim docuimus agendo de gratia ordinationis lib. 2. *de ſacris electionibus & ordinationibus.* part. 2. ſect 3. cap. 1. art 1. ſacræ ordinationi, per quam antiquitùs gratiæ gratis datæ plurimæ viſibili miraculo conferebantur. Per eamdem iam aliquæ etiam inuiſibili diuinæ potentiæ effectu conferuntur, quod ipſum primùm ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, tum ex Ambroſio, tum etiam ex Theophylacto confirmamus; Conſtitutiones ſiquidem Apoſt. lib. 8. c. 1. probare videntur, ideò penes Deum eſſe, quòd aliquis Apoſtolus ſit, vel Epiſcopus, quòd eius ſit chariſmata tribuere. Atqui hæc conſecutio nulla eſſet, niſi ordinationi alicuius in Apoſtolum, vel Epiſcopum largitio chariſmatum connecteretur. Ambroſius verò in cap. 12. 1. ad Corinth. ordinibus Eccleſiaſticis eadem chariſmata adnexa teſtatur iis verbis, *In lege Dominica gradus chariſmatum ſunt, officiis Eccleſiæ non vtique meritis humanis indulti. Sed vt membra ad ædificationem Eccleſiæ pertinentia, quæ per ſe & in ſe habent gloriam, ſicut etiam eſt in humanis officiis: ſcholæ enim ſunt, quæ poſitis in ſe dant dignitatem, vt loci honor hominem faciat glorioſum, non propria laus.* Et paulo pòſt, *In loco ordinis officij Eccleſiaſtici poſitus, gratiam habet qualiſcuis ſit, non vtique propriam, ſed ordinis per efficaciam Spiritus ſancti.* Theophylactus verò commentariis in caput 18 Lucæ, etiam indignis, qui ad aliquam dignitatem promoueantur, per ordinationem chariſma aliquod conferri putat, ſiue quòd reddat indignum, qui dignitatem ſuſcipiat, poſſe tamen bona cum fide ordinari, ita vt ordinationis gratiæ minimè obſiſtat: ſiue quòd etiam indignè ſuſcipientem & in peccato mortali, gratiis tamen vtilitatem populi non in ſuam collatis, non omninò ſpoliari exiſtimet, quod vtrumque dici poteſt. Verba autem eius hæc ſunt: πᾶς γὰρ ὁ προστασίαν ἐγχειρισθεὶς, κἂν ἀνάξιος ᾖ, χάρισμα ἔχει ἐξ αὐτῆς τῆς χειροτονίας, ὃ ἐστι τοῦτο μέγα ὄντως τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας, καὶ οἰκονομίας μυστήριον, *Omnis enim cuicumque credita eſt præſidentia, donum habet ex vnctione ſua, id quod magnum diuinæ miſericordiæ ſacramentum eſt.*

3. Dici poſſunt neceſſaria chariſmata tanquam cauſæ ad actiones hierarchicas ex parte concurrentes, ac cooperantes, & ad vſum conuenientem tam ordinis quàm iuriſdictionis, ſacrúmque proinde miniſterium influentes: quod fuſiori explicatione non eget. Neque verò dubium eſt, quin ad omnem hierarchicam actionem, ſiue ordinis ſiue iuriſdictionis ſcientia neceſſaria ſit, ideóque certè Dionyſius hierarchiam definiens, eam non ſolùm ἱερὰν τάξιν, καὶ ἐνέργειαν, *ſacrum ordinem & operationem*, verùm etiam ἐπιστήμην ſeu *ſcientiam* definiunt: cæterique poſt eum hierarchiam rationalium diſpoſitionem ex prædictis dixerunt. At omnis rationalis actionis cognitio, quam ſcientiam dicere poſſumus, principium eſt. itaque omnis hierarchicæ actionis principium, ſeu comprincipium ſcientia eſt: ſcientia porrò omnis etiam, quæ noſtro labore atque induſtriâ merè humanâ acquiritur, chariſma propriè dici non poteſt; eſt enim propriè chariſma, ex D. Thoma ſuprà, quem cæteri Theologi ſequuntur, donum quoddam, non labore comparatum, ſed gratis à Deo conceſſum, non intra naturæ ordinem, ſed ſupra facultatem: igitur ſcientia, quæ labore noſtro, ac diligentiâ merè humanâ comparatur, chariſma propriè non eſt, ſed tantùm impropriè, in quantum ſcilicet omne bonum naturale, præſertim quod ex ſe ad hominis perfectionem tendit, & diuinæ na-

tutæ aſſimilationem qualemcunque in nobis efficit, à Deo ſpecialiter eſſe dicitur, quia ſecundum ſanctum Iacobum epiſtolæ Canonicæ capite primo, *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Quod vtique oſtendit Ambroſius, qui in locum Pauli 1. Corinth. 12. ſapientiam inter chariſmata à Paulo numeratam, eam eſſe dicit prudentiam, *quæ non ex litteris, ſed à coruſcatione Spiritus ſancti alicui datur, vt cor habeat illuminatum & prudens, & diſcernat, quæ vitanda ſunt, quæue ſequenda.* Oſtendit Hilarius libro 8. de Trinitate fidem explicans, ſapientiam vel ſcientiam ex fide, *quia*, inquit, *vtilitatem doni, niſi Deus crederetur, amitterent*, &c.

Fieri verò poteſt, vt aliquis ſolam habens ſcientiam naturalem, ſolo lumine naturali, induſtriâ, laboréque humano comparatam actus hierarchicos iudicandi, abſoluendi, leges ferendi, prædicandi, ſacrificandi, & ſimiles tam ordinis quàm iuriſdictionis exerceat: non enim dependent iſti actus à fide ſeu lumine ſupernaturali, quo miniſter illuſtretur, vt aduerſus Donatiſtas, Vvicleſiſtas, & alios hæreticos Eccleſia docet. Itaque propriè dictum ſcientiæ chariſma, ſeu donum non omninò, neque abſolutè ſimpliciter neceſſarium eſt ad exercitium actuum hierarchicorum ordinis, vel iuriſdictionis, eorúmque valorem & vigorem in aliorum ſalutem.

Atenim ad conſentaneum eorum actuum exercitium neceſſarium eſt, vt ſcientia miniſtri actionum hierarchicarum, ſiue ordinis, ſiue iuriſdictionis nitatur diuinâ fide: cùm enim omnes actus hierarchici circa res ſacras verſentur, debet ſcientia, quæ ducit & dirigit ad illos actus, ſacra eſſe ac diuina, à reuelatione proinde diuina, quam à Deo reuelante de rebus ſacris iſtis hauſimus, dependens eáque ſubnixa: ſcientia porro omnis, quæ fidem complectitur, & reuelationi diuinæ innititur, vt pote naturæ facultatum excedens dicitur propriè chariſma, ſeu gratia gratis data, quia ex vna parte, quatenus ſupernaturali principio innititur, naturæ vires excedit, & gratis datam homini virtutem, fidem ſcilicet continet: ex altera verò parte, quâ facilitatem tribuit diſertè & facilè apprehendendi, vel explicandi fidei myſteria, modúmve operationis ſacræ ab Eccleſia præſcriptum cogitandi, memorandi, & in vſum reuocandi, hac ratione in aliorum ſalutem extenditur, ideò gratiæ ſupernaturali gratis datæ non gratum facienti adcenſetur. Quod vtique obſeruare poſſumus apud ſanctum Paulum, qui inter chariſmata ad aliorum ſalutem fidem numerat, 1. Cor. 12. eodémque ſenſu probabile eſt Scripturam intelligi, dum Actorum 6. Stephanum fide & Spiritu ſancto plenum nobis deſcribit; plenum namque fide ad aliorum inſtructionem, plenum Spiritu ſancto ad ſuam perfectionem. Qualemcumque igitur homines facilitatem ad actus hierarchicos ſeu aptitudinem habent ex fide operantem hanc chariſma dicere debemus: Quod egregiè oſtendit Ambroſiaſter in caput duodecimum prioris ad Corinthios, his verbis: *Quoniam rationem Spiritalium ignorantes per ſingula chariſmata hominibus potiùs quàm Deo dabant gloriam, non aſſecuti per Spiritum ſanctum hoc donum miniſtrari: & quia qui Dominum Ieſum vocat, non ſine Spiritu ſancto hoc dicit (habet enim gratiam in eo ipſo fidei ſuæ, propter gloriam nominis Chriſti, non enim ſine dono Dei eſt Dominum dicere Ieſum) per hoc oſtendit illis in omnibus Dei eſſe laudem & gratiam: ſicut idolorum imago in miniſtris eius eſt, ordinem ſuum habens per ſingulos gradus, totum tamen hominis eſt ita, & in lege Dominica gradus chariſmatum ſunt, officiis Eccleſiæ non vtique meritis humanis indulti, ſed vt membra ad ædificationem Eccleſiæ pertinentia, quæ per ſe & in ſe habent gloriam, ſicut eſt etiam in humanis officiis. Scholæ enim ſunt, quæ poſitis in ſe dant dignitatem, vt loci honor hominem faciat glorioſum, non propria laus.*

Deinde vt ſalutares ſint, efficaces, potentes hierarchici ſermones, vt nempe ſacerdotales exhortationes ad populum fructum referant ſuo fini congruentem: vt magiſtratuum & legum conditores quadam veneratione ſuos in officio continere, & dociles reddere poſſint; vt increpationes, quæ à ſacris magiſtratibus fiunt, appoſitæ ſint ad concutiendum, & terrendum, & conuertendum, itémque monitiones ad perſuadendum efficaces, & tota concionatoris oratio, vox ipſa, geſtus, mores, animus ad mouendum compoſita ſint, denique vt omnis vel ferè omnis actio hierarchica fructuoſa ſit, & vtilis, Deus operatur: eáque vis & efficacia, vt eſt in ope-

rante gratia gratis data vocatur, vt eſt in patiente, diuina motio, auxilium actuale, & gratia mouens, excitans nominatur. Nam vt de priori capite huius propoſitionis dicamus, quòd ſermo potens & efficax gratiæ dici poſſit, & quòd reuerà diuina ſit gratia: patet primò, quia in Scripturis ſacris gratiæ nomine dicitur Pſalmo verbi gratiâ quadrageſimo quarto, *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.* Lucæ vigeſimo quarto, *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius.* ad Epheſios quarto, *Sit ſermo bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Secundò, quia Deo ſermo ſapientiæ & ſcientiæ tanquam auctori tribuitur, & inter diuina chariſmata recenſetur 1. Corinth. 11. eiuſdem quoque à Salomone opus dicitur moderatio ſermonis & directio in proximi vtilitatem quantumuis præparati, & humanâ induſtriâ digeſti, atque diſpoſiti. Scribitur enim Prouerb. 16. *Hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Eiuſdem à Dauide virtus omnis Euangelizantium diuinum opus proprium dicit Pſalmo ſexageſimo ſeptimo, *Qui dat verbum euangelizantibus virtute multa.* Tertiò, eodem ſenſu legitur, *Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, ad Hebr. 4. vt ſcilicet non hominum ſermo, ſed Dei eſſe innuatur, quicunque hanc efficaciam habet, vt ad diuiſionem animæ ac ſpiritus attingat, animámque à concupiſcentiarum illecebris, & ſui immoderato amore diuellat; ad quod certum eſt humanæ eloquentiæ vim nullâ ratione pertingere poſſe. Legitur & Apoſtolus hoc agnoſcens ſcripſiſſe prioris Corinthiorum 2. *Et ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & virtutis.* Et paulo pòſt, *Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur, non doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes.* Denique prioris Corinthiorum tertio, *Neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus.*

Et certè quis perſuadere ſibi poſſit non opus fuiſſe diuinæ gratiæ gratis datæ vbertate in ſancto verbi gratiâ Vincentio Ferrarienſi, vt tot hominum millia ſuis concionibus ad Deum conuerteret, & ad pœnitentiam agendam ſalubriter excitaret? licèt enim opus fuerit in ſingulis diuinâ excitante gratiâ, quâ à peccatis reſurgerent, & de iis vt oportet dolerent, nihilominùs in ipſo concionatore diuinam prætereà gratiam gratis datam admittere neceſſum eſt, vt tam potenter diſſereret, tam acriter ſine cuiuſquam offenſione peccata carperet; tanto ipſe exteriori & ſenſibili zelo inflammaretur: tantâ pietatis commiſeratione ac teneritudine erga peccatores colliquefieri videretur; tot illuſtria non tantùm intellectualis, verùm etiam ſenſibilis erga Deum amoris ſigna proderet; tanto feruore loqueretur, tam appoſitè diceret, tam gratiosè ſermocinaretur. Hæc, inquam, omnia gratiæ ſunt gratis datæ, ſeu chariſmatis ſingularis. Quæ chariſmata licèt in vtilitatem audientium primariò ſemper dentur, nonnunquam tamen intuitu audientium, nonnunquam Doctorum à Deo benignè conceduntur, nam, vt ait Gregorius lib. 1. in Ezechielem homil. 12. *Aliquando propter malos auditores bonis tollitur ſermo Doctoribus; aliquando verò pro bonis auditoribus datur ſermo Doctoribus & malis: aliquando autem propter docentium atque audientium iuſtificationem bonis Doctoribus datur: vt & ipſi per meritum creſcant, & auditores eorum in intellectu & vita proficiant.* Quod poſtquam probauit fuſiùs ſalubre iſtud tam docentibus quàm audientibus monitum, ſubiungit. *Sed cùm in doctrina atque ſilentio ſit meritorum tanta diuerſitas, vt ſciri facilè non poſſit, vtrùm ex auditoris an eius vitio, qui doctrinæ locum videtur tenere docendi ſermo ſubſtrahatur, quid aliud nobis, quàm ſeruari ſemper in rebus dubiis humilitas iubetur? vt quando loqui non poſſumus, hi qui nobis commiſſi ſunt, minimè nos diiudicent: ne fortaſſe non ex noſtro, ſed ex peccato audientium loqui minimè poſſimus*, &c.

Ex quibus colligitur euidenter neceſſitas chariſmatum ad actionum hierarchicarum ſaltem plurimarum non quidem exercitium qualecumque, ſed vtile & fructuoſum: quo ſenſu dicit Hugo loco ſuprà citato, *ſine gratia operari vanum eſſe*, & Apoſtolus Petrus admonet primæ 4. *Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum adminiſtrantes*: ac ſi hunc ordinem à Deo tanquam conuenientem ſtatutum dicat, vt priùs gratiam à Deo accipiamus, quàm in alios transfundamus, & nonniſi ex diuinorum cha-

riſmatum abundantia in alios diuini luminis, quod modò purgatiuum, modò illuminatiuum, modò perfectiuum dicitur, radios traiiciamus. Totus eſt in eo Dionyſius, vt diuinam ordinationem iſtam hominibus perſuadeat: ſpectans enim in actionibus hierarchicis, non ſolùm principatum, imperium, directionem, & ſuperioris in inferiora influxum, ſed eius prætereà ſanctitatem intuens, efficaciam, ſubordinationem diuinæ legi ac bonitati, finémque, qui eſt diuina aſſimilatio, & reductio ad Deum totius hierarchiæ auctorem; ideò neminem perficere, illuminare, purgare quemquam aſſerit, niſi per gratiæ, ac luminis à Deo accepti diffuſionem.

De ſacramentis iam non eſt ſermo, quorum conferendorum vis, vt mox dicemus, gratia dici poteſt, & quorum conferendorum cùm inſtrumenta tantùm ſimus, nonniſi acceptâ à Deo principali eorum causâ, virtute ac poteſtate ipſorum effecta pertingimus, de inſtructione, admonitione, directione per leges, iudicia, monita, conciones, lectiones ſacras, ac catecheſes præſertim ſermo eſt, de quibus potiſſimùm agit Dionyſius, & eorum vtilitatem, ac conuenientem ex diuina ordinatione vſum ediſſerens, diuinorum chariſmatum paſſim meminit: libri ſiquidem de cæleſti hierarchia cap. 3. cuius Græca verba Latinis expoſita ſuperiùs protulimus, Dionyſius hierarchiam aſſerit Dei initiationem ſibi proponere, *αὐτὸν ἔχουσαν πάσης ἱερᾶς ἐπιστήμης τε καὶ ἐνεργείας καθηγεμόνα, Ipſum habentem omnis ſacræ ſcientiæ, & operationis ducem*: hierarchiæ primores nobis exhibet tanquam ſpecula maximè perlucida, & ab omni labe pura, diuinum primæ lucis radium recipere, & plena cùm ſint diuinæ lucis, ſine inuidia ſequentibus infundere. Quam doctrinam Dionyſij ita explicat Pachymeres in Paraphraſi iſtius capitis. Διὰ τοῦτο γὰρ εἶπεν, ὅτι καὶ τῆς ἐπιστήμης, καὶ τῆς ἐνεργείας ἔχει τὸν Θεὸν καθηγεμόνα ὅτι τὸ πᾶν ἐκεῖθεν, καὶ οὐ τῆς ἡμετέρας ἐστὶν ἀξίας. ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν καθ᾽ ἡμᾶς τεχνῶν καὶ ἐπιστημῶν οὐκ ἔστι τοῦτο, ἀλλὰ τῶν μὲν ἐπιστημῶν, ἔχομεν καθηγεμόνας, τῶν δὲ ἐνεργειῶν οὐδαμῶς. ἀλλ᾽ αὐτὴν τὴν τῆς φύσεως κίνησιν. ἐπὶ δὲ τῆς θείας ἱεραρχίας, καὶ ἡ ἐπιστήμη, καὶ ἡ ἐνέργεια ἐκεῖθέν ἐστι. τὰ γοῦν ἔσοπτρα, δέχονται μὲν τοὺς φωτισμούς. καὶ ἀνακλάσει δὲ, πρὸς τοὺς ἔξωθεν ἀποπέμπουσιν. οὕτω καὶ ἐπὶ τοῖς θείοις ἐστὶν ἰδεῖν θεσμοῖς. ὁ ἀρχιερεὺς παρ᾽ αὐτῆς τῆς ἱεραρχίας τὸν φωτισμὸν δεχόμενος τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις μεταδίδωσιν. οὗτοι δὲ πληρωθέντες τῆς λαμπηδόνος, πρὸς τοὺς ἑτέρους αὐτὴν ἀποπάλλουσι. *Propter hoc enim dixit, quòd & ſcientiæ & operationis habet Deum ducem, quoniam inde bonum eſt, & non ex noſtra dignitate, in ſcientiis enim & artibus, quæ apud nos, iſtud non reperitur. Nam ſcientiarum habemus duces, operationum verò nullo modo, ſed ipſum naturæ motum: in diuina verò hierarchia, & ſcientia & operatio inde eſt. Specula igitur recipiunt quidem illuminationes, per reflectionem verò ad eos, qui extra ſunt, remittunt, ſic & in diuinis videre eſt ritibus ſacris Princeps ſacerdotum ab ipſa hierarchia illuminationem recipiens, Presbyteris, & Diaconis impertit, illi verò repleti ſplendore, ipſum ad cæteros vibrant.*

Fuſiorem hæc explicationem exigerent, quomodo nempe & ſcientiarum humanarum duces, cùm homines habeamus, & ad operationem ſecundum ſcientiam exercendam ducibus non indigeamus, oporteat hierarchicæ ſacrorum ſcientiæ Deum ducem eſſe, qui Epiſcopos eam ſcientiam edocet, à quibus cæteri inferiorum graduum Deo ſemper doctore ac ductore eandem accipiant, ita vt præter extremos iſtos Doctores Deo opus ſit, qui interiùs vnumquemque illuminet, qui cathedram habens in cælis, hominum corda in terris doceat, & ad aſſenſum reuelatorum inducat, ipſo quoque opus ſit, qui præſto ſit nobis ſacra operantibus, vt & conſentaneè fiant, & effectum ſuum ac finem conſequantur. Sed vt redeamus ad Dionyſium, diuinus iſte Doctor eamdem neceſſitatem chariſmatum ſecundum poſtremam vtramque explicationem oſtendit tum cap. 1. de Eccleſiaſtica hierarchia, vbi à ſacerdotij efficacia oriri docet, vt cùm myſticâ contemplationum ſcientiâ illuſtrati fuerimus, tum conſecrari, & conſecrare, illuſtrari, & illuſtrare, perfici & perficere poſſimus. Tum c. 5. in Theoria, vbi Pontificem nobis exhibet, *ὑπὸ Θεοῦ κινούμενον εἰς πάσας τὰς ἱεραρχικὰς ἁγιαστείας, à Deo motum in omnibus hierarchicis ſanctificationibus*, vbi diuinam πληρωτικὴν τῆς πάσης ἱερατείας δύναμιν, καὶ ἐπιστήμην, *perficientem omnem ſacerdotij vim & ſcientiam*, à Deo Pontificibus dari, & ad eam Pontifices hierarchicè conſecrari aſſerit, atq; ideò ſcientiam iſtam θεοπαράδοτον, ſeu *à Deo datam* appellat: tum pluribus aliis ex vtroque libro tam de cæleſti, quàm hierarchia Eccleſiaſtica teſtimoniis ſuperiùs prolatis: tum denique iis verbis epiſtolæ 8. ad Demo-

phylum, *πῶς φωτισοῦσιν οἱ ἐσκοτισμένοι, Quomodo illuſtrabunt ij, quibus offuſæ ſunt tenebræ?* Et paulo pòſt vbi docuit illuſtrandi vim maiorem habere, qui ad Deum propiùs accedunt, *Εἰ τοίνυν ἡ τῆς ἱερέων διακοσμήσεώς ἐστιν ἡ φωτιστική, παντελῶς ἀποπέπτωκε τῆς ἱερατικῆς τάξεως, καὶ δυνάμεως, ὁ μὴ φωτιστικός· Quòd ſi ſacerdotum ordo illuſtrandi vim habet: profectò penitùs abhorret à ſacerdotum ordine atque facultate is, qui illuſtrandi vi non eſt præditus.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Peculiaris ſenſus, quo neceſſaria Eccleſiæ dicuntur chariſmata, ad cuius illuſtrationem chariſmatum diuiſio exponitur.

IIs adiungo chariſmata ad hierarchiam neceſſaria eatenus dici poſſe, quatenus tam ipſe ordo, quàm iuriſdictio (quas partes integrantes perfectæ hierarchiæ diximus) chariſmata aliquo modo dici poſſunt. Nam & Paulus ſæpè Apoſtolatum ſuum *gratiam* vocauit, ad Romanos 1. prioris ad Corinthios 3. ad Epheſios 3. non ſemel: Conſtitutiones Apoſtolicæ quoque apertè iſta chariſmatum nomine donarunt; rationémque huius acceptionis protulerunt lib. 1. cap. 8. *τὸ μὲν εἶναι χριστιανὸν ἐφ' ἡμῖν, τὸ δ' ἀπόστολον, ἢ ἐπίσκοπον, ἢ ἄλλο τι οὐκ ἐφ' ἡμῖν, ἀλλ' ἐπὶ τῷ διδόντι Θεῷ τὰ χαρίσματα· Eſſe quidem Chriſtianum in noſtra poteſtate: Apoſtolum verò vel Epiſcopum non eſſe noſtrum, ſed potiùs penes Deum chariſmata largientem.* Quin etiam Concilium Moguntinum anno 1549. habitum, ordinem etiam & iuriſdictionem gratiæ nomine comprehendit: primâ ſcilicet parte Decretorum, quæ ad doctrinam ſpectant, cap. 35. definiens, *ritè ordinatis gratiam diuinitùs conferri, quâ ad Eccleſiaſtica ritè & vtiliter exercenda apti & idonei efficiantur, & quâ rata ſunt & efficacia, quæ à ritè ordinatis in Eccleſia iuxta Chriſti & Eccleſiæ inſtitutionem geruntur. Hancque gratiam eſſe ordinis, & muneris, non hominum & perſonarum.* Quid porrò gratia iſta ordinis & muneris, non perſonarum, niſi ipſa diuina dignatio ordini & muneri inſidens potiùs quàm homines, ſeu perſonas afficiens: vno verbo ipſe ordo, vel officium & præfectura Eccleſiæ, quæ diuinâ dignatione conferuntur. Quod enim aliud donum præter ordinem & iuriſdictionem dici poteſt, rata & efficacia reddere ea, quæ ab ordinatis geruntur præter ordinem & iuriſdictionem? de eodem etiam fortè dono exponendi ſunt Theophylactus & Ambroſius ſuperiùs citati: nec abludit Apoſtolus 1. Cor. 12. qui ſi verum eſt, quod ait Cellotius lib. 8. cap. 3. chariſmatum nomine generali miniſtrationes chariſmatum & opitulationum comprehendit, dum ait, *Diuiſiones verò gratiarum ſunt, idem autem Spiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus.* Sic pariter ad Rom. c. 12. ſub nomine donationum ſeu *χαρισμάτων*, tanquam duas ſpecies, prophetiam ſcilicet & miniſterium enumerat. Sed de his locis 1. Cor. 12. & ad Rom. 12. fuſiùs infrà diſſeremus. Certè confundunt Interpretes Græci hæc nomina, Latini plurimi diſcernunt; priori quidem loco, qui ex cap. 12. prioris ad Corinth. excerpitur, longè probabiliùs puto chariſmata ab Apoſtolo duobus modis ſumi, & genericè & ſpecificè: genericè pro omni dono ſupernaturali, quod ad aliorum vtilitatem primariò confertur. Quo ſenſu in fine capitis enumeratis variis chariſmatum ſpeciebus dixit, *Æmulamini chariſmata meliora: & adhuc excellentiorem viam* (charitatis) *vobis demonſtro*: ſpecificè verò pro vna ex ſpeciebus chariſmatis genericè ſumpti; quòd tres ſcilicet ſpecies complectitur, primam chariſmatum ſpecificè ſumptorum, quæ nec ſunt miniſtrationes, nec operationes: alteram miniſtrationum, ſeu miniſteriorum & graduum Eccleſiaſticorum, cuiuſmodi ſunt Apoſtoli ab ipſo relati: tertiam operationum ſeu *ἐνεργημάτων*; quæ *χαρίσματα τῶν σημείων* ſeu *gratias ſignorum* vocant Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 8. cap. 1. & opponunt iis, quæ *πνευματικά* ſeu ſpiritalia indigetant.

Liceat ergo mihi comparanti Conſtitutiones Apoſtolicas cum textu Apoſtoli Pauli cap. citato, diuidere chariſmata in ſpiritualia, quæ effectum ſuum habent circa animas, ſpiritualem & inuiſibilem, & corporea ſeu ſignorum, quæ effectus habent viſibiles & vt plurimùm circa corpora, ad quam ſpeciem Apoſtolus Paulus, *Virtutes & gra-*

tias curationum, ſeu gratiam ſanitatum & operationem (ἐνέργημα) virtutem, imò & dona linguarum reuocat: explicántque variis exemplis Conſtituriones Apoſtolicæ cap. cit. citantes etiam illud Mathæi vltimo, in quo eorum prolixa enumeratio à Chriſto traditur iis verbis: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur*: *In nomine meo Dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & benè habebunt.* Quæ chariſmata nonniſi ad ſalutem infidelium neceſſaria eſſe aiunt prædictæ Conſtitutiones, ibidem Pauli ſcilicet ſententiam allegantes, 1. Corinth. 14. *Linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus*, quam ſententiam ad omnia ſigna extendunt. Eam verò doctrinam fusè confirmat Gregorius homiliâ vigeſimâ nonâ in Euangelia, ſigna hæc in Eccleſiæ exordio neceſſaria fuiſſe docens, non progreſſu temporis poſtquam altior fides Chriſti in mentibus populorum radices egit. Iiſdem tamen chariſmatis alia ſpiritalia bona opponit, quorum aliqua quotidie ſpiritualiter à ſacerdotibus, alia à laicis ipſis habeantur, nam & chariſma illud ponit ſacerdotum, quod per exorciſmos Eccleſiæ Dæmones ab animabus pellant, quod propriè ordinis chariſma eſt; Chriſtianæ item fidei vim in laicis prædicat, quâ & conditoris laudem & poteſtatem narrantes, ac ſæcularia verba derelinquentes, linguis nouis loqui viderentur, quod ſuis exhortationibus malitiam tanquam ſerpentem ex cordibus aliorum tollant, aliáque faciant, quæ ad chariſmata propriè dicta minimè pertinent, eo quòd primariò in propriam ſalutem, non in aliorum inſtituta illa ſint. Sed longiùs à propoſito diſcedo, redeundum mihi ad orbitam ſpeciémque chariſmatis ſpiritalis, in duas iterùm diuidi poſſe docendum, ita vt vnum chariſma ſpiritale abſque dignitate, miniſterio, & auctoritate habeatur; alterùm cum dignitate, miniſterio, & auctoritate coniungatur, quam diuiſionem innuunt eædem Apoſtolicæ Conſtitutiones. Quædam enim quibuſlibet laicis omnis auctoritatis & miniſterij Eccleſiaſtici expertibus chariſmata tribuunt eodem capite paſſim. In fine verò quædam cum dignitate Eccleſiaſtica coniuncta chariſmata enumerant, & ſe hanc tractationem præſertim ſuſcepiſſe narrant, διὰ τοὺς ἀξιωθέντας χαρισμάτων ἢ ἀξιωμάτων, *Propter dignos chariſmatibus & dignitatibus.*

Atque ita colligitur diuiſio Paulina chariſmatum genericè, in chariſmata, quæ miniſtrationes dicuntur, quia gratiæ diuinæ additum habent miniſterij Eccleſiaſtici officium, & dignitatem Eccleſiaſticam, cuiuſmodi ſunt Apoſtoli & Doctores, id eſt, Epiſcopi & Preſbyteri docendis populis ex officio præfecti, quos cum Paſtoribus albi coniungit ad Epheſios 4. & in chariſmata, quæ ſigna viſibilia adiuncta habent, & ideò chariſmata ſignorum dicuntur, à Conſtitutionibus Apoſtolicis, & à Paulo *operationum*, ſeu ἐνεργημάτων, quaſi *inoperationum*, vt vertit Hilarius libro octauo de Trinitate, vocantur: quo nomine potentes & efficaces operationes, quæ, Deo volente, & per homines ſingulariter, & ſupra naturæ ordinem agentes fiunt, intelliguntur, cuiuſmodi ſunt virtutes, curationes, linguæ, quæ à Paulo enumerantur. Denique in ea, quæ merè ſunt chariſmata in aliorum ſalutem à Deo merè gratuitò conceduntur ſine ſignis, ſine dignitate, & ideo generis nomen retinent, & chariſmata ſpecificè vocantur, ſicut ſpecies, quæ nomine proprio carent, vel quarum differentiæ, ſecundum id quod generi addunt, nobis ignotæ ſunt, quæque ideò negatione exprimuntur; eæ, inquam, ſpecies generis nomine donari ſolent; eodem modo chariſmata ſignorum ſeu operationum virtutum chariſma ſpecificè ſumptum, à gratia ſanitatis ſeu curationum, linguarum & prophetiæ diſtinguitur, quamuis & hæ virtutes ſint, ſed quia propriis nominibus donantur, à virtutum chariſmate, quod proprium nomen non habet, ſpecies diuerſæ ſtatuuntur.

Et ſane, quod Paulus verbis à nobis citatis in diuiſione gratiarum chariſmatum ſpecificè, non genericè nomen ſumpſerit, ex duobus præſertim colligi poteſt. Primùm eſt, quòd Paulus chariſmata Spiritui ſancto, miniſtrationes Chriſto Domino, operationes Deo Patri per appropriationem tribuiſſe videatur, tres iſtas chariſmatum ſpecies non immeritò diſtinguens, quòd vnaquæque earum alicui diuinæ perſonæ per appropriationem iure merito conueniat. Etenim operationes miraculi plenæ, quia ſunt effectus potentiæ diuinæ, quæ Patri tribuitur, Patri quoque peculiari quadam ratione aſſignantur, miniſteria Eccleſiaſtica ac di-

Google

gnitates, quia ſunt quædam participationes ſacerdotij Chriſti, & à Chriſto Domino inſtitura ſunt, ideò Filio, quem Dominum noſtrum, quòd nos redemerit, & nos à Patre tanquam hereditatem ſuam ſibi donatam acceperit, vocare ſingulari quodam titulo ſolemus, tribuuntur. Chariſmata verò cætera, quæ nec miniſteria, nec prodigioſa opera ſunt, eo tamen ipſo, quod ad Eccleſiæ, cuius Spiritus ſanctus ſponſus eſt, & cuius gubernatio eidem adſcribitur, rectam adminiſtrationem inſeruiunt, qualia ſunt interpretatio ſermonum, diſcretio ſpirituum, ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, & cætera id genus, Spiritui ſancto à Theologis addicuntur. Vnde licèt quidam Patres vnicum Spiritum ſanctum nomine *Spiritus Domini*, & *Dei* interpretentur, conueniens tamén eſt illa expoſitio, quam alij probant tres perſonas ibi exprimi, cuius ſententiæ ſunt Athanaſius de Spiritu ſancto ad Serapionem, & oratione contra Sabellij Gregales, itémque libro de communi eſſentia, probans Spiritum ſanctum aliquando præponi, non ſubiungi in enumeratione perſonarum. Nyſſenus lib. 1. contra Eunomianos cap. 16. Hieronymus in caput citatum, Vigilius diſputatione de Chriſto D. N. & fide S. Trinitatis, Elias Cretenſis Scholiis in Orationem 24. & 25. Nazianzeni, Nicetas in Orationem 39. & 44. eiuſdem auctoris, & alij, etſi eorum aliqui, purà Athanaſius, non diuerſitatem gratiarum exinde probet, ſed eundem effectum tribus perſonis attribuat. Sed ſanè conuenientiùs dici videntur diuini effectus diuerſis perſonis per appropriationem attribui, licèt ab omnibus procedant.

Atqui ſi chariſmata genericè ſumerentur, in verbis ſancti Pauli ſuperiùs allatis, iam non poſſemus ſingulas ſpecies chariſmatum ſingulis perſonis diuinis appropriationis apud Theologos vſitatæ iure tribuere, ſed oporteret dicere chariſmata generatim Spiritui ſancto adſcribi: deinde duas ſpecies chariſmatum, duabus aliis perſonis proprias aſſignari, quod conſentaneum non eſt: quia cui genus per appropriationem tribuitur, eidem & ſpecies ſub eodem contentas tribui ſimiliter conuenit. Et ita perit gratia omnis appropriationis, quam ſpectaſſe videtur S. Paulus.

Alterum, quia ſi chariſmata genericè ſumpſit S. Paulus, valdè mutilam chariſmatum diuiſionem tradidit, cùm certum ſit integram diuiſionem chariſmatum, operationibus & miniſtrationibus minimè contineri. Sed inſuper alia eſſe à Paulo etiam enumerata, quæ cùm nec operationes, nec miniſtrationes dici poſſint, chariſmatum generali quidem nomine, ſed ad vnam ſpeciem reſtricto dici debent à Paulo explicata.

Atque hoc ipſum fateri videtur Cellotius n. 3. 4. 5. 6. 7. cap. cit. vbi tria hæc chariſmatum genera ſtatuit, non tamen ſatis ipſe ſe explicat, nec excuſari poteſt, quin turbationis vel contradictionis argui poſſit: numero enim tertio tria genera chariſmatum nobiſcum ait eſſe, purà *gratias ſiue chariſmata, miniſtrationes & operationes.* Sed mox malè *à generico ſignificatu*, Paulum *incipere*, ſubdit; non enim à generico ſignificatu, ſed ab aſſignatione ſpeciei: quæ nomine generico in ſpecifico ſignificatu ſumpto donatæ Paulus diuiſionis ſuæ exordium ducit. Itaque ſatis oſtendit bonus ille Pater, ſe Grammaticis nimiùm aſſuetum elementis, & Rhetoricis floſculis, Philoſophorum terminorum vim & proprietatem ignotaſſe. Similiter num. 4. explicans iſtum verſum, *diuiſiones gratiarum ſunt*, à quo verſu ſpecierum chariſmatis tanquam generis in ſpecies non infimas, ſed ſubalternas diuiſionem exorditur, ait χαρίσματα legi in textu Paulino, *genericum nomen, cuius ſpecies deinde producturus eſt*; quibus verbis quis non crederet genericè chariſmata hoc verſu intelligi debere non ſpecificè, & ſpecies poſteà ab ipſo Paulo chariſmatum ſubiungendas aliis verſibus, non autem hoc ipſo verſu vnam ex ſpeciebus chariſmatis genericè ſumpti aſſignari? eodem numero chariſmata, *generis nomine ad ſpeciem contracto* ſumenda dicit, quæ pugnantia ſunt. Additque gradus ſupremos *Eccleſiaſticos*, hoc nomine comprehendi, *iis chariſmatis instructos, quæ ſunt ad explendum officium neceſſaria*, Magiſtratus ſcilicet Eccleſiaſticos, purà Apoſtolos, Epiſcopos, Preſbyteros; quod vtique falſum eſt, & turbationem iſtius diuiſionis inducit; hæc enim ſub miniſtrationibus comprehendi debent, nam & ipſi Apoſtoli & Epiſcopi miniſtri dicuntur ab Apoſtolo ad Rom. 15. 1. Cor. 3. & 4. 2. cap. 3. 6. 11. ad Galat. 2. ad Epheſ. 3. ad Coloſſ. 1. & 4. 1. Theſſ. 3. & 1. ad Timoth. 4. eadem quoque officia, miniſteria διακονίαι dicuntur, Actorum 1. 6. & aliis, ad Rom. 11. 1. Cor. 5. & 6. ad Epheſ. 4. 2. ad Tim. 4. & alibi. Igitur non debent ſupremi iſtius Eccleſiaſtici gradus ſub chariſmatum ſpecie à miniſtrationum ſpecie diſtinctâ contineri.

Digitized by Google

Præterea ſi ſanctus Paulus per chariſmata ſupremos Eccleſiaſticos gradus intelligit; manca eſt & mutila tradita ab ipſo diuiſio: nam verbi gratiâ, diſcretio ſpirituum, ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, interpretatio ſermonum, & cætera id genus chariſmara ſunt, etiam prout in laicis reperiuntur, nullâ conſecratione donatis; gratiæ ſiquidem ſunt gratis in aliorum vtilitatem datæ, quarum laici etiam capaces ſunr, vt Conſtitutiones Apoſtolicæ cap. 1. docent, & experientia demonſtrat: ea tamen chariſmata nec ad adminiſtrationes pertinent; non enim ſunt Eccleſiaſtica miniſteria, nec ad operationes, ſeu gratiam virtutum ac ſignorum, vt ſatis ex ſe patet: igitur ſupereſt duntaxat, vt ad chariſmatum primam ſpeciem referantur, quæ generico nomine chariſmatum ſeu gratiarum donantur: ad quam tamen ſpeciem nequaquam referri poſſent, ſi per eam ſuptemi Eccleſiaſtici gradus intelligerentur: non enim hęc donâ ſupremi Eccleſiaſtici gradus dici queunt, atque ideò mutila erit & manca chariſmatum diuiſio à Paulo tradita, quam tamen Cellotius ipſe locis citatis tanquam integram & perfectam nobis exhibet.

Ac ne Patrum auctoritatibus deſtitui videamur, fatemur Chryſoſtomum homiliâ 9. in dictum locum, cúmque ſecutum Theophylactum, Oecumenium, & alios Græcos hæc nominibus tantùm non re diuerſa putaſſe. At ex Latinis, qui præſertim hanc diſtinctionem probant Primaſius, & Sedulius interpretationem noſtram, per omnia confirmant; & per *chariſmata*, gratias, quæ miniſterij poteſtatem non neceſſariò inferunt, licèt miniſtris Eccleſiæ minimè denegari debeant, per *miniſtrationes*, ipſoſmet Eccleſiæ gradus, & officia: per *operationes* ſignorum chariſmata interpretantur: Ambroſius non apertè hæc dona diſtinguit, imò videtur innuere Apoſtolum hæc omnia dona, prout Eccleſiaſticis officiis, non autem priuatis perſonis addicta ſunt, conſideraſſe: de cæteris nihil dicam: ſolùm candidè & ingenuè monebo, Anſelmum & Hugonem Cardinalem tanquam fautores Cellotianæ interpretationis primâ fronte videri poſſe. Ipſi tamen nequaquam fauent, quinimò ab eâ penitùs abhorrent. Etenim Hugo quidem Cardinalis ita Apoſtolum interpretari videtur, vt per *chariſmata* generatim, gratias intellexerit, prout ſunt gratis datæ; per *miniſtrationes*, eaſdem prout aliis ſubſeruiunt: per *operationes* tandem, eaſdem prout maiora aut minora ſunr opera ratione effectuum, ita vt gratias non tam diuidat Hugo, quàm diuerſos reſpectus in ea conſideret, primùm ad Deum largitotem ratione cuius gratiæ gratis datæ nomine chariſmatum donantur: alterum ad proximum, in cuius vtilitatem cedunt, ratione cuius dicuntur miniſtrationes, & ad effectus ab iſta gratia pendentes, ratione quorum maiora vel minora opera dicuntur. Si verò Anſelmus alio modo diuidit, primò chariſmata vocat gratias gratis datas, quæ officio vel ordini Eccleſiaſtico ad functiones ſacras ritè exercendas præbentur, quas ſcribit, *Diuiſiones gratiarum officiis Eccleſiæ non humanis meritis deputatas eſſe: ſicut enim*, inquit, *qui dicit Dominus Ieſus, in Spiritu ſancto dicit, quilibet ſit: ita & in loco ordinis officij Eccleſiaſtici poſitus gratiam habet, quiſque ſit non vtique propriam, ſed ordinis per efficientiam Spiritus.* Diuiſiones miniſtrationum eas eſſe ait, *per quas variis modis fideles ſeruiant Deo, dum pro eius amore famulis eius ſubſeruiunt, & neceſſaria tribuunt.* Diuiſiones operationum verò, *quas agunt electi.* Ita vt chariſmata diuidat in ea, quæ ſunt propria ſacerdotalis ordinis viris, atque intuitu ordinis & officij Eccleſiaſtici conceduntur; ea, quæ omnibus fidelibus conceduntur, vt ſibi mutuò ſubſeruiant, ea tandem, quæ ſolis electis conueniunt, ad ſuam & aliorum ſalutem, ſeu in ea quibus ſuperiores ſunt Clericalis ordinis viri cæteris, & quibus inferiores ſe fideles aliis exhibent, & veluti famulos, & ea quibus ad cælum electi pertingunt. Quam diuiſionem neque ſequitur Cellotius, neque vt veritari conſentaneam admittere poteſt: quia nempe eadem chariſmata ſermonis ſapientiæ & ſcientiæ, aliáque, quæ Anſelmus ſub priori membro comprehendit, non ipſe ſoli ordini Eccleſiaſtico officio deberi, verùm etiam conſecrationi religioſæ aſſerit dari: ita vt conſecrentur Monachi ad alios perficiendos, purgandos, illuminandos, ac proinde chariſmata iſta, quibus ſuperiores homines aliis fiunt, non vi ſolius ordinis, & officij Eccleſiaſtici, verùm etiam conſecrationis Monaſticæ contra Anſelmi mentem dari arbitretur. Nos verò licèt eam diuiſionem minimè ſequamur, nihil tamen in ipſa non veritati conſonum iudicamus.

Vt vt ſit verò, & quocumque modo diuiſionem iſtam generaliorem chariſmatum à

Paulo

Paulo traditam interpretemur, certè probabilius eſt cã diuiſione tam poteſtatem ordinis quàm iuriſdictionis comprehendi poſſe, nec immeritò; quandoquidem licèt Sacramenti virtute poteſtas ordinis cõferatur, non deſinit gratis dari, ſicut nec gratia ſanctificans, imò & ipſæ gratiæ gratis datæ quas Sacramẽto adnexuit Deus: cùm itaq; neutra ſacerdotij poteſtas meritis Chriſtianis deputetur, & vtraque in aliorum vtilitatem tendat, chariſmatum, ſeu gratiarũ gratis datarum ſpeciebus adnumerari poteſt; quamuis ſtrictiùs aliquando à Theologis ſumpto nomine chariſmatis & gratiæ, hæ poteſtates tam gratiis quàm chariſmatibus opponantur, & tanquam officia ac gradus cõcipiantur, quibus chariſmata adnectantur, quæ non ipſa ſint chariſmata, magisq; ſtata ac rara videantur, quàm gratiæ gratis datæ, ſtatæ ac ratæ eſſe ſoleant, quas Deus ſingulis diuidit prout vult, & quãdo vult, non vni homini ad ordinantis vocem & Eccleſiæ iudicantis arbitriũ, quemadmodum poteſtates ſiue ordinis ſiue iuriſdictionis dantur, quarum prior nunquam deletur, altera nonniſi Eccleſiæ iudicio tollitur. Sed tota hæc difficultas eſt de nomine, quod in quamcumq; partem trahatur, periculo vacat, nec auctoribus caret. Si verò nomine chariſmatum tam poteſtatem ordinis quàm iuriſdictionis complectamur: quàm certum erit & euidens chariſmata ad Eccleſiaſticam hierarchiam neceſſaria eſſe, vt pote quæ ſine poteſtate ordinis vel iuriſdictionis non ſubſiſtat. Sed hæc Cellotij intentum nullatenus promouebunt, quippe cùm de chariſmate loquatur ab ordine & iuriſdictione diuulſis, quæ alicuius hierarchiæ tanquam fundamenta vnica ſubſternit.

CAPVT III.

Chariſmata Hierarchiæ Eccleſiaſticæ conſtituendæ non ſufficere.

ARTICVLVS I.

Temerè & periculosè Hierarchiã chariſmatũ inuſitatis voce ac ſignificationibus nominari.

SVMIMVS hîc chariſmata prout ab ordine & officio Eccleſiaſtico, & ab ipſa iuriſdictione diſtincta ſunt: quatenus nempe pro ſermone ſapientiæ, ſermone ſcientiæ, interpretatione ſermonum, Prophetiæ ſeu prædictionis futurorum dono, aliiſque eiuſmodi vſurpantur. Cellotius non ſolùm lib. 8. qui totus in hierarchia chariſmatum ab ordinis & iuriſdictionis hierarchia diſtincta ſtabilienda ac comprobanda verſatur: verùm etiam lib. 3. quo generalem hierarchiæ Eccleſiaſticæ in ſtrictiori ſignificatione ſumptæ notionem, ac diuiſionem exponit. Aliiſque paſſim locis chariſmata ab ordine & iuriſdictione diuerſa, imò etiam diuulſa ac ſeparata, hierarchiæ in ſtrictiori ſignificatione ſumptæ ſufficere ex profeſſo contendit, cùmque hierarchiam chariſmatum, ab ordinis & iuriſdictionis hierarchia diſtinctam probat.

Nos hoc commentum refellimus, ac quantum Eccleſiæ periculoſus ſit abuſus iſte nominis 1. loco demonſtramus. Etenim ſi hierarchia Eccleſiaſtica *in ſtrictiori ſignificato*, quomodo loquitur Auctor l. 3. c. 16. & alibi in chariſmatibus fundata agnoſcitur, totius Eccleſiæ forma peruertitur, & agnita à tota Eccleſia ad hoc vſque tempus prærogatiua Clericalis, ſeu Sacerdotalis, ſeu Diaconalis ordinis, quòd principalis ſit ordo hierarchicus, ac ſacri Principatus particeps præ cæteris ordinibus, non dico iis, quos minores ordines dicimus, ſed præ cæteris, qui ad Clerum non pertinent, illa, inquam, prærogatiua ab eodem ordine abducetur, eidémque denegabitur, communicato cum aliis eodem priuilegiò, eodémque honore hierarchici ordinis, & gradus: atque ita non licebit ampliùs inter Clericalem ſeu Sacerdotalem, vt vocant, & alios ſtatus, quoad hierarchias diſcernere, nullum diſcrimen inter Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos, cæteróſque chariſmatum diuinorum compotes, quoad Eccleſiaſticam diſpoſitionem atque hierarchiam admittere fas erit: non ſignificatio ſtrictior admittenda erit, quâ ad Principatum ſacrum in ordine ſacri miniſterij, vel in iuriſdictione fundatum hierarchia reſtringatur, quæ tamen ſignificatio hactenus, vt docuimus, ſola vſitata fuit: certè vſitatam fuiſſe non negabit aduerſarius. Explodendi erunt Patres, qui in ea ſignificatione nomen hierarchiæ congruenter etymologiæ acceperunt: nam illa ſtrictior eſt ſecun-

Digitized by Google

dum Cellotium, quæ ſacro ordine officióque Eccleſiaſtico carentes, atque omnis iuriſdictionis expertes complectitur.

Imò nec ſuis ipſe Cellotius fundamentis, nec cõmunibus principiis conſentaneè inſiſtere poteſt; nam licèt hierarchia dicatur quaſi principium ſacrum ſeu ſacrorũ, vt vult Cellotius: poterit etiam dici quaſi ſacer Principatus ſuperioris in inferiores, vt nos volumus: ita vt ſi prior ſignificatio accipiatur vt amplior, illa ſumi debeat vt ſtrictior, ac proinde, qui in ſtrictiori ſignificato hierarchiam chariſmatum non ſoli ordini ſacro ac iuriſdictioni Eccleſiæ addicunt, iis quoque, qui vtriuſque expertes ſunt, ſacrum debent Principatum in alios tanquam ſuperioris in inferiores tribuere, quod erroneum eſt. Item qui hierarchiam in ſtrictiori ſignificato negant in chariſmatis, ab ordine ſacro & iuriſdictione diuulſis fundari poſſe, ſupponunt tanquam agnitum hierarchiæ ordinem ſtrictiori ſignificaro ſumptum connotare ſubordinationem actionum vel perſonarum diuerſi generis, quod in omnium rerum ordine naturali clariſſimè patet. Ac proinde cùm hoc ſupponant quod euidentiſſimum eſt: qui ex aduerſo hierarchiam chariſmatum in ſtrictiori ſignificaro ſtatuunt, & eam ex æquo ad Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Religioſos, pertinere, imò & Religioſos magis quàm Preſbyteros vel Diaconos, quòd aliud velle videntur quàm Religioſis ordinibus, quos cum Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconis coordinatos accipiunt, ſimiliter in recipiendis gratiis, laicos ſubmiſſos, ſubiectos, ſubordinatos eſſe debere tanquam ipſorum magiſtris, perfectoribus, ac doctoribus: quod hactenus in Eccleſia inauditum, & ab iis Patribus damnatum eſt, qui prætextu Monaſticæ exercitationis, vel Religionis docendi officium vel auctoritatem in Eccleſia vendicare ſibi quemquam poſſe negarunt: vel qui Eccleſiæ ordines in magiſtrorum, & diſcipulorum partientes: in priorem ſolos ordinibus ſacris miniſtrantibus altari diuino initiatos, & iuriſdictione Eccleſiaſticâ præditos; in poſteriorem etiam Religioſos admittunt. Deinde confuſio adhuc Eccleſiaſticæ formæ maior inducetur, & diſſipatio eiuſdem pernicioſior ſequetur, ſi in hierarchia chariſmatum quoſlibet reponat aduerſarius, chariſmatibus diuinis præditos ac dotatos. Iam enim hierarchiæ ſtrictiùs acceptæ promiſcuè omnibus aditus aperietur: eáque omnis generis hominibus patebit, nullum excluder, ideò nec ſingulis decori vel ornamento erit; nec paſtores ab ouibus, Doctores à diſcipulis, initiatores, ſeu Myſtas ab initiandis diſcernere in ea licebit: ſed promiſcuè indiſcriminatim, & confusè omnes ipſa complectetur.

Patet igitur quantum tota hæc loquendi & diſputandi ratio de hierarchia chariſmatũ, non ſolùm diſciplinæ nouitate ſuâ, verùm etiam fallacium ex ipſa conſecutionum collectione periculoſa ſit. Rectè & conſentaneè propoſito videtur obſeruaſſe Turrianus ad cap. 46. l. 8. Conſt Apoſt. obſeru. 5. in hierarchiæ graduum & ordinum nominibus immutandis non poſſe, niſi periculosè errari, eámq; innouationem, certiſſimum quoq; innouatæ Religionis teſtimonium eſſe. At nullum ferè nomen eſt hierarchicũ; quod non Cellotius ab vſitato ſuo ſenſu ad exoticum & alienum traduxerit: *hierarchiæ* nomen pro qualiber excellentia donorum, vel miniſterio, quod ex Hierarchæ præſcripto peragatur, *Clericorum* pro quibuſlibet Deo quacunq; ratione conſecratis, etiam pro Monialibus, & fratribus laicis: *Ordinu*, pro qualibet conſecratione; *Paſtorum*, pro cuſtodibus etiam Angelis, nomina præter vſitatam ſignificationem, in ſacerdotij Chriſtiani, & Paſtorum depreſſionẽ accepit, bonáne hæc innouatio? aut cuiquam bono? Audiat igitur ſuum Turrianum contra hanc nominum immutationem grauiter, & eruditè declamantem, & quæ contra nouatores noſtros Lutheranos loquitur, ea in ſe, eiuſdem cum illis criminis reum dicta putet: *Ecce*, inquit, *Apoſtolica doctrina, quæ falſitatem doctrinæ Lutheranæ coarguit, quæ principatum ſacerdotij & ſacerdotium negat, rerum ac nominum differentiã contra naturam & Scripturam ſublatâ. Videmus enim, inquit Ioannes Damaſcenus in Orat. de Triſag. nomina ſeparantia ſpeciem à Specie, ſeparantia item hypoſtaſim ab hypoſtaſi, & definitiones, ac leges poſitas hactenus viguiſſe, ait enim Scriptura, inquit idem, Et adduxit Deus omnia animalia, vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius. Et Baſilius in hexam. hom. 9. Cùm fœnum, inquit, audiui, fœnum intelligo, ſimiliter cùm arborem, cùm piſcem, cùm beſtiã, cùm iumentum, omnia, vt dicta ſunt, accipio. Et Eccleſiaſtes, Si quid, inquit, factum eſt, iam vocatum eſt nomen eius, & ſcitur quod homo ſit, & non poſſit contra fortiorem ſe iudicio contendere, hunc locum interpretans Gregorius quidam auctor Græcus erudítiſſimus, & elegantiſſimus, Nihil eſt, inquit, in rerum natura, quòd nomen non habeat ſibi conueniens, ſciebat enim qui omnia fecit Deus,*

diuidendum eſſe ſermonem in infinitam varietatem linguarum, idcircò quamuis conaretur aliquis rem quampiam aliter, atque aliter nominare, naturam tamen rei non poſſe mutatione nominis mutari. Quare cùm ſancti Apoſtoli à Domino didicerint, vt Apoſtolica doctrina teſtatur, Epiſcopos eſſe, & dici ἀρχιερεῖς, *id eſt, Præſides, ſiue Principes ſacerdotij, nulla noui nominis ratio efficere poteſt, quin ſit in Eccleſia ſacerdotij Principatus, qui Epiſcopis conuenit: & ſacerdotium quod Presbyteris, quibus Epiſcopi præſunt: ergo licèt iſti nomina confundant, ad decipiendum, & noua nomina inueniant, nunquam tamen res, & differentias rerum mutare poterunt.*

Egregium ſanè exemplum, quo aduerſariorum audaciam ac temerarios auſus coërceamus, ſi enim Lutheranos damnamus hæreſeos, quod pluribus Scripturæ ſacræ ac Patrum in ſpeciem ſibi fauentibus teſtimoniis abutentes fideles omnes propriè *ſacerdotes* nominare audeant: nonne eadem ſaltem ratione damnare iſtos poſſumus, qui nullis Scripturæ, Patrum, vel Scriprorum alicuius nominis auctoritatibus fulti, Paſtorum, imò fortè Sacerdotum ordinis, atque hierarchici, & hierarchicarum functionum nomina ſtrictè propriéque ſumpta aliis, quàm quibus Eccleſiæ traditio tribuit, temerè communicant? porrò ſi vnicuique homini fideli vniuerſim innouatio nominum, in negotio fidei periculoſa, Religioſo viro præſertim cenſeri debet prohibita; ſtatuit enim Concilium Meldenſe, Canone 34. *Sed & qui in ſuis Monaſteriis reſidere deberent, & vocum nouitatem, vt innoteſcant, ſtudio proferre ſatagunt, acerrimè, vt præſumptores arguantur & comprimantur.*

Verùm non ſolùm hierarchiæ nomine abutitur Cellotius, ſed & inconſtanter de hierarchia chariſmatum loquitur, vt patebit præcipuè ex lib. 8. cap. 1. non ſolùm in chariſmatis ſeu donis gratuitis propriè dictis, verùm etiam in donis Spiritus ſancti, ſcientiæ & charitatis: in diuina ſeu ſpeciali vocatione ad profeſſionem regularem, ſeu in ſanctitate & bonitate, in dignitate & excellentia ſupra cæteros vulgaris conditionis homines ac perfectione fundari ipſam ait. Ex vna proinde hierarchia multas efficere oportebit: neque enim magis triplicem ex ordine, iuriſdictione, & donis decet hierarchiam conſtituere quàm ex donis gratuitis, quæ ſine gratia ſanctificante; & donis Spiritus ſancti eſſe poſſunt, ex gratia ipſa ſanctificante, doniſque Spiritus ſancti, & actionibus à gratia ac Spiritus ſancti motione ſecundum diuinam legem ac regulam perficiendis, quæ inter ſe connecti ſolent; & ex ſtatu Regulari, Clericali, Doctorali, Regio, quibus omnibus conſecratio quædam ineſt, ſeu benedictio, aliiſque etiam ſtatibus Chriſtianorum, qui licèt conſecratione & benedictione careant, ſuas tamen habent leges & regulas, quæ rectè ſeruatæ ad mandatorum Dei obſeruantiam, Dei amicitiam, & cum eo ſtrictiorem vnionem, perfectionémque vitæ Chriſtianæ tendunt: quot ergo nobis pro vnica obtrudentur hierarchiæ?

Habent, inquis Celloti, ſuum in hierarchia ordinem Doctores Theologi, Caroniſtæ cum charitatis Profeſſoribus in vnam hierarchiam compacti; an quia ſacras leges & doctrinam docent? quidni & Reges Chriſtiani, qui ad ea tutanda, conſeruanda, propugnanda, executioni aduerſus rebelles Eccleſiæ demandanda diuinâ ordinatione conſtituti ſunt, minùs tibi ad hierarchiam chariſmatum pertinere videbuntur? nunquid de iis prædictum eſt, Pſal. 67. *Tibi offerent Reges munera.* Pſal. 71. *Adorabunt eum omnes Reges terræ.* 101. *Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.* & paulo pòſt, *In conuertendo populos in vnum, & reges vt ſeruiant ei.* & Iſaiæ 60. *Ambulabunt gentes in ſplendore ortus tui,* &c. *& reges earum adducantur,* &c. *& mamillâ regum lactaberis,* atque alibi paſſim; An tibi minùs hierarchici ordinis, qui Eccleſiam defendunt armis, quàm qui libris? an tibi ſpiritus ſcientiæ ad hierarchiam præferendus videtur ſpiritui conſilij, fortitudinis, ac pietatis, qui in Regibus elucet; minúſque ad exemplum populorum, illuſtria Regum facta ac conſpicua iuuare videntur, quàm Monachorum domeſticæ, & in latebris clauſtrorum, ac ſolitudine agrorum obſcuræ virtutes? Sed cur nouam etiam hierarchiam non addis ex Ludimagiſtris tuis, Grammatices, Rhetoricæ, & cæterarum diſciplinarum prophanarum Profeſſoribus? videntur tibi illi chariſmatum hierarchiæ inſerendi? vtique videntur: & id futilibus rationibus probare primus aggreſſus es. In quam, bone Deus! vaſtos & improprios ſignificatus chariſmatum vocem deducis: quid nos iſta vocum improprietate ludificas? ſi enim tibi licet ad naturales animi dotes, quæ naturali labore comparatæ ſpeciali diuinâ gratiâ non indigent, chariſmatum vocem ampliare, atque ideò elementorum

Grammaticæ, Rhetoricæ, linguarúmque præceptores hierarchiæ chariſmatum inſerere: quidni pari ratione chariſmata licebit dicere artium liberalium, imò & mechanicarum omnium peritiam, atque ita omnium iſtarum artium magiſtros profeſſores, opifices, ad hierarchiam chariſmatum accerſere? an magis Grammaticæ & Rhetoricæ præcepta, linguarum peritia ſacra ſunt & diuina, quàm liberales artes aut prophanæ? an non & ad hierarchiæ finem, qui eſt diuina imitatio, referri iſta omnia poſſunt? an verò Grammaticus magis ad Dei imitationem tendit, quàm Muſicus, vel Architectus? nónne & Muſica, verbi gratiâ, ad Eccleſiæ miniſteria, & Architectura ad ſacrorum templorum ſtructuram, & aliæ liberales artes ad diuinum cultum, & Medicina ad aliorum ſalutem etiam ſpiritalem, ſacrorum hominum vtilitatem, ea verò omnia ad Eccleſiæ vtilitatem & ædificationẽ referuntur? nónne & in eam rem de reditibus Eccleſiæ alij æque ac Grammaticæ vel Rhetoricæ vel Philoſophiæ Profeſſores poſſunt? nónne & Muſicos alunt Eccleſiæ & Architectis, Medicis, aliiſq; etiam fabrilium artium præfectis ſtipendia aſſignantur? ſed nec hanc conditionem adeò neceſſariam ad Eccleſiæ hierarchiam defendere potes, cùm Regulares & Clericos, qui ſtipendiis Eccleſiæ non aluntur, in eam coniicias. Illi itaq; omnes, quos enumerauimus, hierarchiæ chariſmatum inſerentur, æquè ac Grammaticæ, Rhetoricæ, Philoſophiæ Profeſſores, iis ſaltem titulis, quibus Grammaticam, Rhetoricam, Philoſophiam ex iuſſu Hierarcharum tradunt, ad Eccleſiæ ædificationem ac commodum, & de Eccleſiæ reditibus aluntur, quibus tamen tu priores iſtos hierarchiæ Eccleſiaſticæ inſeris. Omnes etiam matricularij, qui Eccleſiæ matriculæ olim inſcripti Eccleſiaſticis miniſtris obtemperabant, ipſiſque deſeruiebant ſub poteſtate Epiſcopi, tibi erunt in hierarchia conſtituendi? quanta hæc confuſio, quanta indignitas, ne haud magnum Regularis ordinis viris beneficium facis; quibus tot in hierarchia chariſmatum ſocios adiungis, quàm indignè verò totam Eccleſiaſticam hierarchiam habes, cuius ſupremam hierarchiam, vt vocas, tot hominum adeò vilis conditionis multitudine comples.

Conſecrationem fortaſſe exigis, cuius defectu ſartores, ſutores, cætetóſque ab hierarchia tua excludis, ſed gratis hanc conſecrationem profers: nam ſi in chariſmatis fundatur hierarchia, & hierarchiam tuam dicas quæcunque ſacrarum functionum principium continet, cùm ex ęquo ſacras functiones ab artibus etiam vilioribus oriri poſſe docuerimus, quàm à Grammatica vel Rhetorica, ex ęquo ad chariſmatum hierarchiam ſpectabunt. Sed nec conſtanter loqueris, nam quænam eſt conſecratio hominis, qui opus ex Iubilæi præſcripto obſeruat? iſtud tamen opus hierarchicum probas cap. 2. lib. 1. nec tamen alterius hierarchiæ, quàm chariſmatum. Deinde quænam conſecratio Doctorum in Theologia aut Canoniſtarum vxoratorum, qui ſimplici benedictione inaugurantur, multo minùs ſolemni, quàm reges ac Principes ſupremi, quorum nullam mentionem in iſta tua hierarchia feciſti? Denique quæ conſecratio Ludimagiſtrorum Grammaticæ, Rhetoricæ, Philoſophiæ, quos tamen pro ſuo iure ad hierarchiam chariſmatum lib. 8. cap. 14. pertinere adhibitis, quas ſuperiùs expoſuimus, conditionibus tradis. Vide ergo quàm turpiter hierarchiæ & chariſmatum nominibus, & vtrorumque complexione abutaris? quàm grauiter hâc verborum nouitate Eccleſiam deturpes; quàm periculosè eorum terminorum æquiuocatione, de eorum ordine, ac ſanctitate loquaris, quàm impudenter, quàm inconſtanter ediſſeras.

ARTICVLVS II.

Hierarchiam propriè ſumptam in gratia ſanctificante, charitate vel donis Spiritus ſancti, gratiis gratis datis, actionibus virtutum fundari, errorem eſſe Vuiclefi in Synodo Conſtantienſi damnatum.

§. I.

PROBATIONEM CONTINENS.

EXCLVSIS nominatim iſtorum abuſu & peruerſâ loquendi ratione, ſuppoſitâque nominis hierarchiæ ſignificatione, quam ſupra ſatis ſupérque probauimus; ſecundum quam ſcilicet hierarchia pro ſacro principatu ſumitur; quantus error ſit hierarchiam in his omnibus conſtituere, in quibus eam conſtituit Cellotius, omiſſâ tractatione de ſolemni votorum nuncupatione ſeu regulari profeſſione (de qua infrà) quam vnum ex hierarchiæ chariſmatum fundamentis ſtatuit, nos de cæteris hoc loco ſtrictim dicemus.

Primò itaque nec in gratia ſanctificante, nec in charitate, nec in donis Spiritus ſancti (quæ hîc non diſtinguo, quia cum gratia iſta omnia infunduntur, nec à ſe inuicem diuelluntur vnquam) quin etiam nec in donis gratuitis poſſe hierarchiam propriè dictam fundari, articulum fidei eſſe ſtatuo aduerſus Vuiclefi, Huſſij & ſectatorum errores ab Eclesia propugnatum. Citauimus aliquando in hanc rem propoſitionem iſtam Vviclefi & Huſſij damnatam ſeſſ. 15. Concilij Conſt. *Patet luce clariùs, quòd quicumque eſt humilior Eccleſiæ ſeruicinior, & in amore Chriſti, quoad ſuam Eccleſiam amantior, eſt in Eccleſia militante maior, & proximus Chriſti vicarius reputandus.* Hanc propoſitionem dicimus, ſenſu ab aſſertione Cellotij non differre: atque adeò non ſolùm periculosè Cellotium loqui, verùm etiam ſentire.

Hoc itaque nobis probandum doctrinam Cellotianam de hierarchia chariſmatum eandem eſſe quoad ſenſum, cum propoſitione Vviclefi, Huſſiique damnata. Etenim docet Cellotius ratione charitatis, quæ in Eccleſiæ bonum feratur, ratione item donorum in Eccleſiæ vtilitatem datorum, quibus aliquis, vt verbis prædictorum hæreticorum vtar, *Eccleſiæ ſeruicinior*, ſeu vtilior fiat; ratione denique virtutum humilitatis verbi gratiâ, & mortificationis, quorum exemplo & bono odore homines ad diuinam imitationem inuitentur, ratione, inquam, iſtorum aliquem, non priuatæ tantùm excellentiæ prærogatiuam obtinere, verùm etiam ſuperiori in Eccleſiæ militantis hierarchia loco conſtitui, Deo propiùs eo ſtatu coniungi, ius publicum & officium publicum ad actus hierarchicos nanciſci, vim alios purgandi, illuminandi & perficiendi conſequi, Dei vices ex officio gerere: atqui propoſitionis damnatæ Vviclefi & Huſſij idem omninò ſenſus, nec aliquid ampliùs continetur, aut in eius damnatione damnatur: igitur doctrinæ Cellotianæ propoſitionis Vuiclefi & Huſſij à Concilio Conſtantienſi damnatæ, idem ſenſus, & cenſura Concilij æque Cellotianam doctrinam, ac propoſitionem iſtorum hæreticorum caſtigat.

Maior propoſitio huius Syllogiſmi ſecundum ſingulas partes facili negotio probari poteſt: Cellotium ſiquidem hierarchiæ chariſmatum tribuere, primò, vt dignitatem aliquam & excellentiam tribuat ſingularem innumeris ipſius operis locis conſtat, ideóque *dignitatis & excellentiæ* hanc hierarchiam ſpeciali nomine vocat lib. 8 cap. 1. quòd ſe, ne *inuidioſum* aliquid afferre videatur, non hierarchiarum cæterarum reſpectu, ſed fidelium reliquorum aſſerere dicit. *Siquidem*, inquit, *per ea quæ in hac hierarchia collocati conſequuntur, à vulgari hominum conditione eximi clarum eſt*, nec ea de re difficultas vlla moueri poteſt ab eo qui ſciat, quanta ſit charitatis, gratiarum diuinarum ac virtutum perfectio ſeu excellentia, 2. non priuatam tantùm ab hac hierarchia dignitatem, ſed ius officiúmque publicum conferri, non ſemel docet Cellotius,

ſed maximè lib. 1. cap. 10. vbi actiones hierarchicas *à non hierarchicis diſtinguit, quod illæ ex officio, & quaſi nomine publico & munere publico fiant*. hæc verò neutiquam 3. vim purgandi, illuminandi, perficiendi hierarchiæ chariſmatum paſſim toto opere attribuit, quin etiam lib. 8. cap. 1. cùm per vniuerſas hierarchias tres illi actus fundantur, *Relictam*, ait, *hierarchiæ tertiæ*, id eſt, chariſmatum, *perfectionem ab hominibus doctrinâ illuſtribus charitate ardentibus procuratam, eo nobilius, quo longius à rebus iſtis terrenis ſemoti, ſpiritales Dei actiones, ſanctiùs imitantur & exprimunt*. Quibus verbis & ſenſibus ſatis auctor oſtendit ſe hierarchiam iſtam cæteris præferre hierarchiis, & ad inuidiam ſolùm fugiendam non eam ſe cæteris præſtantiorem expreſſiùs aſſeruiſſe; hanc verò eius mentem mox clariùs oſtendemus. 4. eius quoque hierarchiæ vim eſſe, vt homines ſecundum ipſam Deo propiores ac viciniores conſtituat; vniuerſim oſtendit lib. 1. cap. 4. dum rationem principij & ordinis quàm omnis hierarchia infert, prioris & poſterioris reſpectus includere dicit, eáſq; hierarchias & hierarchiæ ordines priores interpretentur, quæ principio viciniores ſunt, quòd rerum omniũ ſacrarum & ſupernaturalium effectuum Deus eſt. Sed clariùs & expreſſiùs ſparſim toto libro octauo de contemplatiuis, & religioſis id aſſerit. 5. quamuis expreſsè apud eum non meminerim me legere per hierarchiam chariſmatum fieri aliquem Chriſti vicarium: tamen ex eius doctrina indubitatò colligitur; cùm enim huius hierarchiæ proprium faciat, ordinariè quidem impertiri aliquid gratiæ, & doctrinæ ſpiritalis, extraordinariè verò prodigioſa opera edere atque efficere: vtriuſque autem operationis effectorem, Dei vicarium eſſe oporteat; *Prioris quidem quia omne donum optimum, & omne datum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum*, Iacobi 1. Poſterioris autem, quia ſi quis miracula operetur, eum Dei inſtrumentum eſſe oportet: quis non aduertit eo ipſo, quo in hierarchia chariſmatum aliquis locum habet, Dei vicarium conſtitui.

Præterea quis neſciat purgationem, illuminationem, perfectionem, ex Iacobi loco citato, & doctrinâ Dionyſij paſſim, toties inculcata à Cellotio, nonniſi receptis diuinis motionibus atque irradiationibus peragi poſſe: quis ergo neget Dei vicarios dici poſſe, ſi qui ſunt qui doctrinâ cæleſti, monitis, exemplíſque, aliíſque eiuſmodi modis, quos hierarchiæ chariſmatum Cellotius proprios facit homines ex officio erudiunt, purgant, perficiunt, illuminant, hierarchizant?

Minor verò, putà quòd nihil aliud expreſsè ac formaliter Vviclefus, atque Huſſius damnatâ propoſitione ſuperiùs allata dixerint, quàm quòd Cellotius ſuperiùs à nobis explicatus dixit manifeſtè conſtare poteſt: iis ſiquidem verbis tria fundamenta proferuntur tam maioritatis, vt ita loquar, Eccleſiaſticæ, quàm vicariatus Chriſti in Eccleſia militante primùm virtutis opera, verbi gratiâ, humilitatis: alterum charitas in Eccleſiæ bonum ordinata: tertium Eccleſiæ vtilitas per chariſmata diuina procurata: tria iſta eadem ſtatuit, Cellotius hierarchicæ chariſmatum dignitatis fundamenta.

Supereſt itaque vt videamus, vtrum minoritas, vt ita loquar, vicariatúſque Chriſti, quam iis tribus rationibus haberi in Eccleſia militante Vviclefus, & Huſſius dixerunt, damnarunt verò Concilij Conſtantienſis Patres, hierarchicæ dignitati chariſmatum à Cellotio confictæ congruant, non certè ouum ouo ſimilius.

Primò enim Vviclefus & Huſſius tam ordinis quàm iuriſdictionis coercitiuæ poteſtates in Eccleſia negabant, vt ex aliis eorum propoſitionibus ſeſſ. 8. & 15. patet: ea ergo *maioritas*, vt ita loquar, quam in Eccleſia militante generatim aſſerunt, non de ordine & iuriſdictione coërcitiuâ exponenda eſt, ſed ſecundum eorum mentem, nihil aliud eſt, quàm vis quædam hierarchica ab ordine & iuriſdictione diuulſa purgandi, illuminandi, perficiendi, & quidem potiſſimùm per doctrinam, quam omnibus etiam non ordinatis, nec iuriſdictionem ordinariam habentibus, ſi charitatem haberent, & ſufficientibus chariſmatibus inſtructi eſſent, paſſim concedendam eſſe propugnabant. Hanc tamen *maioritatem* vi chariſmatum, charitatis virtutum negabat Concilium cuiquam tribui: Igitur hierarchicam dignitatem, prærogatiuum ius atque officium publicum, purgandi, illuminandi, perficiendi Concilium vnicuique titulo charitatis, virtutum, chariſmatum effingenda negat, ſed ſolùm per ordinationem ſacram, quæ fiat per impoſitionẽ manuum Antiſtitis, & iuriſdictionis

ordinariæ poteſtatem, eſſe tribuenda affirmat, quod nos aduerſus Cellotium tuemur.

2. Ideò Concilij Conſt. Patres propoſitionem iſtam ad Eccleſiam militantem reſtrinxerunt, quòd in Eccleſia triumphante, per charitatis & chariſmatum ampliora dona in ſuperioribus hierarchiis Angelos hominéſque diſponi ſcirent: non per ordinis ſacri, vel iuriſdictionis poteſtates: igitur in iſta propoſitione configenda videntur Concilij Conſtantienſis Patres id ſpectaſſe, vt cæleſtis & Eccleſiaſticæ hierarchiæ, quam ſtatuebant Vviclefus & Huſſius conuenientiam damnarent, quaſi nempe in hac, æquè ac in illa hierarchicæ operationis maior dignitas locúſque auguſtior à charitatis menſura repetatur, ac proinde ſtatuunt in Eccleſia militante, non habitâ ratione, neque pro modulo & menſura iſtorum donorum (quod volebant Vviclefus, & Huſſius) ſed pro ordinis ſolùm recepti gradu, & iuriſdictionis maiori vel minori poteſtate, locum maiorem vel minorem hierarchicum eſſe tribuendum.

3. Quia duobus modis aliquis dici poteſt maior, primo exceſſu quodam priuatæ perfectionis, & perſonalis dignitatis, 2. prærogatiuâ publici officij, iuris ac magiſterij. Certum eſt priori ſenſu non negare Concilium, nec intendiſſe Vviclefum & Huſſium maiores eſſe cæteris membris Eccleſiæ militantis eos, qui charitate feruentiores ſunt, qui Eccleſiæ bono procurando magis idonei videntur, vel qui humilitate cæteris præcellunt. Nam & exceſſum priuatæ perfectionis earum dotum præcellentia manifeſtiùs oſtendit, quàm vt negari poſſit: nec tantum exceſſum iſtum prædicabant hæretici iſti, ſed ex eo ſibi aliqua aſſumebant, & arguebant. Videntur itaque maiores dixiſſe iſti hæretici, eos qui his dotibus præcellerent, officio publico, iure publico & magiſterio quodam publico in iis dotibus præciſè fundato, ac radicato ſeclufis ordine ac coercitiuâ iuriſdictione, nam vt docuimus, nullum ordinem, nullam in fideles iuriſdictionem coercitiuam admittebant, ſicut nec Vvaldenſes, ex quorum impuris fontibus ſuas errorum fæces collegerant, vel certè iidem forſitan vtrique ſaltem à recentioribus habiti ſunt in noſtris Galliis, dictique Vvaldenſes, qui Vviclefi & Huſſij errores ſequerentur: ij enim quamuis ordinem quoque Eccleſiaſticum & iuriſdictionem omnem funditùs euerterent, vt colligere poſſumus ex opuſculis aduerſus ipſos Bernardi Abbatis Fontis calidi cap. 2. 3. & 4. Ermengardi cap. 13. Reiuerij contra eoſdem cap 5. Pilichdorffij cap. 32. in fragmento addito nomine eiuſdem auctoris. Itémque in refutatione *quibus Vvaldenſes diſtinentur* incerto auctore: denique in indice errorum, quibus iidem infecti ſunt, num. præſertim 8 17. 30 32. quæ omnia habentur tomo 4 Bibliothecæ Patrum: iidem, inquam, tamen hierarchiæ ſuæ proceres, & Eccleſiæ Optimates *maiores* vocabant, teſte Ermengardo opuſculo citati cap 14. quæ etiam ſignificatio apud antiquos prophanóſque auctores vulgaris eſt, nam apud Romanos olim *maiores* flamines dicebantur, qui Patricij erant generis, *minores* qui Plebei: *maiores* quoque *perſonæ*, legum Burgundionum titulo 38. §. 4. Longobardorum 1. titulo 6. l. 21. qui mediocribus, ſeu ignobilibus, vulgaribus opponerentur, eſſéntque regni optimates, ſeu primores, publicâ nobilitate conſpicui, quíque ad publica regni concilia vocari ſolerent. In ea ergo acceptione maiores dicebant, Vviclefus & Huſſius, eos qui charitate feruentiores, humiliores, Eccleſiæ vtiliores eſſent: in ea acceptione maiorem quemquam in Eccleſia militante dici, iiſce titulis errorem declarauit Synodus Conſt. Atqui in eadem acceptione maiorem aliquem iiſdem titulis dici poſſe imò debere contendit Cellotius, publicum ius, officium, imò magiſterium, iis titulis affingens omnibus iſtis, quos in hierarchia chariſmatum reponit, proceres eos atque optimates Eccleſiæ militantis aſſerens, imò & *magiſtrorum magiſtros*, quicunque in ipſa collocantur: atque adeò *reginam* affirmat, cap. 12. lib. 8. *hanc hierarchiam in arce ſanctiſſimi conſilij, ſapientiæ, prudentiæque medullam habere, quæ mente actiuâ dirigat, factiuâ operetur, ſeipſam aliquando, nonnunquam alios perficiat, imò ſemper alios, quia nunquam non ſeipſam*, &c. *habere denique ſubditos aliquando eoſdem cum principibus, & in ea reperiri magiſtros magiſtrorum lucentes deſuper, licèt ordine ſubiectos, ſuperiora exempla hominum dignitate, & gradu inferiorum.* Quibus verbis agnoſcit officium munúſque publicum dirigendi, membris hierarchiæ chariſmatum conuenire, quo vnico Vvuiclefus & Huſſius maiores dicebant eſſe quicunque ſacrum in Eccleſia principatum gererent, quippe qui excommunicationes riderent, & omnem Eccleſiaſticam cenſuram & coercitionem contemnerent. Hoc verò officium dari, ex eo quod quis

perfectionem apud ſe habeat, eiúſque beneficio magiſtros etiam magiſtrorum conſtitui, hierarchiæ huius accolas, inferiores etiam habentes, abſque tamen iuriſdictione ac coercitione, nónne eadem mens eſt Vvicleſi, atque Huſſij? quam tamen Concilium Conſtantienſe damnauit: igitur & Cellotianam doctrinam eodem ictu confodit.

Quidni etiam obiter adiungamus, ſi hæc quæ ex Cellotij libro protulimus, admittamus, hierarchiæ ſcilicet iſtius profeſſores in arce veluti ſapientiæ, conſilij, prudentiæque conſtitutos, auctoritatem dirigendi habere, vi interioris iſtius quâ pollent pietatis, ac gratiæ, breui etiam, quia ſubtilitate rationum, conficere omnia nituntur, & audacia ſemper aſcendit, additutos etiam Cellotij fautores coërcendi vim eiſdem deberi, quòd ſine hac illa inutilis futura.

4. Prædictis Vvicleſi & Huſſij verbis vicariatus aliquis Chriſti acquiri dicitur ratione gratiarum gratuitarum vtiliter in Eccleſiæ ſplendorem & commodum impendendarum, & humilitatis ſeu virtutis alicuius: quod abſolutè aſſertum ab iſtis hæreticis, abſolutè damnatur à Concilij Conſtantienſis Patribus: ex quorum proinde mente vera eſt contradictoria propoſitio neminem in Eccleſia militante Chriſti vicarium haberi poſſe, ex eo quod humilior, Eccleſiæ commodior, & charitate erga Eccleſiam ſit feruentior: atqui hanc propoſitionem negat Cellotius, & aliquem iis titulis in hierarchia charisſmatum Chriſti vicarium eſſe poſſe cum Vuicleſo & Huſſio aſtruit, putà qui tanquam vicarius Chriſti ex officio ſcilicet publico, & nomine publico, ſecluſâ omni ordinatione ſenſibili, ac iuriſdictione doctrinam ſacram exponat, Canones interpretetur, homines ad Deum adducat, ſeu vt paucioribus conficiam, purget, illuminet, perficiat. Quemadmodum enim quicumque ex officio ciuili publico & nomine publico, & ex ſui gradus præeminentia, Reipublicæ temporalis communem promouent vtilitatem ij vice Principis funguntur; ita in Eccleſia militante vice Principis Chriſti fungi dici poſſunt quicunque ex ſacro officio publico, & nomine publico & præcellentia Eccleſiaſtici ordinis, in quo conſtituti dicuntur, eiuſdem Eccleſiæ commoda atque emolumenta procurant. Igitur Vuicleſi & Huſſij doctrinam omninò ſequitur Cellotius, & Concilij Conſtantienſis cenſuræ ac damnationi contradicit.

Confirmatur, nam vicariatus Chriſti rationem in eo præſertim reponebat Ioannes Hus, vt patet ex eiuſdem articulo 12. quòd quis imitaretur perfectionem, & ab eo poteſtatem in alios acciperet, quod ipſum Cellotius admittit, vim & poteſtatem hierarchicam ex Chriſti imitatione, in Religioſo ſtatu diuinitùs inſtituto, tum locis prædictis, tum lib. 9. cap. 10. ſitam expreſsè conteſtatus.

§. II.

Cellotij exceptiones aduerſus iſta refelluntur.

QVID ad hæc, Ludouice, reſpondes, quâ te arte & calliditate ab iis inſolubilibus nodis extricas? quâ ſubtilitate inter tuam, & impuriſſimorum hæreticorum doctrinam diſcernis? quâ exceptione parem cum iis ab Eccleſia damnationis ſententiam in ſimili delicto deprehenſus euadis? *Licèt*, inquis lib. 8. cap. 10. *tam pietati prærogatiuam concedat par illud hæreticorum: vt ſola per ſe homines in hierarchia collocet: id tamen eos de Religioſis intelligere, omni aſſeueratione pernego.* Quid tum? non iſta ad obiecta reſponſio eſt, de Religioſis iam non agitur, ſuus hac de re dabitur diſputandi locus: de hierarchia quæ in ſolis chariſmatis gratia, virtutibúſque fundetur, hîc ſermo eſt: non ſolos illa religioſos comprehendit, te iudice, hanc verò admittentes, Vuicleſum & Huſſium Synodus Conſtantienſis damnauit, hæreticos autem iſtos, nullam Religioſi ſtatus, in dignitate hierarchica, ſeu, vt ita loquar, maioritate ſtatuenda rationem habuiſſe fateor: quia nec chariſmatum, nec gratiæ, nec virtutum ſtatum regularem eſſe putauerunt: tu ſtatuis, quia eſſe putas, in eo ab iis diſſentis, ſed à propoſito alienum eſt veſtrum illud diſſidium. In damnata propoſitione conſentientes vos habeo; fatemini omnes aliquem in Eccleſia militante eſſe maiorem ſeu hierarchicæ dignitatis, & auctoritatis participem, & inter Eccleſiæ proceres primotéſque habendum ex eo quòd

humilior, quòd erga Eccleſiam charitate feruentior, quòd ipſi commodior ſit, errorem itaque hunc, quem communiter defenditis communi cenſurâ Synodus Conſtantienſis damnauit. Subdis, *Hierarchia porrò illa, ad quam Hereſiarchæ volunt homines, ſolâ pietate attolli, eſtne noſtra hæc chariſmatum, quam ne de nomine quidem cognitam habuerunt? ac non potiùs ordinis, & iuriſdictionis deprompta: igitur ex eorum veſania obiectio, noſtram non tangit hierarchiam aut ſententiam.* Non te illud quod ſubſumis à damnatione liberat, quia falſum eſt, nec ſi verum eſſet, ideò à damnatione eximeret, quia nec ad veritatem Catholicam ſatis illud eſt, falſum inquam eſt, quod ne de nomine quidem tuam illam hierarchiam Vviclefus, & ſectatores cognouerint, imò ſolam ipſi chariſmatum hierarchiam, nullam iuriſdictionis admiſerunt, vis noſſe hanc fuiſſe mentem Vviclefi & Huſſij, lege hunc articulum eorumdem prędictâ ſeſſ. 15. damnatum, *Non ex teſtificatione hominis ordinantis, ſed ex iuſtificatione operis capienda eſt probabilis euidentia talis ſtatus* (hierarchici ſcilicet & magiſtralis) *Deus enim poteſt ſine tali inſtrumento digno vel indigno perſonam aliquam in tali ſtatu conſtituere, nec probabilior euidentia, quàm ex vita, ideò habita vita ſancta, & doctrina Catholica ſatis eſt Eccleſiæ militanti.* Quem articulum in principio & fine errorem continere dixere Conſtantienſes Patres, lege alium eorumdem articulum, *Niſi eſſet lex charitatis intrinſecus, nemo propter chartas vel bullas habet habilitatem vel iuſtitiam plus, vel minùs.* Ibidem lege articulum Ioannis Hus duodecimum eadem ſeſſione damnatum, *Nemo gerit vicem Chriſti, vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus, cùm nulla alia ſequela ſit pertinentior, nec aliter à Deo recipiat procuratoriam poteſtatem, quia ad illud officium vicarij requiritur, & morum auctoritas, & inſtituentis auctoritas.* Lege eiuſdem articulum 15. ſeſſ. 45. improbatum, *Obedientia Eccleſiaſtica eſt obedientia, ſecundum adinuentionem ſacerdotum Eccleſiæ, præter expreſſam auctoritatem Scripturæ.* Lege plures alios eorumdem his ſeſſionibus, nec non ſeſſ. 8. â Concilio proſcriptos: Lege quæ Thomas Vvaldenſis aduerſus ipſos tam in doctrinali fidei, quàm in ſacramentali fusè & copiosè retulit, quæ Nicolaus Hirpsfeldius hiſtoriæ Vvicleſianæ cap 2. & 3. de erroribus Vviclefi narrauit; quæ alij de iiſdem ſcripſerunt. Ex iis Sole clariùs patebit, nullam ipſos, Eccleſiaſticam ordinis vel iuriſdictionis hierarchiam admiſiſſe, ſolam chariſmatum gratiæ, ſanctitatis, ac charitatis admiſiſſe, ac proinde de hierarchia ordinis vel iuriſdictionis propoſitionem ipſorum ſuperiùs à nobis allatam intelligi non poſſe, ſed potiùs de hierarchia chariſmatum: ſeu generatim de qualibet hierarchia ſacra & Eccleſiaſtica dignitate, officij publici pręcellentiâ ſeu poteſtate hierarchizandi locutos ipſos fuiſſe: ita vt virtutum donorum, & gratiæ titulis in hierarchiam aliquam homines tranſcribi, ab initiandorum conditione eximi, inter proceres Eccleſiæ & primores, qui ſcilicet ex officio publico, nomine publico, purgent, illuminent, perficiant, qui dignitate publicâ ornentur, referri debere contenderent: quod generatim ab iis prolatum, nullâ ordinis viſibiliter collati, vel iuriſdictionis factâ mentione, quâ non dico illos, quos præſtantiores putabant, ſed abſolutè nullos maiores eſſe poſſe ſentiebant, eorum aſſecuta ſenſum Synodus Conſtantienſis erroneum iudicauit. Idipſum tamen aſſeris, Celloti, tua hæc doctrina eſt, tua mens: quæ proinde in Vviclefo & Huſſio quoque damnata eſt.

Fruſtrà cauſaberis ordinem omnem viſibiliter collatum iſtos hęreticos ſuſtuliſſe, conſecrationem realem corporis Chriſti negaſſe, Sacramenta alia vel nulla, vel mutila eſſe voluiſſe, quemadmodum ex articulis ipſorum prædictis ſeſſionibus prolatis apparet, ſed fuſiùs apud Thomam Vvaldenſem libris à nobis citatis refertur. Hos errores quamuis à te remoueas, non ideò innocens eris, ſpeciatim iſti articuli damnationem habent: nec te in omnibus eadem cum Vviclefo, eadem cum Huſſio ſenſiſſe diximus, nec ſingulis eorumdem damnationibus te conſtringi putamus, vnum tibi duntaxat communem cum illis errorem iam obiicimus: quòd in Eccleſia maior aliquis ſit, quòd Chriſti Vicarius titulo duntaxat gratiæ, & chariſmatum; elue, ſi potes, hanc erroris notam, eam certè nunquam niſi reuocatione delebis.

Fruſtrà allegas vtriuſque articulos ad prædicandum auctoritatem, cenſuras, Confirmationem vbique concrepare, vt de ordinis hierararchia eos verba facere oſtendas; cenſurarum Eccleſiaſticarum, excommunicationis, citationis, incarcerationis paſſim in ipſis mentionem fieri, vt iuriſdictionis ab iis hierarchiam non chariſmatum tantum

Google

eſſe coniicias. Nam ego è contrà, vt de auctoritate ad prædicandum iam nihil dicam, de qua infrà, quam nec tu ita ordini illigatam putas, vt quia de ea agitur, de ordine ſermonem fieri colligere quis poſſit; ex eo certè infero quod in vtriuſque hæreticis articulis nunquam vel ordinis vel iuriſdictionis prærogatiua vlla referatur, niſi vt negetur, & in ſanctitatem ac charitatem aliáſque gratias gratis datas refundatur, tantum abeſſe vt prærogatiua Eccleſiaſticæ dignitatis, quæ ab iiſdem hæreticis memorabitur, ordinis, vel iuriſdictionis ex eorum mente eſſe dicenda ſit, quin imò negetur ſemper, & chariſmatis ab iis tribuatur: ac proinde ſi quis maior in Eccleſia militante eſſe dicatur: non eo ſenſu *maiorem* ab ils dici oportet, quòd incarcerare poſſit, quòd citare, quòd excommunicare, aliáque iuriſdictioni propria exequi; nam eorum nullam in Eccleſia poteſtatem eſſe aſſerebant iſti hæretici: non vt ordinare, confirmare, conſecrare, & alias ordinis functiones obire queat, nam & illas negabant. Sed *maiorem* ex eorum ſenſu eum eſſe intelliges, qui hierarchicâ virtute ſit præditus, quam tu hierarchiæ chariſmatum tribuis: putà vt purgare, perficere, illuminare poſſit, vt illuminare per doctrinam, per exempla, per preces, aliáque ſimilia nomine & officio publico queat; quam tu poteſtatem, iſtorum Hæreſiarcharum veſtigiis inſiſtens, vi chariſmatum, gratiæ, virtutum dari aſſeris.

Perperàm addis diuerſam ab iſtis hæreticis eſſe tuam ſententiam, quòd apud ipſos, qui per infuſam Spiritus ſancti gratiam, Propheta, aut Doctor, aut Euangeliſta factus fuerit, contemptâ Prælatorum auctoritate, ſpretis excommunicationum fulminibus, verba facere ad populum & poſſet, & deberet: apud te non item. Quòd Huſſitæ disertè negauerint, vllam hierarchicorum deſtinationem, conſecrationem, approbationem: at tu diſertè eam requiris, vt qui gratiis vtuntur gratuitis idem in ſtatu pietatis, & hierarchia eſſe cenſeantur. Perperàm, inquam, ad hanc diuerſitatem tuæ, & illorum ſententiæ confugis: cùm nec in omnibus parem illorum & tuam ac Scriptorum Anglicanorum, contra quos damnationem prædictæ propoſitionis vrgebamus, ſententiam eſſe, mihi probare neceſſum ſit, ſed in aliquo vel vnico, quod damnatum fuerit minimè differentem. Sed nec Nicolaus Smithæus, contra quem id in præſenti quæſtione protuli, deſtinationis vllius Hierarchæ mentionem faciebat, ſed ſolùm Religioſi ſtatus aſſumpti vim eam dicebat, *vt quemadmodum gratia conſummata homines extollere poteſt ad ſocietatem Angelorum intra eoſdem ordines cæleſtis hierarchiæ: ſimiliter non eſſe cur dubitemus, quin vitæ ſtatus maximè idoneus ad perfectionem gratiæ & charitatis in hac vita conſequendam reponere valeat Profeſſores ſuos inter præcipuos ordines Eccleſiaſticæ hierarchiæ.* Ita ille diſcuſſionis modeſtæ, quæſt. 6. n. 9. Sed nec tu, licèt mentem tuam interdum diſſimules, alio modo videris approbationem, & deſtinationem, & conſecrationem Hierarchæ requirere, quam Huſſitæ requiſierint. Etenim, vt primùm de conſecratione dicam, iam demonſtraui apud te conſecrationis exiguam haberi rationem: nam in exemplum hierarchicæ actionis protuliſti, preces ex præſcripto Bullæ Iubilæi emiſſas, ad quas fundendas nullam conſecrationem precantis requiri vnquam aliquis dixit: in exemplum quoque chariſmatum protuliſti donum miraculorum, & gratiæ ſanitatum, ad quæ nec Eccleſia quemquam deſtinare, aut conſecrari vllus poteſt. Præterea nemo dubitat, quin abſque non dicam conſecratione, (nam conſecratio Doctoris Theologi vel Canoniſtæ propriè nulla dicitur) ſed abſque etiam vlla benedictione, ac ſolemni deſignatione Theologiæ, ac Iuris Canonici, magiſtri, ſiue Doctores, ſiue Profeſſores creari poſſint, vt cùm abſentibus ius iſtud vel à Collegio Doctorum, vel ab Antiſtite tribuitur: eos tamen tu tanquam membra chariſmatum hierarchiæ memorabilia memoras. Iam verò nec deſignationem ab hierarchia, ad Religioſi ſtatus ſuſceptionem, vel magiſterium magis neceſſarium eſſe affirmabis, quàm Vviclefus vel Huſſus neceſſariam ad ſacerdotium ad Diaconatum, quibus neceſſariò adnexum prædicandi officium defendebant, aſſeruerint. Neque enim diffitebatur Vviclefus, quin ad iſta officia, vt ex ipſius ſcriptis oſtendit fusè Thomas Vualdenſis, tum *in Sacramentali*, vbi de ſacramento Ordinis, tum in *Doctrinali* paſſim, aliqui ab Eccleſiaſticis primoribus deſignarentur: quòd conſilium plebis ipſe adiungeret, parum intereſt; quòd tandiu manſuros illos diceret in iſto ordine, quandiu in charitate manerent, & diuina chariſmata retinerent, & hoc ad tuam, Ludouice, & Vviclefi doctrinæ conformitatem oſtendendam iuuat: etenim licèt Hie-

rarchæ deſignationem ad hierarchiam chariſmatum requiras, verbi gratiâ, in Profeſſore Theologiæ & Iuris Canonici, in Concionatore, aliiſque chariſmatum hierarchiæ membris, eatenus tamen hi quantumuis ab hierarchia deſignati, hierarchiæ iſtius remanent membra ſecundum tuam ſententiam, quandiu remanent in ipſis chariſmata, in quibus ſcilicet potiſſimùm hierarchiam iſtam fundas. Quòd ſi præcipuum deſtinatio, conſecratio, approbatio Hierarchæ, huius hierarchiæ fundamentum apud te eſſet, non illam hierarchiam chariſmatum, ſed ordinis vel iuriſdictionis dicere debuiſſes, ordinis, ſi in conſecratione eam fundares, cùm ex mente tua conſecratio Monaſtica, quam ſolam præter Clericalem memoras, ad hierarchiam ordinis hominem transferat; iuriſdictionis verò, ſi in approbatione vel miſſione eamdem conſtrueres, nam miſſio, deſtinatio, approbatio alicuius ad prædicandum populis Hierarchæ ſubiectis, & ad eos docendos effectus iuriſdictionis eſt in Hierarcha mittente, & participatio aliqua iuriſdictionis eiuſdem in miſſo, cui oues ſuas Hierarcha quoad iſtos effectus ſubiicit, & ſubmittit. Quare ex iis patet deſtinationem iſtam, approbationem, vel conſecrationem, quam videris requirere ad hierarchiam chariſmatum, minimi momenti in iſta hierarchia à te haberi, & illam tuam chariſmatum hierarchiam immediatiùs, principaliùs, perſeuerantiùs in chariſmatis fundari, quàm in approbatione Hierarchæ: imò non magis à te illam exigi ad hierarchiam chariſmatum, quàm à Vviclefo ad Eccleſiaſticum magiſterium requiratur, quod Vviclefus ſacerdotium vocabat vel Diaconatum: Tu verò in iis, quos Profeſſorum Theologiæ, Canonum, charitatis Profeſſorum nomine donas: æquè inſtabilem, æquè à gratia & chariſmatis dependentem, vno verbo omninò parem auctoritatem admittis ei, quam Vviclefus ſacerdotibus ſuis ac Diaconis aſſignabat.

Sed velim mihi reſpondeas, quam approbationem ac deſignationem ab Hierarcha, in primis iſtis ſanctiſſimis Anachoretis, qui diuino motu eremum petebant, & ſe ſine cuiuſquam ductu Monaſticis diſciplinis & mortificationibus exercitabant, quales nempe memorantur Paulus, Antonius, Hilarion, aliique ſanctiſſimi Anachoreticæ vitæ auctores ac duces? Tu fortè ab illa tua hierarchia, quæ diſcipulos recipit, magiſtros abiges, eos autem ſi recipias, velim dicas, quam ab Hierarcha deſtinationem, approbationem, conſecrationem iſtorum ſanctorum virorum referre poſſis? non ergo tibi illa approbatio, deſignatio, conſecratio ad hierarchiam chariſmatum perpetuò neceſſaria eſt: ac proinde ſolâ gratiâ, ac ſanctitate ad hierarchiam Eccleſiaſticam chariſmatum aditum quibuſdam cum Vuiclefo concedis.

Sed ne ad antiqua tempora recurrere neceſſum ſit, cùm habeamus à præſentibus exempla, poteſne dicere eos, qui quotidie Monaſticam vitam profitentur, ab Hierarcha, quem Epiſcopum interpretaris, deſignari, approbari, viuendi quidem illud genus, quod ſuſcipiunt, ab Eccleſia probatum fateri debemus; quod de cęteris ferè in Eccleſia Dei viuendi generibus, quibus Apoſtoli, quibus ſanctiſſimi Epiſcopi leges, Conciliáque præſcripſerunt, dici poteſt. Sed ipſos ſpeciatim ab Epiſcopis deſignari, approbari, eligi, qui in Monaſteria recipiantur, non videmus: ſed à Prioribus, Guardianis, aliiſque, quos minimè Hierarchas vocabis, qui ſolos Epiſcopos Hierarchas dici velis, cùm è contrà homines iſti & laici eſſe poſſint, & iuxta ſententiam tuam non ex ſacerdotio, neque ex commiſſione, ſed eo ipſo, quo Monaſteriis præſunt, auctoritatem iſtam & poteſtatem ſibi vindicent: Quod ſi verum eſt, verum autem credi nolim, certè vxoratos ab Hierarcha potiori titulo conſecratos & approbatos dicere licebit, quia ab Hierarchis potiùs hos deſtinatos, & benedictione ſanctificatos eſſe conſtabit, quàm illos: horum ſiquidem matrimonium, vt ait Tertullianus lib. 2. ad vxorem cap. vlt. *Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum Angeli renuntiant:* horum nomina Eccleſiæ tabulæ recipiunt, fidem mutuò datam Parochus, & ſuo & Epiſcopi nomine confirmat, coniunctionem benedictione ſacramentali efficit ſanctiorem. Itaque nullum eſt diſcrimen, quod tu inter tuam & Vviclefi ſententiam ſtatuis, & euidenter colligitur damnatam à Concilio Conſtantienſi prædictam tam Huſſij, quàm Vviclefi propoſitionem tibi cum iſtis hæreticis penitùs eſſe communem.

Addere poſſem propoſitiones iſtas tuas, quæ ad huius argumenti confirmationem iuuant, putà *pietatis, ſtatui deberi ſacerdotum*, illo ipſo capite, quod diſcutimus; vobis,

quorum ordines ad aliorum ſalutem inſtitutos dicis, ſacerdotum priuilegia, auctoritatem prædicandi, aliáque efficiendi deberi, ſtantibus veſtris ordinibus irreuocabilibus, nec tam vos eligi, quàm offerri ab ipſis veſtris Regularibus, Præpoſitis; approbationem ab Epiſcopis vobis eſſe ſuperfluam; hæc enim aliáque id genus à te iactata oſtendunt ſemel quidem vobis generalem inſtituti veſtri approbationem ſufficere, deſignationem deinceps ſpecialem ab Hierarcha inutilem eſſe, quod de ſuis ab Hierarcha Chriſto ſemel approbatis, quorum nulla deinceps humana lex vel ſententia poteſtatem retardare poſſet, dicebat Vvicleſus.

Conaris hanc expoſitionem propoſitionis allatæ, teſtimonio Thomæ Vvaldenſis refellere: *Quòd ſi*, inquis, *auctoritate, quæ maximam partem iudiciorum facit, certandum eſt, vtrius in exquirenda aut Vuicleſi aut Concilij noſtri ſententia, maior debet eſſe fides Franciſci Doctoris, aut Thomæ Vualdenſis, qui omnes ingenij doctrinæque neruos aduerſus Hæreſiarcham pro Concilio contendit? qui cum credat in aduerſarij errorem lapſum eſſe virum eruditiſſimum, cùm ſcripſit verbis conceptis, quibus nihil addi poſſit, aut detrahi, perfectos Religioſos, & Profeſſores clauſtrales eſſe priores populo in perfectione; & populum eis ſubiungi ſecundum hierarchicum ordinem militantis Eccleſiæ? eſtne ſenſus ille religioſiſſimi Doctoris, perfectos Religioſos eſſe Diaconos vel Sacerdotes? quem ordinem alium hierarchicum quàm gratiæ, & pietatis loqui poteſt? & hæc affirmat contra Vuicleſum diſputans, quod à Vuicleſo aſſeri Franciſcus Hallier criminatur.* Tibi iam gratulor, Ludouice, quòd auctoritate velis agere, probata etiam mihi Vvaldenſis eſt auctoritas: Sed cur ex libris Vvaldenſis hanc ſententiam ſuffuratus es? cur non ipſam propoſitionis, de qua controuertebatur inter nos, expoſitionem Vvaldenſis protuliſti: hoc eſt quod Vvaldenſis teſtimonium Lectori ſuſpectum facere poteſt: quæſiiſſe te nempe in toto opere, ſi quid tuæ ſententiæ quacumque ratione faueret, non Vvaldenſis, non Vvicleſi, non Concilij mentem te aſſequi voluiſſe, veſtigiis tamen tuis inſiſtemus, nihilque intactum relinquemus.

Primùm igitur ſi Vvaldenſem legiſti de Sacramentis cap. 118. prædictum Vvicleſi errorem exponenti, quem tibi affingimus, didiciſſe poteras mentem Vvicleſi non fuiſſe ordinis & iuriſdictionis, quales nos concipimus prærogatiuâ, maiorem aliquem per gratiam, & ſanctitatem abundantiorem fieri, ſed dignitate hierarchicâ præſtantiorem, & poteſtate quoad actus hierarchicos, perficiendi, illuminandi, & purgandi ſuperiorem euadere; quamcumque aliam prærogatiuam, *mundialem* Vvicleſum appellaſſe, à Cæſare inſtitutam propugnaſſe, nullam graduum diſtinctionem Eccleſiæ initio fuiſſe aſſeruiſſe: quæ omnia Synodus Conſtantienſis tanquam diſtinctos articulos damnauit, doctrinam verò, quæ tecum communis eſt, hanc fuiſſe, quam refert ibidem Vvaldenſis: *Omnibus Apoſtolis altiorem eſſe, qui ſit ſollicitior in labore, & non minùs in omni humilitate deiectior*, ſeu, vt iiſdem, quibus vtitur terminis Vvaldenſis, vtar, *digniorem eſſe*, ſeu *prioritate dignitatis, & maioritate minimè mundiali ſuperiorem*: quod cùm tu etiam de iis, qui in chariſmatum hierarchia tibi regnare videntur, affirmare debeas, eandem tuam eſſe hac in parte cum Vvicleſi & Huſſij doctrinam neceſſum eſt. Audi etiam quo ſenſu illam propoſitionem Vvicleſus protulerit, & ex alia eiuſdem propoſitionis apud Vvaldenſem tomo 1. lib. 2. art. 3. cap. 30. & Nicolaum Harpsfeldium hiſtoriæ citatæ cap. 1. diſce ipſius mentem: aſſerebat ſcilicet hæreticus iſte, inquit Harpsfeldius citans Vvaldenſem, *Quicumque ſinceritate vitæ præfertur, illum eo ipſo eſſe Vicarium Chriſti propinquiorem; Deus, inquit, talem mundo licèt abſcondito præficit, qui ſine ſuperbia, aut ſtrepitu verborum, & maioritatis contentione plus prodeſt Eccleſiæ.* Quibus verbis Vvicleſus ſine iuriſdictione, & conſecratione ſenſibili, præfecturam & auctoritatem hierarchicam in chariſmatibus ac gratia fundatam aſſeruit, quâ qui inter ſuæ ſectæ homines eminerent alios purgare, illuminare, ſeu hierarchizare poſſent, quam tu poteſtatem Theologiæ, Iuris Canonici, ac charitatis Profeſſoribus omnibus ſcilicet hierarchiæ chariſmatum membris, qui ſine ſtrepitu verborum, & dominationis faſtu, ac Principationis oſtentatione Eccleſiæ præſint, toties ineſſe confirmas? & hoc tuum eſt cum Vvicleſo commercium.

Neque verò in ſimilem errorem Vvaldenſis à te citatus impegit: Tibi vtique in citatione erratum indulgeo, quod diligentioribus ſæpè excidit, vel inaduertentiâ, vel exſcriptorum vel Typographorum incuriâ, citaſti lib. 4. Doctrinalis fidei art. 1. cap. 15.

habetur

habetur autem ſententia, quam citas lib. 4. citatis capite & articulo iis verbis concepta, *Præterea perfecti Religioſi, & Clauſtrales, priores ſunt populo in perfectione, & populus eis ſubiungitur ſecundum hierarchicum ordinem militantis Eccleſiæ: ergo ſimpliciter ſunt perfectiores vulgo.* Hæc illatio Vvaldenſis ex prædicta propoſitione, quam profers à nobis conceditur: Tua verò longè diſſimilis eſt; tu enim infers Religioſos in chariſmatum hierarchia, inter perficientes, purgantes, illuminantes reponendos eſſe: Eccleſiæ militantis proceres, ac Myſtas dicendos potentiâ agendi maiores cognoſcendos: ſecundum ordinem hierarchicum propriè & ſtrictè ſumptum, qui non tantùm patientes, ſed agentes publico nomine, & publico officio comprehendat ſuperiores habendos: hoc verò ipſum eſt, quod nos tibi tanquam Vuicleff erroribus conſentaneum aſſingimus: à quo quidem longè abeſt Vvaldenſis, qui ſcilicet in eadem perfectionis religioſæ non ſolùm extenſiuâ, ſed intenſiuâ nobilitate probandâ occupatus eiuſdem lib. & articuli, cap. 13. Dionyſij verba, quibus Monachos populo fideli præponit explicans cap. 6. Eccleſiaſt. hierar. hæc habet, *Vult hic dicere ordinem Monachorum, id eſt Religioſorum peculiarem eſſe, altiorem, & perfectiorem omnium eorum, qui perfici debent, ſcilicet cæterorum fidelium medij ordinis, de quibus tractat, antè, & hoc ex tribus concludit,* &c. Vvaldenſis itaque in hierarchia initiandorum, ſeu perficiendorum Monachos reponit, & quidem ſupremo ordine, ſupra ſcilicet laicos ſeu vulgares fideles, qui ſunt in medio, & immundos præter Catechumenos, Energumenos & pœnitentes, qui ſunt in infimo. Sed inter agentes, perficientes, nomine publico & officio, aliorum perfectioni vacantes, nec Monachos, nec quemquam Vvaldenſis vnquam repoſuit ratione totius gratiæ, vel chariſmatum; quinimò hoc tanquam errorem Vvicleſianum ſemper inſectatus eſt: quod tamen ipſum eſt, quod tu defendis: priùs autem iſtud, quod Monachi ſecundum hierarchicum ordinem, inter eos, qui perficiuntur ſeu initiantur priores ſint, nos etiam expreſsè docuimus aſſerentes, *Religioſorum ordinem vt Religioſorum eſt, potiſſimum eſſe, & nobiliſſimum hierarchiæ initiandorum.* In vindiciis lib. 4. cap. 1. §. 2. num. 18. nec alia mens Bonauenturæ à te citati, & à nobis ſuperiùs explicati, aut Maucleri de Monarchia 1. patr. lib. 5. cap. 5. & ſeptemuirorum iſtorum, quos ego tecum colo, qui teſtimonio ſuo librum eius probarunt, ij enim omnes in Eccleſia varios ordines recenſentes, qui myſticè nobis Angelicos referant, pietatis ac virtutum ſtatus varios numerant, quibus ad iſtam ſimilitudinem cum beatiſſimis iſtis ſpiritibus perueniatur, ſed pietatis ſolùm ac charitatis prærogatiua nequaquam volunt, cuiquam in Eccleſia docendi, purgandi, perficiendi, illuminandi publicum officium, munúſque commendati & hierarchiæ agentium aliquem inſeri, quod tu affirmas. Itaque quandoquidem mihi auctor es, vt interrogem Patres & maiores meos qui annuntient mihi, ſuſceptam tecum iſtam diſputationem Gerſonis vnius ex maioribus meis, finiam: hic cùm Concilio Conſtantienſi interfuerit, & eius pars magna extiterit, nobis & Synodi Conſtantienſis, & Vvicleſi mentem aperire optimè poterit: hic autem quamlibet poteſtatem Eccleſiaſticam, quam tu ad perficiendum, illuminandum, purgandum, & quidem ex officio publico, tam per exempla, quàm doctrinam in chariſmatibus & vitæ ſanctitate fundari aſſeris, ipſe fundari poſſe negat, & Vvicleſianum errorem eſſe affirmat tractatus de poteſtate Eccleſiæ conſideratione 1. *Fatemur*, inquit, *quòd charitas ſeu gratia gratum faciens, valdè decens eſt in ſuſceptore, vel iam habentibus Eccleſiaſticam poteſtatem: non tamen exigitur pro dando titulum, quaſi ſine ea nequeat in aliquo fundari, vel ſubſiſtere poteſtas huiuſmodi, hic enim fuit error veterus Vvaldenſium, & pauperum de Lugduno, qui per Vvicleſum & ſequaces ſuos renouari quæſitus eſt, ſed iuſtè damnatus. Cur ita, ne hierarchicus ordo poteſtatis Eccleſiaſticæ maneat inſtabilis, vagus & incertus,* &c.

Fruſtrà ad excuſationem tuam dices Gerſonem conſideratione 2. poteſtatem omnem Eccleſiaſticam in poteſtatem ordinis & iuriſdictionis diuiſiſſe; nam & hoc contra teipſum militat, qui poteſtatem tertiam addideris chariſmatum, quæ ſola agere in alios legitimè poſſit, non prædictis tantùm poteſtatibus cooperetur, eáſque iuuet, & ad agendum conuenientiùs, atque vtiliùs permaneat, quemadmodum Doctores Catholici ſentiunt.

ARTICVLVS TERTIVS.

Hierarchiæ chariſmatum Cellotianæ naturam hierarchiæ non conuenire.

REFELLITVR eadem hierarchia Cellotiana variis aliis argumentis tum oſtenſiuis, tum ab abſurdo deductis, priora naturam & proprietates hierarchiæ prædictæ Cellotianæ chariſmatum conuenire non poſſe oſtendunt. Poſteriora conſequentes huic propoſitioni abſurdas alias, ac periculoſas patefaciunt.

Prioris generis argumentum primum illud eſt, quia omnis hierarchia ſtrictè ſumpta, qualem ſuam chariſmatum hierarchiam admittit Cellotius, poteſtati Eccleſiaſticæ publico nomine, & officio functiones ſacras exercendi coniuncta eſt: atqui nulla præciſè poteſtas obeundi ſacras functiones ex officio & nomine publico, chariſmatum duntaxat titulo, abſque ordine & iuriſdictione tribui poteſt. Igitur nulla hierarchia, quæ ſit præciſè chariſmatum & ab ordine ac iuriſdictione diuulſa ſit, dari poteſt.

Maior probatur tum ex notatione nominis ipſius hierarchiæ ſtrictæ ſumptæ ab ea diſtinctæ, quæ omnes fideles complectitur, quam nemo concipit, niſi publicum quoddam officium & dignitatem concipiat, quâ qui in ipſa collocatur, à vulgari & populari hominum in Eccleſia multitudine eximatur, & à priuato ſtatu ad publicum quemdam transferatur, vt inter Eccleſiæ proceres, ac primores tranſcribi poſſit, aliiſque ex officio prodeſſe, & ad id ab Eccleſia deſtinari cenſeatur, tum ex confeſſione Cellotij, qui libri primi cap. ſecundo *Hierarchicam poteſtatem aſſerit eſſe publicam, in commune Eccleſiæ bonum conſtitutam: & quidquid vel ab ipſo Hierarcha, vel ab aliis quibuſlibet auctoritate inde deriuatâ, & velut publico iure officij conficitur, hierarchicum à ſe vocari.* & capite decimo ad actum hierarchicum requirit, vt ex officio publico, & quaſi nomine publico fiat, ad quod in hierarchia chariſmatum exigit, vt ad chariſmatum vſum ab Eccleſia conſtituatur, lib. 8. cap. 2.

Minor verò probatur enumeratione omnium actuum hierarchicorum, quos huic hierarchiæ tanquam proprios adducit Cellotius, libri octaui capite vndecimo, quorum ex officio publico exercendam poteſtatem à chariſmatibus non tribui, nullúmque ex officio publico, & nomine publico exerceri docebimus, niſi prout ordini vel iuriſdictioni coniungitur, ab iiſque proficiſcitur; eos enim auctor enumerat contemplationem, orationem, exemplum, ad contemplationem traditam verbo ſcriptóque doctrinam; ad orationem, pſalmodiam, meditationem, lectionem; ad exemplum maiora minoráque miracula, opera miſericordiæ, & virtutum, quibus ſancti fiunt, bonus odor in Chriſto exercitium refert.

Iam verò quod ad contemplationem ſpectat, ea præciſè ſumpta nulla eſt niſi priuata, nec altiorem ſtatum requirit quàm priuatum: nam & publicorum etiam negotiorum adminiſtrationem contemplari, atque apud ſe rimari poſſunt, qui nullâ dignitate cæteris ſuperiores ſunt, nec vlli cuiuſquam rei contemplatio priuato interdicitur. Quantomagis diuinorum contemplatio, ad quam vnuſquiſque in ſacris litteris prouocatur, omnibus patet: deſignatione nullâ ad ipſam opus eſt, nullâ conſecratione, ideóque nec auctoritatem contemplandi publico nomine hierarchia chariſmatum tribuere, nec per contemplationem in hierarchiam vllam, quæ hominem à vulgi conſortio eximat, tranſcribi quiſquam poteſt.

Doctrinæ verò ſacræ, quæ ſola hierarchiæ fundandæ ſufficit, ſiue ſcripto, ſiue voce, ex officio publico, & nomine publico tradendæ, poteſtas, atque auctoritas, nonniſi ab ordine & iuriſdictione proficiſcitur. Nam docuimus ſuperiùs ordinariam poteſtatem, & quæ ex lege communi alicui committitur docendi ſacram doctrinam ordini ſacro coniunctam eſſe debere: nec dubium eſt, quin ſoli ſacerdotalis ordinis viro ex officio publico munus iſtud conueniat, cæteris autem etiam Monachis & Monialibus aliiſue non ſacerdotibus quantumuis piis, & doctis minimè propria ſit. Euoluantur Scripturarum ſacrarum Codices, Concilia omnia perlegantur, nemini niſi ſacerdotalis ordinis hoc publicum officium ordinarium commiſſum reperies, Patres etiam paſſim ſolis Pa-

ſtoribus docendi officium, cæteris verò audiendi & diſcendi neceſſitatem impoſitam ſcribunt. Sacra quoque Scriptura id clamat Aggæi 2. *Interroga ſacerdotes legem.* & Malachiæ 2. *Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius.* Lege Nazianzenum Orat. 26. 6. Synodi Canonem 64. Baſilij Imperatoris allocutionem ad octauam Synodum actione 10. prope finem aliorum quoque paſſim Patrum ſcripta: ex quibus diſces nonniſi ſacerdotibus docendi ex officio publico, & nomine publico auctoritatem conuenire poſſe. Quibus adde auctoritatem Apoſtoli ad Epheſ. 4. quò loci cùm quoſdam Apoſtolos, quoſdam Prophetas, quoſdam Euangeliſtas in Eccleſia poſitos à Deo dixiſſet, eoſque officiis diſcreuiſſet, Paſtores & Doctores coniunxit, vt eoſdem Paſtores eſſe, quos Doctores, & vice verſâ, eoſdem Doctores quos Paſtores ſignificaret; ideóque epiſtolâ 1. ad Cor. c. 12. eiuſdem Eccleſiæ membra enumerans, Paſtorum expreſsè non meminit, quos nempe Doctorum, quos ibi nominat, appellatione comprehendit. Ex eo verò loco epiſtolæ Pauli ad Epheſios Paſtoris & Doctoris eaſdem partes collegerunt Patres Auguſtinus epiſt. 59. Paulino, *Paſtores & Doctores, quos maximè vt diſcernerem, voluiſti, eoſdem puto eſſe, ſicut & tibi viſum eſt: non vt alios Paſtores, alios Doctores intelligamus, ſed ideò cùm prædixiſſet Paſtores, ſubiunxiſſe Doctores, vt intelligerent Paſtores ad officium ſuum pertinere doctrinam.* Hieronymus in cap. 4. ad Epheſios, *omnem Paſtorem Doctorem* eſſe ait. Chryſoſtomus, Theodoretus, & Oecumenius eoſdem coniungunt, eoſque eſſe dicunt, qui vni loco affixi erant, Eccleſiæ ſcilicet ciuitatis aut pagi, nec per vniuerſum orbem ad Euangelij diſſeminationem diſcurrebant. Sedulius autem expreſſiùs id notat iis verbis, *Non autem ait alios Paſtores & alios Doctores, ſed alios Paſtores, & vt qui Paſtor eſt debeat eſſe Doctor.* Et Primaſius, *Paſtores ſunt ſacerdotes, Doctores omnes quicunque idonei ſunt ad alios inſtruendos. Omnes ergo Paſtores etiam Doctores, & Doctores etiam Paſtores.* Quæ vltima verba ex fide manuſcriptorum antiquiſſimorum reddo, non quemadmodum legitur, tom. 1. Biblioth. Patrum, *Omnes ergo Paſtores, etiam Doctores, etiam Paſtores*: nam particulæ illæ *etiam Paſtores*, redundant, niſi addideris *& Doctores*, vt legenti patet. Deniq; Beda verbis Auguſtini citatis addit, *Ideò enim non ait, quoſdam autem Paſtores, quoſdam verò Doctores. Sed cùm ſuperiora ipſo locutionis genere diſtingueret dicendo, quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, quoſdam verò Euangeliſtas; hos tanquam vnum aliquod duobus hominibus complexus eſt.* Quod etiam iuriſdictione opus ſit, vt docere aliquis ex officio publico, & publico nomine poſſit fusè ſuperiùs probauimus: contrariúmque aſſere Vvicleſi error eſt, vt patet ex articulo eius 17. damnato, in Conſtantienſi ſeſſ. 15. & art. 14. damnato ſeſſ. 45. Bohemorum error eſt, contra quem fusè diſputant Henricus Kalteiſen in Concilio Baſileenſi integro de libera Dei prædicatione tractatu. Nùm igitur ſiue ad contemplationem publico nomine, & ex officio publico, ſiue ad doctrinam ſcripto, vel voce eodem modo, tradendam quiſquam auctoritatem conſentaneè & connaturaliter obtinere, abſque iuriſdictione, ſeu commiſſione ab habente iuriſdictionem obtentâ, legitimè conſequi poteſt? nemo certè: ac proinde ad eos actus hierarchicam poteſtatem nemo abſque ordine & iuriſdictione poſſidet.

Veniamus ad orationem, cui Cellotius pſalmodiam, meditationem, lectionem coniungit: earum actionum nulla ex officio publico cuiquam imponitur, præterquã Clericis ad altaris miniſterium conſecratis, nam & Monachos ſuperiùs ex officio publico, & nomine publico precari, meditari, legere negauimus; ſibi verò tantùm ex officio illa efficere, quamuis ob communionem Eccleſiæ omnium membrorum, aliis prodeſſe poſſint: eodem ſcilicet modo, quo laicis iſta officia competunt. Quod ex eo confirmamus, quia quantumcumque Monachos precari, & pſallere ex officio ſibi ab Eccleſia iniuncto, fateamur: laici ſimiliter ex Eccleſiæ præcepto, diebus omnibus Dominicis, & profeſſis ſacræ publicæ liturgiæ intereſſe, in eoque ſacerdoti comprecari, preces fundendo, meditando, vel legendo iubentur, & ad plures alias preces ab Eccleſia obligari poſſunt, quos ideò ſi nomine publico, & ex officio publico orare dixeris, quis iam eſt, quem ab hierarchia chariſmatum repellere poſſis? quem ſacri officij exortem poſſis dicere? quantam nobis inducis confuſionem, qui neminem priuatæ in Eccleſia ſortis, omnes publici officij ac muneris dignitate præditos facias?

Quòd ſi Monachos ad iſta officia peculiariter conſecratos aſſeras, cùm vi illius conſecrationis illos in hierarchia ordinis eſſe dicas, proculdubio hierarchiam ordinis ab hierarchia chariſmatum nequaquam diſtinguis, ſed Monachis actiones iſtas meditandi, legendi, pſallendi exercentibus, non præciſè ratione iſtorum chariſmatum, quæ communia eis & laicis, ſeu vulgaris conditionis hominibus eſſe poſſunt, ſed ratione conſecrationis Monaſticæ, quam hierarchiæ ordinis fundamentum ſtatuit, aditum concedis: hæc tua mens; ideóque ordinis hierarchiæ actus ad diuinum cultum tendentes, putà adorationem, gratiarum actionem, benedictionem & glorificationem, interuentiones precum, & generatim exempla, & preces eorum, qui ordinati ſunt recenſes, lib 6. cap. 3. Quare poteſtas ad iſtos actus exercendos fruſtrà tibi hierarchia chariſmatum dicetur. Adde quòd ſolidè infià demonſtraturi ſimus, conſecrationem iſtam Monaſticam hierarchiam dici non poſſe.

Certè nemo dixerit, vel conſecratione aliquâ, vel auctoritate ab Hierarcha deriuatâ actus iſtos, quos numerauimus, indigere, licèt enim quis ab Hierarcha iuſſus eos exerceat: nemo tamen eſt, qui non pſallere, orare, legere, meditari legitimè poſſit: etiamſi ab Hierarcha poteſtatem ſibi demandatam non habeat: nec conſecratione Monaſticâ perfectus ſit. Neque verò quemquam ad orandum præ cæteris, niſi ex ſacerdotali ordine, multominùs ad meditandum aut legendum deligi fatebitur, qui in Scripturarum ſacrarum, & Patrum lectione mediocriter verſatus ſit; vel vnum enim proferant, aut ex ſacra Scriptura locum, aut ex Patribus teſtimonium, quo onus illud Monachis imponatur? cùm è contrà plura proferri ex Patribus poſſint, quibus Monachum in ſeipſo ſtantem, ſibi ipſi viuere, ſui ipſius curam ex officio tantùm gerere doceant: itaque gratis & ſine fundamento publicum quoddam orandi, meditandi, legendi, pro aliis officium tam Monachis, quàm Monialibus effingitur.

Exempla addit aduerſarius, in quibus hierarchiam chariſmatum fundet, ſed inſulè. Etenim exemplorum nomine primo loco intelligit miracula tam maiora, quàm minora; at nullatenus probabile aut veroſimile eſt, publicum eſſe aliquod officium miraculorum patrandorum. Quâ etiam fronte audebit aduerſarius deſignationem ab Hierarcha, aut conſecrationem comminiſci aliquorum hominum ad miracula perpetranda, ſcilicet ipſi Hierarchæ, qui nulla miracula ex officio edere poſſunt, deſignabunt aliquos, & conſecrabunt, vt miracula efficiant? igitur poteſtas iſta ſignorum ſeu miraculorum patrandorum, nec officium publicum eſt, nec ex deſignatione ab Hierarcha, vel conſecratione fieri poteſt. Ac proinde cùm paſſim, vt ſuperiùs ex Cellotio toties retulimus, omne hierarchicum opus, nomine publico, & officio publico, fieri debeat, & ex commiſſione Hierarchæ, & conſecratione ab ipſa peracta, ſequitur miraculorum operationem hierarchicam non eſſe, & ad hierarchiam chariſmatum ſtabiliendam nihil iuuare.

Secundò, nomine exemplorum intelligit opera miſericordiæ, hæc verò nomine publico ab iis tantùm fiunt, qui vel Clericalis ordinis ſunt, & Eccleſiaſticam habent pauperum curam, ac bonorum Eccleſiæ adminiſtrationem, cuiuſmodi ſunt Diaconi, vel qui publicam ciuilem adminiſtrationem exercent, ac proinde vel ad ordinis ſeu iuriſdictionis hierarchiam ſpectant, vel ab hierarchia omninò aliena ſunt, & ad temporalem Principatum ac Magiſtratum referenda. Præterea ad opera miſericordiæ etiam apud Paganos & infideles olim aliqui deputati & conſecrati erant; eáque opera ex ſe & naturâ ſuâ ordinem naturalem non excedunt, virtutiſque moralis limites non tranſcendunt: omnis autem poteſtas Eccleſiaſtica, vt rectè notat Gerſon conſider. 1. de poteſtate Eccleſiaſtica, fundatur in aliquo dono ſupernaturali, & ordine ad finem ſupernaturalem, vt mox confirmabimus. Igitur nec ſi habeatur ratio operum miſericordiæ, eorum intuitu vlla erit Eccleſiaſtica hierarchia chariſmatum ab ordine & iuriſdictione diſtincta, quæ poteſtatem tribuat obeundi ſacras functiones.

Tertiò, nomine exemplorum virtutum exercitium intelligit, quibus homines bonus odor in Chriſto fiunt: at virtutum exercitium omnibus patet, neminíque interclusum, quinimò variis caſibus præceptum, nunquam non commendatum eſt: nec publico nomine à quoquam fit, ſed vnuſquiſque ſibi ſtudioſus eſt, ſibi virtutem ſectatur, &

vitium fugit: commentum igitur eſt conſecrari ſpeciatim aliquos & deſtinari ab Hierarchâ publico nomine, qui pro aliis virtutem exerceant. Quòd ſi quis aſſerat non quidem deſtinari aliquos ab Hierarcha, qui ſe pro aliis ad virtutem capeſſendam accingant: ſed qui aliis exemplo præluceant ad virtutem, viámque perfectionis non tam documentis, quàm exemplis ſuis planam & apertam faciant: eos vtique non alios quàm ſacerdotalis ordinis viros eſſe dicam: tantum enim abeſt vt Monachi ad id conſecrentur, quinimò viuunt in receſſu, vt latere poſſint, ita Clericorum *vita in ſtadio* ad exemplum, Monachorum *in ſpelunca ſit*, ad ſecuritatem, vt colliges ex Ambroſio epiſt. 76. Quod diſcrimen agnoſcit Nazianzenus epiſt. 15. Baſilio, dum vtique ingratum fuiſſe narrat, quod ad Presbyterij gradum pertracti eſſent: ſibíque τ̃ πεζὴν ταύτην φιλοσοφίαν, ἐ κάτω μένουσαν, *pedeſtrem Philoſophiam, humique depreſſam* placuiſſe aſſimat, vitam ſcilicet in Monaſticâ exercitatione, quam vterque anteà ſectabatur priuatam, nullâ publici muneris adminiſtratione diſtractam: vt Scholium ad iſtam epiſtolam rectè adnotat. Nemini, inquam, præterquam ſacerdotalis, ſeu Clericalis ordinis viro præceptum reperies, vt forma Chriſtiani populi fieret, & exemplar eſſet Chriſtianæ vitæ: in neminem quoque præterquam eiuſdem ordinis virum intendere, & ad eum vitæ ſuæ actiones componere vnquam populus iuſſus eſt. At ſacerdotibus præceptum, vt cæteris exemplar ſit viuendi norma, 1. Pet. 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Domini*, &c. *non dominantes in Cleris, ſed forma gregis facti ex animo.* ad Tit. 2. *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum.* Plebi quoque præcipitur, vt in præpoſitos ſuos, ſacerdotéſque tanquam in ſpeculum reſpiciant, ad Heb. 13. *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuerſationis imitamini fidem.* Quâ confidentiâ de ſeipſo dicebat Apoſtolus 1. Corinth. 4. *Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* ad Philippenſes 3. *Imitatores mei eſtote, fratres, & obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram*: & 2. ad Theſſalonicenſes 3. *Non quaſi non habuerimus poteſtatem, ſed vt noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Soli ſacerdotalis ordinis viri, quibus dixit Chriſtus, Matth. 5. *Vos eſtis lux mundi.* Quos proinde Patres paſſim luminaria mundi, lucernas, lucem, faces, aſtra nuncupant, ſolis ipſis conuenit, quòd ſuper candelabrum poſiti ſint, non ampliùs ſub modio, vt luceant omnibus, qui in domo ſunt, Matthæi citato capite, Lucæ 8. & 11. Marci 4. Quod Gregorius lib. 30 Moral. c. 17. & alij Patres paſſim de Paſtoribus Eccleſiæ myſticè omnes dictum interpretantur, cóque ſenſu Apoſtoli, & Paſtores tanquam arietes exhibet Scriptura, cæteros fideles *filios arietum*, dixit Pſaltes Regius Pſal. 28. ſecundum interpretationem Auguſtini homiliâ 42. & 50. & homil. 43. Quorum omnium ratio, quia cùm ſacerdotes gregum Domini ad vitam æternam perducendorum ſoli curam habeant, ſoli ipſi ad hoc conſecrantur, vt quemadmodum doctrinâ præſunt, ita & exemplo præeant, ne doctrinæ actio diſſentiat, vt aliud manu, aliud linguâ doceant, quod & populo pernicioſum, & Doctori probroſum eſt: nam, vt ait Caſſiodorus lib. 1. variarum Epiſt. 18. *Non licet delinquere, qui alios creditur ſub æquitatis regula continere, ne fiat exemplum prauum, qui electus ad laudabile cognoſcitur inſtitutum.* Et lib. 3. epiſt. 12. *publici decoris, eſt mens regentis.* Lege Ambroſium de dignitate ſacerdotali, cap. 2. Hieronymum epiſtolâ ad Nepotianum, Chryſoſtomum, & Theophylactum in cap. 2. ad Titum, Iſidorum Peluſiotam lib. 3. epiſt. 216. Baſilium Regulâ 43. fuſiùs diſputatarum, & alios, qui omnes ſoli ſacerdoti tribuunt, vt exemplar eſſe debeat, cæteris Monachis hoc non item conuenit, quæ enim rationes ſacerdotes ad hoc ſpeciatim adſtringunt, vt exemplo cæteris ducatum præbeant, cæ in Monachis locum non habent.

Primò enim ſacerdotes propter Doctoris officium, quod ſuſcipiunt, obligantur ad hoc, vt cæteris exemplo præluceant, *Quia*, vt rectè monet ſanctus Gregorius lib. 5 expoſitionis in librum primum Regum cap. 14. *Doctor ipſe prior debet bonum oſtendere, quod alios contendit edocere: non enim poteſt in prædicatione venerabiliter recipi, ſi priùs in ſe honorem miniſterij non præfert luce bonæ conuerſationis*, &c. Vide eumdem expoſitionis Moralium lib. 21. cap. 8. in 31. Iob. eáque ratio eſt Ambroſij, propter quam ſacerdotem populis prælucere debere dicat, quia Doctor eſt, hi diſcipuli, de dignitate ſacerdotali capite ſecundo, Monachos autem iſta ratio non comprehendit: non enim Monachus eo ipſo quo Monachus eſt, aliorum Doctor conſtituitur, non Moniali

Digitized by Google

Doctoris officium imponitur : *Alia*, inquit Hieronymus , epiſt. 1. ad Heliodorum, *cauſa eſt Monachorum , alia Clericorum , Clerici paſcunt oues , ego paſcor.* & epiſt. 4. ad Ruſticum Monachum, *Multo tempore diſce quod doceas* : diſce ſcilicet in Monachatu, quod doceas in Clericatu.

Secundò , Clericis ex fine ſtatus ſui , quem non tam elegerunt, quàm aliorum electione ſuſceperunt, ad exemplum aliis adhibendum adſtringuntur , quia ad eum ſtatum non ſui gratiâ , ſed aliorum electi ſunt , dicente Auguſtino , lib. 1. de Paſtoribus cap. 2. *Illud quod Chriſtiani ſumus propter nos eſt , quod autem præpoſiti ſiue Paſtores ſimus, propter vos eſt.* Et ſermone 1. de vita communi, *Clericatum propter populum ſuum Deus impoſuit ceruicibus ipſius, qui magis onus eſt quàm honor.* Ex eo ſiquidem fonte oritur, quòd Clerici alterius gratiâ inſtituti ſint : alios exemplis iuuandi , non lædendi ſpecialem obligationem contrahant, & qui ex officio ad ſalutem aliorum creati ſunt, nihil omittere debeant quo eam conſequantur , non tantùm non ponere offendicula , ſed auertere teneantur. Quæ pariter cauſa locum non habet in Monachis, qui ſibi viuunt, nec ad aliorum ſalutem procurandam inſtituti ſunt : quorum nomine dicebat Chryſoſtomus , lib. 6. de ſacerdotio cap. 10. νῦν γὰρ εἰ μὲν δυνηθείην καὶ ἑτέροις γενέσθαι χρήσιμος, βουλοίμην ἂν καὶ αὐτὸς, καὶ πολλῆς μοι τοῦτο ἔργον εὐχῆς· εἰ δὲ οὐκ ἔστιν ἕτερον ὀνῆσαι, ἐμαυτὸν γοῦν ἐὰν ἐγγένηται διασῶσαι, καὶ τοῦ κλύδωνος ἐξελεῖν ἀρκεσθήσομαι τούτῳ· *Equidem ſi hodie poſſum vſui alius eſſe , id vtiquè deſideriis , votiſque omnibus concupiſcam: ſin id præſtare non poſſim : at mihi certè factum ſatis putabo , ſi me ſeruare atque à tempeſtate eximere dabitur.* Quæ quidem Chryſoſtomus ad oſtendendam ſtatus Monaſtici & ſacerdotalis differentiam proponit. Satis vtique iis verbis notum faciens vtriuſque diſcrimen , quod huic ordini publicum officium ſalutis populorum procurandæ connexum , ab illo verò alienum ſit : Monachi quidem ex charitate , ſicut & cæteri hominum, ſiue doctrinâ , ſiue exemplo, cùm ſe offert occaſio , aliis prodeſſe debeant: Clericos verò ex officio & ſtatu ſuo , excruciati inſuper curis , & ſollicitudinibus innumerabilibus oporteat , quatenus aliorum ſalutem modis omnibus promoueant. Denique ſacerdotes, quia ſtatum deiformem & deificantem conſecuti ſunt, participeſq; effecti , τῆς θεουργικῆς ἐπιστήμης, καὶ ἐνεργείας, καὶ τελειώσεως, *Deos efficientis ſcientiæ, efficaciæ & perfectionis.* ex Dionyſio cap. 1 & 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ , quique à Nazianzeno Orat. 23. μυσταγωγοῦντες τὴν θέωσιν , *obeuntes ſacrum deificationis munus* appellantur : ex ſtatu proinde ſuo habent ſecundum eundem Dionyſium citatis capitibus , vt diuinam ſimilitudinem , quam in ſe expreſſam gerunt , pro ſuo modulo, & gradu , ſingulis impertiant. Hæc ratio pro Monacho non militat, qui inferioris ordinis vitam complectitur , vnde ita ratiocinari nobis licet : hierarchiæ finis eſt homines ad Dei ſimilitudinem adducere ; quod cùm de omni hierarchia aſſerat Cellotius, de chariſmatis hierarchia expreſsè inculcat lib. 8. cap. 12. Atqui Monachorum non eſt ad Dei ſimilitudinem quemquam ex ſtatu ſuo adducere : ſed ſacerdotalis ordinis virorum duntaxat : qui ſoli deiformem vitam ſectantur , & deificantem aſſecuti ſunt vim & ſcientiam, vt expreſsè aſſerit Dionyſius cap. 1. & 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ : qui etiam cap. 6. infrà vitam deiformem Monachis aliam aſſignat , quam τὴν ἀμέριστον, καὶ ἑνιαίαν ζωὴν appellat. *Indiuiduam & vniformem vitam* , à rerum ſcilicet & negotiorum ſæcularium multiplicitate diuulſam , ita vt Monachus totus eſſe debeat in propria perfectione acquirenda , ex Dionyſio ibidem ; moretur in ſchola virtutis, *vbi viuere diſcitur, non vbi viuitur* ſecundum Auguſtinum lib. 1. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 33. quemadmodum poſteà fusè docebimus. Ac proinde tantum abeſt, vt docere ſiue exemplo , ſiue doctrina , ſcriptis , aut voce traditá ex ſuo ſtatu debeat , cùm potiùs ad exprimendam vitæ ſacerdotalis perfectionem intentus ſit, ex Dionyſio cap. 6. citato , non aliis exempla tradere ex officio cogitans, ſed latere. Quod cùm de Monachis veriſſimum ſit, fortiori ratione de Monialibus aſſeri debet , quarum gloria tanto ſolidior eſt, quanto obſcurior : quibus vnum iſtud cordi eſt , ſoli Deo placere , ab hominibus ignorari , longè ab hominum commercio eſſe , tantum abeſt vt publicum habeant officium ſæcularibus hominibus facis præferendæ. Denique quis adeò rationis expers eſt, vt dicat auctoritate hierarchiæ opus eſſe, vt aliquod bonum exemplum populo præbeatur , ſiue à Monacho , ſiue à Moniali, ſiue á quouis alio, & tamen ſupra oſtendimus ab ipſo Cellotio nihil pu-

Digitized by Google

blico officio fieri, nihil hierarchicum vocari, niſi quod fit ab Hierarcha, vel auctoritate ab ipſo deriuatâ: igitur exemplum quod præbetur ſiue à Monachis, ſiue à Monialibus, nec ex officio publico confici, nec hierarchicum eſſe poteſt.

Ex quibus omnibus ſequitur nullam actionem eſſe ab iis, quas enumerauit Cellotius, quas ex officio publico, & nomine publico quiſquam abſque ordine ſacro, vel iuriſdictione Eccleſiaſtica exercere poſſit, ac proinde chimericam, & nullo ſolido nixam fundamento hierarchiam chariſmatum ab ordinis & iuriſdictionis hierarchia diſtinctam. Addit Cellotius lib. 8. cap. 2. aliam rationem tanquam huic hierarchiæ propriam, purgandi ſcilicet per merita: ſed cùm nemo ex officio publico pro aliis mereatur præter Chriſtum, qui conſtitutus eſt à Patre mediator inter Deum & homines, vnctúſque ac conſecratus, vt offerretur pro omnibus: fruſtrà eo titulo aliquis ſibi hierarchicam dignitatem expoſcet. Confirmatur hæc ratio: etenim ex Cellotio ſuprà, nullum opus hierarchicum eſt, quod non fiat ab Hierarcha, vel auctoritate ab eo deriuata: atqui nullum iam huiuſmodi opus eſt, quod ſpectet ad hierarchiam chariſmatum. Nam idem Cellotius lib. 8. cap. 2. Apoſtolis proprium videtur conſtituere, vt publicâ auctoritate vel chariſmata exerceant, vel aliis exercenda committant: de Apoſtolis ſiquidem loquens ait, *Quibus viris auctoritate publicâ, & exercere & exercenda committere chariſmata cælum conceſſit.* Ergo ex verbis Cellotij iam nullum opus hierarchiæ chariſmatum nulla huiuſmodi hierarchia, ſed cum Apoſtolis extincta ipſa eſt.

Ab hierarchiæ quoque natura deſumitur: nam hierarchiam Cellotius, quaſi *principium ſacrum*, ſeu *principium ſacrorum* dictam putat lib. 1. cap. 2. & alibi, nos verò communi nominis acceptione & vſu, Principatum ſacrum omnem hierarchiam eſſe docuimus. Atqui hierarchiam Cellotianam chariſmatum nec Principatum ſacrum, nec ſacrum principium, nec ſacrorum principium dicere poſſumus. Igitur hierarchiam propriè dicere ipſam minimè debemus. Minor probatur quoad ſingulas partes, primò enim quòd hierarchia chariſmatum ſacer Principatus non ſit, fatetur Cellotius lib. 8. cap. 2. Ratióque in promptu eſt, nam nullus Principatus ſine ſubditis: atqui hierarchia iſta ſubditos non habet: neque enim aut Doctores Iuris Canonici, aut Theologiæ eo ipſo quo in iſta hierarchia collocantur, ſubditos habeant neceſſum eſt: multominùs iſti charitatis Profeſſores, qui etiam ſummum Pontificem hierarchizare poſſunt, quod de ſanctâ Catharina Senenſi aſſerit Cellotius lib. 9. cap. 19. vniuerſim pronuntians, *Purgari & illuminari poſſe à ſubdito, à Religioſo, à laico Hierarcham*: ex quo ita concludit, *In tota hac chariſmatum hierarchia, quis Principatus locus eſt, aut ſubiectioni?* Minor verò quoad alias partes, quod nempe hierarchia Cellotiana chariſmatum, nec principium ſacrum, nec principium ſacrorum dici poſſit, ſequenti articulo probabitur.

ARTICVLVS IV.

Aliis argumentis ex natura & qualitate hierarchiæ ductis idipſum probatur.

HIERARCHIAM chariſmatum, qualem excogitauit Cellotius, nec principium ſacrum, nec principium ſacrorum, quod hierarchiæ fundandæ ſufficere poſſit probatur primò, quia principium hierarchicarum actionum debet eſſe ſtabile ac permanens: neque enim ratione alicuius fluentis & inſtabilis in aliquo ordine collocari, & in aliquo gradu ſtatúque conſtitui quis legitimè poteſt: ideóque Cellotius lib. 8. cap. 2. *Chariſmata ſuæ hierarchiæ ſtatuendæ neceſſaria capere ſe ait, non leui quadam paſſione quaſi cute tenus ſubiectum ſuum tingere, ſed altè in eo imprimi, & duratione perſeuerantiâ ue ſuâ patibilem facere qualitatem.* Atqui magna pars chariſmatum fluxa eſt & inſtabilis, talia verbi gratiâ, ſunt chariſmata ſignorum, ſeu miraculorum patrandorum, quæ non ſunt aliqua qualitas permanens, ſed in tranſeunti Dei operatione & applicatione ad operandum ſupra naturam cuiuſque rei conſiſtunt. Ac proinde habent potiùs rationem operationis diuinæ, quàm principij operationis: tale vt plurimùm Prophetiæ do-

rum, cùm Deus aliquo actuali duntaxat lumine, non habituali Prophetæ futura prænuntiantis mentem colluſtrat: talis, vt plurimùm ſermo ſapientiæ, qui Pontifici, & Epiſcopis in Conciliis quæſtionem aliquam fidei definientibus datur, ne à veritate aberrent: quæ tamen dona hierarchiæ ſuæ chariſmatum fundamenta ab Apoſtolo prædicata Ludouicus tam acriter contendit.

Secundò, quia principium ſacrum ſeu principium ſacrorum, quòd hierarchia dicatur, debet eſſe principium actiuum ſacrorum ſeu actionum hierarchicarum, putà perficiendi, illuminandi principium: atqui chariſmata non ſunt principia huiuſmodi; igitur chariſmata non ſunt principia, quæ hierarchiam aliquam conficere poſſint.

Maior probatur, nam hierarchia ſtrictè ſumpta eſt hierarchia agentium, quod Cellotius non omninò admittit, quia poteſtatem paſſiuam æquè ad chariſmatum hierarchiam ſpectare putat, atque actiuam fatetur, tamen ad hierarchiam generatim neceſſariam eſſe actiuam poteſtatem, & ad hanc, de qua agimus, eam eſſe neceſſariam, quâ per chariſmatum vſum quicunque huic hierarchiæ inſeruntur, alios ad Dei ſimilitudinem adducant: idcóque actus ab hierarchica poteſtate promanantes, numerat purgationem, illuminationem, perfectionem, & qui huius ſunt hierarchiæ chariſmatum eos potentes ad purgandum, perficiendum & illuminandum ſtatuit: idcóque hierarchiam iſtam ſuam principium actiuum actionum hierarchicarum eſſe non diffitetur.

Minor verò probatur, etenim per chariſmata intelligi propriè non poſſunt, niſi gratiæ gratis datæ, vel ipſa gratia cum virtute Theologica, doniſque Spiritus ſancti, quæ omnia gratis dantur, nec humano noſtro labore vel induſtriâ comparantur: hæc autem omnia ad docendam Theologiam, Ius Canonicum, ad ſcribendos libros ſacros, opitulandum miſeris, exempla bona exhibenda, cæteráque id genus, quæ ad hierarchiam chariſmatum ab aduerſario reuocantur, requiruntur tantùm tanquam conditiones, ex decentia & condignitate quadam neceſſariâ ad ſanctitatem operantis, eiúſque in iis actionibus meritum & officium, ſeu tanquam diſpoſitiones, quæ perſonam docentis, & ſcribentis, circa materiam ſacram, & vt veraciter eam perſonam repræſentet, quam gerit: non ſanctitatis habeat laruam homo impurus, non diuinæ gratiæ miniſter gratiæ ſit vacuus, non damnationem ſibi accerſat, dum aliorum ſalutem operatur, nec, vt ait Apoſtolus reprobus efficiatur, cùm aliis prædicauerit, 1. Cor. 9. Sed nec gratia, nec virtutes Theologicæ, nec dona Spiritus ſancti, nec chariſmata tanquam principia effectiua concurrunt ad iſtos effectus, ad quos ſcientia purè naturalis, & humana ſufficit, adeò vt ab hominibus impiis, & ſanctitatem ſimulantibus effectus iſti prodire poſſint, vt tum Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 1. cap. 2. & aliorum paſſim Patrum teſtimonio, tum experientiâ conſtat.

Confirmatur, nam ſi eatenus chariſmatum hierarchia ſeu poteſtas hierarchica ſtatuitur, quia gratiæ virtutéſque Theologicæ & chariſmata decent hominem Theologiæ, Iuris Eccleſiaſtici vel charitatis Doctorem; atque ita iis chariſmatis ſeu diuinis gratiis effectus iſti attribuuntur, eodem modo eum hominem ſacrificantem, abſoluentem à peccatis, & cætera ſacra munia obeuntem deceant, gratia, virtutes Theologicæ, dona Spiritus ſancti, ſequetur eos omnes actus hierarchiæ chariſmatum eſſe tribuendos, eorúmque principium ipſam dici poſſe: atque ita ordinis hierarchiam & chariſmatum confundi; & homini pio ac ſancto ius hierarchicum & poteſtatem tribui ea munia attrectandi, quod Catholicus nemo non hæreticum eſſe fatebitur.

Dices ad Baptiſmum ſimiliter, neque ordinem neque iuriſdictionem concurrere, niſi ex decentia quadam, quippe cùm laicus in neceſſitate baptizare poſſit; eum tamen actum hierarchiæ ordinis non vltimum eſſe: ideóque ſufficere ad hierarchiam, quòd conditio quædam, ſit ex decentia actus hierarchici, non quòd eius principium ſit.

Reſpondeo 1. ordinis vel iuriſdictionis poteſtatem ad cæteros actus ſibi proprios præterquam conferendi Baptiſmi, tanquam actiua principia concurrere, in quibus maior nullus defectus à Theologis notatur, quàm poteſtatis, adeóque & irrita ſunt ſacrificia, & Sacramenta cætera, quæ à non ordinato conferuntur: irrita & inania iudicia ab homine poteſtatem iuriſdictionis non habente: ſpecialiter autem indultum eſſe, vt propter Baptiſmi ſummam neceſſitatem, poteſtas ordinis, quæ ad conferendum lege ordinariâ Baptiſmum requiritur, ab Eccleſia ſuppleatur. 2. Differentiam etiam eſſe, inter poteſtatem ordinis, verbi gratiâ, prout ad Baptiſmum requiritur ex lege or-

dinaria, & inſtitutione Chriſti, qui nonniſi ſuis Apoſtolis & diſcipulis baptizandi munus conceſſit, Math. vlt. & alibi, & inter gratiam & virtutes Theologicas, ac dona Spiritus ſancti ac chariſmata diuina comparata ad officium prædicandi, docendi Theologiam, vel Ius Canonicum opitulandi miſeris, cæteràque id genus: quòd non tantùm ordinis poteſtas ac iuriſdictionis ad Baptiſmum ex parte miniſtri requiratur, vt decenter agat, & conſentaneè; verùm etiam vt auctoritatem habeat legitimam, cui quis ſe abſque neceſſitate tutò ſubdere queat: & ita partam actiuæ poteſtatis moralis videri, facere poteſtatem tam ordinis, quàm iuriſdictionis, quam ſcilicet qui non habet, completam legitimam poteſtatem non habeat, nec officium baptizandi omninò ſuſcepiſſe dici poteſt: cùm è contrà quiuis Epiſcopus, ordine & iuriſdictione præditus, quantumuis ſanctitatis interioris vacuus, & poteſtatem docendi perfectiſſimam habere, & docendi officium ſuſcepiſſe dici debeat. Nec ideò quòd diuinis gratiis, & chariſmatis minimè nobis videatur donatus, iuſtè reſpici poſſit proprius ſacerdos, quaſi minùs idoneus, à quo ſacramentum Baptiſmi recipiatur: cùm è contrà nec à laico, nec ab Epiſcopo ipſo extra propriam Diœceſim Baptiſmum recipere vllus debeat, niſi graui neceſſitate vrgente: imò iuſtè poſſet Eccleſia eius Baptiſmum, qui vel à laico, vel à non habente iuriſdictionis poteſtatem extra neceſſitatem baptizatus fuiſſet, non quidem quoad characterem (qui etiam ab illegitimo miniſtro collatus imprimitur) irritum declarare: ſed quoad ius communionis Eccleſiaſticæ, & ſocietatis fidelium, in quam per Baptiſmum coaptamur, tanquam nullum reprobare, donec vitium iſtud eius, qui contra Eccleſiæ leges Baptiſmum ita ſuſcepiſſet, pœnitentiâ elueretur. Atque ita patet poteſtatem ordinis & iuriſdictionis ad Baptiſmum tanquam principium actiuum eius concurrere: non autem chariſmata diuinámque gratiam & ſanctitatem, ad Theologiæ verbi gratiâ, iuris Canonici aut charitatis per opera apparenter bona profeſſionem tanquam actiuum principium abſolutè neceſſarium influere, ſed tantùm tanquam diſpoſitionem congruam agentis ſemper ad efficaciam vtilitatémque operis vt plurimùm à Deo requiſitam quemadmodum ſuperiùs oſtendimus.

Tertium argumentum, non omne principium actionum hierarchia dici poteſt, ſed principium ſacrum, ſeu ſacrorum: atqui tale principium hierarchiam ſuam minimè deſcribit Cellotius: ergo hierarchia Cellotiana chariſmatum non eſt vera hierarchia. Maior huius ſyllogiſmi clara eſt, tum ex notatione nominis, tum ex perturbatione hierarchiæ, quæ accideret, ſi agendi principium ad hoc, vt hierarchiam conſtitueret, & hierarchicum cenſeatur, non reſtringeretur ad principium ſacrum, vel principium actionum ſacrarum: ita enim & naturalium, & artificialium & moralium, & œconomicarum, ac politicarum actionum bonarum ac malarum principia cum hierarchicis confunderentur; quod quàm abſurdum quiſquis vel tantillum ſapit, intelligit. Minor verò probatur, nam hierarchia dicitur principium ſacrum, vel ratione conſecrationis operantis, vel ratione ſanctitatis principij, quo operans in actus ipſos prorumpit, vel ratione actus ipſius, & operationis, quæ ſacra dicatur: atqui nullo eorum modorum Cellotius hierarchiam chariſmatum, quam confinxit, principium ſacrum ſtatuit: non primo, quia ad eam iis etiam locum tribuit, qui conſecrati non ſunt: neque enim propriè Theologiæ vel Iuris Canonici Profeſſores conſecrari hactenus dicti ſunt, multominùs Ludimagiſtri ac Grammatici Doctores, aut ij, qui tempore Iubilæi nummum egenti ex præſcripto Hierarchæ erogant, vel qui miracula & ſigna perpetrant: quos tamen omnes in hanc hierarchiam contrudit, vt ſuprà docuimus.

Deinde, nec ſi quicumque in hanc hierarchiam ab ipſo coguntur, conſecrati dicantur, ſequitur hierarchiam iſtam principium ſacrum dici, niſi conſecratio ipſa principium operandi exiſtat, nec conditionis tantùm aut diſpoſitionis decentis rationem induat, vt iam probatum eſt: multominùs verò ſi tantùm per accidens ad ipſam actionem ſeſe habeat; quomodo Monaſtica vota verbi gratiâ, impropria conſecratio ad docendum Theologiam, Ius Canonicum, & charitatem ipſam ſeſe habet per accidens: Nam quis dubitat, quin etiam poſſit merè laicus ſæcularis virtutis exempla aliis tradere, & monitis exemplisque ad benè viuendum monere, ſicut poteſt Regularis profeſſus Monaſticâ conſecratione perfectus? ſicut poteſt Epiſcopus vel

ſacerdos ordinatus: imò potentiora ſunt, vt plurimùm exempla laicorum ſæcularium ad perſuadendum, quàm Epiſcoporum, ſacerdotum, vel Monachorum: quo enim magis à pietatis functionibus abeſſe videntur, & ſæcularium negotiorum multitudine magis retardantur, ac diſtrahuntur: horum vtique dum pietatem ſequuntur, illuſtrior apparet virtus, quæ rarior, & efficaciùs ad ſui imitationem prouocat, quæ nemini excipiendi facultatem relinquit, patentem omnibus pietatis viam, neminique clauſam, & benè agendi voluntatem nulla ſæcularium negotiorum mole debilitari, aut infringi poſſe euidentiùs oſtendit.

Denique, nec ſi hierarchia chariſmatum Cellotiana diceretur duntaxat principium ſacrum à conſecratione operantis, non à chariſmatibus, hierarchia iſta rectè chariſmatum diceretur, ſed conſecrationis hierarchiæ: quemadmodum, nec ſi ordo Eccleſiaſticus ſacer non eſſet, hierarchia ordinis illa dici poſſet, nec ſi iuriſdictio non foret ſacra, vlla iuriſdictionis hierarchia appellari deberet.

Neque item 2. modò poteſt dici hierarchia chariſmatum Cellotiana principium ſacrum ratione ſanctitatis principij, quo operans ad actus hierarchiæ iſtius prorumpit. Nam *principium* illud, quod ſtatuit Cellotius, non ſolùm diuinam gratiam, non ſola diuina chariſmata, ſeu gratias gratis datas, verùm etiam virtutes morales tam intellectus, quibus homines in docenda Theologia, exponendo iure Canonico, concionibus habendis, linguis & ſcientiis liberalibus tradendis iuuantur, iiſque aliquando ſolis nituntur: quàm voluntatis, quibus exemplum benè viuendi aliis exhibent: quæ omnia abſit vt ſacra à nobis dicantur, quæ diuina non ſunt, nec ſupernaturalia Dei dona, ac proinde ad finem hierarchiæ ſupernaturalem, qui eſt diuina aſſimilatio per ſe ac naturâ ſuâ ordinari nequeunt, nec ad ipſum totius hierarchiæ fontem ſpeciali titulo reuocari poſſunt.

Non denique 3. nam operationes plurimas hierarchiæ ſuæ idem Cellotius minimè ſacras recenſet, quales ſunt docere Grammaticam vel artes liberales, dare eleemoſynam, ægrotis opitulari, imò & miracula patrare. Quos omnes actus nemo ſacros hactenus dixit, cùm circa Deum nequaquam per ſe & naturâ ſuâ verſentur, nec niſi per accidens ſacri dici poſſint, quatenus ab homine ſacro, vel ex ſacro, vt aiunt, motiuo procedunt, cùm & ab aliis hominibus prodire, & ex aliis motiuis effici poſſint.

Quarta denique noſtra ratio eſt, quia hierarchia definitur *ordo*, quâ conditione docuimus ſuperiùs, innui ſubordinationem in iis præſertim capitibus conſiſtentem ad hierarchiam conſtituendam requiri: primò, quòd ſuperiores ordines hierarchiæ alicuius contineant omnem perfectionem inferiorum, ſed non è contrà. 2. quòd diuina virtus per ſuperiores in medios, per eos in inferiores illabatur, & influat: quod quidem tum teſtimoniis Dionyſij expreſſiſſimis, & aliorum Patrum probauimus, & exemplis cæleſtis & Eccleſiaſticæ hierarchiæ, ſiue prout in ordine præſertim, ſiue prout in iuriſdictione elucet, illuſtrari poteſt, nam quidquid perfectionis eſt in Angelis, id reperitur in Archangelis, & ita aſcendendo vſque ad Seraphinos, & nobiliſſimum Seraphinorum: ſed non è contrà deſcendendo à ſuperioribus gradibus ad inferiores, in quibus perfectio ſemper decreſcit. Quidquid etiam virtutis & perfectionis eſt in Diaconis, illud in Preſbyteris, & quidquid in Preſbyteris, illud in Epiſcopis, quidquid in Parochis, illud in Epiſcopis Diœceſanis, & quidquid in his, in Metropolitanis, & ita per Primatum & Patriarcharum gradus aſcendendo vſque ad ſummum Pontificem virtus omnis & poteſtas inferiorum in ſuperioribus eminentiori modo continetur; diuináque virtus per Epiſcopos ad Preſbyteros, per Presbyteros ad Diaconos deſcendit, quia & Epiſcopi coadiutores ſibi Presbyteros adſciſcunt, per quos agere dicuntur: & hi miniſtros ſibi habent Diaconos, per quos tanquam per inſtrumenta ſua operantur, Eccleſiæ regendæ ſublimior, ac diuina ratio per ſuperiores ad inferiores deſcendit, & in ſummum Pontificem tanquam vnitatis ſacerdotalis exordium, ac communionis Eccleſiaſticæ centrum Epiſcopi omnes conueniunt, ſicut in Epiſcopo ſecundum S. Dionyſium vnaquæque particularis hierarchia terminatur. In eóque præſertim hierarchiæ cæleſtis & Eccleſiaſticæ ſimilitudo attendenda eſt, quam rectè obſeruauit Ennodius in vita Epiphanij dum ait, *ad inſtar ſuperni dominatus vicarios ſuæ poteſtatis voluit eſſe mortales Deus*. Atqui nullus omninò ratione chariſmatum inter omnia ipſius membra ſtatui poteſt ordo, nulla ſubordinatio, nulla diuini influxus ſubordinata re-

ceptio, ſed ſicut chariſmata diuerſa ſunt, non ſubordinata, quæ diuiſit ſingulis ſpiritus prout vult, 1. Corinth. 12. ita & ordines à chariſmatibus petiti diuerſi non ſubordinati: nec qui maiora habent chariſmata, ideò minoribus præditos eſſe neceſſum eſt, nec quæ ſuperiora hierarchiæ chariſmatum membra ſtatuerentur, verbi gratiâ, charitatis Profeſſorum, aut Theologiæ aut Canonici Iuris Profeſſorum virtutem ac chariſmata poſſident, ſed diuerſis chariſmatibus præditi & excedunt & exceduntur, nec qui chariſmata meliora poſſederunt, ideò neceſſum eſt eos habere minùs perfecta, *quia Spiritus vbi vult ſpirat*, Ioan. 3 neque diuina virtus, per ſuperiorum chariſmatum ſubiecta, in alia quæ inferiorum chariſmatum poſſeſſione donantur, influit, ſed diuiſiones ſunt diuinarum operationum, donorum & gratiarum non ſubordinationes. Igitur nulla ſtatui poteſt hierarchia chariſmatum.

Huic rationi occurrere videbitur fortè Cellotius lib. 8. cap. 2. non eſſe neceſſum aſſerens ſeruari in illa hierarchia *ordinem hunc, vt infimi nihil à ſummis, niſi per interpoſitos accipiant: nam & illud in hierarchia ſuperioris ordinis fallere deprehendet, cui notum erit populum ſanctum & Monachos non opera Diaconorum, ſed per ipſos immediatè ſacerdotes illuminari eoſdem Monachos non à ſacerdotibus, ſed ab Hierarchis perfici: & in cæleſti ſupremi ordinis Seraphinum vices ſuas vltimi gradus Angelo legare, eumque hierarchizare ſcribit Dionyſius, vt Iſaiæ linguam diuino purget calculo.*

Verùm hæc reſponſio noſtram rationem non eludit: hoc enim ſolùm probat, quod nos vltrò fatemur, nempe licèt ſoleat per interpoſitos ordines aliquando ea, quæ captui eorum ordinum accommodata ſunt ſuperiores agere, non per ſe ipſos ad inferiorum purgationem deſcendant, tamen & liberrimam habere poteſtatem, vt etiam per ſeipſos in inferioribus immediatè operentur, & neceſſariam eſſe aliquando, vt ſi quid ſuperioris ordinis, & maioris perfectionis circa inferiores operari oporteat, illud per ſeipſos immediatè operentur: verbi gratiâ, licèt Epiſcopi non ſoleant ſacramentum corporis Chriſti omnibus fidelibus diſtribuere, nec per ſeipſos fideles omnes ſuæ curæ ſubditos inſtruere, non tamen dubium eſt, quin aliquando id cùm placuerit poſſint, quin etiam ipſis incumbat, nullo interuentu ac per ſe ipſos & Confirmationis ſacramentum & ordinis impertiri: atque obſcuriorum fidei quæſtionum ſolutionem ſingulis aperire: neque huic veritati probatio noſtra repugnat, quæ ſolùm intendit inferiores, nonniſi dependenter à ſuperioribus agere, nec niſi inferiori virtute ac minùs perfectâ, & quæ perfectiùs in ſuperiori relucear operari, nec habere poteſtatem vllam, niſi quodammodo à ſuperioribus acceptam, quorum inſtrumenta quodammodo eſſe poſſunt, & à quibus in eo, in quo ipſis ſubiacent, limitari eorum virtus & reſtringi poteſt: quorum nullum cum ratione chariſmatum locum habeat, nec ratione chariſmatum hierarchia vlla fingi poteſt.

Inſtabis monachos in ſuperiori ordine hierarchiæ initiandorum ſupremum locum tenere; ſanctam plebem in medio, immundos in infimo: neque tamen inter eos ordines hanc eſſe agendi conſequentiam, vt immundorum virtus à populo fideli, huius vis à Monachorum ordine pendeat. Igitur hanc ſubordinationem in omni hierarchia non eſſe neceſſariam.

Reſpondeo in hierarchia iſta initiandorum, quæ impropriè tantum eſt hierarchia, eumdem, quem memorauimus ordinem, ſeruatâ proportione ſeruari: nam cùm iſta hierarchia ſit patientium non agentium, non in agendo, ſed in patiendo ſubordinatio iſta ſpectanda eſt: vt ſcilicet omnis vis, & dignitas immundorum in plebe fideli, plebs fidelis in Monachis reluceat: & primùm quis purgari cum immundis, tum illuminari cum infidelibus debeat, antequam perficiatur cum Monachis: ſeu vt tradit Dionyſius cap. 6 Eccleſiaſticæ hierarchiæ, primùm immundi à deterioribus actionibus ad præſtantiores ac meliores traduci debeant, antequam in plebis fidelis numerum poſtquam omni ex parte expiati fuerint, recepti ad φωτιστικὴν myſteriorum ſacrorum viſionem ac perceptionem transferantur: vt deinde omnem expiationem prætergreſſi, & ſancta myſteriorum communione digni iudicati ad perfectiorem ſtatum Pontificiis hierarchicisque traditionibus deducantur: quarum progreſſionum, ne vmbra quidem in iſta fictitia chariſmatum hierarchia apparet.

ARTICVLVS V.

Abſurda quædam proferuntur, quæ ex Cellotiana chariſmatum hierarchia conſequuntur.

§. I.

Varia abſurda ex Cellotiana ſententia conſequentia proponuntur.

HACTENVS oſtenſiuis, vt aiunt, argumentis ab hierarchiæ natura & qualitatibus deſumptis chariſmatum nullam poſſe dari hierarchiam demonſtrauimus. Idipſum vrgemus argumentis aliis, quæ ex abſurdis, & paradoxis conſecutionibus petuntur, quas iſta falſa hierachiæ chariſmatum ſuppoſitio inuehit.

Primum eſt, quia ſi chariſmatum Eccleſiaſticam hierarchiam Cellotiano ingenio admittimus, hæc ſequuntur, primùm in hierarchiam iſtam vnumquemque inuolare debere, omnibus patentem eſſe, etiam merè laicis ſæcularibus ac fœminis, ſed ab ea beatam Virginem excludendam: comprehenſuram item Monachos præſentis ætatis, excluſis antiquiſſimorum temporum Monachis, Anachoretis, & Eremitis: atqui hæc omnia abſurda ſunt: igitur & abſurda eſt ſuppoſitio, ex qua illa conſecutione neceſſariâ deriuantur.

Maior propoſitio quoad vtramque partem probatur: etenim vel conſecratio neceſſaria admittitur ad hierarchiam chariſmatum vel negatur: eam, vt docuimus ſuprà, expreſsè neceſſariam ſtatuit pluribus locis Cellotius, mox verò dictorum immemor videtur minimè neceſſariam credere: vt vt ſit quamcunque partem amplectatur parum refert: ſi enim coſecrationis neceſſitatem ab hierarchia chariſmatum excludat omnibus omninò Chriſtianis, imò etiam Catechumenis ac nondum baptizatis ſalutari lauacro tinctis in hierarchia chariſmatum locus dabitur, ἐπεὶ οὐκ ἔστιν ἄνθρωπος πιστεύσας διὰ Χριστοῦ εἰς τὸν Θεόν, ὃς οὐκ εἴληφε χάρισμα πνευματικόν· αὐτό τε γὰρ ἀπαλλαγῆναι πολυθέου ἀσεβείας καὶ πιστεῦσαι Θεῷ πατρὶ διὰ Χριστοῦ, χάρισμά ἐστι Θεοῦ, *Quippe cùm nemo ſit, qui per Chriſtum in Deum crediderit, quin Spirituale chariſma acceperit, nam hoc ipſum erectum fuiſſe ab impietate multos deos colendi & credidiſſe Deo Patri, chariſma Dei eſt*, inquiunt Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 8. cap. 1. Quantumuis illæ chariſmatis nomen ſtrictiùs quàm Cellotius accipiant. Si igitur ratione chariſmatum, & bonorum exemplorum, quibus quis alteri prælucet, imò etiam actuum, quibus ſeipſum purgat, ac perficit hierarchiæ chariſmatum aliquis inſeritur fidelis omnis etiam Catechumenus eidem hierarchiæ adſcribetur: imò etiam Turcæ & Gentiles, dum nobis benè viuendi moralia documenta & virtutum exempla præbent, in eam contrudi neceſſariò debebunt: niſi fortè dicas ex præſcripto Hierarchæ Turcas & Gentiles ad opera virtutis exercenda non ferri, neque in iis dirigi, neque ad exempla præbenda moueri: quæ ratio qualiſcumque ſit, tamen in Catechumenis ſaltem & laicis ſæcularibus viris ac fœminis non habet locum, quos omnes non ſolùm ſummus Hierarcha Chriſtus, verùm etiam cæteri Hierarchæ minores Chriſti vicarij in diſciplinâ Chriſtianæ vitæ, & pietatis ſtudio erudiunt ac dirigunt: vt verè dici poſſit ex præſcripto & ordinatione Hierarchæ eos agere, & ſecundum eius ductum operari. Atque ita non ſolis Clericis aut Monachis, ſed & laicis tam viris quàm fœminis etiam Catechumenis in hierarchia chariſmatum ſuus dabitur locus: imò & Turcis, & infidelibus, ſi modò directionem & imperium Hierarchæ ab Hierarchia chariſmatum reiicias quam conditionem requirit Cellotius, ſed perperàm nec abſque contradictione, quandoquidem ex ea conditione ſequatur actiones, quæ ex diuina lege fiunt, hierarchicas non eſſe; eas verò quæ ex lege, vel imperio, vel directione, & præſcripto Pontificis humani fiunt, hierarchicas eſſe: propheticas item reuelationes, ac miracula, quæ nullus ex præſcripto hominis mortalis fieri dicet ad hierarchiam chariſmatum, contra quam ipſe ſtatuit, non pertinere.

Sed

Sed hoc prætermiſſo velim reſpondeat Cellotius an laicis ipſis, quos admittit aliquando ab Epiſcopis Catechiſtas conſtitutos fuiſſe libri quarti capite vigeſimo quinto, in chariſmatum hierarchia locum tribuat. Certè denegare iis locum in hierarchia chariſmatum non poteſt, quibus etiam ex præſcripto Epiſcopi chariſmatum vſum permittit.

Si verò dicatur conſecratio neceſſaria ad hierarchiam chariſmatum, præterquam quod ſequetur, vt ſuprà probauimus, Doctoribus Theologiæ & Canonici Iuris, quos etiam coniugatos ex ſtatu ſuo eſſe poſſe affirmat Ludouicus, aliósque plurimos ab iſta hierarchia expungendos, contra quod ipſe ſtatuit, colligetur etiam id quod nos ſecundo loco ex ſuppoſitione chariſmatum inferri poſſe dicebamus: nimirùm fœminas quaſdam putà Monachas ex ſententia Cellotij, in ea hierarchia locum habere, quod ipſe apertè fatetur tum pluribus locis, tum cap. 6. lib. 8. num. 10. *Nolo*, inquit, *ſegniorem ſexum excludas, legis enim apud Iudæos Prophetides, apud Chriſtianos prophetat mulier velato capite. Neque diuinam Senenſis Catharinæ ſapientiam, nec Brigittæ reuelationes contempſit Eccleſia: in Prochodochiis frequentiſſimæ ſunt id genus opitulationes, & faciendis miraculis naturæ domino vterque ſexus miniſtrat: cur ergo fœminas à gratiis, gratias ab hierarchia, quia dantur fœminis abigamus?* Quæ verba deſcripſimus, vt videas quàm parum ſibi conſtet aduerſarius; qui ex gratiis hierarchiam colligit: nec illi, qui gratiarum ſeu chariſmatum idoneus ſit, hierarchiæ chariſmatum ingreſſum denegat: cùm tamen idipſum neget eiuſdem libri cap. 2. non omnibus, qui gratiarum & chariſmatum capaces ſunt, huius hierarchiæ aditum concedens, ſed iis tantùm, qui ab Hierarcha ad eorum vſum ſunt deſignati, & publico Eccleſiæ nomine illis vtuntur. *Sunt igitur*, inquit, *actiones hierarchicæ vſus chariſmatum, is certè, qui à ſtatu eſt, qui hierarchicâ auctoritate probatur, qui fit publico Eccleſiæ nomine, non enim hierarchiam dixeris opitulationem, quæ ægro domino à famulis impenditur: aut hierarchicam interpretationem Doctorum virorum, qui Græcorum Eccleſiæ Patrum eruditas & pias lucubrationes Latinè reddunt, aut vernaculè: ſed Marcum interpretem Petri, & Agabum Prophetam hierarchicum vocabis, quia in eo gradu & ſtatu ab Eccleſia per Hierarchas conſtituti ſunt.* At quam mulierem ipſe probabit in gradu Prophetiſſæ vnquam conſtitutam eſſe, aut in lege Euangelica publico vnquam nomine prophetaſſe, piarum quidem quarumdam fœminarum Eccleſia reuelationes non reſpuit: ſed nec publico nomine factas putat, nec omnibus fidelibus credendas proponit, nec publicam illæ auctoritatem habent, quæ fideles omnes conſtringat.

§. II.

Contradictiones quædam Cellotij notantur, & obiectiones refutantur.

QVA in re priuſquam conſecutionem noſtri argumenti vrgeamus, Cellotij obſcuram & intricatam loquendi rationem & dubij, atque fluctuantis animi perplexitates aduertere licet, quæ argumenti noſtri vim atque robur ab ipſo præuiſa demonſtrant: nec ſatis ei rationem euadendi notam fuiſſe demonſtrant. Ex prædictis conſtat quanta cum verborum acrimonia libri tertij capite ſecundo in me irruerit, quòd in noua lege docuiſſem non eſſe neceſſarios Prophetas, *Qui labentem Eccleſiæ ordinem vt pote indefectibilem corrigant, aut publica Eccleſiæ oracula fundant, quibus fidelis populus inſtruatur*: & in eo Synagogæ ab Eccleſia diſcrimen eſſe, nam Synagogam Prophetis ad hoc ipſum indiguiſſe, & vt diſciplina eius erigeretur, & vt fides eorum, qui propiùs ad Chriſti tempora accedebant, magis explicita, magíſque illuſtris Prophetarum teſtimonio redderetur. Cùm è contrà *Eccleſia à Chriſto & Apoſtolis fundata, ſufficienter inſtructa ſit, vt nouis de cætero Propheticis oraculis non indigeat.* In quibus verbis, ne momus quidem quidquam reprehendere poſſet. Idem etiam lib. 8. cap, 9. eandem etiam propoſitionem meam, quæ Catholicorum omnium eſt, corrumpit, vt carpat, deprauet, ac ſugillet: quam eius criminationem non moror, ad propoſitum ſolùm hæc ſpectare iudico, quibus id quod dixeram reprehendit propheticum donum hierarchicum non eſſe, niſi publicam auctoritatem id quod præ-

dictum fuerit, obtineat. *Quid*, inquit, *ſi à mulieribus, quas Prophetare legimus, editum eſt vaticinium publicâ auctoritate recipi non poterit? quia ab concionante, & ordinario perfectum non eſt? B. Virgo, quæ per Prophetam Propheteſſa vocata eſt, nihil potuit prædicere publicè in Eccleſia auctoritatis? S. Brigittæ reuelationibus publicam auctoritatem dare non potuit Eccleſia?* In iis verbis nihil ſinceri, nihil certi ac conſtantis: omnia detorta, ambigua, & impedita relinquuntur, cuius tamen ambiguitatis & ſubdolæ, atque intricatæ orationis, ne quis eum accuſaret, vitium mihi ſuum obiicit, putans ab eo ſe virio immunem præſtare, cuius anticipatâ delatione alium incuſaret: *Neque minùs*, inquit, *prophetiæ donum implicat*, & nodum facit in ſcirpo. Quid verò impeditè dixi? quem in ſcirpo nodum quæſiui? apertè ſtatui hierarchicum non eſſe prophetiæ donum, niſi publicam auctoritatem haberet, & fideles omnes conſtringeret. Id ſuprà à me ſatis ſupérque quàm verum ſit oſtenſum eſt; ſed ſi falſum eſſet, non ideò obſcurè aut intricatè dictum foret, ſed manifeſtè & apertè: falſum autem id eſſe quomodo probas? quia, inquis, à mulieribus edita vaticinia publicâ auctoritate ab Eccleſia recipi poſſunt. Quid tum? quantumcumque id daremus, non tamen ea hierarchica vaticinia eſſent, quatenus à mulieribus profecta eſſent, ſed quatenus ab Eccleſia probata, cuius auctoritas hierarchica eſſe, non mulierum exinde colligeretur. Quantumlibet ergo verbi gratiâ, ſanctæ Brigittæ reuelationes Eccleſia publicâ auctoritate probaret, non tamen ſancta Brigitta ideò hierarchiæ inſerenda foret, etiam ex tuis principiis cum in gradu & ſtatu Propheteſſæ ab Hierarchis nunquam conſecrata, nunquam conſtituta fuerit, nunquam eius reuelationes hierarchicæ forent: nec ab ipſa publicam auctoritatem, ſed ab Eccleſia obtinerent. Deinde poſſunt quidem eius reuelationes ita ab Eccleſia probari, vt declaret Eccleſia nihil ab ipſa contra fidem Catholicam, aut contra bonos mores ſcriptum eſſe: quâ ſententiâ Eccleſiæ reprimeretur eorum audacia, qui eas tanquam impias, vel fidei aut moribus bonis contrarias criminarentur. Sed non ita eas probare poteſt, vt diuinâ fide ab omnibus credi debeant: quippe cùm nec ipſum Eccleſiæ priuilegium ſit, quod nouas ſucceſſu temporis reuelationes vel habeat, vel ſuſcipiat, vel probet: ſed antiquas tantùm beneficio Scripturæ ſacræ & traditionis fideliter retineat, impugnatas defendat, obſcuras illuſtret, effoſſas eruat, vt aduerſus hæreticos oſtendunt Tertullianus de præſcriptionibus cap 21 & ſequentibus pluribus capitibus, Vincentius Lirinenſis toto ferè ſuo commentario, ſed maximè cap 26. 27. 28. 29. & 30 & alij paſſim. At quod de Brigittæ reuelationibus dictum eſt, eas ab Eccleſia ita probari vt fidei Catholicæ & bonis moribus nihil diſſentaneum habere declarentur: idipſum de aliqua Senecæ epiſtola, vel Ariſtotelis, aut Platonis libro fieri poſſet: tu libros ita probatos eorúmque auctores hierarchicos cenſebis?

§. III.

An beata Virgo in hierarchia ſtrictè ſumpta ſit collocanda.

QVOD addis de B. Virgine, ad inuidiam nobis conciliandam ex profeſſo adiungis; cùm enim ſummæ ipſius ſint perfectiones, & plures quàm animo concipere poſſimus, ſi quam ei denegemus perfectionem, illicò nos beatiſſimæ Virgini iniurios proclamabis, & nos ad inuidiam trahes, quam proinde nobis conſultum viſum eſt, Cellotii, in tuam faciem ſpurum iſtud tuum regerere, & calliditate tuâ aduerſus te vti: Non enim Matri Domini probroſum eſt, ſi hierarchicam ei dignitatem in terris denegemus, quam Chriſtus ſolis viris propriam eſſe voluerit; ſed vtique irrogabitur ei iniuria, ſi quam dignitatem mulieribus etiam cum viris communem Deus eſſe ſtatuerit beatæ Virgini Mariæ, quam præ cæteris coluit, ac ſummè dilexit filius adimamus, quemadmodum in probatione minoris dicemus. Quare facilè nos ab obiectione Cellotij liberare poſſemus, nam beatam Virginem ante Chriſti exortum, & ante promulgationem legis Euangelicæ prophetaſſe legimus, cùm celebre iſtud Canticum cecinit, quod habetur Lucæ ſeptimo, *Magnificat anima mea Dominum*, &c. vnde inter Propheteſſas veteris Teſtamenti cum Elizabetha cognata, cuius

habetur mentio eodem capite, & Annâ filiâ Phanuel commendatâ Luc. 2. recenſeri deberet. Prophetaſſe poſteà B. Virginem non legimus, ſicut nec prædicaſſe. Quid fieri potuerit, non diſputamus, ſed quid factum ſit: eóque maximè exemplo diuinæ ordinationis lex ſanctiſſima de fœminis tam à ſacerdotali quàm ab hierarchico ordine arcendis firmata eſt, quòd B. Virgo, in qua myſteriorum diuinorum exuberabat cognitio, ab omni prædicandi officio abſtinuerit, diuináſque veritates interpretandi munus tanquam ſibi nequaquam à filio commiſſum attingere reuerita fuerit, nec vnquam ſe dirimendis fidei controuerſiis immiſcuerit, aut Scripturarum ſacrarum condendarum auctoritatem ſibi vendicarit: ac proinde nec hierarchica munia attigerit, nec hierarchicam dignitatem arrogarit.

Difficilius autem Cellotius ab hoc argumento ſe extricare poterit, quòd cùm ad hierarchiam neceſſariam ſcribat conſecrationem, & deſtinationem ab Hierarchâ ad hierarchica opera, Monialibúſque hanc conſecrationem attribuat: è contrà B. Virgini nec conſecrationem aut deſtinationem ab vllo Hierarcha ad vſum chariſmatum, quibus ipſa cæteris abundantiùs prædita erat, contigiſſe non dicam probare, ſed nec veroſimiliter referre poſſit. Ad quorum enim præſertim chariſmatum vſum conſecrata ſit, an ad miſericordiæ, an ad mortificationis, an ad doctrinæ aliis tradendæ opera, an ad aliqua alia, ad quam regulam ab Hierarcha conſtricta, quandoquidem ad præſcriptum Hierarchæ ait aduerſarius omnia hierarchica opera eſſe conficienda, à quo Hierarcha, an à Chriſto, an à ſancto Petro, an ab alio. Hæc, inquam, omnia, vel eorum aliqua, ſi explicare voluerit, ſtultus coniector, & friuolus diſputator habebitur. Certè non indigebat beata Virgo tanto diuino lumine illuſtrata, regulâ ſibi quadam ab Hierarcha ad vſum gratiæ diuinæ, ac ſalubrem diſpenſationem, quæ nunquam vllam occaſionem vtiliter & conſentaneè ſuo ſtatui diuinam gratiam impendendi prætermiſit. Non indigebat exteriori conſecratione, quæ voluntatem eius firmaret Virgo propoſiti tenaciſſima; & interiori Spiritus ſancti gratiâ ab initio ſanctificata, vberiuſque poſteà corroborata. Atqui conſecrationem iſtam, & deſtinationem ab Hierarcha, requirit Cellotius ad hierarchiam, quemadmodum toties docuimus, nec opus vllum quamtumuis ex vberiori gratia, & præſtantiori chariſmate profectum putat eſſe hierarchicum, niſi ab Hierarcha præſcriptum ſit, & conſecratio ad iſta chariſmata præceſſerit: igitur ſequitur ex eius principiis Moniales quidem hodierni temporis bonam partem hierarchiæ chariſmatum implere, beatæ autem Virgini nullum in ea locum eſſe.

Eodem argumento ſanctiſſimi illi Monachi, Paulus, Antonius, Hilarion, & alij Anachoretæ, & Cœnobiticæ vitæ fundatores, qui abſque conſecratione exteriori, abſque regulis ab Hierarcha præſcriptis apud ſe primùm viuebant, toti in Dei orationem, & diuinam meditationem intendentes, pietatiſque exercitiis penitùs addicti: ij, inquam, defectu conſecrationis Monaſticæ, & deſtinationis hierarchicæ ab hierarchia chariſmatum excludentur, in qua fortè tepidi, ignaui, & iſtorum nomine vix digni heredes primas in hierarchia chariſmatum ſedes Seraphinorum inſtar tenebunt?

Cæterùm ad probationem minoris vix quidquam adiungi neceſſum eſt: nam abſurda iſta, quæ ex opinione Cellotij deducuntur, propoſuiſſe, refutaſſe eſt. Ad ſingulorum tamen refutationem quædam adnoto, atque vt ab eo quod poſteriùs retuli, initium ſumam, non poteſt Cellotius ab hierarchia chariſmatum ſanctiſſimos prioris temporis Monachos, & ſanctiſſimas illas virgines, quæ ſimplici duntaxat apud ſe emiſſo voto virginitatis vouerunt, vel quæ ſine voto eandem ſeruauerunt, defectu conſecrationis excludere, niſi teſtimoniis Bonauenturæ, Guillelmi Pariſienſis, & aliorum paucorum, qui myſticè Eccleſiaſticos ordines hierarchiæ cæleſtis imaginem aliquam repræſentantes enumerant, renuntiet: ij enim eorum omnium etiam abſque conſecratione & deſtinatione Hierarchæ, hominum meminere, Monachorum ſcilicet quorumque, virginum quoque generatim, imo confeſſorum quoque & Martyrum: iis autem ſi renuntiet Cellotius, potiſſimis ſuæ cauſæ, & in ſpeciem alicuius momenti fundamentis deſtituetur.

2. Nec poteſt B. Virginem ab hierarchia chariſmatum excludere, ad quam alias fœminas incluſerit, nam vt rectè argumentabatur Clemens lib. 3. Conſtitutionum

cap. 6. de prædicandi munere, quòd ſi alicui mulieri conceſſum fuiſſet, proculdubio beatæ Mariæ Virgini matri ſuæ Chriſtus conceſſiſſet; idem generatim de quauis hierarchica dignitate concludi poteſt, eam Chriſtum non denegaturum fuiſſe matri ſuæ, ſi alicui mulieri erat iure ſuo conceſſurus: voluit autem Chriſtus *neceſſitatem humilitatis*, vt ait Tertullianus, de velandis Virg. cap. 9. ſexui adnexam eſſe muliebri, non excellentiam prælationis aut officium publicum hierarchicæ dignitatis: voluit priuatim apud ſe mulieres viuere, nec ſi quid etiam velint diſcere, eis lex Chriſti per Paulum promulgata 1. ad Timotheum 2. publicè in Eccleſia ſciſcitandi permiſit, ſed domi viros ſuos interrogare præcepit: tantùm ſcilicet abeſt, vt publicè vel Theologiæ, vel Iuris, vel charitatis docendæ partes, vel publicum officium, ad quæ ſcilicet capita, tota hierarchia chariſmatum reuocatur, vlli mulieri permiſerit.

§. IV.

Merè laicos non eſſe in Eccleſiaſticâ hierarchia ſtrictè ſumpta.

3. QVAM abſurdum illud eſt purè laicos ad hierarchiam admittere pluribus probatur: tum ex prædictis obiter, tum ex dicendis, quibus & ordinem ad hierarchiam Eccleſiaſticam neceſſarium eſſe, & iuriſdictionem Eccleſiaſticam oſtendemus, quorum neutrum laicis conuenit; tum etiam ex iis, quæ iam adiungimus.

Primò enim hierarchia Eccleſiaſtica ſtrictè ſumpta ſacrum habet adiunctum publicum officium ac munus in Eccleſia, vt ex variis locis Cellotij ſuperiùs probauimus: atqui nullus merè laicus publicum habet munus in Eccleſia, aut publicum officium: ſed ſinguli priuatam vitam viuunt, ſibi ſolùm intenti, de aliis neutiquam ſolliciti, quod eorum à Clericis diſcrimen oſtendit Chryſoſtomus homil. 86. in cap. 20. Ioannis, oſtendunt & alij paſſim Patres, quorum plurimos ſuperiùs citauimus. Ergo nullus laicus etiam ex principiis Cellotij in Eccleſiaſtica hierarchia locum habere poteſt.

Secundò, Eccleſiaſticam hierarchiam ſtrictè ſumptam diſtinguit Cellotius ab Eccleſiaſtica hierarchia latè accepta, quòd hierarchia laxiori acceptione comprehendat omnes Clericos, Religioſos, laicos libri tertij cap. 15. ſtrictè verò ſumpta anguſtiùs, & preſſiùs accipienda ſit, pro ſelecta, & rebus ſacris addicta fidelium parte, cuius legitimam definitionem agnoſcit, vt ſit ordo ſacrarum in Eccleſia perſonarum, quibus ſacra alicuius functionis ex officio exercendæ poteſtas conuenit, cap. 15. lib. citati. Hanc autem diuidit in hierarchiam chariſmatum, ordinis & iuriſdictionis: itaque etiam ex Cellotio hierarchia chariſmatum, cùm ſit hierarchia ſtrictiori ſignificato ſumpta, non omnia Eccleſiæ membra, non laicos comprehendit, ſed tantùm perſonas ſacras, & partem fidelium ſacris addictam, non merè laicas perſonas ac ſæculares.

Tertiò, ſi laici hierarchiam chariſmatum, cuius, ex Cellotio, proprium eſt perficere, illuminare, purgare, ſed maximè perficere lib. 8. cap. 1. admittantur, ſequitur contra Dionyſium cap. 5. & 6. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, quem ſequuntur Maximus & alij, non ſolùm purgari & illuminari, verùm etiam perfectos eſſe ex officio ſuo & ſtatu, quibus nempe perficere ex ſtatu officióque conueniet: ſequetur malè Dionyſium actus hierarchicos partitum fuiſſe, dum immundis ex ſtatu ſuo purgatos eſſe, laicis fidelibus illuminatos eſſe, Monachis perfici: ſolis autem ordinibus ſacris purgandi, illuminandi, perficiendi munus aptauit: & quidem Epiſcopis præſertim perficiendi functionem, Preſbyteris illuminandi, Diaconis purgandi tribuit, quem tamen ſequuntur S. Maximus, Antiochus, Theophylactus, & alij à nobis ſuperiùs citati: annuúntque Conſtitutiones Apoſt. lib. 8. cap. 1. laicos τοὺς ἀρχομένους eſſe dicentes οὐκ ἄρχοντας, ac proinde non inter hierarchizantes, ſed hierarchizatos eos ſolùm ſtatuentes.

Quartò, laicos ab omni ſacro publico miniſterio paſſim arcent Patres, & Concilia: fatetúrque Cellotius lib. 6. cap. 2. & alibi: atqui qui in hierarchia ſunt chariſmatum, ij non arcentur ab omni ſacro publico miniſterio: nam & miniſtrationes, ſiue διακονίαι in hac hierarchia numerantur à Paulo prioris Corinth. 10. ſecundum

interpretationem Cellotij, qui etiam non dubitat ipſas miniſtrationes ſacras, ſacráque miniſteria vocare, eáque ab hierarchiæ chariſmatum membris nomine publico, atque ex officio publico aſſerit executioni demandari: igitur iuxta mentem Patrum huic hierarchiæ nec laici inſeri poſſunt, nec vlli præter ordinibus ſacris inſignitos, qui ſoli ad miniſterium ſacrum publicum admittuntur à Patribus.

Quintò, ſoli Clerici ordinati prout laicis opponuntur, dicuntur Eccleſiaſtici viri ab Ambroſio in 1. ad Timotheum cap. 6. Hieronymo lib. 3 Commentar. in Oſeam, lib. 3. in Hieremiæ cap. 12. & 13 Iſidoro Hiſpalenſi lib. 8. de Officiis cap. 3. Aquiſgranenſi Concilio ſub Ludouico, lib. 1. cap. 101. & aliis paſſim, quem loquendi morem reprehendentem Vviclefum (quicum in pluribus conſentit aduerſarius) fusè corripit Thomas Vvaldenſis tom. 3. contra Vvicleſiſtas & Huſſitas. Cur autem Eccleſiaſticis opponerentur laici, niſi quia his officium quoduis publicum in Eccleſia denegatur, Clericis autem quia publicum officium in Eccleſia habent, ideò Eccleſiaſticorum denominatio propria redditur & peculiaris: ſimiliter dum extra Eccleſiam laicos ſtatuit Baſilius Can. 55. epiſt. ad Amphilochium, hoc ſenſu intelligendus eſt, vt extra hierarchiam & ordinem eorum, qui publicum in Eccleſia officium gerunt, laicos conſtituat. Eadem mens Tertulliani, dum & ordinem & Eccleſiaſticum ordinem opponit plebi, de exhortatione ad caſtitatem cap. 7. dum ordinem Eccleſiaſticum, in quem queritur, idolorum artifices recipi de idololatria cap. item 7, pro ordine Clericorum miniſtrantium altari vſurpat, nullum ordinem Eccleſiaſticum ſeu hierarchicum agnoſcens, niſi qui eſſet Clericorum. Fauent etiam Conſtitutiones Apoſtolicæ, in quibus de chariſmatis tanquam laicis & Clericis communibus, verba fiunt lib. 8. c 2. & 3. cap 4. ſequenti: nam vbi de ordinationibus ſermonem habere Apoſtoli incipiunt, Conſtitutiones, quas de iis præſcribere ſe pollicentur, eas περὶ παντὸς ἐκκλησιαστικοῦ τύπου, *de omni Eccleſiaſtica forma* futuras promittunt. Hæc enim omnia aliáque ſimilia Patrum teſtimonia, nullam eſſe hierarchiam, nullum ordinem hierarchicum laicum oſtendunt. Sed omnem hierarchiam Clericorum eſſe demonſtrant.

Sextò, idipſum probant eædem Conſtitutiones Apoſtolicæ, dum laico prohibent ποιεῖν τι τῶν ἱερατικῶν ἔργων, lib. 3. c. 2. *facere* ſcilicet *aliquid hierarchicorum ſeu ſacerdotalium operum*: opus ſacerdotale, cum ſacro, ſeu hierarchico confundentes. Optatus Mileuit. lib. 1. contra Parmenianum, dum *laicum nullâ in Eccleſia dignitate ſuffultum* memorat: ſumma enim dignitas eſſet inſeri hierarchiæ chariſmatum, quam & omnium ſupremam, ac nobiliſſimam Ludouicus noſter agnoſcit. Gregorius Nazianzenus Orat 26 dum laicis pati tantùm tribuit; & innumeri alij, qui laicos diſcipulorum, Clericos magiſtrorum ordini inſerunt. At qui hierarchiæ chariſmatum inſeruntur, iidem etiam ex officio publico, & ſtatu ſuo magiſtri ſunt Theologiæ, verbi gratiâ, Iuris Eccleſiaſtici vel charitatis Profeſſores Auguſtinus ſermone 1. Appendicis de diuerſis, dum laicis tantùm audiendi, Clericis docendi munus tribuit. At quiſquis in hierarchia chariſmatum collocatur, non tantùm ad audiendum, ſed maximè ad docendum, verbo vel facto, putà ad perficiendum ordinatur. Alia poſteà adiungam.

§. VLTIMVS.

Catechumenos ab hierarchia ſtrictè ſumpta excludendos.

IAM verò, vt reliquas abſurditates ex opinione aduerſarij conſequentes refellam, quàm abſurdum Catechumenos in Eccleſiæ eſſe hierarchia ſtrictiori ſignificato, ſeu locum habere inter delecta Eccleſiæ membra & dignitate Eccleſiaſticâ prædita: qui nequidem ſint in Eccleſia; ad quam ſcilicet per Baptiſmum duntaxat aditus conceditur ex Concilij Florentini decreto, pro vnione Armenorum. Quare concludendum eſt pro priori iſto argumento innumeris contradictionibus Auctorem hierarchiam chariſmatum admittentem implicari: Eccleſiæ ordinem ſubuerti, promiſcuè illa laicorum, fœminarum, imò & Catechumenorum in hierarchiam Eccleſiaſticam introductione, ſuperiore etiam loco; quas nonniſi in infimum ordinem extra hierarchiam agentem, ſeu hierarchizantem veteris Eccleſiæ vox reiecit.

Digitized by Google

ARTICVLVS VI.

Varia alia abſurda ex eiuſdem hierarchiæ poſitione conſequentia explicantur.

§. I.

Ex poſitione hierarchiæ chariſmatum, iunctis Cellotij principiis, ſequi Angelos eſſe Paſtores, Sacerdotes, Diaconos, vbi & eius quædam contradictiones notantur.

HVIC argumento alterum iſtud affine eſt, quia ſi liceat ob chariſmatum & donorum ſupernaturalium, quibus aliquis ſuam, & alterius promouet ſanctitatem, illum in Eccleſiaſticam hierarchiam chariſmatum tranſcribere, & in ſuperiori Eccleſiaſtico ordine collocare, ac tanquam ex officio publico, & nomine publico operantem ſuſpicere; eundem quoque, quem ita hierarchiæ participem, & dignitate iſtâ, ac poteſtate hierarchicâ præditum affirmare licuerit, propriè Paſtorem, propriè Diaconum licebit dicere, nec ei iſta tantùm, verùm etiam cætera Eccleſiaſticæ hierarchiæ ordinis & iuriſdictionis nomina, & officia attribuere. Atqui conſequens eſt omninò abſurdum, eóque dato manifeſtè apparet, vel ſine interprete hierarchiam Eccleſiaſticam conuelli, & Caluiniano ac Vviclefiano genio, ſacerdotium & poteſtatem Eccleſiaſticam quibuſlibet è plebe poſſe communicari: igitur & antecedens quoque abſurdum erit, & in hierarchiæ Eccleſiaſticæ cladem, ac certam perniciem. Maioris conſecutio probatur, nam ſi Angeli propter poteſtatem, quam habent perficiendi, purgandi & illuminandi homines, quamuis nec ſacramenta conficere poſſint, nec iuriſdictione propriè dictâ præditi ſint, nec ad reddendam rationem pro animabus hominum obſtringantur, Paſtores hominum propriè dicti aſſeruntur à Cellotio lib. 1. cap. 20. Quidni illi homines, qui ſunt in hierarchia chariſmatum, qui ex officio publico, & nomine publico purgant, perficiunt, illuminant, potiori, vel certè æquali ratione propriè dicti ſint, dicantúrque Paſtores. Iam verò quòd illi ipſi ſint, & dici debeant Diaconi, non negabit Cellotius, qui lib. 8. cap. 3. cùm ad Rom. 2. tantùm chariſmata à ſancto Paulo memorata referat prophetiam & miniſterium, Epiſcopis prophetiam, id eſt, doctrinam; Diaconis miniſterium, id eſt, operationes externas tribui debere contendit, quos ſolos ordines Paulus epiſt. ad Timotheum nominet: hoc enim dum dicit, non attendit ſe hierarchiam chariſmatum deſtruere, vel iis, qui in ſola ſint hierarchia chariſmatis, Epiſcopi, & Diaconi nomen tribuere: etenim ſi putat S. Paulum epiſt. ad Romanos duobus capitibus, prophetiam & miniſterium cum functionibus Epiſcopi (prout nomen Epiſcopi ad Preſbyteros quoque extenditur) & Diaconi confudiſſe: in noſtram ſententiam deſcendit inuitus, chariſmata omnia hierarchica eatenus dici poſſe, quatenus Epiſcopis, etiam Preſbyteris & Diaconis conueniunt, ſecus autem hierarchica non eſſe. Si autem à ſolis chariſmatis prophetia & miniſterio Epiſcopos & Diaconos dici aliquos contendit, in abſurdum illud incidet, quod ex ipſius ſententia ſequi diximus. Idem quoque διακονίας ſeu miniſtrationes in hierarchia chariſmatum ibidem admittit; has verò miniſtrationes ex officio publico & ſtatu proprio ſuſceptas Diaconos denominare nemo dubitat, non autem ſi ab aliquo non ex ſuo ſtatu, & publico officio adminiſtrentur: nam verbi gratiâ, non dicitur Medicus, niſi qui ex ſuo ſtatu & officio publico medetur; nec iudex, niſi qui ex ſuo ſtatu iudicat. Ipſe autem, qui eas per ſe abſque ordine ſacro hierarchicas functiones putat, conſequenter exiſtimat διακονίας iſtas ſeu miniſtrationes ſacras, ex officio publico, ab aliquo non ordinato exerceri poſſe, quod nos negamus, ſacras quaſlibet miniſtrationes per ſe, ex ſtatu ſuo, gradu & officio publico, non niſi ordinatis concedentes: atqui non poteſt Cellotius non diffiteri, quin ſacri miniſtri ſeu Diaconi ſint ij, quos in hierarchia ſua chariſmatum ad operationes externas deſtinatos admittit: de cæteris verò Eccleſiaſticis gradibus & officiis idem ferè argumentum fieri poteſt, quod certè maximam omnium Eccleſiæ ordinum perturbationem ex Cellotij ſententia ſequi demonſtrat.

§. II.

Sequi item Monachos etiam non ordinatos ordinariam habere poteſtatem docendi.

EX eadem ſententia colligere etiam licebit Monachis, aliiſq; hierarchiæ iſtius membris, nullo ſacro ordine inſignitis, pietatis docendæ, ac ſacræ doctrinæ tam verbo, quàm facto tradendæ poteſtatem ex officio publico ordinariam concedendam fore. Atqui conſequens eſt abſurdum, & contra doctrinam Patrum, Conciliorum, Pontificum, quibus viſum eſt, nec docendi ſacram doctrinam, & pietatem vllis, præterquam in ſacro ordine conſtitutis, publicum munus permittendum, & ſi permittatur ex delegatione ac commiſſione concedi, non ordinariam poteſtatem eis ideò tribui: ergo & antecedens abſurdum eſt.

Probatur conſecutio maioris, nam poteſtas ordinaria vocatur, quæ proprio cuiuſque ſtatui, gradui, ordini, officio vel conſecrationi adnexa eſt; & quæ quis ex ſtatu, ordine & officio ſuo facit, non cenſetur ex commiſſione tantùm, vel delegatione facere. Atqui ſtatui, gradui, officio, ordini Monachi vel alterius in hierarchia chariſmatum conſtituti adnexa eſt poteſtas perficiendi, purgandi, illuminandi, exemplo, merito & doctrinâ: iis enim modis hierarchia iſta officia enumerata exequitur, teſte Cellotio lib. 8. cap. 3. ad hæc munia huius hierarchiæ homines conſecrantur, & qui in ſublimiori ſunt ordine ac ſtatu, verbi gratiâ, Monachi, hi ex ſuo ordine ac ſtatu ſublimiùs illa & perfectiùs obeunt: igitur non delegatâ poteſtate docent, ſed ordinariâ. Quæ quidem ſi admittamus, quis non videt, progrediente ſemper audaciâ, ſi iſta quæ priùs effuderunt, impunè diſſeminare licuerit, breui omnem Epiſcopis quoque in Monachos eos, quos hierarchicos dicent, auctoritatem quoad docendi munus abrogatam iri?

§. III.

Variæ ambages Cellotianæ ſententiæ, circa principium conſtitutiuum hierarchiæ chariſmatum, cuius hac in parte varietates notantur, & refelluntur.

QVARTÒ, nec explicari poteſt quid formaliter hierarchiam iſtam chariſmatum conſtituat, an chariſma, an vſus chariſmatis, an deſtinatio ad vſum chariſmatis ab Antiſtite facta, an conſecratio.

Nullum autem eorum ſufficere ad hierarchiam conſtituendam patet: quia nec chariſmata aliquando permanentia ſunt, ſed per modum tranſeuntis conceduntur, vſum autem chariſmatum certum eſt, non eſſe permanentem: deſtinatio ab Hierarcha pariter poteſt eſſe temporaria ad horam & ad momentum, vt cùm quis Iubilæi tempore opus aliquod ab Hierarcha præſcriptum obſeruat: temporaria enim eſt iſta Hierarchæ ordinatio: atqui id quod hierarchiam conſtituit, ſtabile quippiam eſſe debet ac permanens: hominem enim in aliquo gradu, ſtatu, & ordine, hierarchia collocat, in quo aliquem morari per momentum, ac mox deiici videtur abſurdiſſimum; niſi enim certo quodam gradu quis conſiſtat, & in eo moretur, perperàm in eo gradu & ordine eſſe dicetur.

Sigillatim verò non poſſunt chariſmata ipſa hierarchiam iſtam conſtituere, 1. quòd in mentibus & animis ſuſcipientium conſiſtant, nullóque exteriori ſigno conferantur: atque ita ſi formaliter iſta hierarchia per chariſmata conſtitueretur, inuiſibilis formaliter iſta eſſet hierarchia: quod de Eccleſiaſtica hierarchia aſſerere, non multùm diſtat ab errore Caluini, & Lutheri, qui Eccleſiam nobis inuiſibilem fingunt: à quo errore non videtur Cellotius abhorrere, quippe qui alio loco, lib. nempe 2. cap. 10. vltimis nempe temporibus, quibus Antichriſtus in Chriſtianos deſæuiet, Eccleſiam latitantem nobis deſcribat, nullos niſi inuiſibiles habentem Paſtores, putà Angelos: tum quòd chariſmata plurima in vſu tantùm conſiſtant, vt donum miraculorum, & aliquando prophetiæ donum: at quod in vſu conſiſtit, hierarchiam conſtituere nequit, vt mox dicemus.

Secundò, quòd chariſmata etiamſi permanentia ſint, id eſt, non in vſu poſita, ſtabilia tamen non ſunt & certa, nec vllâ lege Deus ſe obligauit ad illa conſideranda, ſaltem ſecluſis Ordinis ſacramento, & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ officio: nam *Spiritus vbi vult ſpirat*, & abſque habentis culpâ eadem auferre, quæ gratis dedit, atque arbitrio ſuo reuocare poteſt. Quantò magis verò ſi quis chariſmatis abutatur, & eorum mereatur iacturam pati, quorum bonum vſum neglexit: atqui hierarchiæ fundamentum debet eſſe naturâ ſuâ ſtabile & certum: quod ſi tolli poſſit, regulariter certè non debet. Igitur, &c.

Dixi ſecluſis Ordinis ſacramento, & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ officio: Deus enim ſacramenti Ordinis intuitu aliqua chariſmata largiri ſolet, & pro gradu maiori, quem quis habet in Eccleſia, maiores gratias concedere, quæ ad aliorum ſalutem vtiliùs diffundantur: eo verò titulo ſi chariſmata tanquam ſtabilia aliquis cogitet, in noſtram abit ſententiam, nimirùm eâ ſolùm ratione hierarchica eſſe chariſmata, quæ ratione ordini vel iuriſdictioni adnectuntur.

Tertiò, quòd ſi chariſmata eſſent principium formale iſtius hierarchiæ, quandoquidem chariſmata à Deo non ab Epiſcopis pendent: Epiſcopi ſiue Hierarchæ ad iſtam hierarchiam deputatio fruſtrà requireretur. Imò nec Hierarchæ primum ſemper in ea locum tenerent, quandoquidem non ſemper eos contingit maioribus eſſe chariſmatibus donatos; daretur itaque aliquando hierarchia chariſmatum abſque Hierarcha, quando nimirùm Hierarcham ſeu Epiſcopum contingeret (quod certè aliquando contingere nemo dubitat) chariſmatibus diuinis eſſe ſpoliatum: atqui hoc abſurdum vel ipſe Cellotius expreſsè aſſerit lib. 8. cap. 13. Neque verò conuenientiùs chariſmatum vſus hierarchiæ chariſmatum forma, aut principium, vt vocant, conſtitutiuum dici poteſt: tum quòd vſus chariſmatum in fluxu poſitus ſolidæ alicuius hierarchiæ, certi alicuius gradus, ordinis, ſtatus ratio eſſe nequeat; tum quòd dormientem hominem, quieſcentem, otioſum deſinere eſſe in hierarchia admittere oporteret, in qua collocaretur duntaxat, dum ſacra operaretur, quod ridiculum eſt: tum quòd & toties aliquis ſingulis diebus eſſe in hierarchia diceretur, quoties ſacris operam daret, quod ſimiliter ab omni & ſentiendi, & loquendi ratione alienum eſt: tum quòd hierarchia definitur paſſim à Theologis poteſtas quædam, qualis non eſt chariſmatum vſus: à ſancto verò Dionyſio, dum hierarchia definitur eſſe actio, vel non ſumitur eo ſenſu, quo de hierarchia loquimur, prout ſcilicet aliquis de ea eſſe vel non eſſe dicitur, nam de ordine, nemo dicitur eſſe, in quo permanenter non eſt: ſed accipitur pro diſtinctione actionum ſacrarum, vel actio à ſancto Dionyſio figuratè ſumitur pro poteſtate producente actionem, quando effectus pro cauſa ſæpè poni ſolet.

Deinde, ſi in vſu chariſmatum hierarchia ſtatueretur, non potiùs, verbi gratiâ, Clerici, Regulares, aut Doctores Theologiæ, vel Iuris Canonici ad hanc hierarchiam ſpectarent, quàm alij: neque omnes Theologiæ Doctores diuinam illam doctrinam, neque omnes Iuris Canonici Doctores Eccleſiaſticam Canonibus comprehenſam diſciplinam docent: nec Regulares omnes charitatem verbo vel exemplo aliis prædicant: & è contrà plures extra iſtos gradus, ac ſtatus, verbo, ſcripto, exemplo, Theologiam, Ius Canonicum, charitatem docent.

Denique, quòd vſum chariſmatum Cellotius non requirat ad alios tranſeuntem, ſed immanentem ad cuiuſque propriam perfectionem hierarchicam teſtatur ipſe lib. 8. cap. 11. & alibi paſſim. Atque ita ſi in vſu iſto formaliter hierarchia chariſmatum conſiſtat, inuiſibilis ex eius mente futura erit: quemadmodum ſuprà contra chariſmata arguebamus.

Deinde, nec deſtinatio Hierarchæ, quæ actus quidam eſt Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, forma dici poteſt hierarchiæ chariſmatum diſtinctæ ab hierarchia iuriſdictionis, ſed ſi quam hierarchiam conſtitueret, iuriſdictionis vtique non chariſmatum hierarchiam conſtitueret: quamuis nec hanc, nec aliam quamcumque hierarchiam conſtituere poſſit: etenim nulla hierarchia conſtituitur per delegationem, ſed per poteſtatem delegatam, atque ex commiſſione aliena duntaxat conceſſam ex prædictis: atqui deſtinatio iſta Hierarchæ, nihil aliud eſt quàm delegatio: poteſtáſque per eam conceſſa, eſt tantùm poteſtas delegata, & ex commiſſione: igitur iſta diſtinctio Hierarchæ non poteſt eſſe forma conſtituens hierarchiam chariſmatum.

Denique, nec conſecratio poteſt hierarchiam chariſmatum ſufficienter fundare: tum quòd ex prædictis abſque iſta conſecratione hierarchia chariſmatum à Cellotio in pluribus admittatur: tum quòd nec Monaſticam conſecrationem hierarchicam eſſe alibi oſtenſuri ſumus: Clericalis autem ordinatio, quæ hierarchica eſt, ſolam hierarchiam ordinis conſtituat: ac proinde hierarchiæ chariſmatum diſtinctæ ab hierarchia ordinis conſtituendæ minùs apta, minúſque idonea videatur.

§. IV.

Aliæ Cellotij perplexitates, & errores, ambages quoque ipſius ſententiæ deteguntur, circa ordinem, quem tenet hierarchia chariſmatum inter reliquas, quas ſtatuit.

QVINTÒ, inter hierarchias Eccleſiaſticas diuerſus ordo quidam ſtatui debet. huic autem hierarchiæ chariſmatum, quem ordinem aſſignabimus inter Eccleſiaſticas hierarchias? an fortè eum, qui aſſignatur à Cellotio, vt ſuprema ſit, excellentiſſima, nobiliſſima: & nobiliſſimos actus hierarchicos, ac nobiliſſimo modo producat? ſed id non ſolùm abſurdum eſt, ſed ſecum alias abſurdiores conſecutiones trahit. Igitur non eſt admittenda iſta hierarchia chariſmatum. Ne quid ſibi circa hoc argumentum Cellotius imponi queratur, *ſupremam* hanc hierarchiam chariſmatum eſſe apertè dixit in titulo & præfatione lib. 8. & alibi paſſim: eámque ita cum cæteris comparat, vt cæteris longè ſupereminéat, *Eodem modo*, inquit, *quo lapides, ligna, & cætera compactioris, magiſque terrenæ ſubſtantiæ ad terram vergunt, tanquam in centro quietem reperturà; oleum verò & ignis ætherea naturæ magis affinia ſurſum tendunt, & vilioribus corporibus ſupereminent. Ob hanc celſitudinem* ſubdit hierarchiam iſtam à ſe in titulo *ſupremam* appellatam: *quòd in editis ſupra vulgi capita hominibus tanquam montibus eam collocauit*: Ideóq; cap. 1. ſequenti, quamuis excuſauerit, quòd eam *dignitatis & excellentiæ* nomine nuncupet, ſéque non aliarum hierarchiarum reſpectu, nihil vt inuidioſum afferret, ſed fidelium nomina iſta tribuere declaret; nihilominùs paulò pòſt eodem capite quantum ipſa cæteris hierarchiis præſtet, indicat: tum quòd actum hierarchicum nobiliſſimum τελείωσιν, *perfectionem* huic hierarchiæ potiſſimùm adſcribi contendat: tum quod & huiuſce hierarchiæ homines cæterarum hierarchiarum hominibus præferat, & modum agendi iſtius hierarchiæ, longè cæteris antéponat. *Relicta eſt igitur*, inquit, *hierarchiæ tertiæ perfectio ab hominibus doctrinâ illuſtribus, charitate ardentibus procurata, eò nobiliùs, quò longiùs à rebus iſtis terrenis ſemoti Spiritales Dei actiones ſanctiùs imitantur, & exprimunt. Non enim hæc hierarchia, vt cæteræ, aſpectabilia ſigna corporibus imprimit, quæ de ſe formaliter, neque ordinem neque iuriſdictionem tradit: ſed eminentiore quodam magiſque defæcato modo ad cognitionem amorémque Dei rapit & inflammat.*

Quid porro intendis, Celloti, eâ comparatione, niſi ordinis & iuriſdictionis hierarchiam, quam duplicem ſtatuis, & vtriuſque functiones tertiæ functionibus longo interuallo inferiores aſſerere. Quænam verè tibi ſunt functiones chariſmatum potiſſimæ contemplatio, oratio, exemplum, vt doces lib. 8. cap. 11. ordinis verò actiones & iuriſdictionis Catholicis omnibus quænam? Sacramentorum omnium collatio, gratiæ ſanctificantis infuſio, Corporis ipſius Chriſti conſecratio, applicatio meritorum Chriſti, eiúſque ſatisfactionum, fidei controuerſiarum iuridica deciſio, Paſtoralis admonitio, increpatio, obiurgatio, correptio, ſacerdotali ex officio facta explicatio myſteriorum fidei, apertio regni cæleſtis & reſeratio, & cætera id genus: hæc tu omnia munia, has omnes functiones poſtponere audes contemplationi, ad quam doctrinam verbo vel ſcripto, à quocumque non iuridicè traditam reuocas, Orationem boni alicuius viri, ſi volueris Religioſi: vel ſi meditatione, lectione, pſalmodiâ, quas comites adiungis, ſtipetur & exemplis: vel ſi miraculis, quæ rara ſunt, & operibus miſericordiæ, virtutúmque exercitio coniungantur? itáne cùm inter actiones ordinis & iuriſdictionis nulla ſit, quæ non ſupernaturalis: nulla, quæ non à Deo tanquam principali agente pendeat: nulla, quæ non ſit magis Chriſti, quàm noſtra. E contrà vero chariſmatum hierarchicæ actiones à te etiam naturales referantur, exercitium nempe cuiuſuis virtutis, & ſimulatæ etiam virtutis actiones locum inter eas, quæ bono

Digitized by Google

exemplo eſſe poſſint, obtineant, eáſque noſtras dicere poſſimus: has tamen tu illis præferes, & diuina humanis poſtpones? itáne merita Chriſti & ſatisfactiones per ſacerdotem applicatæ, humanis meritis & ſatisfactionibus Chriſti, ipſiúſque Chriſti ſacerdotis ore precantis orationem, puri alicuius hominis precibus inferiora putabis? & quod Pelagij errore deterius eſt, qui exemplis vim gratiæ tribuebat; tu exempla gratiæ ipſi eiúſque productioni antepones?

Quot in vna ſententia peccata ſunt, cæleſtes viros vocabis Monachos, & Moniales, & functiones eorum cæleſtes prædicabis: at terrenos homines ſacerdotes dices, & è terra functiones ſacerdotij, humi proinde ſerpentes, *quæ tanquam lapides & cætera compactioris, magiſque terrenæ ſubſtantiæ*, vt tuis verbis vtar, *in terram vergant?* eâne tu impunè referes? addes ſolùm chariſmatum vſum è cælo hauſtum; quid audio? nunquid non de cælo gratia, fons aquæ ſalientis in vitam æternam? numquid ordinis actiones omnes è cælo, quas ſcilicet Chriſtus tanquam principalis ſacerdos operatur? ſi hoc neſcis, audi Chryſoſtomum homil. 60. *ad populum Antiochenum, Verum & tu, laice, cùm ſacerdotem videris offerentem, ne vt ſacerdotem eſſe putes, hoc facientem, ſed inuiſibiliter Chriſti manum extenſam.* Quibus conſonant verba iſta eiuſdem Chryſoſtomi homiliâ 51. in Math. ὅταν τοίνυν τὸν ἱερέα ἐπιδιδοῦντά σοι ἴδῃς, μὴ τὸν ἱερέα νόμιζε τὸν τοῦτο ποιοῦντα, ἀλλὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ χεῖρα εἶναι τὴν ἐκτεινομένην. *Quando igitur ſacerdotem corpus tibi præbere videris, noli ſacerdotis, ſed Chriſti manum ad te porrigi arbitrari.*

Fuſiùs hunc tuum errorem inſectari nolim, quem tibi excidiſſe potiùs credo, quàm animo tuo inſediſſe, ſed in hæc pericula ſe conijciunt, qui nouitatum ſtudio ducuntur, & à trita ac communi orbita diſcedunt, atque animi ſui figmenta ſequuntur. Deſcende in teipſum, Ludouice, & Orationis tuæ verba omnia expende, quàm contemptim habeas vniuerſum ſacerdotalem ordinem: quàm flocci facias Sacramenta omnia perfectiua: hanc enim hierarchiam chariſmatum præſertim magnificas, quòd perfectio in ea à viris doctrinâ illuſtribus, charitate ardentibus procuretur: qui quo magis à terrenis rebus ſemoti, eò ſanctiùs Dei ſpiritales actiones imitentur; ergóne omnes ſacerdotalis ordinis viri, Paſtores & Eccleſiaſtici Magiſtratus, qui iuriſdictionis hierarchiam & ordinis conſtant, tibi terrenis rebus magis addicti videntur, Ludimagiſtris, Doctoribus, Canonicis, & Theologis coniugatis, quos in hierarchiam iſtam chariſmatum intrudis? ſed ad Monachos ac Moniales mens tua fortè ferebatur, hos deſignabas ſpiritales viros & fœminas ſanctiùs Dei actiones ſpiritales imitantes, charitate & doctrinâ feruentes, cùm cæteri tibi ignari ſint, & impij: non memineras eos Monachos & Monachas in ordinis hierarchia fuiſſe à te collocatos, ac proinde eo titulo hierarchiam chariſmatum nihilo cæteris ſuperiorem eſſe: nec memineras ſacerdotalis ordinis viros ſupra Monachorum ordinem à terrenis curis ſecretum, à Dionyſio cap. 1. Eccleſiaſticæ hierarchiæ in deiformi, & deificante ordine eſſe conſtitutos? Quòd ſi admittis cæterarum hierarchiarum ordinis & iuriſdictionis, membra ſaltem iis imparia doctrinâ & charitate non eſſe: inſuper verò ordine & iuriſdictione ſublimiora, nulla ratio ſubeſt, ob quam eo titulo hierarchiam chariſmatum præ aliis iactes, ſupremámque ſtatuas.

Qualis vero illa perfectio, quam procurat hierarchia chariſmatum? an doctrinæ? ſed nobiliori modo hierarchia ordinis & iuriſdictionis hanc procurat, cui non tantùm obſcuræ quæſtiones illuſtrare ex officio paſtorali incumbit potiùs quàm hierarchiæ chariſmatum: ſed cui ſoli prætereà perplexas atque controuerſas quæſtiones diuinitùs inſpiratâ veritate & ineluctabili auctoritate diiudicare conceditur. Quam longo interuallo Theologi, & Canoniſtæ in ſoliditate doctrinæ, in diuini auxilij certitudine, in docendi auctoritate Paſtoribus Eccleſiæ cedunt. An vero Monachi & Moniales in docendo, mouendoque voluntatem ad bonum, plus tibi poſſe videntur, quàm Paſtores, dum opus ſibi à Chriſto iniunctum exequuntur, & auctoritate ſibi à Deo commiſſâ vtuntur?

Deinde, quàm peruersè agis, qui res coniunctas diuidas, & ordinis ac iuriſdictionis actiones à chariſmatum diuinorum functionibus ſepares contra Chriſti inſtitutionem.

Egregia verò argumentatio, quâ totum hoc commentum fulcitur, quia nempe magis defæcato, & ſpiritali modo hierarchia chariſmatum agit, quàm ordinis &

Digitized by Google

iuriſdictionis hierarchia. Vnde hoc colligis? quia aſpectabilia ſigna corporibus non imprimit: non aduertis quàm falſum illud ſit; loqueris enim de aliorum perfectione, vt tota tua oratio oſtendit: atqui hoc ab Hierarchis iſtis doctrinâ illuſtribus, & charitate feruentibus, quos hierarchiæ chariſmatum columnas facis, non poteſt, niſi per aſpectabilia ſigna corporibus impreſſa fieri; non enim ſine vocibus vel ſcripto, vel actionibus exterioribus in exemplum patentibus atque in ſenſuum corporea organa incurrentibus ac phantaſiam corpoream poſteà mouentibus, antequam ad animum eorum ſignificatio perueniat, perfectio iſta procurari poteſt: longè verò Sacramentorum operatio ſpiritalior, & defœcatior, quæ per corporea quidem ſigna, ſed non corporeâ virtute, nec naturali, ſed obedientiali & ſpiritali perficitur. Ita quidem, vt aqua corpus tangat, ſed immediatè, ſine alio excurſu per interiores corporis potentias animam abluat, virtúſque quædam ſpiritalis inſtrumentaria aquæ inſideat, quæ in vocibus aut ſcriptis nequaquam reſidet.

Sed quantumcumque priuilegium iſtud hierarchia chariſmatum haberet, quod tamen habere non poteſt: non ideò illam cæteris præferre, aut anteponere poſſes, niſi fortè tibi videtur paſſio Chriſti Domini minoris eſſe meriti & valoris, quia corporea fuit, & ſenſibus ſubiecta, quàm contemplatio Monachi, vel Monialis, quæ ſub ſenſuum comprehenſionem non veniat; at Sacramenta vim paſſionis Chriſti continent, actionéſque ſacramentorum eandem nobis, & tanquam medelam in quibuſdam Sacramentis, & in aliis, quæ perfectiua dicuntur, tanquam perfectionem & conſummationem noſtram nobis applicant: atque adeò & nobiliùs, & efficaciùs Sacramentorum collatio quæ eſt ordinis, perficit, quàm contemplatio Monachi à ſenſu remotior perficiat.

Recurris fortaſſe ad meritum, quo contemplatiui aliis proſunt, dum in Eccleſiæ theſaurum ſuas ſatisfactiones conferunt, & aliis diuinæ gratiæ auxilia acceſſunt. Hoc ſi poſtico elabi contendas, vt videris elabi velle lib. 8. c. 12. fatearis neceſſum eſt maximam partem functionum hierarchiæ chariſmatum, quam in doctrina, ſcripto, vel voce tradita, exemplis, & publica oratione reponebas, tibi ſubſtrahi, quam tanquam à ſenſibus alienam ordinis & iuriſdictionis functionibus ſenſibilibus præponas, & ea tantùm ratione præferri, quam nullo modo hierarchicam dicere poſſis, quandoquidem nec deſtinatione Hierarchæ, nec conſecratione ad hoc aliquis deputetur, vt alteri gratiam mereatur, ſed priuatum ſit vniuſcuiuſque pro alio meritum priuata ſatisfactio, quam in Eccleſiæ theſaurum ex ſuperfluo confert: quod vtique meritum, quam ſatisfactionem, ſi nobiliori modo perficere dixeris, quam Sacramentorum adminiſtrationem, quæ ſanguinis Chriſti effuſi merita nobis applicat? vide quanto te crimine conſtringas, & quàm parùm piè de diuinis Chriſti meritis ac ſatisfactionibus, quàm magnificè verò & præſumptuosè de tuis ac ſociorum tuorum meritis, & ſatisfactionibus ſuperfluis ſentias, vt ea Chriſti meritis & ſatisfactionibus per Sacramenta applicatis præferas, quaſi defœcatiori modo, & ſpiritaliori perfectionem noſtram promoueant: cùm nec illæ ipſæ ſatisfactiones ex theſauro Eccleſiæ depromptæ ab Eccleſia alio modo quàm per exteriorem operationem nobis iniunctam applicentur.

Apage itaque friuolas iſtas, & inanes otioſi animi in commendationem hierarchiæ chariſmatum ſupra veram & à Chriſto inſtitutam hierarchiam ordinis & iuriſdictionis aberrationes, ludificationes, ac voluntarias hallucinationes: cætera priuilegia, quibus hierarchiam illam tuam exornas in ordinis & iuriſdictionis dehoneſtamentum hîc ſileo, aliàs fortè fuſiùs dicturus.

§. V.

Confuſio maxima, quæ ſequitur ex iſta chariſmatum hierarchia.

SEXTÒ, in iſta hierarchia chariſmatum ab ordinis & iuriſdictionis hierarchiis diſtincta ſtatuenda confuſionem animaduerto infinitam: quòd eædem perſonæ in tres iſtas hierarchias referantur: quòd earum nullæ ſubordinationem ferueant: quòd ſingulorum ordinum hierarchia chariſmatum perſonæ nullam inter ſe connexionem habeant, ſed ſuas quique partes ſeorſim faciant: nec vnius regimini in gratiarum admi-

niſtratione ſubdantur. Hæc certè quicunque affirmat, *Nihil aliud*, vt verbis vtar Concilij Tridentini ſeſſ. 23 cap. 4. *facere videntur, quam Eccleſiaſticam hierarchiam, quæ eſt vt caſtrorum acies ordinata confundere.* Quo enim modo caſtrorum acies ex iſtis tribus hierarchiis ordinata conflabitur, niſi in tribus illis diuerſis hierarchiis diuerſæ perſonæ tanquam in diuerſis legionibus collocentur, & diuerſis inter ſubordinatos præpoſitis ſubiiciantur: egregia ſcilicet comparatio omnium Eccleſiaſticarum hierarchiarum cum caſtrorum acie ordinata, ſi ſingulæ hierarchiæ per ſe ſine ſubordinatione conſiſtant. Egregiè referet hierarchia chariſmatum caſtrorum aciem ordinatam, in qua ſcilicet hierarchia charitatis præſertim Profeſſores videbis, nec inter ſe nec cum aliis ordinibus, in vnam ſocietatem coeuntes: ſed ſingulos gratiam prout acceperunt ſine reſpectu ad alios adminiſtrantes; hæccine Eccleſiaſtica dicetur hierarchia? at non talis eſt cæleſtis, quam Eccleſiaſtica imitatur: ſed ſingulæ hierarchiæ cæleſtes, ita inter ſe cohærent, vt ſuprema mediam, media infimam contineat, & dirigat: ita adhærent ſinguli ordines, vt eadem inter ſingulos ſubordinatio reperiatur, ita ſinguli ſingulorum ordinum ſibi inuicem ſociantur, vt tanquam membra eiuſdem corporis eodem ſpiritu agi, eiuſdemque ordinationibus Paſtoris, tam ſupremi quàm ſubalterni huc illuc ferri, & circumagi videantur. Nulli beatorum Spirituum in diuerſis, vel hierarchiis, vel ordinibus locum habent: ſingulis ſuus ordo & hierarchia ſua, & in ordine proprius eſt locus, nullus alterius aut ambit gradum, aut ſupergreditur ordinem, aut vſurpat functionem. In hierarchia chariſmatum nihil ordinatum, nihil diſpoſitum, nihil cuiquam non conceſſum, ſuo quiſque ſpiritui indulget, & dummodo ſe chariſmatis inſtructum credat, nihil ſibi imperuium, nihil intentatum arbitrabitur.

Fruſtrà hierarchicam conſecrationem in ſpeciem obtendes: nam hæc nec ſingularis à te nec determinata requiritur, ſed generalis ac confuſa: nam regulares omnes eo ipſo, quo approbatæ ſunt, eorum regulæ ad chariſmatum omnium abſque vlla diſtinctione hierarchicam habere deſignationem, ac conſerationem videris admittere. Annon enim verbi gratiâ, Ieſuitæ cuiuis & ſpiritum diſcretionis, & ſapientiæ, & prophetiæ, & miraculorum, & chariſmatum cæterorum vſum tribuis? omnes tibi Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Euangeliſtæ, omnes Doctores, omnes gubernationes, omnes opitulationes erunt? tam generalis iſta deſtinatio, tam ampla, quæ ad nullum ſingulare chariſma reſtringitur, nequaquam aditum confuſioni, quam à te dixeram, in hierarchiam iſtam chariſmatum inuehendam occludit. Quàm ergo permixti, quàm confuſi ordines tuæ chariſmatum hierarchiæ.

Alia etiam confuſio eáque maxima, quòd hierarchiæ cuiuſuis caput ad confuſionem tollendam aſſignari debeat. At quodnam ordinum omnium hierarchiæ chariſmatum aſſignabis Theologorum, Canoniſtarum, charitatis Profeſſorum, Ludimagiſtrorum, & cæterorum, qui Hierarchæ cuiuſuis, id eſt, Epiſcopi iuſſa exequantur, quos etiam ad hanc hierarchiam reuocas, an quemuis Epiſcopum; ergo plura capita vnius hierarchiæ admittere cogeris, ergo varios ordines hierarchiæ chariſmatum, non ratione chariſmatum diuerſos, ſed ratione diuerſarum Diœceſeon differentes ſtatuere debebis: ergo exemptos ab Epiſcopali poteſtate, vix ſub alio cum cæteris capite ordinare poteris? ergo & hierarchias iſtas diuerſas, pro ratione diuerſarum hierarcharum ac capitum, vt in vnam confles, vni ſummo Pontifici ſubiicere, & pro iuriſdictionis gradibus diuerſas hierarchias chariſmatum ſubordinatos fingere contra mentem tuam adigeris. Si verò ſolum ſummum Pontificem hierarchiæ iſtius chariſmatum caput ſtatuas: quò iam Epiſcopos adiges, vt congregatim cum cęteris conſtituantur, cęterorum Hierarchæ, imò & fortè poſt reliquos Regulatis ſcilicet ordinis viros, quos licèt Hierarchas dicere non audeas, attamen Hierarchis ipſis ſuperiores in illa tua hierarchia collocabis. Quid ſi Epiſcopi, vel ſummus ipſe Pontifex iis non ſunt inſtructi chariſmatis, quæ in membris elucent, dabiturne caput heterogeneum, informe, & nullis chariſmatis exornatum, membris omni chariſmatum varietate conſpicuis? tale, inquam, membrum expers chariſmatum, pro chariſmatum hierarchia caput aſſignabitur? at id dici non poteſt ſicut nec ordinis, vel iuriſdictionis expers connaturale caput ordinis vel iuriſdictionis congruè ſtatueretur, nec paratum caput, membris diuerſi corporis aptè iungeretur, nam & rideretur

Humano

Digitized by Google

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere ſi velit.

Quàm etiam abſurdum, vt dum vnus idémque in variis hierarchiis diuerſo collocatur ſitu, in vna capitis, in alia pedum, in alia manuum ſpeciem habeat. Hæc & ſimilia abſurda reiicit conſtans & vetus Catholicorum ſententia, quæ vnam admittit hierarchiam ordine ſacto præditam, conſentaneâ ordini iuriſdictione decoratam, & ex diuina ordinatione, quam tamen aliquando humana malitia peruertit, congruis chariſmatibus, ad vtriuſque laudabilia miniſteria, muniáque inſtructam. In hac ſententia abſurditates iſtæ locum non habent, à quibus ſi te extricare cupias, intricabis grauiùs; dum Syllam vitabis, non effugies Charybdim: neque putes me omnia, quæ ex tua ſententia deduci poſſunt, abſurda explicaſſe; innumera alia ſunt, quæ a me iam prætermittuntur ad ſolutionem tuarum obiectionum feſtinante.

CAPVT IV.

Obiectiones Cellotij proponuntur & refelluntur.

ARTICVLVS I.

Ex textu Apoſtoli ad Epheſ. 4. & 1. Corinth. 12. hierarchiam chariſmatum colligi non poſſe.

§. I.

Conferuntur hæc loca Apoſtoli cum Concilio Tridentino.

VRGET præſertim Cellotius lib. 8. cap. 3. & ſequentibus ad 10. vſque, duos textus Apoſtoli, prioris ſcilicet ad Corinthios 12. & ad Epheſios 4. quibus ſuam hierarchiam chariſmatum ſuperſtruat, adeóque ſi oſtendero duobus iſtis locis nullatenus hierarchiam chariſmatum ab ordine & iuriſdictione diſtinctam promoueri, inane iſtud hierarchiæ chariſmatum ædificium quaſi collapſo ſuo fundamento concidet.

At operæ pretium non eſt id demonſtrare; nam quod ſpectat ad priorem locum ex prioris ad Corinthios epiſtola, chariſmata ab Apoſtolo enumerari eò loci fateor, hierarchiam chariſmatum ab ordine & iuriſdictione ſtatui diſtinctam nego, agi eò loci de chariſmatis, non de gradibus hierarchicis, niſi fortè vt chariſmata ſunt, non vt gradus ſunt hierarchiæ, & Theodoro Bezæ, & Antonio de Dominis olim idem teſtimonium, quod tu iam voluis, non diſpari conſilio verſantibus reſponſum fuiſſe ipſe fateris cap. 8. ſolutionem eorum probas ab iſtis Doctoribus traditam, quod de gradibus hierarchicis ordinis vel iuriſdictionis duntaxat loquerētur, de quibus tu non loqueris: ſcilicet quia hi nullam hierarchiam niſi ex ordine & iuriſdictione admittebant, tu nouam contra Eccleſiæ ſenſum inducis: hæccine tua cum illis conſenſio? Sed quàm nobis parum æquus es, vt in Catholicis iſtis Auctoribus probes, quod in me, quod in Aurelio, falſitatis inconſtantiæ, leuitatis arguis: ita nempe in ſtatera iudicas, nec veritatis indagator, ſed perſonarum inſectator videri vis. Quod alibi obſeruaui iterùm hîc inculco, plurimas eſſe ex iſtis laqueis quos tendis, euadendi vias: nam & 1. dico poſſe chariſmata hîc à S. Paulo enumerati, non gradus hierarchicos, quatenus tales ſunt. 2. ſi reſtringas enumerationem chariſmatum Paulinam ad eadem chariſmata, vt hierarchica ſunt, auctoritatem publicam eorum exercendorum chariſmatum adiungendam eſſe, quæ nonniſi ordini & iuriſdictioni coniuncta eſt: quâ ſcilicet illa hierarchica fiant. 3 ſi ſingula chariſmata ſingulis ordinibus Eccleſiaſticis aptari velis, Ambroſium tibi à me in vindiciis citatum ducem pigire: ſed ſenſum illum accommodatitiū videri, non literalem. hæc complexio ſummaria reſponſionis Aurelij, hæc meæ: quid tu ad iſta præter ineptas reprehenſiones, aut digreſſiones inutiles?

Loca aliqua ex Aurelio, ex vindiciis meis, ex Gignæo ſuo non loco profers cap. 8. cit. Quæ quidem omnia prorſus diſſentanea coniungis, vt quid ibi velis, non ſatis Lectores intelligant. Vnum eſt, quod ex prolixa, quem ego non moror aduerſus Aurelium de Concilij Tridentini ſenſu, velitatione, excerpo argumentum propoſito non omninò diſſentaneum: ais Concilium Tridentinum propoſita loca iſta ad Corinthios & Epheſios ad hierarchiæ probationem protuliſſe: exinde infers in ea enumerati hierarchicos gradus. Quod argumentum in te retorqueo: nam ad huius tantùm hierarchiæ probationem Synodus Tridentina proferre potuit Apoſtoli loca, quam tantùm ipſa ſpectabat: ſed à Cellotio lib. 6. cap. 1. tanquam certiſſimum ſtatuitur *ordinis poteſtatem, quam*, inquit, *nos hierarchiam vocamus, ſolam a Tridentino ſpectari.* Igitur ad ſolius hierarchiæ ordinis probationem Apoſtoli verba ſolùm protulit Concilium Trident. ergo non ad probationem hierarchiæ chariſmatum ab ordinis hierarchia diſtinctæ. Vides quàm bellè tibi faueat Tridentinum Concilium, ex quo hoc etiam argumentum deduco pro ſolutione à me tradita: eatenus ſolùm chariſmata à Paulo numerata hierarchica eſſe, quatenus ordini alligata ſunt. Etenim ita Patres Tridentini ſecundum Cellotium interpretati ſunt ſanctum Paulum, vt chariſmata enumerans hierarchiam etiam ordinis attigerit & confirmarit: non enim aliam Patres iſti delibarunt, ſi Cellotio credimus, eàmque confirmaſſe videretur: atqui non poteſt in enumeratione chariſmatum Paulus hierarchiam ordinis confirmaſſe, niſi chariſmata hierarchica ordini ſtrictiſſimè illigata putauerit. Igitur ſecundum Cellotium, Concilij Tridentini Patres putauerunt Paulum chariſmata enumerata nequaquam hierarchica cenſuiſſe, niſi prout ordini adnectebantur. Vides igitur tuam non eſſe Synodum Tridentinam, ſed noſtram; de cuius ſenſu, vt planiùs iam mentem meam aperiam ſuo rectè quidem ipſam, & graduum hierarchicorum diuerſitatem atque inæqualitatem contra Caluiniſtas & Lutheranos, ex textu Pauli tam ad Corinthios quàm ad Epheſios probare, etiam ſi gradus hierarchicos formaliter, vt gradus hierarchici ſunt, non attingat ſanctus Paulus; ſed eos duntaxat, quatenus chariſmata ſunt cæteris inferat. Etenim Caluiniſtæ ac Lutherani, dum Clericorum & laicorum ordines confundunt, omnéſque Chriſtianos in Clericorum & Sacerdotum ordinem promiſcuè referunt, chariſmata à Paulo enumerata duplicis generis confundunt. Primò quidem ea quæ & chariſmata ſunt, & ſimul ſunt gradus hierarchici, nempe Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Paſtorum & Doctorum publicâ auctoritate docentium: dum omnes Chriſtianos in ſacerdotali ordine collocant, & docendi facultatem omnibus abſque legitima miſſione tribuunt: & perinde faciunt ac ſi chariſmata cætera, ſapientiam, ſcientiam & alia quæ non omnibus, ſed quibuſdam tantùm conueniunt, & diuerſis gradibus hierarchicis peculiari quadam ratione addicuntur, promiſcuè omnibus tribuerent: *Perinde*, inquiunt Tridentini Patres, *ac ſi contra beati Pauli doctrinam, omnes Apoſtoli, omnes Euangeliſtæ, omnes Paſtores, omnes ſint Doctores*; pari ſcilicet impietate ſe conſtringunt, pari temeritatis crimine damnantur, qui hierarchiæ gradus confundunt, ac qui officia diuerſa, & dona diuerſa atque ſeparabilia non diſtinguunt.

Neque hanc difficultatem effugere poteſt ipſe Cellotius; etenim non quælibet chariſmata, ſed ea ſolùm, ad quæ quis ab Hierarcha conſecratus, vel certè deſtinatus eſt, publicæ Eccleſiæ nomine efficienda, hierarchica ab ipſo dicuntur. Cætera verò ab eo negantur eſſe hierarchica: at ſuæ diſtinctionis apud Paulum 1 Corinth 12. quo fuſiùs hæc chariſmata recenſentur, nullum apparet veſtigium. Paulus generatim de omnibus chariſmatis loquitur, neminémque ſiue laicum, ſiue Monachum, ſiue alium quemcunque conſecratum, non conſecratum, deſtinatum, non deſtinatum; de chariſmatis quæ à Deo receperit, gloriari, aut ſuper alios efferri debere docet. Corinthios laicos alloquitur, non ſolos Theologos aut Iuris Canonici Doctores, aut Regulares, aut Clericos, ſed cuiuſcunque generis fideles, quibus eo præſertim tempore, quo mundus ab infidelitate ad Chriſtum adducendus erat, chariſmatum omnis generis in quoſcunque fideles, vberior ac copioſior futura erat effuſio iuxta prophetiam Ioelis cap. 2. & explicationem eius Actorum ſecundo, ac teſtimonium Clementis Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 1 eos, inquam, alloquitur ſanctus Paulus etiam ignobiliora corporis Eccleſiæ membra, nec ſolùm oculos, nares, aures, manus; verùm etiam pedes, & alia infirmiora minúſque honeſta, vt ipſe oſtendit citato capite, quo

etiam addit, *Deum temperaſſe corpus, & cui deceat abundantiorem tribuendo honorem*, id eſt, vt interpretatur Hieronymus, *minoribus aliquando maiora dona conceſſiſſe, vt qui honore minor erat, gratiâ abundaret*; Quibus verbis euidenter, ni fallor, *honorem* hierarchicum à gratiæ receptione diſtinguit, vt quibuſdam ſecundum Hieronymum (quem ſequuntur Primaſius, Sedulius, & alij) det chariſmata etiam ampliora, quibus tamen nec officium publicum concedat, nec hierarchicam dignitatem. In quibus etiam verbis Chryſoſtomus, & expreſsè laicos, & plebeios ſignificari docet, maioribus aliquando chariſmatis præditos. Denique omnibus loqui ſanctum Paulum etiam laicis. ex eo appatet, quòd ad eos ſermonem dirigat, quibus nempe commendat æmulationem chariſmatum meliorum & charitatis excellentiorem viam demonſtrat. Igitur admittere debet Cellotius, non eo loco ſanctum Paulum hierarchiæ chariſmatum ordinem texere, non chariſmatum, eâ ſolùm ratione quâ hierarchica ſunt, diuiſionem aut enumerationem conficere, ſed vniuerſim, ac generatim prout ſunt chariſmata à ſancto Paulo explicari.

Porrò ſi Cellotio licet, quatenus hæc chariſmata Paulina ad hierarchiam reſtringat ſuam, deſtinationem ab Hierarcha, & conſecrationem ipſius adiungere, cuius non meminit ſanctus Paulus? Quidni nobis, vt eadem chariſmata ad hierarchiam reuocemus non peculiarem, ſed ordinis vel iuriſdictionis licebit in ſocietatem chariſmatum prædictas dotes vocare, & ad conſentaneam functionem ordinis, vel iuriſdictionis chariſmatum vſum ac miniſterium accerſere: eâ ſcilicet ratione, vt hierarchica duntaxat dicantur, quatenus vel alterutram iſtarum poteſtatum inuoluant, vel comitantur, ac iuuant: nam Apoſtolorum & Paſtorum, verbi gratiâ, nomina apud Paulum ordinem ac iuriſdictionem, ſermo verò ſapientiæ, ſcientiæ, & cætera id genus, ordinem ac iuriſdictionem, non includunt, ſed ad vtriuſque vel legitimum, vel fructuoſum vſum requiruntur.

Id, inquam, mihi potiori ratione licebit, quòd ordinis ac iuriſdictionis in Paulo aliqua mentio, deſtinationis Hierarchæ, vel conſecrationis regularis, nulla mentio ſit. Quod àccommodationis iſtorum chariſmatum gradibus hierarchicis ordinis vel iuriſdictionis apud Patres aliqua ſint veſtigia: at verò applicationis eorumdem ad gradus hierarchiæ chariſmatum à cæteris diſtinctæ ſignificandos nulla ſunt. Sed hoc Cellotij vel aliorum recentiorum inuentum ſit, de quo ipſe gloriatur, in præfatione lib. 8. his verbis, *Ea ſunt quæ modò ſcrutari aggredior, & hactenus defoſſa, in Solem, & omnium conſpectum educere chariſmata quidem, quibus ab omni æuo ſuam Eccleſiam locupletauit Deus, nemo ignorat; ſed quotuſquiſque ea eſſe hierarchiæ principia, licèt clamaret Apoſtolus, intellexit?*

§. II.

Explicatio locorum Pauli Cellotiana nouitatis arguitur, noſtra verò ab antiquitate robur accipit.

NOVITATIS itaque ſententia tua ſuſpecta eſt, antiquitatis teſtimonio mea nititur, quo vnico veritas Catholica ſolidè ſtabilitur. Hanc explicationem meam omnes Patres complectuntur, eorum enim quidam hierarchiæ, nec formam conſtitutam, nec ordinem vllum formaliter, & ſub ea ratione deſcriptum eò loci agnoſcunt. Alij verò quandam hierarchiæ formam iis locis agnoſcere videntur, ſed eatenus duntaxat, quatenus ordinem ſacerdotalem ſeu iuriſdictionem ac principatum iſtorum chariſmatum vſus ſupponit. Id videre eſt in ſancto Ephrem tractatu aduerſus eos, qui vitiosè viuunt & honores appetunt: quo verba Apoſtoli citato cap. 12. ſuis interſerens, *Cuncti*, inquit, *volumus eſſe duces, cuncti cum auctoritate, cuncti cum imperio, cuncti reprehendere: cuncti principes, cuncti de litteris diſſerere; cuncti interpretari, cuncti eſſe magiſtri, cuncti eſſe domini, cuncti eſſe curatores, cuncti œconomi, cuncti primi, ac cuncti ſecundi. Nunquid ne Apoſtolus quidem vobis perſuadeat, ſi totum, inquiens, corpus auditus, vbi odoratus? ſi igitur omnes primi, ſi omnes Principes ac Duces, ſi omnes præceptores; vbi diuinæ diſpoſitionis ordo atque differentia? nec tamen fidem habebitis dicenti, nemo ſibi aſſumet honorem, niſi vocatus à Deo;*

ac rurſus: Nunquid omnes Doctores, nunquid omnes interpretantur ſacras Scripturas: alibiq; iterum quomodo dicatur; Nolite plures magiſtri fieri, propterea Principatus, ac poteſtates conſtituit Deus: nam ſicut in cælis, vbi omnes incorrupti & immortales, cùm miniſtratorij ſint ſpiritus, noluit Deus vnicum cunctorum eſſe ordinem, ſed vt cernitis, in iis quoque Poteſtates conſtituit, & Dominationes: nemóque ſibi præſcriptum ordinem excedit: cùm omnia debito ibi modo & ordine conſtituta ſint: cur nos iniuſtis in inuicem contentionibus exercemur? Angeli & Archangeli imperata ſibi non tranſgrediuntur, &c. Vides enim vt verba Apoſtoli citato capite ad hierarchiam Eccleſiaſticam transferens beatus Ephrem, nobis exhibeat, cum imperio, principatu, iuriſdictione: quæ omnia etiam in cæleſti hierarchia animaduertit. Si ergo lubeat Apoſtoli toto iſto capite diſputationem de chariſmatis diuinis abſque inuidentia & faſtu poſſidendis ad hierarchiam transferre, per me licet: dummodo cum beato Ephrem non hierarchiam chariſmatum, ſed iuriſdictionis concipias: ita vt non chariſmatum ſimplicem vſum, ſed eum, qui in ſubditos cum aliquali iuriſdictione fluat, cogites; quomodo eum hierarchicum eſſe minimè infitiabor. Vis etiam audire Gregorium Nyſſenum eadem verba ſancti Pauli hierarchiæ accommodantem: ſed non à te fictæ, ab ordine ſacerdotali & iuriſdictione Eccleſiaſtica diuulſæ, ſed ordini ſacerdotali ac iuriſdictioni Eccleſiaſticæ ſtrictiſſimè illigatæ atque intextæ. Legatur homilia ſeptima in Canticum Canticorum, in qua ferculo Salomonis, cuius ex lignis Libani columnæ ſint argenteæ, reclinatorium aureum, aſcenſus ſit purpureus, diuiſionem donorum apud Apoſtolum; 1. Cor. 12. comparat. Ita quidem vt columnas dicat homines eſſe, quibus planè purum & igne examinatum argentum eſt eloquium, id eſt, Doctores ſacros, quos ordine ſacro præditos mox exhibet: purpuram autem eos οἱ τῆς βασιλείας ἐν τῷ ὑψηλῷ τῆς πολιτείας ἐπιβεβήκασι, *qui ad regalis Reipublicæ ſummum gradum aſcenderunt.* Rationem ſubdit, ἐξαίρετον γὰρ γνώρισμα τῆς βασιλείας ἡ πόρφυρα νομίζεται, *præcipuum enim regni ſignum cenſetur eſſe purpura.* Mox verò explicans eumdem Apoſtolum docentem poſuiſſe Deum in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, & ſingulatim omnia ad perfectionem ſanctorum ſubdit, ὡς διὰ τῶν ὀνομάτων τῶν πρὸς τὴν τοῦ φορείου κατασκευὴν συντελούντων ἱερέας, νοεῖσθαι καὶ διδασκάλους, *ita vt per has voces, quæcunque ad opificium ferculi pertinent, ſacerdotes ac Doctores intelligantur.*

Placet audire alterum Gregorium Nazianzenum Oratione vigeſimâ ſextâ, hîc in enumeratione Paulinâ, chariſmarum gradus aliquos hierarchicos admittit, ſed eos iuriſdictione pollentes: ita enim in hunc ſenſum loquitur, οἱ δὲ καθ' ἕνα, Χριστοῦ, καὶ ἀλλήλων μέλη. τὸ μὲν γὰρ ἄρχει, ἢ προσκατίζεται, τὸ δὲ ἄγεται, καὶ εὐθύνεται, καὶ οὐ τι ταυτὸν ἀμφότερα ἐνεργεῖ, εἴπερ μὴ ταυτὸν ἄρχειν, ἢ ἄρχεσθαι, *Omnes enim vnum in Chriſto corpus ſumus, ſinguli autem Chriſti, atque alij aliorum membra: alij enim dominantur & præſunt: alij parent ac reguntur, & quamuis non eadem ſit vtrorumque actio, niſi quis idem eſſe contendat, præeſſe, quod parere*, &c. Quibus verbis paulò poſt tanquam probationem ſubiungit Pauli ſententiam ad Epheſios quarto, & primæ ad Corinthios duodecimo, innuens ſcilicet eos, de quibus Apoſtolus loquitur, hierarchiæ participes, non ſine iuriſdictione cogitandos eſſe, nec ſine ſubditis concipiendos. Quod iterùm confirmat, dum poſt enumerationem chariſmatum vtroque loco à Paulo factam alium ait diſcere, alium docere debere, cúmque qui diſcit ἐν ὑποταγῇ, *in obedientia* diſcere: qui docet, ἐγκόσμως, *in modeſtia*, docere oportere. Item alium eſſe qui præſit, ac plebem moderetur, alium qui iuſtitiæ laudem per myſterium conſequatur.

Vis audire Ambroſium commentariis in iſtud caput ex Apoſtolo ritè colligentem ſine ſubiectis hierarchiam ſtare non poſſe, dicit enim Apoſtolus, *Multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe, neceſſariora ſunt.* Ex quo verſu hoc infert Ambroſius. *Manifeſtum eſt quia quamuis aliquis dignitate ſublimis ſit, ſi ſubiectus tamen defuerit, qui obſequiis ſuis illum faciat glorioſum, ipſa dignitas contemptibilior erit: officium eſt, per quod dignitas conſtat. Tale eſt ſi Imperatori deſit exercitus: quamuis ergo magnus ſit Imperator, neceſſarium habet exercitum, caput eſt enim corporis, ante ſe habens Tribunos, Comites, & magiſtros.* Docet me iſta Ambroſij ratiocinatio ex Apoſtoli verbis deducta, eos qui chariſmatis potioribus ornantur, indigere etiam aliis, qui ignobilioribus præditi aliud quidpiam agant toti vniuerſitati membrorum non minùs

vtile, quod non diffitetur Cellotius: ſed & eos; qui chariſmatis præditi, aliis dignitate hierarchicâ, ac gradu præponuntur; inferioribus membris tanquam ſubditis indigere, vt officium ſuum exercere poſſint, quod eſt in ſubditos, tum vt obſequiis ſubditorum eorum dignitas glorioſior euadat: quod in hierarchia chariſmatum locum non habere contendit Cellotius. Lege eiuſdem explicationem in epiſtolæ ad Epheſios caput quartum: quo loco gradus hierarchicos Clericales eoſdem eſſe debere contendit, & Apoſtolorum nomine Epiſcopos, Prophetarum interpretes Scripturarum, Euangeliſtarum Diaconos, Paſtorum Lectores, magiſtrorum Exorciſtas ait referri. Obſeruat tamen ſcriptis Apoſtolorum, ordinationem quæ nunc eſt in Eccleſia, per omnia non conſentire, quòd inter initia Eccleſiæ officia plurima laicis concederentur, quæ Eccleſia poſtquam conſtituta fuit, nonniſi Clericis attribuit: tota hæc explicatio nullam aliam ex iis officiis hierarchiam conflari poſſe, præterquam ordinis apertè demonſtrat.

Quod confirmat Turrianus, qui Prophetas ſimiliter Epiſcopos & Preſbyteros ab Apoſtolorum primæ Corinthiorum duodecimo dictos interpretatur, vt hi minores ſint Prophetæ, illi maiores. Quæ omnia apertè conuincunt, qui Patres aut Doctores, Eccleſiaſticæ hierarchiæ formam in verbis Apoſtoli aliquam, vel leuiter adumbratam putauerunt, eos omnes chariſmata iſta, ſiue tanquam ordinis atque Eccleſiaſticæ iuriſdictionis officia, ſiue tanquam iis connexa dona ad hierarchiam reuocaſſe.

Ea verò doctrina eſt Catholica, nec ſine errore negari poteſt. Etenim, vt quod dixit Cellotius de prophetiæ dono capite octauo libri octaui, id aliis chariſmatis pro ſuo modulo meliori iure tribuamus. Rectè ibi diſtinguendum adſerit priuatam actionem à publico munere, officium & auctoritatem publicè in Eccleſia prophetandi, cum priuato dono prophetiæ non eſſe confundendum: inter ordinarium officium & gratuam quaſi commiſſionem extraordinariam ſtatuendum eſſe diſcrimen; adeóque concedit Prophetiæ donum priuatum abſque auctoritate & extraordinarium, vt pote quod infidelibus commune eſſe poſſit, verbi gratiâ, Sybillis, quorum oracula apud veteres Patres magnæ fuerunt auctoritatis, hierarchicum non eſſe: ſed illud ſolùm, quod publicum, cum auctoritate, & ex commiſſione ordinaria fuerit. At ſi quod tale vnquam propheticum donum in Eccleſia fuit, ſi quod futurum eſt, illud vtique cum ordine & iuriſdictione coniunctum fuit; vnicum legimus prophetiæ librum in Eccleſia poſt Chriſtum publicæ auctoritatis Apocalypſim ſcilicet Ioannis: eius autem auctor Apoſtolus, cuius ſcripta omnia in Eccleſia publicæ auctoritatis eſſe debent, ſicut & cæterorum Apoſtolorum: quos Deus ad Eccleſiam erigendam extra ordinem ſuſcitauit, nullos deinceps niſi ordinarios Paſtores ad doctrinam fidei, ad diſciplinæ ſanctionem, ad populi adhortationes publico officio ac munere præditos Eccleſiæ daturus.

Vis de aliis donis loquamur, verbi gratiâ, de interpretatione ſermonum, doctrinâ fidei, diſcretione ſpirituum, cæteriſque huiuſmodi, nullus certè eorum donorum publicum, & cum auctoritate, atque ex ordinaria commiſſione, vſum ſibi vendicare poteſt, niſi ſacerdotalis ordinis fuerit, Paſtoratúmque gerat, vel à Paſtoribus delegatam iuriſdictionem habeat. Atque adeò chariſmatum vſus hierarchicus nullus eſt, nullus gradus, niſi cum ſacro ordine, & hierarchica iuriſdictione coniunctis: quid autem aduerſus iſta me in vindiciis ſatis apertè explicata obiicias paulo accuratiùs diſcutiendum eſt.

§. III.

Obiectiones quædam Cellotij aduerſus explicationem noſtram prædictorum locorum ſancti Pauli refelluntur.

CAPITE 8. citato mihi hoc in propoſito perturbationem & hæſitantiam obiicis, quòd nempe in ea qualicumque ſententia minimè conſtanter hæſerim. Citas paginam 419. in qua nihil video, ex quo dubitaſſe me de prædicta explicatione quiſquam coniiciat, niſi fortè quòd in fine paginæ, & initio ſequentis dixerim, *certum non eſſe vtrum Paulus eo loci epiſtolæ ad Corinthios, hierarchiæ ordinem deſcribat, an potiùs gratias gratis datas perſequatur Apoſtolus*, *vt ſuprà docuimus.*

Nulla in iis inconſtantia cum præcedentibus; nulla, aut perturbatio, aut hæſitantia notari poteſt. Dixeram enim ſuperiùs Paulum vel hierarchiæ membra propriè non enumerare, ſed Eccleſiæ ratione donorum; vel dona iſta, prout ordinem ac iuriſdictionem adnexam habent, ſpectaſſe, propoſitio diſiunctiua eſt, neutram partem tanquam certam, vtramque vt dubiam reliqueram. Et quidem ſolutio optima erat, ad oſtendendam argumenti infirmitatem: quòd ſi euiciſſet aduerſarius de Hierarchia agi eò loci à Paulo, nihil vtique ex eo confeciſſet, niſi inſuper chariſmata iſta ab ordine & iuriſdictione diuulſa Paulum ſpectaſſe demonſtraſſet. Atiam quandoquidem vis, Ludouice, vt meam mentem clariùs aperiam, iterùm repeto, quod ſcripſi anteà; quod reuerendiſſimus Epiſcopus Coeffeteau aduerſus Antonij de Dominis ex eodem loco hierarchiæ inferentis iniquitatem reſponderat, diſcuſſione cap. 4. lib. 2. eiuſdem; quod Eſtius in commentariis huius loci notauerat, quod à Catholicis ad argumentum Bezæ reſponſum ipſe fateris; ſanctum Paulum Hierarchiam formaliter hîc non deſcribere; quædam tamen hierarchiæ membra hîc referre: nec mirum, quandoquidem officia Eccleſiaſtica, ordiniſque ac iuriſdictionis poteſtas chariſmata ſint, & gratiæ gratis datæ: quæ & gloriandi & ſuperbiendi materiam ſubminiſtrare poſſunt ampliſſimam; Paulus autem eò loci ex profeſſo nihil aliud probare contendit, quàm neminem de iſtis donis gloriari, aut ſuper alios efferri debere. Si quos ergo hierarchicos gradus, officiáque hierarchica enumerat Paulus, non ideò tamen hierarchiæ ordinationem eò loci contexere voluit: ſed enumerationem donorum proſequi. Adeò tamen à Cellotij mente abhorruit, vt nullos gradus hierarchicos, vel officia Eccleſiaſtica referat, niſi quæ ordinem vel iuriſdictionem inuoluant.

Huius porro ſententiæ ſunt Tertullianus lib. 5. aduerſus Marcionem cap. 8. Hilarius lib. 8. de Trinitate, Hieronymus, Chryſoſtomus, & Ambroſius in eum locum, qui nullam dicto cap. 12. prioris epiſtolæ ad Corinthios hierarchiam adumbratam agnoſcunt, ſed gratiarum diuerſitatem, quæ laicis quibuſcumque conuenire poſſent. Eiuſdem etiam ſunt, quicumque hierarchicos aliquos gradus in ea enumeratione agnoſcunt, ij enim non habent illos pro hierarchicis, vt docuimus, niſi prout ordinem & iuriſdictionem adnexam habent: nec à Paulo vt hierarchicos ibi ſpectatos aſſerunt, ſed ſolùm inter chariſmata relatos. Hæc tibi conſtanter in eadem, quâ ſemper fui, ſententiâ perſiſtens, & iis, quæ à me olim ſcripta ſunt inhærens, abſque vlla hæſitatione, vel contradictionis formidine reſpondeo.

Tu vero in mei reprehenſionem de me hæc ſubdis, *Neſcio quid turbat alibi*, *& ridiculum eſſe ait* (pag. 503.) *ſanctum Paulum eò loci, quo ſtatum Eccleſiæ ſui temporis proponit, & conſtantem eius futurum ſtatum deſcribit, ſic interpretari, quaſi voluerit præſentem Eccleſiæ ſtatum nobis ob oculos ponere.* Addis, *Nam ſi conſtanter futurum deſcribebat ſanctus Paulus, profectò ille nunc præſens eſt.*

Extra chorum ſaltitas, nec ſuſceptæ à te diſputationi iſta reprehenſio congruebat: ſed elabi è manibus tuis nolebas hanc, vt tibi videbatur, iuſtam criminandi occaſionem; in qua vtique criminatione nimiùm ſubtilis es: non enim hæc inter ſe pugnant Apoſtolum conſtantem ac perpetuæ Eccleſiæ ſtatum nobis depinxiſſe, & tamen præſentem Eccleſiæ ſtatum, non quidem detractione rei alicuius, earum, quas perpetuas futuras Apoſtolus præſcripſerat, ſed additione quorumdam nouorum

inſtitutorum, ab Apoſtolicorum temporum ſtatu eſſe diuerſum.

Rectè igitur in Loemelio reprehendebam, quod opitulatorium ordinem ab Apoſtolo ſtatutum, eorum Monachorum ordines interpretaretur, qui Paſtoribus in ſubſidium ad prædicandum & confeſſiones audiendas de nouo, non niſi ante quadringentos & aliquot annos inſtituti ſunt; non enim iſta conſentire inferebam, Apoſtolo, Eccleſiæ, ſuo tempore ac ſequentibus deinceps temporibus conſtantem futurum Eccleſiæ ſtatum deſcribenti, non congruere, vt quod Eccleſia poſt Apoſtolum multo tempore probauit, illud ab Apoſtolo inter Eccleſiæ ornamenta repoſitum defendatur.

Extra rem à te iſtud mihi obiectum, quod dilui à me oportuit: iam congruentiùs ad id de quo agitur, Gagnæi Pariſienſis Doctoris proferes teſtimonium aſſerentis in caput quartum ad Epheſios, *Nihil hîc aliud velle Paulum, niſi quòd hierarchicus ordo vſque ad finem duraturus eſt, donec perfectis omnibus ceſſet omnis in terra prælatio.* Ab Apoſtoli textu ad Corinthios, ſaltas ad textum eiuſdem ad Epheſios; quem locum faciliùs ad hierarchiam reduci poſſe fateor, quàm priorem. Quod ſi Gagnæio placuit de hierarchicis gradibus ibi agi à Paulo: certè de iis gradibus agi vult, quibus adnexa eſt prælatio, quibus in ſubiectos aliquod ius eſt: Tu hierarchiæ chariſmatum gradus tales eſſe inficiaris. Itaque Gagnæius Hierarchiæ chariſmatum gradus à Paulo ibi enumerari noluit, ſed potiùs hierarchiæ ordinis aut iuriſdictionis.

Sententia autem mea circa hunc ad Epheſios locum, eſt eadem, quæ Eſtij, & aliorum paſſim, non agi eò loci de gradibus hierarchicis formaliter: ſed de chariſmatis ad populi fidelis inſtructionem: nam fateris ſanctum Paulum epiſtolâ iſtâ ad Epheſios non enumerare, niſi pauca chariſmata, nec abſolutam diuiſionem hierarchiæ chariſmatum tradere; nihil enim eò loci de charitatis Profeſſoribus, de opitulationibus, imò nec diſtinguuntur Theologi à Canoniſtis, quæ ſunt membra hierarchiæ chariſmatum: cuius rei ratio eſt, quia ſanctus Paulus nullo modo de texendo ordine hierarchiæ chariſmatum cogitabat, ſed ſolùm varia chariſmata, & officia Eccleſiaſtica enumerabat, quæ Deus in Eccleſia poſuit, ad populos in fide confirmandos, quibus officiis ad doctrinæ Catholicæ elucidationem ſpectantibus, vel omnibus, vel eorum quibuſdam, quia ordo & iuriſdictio connexa connaturaliter eſſe debent, hierarchica eſſe poſſunt: id tamen in eis non ſpectauit ſanctus Paulus, ſed tantùm vtilitatem, quam habent ad populos alioqui vacillantes ac nutantes in fide confirmandos.

Hæc interpretatio ex textu clara eſt: verba enim Apoſtoli hæc ſunt, *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores, ad conſummationem ſanctorum in opus miniſtery, & ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei*, &c. *Vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*, &c. Certè verba iſta textus Cellotij ſententiæ, atque Appendicibus contraria ſunt: etenim ſanctus Paulus hîc dona iſta intuetur, vt ſunt ad aliorum ſalutem: Cellotiana hierarchia chariſmata potiſſimùm ad ſubiectorum perfectionem, non ad aliorum tendit. Omnia ibi enumerata chariſmata, ſi fortè excludamus Prophetas, ordinem & iuriſdictionem adnexam habebunt; nam Apoſtolos, Euangeliſtas, in Eccleſia Dei ordinis Clericalis fuiſſe, eoſdémque iuriſdictionis Eccleſiaſticæ non expertes nemo neſcit; taléſque eos eſſe debuiſſe, qui ad hoc munus deligerentur. Conſtat etiam Paſtores formaliter & ordine & iuriſdictione præditos, Doctores item eoſdem eſſe, quos Paſtores, communior eſt Patrum ſententia, Auguſtini epiſt. 59. Paulini inter eiuſdem epiſtolas quinquageſimâ quartâ, Chryſoſtomi homil. 11 in epiſtolam ad Epheſios, Theodoreti, Oecumenij, & Theophylacti in eum locum, & aliorum paſſim: ſuperſunt ergo ſolùm Prophetæ, quominùs eos omnes ibi enumeratos dicamus ſacerdotalis ordinis eos fuiſſe & eſſe debuiſſe.

At ſi hanc probemus ſententiam, quæ veriſſima videtur publicos Scripturarum ſacrarum interpretes, Prophetas ibi dici, ipſos pariter inter ordinis ſacerdotalis viros eóſque iuriſdictionis ſaltem voluntariæ non expertes referri neceſſum erit: idipſum etiam ſentiendum, ſi de Prophetis etiam verba fieri dicantur, quorum Prophetiæ publicæ eſſent auctoritatis, cuiuſmodi eo tempore fuit ſanctus Ioannes Euangeliſta, vt aliqui fortè ex Apoſtolis: nam & Paulus in epiſt. 1. & 2. ad Theſſal. & Petrus epiſt.

2. de vltimis temporibus, & de hæreſibus futuris, quædam prædixerunt, quæ nemini Chriſtianorum ab illis prædicta in dubium reuocare licet. De iis autem tantùm verba iſta intelligi poſſunt, ſi de hierarchiæ membris verba fieri contendit: nam laici, fœminæque cuiuſlibet ætatis & conditionis futura prædicentes, quales primitiuæ Eccleſiæ etiam vxoratos fuiſſe non dubium eſt ex cap. 2. Ioelis, & filiarum Philippi prophetantium mentio, Act. 21. quas ad officium prophetandi delectas fuiſſe ab Hierarchis ſeu Apoſtolis ridiculum eſt dicere; eos, inquam, tum homines laicos, tum fœminas hierarchiæ membra fuiſſe, nequidem Cellotius iuxta ſua principia ſtatuere poteſt. Itaque vel quod probabilius eſt, hierarchicorum graduum nulla mentio à ſancto Paulo ibi facta eſt, ſed dona tantùm enumerata, ad doctrinæ Chriſtianæ explicationem neceſſaria: vel certè ſi qui gradus hierarchici numerantur, ij non alterius ſunt hierarchiæ, quàm eius, quæ ex ordine & iuriſdictione perfecta coaleſcit.

Sed nihil aliud intendere Paulum, quàm enumerare dona & chariſmata varia hominibus à Chriſto data cuiuſcumque conditionis, non autem ordines ſacratum in hierarchia perſonarum, quos hierarchicos vocas voluiſſe texere, illud etiam manifeſtat, quod paulò ante quàm citata diceret Apoſtolus hæc protulerit, *Vnicuique autem noſtrûm data eſt gratia, ſecundum menſuram donationis Chriſti; propter quod dicit, aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Quibus verbis vniuſcuiuſque conditionis hominibus dona mox ab ipſo enumeranda à Deo dari dicuntur, eâque & ſine inuidia, pro menſura donationis ab omnibus communicari iubentur. De omnibus ergo fidelibus loquitur Paulus, non de ſolis ſacris perſonis; donúmque Spiritus ſancti, à docendi publico munere diſcernitur: nam verbi gratiâ, Aquila & Priſcilla vxor eius, quæ Apollo viro Alexandrino eloquenti & potenti in Scripturis, viam Domini expoſuiſſe referuntur Actorum 18. erant merè laici, nullo publico Eccleſiæ munere præditi, nullâ hierarchicâ dignitate pręſtantes: ipſi tamen pro menſura donationis gratiam, quam acceperant, effundentes in alios, Pauli iſtâ ſententiâ comprehendebantur: atque ideò Hieronymus, Primaſius, Sedulius, Chryſoſtomus, aliíque interpretes Græci nullam eò loci hierarchiam, ſed gratiarum ſolùm diuiſionem agnoſcunt.

Qui tamen hæc chariſmata ex officio publico in alios effunderent, fateor Apoſtolum quoſdam in Eccleſia relictos docuiſſe, ſed non alios quàm ordine & iuriſdictione inſignitos. Ideóque eos ordines, quibus eorum chariſmatum communicandorum publica officia relicta ſint, Anſelmus in dictum caput *regentes*, à iuriſdictione, ſanctus Thomas lectione tertiâ in idem caput, *Eccleſiaſticos gradus* ab ordine & iuriſdictione appellat: quòd cùm verum ſit, attamen dico id non ſpectaſſe ſanctum Paulum in iis donis, ſed ſolùm quòd dona eſſent, & chariſmata diuina; rationem verò hierarchicam, ſi quæ foret his chariſmatis coniuncta, nequaquam inſpexiſſe; ſed ab ea, vt loquuntur Philoſophi, abſtraxiſſe; verùm hæc in ſingulorum explicatione manifeſtiùs elucebunt.

Hæc autem nullatenus repugnant Gagnæio, nam in iis verbis Pauli hierarchicum Eccleſiæ ordinem *adumbratum*, conſtantem, perpetuúmque cum ipſo fatemur: adumbratum non tamen quem formaliter inſpexerit Apoſtolus, ſed materialiter duntaxat, ita ſcilicet vt donorum & gratiarum, quibus doctrinæ veritas in Eccleſia ſeruaretur, perpetuam promiſerit ſtabilitatem, pręſertimque verò apud Epiſcopos & cæteros Eccleſiæ Paſtores ac Doctores ab iiſdem probatos, qui aliorum docendorum curam & auctoritatem habent, & qui prædictos à ſancto Paulo enumeratos gradus referunt.

§. IV.

Leuiores aduerſum nos circa locorum prædictorum Pauli explicationem criminationes Cellotij refutantur.

IAM verò proſequamur cęteras Cellotij obiectiones, imprudentiæ nos arguit cap. 9. lib. 8. citati, quòd Paulina chariſmata laicis aliquando ſaltem in penuria Clericorum, & fœminis licuiſſe vſurpare docuerimus. Vnde infert non eſſe illa ſacris ordinibus neceſſariò connexa. *Quis enim*, inquit, *vnquam audiuit ex penuria Diaconorum lai-*

eos in omne eorum officium fuiſſe intruſos? ex inopia ſacerdotum Diaconis fas fuiſſe Euchariſtiam facere: ex Epiſcoporum paucitate in eorum cathedram inuaſiſſe Presbyteros, & Sacerdotes ordinaſſe, chariſma confeciſſe, manum Epiſcopis impoſuiſſe? cur hoc, quia munia eiuſmodi ſunt, ita cum ordine coniuncta, vt qui alius ea tentarit nihil efficiat. Rhetoricaris, Celloti, & quod in præfatione tua de teipſo dixiſti, hoc verum eſſe comprobas, *gratuitam* tibi placere *amplificationem, quâ ſtylum diffundas.*

In pluribus tamen erras, primùm quòd non tam me, quàm Ambroſium, ſeu quicumque ille ſit eruditus epiſtolarum Pauli interpres, qui ſub Ambroſij latet nomine, impetis: non enim loco à me citato quidquam dixi ex meo, ſed ex illius penu dicta retuli: commentariorum autem iſtorum auctor quicumque, & antiquus eſt, & ſi credis Sixto Senenſi exacti iudicij viro, libro 4. Bibliothecæ ſanctæ, non negligendi operis auctor eſt, ſed eius quod ob verborum breuitatem, & ſententiarum grauitatem laudari mereatur.

Secundò apparet te ex profeſſo argumentum dilataſſe vt falleres: nam non adeò te ignarum puto, quin eius ad formam contracti vitium poſſis agnoſcere. Vis enim probare contraria hæc eſſe, ſacris ordinibus adnexum eſſe legitimum vſum quorumdam chariſmatum, verbi gratiâ, euangelizandi, baptizandi, & Scripturas ſacras in Eccleſia explanandi. Dæmones adiurandi, de quibus loquitur Ambroſius, & eundem vſum ſaltem vrgente penuriâ Clericorum laicis & fœminis concedi poſſe: quod ibidem factum eſſe primis Eccleſiæ naſcentis temporibus idem auctor fatetur. Ad id autem probandum vel aſſumis propoſitionem vniuerſalem, quòd nulla poteſtas ordinibus adnexa laicis, ne quidem ob penuriam Clericorum communicari poſſit: vel particularem, quòd aliquæ functiones ordinibus adnexæ aliis quàm ordinatis communicari non poſſint. Quamcunque aſſumas, argumentum tuum vitioſum eſt: ſi vniuerſalem propoſitionem aſſumis, peccat argumentum tuum in materia, ſi particularem in forma: neque enim licet ex propoſitione particulari negatiua vnquam ſecundum leges ſyllogiſmi negantem, vel particularem vel vniuerſalem negatiuam propoſitionem inferre: ideóque quamuis aliquæ functiones adnexæ ſacris ordinibus à non ordinatis, vel laicis, vel fœminis, ne quidem vrgente penuriâ Clericorum, ſuppleri poſſint: non ſequitur eas, de quibus iam diſputatur, tales eſſe, ſed poterunt illæ alterius rationis eſſe, & conditionis, huius ſcilicet quibus non competat ex lege ordinaria, vt ſacris ordinibus adnexæ ſint, ſed tamen extraordinariâ diſpenſatione ab aliis perfici queant. Vniuerſim enim falſum eſt quamlibet functionem ordinibus ſacris ordinariâ lege, & ex Chriſti generali inſtitutione adnexam, non poſſe exigente ſingulari neceſſitate, quam lex Chriſti, & inſtitutio generalis excipit, extra ordinem aliis quàm ordinatis ad illud munus committi.

Protuliſti aliqua exempla eorum munerum, in quibus nullam diſpoſitionem cadere poſſe exiſtimaſti: bene eſt, quòd ſaltem aliqua ſacris ordinibus propria munia relinquas, quamuis ex iis alibi quædam delibaſti: non enim Epiſcoporum cathedram eos vis inuadere præpoſitos regulares, quibus omnem iuriſdictionem Epiſcopalem non ex priuilegio, neque ex commiſſione concedis? probabile eſſe fateris lib. 6. cap. 10. Abbatibus quibuſdam conficiendi Chriſmatis à ſummo Pontifice licentiam fuiſſe conceſſam: nam etiam Presbyteris conficiendi Chriſmatis poteſtatem tribui poſſe docet ex tuis ille, qui chriſmationis ritum accidentalem tantùm eſſe Confirmationi propugnat. Sed hæc iam non moror, gratulor tibi, quòd iam erga Clericalem ordinem liberalior eſſe videaris: at quàm multa ſunt, quæ tu mecum fateberis ordinibus ſacris eſſe adnexa, quæ tamen ex diſpenſatione ſeu priuilegio aliis competant. Nunquid enim excommunicare ordini adnexum eſt ſacro, quæ tamen laicis poteſtas committi poteſt: iudicandi de rebus Eccleſiaſticis poteſtas nónne ſacerdotibus propria eſt: eamdem tamen etiam laicis delegari poſſe quis neſcit? minorum ordinum functiones nónne ipſis propriæ? quis tamen ignorat eas etiam laicis ex vſu Eccleſiæ tribui? imò & Subdiaconorum ac Diaconorum officia canendi Epiſtolam & Euangelium inter Miſſarum ſolemnia Imperatori & Regi Francorum conceſſa ex priuilegio multi referunt. Sacramenti Confirmationis Epiſcopum ordinarium eſſe miniſtrum Concilium Florentinum & Tridentinum definiunt: cur ergo toties quaſi magnum crimen mihi obiectas, quòd in eam partem propendiſſe viſus ſim, ab alio ip-

Digitized by Google

ſum quàm ab Epiſcopo non poſſe vllo pacto conferri? Minorum Ordinum collationem quis Epiſcopo ordinario iure propriam neget? quemadmodum & Baſilicarum conſecrationem, & cætera id genus: ea tamen quin laicis communicari poſſint, exigente præſertim neceſſitate, nemo ambigit.

Tertiò, pruritus ille tuus, & redarguendi libido in eo elucet: quod nec ipſe, vt opinor, diffiteberis prædicandi, baptizandi, Dæmones adiurandi, officia, de quibus diſſerebatur, ordini ſacro adnexa eſſe; quæ tamen in neceſſitate aliis committuntur: prædicandi officium adnexum eſſe fusè ſuprà docuimus baptizandi munus ſacerdotibus vel Diaconis in abſentia Preſbyterorum propriam eſſe, præter ſanctos Patres, qui id paſſim oſtendunt, docebunt te Clemens epiſt. 3. Tertullianus cap. 17. de Baptiſmo, Gelaſius epiſt. 1. cap. 9. Nicolaus primus ad conſulta Bulgarorum cap. 15. Eliberitani Concilij vetuſtiſſimi Patres cap. 77. Synodi Vernenſis cap. 7. Synodi Romanæ ad Gallos tom. 1. Conciliorum Galliæ, vetus ordo Romanus, & Pontificale Romanum in ordinatione Presbyteri, & alij paſſim Eccleſiaſticorum rituum Scriptores. Nemo tamen niſi ex Caluini ſchola laico baptizandi in neceſſitate poteſtatem ademit, munus etiam Dæmones adiurandi, atque expellendi proprium eſſe Exorciſtarum ordini Eccleſia ſatis ſupérque in eorumdem ordinatione teſtatur. Mitto auctores veteres, qui eiuſdem poteſtatis mentionem faciunt, quod tamen munus olim non ordinatis conceſſum fuiſſe conſtitutiones Apoſtolicæ lib 8. cap. 29 teſtantur.

Hæc ſi negas, vide quot in tuum caput armentur hoſtes, tot ſcilicet quot Catholicarum iſtarum traditionum ſunt propugnatores: ſi verò admittis, quo ergo conſilio in me nihil aliud dicentem irruis?

Primus ergo ille tuus impetus quàm imbellis, ſed nec fœliciùs ſecundus tibi ſuccedit, ſubdis eodem cap. 9 *In Pauli gratiis aliquas legi, quæ auctoritatem prædicandi, neque dicunt, neque exigunt, vt opitulationes & gubernationes: licèt enim, inquit, hæc officia curarint Diaconi, habebant tamen in iis ſuppares, & vt Aurelij verbo vtar, collaterales Diaconiſſas, circa mulieres occupatas, quæ profectò Eccleſiaſtici ordinis capaces non ſunt. Aliquas ergo Paulus in hierarchia collocat gratias, in perſonis conuenientes, quæ teſte Franciſco ab Eccleſiaſticis ordinibus excluduntur. Quare ſi qui ordinati ſunt illis præditi, non idcò ad Hierarchiam Pauli pertinent, quia ſunt ordinati, ſed quia inſtructi chariſmatis.*

Nec me, nec ſententiam meam feris: quod dixi de auctoritate prædicandi, id ſimiliter de quorumlibet chariſmatum vſu, vt dicatur Hierarchicus, intelligi debet: generatim ſiquidem dixi nulla officia à Paulo enumerata, hierarchica eſſe, niſi quatenus ordinem vel iuriſdictionem adnexam haberent. In exemplum protuli officia, quæ ad doctrinæ Chriſtianæ traditionem vel interpretationem pertinerent: eáque docui hierarchica non eſſe, niſi ſub ſub ea conditione: itaque non eſt neceſſe quòd opitulationes & gubernationes docendi auctoritatem adnexam habeant; ſed ſolùm neceſſum eſt quòd offi ia iſta hierarchica non ſint, niſi prout ordini, vel iuriſdictioni adnexa fuerint. Ac vel teipſo interprete, gubernationes & opitulationes in aliquo ſaltem ſenſu, quatenus nempe ſumuntur pro ſpirituali opera, quam alij in ſpeciali populorum gubernatione ſub maioribus Prælatis impendunt, verbi gratiâ, Curati, ob quam gubernationibus adcenſentur; alij verò in generali regimine ſub maioribus Prælatis deſeruiunt, vt Archidiaconi, & ordinem ac iuriſdictionem includunt ſupponûntque: parum autem mea intereſt, alióve ſenſu referantur etiam à Paulo, quo nec ordinem nec iuriſdictionem habeant. Quid enim dixi niſi vt iſta officia non referri tanquam hierarchica, vel ſi vt hierarchica referantur, habere id ab ordine vel iuriſdictione. Ad veritatem autem huius propoſitionis mihi ſufficit, quòd aliquo ſenſu iſta officia ordini & iuriſdictioni illigata ſint, pa úmque vel nihil refert, etiamſi nonomni ſenſu quo exponi poſſunt, ordini vel iuriſdictioni adnectantur.

Sed liberalior erga te eſſe volo: nam & eo ſenſu, quo iam à te ſumuntur (quem ſenſum poſtponere priori in iſtorum officiorum explicatione videbaris) etiam ordini & iuriſdictioni adnexa ego ipſa reperiam. Nam vt noſti, Diaconorum ordini præcipua cura rerum Eccleſiaſticarum adminiſtrandarum, & egenorum atque infirmorum omni ope ex iiſdem Eccleſiaſticis reditibus fouendorum auctoritas demandabatur, tanquam ordinatium munus, ad hoc ipſi ex parte ſcilicet ordinati fuerunt, vt legitur Actorum

Digitized by Google

ſexto capite, nec ſine auctoritate & iuriſdictione erat iſtud munus, non ſolùm poteſtatem includens circa res Eccleſiaſticas, quas diſpenſabant, verùm etiam circa pauperes & infirmos matriculæ Eccleſiæ inſcriptos, quibus diſpenſabant, vt colliges ex Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 3. cap. 7. nec iniuriâ: quippe cùm huiuſmodi homines conſtet in Eccleſiæ poteſtate ſingulariter fuiſſe ex lib. 5. Capitularium cap. 152. Auguſtino lib. 3. contra Parmenianum cap. 2. Matiſconenſi Concilio II. Can. 12. & aliis, ex quibus conſtat eos extitiſſe in Eccleſiæ clientela, & ſub ipſius patrocinio. Non ergo auctoritas eorum, qui ab Epiſcopis iis præfecti erant, iuriſdictionis Eccleſiaſticæ expers erat: Malè itaque Diaconiſſas in auctoritate, ſiue circa bona Eccleſiaſtica, ſiue circa pauperes matriculæ Eccleſiæ adſcriptos Diaconis ſuppares facis: habebant illæ duntaxat propter pudorem fœmineum, & incontinentiæ periculum, quod ex nimia familiaritate virorum cum mulieribus timebatur ex Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 3. cap 14. curam fœminarum cum nudo miniſterio, exequendi poteſtate; diſponendi verò auctoritas, & ſtatuendi in rebus minoris ſaltem momenti penes Diaconos, eóſque ſolos reſidebat: quemadmodum indicant eædem Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 2. cap. 26. dum Diaconiſſas quidquam vetant, aut loqui aut agere, niſi ex ſententia Diaconi. Non ergo Diaconiſſæ collaterales. vrais. Diaconorum, ſed ſuppoſitæ atque ſubiectæ: item Diaconiſſa earumdem Conſtitutionum lib. 8. cap. 28. οὐκ εὐλογεῖ, ἀλλ' οὐδὲν ὧν ποιοῦσιν οἱ πρεσβύτεροι, οἱ διάκονοι, ἐπιτελεῖ, *Non benedicit, ſed nec quidquid eorum facit, quæ faciunt Presbyteri & Diaconi*, præter pauca, ad quæ mulierum opera requiruntur, (qualia hîc recenſentur ianuarum Eccleſiæ cuſtodia & miniſterium, quod in Baptiſmo mulierum impendunt, dum ſcilicet corpora earum nuda oleo liniunt, quemadmodum explicatur earumdem Conſtitutionum lib. 3. cap. 15.) quæ quidem ipſa eis committuntur, tanquam vicaria Diaconorum miniſteria, διὰ τὸ εὐπρεπὲς *propter decorum & honeſtatem*. Ergo non Diaconis in officio etiam opitulandi ſuppares, non collaterales: ex quibus malè colligis quemquam in hierarchia eſſe alio titulo, quàm quod vel ordinatus eſt, vel Eccleſiaſticâ iuriſdictione præditus ſit.

§. V.

Pro Monachis, & Monialibus in hierarchiam chariſmatum intrudendis.

PERGIT ex fine hierarchiæ ſententiam noſtram impetere. *Nam*, inquit, *qui auctoritate publicâ Eccleſiæ illorum actuum aliquos exercent, & per eos ad hierarchiæ finem perueniunt, ij ſanè reponuntur in hierarchia hierarchizante: at eiuſmodi ſunt fratres laici religioſorum ordinum; Moniales omnes quæ ab Eccleſia conſecrantur ad Deum publicâ pſalmodiâ laudandum, ad publicorum obſeruationem votorum, ad corporum afflictationes Eccleſiæ voce & ſenſu probatas, ad opitulationes & gubernationes. Hierarchizantis igitur hierarchiæ partes ſunt, & tamen ad ordinem Eccleſiaſticum, aut iuriſdictionem Doctoris ſenſu, peruenire non poſſunt: Vſus ergo chariſmatum auctoritate publicâ probatus, cum ordine & iuriſdictione præditis non coniungitur neceſſariò, aliis conuenit, quàm quos Doctor Clericos vocat, adeóque præter ordinis & iuriſdictionis hierarchiam cogitanda eſt alia, in qua collocentur.*

Non hîc ſiſtit Cellotij impetus, Dialecticæ argumentationi ſuccedit Rethorica Apoſtrophe: *Dic autem, Franciſce, ex animi tui ſententia, affirmáſne Antonium, Benedictum, Romualdum, Franciſcum vtrumque, Simeonem Stylitam, Pachomium, & eiuſmodi penè non homines cum omnibus Spiritus ſancti donis, ſine ordine Eccleſiaſtico, vel iuriſdictione nihil penitus contuliſſe ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij in ædificationem corporis Chriſti.*

Patere me, Celloti, modeſtè hanc argumentationem excipere, de eâque iudicium ferre, nullo amaritudinis felle, aut verborum conuicio intinctum.

Primò extra chorum ſaltitas, nec de textu Pauli iam diſputas, ſed de Regularium ſtatu: Vt vt ſit, non ingratum nobis eſt, quòd mentem tuam aperias, eo te duntaxat conſilio hierarchiam iſtam chariſmatum induxiſſe, vt haberes tutiorem locum hierarchiæ hierarchizantis. in quo laicos Religioſos, & Moniales reponeres. Voluiſti in hierarchia ordinis eos collocare, ſed agnouiſti quàm facilè ab ea exturbari poſſent; itaque noua tibi fingenda hierarchia fuit, eâque chariſmatum, in qua perfunctoriè ſo-

lùm Theologiæ, & Iuris Canonici Doctores intruſiſti, vt maiori dedecore expelleres. Nam profeſſus es te eis in hierarchia iſta locum dare, alibi tamen nonniſi conſecratis locum in hierarchia permiſiſti: vt per illud poſticum Doctores iſtos tanquam non conſecratos ab ea eiiceres. Fatere igitur in primis hoc argumentum tuum in tua ſententia non valere, atque adeò ad refellendam meam ſententiam, non ad ſtabiliendam tuam hierarchiam adferri duntaxat poſſe.

In me verò coniectum hoc telum, quàm imbelle, quàm obtuſum, quàm ſine cuſpide, ſine ictu! neque enim tibi primo loco conſentiam eos omnes, qui auctoritate publicâ quidquam faciunt eo ſenſu, quo tu id dicis, in hierarchia collocandos. Cùm enim tribus modis auctoritate publicâ agere quis dici poſſit, primò qui aliquid fieri decernit, vt Princeps: ſecundò, qui executioni publicum decretum mandari curat, vel cum cognitione cauſæ vt Magiſtratus, vel ſine cognitione cauſæ, vt Apparitor: tertiò, qui opus auctoritate publicâ præſcriptum exequitur. Quæ acceptio agendi publicâ auctoritate omninò impropria eſt: nam priuatis quibuſlibet & plebeis hominibus incumbit, id exequi quod à ſuperiori imperatum eſt: tu tamen in ea præſertim hæres, hunc hierarchiæ hierarchizantis fundamentum ſtatuis, quæ hierarchizatæ propria potiori iure cenſenda eſt: vt enim in regno, ita in Eccleſia, popularium proprium eſt patientium, ἀρχομένων & ſubditorum imperata facere: agentium verò principantium, ἀρχόντων, imperare, vel à Principe imperata curare, quatenus ab aliis executioni demandentur.

Quæcumque verò profers opera, quæ à Monachis, laicis & Monialibus publi â auctoritate perficiantur, ea à te fieri publicâ auctoritate ideò dicuntur, quia ab Eccleſia imperantur: a qui plurima etiam laicis quibuſlibet imperantur, cuiuſmodi ſunt ieiunium Quadrageſimale, Communio Paſchatis, Confeſſio annua, & cætera eiuſmodi: itaque laici tibi eo titulo erunt in hierarchia hierarchizante; imò & Catechumeni, quibus plurima ab Eccleſia tanquam candidatis Chriſtianitatis, & Eccleſiaſticâ diſciplinâ probandis imponuntur, tuo calculo erunt in hierarchia charisſmatis, ſi ſufficit id quod auctoritate publicâ præceptum fuerit obſeruare, ad hoc vt in hierarchizante hierarchia aliqui ſtatuantur: nec recurras ad conſecrationis defectum, cuius neceſſitatem probare non potes, & cuius in Catechumenis, & baptizatis ſimiliter ac in nouitiis profeſſis Religionum negare non potes aliquam reperiri: nam & Catechumenos olim variis manuum impoſitionibus ad diſciplinam Eccleſiæ ſuo tempore obſeruandam conſecratos, nemo negare poteſt, & Baptiſmum conſecrationem eſſe, & deſtinationem hominis baptizati, ad Eccleſiaſticas leges cuſtodiendas nullus ignorat, quippe cùm ſciant omnes, ſicut olim per Circumciſionem totius legis adimplendæ obligatio ſuſcipiebatur, ad Galathas 5. ita iam per Baptiſmum legum Eccleſiaſticarum cuſtodiendarum debitum contrahi: ideóque in Baptiſmo & adultos per ſe, & paruulos per patrinos fidei profeſſionem emittere, ac diſciplinæ ſtrictioris obſeruantiam ſpondere.

Specialem conſecrationem requiris, ſed gratis & ſine fundamento, quamuis & ſpecialis conſecratio dici poſſit receptio cæterorum ſacramentorum, quæ iam adultis tantùm conceduntur, verbi gratiâ, Confirmationis & Euchariſtiæ, quæ Chriſtianos poſt eorum receptionem in ſuperiori cæteris, qui ea non receperunt, gradu conſtituunt, & ſpecialem promiſſionum Baptiſmi renouationem continent. Specialis etiam conſecratio tibi erit admiſſio in quamlibet confraternitatem ac ſodalitium pium, in cuius ingreſſu Chriſtianæ diſciplinæ obſeruatio iterùm promittitur; adeóque hierarchiam hierarchizantem, quâ ratione ad Religioſos extendis, ad alios quoque merè laicos amplificare cogeris.

Præterea nec qui auctoritate publicâ dicuntur agere eo ſenſu, quòd nudum habeant miniſterium circa executionem legis publicæ, mihi hierarchiæ hierarchizantis membra erunt, ſicut nec inter proceres regni, Magiſtratus, & ἄρχοντας numerarentur, lictores, apparitores, carnifices, penes quos executio publicæ legis eſſe videtur: imò nec qui ex delegatione tantùm ac commiſſione, non ex poteſtate ordinaria imperandi ſibi vendicant auctoritatem, ij mihi hierarchici erunt. Quantominùs tales habebuntur, qui nec ius peculiare habent agendi, quod alij non habeant, ſed tantùm parendi, & obſequendi peculiarem neceſſitatem, qualem Monachis, laicis & Monialibus

libus affingis, pſallendi in Choro, vota obſeruandi publicè emiſſa, carnem macerandi, ſeu corpus ieiuniis affligendi, infirmis opem ferendi: quæ omnia opera laicis conceſſa cùm ſint, quid mihi in his Religioſorum publicam auctoritatem iactitas?

Addo etiam chariſmatum propriè dictorum, & à Paulo relatorum numero hæc à te inſeri. Pſalmodiam Religionis actionem eſſe video: chariſma propriè dictum in aliorum per ſe vtilitatem deſtinatum eſſe non video. Vororum obſeruatio tot virtutes continet, quot actiones votis præſcriptæ exigunt: propriè dictum autem chariſma eſſe nemo dixerit. Quid etiam commercij votis cum Paulinis chariſmatis? Vbinam ad hæc vel leuiter Paulus alluſit? Nazianzenus, vt verum fatear, Oratione vigeſimâ ſextâ, gubernationes, carnis caſtigationes interpretatus eſt, ſed ſingularis eſt iſta eius interpretatio, nec textui tantillum conformis: ideóque à nullo ex ſacris interpretibus recipitur, à nullo cæterorum Patrum probata.

Publica iſta omnia vocas opera, quæ Eccleſiæ lege probata ſint, vſque ab Eccleſiæ lege habere quòd ſint publica, & publicâ auctoritate fiant: quaſi verò non ſint priuata, quæ à priuatis hominibus fiunt ex imperio legis, ſiue diuinæ, ſiue humanæ: quaſi non plebeij etiam homines, priuati, nulláque publicâ dignitate præditi poſſint obedientiâ ſuâ publicæ auctoritati ſatisfacere, quamtumuis publicâ auctoritate nihil faciant.

Quid nobis pſalmodiam obiicis, vt exinde hierarchicum gradum concludas: primò enim pſalmodia iſta laicis fratribus ex præcepto non imponitur, quemadmodum ſupponis. Secundò, nec ſi Monialibus quibuſdam concedatur, exinde hierarchicum gradum habent; ſibi enim pſallunt, non tanquam miniſtræ Eccleſiæ, aut mediatrices delectæ inter Deum & populum: quod vtique Clericis ſeu ſacerdotalis ordinis viris proprium eſt. Cantandi officium nonniſi in priuatis earum domibus ipſis conceditur procul à conſortio virorum, & longè à virorum, imò & mulierum aſpectu: non in Eccleſiis plebis, nec pro plebe canendi officium ipſis imponitur. Nec conceſſio iſta plus ipſis auctoritatis in reliquos ex plebe Chriſtiana tribuit, quàm habebant olim mulieres etiam vxoratæ, quæ primis Eccleſiæ temporibus alternis Choris cum viris canere permittebantur, ſi credimus Philoni libro de vita contemplatiua, dum mores Chriſtianorum Alexandrinæ Eccleſiæ, quibus præerat ſanctus Marcus, ſub Eſſenorum nomine deſcribit, teſtibus Euſebio libri ſecundi capite decimo ſexto, & Hieronymo de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Philone; cuius etiam moris teſtis Chryſoſtomus ſermone in Pſalmum centeſimum quadrageſimum quintum, omnis ſexus & ætatis in Eccleſia homines ceciniſſe teſtatus: quod mulieribus ſpeciatim in funeribus conceſſum refert Dionyſius capite ſeptimo Eccleſiaſticæ hierarchiæ. Qui mos diu in Eccleſia durauit, vt colligere poſſumus ex ſcriptis Gregorij Nyſſeni epiſtolâ ad Olympium, & Auguſtini libri noni Confeſſionum capite duodecimo. Quod item in Litaniis ac ſupplicationibus diu obſeruatum fuit, vt patet ex teſtificatione Gregorij Magni, libri vndecimi Regiſtri indictione ſextâ, epiſtolâ vndecimâ, Corippi Poetæ libro tertio: Balſamonis in Canonem decimumquintum Laodicenum: innuit etiam Scriptura ſacra Actorum primo, vbi de Apoſtolis dicitur, *Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in oratione, cùm mulieribus & Maria matre eius*. Vnde obiter tibi notandum, quia publico docendi officio monendi & reprehendendi publica auctoritas coniuncta eſt, ideò Paulum cùm de doctrina ageretur, tacendi in Eccleſia mulieribus impoſuiſſe præceptum: quia verò cantus in Eccleſia nullam auctoritatem publicam adnexam habet, veteris Eccleſiæ more mulieribus in Eccleſia canere fuiſſe permiſſum. Quod ipſum tamen ob non iniquas cauſas improbarunt Synodus Antiochena apud Euſebium libri ſeptimi capite vigeſimo quinto; Laodicena, Canone decimo quinto: Hieronymus, libro primo aduerſus Pelagianos. Tantum ſcilicet ab hac opinione aberant iſti ſancti Patres, vt quod permiſſum fuiſſet mulieribus aliquando in Eccleſia canere, idipſum ad hierarchici ſtatus dignitatem, vel ad officium pſallendi publicum & nomine publico, vel ad conſecrationem quarundam fœminarum ad hoc ex profeſſo munus obeundum, trahendum putarent: vt ne quidem id permittendum arbitrarentur. Certè Synodus Laodicena Canone decimo quinto, ſecundum interpretationem Zonaræ & Balſamonis, κανονικοὺς ψάλτας, deſtinatos ſcilicet ad pſallendum, ad idque conſecratos, ſolos Clericos, qui τὸν ἄμ-

βῆμα ſeu ſuggeſtum aſcenderent, intellexerunt: imò & Balſamon Monachos obiter carpit, quòd Pſalmos in Eccleſia præcinere præſumerent.

Quantumcumque igitur nunc canant publicè Moniales, non magis auctoritate publicâ id faciunt, quàm laici, quos initio Eccleſiæ publicè in ſacris ſynaxibus cecinisse conſtat ex ſancto Paulo 1. ad Corinthios decimo quarto, ad Epheſios quinto, ad Coloſſenſes tertio; Clemente, Conſtitutionum Apoſtolicarum libri ſecundi capite ſexageſimo primo; Plinio, epiſtolâ ſecundâ libri decimi; Tertulliano, Apologetici capitibus ſecundo & trigeſimo nono; Dionyſio, de hierarchia Eccleſiaſtica capite quarto; Ignatio, epiſtolâ decimâ quintâ ad Romanos; & aliis paſſim etiam medij æui Scriptoribus. Sicut ergo non licet colligere ex iſta facultate viris laicis conceſſâ, ipſis publicum officium, aut publicam auctoritatem, aut hierarchicam dignitatem fuiſſe commiſſam, ita nec in eo quòd publicè in Eccleſia Moniales ex Eccleſiæ indulto canant, fundamentum aliquod hierarchiæ chariſmatum ſtatui poteſt. Quódque etiam ſua obſeruent vota Moniales, non magis hierarchicum eſt, quàm quòd priuata ſua vota obſeruent laici viri aut mulieres, legéſque ſibi impoſitas cuſtodiant: nam & Chriſtus iubet, & Eccleſia probat, ne fidem Deo vel ſolemniter emiſſam, vel priuatim obſtrictam quiſquam violet; vtque nullus aut diuinas leges, aut humanas ſolemniter promulgatas tranſgrediatur. Carnis quoque mortificationes priuata bona ſunt opera, ad quæ publicâ auctoritate opus non eſt, vt ea ſuſcipere liceat, ſed priuatâ pietate, vel præcepto, quod æquè merè laicis ac cæteris imponi ſolet. Quàm friuolum ergo eſt, quàm infirmum illud tuum pro hierarchia chariſmatum argumentum.

§. VI.

Continuatio obiectionum & ſolutionum circa opitulationes, gubernationes, & donum linguarum.

QVæ verò ſubdis, multùm me torſiſſe ad chariſmata omnia in vnum prædicationis officium inuitâ, & repugnante veritate contrudenda; gubernationes & opitulationes ſcientem volentem prætermiſiſſe, linguatum donum malè interpretatum fuiſſe, prophetiæ donum implicaſſe, & nodum quæſiſſe in ſcirpo: hæc omnia facilem ſolutionem habent & exceptionem.

Primùm enim nunquam intentionis meæ fuit omnia chariſmata à Paulo enumerata prioris ad Corinthios 12. ad vnum prædicationis officium coniicere: ſed, vt dixi, ſuſtinere volebam ad ordinem vel iuriſdictionem ea reuocari debere, ad hoc vt hierarchica dici poſſent. Quis autem neſcit ordinis & iuriſdictionis ambitum prædicationis officio longè eſſe vaſtiorem atque maiorem?

Secundò, opitulationes & gubernationes ſciens volens prætermiſi, quia de iis ex profeſſo mihi poſteà erat tractandum ad explicationem propoſitionis tertiæ de hierarchia Danielis à Ieſu, à Facultate Theologica Pariſienſi damnatæ: nec difficile erat ad ordinem & iuriſdictionem eadem dona & officia reuocare, vt ex eorum explicatione ibi tradita, móxque inferiùs confirmanda patebit.

Tertiò, licèt fatear donum linguarum, de quo præſertim Apoſtolus loquitur, poſſe exponi de dono iſto Apoſtolis conceſſo, quo diuerſarum idiomatibus nationum loquebantur, quod donum tunc temporis erat frequens: attamen rectè mihi dixiſſe videor illud idem donum linguatum, vt perpetuum, & in Eccleſia perſeueraturum erat, exponi poſſe de dono quod habent aliqui, vt obſcura myſteria eructent, & diuina ſacramenta ita proponant, vt interprete indigeant. Vtráque hæc ſententia non tam mea eſt, quàm Baronij, qui tuas in contrarium coniecturas ex ſacro textu petitas diſſoluit ad annum Chriſti quadrageſimum quintum, numero trigeſimo quinto, & trigeſimo ſexto. Vtor eius argumento, quia Apoſtoli ſæpè indiguiſſe dicuntur interprete, cùm loqui linguis dicerentur, etiam apud Paulum eò loci & alibi. Atqui non poſſunt dici indiguiſſe interprete, cùm vterentur dono linguarum, eo ſenſu quo ſumit Cellotius, pro peritia loquendi vernaculo ſingularum nationum idiomate, ſed eo ſenſu quo nos ſumimus, cùm ſcilicet diuina myſteria coram populo rudiori, mirúſque adeò

Dei effunderent. Ergo donum linguarum eò etiam loci pro dono ſublimiorum myſteriotum, ſed non ſine aliqua obſcuritate propalandorum ſumitur.

Maior probatur tum teſtimonio Papiæ apud Euſebium, libri tertij capite vltimo, Irenei, libri tettij capite primo, Hieronymi, de ſciptoribus Eccleſiaſticis in Matco, & aliotum, qui dicunt Matcum fuiſſe intetpretem ſancti Petri, in cuius locum ait Clemens Alexandrinus libro ſeptimo, Glauciam fuiſſe ſubſtitutum, cùm ille ad fundandam Eccleſiam Alexandrinam demandatus fuiſſet. Tum ex ipſius Pauli verbis iuxta interptetationem Patrum, nam 2. Corinth. 2. hæc habet: *Cùm veniſſem Troadem propter Euangelium Chriſti, non habui requiem ſpiritui meo; eò quòd non inuenerim Titum fratrem meum, ſed valefaciens eis profectus ſum in Macedoniam.* Quæ quidem non aliâ causâ accidiſſe ſcripſit Hietonymus epiſtolâ centeſimâ quinquageſimâ, quæſtione vndecimâ, niſi quòd ſicut Paulus Marco, ita & Petrus Tito indigeret intetprete: in cuius ideò aduentu ſe conſolatione maximâ recreatum idem Paulus teſtatur ſecundæ Corinthiotum ſeptimo, quemadmodum fuſiùs loco citato explicat Hieronymus. Ex quibus omnibus infertur Apoſtolos ſæpè intetprete indiguiſſe, quod ex cap. 12. priotis ad Corinthios inferte poſſumus, vbi generibus linguarum interptetatio ſermonum ſubditur. Quod apertiùs oſtendit ſermone decimo quarto: *Maior eſt qui prophetat, quam qui loquitur linguis, niſi fortè interpretetur, vt Eccleſia ædificationem accipiat,* & paulo pòſt, *Et ideò qui loquitur linguâ, oret vt interpretetur.* Quæ cettum demonſtrant vſitatum tunc fuiſſe, vt Apoſtolis apud populum prædicantibus interptes ſuccederent.

Iam vero, vt ad probationem minotis veniamus, quis putet Apoſtolos loquentes linguis interptete indiguiſſe, niſi loqui linguis eodem modo ſumamus, quo nos explicuimus, non quo Cellotius. Etenim ſi linguis loqui idem ſit, quod omnium Gentium idiomatis loqui, non poſſunt dici indiguiſſe Apoſtoli interprete, quaſi non poſſent omnium linguâ loqui vernaculâ. Hoc enim conceſſo dicendum eſſet, eos non habuiſſe donum iſtud linguarum, contra quæ de omnibus ſcribitur Actorum 2. & de ſe Paulus gloriatur primæ Corinthiorum decimo tertio, ergo quod indiguerint interprete, hoc accidit, vel quòd loquentes non intelligerentur defectu pronuntiationis, vel quòd nollent populari idiomate loqui, ſed alio ignoto; vel quòd coram variarum linguarum populis ſimul & ſemel loquerentur: atqui nullum eorum probabile eſt.

Non primum, nam cùm Dei dona perfecta ſint, quis ſibi perſuadeat conceſſum quidem Apoſtolis diuinitùs fuiſſe, vt callerent linguam nationum, in quibus verſarentur, eâ tamen ita imperfectè loquerentur, vt ſine intetptete non intelligerentur: quis non videat hoc tale donum; nullius vtilitatis fore, nec magis profuturum, quàm ſi datum non eſſet? Prætereà interpretationem ſermonum ſubiungit Apoſtolus iſti dono, non interptetationem verborum, vt ſignificaret interpretes non tam verba Apoſtolica explicare ſolitos quàm ſenſum, quod obſcuritas ſermonis eorum potiùs ex ſenſu, & rerum ſublimitate quàm ex verbis peteretur.

Non ſecundum, neque enim probabile eſt Apoſtolos voluiſſe ignotâ linguâ iis populis loqui, quorum linguam callerent: tum quod ſicut alia miracula non ſemper, ſed ſolùm cùm poſtularet neceſſitas, erant exhibenda: ita & linguarum donum non temerè oſtentandum erat, tum quod nec prædicantes Apoſtoli extra Iudæam linguarum donum magis oſtentaſſent ignotâ linguâ, verbi gratiâ, Græcâ apud Romanos, quàm vernaculâ putà Romanâ apud Romanos loquentes; imo apud infideles maiori admirationi erant, dum vernaculâ vtebantur, quod homines extranei, & in ſcholis minimè inſtructi, ſtatim atque aliquam regionem ingrederentur, abſque vllo labore linguâ illius Gentis ſcitè vterentur: tum quod infidelibus vel ignorantes vernaculæ linguæ, vel ebrij atque impudentes viſi fuiſſent, ſi ignoto idiomate apud Paulum fuiſſent locuti, verbi gratiâ, apud Romanos Perſicâ, apud Perſas Romanâ linguâ: quod ipſe Apoſtolus oſtendit Corinthiorum decimo quarto iis verbis: *Si ergo conueniat vniuerſa Eccleſia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles, nónne dicent quia inſanitis?* Tum quod non ſit probabile Apoſtolos id vſurpaſſe quod in aliis reprehendebant: atqui reprehendit Paulus eos, qui inter prædicandum aliis linguis loquerentur ab his, quibus vtebantur Gentes apud quas differebant, quod oſtentationis vitio dicit Paulus citato capite decimo quarto,

ad Corinthios, quemadmodum rectè exponit Theodoretus docens in eum locum *reprehendiſſe Apoſtolum illorum* (Corinthiorum ſcilicet) *gloriæ cupiditatem, & deinde vſum docere. Id enim datum erat prædicatoribus propter diuerſas hominum voces: vt qui ad Iudæos veniebant, illorum linguâ vtentes diuinam afferrent prædicationem, & cum Perſis rurſus diſſerentes, & cum Scythis, Romanis & Aegyptiis ſingulorum vocibus vtentes, Euangelicam doctrinam prædicarent. Superuacaneum erat ergo iis, qui Corinthi diſſerebant, vti voce Scytharum vel Perſarum vel Aegyptiorum, qui illos audire nequibant.*

Ex quibus ſequitur non eſſe probabile Apoſtolos ideò indiguiſſe interprete, quòd linguis ignotis loqui vellent, cùm poſſent vernaculâ. Non quartum: nam ratum illud erat, quòd variarum nationum homines Apoſtolorum prædicationibus intereſſent, qui vernaculam & familiarem genti, apud quam prædicarent, linguam ignorarent. Ideóque non ſunt dicendi interprete propter id indiguiſſe.

Denique ſiue Apoſtolos corruptè linguam vernaculam pronunciaſſe: ſiue ſcientes volentes, cùm poſſent vernaculâ, peregrinâ vſos, ſiue propter variarum nationum homines, qui ad eorum prædicationes confluerent ſæpiùs ipſos interprete indiguiſſe contendamus, exponere tamen minimè poſſêmus quomodo Paulus verbigratiâ, Lucâ indiguerit, ſed ſuffeciſſent ipſis varij interpretes ex ipſa natione delecti: ſi enim verbi gratiâ corruptè pronuntiaſſent linguam, iſque duntaxat defectus per interpretem ſupplendus erat, non vnus aut alter huic officio eleuando idoneus, ſed plures fuiſſent. Si ipſi Apoſtoli cùm poſſent vernaculâ, peregrinâ vſi fuiſſent, nulla interpretis fuiſſet neceſſitas, nec ob id profectus Euangelij retardari debuiſſet, nam non habentes ad manum interpretem, ad vernaculam ipſi linguam debuiſſent confugere, quâ expeditè loqui poterant. Si variarum nationum homines, ad concionem ipſorum concurriſſent, qui alienigenis in aliis negotiis interpretes fuiſſent, in religionis quoque negotio interpretum loco eſſe potuiſſent. Quare probabiliùs multò eſt, imò certum fore videtur, rationem ob quam Apoſtoli indigerent interpretibus, & certis quidem interpretibus diuinitùs illuſtratis, verbi gratiâ, Petrus Lucâ, Paulus Marco, eam fuiſſe, quòd cùm diuina aliquando paterentur, profundiora nonnumquam religionis noſtræ myſteria tantâ verborum maieſtate, ac ſublimitate efferrent coram populo, & interprete non quouis, ſed eodem ſpiritu afflato, eruditionis, doctrinæ conſcio indigerent, qui habens donum interpretationis ſermonum, rudiori & imperitiori vulgo planiùs ac magis familiariter abſtruſam & remotam ab hominum captu doctrinam exponeret. Quis enim, verbi gratiâ, vel ipſas Paulinas Epiſtolas abſque interprete è populo noſſe poſſit? ponamus ergo eodem Paulum prædicantem charactere vſum quo ſcribentem, quis non viliſſimum fuiſſe interpretem fateatur? Quòd ſi diuina paſſus ea ediſſeruiſſet, quæ non licebat homini loqui, quanto magis interprete indiguiſſet? at Apoſtolos ita aliquando ſpiritu Dei plenos fuiſſe, vt à vulgo vix intelligerentur, oſtendit illud, quod Actorum ſecundo pro ebriis habiti ſint. Quòd Paulus inſanire ob multas litteras creditus à Feſto, Actorum vigeſimo ſexto: de hoc genere magnificæ, ſublimis, & à paucis intellectæ orationis ſibi & Apoſtolis familiari loquitur idem Apoſtolus, dum primæ Corinthiorum 2. ait, *Sapientiam autem loquimur inter perfectos*, & eiuſdem epiſtolæ cap. 14. *Qui loquitur linguâ, non hominibus loquitur, ſed Deo: nemo enim audit: Spiritus autem loquitur myſteria.*

Itaque ex iis omnibus colligitur donum linguarum apud Apoſtolum non tantùm ſumi poſſe pro ſcientia & peritia loquendi ſingulis linguis, verumetiam pro dono aliquo ſublimi, res diuinas ſupra hominum vulgarium captum poſitas magnifico, excelſo, atque obſcuro dicendi genere efferendi, ac proinde malè me à Cellotio reprehendi, quòd ita ego hoc donum interpretatus fuerim: quamuis non negauerim, quin etiam alio ſenſu pro dono linguarum quarumcunque, & idiomatum peregrinorum ſumi poſſet. Ita enim donum linguarum de obſcura myſteriorum diuinorum prædicatione interpretatur, vt non negem ipſum pro linguarum quoque cognitione infuſa ſumi poſſe: ſed priorem ſignificationem alteri prætuli in explicatione rationis quâ donum linguarum ad hierarchiam pertineret, quatenus ſcilicet ordini vel iuriſdictioni adnexum erat: quamuis & illud ipſum donum in poſteriori ſignificatione ſimili ratione ad hierarchiam reuocari poſſet.

Huic autem expoſitioni noſtræ, quam nouam queritur Cellotius, præter eminentiſſimum Cardinalem Baronium, alióſque recentiores fauet Diuus Auguſtinus lib. 12. de Geneſi ad litteram cap. 8. qui linguæ donum, obſcurum loquendi genus interpretatur, *Cùm ergo*, inquit, *lingua intelligatur hoc loco dicere obſcuras, & myſticas ſignificationes, à quibus ſi intellectum mentis remoueas, nemo ædificatur, audiendo quod non intelligit.* &c. Et paulò poſt, *Tranſlato verbo linguam appellauit quamlibet ſignorum prolationem, priuſquam intelligantur.* Quam interpretationem amplectuntur Beda & Gloſſa ordinaria, nec reiicit Hugo Cardinalis, ſecundum quam ait ſanctus Thomas lectione prima in caput decimumquartum citatum, *quòd omnis locutio non intellecta, nec explanata, quæcumque ſit illa; eſt propriè loqui linguâ.* Quare nec noua eſt, nec improbabilis noſtra expoſitio, vt linguarum donum etiam pro obſcuriori myſteriorum fidei noſtræ expoſitione ſumatur.

§. VII.

Iniqua reprehenſio huius veritatis Catholicæ, quòd noui fidei articuli nunc non cudantur, ſed reuelati duntaxat à Chriſto & Apoſtolis, Scripturæ vel traditionis beneficio credendi ſint.

QVòd ſubiicit de Prophetiæ dono Cellotius, quaſi implicatum à nobis fuerit, ſuperiùs defenſum atque ſolutum fuit. Carpit verò modeſtiſſimus Auctor, quod dixerim ita Eccleſiam in fide diuina à Chriſto, & Apoſtolis ſtabilitam fuiſſe, vt nouâ reuelatione propheticâ non indigeat, *quia nulla noua dogmata credenda de cætero proponentur, ſed ea credenda erunt, quæ à Deo edocti, nobis ſcripto aut traditione ſanctiſſimi Apoſtoli & Euangeliſtæ reliquerint.* Hanc præſertim ſententiam arrodit, *eáque potuiſſe vti oratione Caluinum*, dicit, *ſi vocem traditionis retinuiſſem*, eò quòd nempe *explicitè nouos ab Eccleſia per vices proponi articulos, qui fide diuinâ credantur*, & à D. Thoma ſecundâ ſecundæ, quæſtione primâ, articulo ſeptimo traditum, & ex Conciliorum generalium lectione perſpicuum id eſſe videatur.

Ea ſunt, Celloti, tuæ inreprehendendæ modeſtiæ ſpecimina, ij tuæ Rhetoricæ floſculi, quibus dum me conſpurcare ſtudes, non dicam recentiores ferè omnes, ſed ſanctiſſimos Patres inficis. Nam nulla noua dogmata fidei, aut iam ab Eccleſia, aut olim cuſa eſſe, vel ab Eccleſia credi poſſe, ſed tantùm ea, quæ ab Apoſtolis vel per Scripturas ſuas, vel per traditionem non ſcriptam accepta fuerint ab Eccleſia, ſi quod nouum, circa illa emergat dubium, ſi quæ obſcuritas, declarari, elucidari, definiri poſſe, omnium eſt conſtans eſt ſententia, quam tu ipſe doces lib. 4. cap. 10. vbi propoſitionem, quæ à Conciliis vel ſummis Pontificibus definitur, *Verè reuelatam debere eſſe ſtribu, & quidem Prophetis, Apoſtolis, & Canonicorum librorum ſcriptoribus.* Nec contrarium aut Diuus Thomas, aut Conciliorum exempla demonſtrant. Probabile ſanè eſt te non legiſſe articulum diui Thomæ, quem citaſti, eo enim articulo loquitur de incremento fidei ab initio mundi ad Chriſtum: cuius tempore certum eſt Eccleſiam nouas reuelationes ſuſcepiſſe, iuxta illud epiſtolæ Epheſiorum tertio, quod *aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius.* Nos verò loquimur de Eccleſia à tempore Euangelicæ legis, per Chriſtum & Apoſtolos promulgatæ: à quo tempore incrementum fidei, per nouas reuelationes, ſicut priùs admittendum, non agnoſcit ſanctus Thomas, quin immò contrarium videtur docere in reſponſione ad quartum, iis verbis: *Dicendum quòd vltima conſummatio gratiæ facta eſt per Chriſtum; vnde & tempus eius dicitur tempus plenitudinis, ad Galatas quarto. Et ideò illi qui propinquiores fuerunt Chriſto, vel ante, ſicut Ioannes Baptiſta: vel poſt, ſicut Apoſtoli, pleniùs fidei myſteria cognouerunt.* Quare idem ſanctus Doctor eadem quæſtione articulo decimo, nouam quidem editionem ſymboli fieri concedit, ſed non nouos fidei articulos proponi: verùm antiquos tantùm explicari, tum in corpore articuli, tum in reſponſione ad primum & ſecundum affirmat.

Lege quod in eamrem egregiè diſputat Andræas Colloſſenſis Epiſcopus in Concilio Florentino ſeſſ. 3. Ferrariæ habitâ. Quòd ſi antiquiores audire placet, Tertul-

Digitized by Google

lianum audies de præſcriptionibus aduerſus hæreticos, propoſitioni meæ per omnia conſentientem, ſiue dum cap. 21. *alios non eſſe recipiendos prædicatores, quam quos Chriſtus inſtituit, quia nec alius Patrem nouit, niſi Filius, & cui Filius reuelauit, nec alius videtur reuelaſſe Filius, quàm Apoſtolis, quos miſit ad prædicandum vtique quod illis reuelauit.* Siue dum ducto ab iſto loco initio plura capita implet, vt probet nihil iam reuelari, quod non Apoſtolis Chriſtus reuelauerit, quod non Apoſtoli Eccleſias ſibi commiſſas docuerint: ſiue cum expreſsè citato cap. *Eam doctrinam veritatis deputandam, id ſine dubio tenentem quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli à Chriſto, Chriſtus à Deo ſuſcepit.* Siue denique c. 25. dum ex eo quòd depoſitum cuſtodiendum Timotheo commendarit Apoſtolus, infert, *ſuboſtendi de remotiori doctrina* non recipienda, *ſed potiùs de non admittenda alia præter eam, quam audierat ab ipſo Paulo* Timotheus. Quem etiam locum Apoſtoli explicans Vincentius Lirin. cap. 26. & pluribus ſequentibus, nouitatem omnem in articulis fidei condendis reſpuit, ſolâmque antiquitatem retinendam adſtruit. Audi quàm grauiter in eam rem diſſerat cap. 27. *Depoſitum, inquit Apoſtolus, cuſtodi. Quid eſt depoſitum? id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te inuentum; quod accepiſti, non quod excogitaſti; rem non ingenij, ſed doctrinæ; non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te prolatam: in qua non auctor debes eſſe, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens.* Audi etiam quid cap. 32. adiungat: *Chriſti verò Eccleſia ſedula & cauta depoſitorum apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in his vnquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat neceſſaria, non adponit ſuperflua, non amittit ſua, non vſurpat aliena; ſed omni induſtriâ hoc vnum ſtudet, vt vetera fideliter ſapientérque tractando, ſi qua illa ſint antiquitùs informata & inchoata, accuſet & poliat: ſi quæ iam expreſſa & enucleata, conſolidet, firmet; ſi quæ iam confirmata & definita, cuſtodiat. Denique quod vnquam aliud Conciliorum decretis enisa eſt, niſi vt quod antea ſimpliciter credebatur, hoc idem poſteà diligentiùs crederetur? quod antea Lenitis prædicabatur, hoc idem poſteà inſtantiùs prædicaretur? quod anteà ſecuriùs colebatur, hoc idem poſteà ſollicitiùs excoleretur? hoc inquam, ſemper, neque quidquam præterea hæreticorum nouitatibus excitata, Conciliorum ſuorum decretis Catholica perfecit Eccleſia, niſi vt quod priùs à maioribus ſolâ traditione ſuſceperat, hoc inde poſteris etiam per Scripturæ chirographum conſignaret: magnam rerum ſummam paucis litteris comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non nouum fidei ſenſum nouæ appellationis proprietate ſignando.* Hoc cùm audieris, & attentè legeris, cauebis fortè deinceps, ne adeò temerè Caluiniani erroris hanc propoſitionem incuſes, *quòd nulla noua dogmata* à tempore Apoſtolorum *credenda proponantur, ſed ea credenda ſint, quæ à Deo edocti nobis ſcripto aut traditione ſanctiſſimi Apoſtoli & Euangeliſtæ reliquerint.*

Quàm modeſtiùs tecum agam, Celloti, quamuis enim ſciam explicitè *nouos ab Eccleſia per vices proponi articulos*, malo ſenſu dici poſſe: nec propriè nouos articulos dici debere eos, qui ab Eccleſia credendi proponuntur, vt ſuprà probauimus: ſed antiqua Eccleſiæ doctrina ſatiùs multo dicatur Eccleſiæ definitionibus confirmari, roborari, explicari: quamuis item ſciam nec per vices ab Eccleſia dici debere fidei articulos proponi; niſi viciſſitudines in Eccleſiæ, quoad fidem, decretis, & alternas, atque oppoſitas definitiones admittas, aut alterâ vice, vel alterius loco Eccleſiam iudicandi officio functam fuiſſe fatearis. Quæ omnia nemo tibi vera eſſe conſentiet: ea tamen tibi libenter errata condonabo, quia video te eò ſoci ignorationis tantùm vitio, vel elegantioris latinitatis ſtudio aduerſus Theologiam peccaſſe.

§. II.

Leuiores quædam Cellotij reprehenſiones circa textum Ambroſiaſtri refelluntur.

CÆTERA non me mouent, quæ tu adiungis, diſſimulaſſe me quod didicerim à reuerendiſſimo Epiſcopo Coeffetæo, commentarium in Epiſtolas Pauli Ambroſio tributum, leuioris eſſe auctoritatis, & malè fartò Ambroſio tribui: Deinde ſenſum eiuſdem commentarij, me ipſo teſte, accommodatitium tantum eſſe; præterea contortum quoque videri ac valdè imperfectum: nec ſententiam meam eo teſtimo-

Digitized by Google

nio valdè promoueri. Quandoquidem operibus hierarchicis ordinem vel iuriſdictionem adnectere minimè videatur, quod tamen ego intendo. Denique fluctuare me, & in poſtremo opere de ſacris ordinationibus pag. 369. affirmare allatas ab ipſo auctore interpretationes non omninò videri germanas & literales. Non me, inquam, iſta mouent, etiamſi animoſâ iſtâ concluſione perores, *Suo igitur ſcripto refutatur: ſuo explicationis violentæ tormento proditur, ſuis ipſe verbis irretitur, dum omnia ſine diſcrimine in vnius hierarchiæ quaſi faſcem illigat, quæ perſpicuâ veritate ad alteram referuntur.*

Quò magis commoueris, Celloti, eò minùs promoues: meus auctor non eſt, quem exagitas: Ambroſium eum vocaui, quo nomine à pluribus vocari ſolet: Criticum agere nolui, ſed Theologum. Plurimos alios citas, quos ſi diſputare vellem, non eorum eſſe facilè oſtenderem, quorum eos nominibus laudas: ſed tractationem ſeriam leuibus iſtis diſſertationibus interturbari nolui. Quiſquis ille ſit auctor Commentarij, quem Cardinalis Montaltus dictu poſteà Sixtus quintus, inter opera Ambroſij retulit, quem veteres editiones Ambroſio tribuunt, parum intereſt, vir ſanè antiquus eſt non ineruditus, neque inelegans, imò Commentarij iſti Sixto Senenſi à nobis ſuperiùs citato lib. 4. Bibliothecæ, *Breues quidem in verbis, ſed ſententiarum pondere graues* videntur. Huius tu ſententiam exagitas: ego qui Patribus & antiquis Scriptoribus maiorem habeo reuerentiam, eius ſententiam ita profero, vt non improbem; ita tamen veritatis amans ſum, vt alium ſenſum Pauli literalem eſſe fatear; accommodatitium tantùm quibuſdam fortè placiturum, continere aſſeram: eo verò fine profero, vt doceam illos, qui ad officia hierarchica dona iſta Paulina reuocare voluerunt, ordini Eccleſiaſtico ipſa illigata eſſe voluiſſe: ſenſus verò diſtorruſne ſit, an natiuus, perfectus, an imperfectus, non curo: neque enim omnium, quos proferimus auctorum teſtimonia accurata eſſe vel talia adpromittimus, quæ ἀκριβῶς examinata, nihil habeant, quod reprehendi poſſet: ſufficit quod inſtituto noſtro probando, vel illuſtrando conducant. Tale eſt Auctoris iſtius teſtimonium, quod ad ordines Eccleſiaſticos officia Apoſtolorum, Prophetarum, Paſtorum, Doctorumque reuocat, nec ab aliis quàm ab iis, qui ordinibus Eccleſiaſticis inſigniti ſunt, horum ex officio munia exerceri debere contendit; aliis in neceſſitate primis Eccleſiæ temporibus, quàm ordinatis conceſſa fatetur: ſed extra ordinem, neque ex officio, gradu, & ſtatu; ac proinde non fuiſſe putat iſta hierarchica. Nam & tu fateris ab aliis quàm à conſecratis, imò etiam à Paganis chariſmatum vſum haberi poſſe: ſed negas hierarchicum eſſe quod à non conſecratis nec non ex ſtatu ſit, aut ex officio publico.

Quod tu dicis de conſecratione fictitia ad vſum chariſmatum inſtituta ab ordinatione Eccleſiaſtica diſtincta: hoc ego de ipſa ordinatione dico: ſiue ea in neceſſitate quædam ſacra munia fieri poſſe, ſed ordinariè ex officio publico non fieri; imò illud etiam quod prophanum putas imbuendi litteris & lectionibus infantes ad Eccleſiæ miniſterium deſtinatos, vel ad Baptiſmum, aut alia Sacramenta præſentandos, de quibus loquitur prædictus Auctor: illud, inquam, ego ſacrum arbitror, & ſolis Clericis vt ex officio ac nomine publico exerceantur, ordinariè committi poſſe cenſeo: de aliis fortiori ratione idem iudicium fero; non poſſe iſta, niſi ordinatis, ex officio publico, nominéque Eccleſiæ publico agenda tribui: eóque duntaxat ſenſu verè hierarchica dici poſſe. Nihil in iis fluctuationis aduertis, nihil contradictionis, rectè omnia & conſtanter à me aſſerta, & prudenter allata ſunt: fidem in eo meam agnoſces, & candorem, perpetuam & immotam doctrinæ conſtantiam. Iudicium circa illud teſtimonium inuariatum: nam & veritas ſibi ſemper conſtat, *Mentitur iniquitas ſibi.*

§. IX.

Donorum Paulinorum diuerſorum explicatio ex mente ſanctorum Patrum ſubiungitur; ab hierarchia chariſmatum Cellotiana diſſentiens.

SVFFICIEBANT iſta, niſi fallor, tum ad doctrinæ noſtræ confirmationem, tum ad Cellotianæ interpretationis refutationem, ſed ne aliquid ad perfectam totius Paulini textus explicationem deeſſe queratur Cellotius, varia iſta chariſmata à ſancto Paulo prolata, quo ſenſu intelligi poſſint non tam meis, quàm ſanctorum Patrum ſententiis explicari malim.

Tertullianus lib. 5. aduerſus Marcionem cap. 8. varia dona ab Apoſtolo enumerata priori ad Corinthios epiſtolâ, cum donis Spiritus ſancti ab Eſaia cap. 11. relatis eadem eſſe cenſuit, dum ait, *Compara denique ſpecies Apoſtoli & Eſaiæ: alij, inquit, datur per ſpiritum, ſermo ſapientiæ: ſtatim & Eſaias, ſpiritum ſapientiæ poſuit: alij ſermo ſcientiæ: hic erit ſermo intelligentiæ, & conſilij: alij fides in eodem ſpiritu; hic erit ſpiritus religionis & timoris Dei: alij donum curationum, alij virtutum, hic erit valentiæ ſpiritus: alij prophetia, alij diſtinctio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio linguarum: hic erit agnitionis ſpiritus. Vides Apoſtolum & in diſtributione facienda vnius ſpiritus, & in ſpecialitate interpretanda Prophetæ conſpirantem.*

Sanctus Hilarius de Trinitate dona ſeu chariſmata à ſancto Paulo deſcripta 1. ad Corinthios 12. non vt officia Eccleſiaſtica, ſed potiùs vt Spiritus ſancti dona nulli ſpeciatim fidelium conditioni aut ſtatui adnexa explicat, dicens, *Per has igitur efficientias, manifeſtatio ſpiritus eſt, neque enim in occulto eſt ſpiritus donum, vbi ſermo ſapientiæ eſt, & verba vitæ audiuntur: vel vbi diuinæ cognitionis ſcientia eſt, ne pecudum modo per ignorationem Dei vitæ noſtræ ignoremus auctorem: vel per fidem Dei, ne non credentes Euangelio Dei, extra Euangelium Dei ſimus; vel per donum curationum, vt gratiam eius, qui hæc tribuit, infirmitatum curatione teſtemur: vel per operationem virtutum, vt quod agimus Dei eſſe virtutis intelligamus: vel per prophetiam, vt per doctrinæ intelligentiam intelligamur ex Deo eruditi: vel per diſcretionem ſpirituum, ne ignari ſimus, ſancto, an peruerſo ſpiritu quis loquatur; vel per genera linguarum ſermo donetur; vel in interpretatione linguarum, ne ignoratione fides audientium periclitetur, cùm linguam ignorantibus linguæ interpretator abſoluit.* Idem tamen Hilarius paulò pòſt eadem dona cum miniſteriis coniungit, hiſque illa ita adaptat, *Accipe quàm hæc membra miniſteriorum, membra operationum ſunt, cùm ait, Vos eſtis corpus Chriſti, & membra. Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, in quibus verbum eſt ſapientiæ: ſecundò, Prophetas, in quibus donum eſt ſcientiæ: tertiò, magiſtros, in quibus eſt doctrina fides: deinde, virtutes, in quibus ſunt curationes infirmitatum, auxiliorum poteſtates, gubernationes prophetales, & dona generum linguarum, vel loquendi, vel interpretandi: certè Eccleſiæ & miniſteria ſunt, & operationes.* Vera ſancti Hilarij doctrina hæc eadem & Eccleſiæ miniſteria, & Dei dona atque inoperationes eſſe poſſe: vt Dei pura dona, omnibus patere ac communia eſſe: vt Eccleſiæ miniſteria, nonniſi iis, qui ordinem Eccleſiaſticum habent, vel aliquâ iuriſdictione præditi ſunt. Quare paulò pòſt omnibus eadem dona communia facit, & quis inter ipſa ſit ordo, ſtatuit, *Et meritò,* inquit, *hic diuidendarum gratiarum ordo ſeruatus eſt, vt principalis eſſet ſermo ſapientiæ. Verè enim illud eſt, & nemo poteſt dicere Dominum Ieſum, niſi in Spiritu ſancto: quia niſi per hoc ſapientiæ verbum Chriſtus Dominus non poteſt intelligi: tum deinde ſequens eſſet ſermo ſcientiæ, vt quod ſapimus, ſcienter loquamur, ita vt ſapiamus ſapientiæ verbum. Tertium verò donum in fide eſſet, quia illa principalia, & ſuperiora vtilitatem doni, niſi Deus crederetur, amitterent.*

Gregorius Nazianzenus oratione 26. primùm exponit illud Apoſtoli ad Epheſios 4. *Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Paſtores & Doctores*, ſubiungit enim hæc verba, quæ tres iſtos gradus à Paulo enumeratos explicant, πρῶτον διὰ τὴν ἀλήθειαν, δεύτερον διὰ τὴν σκιάν, τρίτον διὰ τὸ μέτρον τῆς ὠφελείας καὶ τῆς ἐλλάμψεως· *Primùm propter veritatem, alterum propter vmbram, tertium propter vtilitatis & illuminationis menſuram.* Ac ſi diceret Apoſtolos ad veritatis Euangelicæ promulgationem: Prophetas ad ænigmatum & vmbrarum veteris legis

explicationem, Paſtores & Doctores ad cognitionem plebibus ſibi ſubditis, pro ſuo ſingulis modo, inſtillandam eſſe deſtinatos: ſubdit paulò pòſt aliorum donorum ex primæ ad Corinthios 12. enumerationem, cui aliqualem expoſitionem aliquando interſerit, ὁ μὲν γὰρ διὰ τοῦ πνεύματος δίδοται λόγος σοφίας καὶ θεωρίας· ἄλλῳ δὲ λόγος γνώσεως ἢ ἀποκαλύψεως· ἄλλῳ πίστις βεβαία καὶ ἀνενδοίαστος, ἄλλῳ δὲ ἐνεργήματα δυνάμεων καὶ θαυμάτων ὑψηλοτέρων, ἄλλῳ δὲ χαρίσματα ἰαμάτων ἀντιλήψεις ἤτοι παιδαγωγίαι σαρκός, γένη γλωσσῶν, ἑρμηνεῖαι γλωσσῶν, τὰ μείζω χαρίσματα καὶ τὰ δεύτερα, καὶ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως· *Alij enim per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, & ſpeculationis, alij ſermo ſcientiæ & reuelationis, alii fides certa, miniméque dubia, alii gratiæ curationum, opitulationes, hoc eſt, defenſiones & patrocinia, gubernationes, hoc eſt, carnis caſtigationes, genera linguarum, interpretationes linguarum, aliis denique præſtantiores, aliis inferiores gratiæ pro fidei nimirum ratione, & proportione.* Tota iſta diſtributio donorum, cùm pro fidei ratione ac proportione, non pro conditione aut ſtatu cuiuſquam fieri dicatur, nullatenus hierarchiam ſapit, nihilominùs quia donorum etiam iſtorum in alios communicatio quibuſdam demandatur, nec niſi hierarchicis ordinibus initiatis, atque imperandi auctoritate præditis. Ideò mox aliqua ſubdit, quæ ad hierarchicum ordinem referri poſſe videantur, dum nempe commendat, vt ordinem quiſque ſuum in Eccleſia ſeruet, alius auris ſit, alius lingua, alius diſcat, alius doceat, &c.

Explicatio autem ſpecialis donorum ſingulorum à Gregorio Nazianzeno tradita notari etiam debet, ac primò quidem, quòd ſermo ſapientiæ ſit ſpeculationis & intra animum manens, ſcientiæ verò exteriùs prodiens, atque reuelationis dictus, quòd animi θεωρίας atque contemplationem reuelet. Non contemnenda iſta diſtinctio eſt, quamuis contrariam eius interpres Elias Cretenſis tradidiſſe videatur, dum ait, *Alii ſermo ſapientiæ, vt rem ipſam intelligat, & ignorantibus eam declarare poſſit; ſermo autem ſcientiæ, ſiue cognitionis eſt ille, quem vulgus fidelium habet, nam norunt illi quidem doctrinam, ſed docere nequeunt: Etenim docet ſapientia, quæ σοφία dicitur, quaſi σαφῆ, quòd occulta declaret: ac ſapientiæ quidem ſermo eſt animo abditus, & inſitus ſermo, qualitatem quamdam nactus à ſapientia habens etiam ſermonem προφορικόν, hoc eſt, illum, qui per ſermonem effertur ſibi reſpondentem: at ſermo cognitionis eſt animo abditus per cognitionem quidem conformatus, verùm cui ſermo προφορικὸς non reſpondeat.* Quod autem gratiam curationum idem ſanctus Gregorius cum opitulationibus confundat, in eo plurimos habet ſibi aſſentientes, ſed in eo videtur ſingulariter ſentire, quòd *gubernationes* Deo, corporis caſtigationes interpretetur.

Ambroſius ſeu Ambroſiaſter Pauli interpres diuerſum à prædictis enumeratis ab Apoſtolo 1. Cor. 12. ſenſum affingit. Ita enim ipſa interpretatur, *Cuidam datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, id eſt, datur illi prudentia, non ex litteris, ſed coruſco Spiritus ſancti, vt cor habeat illuminatum, vt prudens, & diſcernat quæ vtenda ſunt, quæue ſequenda. Alii verò ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem ſpiritum, hoc eſt, vt habeat ſcientiam rerum diuinarum: alii gratia curationum in vno ſpiritu, id eſt, vt medelam tribuat infirmis vel ægris: alii fides in eodem ſpiritu. Hoc dicit, vt fidei profitendæ ac vindicandæ preſſa verecundia accipiat facultatem: alii operatio virtutum, poteſtatem dari ſignificat in eiciendis dæmonis, aut ſignis faciendis: alii prophetia, id eſt, vt repletus dicat futura: alii diſcretio ſpirituum, vt intelligat, & iudicet quod dicitur, an ſpiritus ſancti ſit, an mundani: alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Interpretari eſt, vt dicta illorum, qui linguis loquuntur, vel litteris per donum Dei fideliter interpretentur.* Porro ſingula iſta pro Eccleſiæ vtilitate, non merito ſingulorum vniuerſis, qui vnum habent Baptiſmum, vnumque ſpiritum pro Dei voluntate communicari cum Apoſtolo ſubiungit, ſatis oſtendens non cuidam Chriſtianorum conditioni, aut ſtatui chariſmatum iſtorum diffuſionem eſſe adnexam, neque proinde hierarchiæ diuerſa ex iis membra confici, vel concludi poſſe. Apoſtolici vero textus explicationem ibidem proſequens per Apoſtolos, Epiſcopos, per Prophetas, *& futura dicentes, & Scripturas reuelantes* interpretatur, quam gratiam ibidem *ordinis cauſa dari non proprii meriti*, exemplo Caiphæ demonſtrat; chariſmata proinde ab ordine quidem diſtincta, ſed ordini ſæpè concedi ſatis apertè ſignificans, per Doctores illos intellexit, *qui in Eccleſia literis, & traditionibus retinendis pueros imbuebant more Synagogæ, quia traditio illorum ad nos tranſitum fecit.* Hos Catechiſtas, & Doctores audientium dicere poteris, de quibus ſuprà fuſè

diſſeruimus, virtutes idem Dæmonia eiicientes exponit: de cæteris nihil quod peculiarem obſeruationem mereatur, adiungit.

Ex Doctoris eiuſdem interpretatione in cap. 4. ad Epheſios, plura nos protulimus in vindiciis cenſuræ lib. 4. cap. 4 num. 24. quæ ad nauſeam in hunc locum congerere, & crambem iam coctam recoquere nolumus, hæc ſolùm notamus per Apoſtolos à Paulo eo capite Epiſcopos (ſi ei credamus) intellectos, per Prophetas *Explanatores Scripturarum, quamuis*, inquit, *inter ipſa primordia fuerint Prophetæ, ſicut Agabus, & quatuor virgines prophetantes: ſed propter rudimenta fidei commendanda: nunc autem interpretes Prophetæ dicuntur.* Euangeliſtas, Diaconos, Paſtores appellari Lectores, qui lectione ſaginent populum audientem: denique Magiſtros, vel Exorciſtas vocari, qui in Eccleſia verberent, & compeſcant inquietos: vel eos qui litteris & lectionibus infantes ſolerent imbuere, ſicut mos Iudæorum eſt.

Hieronymus in cap 12. prioris ad Corinthios, ſiue alius quiuis eius nomen mentitus, cuius Commentarij habentur tom. 8. Operum Hieronymi, dona ita breuiter interpretatur. *Ex eius mente ſermo ſapientiæ eſt ſapienter, aptè & rationabiliter loqui, & poſſe differere vel docere quod norit ſane: qui ex dono habet ſapientiæ ſine conatu loquitur & labore, & nemo illi ſicut beato Stephano præualet contraire.* Sermo ſcientiæ, *vt ſciat legis myſteria explanare, vel vt præterita nouerit, & æſtimet de futuris.* Fides, *vim, prodigia faciendi, abſque enim rem poſuit pro effectu*: Gratia curationum, *vt curet ægrotos*: operatio virtutum, *Dæmonia eiicere, vel mortuos ſuſcitare*: Prophetia, *vt futura prædicat*: diſcretio ſpirituum, *vt qualis, vel quo Spiritu veniat vel loquatur, intelligat*: genera linguarum, *eloqui poſſe ſibi myſteria.* Interpretatio ſermonum, *interpretari poſſe quæ alius loqueretur.* Deinde poſteà per Prophetas in Eccleſia poſitos, eos intelligit, *qui explanant obſcura* Prophetarum, & qui homines exhortantur, ſicut alibi dicit (id eſt, Corinthiorum 14.) *nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, exhortationem & conſolationes.* Virtutes *ſigna maiora*, opitulationes *adiutoria*: gubernationes, *qui ſciunt ſingulos prout apti ſunt gubernare.*

Item Auctor in epiſt. ad Epheſios nomina Apoſtolorum, Euangeliſtarum, Prophetarum ſatis obſcurè interpretatur; ſed præſtat audire indubitatum Hieronymum commentariorum. quos ad Paulam & Euſtochium direxit, & in tomum quintum Operum eius Marius Victorinus redegit, libro 2. in caput 4. eiuſdem epiſtolæ. Eò igitur loci ita diſſerit: *Poſuit itaque ſiue dedit Pater & Filius, primò Apoſtolos, ſecundò Prophetas, non illos qui futura vaticinentur, quales in veteri legimus Teſtamento. Sed qui infideles & imperitos arguant, atque diiudicent: tales quippe Prophetas noui Teſtamenti in alia epiſtola eſſe definit. Tertiò, Euangeliſtas, quorum ſpecioſi pedes ſunt ad annuntiandum pacem: nec verò putandum quòd ſicut in ſuperioribus tribus alios dixit eſſe Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas: ita in Paſtoribus & Magiſtris officia diuerſa poſuerit; non enim ait, Alios autem Paſtores & Magiſtros, vt qui Paſtor eſt, eſſe debeat & magiſter, nec in Eccleſiis, quamuis ſanctus ſit, Paſtoris ſibi nomen aſſumere audeat, niſi poſſit docere quos paſcit. Vel certè aliter, vt vnus atque idem Præſul Eccleſiæ ſit Paſtor & Doctor: Paſtor ouium, magiſter hominum: homines quippe & iumenta ſaluos facies, Domine. Arbitror hodie quoque in Eccleſiis, quemadmodum Prophetæ & Euangeliſta, Paſtor quoque inuenitur, & Doctor: ita poſſe & Apoſtolum reperiri, in quo Apoſtolatus ſigna, & indicia compleantur*, &c.

Chryſoſtomus ab iis explicationibus non longè diſcedit: ipſe ſiquidem homil. 29. In prioris ad Corinthios cap. 12. hanc inter ſapientiæ ſermonem, & ſcientiæ differentiam ſtatuere videtur, vt ſermo ſapientiæ ſit cum eloquendi virtute coniunctus, qualem nempe habebat Paulus, qualem habebat Ioannes. Sermo verò ſcientiæ is ſit, quem habebant multi ex fidelibus, qui ſcientiam quidem habebant, non poterant autem docere, nec facilè ea enuntiare, quæ ipſi ſciebant: fidem non dogmatum, ſed ſignorum exponendam contendit, de qua dicitur, Math. 17. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi hinc illuc, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* Operationes virtutum à donis ſanitatum, ſeu curationum ita diſtinguit, vt qui haberet donum ſanitatum, ſolùm mederetur; qui autem haberet operationem virtutum, etiam puniret, ſicut Paulus excæcauit, Act. 13. ſicut Petrus, Act. 5. interemit, Prophetas pro prædictionibus futurorum ſumit: diſcretionem ſpirituum, donum, quo pſeudopropheta Diabolo pro veritate contendente ſtatuere mendacium graſſarentur, vt neceſſum

pſeudoprophetæ, Diabolo pro veritate contendente ſtatuere mendacium, graſſarentur, vt neceſſum fuerit Apoſtolum Theſſalonicenſibus dicere, 1. Theſſal. 5. *Prophetias nolite ſpernere, omnia autem probate: quod bonum eſt tenete.* Genera linguarum ab interpretatione ſermonum diſcriminat, quòd qui prius donum haberet, ſciret quid ipſe diceret, alteri autem non poſſet interpretari: qui autem poſterius vtraque poſſideret, vel eorum alterum. Homiliâ verò trigeſimâ ſecundâ, Apoſtolos ait eos eſſe, qui omnia dona haberent; Prophetas, tum eos qui futura prædicerent, vt Agabus & filiæ Philippi: tum qui in Eccleſiaſtico conſeſſu ex ſpiritu diſſererent, de quibus dicit idem 1. Cor. 14. *Prophetæ autem duo aut tres loquantur.* Doctores quorum à Prophetis ea ſit differentia, vt Prophetæ ex ſpiritu omnia loquantur, Doctores ex ſua nonnunquam intelligentia: hi in verbo & doctrina laborarent; illi ſine labore, Deo dictante, loquerentur: in his labor eſſet humanus, in illis totum donum eſſet gratuitum. Poſteà virtutes & curationes, vt ſuprà diſcriminat: opitulationes & gubernationes in pauperibus ſuſcipiendis conſtituit: circa quam explicationem quæſtionem mouet, ſitne illud donum gratuitum, cui quæſtioni duplici reſponſione ſatisfacit: nempe & donum gratuitum eſſe præeſſe, ac curam gerere, & res adminiſtrare ſpirituales: & multa ex iis quæ à nobis rectè & ex virtute fiunt, appellari à Paulo dona gratuita.

Idem verò ſanctus Doctor homil 11. in epiſt. ad Epheſ. Apoſtolos interpretatur, in quibus erant omnia: Prophetas, prophetantes, & perſuadentes, vt Agabum: Euangelizantes, vel qui Euangelium ſcripſerant, vel qui per varias orbis partes illud diſſeminabant: Paſtores & Doctores, qui vni loco addicti, in regendis & docendis fidelibus occupabantur. Græci Chryſoſtomum ferè ad verbum ſecuti ſunt, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Euthymius, quorum aliqui, vt Theophylactus, per Euangeliſtas eos ſolùm qui Euangelium conſcripſerant, intelligunt.

Paulinus epiſt. ad Auguſtinum inter ipſius epiſtolas quadrageſimâ primâ, inter eas quæ ſunt Auguſtini, quinquageſimâ octauâ, quæſtionem proponit circa ſententiam Apoſtoli ad Epheſ. citatam, in qua Apoſtolorum, Prophetarum, Euangeliſtarum, Paſtorum & Doctorum diuerſi gradus numerantur: rationem autem dubitandi, ſuámque ipſe mentem iis verbis exponit. *Hoc opto, diſtinguas mihi in hac diuerſitate nominum, quæ ſit cuique nomini officiorum vel gratiarum proprietas; quid proprium ſit Apoſtolorum, quid Prophetarum, quid Euangeliſtarum, quid Paſtorum, quidue Doctorum: in omnibus enim his diuerſis nominibus ſimile & prope vnum doctrinæ officium video fuiſſe tractatum. Hos autem Prophetas quos poſt Apoſtolos poſuit, non puto illos eſſe, qui ordine temporum ante Apoſtolos fuerunt: ſed illos quibus iam ſub Apoſtolis per gratiam donabatur, aut interpretatio Scripturarum, & inſpectio mentium; aut prædictio temporis futuri, vt Agabus cernebat, qui famem inſtantem prædixit, & quæ beatus Paulus in Hieroſolymis paſſurus eſſet, & verbo denuntiauit; & ſigno zonæ eius oſtendit. Inter Paſtores ſpecialiter & Doctores quid interſit dignoſcere volo: quia præpoſitis Eccleſiæ vtrumque nomen adſcribi ſolet.*

Cui quæſtioni ſequenti epiſt. 59. reſpondens Auguſtinus, *De Prophetis*, inquit, *quod ait Apoſtolus: quoſdam quidem dedit Deus in Eccleſia Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas: hoc ita intelligo, quod ipſe ſcripſiſti, Prophetas eos dictos iſto loco; ex quibus Agabus erat, non illos qui venturum in carne Dominum prophetauerunt: Euangeliſtas verò inuenimus, quos Apoſtolos fuiſſe non legimus, ſicut Lucas & Marcus. Paſtores autem & Doctores, quos maximè vt diſcernerem voluiſti, eoſdem puto eſſe, ſicut & tibi viſum eſt, vt non alios Paſtores, alios Doctores intelligamus*, &c. Eadem verba exſcribit Beda Commentariis in c. 4. ad Epheſios, qui etiam prædictorum donorum ex Auguſtino, aliis in locis diuerſas aliquas explicationes adducit.

Sed circa ſancti Paulini interpretationem obſeruo, quod ad noſtrum ſcopum magis faciat, ſanctum iſtum Patrem nominum iſtorum diſtinctionem non potiùs ratione officij attendiſſe, quàm doni; actus duntaxat ipſos ſpectaſſe, ſiue ex officio fierent, ſiue ex dono ſolùm: *Nam officiorum vel gratiarum proprietates* iis nominibus ſignificatas agnoſcit, non putans ſcilicet Apoſtolum diſtinctionem hierarchiarum, qui non eſt abſque diſtinctione officiorum, deſcribere hîc voluiſſe, ſed vel officiorum, vel donorum atque chariſmatum, quorum aliqua etiam cuiuis laico communia eſſe poſſent, habuiſſe duntaxat rationem.

Primaſius breuiter hæc dona perſtringit: in ſolis ſapientiæ, & ſcientiæ donis di-

Digitized by Google

ſtinguendis fuſiùs verſatur: Nam vbi ex Auguſtino lib. 1. contra Academicos capitibus ſexto & ſeptimo aliqua circa definitionem ſapientiæ dixit, mox iſtam habet ſcientiæ & ſapientiæ diſtinctionem. *Scientia eſt myſteriorum legis, & ſcire præterita, & de futuris æſtimare: ſapientia mihi videtur eſſe rerum humanarum & diuinarum, quæ ad beatam vitam pertineant, non ſcientia ſolùm, ſed etiam diligens inquiſitio. Quam deſcriptionem ſi partiri velis, prima pars, quæ ſcientiam tenet, Dei eſt: hæc autem quæ inquiſitione contenta eſt, eſt hominis. Illâ igitur Deus, hâc homo beatus eſt: ſapientia poteſt intelligi diuina noſſe: ſcientia autem humana, vel hiſtoriam recolere, & præterita benè narrare: item aliter ſapientia pertinet ad intellectum æternorum, ſcientia verò ad ea quæ ſenſibus corporis experimur: talis ſapientia ad beatam vitam pertinet.* Cætera breuiter perſtringit: fidem pro prodigiis poſitam, cauſam pro effectu, operationem virtutum, *Mortuos ſuſcitare, leproſos mundare:* prophetiam, *futura prædicere, vel obſcura diſſerere.* cætera eodem cum aliis ſenſu. Pergit poſteà Prophetas nouæ legis ipſos interpretari Doctores, qui *explanant obſcura Prophetarum, & qui hominibus loquantur conſolationes*: virtutes *maiora ſigna*, opitulationes *adiutoria*, gubernationes *qui ſciunt ſingulos gubernare.* In epiſtolam verò ad Epheſios Apoſtolorum nomen & Prophetarum vix explicat, niſi quod de Prophetis noui Teſtamenti ſermonem eſſe teſtatur: Euangeliſtas autem inſinuat eos dici, qui Euangelium annuntiarent, iis enim adcenſet Philippum vnum ex ſeptem Diaconis, Paſtores ait eſſe, *Sacerdotes*, Doctores *omnes quicumque ſunt idonei ad alios inſtruendos.*

Sedulius in cap. 12. citatum vix ab eo diſſentit, niſi quòd ſermonem ſapientiæ reſtringit *ad intellectum æternorum*: Scientiam *ad eorum quæ ſenſibus exprimuntur.* Gratiam curationum, ad ægrorum curationem; virtutum, ad eiectionem Dæmonum, & mortuorum ſuſcitationem, & interpretationem ſermonum clariùs quàm cæteri dicit eſſe, *vel ex alia in aliam linguam, vel difficilium ſermonum explicationem*: Paulò pòſt autem virtutes *facientes maiora ſigna*, vt mortuos ſuſcitantes, gratias curationum minora, vt *leproſos mundantes* exponit, opitulationes, eleemoſynas in pauperes, gubernationes Eccleſiarum Dei diſertiùs interpretatur.

Circa epiſtolam verò ad Epheſios hoc tantùm adnotat: primùm, *non dixiſſe Apoſtolum alios Paſtores, & alios Doctores: ſed alios Paſtores & Doctores, vt qui Paſtor eſt, debeat eſſe Doctor.* Alterum, omnem Apoſtolum Euangeliſtam eſſe, non omnem Euangeliſtam Apoſtolum.

Hactenus antiqui interpretes à nobis plurimi laudati ſunt, quorum nullus in iſta enumeratione, quam facit ſanctus Paulus, hierarchicum Eccleſiæ ordinem obſeruauit. Quidam ætate poſteriores hunc Eccleſiæ ordinem, non quidem in prioribus Apoſtoli verbis capitis citati primæ ad Corinthios, quibus varia chariſmata enumerat, ſed vel in poſterioribus eiuſdem capitis, vel in capite quarto ad Epheſios aduerterunt, quibus nimirum plurima Eccleſiæ membra recenſentur, chariſmatũ & officiorum (vt aiunt) varietate diſtincta. Quia enim officiis iſtis ordo atque iuriſdictio Eccleſiaſtica ſolent eſſe coniuncta, ideo quæ ratione ordinis ac iuriſdictionis Hierarchiæ Eccleſiaſticæ inſeruntur, Hæc ratione chariſmatam atque officiorum diuerſorum accidentariò diuerſa Eccleſiaſticæ hierarchiæ membra efficiuntur. Eodem modò quo animalium in alba & nigra, magna & parua, ferocia & domeſtica, hominum in bonos & malos, doctos & ignaros, nobiles & ignobiles accidentaria diuiſio tradi poteſt.

Ita ergo ſanctus Anſelmus qui ſapientiam vocat myſteriorum intelligentiam per gratiam acceptam, ſcientiam per doctrinam, qui fidem, conſtanriam fidei interpretatur, qui gratiam ſanitatum ad ægros ſanandos, operationem virtutum ad expellendos dæmonas, diſcretionem ſpirituum ad diſcernendum bonos à malis, genera linguarum ad loquendum multis linguis interpretationem ſermonum ad obſcura vna lingua enucleanda valere ſcripſit: In quibus omnibus donis nihil præter cœleſte donum, non officium, non conſecrationem ſpectauit, qui Eccleſiæ membra diſtinguens indiſcriminatim Hierarchiæ membra, cum non Hierarchicis confundit: Nam verbi gratia hierarchica apud eum membra ſunt Apoſtoli, opitulationes, quos maioribus Prælatis verbi gratia Archidiaconos ſubſeruientes dixit, gubernationes, quo nomine minores Prælatos nuncupari dixit. Hierarchica vero non ſunt, nec dici poſſunt, etiam Cellotio iudice, Prophetæ futura prædicentes, virtutes fortia miracula facientes, gratiæ curationum per orationem infirmos curantes; Genera linguarum, ſcientiam loquendi variis linguis per Dei donum conſecuti.

Digitized by Google

cuti. Quis enim dicat eorum omnium aliquem ſtatum, conſecrationem aliquam, vel certum aliquem perſonarum ad iſta dona deſtinatarum ab Eccleſia ordinem eſſe? quæ tamen ad hierarchiam requirit Cellotius. Ille tamen Anſelmus cap. 4. ad Epheſios hierarchicorum ordinum ſeu *regentium*, ad eruditionem deſtinatorum nobis ordines ab Apoſtolo exponi contendit. *Dedit*, inquit, *ipſe nobis* (Chriſtus) *ad eruditionem quatuor* regentium *ordines, ſcilicet quoſdam quidem eſſe Apoſtolos, ſicut Petrum, & Andream, cateróſque tales, qui ordinibus aliis maiores erant, habentes officium prædicationis, & per ſe tradentes aliis: quorum nunc locum Apoſtolicum, & Primates & Archiepiſcopi tenent in Eccleſia. Quoſdam autem dedit eſſe Prophetas, qui ventura prædicerent etiam ſub nouo Teſtamento, ſicut Agabus ſibique ſimiles: quorum nunc locum tenent, qui Scripturas interpretando, prænuntiant per eas cæteris futura iuſtorum gaudia, malorúmque ſupplicia.* Hos ego hierarchicos voco, quia regentes ſuprà dicuntur, & cum auctoritate prædicantes intelliguntur.) *Alios verò dedit Euangeliſtas, ſicut Lucam & cæteros, qui Euangelium ad poſteros ſcriptum tranſmiſerunt. Vel etiam qui Euangelium prædicabant, & officium miniſtrandi pauperibus habebant, vt ſeptem Diaconos ſub Apoſtolis. Vtrumque enim victum præbebant, & Spiritualem & corporalem: ſimiliter adhuc deberent agere omnes Diaconi. Inde eſt quod hodie in Miſſa legunt Euangelium. Alios autem dedit Paſtores & Doctores, ſicut Epiſcopos vel Presbyteros. Paſtores enim & Doctores vnum* regentium *ordinem intelligimus, quia gregem Dei ipſe veraciter paſcit, qui docet, & ideò non dicitur diſtinctè: alios autem Paſtores, alios verò Doctores: ſed dicitur coniunctim, vt intelligerent ſuum officium eſſe ſuam doctrinam. Vnde per Prophetam* (Ieremiam capite tertio) *Deus promiſit: Dabo vobis Paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ. Si quid tamen differentiæ in his duobus eſſe poteſt, Paſtores dici videntur reſpectu ouium, id eſt, ſimplicium & hebetum: Doctores autem reſpectu eorum, qui iam ſunt eruditi, & rationabiliter intelligere cœperunt.*

Sanctus verò Thomas aliam capitis duodecimi prioris ad Corinthios exponendi rationem init lectione ſecundâ in iſtud caput: cùm enim Apoſtolus chariſmata, latè ſumpto nomine chariſmatis, diuiſerit in ea quæ ſolùm ſunt gratiæ gratis datæ, nihílque ampliùs: in ea quæ inſuper ſunt miniſteria Eccleſiaſtica, & iſta quæ operationum habent rationem. Totum iſtud caput diuidit in duas partes, in quarum prima diſſeruerit S. Paulus de gratiis gratis datis, cum quibus operationes confuderit: in ſecunda de miniſteriis: ac quidem priori parte vult ſanctum Paulum primò in ſpecie gratias iſtas proſecutum fuiſſe: ſecundò, ſimilitudine membrorum corporis humani adumbraſſe.

Circa primum ſtatim notat ſermonem de chariſmatis Apoſtolum à ſubiecti definitione auſpicatum fuiſſe, dum dixit, *Vnicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem.* Quibus verbis nemini non aliquod chariſma conceſſum fuiſſe ex Apoſtolo demonſtrat: quod & confirmat ex iis verbis Matthæi decimo quinto, *Dedit vnicuique ſecundum propriam virtutem*, & ad Epheſios quarto: *Vnicuique noſtrûm data eſt gratia.* Quæ prima obſeruatio deſtruit poſitionem Cellotianam: Quod ſcilicet certi hominum ſtatus ab Apoſtolo ibi deſcribantur, qui ad habenda chariſmata conſecrentur, & ab Eccleſia deſignentur: atque adeò in hierarchia collocentur. Nam nullum certum genus perſonarum chariſmatum ſubiectum ab Apoſtolo ſtatui aut ſpectari: ſed chariſmata deſcribi, prout vnicuique Chriſtiano conueniunt, ex prædicta obſeruatione diſcimus.

Notat ſecundò ab Apoſtolo manifeſtationem ſpiritus, gratiarum gratis datarum conditionem ſtatui, in quo officium gratiæ gratis datæ, eiúſque à gratia gratum faciente diſtinctionem ab Apoſtolo traditam obſeruat. *Nam*, inquit, *pertinet ad gratiam gratum facientem, quòd per eam Spiritus ſanctus inhabitet: quod quidem non pertinet ad gratiam gratis datam: ſed ſolùm vt per eam Spiritus ſanctus manifeſtetur, ſicut interior motus cordis per vocem: vnde Ioannis tertio dicitur, Vocem eius audis, & in Pſalmis dicitur, Notum fecit Dominus ſalutare ſuum.*

Addit tertiò, quòd ad vtilitatem communem gratiæ gratis datæ referri debeant: quod aliis duobus teſtimoniis Apoſtoli eadem epiſtolâ confirmat, capite ſcilicet decimo quarto, *Ad ædificationem Eccleſiæ quærite vt abundetis.* & capite decimo, *Non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.* Quæ

duæ conditiones alia Cellotiana theoremata deſtruunt, quæ habentur libri octaui capite ſexto: primum *ſummam hierarchiæ* (charismatum) *vim & virtutem in patiendo potiùs, quàm agendo conſiſtere.* Alterum, *inoperationes interiùs totas perfici*: Tertium, *non ex eo quod accipiunt à Deo in Hierarchia* chariſmatum aliquos collocari.

Nam è contrà docet Paulus, nonniſi ad manifeſtationem ſpiritus, & ad aliorum communem vtilitatem per ſe primò chariſmata, de quibus loquitur, referri: atque adeò non cogitauit Paulus hierarchiam Cellotianam, in qua aliquis potiùs conſtitueretur, ex eo quòd dona Dei in vſum ſuum ſuſciperet, non in aliorum vtilitatem, interiúſque ea foueret, non exteriùs proderet.

Gratiarum diſtinctionem colligit ſanctus Thomas ex eo principio, quod ab Apoſtolo ſtatutum eſt, gratias gratis datas dari ad vtilitatem communem, *Et ideò*, inquit, *oportet earum diſtinctionem accipere, ſecundum quod per vnum poteſt aliorum ſalus procurari. Quod quidem homo non poteſt facere interiùs operando, hoc enim ſolius Dei eſt: ſed ſolùm exteriùs perſuadendo. Ad quod quidem tria requiruntur, primò quidem facultas perſuadendi. Secundò facultas perſuaſionem confirmandi. Tertiò, perſuaſionem intelligibiliter proponendi. Ad facultatem autem perſuadendi requiritur quòd homo habeat peritiam concluſionum, & certitudinem principiorum circa ea, in quibus debemus perſuadere. Concluſiones autem in his quæ pertinent ad ſalutem, quædam ſunt principales, id eſt, res diuinæ; & ad hoc pertinet ſapientia, quæ eſt cognitio diuinarum rerum, vt Auguſtinus dicit decimo tertio de Trinitate*, &c. *Secundariæ concluſiones ſunt, quæ pertinent ad notitiam creaturarum, quarum cognitio dicitur ſcientia, ſecundum Auguſtinum ibidem*, &c. *Eſt tamen notandum quòd ſapientia inter ſeptem dona Spiritus ſancti computatur, ſicut habetur Eſaiæ vndecimo. Vnde Apoſtolus ſignanter inter gratias gratis datas non ponit ſapientiam & ſcientiam, ſed ſermonem ſapientiæ & ſcientiæ, ad hoc vt homo aliis perſuadere valeat per ſermonem, quæ ſapientiæ ſunt & ſcientiæ. Principia autem doctrinæ ſalutis ſunt articuli fidei*, &c. *Non autem hîc accipitur pro fidei virtute, quia hoc commune eſt omnibus membris Chriſti*, &c. *Sed pro ſermone fidei, prout ſcilicet homo poteſt rectè proponere ea quæ fidei ſunt, vel pro certitudine fidei, quam aliis habet excellenter, ſecundum illud Matthæi decimo quinto, Mulier, magna eſt fides tua. Ea verò quæ pertinent ad ſalutarem doctrinam, non poſſunt confirmari, ſeu probari ratione, quia rationem humanam excedunt, ſecundum illud Eccleſiaſtici tertio, Plurima ſupra ſenſum hominis oſtenſa ſunt. Et ideò oportet quòd confirmentur, ſeu prodantur ſigno diuino*, &c. *Signum autem Dei ſumitur vno quidem modo, ab eo quòd ſolus Deus facere poteſt, ſicut ſunt miracula, quæ Apoſtolus hîc in duo diſtinguit. Nam primò dicit, Alij datur gratia ſanitatum*, &c. *Ex his enim perſuadetur aliquis non ſolùm propter magnitudinem facti, ſed etiam propter beneficium. Secundò autem dicit, Alij datur operatio virtutum: ex quibus aliquis perſuadetur ſolùm propter magnitudinem facti*, &c. *Alio autem modo accipitur ſignum diuinum ab eo quòd ſolus Deus cognoſcere poteſt. Hoc autem eſt vel futurum contingens, ſecundum illud Iſaiæ quadrageſimo primo, Annuntiate quæ ventura ſunt, & ſciemus quia Dij eſtis vos. Et quantum ad hoc dicit: Alij datur prophetia. Aliud autem eſt cognitio humani cordis, ſecundum illud Hieremiæ decimo ſeptimo, Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda & probans renes. Et quantum ad hoc ſubdit, Alij diſcretio ſpirituum*, &c. *Facultas autem perſuaſionem pronuntiandi conſiſtit in hoc quòd homo poſſit loqui intelligibiliter aliis. Quod quidem impeditur dupliciter, vno modo per diuerſitatem idiomatum, contrà quod remedium adhibetur per hoc quod dicit, Alij datur gratia linguarum*, &c. *Alio modo per obſcuritatem Scripturæ inducendæ, contra quod remedium datur per id quod ſubditur, Alij interpretatio ſermonum, id eſt, difficilium Scripturarum*, &c. Quâ diuiſione diuus Thomas omnes chariſmatum & inoperationum ſtrictè ſumptarum ab Apoſtolo traditas ſpecies complectitur, nullámque in iis hierarchiam conſtitutam cenſet.

At lectione tertiâ in finem capitis adiungit miniſteria Eccleſiaſtica, quæ ab ordinibus hierarchicis diuerſa ſtatui non poſſunt, explicari ab Apoſtolo: eiuſque mentem ita deſcribit. *Primò ponit maiores ſeu principales adminiſtrationes.*

Secundò, miniſtrationes ſecundarias, &c. Maiores miniſtrationes ſunt Apoſtoli, ad quorum officium tria pertinent: Quorum primum eſt auctoritas gubernandi fidelem populum, quod propriè pertinet ad officium Apoſtolatus: Secundò facultas docendi: Tertiò poteſtas miracula faciendi ad confirmationem doctrinæ, & de his tribus habetur Lucæ nono, vbi dicitur: Conuocatis Ieſus duodecim Apoſtolis, dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarent, & miſit illos prædicare regnum Dei. In omnibus autem poteſtatibus, ſeu virtutibus ordinatis, illud quod eſt principale reſeruatur ſupremæ poteſtati, alia verò etiam inferioribus communicantur. Poteſtas autem faciendi miracula ordinatur ad doctrinam, ſicut ad fidem, ſecundum illud Mathæi vltimo: ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Doctrina autem ordinatur ad gubernationem populi, ſicut ad finem, ſecundum illud Hieremiæ tertio, Dabo vobis Paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos in ſcientia & doctrina. Et ideò primus gradus inter Eccleſiaſtica miniſteria eſt Apoſtolorum, quibus ſpecialiter competit Eccleſiæ regimen. Et quamuis ad Apoſtolos præcipuè pertineat doctrinæ officium, quibus dictum eſt Mathæi vltimo, Euntes docete omnes Gentes, tamen alij in communionem huius officij aſſumuntur, quorum quidam per ſeipſos reuelationes à Deo accipiunt, qui dicuntur Prophetæ. Quidam verò de his, quæ ſunt aliis reuelata, populum inſtruunt, qui dicuntur Doctores, &c. Similiter & gratia miraculorum fuit aliis communicata, quæ primitùs data fuit Apoſtolis: vnde ſubdit, Deinde virtutes, id eſt, qui miracula faciunt circa ipſa elementa mundi, &c. Quantum ad miracula, quæ fiunt in corporibus humanis, exinde gratias curationum, &c. Deinde cùm dicit opitulationes, &c. ponit minores ſiue ſecundarias adminiſtrationes, quarum quædam ordinantur ad regimen Eccleſiæ, & ad Apoſtolatus dignitatem pertinere diximus: quædam verò ad doctrinam. Ad regimen Eccleſiæ pertinent in generali, quædam opitulationes: id eſt, illi qui opem ferunt maioribus Eccleſiæ Prælatis in vniuerſali regimine, ſicut Archidiaconi Epiſcopis, &c. In ſpeciali autem ponit gubernationes, ſicut ſunt Parochiales ſacerdotes, quibus committitur gubernatio aliquarum particularium plebium, &c. Ad doctrinam autem pertinet ſecundariò quod ſubdit linguarum genera, quantum ad illos, qui variis linguis loquuntur magnalia, vt dicitur Actorum ſecundo, ne ſcilicet propter varietatem idiomatum Euangelica doctrina impediatur: Quantum verò ad amouendum impedimentum doctrinæ, quod poſſet prouenire ex obſcuritate ſermonum, ſubdit interpretationem ſermonum, &c.

Quam doctrinam ſi Cellotius ſequi voluiſſet, nequaquam in chariſmatis, aut ex chariſmatis præciſè hierarchiam aliquam ab aliis diuerſam toto ſuo libro ſtatuiſſet: Neque iuriſdictionis & imperij expertibus Paulum Eccleſiaſticum miniſterium, gradúmque hierarchicum aſſignaſſe contendiſſet: ſed miniſteria Eccleſiaſtica circa doctrinam ad gubernationem referri debere cum diuo Thoma faſſus fuiſſet, vt officia miniſteriáque Eccleſiaſtica propriè dici poſſent: quæ doctrina eadem omninò eſt, cum ea, quam à nobis traditam leuitatis, obſcuritatis, & falſitatis accuſat Cellotius.

Eamdem ferè doctrinam tradidit ſanctus Thomas lectione quartâ in cap. quartum ad Epheſios, præterquam quod prophetarum explicationem diuerſam amplectitur. Nam Apoſtolos ibi, tanquam omnibus donis cumulatiſſimè inſtructos, præſertim dono gratiæ ſeu ſapientiæ ad reuelationem diuinorum myſteriorum, dono eloquentiæ ad annuntiandum Euangelium, & auctoritatis prærogatiuâ atque poteſtatis ad curam Dominici gregis, priori loco numeratos ait: Iis *tres gradus Eccleſiaſticos ſecundum participationem ſingulorum præmiſſorum* ſubiunctos ait: Prophetas, qui prænuntiatores fuerunt Incarnationis Chriſti, reuelationis ac ſapientiæ gratiâ inſigniter ornatos; Euangeliſtas, ſiue annunciandi, ſiue conſcribendi Euangelij gratiâ donatos: & Paſtores, quia Doctores ſunt, curam Dominici gregis habentes.

Vnicum iis adiungam Hugonem Cardinalem, qui in cap. 12. prioris ad Cor. vix à prædictis in interpretatione chariſmatum diſſentit, præterquam quod breui epilogo concludit nouem illa à S. Paulo enumerari: tria quæ pertineant ad cognitionem, ſcilicet, ſermonem ſapientiæ, ſermonē ſcientiæ, & fidem: Duo ad pietatem, putà gratiam ſanitatum & operationem virtutum: Duo ad cautelam, prophetiam ſeu præuiſionem

futurorum, & diſcretionem ſpirituum: Duo ad doctrinam aliorum, genera linguarum, & interpretationem ſermonum. In quibus omnibus nullum agnoſcit hierarchicum ordinem, aut hierarchiæ deſcriptionem: in poſterioribus verò Apoſtoli verbis diuerſa Eccleſiæ officia agnoſcit, eáque magis appoſitè ad mentem Cellotij, quàm vllus alius, quamuis ab huius ſententia toto cælo diſcedat. Nam per Apoſtolos dignitate cæteris priores, Theologos vult intelligi; per Doctores, vel eos, qui præcepta dant benè viuendi, vel eos ſecundum Gloſſam, qui pueros imbuunt, ac proinde artium vel legum Profeſſores: per virtutes, eos qui miracula faciunt, ſeu Prædicatores, de quibus Marci vltimo dicitur, *Linguis loquentur nouis.* Per gratias curationum, Confeſſores, de quibus Eccleſiaſtici decimo, *curatio ceſſare faciet peccata maxima*; per opitulationes, Archidiaconos; per gubernationes, Conſiliarios ſeu Preſbyteros; per genera linguarum, interpretes & Aduocatos.

Applaudet, niſi fallor, iſtis Cellotius, & in ſuas partes tantum Cardinalem, vt minimè renitentem vocabit: nec dubito certam ſibi in ſequentibus verbis victoriam ſpondebit: *Hic tacet Apoſtolus Euangeliſtas, quos ſi addas, habes nouem ordines in Eccleſia militante, ſicut ſunt nouem ordines Angelorum in Eccleſia triumphante: Et factum eſt ſicut præcepit Dominus Moyſi, inſpice, & fac ſecundum exemplar quod tibi in monte monſtratum eſt*, &c. Nec dubito, quin hierarchiæ terreſtris nouem ordines, cæleſtis hierarchiæ tanquam prototypi nouem ordinibus reſpondentes Hugonis Cardinalis teſtimonio probaturus ſit; & qui anteà huius excogitatæ hierarchiæ ſibi laudem expoſcebat, contentus erit eam alteri cedere, vt ab infamia ſe præſtet immunem. Atenim iterùm dico in ea Hugonis & Cellotij cauſam eſſe diſparem: nam dogmatica Cellotij ſententia eſt, Hugonis allegorica explicatio. Cellotius in chariſmatibus hierarchiam ſtatuit: Hugo in Eccleſiaſticis miniſteriis: ordinem ille & iuriſdictionem ab hierarchia ſua ablegat; hic admittit, cùm nec ſine illis officia Eccleſiaſtica legitimè exerceri poſſe cenſeat: & quidem quòd Cardinalis ratione officiorum accidentario diuerſorum, perſonas hierarchicas ordine vel iuriſdictione præditas tanquam in diuerſos ordines diſtribui dicat, ad formam cæleſtis hierarchiæ (in qua diſtributionem ordinum eſſentialem eſſe non omnes fatentur, ſed aliqui accidentalem putant) hoc noſtræ, id eſt, Catholicæ ſententiæ, ne leuiter quidem præiudicat. Quod autem Ieſuita officia & miniſteria in ſola regulari profeſſione ac conſecratione Monaſticâ fundat, & hierarchiam ex ſolis chariſmatibus, etiam ſecluſo miniſterio Eccleſiaſtico, prout illa nobis à Deo infuſa ſunt, exurgentem, in quam perſonæ, quibus nec ordo ſacer, nec iuriſdictio Eccleſiaſtica debita ſint, intruduntur; hoc vtique eſt, quod totius Eccleſiæ ordinem, hierarchiæ notionem, Clericorum & Paſtorum Eccleſiæ prærogatiuam conuellit.

Nihil addam ex commentariis eiuſdem Hugonis in caput 4. ad Epheſios: miniſtros enim Eccleſiæ diuerſos enumerari tradit, quorum officia eodem quo cæteri ſenſu exponit, eóſque miniſtris veteris teſtamenti comparat, ac proinde ab ordine Eccleſiaſtico alienos non putat, qui ſcilicet ordini Leuitico ſucceſſit. Plura addere poſſem, niſi nimiâ prolixitate faſtidioſus eſſe vererer. Vnum ex iis explicationibus ſolum eruo: nempe cùm pateat, S. Paulum iis duobus locis Prophetas dici intellexiſſe, vel qui futura prædicerent, vel qui Scripturas interpretarentur, cui etiam interpretationi adhæret Cellotius, malè ipſum libri tertij capite ſecundo tanquam Paulo contrarium accuſaſſe me, quòd negarem in nouâ lege, ſtatu & officio publico Prophetas eſſe neceſſarios, qui futura prædicant: ſed ſolùm qui Scripturas, & fidei myſteria interpretentur. Primò enim, qui huius nominis Prophetæ duplicem interpretationem tradunt, ſeligendi mihi quam voluero optionem tribuunt: ac proinde iure meo poſſem negare verba Pauli de Prophetis, qui futura prædicerent intelligenda, & de ſolis ſacræ Scripturæ interpretibus exponenda affirmare: quam interpretationem confirmat ſanctus Gregorius Paſtoralis curæ parte ſecundâ, capite quarto, dum ait, *Prophetæ quippe in ſacro eloquio nonnunquam Doctores vocantur, qui cum fugitiua eſſe præſentia indicant, quæ ſunt futura manifeſtant.* Confirmat Vincentius Lirin. qui cap 4. commonitorii, *Doctores, inquit, qui tractatores nunc appellantur, quos hic idem Apoſtolus etiam Prophetas interdum nuncupat, eò quòd per eos Prophetarum myſteria populis aperian-*

tur. Confirmat Auctor quiſquis eſt ſanè antiquus, homiliâ in Dominicam tertiam Aduentus inter Euſebianas, dum ait, *Propheta enim dicitur eo quòd prophetat, & prophetias exponit.* Confirmat Origenes in caput duodecimum ad Romanos expreſſiùs cæteris, docens prophetiam, de qua loquitur Apoſtolus, aliquid humani laboris admixtum habere, aliàs Paulum non dicturum, *Aemulamini chariſmata meliora, magis autem vt prophetetis. Vnde*, inquit, *prophetia intelligenda eſt hæc, quam docet Apoſtolus, non illam eſſe, per quam dicitur: Hæc dicit Dominus; illa enim vſque ad Ioannem: ſed illam, de qua idem Apoſtolus ait, Qui prophetat, omnibus loquitur, ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem*, &c. Confirmant & alij plures:

Secundò, poſſem & Prophetas, quorum mentio in epiſtolâ ad Epheſios, cum diuo Thoma, eoſdem, quorum fit mentio in epiſtola ad Corinthios, cum Baſilio Seleucienſi Oratione trigeſimâ quartâ Prophetas veteris legis interpretari. Tertiò, eſto Prophetas, qui futura prænuntient iis locis intelligendos cenſerem: quod nec ipſe Cellotius in interpretatione dictorum locorum neceſſarium putat: eſto etiam naſcentis Eccleſiæ initio quoſdam ſtatu & officio publico Prophetas admittere poſſem, in quibus eſſent primitiæ ſpiritus, & quorum propheticis oraculis aſſentire oporteret: at fundatâ Eccleſiâ eiuſmodi Propheras nullos, ne quidem ipſe Cellotius, ſi rotundè & ſincerè loqui velit, admittet: ſed tantùm prophetiæ dono inſtructos, quod donum ſemper in Eccleſia vigere quis Catholicus neget? Sed hæc à nobis ſatis ſupérque iam explicata ſunt.

§. X.

Corollaria quædam ex prædictis inferuntur.

ALLATIS Patrum interpretationibus meam addere velle temeritatis eſſet, nec vllius vtilitatis, quid enim anſer inter olores? corollaria ſolùm ad doctrinam Catholicam illuſtrandam idonea colligere neceſſum eſt, quæ Cellotianas poſitiones refellant.

Primò itaque Catholici Doctores cenſent chariſmatum donationem ab vſu eſſe diſtinguendam, vſum ab officio.

Secundò, chariſmata omnibus non omnia, ſed aliqua donari, doctrina eſt Apoſtoli cap. 12. citato prioris ad Corinthios, *Vnicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad vtilitatem.*

Tertiò, illud verò quod omnibus commune eſt, fundamentum ſpecialis hierarchiæ perperàm fingi poſſe nemo ignorat: Quomodo enim quod conuenientiæ principium eſt, diſtinctionis erit? ac proinde cùm fideles omnes quibuſdam chariſmatis recipiendis idonei ſint; vixque aliquis ſit bonus Chriſtianus, qui non aliqua habeat chariſmata, nemo omninò qui non quibuſdam indigeat: ſequitur nec chariſmatum communicationem, nec exigentiam chariſmatum, cuilibet fidelium ſtatui conuenientem, hierarchiæ ſpecialem ſtatum, ordinémque fundare.

Quartò, ij ſolùm peculiariter ad habenda chariſmata videntur ex ſuo ſtatu deſtinati, qui ad eorum vſum & communicationem ſingulari iure videntur deſignati, & obſtricti. Chariſmata ſiquidem ad manifeſtationem ſpiritus, & ad aliorum vtilitatem ex Apoſtolo ſuprà tendunt: ac proinde iis tantùm & neceſſaria eſt, & debetur ex diuinæ prouidentiæ ordine, quo vnicuique neceſſaria ſubminiſtrari ſolent, chariſmatum ſingulari iure conceſſio, qui ad eorum vſum ac diſtributionem ex officio ſuo & ſtatu deſtinantur.

Quintò, Paulus membrorum corporis humani ſimilitudine diuerſa Eccleſiæ membra adumbrauit: at certum eſt vnicuique duntaxat membro corporis vim iſtam à natura tribui, & exercendæ illius functionis facultatem concedi, ad quam membrum iſtud exercendum ex naturæ eiuſdem fine deſtinatur: ſimilitérque colligere licet iis tantùm Eccleſiæ membris chariſmatum dotes ornatúmque ſingulari iure deberi, quæ ad communicanda ſeu exercenda eadem chariſmata ex ſuo ſtatu officióque referuntur.

Sextò, ex eo proinde colligitur, cui non conuenit miniſterium ſeu officium Eccleſiæ

ſticum exercendi prædicta chariſmata, ei peculiari iure ac titulo chariſmata non deberi: quod indicat ſanctus Paulus, dum poſt explicationem chariſmatum, eorúmque cum membris corporis humani explicationem, Apoſtolos, Prophetas, & cætera miniſteria Eccleſiaſtica enumerat, quibus gratiarum gratis datarum habendarum ſpecialis obligatio incumbit, & ſingulare ius conuenit.

Septimò, cùm autem gratiæ gratis datæ, aliæ ſint prodigioſæ ac miraculi plenæ; aliæ miraculo vacent: Nullus in Eccleſia ſtatus eſt permanens ac ſtabilis, cui miraculorum patrandorum auctoritas & cura conueniat: nam vt ait Apoſtolus eiuſdem epiſtolæ cap. 14. *Linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus.* Ideóque naſcenti Eccleſiæ Apoſtolos, & quoſdam alios hæc poteſtas faciendi miracula tamquam ordinaria conſequebatur, iuxtà promiſſionem Chriſti Marci decimo ſexto, *Signa autem eos qui credituri ſunt hæc ſequentur*, &c. Et Apoſtolis generaliſſima ſignorum edendorum poteſtas conceſſa fuerat ex prædictis: Aliis etiam ſtabilis quædam ac veluti ordinaria Prophetandi verbi gratia poteſtas, vt Agabo, vel aliud mirandum efficiendi poteſtas conceſſa. *Sed hæc* (vt ait Sanctus Gregorius Homilia vigeſima nona) *neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Vt enim ad fidem creſceret multitudo credentium miraculis fuerat nutrienda: Quia & nos cum arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus; quouſque ea in terra iam coaluiſſe videamus. At ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit*, &c.

Octauò. Quare truncata ſaltem Cellotiana Hierarchia, & vnâ parte eorum chariſmatum, quæ à Paulo enumerata ſunt, priuata eſſe oporteret, puta parte chariſmatum, quæ ad ſigna & prodigia referuntur: ad quæ nempe nulla certa deſignatio ab hominibus eſſe poteſt; quorum aliqua ordinaria poteſtas, aliquis ordinarius ſtatus vel ſtabilis ordo fingi nequit.

Nonò. Cæterorum chariſmatum, quæ ſupernaturalia ſunt, ſed prodigioſa non ſunt, cuiuſmodi ſunt ſermonis, ſapientiæ, ſcientiæ, vel fidei, vſus nullis debitus, nullis neceſſarius, officium nullis impoſitum præterquam ſacro ordine initiatis, vel Eccleſiaſtica iuriſdictione prædit[i]s: eos ſiquidem ſolos poſuit Deus *ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti*, vt loquar cum Apoſtolo ad Epheſios 4 hi ſoli ſunt qui ductores noſtri poſiti ſunt, *vt non ſimus tanquam paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris*, inquit idem Apoſtolus eodē loco; ſi qui ex aliis legitimè iſto officio vtantur, eos Præſules in defectum aliorum adſciſcunt, non ordinarios Eccleſia habet, non à Deo poſitos, non ductores conſtitutos agnoſcit: ſacramentum ordinis Chriſtus inſtituit, quo perficerentur illi, qui ad aliorum ſalutem & inſtructionem deligerentur. *Nemo enim*, vt habetur ad Hebræos quinto, *ſibi ſumit*, aut ſumere debet *honorem* exercendorum videlicet miniſteriorum Eccleſiæ, *niſi qui vocatur a Deo tanquam Aaron:* hoc eſt, niſi ſacramento viſibilis ordinationis initiatus per inuiſibilem gratiam & inuiſibilia chariſmata diuinæ ordinationi adnexa ad eorum vſum & facultatem conſecutus ſit, atque auctoritatem: quod certè innuit Ambroſius in cap. 12. prioris ad Corinthios, *in loco ordinis officij Eccleſiaſtici poſitus, gratiam habet, qualiſue ſit, non vtique propriam, ſed ordinis, per efficaciam Spiritus ſancti.* Et Theophylactus à nobis alibi citatus, in caput decimum nonum Lucæ, *omnem cuicumque concredita eſt præſidentia, etiamſi indignus fuerit, donum habere ex vnctione ſua affirmat, quod magnum diuinæ miſericordiæ ait eſſe Sacramentum.* Quin etiam neque officium iſtud ordinariè committi poteſt, cui non iuriſdictio conuenit: ait enim Chriſtus Lucæ 12. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit:* ait Apoſtolus ad Hebræos 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Eo quoque ipſo loco epiſtolæ ad Epheſios, quem vrgemus, miniſteria Eccleſiaſtica poſita ſtatuit, quo in officio vnuſquiſque contineatur, & inconſtans humani animi volubilitas firmetur, quod ſine obedientiæ retinaculo ac vinculo explicari vix poteſt. Ideóque neque ius peculiare chariſmatum habendorum, niſi per ordinationem ſacram ac electionem ad præſidentiam; neque officium communicandorum chariſmatum, ſeu miniſterium Eccleſiaſticum in vtilitatem populi iiſdem chariſmatibus vtendi, niſi ſacro ordine initiatis & Eccleſiaſticâ præditis iuriſdictione conuenire poteſt: ac proinde hierarchiæ chariſmatum diſtinctæ ab ordine & iuriſdictione ex citatis Apoſtoli locis tantùm abeſt vt neceſſitas inferatur, quin imò falſitas demonſtretur.

Decimò, quod ſi verum eſt quod ait ſanctus Thomas à nobis ſuperiùs citatus, gra-

tias curationum & ſanitatum, quæ ad miracula ſpectant, pertinere ad doctrinam, quæ iis ſignis confirmatur ac perſuadetur: doctrinæ verò chariſmata ad gubernationem referri: quàm bellè & conſentaneè doctrinæ à nobis in vindiciis traditæ, chariſmata, verbi gratiâ, Apoſtolatus, opitulationes, gubernationes, aliáque miniſteria Eccleſiaſtica iuriſdictionem & ordinem importantia per ſe ad hierarchiam Eccleſiaſticam referuntur; cætera verò chariſmata, non per ſe & immediatè, ſed mediatè ac remotè: doctrinæ quidem chariſmata, cuiuſmodi ſunt ſermo ſapientiæ, ſcientiæ, fidei, diſcretionis ſpirituum, prophetiæ, cognitionis linguarum, interpretationis ſermonum, vt ad gubernationem reuocantur: quæ verò ad miracula dantur, putà gratiæ curationum, & operationes virtutum adhuc remotiùs, vt ad doctrinam confirmandam referuntur; doctrinæ verò confirmatio & perſuaſio, vt ad auctoritatis miniſterium & gubernationis ſpectant.

SECTIO II.

Errores aliqui & contradictiones Cellotij circa fictitiam chariſmatum hierarchiam notantur.

CAPVT I.

Error Vuiclephi de neceſsitate gratiæ & chariſmatum ad ordinis & iuriſdictionis poteſtatem, cum quibuſdam contradictionibus Auctoris in libro Cellotij aperitur.

ANTEQVAM manum ſubducamus à tabula, patiatur Cellotius nos quoſdam illius circa confictam chariſmatum hierarchiam errores proponere: quandoquidem non conuitiandi ſtudio, ſed charitatis zelo eos ipſi proponimus, lectorem Cellotiani libri monentes, vt ab iis caueat: Cellotium obteſtantes, vt de cætero duo ſibi fugienda diſcat. Primùm præcipitem iſtum conuitiandi & reprehendendi conatum, qui animos ita obcæcat, vt veritatem videre non ſinat, quo qui ducuntur in errores incidant neceſſum eſt. Alterum vt viribus ſuis par argumentum de cætero ſibi eligat, nec ſibi ab aliis præſcriptis commentariis ita fidat, quin in eorum recenſione, & explicatione à ſe errari poſſe ſciat: malit ſine cortice natare, quàm cum cortice in ſcopulos impingere. Hæc Christianâ charitate monentem audire potiùs debet, quàm ſuffragatores ſuos, qui dum vanæ cuidam eloquentiæ turpiter adulantur, in fidei periculum, hominem Theologicarum rerum non ſatis gnarum ad ſcribendum compellunt: non cogitantes quantum loquendi facultas nociua ſit, niſi veritatis cognitione fulciatur: quantumque periculum immineat ei qui ad rectè & ornatè dicendum priùs det operam, quam ad rectè ſentiendum. *Valde quippe*, vt ait Auguſtinus lib. 2 de anima & eius origine, ſeu epiſt. ad Petrum Preſbyterum, *Nociua ſunt praua diſerta: quia hominibus minus eruditis, eo quòd diſerta ſint videntur & vera.*

Primus itaque Cellotij error eſt, quòd hierarchiam chariſmatum omnium primam, fundamentalem, radicalem ſtatuerit, ita vt abſque ea nec ordinis nec iuriſdictionis hierarchia ſubſiſtat. Qui merus error eſt Vuiclephi & Huſſij in Concilio Conſtantienſi pluribus damnatus, ſacerdotiique & Paſtoratus dignitatem à chariſmatum labilium ornatu dependentem facit.

Ne quid verò ſibi imponi falsò queratur Cellotius, verba eius proferam, quibus id ſatis euidenter expreſſit: taceo quòd libri 3. cap. 16. ſtatim initio pag. 154. hierarchiam chariſmatum omnium *primam* appellat: obſcuriora enim teſtimonia non moror: at illud longè clarius eſt, quòd lib. 6. cap. 2. pag. 421. duplicem ponat ſancti-

ſticum exercendi prædicta chariſmata, ei peculiari iure ac titulo chariſmata non deberi: quod indicat ſanctus Paulus, dum poſt explicarionem chariſmarum, eorúmque cum membris corporis humani explicationem, Apoſtolos, Prophetas, & cætera miniſteria Eccleſiaſtica enumerat, quibus grariarum gratis datarum habendarum ſpecialis obligario incumbit, & ſingulare ius conuenit.

Seprimò, cùm autem grariæ gratis datæ, aliæ ſint prodigioſæ ac miraculi plenæ; aliæ miraculo vacent: Nullus in Eccleſia ſtatus eſt permanens ac ſtabilis, cui miraculorum patrandorum auctoritas & cura conueniat: nam vt ait Apoſtolus eiuſdem epiſtolæ cap. 14. *Linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus.* Ideóque naſcenti Eccleſiæ Apoſtolos, & quoſdam alios hæc poteſtas faciendi miracula tamquam ordinaria conſequebatur, iuxtà promiſſionem Chriſti Marci decimo ſexto, *Signa autem eos qui credituri ſunt hæc ſequentur*, &c. Et Apoſtolis generaliſſima ſignorum edendorum poteſtas conceſſa fuerat ex prædictis: Aliis etiam ſtabilis quædam ac veluti ordinaria Prophetandi verbi gratia poteſtas, vt Agabo, vel aliud mirandum efficiendi poteſtas conceſſa. *Sed hæc* (vt ait Sanctus Gregorius Homilia vigeſima nona) *neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Vt enim ad fidem creſceret multitudo credentium miraculis fuerat nutrienda: Quia & nos cum arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus; quouſque ea in terra iam coaluiſſe videamus. At ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit*, &c.

Octauò. Quare truncata ſaltem Cellotiana Hierarchia, & vnâ parte eorum chariſmatum, quæ à Paulo enumerata ſunt, priuata eſſe oporteret, pura parre chariſmatum, quæ ad ſigna & prodigia referuntur: ad quæ nempe nulla certa deſignatio ab hominibus eſſe poteſt; quorum aliqua ordinaria poteſtas, aliquis ordinarius ſtatus vel ſtabilis ordo fingi nequit.

Nonò. Cæterorum chariſmatum, quæ ſupernaturalia ſunt, ſed prodigioſa non ſunt, cuiuſmodi ſunt ſermonis, ſapientiæ, ſcientiæ, vel fidei, vſus nullis debitus, nullis neceſſarius, officium nullis impoſitum præterquam ſacro ordine initiatis, vel Eccleſiaſtica iuriſdictione prædirus: eos ſiquidem ſolos poſuit Deus *ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti*, vt loquar cum Apoſtolo ad Epheſios 4 hi ſoli ſunt qui ductores noſtri poſiti ſunt, *vt non ſimus tanquam paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris*, inquit idem Apoſtolus eodẽ loco; ſi qui ex aliis legitimè iſto officio vtantur, eos Præſules in defectum aliorum adſciſcunt, non ordinarios Eccleſia habet, non à Deo poſitos, non ductores conſtirutos agnoſcit: ſacramentum ordinis Chriſtus inſtituit, quo perficerentur illi, qui ad aliorum ſalutem & inſtructionem deligerentur. *Nemo enim*, vt habetur ad Hebræos quinto, *ſibi ſumit*, aut ſumere debet *honorem* exercendorum videlicet miniſteriorum Eccleſiæ, *niſi qui vocatur a Deo tanquam Aaron*: hoc eſt, niſi ſacramento viſibilis ordinationis initiatus per inuiſibilem gratiam & inuiſibilia chariſmata diuinæ ordinationi adnexa ad eorum vſum & facultatem conſecutus ſit, atque auctoritatem: quod certè innuit Ambroſius in cap. 12. prioris ad Corinthios, *in loco ordinis officij Eccleſiaſtici poſitus, gratiam habet, qualiſue ſit, non vtique propriam, ſed ordinis, per efficaciam Spiritus ſancti.* Et Theophylactus à nobis alibi citatus, in caput decimum nonum Lucæ, *omnem cuicumque concredita eſt præſidentia, etiamſi indignus fuerit, donum habere ex vnctione ſua affirmat, quod magnum diuinæ miſericordiæ ait eſſe Sacramentum.* Quin etiam neque officium iſtud ordinariè committi poteſt, cui non iuriſdictio conuenit: ait enim Chriſtus Lucæ 12. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*: ait Apoſtolus ad Hebræos 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Eo quoque ipſo loco epiſtolæ ad Epheſios, quem vrgemus, miniſteria Eccleſiaſtica poſita ſtatuit, quo in officio vnuſquiſque contineatur, & inconſtans humani animi volubilitas firmetur, quod ſine obedientiæ retinaculo ac vinculo explicari vix poteſt. Ideóque neque ius peculiare chariſmarum habendorum, niſi per ordinationem ſacram ac electionem ad præſidentiam; neque officium communicandorum chariſmatum, ſeu miniſterium Eccleſiaſticum in vtilitatem populi iiſdem chariſmatibus vtendi, niſi ſacro ordine initiatis & Eccleſiaſticâ præditis iuriſdictione conuenire poteſt: ac proinde hierarchiæ chariſmatum diſtinctæ ab ordine & iuriſdictione ex citatis Apoſtoli locis tantùm abeſt vt neceſſitas inferatur, quin imò falſitas demonſtretur.

Decimò, quod ſi verum eſt quod ait ſanctus Thomas à nobis ſuperiùs citatus, gra-

Digitized by Google

tias curationum & ſanitatum, quæ ad miracula ſpectant, pertinere ad doctrinam, quæ iis ſignis confirmatur ac perſuadetur: doctrinæ verò chariſmata ad gubernationem referri: quàm bellè & conſentaneè doctrinæ à nobis in vindiciis traditæ, chariſmata, verbi gratiâ, Apoſtolatus, opitulationes, gubernationes, aliáque miniſteria Eccleſiaſtica iuriſdictionem & ordinem importantia per ſe ad hierarchiam Eccleſiaſticam referuntur; cætera verò chariſmata, non per ſe & immediatè, ſed mediatè ac remotè: doctrinæ quidem chariſmata, cuiuſmodi ſunt ſermo ſapientiæ, ſcientiæ, fidei, diſcretionis ſpirituum, prophetiæ, cognitionis linguarum, interpretationis ſermonum, vt ad gubernationem reuocantur: quæ verò ad miracula dantur, putà gratiæ curationum, & operationes virtutum adhuc remotiùs, vt ad doctrinam confirmandam referuntur; doctrinæ verò confirmatiò & perſuaſio, vt ad auctoritatis miniſterium & gubernationis ſpectant.

SECTIO II.

Errores aliqui & contradictiones Cellotij circa fictitiam chariſmatum hierarchiam notantur.

CAPVT I.

Error Vuiclephi de neceſſitate gratiæ & chariſmatum ad ordinis & iuriſdictionis poteſtatem, cum quibuſdam contradictionibus Auctoris in libro Cellotij aperitur.

ANTEQVAM manum ſubducamus à tabula, patiatur Cellotius nos quoſdam illius circa confictam chariſmatum hierarchiam errores proponere: quandoquidem non conuitiandi ſtudio, ſed charitatis zelo eos ipſi proponimus, lectorem Celloriani libri monentes, vt ab iis caueat: Cellorium obteſtantes, vt de cætero duo ſibi fugienda diſcat. Primùm præcipitem iſtum conuitiandi & reprehendendi conatum, qui animos ira obcæcat, vt veritatem videre non ſinat, quo qui ducuntur in errores incidant neceſſum eſt. Alterum vt viribus ſuis par argumentum de cætero ſibi eligat, nec ſibi ab aliis præſcriptis commentariis ita fidat, quin in eorum recenſione, & explicatione à ſe errari poſſe ſciat: malit ſine cortice natare, quàm cum cortice in ſcopulos impingere. Hæc Chriſtianâ charitate monentem audire potiùs debet, quàm ſuffragatores ſuos, qui dum vanæ cuidam eloquentiæ turpiter adulantur, in fidei periculum, hominem Theologicarum rerum non ſatis gnarum ad ſcribendum compellunt: non cogitantes quantum loquendi facultas nociua ſit, niſi veritatis cognitione fulciatur: quantumque periculum immineat ei qui ad rectè & ornatè dicendum priùs det operam, quam ad rectè ſentiendum. *Valde quippe*, vt ait Auguſtinus lib. 2 de anima & eius origine, ſeu epiſt. ad Petrum Preſbyterum, *Nocius ſunt praua diſerta: quia hominibus minus eruditis, ea quòd diſerta ſint videntur & vera.*

Primus itaque Cellotij error eſt, quòd hierarchiam chariſmatum omnium primam, fundamentalem, radicalem ſtatuerit, ita vt abſque ea nec ordinis nec iuriſdictionis hierarchia ſubſiſtat. Qui merus error eſt Vuiclephi & Huſſij in Concilio Conſtantienſi pluribus damnatus, ſacerdotiique & Paſtoratus dignitatem à chariſmatum labilium ornatu dependentem facit.

Ne quid verò ſibi imponi falsò queratur Cellotius, verba eius proferam, quibus id ſatis euidenter expreſſit: taceo quòd libri 3. cap. 16. ſtatim initio pag. 154. hierarchiam chariſmatum omnium *primam* appellat: obſcuriora enim teſtimonia non moror: at illud longè clarius eſt, quòd lib. 6. cap. 2. pag. 421. duplicem ponat ſancti-

ſticum exercendi prædicta chariſmata, ei peculiari iure ac titulo chariſmata non deberi: quod indicat ſanctus Paulus, dum poſt explicationem chariſmatum, eorúmque cum membris corporis humani explicationem, Apoſtolos, Prophetas, & cætera miniſteria Eccleſiaſtica enumerat, quibus gratiarum gratis datarum habendarum ſpecialis obligatio incumbit, & ſingulare ius conuenit.

Septimò, cùm autem gratiæ gratis datæ, aliæ ſint prodigioſæ ac miraculi plenæ; aliæ miraculo vacent: Nullus in Eccleſia ſtatus eſt permanens ac ſtabilis, cui miraculorum patrandorum auctoritas & cura conueniat: nam vt ait Apoſtolus eiuſdem epiſtolæ cap. 14. *Linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus.* Ideóque naſcenti Eccleſiæ Apoſtolos, & quoſdam alios hæc poteſtas faciendi miracula tamquam ordinaria conſequebatur, iuxtà promiſſionem Chriſti Marci decimo ſexto, *Signa autem eos qui credituri ſunt hæc ſequentur*, &c. Et Apoſtolis generaliſſima ſignorum edendorum poteſtas conceſſa fuerat ex prædictis: Aliis etiam ſtabilis quædam ac veluti ordinaria Prophetandi verbi gratia poteſtas, vt Agabo, vel aliud mirandum efficiendi poteſtas conceſſa. *Sed hæc* (vt ait Sanctus Gregorius Homilia vigeſima nona) *neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Vt enim ad fidem creſceret multitudo credentium miraculis fuerat nutrienda: Quia & nos cum arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus; quouſque ea in terra iam coaluiſſe videamus. At ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit*, &c.

Octauò. Quare truncata ſaltem Cellotiana Hierarchia, & vnâ parte eorum chariſmatum, quæ à Paulo enumerata ſunt, priuata eſſe oporteret, puta parte chariſmatum, quæ ad ſigna & prodigia referuntur: ad quæ nempe nulla certa deſignatio ab hominibus eſſe poteſt; quorum aliqua ordinaria poteſtas, aliquis ordinarius ſtatus vel ſtabilis ordo fingi nequit.

Nonò. Cæterorum chariſmatum, quæ ſupernaturalia ſunt, ſed prodigioſa non ſunt, cuiuſmodi ſunt ſermonis, ſapientiæ, ſcientiæ, vel fidei, vſus nullis debitus, nullis neceſſarius, officium nullis impoſitum præterquam ſacro ordine initiatis, vel Eccleſiaſtica iuriſdictione præditis: eos ſiquidem ſolos poſuit Deus *ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti*, vt loquar cum Apoſtolo ad Epheſios 4. hi ſoli ſunt qui ductores noſtri poſiti ſunt, *vt non ſimus tanquam paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris*, inquit idem Apoſtolus eodē loco; ſi qui ex aliis legitimè iſto officio vtantur, eos Præſules in defectum aliorum adſciſcunt, non ordinarios Eccleſia habet, non à Deo poſitos, non ductores conſtitutos agnoſcit: ſacramentum ordinis Chriſtus inſtituit, quo perficerentur illi, qui ad aliorum ſalutem & inſtructionem deligerentur. *Nemo enim*, vt habetur ad Hebræos quinto, *ſibi ſumit*, aut ſumere debet *honorem* exercendorum videlicet miniſteriorum Eccleſiæ, *niſi qui vocatur a Deo tanquam Aaron*: hoc eſt, niſi ſacramento viſibilis ordinationis initiatus per inuiſibilem gratiam & inuiſibilia chariſmata diuinæ ordinationi adnexa ad eorum vſum & facultatem conſecutus ſit, atque auctoritatem: quod certè innuit Ambroſius in cap. 12. prioris ad Corinthios, *in loco ordinis officij Eccleſiaſtici poſitus, gratiam habet, qualiſue ſit, non vtique propriam, ſed ordinis, per efficaciam Spiritus ſancti.* Et Theophylactus à nobis alibi citatus, in caput decimum nonum Lucæ, *omnem cuicumque concredita eſt præſidentia, etiamſi indignus fuerit, donum habere ex vnctione ſua affirmat, quod magnum diuinæ miſericordiæ ait eſſe Sacramentum.* Quin etiam neque officium iſtud ordinariè committi poteſt, cui non iuriſdictio conuenit: ait enim Chriſtus Lucæ 12. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*: ait Apoſtolus ad Hebræos 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Eo quoque ipſo loco epiſtolæ ad Epheſios, quem vrgemus, miniſteria Eccleſiaſtica poſita ſtatuit, quo in officio vnuſquiſque contineatur, & inconſtans humani animi volubilitas firmetur, quod ſine obedientiæ retinaculo ac vinculo explicari vix poteſt. Ideóque neque ius peculiare chariſmatum habendorum, niſi per ordinationem ſacram ac electionem ad præſidentiam; neque officium communicandorum chariſmarum, ſeu miniſterium Eccleſiaſticum in vtilitatem populi iiſdem chariſmatibus vtendi, niſi ſacro ordine initiatis & Eccleſiaſticâ præditis iuriſdictione cōuenire poteſt: ac proinde hierarchiæ chariſmarum diſtinctæ ab ordine & iuriſdictione ex citatis Apoſtoli locis tantùm abeſt vt neceſſitas inferatur, quin imò falſitas demonſtretur.

Decimò, quod ſi verum eſt quod ait ſanctus Thomas à nobis ſuperiùs citatus, gra-

tias curationum & ſanitatum, quæ ad miracula ſpectant, pertinere ad doctrinam, quæ iis ſignis confirmatur ac perſuadetur: doctrinæ verò chariſmata ad gubernationem referri: quàm bellè & conſentaneè doctrinæ à nobis in vindiciis traditæ, chariſmata, verbi gratiâ, Apoſtolatus, opitulationes, gubernationes, aliáque miniſteria Eccleſiaſtica iuriſdictionem & ordinem importantia per ſe ad hierarchiam Eccleſiaſticam referuntur; cætera verò chariſmata, non per ſe & immediatè, ſed mediatè ac remotè: doctrinæ quidem chariſmata, cuiuſmodi ſunt ſermo ſapientiæ, ſcientiæ, fidei, diſcretionis ſpirituum, prophetiæ, cognitionis linguarum, interpretationis ſermonum, vt ad gubernationem reuocantur: quæ verò ad miracula dantur, putà gratiæ curationum, & operationes virtutum adhuc remotiùs, vt ad doctrinam confirmandam referuntur; doctrinæ verò confirmatio & perſuaſio, vt ad auctoritatis miniſterium & gubernationis ſpectant.

SECTIO II.

Errores aliqui & contradictiones Cellotij circa fictitiam chariſmatum hierarchiam notantur.

CAPVT I.

Error Vuiclephi de neceſſitate gratiæ & chariſmatum ad ordinis & iuriſdictionis poteſtatem, cum quibuſdam contradictionibus Auctoris in libro Cellotij aperitur.

ANTEQVAM manum ſubducamus à tabula, patiatur Cellotius nos quoſdam illius circa confictam chariſmatum hierarchiam errores proponere: quandoquidem non conuitiandi ſtudio, ſed charitatis zelo eos ipſi proponimus, lectorem Cellotiani libri monentes, vt ab iis caueat: Cellotium obteſtantes, vt de cætero duo ſibi fugiendi diſcat. Primùm præcipitem iſtum conuitiandi & reprehendendi conatum, qui animos ita obcœcat, vt veritatem videre non ſinat, quo qui ducuntur in errores incidant neceſſum eſt. Alterum vt viribus ſuis par argumentum de cætero ſibi eligat, nec ſibi ab aliis præſcriptis commentariis ita fidat, quin in eorum recenſione, & explicatione à ſe errari poſſe ſciat: malit ſine cortice natare, quàm cum cortice in ſcopulos impingere. Hæc Chriſtianâ charitate monentem audire potiùs deber, quàm ſuffragatores ſuos, qui dum vanæ cuidam eloquentiæ turpiter adulantur, in fidei periculum, hominem Theologicarum rerum non ſatis gnarum ad ſcribendum compellunt: non cogitantes quantum loquendi facultas nociua ſit, niſi veritatis cognitione fulciatur: quantumque periculum immineat ei qui ad rectè & ornatè dicendum priùs det operam, quam ad rectè ſentiendum. *Valde quippe*, vt ait Auguſtinus lib. 2. de anima & eius origine, ſeu epiſt. ad Petrum Preſbyterum, *Noceus ſunt praua diſerta; quia hominibus minus eruditis, eo quòd diſerta ſint videntur & vera.*

Primus itaque Cellotij error eſt, quòd hierarchiam chariſmatum omnium primam, fundamentalem, radicalem ſtatuerit, ita vt abſque ea nec ordinis nec iuriſdictionis hierarchia ſubſiſtat. Qui merus error eſt Vuiclephi & Huſſij in Concilio Conſtantienſi pluribus damnatus, ſacerdotiíque & Paſtoratus dignitatem à chariſmatum labilium ornatu dependentem facit.

Ne quid verò ſibi imponi falsò queratur Cellotius, verba eius proferam, quibus id ſatis euidenter expreſſit: taceo quòd libri 3. cap. 16. ſtatim initio pag. 154. hierarchiam chariſmatum omnium *primam* appellat: obſcuriora enim teſtimonia non moror: at illud longè clarius eſt, quòd lib. 6. cap. 2. pag. 421. duplicem ponat ſancti-

ſticum exercendi prædicta chariſmata, ei peculiari iure ac titulo chariſmata non deberi: quod indicat ſanctus Paulus, dum poſt explicationem chariſmatum, eorúmque cum membris corporis humani explicationem, Apoſtolos, Prophetas, & cætera miniſteria Eccleſiaſtica enumerat, quibus gratiarum gratis datarum habendarum ſpecialis obligatio incumbit, & ſingulare ius conuenit.

Septimò, cùm autem gratiæ gratis datæ, aliæ ſint prodigioſæ ac miraculi plenæ; aliæ miraculo vacent: Nullus in Eccleſia ſtatus eſt permanens ac ſtabilis, cui miraculorum patrandorum auctoritas & cura conueniat: nam vt ait Apoſtolus eiuſdem epiſtolæ cap. 14. *Linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus.* Ideóque naſcenti Eccleſiæ Apoſtolos, & quoſdam alios hæc poteſtas faciendi miracula tamquam ordinaria conſequebatur, iuxtà promiſſionem Chriſti Marci decimo ſexto, *Signa autem eos qui credituri ſunt hæc ſequentur*, &c. Et Apoſtolis generaliſſima ſignorum edendorum poteſtas conceſſa fuerat ex prædictis: Aliis etiam ſtabilis quædam ac veluti ordinaria Prophetandi verbi gratia poteſtas, vt Agabo, vel aliud mirandum efficiendi poteſtas conceſſa. *Sed hæc* (vt ait Sanctus Gregorius Homilia vigeſima nona) *neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Vt enim ad fidem creſceret multitudo credentium miraculis fuerat nutrienda: Quia & nos cum arbuſta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus; quouſque ea in terra iam coaluiſſe videamus. At ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit*, &c.

Octauò. Quare truncata ſaltem Cellotiana Hierarchia, & vnâ parte eorum chariſmatum, quæ à Paulo enumerata ſunt, priuata eſſe oporteret, puta parte chariſmatum, quæ ad ſigna & prodigia referuntur: ad quæ nempe nulla certa deſignatio ab hominibus eſſe poteſt; quorum aliqua ordinaria poteſtas, aliquis ordinarius ſtatus vel ſtabilis ordo fingi nequit.

Nonò. Cæterorum chariſmatum, quæ ſupernaturalia ſunt, ſed prodigioſa non ſunt, cuiuſmodi ſunt ſermonis, ſapientiæ, ſcientiæ, vel fidei, vſus nullis debitus, nullis neceſſarius, officium nullis impoſitum præterquam ſacro ordine initiatis, vel Eccleſiaſtica iuriſdictione præditis: eos ſiquidem ſolos poſuit Deus *ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti*, vt loquar cum Apoſtolo ad Epheſios 4. hi ſoli ſunt qui ductores noſtri poſiti ſunt, *vt non ſimus tanquam paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris*, inquit idem Apoſtolus eodē loco; ſi qui ex aliis legitimè iſto officio vtantur, eos Præſules in defectum aliorum adſciſcunt, non ordinarios Eccleſia habet, non à Deo poſitos, non ductores conſtitutos agnoſcit: ſacramentum ordinis Chriſtus inſtituit, quo perficerentur illi, qui ad aliorum ſalutem & inſtructionem deligerentur. *Nemo enim*, vt habetur ad Hebræos quinto, *ſibi ſumit*, aut ſumere debet *honorem* exercendorum videlicet miniſteriorum Eccleſiæ, *niſi qui vocatur à Deo tanquam Aaron*: hoc eſt, niſi ſacramento viſibilis ordinationis initiatus per inuiſibilem gratiam & inuiſibilia chariſmata diuinæ ordinationi adnexa ad eorum vſum & facultatem conſecutus ſit, atque auctoritatem: quod certè innuit Ambroſius in cap. 12. prioris ad Corinthios, *in loco ordinis officij Eccleſiaſtici poſitus, gratiam habet, qualiſue ſit, non vtique propriam, ſed ordinis, per efficaciam Spiritus ſancti.* Et Theophylactus à nobis alibi citatus, in caput decimum nonum Lucæ, *omnem cuicumque concredita eſt præſidentia, etiamſi indignus fuerit, donum habere ex vnctione ſua affirmat, quod magnum diuinæ miſericordiæ ait eſſe Sacramentum.* Quin etiam neque officium iſtud ordinariè committi poteſt, cui non iuriſdictio conuenit: ait enim Chriſtus Lucæ 12. *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*: ait Apoſtolus ad Hebræos 13. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Eo quoque ipſo loco epiſtolæ ad Epheſios, quem vrgemus, miniſteria Eccleſiaſtica poſita ſtatuit, quo in officio vnuſquiſque contineatur, & inconſtans humani animi volubilitas firmetur, quod ſine obedientiæ retinaculo ac vinculo explicari vix poteſt. Ideóque neque ius peculiare chariſmatum habendorum, niſi per ordinationem ſacram ac electionem ad præſidentiam; neque officium communicandorum chariſmatum, ſeu miniſterium Eccleſiaſticum in vtilitatem populi iiſdem chariſmatibus vtendi, niſi ſacro ordine initiatis & Eccleſiaſticâ præditis iuriſdictione cōuenire poteſt: ac proinde hierarchiæ chariſmatum diſtinctæ ab ordine & iuriſdictione ex citatis Apoſtoli locis tantùm abeſt vt neceſſitas inferatur, quin imò falſitas demonſtretur.

Decimò, quod ſi verum eſt quod ait ſanctus Thomas à nobis ſuperiùs citatus, gra-

tias curationum & ſanitatum, quæ ad miracula ſpectant, pertinere ad doctrinam, quæ iis ſignis confirmatur ac perſuadetur: doctrinæ verò chariſmara ad gubernationem referri: quàm bellè & conſentaneè doctrinæ à nobis in vindiciis traditæ, chariſmata, verbi gratiâ, Apoſtolatus, opitulationes, gubernationes, aliáque miniſteria Eccleſiaſtica iuriſdictionem & ordinem importantia per ſe ad hierarchiam Eccleſiaſticam referuntur; cætera verò chariſmata, non per ſe & immediatè, ſed mediatè ac remotè: doctrinæ quidem chariſmata, cuiuſmodi ſunt ſermo ſapientiæ, ſcientiæ, fidei, diſcretionis ſpirituum, prophetiæ, cognitionis linguarum, interpretationis ſermonum, vt ad gubernationem reuocantur: quæ verò ad miracula dantur, putà gratiæ curationum, & operationes virtutum adhuc remotiùs, vt ad doctrinam confirmandam referuntur; doctrinæ verò confirmatio & perſuaſio, vt ad auctoritatis miniſterium & gubernationis ſpectant.

SECTIO II.

Errores aliqui & contradictiones Cellotij circa fictitiam chariſmatum hierarchiam notantur.

CAPVT I.

Error Vuiclephi de neceſſitate gratiæ & chariſmatum ad ordinis & iuriſdictionis poteſtatem, cum quibuſdam contradictionibus Auctoris in libro Cellotij aperitur.

ANTEQVAM manum ſubducamus à tabula, patiatur Cellotius nos quoſdam illius circa confictam chariſmarum hierarchiam errores proponere: quandoquidem non conuitiandi ſtudio, ſed charitatis zelo eos ipſi proponimus, lectorem Cellotiani libri monentes, vt ab iis caueat: Cellotium obteſtantes, vt de cætero duo ſibi fugiendi diſcat. Primùm præcipitem iſtum conuitiandi & reprehendendi conatum, qui animos ita obcœcat, vt veritatem videre non ſinat, quo qui ducuntur in errores incidant neceſſum eſt. Alterum vt viribus ſuis par argumentum de cætero ſibi eligat, nec ſibi ab aliis præſcriptis commentariis ita fidat, quin in eorum recenſione, & explicatione à ſe errari poſſe ſciat: malit ſine cortice natare, quàm cum cortice in ſcopulos impingere. Hæc Chriſtianâ charitate monentem audire potiùs debet, quàm ſuffragatores ſuos, qui dum vanæ cuidam eloquentiæ turpiter adulantur, in fidei periculum, hominem Theologicarum rerum non ſatis gnarum ad ſcribendum compellunt: non cogitantes quantum loquendi facultas nociua ſit, niſi veritatis cognitione fulciatur: quantumque periculum immineat ei qui ad rectè & ornarè dicendum priùs det operam, quam ad rectè ſentiendum. *Valde quippe*, vt ait Augustinus lib. 2 de anima & eius origine, ſeu epiſt. ad Petrum Preſbyterum, *Nocentes ſunt praua diſerta: quia hominibus minus eruditis, & quòd diſerta ſint videntur & vera.*

Primus itaque Cellotij error eſt, quòd hierarchiam chariſmatum omnium primam, fundamentalem, radicalem ſtatuerit, ita vt abſque ea nec ordinis nec iuriſdictionis hierarchia ſubſiſtat. Qui merus error eſt Vuiclephi & Huſſij in Concilio Conſtantienſi pluribus damnatus, ſacerdotiſque & Paſtoratus dignitatem à chariſmatum labilium ornatu dependentem facit.

Ne quid verò ſibi imponi falsò queratur Cellotius, verba eius proferam, quibus id ſatis euidenter expreſſit: taceo quòd libri 3. cap. 16. ſtatim initio pag. 154. hierarchiam chariſmarum omnium *primam* appellat: obſcuriora enim teſtimonia non moror: at illud longè clarius eſt, quòd lib. 6. cap. 2. pag. 421. duplicem ponat ſancti-

tias curationum & ſanitatum, quæ ad miracula ſpectant, pertinere ad doctrinam, quæ iis ſignis confirmatur ac perſuadetur: doctrinæ verò chariſmata ad gubernationem referri: quàm bellè & conſentaneè doctrinæ à nobis in vindiciis traditæ, chariſmata, verbi gratiâ, Apoſtolatus, opitulationes, gubernationes, aliáque miniſteria Eccleſiaſtica iuriſdictionem & ordinem importantia per ſe ad hierarchiam Eccleſiaſticam referuntur; cætera verò chariſmata; non per ſe & immediatè, ſed mediatè ac remotè: doctrinæ quidem chariſmata, cuiuſmodi ſunt ſermo ſapientiæ, ſcientiæ, fidei, diſcretionis ſpirituum, prophetiæ, cognitionis linguarum, interpretationis ſermonum, vt ad gubernationem reuocantur: quæ verò ad miracula dantur, putà gratiæ curationum, & operationes virtutum adhuc remotiùs, vt ad doctrinam confirmandam referuntur; doctrinæ verò confirmatio & perſuaſio, vt ad auctoritatis miniſterium & gubernationis ſpectant.

SECTIO II.

Errores aliqui & contradictiones Cellotij circa fictitiam chariſmatum hierarchiam notantur.

CAPVT I.

Error Vuiclephi de neceſſitate gratiæ & chariſmatum ad ordinis & iuriſdictionis poteſtatem, cum quibuſdam contradictionibus Auctoris in libro Cellotij aperitur.

ANTEQVAM manum ſubducamus à tabula, patiatur Cellotius nos quoſdam illius circa confictam chariſmatum hierarchiam errores proponere: quandoquidem non conuitiandi ſtudio, ſed charitatis zelo eos ipſi proponimus, lectorem Celloriani libri monentes, vt ab iis caueat: Cellotium obteſtantes, vt de cætero duo ſibi fugienda diſcat. Primùm præcipitem iſtum conuitiandi & reprehendendi conatum, qui animos ita obcæcat, vt veritatem videre non ſinat, quo qui ducuntur in errores incidant neceſſum eſt. Alterum vt viribus ſuis par argumentum de cætero ſibi eligat, nec ſibi ab aliis præſcriptis commentariis ita fidat, quin in eorum recenſione, & explicatione à ſe errari poſſe ſciat: malit ſine cortice natare, quàm cum cortice in ſcopulos impingere. Hæc Chriſtianâ charitate monentem audire potiùs debet, quàm ſuffragatores ſuos, qui dum vanæ cuidam eloquentiæ turpiter adulantur, in fidei periculum, hominem Theologicarum rerum non ſatis gnarum ad ſcribendum compellunt: non cogitantes quantum loquendi facultas nociua ſit, niſi veritatis cognitione fulciatur: quantumque periculum immineat ei qui ad rectè & ornatè dicendum priùs det operam, quam ad rectè ſentiendum. *Valde quippe*, vt ait Auguſtinus lib. 2 de anima & eius origine, ſeu epiſt. ad Petrum Presbyterum, *Nocui ſunt praua diſerta: quia hominibus minus eruditis, et quod diſerta ſint videntur & vera.*

Primus itaque Cellotij error eſt, quòd hierarchiam chariſmatum omnium primam, fundamentalem, radicalem ſtatuerit, ita vt abſque ea nec ordinis nec iuriſdictionis hierarchia ſubſiſtat. Qui merus error eſt Vuiclephi & Huſſij in Concilio Conſtantienſi pluribus damnatus, ſacerdotiíque & Paſtoratus dignitatem à chariſmatum labilium ornatu dependentem facit.

Ne quid verò ſibi imponi falsò queratur Cellotius, verba eius proferam, quibus id ſatis euidenter expreſſit: taceo quòd libri 3. cap. 16. ſtatim initio pag. 154. hierarchiam chariſmatum omnium *primam* appellat: obſcuriora enim teſtimonia non moror: at illud longè clarius eſt, quòd lib. 6. cap. 2. pag. 421. duplicem ponat ſancti-

Digitized by Google

ficationem, vnam interiorem, alteram exteriorem: interiorem propriam & priuatam, quam charitas facit, quam extra ſacramenta, vel per ſacramenta, diuinæ gratiæ & miniſterio hominum cooperando vnuſquiſque accipit: quam tandem qui obtinet, Eccleſiam meritorum ſuorum communione perficit, in quantum pars omnis totum corpus ſuâ perfectione exornat: alteram exteriorem, quam quis primò & per ſe effundit in alterum: quâ poſitâ diſtinctione hæc verba adiungat. *Hanc interiorem ſanctificationem appello, quam propriam ſequentis* (chariſmatum) *hierarchiæ radicem, & fundamentum alterius cuiuſlibet ſanctificationis eſſe pronuntio.* Quæ verba ſi vera ſunt, oportet hierarchiam chariſmatum tam ordinis, quàm iuriſdictionis radicem eſſe ac fundamentum: radicari & fundari tam ordinem quàm iuriſdictionem in chariſmatibus: virtutem & efficaciam ſacerdotij à charitate deſumi: vimque conferendi & largiendi gratiam in ſacramentorum adminiſtratione, ab interiori ſanctificatione peti tanquam à radice & fundamento. Itaut ſicut ſine radice truncus, ſine fundamento cæteræ domus partes ſtare non poſſunt, ita nec ſine charitate & interiori ſanctificatione, exterior, quæ per ordinem & iuriſdictionem confertur, ſanctificatio ſubſiſtere nequeat.

Quod ex eodem loco pro eius excuſatione profertur, non tam hominem excuſat, quàm eius inconſtantiam, & in rebus iſtis ignorationem prodit, arguitque pugnantia ab ipſo dicta, & incogitanti (quod in aliis non minoris momenti quæſtionibus eueniſſe ſibi fatetur) excidiſſe priora. Inuolucra verborum eius attendamus, & miremur hominem, qualem Auguſtinus Vincentium Victorem loco ſuperiùs citato depingit, *In ſermone quidem non ſolùm ad ſufficientiam, veriùm etiam vſque ad redundantiam profluentem, ſed in rebus de quibus loqui voluit, nondum ſicut oportet inſtructum. Modus*, inquit, *alter eſt, vt quis ſanctificationem primò & per ſe effundat in alterum; atque hic bipartitò item ſpectari poteſt: nam vel ita tendit in alterum, vt ex ſe tantùm ſit exterior, neque omni & ſtrictâ neceſſitate connexionem vllam habeat cum interiori ſanctitate: quæ ſanctificatio exterior à me modò dicetur: eáque præciſè in hierarchia iuriſdictionis ſuſ[illegible]it: vel deinde ſi exteriùs prodit in alterum, vt tamen ſanctitatem requirat interiorem, ſine qua nec licitè, neque debito modo exerceatur: hæc eſt media hierarchia ordinis ſanctificatio in qua verſamur*, &c. Quis non Auctorem iſtum in ſalebris verſari animaduertet? quis non illorum explicationem ab eo tentari cognoſcat, quæ ipſe ignoret? quis non Oedipode opus eſſe ad iſtas verborum apparentes repugnantias conciliandas concedat? Rogo te, Celloti, vt dicas quid modum *ex ſe tantùm exteriorem* voces? quis vnquam eo ſermonis genere vſus fuerit? An cùm dicis iuriſdictionem illam non omni & ſtrictâ neceſſitate connexionem vllam habere cum interiori ſanctificatione, ambiguitatem huius propoſitionis aduerteris, & obſcuritatem? Vel enim non omni neceſſitate, id eſt, aliquâ tantùm connexionem dicis iuriſdictionis eſſe cum interiori ſanctitate: vel quamcumque neceſſitatem negas connexionis, iuriſdictionis & gratiæ: ita vt nulla dari poſſit neceſſitas, qua iuriſdictio debeat cum interiori ſanctitate vnquam coniungi. Si primum dicis: vel iuriſdictionis modum agendi, ab ordinis modo non diſtinguis; quod tamen hîc tentas: vel in errorem, quem priora verba tua innuunt, verè incidis. Nam ordo quoque aliquâ ſolùm neceſſitate, putà neceſſitate ad benè agendum, non autem omni neceſſitate, etiam ad ſimpliciter agendum requirit in ordinato miniſtrante ſanctitatem interiorem, atque adeò niſi putes à gratia, quòd priora verba indicabant, ſimpliciter miniſterij ſacri valorem, vim, efficaciam, virtutémque omnem pendere: & in hunc errorem, quem tibi obiecimus, incidas, iuriſdictionis & ordinis diuerſos agendi modos non diſtinguis. Si poſterius dicis, primùm fatearis neceſſum, malè te, & contra Dialecticæ regulas locutum fuiſſe: nam certum eſt negationem præmiſſam particulæ *omni*, in propoſitionem particularem non vniuerſalem eſſe reſoluendam, vniuerſalitatem negare, non negare vniuerſaliter. Quod in hac ſimili propoſitione videre poteris, *non omni ratione Chriſtus eſt paſſibilis*, cuius ſenſus non eſt Chriſtum nullâ ratione eſſe paſſibilem, nam vt homo paſſibilis fuit: ſed aliquâ ratione paſſibilem non fuiſſe; putà quatenus Deum. A pari itaque huius propoſitionis, *neque omni, & ſtrictâ neceſſitate, iuriſdictionis actu vllam habet connexionem cum ſanctitate interiori*, ſenſus non eſt nullâ neceſſitate iuriſdictionis actum cum ſanctitate interiori connexum eſſe, ſed aliquâ neceſſitate non eſſe connexum.

Deinde fateri etiam debebis, falsò te aſſeruiſſe nullâ ſtrictâ neceſſitate cum ſan-

Digitized by Google

ctitate interiori iuriſdictionis actus eſſe coniunctos: primò enim iuriſdictionis actus ſaltem in foro interiori ab habente ſanctitatem ſtrictâ neceſſitate præcepti promanare debet, putà vt licitè & debito modo exerceatur, ſicut & ordinis functio.

Secundò, quia functio merè ſpiritalis iuriſdictionis etiam in foro exteriori, vt licitè & debito modo fiat, æquè ac ordinis miniſterium vel chariſmatum exercitium à ſanctitatem habente debet prodire: nam æquè verbi gratiâ, incongruum eſt hominem peccato mortali conſtrictum, ſibi ſubditum excommunicare vel à cenſuris abſoluere: qui ſunt actus iuriſdictionis, quàm Euangelium in Miſſa canere, vel Epiſtolam, qui ſunt actus ordinis; quàm Scripturam ſacram explicare, vel in eam commentarios ſcribere, qui ſunt actus chariſmatum, quemadmodum ex mox dicendis patebit. Et ex Cellotio ipſo hoc loci deducimus: nam ſi ſanctificatio per abſolutionem ſacramentalem ex parte ſaltem à iuriſdictione procedens non indiget, neque vt ſit, neque vt licitè, ac debitè fiat, vllâ ſanctitate interiori: falsò ergo ſuperiùs dixit, *eam interiorem ſanctificationem fundamentum alterius cuiuſlibet ſanctificationis eſſe*: Nam interiorem ſanctitatem fundamentum eſſe cuiuſlibet ſanctificationis duobus tantùm modis poteſt intelligi: vel quia abſolutè ſine interiori ſanctitate exteriori eſſe non poteſt, vel quia licitè ac debito modo eſſe nequit: ſi priori modo intelligeretur, hæretica eſſet propoſitio; ſi poſteriori (quomodo ex declaratione ſimilis propoſitionis eam à Cellotio intellectam conſtat) hæretica quidem non eſſet iſta propoſitio, ſed repugnans & contradictoria foret huic propoſitioni, quod aliqua ſanctificatio, putà quæ à iuriſdictione effunditur, licito & debito modo eſſe poſſit, ſine ſanctitate interiori: contradictoriæ ſiquidem ſunt propoſitiones iſtæ, nulla ſanctificatio eſſe poteſt ſaltem licitè ac debitè ſine ſanctitate interiori, & aliqua ſanctitas eſſe poteſt etiam licitè ac debitè ſine ſanctitate interiori, quare contradictorias propoſitiones admittere cogitur Cellotius.

Secundò aliqua eſt neceſſitas connexionis iuriſdictionis cum ſanctitate interiori ſaltem vt debito modo fiat, ſi indignus eſt iuriſdictione & iuriſdictionis miniſterio, qui ſanctitate caret interiori; nam indebitè aliquid fit, vel ſuſcipitur, quod ab indigno fit, vel ſuſcipitur. Atqui ſecundum Cellotium indignus eſt iuriſdictione & iuriſdictionis officio qui caret gratiâ: paulò pòſt enim ſubdit: Itaque *illa ſanctificatio interior Dei electionem oſtendit, hominémque dignum inferioribus hierarchiis efficit: electam & ea dignitate præditum Eccleſia conſecrat, & vim alteram conſecratione illi confert: ſicque in media conſtituit hierarchia; poſtremò vim illam ad exteriorem ſanctificationem applicat collatâ iuriſdictione, quæ ipſum in tertiæ hierarchiæ gremio collocat.* Igitur ſibi contradicit Cellotius, ſi nullam neceſſitatem eſſe connexionis iuriſdictionis cum ſanctitate interiori ſtatuit.

Alter locus, in quo Cellotius vel omninò ineptè loquitur, vel errorem prædictum de chariſmatibus penitùs neceſſariis ad hierarchiam tam ordinis quàm iuriſdictionis aſſerit; habetur in præfatione lib. 8. in qua ita diſſerit, *Chariſmata quidem, quibus ab omni æuo Eccleſiam ſuam locupletauit Deus, nemo ignorat; ſed quotuſquiſque ea eſſe hierarchiæ principia, licèt hoc clamaret Apoſtolus, intellexit? principia dico & fundamenta, quia talium infuſione donorum ſuam ad ordinem & iuriſdictionem vocationem declarare ſolet hierarchiæ omnis moderator, rigans montes de ſuperioribus ſuis, eáque donatos hierarchiâ vocat, & præparat ad cæteras.*

Circa quem locum primùm adnoto arrogantiam ſermonis, & imitationem vſitati apud hæreticos loquendi moris, quam vtique loquendi rationem, prophanam, tumidam, hæreticam à Cellotio vſurpatam doleo: par enim tumor & ſuperbia eſt in iis Cellotij verbis, quæ in verbis hæreticorum apud Vincentium Lirinenſem commonitorij cap. 12. *Nobis*, inquiunt, *auctoribus, nobis Principibus, nobis expoſitoribus damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis; reiicite antiquam fidem, paterna inſtituta, maiorum depoſita, & recipite.* Reticet cætera Vincentius, & eleganti Apoſiopeſi duriùs ferit illorum ſuperbiam quàm fuſiori exaggeratione feciſſet. Addit ergo quod & ego aduerſus prædictum Cellotianæ orationis tumorem addere poſſem, *Horreo dicere, ſunt enim tam ſuperba, vt mihi non modo affirmari, ſed ne refelli quidem ſine aliquo piaculo videantur.*

Deinde, ad conuincendum propoſitum vrgeo: ſine principiis & fundamentis nequeunt reliqua ſtare: atqui ex Cellotio chariſmata ſunt principia & fundamenta hie-

rarchiæ, tam ordinis quàm iuriſdictionis. Ergo ex ipſo ſequitur nec ordinem, nec iuriſdictionem ſtare poſſe.

Confirmatur, etenim chariſmata Cellotio ſunt principia & fundamenta hierarchiæ ordinis ac iuriſdictionis, nouâ quadam ratione aliis ignotâ, minimèque exploratâ: atqui ignotum non eſt cæteris chariſmata congruas eſſe diſpoſitiones ad ordinem & iuriſdictionem, vel vtriuſque exercitium: imò omnes paſſim hoc dicunt, & conſtantiùs dicunt quàm Cellotius, qui circa iuriſdictionem inconſtanter hac in re, vt ſuprà videre eſt, locutus eſt. Igitur vel iſta eius verba mendacij coargui debent: vel cùm dixit chariſmata eſſe principia & fundamenta totius hierarchiæ ex tribus conſtantis, non debet ſolùm eo ſenſu intelligi, quòd ſint ipſæ diſpoſitiones congruæ ad ordinem & iuriſdictionem, conditionéſque requiſitæ, vt ordinis & iuriſdictionis actus *debitè ac licitè* fiant. Ergo intelligere debet neceſſaria ea eſſe, vt ſimpliciter fiant: quandoquidem hîc ſolus alius modus prædicta verba interpretandi dari poteſt.

Confirmatur iterùm ex iis, quæ ipſe paulò pòſt ſubdit, explicans rationem fundamenti, ſecundum quam hierarchia chariſmatum cæteris inferioribus ordinis & iuriſdictionis neceſſaria ſit. *Quæret*, inquit, *aliquis, ſi fundamenta ſunt illa, cur ab iis hierarchiæ fabricam non inchoauerimus? cur in imo non collocentur? cur ad ſupremos & diuinæ maieſtati citimos Angelorum ordines reducantur? id ego factum reſpondeo ad diui Auguſtini doctrinam, tanquam ad amuſſim accuratè, cui cæleſtis fundamenta ciuitatis in cælo quærere viſum, contra quam in materialibus iſtis ſubſtructionibus contingere videmus. Ergo fundamentum lapis angularis ipſe Chriſtus eſt ab imo ſurgens, ſi tamen ab imo: etenim origo fundamenti huius ſummitatem tenet: & quemadmodum fundamentum corporeæ fabricæ in imo eſt: ſic fundamentum ſpiritalis fabricæ in ſupremo eſt*, &c.

Quid autem ex iis verbis diſcere poſſis, quàm cæterarum hierarchiarum, eam quæ appelletur chariſmatum, eſſe fundamentum: earumdem tamen præſtantiſſimam eſſe, & eodem modo dici fundamentum quomodo fabricæ corporeæ ima pars fundamentum eſt; at quis neſciat ſine ima parte fabricæ corporalis ſublimiores non ſtare? ſine Chriſtò ad Chriſtum peruenıri non poſſe: itaque cum ſimili ratione fundamenta ordinis & iuriſdictionis chariſmata dicantur, quid ſupereſt, niſi vt tam ordo quàm iuriſdictio ſine chariſmatibus ſubſiſtere non poſſint?

Tertius locus habetur eiuſdem libri 8 cap. 13. in quo poſtquam Auctor ex Guillelmo Pariſienſi quintuplex officium ſacerdotale ſeu poteſtates quinque dinumerauit, officium interpellandi, ſecundum offerendi, tertium ſacramentandi, quartum docendi, Doctoréſque inſtituendi, quintum denique ligandi atque ſoluendi: hæc ſubdit, *Sunt hæc igitur tum contemplationis, tum actionis hierarchicæ membra, quorum meminiſſe debemus hoc loco quod eſt alibi adnotatum, fundamentum vim omnem atque efficientiam in Dei vocatione, & chariſmatum communicatione conſiſtere. Nam Deus eſt qui in Eccleſia poſuit Apoſtolos, quibus & dixit aliquando, Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis. Fusè quoque probat S. Dionyſius, Pontificem alterius Pontificis conſecratorem non ſuo, ſed Dei inſtinctu ritus illos peragere, ſigniſque tantùm externis eum inaugurare, qui ſit interiùs iam à Deo per gratias & chariſmata conſecratus; non quòd ea conſecratione actu poteſtas non detur, quam ante ſolùm habebat in potentia, ſed quod illa ſignificetur à Deo tota pendere: neque tam ordinantis ſacerdotis, quam eligentis Dei donum eſſe, ſupremam illam in myſticum Eccleſiæ corpus poteſtatem. Eadem ratione Paulus Timotheo Epiſcopalem gratiam à ſe datam ait*, 1. ad Tim. 4. *per prophetiam cum impoſitione manuum Preſbyterij: quid eſt per prophetiam? inquit ſanctus Chryſoſtomus*, homil. 5. in epiſtolam citatam? *A Spiritu ſancto: qui niſi Timotheum elegiſſet, Paulus non ordinaſſet.* Et paulò pòſt, *Cuius vocationis & chariſmatis defectus in iis, qui ſeipſos in ſacrum faſtigium intrudunt, ſcelera illa parturit, quæ Cyprianus in Nouatiano, Synodus octaua in Photio, alij in alijs reprehendunt.*

Hunc locum ita declarat Cellotius cap. 10. declarationis ſuæ, *Hierarchiæ ordinis & iuriſdictionis fundamentum & efficaciam in Dei vocatione, & chariſmatum communicatione repono, non quòd non poſſit aliquis ſine diuina vocatione & gratia ad ordinis & iuriſdictionis hierarchiam validè admitti, ſacróſque Ordines validè ſuſcipere & exercere: ſed tantùm quòd non poſſit licitè & debitè, vt expreſſè dicitur lib. 6. cap. 2. pag. 422. lib. 9. cap. 20. pag. 947. & cap. 21. pag. 950.*

Digitized by Google

Acquieſco declarationi Cellotij; ſi modò fateri velit, animi ſui ſenſa, malè à ſe explicata incogitanti ipſi plurima excidiſſe, quibus errorem Vuiclephi apertè prodit: nec ſe in ea quæſtione tractanda ſatis verſatum fuiſſe. Primò enim, illegitimum vſum ſacramenrorum, & ab Eccleſia minimè toleratum, ab illo eorumdem vſu, qui ob priuatam miniſtri malitiam illicitus eſt, non diſtinguit: eáq; duo tantùm membra vitioſi vſus ordinis ac iuriſdictionis ſtatuit inualidum, & illicitum ſeu indebitũ ſtatum. Cùm tamen medium ſit quoddam genus functionum earum, quæ illegitimæ ſunt, & ab Eccleſia minimè toleratæ: tréſq; ſint gradus miniſtrorum Eccleſiæ neceſſariò hoc loco diſcernendi, ita vt quidam habeant poreſtatem, ſed ſuſpenſam & ligatam ab Eccleſia, à quibus etiam non licet ſacramenta ſuſcipere; vt intruſi & ſchiſmatici: Alij verò habeant poteſtarem minimè ſuſpenſam, ſed liberam, nullo Eccleſiaſtico impedimento conſtrictam, quibus tamen, ob fœditatem peccati, quam ſolâ voluntate cum Dei gratia eluere poſſunt, abſque eo quod ab vllis vinculis ab Eccleſia exſoluantur; functiones ſacras Deus interdicit vt indignis, in quo ſtatu ſunt omnes, qui in peccato mortali detenti ab Eccleſia tolerantur: Alij tandem omninò liberâ & expeditâ facultate fruantur, vt poſſint etiam licitè & debitè ſacramenta miniſtrare. Quos duos vltimos inter ſe gradus Cellotius præ inſcitia, vel oſcitantia confundit, paréſque in miniſterio Eccleſiaſtico intruſos & ſchiſmaticos, verbi gratiâ Nouatianum & Photium cum iis, qui gratiâ Dei, vel diuinæ vocarionis aut chariſmatum defectu laborant: intruſorum & ſchiſmaticorum ordinationem vitioſam quamlibet, & hominis vitioſi eſſe memorat, quaſi ab iis ſolùm capitibus vitioſa redderetur. Qui error grauiſſimam Eccleſiæ turbationem inducit.

Secundò, verba quibus vritur Cellotius, tam benignam interpretationem non patiuntur: Quid enim ſibi volunt iſta, quòd *hierarchiæ ordinis & iuriſdictionis fundamentum in Dei vocatione & chariſmatum communicatione* conſiſtat? an non innuunt, ſicut ſublato fundamento ruit ædificium, ita ſublatâ vocatione diuinâ, & chariſmatum communicatione ruere hierarchiam tam ordinis quàm iuriſdictionis? Quid verba iſta, *Earumdem hierarchiarum vim omnem & efficientiam in prædictis conſiſtere*, aliud innuere poſſunt; quibus ne Vuiclephus quidem atque Huſſius expreſſiora vlla dixerunt? quæ ideò Cellotio adeò efficacia viſa ſunt, vt in prædicta declaratione particulam, *omnem*, abraſerit: quâ nempè remanente, explicatio iſta mollior quam adhiber propoſitioni ſuæ, applicari non poteſt.

Nónne & eamdem doctrinam ſub alieno nomine videtur propinaſſe iis verbis, quibus ſancto Dionyſio imponit, dum eum dixiſſe mentitur, Pontificem alterius Pontificis ordinationem peragentem *ſignis tantùm externis inaugurare, qui ſit interius, iam à Deo per gratias & chariſmata conſecratus.* Numquam iſta dixit ſanctus Dionyſius, ſed errorem continent intolerabilem, quòd Pontifex ordinans alium Antiſtitem, ſigna tantùm exrerna adhibeat gratiæ vacua & inania, gratiámque nullam per iſta ſigna conferat, ſed iam totam à Deo collatam & infuſam ſupponat; quem errorem refellit Paulus, dum ait 2. ad Tim. 1. *Admoneo te vt reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Nunquam tamen id dixit ſanctus Dionyſius, ſed ſolùm cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ in theoria, hæc habet: Πλὴν γε ὅτι τὸν θεῖον ἱεράρχην οὐκ αὐτοκινήτως χρὴ τὰς ἱεραρχικὰς ποιεῖσθαι τελεσιουργίας, ἀλλ' ὑπὸ Θεοῦ κινούμενον ταύτας ἱεραρχικῶς καὶ ἐνθέως τελεσιουργεῖν *Diuinum enim Pontificem non ſuo impulſu conſecrationes Pontificias conficere oportet: ſed Deo permouente hierarchicè diuinitúſque perficere.* Quæ verba officium ſolùm Pontificis conſecrantis oſtendunt, non autem exrerna tantùm ſigna à Pontifice adhiberi; Deum verò per gratiam & chariſmata, externam conſecrarionem præuenire demonſtrant: quod Cellotius ipſi affingit. Verba autem iſta Dionyſij more Cellotiano explicata indicant externam conſecrationem nihil operari, niſi Dei vocatio, & chariſmatum communicatio præcedat, ac proinde exrernam iſtam conſecrationem abſque iſtis nullam, & irritam eſſe.

Quid verò aliud ſignificant quæ ipſe paulò pòſt ſubdit, *Niſi Spiritus ſanctus Timotheum elegiſſet, Paulus non ordinaſſet.* An non ſenſus iſtorum verborum, niſi præiuiſſet Timothei à Spiritu ſancto electio, nullam & irritam futuram eiuſdem ordinationem à Paulo? Denique poſtrema Cellotij verba à nobis allata oſtendunt, chariſmatum & vocationis diuinæ defectum eorum, qui ſeipſos in ſacrum faſtigium intru-

dunt, id eſt, qui non vocati ad ſacram ordinationem accedunt, ſine debitis & neceſſariis chariſmatum ornamentis, ordinationem iiſdem vitiis maculare, quæ Cyprianus in Nouatiano, Synodus octaua in Photio reprehenderunt. Atqui Cyprianus Nouatiani ordinationem putauit eſſe non ſolùm illicitam & illegitimam, verùm etiam inualidam: Sacramenta enim extra Eccleſiam collata nulla eſſe & inualida putauit. Synodus octaua Photij ordinationem non ſolùm illicitam, ſed ſaltem illegitimam, omni executione carentem iudicauit, Photióque miniſterium omne interdixit, & ab eo ordinatos ad laicorum gradum reuocauit. Igitur ſimiliter cenſere debet Cellotius, eorum qui carent gratiâ & chariſmatibus debitis, ordinationem vitioſam, illegitimam, ſine miniſterij executione quodammodo mutilam, imò & inualidam eſſe.

Reuocat nos in ſui excuſationem Cellotius ad alia loca, quibus ad Catholicam ſententiam accedit, ſed imprudenter: primò enim libri ſexti cap. 2. pag. 422. à ſe citatâ, nihil clarè aduerſus iſtum errorem aſſerit, contradictionibus irretitur, & obſcuritate quaſi affectatâ laborat, vt ſuperiùs vidimus, & mox iterùm videbimus.

Secundò, lib 9. cap. 20. pag. 947 hoc ſolùm dicit, virtutes non admodum ſupra vulgares in Epiſcopo ordinando requiri: quod & falſum eſt, & quamuis verum eſſet non ideò tamen gratias & chariſmata ab hierarchica ordinatione omnia excluderet, ſine quibus nec legitima nec valida ordinatio eſſe poteſt.

Tertiò, eiuſdem libri cap. 21. pag. 950. nihil habet quod ad ſui excuſationem adducere poſſit: quinimmò eò loci per Epiſcopatum probat non acquiri ex opere operato primam gratiam, ſed productam ſupponi: quod etiamſi verum ſit, prædicto tamen errori conſentit. Deinde, nec ad iſta loca ex quibus excuſatio aliqua pateret Cellotio, referenda ſunt verba iſta eiuſdem Cellotij (quod eſt alibi adnotatum) quæ vltimo eius teſtimonio inſerta ſunt, ſed ad ea à nobis anteà citata, quibus Vviclephiano errori fauebat, aſſerens chariſmata ordinis & iuriſdictionis eſſe fundamenta, ſine quibus ipſa eſſe non poſſint, ſunt reducenda. Atque adeò quantumcumque poſteà huic erroneæ doctrinæ contradixiſſet: quid aliud cogitare Lector poſſet, quàm eum in ſua doctrina inconſtantem eſſe, nec à ſe dictis conſtare.

Sanè, vt liberè dicam quid ſentio, ſi ſemel duntaxat aliquid, quod in gratiam prædicti erroris trahi poſſet, dixiſſet Cellotius, veniam vtique mereretur: cum fieri non poſſit, vt humanus animus ita conſideratè omnia proferat, vt omne penitus offendiculum euitet. Sed cùm toties in eum errorem impingat, eáque dicat, quibus eum oculis legentium exponat, & in cæteris toto libro ſparſis doctrinæ Vviclephianæ, quibus ſacerdotij dignitas & poteſtas aliis quàm ſacerdotibus communicatur, faueat, vt ſuprà demonſtrauimus; iure poſſemus in odium eius erroris ipſum trahere, niſi charitas, *quæ non cogitat malum*, & anteacta ipſius in ordine Religioſo vita ab hac nos cogitatione reuocarent: iuſtè quoque Facultas Pariſienſis timuit, ne verbis illis malè ab ipſo prolatis, Catholicorum animi offenderentur; neue ea paruulis in foueam & decipulam eſſent.

ARTICVLVS

ARTICVLVS II.

Alter error Cellotij, quòd Hierarchia Chariſmatum ſit ſuprema & perfectiſsima in ratione Hierarchiæ, eiuſque reuocatio in ſua declaratione.

ALTER tuus error, Celloti, eſt, quòd hierarchia chariſmatum & ſuprema ſit & perfectiſſima, quem tuum errorem ſuperiùs retulimus atque refellimus: ſed quia mentem tuam tibi declarare placuit, dum in declaratione à te facta dixiſti, *hierarchiam*, quam chariſmatum appellauiſti, *non eſſe primam & ſupremam in ratione hierarchiæ*; an ea declaratio menti tuæ conſentiat, an potiùs mera ſit retractatio ſententiæ tuæ, patieris nos obiter diſcutere.

Certè in ipſo ferè limine operis tui, lib. 1. cap. 1. tabulam Eccleſiaſticæ hierarchiæ proponis, in qua *hierarchia chariſmatum ſuprema* dicitur, *hierarchia ordinis media, & hierarchia iuriſdictionis infima*. In hac diuiſione, quæ ſummarium erat totius operis, ineptè hierarchiam chariſmatum ſupremam dixiſſes, niſi in ratione hierarchiæ, eam quæ eſt ordinis, mediam, eam quæ eſt iuriſdictionis, infimam crediſſes; niſi ordinem iſtum inter tres illas hierarchias à te conſtitutas in ratione hierarchiæ ſtatuendam eſſe cenſuiſſes: at hoc in tua declaratione reuocaſti. *Quam ergo* (vt quibus me cap. 2. lib 1. verbis compellauit, viciſſim, ſed veriùs Lectorem tuum compellem) *hierarchiæ cognitionem ab eo Doctore haurias, qui fœde labatur in terminis?* qualem *in explicanda hierarchia viam ab eo ſperes homine, qui ſit canterius in porta?* id toto opere paſſim repetis. Liber tuus octauus hunc titulum præfert, *de ſuprema hierarchiæ Eccleſiaſticæ ſpecie, quæ eſt chariſmatum ſiue gratiarum*. Titulus fortè à ſcopo operis diſſentit: & liber de hierarchia chariſmatum ſuprema acturum auctorem ſpondebit; Auctor tamen de hierarchia chariſmatum in ratione hierarchiæ non loquetur? aut in ratione hierarchiæ ſupremam eſſe non cogitauit? ſcilicet totâ præfatione operis, quâ ſupremam eam eſſe contendis, aliud quidpiam cogitabas, quam rationem hierarchiæ: aliud ſpectabas, quàm quod toto libro propoſitum habueras? nónne illud eſt ludificari, eóſque ſtipites credere, quibus id perſuaſum velis. Inſuper & rationem aſſignas, quâ ſupremam probas, & ideò cæterarum hierarchiatum fundamentum, quod ſuprema ſit rerum ſpiritalium more, quæ quò ſuperiores ſunt, eò magis radicales? negabis id in ratione hierarchiæ à te hierarchiæ chariſmatum attributum, quod ex ſimilitudine cum Angelica hierarchia comprobas? meræ nugæ: Audiamus ergo te loquentem, & rationem cur hierarchia chariſmatum ſuprema ſit, ediſſerentem: *Quam contemplanti celſitudinem, moleſtum, vt ſpero, non erit, quòd hierarchiam iſtam ſupremam in titulo appellaui, quòd in editis ſupra vulgi capita hominibus, tanquam montibus collocaui: Nam & ſupremæ Angelorum hierarchiæ reſpondet, & magnos facit verè montes Dei, & ea ſola ſatis eſt, ſine qua nulla alia ſufficit.* Igitur verè dicere voluiſti in ratione hierarchiæ, chariſmatum hierarchiam eſſe ſupremam: atque ita non ſincerè mentem tuam declaras, ſed aliam quàm quæ fuerit ſimulas. Atque adeò tua declaratio librum tuum erroris, liber tuus mendacij declarationem conuincit: erraſti falſa ſcribendo, & cùm poſſes errorem fatendo pœnitentiæ fructum conſequi ſalutarem, ſimulatione & mendacio perdidiſti.

Puduit te iſtius erroris tui, nec in celebri virorum doctorum conuentu hunc defendere auſus es. Demonſtratum eſt tibi, quàm malè haberetur Tridentinæ Synodi definitio, ſi ea, quam ſolam definit, hierarchia ex Epiſcopis, Preſbyteris & miniſtris diuinâ ordinatione conſtans, infima ſit & ignobiliſſima: futurum etiam, vt æquiuocè tantùm hierarchia illa dicenda ſit; cùm enim in vna ratione hierarchiæ chariſmatum hierarchia à Cellotio conficta, cum ea quæ à Concilio Tridentino deſcripta eſt conuenire non poſſit, hæc Principatus ſit ſacer, illa Principum ſacrorum; nec magis conueniant quàm pes montis & pes hominis, vt ipſe docet libri tertij capite quinto, pag. 134. Vnam proinde ex duabus neceſſum eſſe dicebant viri graues præcipuè & potiſſimùm hierarchiam dici: aliam tantùm æquiuocè, & reſpectu ad eam,

Digitized by Google

quæ potiſſima haberetur ſecundum rationem æquiuocorum, quorum præcipuum ſignificatum illud eſt, quod in iſta ratione perfectiſſimum eſt: cætera alia ſignificata per reſpectum tantùm ad præcipuum denominantur. Atque ita ſi potiſſima & ſuprema ſit hierarchia chariſmatum, quam Concilium Tridentinum non definiuit: neceſſariâ conſecutione deducendum tibi obiiciebant, hierarchiam, quam Concilium definiuit, æquiuocè tantum & per ordinem ad commentitiam tuam hierarchiam dicendam? quo quid poſſit eſſe abſurdius, vel ad euertendam Concilij Tridentini definitionem inueniri callidius, aut ad deprimendam Paſtorum Eccleſiaſticorum, Epiſcoporúmque, Presbyterorum & Diaconorum ordines excogitari poſſit fallaciùs tibi perpendendum benignè proponebant.

Eludi etiam exinde aliam eiuſdem Concilij definitionem querebantur, *Epiſcopos* nempe, *eoſque poſitos regere Eccleſiam Dei, ad eam hierarchiam præcipuè pertinere*, ſeſſ. 18. cap. 4. eludi, inquam, à te qui ideò ſupremam dicas chariſmatum hierarchiam eſſe, *quòd ea ſola ſatis ſit, ſine qua nulla alia ſufficit*. Ita nempè, vt ſibi ipſi illa ſufficiat, nec ad aliam referatur: hierarchia verò ordinis & iuriſdictionis propter ipſam ſit, ſuámque dignitatem per reſpectum ad ipſam conſequatur: ac ſi diceres ſacerdotalem ordinem, ſi quid habeat honoris à Monachali habere, non viciſſim.

Clanculum etiam ſuprematum Romani Pontificis in Eccleſia euerti metuebant: quandoquidem in vltima tantùm hierarchia primum locum habeat; infra hierarchiam chariſmatum, in qua laicos & fœminas collocaras, & Monachos & Moniales ſupremo gradu: quos etiam eſſentne conſortij in eo loco expertes, an aliquos ſecum admitterent diſputandum ita relinquebas, vt tamen credi à Lectore tuo velles, quemadmodum mox dicemus, Monachos in ſupremo hierarchiæ chariſmatum gradu vix vllos conſortes admittere. Tiaram Pontificalem, Epiſcopalem infulam ab inferioribus ita calcari dolebant: ſupra omnes Eccleſiaſticorum ordines ſuperiori in Eccleſia gradu, ordine, loco, ſtatu poni fratres laicos & Moniales indignabantur omnes, quos zelus domus Dei comedebat; & cùm ſuperioris hierarchiæ viros, eos qui ſunt inferioris regere pro conſtanti hactenus habitum ſit, Monachos, Canoniſtas, laicos, Theologos, alióſque in chariſmatum hierarchia priores ſedes tenentes Eccleſiarum capitibus imperare, Præſules regere, & eis tanquam de ſuperiori loco influere non ſine ſtomacho legerant. Immania iſta omnia figmenta ad omnium Eccleſiæ ordinum perturbationem, ferre Catholici Doctores non poterant: tui quos tecum aduocaueras ſtupebant: tu ipſe qui docueras, qui ſcripſeras, demiratus commentarios iſtos, ex quibus ita ſapere didiceras, apud te tacitè damnabas.

Quàm grauis etiam ſit error iſte, quòd perfectiſſima ſit hierarchia chariſmatum, à nobis ſuprà probatum eſt. Quod autem eam in ratione hierarchiæ perfectiſſimam eſſe volueris, ſatis ex eo patet quòd eam perfectiſſimam ideò velis, quòd perfectiſſimus hierarchicus actus ei proprius ſit: nam purgationem iuriſdictionis, illuminationem ordinis, perfectionem hierarchiæ chariſmatum eſſe contendis, cap. 1. lib. 8. quòd perfectiſſimis Angelorum ſupremæ hierarchiæ & perfectiſſimæ reſpondeat, in præfatione: quòd finem hierarchicum perfectiùs conſequatur, lib. 9. cap. 3. quòd poſteriori modo & defœcatiori hierarchicè operetur, lib. 8. cap. 1. Quæ omnia ſi eam perfectiſſimam eſſe probant, nonniſi in ratione hierarchiæ perfectiſſimam demonſtrant.

ARTICVLVS TERTIVS.

Alij errores & contradictiones, in quæ Cellotius tres hierarchias à ſe poſitas comparans prolapſus eſt.

§. I.

Error primus, quòd ſanctitas ſingulariter præ cæteris hierarchiæ chariſmatum tribuenda ſit.

SVNT alij non minùs graues errores, in quos comparans Cellotius tres à ſe poſitas hierarchias impegit: duos paucis iſtis verbis complectitur, quæ ſtatuta ſuperiori diuiſione hierarchiæ in chariſmatum, ordinis & iuriſdictionis ſubiungit, lib. 3. cap. 16. pag. 154. *In prima ſanctitas eſt: in ſecunda conſecratio: in tertia miſſio. Prima dat auctoritatem excellentiæ: altera ſimpliciter poteſtatem aut officium: Vltima iuriſdictionem.*

Primùm enim error eſt, quòd hierarchiæ chariſmatum potiùs quàm ordini ſanctitas attribuenda ſit. Nam vel formaliter hierarchiæ chariſmatum attribuitur, quòd ipſa ſit ſanctitas, ſicut ordo formaliter eſt conſecratio, & iuriſdictio eſt miſſio. Vel cauſaliter, quòd ipſa efficiat ſanctitatem: atqui neutro modo hierarchiæ chariſmatum attribui poteſt ſanctitas præcellentiùs quàm ordini, abſque errore: & dicerè quælibet hierarchiæ chariſmatum membra, eo ipſo quo in hanc hierarchiam cooptantur, formaliter ſancta eſſe, erroneum eſt; nam & Prophetas, ac miraculorum effectores ſanctos ſemper eſſe repugnat expreſſo Dei verbo Matthæi ſeptimo: & Monachos in hierarchia chariſmatum per Monaſticam profeſſionem toto vitæ tempore duraturam, vel Doctores per gradum ſimiliter indelebilem conſtituros, inſeparabilem à ſuo ſtatu habere ſanctitatem, Catholicæ fidei haud dubiè contrarium eſt.

Error etiam eſt, quòd hierarchia chariſmatum, tutiùs, certiùs, nobiliùs ſanctitatem conferat, quàm ſacramentum Ordinis, cui *ex opere operato* ſanctitatis effectio debetur. At hierarchia chariſmatum Cellotiana nullam talem ſanctitatis efficiendæ vim habet: eſt enim ipſa, ſi Cellotio eam definienti credimus, libri ſeptimi cap. 2. *Ordo ſacer in Eccleſia per chariſmatum & gratiarum gratuitarum vſum homines ad Dei ſimilitudinem adducens, & ad eam pro rata & proportionaliter aſcendens.* Ordo iſte ex opere operato certò & infallibiliter etiam, remoto obice, ſanctitatē non confert: Non hanc vim habet v. g. Theologiæ & Canonum Doctoratus, per quem in iſtam hierarchiam homo, teſte Cellotio, tranſcribitur; non ipſe Monachatus: & in iſta hierarchia eodem teſte, lib. 6. cap. 6. pag. 422. poſſunt aliqui facinoroſi manere, & ordinis ſui exercere munia, licèt non licitè, vel ſaltem non conuenienter: itaque abſque errore dici nequit, quòd hierarchia chariſmatum potiùs quàm ordinis ſanctitatem ſibi propriam vendicet.

§. II.

Alter error, quòd auctoritas excellentiæ ſingulariter præ cæteris hierarchiæ chariſmatum conueniat.

SECVNDVS error iiſdem verbis contentus, quòd *auctoritas excellentiæ* chariſmatum hierarchiæ ſingulariter tribuatur. Quem errorem triplici de cauſa confutandum cenſeo: primò, quòd auctoritas excellentiæ à diuo Thoma 3. part. quæſt. 64. art. 4 in corpore, & in reſponſione ad primum, & quæſtione quartâ, articulo quinto ad tertium, aliiſque Theologis paſſim ſoli Chriſto propria dicitur: idcóque laborat æquiuoco iſta propoſitio Cellotiana, videtúrque poteſtatem Chriſto propriam, quâ poterat etiam ſacramenta inſtituere, & ſine ſacramentis eorum effectus producere, chariſmatum intuitu hominibus concedere.

Secundò, quia non videtur hæc prior explicatio menti Cellotij congruere, refellitur item duobus aliis modis, quos Cellorius videtur amplecti, qui ambo errorem quoque continent: primus quòd excellentior ſit hierarchia chariſmatum cæteris hierarchiis: atque adeò hierarchicè ex chariſmatibus agendi nobilior ſit modus, quam ex ordine vel iuriſdictione: quaſi nobiliores ſint functiones chariſmatum, ſeu gratiarum gratuitarum, quàm ordinis & iuriſdictionis. Quem errorem in ſacramentorum contemptum vergere, & ſatisfactionum Chriſti ac meritorum, quæ per ea applicantur, ſuperiùs docuimus. Alter, quòd non tantùm præcellentiam habeat functio ex chariſmate, ſed etiam auctoritatem in iſta præcellentia fundatam; ita vt nemo petere poſſit, in quo nomine, qui hierarchiam chariſmarum ingreſſus eſt, etſi ordinis omnis & iuriſdictionis expers ſit, & quâ auctoritate docendi, aliáque faciendi munia faciat: quandoquidem id eo nomine præſtet, quod præcellentiori ordini & hierarchiæ per chariſmata inſertus ſit. Quæ mens eius eſſe videtur, quandoquidem alicuius auctoritati obſeruantiam in aliis reſpondere affirmat lib. 7. cap. 7. *quam*, inquit, *deberi pronuntiat diuus Thomas* (2. 2. quæſt. 102. art. 2. ad ſecundum) *iis quibus non ſumus ſubiecti, idque ratione ſublimioris gradus; quod morale debitum eſt.* Atque adeò ſecundum iſtum Auctorem ſequitur Papam, Patriarchas, Primates & alios Eccleſiaſticâ iuriſdictione præditos, qui in infima hierarchia collocantur, Monachos & Moniales obſeruare ex debito morali teneri, iiſque tanquam in dignitate conſtitutis, & ſublimiori ſe gradu poſitis aſſurgere oportere, honorem & cultum ipſis debere, in quibus obſeruantiam conſiſtere docet diuus Thomas articulo primo eiuſdem quæſtionis; cùm tamen hactenus Eccleſia docuerit omnes Monachos debere obſeruare Eccleſiaſtici ordinis viros, vt in ſublimiori gradu poſitos: non è contrà.

Quem errorem patet coincidere cum iſto Vuiclephi & Huſſij ſuperiùs allato, *quod quicunque eſt humilior, & Eccleſiæ ſeruicinior, eſt in Eccleſia militanti maior, & proximus Chriſti vicarius reputandus.* Cum iſto item Meſſilianorum in Concilio Gangrenſi Canonibus 5. 6. 7. & 8. damnato, qui prætextu Monaſticæ exercitationis, & quæ Clericalis ordinis erant, vſurpabant; cum iſto tandem eorum errore, quem reprobatum ab Eccleſia poſteà demonſtrabimus, qui docendi munus falſo Monaſticæ profeſſionis prætextu vſurpabant.

In prædictis autem verbis contradictionem aduerto, quòd Cellotius in ſola hierarchia ordinis poteſtatem ſeu *officium* admittat, actúmque hierarchicum definiat, qui fiat ex *officio*: cùm lib. 8. cap. 8. ſolâ ratione *officij*, chariſmatum vſum hierarchicum à non hierarchico diſtinguat; cùm libri tertij cap. 7. poteſtatem ordinis ab officio diſtinguat. cùm denique libri 9. cap. 18. citans diuum Thomam 2. 2. quæſt. 184. art. 8. hanc diſtinctionem inter ſtatum, ordinem & officium ſtatuat, vt officium iuriſdictioni maximè proprium ſit, *Status*, inquit, *hierarchiam gratiarum, ordo ſui nominis hierarchiam ſecundam, officium iuriſdictionem ſonat.* Si enim hæc vera ſunt, quomodo hierarchiam ordinis ſpeciatim *officium* dicit; quod ſcilicet vel commune eſt omnibus ex æquo hierarchiis, vel ſi alicui ſpeciatim attribuendum, iuriſdictionis potiùs hierarchiæ quàm cæteris adſcribendum ipſe cenſet?

§. III.

Variæ contradictiones & errores Cellotij circa varios modos ſanctitatis, quos tribus hierarchiis à ſe aſſignatis proprios ſtatuit.

TERTIVS error contradictionibus admixtus petitur ex lib. 6. cap. 2. ſuperiùs citato: ibi enim tres modos ſanctificandi tribus hierarchiis proprios attribuit. Primum hierarchiæ chariſmatum, quam dicit iuſtificare propriâ ac priuatâ interiori ſanctitate, quæ dum infertur corpori, in ornamentum cæterarum compartium & membrorum reſilit. Alterum hierarchiæ ordinis, quæ in alterum ſanctitatem per ſe effundat, ita tamen, vt interiori ſanctificatione opus habeat, quatenus vel licitè vel ſaltem conuenienter miniſterio ſuo defungatur, verbi gratiâ Presbyter vel Diaconus, vt baptizet.

Tertium denique iuriſdictionis, quæ effundit ſanctitatem in alterum abſque eo quòd ſanctitate interiori indigeat, vel vt validè, vel vt conuenienter officio ſuo fungatur: quod probat exemplo Epiſcopi nondum conſecrati, qui Archidiacono ſoluendi & ligandi officium committere poteſt validè & conuenienter, etiamſi lethali crimine conſtrictus ſit.

Obiicit ſibi, dona gratuita, verbi gratiâ prophetias, & miracula ab homine gratiâ ſanctificante deſtituto fieri poſſe: cui obiectioni facilè reſponderi poſſe docet; *poſſe quidem validè, non licitè aut conuenienter*: quod exemplo etiam Doctorum, qui ſacram tractant ſcientiam, & Euangeliſtarum, qui in diuinorum myſteriorum explicatione verſantur, comprobat; quibus non licere, vel non conuenire ſacrorum ſcientiam & tractationem oſtendit ex Pſalmo 49. quem ad ſe ſpectaſſe putarit Origenes, *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?*

Porrò huic explicationi ineſt contradictio: etenim tres modos tribus hierarchiis reſpondentes, & quidem ſecundum ſecundæ hierarchiæ, quæ eſt ordinis, proprium Cellotius facit: at eumdem mox in reſponſione ad obiectionem primæ hierarchiæ chariſmatum conuenire aſſerit, excludendo ab ea primum illum, quem ei anteà attribuerat: per ſanctitatem interiorem hierarchiam chariſmatum ſanctificare priùs dixit, poſtcà id neceſſarium eſſe negauit. Sanctitatem interiorem ad exteriorem actionem licitè ac conuenienter exercendam, non tamen ad validitatem actus exigere hierarchiam ordinis tanquam proprium ſuum modum, ſcripſerat; mox tamen eamdem rationem hierarchiæ chariſmatum attribuit: priùs ſanctitatem ſtrictiorem & magis intimam ad hierarchiam chariſmatum, quam ad ordinis hierarchiam requiſierat; poſteriùs minùs ſtrictam minúſque intimam: nam ordinis functionibus licitè & conuenienter exercendis neceſſariam ſanctitatem interiorem ſcripſit; hierarchiæ verò chariſmatum functionibus, ſi non licitè, ſaltem conuenienter. Quæ omnia apertam contradictionem inuoluunt.

Secundò, in eadem explicatione ij errores latent: Primus, quòd hierarchiæ chariſmatum ſanctitas neceſſariò adiuncta ſit, magiſque quàm hierarchiæ ordinis; quem errorem ſuperiùs refellimus. Alter, quòd non ſolùm validè, verùm etiam licitè, imò & conuenienter iuriſdictionis hierarchicæ functiones à non habente gratiam habitualem fieri poſſint. Licitè hierarchiam iuriſdictionis abſque ſanctitate interiori ſeu gratia operari expreſsè admittit; conuenienter etiam & debito modo operari admittat neceſſe eſt: tum quia eius ſanctitatem merè exteriorem ſcribit, nullâ neceſſitate, ſaltem ſtrictâ cum interiori ſanctitate coniunctam. At ſicut ſtricta dicitur neceſſitas, cùm quid abſolutè neceſſarium eſt, vt licitè fiat; ita ſtricta eſt neceſſitas, vt quid debito modo & conuenienter fiat. Tum quia quidquid indebito modo fit, vel non congruenter rectæ rationi, idipſum videtur illicitè fieri: & è contrà quidquid debito modo fit, & congruenter rectæ rationi, illud licitè fieri dicitur. Ac proinde perperàm iſta diſtinguuntur: proindéque cùm Cellotius admittat iuriſdictionis hierarchiam ſine ſanctitate interiori licitè exerceri, admittere quoque debet congruenter & debito modo exerceri. Tum quia opponit Cellotius hierarchiam iuriſdictionis hierarchiæ chariſmatum: & ad hanc interiorem ſanctitatem eatenus requirit, quatenus ipſa ſine ſanctitate interiori ſuas functiones exercere non poteſt licitè, vel certè conuenienter: ergo ex aduerſo ſanctitatem interiorem neceſſariam inficiari debet, ad hoc vt iuriſdictionis hierarchia ſua munia tam licitè quàm conuenienter obeat.

Quàm verò illud falſum & abſurdum ſit, ex principiis ipſius demonſtro: Si enim incongruum & indebitum, nec ſine peccato fieri poſſe cenſet, vt quis tanquam inſtrumentum diuinum vel ad prophetandum, vel ad miracula facienda aſſumatur, ſed in eo qui prophetat, vel miracula facit, ſanctitas & pietas deſiderantur: numquid ſimiliter incongruum & indebitum, atque illicitum erit, quod quis vicariâ, eáque ſupernaturali Dei poteſtate iuridicâ vtatur, quòd ſit vicarius Chriſti, miniſter Dei, eo in ſtatu, quo ipſi Chriſto ſit inimicus, & à Deo damnandus. Si incongruum putat Cellotius ſacram tractare ſcientiam ſine ſanctitate: an minùs abſurdum erit ſacram adhibere cenſuram ſine charitate? ſi indecorum credit fidem ſanctitatis effectricem in hominum animis expertem ſanctitatis ingenerare: an conſentaneum erit regulam ſanctitatis eum præſcribere atque imperare, qui primus à ſanctitate deſe-

xerit: ergo iiſdem omninò rationibus, quibus hierarchiam chariſmatum cum interiori ſanctitate coniunctam putat, nec ſine culpa in peccato exerceri poſſe defendit: iiſdem nec iuriſdictionem ab interiori ſanctitate diuulſam eſſe debere, nec licitè ac congruenter ſine gratia exerceri poſſe demonſtrabo. Atque adeò eorum oblitus, quæ paucis anteà lineis ſcripſerat, eodem cap. 2. citato ſanctitatem tanquam congruam diſpoſitionem tam ad ordinem quàm ad iuriſdictionem ipſe requirit.

§. IV.

Sanctitatem interiorem neceſſariam eſſe, vt aliquis hierarchicâ iuriſdictione conuenienter vtatur.

SED quia non ſufficit veritatem quæ apud Catholicos debet eſſe communis, ſolis ad hominem argumentis, quæ retractatione diſſolui poſſint, demonſtrare: audiatur Scriptura ſacra, quæ nobis quàm indecorum ſit, hominem ſine ſanctitate iuriſdictionem tenere, & vacuum gratiæ iuriſdictionis dignitate aliis extolli, atque imperium ſuum exercere exploratum facit, dum eum ſuggillandum iudicat, qui peccantem corripiat ex iuriſdictione, qui peccati vinculis ipſe ſit conſtrictus: ſcribitur enim Mathæi 7. *Quid vides feſtucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? aut quomodo dicis fratri tuo, Frater, ſine eiiciam feſtucam de oculo tuo? eiice primùm trabem de oculo tuo, & perſpicies feſtucam eiicere de oculo fratris tui.* Sed & eadem Scriptura nobis Chriſtum Prælatorum exemplar prius facientem, deinde docentem ſeu iubentem exhibet, Actorum 1. Pharisæóſque reprehendit, Mathæi 23. duces cæcos, culicem ex colantes, & camelum deglutientes, ſepulchra dealbata, &c. *quod alligarent onera grauia & importabilia, & imponerent in humeros hominum, digito autem ſuo nollent ea mouere.* Quàm rectè iſta reprehenſio Euangelica Luc. 4. *Medice, cura teipſum*, in eos quadrat, qui infecti peccatis alios corripere moliuntur. Audi Bernardum de tribus ordinibus, ſerm. 5. plures huiuſmodi ſententias Scripturæ ad noſtrum inſtitutum interpretantem, *Prælato*, inquit, *cum intentione pura irreprehenſibilis quoque neceſſaria eſt conuerſatio: vt forma factus gregis, incipiat facere & docere, & ſecundum magiſtri noſtri regulam quæcunque docuerit diſcipulis eſſe contraria, hæc in ſuis actibus indicet non agenda; ne fortè ſubmurmurare poſſit frater, quem arguit, & dicere, Medice, cura teipſum. Talis enim occaſio plurima damnatio Prælati, plurima ſubditorum perditio eſt. Non quòd ego bene id caueam, idcircò ſic loquor, ſed & mihi & omnibus pariter veritas ſic clamat, quoniam oportet irreprehenſibilem eſſe eum qui præeſt, ita vt ſecurâ conſcientiâ cum Domino reſpondeat exprobrantibus ſibi verbum, quis ex vobis arguet me de peccato?*

Quàm grauiter in eundem ſcopum multæ Patrum ſententiæ collimant ex Scripturis ſacris eandem veritatem colligentium: Hieronymi in epiſtolam ad Titum. *Quomodo poteſt Præſes Eccleſiæ auferre malum de medio eius, qui in delictum ſimile corruerit? aut quâ libertate corripere peccantem, cùm tacitus ſibi reſpondeat, eadem ſe admiſiſſe quæ corripit?* Ambroſij epiſtolarum lib. 3. epiſt. 25. ad Vercellenſes circa medium. *Qui alios præceptis ſuis ligat, debet ipſe legitima præcepta in ſe cuſtodire.* Chryſoſtomi homil. 24. in Mathæum, οὐδὲ γὰρ δεῖ, φησὶ κρίνειν ἑτέρους ὅτ' αὐτός [τῶν αὐτῶν] ὑπεύθυνος ᾖ. *Non enim debet aliquis condemnare alterum, cum ipſe ſit reus*; Rationem aſſignat, *Nam & ſua vnuſquiſque faciliùs cognoſcit, quàm vtique cæterorum, & maiora cùm perſpicit, quam minora, & ſeipſum magis amat profectò, quam proximum. Itaque ſi alterius curam gerens id facis, temetipſum ante curato, in quo & manifeſtius reperitur peccatum & grandius. Sin autem temetipſum contemnis ac deſpicis, liquet omnino, quòd fratrem tuum ipſe odio iudices, non ſtudio diſciplinæ, nec emendare illum cupias, ſed notare.* Auctoris imperfecti in Mathæum inter opera Chryſoſtomi homil. 18. *Quoniam ergo dixerat præcipuè ſicut diximus Doctoribus*, (Doctorum nomine, eò loci præpoſitos, & iuriſdictionem habentes intelligit) *Nolite iudicare, vt non iudicemini, conuenienter addidit, & dicit: quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem verò in oculo tuo non vides? id eſt, qui trabem in oculo tuo non vides, vt quid vides feſtucam in oculo fratris tui? ac ſi dicat. melius eſt nec docere nec reprehendere laicum, quam docere & reprehendere, & teipſum in reprehenſione conſiſtere: quoniam*

doctrina talis Doctoris non eſt audibilis, ſed deriſibilis. Propter quod omnis ſacerdos, ſi vult docere populum, priùs ſeipſum doceat: ſi autem ſeipſum non vult docere de omni quod docet, nec ſeipſum arguere de omni quod arguit; nec alios doceat, nec arguat quemquam: vt ſi iudicium Dei non euadit, vel hominum opprobrium non patiatur. Cum qua facie arguis peccatum laici fratris tui ipſe in eodem aut in maiori peccato exiſtens? Non times, ne audias ex diuerſo, Medice, cura teipſum. Quomodo fratri tuo dicis, id eſt, quo propoſito, putas ex charitate cordis dicis, vt ſalues proximum tuum? Non; ſed vt te ſimules iuſtum. Si autem vere ex charitate cordis argueres proximum tuum, vt ſaluares teipſum ante curares. Numquid poſſibile eſt vt beneuolentior ſis alteri, quàm tibi? vt quid cùm teipſum nolis ſaluare, alterum velis? omnis ergo Doctor, qui alterum in qualicumque reprehendit delicto, & ipſe in eodem conſtitutus, non ſe priùs expurgat, &c. *eſt hypocrita. Vis libere & fiducialiter reprehendere laicum, & eiicere de oculo mentis eius peccatum? priùs tuam ipſius mentem purga ab omni malo, vt cùm tu argueris laicum pro peccatis eius, ex diuerſo laicus non habeat, vnde redarguat te pro peccato tuo: nam incipiet te timere in ſe, cùm non inuenerit quod condemnet (*aliàs *contemnat) in te.* Gregorij lib. 14. Moral. cap. 13. *Ordo quippe erectionis in bono eſt iſte, vt primùm contra nos, deinde contra malos erigamur.* Et paulò pòſt, *Qui enim ſemetipſum priùs non iudicat, quod in alio rectum iudicat, ignorat; & ſi nouit fortaſſe per auditum quod rectum iudicare debeat; rectè tamen iudicare aliena merita non valet, cui conſcientia innocentiæ propriæ nullam iudicij regulam præbet. Hinc eſt enim quod inſidiantibus quibuſdam, & puniendam adulteram dicentibus, dicetur, qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat. Ad aliena quippe punienda peccata ibant, & ſua reliquerant: reuocantur itaque intùs ad conſcientiam, vt priùs propria corrigant, & tunc aliena reprehendant. Hinc eſt quòd cùm tribus Beniamin in carnis ſcelere fuiſſet obruta, collectus omnis Iſraël vlciſci iniquitatem voluit, ſed tamen ſemel & iterùm in belli certamine ipſe proſtratus eſt. Conſulto autem Domino, ſi ad vlciſcendum ire debuiſſent, iuſſum eſt: qui iuxta diuinæ vocis imperium perrexit, & ſemel, & ſecundò perdidit, & tunc demum peccatricem tribum valide feriens pene funditus extinxit. Quid eſt quod in vltionem ſceleris inflammatur, & tamen ipſe prius proſternitur, niſi quòd prius ipſi purgandi ſunt, per quos aliorum culpæ feriuntur, vt ipſi iam mundi per vltionem veniant, qui aliorum vitia corrigere feſtinant,* &c. Iſidori Hiſpalenſis lib. 3. ſententiarum cap. 32. *Non debet vitia aliena corripere, qui adhuc vitiorum contagionibus ſeruit: improbum eſt enim arguere quemquam in alio quod adhuc deprehendit in ſemetipſo.*

Plures alios omitto; ſufficit enim iſtorum auctoritas, vt communis dici poſſit Patrum ſententia, quam illi amplexati fuerint; nec eorum verba detorqueri vllo modo poſſunt, quin clarè id videantur docere, quod intendimus, nempe iuriſdictionem præſertim ſacram indebitè exerceri ab eo, qui in peccato mortali verſetur. Probationes quoque ex Scripturarum ſacrarum fontibus petitæ ſatis euidentes ſunt, vt minimè contumaci, prædictam veritatem Catholicam perſuadeant.

Quid plura ingerimus, quandoquidem dubitare poſſit nemo, quin incongruum ſit, eum tanquam iudicem alium per excommunicationem tradere Satanæ caſtigandum, qui ipſe à Satana poſſideatur: ab excommunicatione abſoluere, qui ipſe ſit ligatus; alióſque iuriſdictionis actus, qui ad purgationem referuntur exercere, qui purgatione indigeat; quandoquidem tum ex Dionyſij ſententia toties explicata, tum ex Gregorij Nazianzeni Orat. 21. Iſidori Peluſiotæ lib. 2. epiſt. 65. atque aliorum mente, priùs vnumquemque purgari, quàm purgare oporteat: & indecorum ſit iudicem agere, ac reum eſſe. Quæ omnia oſtendunt ſaltem indebito modo ab eo exerceri iuriſdictionem, qui lethali crimine obſtrictus ſit.

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Alij errores & contradictiones Cellotij circa eamdem Hierarchiæ charismatum tractationem.

§. I.

Errores præſertim refelluntur.

PLVRIMOS alios errores notarunt Doctores Pariſienſes circa chariſmatum hierarchiam, quos cùm reuocata hierarchia chariſmatum ſimiliter reuocari neceſſum ſit, ideò diſtinctam eorum reuocationem à Cellotio minimè poſtularunt. Huiuſmodi ſunt primus, quòd hierarchia à ſtatu perfectionis, vitæ & conditionis profeſſione aliqua deſumatur lib. 8. cap. 1. pag. 662. quòd *hierarchicum opus ſit, doctrina, exemplo & merito prodeſſe*, quem errorem aſſerit, vt teſtatus eſt lib. 8. cap. 2. pag. 664. *Quod per prophetiam & linguas, ſapientiam & curationes, aliáque eiuſmodi quæ ab ordine & iuriſdictione minime penderent, aliquis hierarchiæ inſeratur*: atque adeò nec *ſequiorem ſexum excludere* oporteat, eiuſdem lib. cap. 6. pag. 681. *quòd nec fœminæ a gratia, nec gratiæ ab hierarchia, quia dantur fœminis, abigendæ ſint.* ibidem. Quòd Doctorum ordo nullâ ratione ad ordinem vel iuriſdictionem pertinentium in hierarchia locum habeat, cap. 14. eiuſdem lib. pag. 701. Quòd etiam Grammaticæ Profeſſores hierarchizent, eodem cap. pag. 705. quòd Canonici Iuris Doctores hierarchiæ ſimiliter inſerantur, cap. 15. pag. 706. Quos omnes errores ſtatuere eum oportebat, qui hierarchiam chariſmatum ſtatuerat; & eo ipſo reuocare cenſebatur, qui in chariſmatibus *præcisè nullam hierarchiam niſi latè & æquiuocè*, agnoſcere compellebatur. In iis itaque erroribus refellendis, qui & ſuperiùs à nobis refutati ſunt, & ab Auctore reuocati, fuſiùs immorari non debemus.

Alios adnotare debemus, in quos idem Auctor impegit: ac primùm prætermittere nobis non licet eum quem ſuperiùs obiter indicauimus, dum ex præfatione lib. ipſius octaui, hæc de hierarchia chariſmatum ab illo dicta protulimus, *ea ſola ſatis eſt, ſine qua nulla alia ſufficit.* Quibus verbis ſolam hierarchiam chariſmatum ſufficere in Eccleſia Dei, nec ordinis nec iuriſdictionis hierarchiam neceſſariam eſſe, dummodo adſit hierarchia chariſmatum, ſignificatur. Deus bone! quantum erroris iſtud portentum, quàm immane, aduerſus diuina beneficia & ſacramenta diuinitùs nobis data, nec non diuinam Eccleſiaſticæ gubernationis formam, ſacerdotalem ordinem, ac dignitatem: quàm flagrans odium verba iſta demonſtrant? Quid? non ergo neceſſarium eſt Eccleſiæ ſacramentum Ordinis? non ſacramentum Euchariſtiæ neceſſarium? non cætera omnia, quæ ſolis Baptiſmo & Matrimonio exceptis, ſublato ordine tollantur neceſſum eſt, tibi videntur eſſe neceſſaria? non gubernatio Paſtoralis? non regimen Eccleſiæ? non cenſuræ? non correptiones? non caſtigationes? non iudicia homini neceſſaria ſunt? vnica ſufficit hierarchia chariſmatum, cuius ſpecies ſunt charitatis Profeſſores, id eſt. Monachi, vel etiam Epiſcopi, ſed illi prout abſque ordinis vel iuriſdictionis miniſterio cogitantur: item Doctores Theologi, & Canoniſtæ nullo ſacro ordine exornati, nullâ Eccleſiaſticâ iuriſdictione præditi? Quid ais, Celloti, an tibi Chriſtiani vel Catholici videtur vox iſta? num potius Dæmonis, eiúſque qui nec ordinem velit vllum, nec diſciplinam patiatur, nec diuina beneficia curet? Quid? hierarchia chariſmatum *ſola ſatis eſt, ſine qua nulla alia ſufficit?* ſola ea ſatis eſt, quæ tandiu ignota, obſcura ante te iacebat, quis hoc credat? Quid? ſine hierarchia chariſmatum, id eſt, ſine deſtinatione aliquorum hominum, à conſecratione ſacerdotali diſtincta (nam de hierarchia chariſmatum ab ordine diſtincta hîc loqueris, quam ordini opponis) id eſt, ſine Doctorali inauguratione vel Monaſtica profeſſione (cedo enim alias conſecrationes & deſtinationes ad chariſmatum vſum) Eccleſia ſtare non poteſt? ordo ſine ea imperfecta eſt? iuriſdictio mutila? Eæ verò

Google

deſtinationes, ij gradus atque ordines ſoli Eccleſiæ ſufficiunt? parùmque curandum ſuitne in Eccleſia Dei ſacerdotes, Epiſcopi, Eccleſiaſtici iudices, dummodo Monachi habeantur & Doctores? ô vocem impiam! ô temerariam præſumptionem! ô inſanam Vviclephi dementiam! Ordinem cum Vvicleepho Eccleſiæ Dei neceſſarium negas, iuriſdictionem eliminas. Iterùm hanc ſentinam moues, iterùm cum Vvicleepho aduerſum Eccleſiam, ſacramenta, regimen à Deo inſtitutum, ordinem ac iuriſdictionem conſpiras. Quis credat, non conſilio, ſed caſu toties in hanc hæreſim incidiſſe? quo fluuio labem iſtam elues?

Neque enim tergiuerſari hîc potes quaſi de chariſmatibus, hîc agas, non de hierarchia chariſmatum, quæ in ordine deſtinato ad vſum chariſmatum conſiſtit; non eſt ipſum chariſma, non gratia gratuita, vt tu ipſe doces, lib. 8. cap. 2. huiuſmodi ergo ordines ad miracula, ad prophetiam, ad ſapientiæ & ſcientiæ, ad aliorum chariſmatum vſum, præferes ordinis atque iuriſdictionis hierarchiæ, id eſt, Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris; Papæ, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Diœceſanis, Parochis, Archidiaconis & aliis, quorum omnium ordines, ſi adſint prædicti ad vſum chariſmatum ordines deſtinati, Doctores Theologi, Canoniſtæ, & charitatis Profeſſores, Eccleſiæ non neceſſarios dicis, ſolos verò iſtos ſufficere contendis.

Recurres fortè ad charitatem, quam ſolam ſatis eſſe dices, ſine qua nulla alia ſufficit, ſed ineptè: nam charitas hierarchia non eſt, imò nec chariſma eſt, ſed omnium chariſmatum finis, vt tu ipſe notas lib. 8. cap. 19. & nos ſuprà probauimus. Charitas omnibus Chriſtianis neceſſaria eſt, non aliquem ſolùm Chriſtianorum ordinem conſtituit: neque à te definita hierarchia chariſmatum charitatem comprehendit, hierarchiam enim iſtam definis lib. 8. cit. cap. 2. *Ordinem ſacrum in Eccleſia, per chariſmatum, & gratiarum gratuitarum vſum homines ad Dei ſimilitudinem adducentem, & ad eum pro rata & proportionaliter aſcendentem.* Quæ definitio nec charitatem, nec deſtinationem ad charitatem, nec charitatis vſum, qui omnibus Chriſtianis communis eſt, complectitur, ſed ſolùm ordines ad gratiarum merè gratuitarum (qualis non eſt charitas quæ gratum facit) vſum & exercitium deſtinatos complectitur. Quòd ſi alius poſteà in locis charitatem ad iſtam hierarchiam reuocas, meminiſſe debes teipſum tibi contradixiſſe: ſed & hoc poſito, quòd ad charitatis exercitium ſint aliqui Chriſtianorum ordines peculiariter deſtinati, certum eſt quòd nec ipſi aliorum ſaluti ſufficiant, niſi ordine & iuriſdictione præditi ſint; imò nec tu ipſam charitatem ſine operibus, nec ſine votis ſufficientem admittis, ſed *Regi ſine curia, ſine magiſtratibus, ſine exercitu* comparas, *Reginæ abſque mundo muliebri, abſque comitatu & obſequio*: ſolam ais *deſpectam, tabeſcentem, monogrammam, exanguem, exſuccam*; quibus ſi compares ea quæ de hierarchia chariſmatum dicis, *quòd ea ſola ſatis ſit, ſine qua nulla ſufficit*. Nunquid euidenter apparebit quantum hierarchiam chariſmatum, charitati ipſi præferas; quam tenuiter de hac contra Apoſtolum ſentias; quàm magnificè de illa contra Eccleſiæ ſenſum: Certè ex hoc vnico exemplo diſces, quantum in rebus Theologicis immodicæ iſtæ exaggerationes noceant: quantóque cum fidei periculo homines è Rhetorica palæſtra in ludicris pro animi libito extenuandis, vel attollendis ſeſe puerôſque ſibi commiſſos exercentes, aſſueti, ad ſtatariam Theologicæ diſputationis pugnam aduocentur.

Nec ſilendus error iſte, in quem incidis lib. 5. cap. 16. pag. 156. nam loquens de dignitate, quâ quis per ſanctimoniam dignus beneficio recipiendi ordinis redditur, ignarus rei de qua agebas, neceſſe eſſe ſcripſiſti, vt quis hierarchiam perfectè cumulatéq; teneat, quòd ſicut ordinem & miſſionem, ita dignitatem iſtam ab Hierarchis recipiat. Quaſi verò hierarchicum gradum non perfectè teneat, qui non ab Hierarchis, à quibus ordinem & iuriſdictionem accepit, ſed à Deo dignitatem ad ordines priùs fuerit conſecutus: quod Cellotium crediddiſſe quis non ſuſpicari poſſit? quaſi verò non dignus quis eſſe debeat, antequam ab Hierarcha deſtinetur? quid hîc velis vix intelligo, niſi Monaſticam ab Hierarcha recipi debere benedictionem antequam quis ordinetur: quod ad perfectionem hierarchiæ requiri erroneum eſt.

Alius etiam non minùs pernicioſus error Cellotij circa chariſmatum hierarchiam innuitur ab ipſo lib. 9. cap. 3. in quo probans ſtatum Religioſum *ſupremum in illa hierarchia locum tenere*, mox ſubdit, *Solúſne in eo conſiſtat non diſputo: iudicabit Lector in*

Digitized by Google

Patrum lectione verſatus. Id tantùm volo, cùm gradus iſte hierarchiæ ex Dei contemplatione amorem elicere debeat, illum in ea ſtatum eſſe maximè, qui & Deum contempletur proximè, & amet ardentiſſimè.

Scilicet dubium relinquis, Ludouice, quod ipſe tanquam certum ſtatueras lib. 8. capitibus 7. & 13. Epiſcopum principem eſſe hierarchiæ chariſmatum: dubium, inquam, id relinquis, cùm & iam Epiſcopos dedignatus in eodem ordine cum Religioſis contineri; diſcutiendam hanc quæſtionem Lectori in Patrum lectione verſato remittis, ſitne ſoli religioſo ſtatui ſupremus ordo hierarchiæ chariſmatum debitus: imò & ex Patrum lectione affirmantem partem probabiliorem videri innuis, aſſeriſque quàm maximè ad ſupremum ordinem ſpectare, id eſt, etiam præ Epiſcopis: hæc tua ſcilicet modeſtia, quæ ex dicendis inferiùs facilè retundetur. Quòd ſi ſolus religioſus ſtatus in ſupremo charitatis Profeſſorum ordine collocetur, totáque hierarchia chariſmatum hoc ordine, cum adiunctis Theologorum, & Canoniſtarum ordinibus contineatur, quemadmodum omne diuiſum ſuorum membrorum diuidentium ambitu contineri debet: inſupérque ex prædictis hierarchia chariſmatum ſola ſatis ſit, & ſine ea nec ordinis, nec iuriſdictionis hierarchia ſufficiat: Nónne ex tua mente clariſſimè ſequetur quod anteà inferebamus, nec Papæ, nec Epiſcoporum, nec Preſbyterorum, nec Diaconorum ordines Eccleſiæ neceſſarios eſſe, ſed ſolùm Religioſorum & Theologiæ, ac iuris Canonici Profeſſorum, ſine quibus nec ordinis nec iuriſdictionis hierarchiæ ſufficiant? Vide in quos errores, in quas abſurditates atque impietates altercandi te ſtudium, & ardor quidam inſultandi Catbolicis Doctoribus induxerunt.

Solùm addo Tridentinam Synodum *ad hunc hierarchicum ordinem* (ad cuius explicationem locum Pauli à te de hierarchia chariſmatum intellectum adduxit) definire *Epiſcopos præcipuè pertinere*, ſeſſionis 18. cap. 4. de ſacramento Ordinis. Nec pariter prætermittendus hic error Cellotij, quo paginam 663. libri ſcilicet octaui cap. 2. commaculat, dum hierarchiæ ordinem commendans, *Principes*, inquit, *Apoſtolos videbimus, quibus vnis auctoritate publicâ & exercere, & exercenda committere chariſmata cælum conceſſit*: Nam ſi de Apoſtolis propriè ſermo ſit, quis dubitet propoſitionem iſtam hæreticam eſſe, quæ nempe deneget Epiſcopis poteſtatem publicam exercendi chariſmata, vel committendi aliis vt eadem exerceant: quod omnium ferè Conciliorum Canonibus repugnat, qui docendi ex ſapientia & ſcientia, aliáque chariſmata per ſeipſum exercendi publicam poteſtatem, & vt alij eadem exerceant, deſignandi ac committendi auctoritatem Epiſcopo attribuunt.

Præſentio quo poſtico elabi velis, ſcilicet loqui te de Apoſtolis non ita ſtrictè, quin etiam Apoſtolorum ſucceſſores comprehendas Epiſcopos: ſed obſtruo iſtud effugium, primò, quia Apoſtolorum vocem pro Epiſcopis ſignificandis iiſce temporibus obſoletam, non ad antiquam ſignificationem in re tanti momenti reuocari permittendum: ſicut nec iam impunè laturus eſſet, qui Regem tyranni nomine olim honorifico ſalutaret.

Secundò, nec te iuuat iſta ſubtilitas; nam Apoſtolos ibi dicis principes hierarchiæ chariſmatum, quam hierarchiam cùm paſſim in ſanctitate & pietate conſtituas, non Epiſcopos, ſed Monachos Apoſtolis in ea hierarchia ſucceſſores facies: nam lib. 5. cap. 13. Monachos in vitæ ſanctitate Apoſtolis ſucceſſores facis. Eſto igitur in ordine vel iuriſdictione Epiſcopus Apoſtolis ſuccedat, vt explicas lib. 4. cap. 9. at in hierarchia chariſmatum iis potiùs ex tua mente ſuccedet Monachus, certè non Epiſcopus ordinis vel iuriſdictionis poteſtate præditus: atque ita Apoſtolorum, vt ſunt membra hierarchiæ chariſmatum, nomine non intelligetur Epiſcopus, prout ordinis vel iuriſdictionis poteſtate pollet.

Addo & iſtum Cellotij errorem nequaquam tolerandum, quo docet noſtræ Religionis Epiſcopos, imò & ſummum Pontificem à ſubditis Religioſis, atque etiam à laicis hierarchizati, purgari & illuminari poſſe. Quem errorem expreſsè docet lib. 9. cap. 20. pag 944. iis verbis: *Quidni enim hoc modo* (quo Religioſi *ſe inuicem verbo exhortationis, exemplo ſanctitatis, ſine imperio & iuriſdictione hierarchizant*) purgari & illuminari *poſſit à ſubdito, à Religioſo, à laico Hierarcha? in tota hac chariſmatum hierarchia, quis principatui locus eſt aut ſubiectioni? nónne Catharinam Senenſem Pontifices*

legauit Deus, quemadmodum Debboram ad Barac, Thecuitidem ad Dauidem? neque dubitare poſſum, quin ſanctus Athanaſius per ſeipſum vir maximus, diuini tamen luminis aliquid ope ſancti Antonij acceperit: aut ſanctus Audoënus Rothomagenſis Antiſtes ſancti Vandregiſili religioſas dotes in ſe humilitate Chriſtianâ, hierarchicâ virtute expreſſerit.

Quem etiam errorem fuſiùs proponit lib. 1. cap. 12. quo ex profeſſo ab inferiori ad ſuperiorem hierarchicas actiones aliquas tranſeuntes eſſe probare contendit, exempla adducens Religioſorum qui ſuperioribus, Clericorum, qui Prælatis, Diaconorum, qui ſacerdotibus ad charitatem viam factis ſuis ſternunt, & ſtimulos ad currendum admouent. Ex quibus concludit *actionem hierarchicam* iſtam vel *ſubditos in Prælatorum locum euehere*, vel in ſuperiores æquè ac inferiores & æquales fieri.

Hunc autem errorem meliùs refutare non poſſumus, quàm ex definitione actus hierarchici à Cellotio traditi, vel argumento, quo ipſe vſus eſt in re ſimili. Primò quidem actum hierarchicum vniuerſim definit, qui *publico iure officij* fiat, & deriuatâ ab Hierarcha auctoritate, lib. 1. cap. 2. pag 8. vſum chariſmatum ſtatuit, *qui à ſtatu eſt, qui hierarchicâ auctoritate probatur, qui fit publico nomine Eccleſiæ*, lib. 8. cap. 2. pag. 664. illúmque hierarchiæ principiis parum tinctum affirmat, lib. 8. cap. 8. pag 692. & ſequentibus, qui non diſtinguit inter officium ordinarium, & gratiam quaſi commiſſionem extraordinariam: nec hierarchicas functiones eſſe ait, ſi quæ etiam ex donis gratuitis vſu fortaſſe parum frequenti fiant, niſi auctoritate publicâ, & ſi opus eſt conſecratione hierarchicâ ad earum exercitium homines ordinentur: atqui nemo verè dicere poteſt laicos, religioſos, ſubditos ad docendos Epiſcopos, ipſúmque ſummum Pontificem, eóſque verbo exhortationis, & exemplo ſanctitatis purgandos vel illuminandos deſtinatos atque conſecratos eſſe; ad idque officium publicum ordinarium, & auctoritatem publicam eos habere; ſed ſi quando id contingat ex commiſſione extraordinaria id fit, neque ex publico munere: igitur falsò nec ſine errore defendi poteſt, quòd à ſubdito, à Religioſo, à laico Epiſcopus, ſummus etiam Pontifex purgari & illuminari hierarchicè poſſit.

Secundò, vtor etiam argumento, quo tanquam meam, quæ mea non erat, opinionem circa Angelos conuellere conatur, quaſi dixerim ipſos ab Apoſtolis hierarchicè illuminari, de quo ne ſomniaui quidem, contra quam ita vrget lib. 1. cap, 18. pag. 37. *Nego*, inquit, *hanc illuminationem quam Angeli ab Apoſtolis perceperunt hierarchicam eſſe, & debere exiſtimari, vt quæ tantùm ex accidenti euenerit, & non ſecundum hierarchicam deſtinationem. Hanc enim Hierarcha ſupremus legem non poſuit hierarchiæ vt Angeli per homines illuminarentur: neque hierarchicâ diſpoſitione ſunt conſecrati, & conſtituti Apoſtoli ad Angelos erudiendos.* Quæ verba ſi applicentur propoſito negotio, intentum conficiunt; nam ex accidenti tantùm euenit, & non ſecundum hierarchicam deſtinationem, vt à ſubdito, à Religioſo, à laico purgetur, & illuminetur Hierarcha, ſummúſq; ipſe Pontifex. Neque hanc Hierarcha ſupremus Chriſtus legem poſuit, vt Epiſcopi, & ſummus ipſe Pontifex Eccleſiæ moderator, à laico vel Religioſo ſibi ſubdito doceantur, & de iis, quæ ad ſalutem ſuam neceſſaria ſunt, inſtruantur: paſcantur Paſtores ab ouibus; Doctores à diſcipulis inſtruantur; Eccleſiæ Proceres & Magiſtratus ab inferioribus publicâ quaſi auctoritate, deſtinatione regantur: neque hierarchica hæc diſpoſitio eſt, quin immò totius hierarchicæ ordinationis perturbatio, neque conſtituti ſunt Religioſi vel laici, ad Eccleſiarum Paſtores, & Hierarchas erudiendos, ſed è contrà. Itaque abſque errore & hierarchici ordinis perturbatione dici nequit, quod à ſubdito, à Religioſo, à laico Hierarcha purgari & illuminari hierarchicè & hierarchicâ virtute debeat.

§. II.

Contradictiones aliquæ oſtenduntur.

EX quibus etiam colligitur quàm malè ſibi in eo vltimo errore conſentiat Cellotius, cui hoc ſolemne fuiſſe videtur, atque in more poſitum, vt pugnantia dicat. Quod magis confirmabitur, ſi notemus citatis locis lib. 1. cap. 12. pag. 25. & 26. necnon lib. 9. cap. 10. pag. 944. eumdem docuiſſe tam inferiores à ſuperioribus, quàm ſupe-

riores ab inferioribus hierarchizari: ipſum tamen alibi inficiari, quòd ſuperiores ab inferioribus hierarchizari queant, nimirùm lib. 1. cap. 14. pag. 29. quæ docet *in omni hierarchia extremos eſſe ordines duos, medium vnum: hierarchizare duos, ſummum & medium; hierarchiſari totidem, medium & infimum: manendo autem in eadem hierarchia ſupremum tantùm hierarchizare: vltimum tantùm hierarchiſari.* Placet fortè alias eius repugnantias audire: in promptu illæ ſunt quas ſuperiùs leuiter attigimus. Conſecratione egere quamlibet hierarchiam ſuperiùs ab ipſo ſtatutum demonſtrauimus; ſpeciatim verò hierarchiam chariſmatum neceſſariò aliquam conſecrationem expoſcere docet lib. 9. cap. 3. pag. 767. & 768. nec non eiuſdem lib. cap. 19. pag. 944. quibus negat religionem vllam ſine *hierarchica conſecratione* & benedictione eſſe hierarchicam. Idem tamen lib. 8. cap. 8. pag. 687. in fine capitis. ſitne conſecratio neceſſaria ſubdubitat: & varia exempla eiuſdem proferr, in quibus minùs ipſa apparet neceſſaria. Hierarchiam chariſmatum vſu gratiarum gratuitarum ſeu chariſmatum in aliorum vtilitatem concludit lib. 8. c. 2. quod ipſum docuerat eiuſdem lib. c. 1. initio pag. 660. quo tamen cap. ſibi mox repugnat etiam in donis Spiritus ſancti eam collocans pag. 661. quibus non contentus etiam in ſcientiarum [illegible]uralium profeſſione eam agnoſcit, eiuſdem lib. cap. 184. pag. 705. Denique, ne plura contradictionum eius circa hanc hierarchiam ſpecimina recenſeam, tres tantùm ordines ſtatuit hierarchiæ chariſmatum, putà charitatis Profeſſores, Theologiæ & iuris Canonici in tabula hierarchiæ, quam lib. 1. cap. 1. depingi curauit, quos ordines explicat fuſiùs lib. 8. præter eos tamen ordines, etiam Grammaticæ Profeſſores loco mox ci[illegible], & varios alios, verbi gratiâ, Prophetas, & miraculorum patratores ſtatuit, quo[illegible]d nullum eorum ordinum poterls reuocare:

Denique vltimo loco hanc Cellotij contradictionem proferemus, quòd lib. 7. cap. 7. pag. 599. Clericorum duas ſpecies ab Eccleſia conſecratorum ſtatuat, vnam eorum qui ſibi tantùm; alteram prætereà eorum qui aliis vacant: ad priorem ſpeciem Monachos reuocat, quos proinde ab Eccleſia conſecrari affirmat, vt ſibi ſolis vacent: idem tamen ab Eccleſia conſecrari alibi afferit, vt aliis etiam vacent: nam actiones iſtas ad quas aliquis ab Eccleſia non conſecratur, negat hierarchicas eſſe: & Monachorum actiones hierarchicas reſpectu aliorum admittit, quibus nempe vel exemplo vel doctrinis prælucent, libri nempe octaui cap. 2. pag. 664. & cap. 11. pag. 694. & 9. cap. 2. pag. 764. ad quas proinde actiones Monachos conſecrari admittere debet, & ita contradictoria hæc neceſſariò adſtruere cogitur, Monachum & vt aliis, & vt ſibi tantùm vacet eſſe conſecratum.

LIBER

LIBER TERTIVS DE ORDINIBVS HIERARCHICIS.

SECTIO PRIMA.

DE NECESSITATE ORDINATIONIS ad Eccleſiaſticam Hierarchiam.

CAPVT I.

Vtrùm Ordo ſacer, ſeu conſecratio perſonæ per ſacramentum Ordinis ad Eccleſiaſticam Hierarchiam requirantur.

ARTICVLVS I.

Quædam præſupponuntur, & quæſtionis ſolutio profertur.

HIERARCHIAM omnes ordinem definiunt, ſed ordinis diuerſa eſt acceptio: nam cùm generatim ordo pro ſtatu ſumitur, vt in l. *Diuus Marcus*, ff. *de officio Præſidis*, accipitur aliàs pro diſpoſitione qualibet ſuperioris & inferioris, l. 4. ff. *de Senat.* ſolet tamen ſæpiùs ſumi pro ſtatu ſeu conditione ſublimiori & principali perſonæ, gradúque dignitatis, quo quis aliis excellit, & ſupereminet, ab eáque ſignificatione profluxit, vt ſacramentum iſtud, quo nempe quis nouitate benedictionis à communitate vulgi ſegregatur, & populi Doctor rectórque conſecratur (quemadmodum loquitur Gregorius Nyſſenus Oratione de S. Baptiſmate) ſeu quo quis in diuinorum miniſtrorum ordinem cooptatur, ſeu (vt verbis Nazianzeni vtar) τῷ μεγάλῳ βήματι τούτῳ ἐγκαταλέγεται, ϗ τῶν ἐγγιζόντων εἷς τῷ ἐγγίζοντι Θεῷ γίνεται, ϗ τῆς ἱερᾶς ἀξιοῦται στάσεώς τε καὶ τάξεως· *Magnum hunc gradum aſſequitur, atque in eorum qui appropinquant Deo, appropinquant, numerum adſcribitur; ac ſacri ſtatus & honore ordinis afficitur*: Sacramentum, inquam, illud Ordinis ſacramentum dicitur, quia ſtatu, ordine, gradu, honore ſublimior ac ſuperior euadit. De huius ergo Sacramenti neceſſitate quæſtio inſtituitur: vtrùm hoc ſacramento Ordinis initiatum eſſe oporteat, qui hierarchiæ Eccleſiaſticæ inſeritur.

Diſtinctione toties adhibitâ quæſtionem dirimere oportet, vt perfectum aliquis in hierarchia locum obtineat, alius imperfectũ: alius ſacramento Ordinis initiatus ſit: alius per accidens nondum ſacramento Ordinis ſit initiatus, quamuis inchoatâ per electionem ad dignitatem Eccleſiaſticam ordini neceſſariò connexam quodammodo videatur eius

ordinatione iam quodammodo ordinatus dici poſſit, ſicut ipſo nomine ordinis, quo nondum initiatus eſt, inſigniri ſolet, Epiſcopi, verbi gratiâ, Archipreſbyteri, Archidiaconi, qui ad eiuſmodi dignitates electus eſt, eo quòd nempe ordinem ſibi deſtinatum omnium votis complectatur, & ad eum certâ ſpe atque expectatione tendat, cuius ſcilicet quàm primùm obtinendi imponitur obligatio, & ius petendi conceditur: hâc enim adhibitâ diſtinctione reſponſio facilis eſt, eáque trimembris.

Primò enim dicendum eſt perfectè neminem in hierarchia eſſe poſſe, qui non ſacramento Ordinis actu, de facto inſignitus ſit. 2. Nequidem imperfectè quemquam in hierarchiâ eſſe poſſe, cui non ſacramentum ordinis debitum ſit, cui non ſeruatâ Eccleſiæ lege, atque inſtitutione ſui officij, illicò ſit conferendum. 3. Imperfectum ei in hierarchia locum eſſe, cui expedita ordinis poteſtas relinquitur cum iuriſdictione ſcilicet ſaltem voluntariâ; etſi per accidens deſiit fortè neceſſaria, eáque ordinaria iuriſdictio.

ARTICVLVS II.

Probatur, quòd nemo perfectè in hierarchia Eccleſiaſtica eſſe poſſit, qui non ſacramento Ordinis initiatus ſit.

PRIMA pars reſponſionis noſtræ, quòd videlicet nemo perfectè in hierarchia Eccleſiaſtica eſſe poſſit, qui ſacramento Ordinis initiatus non ſit, communis eſt omnium Patrum & Doctorum Scholaſticorum, qui de hierarchia propriè locuti ſunt; nam Patres omnes, qui Eccleſiaſticæ hierarchiæ nomen hactenus ſumpſerunt, verbi gratiâ Dionyſius, Maximus, Antiochus, Germanus Conſtantinopolitanus, Synodi 7. Patres, Anaſtaſius Bibliothecarius, Dionyſius Monachus, Elias Cretenſis, S. Gregorius, & alij Doctores, quos omnes poſteà ſecuti, verbi gratiâ Hugo Victorinus, Guillelmus Pariſienſis, Guillelmus Antiſſiodorenſis, & cæteri, aliique ſuperiùs à nobis citati, ad initiatos ſacramento Ordinis hanc vocem reſtringunt, vt ſuprà fusè oſtendimus: nec vllum aduerſarij citare poſſunt, qui ad hierarchiam Eccleſiaſticam, vllos quam ordinatos Clericos perfectè in ea collocandos admittant. Quorum omnium ſenſum complexa Synodus Tridentina *hierarchiam diuinâ ordinatione inſtitutam ex Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis conſtare* definit, Can. 6. ſeſſ. 23. Quibus proinde omnibus propriè & perfectè aliquos nullo ſacramento Ordinis initiatos hierarchiæ inſerendos contendere, à temeritatis nota, & graui periculo erroris excuſari non poteſt; ſicut nec excuſari omnium Catholicorum iudicio poſſet, aut à ſuſpicione hæreſeos, notáque temeritatis, qui octo vel nouem propriè dicta ſacramenta admittenda eſſe propugnaret, quantumcumque à ſacramenti ordinaria & vſitata inter Catholicos definitione deflecteret.

Ratio huius aſſertionis multiplex eſt; integra & generalis petitur ab inſtitutione Chriſti, qui Principatum Eccleſiaſticum hunc conſtituit, ad quem nonniſi per conſecrationem diuinam aſcenderetur. *Nec enim*, inquit Apoſtolus ad Hebræos, *quiſquam ſumit ſibi honorem: ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron, ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit, vt Pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quem locum fortiter vrget Clemens Romanus lib. 2. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 27. & iterùm lib. 3 cap. 10. quo loco hanc rationem ſeu explicationem Apoſtoli adiungit, Διὰ γὰρ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ ἐπισκόπου δίδοται ἡ τοιαύτη ἀξία· ὁ δὲ μὴ ἐγχειρισθεὶς ταύτην, ἀλλ' ἁρπάσας αὐτὴν τὴν τιμωρίαν τοῦ Ὀζία ὑποστήσεται: *huiuſmodi namque dignitas per impoſitionem manuum Epiſcopi datur: qui verò non eſt ad eam ordinatus, ſed potiùs ſibi iam rapuit, hic ſupplicio Oziæ afficietur.* Diuina ergo iſta inſtitutio fuit, vt nemo in Eccleſia cæteris ſuperponeretur, nemo in ſublimiori gradu collocaretur, ac ſacri Principatus particeps fieret, niſi ſacramento Ordinis initiaretur, & vt loquitur Tertullianus Scorpiaci cap. 9. *Cum toto ſacramento, cum propagine nominis, cum traduce Spiritus ſancti*, traditam Apoſtolis & diſcipulis poteſtatis ſaltem particulam aliquam hereditaret: altera ex natura hierarchiæ hierarchia ex Dionyſio Maximo, & cæteris, ἱερὰ τάξις, id eſt, ſacer ordo

Digitized by Google

definitur : atqui ordo dicitur propter diſtinctionem graduum, quos Chriſtus in ſuo Principatu inſtituit ſacer, propter ſanctitatem ſacramenti gradui adnexam. *Sine ordine*; inquiunt Hugo lib. 4. cæleſt. hierarch. Bonauentura tractat. de Eccleſiaſt. hierarch. & alij paſſim, *Præſumptio eſt actio* ſine ſacramento periculoſa dantibus, ſacrorum attrectatio recipientibus ſæpè inutilis : certè inordinata & præpoſtera.

Tertia ex officio & ſcopo hierarchiæ noſtræ, illam Dionyſius cap. 1. Eccleſiaſt. hierar. eiúſque Interpretes θεουργικὴν, ſeu deificantem vocant, eiúſque munus eſſe docent ſubditos ſiui deos efficere, diuinámque ſimilitudinem ſingulis pro ſuo modulo impertiri : quod confirmat Nazianzenus Orat. 1. & 23. quo proinde titulo Oratione dictâ primâ ſacerdotalis ordinis viris θεοποιοῦντας, καὶ θεουργούς, *Deum efficientes, & Deum operantes*; quemadmodum & Ambroſius ſacerdotalem ordinem ſeu hierarchiam, *Deificam profeſſionem* vocat de dignitate ſacerdotali cap. 3 fatetúrque Cellotius lib. 1. cap. 6. Nemo verò deificare poteſt ex officio, ſtatu & gradu, Deíque formam impertiri, niſi deificetur, & diuinam in ſe formam atque imaginem priùs recipiat per ordinationem : quod eleganter oſtendit Dionyſius cap. 5. Eccleſiaſt. hierarch. inferiores ordines, immundorum ſcilicet, ſanctæ plebis, & Monachorum negans ad hierarchica munia purgandi, illuminandi & perficiendi, pertingere poſſe ; quæ Epiſcoporum, Presbyterorum & miniſtrorum ordinibus conceduntur, de quibus ſubdit, αἱ δὲ θειότεραι δυνάμεις μετὰ τῶν οἰκείων, καὶ τὰς ὑφειμένας τῆς αὐτῶν πληρότητος ἱερὰς ἐπιστήμας γιγνώσκουσιν· ὅμως ἐπειδὴ θείων εἰσὶν ἐνεργειῶν εἰκόνες, αἱ ἱερατικαὶ διακοσμήσεις τῆς εὐκόσμου, ἀσυγχύτου τῆς θείων ἐνεργειῶν τάξεως, ἐν ἑαυταῖς διῃρηνται τὰς τεταγμένας ἐλλάμψεις, *Diuiniores autem virtutes vna cum ſuis, inferiores quoque, ſua perfectione ac virtute ſanctas ſcientias agnoſcunt. Quoniam tamen ſacerdotales diſtinctiones diuinarum actionum imagines ſunt ornatiſſimi, atque inconfuſi diuinarum operationum ordinis, inſitos ſibi fulgores indicantes.* Subdit eas in primas, vltimas & medias eſſe diſtributas, ἐμφαίνουσας ἐν ἑαυταῖς τῶν θείων ἐνεργειῶν τὸ τεταγμένον καὶ ἀσύμφυρτον, *Experimento in ſeipſis diuinas actiones ordinatas eſſe atque impermixtas.* Itaque conſentaneè concludere poſſumus, non ordinatum in eo ſtatu & ordine, cui deificationis munus conueniat, neminem eſſe poſſe : ſicut deificare velle, non deificatum abſurdum eſt, ita hierarchica munia, quibus deificationis ſcopus propoſitus eſt, non ordinatum adire velle præſumptuoſum eſſe : temerè affectare Principatus gradum ac munia eos, qui non habent characterem præfecturæ ſuæ ; characterem, inquam, Dominicum, Dei imaginem, poteſtatis à Deo acceptæ notam, ſacerdotij Chriſti ſignaculum. Legatur Pachymeres in Paraphraſi 3. capitis cæleſtis hierarchiæ Dionyſij, loco à nobis ſuperiùs citato, quo nullus expreſſiùs hoc argumentum vrget.

Quarta ratio, quia ſi credimus Cellotio, hierarchia dicitur quaſi τῶν ἱερῶν ἀρχή, ſacrorum principium, quibus verbis intelliguntur illi, quicunque ad ſacra miniſteria, publico nomine & ex officio publico cooperantur : nam priuatim & apud ſe vnuſquiſque Chriſtianus, ſacras Deo victimas offert, à quibus Regale ſacerdotium denominatur, vt explicant fuſiùs Origenes homiliâ 9. in cap. 16. Leuitici, & homil. 4. in cap. 6. Baſilius lib. 2. de Baptiſmo quæſt. 8. Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 75. S. Leo ſerm. 3. in anniuerſario aſſumptionis ſuæ, & alij paſſim : neque tamen hierarchicum habent ſacerdotium, ſacrúmque Principatum gerunt, ſed ſuis terminis contenti manere debent, non altioris ordinis ad ſe functiones rapere, aut dignitatem vſurpare, vt idem Cellotius loco citato fatetur : Eorum autem qui ſacra adminiſtrant, ſecundum Dionyſium duo ſunt genera : quidam enim dicuntur ἱερεῖς, Latinè *ſacerdotes*, ita dicti ab Iſidoro Hiſpalenſi lib 17. Orig cap 12 quaſi *ſacra dantes* : ex quibus aliqui ſunt ἀρχιερεῖς, *Pontifices*, qui primis ſæculis paſſim *ſummi ſacerdotes* dicebantur, iique ſunt Epiſcopi ; alij ſunt iis inferiores, id eſt ; Presbyteri. Poſterioris verò generis dicuntur, λειτουργοί, qui ſacra facientibus miniſtrant (quod potiùs dicendum, quàm qui obſequuntur ; nam & laici, quos nemo λειτουργοὺς dixerit, ſacra facientibus obtemperant) iuxta quam proinde diuiſionem ſequitur nullos ſacrorum publicos miniſtros publicáque principia dici poſſe, niſi qui Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, ſeu miniſtri inferiores Diaconis Subdiaconi, Acolyti, Exorciſtæ, Lectores, Oſtiarij ordinati fuerint. Atq; ideò ſacramentum Ordinationis, ad perfectum in hierarchia locum neceſſarium eſſe. Prædictam verò diuiſionem ſequitur Baſilius lib. 2. de Baptiſmo q 8. cir. vbi ſacram omnem functionem duplicem facit : vnam, quam τῆς ἱερωσύνης ; alteram, quam λειτουργίας nomine indigetat, quibus

etiam nominibus cæteri Græci Patres, ſequentium ſæculorum Auctores ſacra omnia publica miniſteria continent, & inter ſe diſtinguunt, ſed eorum primum ſolis Epiſcopis, & Presbyteris; alterum ſolis iis qui ordinati ſunt, λειτουργοί, Diaconi ſcilicet ſeu miniſtri, tribuunt, ex eiuſdem Baſilij, & cæterorum teſtimonio. Igitur principem eſſe rei ſacræ, ſeu functionis miniſtrum, nullum niſi ſacramento ordinationis inſignitum maiores noſtri putauerunt: ac proinde nec vllum in hierarchia ſaltem perfectè collocandum, niſi qui eodem ſacramento initiatus ſit.

Quinta, quia vt quis perfectè ſit in hierarchia ſtrictiori ſignificatione, nemini vel earum rerum mediocriter perito, dubium eſt, quin ex officio publico & miniſterio debeat ſacras aliquas functiones exercere; etenim hierarchiam ita ſtrictè ſumptam nemo cogitat, niſi tanquam ſtatum, ordinem, gradúmque aliquem, qui ſacer dicatur, propter ſacrorum functionem publicam ipſi adnexam: ideóque idipſum non ſemel fatetur Cellotius; atqui officium publicum ſacrarum functionum nemini perfectè conuenit niſi ordinato. Igitur nec vlli, niſi in ordine ſacro conſtituto, perfectus in hierarchia locus concedetur. Probatur minor, primò, quia ſacrarum functionum poteſtas nemini in lege Moſaïca ordinariè conceſſa eſt niſi ordinatis, quorum gradibus Epiſcopi Presbyteri, Diaconi, cæterique miniſtri ſuccedunt: imò & naturæ veluti quodam ductu, quibuſlibet, omnium ferè populorum conſenſu, inditum eſt, vt quos ſacris præficiunt, eos conſecratione quadam cæteris ſanctiores & auguſtiores reddant.

Secundò, quia ſacræ omnes functiones vel ſunt ad Deum, cui nomine totius plebis hoſtiæ, preces, ſacrificia offeruntur, vel ad plebem, cui ſacra traduntur & explicantur. Vtrumque verò ordinationem requirit, quâ quis deligatur è populo tanquam internuntius pro populo ad Deum, Dux populi & Doctor futurus, quâ ſegregetur pro populo apud Deum interceſſurus, viciſſimque Dei oracula reuelaturus, & eiuſdem poteſtate ſacris cæteros initiaturus: quem delectum ex diuina inſtitutione ſequitur ordinatio ab Epiſcopis Dei vicariis, quorum eſt Dei nomine, quos Deo placituros putant, gratos habere, & ad opus diuinum approbare, ſanctificare, ac diuino charactere ſeu notâ dignitatis inſignire.

Tertiò, ad hoc etiam opus eſt conſecratione publicâ nomine publico factâ, vt delecti miniſtri apud plebem ſanctiores & auguſtiores fiant, vt pote ſuperiores cæteris & dignitate quadam publicâ ornati, & ſacro quodam magiſterio præditi, ad quem gradum inauguratione opus eſt, tum vt ipſi ſanctiores ſint, atque auguſtiores; tum vt maiori venerationi ſint apud populum, quatenus ipſis faciliùs laicorum colla ſubdantur tum vt excitentur ipſi conſecratione ſuâ, ad ſanctè piéque viuendum; tum denique, vt gratiâ diuinitùs conceſſâ, ad eadem officia, multis difficultatibus obſita, valdéque ardua iuuentur & confirmentur, vt alibi docuimus: talis autem conſecratio non eſt alia à ſacramento Ordinis: nec eæ conditiones cuiquam alij conuenire poſſunt. Quod nominatim de conſecratione Monaſtica infrà probabitur: igitur ad perfectam hierarchiam opus eſt ſacramento Ordinis.

Confirmatur hæc ratio innumeris Patrum teſtimoniis, quæ paſſim toto hoc opere, tum etiam integro opere noſtro de ſacris Ordinationibus inſerta leguntur, quibus ordinationis ſacramentum ad functiones ſacras obeundas neceſſarium eſſe conſtat ex diuina Chriſti inſtitutione. Quibus addimus teſtimonia Victoris ad caput tertium Marci docentis *Presbyteros ad ſacra miniſteria ordinari*: & Iuſtiniani Nouellâ 137. cap. 1. *Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos & cæteros Clericos ad orandum pro populo* deſtinari. Ex iis enim concluditur ſacra officia, ac publica, rectè ſaltem & conſentaneè abſque ordinatione ſacra fieri non poſſe: ac proinde ſine ea perfectam hierarchiam non eſſe.

Quarta denique probatio petitur ex modo loquendi Patrum, qui extra Eccleſiam, id eſt, extra Eccleſiaſticam hierarchiam eos reiiciunt, qui ſacris ordinibus initiati non ſunt; duos ſolùm profero; primùm Baſilium epiſtolâ ad Amphylochium Canone quinquageſimo quinto, quo Canone ἔξω μὲν ὄντες τῆς ἐκκλησίας, *ij quidem qui ſunt extra Eccleſiam*, quemadmodum legitur in dicta epiſtola, prout apud Balſamonem edita eſt, ſeu vt legitur tom. 2. Operum Baſilij, ἔξω δὲ ὄντες τῆς κοινωνίας, *ij quidem, qui ſunt extra communionem* eiuſdem ſcilicet Eccleſiæ in ſtrictiori ſignificatione ſumptæ; opponuntur Clericis, & propter eum actum propter quem hi à gradu deponun-

tur, illi verò à boni communione, id eſt, Euchariſtiæ perceptione repelluntur : quibus certè verbis conſtat Clericos miniſtrantes altari, tanquam condiſtinctum membrum opponi iis, qui extra Eccleſiam, id eſt, hierarchiam Eccleſiaſticam, verſantur ; ac proinde ex mente Baſilij ſolos Clericos propriè dictos, id eſt, altari miniſtrantes, qui è ſuo gradu ac miniſtrandi officio deponi ſolent, in hierarchiâ Eccleſiaſtica, quam ἐκκλησίας, ſiue κοινωνίας hoc loco meminiſſe Baſilium manifeſtiſſimum eſt, iure contineri.

Alterum Syneſium profero epiſt. 67. in fine, ſe videlicet ἀπόγραφον ἐκκλησίας, ἀγωγῆς ἑτέρας ἠγμένον, *extra Eccleſiam educatum alio diſciplinæ genere inſtitutum* dicentem, quòd de laicali vita ad Pontificatum emerſiſſet. Item Græci Patres paſſim ſecuti Dionyſium libris de cæleſti & Eccleſiaſtica hierarchia, Clementem Romanum, libro 3. Conſtitutionum capite decimo, ſacra munia τὰ ἱερατικὰ ἔργα vocant, quaſi ſacerdotalia, eáque Epiſcopis, Preſbyteris ac miniſtris propria faciunt, innuentes ſacrum miniſterium cum ſacerdotali confundi, & ſacerdotalis ordinis viris ſiue in primo, ſiue in ſecundo, ſiue in tertio ſacerdotio conſtitutis conuenire, quam ſacerdotalis ordinis acceptionem Dionyſius cap 2. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, Maximus in Scholiis eiuſdem capitis, Optatus Mileuitanus lib. 1. contra Parmenianum, & alij paſſim ſufficienter illuſtrant.

ARTICVLVS TERTIVS.

Probatur neminem propriè in hierarchia eſſe, qui non ſaltem debeat eſſe ordinatus, ſed in ea imperfectè conſtitui, qui per accidens ordinatus non ſit.

RELIQVÆ duæ partes aſſertionis noſtræ facilè ex probatione prioris deducuntur ; ac prior quidem, quod nequidem imperfectè ſit aliquis in hierarchia propriè dicta, niſi vel ordinatus ſit vel eſſe debeat, patet : quia nemo poteſt ne quidem imperfectè hierarchiam propriè dictam cogitare, niſi tanquam ſacrum Principatum, eam concipiat. Sacer autem non eſt abſque ordine ſacro vel debito ad habendum ordinem ſacrum : duobus enim modis dicitur ſacer, primò ratione principij, ſecundò ratione obiecti : vtroque modo dicatur, non tamen ſacer dicetur, niſi vel adſit ordo ſacer, vel adeſſe debeat : ſi dicatur ſacer ratione principij, res clara eſt : nam ideò ſacer dicetur, quia ordini ſacro vel coniungitur vel coniungi debet. Si ratione obiecti, ex prædictis res non minùs euidens eſt : nam ad functiones ſacras docuimus, & ſacra publica miniſteria neminem conſecrari, niſi per ordinem ſacrum : qui ergo eas exercet abſq; ordine, vel indebitam ſibi functionem vſurpat, vel ad tempus ſolùm conceſſam : ac proinde in Principatu ſacro nemo eſt, niſi qui vel ordine ſacro initiatus eſt, vel eſſe debet.

Principatus quoque in Eccleſia nullus eſt, cui non debeatur ſacer ordo, vt enim Principatus dicatur, debet includere ordinariam iuriſdictionem, vel voluntariam, vel neceſſariam, ex dicendis : neque ſufficit quod officij alicuius publici executionem tribuat, quin etiam tribuat officium, ſicut nec in ciuili republica dicitur Principatus aut Magiſtratus, niſi officium habeat, & poteſtatem ordinariam : atqui nulla iuriſdictio ordinaria nequidem voluntaria eſt in Eccleſia, cui non ordo debeatur : quibus enim Deus aliquorum actuum legitimorum exercendorum, & officium, & ordinariam poteſtatem dedit, quos aliis præfecit, eos voluit eſſe ordine ſacro ſublimiores, ſicut ſtatu & officio ſunt ſuperiores. Multò magis verò iis, quibus ordinaria neceſſaria iuriſdictio conuenit, ordo aliquis ſacer debitus eſt : nam ordinis & iuriſdictionis ſanctiſſima connexio eſt, ita vt etiam ſi fortè ad horam, vel ad breue tempus iuriſdictio ſeparetur ab ordine ſacro, cum eo tamen debeat ſecundum Chriſti inſtitutionem quantocyùs fieri poterit, eſſe coniuncta : cuius rei probationem proſecuti fuimus vindiciarum lib. 3. cap. 2. § 6. num. 38. Confirmatur ; nam vel ipſo aduerſario teſte, ad hierarchiam aſcenſus fingi tantùm poteſt, vel ratione chariſmatum, vel ordinis vel iuriſdictionis. Atqui oſtendemus ratione chariſmatum præcisè neminem eſſe in hie-

Google

rarchia, ſtet omnes qui ſunt in hierarchia ordinis verè ordinatos eſſe debere, & de ordine propriè dicto ſermonem eſſe, vbi de hierarchia eſt mentio: ſupereſt ergo iuriſdictio, quæ vel ordinaria eſt, vel delegata: delegata autem non conſtituit hominem in hierarchia ex prædictis, ordinariæ debetur ſacerdotium, vel ſaltem Diaconatus; atque ita nemo in hierarchia propriè eſſe poteſt, cui non debeatur ſacerdotium vel Diaconatus.

Poſterior verò ſimiliter liquet: etenim quis dubitet non ordinatum aliquem, qui electus ſit in Epiſcopum, verbi gratiâ, aut Preſbyterum Curatum, aut Archidiaconum, eo ipſo ſacri Principatus eſſe aliquatenus participem? quandoquidem Epiſcopus iam dici ſoleat, Curatus, Archidiaconus, iam iuriſdictionis officia, munia exerceat, vt conſtat ex toto titulo de electione & electi poteſtate, aliiſque paſſim: iam ſubditos habere cenſeatur; eique ordo iſte debitus ſit, quem gradus expoſcit, ad quem ſcilicet ab Eccleſia admiſſus eſt. Confirmans enim electionem alicuius in Epiſcopum eo ipſo concedit, vt Epiſcopus conſecretur, cùm dignitas Epiſcopalis conſecrationem includat; qui admittit aliquem ad curam animarum, eum Preſbyrerum, qui ad Archidiaconatum, illum Diaconum ordinari permittit. Igitur electi ad eiuſmodi dignitates aut alias, quibus ſacer ordo adnexus eſt, verè in hierarchia, licèt nondum perfectè propter defectum alicuius, quod eis debetur, locum tamen habere aliquem dici debent.

ARTICVLVS IV.

Concluſio aduerſus Cellotium cum reſponſionibus ad eius obiectiones.

§. I.

Contradictiones quædam & errores Cellotij retexuntur.

EA verò omnia, quæ nos docuimus, videtur inuitus agnouiſſe Cellotius lib. 6. cap. 2. connexionem eorum omnium indicans chariſmatum ſcilicet, ordinis & iuriſdictionis, docens, quos dignos Deus per gratiam effecerit, illis Eccleſiam primùm vim ſanctificandi per ordinem conferre, tum ad exteriorem ſanctificationem, quam iuriſdictionis ſanctificationem vocat, eoſdem applicare. Mitto nouitatem verborum, quibus Auctor vtitur, non ſolùm abſque ſolido fundamento, ſed cum veritatis diſpendio; quandoquidem & iuriſdictionis vſus legitimus æquè ſaltem conferat ad ſplendorem Eccleſiæ, atque aliorum ſanctitatem, ac priuata cuiuſcumque membri ſanctitas; & æquè conſentaneum ſit Antiſtitem iuriſdictione ſuâ vtentem, verbi gratiâ abſoluentem à cenſuris, vel excommunicantem, in gratia eſſe, quam prædicantem aut ſcientiam Theologicam tractantem: quæ duo tamen opponit, & iuriſdictionis æquè effectus ſit interior ſanctitas per ſacramentalem abſolutionem collata, atque ordinis; & ſicut gratia præcedens ordinationem dignos ordinatione homines efficit: ita & gratia ſubſequens ordinationem, ab eaque producta dignos exercitio ordinum homines reddat, & ad illud aptos atque idoneos. Item æquiori titulo ſanctitas iſta adnexa ſenſibili ſacramento dicitur Dei electionem oſtendere, quàm ſanctitas interior quæ occulta eſſe ſolet, Deique iudicio reſeruatur: Quæ ſi Dei electionis ſignum neceſſarium dicatur, & vt loquitur Cellotius, *radix & fundamentum cuiuſlibet alterius ſanctificationis*: quid ſequitur niſi vt vim ſanctificatiuam tam ordinis quàm iuriſdictionis non habeat, qui interiori ſanctificatione non eſt præditus? qui error eſt Huſſij & Vviclephiſtarum in Concilio Conſtantienſi damnatus: ac proinde quæcunque eo loco garrit Cellotius, futilia, noua, periculoſa, abſque fundamento aſſerta videntur. Sed hæc prætermitto, hoc ſolum ex ſententia Cellotij elicio, iſta eius chariſmata, ordinem ſacrum, & iuriſdictionem diuinâ ordinatione coniuncta eſſe, & hominem ab vno ad aliud deduci, à gratia ad ordinem, ab ordine ad iuriſdictionem, proindéque perfectum in hierarchia locum minimè cuiquam deberi, niſi hæc omnia ſimul complectatur, quæ noſtra & cæterorum Doctorum ſententia eſt.

§. II.

Ignatium malè à Cellotio auctorem Hierarchiæ Ordinis à iuriſdictione diuulſæ proferri, qui contrarium doceat.

QVANTVMVIS ergo contentionis ſtudio nitatur Cellotius, hierarchiam iuriſdictionis vt diſtinctam ab hierarchiis ordinis & chariſmatum adſtruere, id tamen eodem loco prædictis verbis deſtruit. Imò & ſpontanea ipſius cæcitas vel ex eo elucet, quòd teſtimonia Patrum quæ adducit ad hierarchiam ordinis ſolitariè ſumptam probandam, eam iuriſdictioni ſtrictiſſimè alligatam, eandémque iuriſdictionis hierarchiam eſſe oſtendant. Statim in limine lib. 6. citat Ignatij verba ex epiſtola ad Smyrnenſes, quæ mutila aliqua ex parte ab ipſo prolata reſtituimus: *Honora, fili mi, inquit Scriptura, Deum & Regem. Ego autem dico, Honora quidem Deum vt omnium auctorem & Dominum: Epiſcopum autem, vt Principem ſacerdotum, imaginem Dei referentem: Dei quidem, propter Principatum; Chriſti verò, propter ſacerdotium: & ſecundum hunc oportet & Regem honorare. Neque enim Deo quiſquam præſtantior eſt, aut ſimilis ei in rebus creatis: nec Epiſcopo, qui Deo conſecratus eſt pro totius mundi ſalute, quidquam maius in Eccleſia*, &c. *nam ſacerdotium bona omnia tranſcendit*, &c. Rectè quidem in iis verbis agnoſcit Cellotius ordinem, ſed non eum, quem ad actiones Monachatus deiicit, & priuatæ vitæ functiones; ſed ordinem ſacerdotij, cuius faſtigium tenet ordo Epiſcopalis: ordinem, inquam, qui in ſacrificiis pro totius mundi ſalute offerendis verſatur. Sed in iiſdem etiam agnoſcit iuriſdictionem, propter Principatum, ratione cuius Dei imaginem Epiſcopus refert, & Regi aſſimilatur. Quare ſi conſentaneè concludere aliquid vellet, ordinem Epiſcopi (& idem dicas de cæteris) ad illam hierarchiam ſpectare colligeret, quæ ſimul ordinis ſacramento inſtructa, & iuriſdictione, integrum, ſuiſque numeris abſolutum factum efficit Principatum: quæ contraria eius ſcopo & ſententiæ propoſitio eſt.

At enim ſubdit Cellotius, *Ignatium expreſſius eo loco hierarchicos ordines, dignitatémque deſcribere, epiſtolâ ſcilicet ad Trallianos, vbi hæc habet: Quid enim eſt Epiſcopus, niſi qui omni principatu, & poteſtate ſuperior eſt, & cunctis dominatur, quantum quidem homo dominari poteſt, factus pro virili ſua Dei imitator: Quid autem ordo ſacerdotum, niſi ſacer cœtus, & Conſiliarij atque Aſſeſſores Epiſcopi? Quid vero Diaconi, niſi virtutum Angelicarum imitatores, purum & immaculatum miniſterium exhibentes, vt ſanctus Stephanus B. Iacobo, Timotheus & Linus Paulo, & Clemens Petro.*

Quid ex ea ſententia à tam ſubtili Logico expectares, niſi & ordinis & iuriſdictionis mixtim hîc referri functiones, vt pateat hierarchiam Eccleſiaſticam & ordinis & iuriſdictionis eſſe, nec earum dotum vnam ab alia ſeparandam, aut diuellendas eas eſſe, quas Deus indiuulſas eſſe voluit, & Ignatius coniunctim retulit? ſed quia intento iſta non reſponderent, hominis volentis probare hierarchiam ordinis ſolitariè à iuriſdictione ſpectari: ideò mauult de conſecutionis ineptia derideri, quam de leuitate, aut ſententiæ mutatione notari. Ita ergo concludit, *Quæ dicta licèt iuriſdictionem ſapiant, ad ordinem tamen melius videntur referenda, cùm eximius iſte Principatus Epiſcoporum, in ordinis miniſterio poſitus ſit, ipſo Ignatio interprete, epiſtolâ ad Heronem Diaconum. Nihil abſque Epiſcopo facias: ipſi enim ſunt ſacerdotes, tu autem miniſter ſacerdotum. Illi baptizant, ſacrificant, eligunt, manus imponunt, tu autem ipſis miniſtras. Hos autem miniſtros & Diaconos, nónne ordinis potiùs quàm iuriſdictionis miniſterium poſtulas & excipis?* Sed nónne & ordinis & iuriſdictionis miniſtri ſunt Diaconi? lege Conſtitutiones Apoſtolicas, ex quibus diſces, quæ iuriſdictionis eſſent omnia ferè ab Epiſcopis per Diaconos actitata olim fuiſſe, preces quaſuis ad Epiſcopum per eos directas, reſponſa, relata, monita, iuſſa Epiſcoporum per Diaconos inſinuata: nónne & actus illi, quorum apud Ignatium mentio eſt, & ad iuriſdictionem & ad ordinationem ſpectant? nam, verbi gratiâ, Baptiſmus & Ordinatio, vt legitimè fiant, tam ordinem quàm iuriſdictionem requirunt; & electio ſolam iuriſdictionem, non actualem ordinem requirit. Concludere ergo debebat Ignatium iuriſdictionem ab ordine, & ordinem à iuriſdictione ſeparare minimè voluiſſe; duo hæc, vt ſibi inuicem com-

plicata ad vnius Principatus Eccleſiaſtici, & poteſtatis Epiſcopalis, ac Sacerdotalis complementum neceſſariò requiſita fuiſſe complexum.

Sed nihilo prudentiùs cap. 1. eiuſdem lib. Ignatium iterùm tanquam vnicæ ordinis hierarchiæ, à iuriſdictione ſeiunctæ aſſertorem in aciem educit, infœlici certè ſucceſſu: nam & pugnantia inter ſe ſcribit, & ſibi pugnantia adducit, & argumenta adeò imbellia ſunt, vt propoſita abſque gloſſa aut interpretatione, contraria ſuæ concluſioni oſtendant, nullóque Gloſſemate in eam partem trahi poſſint, in quam ab ipſo violenter inflectuntur. Diuinum iſtum virum *vnam ordinis non autem iuriſdictionis hierarchiam* attigiſſe, ſe conficere putat, tum quòd perſonæ eædem ab illo numerentur, quæ à Dionyſio, Epiſcopus, Presbyteri, Diaconi: tum quòd eadem officia: primùm probat, nam epiſt. ad Smyrnenſes, *Omnia*, inquit, *inter vos bono cum ordine fiant in Chriſto: laici Diaconis ſubditi ſint, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Epiſcopis, Epiſcopi Chriſto, quemadmodum ipſe Patri.* Et epiſtolâ ad Antiochenſes, *ſaluto ſanctum Presbyterorum Collegium, ſaluto ſacros Diaconos, & amabile mihi nomen: ſaluto Subdiaconos, Lectores, Oſtiarios laborantes, Exorciſtas confeſſores: ſaluto cuſtodes ſacrarum portarum, Diaconiſſas in Chriſto: ſaluto afflatas Chriſto virgines.* Circa quem textum hæc commentatur, *fortaſſe Cantores Ignatium appellare eos, quos ætas poſterior Pſalmiſtas: qui tam in ſtatu & ordine, non ſunt, quàm in officio: quemadmodum neque Confeſſores ſacrum ſtatum obtinent; ſed quaſi ſanguine ipſo dedicati à laicorum vulgo exempti ad ſacras perſonas adiunguntur. Virginum alia ratio eſt, quas votiua caſtitas in ſtatu perpetuo collocat.*

Alterum, quòd eadem officia ſint apud Dionyſium & Ignatium, probat ex epiſtola ad Smyrnenſes, *Nemo abſque Epiſcopo quidquam eorum faciat, quæ ad Eccleſiam pertinent, non licet abſque Epiſcopo neque baptizare, neque offerre, neque ſacrificare, neque agapem celebrare.* Item ex epiſtola ad Epheſios, *Omnes in gratiam nominatim congregemini communiter obedientes Epiſcopo, & Presbyterio animo inſeparabili, vnum panem frangentes, qui eſt immortalitatis medicamentum; nemo erret, niſi quis ſit intra altare, pane Dei priuatur. Quorum verborum hunc ſenſum aſtruit, vt in ipſa Eccleſia vni Epiſcopo, & presbyteris fideles, & orationis vnitate communicare omnes debeant.* Quod confirmat ex epiſtola ad Trallianos, *Qui intra altare eſt, mundus eſt: inde & Epiſcopo obedit, & Presbyteris, & Diaconis: qui vero foris eſt,* (hæreticus & ſchiſmaticus) *hic eſt, qui ſine Epiſcopo, & Presbyteris, & Diaconis quippiam facit: eius inquinata eſt conſcientia, & eſt infideli deterior.* Ipſum Diaconorum miniſterium non aliter, (pergit Cellotius) quam per Euchariſtiæ diſpenſationem explicat eodem loco dicens, *Oportet & Diaconis myſteriorum Chriſti Ieſu omni modo placere: nec enim ciborum, & potionum ſunt Diaconi, ſed Eccleſiæ Dei miniſtri.*

Hæc ex Ignatio Cellotius non ſatis fideliter, ſed aduerte, Lector, quam concluſionem ex iis eliciat, ſpei haud dubiè tuæ, & expectationi contrariam: *Cùm*, inquit, *in perſonis iuriſdictio, neque in actionibus coërtio, vel imperium, quod eſt ſuperioribus libris explicatum, appareat; nemini dubium eſſe debet, quin ſolum ordinem reſpexerit magnus Ignatius.* Quid ais, Celoti, non tibi videtur ſatis expreſſiſſe iuriſdictionem Ignatius, ſatis coërtionem indicaſſe, ſatis imperium inſinuaſſe, dum toties Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis obediendum præſcripſit? Annon tu libri 4. ſuperioris ad quem me remittis cap. 1. hierarchiam iuriſdictionis definiuiſti, *Ordinem ſacrum in Eccleſia per actionis ſacræ poteſtatem ad mandatorum obſeruationem, & Dei ſimilitudinem adducentem.* At nónne in verbis Ignatij totam tuam definitionem particulatim inuenies; ſubditos certè legis; eos verò iuriſdictionis correlatiua ibidem confeſſus es; obedientiæ mentionem apud Ignatium frequentem inſpicis: at iuriſdictioni & imperio reſpondet *parendi atque obediendi debitum*, inquis eodem loco: excluſionem à ſacris inobedienti Epiſcopo, Presbyteris & Diaconis inflictam vides: ſed ea maxima, grauiſſima & vltima Eccleſiaſticæ iuriſdictionis pœna, Can. *Corripiantur*, 24. q. 3. cap. ſacro de ſententia excommunicationis, & aliis paſſim; electionis & ordinationis miniſtrationum, ac Baptiſmi ſolemnis apud Ignatium mentionem attendis: negáſne eſſe functionem iuriſdictionis, vel imperij maioris eſſe, ius conſtituendi Magiſtratus, Rectores, Doctores? itémque coaptandi ſolemni ritu, & auctoritate propriâ aliquem in ſocietatem aliquam? ſeu corporis cuiuſlibet ac communitatis, tam ciuilis, quàm Eccleſiaſticæ; tam ſacræ, quàm prophanæ iuribus donandi? quorum primùm per electionem atque ordinatio-

Digitized by Google

nem, alterum per Baptiſmum ſolemnem faciunt Epiſcopi vel Eccleſiaſtici miniſtri, quibus Epiſcoporum vice conceditur: Quid ergo ex iis Ignatij locis iuriſdictionem ab ordinis conſortio excludis, quibus arctiſſimè connexam oſtendit Ignatius? ſi fateris obedientiæ nomine iuriſdictionem ſufficienter innui, inſulſiſſima eſt argumentatio tua: non enim ſolùm non infers quod intendis, ſed contrarium inferre debes ei quod intendis.

Si eodem nomine negas iuriſdictionem Eccleſiæ ſufficienter innui, vide ne exarmes Eccleſiam potiſſimis ſuis telis, quibus hęreticos, politicóſque iuriſdictionem ei adimentes confodit: quibus enim potiſſimùm armis pugnat Eccleſia pro iuriſdictione ſua tuenda, niſi quia dixit Apoſtolus, *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim perugilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*, ad Heb. 13. &, *ſi quis non obedit verbo noſtro* ad Theſſ. 3. niſi quia & Scriptura ſacra, & Patres plebi fideli, Paſtoribus ab Eccleſia conſtitutis parendum obediendúmque præſcribunt? Tu verò hæc omnia deridebis, & iis verbis iuriſdictionem Eccleſiæ neqnaquam demonſtrari aſſeres: quo ergo expreſſiori teſtimonio Eccleſiæ iuriſdictionem confirmabis? Vide in quos te vortices animi tui impetus coniecerit, vt vel tibi fatendum ſit inſulſiſſimo omnium argumento vſum fuiſſe, qui contrarium antecedenti intuleris, vel iuriſdictionis Eccleſiæ potiſſima fundamenta conuellenda tibi ſint. Non dubito quin emendari cupias: itaque æquo animo patieris nos tibi animi tui aberrationem, & orationis tuæ inſulſitates breuiter notare.

Ignatium ais Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos nominaſſe, colligis exinde iuriſdictionis hierarchiam non texuiſſe; contrarium colligere debueras: primò enim iuriſdictionis iſti ordines ſunt capaces; ipſis ſoliſq; Eccleſiaſtica debetur iuriſdictio. Secundò, vel ipſorum nomina iuriſdictionem ſignificant: Epiſcopi ſiquidem ſpeculatores dicuntur, & ſuperintendentes propter iuriſdictionem, eminentiam in omnes, & regendi ſollicitudinem: Presbyteri quaſi ſeniores dicuntur, & Senatores; Conſiliarij ſcilicet, Aſſeſſores, & Coadiutores Epiſcoporum, quales in ſua ordinatione memorantur, & ab ipſo Ignatio epiſtolâ ad Trallianos diſertè aſſeruntur; cui Gregorius Nazianzenus Orat. 32. Cyprianus de ſingularitate Clericorum, Ambroſius in cap. 5. prioris ad Timotheum, Themiſtius Orat. 13. adſtipulantur. Diaconi tandem ſuperiorum ordinum miniſtri dicuntur, ſed in populum iuriſdictionem exercentes potentiſſimam: quippe *μιμηταὶ τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων, imitatores Angelicarum virtutum*: & ita in Epiſcoporum nomine principaliſſimam, in Presbyterorum voce conſultiſſimam, in Diaconorum appellatione efficaciſſimam iuriſdictionem intelligis. Deſine ergo ita ratiocinari, vt quia Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi ab Ignatio nominantur, iuriſdictionis mentionem nullam eum facere dicas; quinimò quia eorum mentionem facit, iuriſdictionem quoque cum ordine comprehendit.

§. III.

Dionyſium quoque ordinem cum iuriſdictione coniunxiſſe in explicanda hierarchia.

SED, inquis, Dionyſio conſentit Ignatius, eoſdémq; nominat. Quid tum? ad tribunal ipſius Dionyſij me ſiſto, iudicem ipſum non recuſo: ſuperius enim toties demonſtraui iuriſdictionis etiam mentionem Dionyſium feciſſe, Epiſcopiſque, Presbyteris, ac Diaconis, ac generaliter omnibus, qui in hierarchia ſtrictiori ſignificatione ſumpta conſiſterent, iuriſdictionem tribuiſſe, vt eo iudice, lite te cadere oporteat. Sed quoniam eum ſolùm functionum ordinis mentionem feciſſe gloriaris, quas fateor ipſum diligentiùs explicaſſe, ipſarumq; myſteria, vt par erat, expoſuiſſe: iuriſdictionis tamen neceſſariæ eum etiam mentionem feciſſe, vel ex iis quæ docuimus. vel ex iſtis quæ ſubdimus diſcere potueras: Annon Epiſcopos paſſim *ἡγεμόνας* vocat, & *ἱεράρχας*, quæ nomina iuriſdictionem haud dubiè ſonant? annon cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, ſacerdotem non acceptâ ab Epiſcopo licentiâ, nihil aggredi, nihil tentare præcipit, quæ iuriſdictionis Pontificiæ prærogatiua eſt, non ordinis? annon eodem cap. & aliis, de immundorum à ſacris excluſione, & expiatione pœnitentium meminit, qui iuriſdictionis neceſſariæ potiſſimi ſunt effectus? annon ſponſionis ba-

ptizandi mentionem facit cap. 2. part. 1. quâ ſe ſcilicet obſtringit eius decretis ac voluntati perfectè obtemperare? eáne tibi inſufficientia videntur ad firmandum ſacrum Epiſcopi imperium? annon eodem cap. part. 3. baptizatus quiuis decretis, legibuſque Epiſcopi deuinctus & obligatus eſſe dicitur? nónne hæc Epiſcopalis iuriſdictionis veſtigia ſunt, ac monimenta? hæc omnia, aliaque plura reperire poteris, quæ Epiſcopalem iuriſdictionem toto hoc Opere non omiſiſſe, nec reticuiſſe Dionyſium perſuadere tibi poterant, niſi obfirmato aduerſus veritatem tam apertam animo ad ſcribendum tete accinxiſſes.

Sed vnum eſt, quod pertinaciam tuam frangere fortè queat, quòd definiens Dionyſius hierarchiam iſtam, de qua ipſe ageret, iuriſdictionis etiam ſtrictiſſimè ſumptæ non fuiſſe illam expertem ſignificet. Quid enim, quæſo, iuriſdictio ſtrictiſſimè ſumpta, niſi *poteſtas de publico introducta, cum iuriſdicendi & æquitatis ſtatuendæ neceſſitate*, vt notant Alciatus ad fin. cap. 24. lib. diſput. 2. Gloſſa, & ibi Bartholus in lib. 1. ff. *de iuriſdictione omnium iudicum*, Gloſſa in Authenticam *de defenſoribus ciuitatis*, §. *iuriſiurandi*, & alij paſſim. Atqui iuriſdictionem ita ſumptam hierarchiæ ſuæ tribuit Dionyſius cap. 3. hierarchiæ Eccleſiaſticæ in Theoria, ἔστι γὰρ ἡ θεοειδὴς ἱεραρχία, δικαιοσύνης ἱερᾶς ἀνάπλεως, καὶ τὸ κατ' ἀξίαν ἑκάστῳ σωτηρίως ἀπονέμει, τὴν ἐναρμόνιον ἑκάστου τῶν θείων μέθεξιν ἐν συμμετρίᾳ καὶ ἀναλογίᾳ κατὰ καιρὸν ἱερῶς δωρουμένη. *Eſt enim diuina hierarchia iuſtitiæ plena, ac vnicuique pro dignitate ſalubriter conſentaneam tribuit rerum diuinarum communionem, ſanctéque pro modo & captu ſecundum tempus concedit.* Igitur propriam iuriſdictionem Dionyſius iſti hierarchiæ, quam tractat, attribuit.

§. IV.

De Ignatij mente iterùm diſputatur, & Cellotij periculoſa expoſitio refellitur.

CONSENTIENS itaque Dionyſio Ignatius, iuriſdictionem ſimiliter veris hierarchiæ membris adſcribit, vt patet ex citatis à Cellotio ipſo variis teſtimoniis, quibus, Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, quos ſolos in ſuam hierarchiam tranſcribit, obediendum eſſe præcipit; quod vtique epiſtolâ ad Antiochenos, conſequenti ſerie poſt ſalutatos Presbyteros & Diaconos, quos à cæteris ſeparat, Subdiaconos, Lectores, Cantores, Oſtiarios, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores nominat; iiſque poſteà Diaconiſſas, & ſacratas Deo virgines adiungit: noli tibi fingere perfectam in iis verbis haberi hierarchiæ enumerationem. Primò enim ſibi ipſi eſſet contrarius, dum alibi ſolos Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos nominat. Secundò; quia quibus locis ſolos Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos memorat, manifeſtè ſe de Eccleſiæ Principibus, & primoribus agere oſtendit, iis obediendum docens: at loco iſto ad Antiochenſes de hierarchia ſe agere nullatenus ſignificat, quinimò diuerſorum ordinum vel conditionum homines ſalutandos ſuo nomine duntaxat præſcribit, quæ res alieniſſima eſt ab hierarchiæ aſſignatione. Tertiò, inter eos numerat Confeſſores, quos nemo dixerit ad hierarchiam ordinis ſpectare, nec Cellotio ipſo teſte in eam inſeri poſſent, *quod neque ſacrum ſtatum obtineant.* Imò nec Pſalmiſtæ ſeu Cantores ipſi videntur in eam cooptandi, ſi benè verba eius intelligo, quibus eos admitti *tam in ſtatu & ordine non poſſe, quàm officio*, aſſerit. Quartò, imprudenter proinde, & ſine fundamento contra omnium ſenſum quod Confeſſoribus, quod Pſalmiſtis denegat, virginibus attribuit, quaſi virginum alia ratio ſit, *quas votiua caſtitas in ſtatu perpetuo collocat.* Quam opinionem fusè refutabimus inferiùs, notare ſolùm Cellotius debuerat non eſſe probabile Ignatium contrariam habuiſſe ſententiam, ei quàm disertè Conſtitutiones Apoſtolicæ produnt, lib. 8. ſicut enim iſtius libri capite vigeſimo tertio Confeſſorem, quantumuis magno honore dignus habeatur, non ordinati aſſerit, ita nec virgines, quas proinde falsò Ignatium inter ordinatos in hierarchia ordinis repoſuiſſe contendit Cellotius. Quintò, inaniter etiam id aſtruit, ex eo quòd poſt ordinatos eorum fiat mentio, quaſi non etiam merè laicorum mentio fieri non potuerit poſt Clericos: cùm ipſe Confeſſorum factam fuiſſe fateatur, quos laicorum numero non eximit: officia verò & functiones Ignatium non ordinis ſolùm, verùm etiam iuriſdictionis protuliſſe,

Digitized by Google

non ex aliis locis probare opus eſt, quàm ex iis, quæ ipſe Cellotius adducit, vt hominis incogitantiam demireris qui ſuis ſe armis confodiendum præbet. Quòd ſi pergat ea quæ de obedientia Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis exhibenda à populis, dicta ſunt à Patribus ita interpretari, vt de vnitate & communione populorum cum eorum graduum viris in vnitate fidei, & orationis ſolùm intelligantur, & in ea tantùm communione Eccleſiæ vnitatem conſtituiſſe, caueat ne in ſuſpicionem Caluinianæ hæreſcos veniat, à cuius auctoribus iſtam vnitatis Eccleſiæ explicationem mutuatus eſt, & quibuſcum Eccleſiæ vnitatem in ſola fide, & oratione communionis, non autem in ſubordinatione populorum tanquam verè ſubditorum Paſtoribus ſuis veram iuriſdictionem habentibus, collocare reformidet. Augent certè hanc ſuſpicionem, quæ ipſe in diminutionem poteſtatis Epiſcopalis, & inficiationem popularis obedientiæ, ſubdit in reſponſione ad obiectionem ex ſententia Ignatij epiſtolâ ad Philadelphienſes decerptâ: obiicit enim ſibi eamdem ex Ignatio in Eccleſia ſubiectionem requiri cum ea, quàm in prophana politia videmus, dicente ſcilicet Ignatio, *Principes pareant Cæſari, milites principibus, Diaconi & reliquus Clerus, ſimul cum omni populo & militibus & Principibus & Cæſare pareant Epiſcopo: Epiſcopus Chriſto, ſicut Chriſtus Patri, & ita vnitas ſeruabitur.* Conſtat verò propriè dictâ iuriſdictione Cæſarem Principibus, Principes militibus imperare: ergo eamdem iuriſdictionem in Epiſcopo & Presbyteris deſiderare videtur Ignatius. Reſpondet, *comparationem in illa ſpecie ſubiectionis non fieri, ſed tantùm in genere, vt Eccleſiaſtici ritus, non minùs pacatè, religioſeque tractentur, quàm externa negotia.* Quid eſt, quòd te adeò vexas, Celloti, vt iuriſdictionem Epiſcopis abneges? an quia hanc putas Epiſcopis deeſſe? hæreticus es, ſi hoc ſentis. An quia adeſſe quidem credis, ſed non ab Ignatio memoratam fuiſſe, ſed quibus velles clarioribus verbis Ignatius vti potuiſſet, ſi explicare eam voluiſſet. Parendum Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis prædicat, vt milites Imperatori, vt ſubditi Principibus, vt Epiſcopi Chriſto, vt Chriſtus homo Patri? maiorémne aliquam aut ſtrictiorem ſubiectionem aſſignare potuit? cur ergo nec iis verbis contentus es, ſed ſolùm expreſſam dicis ab Ignatio pacis, vnitatis, & tranquillitatis commendationem? quaſi verò pax & tranquillitas in humanis rebus abſque imperio haberi, vel vnitas Eccleſiæ abſque ſubiectione populorum ſuis Paſtoribus foueri poſſet. Hanc ſtrictam ſubiectionem ſi negas, ſuſpicionem præbes æquiſſimam, quòd noſtris Nouatoribus faueas; ſi non negas, inſulſum te, & imperitum argumentatorem exhibes, qui iis verbis, quæ imperium & iuriſdictionem inuoluunt, hierarchiam ordinis expertem omnis iuriſdictionis elicis, malo te imperitum videri quàm impium.

Vt autem te efficaciùs conuincam, quandoquidem ex vna particula epiſtolæ 13. Ignatij ad Heronem, quâ Diaconum iſtum in altaris ſolùm miniſterio deſeruientem nobis ab Ignatio exhibitum contendis, vt ſicut Stephanus Iacobo & Presbyteris miniſtrabat, ita Epiſcopo & Presbyteris duntaxat in altari eum miniſtrare debuiſſe inferas ex Ignatij teſtimonio: Ego è contrà, & infirmam omninò & imbecillam tuam probationem oſtendo, quia nec miniſterij nomen ad ſolum altaris miniſterium reſtringere oportet: conſtat enim Stephanum & in Dominici verbi prædicatione & in aliis Hieroſolymis miniſtraſſe: & falſam aſſertionem tuam, ac mutilatum à te Ignatij teſtimonium proferri oſtendo: etenim alia vtique totâ epiſtolâ Diaconorum officia deſcribit, quæ imperium aliquod in plebem oſtendunt, vt quòd aliis leges Dei interpretari iubeatur; quòd contra traditionem docentes pro lupis habere moneatur: quòd viduam honorare, pupillis patrocinari, omnes ad ſynaxim nominatim inquirere, ſine Epiſcopo nihil facere, ſorores, fratréſque hortari, virgines ſeruare vt pretioſa Chriſti monilia, pauperes non negligere, depoſitum cuſtodire præcipiatur: quòd & Eccleſiam Antiochenam ei commendet. Hæc omnia diuerſa ſunt à miniſterio altaris, & iuriſdictionis à Diaconis participatæ inſignia teſtimonia ſunt. Igitur falſum eſt Diaconorum officia Eccleſiâ & altari ab Ignatio circumſcribi.

Quod autem de iuriſdictione fori exterioris addis, & aduerſum fideles fruſtrà à te factum implicandæ quæſtionis gratiâ: non enim hîc agitur de ſola iuriſdictione fori exterioris, in quo ex formula diſceptari oporteat, litéſque agitari: non de foro, in quo aduerſus aliquem pronuntiari neceſſum ſit, eúmque lite repellere: ſimplicior vt plurimùm fuit iuriſdictionis Eccleſiaſticæ formula prioribus iiſce ſæculis. Contendo

itaque non ſolùm iuriſdictionem voluntariam, quæ ad hierarchiam imperfectam ſufficit, & neceſſariam, quæ neceſſitatem obtemperandi induxit Ignatio agnitam, & ab Ignatio expreſſam, etiam in Diaconis, tanquam ordini Diaconorum tunc temporis, vel adnexam vel connaturalem: ac proinde non ſolùm inſufficienter, verùm falsò ac mendaciter Ignatium auctorem hierarchiæ ordinis ſeiunctæ ab omni iuriſdictione proferri.

De Tridentinorum Patrum ſententia iam non diſputo, ſuperiùs enim ſatis à nobis diſcuſſa & examinata eſt: ſufficientérque demonſtratum nec ordinem ſine iuriſdictione, nec iuriſdictionem ſine ordine Tridentinis Patribus ad perfectam hierarchiam ſufficere viſa; vtraque deſiderari, nec ſine gratiarum diuinarum conſortió.

§. V.

Vtrùm electi Pontifices non ordinati imperfectè ſint in hierarchia collocandi.

EX quibus omnibus patet quàm friuolæ ſint Cellotij obiectiones l. 13. c. 17. quibus ordinis hierarchiam ab hierarchia iuriſdictionis diſtinctã, non vnam & eamdem hierarchiam duabus iſtis doribus inſtructam probare conatur; quas omnes hîc non retexo, vtpote quæ tam ex iis quæ in vindiciis cenſuræ Pariſienſis, quàm quæ ſparſim toto hoc opere docuimus nullo negotio diſſlari poſſint, leuis tantùm mora nobis in ea ſola obiectione expungenda terenda eſt, quâ nos ſummo Pontifici, & Epiſcopis contumelioſos fuiſſe probare contendit, quòd eos ſi electi tantùm fuerint, nondum ordinati, imperfectè tantùm, imò &, ſi ipſi credimus, ſolùm impropriè (eâ enim voce nos vſos expreſsè aſſerit) de hierarchia eſſe docuimus.

Primum deſidero in homine fidem, qui nobis verbum *impropriè* affingit; quo nec in ea hypotheſi vnquam vſi fuimus, neque ipſum citatâ pag. 381. vllatenus protulimus. 2. Deſidero modeſtiam, quòd exinde nos tanquam contumelioſos Epiſcopis non conſecratis tam audacter incuſet, quia Pontificem vel Epiſcopum electum nondum perfectè de hierarchia Eccleſiæ ex ordine & iuriſdictione conſtanti eſſe docuimus: quòd ad Theologiam & Doctores prouocet, vtrum hoc admitti poſſit, quaſi non Theologia id admittat: quòd Canones, quòd vſitata in Eccleſia loquendi forma, quòd ratio manifeſta perſuadent. Si enim Canones conſulis, nondum Pontifex vel Epiſcopus dici debet, qui nondum Epiſcopus conſecratus eſt, quamuis electus, imo etiam confirmatus fuerit: nondum, inquam dicitur Pontifex vel Epiſcopus, tantùm abeſt, vt perfectè dicatur Pontifex, vel perfectè Epiſcopus, aut perfectum in hierarchia, tanquam Pontifex aut Epiſcopus locum tenere aſſeratur. Hæc qui ignorat, conſulat plurimas Romanorum Pontificum epiſtolas, quæ ſi Epiſcopo nondum conſecrato ſcriptæ ſint, nunquam ad Epiſcopum inſcribuntur, ſed ſimpliciter electo diriguntur: legat & varios paſſim Canones, præſertimque toto titulo, *de electione, & de electi poteſtate*, in quibus eadem ratio loquendi ſeruatur: notet etiam & caput, *Tua nuper, de iis quæ fiunt a Prælatis ſine conſenſu capituli*, cuius ſtatim initio electus Antiſtes, Epiſcopo opponitur, & tanquam diſtinctum membrum ſcribitur. Obſeruet etiam id adeò pro conſtanti haberi, vt Gloſſa in Clementinam primam, *de pœnis*, verbo, *vt quemuis Pontificem*, auſa fuerit tueri conſtitutionem pœnas inferentem iis, qui Epiſcopis iniurij ſunt, offendentes *electos nondum conſecratos, qui Pontifices, id eſt, Epiſcopi non ſunt, non videri includere*. Quòd ſi quis etiam ſpeciatim circa ſummum Pontificem aliqua quærat, quibus hanc ſentiendi rationem, & loquendi morem iſtum perſpectum habeat, legat recitatam à Gregorio Turon. Romani Gregorij ad ſummum Pontificatum tam electionem, quàm ordinationem deſcriptam lib. 10. hiſt. c. 1. electionem quidem iis verbis, *Gregorium Diaconum plebs omnis elegit*, ordinationem verò iſtis *matribus datâ perceptione ipſum iuſſit inſtitui*. Item, *ad Pontificalis gratiæ officium conſecratus Papa vrbi datus eſt*. quaſi tunc primùm perfectè inſtituatur & Pontifex detur, cùm demùm conſecratur. Eamdem phraſim olim obſeruatam referre pigeret, cùm paſſim occurrere poſſit: ſed prætermittere non poſſum eximiam ſummorum Pontificum circa hæc tempora modeſtiam, quos notat Baronius tom. 8. ad ann. 690. electos Pontifices antequam conſecrarentur, neque ſolos Eccleſiam gubernaſſe, neque tanquam omnium primos ſe geſſiſſe, ſed Archipresbyterum,

chipresbyterum poſt hunc electum, tum primicerium, quarto loco Conſiliarium; quod vtique probat ex epiſtola Cleri Romani ad Scotos apud Bedam lib. 2. hiſtor. Angl. cap. 19. in qua hoc ordine ſubſcribunt Hilarius Archipresbyter, Ioannes Diaconus electus, Ioannes Primicerius, & Ioannes Conſiliarius. Neque deſunt rationes, ob quas aſſeri debeat Epiſcopus nondum conſecratus, nondum plenè ac perfectè eſſe Epiſcopus. 1. quia in conſecratione electo crimina iterùm obiici poſſunt, quæ eum ab ordinatione repellant, vt conſtat ex Can. *Illud*, diſt. 23. & aliis paſſim, ex Iuſtiniani Nouell. 63. part. 1. §. *Si quis*, & 123. cap. 14. & ex formula in Ordinationibus obſeruari ſolita conteſtandi coram populo, vt ſi quis intercedere voluerit Ordinationi, cā animi moderatione, & cautelâ, quâ decet, id faciat: ex Cypriani epiſt. 68. ad Clerum & plebes in Hiſpania conſiſtentes, Origenis homil. 6. in Leuit. cap. 8. Euſebij lib. 6. cap. 55 & part. 1. cap. 2. art. 2. §. 4. Operis noſtri de ſacris electionibus. Altera, quia iuxta doctrinam Innocentij III. cap. *licèt de Tranſl. Epiſcopi*, illud *ſpirituale fœdus coniugij, quod inter Epiſcopum & Eccleſiam intercedit in electione initiatum, ratum in confirmatione, & in conſecratione intelligitur confirmatum*. 3. Quia nec ipſa iuriſdictio in variis actibus liberè ſeſe explicat niſi ordinationi coniungatur: imò & iudicandi ac deponendi Clericos officium nemini connaturale eſt, niſi cui ordinandi poteſtas eſt connaturalis: quippe cùm eiuſdem ſit deſtituere cuius eſt inſtituere; eiuſdémque iudicare, cuius eſt ordinare, vt alibi fuſiùs ex Patrum ſententiis docuimus. 4. Quia Epiſcopus non eſt alius à ſummo Sacerdote ex communi Patrum loquendi more. At ſummus Sacerdos, quâ fronte perfectè dici poteſt, qui ſacerdos ordinatus non fuerit? Itaque cùm ex iis omnibus liquidò conſtet, nec quemquam perfectè Epiſcopum, aut Hierarcham, nec Pontificem, ſeu Hierarcharum Hierarcham perfectè conſtitutum dictum olim fuiſſe, cui deeſſet conſecratio ad confirmationem electionis, ad amplitudinem maiorem iuriſdictionis, ad connaturalem agendi modum, ad ſanctiorem & auguſtiorem electi maieſtatem, ad vigorem ſacerdotalem & facilitatem operandi, ex gratia prouenientem. Quis adeò ineptus erit, vt contumelioſam Epiſcopis hanc formulam loquendi probet, quod Epiſcopi electi nondum conſecrati negentur perfectè in hierarchia locum tenere, quibus nempe perfectio aliqua debita deeſt, ad conſummationem poteſtatis, ad cumulum dignitatis, ad denominationem omnimodam ſui ordinis?

Scrupuloſè ſcilicet Cellotius imperfectè de hierarchia aut ſummum Pontificem, aut Epiſcopum quemlibet nondum conſecratum dicere reformidat, quia nunquam putat caput *incomplete* dici poſſe de corpore, cùm tamen nunquam niſi incompletè dici poſſit, ſi videlicet integritas ſpectetur corporis, quæ nunquam in ſolo capite conſiſtit, vel eâ ſolâ parte completur. Sed prætereà pars aliqua imperfectè & incompletè quantum ex ſe eſt, de corpore eſſe dicitur, quando perfectum & integrum exiſtendi in corpore modum nondum eſt aſſecuta. Ex prædictis autem conſtat eum qui nondum eſt conſecratus Epiſcopus, nondum perfectè Eccleſiæ ſuæ caput conſtitutū dici, nondum Eccleſiæ ſuæ perfectè ſponſum eſſe; & ideò Eccleſiā aliquā ſaltem ratione dici manere viduatam, donec conſecratū habeat Antiſtitem, vt colligitur ex Conc. Chalced. Can. 25 Vvorm. Can. 76. Pelagij Pont. Can. *quoniam* diſt. 100. aliiſq; & explicat Innocentius III. cap. *Inter corporalia de Tranſl.* ac proinde quis neget etiam hoc ſenſu Epiſcopum electum ac confirmatū, ſi conſecratus nondum fuerit, incompletè caput eſſe dicendum? quòd rationem capitis plenam omniq; ſuâ vi ac poteſtate inſtructam nondum habeat, habitum vtique cumulatiùs, cùm electioni & confirmationi conſecratio accedet. Quantò periculoſiùs in ea re loquitur Cellotius, dum Antiſtitem, ac ipſum ſummum Pontificem in hierarchia iuriſdictionis conſtituit, & ab hierarchia ordinis, in qua locum habeant Monachi & Monachæ, remouet: Scilicet Monachis etiam fœminis in pluribus hierarchiis locus erit, quàm ſummo Pontifici electo nondum conſecrato, (ſcilicet propter debitū, vt falsò Cellotius credit) ſacerdotium Fratri alicui ex Mendicantibus, in hierarchia ordinis non infimus locus tribueretur, à qua electus Epiſcopus vel ipſe etiam ſummus Pontifex, cui haud dubiè ſacerdotium ac ſummum ſacerdotium debetur, exſcindi debebit, *ei propter clericalem Tonſuram & habitum* vt ipſe loquitur, c. 17. cit. l. 3. Quaſi verò non contumelioſum ſit caput pedum loco cum ſimplicibus Clericis collocari. Scilicet licebit hierarchiam ordinis non habentem Hierarchā conſtituere, tunc ſcilicet cùm continget Eccleſiam aliquam Epiſcopo non conſecrato viduatam repetiri: denique honorificentius erit ſummum Ponti-

ſcem, vel electum Epiſcopum nondum conſecratos, ab aliqua hierarchia excludi, vel ad infimum locum deiici, quàm imperfectè in totali Eccleſiaſtica conſtitui: Apage has nænias, quas ſolidè ſuperiùs refutauimus.

SECTIO II.

DE DIVISIONE HIERARCHIÆ ratione Ordinis in Epiſcopos, Preſbyteros & Miniſtros.

CAPVT I.

Epiſcopalem, Presbyteralem, & Diaconalem veros Ordines hierarchicos eſſe.

ARTICVLVS I.

Auctoritatibus Patrum id generatim probatur.

TRIDENTINVM Concilium ſeſſ. 18. de Sacram. Ordinis Can. 6. poſt Dionyſium lib. de Eccleſ. hierarch. Maximum Scholiis in Dionyſium, Antiochum Monachum Lauræ Sabbæ in Paleſtina hom. 122. Theophylactum in cap. 10. Lucæ & alios paſſim, tres ordines hierarchicos Epiſcoporum, Preſbyterorum, & Diaconorum ſtatuit: nam per miniſtros quos ibi Epiſcopis & Presbyteris coniungit, non dubiũ eſt quin ſaltem Diaconos intelligat, quos Dionyſius nonnumquam ſimpliciter λειτουργοὺς ſeu *miniſtros*, aliquando λειτουργοὺς ἐκκρίτους, *ſelectos miniſtros* vocat.

Pluribus id ſuprà teſtimoniis Patrum confirmauimus, quibus nempe Principes, Duces, Patres, Dominationes hos tres ordines dictos, & prioribus Eccleſiæ ſæculis exiſtimatos aduerſus Cellotij reprehenſionem tutati ſumus.

Fuſiùs id iam probaturi ſumus, 1. variis Patrum auctoritatibus, quibus Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos Eccleſiaſticæ gubernationi præfectos, ac proinde ordines hierarchicos iuriſdictionis coërcitiuæ ex ſuo ſtatu atque ordine capaces comprobamus. Taceo Dionyſium eiúſque ſequaces, quorum ſupra varia teſtimonia pro iſta hierarchiæ diſtributione in iſtos ordines retulimus. Conſtitutiones Apoſtolicæ Clementis paſſim tres iſtos ordines, vt iuriſdictionem & auctoritatem habentes numerant, præſertim lib. 7. cap. 32. & lib. 8. cap. 45. ſuperiùs citatis, itémque lib. 2. cap. 16. 17. 18. 25. 26. 28. & aliis paſſim, quibus ſcilicet locis, dum referuntur ordines, quorum auctoritate populus continetur, quibus laici obtemperare, quorum prudentiâ regi debent, eorum tantùm trium ordinum fit mentio: cap. quoque 30. Epiſcopum Deum, Diaconos vt Dei Prophetas honorandos ſcribunt. Canones quoque Apoſtolorum, quæ ſpectant ad Eccleſiæ regimen, paſſim Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis tribuunt, quos ſolos in Eccleſiæ regimine nominant: reliquos autem Clericos, vbi de diſciplina agitur, memorant; ſed quidam ex ipſis id expreſſiùs ſignificant; ex iis trigeſimus quintus ſeu trigeſimus ſecundus apertiùs Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos, curam populi ſuſcipere poſſe, & ordinariam Eccleſiæ iuriſdictionem oſtendit iis verbis Εἴ τις χειροτονηθεὶς ἐπίσκοπος μὴ καταδέχοιτο τὴν λειτουργίαν, καὶ τὴν φροντίδα τοῦ λαοῦ, τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτῷ, τοῦτον ἀφωρισμένον τυγχάνειν, ἕως ἂν καταδέξηται. ὡσαύτως, καὶ πρεσβύτερος, καὶ διάκονος. *Si quis delectus Epiſcopus, officium publicum, curámque populi ſuæ fidei commiſſam non acceperit, hunc excommunicatione puniri, donec ſuſceperit, eodem quoque modo & Presbyter & Diaconus.* Supponit enim iſte Canon etiam Presbyteros, & Diaconos curam populi ſuſcipere, eiſque committi alicuius loci fideles ſolere, ad quem ſcilicet locum regendum, qui poſt ordinationem ſuam pergere negligerent, punirentur. Oſtendit & Canon 38 apud Zonaram, quo ſcilicet ſolis Presbyteris, & Diaconis vetatur, non autem cæteris Clericis,

ne quid noui circa Eccleſiæ diſciplinam inconſulto Epiſcopo moliantur: eò quòd nempe ſolis ipſis diſciplinam procurare Epiſcopi auctoritate per ſingulas regiones conueniret: quare hunc Canonem interpretatus Zonaras, τοῖς πρεσβυτέροις, καὶ διακόνοις ὑπὸ τοὺς κατὰ χώραν τελοῦσιν ἐπισκόποις, *Presbyteris & Diaconis, qui ſub Epiſcopis per vicos ſeu regiones dant operam ſacris*, hoc Canone vetitum dicit, ne à ſeipſis aliquid moliantur, verbi gratiâ, ne mulctent aliquem; ne ab Eccleſia repellant, ſententiámque ab Epiſcopo dictam, aut laxent, aut imminuant, aut intendant: Pontificalis enim iſta poteſtatis hæc eſſe, quam niſi de gratia, & per indigentiam acceperint ab Epiſcopo tale quid non eis eſſe permiſſum. Quibus conformia habet Balſamon in Canonem eumdem, ſed numero 39 apud ipſum: quæ quidem oſtendunt tam Preſbyteros, quàm Diaconos aliquos in vicis fuiſſe, quibus ita gubernatio populi credita erat, vt tamen maiora negotia ſine Epiſcopi ſententia exequi non poſſent. Demonſtrat & Canon 44. aliàs 45. qui Epiſcopum, Presbyterum vel Diaconum cum hæreticis vel ſolùm comprecantes ſegregatione punit: Εἰ δὲ καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς ὡς κληρικοῖς ἐνεργῆσαί τι· *Sin autem eis tanquam Clericis aliquid operari permiſerit* depoſitione. Oſtendit enim hic Canon non ſolùm Epiſcopum, ſed & Presbyterum, quin etiam Diaconum Clericalia officia exercendi tanquam hierarchicam habentes auctoritatem quibuſdam aliis poteſtatem facere potuiſſe. Qui Canones rectè conſiſtunt cum Canone quinquageſimo octauo, vbi Epiſcopi tantùm & Preſbyteri mentio, quorum vterque punitur, ſi nullam Cleri, vel populi curam gerat, neque doceat pietatem ac religionem: ſermo enim ibi eſt de Clero & populo ciuitatis, qui non niſi ab Epiſcopis & Presbyteris ciuitatenſib. non à Diaconis edoceri ſolebant, non de vicaneis Eccleſiis, quæ aliquando Diaconis etiam adminiſtrandæ tradebantur, vt mox confirmabimus. Itaque patet ex Canonibus Apoſtolorum tam Epiſcopis quàm Presbyteris & Diaconis animarum curam committi ſolitam: ac proinde eos ordines hierarchicos eſſe, quibus nempe iuriſdictio, & principatus ſacer conuenire poſſit.

Idem Conſtit. Apoſtol Auctor, qui dicitur Clemens, epiſtolis eius nomine inſcriptis, quæ à Ruffin. Latinitate donatæ non poſſunt non habere maximam ab antiquitate commendationem iis, inquam, epiſtolis tres iſtos ordines hierarchicos commendat. Nam epiſt. 1. Eccleſiam naui comparat, *Cuius Dominus ſit omnipotens Deus, gubernator verò Chriſtus. Tum deinde proretæ officium Epiſcopus impleat, Presbyteri nautarum, Diaconi diſpenſatorum locum teneant.* Epiſtolâ verò tertiâ tres iſtos ordines Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum populorum gubernationi, & directioni præfectos memorat, dum ait, *Audire Epiſcopum attentiùs oportet, & ab ipſo ſuſcipere doctrinam fidei: monita autem vitæ à Presbyteris inquirere; à Diaconis verò monita diſciplinæ.* Ignatius Antiochenus diſcipulus S. Ioannis Chriſtianos pluribus epiſtolis rogat, vt eorum ordinum viris tanquam ductoribus & rectoribus ſuis pareant: epiſtolâ quidem ad Trallianos, hanc ordinationem præclarè demonſtrat; nam de Epiſcopo primùm hæc habet, τῷ ἐπισκόπῳ ὑποτάσσεσθε, ὡς τῷ κυρίῳ· αὐτὸς γὰρ ἀγρυπνεῖ ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, ὡς λόγον ἀποδώσων Θεῷ· *Epiſcopo ſubiecti eſtote velut Domino, ipſe enim vigilat pro animabus veſtris, quaſi rationem Deo redditurus.* Et paulò pòſt: ἀναγκαῖον οὖν ἐστιν ὅσα ὑπὲρ ποιεῖτε, ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν πράττειν ὑμᾶς· *Neceſſe itaque eſt quidquid facitis, vt ſine Epiſcopo nihil tentetis.* De Presbyteris & Diaconis ſtatim ſubdit: Ἀλλ' ὑποτάσσεσθε καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, ὡς ἀποστόλοις Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, ἐν ᾧ διάγοντες, ἐν αὐτῷ εὑρεθησόμεθα. δεῖ δὲ καὶ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Χριστοῦ Ἰησοῦ, κατὰ πάντα τρόπον ἀρέσκειν. οὐ γὰρ βρωτῶν καὶ ποτῶν εἰσι διάκονοι, ἀλλ' ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται. δέον οὖν αὐτοὺς τὰ ἐγκλήματα φυλάττεσθαι, ὡς πῦρ φλέγον· αὐτοὶ μὲν οὖν ἔστωσαν τοιοῦτοι, ὑμεῖς δὲ ἐντρέπεσθε αὐτούς, ὡς Χριστὸν Ἰησοῦν, οὗ φύλακές εἰσι τοῦ τόπου· *Sed & Presbyteris ſubiecti eſtote, vt Chriſti Apoſtolis, qui ſpes veſtra eſt, hoc autem pacto viuentes in eo inueniemur. Oportet & Diaconis myſteriorum Chriſti miniſtris per omnia placere, nec enim ciborum & potuum miniſtri ſunt, ſed Eccleſiæ Dei adminiſtratores: ipſi itaque tales ſunt: at vos reueremini illos vt Chriſtum Ieſum, cuius vicarij ſunt.* Eadem etiam epiſtolâ prærogatiuas ſingulares Principatus Epiſcopalis, Presbyteralis, & Diaconalis explicat iis verbis, ὁ δὲ ἐκτὸς ὢν οὗτός ἐστιν ὁ χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου, καὶ τῶν πρεσβυτέρων, καὶ τῶν διακόνων τι πράσσων. ὁ τοιοῦτος μεμίανται τῇ συνειδήσει, καὶ ἐστιν ἀπίστου χείρων. τί γάρ ἐστιν ἐπίσκοπος, ἀλλ' ἢ πάσης ἀρχῆς, ἐξουσίας ἐπέκεινα πάντων κρατῶν, ὡς οἷόν τε ἄνθρωπον κρατεῖν μιμητὴν γενόμενον κατὰ δύναμιν

Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ· τί δὲ πρεσβυτέριον, ἀλλ᾽ ἢ σύστημα ἱερὸν, σύμβουλοι, καὶ συνεδρευταὶ τοῦ ἐπισκόπου, τί δὲ διάκονοι, ἀλλ᾽ ἢ μιμηταὶ τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων, λειτουργοῦντες αὐτῷ λειτουργίαν καθαρὰν καὶ ἄμωμον, ὡς Στέφανος ὁ ἅγιος Ἰακώβῳ τῷ Μακαρίῳ, καὶ Τιμόθεος, καὶ Λίνος Παύλῳ, καὶ Ἀνάκλητος, καὶ Κλήμης Πέτρῳ· ὁ τοίνυν τούτων παρακούων, ἄθεος παντάπασιν εἴη ἂν καὶ δυσσεβὴς καὶ ἀθετῶν Χριστὸν, καὶ τὴν αὐτοῦ διάταξιν σμικρύνων· *Qui verò foris eſt, hic is eſt, qui ſine Epiſcopo, Sacerdote, & Diacono quippiam agit, & eiuſmodi inquinatam habet conſcientiam, & infideli deterior eſt. Quid enim aliud eſt Epiſcopus, quàm is qui omni principatu & poteſtate ſuperior eſt, & quoad homini licet, pro viribus imitator Chriſti Dei factus? Quid verò Presbyterium aliud eſt quàm ſacer cœtus, Conſiliarij & Aſſeſſores Epiſcopi? Quid verò Diaconi, quàm imitatores Angelicarum virtutum, quæ purum & inculpatum miniſterium illi exhibent, vt ſanctus Stephanus beato Iacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Clemens Petro? Qui igitur iis non obedit, ſine Deo prorſus, & impius eſt, & Chriſtum contemnit, & conſtitutionem eius imminuit.*

Quibus verbis, quod interlegendum aliquos Patres & Concilia obſeruari ſingulis ferè paginis poteſt, hoc expreſſiùs nobis explicat ſanctus Ignatius, nimirùm cùm omnis Principatus ritè ac ſapienter ordinatus tribus præſertim conſtare debeat, auctoritate nimirùm ad imperandum, prudentiâ ad iudicandum ac deliberandum, virtute & diligentiâ ad exequendum, triplicem in Eccleſia ordinem principantem à Chriſto conſtitutum fuiſſe, Epiſcoporum, quorum auctoritas & principatus omni poteſtate ſuperior eſt; Presbyterorum, qui prudentiâ conſpicui Epiſcopis tanquam Conſiliarij & Senatores adſident; Diaconorum, qui induſtriâ, fortitudine, & celeritate præditi, quæ ab Epiſcopis ſancta, à Presbyteris deliberata fuerint, perficiunt, eáque executioni demandari procurant.

Idem quoque Ignatius epiſtolâ ad Magneſianos eandem ſecundum prædicta officia ordinum hierarchicorum diſtributionem confirmat, dum ait, παραινῶ ἐν ὁμονοίᾳ Θεοῦ σπουδάσατε πάντα πράττειν, προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ· καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν διακόνων τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Hortor, vt hoc ſit omnibus ſtudium in Dei concordia omnia agere, Epiſcopo præſidente Dei loco, Presbyteris loco Senatus Apoſtolici, Diaconis mihi ſuauiſſimis, vt iis quibus commiſſum eſt Ieſu Chriſti miniſterium.* Qui locus, ſi diligenter attendatur, Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis præſidentiam ſeu ſacrum principatum differentem tamen attribui demonſtrabit. Tharſenſibus eumdem ordinem ſeruandum præſcribit, vt ſcilicet Presbyteri Epiſcopis, Diaconi Presbyteris, populus Presbyteris & Diaconis pareant: adeoque illum neceſſarium putat, vt libenter ſe eorum animarum vicem ſubiturum dicat, qui ipſum cuſtodierint, quibuſcum nempe Dominus ſit indeficienter. Philippenſibus Philadelphienſibus, Smyrnenſibus eamdẽ legem inculcat, quos omnes alloquens ordinem hierarchicum hunc ſtatuit, vt laici Diaconis ſubditi ſint, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Epiſcopis, Epiſcopi Chriſto ſicut ipſe Patri. De ordinibus quoque Presbyterorum & Diaconorum ſuis Antiochenſibus in eamdem ſententiam ſcribit, de primo quidem, οἱ πρεσβύτεροι ποιμάνατε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον, ἕως ἀναδείξῃ ὁ Θεὸς τὸν μέλλοντα ἄρχειν ὑμῶν, *Presbyteri paſcite gregem, qui inter vos eſt, donec Deus deſignauerit, eum qui principatum in vobis habiturus eſt.* De altero verò, οἱ διάκονοι γινωσκέτωσαν οἷοί εἰσιν ἀξιώματος, καὶ σπουδαζέτωσαν ἄμεμπτοι εἶναι, ἵνα ὦσι μιμηταὶ Χριστοῦ· *Diaconi agnoſcant cuius ſint dignitatis, & enitantur vt inculpati ſint, vt ſint Chriſti imitatores.* De vtroq; ſtatim ſubiungit, ὁ λαὸς ὑποτασσέσθω τοῖς πρεσβυτέροις, καὶ τοῖς διακόνοις· *Populus pareat Presbyteris & Diaconis.* Deniq; idem Ignatius ad Epheſios ſcribens eiuſdem ſubordinationis ſeruandæ eos admonet: ac proinde meritò ſupra Cellotium refellimus, quòd Ignatium in eam ſententiam traxerit, quaſi hierarchicum ordinem ſine principatu & imperio, ſine ſubditorum ſubiectione, ſolâ contentum excellentiâ & dignitate ſuæ functionis, exanguem, exſuccum, impotentẽ, & inefficacem adſtrueris, cùm è contrà illius ordinis meminerit nunquam, quin ſubiectionem hierarchico illi ordini commendet. Polycarpus eiuſdem σύγχρονος, & Apoſtolorum ſimiliter diſcipulus, ſciens quantùm Eccleſiæ Dei intereſſet, ſi ſinguli ordines hierachichos, quibus ſibi parendum eſſet, agnoſcerent, eodem proinde ſtudio ductus ſcripſit ad Philippenſes, *Subditi eſtote Presbyteris, & Diaconis, ſicut Deo & Chriſto.*

Sequenti ſæculo in Eccleſia Dei eadem hierarchia, ordinúmq; diſpoſitio, in honore & pretio fuit: Clemens Alex. apud Græcos celebris, eam nobis commendat lib. 6. Strom.

Digitized by Google

poſt medium his verbis, ἐπεὶ δ' αἱ ἐν ταῦτα κ(ατὰ) τὴν ἐκκλησίαν προκοπαὶ, ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων μιμήματα οἶμαι ἀγγελικῆς δόξης, κἀκείνης τῆς οἰκονομίας τυγχάνουσι, *Nam hic quoque in Eccleſia progreſſiones Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum ſunt; vt arbitror, imitationes gloriæ Angelicæ illius œconomiæ, ac diſpenſationis.* Ex Latinis Tertullianus de fuga in perſecutione cap. 11. *Hoc*, inquit, *ſentire & facere omnem ſeruum Dei oportet, etiam minoris loci, vt maioris fieri poſſit: ſi quem gradum ex perſecutionis tolerantia aſcenderit: ſed cùm ipſi auctores, id eſt, ipſi Diaconi, Presbyteri & Epiſcopi fugiunt, quo modo laicus intelligere poterit, quâ ratione dictum, fugite de ciuitate in ciuitatem: itaque cùm duces fugiunt, quis de gregario numero ſuſtinebit ad gradum in acie figendum ſuadere.* Eo ſiquidem loco minoris ordinis Clericos, Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis, quos populi auctores, id eſt, in eum auctoritatem habentes, & duces ſtatuit, libri de corona militis capite tertio, præſidentium nomine tres iſtos ordines complectitur, dum ait Euchariſtiæ ſacramentum, *Nec de aliorum manu, quàm præſidentium ſumi* conueniſſe. At certum eſt ex Iuſtino Apologiâ 2. à trium ordinum iſtorum viris ſumi hoc ſacramentum; & hoc contendit Cellotius, libri 3. cap. 13. Ideóque Pamelius hoc nomnine Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos intelligit. Libro quoque de Monogamia, capite vndecimo, Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos nominat, à quibus matrimonium peti oporteret, Presbyteróſque & Diaconos *eiuſdem ſacramenti vocat*, quia ambo ſunt ordinis hierarchici.

Tertio ſæculo Origenes & Cyprianus præceptorum ſuorum Clementis & Tertulliani mentem clariùs expreſſerunt: hic enim vbicumque de Eccleſiæ gubernatione & tegimine agitur, Presbyteris & Diaconis ſcribit, quatenus auxiliares manus adhibeant, vt patet ex ipſius epiſtolis quarta, quinta, ſexta, octaua, decima, decima tertia, decima quarta, decima quinta, decima octaua, vigeſima tertia, vigeſima quarta, vigeſima octaua, vigeſima nona, trigeſima ſecunda, trigeſima tertia, trigeſima quarta, trigeſima quinta, trigeſima ſexta, trigeſima ſeptima ad Presbyteros & Diaconos inſcriptis: ipſe penes Diaconos paſſim auctoritatem regendi, monendi, corripiendi populum conſtituit; nam verbi gratiâ epiſt. 6. Presbyteris & Diaconis ſcribit ſe ad eos debuiſſe accedere, *vt ea, quæ circa Eccleſiæ gubernacula vtilitas communis expoſcit tractare ſimul, & plurimorum conſilio limata examinare poſſet.* De Confeſſoribus etiam queritur eos *nec à Presbyteris, nec à Diaconis regi poſſe.* Epiſt. 10. de Martyribus in officio per Presbyteros & Diaconos continendis ita ſcribit, *Quando etiamſi Martyres per calorem gloriæ ſcripturam minùs contemplantes, contra legem Domini plus aliquid cuperent, à Presbyteris & Diaconis ſuggerentibus admoneri deberent, ſicut ſemper in præteritum factum eſt.* Epiſt. 11. ad Martyres & Confeſſores eadem ſcribit, *Et crediderant quidem Presbyteros & Diaconos, qui illic præſentes ſunt, monere vos & inſtruere pleniſſimè circa Euangelij legem ſicut in præteritum ſemper ſub anteceſſoribus noſtris factum eſt; vt Diaconi ad carcerem commeantes Martyrum deſideria conſiliis ſuis*, & Scripturarum præceptis gubernarent. Epiſtolâ duodecimâ Presbyteris & Diaconis oues concreditas ait, ab iiſque monendas & inſtituendas iis verbis, *Quòd quidem noſtros Presbyteros & Diaconi monere debuerant: vt commendatas ſibi oues fouerent, & diuino magiſterio* (id eſt, diuinâ lege & ordinatione ſuſcepto) *ad viam deprecandæ ſalutis inſtruerent.* Epiſtolâ decimâ tertiâ lapſis concedit, *vt ſi infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectatâ præſentiâ Epiſcopi, ſi Presbyter repertus non fuerit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint.* Epiſtolâ decimâ quintâ, auctoritatem regiminis presbyteris & Diaconis attribuit: *Item*, inquit, *Presbyteris & Diaconibus non deſuit ſacerdotij vigor, vt quid minùs diſciplinæ memores, & temerariâ feſtinatione præcipites, qui cum lapſis communicare iam cœperant, comprimerentur intercedentibus nobis.* Epiſtolâ vigeſimâ quartâ Presbyteris & Diaconis de ordinatione Saturi in Lectorem, & Optati in Hypodiaconum, illis neſcientibus facta, ſcribens, *Quod*, inquit, *communi conſilio omnium noſtrûm cœperat, neceſſitate vrgente promotum eſt.* Epiſtolâ vigeſimâ ſeptimâ communicationem fidelium in Eccleſia cum Presbytero vel Diacono fieri ſignificat. Epiſtolâ quadrageſimâ nonâ miniſterium Diaconi, *Diaconium ſanctæ adminiſtrationis* vocat. Epiſtolâ ſexageſimâ quartâ, Diaconos *Epiſcopatus, & Eccleſiæ miniſtros* nominat. Leguntur etiam apud eumdem Cyprianum literæ Presbyterorum & Diaconorum vrbis Romæ, quibus conſtat, vacante per Fabiani

mortem Romanâ Sede penes Presbyteros & Diaconos vrbis Romæ auctoritatem regiminis totius Eccleſiæ ex antiquo more pertinuiſſe.

Ex Græcis Origenes apertè tres iſtos ordines Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum tanquam principantes, & hierarchicos nobis depingit homil. 1. in Pſalm. 37. *Omnes Epiſcopi, Presbyteri, atque Diaconi erudiunt nos, & erudientes adhibent correptionem & ſeueriùs reprehendunt.* & in Mathæum tractatu 24. vbi quod fuit olim apud Iudæos velle vocari Rabbi, illud ipſum apud Chriſtianos ait velle vocari Epiſcopum, Presbyterum, aut Diaconum: homil. quoque ſeptimâ in cap. 6. Ioſue, obſeruandi fidelem curam & auctoritatem ſacerdotibus & Diaconis tribuit, *Obſeruemus*, inquit, *nos inuicem & vniuſcuiuſque conuerſatio nota ſit maximè ſacerdotibus & Diaconis.* Notanda etiam inſcriptio Concilij Antiocheni aduerſus Paulum Samoſatenum apud Euſebium, lib. 7. cap. 24. Διονυσίῳ καὶ Μαξίμῳ, καὶ τοῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην πᾶσι συλλειτουργοῖς ἡμῶν ἐπισκόποις, καὶ πρεσβυτέροις, καὶ διακόνοις, καὶ πάσῃ τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, *Dionyſio & Maximo, & omnibus vbique in orbe terrarum, in adminiſtratione collegis Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis & vniuerſæ Catholicæ ſub cælo Eccleſiæ.* Nam iis verbis Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi in adminiſtratione Eccleſiæ collegæ vocantur, iiſque ſpeciatim epiſtola Synodica dirigitur, & iſti gradus Catholicæ vniuerſæ Eccleſiæ tanquam Paſtores, gregi, duces exercitui opponuntur.

Quarto ſæculo Concilium Nicænum Canone 14. ſecundum verſionem Iſidori Mercatoris Epiſcopis, & Presbyteris, populum colligendi, ſacrámque ſynaxim habendi, & offerendi ordinariam poteſtatem; Diaconis verò in eorum abſentia eamdem tribuit; quibus Diaconis Concilium Ancyranum Can. 2 ſimiliter eamdem poteſtatem competere potuiſſe ſignificat: Concilium verò Antiochenum Can. 1. eamdem poteſtatem innuit, & clariſſimè inter Præſides atque præpoſitos Eccleſiarum, Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos recenſet, dum ait, Εἰ δέ τις τῶν προεστώτων τῆς ἐκκλησίας ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος μετὰ τὸν ὅρον τοῦτον τολμήσειεν ἐπὶ διαστροφῇ τῶν λαῶν, καὶ ταραχῇ τῶν ἐκκλησιῶν ἰδιάζειν, καὶ μετὰ τῶν Ἰουδαίων ἐπιτελεῖν τὸ πάσχα. Quæ verba Latinè ita redduntur à Dionyſio Exiguo, *Si quis autem eorum qui præeſſe noſcuntur Eccleſiæ, aut Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, poſt hanc definitionem tentauerit aut ſubuerſionem populorum, Eccleſiarúmque perturbationem ſeorſim colligere, & Paſcha cum Iudæis peragere,* &c. Idem Concilium Can. 5. plebem ſub præpoſitura Presbyteri ac Diaconi colligi clariſſimè oſtendit, dum ſeorſim ab Epiſcopo colligentes punit, εἴ τις πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, καταφρονήσας τοῦ ἐπισκόπου τοῦ ἰδίου, ἀφώρισεν ἑαυτὸν τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἰδίᾳ συνήγαγε, καὶ θυσιαστήριον ἔστησε, καὶ τοῦ ἐπισκόπου προσκαλεσαμένου ἀπειθοίη, *Si quis Presbyter vel Diaconus contempto ſuo Epiſcopo ſeipſum ab Eccleſia ſequeſtrauit, & ſeorſim colligens altare conſtituit, & commonenti Epiſcopo non acquieuit.* Quibus conſentiunt plurimi Patres ex Græcis, vnum profero Baſilium & ſanctum Ephrem hîc parte 2. opuſculo quod *interrogationes & reſponſiones* inſcribitur, prope finem, hos ordines tanquam principantes coniungit, *Pontifices & ſacerdotes, & Leuitas*: ſed apertiùs ſequenti opuſculo, quo variis quæſtionibus de abrenuntiatione in baptiſmo, & aliis ſatisfit, trium iſtorum ordinum viros, tanquam animarum curam habentes in Dei iudicio interrogandos aſſerit, *Tunc fratres interrogabuntur Paſtores, Epiſcopi ſcilicet, & Principes, de proprio ſtatu, & de grege ipſorum, requirentúrque ab vnoquoque oues rationales, quas à ſummo Paſtore Chriſto paſcendas ſuſceperunt. Quòd ſi ex negligentia ipſius Epiſcopi, vel Principis ouem diſperdi contigerit, de manu ipſorum requiretur ſanguis eius. Similiter quoque Presbyteri rationem reddent pro Eccleſia ſibi credita populo: præterea Diaconi, & cuncti fideles pro animabus eorum, qui in illorum ſunt familiis, pro vxore & filiis, pro ſeruis & ancillis daturi ſunt rationem, an in diſciplina & correptione Domini eos enutrierint.*

Parte quoque ſecundâ, in ſermone parænetico de ſecundo aduentu Domini, *Tunc*, inquit, *ſanguis eorum, qui ex Epiſcoporum, & Paſtorum, ac Presbyterorum negligentiâ perierunt, ex eorum manibus requiretur; tunc quod quiſque talentum accepit, & appoſuit, repetetur; & omnis quidem Chriſtianus de iis quæ audiuit atque accepit, exquiretur: præcipuè autem Pontifices, Sacerdotes & Leuitæ; nam potentes potenter tormenta patientur.* Baſilius verò in anaphora tres hierarchias Angelicas ſtatuit, quas *tres Eccleſias* vocat, quibus Epiſcoporum, quos Archipresbyteros, eòquòd Presbyteris præſideant, nominat, Presbyterorum & Diaconorum ordines reſpondentes facit, à quibus Trinitas

celebretur: ita enim iuxta interpretationem Maſij ex Syriaco factam loquitur Baſilius de ſanctiſſima Trinitate, *in tribus diuinæ Maieſtatis Eccleſiis, ternis ſanctificationibus ſancta pronuntiabunt, & in hac etiam noſtrâ terrenâ Eccleſiâ, ab Archipresbyteris, Presbyteris, & Diaconis ſuis exaltatur, celebratúrque.*

Ex Latinis autem Optatus Mileuitanus lib. 1. contra Parmenianum & ſecundo, tres iſtos ordines vt ſacerdotales & hierarchicos memorat, libro quidem primo, dum ait, *Quid commemorem laicos, qui tunc in Eccleſia multi fuerunt, nullâ dignitate ſuffulti? Quid miniſtros plurimos? quid Diaconos in tertio, quid Presbyteros in ſecundo ſacerdotio conſtitutos? ipſi apices & Principes omnium aliqui Epiſcopi*, &c. libro verò ſecundo dum Eccleſiam in eadem membra diſtribuit, dicens, *Certè membra ſua habet Eccleſia, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, miniſtros, turbam fidelium.* Etenim videtur Eccleſiam ita partitus fuiſſe vt in ea graduum iſta aſcenſio eſſe videretur; primò ſunt aliqui nullâ dignitate ſuffulti, puta laici, quibus emineant miniſtri, ſeu inferiores Clerici nullâ quidem dignitate hierarchicâ ſuperiores, ſed tantùm purè miniſteriali: iis præcellant Diaconi in tertio hierarchiæ gradu, Diaconis præferantur Presbyteri in ſecundo: Epiſcopi omnium ſunt apices & Principes. Quem ſenſum eſſe Optati Mileuitani confirmat locus eius alter ex libro ſecundo, vbi non iam quinque, ſed quatuor in Eccleſia ordines ſeu gradus ſtatuit, vnum eorum, qui hierarchicis gradibus ſubiiciuntur; tres verò hierarchicos ordines, *Cum ſint*, inquit, *ſicut ſuprà dixi, quatuor genera capitum in Eccleſia, Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & fidelium.* Quam diuiſionem tanquam cum priori eamdem tradit, etſi prior quinque membris, poſterior quatuor tantùm concludatur: atqui eadem dici non poteſt vtraque iſta diuiſio Eccleſiæ, niſi ſub vno membro poſterioris diuiſionis duo aliqua prioris contineantur; putà ſub eodem membro fidelium, turba fidelis, & miniſtri comprehendantur, in quantum ſcilicet nec turbæ fidelium nec miniſtris conuenit hierarchica auctoritas, quæ Diaconis in tertio ſacerdotio, & Presbyteris in ſecundo, atque Epiſcopis in primo conſtitutis, ſeu cæterorum apicibus, ac ſummitatibus conuenit. Vnde tres iſtos gradus Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, laicis paulò pòſt opponit, dicens, *Inueniſtis Diaconos, Presbyteros, Epiſcopos, feciſtis laicos.* Ac ſi diceret, quos inueniſtis in gradu principantium, redegiſtis ad gradum ſubditorum.

Iis ſubiungo tres quoque inſignes quinto ſæculo Eccleſiæ Doctores, ex Latinis Hieronymum & Auguſtinum: prior variis locis tres prædictos ordines hierarchicos, & principantes facit, duo duntaxat eius teſtimonia (nam plura ſuperiùs protulimus) iterùm ſubiicere liceat, primùm ex libro 3. Commentariorum in caput 5. Micheæ, *Principes domus Iacob & reliqui de domo Iſrael (ſiue vt meliùs in Hebræo ſcriptum eſt, iudices domus Iſrael) non ſunt alij niſi Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi*: alterum ex lib. 1. aduerſus Iouinianum cap. 19. *Epiſcopus*, inquit, *& Presbyter, & Diaconus non ſunt meritorum nomina, ſed officiorum*: eoſdem quoque gradus capite ſequenti tanquam hierarchicos ſolos nominat.

Poſterior verò epiſtolâ 148. ad Valerium, tres quoque iſtos ordines propter Eccleſiaſticum regimen difficultatibus innumeris obſitos: propter auctoritatem verò & dignitatem hominibus acceptabiles eſſe ſolere pronuntiat, *Ante omnia*, inquit, *peto, vt cogitet religioſa prudentia nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore, facilius & lætius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctoriè atque adulatoriè res agatur: ſed nihil apud Deum miſerius, triſtius & damnabilius; item nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator iubet.* homiliâ quoque ſeptimâ inter quinquaginta, ſeu ſerm. 25 in Appendice de diuerſis, ab Epiſcopis, à Presbyteris & miniſtris, id eſt, Diaconis animarum curam exigi tanquam à præpoſitis aſſerit. Ac proinde eorum ordines hierarchicos eſſe demonſtrat: *Si*, inquit, *diligenter attenditis, chariſſimi, omnes ſacerdotes Domini, non ſolùm Epiſcopos, ſed etiam Presbyteros & miniſtros Eccleſiarum in grandi periculo eſſe cognoſcitis: ipſis enim conteſtatur Spiritus ſanctus dicens, Clama, ne ceſſes*, &c. Et iterùm, *ſi non annuntiaueris iniquo iniquitatem. De ipſis etiam Apoſtolus, obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. ipſi enim peruigilant tanquam rationem reddituri pro animabus veſtris.*

Ex Græcis autem Cyrillus Alexandrinus lib. 13. de adoratione in ſpiritu & veri-

Digitized by Google

tate, tres iſtos ordines hierarchicos, ex analogia veteris Teſtamenti colligit, quemadmodum mox proferemus. Iis quoque addo Canonem 3. ex iis, qui Canones Romanorum ad Gallos dicuntur, & Innocentio I. tribuuntur à Sirmundo, quo tres iſti ſpeciatim ordines Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum magiſtrales dicuntur, *Qui*, inquit, *militat Chriſto, qui in ſede reſidet magiſtri, qui militiæ diſciplinam non poteſt cuſtodire.*

ARTICVLVS II.

Speciatim Diaconatum ordinem hierarchicum eſſe oſtenditur.

§. I.

Diaconos quibuſdam plebibus olim præfectos legi.

EX dictis exploratam habere poſſumus cæterorum Eccleſiæ Patrum mentem ac ſententiam, nempe tres iſtos in Eccleſia Dei ſacro Principatu præditos, atque hierarchicos ordines eſſe. De quorum duobus primis, quia dubitari non poteſt, ideò de Diaconatu, quod & ipſe principantis, ſeu hierarchici rationem ordinis in Eccleſia Dei habeat quibuſdam aliis argumentis conficimus.

Primò enim certum eſt Eccleſiarum quarumdam ſpirituali regimini, atque adminiſtrationi non ſolos Presbyteros, verùm etiam Diaconos olim, licèt rariùs, præfectos fuiſſe, id vtique conſtat ex Canonibus Apoſtolorum ſuperiùs citatis: Antiocheni quoque Concilij Can. 1. & 2. mentio etiam Diaconorum regentium plebem in Concilio Eliberitano Can. 77. *Si quis Diaconus regens plebem, ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptizauerit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Necnon in Concilio Toletano ſub Recaredo Can. 12. quo iubetur, vt in Eccleſia Vicana, ſi Presbyterum eius facultas habere non permittit, vel Diaconus inſtituatur: Toletano IV. Can. 26. *Quando Presbyteri vel Diaconi per Parochias conſtituuntur, oportet eos primam profeſſionem Epiſcopo ſuo facere.* Exemplum etiam habemus tum apud Gregorium Turonenſem de gloria Confeſſorum, cap. 30. referentem Cantinum, qui poſteà Armenorum fuit Epiſcopus, Eccleſiam vici Iſiodorenſis rexiſſe in Diaconatu; & apud Bedam lib. 2. cap. 12. in quo mentio fit Iacobi Diaconi à Paulino in ſua Eccleſia relicti, *qui magnas antiquo hoſti prædas docendo, & baptizando eripuit.* Eóque ſenſu intelligi debet decretum illud Leonis IV. epiſt 2. *regendam eſſe* dicentis, *vnamquamque parochiam, ſub prouiſione ac tuitione Epiſcopi, per ſacerdotes, vel cæteros Clericos, quos ipſe cum Dei timore prouiderit.* Ij enim Clerici à ſacerdotibus diſtincti, non ſunt alij quàm Diaconi, qui ex Toletano IV. citato aliquando in parochiis ordinantur.

§. II.

Diaconos virginibus ſacris & Monialibus olim præpoſitos.

SECVNDÒ, eoſdem quoque Diaconos certum eſt quibuſdam Collegiis, vel perſonis in Eccleſia Dei regendis olim deſtinatos fuiſſe. Cyprianus eos virginum ſacrarum directores narrat, epiſt. 62. ad Pomponium, *Et cùm*, inquit, *omnes omninò diſciplinam tenere oporteat multò magis præpoſitos & Diaconos curare hoc fas eſt, qui exemplum & documentum cæteris de moribus ſuis præbeant*: Iiſdem proinde Diaconis virginum directoribus, Ambroſius lib. 1. de officiis cap. vlt. poteſtatem facit, *vt pudicitiæ vleiſcantur iniuriam.* Habemus etiam exemplum Amonis Diaconi, qui virgines ſacras erudierat in fide ex Martyrologio Romano & Menologio Græcorum, 1. Septembris, Monacharum quoque rectores eſſe ſolebant: nam, inquit Iuſtinianus, Nouellâ 123. cap. 36. *Monachæ ſibi eligunt vel Presbyterum vel Diaconum*, pro ſacris ab Epiſcopo confirmandum: in Monaſteriis virorum idem fuit in vſu. Sanctus Benedictus cap. 62. ſuæ Regu-

læ. *Si quis*, inquit, *Abbas ſibi Presbyterum vel Diaconum ordinari petierit, de ſuis eligat qui dignus ſit ſacerdotio fungi*. Diaconus ſacerdotio fungi dicitur, id eſt, hierarchicâ poteſtate iuxta loquendi modum ab Optato Mileuitano ſuperiùs vſurpatum. Extant & exempla ſuperioris æui, & ante ſanctum Benedictum: nam apud Seuerum Sulpitium dialogo 3. cap. 13. Cato Diaconus refertur, *ad quem Monaſterij adminiſtratio pertinebat*.

§. III.

Diaconos immundorum præcipuam curam habuiſſe.

TERTIÒ ſpeciatim etiam perſonarum certum genus tanquam maximè proprium, regendum ac purgandum toti Diaconorum ordini aſſignatur. Dionyſius cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, & ſexto, immundos huic ordini purgandos ex proprio ſtatu eorum ſubiicit: de quo ordine immundorum cap. 6 ita loquitur: τῆς μὲν ὡς ἔτι πρὸς τὸ λειτουργεῖν τοῖς μαιευτικοῖς λογίοις πρὸς ζωτικὴν ἀποκύησιν μορφουμένης τε, καὶ διαπλαττομένης. *Vnus quidem arcetur, propterea quod tum etiam a miniſtris ſcriptis diuinis, quæ vim obſtetricandi habent, ad vitalem partionem & formetur, & effingatur*. Dionyſium ſequuntur Maximus, Pachymeres, & alij interpretes. Antiochus Paleſtinus, homil. 123. & alij. Circa eos verò hæc potiſſima Diaconi officia eſſe ſolebant, quòd eos ad ſacram ſynaxim ſuo tempore accedere & recedere præciperet, quòd capita inclinare eos iuberet, omnéſque pro ipſis ad precandum ſuâ comprecatione moneret, vt conſtat ex Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. capitibus 5 6 7. 8. Liturgiis Baſilij, & Chryſoſtomi, teſtimonio eiuſdem Chryſoſtomi de incomprehenſibili Dei natura homiliis 3. & 4. in 2. ad Corinthios homil. 2. & 3. in epiſtolam ad Epheſios, & 61. ad populum Antiochenum; quòd eos per doctrinam, adhortationes & monita, vt Eccleſiæ Dei tanquam ſancti exhiberentur, reformaret, vt docent Dionyſius, Maximus, & alij citatis quomodo verò id intelligendum ſit Diaconos, immundos præſertim ſibi ſubditos habere, quos & plebi fideli, & virginibus ſacris atque Monachis præfuiſſe diximus, facilè vtique colligi poteſt, quia nempe Diaconi nec ſacras virgines, nec Monachos, aut Monachas, ad perfectionem adducere poterant, ad quam illæ ex ſuo ſtatu tendebant: nec plebi fideli ſacramenta iſta conficere, vel adminiſtrare poterant, quibus ordinariè indigent, non ipſis verbi gratiâ Pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrare, non corpus ac ſanguinem Christi, ſed ſolùm diſtribuere poterant: atque ita quamuis illorum omnium directioni aliquando præficerentur, in abſentia ſcilicet Presbyteri, iis tamen etiam in vita ſpiritali per media ordinaria fouendâ ac promouendâ nequaquam ſufficiebant, ſed accerſiri ſæpiùs oportebat Presbyteros, qui Diaconorum impotentiam ſupplerent: At verò circa immundos ea omnia præſtare poterant, quæ eorum ſtatui conueniebant; purgare ſiquidem eos tum doctrinâ, tum exhortationibus ac correptionibus poterant, tum etiam manuum impoſitionibus, & precationibus ſalutaribus, ac benedictionibus, aliiſque præuiis ritibus, ab Baptiſmum vel perfectam altari reconciliationem præparare. Quorum proinde propria veluti materia, in quam ſe propria Diaconorum virtus καθαρτικὴ ſeu purgatiua exerceret, immundi dici poterant ſcilicet Catechumeni, energumeni & pœnitentes.

§. IV.

Quædam officia publica, nonniſi præſente Presbytero vel Diacono celebrata docetur: vbi & varia officia publica explicantur.

QVARTÒ, officia publica in Dioceſanis Eccleſiis, nonniſi præſente Presbytero, vel Diacono celebrari poterant; ita vt cæteri Clerici in perſoluendis iſtis officiis Presbytero inſeruirent: Ipſi verò Eccleſiæ Vicanæ capita eſſent. Concilium ſiquidem Tarraconenſe ſub Hormiſda Papa Can. 7. ſecundum editionem Garſiæ hoc ſtatuit, *De Dioceſanis Eccleſiis, vel Clero, id placuit cuſtodiri, vt Presbyteri vel Diacones, qui inibi conſtituti ſunt, cum Clericis ſeptimanas obſeruent; id eſt, vt Presbyter vnam hebdomadam: quâ expletâ ſuccedat ei Diaconus ſimiliter: eâ ſcilicet conditione ſeruatâ, vt omnes Cle-*

tate, tres iſtos ordines hierarchicos, ex analogia veteris Teſtamenti colligit, quemadmodum mox proferemus. Iis quoque addo Canonem 3. ex iis, qui Canones Romanorum ad Gallos dicuntur, & Innocentio I. tribuuntur à Sirmundo, quo tres iſti ſpeciatim ordines Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum magiſtrales dicuntur, *Qui*, inquit, *militat Chriſto, qui in ſede reſidet magiſtri, qui militiæ diſciplinam non poteſt cuſtodire.*

ARTICVLVS II.

Speciatim Diaconatum ordinem hierarchicum eſſe oſtenditur.

§. I.

Diaconos quibuſdam plebibus olim præfectos legi.

EX dictis exploratam habere poſſumus cæterorum Eccleſiæ Patrum mentem ac ſententiam, nempe tres iſtos in Eccleſia Dei ſacro Principatu prædıtos, atque hierarchicos ordines eſſe. De quorum duobus primis, quia dubitari non poteſt, ideò de Diaconatu, quod & ipſe principanris, ſeu hierarchici rationem ordinis in Eccleſia Dei habeat quibuſdam aliis argumentis conficimus.

Primò enim certum eſt Eccleſiarum quarumdam ſpiritali regimini, atque adminiſtrationi non ſolos Presbyteros, verùm etiam Diaconos olim, licèt rariùs, præfectos fuiſſe, id vtique conſtat ex Canonibus Apoſtolorum ſuperiùs citatis: Antiocheni quoque Concilij Can. 1. & 2. mentio etiam Diaconorum regenrium plebem in Concilio Eliberitano Can. 77. *Si quis Diaconus regens plebem, ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptizauerit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Necnon in Concilio Toletano ſub Recaredo Can. 12. quo iubetur, vt in Eccleſia Vicana, ſi Presbyterum eius facultas habere non permittit, vel Diaconus inſtituatur: Toletano IV. Can. 26. *Quando Presbyteri vel Diaconi per Parochias conſtituuntur, oportet eos primam profeſſionem Epiſcopo ſuo facere.* Exemplum etiam habemus rum apud Gregorium Turonenſem de gloria Confeſſorum, cap. 30. referentem Cantinum, qui poſteà Armenorum fuit Epiſcopus, Eccleſiam vici Iſiodorenſis rexiſſe in Diacoratu; & apud Bedam lib. 2. cap. 12. in quo mentio fit Iacobi Diaconi à Paulino in ſua Eccleſia relicti, *qui magnas antiquo hoſti prædas docendo, & baptizando eripuit.* Eóque ſenſu intelligi debet decretum illud Leonis IV. epiſt. 2. *regendam eſſe* dicentis, *vnamquamque parochiam, ſub prouiſione ac tuitione Epiſcopi, per ſacerdotes, vel cæteros Clericos, quos ipſe cum Dei timore prouiderit.* Ij enim Clerici à ſacerdotibus diſtincti, non ſunt alij quàm Diaconi, qui ex Toletano IV. citato aliquando in parochiis ordinantur.

§. II.

Diaconos virginibus ſacris & Monialibus olim præpoſitos.

SECVNDÒ, eoſdem quoque Diaconos certum eſt quibuſdam Collegiis, vel perſonis in Eccleſia Dei regendis olim deſtinatos fuiſſe. Cyprianus eos virginum ſacrarum directores narrat, epiſt. 62. ad Pomponium, *Et cùm*, inquit, *omnes omninò diſciplinam tenere oporteat multò magis præpoſitos & Diaconos curare hoc fas eſt, qui exemplum & documentum cæteris de moribus ſuis præbeant*: Iiſdem proinde Diaconis virginum directoribus, Ambroſius lib. 1. de officiis cap. vlt. poteſtatem facit, *vt pudicitiæ vlciſcantur iniuriam.* Habemus etiam exemplum Amonis Diaconi, qui virgines ſacras erudierat in fide ex Martyrologio Romano & Menologio Græcorum, 1. Septembris, Monacharum quoque rectores eſſe ſolebant: nam, inquit Iuſtinianus, Nouellâ 123. cap. 36. *Monachæ ſibi eligunt vel Presbyterum vel Diaconum*, pro ſactis ab Epiſcopo confirmandum: in Monaſteriis virorum idem fuit in vſu. Sanctus Benedictus cap. 62. ſuæ Regu-

læ. *Si quis*, inquit, *Abbas ſibi Presbyterum vel Diaconum ordinari petierit, de ſuis eligit qui dignus ſit ſacerdotio fungi.* Diaconus ſacerdorio fungi dicitur, id eſt, hierarchicâ poteſtate iuxta loquendi modum ab Optaro Mileuitano ſuperiùs vſurpatum. Extant & exempla ſuperioris æui, & ante ſanctum Benedictum; nam apud Seuerum Sulpitium dialogo 3. cap. 13. Cato Diaconus refertur, *ad quem Monaſterij adminiſtratio pertinebat.*

§. III.

Diaconos immundorum præcipuam curam habuiſſe.

TERTIÒ ſpeciatim etiam perſonarum certum genus tanquam maximè proprium, regendum ac purgandum toti Diaconorum ordini aſſignatur. Dionyſius cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, & ſexto, immundos huic ordini purgandos ex proprio ſtatu eorum ſubiicit: de quo ordine immundorum cap. 6 ita loquitur: τῆς μὲν ὡς ἐπὶ τοὺς τῶν λειτουργῶν τοῖς μαιωτικοῖς λογίοις πρὸς ζωτικὴν ἀπότεξιν μορφουμένης τι, καὶ διαπλαττομένης. *Vnus quidem arcetur, propterea quòd tum etiam a miniſtris ſcriptis diuinis, quæ vim obſtetricandi habent, ad vitalem partionem & formetur, & effingatur.* Dionyſium ſequuntur Maximus, Pachymeres, & alij interpretes. Antiochus Paleſtinus, homil. 123. & alij. Circa eos verò hæc potiſſima Diaconi officia eſſe ſolebant, quòd eos ad ſacram ſynaxim ſuo tempore accedere & recedere præciperet, quòd capita inclinare eos iuberet, omnéſque pro ipſis ad precandum ſuâ comprecatione moneret, vt conſtat ex Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. capitibus 5 6 7. 8. Liturgiis Baſilij, & Chryſoſtomi, teſtimonio eiuſdem Chryſoſtomi de incomprehenſibili Dei natura homiliis 3. & 4. in 2. ad Corinthios homil. 2. & 3. in epiſtolam ad Epheſios, & 61. ad populum Antiochenum; quòd eos per doctrinam, adhortationes & monita, vt Eccleſiæ Dei tanquam ſancti exhiberentur, reformaret, vt docent Dionyſius, Maximus, & alij citati: quomodo verò id intelligendum ſit Diaconos, immundos præſertim ſibi ſubditos habere, quos & plebi fideli, & virginibus ſacris atque Monachis præfuiſſe diximus, facilè vtique colligi poteſt, quia nempe Diaconi nec ſacras virgines, nec Monachos, aut Monachas, ad perfectionem adducere poterant, ad quam illæ ex ſuo ſtatu tendebant: nec plebi fideli ſacramenta iſta conficere, vel adminiſtrare poterant, quibus ordinariè indigent, non ipſis verbi gratiâ Pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrare, non corpus ac ſanguinem Chriſti, ſed ſolùm diſtribuere poterant: atque ita quamuis illorum omnium directioni aliquando præficerentur, in abſentia ſcilicet Presbyteri, iis tamen etiam in vita ſpirituali per media ordinaria fouendâ ac promouendâ nequaquam ſufficiebant, ſed accerſiri ſæpiùs oportebat Presbyteros, qui Diaconorum impotentiam ſupplerent: At verò circa immundos ea omnia præſtare poterant, quæ eorum ſtatui conueniebant; purgare ſiquidem eos tum doctrinâ, tum exhortationibus ac correptionibus poterant, tum etiam manuum impoſitionibus, & precationibus ſalutaribus, ac benedictionibus, aliiſque præuiis ritibus, ab Baptiſmum vel perfectam altari reconciliationem præparare. Quorum proinde propria veluti materia, in quam ſe propria Diaconorum virtus καταρτικὴ ſeu purgatiua exerceret, immundi dici poterant ſcilicet Catechumeni, energumeni & pœnitentes.

§. IV.

Quædam officia publica, nonniſi præſente Presbytero vel Diacono celebrata docetur; vbi & varia officia publica explicantur.

QVARTÒ, officia publica in Diœceſanis Eccleſiis, nonniſi præſente Presbytero, vel Diacono celebrari poterant; ita vt cæteri Clerici in perſoluendis iſtis officiis Presbytero inſeruirent: Ipſi verò Eccleſiæ Vicanæ capita eſſent. Concilium ſiquidem Tarraconenſe ſub Hormiſda Papa Can. 7. ſecundum editionem Garſiæ hoc ſtatuit, *De Diœceſanis Eccleſiis, vel Clero, id placuit cuſtodiri, vt Presbyteri vel Diaconi, qui inibi conſtituti ſunt, cum Clericis ſeptimanas obſeruent; id eſt, vt Presbyter vnam hebdomadam: quâ expletâ ſuccedat ei Diaconus ſimiliter: eâ ſcilicet conditione ſeruatâ, vt omnis Cle-*

Digitized by Google

tate, tres iſtos ordines hierarchicos, ex analogia veteris Teſtamenti colligit, quemadmodum mox proferemus. Iis quoque addo Canonem 3. ex iis, qui Canones Romanorum ad Gallos dicuntur, & Innocentio I. tribuuntur à Sirmundo, quo tres iſti ſpeciatim ordines Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum magiſtrales dicuntur, *Qui*, inquit, *militat Chriſto, qui in ſede reſidet magiſtri, qui militiæ diſciplinam non poteſt cuſtodire.*

ARTICVLVS II.

Speciatim Diaconatum ordinem hierarchicum eſſe oſtenditur.

§. I.

Diaconos quibuſdam plebibus olim præfectos legi.

EX dictis exploratam habere poſſumus cæterorum Eccleſiæ Patrum mentem ac ſententiam, nempe tres iſtos in Eccleſia Dei facto Principatu præditos, atque hierarchicos ordines eſſe. De quorum duobus primis, quia dubitari non poteſt, ideò de Diaconatu, quod & ipſe principantis, ſeu hierarchici rationem ordinis in Eccleſia Dei habeat quibuſdam aliis argumentis conficimus.

Primò enim certum eſt Eccleſiarum quarumdam ſpiritali regimini, atque adminiſtrationi non ſolos Presbyteros, verùm etiam Diaconos olim, licèt rariùs, præfectos fuiſſe, id vtique conſtat ex Canonibus Apoſtolorum ſuperiùs citatis: Antiocheni quoque Concilij Can. 1. & 2. mentio etiam Diaconorum regentium plebem in Concilio Eliberitano Can. 77. *Si quis Diaconus regens plebem, ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptizauerit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Necnon in Concilio Toletano ſub Recaredo Can. 12. quo iubetur, vt in Eccleſia Vicana, ſi Presbyterum eius facultas habere non permittit, vel Diaconus inſtituatur: Toletano IV. Can. 26. *Quando Presbyteri vel Diaconi per Parochias conſtituuntur, oportet eos primam profeſſionem Epiſcopo ſuo facere.* Exemplum etiam habemus tum apud Gregorium Turonenſem de gloria Confeſſorum, cap. 30. referentem Cantinum, qui poſteà Armenorum fuit Epiſcopus, Eccleſiam vici Iſiodorenſis rexiſſe in Diaconatu; & apud Bedam lib. 2. cap. 12. in quo mentio fit Iacobi Diaconi à Paulino in ſua Eccleſia relicti, *qui magnas antiquo hoſti prædas docendo, & baptizando eripuit.* Eóque ſenſu intelligi debet decretum illud Leonis IV. epiſt. 2. *regendam eſſe* dicentis, *vnamquamque parochiam, ſub prouiſione ac tuitione Epiſcopi, per ſacerdotes, vel cæteros Clericos, quos ipſe cum Dei timore prouiderit.* Ij enim Clerici à ſacerdotibus diſtincti, non ſunt alij quàm Diaconi, qui ex Toletano IV. citato aliquando in parochiis ordinantur.

§. II.

Diaconos virginibus ſacris & Monialibus olim præpoſitos.

SECVNDÒ, eoſdem quoque Diaconos certum eſt quibuſdam Collegiis, vel perſonis in Eccleſia Dei regendis olim deſtinatos fuiſſe. Cyprianus eos virginum ſacrarum directores narrat, epiſt. 62. ad Pomponium, *Et cùm*, inquit, *omnes omninò diſciplinam tenere oporteat multò magis præpoſitos & Diaconos curare hoc fas eſt, qui exemplum & documentum cæteris de moribus ſuis præbeant*: Iiſdem proinde Diaconis virginum directoribus, Ambroſius lib. 1. de officiis cap. vlt. poteſtatem facit, *vt pudicitiæ vleiſcantur iniuriam.* Habemus etiam exemplum Amonis Diaconi, qui virgines ſacras erudierat in fide ex Martyrologio Romano & Menologio Græcorum, 1. Septembris, Monacharum quoque rectores eſſe ſolebant: nam, inquit Iuſtinianus, Nouellâ 123. cap. 36. *Monachæ ſibi eligunt vel Presbyterum vel Diaconum*, pro ſacris ab Epiſcopo confirmandum: in Monaſteriis virorum idem fuit in vſu. Sanctus Benedictus cap. 62. ſuæ Regu-

læ. *Si quis*, inquit, *Abbas ſibi Presbyterum vel Diaconum ordinari petierit, de ſuis eligit qui dignus ſit ſacerdotio fungi.* Diaconus ſacerdotio fungi dicitur, id eſt, hierarchicâ poteſtate iuxta loquendi modum ab Optato Mileuitano ſuperiùs vſurpatum. Extant & exempla ſuperioris æui, & ante ſanctum Benedictum i[n]nam apud Seuerum Sulpitium dialogo 3. cap. 13. Cato Diaconus refertur, *ad quem Monaſterij adminiſtratio pertinebat.*

§. III.

Diaconos immundorum præcipuam curam habuiſſe.

TERTIÒ ſpeciatim etiam perſonarum certum genus tanquam maximè proprium, regendum ac purgandum toti Diaconorum ordini aſſignatur. Dionyſius cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, & ſexto, immundos huic ordini purgandos ex proprio ſtatu eorum ſubiicit: de quo ordine immundorum cap. 6 ita loquitur: τῆς μὲν ὡς ἔτι πρὸς τῶν λειτουργῶν τοῖς μαιευτικοῖς λογίοις πρὸς ζωτικὴν ἀπότεξιν μορφουμένης τε, καὶ διαπλαττομένης. *Vnus quidem arcetur, propterea quod tum etiam à miniſtris ſcriptis diuinis, quæ vim obſtetricandi habent, ad vitalem partionem & formetur, & effingatur.* Dionyſium ſequuntur Maximus, Pachymeres, & alij interpretes, Antiochus Paleſtinus, homil. 123. & alij. Circa eos verò hæc potiſſima Diaconi officia eſſe ſolebant, quòd eos ad ſacram ſynaxim ſuo tempore accedere & recedere præciperet, quòd capita inclinare eos iuberet, omneſque pro ipſis ad precandum ſuâ comprecatione moneret, vt conſtat ex Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. capitibus 5 6. 7. 8. Liturgiis Baſilij, & Chryſoſtomi, teſtimonio eiuſdem Chryſoſtomi de incomprehenſibili Dei natura homiliis 3. & 4. in 2. ad Corinthios homil. 2. & 3. in epiſtolam ad Epheſios, & 61. ad populum Antiochenum; quòd eos per doctrinam, adhortationes & monita, vt Eccleſiæ Dei tanquam ſancti exhiberentur, reformaret, vt docent Dionyſius, Maximus, & alij citati quomodo verò id intelligendum ſit Diaconos, immundos præſertim ſibi ſubditos habere, quos & plebi fideli, & virginibus ſacris atque Monachis præfuiſſe diximus, facilè vtique colligi poteſt, quia nempe Diaconi nec ſacras virgines, nec Monachos, aut Monachas, ad perfectionem adducere poterant, ad quam illæ ex ſuo ſtatu tendebant: nec plebi fideli ſacramenta iſta conficere, vel adminiſtrare poterant, quibus ordinariè indigent, non ipſis verbi gratiâ Pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrare, non corpus ac ſanguinem Chriſti, ſed ſolùm diſtribuere poterant: atque ita quamuis illorum omnium directioni aliquando præficerentur, in abſentia ſcilicet Presbyteri, iis tamen etiam in vita ſpiritali per media ordinaria fouendâ ac promouendâ nequaquam ſufficiebant, ſed accerſiri ſæpiùs oportebat Presbyteros, qui Diaconorum impotentiam ſupplerent: At verò circa immundos ea omnia præſtare poterant, quæ eorum ſtatui conueniebant; purgare ſiquidem eos tum doctrinâ, tum exhortationibus ac correptionibus poterant, tum etiam manuum impoſitionibus, & precationibus ſalutaribus, ac benedictionibus, aliiſque præuiis ritibus, ab Baptiſmum vel perfectam altari reconciliationem præparare. Quorum proinde propria veluti materia, in quam ſe propria Diaconorum virtus καθαρτικὴ ſeu purgatiua exerceret, immundi dici poterant ſcilicet Catechumeni, energumeni & pœnitentes.

§. IV.

Quædam officia publica, nonniſi præſente Presbytero vel Diacono celebrata docetur: vbi & varia officia publica explicantur.

QVARTÒ, officia publica in Dioceſanis Eccleſiis, nonniſi præſente Presbytero, vel Diacono celebrari poterant; ita vt cæteri Clerici in perſoluendis iſtis officiis Presbytero inſeruirent: Ipſi verò Eccleſiæ Vicanæ capita eſſent. Concilium ſiquidem Tarraconenſe ſub Hormiſda Papa Can. 7. ſecundum editionem Garſiæ hoc ſtatuit, *De Dioceſanis Eccleſiis, vel Clero, id placuit cuſtodiri, vt Presbyteri vel Diaconi, qui inibi conſtituti ſunt, cum Clericis ſeptimanas obſeruent: id eſt, vt Presbyter vnam hebdomadam: quâ expletâ ſuccedat ei Diaconus ſimiliter: eâ ſcilicet conditione ſeruatâ, vt omnis Cle-*

tate, tres iſtos ordines hierarchicos, ex analogia veteris Teſtamenti colligit, quemadmodum mox proferemus. Iis quoque addo Canonem 3. ex iis, qui Canones Romanorum ad Gallos dicuntur, & Innocentio I. tribuuntur à Sirmundo, quo tres iſti ſpeciatim ordines Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum magiſtrales dicuntur, *Qui*, inquit, *militat Chriſto, qui in ſede reſidet magiſtri, qui militiæ diſciplinam non poteſt cuſtodire.*

ARTICVLVS II.

Speciatim Diaconatum ordinem hierarchicum eſſe oſtenditur.

§. I.

Diaconos quibuſdam plebibus olim præfectos legi.

EX dictis exploratam habere poſſumus cæterorum Eccleſiæ Patrum mentem ac ſententiam, nempe tres iſtos in Eccleſia Dei ſacro Principatu præditos, atque hierarchicos ordines eſſe. De quorum duobus primis, quia dubitari non poteſt, ideò de Diaconatu, quod & ipſe principantis, ſeu hierarchici rationem ordinis in Eccleſia Dei habeat quibuſdam aliis argumentis conficimus.

Primò enim certum eſt Eccleſiarum quarumdam ſpiritali regimini, atque adminiſtrationi non ſolos Presbyteros, verùm etiam Diaconos olim, licèt rariùs, præfectos fuiſſe, id vtique conſtat ex Canonibus Apoſtolorum ſuperiùs citatis: Antiocheni quoque Concilij Can. 1. & 2. mentio etiam Diaconorum regentium plebem in Concilio Eliberitano Can. 77. *Si quis Diaconus regens plebem, ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptizauerit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Necnon in Concilio Toletano ſub Recaredo Can. 12. quo iubetur, vt in Eccleſia Vicana, ſi Presbyterum eius facultas habere non permittit, vel Diaconus inſtituatur: Toletano IV. Can. 26. *Quando Presbyteri vel Diaconi per Parochias conſtituuntur, oportet eos primam profeſſionem Epiſcopo ſuo facere.* Exemplum etiam habemus tum apud Gregorium Turonenſem de gloria Confeſſorum, cap. 30. referentem Cantinum, qui poſteà Armenorum fuit Epiſcopus, Eccleſiam vici Iſiodorenſis rexiſſe in Diaconatu; & apud Bedam lib. 2. cap. 12. in quo mentio fit Iacobi Diaconi à Paulino in ſua Eccleſia relicti, *qui magnas antiquo hoſti prædas docendo, & baptizando eripuit.* Eóque ſenſu intelligi debet decretum illud Leonis IV. epiſt. 2. *regendam eſſe* dicentis, *vnamquamque parochiam, ſub prouiſione ac tuitione Epiſcopi, per ſacerdotes, vel cæteros Clericos, quos ipſe cum Dei timore prouiderit.* Ij enim Clerici à ſacerdotibus diſtincti, non ſunt alij quàm Diaconi, qui ex Toletano IV. citato aliquando in parochiis ordinantur.

§. II.

Diaconos virginibus ſacris & Monialibus olim præpoſitos.

SECVNDÒ, eoſdem quoque Diaconos certum eſt quibuſdam Collegiis, vel perſonis in Eccleſia Dei regendis olim deſtinatos fuiſſe. Cyprianus eos virginum ſacrarum directores narrat, epiſt. 62. ad Pomponium, *Et cùm*, inquit, *omnes omninò diſciplinam tenere oporteat multò magis præpoſitos & Diaconos curare hoc fas eſt, qui exemplum & documentum cæteris de moribus ſuis præbeant:* Iiſdem proinde Diaconis virginum directoribus, Ambroſius lib. 1. de officiis cap. vlt. poteſtatem facit, *vt pudicitiæ vlciſcantur iniuriam.* Habemus etiam exemplum Amonis Diaconi, qui virgines ſacras erudierat in fide ex Martyrologio Romano & Menologio Græcorum, 1. Septembris, Monacharum quoque rectores eſſe ſolebant: nam, inquit Iuſtinianus, Nouellâ 123. cap. 36. *Monachæ ſibi eligunt vel Presbyterum vel Diaconum*, pro factis ab Epiſcopo confirmandum: in Monaſteriis virorum idem fuit in vſu. Sanctus Benedictus cap. 62. ſuæ Regu-

læ. *Si quis*, inquit, *Abbas ſibi Presbyterum vel Diaconum ordinari petierit, de ſuis eligit qui dignus ſit ſacerdotio fungi*. Diaconus ſacerdotio fungi dicitur, id eſt, hierarchicâ poteſtate iuxta loquendi modum ab Optato Mileuitano ſuperiùs vſurpatum. Extant & exempla ſuperioris æui, & ante ſanctum Benedictum; nam apud Seuerum Sulpitium dialogo 3. cap. 13. Cato Diaconus refertur, *ad quem Monaſterij adminiſtratio pertinebat*.

§. III.

Diaconos immundorum præcipuam curam habuiſſe.

TERTIÒ ſpeciatim etiam perſonarum certum genus tanquam maximè proprium, regendum ac purgandum toti Diaconorum ordini aſſignatur. Dionyſius cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, & ſexto, immundos huic ordini purgandos ex proprio ſtatu eorum ſubiicit: de quo ordine immundorum cap. 6 ita loquitur: τῆς μὲν ὡς ὑπὸ τῶν λειτουργῶν τοῖς μαιωτικοῖς λογίοις πρὸς ζωτικὴν ἀπότεξιν μορφουμένης τε, καὶ διαπλαττομένης. *Vnus quidem arcetur, propterea quod tum etiam a miniſtris ſcriptu diuinu, quæ vim obſtetricandi habent, ad vitalem partionem & formetur, & effingatur.* Dionyſium ſequuntur Maximus, Pachymeres, & alij interpretes. Antiochus Paleſtinus, homil. 123. & alij. Circa eos verò hæc potiſſima Diaconi officia eſſe ſolebant, quòd eos ad ſacram ſynaxim ſuo tempore accedere & recedere præciperet, quòd capita inclinare eos iuberet, omneſque pro ipſis ad precandum ſuâ comprecatione moneret, vt conſtat ex Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. capitibus 5 6 7. 8. Liturgiis Baſilij, & Chryſoſtomi, teſtimonio eiuſdem Chryſoſtomi de incomprehenſibili Dei natura homiliis 3. & 4. in 2. ad Corinthios homil. 2. & 3. in epiſtolam ad Epheſios, & 61. ad populum Antiochenum; quòd eos per doctrinam, adhortationes & monita, vt Eccleſiæ Dei tanquam ſancti exhiberentur, reformaret, vt docent Dionyſius, Maximus, & alij citati quomodo verò id intelligendum ſit Diaconos, immundos præſertim ſibi ſubditos habere, quos & plebi fideli, & virginibus ſacris atque Monachis præfuiſſe diximus, facilè vtique colligi poteſt, quia nempe Diaconi nec ſacras virgines, nec Monachos, aut Monachas, ad perfectionem adducere poterant, ad quam illæ ex ſuo ſtatu tendebant: nec plebi fideli ſacramenta iſta conficere, vel adminiſtrare poterant, quibus ordinariè indigent, non ipſis verbi gratiâ Pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrare, non corpus ac ſanguinem Chriſti, ſed ſolùm diſtribuere poterant: atque ita quamuis illorum omnium directioni aliquando præficerentur, in abſentia ſcilicet Presbyteri, iis tamen etiam in vita ſpirituali per media ordinaria fouendâ ac promouendâ nequaquam ſufficiebant, ſed accerſiri ſæpiùs oportebat Presbyteros, qui Diaconorum impotentiam ſupplerent: At verò circa immundos ea omnia præſtare poterant, quæ eorum ſtatui conueniebant; purgare ſiquidem eos tum doctrinâ, tum exhortationibus ac correptionibus poterant, tum etiam manuum impoſitionibus, & precationibus ſalutaribus, ac benedictionibus, aliiſque præuiis ritibus, ab Baptiſmum vel perfectam altari reconciliationem præparare. Quorum proinde propria veluti materia, in quam ſe propria Diaconorum virtus καθαρτικὴ ſeu purgatiua exerceret, immundi dici poterant ſcilicet Catechumeni, energumeni & pœnitentes.

§. IV.

Quædam officia publica, nonniſi præſente Presbytero vel Diacono celebrata docetur; vbi & varia officia publica explicantur.

QVARTÒ, officia publica in Diœceſanis Eccleſiis, nonniſi præſente Presbytero, vel Diacono celebrari poterant; ita vt cæteri Clerici in perſoluendis iſtis officiis Presbytero inſeruirent: Ipſi verò Eccleſiæ Vicanæ capita eſſent. Concilium ſiquidem Tarraconenſe ſub Hormiſda Papa Can. 7. ſecundum editionem Garſiæ hoc ſtatuit, *De Diœceſanis Eccleſiis, vel Clero, id placuit cuſtodiri, vt Presbyteri vel Diaconi, qui inibi conſtituti ſunt, cum Clericis ſeptimanas obſeruent; id eſt, vt Presbyter vnam hebdomadam: quâ expletâ ſuccedat ei Diaconus ſimiliter: eâ ſcilicet conditione ſeruatâ, vt omnis Cle-*

Digitized by Google

tate, tres iſtos ordines hierarchicos, ex analogia veteris Teſtamenti colligit, quemadmodum mox proferemus. Iis quoque addo Canonem 3. ex iis, qui Canones Romanorum ad Gallos dicuntur, & Innocentio I. tribuuntur à Sirmundo, quo tres iſti ſpeciatim ordines Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum magiſtrales dicuntur. *Qui*, inquit, *militat Chriſto, qui in ſede reſidet magiſtri, qui militiæ diſciplinam non poteſt cuſtodire.*

ARTICVLVS II.

Speciatim Diaconatum ordinem hierarchicum eſſe oſtenditur.

§. I.

Diaconos quibuſdam plebibus olim præfectos legi.

Ex dictis exploratam habere poſſumus cæterorum Eccleſiæ Patrum mentem ac ſententiam, nempe tres iſtos in Eccleſia Dei ſacro Principatu præditos, atque hierarchicos ordines eſſe. De quorum duobus primis, quia dubitari non poteſt, ideò de Diaconatu, quod & ipſe principatus, ſeu hierarchici rationem ordinis in Eccleſia Dei habeat quibuſdam aliis argumentis conficimus.

Primò enim certum eſt Eccleſiarum quarumdam ſpiritali regimini, atque adminiſtrationi non ſolos Presbyteros, verùm etiam Diaconos olim, licèt rariùs, præfectos fuiſſe, id vtique conſtat ex Canonibus Apoſtolorum ſuperiùs citatis: Antiocheni quoque Concilij Can. 1. & 2. mentio etiam Diaconorum regentium plebem in Concilio Eliberitano Can. 77. *Si quis Diaconus regens plebem, ſine Epiſcopo vel Presbytero aliquos baptizauerit, Epiſcopus eos per benedictionem perficere debebit.* Necnon in Concilio Toletano ſub Recaredo Can. 12. quo iubetur, vt in Eccleſia Vicana, ſi Presbyterum eius facultas habere non permittit, vel Diaconus inſtituatur: Toletano IV. Can. 26. *Quando Presbyteri vel Diaconi per Parochias conſtituuntur, oportet eos primam profeſſionem Epiſcopo ſuo facere.* Exemplum etiam habemus tum apud Gregorium Turonenſem de gloria Confeſſorum, cap. 30. referentem Cantinum, qui poſteà Armenorum fuit Epiſcopus, Eccleſiam vici Iſiodorenſis rexiſſe in Diacoratu; & apud Bedam lib. 2. cap. 12. in quo mentio fit Iacobi Diaconi à Paulino in ſua Eccleſia relicti, *qui magnas antiquo hoſti prædas docendo, & baptizando eripuit.* Eóque ſenſu intelligi debet decretum illud Leonis IV. epiſt. 2. *regendam eſſe* dicentis, *vnamquamque parochiam, ſub promiſſione ac tuitione Epiſcopi, per ſacerdotes, vel cæteros Clericos, quos ipſe cum Dei timore prouiderit.* Ij enim Clerici à ſacerdotibus diſtincti, non ſunt alij quàm Diaconi, qui ex Toletano IV. citato aliquando in parochiis ordinantur.

§. II.

Diaconos virginibus ſacris & Monialibus olim præpoſitos.

Secundò, eoſdem quoque Diaconos certum eſt quibuſdam Collegiis, vel perſonis in Eccleſia Dei regendis olim deſtinatos fuiſſe. Cyprianus eos virginum ſacrarum directores narrat, epiſt. 62. ad Pomponium, *Et cùm*, inquit, *omnes omninò diſciplinam tenere oporteat multò magis præpoſitos & Diaconos curare hoc fas eſt, qui exemplum & documentum cæteris de moribus ſuis præbeant*: Iiſdem proinde Diaconis virginum directoribus, Ambroſius lib. 1. de officiis cap. vlt. poteſtatem facit, *vt pudicitia vlciſcantur iniuriam.* Habemus etiam exemplum Amonis Diaconi, qui virgines ſacras erudierat in fide ex Martyrologio Romano & Menologio Græcorum, 1. Septembris, Monachatum quoque rectores eſſe ſolebant: nam, inquit Iuſtinianus, Nouellâ 123. cap. 36. *Monachæ ſibi eligunt vel Presbyterum vel Diaconum*, pro ſacris ab Epiſcopo confirmandum: in Monaſteriis virorum idem fuit in vſu. Sanctus Benedictus cap. 62. ſuæ Regu-

læ. *Si quis*, inquit, *Abbas ſibi Presbyterum vel Diaconum ordinari petierit, de ſuis eligit qui dignus ſit ſacerdotio fungi.* Diaconus ſacerdotio fungi dicitur, id eſt, hierarchicâ poteſtate iuxta loquendi modum ab Optato Mileuitano ſuperiùs vſurpatum. Extant & exempla ſuperioris æui, & ante ſanctum Benedictum ipſnam apud Seuerum Sulpitium dialogo 3. cap. 13. Cato Diaconus refertur, *ad quem Monaſtery adminiſtratio pertinebat.*

§. III.

Diaconos immundorum præcipuam curam habuiſſe.

TERTIÒ ſpeciatim etiam perſonarum certum genus tanquam maximè proprium, regendum ac purgandum toti Diaconorum ordini aſſignatur. Dionyſius cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, & ſexto, immundos huic ordini purgandos ex proprio ſtatu eorum ſubiicit: de quo ordine immundorum cap. 6 ita loquitur: τὴν μ̀ ὡς ἔτι πρὸς τ̃ λειτουργῶν τοῖς μαιευτικοῖς λογίοις πρὸς ζωτικὴν ἀπότεξιν μορφουμένης τε, καὶ διαπλαττομένης· *Vnus quidem arcetur, propterea quòd tum etiam a miniſtris ſcriptis diuinis, quæ vim obſtetricandi habent, ad vitalem partionem & formetur, & effingatur.* Dionyſium ſequuntur Maximus, Pachymeres, & alij interpretes. Antiochus Paleſtinus, homil. 123. & alij. Circa eos verò hæc potiſſima Diaconi officia eſſe ſolebant, quòd eos ad ſacram ſynaxim ſuo tempore accedere & recedere præciperet, quòd capita inclinare eos iuberet, omnéſque pro ipſis ad precandum ſuâ comprecatione moneret, vt conſtat ex Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. capitibus 5 6 7. 8. Liturgiis Baſilij, & Chryſoſtomi, teſtimonio eiuſdem Chryſoſtomi de incomprehenſibili Dei natura homiliis 3. & 4. in 2. ad Corinthios homil. 2. & 3. in epiſtolam ad Epheſios, & 61. ad populum Antiochenum; quòd eos per doctrinam, adhortationes & monita, vt Eccleſiæ Dei tanquam ſancti exhiberentur, reformaret, vt docent Dionyſius, Maximus, & alij citati: quomodo verò id intelligendum ſit Diaconos, immundos præſertim ſibi ſubditos habere, quos & plebi fideli, & virginibus ſacris atque Monachis præfuiſſe diximus, facilè vtique colligi poteſt, quia nempe Diaconi nec ſacras virgines, nec Monachos, aut Monachas, ad perfectionem adducere poterant, ad quam illæ ex ſuo ſtatu tendebant: nec plebi fideli ſacramenta iſta conficere, vel adminiſtrare poterant, quibus ordinariè indigent, non ipſis verbi gratiâ Pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrare, non corpus ac ſanguinem Chriſti, ſed ſolùm diſtribuere poterant: atque ita quamuis illorum omnium directioni aliquando præficerentur, in abſentia ſcilicet Presbyteri, iis tamen etiam in vita ſpiritali per media ordinaria fouendâ ac promouendâ nequaquam ſufficiebant, ſed accerſiri ſæpiùs oportebat Presbyteros, qui Diaconorum impotentiam ſupplerent: At verò circa immundos ea omnia præſtare poterant, quæ eorum ſtatui conueniebant; purgare ſiquidem eos tum doctrinâ, tum exhortationibus ac correptionibus poterant, tum etiam manuum impoſitionibus, & precationibus ſalutaribus, ac benedictionibus, aliiſque præuiis ritibus, ab Baptiſmum vel perfectam altari reconciliationem præparare. Quorum proinde propria veluti materia, in quam ſe propria Diaconorum virtus καθαρτικὴ ſeu purgatiua exerceret, immundi dici poterant ſcilicet Catechumeni, energumeni & pœnitentes.

§. IV.

Quædam officia publica, nonniſi præſente Presbytero vel Diacono celebrata docetur: vbi & varia officia publica explicantur.

QVARTÒ, officia publica in Dioceſanis Eccleſiis, nonniſi præſente Presbytero, vel Diacono celebrari poterant; ita vt cæteri Clerici in perſoluendis iſtis officiis Presbytero inſeruirent: Ipſi verò Eccleſiæ Vicanæ capita eſſent. Concilium ſiquidem Tarraconenſe ſub Hormiſda Papa Can. 7. ſecundum editionem Garſiæ hoc ſtatuit, *De Dioceſanis Eccleſiis, vel Clero, id placuit cuſtodiri, vt Presbyteri vel Diaconi, qui inibi conſtituti ſunt, cum Clericis ſeptimanas obſeruent; id eſt, vt Presbyter vnam hebdomadam: quâ expletâ ſuccedat ei Diaconus ſimiliter: eâ ſcilicet conditione ſeruatâ, vt omnis Cle-*

ricus die Sabbato ad veſperas ſit paratus; quò faciliùs die Dominica ſolemnitas cum omnium præſentia celebretur. Toletanum verò primum tempore Anaſtaſij, vno & ampliùs anteà ſæculo Can 9. decreuerat, vt lucernarium niſi in Eccleſia non legatur, aut ſi legatur in villa, præſente Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono legatur.

Neque obſtat quòd prioribus verbis eiuſdem Canonis ad offi:ium Eccleſiæ Epiſcopi vel Presbyteri præſentiam requirere videatur, dum ait, *Nulla profeſſa vel vidua abſente Epiſcopo vel Presbytero in domo ſua Antiphonas cum Co feſſore, vel ſeruo ſuo faciat.* Videtur enim prioribus iſtis verbis ſolemnior Offi:ij diuini recitatio, quæ alternantibus choris fieret in Hiſpania, vetita niſi præſente Epiſcopo vel Presbytero: Minùs verò ſolemnis, quæ lucernarium vocabatur, præſentibus non ſolùm Epiſcopo vel Presbytero, ſed etiam præſente Diacono permiſſa. Vel certè prior pars Canonis prohibet in ciuitate, in qua & profeſſæ virgines, & viduæ ſeu Diaconiſſæ eſſe ſolebant, nec iſtæ cum Confeſſore ſuo, id eſt, oratorij Procuratore (nam confeſſio erat ſacellum ſeu cubiculum, vel tabernaculum ex auro, argento, aut alia pretioſa materia, fabrefactum, vt paſſim apud Anaſtaſium Bibliothecarium videre eſt) ac ſeruo alternatim in domo ſua canant. Sed preces iſtas nonniſi præſentibus Epiſcopis vel Presbyteris in vrbe celebrent: poſterior autem lucernarias preces in villis Presbytero vel Diacono præſente fieri concedit.

Probabiliter etiam conijcere poſſumus tempore Concilij Toletani, antiphonas canendi morem in villis propter raritatem miniſtrorum nondum receptum fuiſſe, ſed tantùm in ciuitatibus Epiſcopalibus, in quibus numeroſior Clerus alternis cantare poterat: quæ coniectura vt explicetur obſeruare conuenit, antiphonam dictam à particulis ἀντὶ & φωνὴ, quaſi *vox contra vocem*: antiquitùs proinde antiphonam dictam, alternam, & reciprocam cantionem, cùm viciſſim vel Pſalmi choris alternis pſallerentur, vel antiphonæ, quæ verſiculis tunc temporis conſtabant, alternatim concinerentur. Quod vtique explicat Iſidorus lib. 6 originum cap. 19 *Antiphona, inquit, ex Græco interpretatur vox reciproca, duobus ſcilicet choris, alternatim pſallentibus, ordine commutato, ſiue de vno ad vnum, quod genus pſallendi Græci reperiſſe dicuntur: Reſponſorios Itali tradiderunt, quod carmen, inde Reſponſorios cantus vocant, quòd alio deſinente, id alter reſpondeat. Inter Reſponſorios autem, & Antiphonas hoc differt, quòd in Reſponſoriis vnus verſum dicit, in Antiphonis autem verſibus alternant chori.* Socrates lib. 6. c. 8. & Nicephorus lib. 13. c. 8. ab Ignatio Antiocheno viſione cæleſtium chororum alternis ita canentium incitato, hanc alternis choris canendi formam Eccleſiæ Antiochenæ relictam, ad alias dimanaſſe tradit. Sigebertus in Chronico ad annum 381. & Suidas verbo *Chorus*, eumdem morem ad Flauianum Antiochenum Præſulem, & Diodorum Tharſenſem tanquam auctores referunt. Idem tamen Sigebertus ad annum 387. ab Ignatio huius originem repetit, & ab Ambroſio primùm ad Latinos delatum tradit, cui in eo, quòd ad Ambroſium pertinet, aſſentiri videntur Auguſtinus lib. 9. Confeſſ. cap. 7. & Paulinus in vita ſancti Ambroſij, qui innouationem iſtam ſub Siricio ponunt, cùm Iuſtina Valentiniani mater Arriana in Catholicos fureret. Synodus autem Toletana prima ſub Anaſtaſio Siricij ſucceſſore, vt probabilius eſt, anno 400. habita, tredecim ſcilicet annis poſt Iuſtinæ in Eccleſiam Mediolanenſem furores, Hiſpanienſes Eccleſias Mediolanenſis Eccleſia ſecuta exemplum, hunc alternis canendi morem docuiſſe videtur: Maximam enim cum Eccleſia Mediolanenſi neceſſitudinem Hiſpaniæ Epiſcopos tunc temporis habuiſſe patet ex actis eiuſdem Synodi, in quibus Epiſcopi dicuntur *expectantes pari exemplo, quod Papa qui nunc eſt, quod ſanctus Simplicianus Mediolanenſis Epiſcopus, reliquique Eccleſiarum reſcribant Sacerdotes.*

Tam recentem itaque morem primùm Eccleſiam ciuitatis perſuaſiſſe, non vicanas, ſeu ruſticas, in quibus propter penuriam Clericorum alterna iſta Pſalmorum, Hymnorúmque modulatio ſeruari minùs commodè poterat, omninò probabile eſt. Atque adeò vbi de antiphonis nonniſi præſentibus Epiſcopo vel Presbytero canendis prohibitio eſt, de officiis diuinis, quæ in ciuitate peragerentur, videtur eſſe ſermo: vbi verò de officiis illis, quæ agerentur in villis, nominatim de lucernariis precibus mentio facta eſt, ſatis viſum eſt, ſi Presbytero vel Diacono præſente celebrarentur.

Lucernares autem illæ preces fusè deſcribuntur lib. 8. Conſtitut. Apoſtolic. cap. 35. 36. & 37. ab Epiphanio verò in Synopſi λυχνικοὶ ψαλμοὶ vocantur; à Baſilio lib. de Spi-

ritu ſancto, cap. 29. & Gregorio Nyſſeno in vita ſanctæ Macrinæ, Ἐπιλύχνιος εὐχαριστία, *Lucernalis gratiarum actio*; in liturgia præſanctificatorum, εὐχαὶ τοῦ λυχνικοῦ, *preces ad lucernam*; λυχνικὸν, ſeu lucernarium à Palladio cap. de Tabenneſioris; & à ſexta Synodo Can. 91. ab Ambroſio lib. 3. de Virginibus, *hora ince ſi*: ab Hieronymo epiſt. ad Lætam, *ſacrificium veſpertinum*: à Concilio Emeritenſi Can. 2. à Caſſiano lib 3. de diurnis orationibus, cap 3. *lucernalis hora*: in regulis Monaſticis, tam ea quæ eſt Auguſtini cap. 1. quàm quæ eſt Iſidori, cap. 9. & Magiſtri, cap. 34. §. 2. *lucernarium*. Eas autem ideò vel Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono præſentibus, non autem aliquo eorum abſente celebrari permiſſum eſt, quia ſynaxim ſacram nonniſi ab iſtis hierarchicorum ordinum viris haberi permittitur.

§. V.

Diaconis olim Eccleſiaſticæ diſciplinæ cura commiſſa.

Quintò, Diaconis ſimiliter diſciplinæ cura commiſſa, & coercendi poteſtas attributa paſſim legitur. Clemens epiſt. 1. ex verſione Ruffini, *Diaconi verò Eccleſiæ*, inquit, *tanquam oculi ſint Epiſcopi oberrantes, & circumluſtrantes cum verecundia actus totius Eccleſiæ; & perſcrutantes diligentiùs, ſi quem videant vicinum præcipitio, & proximum eſſe peccato, vt referant hæc ad Epiſcopum, & commoneri poſſit is, qui in præcipitium lapſurus eſt, vti reuocetur, & non corruat in peccatum. Negligentiores quoque, & eos qui rariùs ad audiendum verbum Dei accedunt, nec ſollicitè ad Epiſcopi tractatum conueniunt, ipſi commoneant, & hortentur.* Et paulò pòſt, *ſed de peregrinis ſimiliter Epiſcopo ſuggerant refouendis, & cætera hiis ſimilia, quæ ad cultum Eccleſiæ & diſciplinam pertinent, Diaconis curæ ſint.*

Diaconos certè oculos eſſe Epiſcoporum, Archidiaconum verò totum eſſe oculum, ait Iſidorus Peluſiota, lib. 1. epiſt. 29. & lib. 4. epiſt. 188. ab eodem Clemente in Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 2. cap. 44. Diaconus vocatur, τοῦ ἐπισκόπου ἀκοὴ, καὶ ὀφθαλμὸς, καὶ στόμα, καρδία τε, καὶ ψυχή. *Epiſcopi auris & oculus, & os, & cor, & anima*: ratio ſubditur, ἵνα μὴ ᾖ τὰ πολλὰ μεριμνῶν ὁ ἐπίσκοπος, ἀλλὰ μόνα τὰ κυριώτερα. *Ne Epiſcopus ſollicitudine multarum rerum, ſed grauiorum tantùm vrgeatur.* Eiuſdem verò lib. c. 30. Diaconus ſimiliter ἄγγελος καὶ προφήτης τοῦ ἐπισκόπου, *Angelus & Propheta Epiſcopi* eſſe dicitur: Diaconos verò eoſdem *Dei Archangelos* vocat Origenes tract 14. in Matthæum. citato quoque lib. 2. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 57. iidem Diaconi nobis exhibentur populum fidelem cum imperio in Eccleſiis diſponentes atque ordinantes, obſeruantes eumdem, eique inuigilantes, cum auctoritate etiam corripientes & corrigentes, ſi minùs modeſtos ſe, vel negligentes exhibeant: quod ipſum Chryſoſtomus homil. 2. in 2. ad Theſſal. homil. 85. in Matthæum, & alibi ſuo teſtimonio confirmat. Legimus eiuſdem Clementis lib. 2. cap. 57. & lib 8. cap. 11. Conſtitut. Diaconorum iudicio relictum, qui ad Eccleſiam admittendi, qui reiiciendi eſſent; excitant populum iidem Diaconi, orationem altâ voce indicant, item ſilentium; quo quiſque debeat in Eccleſia geſtu conſiſtere proclamant, vt conſtat ex omnibus liturgiis antiquis, item Chryſoſtomi homil. 2. de Scripturarum obſcuritate. Ambroſij præfatione in Pſalmos, Cyrilli Alexandrini lib. 13. de adoratione in ſpiritu, Gregorij Turonenſis lib. 7. cap. 8. Iſidori Hiſpalenſis lib. 2 de officiis cap. 8. & aliorum paſſim luculentis teſtimoniis.

Quantæ auctoritatis etiam illud eſt, quòd ad eum ſpectaret, laicum quantalibet ſæculari dignitate præſtantem, indignum à ſacræ Menſæ communione reiicere, vt expreſſiùs teſtatur Chryſoſtomus homil. 83. in Matthæum. Poſſunt & Diaconi excommunicare, non item inferiores Clerici, quod expreſsè docent Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 8. cap. 28. Διάκονος ἀφορίζει ὑποδιάκονον, ἀναγνώστην, ψάλτην, διακόνισσαν, ἐὰν ᾖ τι τοιοῦτον μὴ παρόντος πρεσβυτέρου. ὑποδιακόνῳ οὐκ ἔξεστιν ἀφορίζειν, οὔτε μὴν ἀναγνώστην, οὔτε ψάλτην, οὔτε διακόνισσαν, οὐ κληρικὸν, οὐ λαϊκὸν, ὑπηρέται γάρ εἰσι διακόνων· *Diaconus excommunicat Hypodiaconum, Lectorem, & Cantorem, & Diaconiſſam, ſi hoc facere opus ſit, abſente Presbytero: Hypodiacono non licet excommunicare Lectorem, aut Cantorem, aut Diaconiſſam, aut Clericum, aut laicum; miniſtri enim ſunt Diaconorum.* Mentio

apud Optatum lib 1 Lucillæ potentiſſimæ fœminæ, à Cæciliano Diacono correptæ, cum qui corripere potuit, eumdem Eccleſiaſticam pœnam inferre potuiſſe probabile eſt.

Mentio quoque in actis Concilij Chalcedonenſis act. 10. Miræ cuiuſdam Diaconi à proprio Archidiacono, non ab Epiſcopo ſuo excommunicati. Plura etiam huiuſmodi exempla apud antiquos auctores occurrunt: itaque dubium non eſt, quin Diaconi Eccleſiaſticæ iuriſdictionis ex ſtatu ſuo & ordine capaces ſint, ac proinde ſunt hierarchici. Denique, vt ab aliis innumeris referendis abſtineam, quorum aliqua ex infrà dicendis conſtabunt, reliqua à nobis, Deo dante, proprio tractatu de ſingulorum ſacrorum ordinum officiis fuſiùs euoluentur: hoc ſolùm adiungam Diaconorum ordini tam ex Eccleſiæ Græcæ, quam Latinæ vſu plurimas dignitates adnexas eſſe cum iuriſdictionis officio. Archidiaconatus in vtraque Eccleſia celebris, ſed in Latina celebrior, *Qui* ex Concilij Lateranenſis ſub Alexandro III Can. 3 *animarum curam habet annexam*. Cancellarij quoque, Primicerij, Camerarij, & ſimiles dignitates in Diaconali ordine effulgent. In Eccleſia vero Græca ſupponit Cabaſilas interrogatione 4. factâ Ioanni Epiſcopo Citri in reſponſionibus eiuſdem Ioannis lib. 1 reſponſionum, ſeu lib. 5. totius iuris Græco Romani à Leunclauio editi, Diaconis propria officia Eccleſiaſtica attributa eſſe. Ipſi quoque ἐξωκατάκοιλοι, quos Balſamon diſceptatione de officio Chartophilacis, & Protecdici, tanquam quinque ſenſus Patriarchæ commendat, quos ἄρχοντας vocatos Balſamon ibidem docet; itémque Citrius in reſponſis, quos tandem Concilium Florentinum in Clero Græcanico, tanquam excellentes nominat, illi, inquam ordine Diaconi ſaltem poſterioribus temporibus erant, teſte Codino cap 9. de officiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ num. 4 Itaque ex Eccleſiæ diſciplina apparet ordinem Diaconorum principantibus, id eſt, iuriſdictionem habentibus iure merito adcenſeri poſſe.

CAPVT II.

Solos iſtos Ordines Epiſcoporum, Preſbyterorum, Diaconorum, non cæterorum inferiorum, hierarchicos eſſe.

ARTICVLVS I.

Auctoritatibus Patrum id ſuadetur.

QVæ hactenus diximus nempe tres iſtos ordines Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum hierarchicos eſſe, ſaluâ & incolumi fide negari non poſſunt quandoquidem conſtat ex definitione Concilij Tridentini ſuperiùs allata (cuius ex prædictis aduerſus auctoria hiſtoriæ Concilij Tridentini, tanquam futilem & nullo ſolido fundamento irridentia cauillationes veritas, collatis antiquorum Patrum teſtimoniis, euadit illuſtrior.) Conſtat, inquam hierarchiam ex tribus ordinibus illis conſtare, Epiſcoporum, Presbyterorum & miniſtrorum; ex quibus cùm potiſſimi ſint Diaconi, ſi qui ex miniſtris Eccleſiæ hierarchiæ inſeri debent, eos præſertim huic Principatui ſacro adnumerandos autem potiſſimos miniſtros eſſe conſtabit. Per miniſtros ſeu Diaconos (quo nomine paſſim apud Patres Diaconi ſignificati reperiuntur) Synodus intelligit. Miniſtrorum autem nomine potiùs quàm Diaconorum vſa eſt propter quæſtionis iſtius, quam iam aggredimur obſcuritatem, ſiue ſcilicet alij etiam ordines inferiores Diaconatu dicendi hierarchici, quam propter loquendi morem apud Catholicos quoſdam vſurpatum, qui illos ordines hierarchicos etiam appellitant, dirimere noluit.

Porrò hierarchici ordinis nomine propriè ſumpto, quemadmodum explicuimus, pro eo qui radicem aliquam in ſua conſecratione iuriſdictionis habet, & cui conſentaneè

nea eſt aliqua ordinaria Eccleſiaſtica iuriſdictio propriè dicta, quam coercitiuam & neceſſariam dicimus, nobis indubitatum eſt, nullos alios formaliter ordines hierarchicos eſſe dicendos, quam tres ſuperiùs aſſignatos Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum. Omnes ferè Patrũ auctoritates ſuperiùs adductæ id probant, cùm omnes Patres ſuperiùs citati, qui hierarchicos ordines enumerantes tres iſtos ſolùm numerant, incuriæ & oſcitantiæ argui deberent, ſi reliqui quos prætermittunt hierarchici eodem titulo & iure dicendi eſſent. Argumentumq; optimum ab vniuerſali ſilentio Patrum deſumi poteſt non putaſſe eos inferiores Diaconatu ordines hierarchicos eſſe, quandoquidem nunquam eos hierarchicorum, ſeu principantium numero comprehendunt: nunquam vbi de Eccleſiaſtica gubernatione agitur Subdiaconos in eius partem vocant, nec Subdiaconis aut aliis inferioribus Clericis, vt eam tueantur, reſcribunt ſicut Presbyteris & Diaconis; nec vllæ ex Eccleſiæ diſciplina, dignitates iuriſdictionem adnexam habentes, Subdiaconis, aut aliis inferioribus ordinibus addictæ leguntur; nec excommunicandi poteſtas his attribuitur, quinimmò in Conſt. Apoſt. lib. 8. cap. 28. expreſsè denegatur, licèt Presbyteris & Diaconis tribueretur; nunquam ordinaria populi Chriſtiani cura Subdiaconis vel aliis infra Subdiaconos Clericis, ſicut ſuperioribus Subdiacono ordinibus ab Eccleſia demandata in tota antiquitate reperitur. Tertullianus quoque ſuperiùs citatus minores ordines diſpoſitiones ad Epiſcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum: hos verò & principantes ordines, & ducatum habentes commendat. Ignatius, qui Subdiaconorum, & aliorum Eccleſiæ graduum inferiorum meminit, nunquam iis obediendum, ſed ſolis prædictis tribus gradibus præcipit Clemens Alexand. & Baſilius ſicut tribus hierarchiis cæleſtem, ita tribus ordinibus Epiſcoporum, Preſbyterorum, Diaconorum terreſtrem hierarchiam ad inſtar cæleſtis effictam abſoluunt. Nec ſi alios hierarchicos ordines in Eccleſia agnouiſſent, rectè ternarium in vtraque hierarchia terreſtri & cæleſti numerum tanquam ſolemnem obſeruaſſent. Optatus, vt ſuperiùs probauimus, tres tantùm gradus ſacerdotij, id eſt, hierarchicos ſtatuit, extra eos miniſtros inferiores ſtatuit; Hieronymus in cap. 5. Micheæ loco citato, *Non* alios iudices domus Iſrael, ſeu hierarchicâ præditos in Eccleſia dignitate expreſsè affirmat, *niſi Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos*; Expreſſior auctoritas eiuſdem Hieronymi in cap. 2. epiſt. ad Tit. quo loco tres prædictos ordines præſidentium ſtatuit, eóſque minoribus ordinibus opponit iis verbis, *Non ſolùm Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi debent magnoperè prouidere, vt cunctum populum, cui præſident, conuerſatione, ſermone ac ſcientia præcellant, verùm & inferioris gradus Exorciſtæ, Lectores & Æditui, & omnes omninò qui domui Dei ſeruiunt.* Canones Romanorum ſingulari lege ſpeciatim Epiſcopo, & Diacono iniunctam caſtitatem probant, quod in ſede magiſtrorum ſedeant.

Has autem omnes probationes concludo auctoritate Concilij Laodiceni Can. 24: quod ἱερατικοὺς ſeu eos qui in ſacerdotio conſtituti ſunt, id eſt, hierarchicæ dignitatis participes, Presbyterum & Diaconum pronuntiat iis opponens, ἐκκλησιαστικὴν τάξιν, *ordinem Eccleſiaſticum*, ſub quo Subdiaconos, Cantores, Exorciſtas conſtituit: cui ſubnectit τὸ τάγμα ἀσκητῶν, *ordinem Monachorum*.

Item teſtimonio Theophylacti in cap. 19. Lucæ, loco à nobis iam citato, quo ſcilicet ex tribus operationibus hierarchicis, purgatione, illuminatione, perfectione, ex quibus vnaquæque vni ex tribus iſtis ordinibus Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum ſit propria, tres ordines hierarchicos, nec plures, nec pauciores his verbis concludit, ἑξῆς τὰ τάγματα πρὸς τὰς ἐνεργείας καὶ οὔτε πλείω, καὶ οὔτε ἐλάττω· *Vides omnes ordines cum operationibus, & neque plures, neque pauciores.* Et Philippi Abbatis Bonæuallis, qui ordines ſacros cum hierarchicis confundens, tres illos duntaxat ſacros eſſe non inferiores tradit de continentia Clericorum cap. 107. *ij duo*, tertium putà Epiſcoparum, qui ſupremus eſt, quia minus vulgaris eſt, ſilet, *ſcilicet Presbyter & Diaconus ſacris ordinibus dicuntur inſigniti, & ſacrarum ſcientia Scripturarum debent eſſe præ cæteris eruditi: vt non tenebris ignorantiæ, ſed ſapientiæ compedibus, laudabiliter irretiti, & ad docendum quæ didicerint, & ad faciendum quæ docuerint inueniantur expediti. Sunt præter iſtos alij qui etiam circa altaris miniſterium occupantur, & ad id peragendum à Pontificibus ordinantur: Qui etſi gradum ſanctitatis habere non negantur, non tamen eorum ſacri Ordines appellantur. Non enim quiſquam Subdiaconum, Acolythum, Exorciſtam, Lectorem, Oſtiarium locum ſanctitatis negabit obtinere; quamuis conſtet eos Preſ-*

byteris & Diaconis ſubiacere, quia & illa ſancta ſunt, quo illi debent iure ſui ordinis prouidere, & iſta ſacroſancta, & ſi quid amplius poteſt dici, quæ Presbyter & Diaconus iubentur adimplere. Probat ſcilicet Philippus ille vir ſuo ſæculo non exigui in Eccleſia nominis: hos ſolùm gradus ſacros eſſe, quòd ad regendum deſtinati eſſent, reliqui ſolùm ad miniſterium & ſpiritale Preſbytero & Diacono exhibendum officium. In quo non re, ſed nomine duntaxat ab ipſo diſſentiunt Vrbanus II. ſummus Pontifex, Can. *Nullus*, diſtinct. 60. Petrus Bleſenſis Can. 47. Magiſter ſententiarum in quartum, diſtinctione vigeſimâ quartâ, qui eos ordines ſacros præceris dictos volunt, quòd eos ſolos primitiua habere videretur Eccleſia, vel vt interpretatur Canonem Vrbani Innocentius III. cap. *A multis, de ætate & qualitate ordinandorum*, quòd eos ſolos pro ſacris primitiua haberet Eccleſia.

ARTICVLVS II.

RATIONIBVS IDIPSVM DEMONSTRATVR.

§. I.

Variæ rationes quibus ſoli Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum ordines hierarchici eſſe comprobantur.

PORRO variæ rationes pro demonſtranda bonitate, & integritate diuiſionis hierarchiæ in ordines Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum, excluſis aliis variæ proferri poſſunt.

Prima à Theophylacto loco mox citato expreſeſè traditur, non plures ſcilicet eſſe debere hierarchicos ordines, quàm diuerſa ſint functionum hierarchicarum genera: ſicut enim artificum collegia diuerſa ſtatuuntur pro diuerſis functionum generibus, quibus operam ſuam addicunt, ita diuerſi ordines hierarchici ſtatuuntur prout ad diuerſas functiones obeundas homines diuerſimodè conſecrantur. Atqui conſecrantur duntaxat homines ad tria genera ſacrarum functionum obeundarum, Diaconi ad purgationem immundorum, Preſbyteri inſuper ad illuminationem plebis fidelis, & ſanctæ, Epiſcopi ad perfectionem prætereà ſanctiſſimorum Monachorum, ex Dionyſio, Maximo, Antiocho, & aliis à nobis ſuperiùs citatis. Igitur neque plures, neque pauciores ordines hierarchici ſtatuendi ſunt.

Quòd ſi quis contendat interiores ordines etiam purgare, reſpondendum erit non auctoritatiuè, vt vocant, id miniſterium exercere, ſed purè miniſterialiter: neque enim poſſunt immundum quem purgant, aut punire, aut aliquid ei imperare, vel præcipere, aut ordinare, niſiquod à Diacono ordinatum & imperatum fuerit: ideóque Conſtitut. lib 8. cap. 28. cùm excommunicandi Diacono poteſtatem dediſſent, eámque Subdiaconis & cæteris inferioribus Clericis abdicaſſent, hanc rationem ſubdunt, ὑπηρέται γάρ εἰσι διακόνων, *Miniſtri enim ſunt Diaconorum.* Ex quo proinde concluditur, eos, quamuis actus aliquos hierarchicos attingant, non tamen hierarchicè attingere; proindéque nec hierarchicos eſſe poſſe.

Altera ratio huic omninò affinis eſt, tot debent eſſe ordines hierarchiſantium ordinum, quot hierarchiſatorum, & quot diuerſi ordines ſunt ſubditorum, tot diuerſi ordines principantium, quorum ſinguli ſingulos ſubditorum ordines ex ſuo præſertim officio moderentur: atqui in Eccleſia tres ſunt ordines hierarchiſandi à Dionyſio ſtatuti, putà immundi, plebs fidelis, & ſanctiſſimi Monachi: Igitur & tres ipſis reſpondentes ordines hierarchiſantes, neque plures neque pauciores Epiſcoporum, Preſbyterorum, & Diaconorum.

Tertia ratio, quæ ex dictis S. Ignatii ſuperiùs prolatis colligi poteſt, ea eſt, quia vt ex ipſo inferebamus, principatus omnis tribus præſertim conſtat nempe auctoritate, conſilio & exequendi induſtriâ, atq; celeritate: atqui hæ tres dotes in tribus Eccleſiæ ordinibus præſertim elucent, auctoritas in Epiſcopo, qui ideò ἱεράρχης dicitur à principatu & auctoritate: conſilium in Preſbyteris, qui ideò dicuntur πρεσβύτεροι, quaſi ſenes & ſenatores, conſilio potentes, conſiliarij & aſſeſſores Epiſcopi: celeritas & induſtria exequendi in Diaco-

Digitized by Google

nis, quorũ nomen aptum & conſentaneum miniſterium, ſeu διακονίας ſonat, & in quibus induſtria præſertim & peritia rerum agendarum laudatur ab Hieronymo ep. 18. ad Euagrium; *Diaconi eligant de ſe quem induſtrium nouerint, & Archidiaconum vocent*: quæ tamen induſtria in exequendo ita Diacono conuenit, vt à poteſtate minimè ſeparetur. Qua de re Sidonius Apollinaris lib. 4. epiſt. 25. de Ioanne in Cabilonenſem Epiſcopum electo, in Archidiaconatu diu retento loquens, *In quo*, inquit, *ſeu gradu ſeu miniſterio multum retentus propter induſtriam, diu dignitate non potuit augeri, ne poteſtate poſſet abſolui*; è contrà verò eſto induſtria & celeritas in Subdiacono aliiſque inferioribus miniſtris laudari poſſit, quia tamen à poteſtate hæc induſtria ſeiuncta eſt, ideò hierarchicos iſtos ordines non conſtituit.

Quarta ratio, tot debent eſſe ordines in noua lege quot in veteri: nam hierarchiæ noſtræ vmbra & figura & antiqua fuit, quæ ad eius exemplar quod Moyſi in monte Synai exhibitum erat, firmata eſt: ex Dionyſio cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, parte 1. at in veteri lege tres tantùm erant ordines, ſummi Pontificis, ſacerdotum minorum, & Leuitarum; quibus in noua reſpondent ordines Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum, vt docet Hieronymus epiſt. 85. ad Euagrium in fine, iis verbis, *Et vt ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri teſtamento: quod Aaron & filij eius, atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi vindicent in Eccleſia.* Quod ipſum fuſiùs narrant Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. *de officiis* cap. 5. 7. & 8. Aquiſgranenſis Concilij Patres ſub Ludouico Pio lib. 1. capitibus 7. 8. & 9. atque paſſim rituum, & officiorum diuinorum tractatores: igitur tres ſunt tantùm in Eccleſia hierarchici ordines Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum. Simili argumento vſus eſt Cyrillus Alexandrinus probans tres in Eccleſia ſicut & in lege ordines eſſe hierarchicos, ſeu ſacro Principatu præditos, & in populum auctoritatem habentes, verba eius ex lib. 13. de adoratione in ſpiritu & veritate, hæc præſertim excipe: Εἰ δέ τις ἕλοιτο καὶ τῆς ἐκκλησίας τὴν τάξιν πολυπραγμονεῖν, τὴν ἐν νόμῳ προσαρατύπωσιν, καταθαυμάζειν ἂν εἰκότως. ἐπισκόποις μὲν γὰρ ἅτε δὴ τὸ καθηγεῖσθαι λαχοῦσιν, καὶ μὴν τοῖς ἐπὶ τὴν μείω διέπουσι τάξιν, πρεσβυτέροις δέ φημι, πεπίστευται τὸ θυσιαστήριον, καὶ τὰ ἔσω τοῦ καταπετάσματος, οἷς ἂν πρέποι, καὶ λέγεσθαι, φυλάξουσι τὴν ἱερατείαν αὐτῶν. διακόνοις γε μὴν τὸ φυλάξουσι τὰς φυλακὰς τῆς σκηνῆς, καὶ πάντα τὰ σκεύη αὐτῆς, καὶ τὰ φυλάγματα τοῦ λαοῦ. ἢ; οὐκ αὐτοὶ προστάττουσι διακεκραγότες ἐν ἐκκλησίαις, ποτὲ μὲν ὑμνολογεῖν ὅτι προσοικεῖ λαοῖς, καὶ ἐν κόσμῳ μὲν ἑστάναι, κατηρεμεῖν δὲ πολλάκις καὶ διεγείρουσιν εἰς προσευχάς· *Quòd ſi quis velit etiam Eccleſiæ ordinem perquirere, illam legis præfigurationem iure admirabitur: Epiſcopis enim vt pote qui duces creati ſunt, necnon etiam iis qui inferioris dignitatis gradum gerunt, Presbyteris, inquam, concreditum eſt altare, & quæ intra velum continentur: quibus etiam dici conuenit* [*& cuſtodient ſacerdotium ſuum*] *Diaconis verò illud* [*cuſtodient cuſtodias tabernaculi, & omnia vaſa eius*] *& cuſtodias populi.*] *Quid? nonne ipſi præcipiunt, clamantes in Eccleſiis, nunc quidem tempus eſſe, vt populi hymnum dicant, & modeſtè ac decenter ſtent, interdum verò quieſcant: præterea ad orandum excitat?* &c. Principatus hic Eccleſiæ deſcribitur ad formam Moſaicæ compoſitus, in quo duplex poteſtas Diaconis adſcribitur, vna ad altaris miniſterium, altera ex ea conſequens ad populi regimen in ſacris & gubernationem. Quod argumentum fuſiùs poſteà explicat, hierarchiam in veteri lege adumbratam ex iis tribus ordinibus conſtantem nobis haud dubiè proponens.

§. II.

Potiſſima ratio petita à poteſtate in corpus Chriſti verum Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis præ cæteris Clericis, communi.

QVINTA ratio, eáque potiſſima hoc principio innititur, quod apud Theologos receptiſſimum eſt, poteſtatem in ordine ad corpus Chriſti myſticum in poteſtate ad corpus Chriſti verum fundari: ita nempe vt nemo conſecratus dici poſſit ad ſacrum populi Chriſtiani regimen ac gubernationem niſi primùm ad ſacrificij Chriſtiani adminiſtrationem ſit conſecratus. Quod principium nobis illuſtrandum eſt, quia per ipſum præſertim diſtinctio ordinum hierarchicorum à non hierarchicis explicanda eſt. Veritas autem huius principij multifariam explicatur.

Primò enim homines in iis quæ ad ſacra & diuina pertinent, nonniſi ſacris perſonis ſe ſubiectos eſſe putauerunt, nec vllis niſi ſacris Deóque deuotis hominibus, ad ſacrificia Deo offerenda deſtinatis in iis quæ ad religionem ſpectant, parere Religioſum putauerunt; ab iis diuinam legem voluntatémque diſcendam crediderunt, quos ipſi Deo deuouerant, & ad victimas offerendas deſtinauerant, tacito ſcilicet naturæ inſtinctu credentes Deum ſe familiariùs iis communicare, qui Deo deuoti eſſent, ab iiſdem diuina reſponſa ad nos referri debere, per quos dona noſtra ipſi diuino numini offerrentur: atque ita ſacerdotium, & ſacrificandi poteſtatem cæleſtis magiſterij fontem & originem eſſe crediderunt. Hoc Ethnici ipſi ſibi perſuaſerunt, hoc ab ipſo Deo traditum Iudęi tenuerunt, ſolos Religionis duces ſummos Pontifices, ſecundi ordinis ſacerdotes, & Leuitas habentes, qui & ipſi ad ſacrificandum conſtituti erant: priores quidem duo ordines ad ſacrificia Deo offerenda deſtinabantur: Leuitæ verò & templi miniſteriis, & tabernaculi vaſis, & iis quæ ex ſacrificio in ſartagine frixa Deo offerebantur, aliiſque eiuſmodi miniſteriis circa ſacrificium præerant, vt ex primi Paralipomenon capitibus ſexto, nono, & aliis colligere eſt: Tres ergo iſti ordines populi inſtitutioni à Deo pręfecti fuerant, iique maximè, quibus ſacrificandi munus præſertim competebat, iuxta illud Aggæi primo, *Interroga ſacerdotes legem*: Malachiæ ſecundo, *Labia enim ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius*: capite decimo ſeptimo Deuteronomij, *Veniéſque ad ſacerdotes Leuitici generis*, aliáque paſſim. Sed & tertius Leuitarum ordo, cui pars aliqua circa ſacrificia concredebatur; idem quoque ad populi magiſterium licèt inferiori loco accerſebatur: Nam ex antiqua haud dubiè traditione Ioſaphath, Synagogæ Iudaicæ collapſam diſciplinam inſtaurans, ſecundi Paralipomenon capite decimo ſeptimo, Sacerdotes & Leuitas miſiſſe dicitur in ciuitates Iuda habentes librum legis, *Qui circuibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum*. Quæ quidem lex & diſciplina, ſi à Gentilibus, Iudęiſque ſeruata eſt, vt nonniſi ſacerdotibus & miniſtris ad ſacrificia quæ Deo offerrentur deſtinatis ſacrum circa religionis obſeruantiam imperium, ſacérque Principatus conferretur; eadem potiori ratione lex Euangelij cenſeri debet, in qua ſicut ſacrificium eſt pręſtantius, & miniſtrorum pręrogatiua dignior: quatuórque proinde in noſtra lege rationes occurrunt, propter quas neceſſarium videtur, ne poteſtates iſtæ diſiungantur: ſed iis tantùm ordinibus, quibus circa ſacrificium Euangelicum poteſtas committitur, poteſtas & auctoritas circa populum Chriſtianum ordinaria, ſtabilis, & ex conſecratione concedatur.

Prima, vt magis innoteſcat Chriſtum poteſtatis in populum auctorem eſſe, cæteróſque Eccleſiaſticos magiſtratus, noniſi eius eſſe vicarios, & locum tenentes; ideò voluit ipſe Chriſtus, vt nemini in populum, quem paſſione ſuâ ſeu ſacrificio crucis cruento ſuum effecit, & a ſeruitute redemit, poteſtas conueniret, cui non ipſe corporis ſui & ſanguinis in ſacro Miſſæ ſacrificio diſtribuendi poteſtatem contuliſſet.

Altera, tum propter eamdem cauſam, tum ad dignitatem hierarchici magiſtratus, & doctoris populi conſentaneum fuit, vt ſicut omnes Chriſtiani populi, notâ quadam, ſignaculo & charactere Dominico conſignantur, tum vt inter oues dominico gregi ſocientur, tum vt Chriſti caſtris ad ſpecialem militiam aggregentur, & ex Auguſtino lib. 6. de Baptiſmo capite primo, libri ſecundi contra Parmenianum capite decimo tertio, libri ſecundi contra Creſconium capite trigeſimo, ſermone ad Cæſarienſis Eccleſiæ plebem de Emerito, & tractatu ſexto in Euangelium Ioannis; ita & ſignaculo quodam ac charactere exornentur, qui Chriſtiani populi duces ſunt conſecrandi, ex eodem Auguſtino de bono coniugali capite vigeſimo quarto, & ſermone citato, de geſtis cum Emerito: cuius teſtimonium confirmant Conciliorum, Florentini decretum vnionis, & Tridentini ſeſſionis quintæ Canon nonus, necnon ſeſſionis vigeſimæ tertiæ caput quartum, & Canon quartus; atqui character ex diuo Thoma, tertiâ parte, quęſtione vigeſimâ tertiâ, articulo tertio in corpore, eſt character Chriſti, & participatio quædam ſacerdotij Chriſti ab ipſo deriuata: conſtátque ex Theologis pręter characteres laicis omnibus Chriſtianis baptiſatis, & confirmatis communes, nullos alios eſſe characteres, quam qui ad Euchariſtiæ ſacramentum & ſacerdotium ſunt inſtituti, ideóque characterem quemcumque,

Digitized by Google

qui à laicorum ſorte & conditione hominem eximit, & in ſuperiorem ordinem tranſlatum exornat, poteſtatem aliquam vel remotam, vel proximam in Chriſti corpus & ſanguinem conferre oportet: proximam quidem ſolis ſacerdotibus ſiue ſecundi ordinis ad conſecrandum, Diaconis verò duntaxat ad diſtribuendum: remotam verò cæteris inferioris ordinis Clericis. Atque adeò Theologi poſt diuum Thomam Supplementi quæſt. 37. art. 2. in corpore, nnmerum ſeptem ordinum ex diuerſa habitudine ad Euchariſtiæ ſacramentum ac ſacrificium colligunt. Idque etiam ex eodem principio, nec Presbytero poteſtatem abſoluendi à peccatis, aut Extremam vnctionem conferendi, nec Epiſcopo poteſtatem confirmandi conuenire poſſe inferunt, niſi cui poteſtas conſecrandi Chriſti corpus conueniat. Igitur ad ſpiritalem ſacrumque Eccleſiæ principatum nemo conſecratur, niſi per characterem qui poteſtatem tribuit circa iſtud ſacramentum, in quo proinde poteſtas circa corpus Chriſti myſticum ex conſecratione debita fundatur.

Tertiò, quia totius hierarchiæ finis eſt Euchariſtiæ diſtributio vel participatio, quòd apertè docet Dionyſius lib. de Eccleſiaſt. hierarch. cap. 3. part. 1. qui vt Baptiſmum omnium diuinarum illuſtrationum principium, ita Euchariſtiam finem & conſummationem eſſe docet, τὸ δὲ τέλος ἁπάσης καὶ τὸ κεφάλαιον, ἡ τῶν θεαρχικῶν μυστηρίων τῷ τελουμένῳ μετάδοσις, *Finis autem vniuſcuiuſque propoſitus, atque ſumma eſt diuinorum myſteriorum*, ei qui initiatur communicatio. Quod ipſum cum Dionyſio duplici argumento comprobare facile eſt. 1. quidem, quia vt eadem parte capitis docetur, οὐ γὰρ ἔστι σχεδὸν τινὰ τελεσθῆναι τελετὴν ἱεραρχικὴν, μὴ τῆς θειοτάτης εὐχαριστίας ἐν κεφαλαίῳ τῶν καθ᾽ ἕκαστα τελουμένων τὴν ἐπὶ τὸ ἓν τοῦ τελεσθέντος ἱερουργούσης συναγωγὴν, καὶ τῇ θεοπαραδότῳ δωρεᾷ τῶν τελεστικῶν μυστηρίων τελεσιουργούσης αὐτοῦ τὴν πρὸς θεὸν κοινωνίαν· *Neque enim ferè licèt vllum ſacramentum perfici hierarchici muneris, niſi diuina Euchariſtia neceſſariò (ſummam eorum quæ in ſingulis ſacramentis peraguntur complectens) eius qui initiatus eſt cum vno Deo coniunctionem, collectionémque ſanctè efficiat.* Altera, quia hierarchiæ noſtræ ſcopus eſt aſſimilatio & vnio cum Deo, ex Dionyſio cap. 1. Eccleſiaſt. hierarch. Antiocho homil. 122. & aliis: atqui Dei vnio per Euchariſtiam maximè & perfectiſſimè procuratur: nec in hac vita maior vlla contingere poteſt, quàm quæ homini per Euchariſtiæ ſacramentum contingit, quod vtique fuſiùs docet idem Dionyſius cap. 3. eiuſdem lib. part. 3. nec dubitare poterit vllus, qui præſentiam Dominici corporis & ſanguinis in eo ſacramento & certò crediderit, & piè veneratus fuerit; cui proinde nos concorporeos & conformes imagini filij eius, huius virtute ſacramenti fieri neceſſum eſt, imo etiam ſecundum Apoſtolum 1. ad Cor. 10. *Vnus panis, vnum corpus multi ſumus omnes, qui de vno pane participamus.* Igitur ſcopus & perfectio totius hierarchiæ in corporis Dominici ac ſanguinis ſumptione & traditione conſiſtit.

Ratio quæ eſt Dionyſij epiſt. ad Demophylum, cuius verba inferiùs proferentur, eſt, quia priùs debent à Deo inſtrui hierarchici viri, quàm populum purgare, perficere, illuminare poſſint, quod ipſe etiam paſſim docet lib. de cæleſti & Eccleſiaſtica hierarchia: atqui per communicationem quam in exhibendo altaribus miniſterio recipiunt hierarchici viri Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi à Deo inſtructi redduntur, & vt idem ſanctus Doctor, libro de Eccleſiaſtica hierarchia cap. 1. explicat, diuinis iſtis ſignis deiformes fiunt, & deificantem ſcientiam acquirunt: vt vero epiſt. ad Demophilum explicat, *ij qui myſticè ſemper ad diuinum altare præſto ſunt, cernunt, audiuntque diuina, quæ eis apertè oſtenduntur, & cum modo benigno ad ea, quæ extra diuina vela & integumenta ſunt, prodeunt, Monachis morem gerentibus, ſancto populo & ordinibus qui expiantur, ſacra enuntiant pro dignitate.* Igitur poteſtas in ordine ad populum ſupponit poteſtatem in corpus Chriſti verum.

Alio modo poteſt hoc formari argumentum, vt priùs aliquem debere conſecrari dicamus ad familiarem cum Deo ſocietatem antequam conſecretur ad diuinorum communicationem: ac proinde priùs ad altaris miniſterium, quàm ad populi purgationem, illuminationem & perfectionem.

Quinta denique ratio, quia pœna præcipua, quâ diſciplina Eccleſiaſtica continetur, eſt priuatio à ſacris & ſacramenti Dominici ſuſceptione, quam excommunicationem dicimus, quæ olim in ſacris conuentibus infligi delinquentibus ſolebat: dicente Tertulliano Apologet. cap. 39. *Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura diuina;*

Nam & iudicatur magno cum pondere, & apud certos de Dei conſpectu: ſummúmque futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt a communicatione orationis & conuentus, & omnis ſancti commercij relegetur. Contentaneum verò eſt, & connaturale poteſtati iſti excommunicandi, vt nemini ordinaria ſit, ſeu ex ſtatu debita, niſi cui poteſtas communionem impertiendi, ac Sacramentum corporis & ſanguinis Dominici, (cuius ſuſceptio communionis Eccleſiaſticæ conſummatio eſt) diſtribuendi conueniat: eiuſdem enim eſt reiicere, cuius eſt admittere. Igitur nemini conuenit poteſtas in corpus Chriſti myſticum ſeu in populum, qui excommunicationis præſertim pœna terretur & corrigitur, niſi cui diſtribuendi Sacramenti corporis & ſanguinis Dominici poteſtas conceſſa eſt. Quam rationem expreſſit ſanctus Gregorius Nazianzenus Orat. 1. iis verbis, Πόθεν δ' ἂν ἔτι καὶ παρ' ἡμῖν θρησκεύοιτο ὑμῖν ὁ Θεὸς τὰ μυστικά, καὶ ἄνω φέροντα, ὃ δὴ μέγιστον ἐστὶ τῶν ἡμετέρων καὶ τιμιώτατον, οὐκ ὄντος βασιλέως, οὐδὲ ὄντος ἄρχοντος, οὐδὲ ἱερατείας, οὐδὲ θυσίας, οὐδ' ὅσα εἰς μέγιστα ἐπὶ μεγάλοις τοῖς πλημμελήμασιν, οἱ πάλαι ἀπειθεῖς κατεκρίθησαν· *Vtinam porro & a quonſnam Deus myſticis illis & ſurſum ferentibus ſacris coleretur (quibus nec maius quicquam nec praſtantius apud nos eſt) ſi nec Rex nec Præfectus eſſet, nec ſacerdotium, nec ſacrificium, nec alia omnia quibus inobedientes homines & contumaces ob ingentia peccata mulctati ſunt.*

Ex hoc itaque principio ita probato & explicato argumentari licet. Tot ſunt ordines hierarchici, ſeu ſacrum in populum principatum exercentes, neque plures neque pauciores, quot ſunt ordines ſacri poteſtatem in corpus Chriſti myſticum habentes: atqui tres tantùm illi ſunt ordines; ſupremus Epiſcoporum, ad quos ex inſtitutione Chriſti ſuprema, ſumma ac independens ab alio ordine ſacramentorum adminiſtratio refertur; quique ideo paſſim ſacerdotes κατ' ἐξοχὴν vocantur, verbi gratiâ, ex Cypriano epiſt. 19. & 52. ab Ambroſio *de dignitate ſacerdotali*, cap. 2. *de ſacramentis*, lib. 1. cap. 1. lib. 2. cap. 5. lib. 3. cap. 2 Chryſoſtomo toto ferè libro de ſacerdotio; Leone Magno epiſt. 89. ad Epiſcopos Viennenſis Prouinciæ; Concilio Sardicenſi Can. 10. & 20. imò & *ſummi ſacerdotes* atque Antiſtites vocantur, vt ab Euſebio epiſtolâ ad Epiſcopos Tuſciæ & Campaniæ; ab Ambroſio epiſt. 34. & lib. 2. de ſacram. cap. 6. Gaudentio Brixiano tract. in die Ordinationis ſuæ; Fauſto in præfat. libri primi de libero arbitrio, & homil. de vidua, quæ ei a quibuſdam tribuitur; Sidonio, epiſt. 11. & 25. libri 4. epiſtolis 5. & 6. libri 7. in fine concionis; Concilio Hiſpalenſi II. Can. 7, Carolo Magno lib. 7. cap. 323. & aliis paſſim: quos ideò Hierarchas appellauit Dionyſius tanquam a ſupremo ſacerdotij gradu nomen ſortitos, de Eccleſiaſt. hierarch. cap. 1. Medius Presbyterorum eſt ordo, qui ſacrificandi quidem poteſtatem habent, ſed dependentem a poteſtate Epiſcoporum, à quo & fiunt, & ſuæ poteſtatis exercitium ac leges, & altaris ac templorum conſecrationem accipiunt: Quorum ideò poteſtas inferior minùs libera ac ſoluta, ſed dependens circa ipſum Domini ſacrificium, vt oſtendunt Ignatius, epiſt. ad Trallianos, & ad Smyrnenſes; Clemens, epiſt. 3. Arelatenſe primum Concilium, Can 19. Laodicenum Can. 19 Carthaginenſe II. Can. 9. & III. Can. 32. atque ideò & auguſtior illorum circa corpus Chriſti myſticum poteſtas; & ab Epiſcoporum ordine ita dependens, vt iuriſdictionis vſum ei omninò ſubtrahere Epiſcopus poſſit.

Tertius tandem & infimus Diaconorum, qui circa corpus Chriſti imminutam tantùm poteſtatem habent, ad illud ſcilicet ex commiſſione Presbyteri diſtribuendum, non autem ad conſecrandum, ſeu ex proprio officio illud diſpenſandum, ſed ad inſeruiendum immediatè ſacerdoti ſacrificanti, non ad ſacrificandum. Qui proinde in corpus Chriſti myſticum cæteris ordinibus inferiorem tantùm poteſtatem habent executricem nempe decretorum & imperiorum a ſuperioribus ordinibus promanantium: vt ſicut ab aliis conſecrata diſtribuere poſſunt, ita & ab aliis imperata executioni demandare, pœnas etiam Eccleſiaſticas infligendo ac decernendo poſſint: quòd cæteri ordines, quibus diſpenſatio Sacramenti Dominici, & immediatum altari miniſterium denegatur, facere non poſſunt. Eo argumento vſus eſt Ignatius epiſt. ad Trallianos locis ſuperiùs citatis, probans ipſis parendum eſſe, quod non cibo um & potuum miniſtri tantùm eſſent, ſed inculparum miniſterium conſecranti exhiberent. Accedit ad prærogatiuam Diaconorum circa corpus Chriſti verum, quòd calicem conſecrandum ſimul cum ſacerdote Deo offerant, dicendo cum eo, *Offerimus tibi*

Domine, vt notant Rubricæ Miſſalis, & Gauantus argumentum ex plurali locutione ſumens, quòd non ſolus Preſbyter ea dicere debeat.

ARTICVLVS TERTIVS.

Eccleſiæ ritus, praxim & diſciplinam, ternarium hierarchicorum Ordinum numerum probare, ampliorem improbare.

§. I.

Ex Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis S. R. E. Cardinalibus.

PRÆDICTIS rationibus quibus adæquatam hierarchiæ diuiſionem in tres ordines Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum diuiſionem probauimus, accedunt plurima alia ex ritibus Eccleſiæ praxi, & diſciplinâ, quibus ordinibus iſtis quædam priuilegia conceduntur præ cæteris inferioribus, quæ hierarchicos eos ordines ab Eccleſia creditos, non alios ſignificant.

Primùm enim cùm Romanæ Eccleſiæ Cardinales ad totius orbis regimen à Romano Pontifice aſſumantur, ex omnibus ordinibus hierarchicis aliquos ad eam dignitatem promoueri neceſſum eſt, at ex iis tribus ordinibus aſſumuntur, non ex aliis, ex vſu in Eccleſia receepto, cuius meminit Gloſſa, *vt ij*, in Clementinam ſecundam, *de ætate & qualitate ordinandorum*, confirmátque Concilium Baſileenſe, ſingulis etiam iſtis ordinibus commodè officia diſtribuens, vt ſuprà ex ſeſſ. 23. eiuſdem Concilij protulimus. Igitur tres tantùm inferri poſſunt eſſe ordines hierarchici Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum.

§. II.

Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi in Conciliis.

SECVNDÒ, Concilis quoque generalibus ex omni ordine hierarchico aliqui regulariter intereſſe ſolent ad diſceptationem cauſæ, quamuis Epiſcopi ſoli tanquam Principes iudicent & proprio iure ſubſcribant: atqui iis ex Eccleſiæ veteri conſuetudine interſunt Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi duntaxat: quod cum innumeris exemplis pateat, aliqua ſolùm proferemus, Romani ſub Cornelio aduerſus Nouatum, in quo 60. Epiſcopi, Preſbyteri totidem cum Diaconis conuenere, teſte Euſebio lib. 6. cap. 35. Eliberitani ſub Marcello, in quo reſediſſe Preſbyteri, adſtitiſſe dicuntur Diaconi cum vniuerſâ plebe Arelatenſis primi ſub Syluestro, in quo plurimi Diaconi non alterius ordinis Clerici numerantur; Romani item ſecundi ſub eodem in quo Preſbyteri aſſediſſe, Diaconi adſtitiſſe, ſed & alij Clerici adfuiſſe, ſed ad teſtimonium ſolum, vt explico, narrantur; & Concilij Toletani primi ſub Innocentio, in quo idem ordo ſeruatus & aliorum paſſim. Id verò Toletani IV. can. 4. præſertim conſtat, in quo quis in Conciliis ordo ſeruandus ſit accuratè iis verbis cautum fuit, *Poſt ingreſſum omnium Epiſcoporum, atque conſeſſum, vocentur deinde Presbyteri, quos cauſa probauerit introire. Nullus ſe inter eos ingerat Diaconorum, poſt hos ingrediantur Diaconi probabiles, quos ordo popoſcerit intereſſe; & coronâ factâ de ſedibus Epiſcoporum, Presbyteri à tergo eorum reſideant, Diacones in conſpectu Epiſcoporum ſtent. Deinde ingrediantur laici, qui electione Concilij intereſſe meruerint.*

Quod laici etiam Concilio interſint Diaconorum prærogatiuæ non officit; non enim ad diſcuſſionem cauſarum in Conciliis agitatarum, neque ad vllum officium Eccleſiaſticum, aut laici aut inferiores Clerici locum vnquam habuerunt, ſicut Diaconi, quorum aliqui etiam legatorum ſedis Apoſtolicæ perſonam ſuſtinuiſſe, & inter præſidentes Concilio recepri fuiſſe leguntur, verbi gratiâ, ad Epheſinam ſecundam; Hilarius Diaconus miſſus à ſancto Leone apud eumdem Leonem epiſt. 25 Synodo 6. generali; Ioannes Diaconus, & octauæ, Marinus item Diaconus vterque Apo-

X iiij

Google

ſtolicæ Sedis fuit Legatus: abſentium quoque Epiſcoporum loco interdum mittebantur, verbi gratiâ Diaconi duo Herennius & Agapetus à Lucifero Calaritano, alij à Paulino, Maximus & Calemerus ad Synodum Alexandrinam miſſi referuntur ab Athanaſio Apolog. 2. Beſula Diaconus Carthaginenſis à Capreolo Carthaginenſi Epiſcopo miſſus ad Synodum Epheſinam primam, qui litteras excuſatorias omnium Epiſcoporum Africæ deferret, & eorum nomine Concilio intereſſet, quem inter Patres Concilij, act. 1. nominatim ſubſcribentem in fine actionis 6. animaduertimus. Ætherium quoque Diaconum paſſim ab Epiſcopo ſuo non benè valente in eodem Concilio ſubſcripſiſſe legimus, in Chalcedonenſi Caloſirium Epiſcopum Arſinoitenſem per Eliam primum Diaconum ſuum ſubſcripſiſſe, per eum interpretem locutum fuiſſe, actione 1. eiuſdem Concilij notatum obſeruamus; actione 2. & 6. Dionyſium Diaconum nominatum tanquam locum tenentem Photini Epiſcopi Chytrorum, ac ſubſcribentem animaduertimus; actione 8. Photinum Archidiaconum locum tenentem Theoctiſti Epiſcopi Peſſinuntis: quibus ſimilia in aliis actionibus eiuſdem Concilij, atque in aliis paſſim Conciliis deprehendi poſſunt. Quamuis enim in Concilio Emeritenſi can. 5. loco ſuo Diaconos Epiſcopis mittere vetitum fuerit, ne cum Epiſcopis in contemptum Presbyterorum priori loco ſedere viderentur, tamen Trullana Synodus can. 7. Diaconis & Epiſcopos ſuos repræſentare, & tunc temporis Presbyteris præferri conceſſit: neque Emeritenſis Concilij decretum, aut ex vſu prioris æui ſcriptum, aut in vſu poſtea fuiſſe etiam in Hiſpania conſtat; nam ante illud; Concilio Toletano V. Petrus Diaconus ſubſcripſit agens vicem Epiſcopi ſui Antonij: Sexto Vvamba, & Seuerinus Diaconi: in ſeptimo Clemens & Ambroſius, poſt idem verò Emeritenſe Concilium decem circiter annis in Toletano XI. Liberatus, & Egila Diaconi inducti Segobienſis & Mumuli Arcanicenſes Epiſcoporum vicarij admiſſi ſunt: Toletano XII. Aſturius Diaconus agens vicem Hoſpitalis Valentinæ Eccleſiæ Epiſcopi ſubſcripſit: Toletano XIII. Spaſandus, Lameſus, Giſibertus, Dexter, Vnicomalus, Boromellus, Caluminoſus, Habitus Diaconi nomine variorum Epiſcoporum ſubſcripſerunt. Quod in ſequentibus Conciliis poteſt facilè adnotari, cùm tamen nullum vnquam Subdiaconum aut in inferioribus ſolùm ordinibus conſtitutum, aut tanquam Legatum Conciliis præſediſſe, aut abſentium Epiſcoporum locum tenuiſſe legamus, niſi fortè quis Atarbium Concilio Conſtantinopolitano primo per Cylum Lectorem ſuum interfuiſſe ex Concilij ſubſcriptionibus colligat: quod exemplum, quia rarum, pro nihilo haberi poteſt.

Erant autem & propriæ quædam Diaconorum partes in Conciliis, quæ nullis inferiorum ordinum Clericis communicatæ leguntur. Primum enim officium Diaconorum erat, aduentantes in Concilium deducere: quod officium collige ex Athanaſio Apol. 2. qui Arrianorum Synodum reprehendit, quòd in ea Commentarienſis ſeu Carcerarius loco Diaconorum Eccleſiæ aduentantes introduceret.

Secundum erat, acta publica legere, eáque euoluere, & Synodo proponere: quo officio Sabinianum Diaconum in Concilio Aquileienſi, præſide ſancto Ambroſio, ex actis eiuſdem Concilij, itémque Ætium Archidiaconum Conſtantinopolitanum Calchedonenſi functum ſingulis plurimis actionibus legimus, quibus duobus officiis ſucceſſit Cartophylax Conſtantinopolitanus ex ordine Diaconorum, in Eccleſia Orientali, quem Anaſtaſius Bibliothecarius ad actionem ſecundam Synodi 8. chartarum cuſtodem aſſerit, ab eóque quoslibet tum Patriarchæ, tum Eccleſiaſtico conuentui præſentari, & intromitti, præter eos, qui à cæteris Patriarchis mittuntur. Quæ eadem officia confirmat Balſamon in meditatione de officiis Chartularij, ac primi defenſoris, eundem Cartophylacem commendans, quòd citra meditationem in Synodo ea proferat, quæ vel ipſe ſi dicendum ei foret (nota Græcam adulationem) auferret Moſes; Aaroni ideò & Baruch ipſum comparat: cui etiam extra Patriarchale tribunal tanquam referenti perſonam Patriarchæ rectè primam ſeſſionem dari ante Epiſcopos contendir.

Tertium, querimonias Clericorum ad Concilium deferebat Archidiaconus ex Toletano IV. can. 3.

Quartum Diaconorum officium erat, geſta Conciliorum ſignificare aliis, ſeu vt aiunt, intimare: hoc enim Archidiaconis tanquam proprium munus tribuit Toletanum primum can. 20.

Quintum erat, quod publicè in iiſdem Conciliis ventilandis & diſcutiendis Diaconi etiam adhibentur, quemadmodum Athanaſij exemplo patet, quem nondum Epiſcopum dignitate virtutis magis quàm gradu ſpectabilem in Synodo Nicæna inter primos fidei defenſores fuiſſe, atque exinde Arianorum odium in ſe concitaſſe refert Nazianzenus Orat. 21. in laudem ipſius: quem pariter ſtrenuum cum Euſtathio Antiocheno veritatis defenſorem, & certaminis aduerſus Arianos participem tradit Theodoretus lib. 1. hiſt. cap. 8. quo tempore eum Diaconum ſolùm fuiſſe, imò & Archidiaconum Alexandrinum, ex eiuſdem Gregorij eadem Oratione, & ex Epiphanij Panario, hæreſ. 68. & aliis paſſim conſtat.

Quibus omnibus præſtat auctoritas Synodi Alexand. apud eumdem Athanaſium Apolog. 2. teſtantur Arianos in Athanaſium Alexandri Diaconum iras conuertiſſe, *Quia iam anteà eius pro Chriſto pietatem in Synodo Nicæna, vbi magna cum libertate contra Arianam hæreſim diſſeruerat experti eſſent.* Patet etiam exemplo Paulini Diaconi, quem eumdem eſſe putant cum eo, qui Lector anteà Eccleſiæ Mediol. tempore S. Ambroſij fuit, ac eius vitam rogatu S. Auguſtini ſcripſit. Is autem aduerſus Cæleſtium in Concilio Epiſcoporum ſtrenuè decertauit, teſte Auguſtino *de peccato originali contra Pelagium*, lib. 2. cap. 2. & 3. Victorem quoque teſtatur liber Pontificalis Damaſo adſcriptus, *Quod fecerit Concilium, & collatione factâ cum Presbyteris & Diaconibus conſtituerit, vt à decima tertia luna primi menſis vſque ad vigeſimam primam die Dominica cuſtodiatur ſanctum Paſcha.*

Sextò, ſubſcribebant nonnunquam proinde Conciliis Diaconi etiam ſuis nominibus, quibus nunquam inferioris ordinis Clerici ſubſcripſiſſe leguntur, hinc accidit, vt teſte ipſomet Athanaſio Apologiâ ad Conſtantium non longè ab initio Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi in exilium à Conſtantio abire iuſſi, quòd in Athanaſium ſubſcribere recuſaſſent.

Hinc etiam legitur Iacobus Diaconus & Archimandrita in Conciliō Conſtantinopolitano ſub Flauiano aduerſus Eurychetem ſubſcripſiſſe: Concilio quoque Antiſſiodorenſi duo Diaconi, Concilio Toletano XI. Archidiaconus Toletanus, alij ſubſcripſiſſe leguntur.

Septimò leguntur & epiſtolæ Synodicæ nomine Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum aliquando conſcriptæ; nam verbi gratiâ, epiſtolâ Synodicâ Concilij Antiocheni aduerſus Paulum Samoſatenum ad Dionyſium Papam apud Euſebium lib. 7. cap. 24. & Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum nomine inſcripta legitur, & ad Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos hoc modo, *Dionyſio Maximo & omnibus vbicumque in orbe terrarum, Collegis, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis & vniuerſæ ac Catholicæ ſub cælo Eccleſiæ, Helenus & Hymenæus, &c. & reliqui omnes Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi, qui ciuitates & regiones finitimas apud nos incolunt, & Eccleſiæ Dei, quæ apud nos ſunt dilectis fratribus.* Ex quibus omnibus patet admitti in Concilium ſolitos non ſolùm Epiſcopos & Presbyteros, verùm etiam Diaconos: quam quidem prærogatiuam profero, non quòd Presbyteros & Diaconos iure id exigere poſſe credam, quaſi illegitimum ſit Concilium, ad quod ipſi conuocati non fuerint, quandoquidem ſciam Concilium Epiſcoporum eſſe, vt infra docebo, ſed quod exinde contendam ordinem Presbyteratus, & Diaconatus aliquem aptiorem magiſque idoneum efficere, qui Concilio intereſſe, & ad negotiorum Eccleſiaſticorum tractationem, diſcuſſionem, iudicium præ cæteris aduocari debeat; vt pote quòd iſti ordines hierarchici ſint, ac proinde Eccleſiaſticæ iuriſdictionis non ſolùm ordinariæ, verùm etiam delegatæ magis capaces, ipſiſque conſentaneum ſit rei Eccleſiaſticæ iudicium, quòd alios ordines nequaquam deceat.

§. III.

Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi benedicunt.

TERTIÒ idipſum nobis indicat prærogatiua Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum ſupra cæteros ordinum inferiorum Clericos quòd ſoli benedictionem ſuper populum fundere poſſint, quam & antiquam oſtendemus, & in

Eccleſiæ lege firmatam. Nam benedictionem dare videtur eſſe ſuperioris & principantis, ex eo enim Apoſtoli ad Hebræos capite ſeptimo Melchiſedech Abrahamo ſuperiorem oſtendit, quòd ei benedixerit, *Sine vlla autem contradictione quod minus eſt à meliore benedicitur*: & Nicolaus primus epiſt. ad Michaelem, cuius teſtimonium refertur à Gratiano, diſtinctione duodecimâ Can. *Denique*, colligit ſuperiorem ab inferiore benedici minimè debere. Ergo cùm Eccleſia his tribus ſolùm ordinibus benedicendi populo poteſtatem faciat, ſequitur Eccleſiam eos ſolos ordines pro hierarchicis & principantibus habere. Quod autem iis ſolùm ordinibus benedictionis conferendæ poteſtas ex Eccleſiæ lege concedatur: primò conſtat ex Conſtitutionibus Apoſtolicis Clementis lib. 8. cap. 28. in quo primùm de Epiſcopo habetur, ἐπίσκοπος εὐλογεῖ, οὐκ εὐλογεῖται, *Epiſcopus benedicit, non benedicitur*. De Preſbytero poſteà ſubditur, πρεσβύτερος εὐλογεῖ οὐκ εὐλογεῖται, *Presbyter benedicit non benedicitur*: quam lectionem Gretſerus lib. 1. de benedict. c. 7. rectè meo iudicio corruptam eſſe coniecit, alioqui nullum eſſet inter Preſbyterum & Epiſcopum diſcrimen: quod conſentaneè ſtatuetur, ſi dicamus Presbyterum benedicere, & benedici ab Epiſcopo: Epiſcopum verò benedicere & à nullo benedici: quam textus reſtitutionem ſequentia de Preſbytero verba neceſſariam oſtendunt: ſubiungitur enim, εὐλογίαν δέχεται παρὰ ἐπισκόπου καὶ συμπρεσβυτέρου ὡσαύτως ἐπιδίδωσι συμπρεσβυτέρῳ· *Benedictionem accipit ab Epiſcopo aut compresbytero, item dat compresbytero*, id eſt, benedicitur ab Epiſcopo ſeu potiùs benedicendi poteſtatem ab eo accipit, vel à compresbytero, cui populus ſubiectus eſt, & compresbytero ſimiliter benedicendi facultatem tribuit, populo nempe ſibi ſubdito: de Diacono verò paulò pòſt dicitur, διάκονος οὐκ εὐλογεῖ, οὐ δίδωσι εὐλογίαν, λαμβάνει δὲ παρὰ ἐπισκόπου καὶ πρεσβυτέρου, *Diaconus non benedicit, neque dat benedictionem, accipit vero ab Epiſcopo & Presbytero*, id eſt, Diaconus non benedicit propriâ auctoritate, ſed miniſteriali accepta ab Epiſcopo & Preſbytero, atque adeò nec benedicendi alteri poteſtatem tradere poteſt, licèt ab alio accipere queat. Quòd enim negat Gretſerus Diaconum poteſtatem benedicendi accipere, & alio modo benedictionem accipere hoc loco interpretatur, quam in prædictis eo ipſo refellitur, quod probabile non ſit benedictionem dare vel accipere alio modo, eadem ſerie orationis de Diacono intelligenda eſſe quàm de Presbytero.

Rectiùs itaque Turrianus à Gretſero reprehenſus Scholiis in eundem locum vtrobique iſtorum verborum eumdem ſenſum eſſe putauit, quem etiam ex lib. 2. Conſtitutionum, cap. 58. confirmauit. Quo pro'nde ſenſu dicendum eſt Diaconum à ſe non benedicere, ſed ab alio putà Epiſcopo vel Preſbytero acceptâ poteſtate: quod tamen priuilegium eodem capite Conſtitutiones Apoſtolicæ Clericis & Diaconiſſis denegant, quibus ſcilicet neque benedicendi, neque aliquid eorum faciendi, quæ Preſbyteri vel Diaconi faciunt, poteſtatem permittunt. Atque ideò dicendum eſt dignitatem iſtam hierarchicam, quam vetuſtiſſimus huiuſce libri ſcriptor in ordine Diaconorum potiùs quàm in aliis inferioribus agnouit, cauſam fuiſſe ob quam benedicendi populo poteſtatem, quæ maximè Epiſcopo, & eo abſente, Preſbytero conuenit; Diaconis etiam attribuerit. Maxime verò propriam dixi Epiſcopis & Preſbyteris benedicendi auctoritatem, iis enim hierarchice populum benedicere conuenit, qui, vt ait Hieronymus epiſt. 1. ad Heliodorum, *Chriſti corpus ſacro ore conficiunt*: Nam cùm iuxta Principis à nobis ſuperiùs ſtatuta poteſtas in corpus Chriſti myſticum à poteſtate in corpus eius verum diffluat, iis proprium eſſe debet ſuâ auctoritate populum benedicere, quibus diuinitùs conceſſum eſt Chriſti corpus conſecrare, ideóque ſanctus Athanaſius in vita ſancti Antonij, *Ipſum Epiſcopis & Presbyteris quaſi humilitatis diſcipulum ad benedicentium caput ſubmittere*, Diaconibus verò ad ſe venientibus interorandum cedere, eóque tanquam Doctores interrogare ſolitum refert; proprium ſcilicet faciens Epiſcopo & Presbytero benedicere, Diacono verò cum iis commune docendi munus tribuens. Hinc etiam oſtendit Iſidorus Hiſpalenſis epiſtolâ ad Ludefridum relatâ Can. *Perlectis*, diſtinctione 25. ad Presbyterum pertinere dicens *Sacramentum corporis & ſanguinis Dominici in altario Dei conficere, orationes dicere & benedicere dona Dei*. Hinc Gratianus 16. quæſt. poſt Canonem, hinc etiam benedictionem dare nonniſi *ſacerdotum eſſe* docuit. Quia verò Diaconi ab aliis conſecrata miniſtrare poſſunt, ideò benedictionem pariter ſacerdotis nuntiare, & tanquam mi-

Digitized by Google

niſtri ſuperiorum ordinum proferre poſſunt. Quòd vtique permiſſum eis in officiis diuinis coniicio, dum nempe, vt ſuperiùs docuimus, vel vicanis Eccleſiis præficerentur vel alternis cum ſacerdote diebus intra ſeptimanam Officio diuino præeſſent. Superſunt veſtigia iſtius in Eccleſia poteſtatis.

Primùm, quòd benedictio cerei Paſchalis publicè Diacono in Eccleſia concedatur: cuius rationem myſticam tradit Rupertus lib. 6. cap. 30. Alterum, quòd Diacono hoc ſit commune cum Epiſcopo & Presbytero, vt recitans Horas Canonicas dicat verba iſta, *Dominus vobiſcum*, quæ ſalutationis populi & benedictionis rationem obtinent, quòd nullius inferioris ordinis viris conceditur: ſed eorum loco dicere iubentur, *Domine exaudi orationem meam*, quemadmodum præſcribit Rubrica Breuiarij Romani inter generales trigeſima, num. 3. quæ *Verſum iſtum non dici notat ab eo qui non eſt ſaltem in ordine Diaconatus, nec à Diacono præſente ſacerdote niſi de eius licentia*: vide Gauantum in Rubricas Breuiarij ſect. 5. cap. 16. Porro Diaconi dignitatem praxis iſta comprobat, quandoquidem, vt docet Petrus Damiani, Opuſc. 11. cap. 10. qui iſtam orationem recitat totam Eccleſiam repræſentet, eámque, vt ait Gloſſa in Canonem *Hoc quoque, de conſecratione*, diſtinct. 3. alloquatur; at repræſentare totam Eccleſiam, eique benè precari ac ſalutare, videtur ad Præpoſitum ſolum ſpectare. Ideóque excommunicati à quibus per excommunicationem aufertur iuriſdictio, verba iſta dignitatis & auctoritatis dicere prohibentur ſecundum Hoſtienſem in caput *Illud, de Clerico excommunicato miniſtrante*, Gloſſam Pragmaticæ ſanctionis, tit. *Qualiter Horæ Canonicæ ſint celebrandæ extra chorum*, verbo, *Tenentur*. Abbatem in cap. 1. *de celebratione Miſſarum*, quæſt. 12. Nauarrum Miſcell. 77. *de oratione*, num. 3.

§. IV.

Inter Epiſcopos Archiepiſcopi, inter Presbyteros Archipresbyteri, inter Diaconos Archidiaconi.

QVARTÆ prærogatiuæ prædictorum ordinum efficacius argumentum eſt, quòd Eccleſiaſtica nomina iſtorum ordinum cum præfixa Principatus voce legantur non cæterorum, nam Archiepiſcopos, Archipresbyteros, Archidiaconos paſſim legimus, Archiſubdiaconos verò, Archiacolytos, Archilectores, Archiexorciſtas, vel Archioſtiarios non legimus, niſi fortè quòd ſemel Archiſubdiaconi mentio fiat in Concilio Altiſſiodorenſi Can. 3. cuius officium fuerit chriſma ad Presbyteros parochitanos deferre, abſque vlla tamen iuriſdictionis vel principatus ſacri prærogatiua. Quòd verò vox ἀρχὴ, quæ principatum ſonat, voci ſignificanti inferiora Diaconatu miniſteria non præficiatur, ſuperioribus verò ordinibus præficiatur, cauſa hæc eſt, quia principatus ij ordines capaces ſunt, illi non item. Nec in nominibus tantùm vim facimus; ſed in rebus; nam ideò Archiepiſcopi admittuntur, quòd inter Epiſcopos aliqui & dignitate potiores, & iuriſdictione maiores eſſe poſſint. Ideò Archipresbyteri, quia & inter Presbyteros aliquis præeſſe cæteris, eorúmque curam habere ſolet. Ideò Archidiaconi, quia non ex alio ordine quàm Diaconorum neceſſe eſt eligi qui Diaconis præſit, cùm ex illo ipſo ordines ſacri principatus moderatores eligere poſſint, & ſacri Doctores, quales Archidiaconi, teſte Maximo in cap. 1. Eccl. hier. E contrà verò, quia cęteri ordine ſacro principatui minùs idonei ſunt: ideò ad principandum illis ordinibus, non ex ipſorum ſingulis ordinibus, ſed ex ſuperiorum numero eliguntur: conſtat enim ex Iſidori epiſt. ad Ludifredum, Archidiaconum imperare Subdiaconis & Leuitis; ad Primicerium, pertinere Acolytos, Pſalmiſtas, atque Lectores; ad Theſaurarium Oſtiarios. Quos omnes ex ordine ſaltem Diaconorum fuiſſe colligitur ex capite, *Cùm in cunctis, §. inferiora, de electione & electi poteſtate*. Itémque ex capite finali, *de filiis Presbyterorum*, quibus iſtæ dignitates beneficiis curam animarum habentibus ęquiparantur: & ex capite vnico *de officio Primicerij*, in quo etiam circa Diaconos officium eius extenditur, ac proinde ſaltem Diaconus eſſe debere declaratur: Denique ex cap. 2. *de officio cuſtodis*, vbi præcipuæ iſtæ dignitates ſtatuuntur, Archidiaconus, Primicerius & Cuſtos, quem Theſaurarium aliter vocant. Et ſanè Subdia-

coni alicuius regimine, & cuſtodia inferiores Clericos multos legimus, verbi gratiâ, Maiorinum Lectorem *in Diaconio Caviliani Archidiaconi*, tradit Optatus lib. 1. contra Parmenianum, Theodoretum Lectorem Theodoto Diacono in cuſtodiam datum ad erudiendum, Chryſoſtomus epiſt. 61. Paulinum vitæ ſancti Ambroſij ſcriptorem, primùm Mediolani ſub cura Caſti Diaconi, deinde Carthagine apud Fortunatum Diaconum reſediſſe ipſe de ſe teſtatur in vita Ambroſij, Gregorium Agrigentinum Epiſcopum, Donato Archidiacono erudiendum traditum ab Epiſcopo ſcribit Metaphraſtes eius vitæ capite 2. ſanctum Patroclum Clericum factum ab Arcadio Bituricæ vrbis Epiſcopo traditum refert Gregorius Turonenſis lib. 1. de vitis Patrum cap. 9. Ioannem verò quemdam puerum ab Innocentio Rutenæ Epiſcopo, cùm Clericus factus eſſet, Archidiacono datum, lib. 10. hiſtoriæ cap. 8. memorat. Innumeros alios referre poſſum, qui in Diaconorum poteſtatem dati ſunt è Clericis: cùm in poteſtatem Subdiaconorum aliorúmque inferioris ordinis nunquam Clerici inſtituendi traderentur. Quare Synodus Romana ſub Zacharia, Can. 7. (quam nomine Synodi Romanæ ſub Syluestro refert Gratianus diſt. 93. Can. *A Subdiacono*) licèt Monachum Abbati, Abbatem Oſtiario, Oſtiarium Lectori, Lectorem Exorciſtæ, Exorciſtam Acolyto, Acolytum Subdiacono in omni loco obſequium repræſentare iubeat, ſiue in publico ſiue in gremio Eccleſiæ: quia ſcilicet æquum eſt, vt minor maiori ſeruiat, & *conſueta in ordine ſuo ſeruitia* exhibeat, eiſque aſſurgat ex cap. *Statuimus*, iunctâ Gloſsâ, *Conſueta, de maioritate & obedientia*: in gratiam tamen Diaconatus ordinis decernit, *vt à Subdiacono vſque ad Lectores omnes ſubiecti ſint Diacono Cardinali vrbis Romæ in Eccleſia repræſentantes ei honorem*, ſubditi, inquam, ſint, & in eius poteſtate conſiſtant.

§. V.

In Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum ordine Clerici conſiſtebant.

QVINTA eſt, quòd nemo in minoribus ordinibus vel Subdiaconatu initiaretur, vt ibi ſiſteret, quemadmodum ad Diaconatum, Preſbyteratum, & Epiſcopatum in iiſdem ordinibus moraturum aliquem (niſi Eccleſiæ vtilitas eos ad altiorem gradum euocaret) Eccleſia conſecrabat. Quæ obſeruatio colligitur ex Tertullani phraſi cap. 11. cit. de fuga, *Hoc ſentire & facere omnem ſeruum Dei oportet, etiam minoris loci vt maioris fieri poſſit, ſi quem gradum ex perſecutionis tolerantia aſcenderit, ſed cùm ipſi auctores, id eſt, ipſi Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi fugiunt*, &c. Videntur enim his verbis inferiores gradus Diaconatu, ita cum ſuperioribus conferri, vt hi principatum habeant illi ad eum principatum tendant.

Colligitur ex Cypriano, qui vix de gradibus inferioribus Diaconatu meminit, niſi factâ mentione deſtinati ad ſuperiores aſcenſus. Nam v. g. de ordinatione Saturi in Lectorem, & Optati in Subdiaconum verba faciens epiſt. 24. examinatum ait, an *congruerent illis omnia, quæ eſſe debent in his, qui ad Clerum parabantur*, quaſi nempe ad Clerum pareretur, qui in his gradibus conſtituitur: de Aurelij promotione ad Lectoratum ſcribens epiſt. 33. *Merebatur*, inquit, *tales Clericæ ordinationis vlteriores gradus, & incrementa maiora, non de annis ſuis, ſed de meritis æſtimandus: ſed interim placuit, vt ab officio lectionis incipiat*. Et epiſtolâ ſequenti de eiuſdem Aurelij & Celerini Lectoratu, *Hos tamen Lectores interim conſtitutos ſciatis, & cæterum Presbyterij honorem deſtinaſſe nos illis iam ſciatis*. Quod ipſum inſinuat Nazianzenus Orat. 1. non longè ante finem aſſerens, *ὅτι τῆς ἐκκλησίας ἄξιοι εἶναι χρὴ πρῶτον, εἶτα τοῦ βήματος, καὶ τούτου πρῶτον, εἶτα τῆς προεδρίας*, *Quòd prius oportet vt quiſquam Eccleſia dignus ſit*, id eſt, vt Eccleſiaſtico gradu vel Eccleſiaſticâ ſocietate dignus videatur, *ac deinde ſacrario*, quod Subdiacono committebantur, *vel ſuggeſtu*, quem Lectores aſcendere ſolebant (nam & *τὸ βῆμα* vtrumque ſignificat, eiúſque aſcenſum Iuliano Lectori idem tribuit Orat. 3.) *ac poſteà ſedis principatu*, id eſt, aliquo ex hierarchicis ordinibus. Annuit Paulinus Nolanus, qui ſe cùm Lector creatus eſſet ab officio Lectoris optaſſe decurrere ſacri miniſterij gradus ſcripſit ad Seuerum epiſt. 6. quia nempe ij ordines verè gradus erant ad maiorem aſcenſum. Fauet ſanctus Leo epiſt. 87. ad Africanos cap. 1. circa finem, ſtatuens, *ne primum, vel ſecundum vel tertium* (id eſt, Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi)

Diaconi) *in Eccleſia gradum quiſquam laicorum quibuſlibet ſuffragiis fultus aſcendat, priuſquam ad hoc meritum per legitima argumenta perueniat*: ac ſi diceret ad primum, ſecundum & tertium gradum, in quibus ſtari poteſt per legitimas & conſtitutas cæterorum ordinum probationes, tanquam diſpoſitiones quaſdam, eſſe conſcendendum. Colligitur ex Syricio, epiſtolâ primâ ad Himerium, Canone nono; Zozymo epiſtolâ primâ ad Heſichium, Canone tertio, quorum vterque poſt quædam interſtitia, ſi ſanctæ vitæ meritum adfuerit, ab vno ad alium Clericum aſcendere vſque ad Diaconatum debere præcipit, ſed vbi ad Diaconatum aliquis peruenit, hunc Zozimus non ait debere conſecrari Preſbyterum, ſed poſſe *Presbyterij ſacerdotium promereri*. Siricius autem ex Diaconatu, qui dignus iudicatus fuerit, *non immerito Preſbyterio vel Epiſcopatu ſacrandum* pronuntiat: quod vterque de Preſbyteratu pari ratione ſentit; prior quidem verbis mox allatis, poſterior autem illis, quibus Preſbyterum bene meritum, & ſufficienti tempore probatum, ſi exactior ad bonos mores vita perduxerit, Epiſcopatum non aſſequi, ſed ſperare debere dixit. Quibus certè locutionibus indicant inferiores Ordines gradus tantùm eſſe ad Diaconatum, Preſbyteratum & Epiſcopatum; ad eos verò iri demonſtrant, vt & in iis ſiſtatur, niſi Eccleſiæ vtilitas expoſcat, vt à Diaconatu quis ad Preſbyteratum, à Preſbyteratu ad Epiſcopatum ſublimetur. Atque hinc eſt quòd tot ſanctos viros in Diaconij, Preſbyterij & Epiſcopatus munere obiiſſe legamus, & toto vitæ tempore ad ſenium vſque perſtitiſſe, quod de aliis non ita frequenter legimus.

Sexta petitur prę ertim ex integro titulo de officio Archidiaconi libro primo, & ſexto Decretalium, in quo iudicandi, viſitandi, corrigendi, officiales conſtituendi poteſtas Archidiacono (quem ſufficit eſſe Diaconum, imò qui non poterat olim eſſe niſi tantùm Diaconus) vendicatur: tótque prærogatiuæ conceduntur, vt deiici ſe non promoueri interdum crederent, qui ex hoc gradu ad Preſbyteratum promouerentur, vt patet ex querimonia Æ tij Archidiaconi Conſtantinopolitani apud ſanctum Leonem epiſtolâ quinquageſimâ ſextâ ad Iulianum Coenſem, quinquageſimâ ſeptimâ ad Martianum, quinquageſimâ octauâ ad Pulcheriam; & Honorati Archidiaconi Salonitani apud ſanctum Gregorium lib. 1. epiſt. 10. ad Honoratum, & 20. ad Natalem Epiſcopum lib. 2. indict. 10. epiſt. 14. ad Natalem, 15. ad vniuerſos Epiſcopos Dalmatiæ, 26. ad Antonium Subdiaconum.

§. VLTIMVS.

Plures aliæ Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum prærogatiuæ.

SEPTIMA ratio ſumitur ex variis aliis prærogatiuis Epiſcoporum, Preſbyterorum, & Diaconorum ſupra cæteros inferiores Ordines, vt quod ſoli Diaconicum ſeu ſacrarium ingrederentur, ex Concilio Laodiceno Can. 19. & Theodoreto lib. 3. hiſt. cap. 17. quem etiam morem habuit Eccleſia Gallicana, ex Synodo Agathenſi Can. 69. quo argumento Dionyſius epiſtolâ ad Demophylum, vt infrà videbimus, Monachorum, quòd ſancta ſanctorum non ingrediantur, ordinem ἱερατικὸν non eſſe, nec ad populum docendum atque illuſtrandum vim & auctoritatem habere defendit. Item quòd ſoli iſti ordines apud Græcos intra ſanctuarium ante altare conferantur, reliqui extra Sanctuarium, quo ritu ſignificari videtur eos ſolum tres prædictos ordines in Eccleſia ſacrum gerere principatum. Quod etiam in ordinatione ſignificant Latini, apud quos ſoli Epiſcopi, Presbyteri ac Diaconi, manuum impoſitione ſacrantur: quo ritu ſanctus Bonauentura in quartum, diſtinct. 24. quæſt. 2. art. 2. & art. 2. quæſt. 1. eximiæ, excellentis, & vniuerſalis poteſtatis collationem ſignificari teſtatur, quandoquidem manus ſit organum organorum, & inſtrumentum vniuerſaliſſimum ad omnes effectus. Prætere quod olim nonniſi ex Presbyterorum vel Diaconorum ordine Epiſcopi eligi permitterentur, Can. finali, diſtinct. 60. quòd Subdiaconi & inferiorum ordinum Clerici Diaconis oppoſiti, *inſacrati miniſtri* dicantur ab Agathenſi Concilio, Canone citato: quod eâ ratione dictum interpretor, quia ad hierarchicas actiones minimè cónſecrati erant, ſicut Diaconi, & ſuperiorum ordinum Clerici. Quòd eorum ordinum vt pote ad Eccleſiæ gubernationem magis neceſſariorum Scriptura ſacra

mentionem fecerit, cæteros verò omninò ſiluerit. Denique quòd Chorepiſcopis Subdiaconos & cæteros inferioris gradus Clericos ordinare liceret, non item Diaconos ex Concilij Ancyrani Can. 12. Antiocheni Can. 10. Nicolai epiſt. ad Radulphum Bituricenſem, & aliis.

ARTICVLVS IV.

OBIECTIONES CONTRARIÆ SOLVVNTVR.

LIQVIDÒ conſtat ex iis omnibus, non gratis nos, neque perperàm aut ſine fundamento Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum ordines præ cæteris inferioribus hierarchicos eſſe dicendos cenſuiſſe, quod non ex noſtra mente, ſed ſecuti Bellarminum & Arcudium, quorum auctoritatem contemptu ſoluit Cellotius (poſſemus item & Creſolium, alióſque Ieſuitas doctiſſimos, & ex aliis ordinibus plùrimos reddére) docuimus: Cellotio tamen reprehendiſſe hoc ſatis fuit, qui cùm in iis rebus hoſpes ſit, nullum niſi ignorantiæ ſuæ argumentum proponit lib. 1. cap. 2. interrogationibus quibuſdam nos pungens, vt quo ſenſu eos ordines hierarchicos potiùs quàm alios dicamus, à nobis exponatur, quibus abundè ſatisfactum eſſe credo, ſi modò hæc legere voluerit.

Verùm quoniam aliis in ea ſcientia longè peritioribus ſatisfacere oportet, ideò quaſdam alias obiectiones, quæ contra noſtram ſententiam proponi poſſunt, ſubminiſtrabimus, eáſque diluemus. Obiici enim poſſunt aduerſus prædictam diuiſionem in gratiam Subdiaconatus & minorum Ordinum.

Primum auctoritas Trid. Synodi, quæ ſeſſ. 18. de ſacram. Ordinis, Can. 6. hierarchiam diuinâ ordinatione inſtitutam aduerſus impugnantes hanc ſtatuit, *quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & miniſtris*: atqui miniſtri etiam ſunt Subdiaconi, & reliqui inferioris gradus Clerici. Igitur ij pariter ad hierarchiam ſpectare debent.

Alterum expreſſiùs Synodi Dioceſanæ Carnotenſis anno 1526. quæ tonſuram Clericalem aditum ad hierarchiam Eccleſiaſticam conſtituere videtur; titulo ſiquidem de ſacramento Ordinis hæc habet, *Cùm ſecundum Patrum ſanctiones, qui volunt in ſortem Domini Eccleſiaſticæ hierarchiæ adſcribi, vt primùm tonſuram Clericalem accipiant à ſuo Epiſcopo eam petere debeant, &c.*

Tertium S. Auguſtini, qui lib. 1. de moribus Eccleſiæ Catholicæ cap. 33. non ſolùm Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos, ſed & alios Sacramentorum miniſtros populis Chriſtianis præeſſe ſignificat, iis verbis. *Quàm enim multos Epiſcopos optimos viros ſanctiſſimóſque cognoui, quam multos Presbyteros, quam multos Diaconos & huiuſmodi miniſtros diuinorum ſacramentorum, quorum virtus eo mihi mirabilior, & maiore prædicatione dignior videtur, quò difficilius eſt eam in multiplici hominum genere & in iſta vita turbulentiore ſeruare: non enim ſanatis magis, quam ſanandis hominibus præſunt.*

Quartum, quia ordines omnes perſonatum vel ſunt initiantium, qui propriè ſunt hierarchici, vel initiandorum, qui impropriè tantùm dicuntur hierarchici, quòd hierarchicis ſubſint ordinibus: atqui Subdiaconi & cæterorum inferiorum ordinum Clerici non ſunt inter initiandos conſtituendi, nam ex Dionyſio cap. 5 & 6. Eccleſ. hier. & aliis ſuperiùs cit. initiandorum ordinum primus eſt ſanctiſſimorum Monachorum: ſecundus plebis fidelis, infimus immundorum: ergo debent Subdiaconi, & cæteri inferioris gradus miniſtri inter hierarchizantes ſtatui, ac proinde eorum ordines ſunt verè ac propriè hierarchici.

Quintum, quia ex Theophylacto in cap. 19. Lucæ ſuperiùs cit. tot ſunt ordines hierarchici, quot ſunt actiones hierarchicæ, & vnaquæque actio hierarchica ordini hierarchico reſpondet: atque adeò ordo iſte erit hierarchicus, cui vna ex iſtis actionibus hierarchicis, putà vel perfectio, vel illuminatio, vel purgatio conueniet: atqui inferioribus Diaconatu ordinibus purgatio ſaltem conuenit; nam, vt ait S. Thomas quæſt. 37. Supplementi, art. 2. in corpore, *Solis Epiſcopis conuenit perficere: illuminare autem Presbyteris, purgare autem miniſtris omnibus*, & in reſponſ. ad 1. *ſed tertius* (ſupple ordo) *habet vnam*,

Digitized by Google

& functionibus, ſcilicet purgare: ipſe ſcilicet Diaconus, qui miniſter dicitur; & ſub hoc omnes inferiores ordines comprehenduntur. Ad quod etiam explicandum iuuat quod tanquam ex aliorum ſententia profert ibidem ſanctus Thomas in corpore, *Quia Oſtiarius purgat exteriùs ſegregando bonos à malis etiam corporaliter: interiùs verò Acolytus, quia per lumen quod portat, ſignificat ſe interiores tenebras pellere, & vtroque modo Exorciſta, quia Diabolum, quem expellit, vtroque modo perturbat: ſed illuminatio quæ fit per doctrinam, quantum ad doctrinam propheticam fit per Lectores, quantum ad Apoſtolicam fit per Subdiaconos, ſicut quantum ad Euangelicam per Diaconos fit.* Ad ſingula iſta ſigillatim reſpondendum eſt.

Ad primum, Tridentinam Synodum determinare tantùm voluiſſe, quod ab hæreticis impugnabatur, eſſe nempe in Eccleſia Dei ex diuina ordinatione Epiſcopos, Preſbyteros, & aliquos miniſtros, ad regendum populum ſpecialiter conſecratos, nec ἀναρχίαν iſtam quam inducunt Nouatores noſtri, qui dignitatem ſacerdotij populo ex æquo cum ſacerdotalis ordinis viris communicant, admitti poſſe ſine diuinæ inſtitutionis peruerſione. Determinare noluiſſe quod ab iis nullatenus in dubium vocabatur, ſed à Catholicis, quorum aliqui negant inferiores Diaconatu ordines à Chriſto inſtitutos, quidam ab Apoſtolis, quidam ab Eccleſia poſt Apoſtolos ſtatutos dicunt; alij vero eorum etiam auctorem Deum faciunt; aliqui verò de nomine potiùs quàm de re diſputantes ſuppoſitâ iſtorum ordinum diuinâ inſtitutione in duas tamen ſententias diuerſas abeunt, & quidam eorum hierarchicos eos eſſe affirmant, alij negant. Ad definitionem itaque Tridentinæ Synodi integram habendam, mentémque eius aſſequendam, ſufficit aliquem miniſtrorum ordinem hierarchicum dicere: non enim dixit Synodus ex omnibus miniſtris Eccleſiæ hierarchiam, ſed ex miniſtris conſtare; ad quod ſufficit quod aliquis miniſtrorum ordo ſit hierarchicus. Dici etiam poteſt prolatos indefinitè miniſtros ſumi poſſe pro Diaconis, qui quia ſunt potiſſimi miniſtri, ideò ſumpto nomine analogo pro præcipuo analogato, abſolutè & ſine addito miniſtri dicuntur Græce διάκονοι, cui voci nomen miniſtri reſpondet, quâ voce prolatâ ſimpliciter apud Ambroſium lib. 1. de Officiis cap. 5. & lib. 1. de Sacramentis, capite ſecundo, Iſidorum Hiſpalenſem lib. 2. de Officiis cap. 2. Aquiſgranenſe Concilium primum Can. 7. & alios paſſim ſcriptores Diaconus intelligitur.

Ad ſecundum dicendum eſt Synodum Carnotenſem (cui & alij Doctores conſentiunt) dum aditum ad hierarchiam Clericalem Tonſuram eſſe inſinuat, nihil aliud velle, quàm eam neceſſariam eſſe diſpoſitionem ad ordines hierarchicos, non quidem diſpoſitionem duntaxat, vt ij dignè recipiantur, vel exerceantur, ſed prætereà vt legitimè & recipi & exerceri poſſint, pietas quidem, ſanctitas, ſcientia, neceſſariæ ſunt diſpoſitiones, vt quis licitè poſſit ad ordines ſuperiores admitti, eorúmque functiones exercere: ſed non requiruntur iſtæ conditiones niſi ratione ſubiecti, vt nempe dignus ſit aliquis functionum gradu & miniſterio: non vt legitimus ſit miniſter ab Eccleſia probatus, & ad ſuam functionem legitimâ auctoritate præditus: ſublatâ ſiquidem pietate, ſcientiâ, & ſanctitate deeſt aliquid ad dignitatem perſonæ, & dignam miniſterij executionem; nihil autem deeſt auctoritatis, & iuris ad functiones iſtas legitimè exercendas. Monachatus ſimiliter diſpoſitio eſt ad ſacram ordinationem non reſpuenda, ſed nullatenus neceſſaria: at verò Clericalis tonſura, ipſique minores Ordines diſpoſitiones ſunt, vt legitima ſit ad Diaconatum & ad Sacerdotium promotio: ſine tonſura, & minoribus Ordinibus ac Subdiaconatu, non Diaconis ius eſt integrum, non poteſtas plena, non auctoritas legitima. Nam vt de tonſura aliquid dicam, nónne verum eſt Preſbyterum, qui Clericus tonſuratus non fuerit ad Eccleſiaſtica beneficia ius minimè conſecutum exiſtimari, ex praxi Eccleſiaſticorum iudiciorum? atque ideò dixit Iſidorus apud Gratianum Can. *Sicut*, diſtinctione quadrageſimâ, *Sicut viri & mulieris digna coniunctio vnum facit matrimonium: & ſicut duorum copulatio vnum perficit corpus, ita Clericatus, & ſacerdotium vnum faciunt Presbyterum, & electio & conſecratio vnum faciunt Epiſcopum: quæ omnia vnum efficiunt corpus.* Nónne etiam verum eſt eum qui Subdiaconatu vel minori ordine prætermiſſo Diaconus vel Preſbyter ordinatus fuerit in functionibus Subdiaconatus (quas tanquam Preſbyter & Diaconus eminentiùs

continet) exercendis minùs iuris & poteſtatis habere, quod ad eas ſpecialiter per ſingularem conſecrationem deſtinatus non fuerit? atque adeò nec legitimum miniſtrum ſuperiorum ordinum, quos recepit ab Eccleſia iudicari, nec ipſi eorum exercitium permitti, donec prætermiſſos ordines quantocyùs recipiat, vt de eo, qui Subdiaconatus ordine prætermiſſo Diaconus ac Presbyter ordinatus fuerat, expreſsè ſtatuitur, Canone *Sollicitudo*, diſtinctione quinquageſimâ ſecundâ?

Ad tertium dico primò non eſſe neceſſarium quod verba Auguſtini, quibus *præeſſe* Clericos dicit hominibus ſanandis ad omnes ab ipſo enumeratos referantur, ſed ſufficere quod ad aliquos ſolùm, quorum proinde virtutem ſupra Monachos extollat, referri poſſint. Neque enim dum alicuius dicti ratio redditur, opus eſt quòd ſingulæ rationis partes omnibus membris enumeratis conueniant: vnde ſicut non omnes Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, quorum ſanctitatem ibi laudat Auguſtinus in vita turbulentiore degebant, cùm ex iis etiam aliqui in Monaſteriis degerent, ita nec omnes iſti Clerici populis præerant, ſed ſoli Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi.

Secundò poſſe etiam inter præſidentium ordines, ſeu hierarchicos, miniſtros Diacono inferiores referri, tribus titulis, putà diſpoſitiuè, finaliter, & miniſterialiter atque imperfectè, ſeu priuatim non publicè, diſpoſitiuè quidem, quia ſicut in aliqua Religione Nouitij dicuntur Religioſi, quia Nouitiatus eſt diſpoſitio neceſſaria ad religioſam profeſſionem: ita & dici poſſunt Clerici inferiores, qui diſponuntur ad gradus hierarchicos, ad eóſque ex ſtatu ſuo præparantur, aliquo pacto hierarchici, & inter præſidentium ordines comparatè ad laicos referuntur, eodem modo quo primogeniti Regum in regnis, quæ ſucceſſione ad eos deferuntur, & deſignari ad imperium Cæſares, Principes dicuntur, non quòd principatum gerant, ſed quòd ad principatum ex ſuo gradu diſponantur & iam deſtinentur.

Sed & notandum eſt illas diſpoſitiones ſolere potiùs formæ nomine donari, quæ homogeneæ ſunt, quàm quæ heterogeneæ; propter hanc enim rationem rectè diſpoſitio in Philoſophicis vocatur habitus, & paſſio patibilis qualitas dicitur, licèt fortè ſpecie differant, quia tamen eiuſdem generis ſunt, & vnum eſt alterius incrementum, vnum alterius veluti ſemen, ideò quod tale diſpoſitiuè eſt, tunc temporis abſolutè tale dicitur: at vbi diuerſa generis diſpoſitio eſt, à forma non accipit nomen formæ, neque enim verbi gratiâ ob eam cauſam calor accipit nomen ignis, nec pietas & ſanctitas accipit nomen ordinis ſacri, ad quem diſponit, ſed rectiùs dignitas minor, alterius, cuius initium & inchoatio quædam eſt, nomine donari poteſt.

Secundò finaliter, iſti ordines dicuntur hierarchici, quæ ratio à priori non valdè differt: quandoquidem diſpoſitio ſit propter formam, & ideò in ratione diſpoſitionis ad eam tanquam ad finem referatur; nihilominùs quia quædam ad formam diſponunt, in quibus tamen per ſe ſiſti poteſt, ſine vlteriori relatione ad finem, ad quem ſcilicet ex ſua natura minimè tendunt: verbi gratiâ, calor diſpoſitio eſt ad ignem; & tamen per ſe calor intendi poteſt, etiam ſine relatione ad ignem, & ita eſt medium vt poſſit eſſe finis, in quo agens naturale conquieſcat, eumque intendat abſque eo quod productionem ignis appetat: ideò connexio diſpoſitionis cum fine, aliquando maior, aliquando minor: tunc verò à fine præſertim denominatur diſpoſitio, quando naturâ ſuâ ad finem tendit, nec in ea per ſe ſiſtitur: Tales autem diſpoſitiones ſunt minores ordines, & Subdiaconatus reſpectu ſuperiorum, vt in iis per ſe minimè ſiſtatur, vt ſuperiùs docuimus, ſed ad ordines hierarchicos naturâ ſuâ gradus iſti referantur; vnuſquiſque enim minoribus initiatur ordinibus, Subdiaconatu, vt vel Diaconus vel Presbyter, vel Epiſcopus fieri poſſit, & vt ait Tertullianus ſuprà citato cap. 11. de fuga, *Hoc ſentire & facere omnem ſeruum Dei oportet, etiam minoris loci, vt maioris fieri poſſit*: Eæ ſunt aſcenſiones, quas diſpoſuit ab Eccleſia Dominus. Itaque finaliter ordines iſti hierarchici ſunt, quia per ſe naturâ ſuâ ad hierarchicum ordinem referuntur. Poteſt & alio ſenſu ordo quiuis Diaconatu inferior dici finaliter hierarchicus, quia ad finem hierarchiæ ſacra Euchariſtia ex inſtitutione ſua refertur, altaris autem miniſterio, & ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramenti le-

gitimæ celebrationi omnes deſtinantur, ex ſancto Thoma Supplementi quæſt. 37. art. 2. in corpore.

Tertio, miniſterialiter Ordines minores ſimul cum Subdiaconatu hierarchici dici poſſunt, quia vt ſuperiùs explicuimus, officia eadem, quæ ab hierarchicis ordinibus attinguntur, poſſunt non hierarchicè & abſque cognitione cauſæ, ac ſine auctoritate puniendi inferiores ordines obire, quibus defunguntur hierarchici ordines, qui vi ſuâ poteſtatem aliquam in corpus Chriſti obtinent, in qua poteſtate iuriſdictio omnis Eccleſiaſtica ex prædictis radicatur; eadem, inquam, officia miniſterialiter inferiores Clerici obire poſſunt: non quidem ſinguli omnia, ſed aliqua duntaxat: nam poteſtatis integræ Diaconorum officia ſibi quodammodo partiti ſunt, Subdiaconus, Acolytus, & cæteri inferiorum ordinum Clerici, qui ideò Diaconorum miniſtri dicuntur, neque habent cognitionem cauſæ, neque iudicandi, ne quidem hîc & nunc poteſtatem, ſed ſub manu Diaconi ſunt, & in eius directione: Exorciſtæ verbi gratiâ, vt exorciſmos ſuper hunc vel illum fundant, abſque eo quòd de eius poſſeſſione à dæmone iudicium ferre debeant: Oſtiarij, vt hunc vel illum ab Eccleſia eiiciant, vel ad Eccleſiam admittant, non conceſſo eis iudicio cuiuſquam excludendi, vel admittendi, Diaconi verò licèt exequendi poteſtate præditi ſint, tamen in caſibus ſingularibus habent iudicandi auctoritatem: denique nec inferiores Diaconatu ordines ad corpus Chriſti vel ſanguinem conſecrandum vel diſpenſandum ordinantur, in qua tamen conſecratione ordinariâ quæuis poteſtas hierarchica circa populum radicatur, ac proinde quæcunque ex officio ſui muneris peragunt ſine iſta ordinatione ac conſecratione, hierarchicè cenſentur agere, ſicut nec ſecundum Cellotium, qui ad exercitium chariſmatum ab Hierarchis conſecrantur hierarchicis functionibus ſub ea ratione operam dare, ſeu hierarchicè agere cenſentur.

Materialiter autem operationes præfecturæ ſpectauit Auguſtinus, ſi fortè eas minoribus ordinibus, & Subdiaconatui attribuit, non autem formaliter quaſi purè, vt ab iis proficiſcantur, ſint hierarchicæ, cùm tantùm ſub ea ratione ſint miniſteriales.

Denique ad imperfectè hierarchizandum minorum ordinum Clerici ordinantur, qui nempe ad priuatim ſingulos fideles commonendos, adhortandos, excitandos ad pietatem, inſtruendos in fide, ius, poteſtatem & auctoritatem ab Eccleſia recipiunt, inſupérque obligationem, vt cæteris ordinibus initiandorum præluceant. Ex quorum nempe numero, & ad exemplum, & ad priuatam eruditionem, & ad Dei cultum ſpecialem ſegregati, & pro populo exemplo Leuitarum conſecrati ſunt, vt infra variis Patrum teſtimoniis confirmabitur.

Potéſtque prædicta ſolutio quarto quoque argumento applicari; nam cùm actiones eaſdem, quas exercent hierarchici ordines, ſed non eodem modo, obeant inferiores; hinc partim ad initiantium ordines ſpectant, partim ad initiandorum, partim ad ſacra adminiſtrantium, partim ad patientium claſſem referuntur. Initiantes ſunt, quia initiandi actiones, purgandi & illuminandi inferiori modo eliciunt: initiandi ſunt, quia radice poteſtatis initiandi cùm careant, non ſuâ, ſed delegatâ poteſtate videntur initiationem ſacram, ſiue ἱερουργίας, ſiue ἱερολογίας perficere: agentes ſunt, quia mouent: patientes, quia mouentur: agentes ſunt patientes, quia non mouent niſi moti, quomodo enim baculus non mouet, niſi a brachio motus, quia principio vitæ, & motus in omnem differentiam loci caret. Illúdque principium iuriſdictionis circa populum fidelem, nonniſi in ordinibus hierarchicis reperitur, ideò inferiores ordines ſi quid agunt, nonniſi ab hierarchicis ordinibus moti agunt, non propriâ virtute, ſed alienâ. Brachium verò, etſi inſtrumentum animæ poſſit, nihilominùs propriâ virtute ſibi naturaliter inditâ agere dicitur, ſed quæ qualiſcumque eſt, animæ eſt. Similiter & Diaconus, quia habet poteſtatem diſpenſandi corpus Chriſti ſibi connaturalem, quæ virtus miniſterialis, & inſtrumentalis ſacerdotis virtus eſt, ideò & inſtrumentum dicitur, ac miniſter ſacerdotis, ſed ad modum inſtrumentorum coniunctorum, quæ & ipſa viuunt, & virtutem habent ſibi ingenitam, quia ſuppoſitorum ſunt inſtrumenta, non vim tantùm extrinſecus aduenientem, qualis eſt virtus inſtrumentorum ſeparatorum, quibus inferiores Diacono ordines aſſimilantur, miniſtri miniſtrorum, & deſeruientia Diaconis inſtrumenta.

Quæ ſanè ratio explicandi hierarchicam Diaconorum virtutem oſtendit inter ordines verò hierarchicos & laicorum ſtatum, medios eſſe ordines Eccleſiaſticos miniſterialiter tantùm hierarchizantes, non hierarchicè, & auctoritatiuè operantes, qui proinde propter participationem extremorum, modò ad hierarchicos ordines reuocantur, & ſub ordine Diaconali conſtituuntur, modò verò ad initiandorum ordines reuocantur. Quod quidem inſinuat Synodus Laodicena Can. 24. τοὺς ἱερατικοὺς ἀπὸ πρεσβυτέρων ἕως διακόνων, *Miniſtros altari deſeruientes atque hierarchicos, & quodam modo ſacerdotales à Presbyteris*, vſque ad Diaconos, alios deinceps admittit, τῆς ἐκκλησιαστικῆς τάξεως, *Eccleſiaſtici ordinis*, inter quæ refert ὑπηρέτας, id eſt, Subdiaconos, Lectores, Pſaltas, Exorciſtas & Oſtiarios, Eccleſiaſtici ordinis, non tamen hierarchici, quibus τοὺς ἀσκητάς, id eſt, Monachos iiſdem ferè legibus conſtrictos adiungit, qui nec ad hierarchicum (τὸν ἱερατικὸν) nec ad Eccleſiaſticum (τὸν ἐκκλησιαστικὸν) ordinem pertineant.

Eadem item ſolutio argumento poſtremo ſatiſacit: etenim patet ex dictis, inferiores ordines Diaconatu actiones hierarchicas materialiter tantùm non formaliter attingere: purgare ſcilicet & illuminare, ſed non hierarchicè, nec purgandi vel illuminandi rationem quatenus Oſtiariis, Lectoribus, Exorciſtis, Acolytis, Subdiaconis tribuitur eſſe hierarchicam; licet eadem actio, vt ſit à Diaconis hierarchica cenſeatur, quippe quæ ab his auctoribus fiat & hierarchicis, ab illis purè miniſterialiter, quemadmodum explicuimus, tum eò loci, tum etiam alibi ſuprà, cùm de functionibus hierarchicis diſputauimus.

SECTIO III.

ERRORES CELLOTII CIRCA HIERARCHIAM, quam vocat Ordinis.

CAPVT I.

Errores eiuſdem generales circa Ordines ſacros proponuntur ac refelluntur.

ARTICVLVS I.

Error Montaniſtarum ſupra Epiſcopos aliquos in Eccleſia gradus ſtatuentium, à Cellotio renouatur.

PLVRIMA aduerſus integram ordinis hierarchiam peccat Cellotius: plurima aduerſus ſingulos aſſignatos eius ordines; ſiue hæc, ſiue illa grauiora ipſius errata recenſenda ac refellenda ſunt vt depreſſa iis erroribus tam vniuerſæ hierarchiæ, quàm ſingulorum ordinum gloria priſtino ſplendori reddatur.

Primus error aduerſus vniuerſam ordinis hierarchiam eſt, quod ſupra ipſam, eiúſque vniuerſos ordines, Epiſcopos, Preſbyteros, & Diaconos omnes, hierarchiæ chariſmatum ordines collocarit; quem errorem hauſit à Montaniſtis, de quibus ita loquitur Hieronymus epiſt. 54. ad Marcellam, *Apud nos* (Catholicos) *Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent: apud eos Epiſcopus tertius eſt. Habent enim primos de Pepuſa Phrygiæ Patriarchas, ſecundos quos appellant Cenones: atque ita in tertium, id eſt, pene vltimum locum Epiſcopi deuoluuntur: quaſi exinde ambitioſior Religio fiat: ſi quod apud nos primum eſt, apud illos nouiſſimum ſit.*

Quòd ſi hac ſe exceptione tueri conetur Cellotius, quaſi Montani ſectatores ſupra Epiſcopos, Patriarchas ſuos, & Cenonis eiuſdem hierarchiæ ordines viros poſuerit: à qua ſe opinione abeſſe reſpondeat, qui ſuperiores quidem Epiſcopis ordines aliquos poſuerit, charitatis ſcilicet Profeſſorum, id eſt, Monachorum, Theologiæ, & Canonum Doctorum, non eiuſdem cum Epiſcopis hierarchiæ, ſed diuerſæ. Frigidam ſanè & inſufficientem reſponſionem adhibebit, nec inuſtam Montaniſtis ab Hieronymo erroris notam à ſe auertet.

Primò, quia ad Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi honorem vel dedecus nullius momenti eſſe videtur, vtrùm ij, qui in Eccleſia ipſis ſunt ſuperiores ac ſublimiori gradu præcellunt, eiuſdem cum ipſis ſint hierarchiæ vel diuerſæ: imò probroſum magis ipſis eſt, quòd hierarchiam integram, ſuperiorem ſe, & ſublimiorem habeant, quàm ordines eiuſdem hierarchiæ ſuperiores agnoſcant, quandoquidem inferiores ordines in eadem hierarchia ad dignitatem ſuperioris ordinis magis quàm inferioris hierarchiæ ordines ad ſuperioris excellentiam accedant: quod in cæleſtibus hierarchiis videre eſt, in quibus maior exceſſus dignitatis inter Angelos ſublimioris hierarchiæ ſupra Angelos mediæ, vel ſupra infimæ ordines, quàm ordinum eorumdem ſpirituum inter ſe admittitur.

Quæ ratio etiam mouit Cellotium, vt æmulatus Monaſtici ordinis ſplendorem, veritúſque, ne quid de eius maieſtate deperiret, ad hierarchiam ordinis Monachos contendere voluerit, ne ſi eiuſdem hierarchiæ eſſent cum merè laicis inter ipſos, & lai-

eos non magis intereſſet quàm inter perfectos & imperfectos laicos: non arbitratus ſcilicet ſufficere, quòd diuerſi in eadem hierarchia initiandorum, Monachorum plebis fidelis, & purgandorum ordines eſſent, niſi etiam hierarchiis Monachi à fideli plebe ſecernerentur.

Ergo quantumcunque Montaniſtæ in eadem ordinis hierarchia, Epiſcopis, qui primum in Eccleſia Catholica locum tenent, quaſi ſublimiores ac præſtantiores Patriarchas ac Cenones prætulerint, non maiorem dignitati Epiſcopali iniuriam intuliſſe dicendi erunt, quàm Cellotius, dum hierarchiæ chariſmatum ſuperioris ordines omnes ordinibus Epiſcoporum, vt Epiſcopi ſunt, Presbyterorum & Diaconorum, quæ vera ſunt hierarchiæ ordinis membra prętulit.

Secundò, quia Montaniſtas eiuſdem ordinis hierarchiæ Patriarchas & Cenones, quos prę̨ferebant Epiſcopis, conſtituiſſe cum ipſis Epiſcopis non autem diuerſæ, quis Cellotio reuelauit? Quantò probabilius eſt eos, qui nec ab Epiphanio hær. 48. Cataphrygarum ſiue Montaniſtarum, nec ab Hieronymo epiſt. citatâ, nec ab aliis accuſantur, quòd Epiſcoporum officia vlla peruerterint, aut aliqua ipſis detraxerint, Patriarchas ſuos & Cenones dignitatis & excellentiæ gradu potius, quàm ordinis poteſtate prętuliſſe: ac proinde eadem omnino ratione, quâ Cellotius chariſmatum hierarchiæ membra, hierarchiæ ordinis membris omnibus Epiſcopis & cęteris prætulit, ipſum quoque Montanum Patriarchas ac Cenonas primos eſſe voluiſſe. Imò ipſum eadem omnino ſenſiſſe cum Cellotio, ac Patriarchas & Cenonas ſolâ chariſmatum & conſecrationis per vſum chariſmatum ad Deum homines adducentem, prærogatiuâ Epiſcopis prætuliſſe maximè probabile eſt, cùm legamus apud Epiphanium, & Hironymum locis citatis chariſmatum ſiue gratiarum gratuitarum dona, maximéq; Prophetiæ iactaſſe, pręſertim Montaniſtas, eóque priuilegio auctoritatem etiam fœminis in Eccleſia conceſſiſſe.

Tertiò, quia ex ipſa ſententia Cellotij, qui vt Monachis in ea hierarchia locum aperiat, hierarchiã ordinis non in conſecratione ad altaris miniſterium, ſed neque in ordine ad alios exterioribus actibus ad ſalutem promouendos, ſed interioribus actibus contemplationis pœnitentiæ pro fidelium peccatis, & precibus publicis conſtituit lib. 7. cap. 7. quam vtique conſecrationis, ſicut & illos actu exteriores interioribus paſſim præfert contemplationibus ſcilicet practicis, & paſſionem actioni: quis non ex illius doctrina conſequi animaduertat, nequidem in hierarchia ordinis Epiſcopos eſſe ſuperiores, ſed iis Monachos & Moniales debere præferri?

ARTICVLVS II.

Aliorum error mulieres in Hierarchia Ordinis collocantium, vel inter Clericos referentium, in Niceno Concilio primo damnatus, quorumdam item temeritas Monachorum ſine Eccleſiaſtica ordinatione ſibi Clericalem gradum vindicantium, à Cellotio renouatus.

ALTER Cellotij error eſt, fratres laicos, & mulieres ipſas in hierarchia ordinis habere locum. Qui error quantum ad mulieres ſpectat à Cataphrygis & Collyridianis mutuò ſumptus reprobandus eſt, quod in auctoribus ſuis ab Eccleſia à tot ſæculis damnatus ſit. Ambroſius in cap. 3. ad Timotheum. *Qui ſanctum*, inquit, *præcepit creari Epiſcopum: non vtique diſparem vult eſſe plebem, quippe cùm dicat Dominus, Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum. Ideoque etiam mulieres, quæ inferiores videntur, ſine crimine vult eſſe, vt munda ſit Eccleſia Dei: ſed Cataphrygæ erroris occaſionem captantes, propter quod poſt Diaconos mulieres alloquitur, etiam ipſas Diaconas ordinari debere vanâ præſumptione defendunt: cùm ſciant Apoſtolos ſeptem Diaconos elegiſſe, numquid nulla mulier tunc idonea inuenta eſt, cùm inter duodecim Apoſtolos ſanctas mulieres fuiſſe legamus? ſed vt hæretici animum ſuum verbis, non ſenſu legis aſſtruere videantur, Apoſtoli verbis contra ſenſum innituntur Apoſtoli, vt cùm ille mulierem in Eccleſia, in ſilentio eſſe debere præcipiat: illi è contrà etiam auctoritatem in Eccleſia vindicent miniſterij.*

Quod in Cataphrygibus reprehendit Ambroſius, ſeu quiſquis ille ſit vetus & doctus Auctor qui Ambroſij nomine legi meruit, idipſum in Cellotio redarguere poſſumus. Monachas mulieres Cellotius propriè conſecrari, ordinari, in hierarchia ordinis conſtitui ſtatuit; ordinari fœminas, aut aliquam miniſterij in Eccleſia auctoritatem habere. Ambroſius Cataphrygarum errorem, hæreſimque cenſuit; ex hoc ouo prognatus Cellotij error.

Ambroſius mulieres ex plebe inferiores vocat, ordinationis ſcilicet ex auctoritatis Eccleſiaſticæ dignitate Cellotius ordinatas, & ideò ſupra viros auctoritatem in Eccleſia habentes conſtituit, in quo ſcilicet veterum Patrum ſe vel Lectorem vel obſeruatorem ſtudioſiſſimum egregiè demonſtrauit. Epiphanius de Collyridianis loquens hæreſ. 79. ſacerdotij honorem eos mulieribus detuliſſe queritur, nec ſemel negat eas in Eccleſia Dei οὐχ ἱερατεύειν, οὐχ ἐπιχειρεῖν, *Neque ſacerdotale quippiam efficere, neque quidquam aggredi poſſe*: hoccine eſt purgandi, illuminandi, perficiendi eis poteſtatem tribuere qualem Cellotius Monialibus, verbi gratiâ, Catharinæ Senenſi pag. 944. & aliis tribuit?

Verùm vt decretorio iudicio errorem iſtum configamus, Concilij Nicæni auctoritate iugulandus eſt, qui directè Cellotianæ fictioni opponitur: nam Ieſuita Moniales, quia Religionis voto ſunt obſtrictæ, & hierarchiæ ordinis, & Clericorum numero inſerendas, *nullo modo* laicorum in claſſem referendas putat. Concilium autem Nicænum primum Diaconiſſas, quarum non eadem ſolùm, ſed maior potiórque eſt ratio quàm Monialium, quia non ſolùm ad caſtitatem ac religioſæ vitæ formam voto & profeſſione obligabantur, vt Moniales, verùm etiam ad quædam in Eccleſia officia, quæ à viris vix honeſtè exerceri poterant, ſupplenda (quæ Monialibus nequaquam ex officio committebantur) ab Hierarcha conſecrabantur: eas tamen in hierarchia ordinis locum habere, aut verè ordinatas eſſe negat Synodus Nicæna Can. 19. quas *modis omnibus inter laicos reiiciendas eſſe* affirmat.

Audiamus Cellotium præfatione lib. 7. *Monachos igitur a Clericis hierarchiæ iuriſdictionis expoſitio diuerſit, capaciorem ſinum explicat ordinis hierarchia, & ordinatiſſimâ commixtione omnes in vnum coeuntes amplectitur. Quare pugna nobis eſt non pro Thoma, vel Bonauentura, vel Vincentio ſacerdotibus, ſed pro Fratre laico Ægidio, pro Iacopono, pro ſorore Catharina, & Agnete, & Genoueſa: hos quia Religionis ſunt obſtricti votorum nuncupatione, Clericos ſuo modo, & eſſe & haberi aio, vos negatis: laicos ſimpliciter & abſolutè eſſe pernego, vos affirmatis.*

Legatur in contrarium Concilij Nicæni Canon 19. ἐμνήσθημεν δὲ τῶν διακονισσῶν τῶν ἐν τῷ σχήματι ἐξετασθεισῶν ἐπεὶ μηδὲ χειροθεσίαν τινὰ ἔχουσιν ὥστε ἐξ ἅπαντος ἐν τοῖς λαϊκοῖς αὐτὰς ἐξετάζεσθαι· *Meminimus autem de Diaconiſſis, quæ in eodem habitu eſſe probantur, quod nec ordinationem habeant, & ideò modis omnibus eas inter laicos deputari.*

Quod ſi Ludouicus noſter tam liquidæ, tam plenæ, tam certæ auctoritatis decreto contraire auſus eſt, eóſque criminari, qui à Nicæno Concilio, & ſentiendi regulam & loquendi morem traditum tenentes, Moniales laicas abſolutè ſimpliciter ἐξ ἅπαντος, vt loquitur Nicænum, vocant; quonam deinceps fræno licentia iſta vocum ſententiarúmque innouandarum poterit cohiberi? quonam aggere exundantis nouitatis impetus coerceri poterit?

Quod ad laicos vero Fratres attinet, quos ad hanc etiam hierarchiam temerè contrudit Cellotius, & Clericorum nomine donat (quam ſententiam fuſiùs refutabimus) non ſine exemplo in errorem iſtum impegit, ſed exemplo illorum Monachorum; qui non ordinati Clericalia officia aſſumebant apud Epiphanium lib. 3. Panarij in expoſitione fidei Catholicæ, num. 13. Euſtatianorum apud eundem hær. 40. & in Concilio Gangrenſi, tum in præfatione, tum Can. 5. 6. 7. & 8. Priſcillianiſtarum, quorum mentio in Cæſarauguſtano Concilio, Can. 7. aliorum item, quorum meminit ſanctus Leo epiſt. 62 ad Maximum, & 63. ad Theodoretum; item Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 3. hi omnes ſolius Monaſticæ profeſſionis & exercitationis titulo Eccleſiaſtica officia aſſumebant: vos inſuper ordinem & gradum, quod maioris vtique ſceleris eſt: nam & laicis officia Clericalia nonnunquam vel ex Eccleſiæ expreſſa vel ex tacita quadam licentia, ſeu ex continuo quodam vſu permittuntur, gradus & ordo nemini niſi initiato permittitur. Lege Philippum Abba-

Digitized by Google

tem Bonæ-vallis, *de continentia Clericorum*, cap. III. & quibuſdam ſequentibus. Huic errori refellendo ſuus proprius locus erit.

Recole duntaxat quantum Clericalis tonſuræ ſuſceptio ad ordinem ſacerdotalem & Clericalem neceſſaria ſit, ex Can. *Sicut*, diſtinct. 40. & interpretibus in eum Canonem; hæc Clericum facit, & qui eam non habet, quantumcumque ſolemni voto caſtitatis in Subdiaconum promotus, atque Deo deuotus, immò & ſacerdos conſecratus ſit, non plenè Clericus dicitur. Recole in Pontificali Romano, tit. *de Clerico faciendo*, nonniſi eius ſuſceptione Clericum dici fieri: tu verò cæcitatis & inuidiæ eos accuſas lib. 7. cap. 7. pag. 599. qui hâc tantùm conſecratione non etiam Monaſticâ Clericum fieri putant: credis Monachum Monachali profeſſione euadere Clericum? quid ergo denuò opus eſt tonſurâ Clericali? qui iam Clericus factus eſt, Clericus quomodo faciendus dicitur? quomodo laici nomine quiuis tonſurâ Clericali donandus in Pontificali dicitur? ſed figmentum iſtud tuum imò erroris monſtrum pluribus infra oppugnabitur.

ARTICVLVS TERTIVS.

Error Cellotij, nullam auctoritatem, vel præeminentiam ſupra populum hierarchiam Ordinis continere; vbi de auctoritate, quæ conuenit vi Ordinis tam hierarchici quàm non hierarchici diſputatur.

§. I.

Sententia Cellotij exponitur, & rationibus exagitatur.

TERTIVS error, quem Cellotius proprium ſibi eſſe voluit, eſt, quòd malè habeat totum Clericalem ordinem, & ordinis hierarchiam, vt ei, quà talis eſt, nullam auctoritatem attribuat, nam lib. 3. c. 16. p. 154. ita tres iſtas hierarchias chariſmatum, ordinis, & iuriſdictionis diſtinguit, *Prima*, inquit, *dat auctoritatem excellentiæ; altera ſimpliciter poteſtatem, aut, vt diuus Thomas, officium; vltima iuriſdictionem.*

Nihil moror ſanctum Thomam nullibi officium ſpecialiùs attribuere hierarchiæ ordinis, quàm iuriſdictionis: nec vnquam duas illas hierarchias diſtinxiſſe: imó ipſum D. Thomam 2. 2. quæſt. 184 art. 8. in corpore, ſtatum, ordinem & officium in Curatis & Archidiaconis ita diſtinguere, *Vt ad ſtatum pertineat, quòd ſæculares ſint: ad ordinem, quòd ſint Sacerdotes vel Diaconi; ad officium, quòd curam animarum habeant ſibi commiſſam.* Quæ verba tibi etiam, Ludouice, videntur hunc ſenſum habere lib. 9. cap. 18. pag. 138. Hæc, inquam, quia Eccleſiæ non officiunt, errata quamtumuis grauia, contradictiones innumeras tibi libenter condono.

Venio ad refutationem erroris, cuius admiſſi nomine te inſimulo. Negare certè non potes quin maiorem Monacho charitatis profeſſori, vel Doctori Canonico, aut Theologo auctoritatem in eos, quos purgant, quos illuminant, quos perficiunt, concedas, quàm Preſbytero, vel Diacono baptizanti, in eos quos baptizant; vel Preſbytero ſacrificanti in eos pro quibus ſacrificium offert. Illis enim, qui à te conſtituuntur in hierarchia chariſmatum, *auctoritatem excellentiæ* tribuis: his ne quidem iſtam concedis, ſed ſolam agendi poteſtatem, quam famulis ſuis Dominus miniſtrantibus tribueret, tu ſubditis circa Principem excubantibus, eique obſequium aliquod exhibentibus attribuis. Itáne, mi Celloti, officia Clericalis ordinis circa plebem vilia tibi ſunt? itáne flocci ea facis? vt in iis exercendis poteſtatem admittas, quæ nulli agenti deeſſe poteſt, auctoritatem, præcellentiam, præeminentiam, imò & præſidentiam quandam neges? nónne tibi tanquam è ſuperiori gradu & ſublimiori ordine, excluſâ etiam iuriſdictione agere videntur circa populos, qui vel ipſis Sacramenta diſtribuunt, vel pro ipſis ſacrificia offerunt: non præeſſe quodammodo populis tibi videntur, qui & ad Deum Legati à populis deſtinantur, & à Deo ad populos mittuntur, vt eius voluntatem aperiant Dei & hominum internuntij, per quos, vt ait ſan-

ctus Proſper lib. 1. de vita contemplatiua cap. vlt. *Deus placatur populo, populus inſtruitur Deo?* Num præpoſiti aliquâ ratione tibi videntur, qui Chriſti ſacerdotio funguntur, & acceptam cælitùs poteſtatem circa inferiores ſibi, & ſubmiſſos à Chriſto ad has functiones recipiendas populos exercent: ij nequidem auctoritatem excellentiæ habere tibi videntur, quos regali Chriſti charactere, & notâ inſigniri oportet, vt ſacerdotij Chriſti vim & operationem in cæteros cum fructu deriuent? Nónne Rex dici poſſe videtur, qui ad regnandum vnctus eſt, quamuis caſu aliquo regno exciderit? Quot regum infœlices obitus deflemus, qui priùs regno priuati, quam vitâ fuerant? eos tamen reges dicimus, in quibus nihil regium ſiue in corpore ſiue in animo fuerit præter relationem ad præcedentem conſecrationem, ad auguſtam regiæ dignitatis maieſtatem adinuentam.

Tu ſublimem ſacerdotij vnctionem, quæ animam magis quàm corpus conſignat, & indelebili notâ afficit, adeò parui facis, vt irriſoriè Preſbyteros iuriſdictionis expertes, vnctos tamen & conſecratos ad ſpiritalem principatum, *imperatores* voces? Et cùm ſanctus Gregorius lib. 4. cap. 5. in 1. Reg. cap. 10. ſcribat, *Qui in culmine ponitur, ſacramentum ſuſcipit vnctionis:* Tu depoſitâ ordinis hierarchici & ſacerdotalis reuerentiâ, in nomen Imperatoris iocatus, & ſacerdotale diuiniſſimum officium audes dicere; *Et ille veſter, qui Miſſæ ſuæ operam locat auditoris, quam magnus Imperator eſt? quia non hierarchizat actu myſticum Eccleſiæ corpus.* Et iterùm lib. 3. cap. 17. pag. 159. *Illi*, inquam, *Presbyteri, qui ad templa mane totum expectant, dum locentur ad ſacrum facientium, cui ius dicunt, cui imperant, in quo ſublimi throno reſident?*

Diſce, diſce, Celloti, diſce tandem, vt ſcias eum, qui ſacerdotio inſignitus eſt, ſpiritalem Imperatorem eſſe non deſinere, & perfectè in ſuo ordine Imperatorem eſſe, cui nihil deſit ad imperatoriam Eccleſiæ dignitatem, ſi ſubditos ſuo nomine habeat; ſi dignitatem ordinariam, & poteſtatem gerat, ſi in ſacerdotem electus & inauguratus ſit, quamuis nullam circa Chriſti corpus myſticum hierarchicam functionem actu exerceat: ſicut in ciuili regimine Imperator, Rexque denominatur, quicunque electus, conſecratus, ad regiam dignitatem ſuo nomine habendam, non alterius, populos habet, quibus imperare poſſit quandiu ſe ab omni actu continet, imperij curam nec gerens nec functionem.

Diſce Regem & Imperatorem electum, atque conſecratum, Imperatorem & Regem dici poſſe, quamuis nec populum, nec exercitium habeat: quod potiori ratione de ſacerdote conſecrato dici debet, qui poteſtatem habet indelebilem, & ſine populis, ad populorum conſecrationem ordinatur; qui iuriſdictionis expers in ſua conſecratione radicem accepit iuriſdictionis, vt ſupra probatum eſt, & ad iuriſdictionem etiam conſecratur, eſto fortè conſecratus, iuriſdictione nondum donetur.

Diſce tandem ſacerdotem, qui per vnctionem & conſecrationem ſuam Eccleſiæ Rex Princépſque conſtituitur, ſed cuius virtus ſine ſubditis, & iuriſdictione Imperfecta eſt; ex eo quòd iuriſdictionis nomine alterius exercendæ poteſtatem obtineat, ad Vice-regis non Regis officium ſublimari; cúmque Eccleſiaſtici Principis dignitatem ſine populis & iuriſdictione, habitu non actu conſequi; Officium verò atque Principatus perfectionem actu nanciſci, cùm ſubditos proprios habuerit, cùm iuriſdictionem ſortitus fuerit, & proprij Epiſcopi, vel Parochi officio alligatus, ſui ordinis ac muneris non ſolùm receperit poteſtatem: verùm etiam obligationem contraxerit.

Diſce denique ob eminentiam & ſublimitatem gradus Clericalis, ob deſtinationem ad Clericatum nomine populi factam, pro quo ſcilicet inſtar Leuiticæ tribus Deo conſecratur, ob regiam notam per ſacramentum ordinationis ſacerdotalis ordinis viris impreſſam, ob aſſimilationem eorum cum Deo, & approximationem ad ipſum maiorem: ob poteſtatem circa corpus Chriſti, quam ordinis hierarchici propiorem, non hierarchici remotiorem habent: in qua poteſtas circa populum radicatur ex prædictis, ob iuriſdictionem voluntariam, quæ in omni functione ſacra Epiſcopi, Preſbyteri & Diaconi, vt infrà docebimus, reperitur; ob inaugurationem & conſecrationem, quæ maieſtatem dignam imperio confert, & ſacrum aliquem principatum in ordinarionibus hierarchicis infert, diſpoſitionem verò ad eundem in non hierarchicis inducit; ob has, inquam, omnes rationes non ſolùm Epiſcopos, Preſ-

byteros & Diaconos : verùm etiam inferiorum ordinum & graduum Clericos προεδρίας ſeu ſuperioris dignitatem, honorem, aúctoritatem quandam & præſidentiam ac præfecturam ſupra populos etiam excluſâ iuriſdictione, habere dici poſſe.

§. II.

Veneratio & auctoritas Clericis debita à Patribus aſſeritur vel ipſo ordinationis & Clericatus titulo.

HOc doctrinæ hierarchicæ principium à me doceri ſi renuis, at Patres Doctores huius veritatis non reſpuis, Origenes homil. 7. in Hieremiam, *Nos*, inquit, *qui putamur aliquid eſſe, qui in Clericatus vobis ordine præſidemus. In tantum vt quidam de minori gradu ad hunc locum cupiant peruenire, noſſe debetis non ſtatim in eo nos eſſe ſaluandos, quia Clerici ſumus. Multi enim & Presbyteri pereunt, & laici beatiſſimi reperiuntur: ſed ſi ordinem Clericatus, & mereamur pariter, & habeamus. Quia igitur ſunt quidam Clerici non ita viuentes, vt & ipſi ex ordine capiant fructum, & ornamento ſuæ ſint dignitati.*

Expende ſingula & Clericarum gradum ſuperiorem laicali ordine agnoſces, ac dignitatem, & honorem, non ſolùm poteſtatem: eámque demum dignitatem, in qua qui conſtitutus eſt, ratione ſui ordinis toti populo præſidere videatur. Idem ſiue Origenes, ſiue Cyprianus, lib. de ſingularitare Clericorum, Clericos omnes alloquens, *Contemplamini*, inquit, *quid ſit populo ſancto præeſſe, & conſiderate, quale ſit diuinis ſacramentis inſiſtere. Alteris placere debent, qui alteris viuunt, & talis conuenit cura ſinceritatis ſacratis, qualia ſunt ſacrata ipſa, quibus exhibent obſequia ſeruitutis, ne circa Dominum offendant ipſi quod tractant, aut circa populum incipiant impedire quod prædican.* Legis Clericos populo ſancto præeſſe, diuinis ſacramentis inſiſtere, aliis viuere, aliorum inſtructioni vacare, ſacra adminiſtrare: quibus proinde non offendiculo ſed exemplo, & gratiæ eſſe debeant; ſeruitutem ergo Clericalem ſummam eſſe dignitatem, quam qui habet præeſſe dici poſſit, ex iis verbis facilè coniicies.

Sed audi quomodo ipſi duces ex ſuo ſtatu Principéſque vocentur. *Non eſt*, ait, *quod vobis in hac perſuaſione deceptoria blandiamini, vt quia ſpirituales eſtis, velitis inter flagitioſorum armenta verſari, nec vos inhabiles pro Clericatus dignitate; quia maiores maioribus conſueuerunt conflictiones occurrere. Acriùs diuitibus quàm pauperibus inuidetur, & non inopes, ſed locupletes infeſtat infeſtatio ſæua latronum. Plus duces & Principes, quam milites ab hoſtibus appetuntur in pugna*: Et paulò poſt etiam Eccleſiæ Senatores eos vocat; *Sic igitur ambulate, ſic agite, vt ſemper in Clericis Eccleſiæ Senatus candidus conſtet.* Eccleſiæ Senatum Presbyteros eſſe ſupra ex Ignatio demonſtraui; liceat etiam mihi aliud agenti, vtrique adiungere Hieronymum in cap. 3. Eſaiæ dicentem: *Et nos habemus in Eccleſia Senatum Presbyterorum.*

Atque ex eo collige Presbyteros iſtos, quos tu tanquam Miſſæ ſuæ operam locantes irrides, & Imperatores magnos ſcurriliter appellas, Chriſti Imperatoris magni vicarios eſſe, Eccleſiæ Senatores, Conſiliarios Epiſcopi ex ſuo ſtatu, ad hoc ſcilicet ordinatos, ad hoc inauguratos fuiſſe, quantumcumque nec populum fortaſſis habeant, nec actuali iuriſdictione donentur, nec eorum conſilio Eccleſia indigeat, nec expoſcat. Denique addit idem Auctor adhortans Clericos, *Seueritas*, inquit, *in vobis circa fœminas vigeat, auctoritas polleat, vigor teneatur, grauitas veneretur.* In Clericis ſcilicet omnibus ſicut in conuictu ſeueritatem, ita in conditione vigorem, auctoritatem, venerationem admittit; quæ tu omnia excludis, ſolam eis ab ordine poteſtatem, ſolum officium ipſis concedi propugnans, auctoritatem verò ab eis non ſolùm iuriſdictionis, verùm etiam excellentiæ ablegans.

Liceat tantillum ad huius conſecutionis explicationem excurrere, videndumque quid auctoritatis excellentiæ nomine, quam hierarchiæ chariſmatum tribuit, ordini denegat Cellotius, intelligere voluerit, vt eâ explicatione venerationem toti ordini Clericali ipſum ademiſſe intelligas, lib. 3. cap. 7. pag. 139. *Auctoritas*, inquit, *duplex, altera cum imperio & iuriſdictione coniuncta, vt in Principe ciuitatis, qui ius publicum facit, & leges ſcribit, in quo ſuprema in omnes auctoritas reſidet. Altera non ex iuriſdictione, ſed ex quadam excellentia profecta, qualis virorum grauium & ſapientium, quorum*

reſponſa

reſponſa pro oraculis facta pro exemplis ſic habemus, vt ea tamen nullam parendi neceſſitatem inducant. Libri verò noui cap. 4. pag. 771. Regularium ordine cum Seraphicis comparato hæc pronuntiat, *Ipſum etiam auctoritate* ad Deum adducere: *non illa quæ coniunctam habet iuriſdictionem, ſed quæ ſublimi quadam maieſtate eminet, quæ à virtute orta, veneratione potiùs quàm imperio ſocios dignitate pares, pietate inferiores coercet, & inuitat, quam ſapientibus deberi diximus, & non ſine probabilitate Seraphinis ſupra Angelos alios poſſumus aſſignare.*

Agedum, Celloti, Monachorum ordinem Clericis præfer, ſit ille tibi, ſapientiâ, ſanctitate, prudentiâ venerabilis: iis omnibus deſtitutus Clericalis ordo deſpicabilis videatur; vilis ille tibi, nullúſque apud populum auctoritatis ſit; plus apud te laicorum, vel Monachorum ſacris minimè initiatorum reſponſa poſſint: quam totius Clericalis ordinis & ordinatorum ſacerdotum, quos legis diuinæ cuſtodes Aggæus & Malachias capite 2. Prophetiarum ſuarum eſſe aſſeuerant. Prudentia, ſapientia, ſcientia, quæ ad conciliandam fidem plurimùm poſſunt (nam de ſanctitate vobiſcum ſacerdotes contendere piaculum ducis) Monachorum ordini magis quàm Clericorum agnatæ ſint natiuæ dotes: illius potiùs quàm huius ordines tibi videantur. Quæ omnia quamuis execrandum totius Cleri contemptum ac faſtum præſumptuoſi Monachi immodicum præferant, nec ſine horrore dici vel audiri poſſint, ea tamen omnia tibi condono, quæ in homines peccas, at non erubeſcis in Deum hæc conuitia iacere, & in Chriſtum eius, vt nempe Clericalem ſeu Sacerdotalem ordinem, excluſâ iuriſdictione, non eminere ſublimi auctoritate putes, quæ à ſanctitate ordinis orta, à gradus excellentia, à configuratione cum Chriſto, eiúſque charactere, à participatione eius virtutis, ac præcellentiſſimæ poteſtatis, à conſecrationis & benedictionis ineffabili dignitate non admirationem ſolùm excitat, non fidem, ſed obſequium, reuerentiam, & ſubiectionem quandam expoſcit.

An neſcis ſolere etiam in Republica ad obſequium, reuerentiam, ſubmiſſionem homines magis perſonæ alicuius ſtatus & conditionis dignitate, quàm pietate & ſanctitate alterius inflecti? exempli causâ æquam eſſe eam, quæ apud homines vigere ſolet, Principis reuerentiam, vt apud populum auctoritatem aliquam habeant, qui in comitatu eius ſunt, qui ex eius domo, qui inſignia aliqua, & ornamenta ab ipſo acceperunt; qui eiuſdem cum ipſo ſunt equeſtris, ſeu militaris ordinis, qui dignitate aliquâ militari vel iuridicâ præcellunt, quamuis in eos ex populo, quibus venerationi ſunt, nihil vi, nihil coercitione poſſint. An ignoras eum ſemper ordinem in quauis bene inſtituta Republica conſtitutum eſſe, vt inferiores ſtatu & conditione iis aſſurgant, loco cedant, obſequium deferant: doctioribus autem, ſapientioribus, melioribus ſimiliter aſſurgere, vel honoris ac reuerentiæ eadem officia exhibere minimè teneantur. Atque ideò Clericalis ordinis viris potiùs, quàm Monachis obſequi monentibus, inſeruire rogantibus, non iraſci obiurgantibus populi debent, potiùs quàm Monachis, quantumlibet piis iuxta illud Hieronymi epiſtolâ ad Heliodorum, *Mihi ante Preſbyterum ſedere non licet*: & innumeras Patrum ſententias, quæ ſacerdotibus obtemperandum & Clericis aſſerunt.

Eáque cauſa eſt, ob quam paſſim non ſolùm Epiſcopi & Preſbyteri, verùm etiam reliqui Clerici *reuerendi, reuerendiſſimi*, & *venerabiles* dicantur. Sic enim ego Nouellâ quintâ de Monachis in præfatione Monachi ſine elogio nominantur Epiſcopi *ſanctiſſimi*, Clerici *reuerendiſſimi* dicuntur: in epilogo Nouellæ octauæ, *Deo amabiles Metropolitæ, reuerendiſſimi Epiſcopi, & Clerici* nuncupantur. Titulus Nouellæ 126. eſt *de ſanctiſſimis Epiſcopis, & Deo amabilibus, & reuerendiſſimis Clericis & monachis.* Capite verò primò eiuſdem Nouellæ *ſanctiſſimi Epiſcopi & Preſbyteri*, Diaconi, Subdiaconi, Lectores, & omnes alij *venerandi Collegij* dicuntur, qui ſcilicet in Clerum allecti quoquomodo fuerint. Capite decimo octauo *reuerendiſſimi* Clerici dicuntur, vigeſimo *reuerendiſſimi* item Preſbyteri & Diaconi: paſſim tum eadem Nouella, tum alibi Clerici hoc elogio exornantur, Monachi nunquam. In actis Epheſini & Chalcedonenſis Concilij Clerici paſſim eodem honorifico nomine inſigniuntur. Chryſoſtomus non ſolùm Epiſcopos, quod ſemper ferè facit, ſed & Preſbyteros, imò & Diaconos hoc vel ſimili epitheto afficit, nam v.g. epiſt. 26. τὸν τιμιώτατον, *reuerendiſſimum ſeu venerabilem*, Preſbyterum appellat, ſexageſimâ ſecundâ τιμιώτατον καὶ εὐλαβέστατον,

reuerendiſſimum & religioſiſſimum: ſexageſimâ ſeptimâ Theodotum Diaconum, iis verbis affatur, quæ honorificentiſſima ſunt, *κύριέ μου τιμιώτατε ϗ εὐλαβέστατε, reuerendiſſime ac religioſiſſime mi Domine.* Sidonius Apollinaris epiſt. 2. libri tertij: Conſtantium Preſbyterum *religione venerabilem*: epiſtolâ quintâ libri ſexti, *venerabilem Dominum* nominat: eámque denominationem ex Clericali ordine prouenire egregiè confirmat, libro quarto, epiſtolâ quartâ de Fauſtino loquens, *Sed prouectu ætatis ex militiâ Clericali, cum eſſet amabilis priùs, cœpit modò eſſe venerabilis*; & reuerentiam maximè propriam ordini Clericali demonſtrat libri quinti epiſtolâ ſeptimâ, *Hi ſunt qui inuident tunicatis otia, ſtipendia paludatis & reuerentiam Clericis, originem nobilibus conceſſum prioribus.* Corippus ſimilem loquendi rationem ſecutus eſt lib. 3.

Hinc Leuitarum venerabilis ordo canentum.

Cætera infinita prope huius rei teſtimonia prætermitto, quæ miror Cellotio ignota eſſe, vel ſi hæc nouit, adeò immemorem ipſorum fuiſſe, vt auctoritatem ex veneratione profectam Clericis detraheret, & Monachis ſeu charitatis Profeſſoribus iuris Canonici, Theologiæ Doctoribus attribueret. Nolo vberiorem iſtam diſputandi ſegetem attingere, de honore, & reuerentia ſacris hominibus debita: quam ex incogitantiâ, ni fallor, præcipiti, contentionis ſtudio abreptus Clericis, quo titulo ordinati ſunt, aduerſarius abrogauit. Notior eſt obſeruantia Clericis debita, quàm vt probari debeat.

§. III.

Venerationis & auctoritatis Clericorum aliquæ rationes proferuntur.

OPPORTVNVS tamen hîc admonendi locus, Clericos ideò paſſim tum legibus ciuilibus, tum Patrum ſententiis *reuerendiſſimos* dici, vt diſcamus eorum etiam excluſâ iuriſdictione, tantam ex ordinatione debere eſſe reuerentiam, vt quemadmodum Lege 18. & 19. Cod. *de ſacroſanctis Eccleſiis*, Leg. 33. 37. Cod. *de Epiſcopis & Clericis*, & alibi paſſim, *venerabiles domus* dicuntur, quæ Deo dicatæ ſunt, & ad diuinum cultum diſtinctæ: ita Clerici venerabiles & reuerendi dicantur, quòd & Deo dicati ſint (quod Monachis competit) & ad publicum Dei cultum, ſeu diuinum miniſterium (quod Monachis non conuenit) conſecrati, Deiq; vice nobis loquantur: quod nec Monachis eo præciſè titulo, quo Monachi ſunt, tribui poteſt. Has reuerentiæ Clericis debitæ cauſas agnouit Conſtantinus Imperator apud Euſebium, nam lib. 1. de eius vitâ cap. 35. τοὺς Θεοῦ λειτουργούς, *omnes Dei miniſtros*, cultus obſeruantiâ complexus dicitur, & non tanquam vulgares homines, ſed τῷ αὐτῷ Θεῷ καθιερωμένους, *Deo ſuo conſecratos*, & lib. 3. cap. 22. διὰ τοῦτο πατέρας ἢ ϗ μᾶλλον προφήτας Θεοῦ, *vt Patres quippe, imò & Dei Prophetas*, omninò honorificè reueritus fuiſſe. Vt Patres quidem, quia per diuini verbi prædicationem, & ſacramenta, quæ ſunt vitæ ſpiritalis ſemina, ſpiritales in lucem parturigines edunt: vt Prophetas verò, quia Dei oracula nobis & voluntates reuelant.

Sufficerent itaque iſtæ rationes, vt Clerici venerabiles & reuerendi dicerentur, dici tamen inſuper *reuerendos*, addo, quòd iis cęteri ex laicali ordine maxime obſtricti ſunt, à quibus ſcilicet diuiniſſima beneficia recipiunt: quemadmodum enim Patribus præſertim & patronis iure ciuili ob recepta ab iis beneficia reuerentia debetur, lege apud Celſum, *§. aduerſus, ff. de doli exceptione.* Ita propter eandem rationem, quia laici toti Clericali ordini maximè ſunt obligati, à quo maxima ad ſalutem media recipiunt, veneratione maximâ Clericos proſequi debent, & iure illi reuerendiſſimorum elogio inſigniuntur, habéntque in laicos auctoritatem non tantùm excellentiæ, verùm etiam beneficentiæ.

Fruſtrà verò à ſacerdotibus cæteriſque Clericis maximè in ordinibus hierarchicis conſtitutis iuriſdictionem præſcindis, & auctoritatem coercitiuam: quæ cùm in corpore toto hierarchico reſideat, in toto Clero, in omnes ex eodem ordine etiam iuriſdictionis expertes diffunditur. *Epiſcopatus* ſiquidem Cypriano lib. de vnit. Eccleſiæ, *vnus eſt*, ſacerdotium vnum eſt, Clericorum collegium vnum. Nec extra vnitatẽ cæterorum Epiſcoporum, nec extra vnitatem & concordiam ſacerdotum, nec extra hierarchiæ integrum corpus, Epiſcopus vllus, Preſbyter, Diaconus, aut alius miniſter ſuo legitimè fungitur officio, quamuis vnus ſit, qui manũ imponat, Epiſcopus, à toto tamen Epiſcoporũ collegio

Digitized by Google

quodammodo probari opus eſt, cuius vnitati cohęret, is cui manus ad ordinationẽ imponitur, in cuius rei ſignum & Preſbyteri cum Epiſcopo Preſbyterum ordinante manus ſimul imponunt, & Epiſcopi cum Epiſcopo Antiſtitem conſecrante. Vnus eſt Preſbyter qui conſecrat, ſed idem ſacrificium offerunt diſperſi toto orbe Preſbyteri, atque in ſacra Liturgia ſacerdos dicit, *Memento, Domine, famulorum tuorum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, in typo vnitatis*, inquit Auguſtinus, lib. 3. de Baptiſmo, & capite decimo ſeptimo, *Petro Dominus dedit poteſtatem, vt id ſolueretur in terris quod ille ſoluiſſet.* Addit & illam vniratem vnam columbam dici, & qui per accipitrem baptizatur, validè tamen baptizari, quòd per ipſius columbæ miniſterium baptizetur. & capite ſequenti: *Pax*, inquit, *Eccleſiæ dimittit peccata, & ab Eccleſiæ pace alienatio tenet peccata.* Item, *Petra enim tenet, petra dimittit: columba tenet, columba dimittit, vnitas tenet, vnitas dimittit.*

Myſteria iſta non capis, familiari itaque exemplo compellabo: quid enim, ſi alicui Patrifamilias operam ſuam famulus locat, nunquid & fratres & cognatos, & conſanguineos eiuſdem reueretur, ipſiſque tanquam aliquam auctoritatem habentibus, in quibuſdam, ſaltem leuioribus parere æquum ac religioſum putat. Tu verò, qui ſub auctoritate & iuriſdictione Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum aliquorum es, non cæteros eiuſdem ordinis Fratres, ac veluti collegas venerationi habendos putabis? Non aliqua eorum apud te erit auctoritas, quæ te ſolâ reuerentiâ tantorum nominum, eáque agnatione ſpiritali commoneat? irreligioſus es, ſi non te iis moueri ac flecti ſentis.

§. IV.

Expreſsiora pro præſenti veritate Patrum teſtimonia proferuntur.

SED nimiùm diu in quæſtione adeò facili ac perſpicuâ hæremus. Alia Patrum commemorabo dicta, in quibus vi ordinarionis ſolius, auctoritatem quandam magiſterij ac dignitatem, quæ non multum ab auctoritate iuriſdictionis recedat, Clericis præſertim in hierarchicis ordinibus conſtitutis attribuunt. Gregorius Nyſſenus Oratione in Baptiſmum Chriſti diſertè id tradit, & eleganter explicat iis verbis, ἡ αὐτὴ δὲ τοῦ λόγου δύναμις, καὶ τὸν ἱερέα ποιεῖ σεμνὸν, καὶ τίμιον τῇ καινότητι τῆς εὐλογίας τῆς πρὸς τοὺς πολλοὺς κοινότητος χωριζόμενον. χθὲς γὰρ καὶ πρώην εἷς ὑπάρχων τῶν πολλῶν καὶ τοῦ δήμου ἀθρόον ἀποδείκνυται καθηγεμὼν, πρόεδρος, διδάσκαλος εὐσεβείας, μυστηρίων λανθανόντων μυσταγωγός· *Eadem item verbi vis etiam ſacerdotem auguſtum & honorandum facit, nouitate benedictionis à communitate vulgi ſegregatum cum heri, ac tempore ſuperiori, vnus è multitudine ac plebe eſſet, repente redditur Præceptor, Præſes, Doctor pietatis, myſteriorum latentium Præſul.* Baſilius in cap. 3. Iſaiæ in hæc verba, *& ſeniorem*, Preſbyterum ordinatum dicit, *qui præſidentiâ Cathedræ dignus cenſetur, iamque adſcriptus eſt ordini Preſbyteratus, qui talis eſt Presbyter, aut circumfert characterem Presbyterij*· ὁ τῆς προεδρίας ἀξιωθεὶς, καὶ ἐγκαταλεγεὶς τῷ πρεσβυτερίῳ, οὗτος πρεσβύτερος ἢ ὁ φέρων τὸν χαρακτῆρα τοῦ πρεσβυτέρου. Quibus diuerſis verbis ordinationem deſcribit, eámque ſignificat, per quam proinde Cathedræ præſidentiam obtineri non obſcurè inſinuat, Ambroſius, ſeu quiſquis Ambroſij nomine peruetuſtus, eique σύγχρονος in epiſtolas S. Pauli commentaria ſcripſit erudita in caput 4. prioris ad Timotheum, ordinationem videtur crediidiſſe, niſi ad docendum poteſtatem (ſaltem incompletam daret) eáque duo poteſtatem in Chriſti corpus verum, & myſticum tanquam indiuiduo nexu connexa proponit: *Ad hoc enim*, inquit, *creatur dux populo, vt huius ſalutis ſollicitudinem geras admonendo, docendo, vt fructum habeat ordinatio, quem ad hoc Deus vtique conſtituit, vt proficiat ſaluti plebis ſuæ*, &c. Paulò pòſt, *Prophetia eſt, quâ eligitur quaſi Doctor futurus idoneus: Manus verò impoſitiones, verba ſunt myſtica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens auctoritatem teſte conſcientiâ ſuâ, vt audeat vice Domini ſacrificium Deo offerre.*

Auctor Operis imperfecti in Mathęum, quòd vulgò nomine Chryſoſtomi laudatur homiliâ quadrageſimâ. *Quis eſt prior filius? populus: prior enim populus creatus: deinde ſacerdotes qui regunt populum*: Et paulò pòſt, *Sacerdotes autem magis videntur obedientiam promittere Deo: præcipuè per hoc ipſum, quod ſpecialiter in Dei miniſterio con-*

ſtituuntur. Nam qui Doctor populi conſtituitur, &c. Item *ſic ſacerdos & omnis Clericus etſi ſpecialiter non promittat, tamen per hoc ipſum quod Doctor conſtituitur aliorum*, &c. Ex mente itaque Auctoris iſtius & ſacerdos ordinatur propter populum, & eo ipſo quo in miniſterio conſtituitur radicaliter ſaltem Doctor populi conſtituitur. Quæ ipſius creatio eum obſtringit, vt forma populi fiat ex animo, cui & exemplis & doctrinâ præluceat, obligatio verò populo imponitur, vt eidem & auſcultet attentiùs, & acquieſcat gratiùs, & obſequatur ſollicitiùs, & honoris reuerentiam religioſiùs exhibeat.

Quàm ſæpè, quàm candidè in eam ſententiam locutus eſt Hieronymus, ad quam ſcilicet plura ipſius loca à nobis ſuperiùs citata non obliquè alludunt, ſed rectà collimant: ad eam iſta quoque tendunt.

Primùm ex epiſtola nona ad Saluinam, *Pro officio ſacerdotij, omnes Chriſtianos filiorum loco diligimus, & profectus eorum noſtra eſt gloria.* Hæc ſuo nomine Hieronymus ſcripſit, & ad ignotam ſcripſit Preſbyter Hieronymus, ſed ſine iuriſdictione, qui nec ſe Eccleſiæ adſcribi paſſus eſt quam regeret, nec propter humilitatem, vt teſtatus eſt Epiphanius epiſt. 60. inter Hieronymianas, *debita nomini ſuo exercere ſacrificia auſus eſt, & laborare in ea parte miniſterij, quæ Chriſtianorum præcipua ſalus eſt.* Ille ipſe tamen Hieronymus quia ſacerdotij in ordinatione dignitatem obtinuerat, patrem ſe fidelis populi audet dicere: auctoritatem ſibi in admonendis Chriſtianis vendicat, *officium* hoc eſſe *ſacerdotij* iactat: hanc ſacerdotis curam omnes Chriſtianos complecti aſſeuerat: nec ab ea ſe Monachi immunes iactent, Nam idem Hieronymus epiſt. ſequenti ad Furiam, ea verba non ſine bile effundit, quæ aduerſariis rectè congruunt, qui auctoritatem excellentiæ Monachatui tribuunt, quam ſacerdotali ordini adimunt, qui ſacerdotium in iuriſdictionis expertibus ab omni auctoritate & principatu eximunt, ſolam poteſtatem eis relinquentes dignitatis ſuæ & auctoritatis vacuam: *Quaſi verò*, vt ait Hieronymus, *& ipſi aliud ſint quàm Monachi: & non quicquid in Monachos dicetur, redundet in Clericos, qui Patres ſunt Monachorum detrimentum pecoris, Paſtoris ignominia eſt, ſicut è regione illius Monachi vita laudanda eſt, qui venerationi habet ſacerdotes Chriſti, & non detrahit gradui, per quem factus eſt Chriſtianus.* Corollaria eorum verborum potes facilè colligere, ſi velis, primum Monaſtici ſtatus prærogatiuas Clericis meliori iure conuenire.

Alterum Clericos Monachorum Patres eſſe. Tertium nec ad hanc paternam auctoritatem Clericorum in Monachos requiri iuriſdictionem: Huic auctoritati locum eſſe, ſtatim atque quis gradum aſſecutus eſt. Quartum iſtum gradum etiam iuriſdictionis experti venerationem & auctoritatem conciliare, propter officia & munia, quæ cum iuriſdictione coniunctus idem gradus exequitur: quia & per accidens eſt quod iuriſdictionem non habet, & idem gradus eſt in iuriſdictionis compote & experte, quia vnitas ſacerdotij facit, vt quod vnius functio eſt, vnitatis officium appelletur. Quod toties docuit aduerſus Donatiſtas Auguſtinus, dum vnitati claues dari aſſerit, dum vnitati purgandi vim attribuit.

Patris auctoritatem Clericis attributam audiſti, præceptoris & magiſtri iiſdem etiam inferioris gradus Clericis iam ſi lubet audire; ab eodem poteris lib. 2. commentariorum in cap. 2. ad Titum, *Nemo eorum qui in Eccleſiis ſunt, te ſegniter agente ſic viuat, vt ſe putet eſſe meliorem: Qualis enim ædificatio erit diſcipuli, ſi te intelligat magiſtro eſſe maiorem? vnde non ſolùm Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, debent magnopere prævidere, vt cunctum populum cui præſident: verùm & inferior gradus, Exorciſtæ, Lectores, Æditui, & omnes omnino qui domui Dei inſeruiunt: quia vehementer Eccleſiam Dei deſtruit meliores laicos eſſe quàm Clericos.* Appoſitè ſanè ad noſtra principia Hieronymus, licèt ſolos Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi gradus hierarchicos populis cum iuriſdictione præſidentes ſtatuat, vniuerſos tamen cuiuſlibet inferioris gradus, atque ordinis Clericos magiſtrorum auctoritatem habere in populos aſſerit, quia & populis ad benè agendum exemplo præire, & ad inſtruendos formari ac diſponi debent. Quin etiam idem Hieronymus libro 2. Commentariorum in caput ſecundum Michææ, Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis tanquam ducibus ac Patribus plebem in Eccleſia Dei eo ipſo titulo, quo ſolùm ad eos gradus ordinati ſunt, debere eſſe ſubiectam oſtendit iis verbis: *Duces populi, & ipſe Dominus per Prophetam: Duces*

poupuli mei neſcierunt : filij ſtulti ſunt non intelligentes. Sapientes ſunt, vt faciant mala : ſed quia neſcierunt me, & opere vocabulum deſtruxerunt : propterea filij ſtulti ſunt, & non intelligentes, prudentiam ob hoc tantùm habent, vt ſubiciant ſibi ſimplicem gregem, & proterant pedibus ſuis : bene autem facere & regere populum neſcierunt. Nolite credere in ducibus, non in Epiſcopo, non in Presbytero, non in Diacono, non in qualibet hominum dignitate. Non hoc dico quòd iſtiuſmodi gradibus in Eccleſia non debeatis eſſe ſubiecti : quicunque enim maledixerit Patri aut matri, morte morietur. Et Apoſtolus docet præpoſitis in Eccleſia obediendum, ſed quòd aliud ſit honorare duces, aliud ſpem habere in ducibus, honoremus Epiſcopum, Presbytero deferamus, aſſurgamus Diacono, & tamen non ſperemus in eis, quia alias hominis in homine vana, & certa ſpes eſt in Domino. Denique libro quarto Commentariorum in caput vigeſimum ſecundum Hieremiæ, *Quidquid*, inquit, *regiæ domui dictum eſt, intelligant Epiſcopi, ſocijque eorum Presbyteri, atque Diaconi, & omnis ordo Eccleſiaſticus, quod ſi fecerint, quæ præcepta ſunt, & inter cætera innocentem ſanguinem non fuderint, ſcandalizantes minimos quoſque, & percutiendi conſcientias ſingulorum obtineant traditam ſibi à Domino dignitatem. Sin autem facere noluerint, atque contempſerint, ipſi redigunt Eccleſiam Dei in ſolitudinem, ingrediantur autem de genere Dauid per portas Hieruſalem, & ſedeant ſuper thronum eius, qui interpretatur fortis manu, & aſcendant currus & equos, quando refrænant, & ſuas & populi perturbationes, & compoſito in Eccleſiam ingrediuntur gradu.*

In quo vltimo teſtimonio tria hæc obſeruare conuenit : 1. quoſlibet Eccleſiaſtici ordinis viros etiam infra Diaconos, quibus certum eſt nullam nec olim, nec iam ordinariam coercitiuæ iuriſdictionis poteſtatem attributam eſſe, regiæ tamen dignitatis participes depingi, ratione ſcilicet ſuæ ordinationis, & modò à nobis ſuperiùs explicato : ſecundum percutiendi conſcientiam ſingulorum habere dici poteſtatem, quia ipſis quoque ius conuenit priuatim ſaltem admonendi, & adhortandi legitima poteſtas, ex eo quòd ſint Clerici, quibus etiam exemplo prælucendi laicis obligatio incumbit. Tertium iiſdem & ſuas & populorum perturbationes refrænandi auctoritatem quandam conuenire ob eandem rationem.

Auguſtinus ſuperiùs citato capite trigeſimo tertio libri primi de moribus Eccleſiæ Catholicæ aſſerit non ſolùm Epiſcopos, Preſbyteros, & Diaconos, verùm etiam alios inferioris gradus miniſtros ſanandis magis quàm ſanatis hominibus præeſſe.

Paulinus Nolanus quamuis ſe in ſacerdotium ſine certâ ſede ſine Eccleſia, cui addiceretur, conſecratum teſtatur epiſtolâ ſextâ ad Seuerum, idque ſe refugiſſe ſtudio vitæ priuatæ oſtendat, ac proinde iuriſdictionis expertem, & officij Paſtoralis ſignificet : tamen eo ipſo quo ſacerdos creatus eſſet Paſtoribus ſe adcenſitum teſtatur epiſt. 23. ad Amandum, quâ nempè nuntiat ſe inuitum ſacerdotem creatum, & opem eius ac Delphini Burdegalenſis ſibi ratione vnitatis Eccleſiaſticæ debitam expoſcit, quo in ſtatu ſe ipſe putaret, iis verbis deſcribit : *Igitur quia facti ſumus de hoſtibus ciues, de longinquis proximi, de ouibus Paſtores, & poſiti ſumus in fundamento Apoſtolorum & Prophetarum*, &c. Concilium Aruernenſe Canone decimo tertio, ad quam dignitatem & excellentiam ſublimentur Clerici per ordinationem ſuam oſtendit, dum ait : *Cùm Presbyteri atque Diaconi ſublimi dignitatis apice prorogantur, actibus omnino renuntient ſæculi, & quiſquis ille eſt Presbyter atque Diaconus diuino munere benedictione perceptâ*, &c. Denique ne innumera alia proferamus, Clericos omnes etiam præeſſe quodammodo populis auctoritate Toletani octaui Concilij, & Iſidori Hiſpalenſis; quem ſequuntur ferè cæteri rituum Eccleſiaſticorum ſcriptores conficio : Concilium quidem Toletanum octauum Can. 8. de omnibus ordinatis loquens, *Abſurdum ſiquidem eſt eos qui cæteris ſimpliciores & laicos habent docere*, (in quibus Codicibus deeſt *ac*) *ad alicuius ordinis promereri ſtatum.* Iſidorus verò Hiſpalenſis epiſtolâ ad Ludifredum Clericos in ſingulis officiis præeſſe, ſed Epiſcopum præordinatorem iis præferri docet iis verbis, *Et dum præſit vnuſquiſque in ſingulis, ipſe tamen eſt præordinator in cunctis.* Idem quoque libro ſecundo de officiis capite quarto, Clericos per tonſuram ad regnum & ſacerdotium deſtinari teſtatur : *Quod verò*, inquit, *detonſo capite ſuperiùs inferiùs circuli corona relinquitur, ſacerdotium regnúmque Eccleſiæ in eis exiſtimo figurari. Tiara enim apud veteres conſtituebatur in capite ſacerdo-*

tum , hæc ex byſſo confecta rotunda erat , quaſi ſphæra media : & hoc ſignificatur in parte capitis tonſa. Coronæ autem latitudo aureus eſt circulus , qui regum capita cingit. Vtrumque itaque ſignum exprimitur in capite Clericorum , vt impleatur etiam quadam corporis ſimilitudine , quod ſcriptum eſt , Petro docente , vos eſtis genus electum , regale ſacerdotium.

§. V.

Ex ritu conſecrationis Clerici & Monachi huic auctoritas deeſſe, illi conuenire demonſtratur.

NON itaque quod ex Iſidoro Hiſpalenſi protulimus, ſolius Iſidori teſtimonium neque eorum tantùm , qui Iſidori exſcripſerunt ſententiam , cuiuſmodi ſunt Concilij Aquiſgranenſis Patres ſub Ludouico Pio capite 1. Rabanus lib. 1. *de inſtitutionibus* , cap. 3. Hugo à ſancto Victore, lib. 2. *de Sacramentis*, part. 3. cap. 1. ſed totius Eccleſiæ, quæ vt Clericorum omnium auctoritati in populos ſuffragetur, eo ritu præcellentiam Clericorum, ac prærogatiuam ſuperioris cuiuſdam erga inferiores iudicari voluit, quo in Clericorum album ac Catalogum aliqui transferuntur. Vnde hoc intereſt inter Monachorum & Clericorum capillitium, quòd Monachi ex toto olim tonderentur: prout indicant ſanctus Germanus Epiſcopus Conſtantinopolitanus in theoria, vbi hæc de Monachis, τὸ δὲ κείρεσθαι τὴν κάραν ὁλοτελῶς, *Tonderi verò caput ex toto.* Saluianus Maſſilienſis lib. 8. de vero iudicio & prouidentia Dei, in fine, *Non ſine cauſa itaque iſtud fuit , quòd intra Africæ ciuitates, & maximè intra Carthaginis muros , palliatum & pallidum , & reciſis comarum fluentium iubis ad cutem tonſum videre.* Paulinus epiſt. 7. *Nec improba attonſi capitis fronte criniti , ſed caſtà informitate capillum ad cutem cæſi.* Socrates ſimiliter lib. 3. cap. 1 de Iuliano Apoſtata, ἐν χρῷ τε κειράμενος τὸν τῶν μοναχῶν ὑπεκρίνετο βίον, *Ad cutem abraſus Monachorum ſimulauit vitam.* de aliis taceo. Clerici verò , vt iam diximus, atque ex Euſebio lib. 10. hiſtoriæ cap. 4. ex ſancto Germano in eadem Theoria, Gregorio Turonenſi in vitis Patrum cap. 57. aliiſque confirmari poteſt, quorum teſtimoniorum aliquam partem agendo de tonſura Clericali protulimus, in coronæ formam attondentur. Hoc diſcrimen adhuc ſeruatur in Fratribus laicis, qui ad cutem raduntur : non in Clericis , qui Clerici ſimul & Monachi fuerunt ; illi enim nobilioris ſtatus puta Clericalis tonſuram retinent.

Illud autem in tonſura Clericali Eccleſia conſultò ſeruauit , ex eóque diuerſo ritu diuerſam vtriuſque benedictionem ac conſecrationem eſſe oſtendit. Clerici enim in modum coronæ attondentur , vt ad regnum ac ſacerdotium conſecrari videantur. Monachi verò toto capite raduntur, quòd luctus & pœnitentiæ ſignum eſt , tam in ſacra Scriptura Iob capite ſecundo ; Iſaiæ 22. Micheæ 1. quam apud prophanos auctores Herodotum lib. 1. hiſtoriæ, Lucianum de Dea Syria , & alios paſſim. Atque adeò ſignificatur Monachos ad lugendum, non ad docendum , aut regendum inſtitutos eſſe, iuxta illam Hieronymi ſententiam contra Vigilantium , *Monachus non Doctoris , ſed plangentis habet officium.*

Eáque de cauſa ſtatuit tertia Synodus Toletana cap 12. vt publicè pœnitentibus in primis Epiſcopus vel Presbyter caput tonderent , vt ſic in cinere & cilicio pœnitentiam agerent. Cùm ergo Monachorum ordo aliquid affine habeat cum Clericis, aliquid cum pœnitentibus vt iure dubitarit olim Sidonius Apollinaris lib. 4. circa perſonam Maximi, *Quod genus vitæ de tribus arripuiſſet ordinibus , Monachum ageret an Clericum pœnitentemue*: Ideò & Clericos, & Monachos & pœnitentes tonderi Eccleſia iuſſit; ſed diuerſo Clericos ritu à Monachis & pœnitentibus : Clerici enim rectorum plebis ordini inſeruntur per tonſuram Clericalem in modum coronæ: pœnitentes verò & Monachi , quia pœnitentiam profitentur , voluntariam aut coactam abraſâ cute tonderi iubentur.

Turbare hæc omnia videtur auctor nomine Hieronymi citatus à Gratiano duodecimâ quæſtione primâ, Can. *Duo ſunt.* Cuius teſtimonio , quod mihi vitio duceret, triumphat Cellotius , quaſi Monachos cum Clericis confuderit , ſic enim ipſe. *Duo ſunt genera Chriſtianorum , eſt autem vnum genus quod mancipatum diuinis officiis , & con-*

Digitized by Google

templationi & orationi, ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare conuenit, vt ſunt Clerici & Deo deuoti, videlicet Conuerſi, &c. Hi namque ſunt reges, id eſt, ſe & alios in virtutibus regentes, & ita in Deo regnum habent. Et hoc deſignat corona in capite: hanc coronam habent ab inſtitutione Romanæ Eccleſiæ in ſignum Regni, quod in Chriſto expectatur: raſio verò capitis eſt temporalium omnium depoſitio.

Nihil hîc de Clericatu Monachorum, quem ex eo tam acriter propugnat aduerſarius, quem duntaxat moneo ne dum de Monachis hîc præſertim agi contendat, eorum tonſuram cùm Clericali confundat, & vtrique regnum aſſignet, quod ſolis Clericis aſſignaui, non item Monachis.

Quid ergo eò loci Pſeudohieronymus? certè ſi dixero duas extremas viuendi rationes hîc ſolùm depingi, laicorum ſcilicet & Clericorum, nec Monachalem ordinem memorari, niſi vt particeps eſt vtriuſque continentiæ ſcilicet & aliarum virtutum ſupra vulgi captum cum Clericis, & ſubiectionis & paſſiuæ tantùm purgationis, ſeu illuminationis, vel perfectionis cum laicis; facilè ſoluetur hic nodus aduerſario inſolubilis: qui ſcilicet affirmare non poteſt Monachos in formam coronæ antiquitùs fuiſſe attonſos, cùm tam ſolidè contrarium probauerimus.

Hanc autem explicationem tanquam conſentaneam inferiùs propugnabimus. Quòd ſi etiam dixero eorum qui diuino officio & contemplationi mancipantur, duo genera ſtatui: vnum Clericorum, cui competit corona, ſuique & aliorum regendorum poteſtas: alterum Conuerſorum ſeu Monachorum, cui ſolùm conuenit raſio capitis, & regendi ſui ipſius ac cupiditatis propriæ domandæ ſollicitudo, aduerſarij pariter argumentum eludam & elidam: nec a ſenſu iſtius auctoris, quicunque ille ſit, abludere videbor. Ac proinde non vna duntaxat via ab aduerſarij, quos in hoc teſtimonio nobis ſtruxit, laqueis expeditus euadam.

§. VLTIMVS.

Teſtimonium ſancti Franciſci profertur.

QVòD ſi antiquorum Patrum teſtimonia minùs aliquem mouent, hunc moueat ſancti Franciſci egregium in ſuo teſtamento teſtimonium; hic ſpiritu Dei totus afflatus dominorum auctoritatem in ſacerdotibus etiam facinoroſis agnoſcit eo ipſo titulo quòd ſacramentum Chriſti ſuo ore conficiant, aliiſque diſtribuant, ſic enim loquitur: *Et ipſos* (ſacerdotes parochianos) *& omnes alios volo timere, amare & honorare, ſicut meos dominos, & nolo in ipſis conſiderare peccatum, quia filium Dei diſcerno in ipſis, & domini mei ſunt: hæc propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc ſæculo, de ipſo altiſſimo filio Dei, niſi ſanctiſſimum corpus & ſanguinem ſuum, quod ipſi recipiunt, & ipſi ſoli aliis miniſtrant.* Hic ſanctorum virorum & fidelium fuit ſenſus, qui in ſacerdotibus diuinam poteſtatem oculo fidei intuebantur.

Tu verò, Celloti, qui nihil niſi quod ad faſtum & exteriorem quandam gloriam faciat, intueris, non ſacerdotibus Chriſti vicariis Chriſti maieſtatem auctoritatem ipſis conciliantem conſpicis, ſed chariſmata, quæ exterius prodeant, admiraris, iis etiam naturales ſcientias, & linguarum peritiam adnumeras, quibus in tua hierarchia chariſmatum auctoritatem excellentiæ vendicas; vide vtrum hoc ſit habere ſententiam ſanctorum: vtrum ad menſuram ſanctuarij de diuinis rebus iudicium ſit. Fusè autem hunc tuum errorem, Celloti, refellimus, quia ex eius refutatione dignitas hierarchiæ ordinis omniúmque tam maiorum quàm minorum Ordinum ſplendor ac maieſtas elucet.

ARTICVLVS IV.

Error Cellotij, quòd loco pœnæ ad ſacerdotium, ſicut ad Monaſterium detrudi aliquis æquo iure poſſit.

§. I.

Criminoſos ad Monachatum promoueri poſſe, non ad ſacerdotium.

EX eodem Cleri contemptu prouenit etiam hic error, quo chartam inficit Cellotius lib. 7. cap. 6. pag. 593. ſcribens, *Lapſos & facinoroſos prioribus ſæculis, non minus ad ſacerdotium pœnæ loco, quam ad Monaſterium adactos: hac igitur ex parte nullam ſacerdotio ſupra Monachatum conciliari prærogatiuam.*

Ex hoc errore hæc corollaria conſequuntur, quæ Cleri dignitatem omninò conſpurcant. Primum æque ad Clericatum facinoroſos recipi poſſe, ac ad Monachatum: ſecundum, dignitatem maximam, quam vix præ ſublimitate appetere alicui licet pœnæ loco infligi iure poſſe. Tertium, eam dignitatem, quæ pœnitentibus ab Eccleſia denegata eſt, pœnitentiæ agendæ idoneam eſſe.

Quis autem neſciat nulli facinoroſo Clericatum patere: obſtare Apoſtolum quominus ſcelere aliquo conſtricti (& idem de aliis proportione ſeruatâ dicendum) ad Epiſcopatum (ſub quo continetur Preſbyteratus) & Diaconatum reciperentur: obſtare infinitas prope Eccleſiaſticas leges, verbi gratiâ, Apoſtolorum Can. 12. 13. 14. & aliis, Clementis primi epiſtolam ſecundam, Stephani epiſtolam primam ante finem, & aliorum veteris æui Romanorum Pontificum, quorum ſcripta dubia ſunt, ſed quæ ab Eccleſia medio æuo recepta, & probata auctoritatem habuerunt, Nicæni I. Can. 9. Carthaginenſis IV. Can. 67. & 55. Taurinatenſis Can. 7. Arauſicani I. Canonem 24. Andegauenſis Can. 5. Gerundenſis Can. 8. Syricij epiſtolam primam ad Himerium cap. 9. & ad orthodoxos epiſt. 3. Innocentij primi epiſt. 4. caput 4. epiſtolam 23. ad Synodum Toletanum cap. 5. & 6. Leonis primi epiſtolam 89. ad Africanos, Gelaſij epiſtolam 9. cap. 3. ad Epiſcopos per Lucaniam: Hormiſdæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ cap. 1. Martini epiſt. vnicâ ante medium, Gregorij lib. 3. epiſtolam 26. Ianuario Calaritano, atque innumera alia paſſim ſummorum Pontificum & Conciliorum decreta, quæ anteactæ vitæ innocentiam requiri volunt, vt nullius criminis conſcientia teneatur, aut infamiâ laboret, qui ad Clericatum aſpirat.

E contrà verò ad Monachalem vitam eos, quos criminum conſcientia pungit ſe conferre & Eccleſiæ ſemper votum fuit, & Monaſtica inſtitutio eos recipere ſemper permiſit. Gelaſius epiſt. primâ, aliis nonâ ad Epiſcopos per Brutios & Lucaniam conſtitutos capite 3. & 4 diſcrimen iſtud inter Monachatum & Clericatum oſtendit, decernens, *Vt ſi quis etiam de religioſo propoſito & diſciplinis Monaſterialibus eruditus ad Clericale munus accedat, in primis eius vita præteritis acta temporibus inquiratur, ſi nullo graui facinore probatur*, &c. Supponit enim aliquos Monaſterialibus diſciplinis inſtitutos, & religioſo propoſito ornatos, quorum vita anteacta impurior, & grauibus criminibus infecta extiterat, quos vtique hac lege à ſacra ordinatione repellit.

Illud quoque diſcrimen apertè oſtendit Taraſius Epiſcopus Conſtantinopolitanus epiſtolâ Ioanni Presbytero, & Hegumeno ſeu Monacho aut mundanarum rerum contemptori, quæ extat in fine VII. Synodi tom. 3. Conciliorum Binij part. 1. ſect. 1. iis verbis, οἶδα καὶ πόρνας, καὶ τελώνας σωθέντας διὰ μετανοίας· οὐδένα δὲ τούτων εἰς ἱερωσύνην ἀριθμηθέντα, εἰ μήπου πρὸ τοῦ βαπτίσματος τοῦτο πέπραχεν. οἶδα τινὰς μοναχοὺς, ὅτι μὲν ἐν τῷ κόσμῳ ἦσαν, πορνείᾳ συσχεθέντας, μονάσαντας δὲ, ὡς φωστῆρας ἐν τῷ κόσμῳ λάμψαντας διὰ τοῦ ἀσκητικοῦ βίου. οὐδένα δὲ εἰς ἱερωσύνην ἐπιβάντα· εἰδὶ καὶ ἀπαίσιον γεγονεν, οὐ νόμος ἐκκλησίας τοῦτο· τὴν ὁσίαν Μαρίαν πόρνην τὸ πρότερον ἴσμεν αὖθις δὲ σώφρονα, οὐ μὴν δὲ εἰς τὰς διακόνους καταλεγεῖσαν· *Noui & meretrices & publicanos per pœnitentiam: verùm nullum ex his in ſacerdotij dignitatem numeratum, niſi fortè id ante Baptiſma commiſerit.*

Noui & Monachos aliquot, cùm in mundo eſſent omni libidine conſpurcatos: cùm autem ſolitariè viuerent, tanquam faces in orbe reſplenduiſſe: nullum tamen ex his ſacerdotem ordinatum. Quòd ſi autem id ſemel atque iterùm factum eſt, non tamen confeſtim legem in Eccleſiâ præſcribit. Scimus ſanctam Mariam priùs meretricem fuiſſe, poſteà factam continentem, non tamen inter Diaconas relatam.

Imò etiam Climachus criminoſos potiùs quàm alios ad Monaſteria, vt pote magis hac exercitatione indigentes, prouocat, *de inanis vitæ fuga*, gradu primo, dum ait; *Nemo pondus multitudinémque peccatorum attendens, indignum ſe Monaſticâ profeſſione dicat, ne ſe ita decipiat, vt ſeipſum humilem exiſtimet, ſi vt fruatur voluptatibus, arduam virtutis ſemitam ingredi detrectat prætendens excuſationes in peccatis. Nam vbi putredinis plurimum eſt, ibi maxima Medicorum arte opus eſt, vt ea putredo omnis depuretur. Qui enim ſani ſunt, medicorum tabernas non adeunt. Si vocante nos terreno, & mortali rege, & in ſuum obſequium coram ſe militare nos iubente, nihil moraremur, neque occaſiones quæreremus, ſed omnibus dimiſſis, illi ſumma cum alacritate pareremus.* Criminoſos recipit ad probationem Monaſticam S. Fructuoſus in Regula, cap. 19. *Qui grauioribus culpis ſe deliquiſſe cognoſcunt, primùm eos optamus Regulæ colla ſubmittere ſub probatiſſimo Abbate, in Monaſterio deſudare, & cuncta retroacta peccata tanquam ægrotos medico Spiritali ſeniori manifeſtare, & ſicut publicè peccauerunt, publicè pœnitere, & pœnitenda vltrò non committere.* Rationem mox aſſignat, cur æquum ſit illos recipere, *Nihil prodeſt*, inquit, *ſi quis hodie ſubtractus à regni potentia excluſus, ſeriò conſtrictus hodie carceri eſt mancipatus: ita nihil obſtat, ſi hodie à carcere quis rapitur, & in regali honore conſtituitur; nullus ei ſordes carceris imputat, ſed hoc ſolum laudat, quod in eo miratur.* Sed & paulò pòſt addit: *Plerique ſunt in Monaſteria ingreſſi qui ob immanitatem ſcelerum exceſſerunt numerum, quo ſancti Canones foras Eccleſiæ agere pœnitentiam cenſuerunt, & niſi in fine vitæ communionem percipere negauerunt.*

Neque verò eos tantùm recipi approbat Baſilius reſponſione ad interrogationem decimam in Regulis fuſiùs diſputatis, verùm etiam ex Chriſti Domini verbis probat Math. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Cautelam tamen adhibet: vt facinoroſi diſtrictiùs prohibeantur, tententurque accuratè, quatenus dignoſcatur, num eos ex animo pœniteat, num conſtans habeat pœnitentiæ agendæ propoſitum: ne videlicèt ſi abſque examine reciperentur, cæteris detrimento forent, & inſtitutum Monaſticum falſis probris & nequiſſimis maledictis magnopere infamarent: nulla ex vetuſtis Monaſticis Regulis criminoſorum receptionem in ordinem Monachorum improbat. Exempla paſſim plurima in Vitis ſanctorum Patrum habemus eorum qui è teterrima vita; ad Monachatum ſuſcepti Chriſti bonus odor fuerunt, & prioris vitæ maculas ſplendore vitæ ſuperarunt.

Neque ideò Monaſticum ſtatum (quod Aurelio falsò impingit Cellotius lib. 7. c. 6. §. 1.) peccata præcedentia requirere dicimus: imò nec facinoroſos magis idoneos Monaſtico ſtatui, quàm innocuos, ſed magis eius indigos cenſemus. Nam cum Dionyſio cap. 6. Eccleſiaſticæ hierar. conuenientiſſimum eſſe credimus, vt quis *actionum ſuarum ſanctimonia expiatus ſit* πάσαις μὲν ἀποκεκαθαρμένος καθάρσεσι, & priùs expurgatus ſit, quàm Pontificis ordinis ſtatum exprimere conetur, priùs de hierarchicis traditionibus edoctus, quàm ad ſacros ritus propiùs intuendos admittatur. Et id viſum etiam conſentaneum Baſilio, loco mox citato, dum ait, οὐ μὴν οὐδὲ ἀνίπτοις ποσὶν ἐπιτρέπειν χρὴ τῆς σεμνότητος ἐπιβαίνειν τῶν διδαγμάτων, ἀλλ' ὥσπερ ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς τὸν προσελθόντα νεανίσκον ἐπηρώτησε περὶ τοῦ προτέρου βίου, καὶ μαθὼν ὅτι κατώρθωται, τὸ πρὸς τὴν τελείωσιν ἐλλεῖπον ἔτι πληρῶσαι προσέταξε, καὶ τότε ἐπέτρεψεν ἀκολουθεῖν. *Verùm neque illud tamen permitti debet, vt quiuis illotis pedibus in ſanctimoniam Domini mandatorum ingrediatur. Sed quemadmodum Dominus noſter Ieſus Chriſtus adoleſcentem illum qui ad ipſum acceſſerat, de ſuperiore eius vita percontatus eſt, cúmque rectè actam fuiſſe illam comperiſſet, quod ad perfectionem ampliùs prætereà deſiderabatur, ad illum iuſſit adiungere, quod vbi feciſſet, tum demùm ſequendi ſe ipſi poteſtatem fecit.* Criminoſi igitur non magis idonei ſunt Monaſticæ exercitationi, imò minùs idonei iis qui in ſæculari habitu innocenter, & laudabiliter egiſſe viſi ſunt, magis tamen remedio indigent per Monaſticam vitam comparando, qui maiori morbo, putà grauioribus criminibus detinentur: eò enim duriorem illis vitam agere neceſſum eſt, quò an-

teà delicatiorem & voluptatum inquinamentis fætidiorem egerint.

Aduerte igitur Monaſticæ & Clericalis vitæ differentiam. Hæc ad diuinum cultum & miniſterium inſtitutos, nonniſi caſtos, puros & integros admittit: vetus ſiquidem illa formula, etiam à paganis recepta, teſte Cicerone ſecundo de Legibus, *Ad Deos caſtè adeunto*: ſacros miniſtros puros eſſe debere probat, quod conuenientius ad veram religionem tranſtulit Iſaias cap. 52. dum ait, *Mundamini, qui fertis vaſa Domini*, tranſtulit Dauid Pſal. 23. dum ſibi ipſi interroganti, *Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius?* reſpondet, *Innocens manibus & mundo corde, &c.* tranſtulit Eccleſia, dum in ſacris clamare ſolebat Diaconis, ἁγία τοῖς ἁγίοις, *Sancta ſanctis*. Illa verò alia vita pura Monaſtica, in ſquallore pœnitentiæ in carnis mortificatione, in auſteritate exercitationis conſiſtens, nec innocentes abigit, nec nocentes repellit, quibus poſtremis aptiſſimum eſt ſatisfaciendi pro commiſſis peccatis remedium. Cùm itaque ab vnoquoque Monachalis pro pœnitentia agenda elici poſſit: ideò Monaſticam vitam, pœnitentiæ ſtatum eſſe concluſit Synodus Trullana, Can. 43. Ἐξὸν ὑπάρχει Χριστιανῷ τὸν ἀσκητικὸν ἐλέσθαι βίον, καὶ τὴν πολυτάραχον ζάλην τῶν βιωτικῶν πραγμάτων ἀποθέμενον ἐν μοναστηρίῳ εἰσιέναι, καὶ κατὰ τὸ μοναχικὸν σχῆμα ἀποκαρῆναι κἂν ἐν οἱῳδήποτε πταίσματι ἁλῷ. ὁ γὰρ σωτὴρ ἡμῶν Θεὸς ἔφη· τὸν ἐρχόμενον πρός με, οὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω. ὡς οὖν τῆς μοναχικῆς πολιτείας τὴν ἐν μετανοίᾳ ἐκλογραφούσης ἡμῖν, τῷ γνησίως ταύτῃ προστιθεμένῳ συνευδοκοῦμεν, καὶ οὐδεὶς αὐτὸν παραποδιεῖ τρόπος πρὸς τὴν τοῦ οἰκείου σκοποῦ ἀποπλήρωσιν, *Licet omni Chriſtiano vitam aſceticam eligere, & rerum ad vitam pertinentium depoſitâ tempeſtate, Monaſterium ingredi, atque inſtar Monachi tonderi, in quacumque prolapſione deprehenſus fuerit: Seruator enim noſter Deus, inquit, eum qui ad me venit, non eiiciam foras. Tanquam ergo Monachali vitæ inſtituto agendam in pœnitentia nobis vitam deſcribente, ei qui ad illud germanè ac ſincere accedit, acquieſcimus, ac fauemus, Nec vlli ei mores impedimentum afferent, quominùs proprium ſcopum adimpleat.*

§. II.

Quo ſenſu Monachi pœnitentes, aduerſus criminationes Celloty.

PRÆSTÒ eſt etiam alia ratio, ob quam Monaſticæ vitæ ſtatus dicatur pœnitentia, quia nempe humilitatis ſtatus eſt ac ſubiectionis, cui ſumma gloria in gloria calcanda, ſummus honor in honoribus & dignitatibus fugiendis acquirenda proponuntur: quæ cùm ex ſuo ſcopo τὴν ζωὴν ἑνοειδῆ *vitam vniformem* ſectetur, multiplici Clericalis functionis diuerſitate occupari non poteſt, abſque aliqua ſui imminutione, vt poſteà dicemus, quam tamen imminutionem charitate excitante patitur, vt animas Deo lucretur, atque ideò ad pœnitentiæ ſtatum humilitatis & ſubiectionis, licèt longè ſupra vulgarem vitam magis accedit: quia quibus in pœnam peccati pœnitens priuatur, iis vt Deo perfectiùs adhæreat, ipſa renuntiat: quæ quidem Clericalis ſtatus, vt pote perfectior, licèt diuerſa, & ſi in animos vulgares incidant vix cum pietate conſentientia, maiori perfectione coniungit. Hanc rationem tradit Synodus Conſtantinopolitana ſub Photio in templo ſanctorum Apoſtolorum congregata, prima ſecunda, à Græcis dicta eo Canone, quem citant Gratianus ſeptima, quæſt. 1. Can. *Hoc nequaquam*, & Iuo part. 7. c. 149. Editio verò Romana correcta fuſiorem refert, quàm apud Balſamonem habeatur, pauca hæc ex ipſa prout habentur apud Gratianum referemus, *Præcipit ſancta Synodus, vt quicumque de Pontificali dignitate ad pœnitentiæ deſcenderit locum, nequaquam iam ad Pontificatum reſurgat. Monachorum enim vita ſubiectionis habet verbum & diſcipulatus, non docendi vel præſidendi, vel paſcendi alios.* Iterùm hunc Canonem ex Græco fonte referentes citabimus: porrò in eo Canone Monachicum pœnitentiæ ſtatum dictum fuiſſe apparet, eò quòd humilitatis & ſubiectionis ſtatus eſſet.

Denique propter habitum pœnitentibus & Monachis ſimilem propter auſteritates eaſdem in Monaſteriis deuorandas, quæ in pœnitentia agentibus imponebantur, quis dubitet hoc vitæ genus ob ſimilitudinem pœnitentiæ ſtatum, & Monachos pœnitentes dici potuiſſe?

Non ego huius vocis auctor, ſed ſanctiſſimi Patres, quos reprehendas neceſſum

Digitized by Google

eſt, ſi me inter pœnitentes annumeratos fuiſſe Monachos aſſerentem redarguere volueris: hos ego inter pœnitentes à Patribus relatos dixi: ſed non eo ſenſu quo interpretaris, quaſi ſcilicet eos ad pœnitentium publicorum claſſem redigere voluerim: quos ab ipſis expreſſiſſimè diſcreui, & ſuper omnes populos fideles ſuperiori gradu ſtatui lib. 4. vindiciarum mearum, cap. 1 §. 1. pag. 376. quod agnoſcens Cellotius temerè me in contradictionem incidiſſe criminatur lib. 7. cap. 16. §. 1. pag. 583. Itaque non pœnitentes publici à me vnquam dicti ſunt Monachi, non ab Aurelio, quem exagitas lib. 7. cap. 6. cui etiam me tanquam eadem ſentientem coniungis. Dixi Monachos Hieronymum inter pœnitentes annumeraſſe, citaui verba: cur quæſo, Cellotí, quæ ego dixi Hieronymum dixiſſe, & quæ conſtat ipſum dixiſſe, vt odium mihi concilies, mauis prauo ſenſu à me intellecta obiicere, quam quo ipſe Hieronymus exponendus eſt. Hieronymus igitur epiſt. 77. ad Marcum Presbyterum Celedenſem, *In ſacco*, inquit, *& cinere volutati de Epiſcopis ſententiam ferimus, quid facit ſub tunica pœnitentis regius animus! Catenæ, ſordes, & comæ, non ſunt diadematis ſigna, ſed fletus.* adeóne ſtolidus es, vt hæc de Monachis dici neges? vel ſi de Monachis dici fateris, adeóne proteruus, vt me ſcribentem Hieronymum pœnitentibus Monachos adnumeraſſe, quaſi atrocis criminis reum poſtules?

Atenim non hæc propria Hieronymo loquendi ratio, ſed aliis paſſim Patribus communis. Saluianus lib 5 de Prouidentia, Monachos carpens, qui veſtem exuerint, non mentem, ſatis oſtendit pœnitentiæ nomen ſibi vendicaſſe, qui religioſam vitam profiterentur. *Tum præcipue illi Religioſi nouorum honorum ambitores, & poſt acceptum pœnitentiæ nomen, ampliſſimæ, ac priùs non habitæ poteſtatis emptores*, &c. *Quomodo igitur tales iſti pœnitentiam ſe egiſſe non pœnitent?* Sanctus Bernardus apertè ſe vt pote profeſſione Monachum pœnitentibus inſerit epiſt. 99. ad Ogerium, *Quamquam non ſolum temporis, ſed nec meæ profeſſionis eſt huic rei operam dare quam poſtulas, nec poſſibilitatis adimplere quod optas. Siquidem vel Monachi (quod videor) vel peccatoris (quod ſum) officium non eſt docere, ſed lugere. Indoctus quippe, quod & vere me fateor eſſe, ſi præſumat docere quod neſcit, nihil agit. Docere itaque nec indocto eſt in promptu, nec Monacho in vſu, nec pœnitenti in affectu.* In eandem ſententiam Petrus venerabilis lib. 4. epiſt. 17. ad Bernardum, Monacho vt pote pœnitenti nigras veſtes conuenientiores eſſe, iis verbis aſſerit, *Nam vt quod ſentio, fatear, viſum eſt, vt mihi videtur, magnis Patribus illis nigrum hunc, de quo agitur, colorem magis humilitati, magis pœnitentiæ, magis luctui conuenire.* Imò & in ordine Monaſtico Canonicorum Regularium (quod tamen non adeò ſtrictè ipſis conuenire exiſtimo) pœnitentiæ ſtatum agnouit Stephanus Tornacenſis epiſt. 77. in qua ſe Auguſtini Regulæ ſectatorem, *habitum pœnitentiæ*, in Eccleſia S. Euurtij Aureliæ ſuſcepiſſe affirmat. Clariùs autem & apertiùs Zonaras in Canonem 2. Synodi Conſtantinopolitanæ primæ ſecundæ citatum, ait, Μετανοίας γὰρ ὁ μοναχικὸς βίος ἐπάγγελμα, *Siquidem Monachorum vita pœnitentiæ quædam profeſſio eſt.*

§. III.

Quàm ſit diuerſa ratio pœnitentiæ in Clericis & Monachis.

QVOMODO igitur in pœnitentiæ ſtatu Clericalis cum Monaſtica vita coæquatur? Monaſtica certè vita pœnitentiæ agendæ conuenientiſſima, quia & abiectionis, & luctus profeſſio ſuſcipitur. De abiectione atque humilitate iam diximus, de luctu & planctu iam breuiter dicemus: nam Hieronymus epiſt. 61. ad Ioannem Antiochenum, *Ob id enim & ego Antiochiam & ille* (Vincentius) *Conſtantinopolim vrbes celeberrimas deſeruimus, non vt te in populis prædicantem laudaremus, ſed vt in agris, & in ſolitudine adoleſcentiæ peccata deflentes Chriſti in nos miſericordiam deflecteremus.* Chryſoſtomus homil 14. in primam ad Timotheum, ὄντως οἰκία πένθους τὰ μοναστήρια, ἔνθα σάκκος, καὶ σποδὸς, ἔνθα μόνωσις, ἔνθα γέλως οὐδεὶς οὐδὲ βιωτικῶν πραγμάτων ὄχλος, ἔνθα νηστεία, ἔνθα χαμευνία, *Vere domus luctus ſunt Monaſteria, vbi cinis atque cilicium, vbi ſolitudo, vbi riſus nullus, nullus negotiorum ſæcularium ſtrepitus, vbi ieiunia, vbi humicubationes.* Bachiarius epiſt. ad Ianuarium, *Eſt Boſor citra Iordanem in ſolitudine, quæ interpretatur*

anguſtia, id eſt, cellula Monaſterij parua vel modica. Eſt & Ramoth de ſorte Galaad, quæ interpretatur excelſa mors, vel viſio mortis; verè enim excelſa mors pœnitentia eſſe dicenda eſt, cum mortificatis membris deducatur homo ad excelſa cælorum. Arnobius in Pſalmum 106. *Quare hoc inquiunt mundi homines, quid ſibi volunt iſti Religioſi, plorare, ſedere, in vinculis, in tenebris?* Bernardus epiſt. 99. citatâ ad Ogerium, & epiſt. ad Henricum Moguntinum 323. *Monachus non habet docentis ſed plangentis officium: quippe cui oppidum carcer eſſe debet, & ſolitudo paradiſus,* & ſerm 64. in Cantica, *& ſcimus Monachi officium eſſe non docere, ſed lugere.*

Opponuntur porro apud Bernardum lugendi & docendi ſtatus, Clericorum ſcilicet & Monachorum. Vnde & argumentum deſumo, quantum Monaſticum ſtatum pœnitentia decet exterior, tantùm Clericatum, cui docendi munus incumbit, dedecere: nam pœnitentia exterior in ſolitudine præſertim exercenda, Clericalis functio in multitudine: hæc magiſterij gradum habet, & ſublimitatem profeſſionis, ac claritudinem: illa depreſſionis, ſubiectionis, & humiliationis, & ſtatus eſt, & occaſiones quærit; hæc pietatem, ad omnia vtilem: illa corporalem exercitationem amplectitur. Huius tota pulchritudo tanquam filiæ Regis ab intus; illius in exterioris pœnitentiæ fimbriis aureis ſpecies affulget. Quare Monachalis ſtatus ſanctitati pœnitentia exterior nunquam repugnare exiſtimata eſt: ſed lapſi Monachi ad publicam admiſſi ſunt pœnitentiam, ipſiſque manus ad pœnitentiam publicè impoſita fuit; nam & Baſilius reſponſione ad interrogationem octauam Regularum breuiorum, Monachos pœnitentes recipi debere ſtatuit, & ſancti Benedicti Regula cap. 44. ac Concilium Duziacenſe ſecundum, cap. 7. modum pœnitentiæ publicæ pro grauioribus criminibus infligendæ præſcribunt, & in cæteris Monaſticis Regulis plurima circa eandem pœnitentiam ſtatuuntur, paſſimque in Vitis Patrum innumera eiuſdem pœnitentiæ Monachis impoſitæ exempla occurrunt.

E contrà verò nec Clericis pœnitentia publica imponi debet, nec qui pœnitentiam publicam ſubierunt, ad Clericatum & Eccleſiaſticos ordines promoueri poſſunt. Primum ſiquidem vetant aut vetitum oſtendunt, & Diaconis, qui pœnitentiæ ſubiiciendos docent, Syricius epiſt. 1. cap. 14. Leo epiſt. 92. ad Ruſticum Narbonenſem cap. 2. Concilium Carthaginenſe quintum Canone 11. Hibernienſe ſub Leone III. Rabanus cap. 1. de pœnitentia, Pœnitentiale Romanum, & alij paſſim Auctores.

Alterum autem innumeris prope Canonibus prohibitum fuit, putà Concilij Niceni primi Can. 10. Carthaginenſis quarti Can. 68. & 64. Agathenſis Can. 43. Aurelianenſis tertij Can. 6. Epaunenſis cap. 4. Arelatenſis ſecundi Can. 25. Toletani IV. Can. 18. & 53. Toletani XIII. Can. 10. Ancyrani Canonibus 1. 2. & 3. Syricij epiſt. 1. cap. 15. Innocentij I. epiſt. 6. Agapiti Macedonio & Mauriano Epiſcopis Apuliæ, Zozimi epiſt. 1. cap. 3. Hilarij epiſt. 1. cap. 4. Gelaſij epiſtolâ quibuſdam primâ, aliis nonâ ad Epiſcopos Lucaniæ cap. 5. Hormiſdæ epiſt. 4. cap. 1. Gregorij lib. 2. Regiſtri epiſt. 25. Gregorij II. epiſt. 3. ad Clerum & plebem Turingiæ, Zachariæ epiſt. 4. ante medium, vetuſtiſſimarum quoque Synodorum in variis partibus habitarum decreto, cuius meminit Athanaſius in epiſt. ad Rufinianum poſt principium, aliiſque paſſim Eccleſiaſticis legibus.

§. IV.

Sacerdotium vel Clericatum pœnæ loco imponi non potuiſſe, ſicut Monachatum.

QVAMOBREM & Eccleſiaſticos Canones violant, & Eccleſiæ continuam praxim, imò & naturam atque inſtitutionem Clericatus peruertunt, qui pœnitentiæ loco impoſitum cuiquam Clericatum (qua de re debet eſſe quæſtio) æquè ac Monachatum affirmant. Quomodo enim Clericatus pœnitentiæ publicæ loco imponi poſſet, ſi nec pœnitentia publica cum Clericatu ſtare poſſit, nec Clericatus pœnæ loco haberi queat? pœna infligitur propter delictum, quòd pœnam acceſſit, prouocat, ac pœna dignum eſt, ideóque pœna definitur noxæ vindicta, ſeu commenſuratio fraudis, Lege *Sancimus*, Cod. *de pœnis*, & æſtimatio delicti, Lege *ſanctio*, ff. eodem: atqui nunquam dici poteſt conferri aut præcipi cuiquam vel ſuaderi

Clericatus

Clericatus propter peccatum: quomodo enim Clericatus propter peccatum præcedens conferretur, vel iuberetur, quod propter peccatum prohibetur & denegatur? quomodo vindicta peccati diceretur ea vitæ conditio, quæ & remuneratio virtutis eſſe debet & plus habet honoris quàm oneris, plus dignitatis quàm moleſtiæ? quomodo commenturari deberet Clericatus, vel ordinum ſacrorum ſuſceptio delicto, ſicut pœna peccato: cùm pœna maior maiori delicto, minor minori debeatur. E contrà verò quo quis flagitioſior eſt, eò magis indignus maiori ordine, quo peccatum leuius eſt, eò magis dignus eſt. Igitur nullâ ratione dici poteſt pœnæ loco ſacerdotium alicui iure impoſitum.

Illuſtratur tota hæc diſputatio exemplo; nam quemadmodum Gratianus, Valentinianus & Theodoſius Imperatores in infamiam Decurionatus cedere putarunt, quod quis pœnæ loco curiæ dederetur: ſic in infamiam Clericalis ordinis cedere colligimus, ſi cui vnquam pœnæ loco Clericatus datus cenſeatur: quod ergo in cauſa pari cenſuerunt Imperatores: hoc nos meliori titulo aſſerere poſſumus; hæc ſiquidem decernunt illi Lege, *Ne quis*, Codicis Iuſtinianæi de Decurionibus, & Theodoſiani Leg. 108. eodem, *Omnes itaque omnino iudices tuæ cenſuræ ſubditos admonebis, ne quis eorum exiſtimet curiæ loco ſupplicij quemquam deputandum, cùm vtique vnumquemque criminoſum non dignitas, ſed pœna debeat comitari.* Nos verò ſimili argumento concludimus, ne quis Theologorum pœnæ loco ſacerdotio dedi quemquam exiſtimet, cum pœnæ ea conditio ſit, vt deteriorem faciat conditionem eius qui punitur non meliorem: hominis autem, qui in Clericum promouetur, ex illa promotione meliorem fieri, & ex Clericatu non minimam vnicuique accreſcere dignitatem nemo inficiari poſſit.

Nec dicas parem eſſe conditionem Monachatus; nam Monachatus per ſe dignitas non eſt, nec is qui inuitè ſuſcipitur, & in pœnam imponitur, eam habet commendationem, quam habere ſolet; cùm non ad eluenda crimina, ſed ad præcauenda ſuſcipitur: atque adeò pœnæ loco imponi ſaltem ex conſilio poteſt; nec diffitebitur aduerſarius, quominus ipſe ſaltem ob præcedentia crimina conſuli poſſit, quorum tamen intuitu vnuſquiſque à Clericatu & ordinatione remoueretur; qui item poſſit Monachalis vita vt pote auſterior peccati dici vindicta: quin pro menſura criminis ea ſuaderi Monachalis conditio poſſit, quæ diſtrictiorem habet, & ſeueriorem obſeruantiam. Quare abſque errore ſummo, & contemptu Clericalis ordinis nequit ſacerdotij ea iure ſupra Monachatum quæuis prærogatiua negari.

ſ. V.

Reſpondetur exemplis à Cellotio prolatis, quibus ad ſacerdotium aliquos adductos liquet.

EXEMPLA verò quæ profert Cellotius à propoſito aliena omnino eſſe videntur: nam tyrannica quædam facta, eáque duo aut tria proponit, non Eccleſiaſticam conſuetudinem, non legem. Quid ergo ſi per vim & tyrannidem coacti ſunt aliqui inire ſacerdotium, hoc in ſacerdotij iniuriam cedet? hoc pœnæ loco aliquem addici poſſe ſacerdotio oſtendet? hoc pari iure ad ſacerdotium & ad Monaſterium inuitos aliquos detrudi poſſe monſtrabit? Quàm verum eſt iniquæ cauſæ patronum vndequaque argumenta accerſere: nec poſſe falſitatem niſi iniquitate defendi: ſimili certè argumentandi ratione, quia à Donatiſtis leguntur apud Optatum Mileuitanum lib. 2. Euchariſtia canibus obiecta, ab Arrianis calix benedictionis effuſus apud Athanaſium Apolog. 2. ab hæreticis noſtri ſæculi prophanis manibus ſacra iſta attrectata, & in deriſum expoſita, nulla erit Euchariſtiæ prærogatiua ſupra cibos communes, quin ipſa ſicut cęteri cibi, & canibus abſque ſacrilegio tradi, & manibus profanis attrectari, atque exponi queat? Reprobas, vt opinor, hanc impiam & erroneam conſecutionem, quam tamen pręſenti diſputatione imitaris: nam quia Merouęum Chilpericus, Leo IV. Imperator fratres iam Cęſares, Conſtantinus Gallum & Iulianum in Clerum attonderi malo vtique exemplo iuſſerunt, tu nullam eſſe prærogatiuam ſacerdotij contendis, quin pari iure pœnæ loco infligi poſſit, ac Monaſterij ingreſſus: imò eò temeritatis tua prorupit audacia, vt ex Concilij Tolet. VIII. Can. 7. probare coneris etiam aliquam fuiſſe Monachici ſtatus pręrogatiuam ſupra ſacerdotium, infers enim, *Poſſunt*

Digitized by Google

poſſunt igitur homines ex illorum opinione nonnunquam ad ſacerdotium cogi: ad monaſticam profeſsionem non poſſunt: non eſt ergo ex illa parte defæcacior ſacerdotij quam ſtatus monaſtici ſanctitas, quod Aurelius volebat euincere.

Ais homines facinoroſos & ſceleratos ad ſacerdotium cogi licitè poſſe, ſi hoc affirmas, apertè repugnas Toletano Canoni quem citas; ſi negas, nihil efficis: nam ex eo quòd nefario ac ſacrilego auſu contra ſacerdotij dignitatem attentatum fuerit, non concluditur minor ſacerdotij dignitas, ſicut nec ſacramentorum ſanctitatem inferiorem reddunt, quæcunque aduerſus eam ab impiis & ſceleratis attentantur.

Ais forſan poſſe viros bonos & dignos ſacerdotio, cogi ad ſacerdotium, non item ad Monachatum? Neque hoc ſi verum ſit, ad ſacerdotij diminutionem, ſed potiùs ad eius commendationem facit: nam ad Reipublicæ munera & dignitatem Reip. neceſſariam cogi poſſe bonos & induſtrios dignitati & muneri publico probroſum non eſt, ſed potiùs honorificum: nec pœnæ locum habere poteſt, ad quam ſubeundam boni viri cogantur; non enim pœna bonis, ſed malis infligitur. Ais creditum à Patribus Toletanis conſenſum nequidem extortum requiri ad ſacramenti valorem: neque hoc in eo Canone apertè video. Neque ſi eodem Canone apertè haberetur, ideo verum credendum eſſet, cuius iam contrarium ab Innocentio III. definitum ac Theologorum communi conſenſu firmatum eſt. Infers ex eo Canone Monachatus ex mente Hiſpanorum Patrum ſupra ſacerdotium prærogatiuam, idque ineptè: nam Hiſpanorum pro Monachatu etiam renitentibus impacto plura ſunt teſtimonia, quàm pro Clericatu.

Breuiter hæc omnia tibi oſtendo, quod vt præſtem, primùm opus eſt, vt tibi Concilij Toletani octaui Canonem ſeptimum, de quo nobis præſertim diſputatio eſt ex Garſiæ Layſtæ editione non multùm ab editione vulgata differente, tibi exhibeam. Ita enim loquuntur Patres. *Septimæ aſſertionis acceſſu adiit cœtum noſtrum tam inuerecunda progreſsio, quam ignobilis ac deteſtanda præſumptio, quoſdam enim aut neceſsitatum, aut metu periculorum adeptos fuiſſe nouimus Eccleſiaſticarum officia dignitatum, & quoniam cum illis hæc imponerentur, id ſibi fieri noluiſſe teſtantur. Idcircò hæc ſpernere, atque ad priſtina pertentant coniugia, moréſque redire, tam nequiter cæleſtia iura ſoluentes quam promptè ſæcularibus extant illecebris inhiantes.*

Mox verò duplici argumento id reprobant: primò, quòd collatam ab Epiſcopo poteſtatem nemo ob eius præeminentiam & dignitatem reiicere poſſit: quod vbi in laudem Epiſcopalis dignitatis quædam protulerunt ita inferunt. *Quomodo ergo quod in ſe recipit, à ſe reiicere poterit, cùm hæc à nullo altero conferri, quàm ſolis Pontificibus nouit, à quibus nec ligata ſolui, nec ſoluta poterunt ab aliquo religari: ſic enim ad Petrum Veritas ait, Quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cælo: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo. Nequaquam ergo aliquando poterit prophanari, quòd diuinâ iuſsione, ſimúlque Apoſtolicæ traditionis auctoritate ſacrum noſcitur extitiſſe.*

Alio argumento vtuntur ex perpetuitate atque indelebilitate conſecrationis ſemel collatæ eiúſque adhærentiâ & firmitate, quolibet modo perfecta fuerit, adiungentes iſta, *Verùm ſicut ſanctum chriſma collatum, & altaris honor euelli non queunt, ita quoque ſanctorum decus honorum, quod his compar habetur & ſocium, qualibet fuerit occaſione perceptum, manebit modis omnibus inconuulſum. Ad extirpandum verò radicitùs huius callidæ machinationis inutile argumentum, id ſibi rationabiliter dari nouerint in obiectu, quod ſacroſancti Baptiſmatis inappretiabile donum eſt ſemper: & ſæpe non ſolùm nolentibus; verùm etiam quòd maius eſt neſcientibus impertitur: ſed hoc à nullo penitus prophanari permittitur: Quòd ſi & hic opponitur necdum rationis capaces exiſtere, qui hoc probantur accipere, hîc omnimodo conticeſcunt, quia ſi maiores impunè non deſerunt, quod paruuli vel neſciendo vel nolendo percipiunt, quanto magis non conuenit violare, quod pro mortis aut pœnarum euadenda pernicie occultâ Dei diſpenſatione dignoſcitur obueniſſe.*

Ex quibus hanc concluſionem eliciunt, *Recedant ergo talium deſideriorum impudorati fautores, & licèt inuiti perceperint, quod non merebantur habere, libenter tamen ob cæleſte retineant præmium, quod nolendo per terrenæ conſecuti ſunt neceſsitatis euentum: vt tamen inuiti appetant bona diligere, quæ ſponte videntur deſides impugnare.*

Primùm autem non approbatur hoc Canone violenter impactum cuiquam ſacerdotium, aut renitenti ſacer ordo collatus, proindéque ex hoc Canone inferri non poteſt approbatum ab Eccleſia vnquam fuiſſe, quòd inuitus aliquis ad ſacerdotium vel

Clericatum trahatur : multò minùs ex iſto Canone inferri poteſt ab Eccleſia vnquam aut probatum aut factitatum, vt quis pœnæ loco ad ſacerdotium vel Clericatum inuitus cogeretur.

Secundò, nec iſto canone probabile eſt agi de iis, qui pœnæ loco ad ſacerdotium detruderentur à Principibus temporalibus, vel magiſtratibus ciuilibus : quia enim non ſolet lex de iis fieri, quæ rariſſimè contingunt, ideò nec de iis debet exponi, L. *ea quæ rarò*, 65. ff. *de regulis iuris*, & Leg. *antiqui*, & ibi Gloſſa, verbo *mediatatem*, ff. *ſi pars hereditatis*, cap. *ſtatutum*, & ibi Gloſſa, *de reſcriptis*, in ſexto: atqui rarò admodum cogerent ; & rariùs quidem quòd quemquam pœnæ loco ad id compellerent; illúdque ſi toto orbe rarum fuit, in Hiſpania rariſſimum, ex qua vix duo aut tria exempla, id vtcumque probent proferri poſſunt, cùm tamen eorum exempla ſi quæ forent, notiſſima extare deberent : quia vis iſtiuſmodi nunquam niſi in criminibus læſæ maieſtatis adhibita: quæ crimina ab hiſtoricis non tacentur.

Magnam partem exemplorum ex diuerſis prouinciis & ſæculis iſtius violentiæ perpetratæ protulimus lib. de ſacris electionibus parte primâ, ſectione quintâ, cap. 1. parag. 6. pag. 198. & 199. Ex iis autem exemplis conſtat quoſdam, qui timerent ſibi à Principe ad ſacerdotium ſponte confugiſſe, vel tanquam ad aſylum, ne ampliùs timerent ſupplicium, quòd ſibi ab iratis Principibus, vel inuidis, vel ſuſpicioſis inferri metuebant: vel tanquam ad quietiorem ſtatum, qui ſuſpicionem affectati imperij, vel turbarum ciendarum tolleret : quatenus ſcilicet ab iis minus deinceps timeretur : alios verò eóſque pauciſſimos à Principibus temporalibus præter fas omne violenter adactos ad Eccleſiaſticum gradum, non vt pœnam luerent alicuius criminis, ſed vt quietius agerent, & mouendi aduerſus ipſos minus opportunam occaſionem haberent ; non irrogatam itaque illis pœnam in ſacerdotij ſuſceptione, ſed adempta turbandi media, impoſitam conditionem ab omni tumultu magis abhorrentem, & innouandis rebuſpublicis minus commodam. De iis itaque tam rarò contingentibus caſibus legem Toletani Concilij VIII. quæ in delinquentes numero plures ex verbis ipſius Concilij lata videtur, intelligendam nemo probabiliter ſuſpicari poteſt, nec ab exemplis iſtis præter communem morem, vſúmque quotidianum argumentum ducere Cellotio licuit.

Tertiò, probabilius eſt intelligi ſanctionem Toletani Concilij, de iis qui vel ob penuriam ſacerdotalium virorum, & Eccleſiæ indigentiam, quam Concilium, *Euentum neceſſitatum, & terrenæ neceſſitatis euentum* appellat, vel deſiderium populi vehemens habendi aliquem in Clericum ſeu ſacerdotem, ex qua populi impreſſione periculū ordinatus incurrerit, inuiti, ordinati fuiſſent; quod frequentiſſimè ſæculis iſtis accidiſſe conſtare poteſt ex cap. citato libri noſtri de ſacris electionibus, parag. 4. de cuius rei æquitate & iniquitate diſputatum eodem capite, parag. 7. ſed quòd inuiti aliqui ad ſacerdotium, vel Clericatum ita aſſumerentur, non eſt ad propoſitum : nec ex eo magis probare poteſt, quòd pœnæ loco ſacerdotium alicui imponi poſſit, quàm quòd ſanguis contineatur in arteriis.

Quartò, quòd etiam ſimpliciter inuito ſacerdotium, aut Clericatus collata, valida ac rata probentur, Toletanum octauum apertè non dicit : neque verba iſta, in quibus vim facit Cellotius, quòd ſcilicet Hiſpani ſic ordinati, *cum hæc* (officia Eccleſiaſtica) *illis imponerentur, id ſibi fieri noluiſſe teſtati*, eóque prętextu, *ad priſtina coniugia, moréſque redire* pertentaſſe dicantur, intentum eius euidenter probant. Nam dici poſſet Hiſpanos iſtos in ipſa ordinatione teſtatos ſe anteà noluiſſe, ſéque nonniſi vi ad conſentiendum adactos, eámque coactam voluntatem, quæ tamen voluntas eſſet ad ordinationem ſufficientem eſſe definiri : quo ſenſu ordinari ſolitos inuitos explicat Auguſtinus epiſt. 204. Donato, dum ait, *Multi vt Epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur quæ volunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi boni operis* : vel certè dici poſſet reluctatos iſtos Hiſpanos non ordinationis ſubſtantiæ, ſed officiis & obligationibus eam conſequentibus, atque adeò quod olim in Ancyrano can. 9. Diaconis in ordinatione reclamantibus indultum eſt, vt nuptiis renuntiare minime cogerentur, id ſibi pariter indulgendum contendiſſe. Concilium autem Toletanum VIII. tanquam iniuſtam eorum petitionem refutaſſe ob allatas rationes, quæ ſi probant obligationem Clericatui adnexam inuito ab Eccleſia

imponi poſſe, probant & renitenti Monachatum poſſe imponi.

Quintò, quamuis Toletanum VIII. ratam ſimpliciter renitentis ordinationem eſſe cenſuiſſet, nobis tamen id hodierno tempore ſentire non licet: obſcuram hanc olim quæſtionem fuiſſe ex eo coniicio, quòd quidam omnino nolentes olim ordinati fuiſſe videantur. Nam refert Theodoretus in Philotheo, cap. 13. Macedonio neſcio impactam à Flauiano Antiocheno ordinationem, adeo vt cùm id ille reſciiſſet, conuitiis omnes & maledictis inceſſeret, & baculo quo nitebatur Pontificem perſequeretur: & de Salamano altero ſanctiſſimo Monacho refert, Pontificem ciuitatis, cuius erat vicus in quo ipſe morabatur, cùm viri virtutem intellexiſſet, voluiſſe illi dare donum ſacerdotij, domunculæque in qua habitabat parte perfoſſâ, manum ipſi impoſuiſſe, & peregiſſe ſolemnem precationem, gratiámque quæ ei aduenerat ſignificauiſſe, ab eo tamen nullam vnquam vocem elicere potuiſſe.

Quòd ſi hæc opinio, cuius contrarium docuit Auguſtinus lib. 4. de Baptiſmo, cap. 24. epiſt. 24. ad Bonifacium, & alibi, Patribus Toletanis viſa eſt probabilis, iam tibi vera videri non poteſt, quandoquidem ab Innocentio III. cap. *maiores*, *de Baptiſmo*, communique Theologorum & Canoniſtarum conſenſu exploſa eſt, ac proinde nec ex ea in fauorem Monachatus arguere aliquid potes, quam veram exiſtimare non debes.

Sextò, ſiue vera, ſiue falſa ſit hæc ſententia, parum ad inſtitutam diſputationem iuuat: tum quod ex ea non ſequatur, quod probandum eſt, pœnæ loco ſacerdotium alicui vel Clericatum imponi: nec firmitas conſecrationis ſacerdotalis etiam nolenti adhærentis ad eius ſanctitatem eleuandam proferri queat. Quin imò ſi id ſentiant Patres Toletani, ſcilicet vt ſimpliciter inuitus ordinetur, & ordinationi adnexam caſtitatis ordinationem etiam nolens ſuſcipiat, id ad ſanctitatem gradus iſtius pertinere putant, quem nolunt nuptiarum commixtione, & reditu ad ſæcularem vitam prophanari; tum denique quod ſi id ſenſerint Hiſpani de Clericatu, multò magis de Monachatu non ipſi ſolùm, ſed & aliarum prouinciarum Epiſcopi clarioribus verbis id ſenſiſſe dicerentur. Lege Conc. Toletanum IV. can. 48. & 54. Toletanum X. can. 6. Gregorium ep. 6. ad Auguſtinum, apud Gratianum 20. qu. 1. can. *addidiſtis*, Gregorium III. ep. 4. ad Bonifacium Aurelianenſem, quintam Synodum, can. 18. Moguntinam ſub Carolo, can. 23. Vvormatienſem can. 22. & 23. Triburienſem apud Gratianum 20. quæſt. 1. can. *quem progenitores*, Iſidorum apud eumndem ibidem can. *quicunque*, Smaragdum in expoſitione Regulæ ſancti Benedicti cap. 59. quorum teſtimonia explicuimus, lib. de ſacris electionibus ſect. 8. cap. 1. art. 2. §. 5. leges etiam Canones, quos mox proferemus, tertium, quintum & ſeptimum eiuſdem Concilij Toletani octaui, quibus ad pœnitentiam peragendam Clerici in Monaſteria detrudi præcipiuntur.

Nunquam ergo ſacerdotium cuiquam ſimpliciter impactum, rariſſimè & quidem à Principibus quibuſdam humana, non diuina ſapientibus, renitentibus ſecundum quid, illúmque ſtatum potiùs quam vel mortem vel exilium intentatum eligentibus loco pœnæ procuratum eſt, quorum ſacrilegum ſacerdotij contemptum Eccleſia nunquam probauit.

§. VI.

Eccleſiam in Monaſterium aliquos inuitos detruſiſſe.

EADEM verò Eccleſia lapſos, ſaltem ſecundum quid renitentes, in Monaſterium ſuis legibus detrudendos probauit; quorum aliquos ad tempus, alios in perpetuum ſub Monaſtica Regula diſtringi voluit: alios in Monaſterio tanquam in carcere & cuſtodia non Monachos retineri, alios verò tanquam Monachos haberi ſtatuit: quæ etiam legibus ciuilibus confirmata ſunt.

Primo quidem quoſdam non inficior in Monaſterio ſolùm tanquam in carcere & cuſtodia detentos, non ſub habitu & Regula monaſtica, neque monaſticam vitam profeſſos; quis enim putet hæreticos ad monaſticam profeſſionem vnquam ab Eccleſia receptos; ac Syricius & Innocentius primus, Cataphrygas & Manichæos, vt refert Anaſtaſius in vtriuſque vita toto vitæ tempore Monaſterij exilio damnaſſe referunt, ſed & quibuſdam damnatis ad mortem, quibus damnatio remitteretur, ad pœni-

tentiam monaſterium datum fuiſſe probat Anaſtaſius Sinaita quæſt. 131. Illos autem ſub habitu potiùs Monaſterium pro carcere habuiſſe, quàm ſub habitu monaſtico, tanquam religioſam vitam profeſſum meruiſſe nónne probabilius eſt?

Neque pariter monaſticam vitam profeſſi dici poſſunt, qui ad tempus ſolùm pœnitentiæ causâ Monaſterio traderentur, licèt ad monaſticam viuendi rationem ſeruandam cogerentur, etſi fortè ſub veſte Monachi, vt pote ſub habitu pœnitentiæ laterent; cùm enim profeſſio monaſtica perpetua eſſe debeat ac ſtabilis, ea ſaltem quæ voto alligata eſt qualis à tempore ſancti Benedicti in Eccleſia Dei præſertim viguit, ideò ad eam admiſſi dici nequeunt, qui ad tempus tantùm in Monaſterium detrudebantur.

Plurimos autem ſolùm ad tempus pœnitentiæ causâ in Monaſterium fuiſſe detruſos probant Concilium Lugdunenſe I. ſub Sigiſmundo Rege Burgundionum, can. 3. *Quòd ſi ſe Rex præcellentiſſimus ab Eccleſia vel ſacerdotum communione vltrò ſuſpenderet locum ei dantes ad ſanctæ matris gremium veniendi, ſancti Antiſtites* (quos fortè pœnitebat quod Stephano inceſti crimine polluto communicaſſent) *in monaſteria ſe abſque vlla dilatione, prout cuique fuerit opportunum, recipiant, donec pacem integram ad charitatis plenitudinem conſeruandam, ſanctorum flexus precibus, pro ſua potentia & pietate dignetur.* Hiſpalenſe ſecundum, can. 3. *Deſertorem autem Clericum, cingulo honoris, atque ordinis ſui exutum aliquo tempore monaſterio religari conuenit, ſicque poſteà in monaſterio Eccleſiaſtici ordinis reuocari. Nam non poterit in talibus peruagationis aboleri licentia niſi fuerit in eis propter correctionem diſciplinæ ſubſecuta cenſura.* Toletanum VII. can. 3. *Presbyteri autem ſiue Clerici, quibus maioris honoris locus apud eandem Eccleſiam fuerit, cuius ſacerdos obierit, ſi omni ſollicitudine pro exequiis aut iam mortui, aut continuo Antiſtitis morituri ad commonendum Epiſcopum tardi inueniuntur, aut per quancunque moleſtiam animi, id negligere comprobentur, totius anni ſpatio ad pœnitentiam in monaſteriis deputentur.*

Sanctus Gregorius lib. 11. indict. 6 epiſt. 52. Ioanni Defenſori, *Hi verò qui eum contra Dei timorem & Canonum ſtatuta condemnauerunt excommunicati in monaſterium ad agendam pœnitentiam ſex menſibus mittendi ſunt:* & paulò pòſt, *Epiſcopi verò qui eum ordinare præſumpſerunt: vel peruerſæ ipſius ordinationi præbuere conſenſum, iidem communione priuati ſex menſibus ad agendam pœnitentiam in monaſterio deputentur.* Narbonenſe Concilium, can. 5. Clericum ſuum ſeniorem increpantem, vel iniuriâ afficientem ita punit, *Vt vno anno in monaſterio ſciat abiicere ſuperbiam vnde inflatur.* Iuſtinianus Nouellâ 123. cap. 10. *Interdicimus ſanctiſſimis Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis, Subdiaconis, Lectoribus, & omnibus aliis cuiuſlibet venerandi Collegij, aut ſchematis conſtitutis, aut ad tabulas ludere aut aliis ludentibus participes eſſe, aut inſpectores fieri, aut ad quodlibet ſpectaculum ſpectandi gratiâ venire: ſi quis autem ex his in hoc deliquerit, iubemus hunc tribus annis à venerabili miniſterio prohiberi, & in monaſterium redigi.* De eadem temporanea pœnitentia in monaſterio ſubeunda loqui ſimiliter mihi videtur Concilium Toletanum quartum, can. 23. quo ſtatuitur vt pupilli & paruuli in vno omnes conclaui ſub probato ſeniore deputari, qui *traditis præceptis reſultauerint, monaſteriis deputentur, vt vagantes animi, & ſuperbi ſeueriori regula diſtringantur.* Exponendus etiam videtur Concilij Narbonenſis Canon ſextus, & alij

In perpetuum quoque ad Monaſteria plurimi ob atrocia quædam crimina, præſertim ex Clericis paſſim relegari iubentur, ſub monaſtica Regula continendi. Id ſtatuunt Concilium Agathenſe, can. 50. *Si Epiſcopus, Presbyter aut Diaconus capitale crimen commiſerit, aut chartam falſauerit, aut teſtimonium falſum dixerit, ab officij honore depoſitus, in monaſterium retrudatur, & ibi tantummodo quandiu vixerit, laicam communionem accipiat.* Epaunenſe, can 22. *Si Presbyter aut Diaconus crimen capitale commiſerit, ab officij honore depoſitus, in monaſterium retrudatur, ibi tantummodo quandiu vixerit, communione ſumendâ.* Aurelian. III. can. 7. *De adulteriis autem honoratorũ Clericorum id abſeruandũ eſt, vt ſi quis adulterium aut confeſſus fuerit vel conuictus, depoſitus ab officio, communione conceſſâ, in monaſterio toto vitæ ſuæ tempore retrudatur.* Matiſconenſe ſecundum, can. 16. *Vxor Subdiaconi, Exorciſtæ vel Acolyti mortuo illo ſecundo ſe non audeat ſociare matrimonio. Quod ſi fecerit, ſeparetur, & in cœnobiis puellarum Dei tradatur, & ibidem vſque ad exitum vitæ ſuæ permaneat.* Toletanum IV. can. 44. *Clerici qui in quacunque ſeditione arma volentes ſumpſerint, amiſſo ordinis ſui gradu in monaſterium pœnitentiæ causâ contradantur.* Toletanum VIII. can. 3. *Quòd ſi aliquis extiterit qui accuſet, ille qui hunc ordinem munerum*

fuit acceptione lucratus, & ſuſcepti honoris gradu priuetur, & in Monaſterio ſub perenni pœnitentia religetur, & quinto: *Illi verò* (ſacerdotes & miniſtri incontinentes) *ſi omnino coerceri nequiuerunt, vſque ad exitum vitæ ſuæ Monaſteriis deputati diſciplinis Monaſticis maneant omninò ſubiecti*. Item Can. 7. qui eſt de Subdiaconis: *Quòd ſi hoc vulnere fuerint deinceps ſauciati, mox erunt ſub pœnitentiæ oneribus vſque ad extremum vitæ Monaſteriis religandi*: Pelagius Conſtantino defenſori Canone, *Romanus*, diſtinct. 81. *Romanus Eccleſiæ Theanenſis Clericus pro crimine adulterij, quod commiſiſſe perhibetur, à Clericatus ordine depoſitus in vrbe Romana ad agendam pœnitentiam in Monaſterio, toto vitæ ſuæ tempore detrudatur*. Gregorius Magnus lib. 1. indict. 2. epiſt. 42. Petro Subdiacono, *De lapſis ſacerdotibus, vel quolibet ex Clero, obſeruare te volumus, vt in rebus eorum nulla contaminatione miſcearis, ſed pauperrima regularia Monaſteria require, quæ ſecundum Deum viuere ſciuntur, & in eiſdem Monaſteriis ad pœnitentiam lapſos tradit, vt res lapſorum in eodem loco proficiant, in quo agere pœnitentiam traduntur, quatenus ipſi ex rebus illorum ſubſidium habeant, qui de corruptione eorum ſollicitudinem gerunt*. Item lib. 2. indict. 11. epiſt. 27. Maririano Abbate, de Bonifacio viro clariſſimo, qui ſe iniuſtè damnatum querebatur, decernit, *Si in veſtra cognitione cuiuſquam eum facinoroſi criminis reum eſſe putauerit, non ſolùm Dominici corporis & ſanguinis excommunicatione priuatus ſit, verùm etiam in Monaſterium, vbi pœnitentiam agere debeat, retrudatur, vt criminis ſui maculas conuenienti valeat apud æternum iudicem lamentatione purgare*: nonageſimâ quartâ Theodoro Epiſcopo Lilibætano, *Paulum prætereà quemadmodum Epiſcopum in Monaſterio in quo eſt, in pœnitentia volumus permanere*. Toletanum vndecimum Concilium cap. 7. eiuſdem pœnæ meminiſſe videtur, dum pro grauioribus criminibus duo genera pœnarum ſtatuit, exilium ſcilicet & retruſionem, ſupple in Monaſterium. Zacharias Papa epiſt. 11. ad Bonifacium, eiuſdem quoque meminit haud dubiè his verbis, *Hos itaque miniſtros Satanæ, & non Chriſti vbicumque repereris chariſſime nobis aggregato Prouinciali & ſacerdotali Collegio omnino deuita, & ſacerdotali honore priuatos, ſub regula Monachica, & pœnitentia ſubmiſſos vitam finire ordinabis*.

Stephanus ſecundus in reſponſis datis à Cariſiaco villa, Brittaniaco Monaſterio, Can. 10. *Pro quo omnino abiiciendum eſt, & in Monaſterium mittendus, vt illic ſub digna pœnitentia, ſuam lugendo finiat vitam*. Et paulò pòſt, *Mulier verò illa, quam in vxorem ſacrilegus ille Presbyter accepit, ſi cognouit, quia officio Presbyteri fungebatur, & ita cum eo iuncta eſt, & illa in Monaſterio ſubmittatur*. & Can. 13. *hîc primùm omnium dignitatem, quâ illicitâ vti præſumpſit, amittens ſub diſtricta pœnitentia, & in Monaſterium mittatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ plangens, quod incongruè egit, degat vitâ Monaſticâ*.

Cabilonenſe ſecundum Can. 4. *Dictum nobis eſt Presbyteros propter ſuam negligentiam Canonicè degradatos ſæculariter gradu omiſſo viuere, & pœnitentiæ agendæ bonum negligere. Vnde ſtatuimus, vt gradu amiſſo agendæ pœnitentiæ gratiâ, in monaſterio, aut Canonico, aut regulari mittantur*.

Cętera innumera proferri poſſunt, ex quibus in mentem mihi veniunt Concilia Aquiſgranenſe Can. 175. Treſleianum Can. 14 Romanum ſub Eugenio ſecundo, & Leone quarto Can. 6. Lateranenſe œcumenicum ſub Alexandro tertio Can. 11. Lateranenſe aliud generale ſub Innocentio tertio cap. 21 Alexander tertius, cap. *Clerici, de exceſſu Prælatorum*, Innocentius tertius cap. *inter, de purgatione Canonica*, & cap. *vt famæ, de ſententia excommunicationis*, Gregorius nonus, cap. *Gaudemus, de conuerſione coniugatorum* Carolus Magnus capitularium lib. 6. Capitibus 9. & 90. & alibi.

§. VII.

Quoſdam ex iis, qui in Monaſterium pœnitentiæ cauſa detrudebantur, ad Monachatus profeſſionem fuiſſe compulſos.

DVBIVM autem eſt vtrum ij omnes qui in Monaſterium ad pœnitentiam agendam in perpetuum retrudebantur, habitum Monachalem ſuſciperent ac Monachi cenſerentur. Parum intereſt ad præſentem quæſtionem: nam certum eſt prædictis Canonibus eos ad Regulam Monaſticam ſeruandam coactos, idcóque latum intercedere diſcrimen inter Monaſticam & Clericalem vitam ſeu Regulam: nam vi-

tâ Clericali indignus cenſetur, & à miniſteriis, ac functionibus ſacerdotij, à Regula ordinéque ſacerdotali, à catalogo omni Cleri arcetur; qui peccatum commiſerit pœnitentia dignum: è contra verò ad Regulam obſeruandam, vitámque Monaſticam agendam retruditur, qui tale peccatum admiſerit: vt pro pœna ſit Monaſtica vita, atque exercitatio, ſiue hæc ex voto ſuſcepta ſit, ſiue ex Eccleſiæ lege: remunerationis autem ac præmij duntaxat loco Clericalis vita ac profeſſio data ſit, nunquam in pœnam Eccleſiæ iudicio dari poſſe exiſtimata.

Nec Auctor ſuperiùs citato loco loquitur de Monachatu, ſed de Monaſterio, atque non minùs pœnæ loco lapſos & facinoroſos ad ſacerdotium quàm *ad monaſterium* adactos: atque adeò parum refert, an qui pœnæ loco ad Monaſterium adigebatur Monachus extiterit, an minimè extiterit, quandoquidem comparatio inter Monaſterium & Sacerdotium: & vtrumque eodem iure pœnæ loco, hoc ad miniſtrandum, illud ad habitandum imponi potuiſſe contra Eccleſiæ ſenſum exiſtimat.

Quo etiam Clericatus contemptu & Monaſtici ſtatus temeraria præſumptione inflatus ſatiùs ducit Auctor Eccleſiaſtici honoris & decoris amantiſſimus, lib. 7. cap. 12. §. 6. pag. 639. vt expulſorum Regularium ſacerdotum è Monaſteriis infamiâ Eccleſia laboret, quam ſi vel minimum diſpendium Monaſteria patiantur, cùm è contrà monaſteria Clericorum facinoroſorum receptacula forent, vt intra priuatos ipſorum parietes Eccleſiæ dedecora concluderentur, nec, vt eius vtar verbis, impietas & Apoſtaſia in luſtris triumpharet & ganeis. Sed hac de re agemus ſi expedire viſum nobis fuerit, ſuſceptam de Religioſorum priuilegiis defenſionem attingere.

Hic ſolùm adiungo probabile etiam eſſe plures ex iis qui in Monaſteria ad perpetuam pœnitentiam retrudebantur, præſertim ſi Clerici forent, Monachos factos fuiſſe, eoſque Eccleſiam Monachos fieri voluiſſe, non autem, vt loquitur Cellotius lib. 7. cap. 6. §. 3. *Sine veſte Monaſtica, ſine Regula, ſine votis juſſe*, ad Monaſteria, *tanquam ad triremes & metalla damnatos.*

Primò enim Toletanum octauum Can. 5. citato, eos *Monaſticis diſciplinis ſubiectos eſſe* decernit, Can. 3. & 7. *Monaſteriis religantur*, id eſt, addicuntur & adſtringuntur: hoc autem de Monachis dicitur; Toletanum vndecimum ſub *Regula Monaſticos ſubmiſſos* ad finem vitæ permanere debere ſtatuit, & hoc ipſum Monacho conuenit. A Stephano ſecundo dicetur *degere vitâ Monaſticâ*, Can. ſuperius citato, quod de eo qui ſolùm in cuſtodiam Monachis daretur, non adeò conſentaneè dici poſſet. Canone verò ſequenti oſtendit idem Papa eoſdem habitum Monaſticum induiſſe, ait enim, *Hic qui ordinationem ſuam ignorat, omnino abiiciendus eſt, & ſub arcta pœnitentia, in Monaſterio mittendus, vt omnibus diebus vitæ ſuæ, in luctu & fletu ſub monaſtico habitu conuerſetur.* At qui habitum monaſticum induerat & geſſerat, hic monachicam vitam profeſſus habetur paſſim variis Eccleſiæ decretis Toletani ſexti, can. 6. Tribunenſis apud Gratianum 20. quæſt. 1. can *quem progenitores*. Nicolai epiſt. ad Epiſcopos regni Ludouici apud eundem 20. quæſt. 3. can. *præſens*, & aliis plurimis. Igitur & Clerici iſti detruſi in monaſterium cum habitu monaſtico induti, ſub Regula monaſtica viuerent, pro monachis habebantur.

Idipſum quoque deducitur ex conſtitutione Vrbani ſecundi, can. *mandamus*, 19. quæſt. 3. approbata ab Innocentio tertio cap. intelleximus, *de ætate, & qualitate ordinandorum*, quia nempe interdicitur, *ne quis Canonicus Regularis profeſſus, niſi (quod abſit) publicè lapſus fuerit, monachus efficiatur.* Sequitur enim eum, ſi lapſus fuerit, & in monaſterium ad agendam pœnitentiam detrudatur, Monachum fieri ſolitum fuiſſe; colligitur etiam ex teſtimonio Petri Damiani Opuſc. 13. c. 6. *Nonnulli namque rectores fratrum plus tribuentes monaſticæ Regulæ, quam expetat, quibuſlibet è ſæculo venientibus, ſi etiamſi grauiter lapſi ſint, aliam pœnitentiam non imponunt, niſi tantùm communem monaſterij ordinem ſeruare præcipiunt*, &c. Supponit enim Petrus Damiani facinoroſos lapſos ad monaſterium venientes, monachos fieri ſolitos: cui monaſticæ profeſſioni nimium tribuerent, aliqui rectores monaſteriorum, dum eos perpurgatos, atque expiatos profeſſione credentes, nec ampliùs leuerioris pœnitentiæ indigos, ad arctiorem viuendi rationem monachos factos excitare negligerent, in eos ita declamat Petrus Damiani monachus ſanctitate & doctrinâ ſuo tempore celebris. *Hi nimirùm auditores ſuos in Hebalitarum ignobilitate conſtituunt, dum pœnitentiæ feruorem tollunt, dum non*

Digitized by Google

poſt ſolutum debitum amore perfectionis ad alta conſcendere , ſed pœnarum ſemper terrore conſtrictos , & cautione fœderis obligatos docent , ſub degeneris ignauiæ torpore languere , vt non cum his , qui iuxta Garizim ſunt , ſecurè Dominum benedicant , ſed circa Heval potiùs cum ancillarum filiis maledictionum ſacula pertimeſcant. Qui hæc enim agit , quid diſtet inter decem millia talenta , & centum denarios non attendit : nam ſi ius diſcretionis inſpicitur , vnuſquiſque quò magis grauatur offenſis , eò maiori grauandus eſt pondere ſatisfactionis. Hæc & alia fusè pius iſte Monachus, quæ leget Cellotius, dum ei vacabit, attendétque, num ea conueniant iis, quæ ipſe lib. 7. cap. 6. pag. 583. poſt medium Phariſaico faſtu de Monacho pronuntiat, dum ait: *Christi figuram monachus exprimens graphicè nobis apparet ſanctus , innocens , impollutus , ſegregatus a peccatoribus , vt Chriſtianæ legis Phariſæus , qui non habet neceſſitatem quotidie prius pro ſuis delictis hoſtias offerre , & Deo hominibúſque ſupplicare : hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo , & in Dei familiam inter Therapeutas tradendo.* Iis item quæ non minori faſtu ſcribit §. 3. pag. 588. 589. quæ omnia inferiùs examinabimus ; ſed quia in ſua declaratione Cellotius cap. 14 de pœnitentia publica, ea interpretatus eſt ; ideò Cellotium monemus , nec ea ſecundum Petri Damini, loco à nobis citato, mentem de pœnitentia publica intelligi poſſe, quaſi certum ſit ſuſceptione Monachalis ſtatus omnia delicta iſta expiari, vt nihil pœnæ temporalis ſatisfactionibus continuis Monacho ſemel Deo oblato perſoluendum ſit. Noui Monachatus profeſſionem Baptiſmo comparari ab eodem ſancto Doctore ibidem : neque id diffiteor, quod & à ſancto Bernardo doceri ſcio lib. *de præcepto & diſpenſatione* cap. 23. nec vnquam monaſticæ vitæ vtilitatem eleuare cogitaui ; cui teſtimonium reddente mihi conſcientiâ , impensè me ſemper fauiſſe exiſtimo. Quia tamen non debemus conſuere puluillos cubitis peccantium , nec exemplo Pſeudoprophetarum annuntiare pacem quando non eſt pax , ſed in timore & tremore ſalutem operari, & vt omnes operentur , conſulere : ideò plena vanæ & inanis confidentiæ iſta duximus, quæ Cellotius citatis locis effundit , quæ piiſſimi & religioſiſſimi ad ſanctorum Petri Damiani & Bernardi interpretationem emendabunt : hic enim *è multorum actualium delictorum tenebris* , non omnium , *in lumen virtutum euadere* nos docuit per profeſſionem monaſticam : ille varias conditiones adhibuit, ſine quibus monachalis ſtatus perfectam expiationem nequaquam efficiat. Vterque ſæpiùs Patrum præcedentium exempla ſecutus, Monachum ad pœnitendum, & ſatisfaciendum pro ſuis peccatis ſtudioſè inducit , nec vanam iſtam elationem perſuadet, quaſi non pro ſuis lugere ac ſatisfacere , ſed pro alienis tantùm ipſi ampliùs neceſſarium ſit : quod perſuadere conatur Cellotius , tum locis citatis , tum alibi paſſim, inter quem proinde humanæ ſuperbiæ typho ſcribentem , & ſanctos Patres diuinæ gratiæ ſpiritu illuſtratos hoc intereſt : quòd hi ſancto timore animos legentium concutientes negligentiam excutiant & torporem; ille ſuperbiam , vanam confidentiam, ac Luciferianam præſumptionem lectoribus ſuis immittat.

Sed , vt redeamus ad iuſtitutam diſputationem, dicimus duobus adhuc argumentis probari poſſe eos, qui ad Monaſterium pro agenda pœnitentia detruderentur, monachiſmum ſolitos profiteri.

Primùm ex reſponſo Stephani quinti Haſtulpho, qui vxorem ſuam interfecerat, relato à Gratiano trigeſimâ tertiâ, quæſt. 2. can. *admonere*, hunc enim Papa ita alloquitur : *Relinque quapropter , te rogamus , hoc malum ſæculum , quod te traxit ad tam immaniſſimum peccati facinus ; ingredere Monaſterium ; humiliare ſub manu Abbatis , & multorum fratrum precibus adiutus , obſerua cuncta ſimplici animo , quæ tibi fuerint imperata : ſi fortè ignoſcat infinita Dei bonitas peccatis tuis , vt refrigeret animam tuam , priuſquam crucieris perpetuis flammis. Hoc leuius & melius tibi certiſſimè ſcias. Sin autem tuam publicam pœnitentiam permanens in domo tua vel in hoc mundo vis agere (quod peius tibi , & durius , & grauius eſſe non dubites) ita vt agere debes exhortamur.* Ex duobus alterutrum hoc canone præcipit ſummus Pontifex, putà vel Monachi profeſſionem , vel duriorem & obſeruatu difficiliorem in ſæculo pœnitentiæ executionem : ac proinde conditionatam obligationem imponit ad profeſſionem Monachatus , quomodo ſe erga laicos, qui nulla ſpeciali ratione in Eccleſiæ poteſtate forent , ſe Eccleſiam geſſiſſe probabile eſt ; cùm è contrariò erga Clericos, & alios , qui in Eccleſiæ poteſtate ſpeciali conſtituti eſſent, ſe geſſiſſe ex prædictis Canonibus colligamus : quos nempe in Monaſterium

detrudebat, nulla optione eis relictâ: his ergo Monachatum pro pœnitentia imponebat, illis conſulebat, & ita conſulebat, vt ſi eum ſuſcipere nollent, ſeueriorem pœnitentiam eius loco coniungeret. Ex eo certè reſponſo parèt eos qui pœnitentiæ ergò Monaſterium peterent, & ſæculum relinquere, & Monaſterium ingredi, & ſub manu Abbatis humiliari, & reliquos Monaſterij Religioſos pro fratribus habere, & eorum precibus adiutos imperata exequi, vno verbo verè Monachos fuiſſe.

Alterum petitur ex D. Bernardi ſententia lib. de præcepto & diſpenſatione cap. 21. *Quod denique*, inquit, *quæritis de quibuſdam Epiſcopis, quos ſanctus item Papa Gregorius ad tempus in Monaſteriis pro eorum exceſſibus legitur recluſiſſe: vtrumnam in ſuo, an in monaſtico interim habitu habitarint cum Monachis, ego neſcio: niſi quod credibilius videtur, nequaquam illos inſignem Religionis habitum ſuſcepiſſe, quem non erant habituri, ſed tantùm quæſiiſſe quietem in ſecretis Monaſteriorum, & opportunitatem pœnitentiæ.* Nam dubitat ſanctus Bernardus num ij, qui ad tempus in Monaſterium pœnitentiæ causâ recludebantur, habitum monaſticum habuerint, eâque ſolùm ratione inducitur, vt probabiliùs credat eos habitum nequaquam induiſſe, quòd illum non eſſent perpetuò habituri: eâ ratione ſatis aperte ſignificans, ſi ad manendum perpetuò in Monaſteriis iſtis alligati fuiſſent, habitum haud dubiè monaſticum eos recepturos, & pro Monachis ſeſe geſturos eſſe.

Leues in contrarium coniecturæ ſunt Cellotij cap. 6. citato, §. tertio, quibus tamen adeò temerè extollitur, vt *Catholicam aſſertionem* pronuntiet, quam Aurelianæ oppoſitam putat, nimirum ad monaſticum ſtatum ſuſcipiendum, & vouendum neminem vnquam ab Eccleſia potuiſſe conſtringi: potiſſima ducitur à conditione Religioſæ profeſſionis, quæ ſimpliciter debeat eſſe voluntaria, cùm è contrà pœnitentiam à facinoroſis & lapſis ſuſceptam dicat fuiſſe inuoluntariam ſimpliciter, voluntariam autem ſecundum quid.

Sed hæc ratio quam tanti æſtimat, ad Catholicum dogma non ſufficit, imò ne ſufficit quidem ad efficiendum id quod perſuadere conatur probabile: nam plurimi Catholici Doctores putarunt, *Pueros ſeu infantes oblatos a parentibus, adſtringi perpetuo Monachatui, nec poſſe hunc ſtatum repudiare, ſiue ante pubertatis annos, ſiue poſt, atque hanc antiquam fuiſſe Eccleſiæ praxim, & Monaſteriorum.* Quod fusè probat doctiſſimus commentator Concordantiæ Regularum F. Hugo Mainardus, qui noſtræ Facultatis Theologiæ Baccalaureus aliquando admiſſus, non ſine honore, poſtea Congregationem ſancti Mauri & eruditione & pietate illuſtrauit, in caput ſexageſimum ſextum, in iſta verba, *Per quam deceptus perire poſſit*: probat, inquam, pluribus non exiguæ auctoritatis teſtimoniis, atque Eccleſiæ decretis. Ex quibus decantatum illud eſt, quod habetur in Toletano IV. can. *Monachum aut paterna deuotio aut propria deuotio facit: quidquid horum fuerit alligatum, tenebit, proinde his ad mundum reuertendi intercludimus aditum, & omnes ad ſæculum interdicimus regreſſus.*

Hanc quæſtionem proſequi ergo fuſius nolo: imò nec planè mihi probari iſtam de poteſtate parentum in liberos ſententiam olim ſignificaui, parte 1. de ſacris electionibus, ſect. 8. cap. 2. art. 2. §. 4. & 5. fauorabiliorem libertati humanæ opinionem amplexatus, faſſus ſum tamen quòd vi argumentorum conuictus diffiteri non potui: quòd ſi quis parentes magis reueritus, paſſus fuiſſet abſque vlla renitentiâ ſe ſe monaſticâ veſte indui, & in Monachum attonderi, Eccleſiam in pœnam ſimulationis & profanationis ſacræ monaſticæ profeſſionis medio æuo ſaltem ſtatuiſſe, vt quocunque modo oblatus à parentibus, qui profeſſionem feciſſet etiam inuitus, maneret monaſticæ Regulæ adſtrictus. Id enim ſaltem colligitur ex Toletani IV. can. 48. Toletani X. can. 6. Triburienſis apud Gratianum, can. *quem progenitores*, vigeſimâ quæſtione 1. Moguntiaci can. 23. Nicolai ſecundi epiſtolâ ad Epiſcopos in regno Ludouici, apud dictum Gratianum can. *præſens*, quæſtione citatâ, & Gregorij III. reſponſo ad Bonifacium apud eumdem, ibidem: ex Monaſticis Regulis ſancti Benedicti cap. 59. ſancti Iſidori relatâ vigeſimâ quæſtione primâ, can. *quicunque*, & praxi Monaſteriorum, cuius indicia ſunt, formula petitionis apud Smaragdum in expoſitione cap. cit. Regulæ S. Benedicti, formula altera Vvilidonis tempore Caroli Magni, cuius mentio fit in Chronico Noualegenſi, formula item alia apud Ruthardum, in caput iſtud Regulæ ex quibus omnibus ſuam ſententiam adſtruere conatur Hugo Mainardus:

Digitized by Google

Hoc autem ad præſentem quæſtionem abundè mihi ſufficit: ſi enim in pœnam criminis, quod non videtur ingens fuiſſe, Eccleſia iis temporibus ab initio irritum confirmare iubetur: quidni ergo in pœnam criminis Eccleſia ad monaſticum ſtatum obligare aliquem poſſit.

Ruit ergo *Catholicum* iſtud *dogma*, quod iactabat Cellotius, nihilque minùs quàm Catholicum reperitur: quod Doctorum paſſim Catholicorum ſententiis, & quod maioris eſt auctoritatis, Eccleſiæ legibus, exemplis, & vſu reprobatur. Si quid ſimile dixiſſem, continuò oſcitantiam, inſcitiam, præcipitantis animi furorem, cæteráque id genus conuitia Cellotius ex irato pectore effunderet: abſit vt Chriſtiana charitas iis Rhetoricis floſculis glorietur. Neque ego iis pigmentis orationem meam inficio.

§. VIII.

Quædam errata Cellotij diſputationi intertexta referuntur ac refelluntur.

POSSEM etiam iiſdem Rhetoricæ Cellotianæ coloribus iſta eiuſdem Auctoris ibidem errata illuſtrare iis verbis, quæ habentur pag. 591. *Sanè ſi Tertulliani & Cypriani lapſos & pœnitentes, volumus recordari, reperiemus ſuſceptam ab illis pœnitentiam, fuiſſe vt loquuntur inuoluntariam ſimpliciter, voluntariam autem ſecundum quid, quatenus alia ratio nulla ſupererat perſoluendæ pœnæ & ſalutis aſſequendæ.*

Erraſti primùm in eo quod pœnitentiam lapſorum tempore Tertulliani & Cypriani dixiſti ſimpliciter inuoluntariam fuiſſe, & ſecundum quid tantùm voluntariam. Nam Theologi poſt D. Thomam 1. 2. quæſt. 6. art. 6. in corpore ſentiunt quod per metum fit, ſimpliciter voluntarium eſſe, ſecundum quid autem inuoluntarium.

Rationem à D. Thoma ſubtiliſſimæ & exquiſitæ diſquiſitionis capies: à me verò faciliorem & planiorem; nam voluntas cùm vult ex metu, nollet quidem ſibi adeſſe volendi neceſſitatem, ſed tamen ſimpliciter vult, efficaciter vult, & actio ex iſta voluntate imperata, & à principio interno, purà ab electione, & conſultatione procedit: quod autem ab interno principio eſt, quod ex electione & deliberatione fit, illud abſolutè voluntarium eſt, & ſecundum quid tantùm inuoluntarium, quia extrinſeca duntaxat cauſa eius executioni occaſionem dedit. Atque ita cenſet Nyſſenus ſeu Nemeſius lib. 5. cap. 1. ita Canones, & ciuiles Leges loquuntur; coactam ſcilicet voluntatem ſimpliciter, ſine addito voluntatem eſſe, ſecundum quid, vt ita loquar, noluntatem eſſe, quia quamuis his vel illis poſitis circumſtantiis, ipſis ſublatis nollet, tamen abſolutè vult.

Hoc te docebunt Can *meritò*: decimâ quintâ quæſt. 1. Canon *auctoritatem*, eadem quæſt. 6. Canon *diſplicet*, vigeſimâ tertiâ quæſt. 4. Canon *Conſuluit*, 74. diſtinctione: Hoc inferunt ex Canonibus Gloſſa in Can. *meritò*, & in Can. *auctoritatem*, citatos, Gloſſa *inuitus*, in cap. *cùm inter*, de electione, Gloſſa ſecunda in caput *ſuper his*, *de renuntiatione*, Gloſſa prima in caput ſecundum *de his quæ vi*, Gloſſa *conditionaliter*, in caput *maiores*, §. finali, *de Baptiſmo*. Hoc docent lex *mulier*, ff. *de eo quòd metu geſtum erit*, §. 5. *Si metu coactus adij hereditatem, quia quamuis ſi liberum eſſet, noluiſſem tamen coactus volui*. Et lex *ſi pater*, ff. *de ritu nuptiarum*, & aliæ plurimæ. Nec aliter nobis ſentiendum eſt, qui voluntarij, & inuoluntarij actus habemus rationem, prout peccato excuſando, vel committendo ſufficit: certum eſt autem etiam mala quæ metu fiunt, mala eſſe ac vitioſa, nec tolli metu actus malitiam, ſed duntaxat aliquatenus excuſari. Hæc quia vel neſcis, vel non attendis, maluiſti à communi Theologorum, Philoſophorum Chriſtianorum, iuris vtriuſque Doctorum loquendi ratione deflectere, vt Ariſtoteli forſan lib. 3. Ethicorum congruentiùs loqui videreris. Sed nec Ariſtotelis mentem cepiſti, nam diſtinguit Ariſtoteles actionem ab obiecto actionis actionem (quamuis exteriorem & obiectum actionis interioris eſſe contingit, actiones ex metu mixtas aſſerit, ſed tamen ei quæ ſponte fit ſimiliores, vnde & abſque addito poſteà illas actiones ſpontaneas vocat, & ſponte agi iſta dicit, quæ ex metu fiunt, probátque ſpontaneis ſimiliores.

Primò, quia in iis actionibus finis, qui inter optata bona eminentiſſimum locum tenet ſimpliciter eſt volitus, renitentia voluntatis tantum eſt circa media, quæ licèt

ſine ordine ad finem diſpliceant, vt tamen habent ordinem ad ipſum eligibilia cenſentur, ac proinde abſolutè volita ſunt.

Secundò, ratione principij, quia eæ actiones abſolutè ab interiori principio proficiſcuntur.

Tertiò, ratione inſtrumentorum quæ expedita ſunt nec alligata, ſed ab imperio voluntatis mouentur.

Obiecta verò quæ ex metu tantùm volita ſunt, ait non eſſe ſimpliciter volita, ſed potiùs ſimpliciter diſplicentia, & conditionatè tantùm ſeu in ordine ad finem volita & placentia. *Nemo enim*, inquit, *quidquam tale ipſum propter ſe optauerit*. Nomina autem voluntarij & inuoluntarij dici ſolent de actionibus, vt actiones ſunt; non de obiectis ſeu de actionibus, vt obiecta ſunt. Itaque malè dixiſti pœnitentiam tempore Tertulliani, & Cypriani ſimpliciter fuiſſe voluntariam, ſecundum quid inuoluntariam.

Hic primus error circa loquendi modum: iam circa res grauiorem errorem in iiſdem verbis animaduerto, & qui vergat in contemptum pœnitentiæ publicæ prioribus iſtis temporibus vſitatæ; in criminationem Eccleſiæ tam accuratè hanc publicam diſciplinam præſcribentis, in accuſationem pœnitentium, tantâ deuotione, humilitate, & obedientiâ Eccleſiæ ſe cenſuræ ſubiicientium, & ſacerdotis ſententiæ obſequentium, eos ſiquidem nobis ita depingis, vt pœnitentiæ & ſatisfactionis diuinæ inſtitiæ oſores: à pœnitentia ſecundum animi ſui propenſionem auerſos: ſolo metu ad eam adactos, eius ſi liberum eſſet negligentes ac deſertores. Scilicet hic tibi videtur primis iſtis Eccleſiæ ſæculis fidelium feruor, vt ſi eos labi contingeret, nonniſi metu Eccleſiaſticæ cenſuræ vel diuinorum iudiciorum pœnitentiam peterent, pœnitentiam reciperent, pœnitentiam acceptam obſeruarent: ſimpliciter eam nollent; adeò vt ſi eludere Eccleſiæ diſciplinam, ſi abſque peccato effugere potuiſſent coercitionem, à ſatisfactionibus impoſitæ ſibi per ſacerdotem pœnitentiæ abſtinuiſſent. At quàm longè ab eo animo aberant boni iſti Chriſtiani, qui licèt infirmitate humanâ aliquando laberentur, diuinâ tamen gratiâ vtiliùs reſurgebant, & ob peccata præterita humiliores & de remedio ſollicitiores & de futuris cauendis culpis cautiores.

Non ergo duntaxat inuoluntaria & ex ſolo metu agenda pœnitentia fidelibus tempore Tertulliani proponebatur: cuius ad pœnitentiam parænetica vox aliud ſuadeat libro de pœnitentia cap. 4. *Pœniteat errorum repertâ veritate, pœniteat amaſſe, quæ Deus non amat: quando ne nos quidem ſeruulis noſtris ea quibus offendimur non odiſſe permittimus; obſequij enim ratio in ſimilitudine animorum conſtituta eſt.* & capite quinto ſequenti. *Neque enim quia bonum eſt* (pœnitentiam agere) *idcircò auſcultare debemus, ſed quia Deus præcepit ad exhibitionem obſequij prior eſt maieſtas diuinæ poteſtatis, prior eſt auctoritas imperantis, quàm vtilitas ſeruientis: Bonum eſt pœnitere, an non? quid reuoluis! Deus præcipit.*

Hoc Tertulliani ſæculi ingenium fuit, hic genius, ad quam formam comparatos pœnitentes, caue ne inuoluntariam ſimpliciter, & ſecundum quid tantùm voluntariam egiſſe dicas, & ita affectos fuiſſe, vt in pœnitentia obſeruanda non præcepto Dei parere, ſed vtilitati ſuæ ſeruire, & pœnas etiam humanas à ſe duntaxat auertere cogitarent, qui tam malè ſentit de laudatiſſimo ſęculo quid diceret de corrupto? Putaſne Eccleſiam iſtius temporis lapſis & facinoroſis pœnitentiam imponentem hoc ſolùm cogitaſſe, vt pœna homines cogeret ad pœnitentiam, quam ſponte putaret non amplexuros. Quàm longè ab eo conſilio aberant, qui à ſpe communionis & pacis pœnitentiam in exitu vitæ deprecantes arcebant, quia, vt ait Cyprianus, epiſt. 52. *Rogare illos non delicti pœnitentia, ſed mortis vrgentis admonitio compellebat.* Quo exemplo ſatis docebant non placere ſibi pœnitentiam, quæ ſolo pœnarum etiam æternarum metu non pleno pietatis affectu ſuſciperetur.

Vide quàm iniurius ſis in pœnitentiam priorum temporum, quam vbi inuoluntariam ſimpliciter, & voluntariam tantùm ſecundum quid prædicaſti, mox interiectis octo duntaxat lineis, actionem quæ non ſimpliciter & omni ex parte voluntaria ſit, adeò deiicis ác deprimis, vt bonam eſſe neges, adductis iſtis ex Nicolao Papa verbis, *nullum quippe bonum niſi voluntarium*: quo argumento religioſarum actionum ex voto ſuſceptarum meritum omne non ſolùm imprudens euertis, ſed & pœ-

nitentiæ apud antiquos nullum bonum fuiſſe, quòd voluntaria ipſa ex omni parte non eſſet, imò nequidem ſimpliciter voluntaria, ſed tantum ſecundum quid, inferendum cuique relinquis: addo improuidus es, qui omnem ſacram ac religioſam obſeruantiam impetere nihili ducis, modò Monachatus honori ac dignitati tibi aliquid conſentaneum dixiſſe videaris.

Nos melioribus imbuti Theologiæ Chriſtianæ præceptis pœnitentiam apud antiquos ſancitam ita fuiſſe dicimus, vt tamen pœna animi torporem excuteret, non agendi animum & conſtantiam præberet: occaſionem ſuſcipiendæ pœnitentiæ pararet, non voluntatem duceret, multominùs perſeuerandi facultatem tribueret: timor non tam ab Eccleſia incuſſus eſt ad ſanationem malæ voluntatis, quàm ad coërcitionem prauæ cupiditatis: quod in ſimili materia ſenſiſſe videtur Auguſtinus libro 2. contra literas Petiliani, cap. 83. Pœna Eccleſiæ iudicio lapſis infligenda viſa eſt, quæ peccati morbo detentos & ſocordia grauatos excitaret, vt cùm ab Eccleſiæ communione extorres ſe viderent, meminiſſent & ſe à cœleſti beatitudine excludendos: eáque cogitatione excitati tanquam de ſomno letargico emergerent, & ad ſalutem animæ ſuæ, non iam timore ſolùm, ſed & amore euigilarent. Timorem enim ſalubriter incuti, vt aliud efficiat, & ad aliud diſponat colliges ex Auguſtini epiſt. 48. ad Vincentium, & 50. ad Macedonium, & aliis.

§. VLTIMVS.

Celloty contra prædicta ſubtilitates refelluntur.

SED iis prætermiſſis, quæ ſine cenſura à nobis præteriri non potuerunt: diſpungamus cæteras Cellotianas ſubtilitates cap. 6. lib. 7. *Antiquo*, inquit, *Eccleſiaſticæ diſciplinæ iure, nuſquam videas Clericos ſceleratos in Monaſteria retruſos ad pœnitentiam, ſed tantùm ad laicam communionem damnatos.*

Regero ergo coæuam ferè Monaſteriorum in occidente ordinationi hanc legem: cùm enim Regulis Cæſarij, & Aureliani Arelatenſium Epiſcoporum, Ferreoli, vt probabilius creditur, Vecienſis, Iſidori Hiſpalenſis, Fructuoſi Bracharenſis Antiſtitum, ac ſancti Benedicti ordinis celeberrimi inſtitutoris, antiquiores in Occidente non leguntur, nec aliæ à Benedicto Anianæ Abbate in ſua Concordantia Regularum vetuſtiores referantur: ideò ante hæc tempora Clerici in Monaſterium detruſi non leguntur; ſtatim verò compoſità Monaſteriorum diſciplinà reguliſque præſcriptis, mos iſte legibus Eccleſiaſticis inuectus eſt, Agathenſis citati, Cæſarius Arelatenſis præſuit, & cæterorum Conciliorum Galliæ, móxque etiam vt in Hiſpania à ſancto Iſidoro & Fructuoſo ſeptimo ſæculo Monaſteria componi cœperunt ac ſalutaribus legibus informari, Toletanis quibuſdam Conciliis mos iſte firmatus eſt, qui etiam à Pelagio, & Gregorio magno Romanis Pontificibus in Italia obſeruatus non multo tempore poſtquam in eadem prouincia ſub ſancti Benedicti Regula Monaſticus ordo florere cœpiſſet: itaque tunc præſertim cùm in Occidente vigere cœpiſſet Monaſteriorum diſciplina, Clericos quoque lapſos ad Monaſteria detrudi cœpiſſe, (quod tu, Ludouice, à Monaſtico ſtatu & Regula abhorrere defendis) notabis ſi quid in lectione proficias. Subdis, *Eodem antiquo iure, ſeu in Eccleſia vetere Aureliana, nunquam legas Apoſtatas, excommunicatos Monaſterio addictos: erant enim tum Monaſteria ſanctitatis adyta, non ſcelerum ergaſtula.*

Scopum non feris: nam de Apoſtatis excommunicatis non agimus, ſed de Clericis qui excommunicari minimè ſolebant, neque extra Eccleſiam ſtatui, ſed de gradu deiici: quod enim ordinariè erat laicis excommunicatio, hoc Clericis depoſitio, vt cuiuis diſciplinæ Eccleſiaſticæ perito manifeſtum eſt; à veritate autem aberras, quandoquidem ex vitis ſanctorum Patrum, fures, meretrices, homicidas in Monaſteria receptos legamus: quod vbi vacabit legere poteris. Neque ideò Monaſteria minùs dicenda erunt adyta ſanctitatis, ſicut Eccleſia, quamuis ſceleratos excipiat, non deſinit dici ſancta, quia & ſanctitatem docet, & ad ſanctitatem informat. Tu veriùs Monaſteria facis ſcelerum ergaſtula, cùm ad ea non tanquam ad locum pœnitentiæ, qui venerationi ſemper fuit, ſed tanquam ad triremes & carceres damnatos iiſdem temporibus

potibus pronuntias, dum ab Aurelio fateris pag. 593. *Monaſterij velut ergaſtuli ingreſſum pœnæ loco fuiſſe impoſitum*. Pergis, *antiquo item iure Presbytero gradu moto licebat ſæculariter viuere, id eſt, more Chriſtianorum laicorum, neque vlli exigebatur vlterior pœnitentia; quam tamen Cabilonenſe à ſuis facinoroſis poſtulat.*

Falleris, & antiquæ diſciplinæ Eccleſiæ ignarus es, in qua pro peccatis omnibus publicis grauioribus pœnitentia imponebatur, nec tam adempta laicis quæuis communio, Clericis Eccleſiaſtica, ſeu Clerica pro pœnitentia erat, quàm pro pœna: extra propoſitum vagarer, ſi id probarem. Cabilonenſe Concilium & cætera quæ citauimus, ſatis te redarguunt: quæ nempe euidenter demonſtrant Clerico depoſito vlteriorem pœnitentiam iniungi ſolitam fuiſſe; nec ipſi ſæculariter more Chriſtianorum cæterorum viuere licuiſſe. Imò id tibi in mentem veniſſe demiror, cùm certum ſit Clericum de gradu ſuo deiectum, & continenter viuere in cœlibatu debuiſſe, & alias Clericalis vitæ obligationes retinuiſſe, quod nec te velle negare crediderim. Inſtas, *in Eccleſia vetere, vni peccato, putà adulterio vna publica imponebatur pœnitentia, relabentibus nulla*: In Toletano octauo, *pœna reperitur quando poſt cæteras coercitiones Monaſterium irrogatur.*

Non diſtinguis inter pœnitentiam Clericis impoſitam & laicis, vna ab alia plurimùm differt; nam laici pœnitentiam explebant, antequam communioni Eccleſiæ redderéntur, Clerici ademptâ tantùm communione Clericâ, ne ex duobus gradibus ſimul exciderent, pœnitentiam impleturi ad communionem laicam redigebantur, è qua quia ad inferiorem gradum prolabi poterant, ideò ſi poſteà in graue facinus laberentur, reſiduâ interdum communione priuabantur. Cùm è contrà ſi laicus extra communionem Eccleſiæ poſitus ad inferiorem gradum deiici non poſſet, quia nulla ſpes erat emendationis, ideò vbi ad eum gradum deuolutus non profeciſſet, nulla de cętero publica pœnitentia ei cui ſemel impoſita fuerat imponebatur, nec ipſa ex antiqua Eccleſiæ praxi repeti vnquam ſolebat: ſed non emendato pœnitentiæ tempora proſtrata fuiſſe, & incorrigibiles interdum excommunicatione perpetuâ punitos fuiſſe res notior eſt, quàm vt probari debeat.

Denique, inquis, *In Eccleſia vetere, inter Clericos acta non eſt pœnitentia: in Cabilonenſi ad Canonicum Monaſterium reus amandabatur.* Iterùm hallucinaris quòd pœnitentiam laicis propriam, quæ abſolutè pœnitentia dici ſolet, ab ea quæ Clericis imponebatur, & ſolemnis pænitentia non erat, non diſtinguis: nam certum eſt pœnitentiâ illâ publicâ anxiâ, lugubri & dedecoroſâ Clericos publicè non fuiſſe defunctos ex Concilio Carthag. V. Can. 11. Leone Magno epiſt. 92. ad Ruſticum Narbon. Can. 2. & aliis ſuprà cit, pœnitentias tamen, & ἐπιτίμια, vt Græci loquuntur, pœnaſque ſceleribus pares priuatim vel in domibus Canonicis, vel in Monaſteriis ab iis Eccleſiam repetiiſſe non minus certum eſt: quod ex ipſo S. Leone epiſt. citatâ colliges; qui de iiſdem Clericis, quos à probroſa pœnitentia exemit, ſubiungit, *Vnde huiuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei priuata eſt expetenda ſeceſſio, vbi illis ſatisfactio digna ſit etiam fructuoſa.* Pœnarum etiam quas in pœnitentia poſiti ſubirent exempla, leges in Concilio Ilerdenſi can. 1. octaua Synodo generali act. 2. Hibernienſi ſub Leone III. & aliis.

Quæ ſequuntur apud Cellotium ex prædictis concidunt, ſuperſunt quædam ex Canonibus inſulsè, & in proprium ſuum caput ab ipſo adducta, & à nobis breuiter examinanda. Primùm inquit, *Monaſtici verò ſtatus profeſſionem etiam ab reis illis, nonniſi liberè initam oſtendit, & Aſtulphi vxoricidæ cauſa ſuperiùs adducta.* Id nego, eâ cauſâ oſtendi; nám vt ex citato Canone *admonere*, 33. quæſt. 2. monſtrauimus, non ſimpliciter Aſtulpho prædicto conſulit Monaſticum ſtatum Nicolaus Papa: ſed eligendum potiùs ei ſuadet, quàm grauiorem & duriorem in ſæculo pœnitentiam, quæ Monaſticum ſtatum non amplectenti ſubeunda ipſi eſſet: is autem non omninò liberè initi dicitur, quòd eâ conditione proponitur, vt vel amplectendum ſit, vel durior pœna ſubeunda. Deinde non par ratio Clericorum & laicorum, nam Clericis in poteſtate Epiſcoporum, à quibus & verberibus, & carcere, & aliis pœnis tanquam liberi à potentibus puniebantur, optio non ſemper relinquebatur, vel eligendi Monaſterij, vel alterius pœnitentiæ: laicis verò, qui à poteſtate iſta patria magis ſoluti erant (excipe eos qui ſe Eccleſiæ dediſſent, cuiuſmodi erant Diaconæ, matriculariæ, vxores Presbyterorum & Diaconorum, atque aliæ eiuſmodi vtriuſque ſexus

perſonæ) optio vel Monaſtici ſtatus amplexandi, vel pœnitentiæ alterius ſubeundæ minimè relinquebatur; ad quam nimirùm anathematis ſolùm intentata pœna, licet fortè non vi, nec iniectione manuum ab Eccleſiaſtico Præſule compelli ſolebant.

Subdit, *Innocentij III. orationem in Conſtantinopolitani explicatione*, id demonſtrare, cap. *poſt tranſl. de renunt.* ſed contrarium oſtendit Innocentij III. oratio. Vim facit in iis Innocentij III. verbis, *Quod* [Concilium] *in eo loquitur caſu, cùm propter aliquod crimen Epiſcopatum quis deſerens, ad vitam Monaſticam pœnitentiæ causâ deſcendit. Nam*, inquit Cellotius, *non deuoluitur, non impellitur, ſed ſponte deſcendit.* Obſeruatio hæc ridicula eſt, nam & aliquis inuitus & ſuperioris auctoritate coactus deſcendere dici poteſt; idque videtur Innocentius intellexiſſe: non enim nouam interpretationem ſubdit, ſed traditam explicat, dum ſubdit: *Vnde quidam in eo caſu loqui dixerunt Capitulum ſupradictum, cùm quis pro crimine, de quo conuictus fuerat, vel confeſſus, ab Epiſcopali dignitate depoſitus in Monaſterio extitit ad pœnitentiam agendam incluſus, vel cùm aliquis propter graue crimen pro quo Epiſcopatum retinens pœnitentiam dignè agere non valebat, cedendi obtenta licentia, vitam Monachalem elegit.*

Qui duo ſunt modi quibus quis pœnitentiæ causâ ad Monachalē ſtatum deſcendit, putà ſi vel eum propriâ voluntate eligat, vel ad eum iudicis ſententia compellatur. Quo vtroque modo inhabilem fieri aliquem ad Epiſcopatum iterum capeſſendum, propter recordationem criminis, & pœnitentiæ perpetuæ horrorem declarat Innocentius tertius, quod aſſertionem noſtram confirmat, ſi non ſemper, ſaltem aliquando etiam inuitis Monaſticum ſtatum Clericis impactum fuiſſe.

Pergit Cellotius: *Sequitur in Gratiano, quidam cedendi licentiam cum inſtantia poſtulantes, eâ obtentâ cedere prætermittunt: eos ad cedendum decernimus compellendos.* Et hoc intentum noſtrum probat, poſſe aliquos ad Monaſticum ſtatum inuitos & in pœnam criminis compelli: quales ſunt iſti, qui, vt vtar verbis Cellotij, *quia interim tempus extrahunt, neque hic, neque illic pœnitentes, ad Monaſterium adigendi, quod poſtularunt, ne inutili tergiuerſatione animi ſui leuitatem publicè demonſtrent.* Sed & inſulsè atque ignoranter ea ex Gratiano citas, tanquam eadem ſerie cap. *de renunt.* citato cohæreant, cùm caput iſtud *quidam*, ex Concilio generali Lateran. ſub Innocentio tertio cap. 28. collectum habeatur ſimul cum cap. præced. Innocentij tertij lib. 1. decretalium Gregorij tit. 9. Tu verò, Ludouice, apud Gratianum haberi putas, qui obiit ante Innocentium tertium; adeóque in Canonica diſciplina verſatus es, vt Collectionem Decretalium eandem putes cum Collectione Gratiani: qui error nec in eo, qui per duos dies Canonicæ diſciplinæ operam dederit, tolerandus eſſet. Vnde non iam miror quòd mihi toties Gratiani lectionem obiicias, ſcilicet,

Oderunt triſtes hilarem, indoctique peritum,

præcedentibus tuis verbis; vide num rectè hæc cohæreant quæ ſequuntur: *Eâ voluntatis libertate vſus eſt Imperator Ludouicus Pius, cùm factione exauctoratus, iuſſus eſt ire in Monaſterium, & ibi eſſe omnibus diebus vitæ ſuæ, quod ille renuens non conſenſit voluntati eorum, maluitque publicam ſubire pœnitentiam, & quidem iteratò, ne quid in ea rebellione deeſſet ad iniuriam.* Porrò argumenti ab iſto exemplo ducti nulla vis eſt, quin imò patet eo tempore Eccleſiæ morem fuiſſe, vt etiam laici cogerentur, vnum ex iis duobus eligere, aut pœnitentiam publicam, aut Monaſticum ſtatum, adeò vt electionem Monaſtici ſtatus non omni ex parte liberam eſſe oportere crederent: ſed aliquâ onerosâ conditione eius refutationem grauari potuiſſe: quod tu modò negabas. Quòd autem non ad Monaſticum ſtatum detruſus fuerit Imperator Ludouicus, ſed id ei perſuadere per ſubmiſſos quoſdam Monachos Lotharius conatus ſit, teſtis eſt Nitardus lib. 1. hiſt. *quòd ipſe Ludouicus impius Monachus fieri renuerit*, ait Teganus *de geſtis Ludouici Pij*, impium Ludouicum nominans, quia nempe reuerti iterum ad Imperium cogitabat, cùm reſcindi Monaſticam profeſſionem vel metu ſuſceptam ex iſtorum temporum vſu non poſſe reſciret. Oſtendunt igitur iſta adhibitis etiam minis & terroribus Monaſticam vitam ſemel ſuſceptam dimitti minimè poſſe, quod negas: & laicos quoſlibet non æquè ac Clericos in Monaſteria pœnitentiæ causâ mitti ſolitos, quod faſſus ſum. Cętera quæ eodem capite addis, ſoluta ac refutata ſunt: tu ex hoc ſpecimine diſces quàm multa in ſingulis capitibus refutanda eſſent, ſi particulatim omnia diſcutere luberet, quod in hoc capite efficere rei ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantis non iniucunda nec incurioſa diſcuſſio coëgit.

ARTICVLVS V.

Errores alij in contemptum Hierarchiæ, ordinationis Eccleſiaſticæ, Eccleſiæ ipſius à Cellotio prolati refelluntur.

§. I.

Refellitur primus error quòd Regulares donatum cælitùs Conciliis Spiritum puriùs, nobiliùſque cuſtodiant.

TRIA præcedentibus ſubuecta, quæ in contemptum ordinationis prolata, & virtutem ſacramenti Ordinationis mirè deprimunt, & diuinæ prouidentiæ ordinem turbant.

Primùm habetur lib. 7. cap. 12. §. 3. paginâ 630. *Regulares aſſero vitâ, moribus, inſtitutis ad Eccleſiam non habentem maculam neque rugam, & ſanctiſſimos eius Canones propiùs quàm ſæculares Clericos accedere in Religioſorum clauſtris, diſciplinâ, inſtitutionibus ac veteris Eccleſiæ ſanctitatem, Canonum obſeruantiam, Conciliis donatum cælitùs Spiritum, puriùs nobiliùſque, quàm apud reliquos in ſæculo Clericos cuſtodiri: Meus hic campus eſt, expecto ſi quid contrà audes.*

Thraſonica iſta ſunt, & glorioſi militis verba. Tuus hic campus eſt, Celloti, qui ſcenam adornare noſti, & Tragœdiis componendis hactenus tantùm vacauiſti. Hæc à te dicta cauſaris in excuſationem Regularium, in quos declamaſſe me quereris.

Regularium totam nationem offenſam quereris, de quâ non cogitaui: imò nec vllum Regularium ordinum impetere volui, nec eum cui ipſe adſcriptus es; ſcis quos feriam: tu ex eorum numero vnus es, alij ad Epiſcopis & Clericis conuiciandum tibi præiuerunt; Canonum & diſciplinæ Eccleſiaſticæ obſeruantiam vobis tribuitis: fortaſſe me alio libro cogetis oſtendere omnes Canones à vobis proculcatos. Si veritatem, ſi Eccleſiam laceſſere non deſinitis: liberiùs loquar; iam tibi, iam tibi ſimilibus parco. Veteris Eccleſiæ ſanctitatem vobis tribuitis; a qua vos, à qua nos multùm abiumus, quod non conuitiandi cuiquam animo dico, ſed & veritatis ſtudio & doloris ſenſu. Sed hæc miſſa facio.

At verò quis ferre poterit, quòd *Conciliis donatum cælitùs ſpiritum* puriùs, nobiliùſque, quàm cæteri è Clero, id eſt, quàm Parochi, quàm Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, quàm ipſi Summi Pontifices, cuſtodire vos iactetis? ô inſanam vocem! ô plenam temeritatis & erroris audaciam! ſcilicet habetis vos non ſolùm cælitùs miſſum Dei ſpiritum quo Canones obſeruentur, verùm etiam quo condantur. Et quidem puriùs, nec puriùs tantùm, ſed nobiliùs, quàm quiuis è Clero Proceres in Concilio adunati, quàm ſummus ipſe Pontifex Concilio præſidens: tutiùs vos, ſecuriùs, certiùs Eccleſiæ Regulas præſcribetis, ſed donante vobis Spiritu ſancto cælitùs miſſo, quàm Concilij Patres, niſi Regulares ſint, præſcribere poſſint.

Vide in quos errores te diſputandi ardor, & Monachalis ſtatus impenſiùs fouendi cupiditas impulerit. Quem putas circa Canones, circa diſciplinam donatum Conciliis cælitùs ſpiritum? niſi eum qui datus eſt ſeptuaginta ſenioribus, quos Moyſes in adiutorium adſciuerat, Num. 11. *vt ſuſtentent onus populi*, qui ſedentibus in cathedra Moſis datus eſt ad docendum potius, quàm faciendum, iuxta illud Mathæi 18. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcunque dixerint vobis ſeruate & facite*: qui ſuper Apoſtolos effuſus vt doceret eos omnia, & ſuggereret omnia quæcunque dixerat Chriſtus, Ioan. 14. ij de omnis ſpiritus donatione ſecuri, quæ à ſe decernerentur, ea Spiritus ſancti auctoritate firma, & prouidâ ſapientiâ conſtituta non dubitantes, de Concilij Hieroſolymitani ſententiâ ſcribere auſi ſunt Actorum decimo quinto, *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*. Hunc vos Regulares Spiritum cælitùs Conciliis datum habetis, puriùs nobiliùſque quàm Cleri Proceres Regularibus veſtris minimè initiati ceremoniis; plúſque valebit ad ſapientiam gubernationis obtinendam Regularis profeſſio, quàm ſacra ordinatio, quàm gradus ſublimis, quàm

diuinæ prouidentiæ ordo gratiam ſingulis ſtatibus pro ſua cuique functione diſtribuens? Vbi quæſo, & quando hic vobis ſpiritus cælitùs Conciliis datus, vobis promiſſus, vobis attributus: inauditum hactenus iſtud, nouum Cellotij commentum eſt: procul prodigioſa iſta dogmata, hæretica, & totius ordinis Eccleſiaſtici deſtructiua.

§. II.

Conuitium Cellotij aduerſus Clerum ſecularem.

ALTERVM ex eodem Cleri contemptu in totius ordinis probrum continetur lib. 9. cap. 16. pag. 920. *Vt non iniuria quis poſſit dicere, ſcriptas olim Clericis leges, à Religioſis accuratè ſeruari, quoniam illi de Religioſis facti ſunt ſacerdotes: hi ſuis conſtricti regulis permanſerunt.*

Nihil ergo in depreſſionem Regularis dicam ſanctitatis: at quàm horrendum, quòd Regularibus ſolis Eccleſiæ Canonum obſeruatio tribuitur! vigent, & quotidie refloreſcunt apud plurimos è Clero, quem, in contemptum, ſæcularem vocas, Eccleſiæ leges, nec ſi marcuerint aliquandiu, aliis tribuendum eſt, quàm iis qui conſumunt puluillos cubitis peccantium, & Eccleſiaſticarum legum obligationem diſtinctionibus friuolis, excuſationibus imperitis eludunt. Cuius rei non aliud exemplum quæro, quàm apud ipſum Cellotium, qui Conſtitutiones Eccleſiæ Dei omninò neceſſarias & recentioribus etiam legibus reuocatas tanquam antiquatas, incommodas, abſurdas, impoſſibiles factu irridet præfatione lib. 1. pag. 241. *His ego ſum auctor, vt Epiſcopatuum bona, in Clericos, in pauperes, in ſarta tecta, tum tandem in ipſam Epiſcopi ſuſtentationem diuidam, vt neminem ad Presbyteratus honorem admitti patiantur, niſi qui Eccleſiæ alicui mancipatus, & affixus fuerit: vt veterum Canonum rigorem in eos Epiſcopos & Clericos renouent, qui à minore Eccleſia in maiorem, amplioris vtilitatis cauſâ migrarint: qui plura beneficia in vnum caput congeſſerint: qui ſe negotiis ſæcularibus implicuerint.*

ARTICVLVS VI.

Error Cellotij de nunquam nimia multitudine ſacerdotum.

§. I.

Cellotij ridicula ſententia de numquam nimiâ multitudine ſacerdotum.

TERTIVM & inſulſum, & in praxi periculoſum iis verbis effutiit Cellotius lib. 7. cap. 11. §. 1. pag. 611. *Si omnes quotquam vſpiam ſunt homines, ſi mulieres ipſæ, ſi bruta animantes, ſi corpora vitâ & ſenſu carentia in ſacerdotes mutari, & auguſtiſſimam Euchariſtiam facere poſſent, diceréſne diuino illo colendi modo infinitos illos miniſtros eſſe ſuperfluos?*

Bella ſanè gradatio: ſi ſenſus aliquis ei, vel ratio ineſſet: at quid ſtultius, quid ineptius fingi poteſt, quàm iſta brutarum animantium & corporum tam ſenſu quàm vitâ carentium, metamorphoſis in ſacerdotes & ſacrificatores: ſi te aliquis ex bruto animante euaſiſſe Ieſuitam diceret, grauiter id, nec æquo animo patereris, tu ſacerdotes Dei, & ſacrificatores corporis Chriſti ex brutis animantibus, ac corporibus tam ſenſu quàm ratione carentibus, emergere fingis celeriùs multò quàm fungos aut tubera; in iis enim conflandis natura ſaltem noctem moratur; ſacerdotes verò ex brutis animantibus, & corporibus inanimatis conficere tibi ludus eſt. Profanæ iſtæ ſunt & ſacrilegæ cogitationes, ineptæ mentis aberrationes, delirantis ſomnia.

Ex iis verò ſtolidis hallucinationibus, & animo illudentibus exiſtimationibus pernicioſam & in praxi periculoſam conſecutionem elicis. Nulli digno ſacerdotium vnquam denegandum; nunquam nimiam ſacerdotum copiam eſſe poſſe: non eſſe eorum defi-

niendum numerum, non ex definito numero quantum Eccleſiæ ſatieſt digniores ſeligendos, Tibi etiam abſurdum videtur dignitatis ad ſacerdotium indicium rem moralem eſſe, non in indiuiſibili conſiſtentem, ſed in latitudine poſitam; pro penuria Clericorum, vel copia aliquos dignos vel indignos iudicari: nonnunquam & irregularibus, & infra ætatem à Canonibus præſcriptam conſtitutis, ob ſacerdotalium virorum paucitatem, ſacerdotium indulgeri tanquam dignis, quibus abundante ſacerdotalium virorum multitudine, aditus ad Clericatum intercluderetur, tanquam indignis: diſciplinæ Eccleſiaſticæ ignarus es, ſi hæc non capis, ſi capis, calumniator es dum carpis: elige vtrùm inſcitiæ, an calumniæ notâ inuri malis.

§. II.

Æquum eſſe vt Clericorum determinatus ſit numerus.

QVòd de Epiſcopis toties ex Concilij Sardicenſis can. 6. Leonis epiſt. 87. ad Epiſcopos Africanos, & aliis Canonibus, inculcant ſodales tui; Daniel à Ieſu, & Loemelius, non eos paſſim eſſe conſtituendos ne vileſcat eorum auctoritas: id tibi etiam de Presbyteris & Diaconis, & cæteris Eccleſiaſtici ordinis viris proportione ſeruatâ ſentiendum eſt, non debere eos nimium multiplicari, ne numero vileſcant: verum enim eſt illud Hieronymi epiſt. 85. (cuius ſuo tempore proferendi longè minor occaſio erat) *Presbyteros turba contemptibiles facit.* Verum eſt, quòd vſitatâ fertur parœmiâ, pretioſa eſſe quæ rara ſunt, nihilque tam egregium eſſe, quod non multitudine vileſcat. Conſentaneè huic propoſito Bernardus de conuerſione ad Clericos, cap. 29. *Dilatata videtur Eccleſia: ipſe etiam Cleri ſacratiſſimus ordo, fratrum numerus ſuper numerum multiplicatus eſt: Verùm, etſi multiplicaſti gentem, Domine, non magnificaſti lætitiam: dum nihil minus apparet deceſſiſſe meriti, quam numeri acceſſiſſe.* Paucorum certè perfectio eſt: *Si non omnes*, inquit Chriſtus, *capiunt verbum iſtud*, Math. 19. *quàm anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam.* Nec inter multos, inquit Ariſtoteles lib. 9. Ethicorum cap. 10. amicitia eſt: idcóque vix contingere poteſt, ſacerdotes multos eſſe, & bonos, vt Roma olim ſuis viribus ruit, vt corpora naturalia iuſtam magnitudinem tranſgreſſa debilitantur: ſic Clericorum ordo ſuâ numeroſitate langueſcit. Rectè Iuſtinianus præfatione Nouellæ 3 ad oſtendendam neceſſitatem determinandi Clericorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ numeri, ſententiam iſtam protulit, οὐδὲν ἐν ἀμετρίᾳ καλὸν, *nihil immenſum bonum.* Vrget idem Imperator eiuſdem legis neceſſitatem, ne expenſis Eccleſiæ grauentur; ego etiam, ne ſuperfluis nutriendis populus oneretur: néue charitatis ſubſidia miſerabilibus perſonis neceſſaria, ad ſuperfluos Clericos deriuentur; ne multitudo æmulationem, æmulatio diſcordias pariat; ne ex multitudine diſciplina concidat, ne in magno numero animorum conſenſio minor ſit; ne vel otioſi multi remaneant in vitiorum prædam: vel dum operæ nauandæ materiam quærunt, aliorum inceptam fœliciter operam diſturbent.

Infinita prope alia ſunt, quæ ſicut occaſionem Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. 13. prohibendi nouarum Religionum inſtitutionem dederunt: Conciliis Arelatenſi ſexto, can. 8. Moguntino, can. 19. Remenſi II. can. 27. Turonenſi III. can. 31. & aliis, Canonicorum, Monachorum, Monialium numerum pro reditibus Monaſteriorum reſtringendi cauſam præbuerunt; ita Eccleſiam induxerunt, vt & paucitate Clericorum delectata fuerit, & de eorum numero reſtringendo leges tulerit,

§. III.

Pauci in Eccleſia primitiua Clerici, ſed gnaui, & in officio aſsidui.

MIRA ſanè Clericorum in veteri Eccleſia paucitas, à quibus tamen ſollicitè Eccleſiæ regebantur, vt diuinos viros dicere debeam, qui tot officia tam pauci explerent. Epiphanius hæreſi 56. aliàs 75. num. 5. vnicum Epiſcopum vnius vel plurium Diaconorum officio adiutum abſque Preſbyteris adiutoribus in primitiua Eccleſia aliquando extitiſſe teſtatur. Multis in locis, ſi credimus Ambroſiaſtro in caput 3. prioris ad Timotheum, *Bini per Eccleſias Presbyteri erant.* Sed & Poſthumianus in Concilio Carthaginenſi tertio, can. 45. oſtendit Preſbyterum vnum aliquando in aliqua Eccleſia cum Epiſcopo fuiſſe, ait enim: *Si* (Epiſcopus) *vnum tantùm Presbyterum habuerit, nunquid debet et vnus iſte auferri?* atque adeò Cornelius in epiſtola ad Fabium Antiochenum apud Euſebium lib. 1. hiſtoriæ cap. 6. Eccleſiam Romanam ſummoperè commendat, quòd ſub vno Epiſcopo quadraginta ſex eſſent Preſbyteri ac determinato numero alij Clerici.

Neocæſarienſe Concilium can. vlt. ſeptem tantùm Diaconos in qualibet ciuitate ordinandos ſtatuit. Ambroſius in caput 3. ad Titum, numerum Diaconorum & Preſbyterorum definitum in Eccleſia fuiſſe oſtendit. *Nunc autem*, inquit, *ſeptem Diaconos eſſe oportet, & aliquantos Presbyteros, vt bini ſint in Eccleſiis, & vnus in ciuitate Epiſcopus.* Sardicenſe cap. 6. in vico vel parua vrbe vnum Preſbyterum ſufficere putauit. Toletanum habitum anno 12. Recaredi Regis can. 2. vel Preſbyterum vel Diaconum in Eccleſia quauis vicana inſtitui iubet: ſi minor eſt cenſus Oſtiarium à ſacerdote eligi, qui nitorem eius procuret.

§. IV.

Statutum ab Eccleſia, vt determinatus eſſet numerus Clericorum.

IN Remenſi verò Canone 9. apud Yuonem part. 3. cap. 49. plures in eadem Eccleſia vicana prohiberi videntur Preſbyteri: varia Concilia quæ nempe legem iſtam Eccleſiæ tot Canonibus conſtitutam ſupponunt, neminem niſi alicui Eccleſiæ adſcriptum ordinari debere, in vnaquaque Eccleſia nonniſi certum numerum inſtituendum eſſe præſcribunt. Synodus Romana ſub Eugenio ſecundo, & Leone quarto, can. 9. ſtatuit, *vt in congregandis Clericis modus diſcretionis teneatur: videlicet ne plures admittantur, quàm facultas rerum eis canonicè attributa ſufficere poſſit. Deus enim noſter omnipotens tribus in rebus vniuerſa conſtituit, pondere videlicet, numero, & menſura, cuius nos ſaluberrimum perficere & conſeruare præceptum ſemper oportet.*

Audis, Celloti, Dei præceptum eſſe, vt ſicut omnia in pondere, numero & menſura creata ſunt: ita & Clericorum numerus, certus ac definitus eſſet. Nos huic diuinæ inſtitutioni parere, hanc diuinam Regulam tenere oportere. Quid tu ergo illos reprehendis, qui Clericorum numerum certum tenendum putant, certámque & definitam ſacerdotum multitudinem eſſe contendunt? Quamuis enim à ſacerdotio nobis diuina beneficia proueniant, quibus nulla maiora; quia tamen ipſa Deus ordinata eſſe voluit; ideò & certo numero concluſit, & qui diuinæ prouidentiæ atque inſtitutionis fines excedit, hic ſuperfluus dici poteſt. Non autem ſacerdotes Deus propter ſolam ſacrificandi functionem eſſe voluit, ſed propter reliquas etiam ſacerdotij functiones: quarum diſtribuendarum poteſtatem pro populi neceſſitate, & ordinata officiorum Eccleſiæ diſpenſatione, Eccleſiæ reliquit.

Acephalos verò & ſine titulo Eccleſiaſtico Clericos Eccleſia ſemper ſummoperè deteſtata eſt. Veteres Canones Clericos non adſcriptos alicui Eccleſiæ reiiciunt: nupera Tridentina Synodus ſeſſione 23. cap. 16. de reformatione ſtatuit, *vt nullus in poſterùm ordinetur, qui illi Eccleſiæ aut pro loco, pro cuius neceſſitate, aut vtilitate aſſumitur, non adſcribatur, vbi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus.* Hæc Conſtitutio ſi ſeruetur, quam ſeruari oportet: patebit ſuperfluos etiam ſacrificio diuino

offerendo miniſtros ordinari poſſe: qui Eccleſiæ, cui adſcribentur, officiis congruè & conſentaneè implendis non neceſſarii, non vtiles fuerint.

Tu, cui diſciplina Eccleſiæ videtur fabula, cui diuinæ prouidentiæ fines ignoti, cui Conciliorum ſtatuta vileſcunt, rides hæc omnia: & quia magnum à ſacerdotio nobis bonum contingit, ſacerdotum immenſum numerum exigis: eodem ſcilicet conſilio, quo, quia à potu, cibo, medicinâ nobis accedit vtilitas; horum omnium nullum modum eſſe velles: quaſi verò non illud omne quod immodicum eſt, eo ipſo malum ſit: nec poſſit dici etiam boni nimia eſſe communicatio, vbi faſtidium & contemptum nimia diffuſione parit, quaſi non fructus diuini ſacrificij lædatur, vel irreuerentiâ myſteriorum, vel contemptu miniſtrorum.

Proſequamur cætera. Concilium Aquiſgranenſe ſub Ludouico Pio, lib. I. can. 118. *Cauendum*, inquit, *ſummopere præpoſitis Eccleſiarum eſt, vt in Eccleſiis ſibi commiſſis non plures admittant Clericos, quam ratio ſinit & facultas Eccleſiæ ſuppetit: ne ſi indiſcretè & extraordinariè plures aggregauerint, nec ipſos gubernare, nec cæteris Eccleſiæ neceſſitatibus, vt oportet, valeant adminiculari. Sunt namque nonnulli vanam gloriam ab hominibus captantes, qui numeroſam Cleri congregationem volunt habere, qui nec animæ, nec corporis curant ſolatia exhibere. Hi namque taliter aggregati, dum à Prælatis ſtipendia neceſſaria non accipiunt, neque canonicum ſeruant ordinem, nec diuinis officiis inſiſtunt, clauſtra, ſocietatémque cæterorum relinquentes, efficiuntur vagi & laſciui, gulæ & ebrietati, & cæteris ſuis voluptatibus dediti, quidquid ſibi libitum eſt, licitum faciunt; proinde præpoſitis ſolerter prouidendum eſt, vt in hoc negotio modum diſcretionis teneant, ſcilicet, vt nec pluſquam oportet, & poſſibilitas Eccleſiæ ſuppetit, in congregationem admittant: nec eos quos rationabiliter gubernare poſſint, cauſâ auaritiæ abiiciant.*

§. V.

Monachorum in Presbyteros & Clericos promouendorum ab Eccleſia poteſt numerus determinari.

SED video quid te angat & malè habeat, vulnus detego, in his tuis verbis, §. & pag. citatis: *Audio te tamen, Franciſce, vbi deſinunt aliæ cauſæ: velles Religioſos omnes à Prælatis repelli prætextu multitudinis: cui enim vſui modo poſſunt eſſe Regulares, qui neceſſarias olim operas ſuppleuerunt?*

Quod me velle dicis, ſi quæram, quo argumento comprobes, nullo certè alio quàm diuinationis tuæ, quàm *iniuſtij temerarij* notâ Theologi morales coarguerent. Abſit omnes Regulares ab ordine excludi aut velim, aut cogitarim, ſed eorum operas ſpiritales pro multitudine populi neceſſarias prudenter exiſtimari poſſe iudico, ad plurium vel paucorum ordinationem procurandam. Nolo plures in Eccleſiaſtica militia duces, aut præcones, aut buccinatores creari quàm milites. Quod ab antiquo in Eccleſia omnibus ſæculis ſeruatum, vt in locum vnius Clerici alter ſuccederet, nec ordinaretur vllus, qui non populi vtilitatibus ac neceſſitatibus deſeruiret, ſiue in offerendo ſacrificio, ſiue in aliis officiis ad quæ deſtinabatur, nunquam ferè tamen ſoli ſacrificio offerendo; quidni hoc ipſum hocce tempore obſeruetur? Num votum iſtud reprehendendum eſt, quod maiorum noſtrorum fuit, quod ad veteris Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quantum ſine turbatione vnitatis fieri poteſt, reſtaurationem adſpirat? Num Regularibus infenſus videbor, ſi quod circa ſæculares fieri exopto, id etiam circa Regulares obſeruari expetam. Seruetur nempe Tridentina Conſtitutio citata, quæ præcipit, vt iuxta Chalcedonenſem Canonem, Clericorum, qui vel Eccleſiæ ciuitatis aut pagi vel Monaſterio, vel Martyrio adſcribuntur, numerum ad vtilitatem vel neceſſitatem populi metiamur.

Certum eſt ex veteris Eccleſiæ diſciplina, in Monaſteriis pauciſſimos ſacerdotes fuiſſe: conſtátque ex Epiphanio epiſtolâ ad Ioannem Hieroſolymitanum inter epiſtolas Hieronymi, Palladio cap. 8. Lauſiacæ hiſtoriæ. Ruffino de vitis Patrum lib. 3. num. 188. auctore alio Græco Anonymo, lib. 5. de vitis Patrum, quem Latinè vertit Pelagius Romanæ Eccleſiæ Diaconus libello 5. num. 27. alio item auctore incerto lib. 7. eiuſdem Operis, quem in Latinam linguam tranſtulit Paſchaſius cap. 33. Caſ-

Digitized by Google

ſiano collatione 4. cap. 1. multos ex iis ſacerdotibus, qui in Monaſteriis abſque cura animarum ordinati fuiſſent, à ſacrificij diuini celebratione abſtinuiſſe. Conſtat etiam ex Regula ſancti Benedicti cap. 69. §. 1. Regula ſancti Aureliani cap. 45. §. 2. in Monaſteriis, vnum Preſbyterum & Diaconum fuiſſe: conſtat ex Gregorij Magni epiſtolis 44 lib. 5. indict. 14. & 12. lib. 1. ſummi beneficij loco conceſſum Monaſteriorum Abbatibus fuiſſe, vt ordinarentur. Liquet etiam ex Iuſtiniani Nouella 123. cap. 36. in Monaſteriis fœminarum eligi conſueuiſſe, εἴτε πρεσβύτερον, εἴτε διάκονον εἰς τὸ ποιεῖν τὰς ἀποκρίσεις, ἢ τὴν ἁγίαν αὐταῖς κοινωνίαν φέρειν, *Siue Preſbyterum, ſiue Diaconum, vt pro ipſis reſpondeat, aut ſanctam Communionem eis deportet.* Imò & aliquando nonniſi Clericum eis ab Epiſcopo dari, non quidem ad Communionem eis impertiendam, ſed ἵνα τὰς ἀποκρίσεις τοῦ μοναστηρίου, *ad reſponſorum Monaſterij munus.* Ex Nouella verò 133. cap. 2. quædam fuiſſe Monaſteria virorum abſque Eccleſiis, quorum Monachi cum reliquis ad communem Eccleſiam conuenirent, quædam vero quæ haberent Eccleſias, in quibus numerus ordinatorum determinatus eſſet, de quibus ſcilicet hæc ex more in Eccleſia recepto conſtituit, τέσσαρας ἢ πέντε πρεσβύτας ἐκ τῆς αὐτῆς μονῆς εἶναι κατὰ τὴν ἐν τῷ μοναστηρίῳ καθιδρυμένην ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν, οἷς ἤδη πᾶς ἀγὼν ἤνυσται κατὰ τὴν ἄσκησιν, καὶ οἵπερ χειροτονίας ἠξίωνται τῆς ἐν τῷ κλήρῳ πρεσβυτέρων τυχὸν, ἢ διακόνων, ἢ τῶν ἐφεξῆς ἐχόντων σχῆμα. *Porro ſi in ſacroſancta Eccleſia quæ in Monaſterio conſiſtit, quatuor aut quinque ex eadem manſione ſenes ſint, quibus omnis iam difficultas in ſacroſancta illa vitæ ac fidei inſtitutione ſuperata eſt, & qui ordinationem in Clero meruerunt, Preſbyterorum forte vel Diaconorum, vel aliorum deinceps gradum tenentes:* Quorum munus deſcribit nempe vt adeuntibus ſui copiam faciant, & de Scripturis ſanctis exquiſitiùs ſermocinentur, efficiántque vt alij omnes tales reputentur, ſimul ſacram adſeruantes ædem; ſimul iuuentutem inſoleſcentem, & terminos ſuos egredi volentem, in tolerantia retinentes.

Innumera alia proferre poſſem, quæ in Monaſteriis determinatum Preſbyterorum numerum olim fuiſſe doceant: imò licèt aliquando ob eximiam ſanctitatem quorumdam inducti fuerint Epiſcopi ad Monachos ordinandos ſine vlla animarum cura, nullo alio ſacro miniſterio impoſito, quàm orationis & precum: id tamen rarum fuiſſe, nullâque Eccleſiaſticâ lege firmatum obſeruari poteſt.

Ex quibus omnibus, duo aduerſus Cellotium inferuntur, licèt contemplationis cæleſtis, precum, ſacrificij diuini infinitum ſit pretium, tamen Eccleſiam, quæ nouit Clericatum ac Sacerdotium ad aliorum purgationem etiam exteriori miniſterio procurandam deſtinari; noluiſſe olim ad ſolum precum aut ſacrificij vſum quemquam ordinari, imò & qui ab eo exteriori miniſterio ceſſarent, quamuis ſacrificij illius quantus eſſet fructus mente caperent, nihilominùs ne vnum ab alio diſiungerent, etiam ab iſto diuino opere interdum ceſſaſſe, eámque etiam quorumdam Monaſteriorum legem fuiſſe, vt ex Palladio citato ſupra colligere poſſumus.

Secundò ex iſtius miniſterij exterioris neceſſitate vel vtilitate numerum ſacerdotum in Monaſteriis determinatum fuiſſe, nec tot ordinatos quot Deo colendo per ſacrificium, & preces vtiles viderentur: ſed quot regendis Monaſterij fratribus, iiſque inſtruendis, in officio continendis, diuiniſque ſacramentis reficiendis ſufficere viderentur.

Licèt autem eorum ordinum qui in ſalutem ſpiritalem proximorum impenduntur, diſpar eſſe poſſit ratio, vt multò plures expediat ex iis ad ſacerdotium promoueri, quia maior & diffuſior eſt eorum opera, & labor ſpiritalis in concionibus habendis apud populum, confeſſionibus excipiendis, aliiſque ſpiritalibus miniſteriis exercendis: nihilominùs in eo parem & antiquiorem eorum eſſe rationem, quòd ſicut in Monaſteriis ſacerdotes olim creabantur, plures vel pauciores pro exigentia ſacerdotalium functionum in iiſdem Monaſteriis neceſſariò exercendarum, & numerus quidam eorum determinabatur: ſic iam habitâ quoque ratione eiuſdem exigentiæ, numerus ſacerdotum Monachorum determinari oporteat, ita vt in amplioribus ciuitatibus maior vt plurimùm eorum debeat ordinari numerus, quàm in minùs populoſis: & vbi plures ſunt ordinarij ſacerd[illegible], in ſubſidium pauciores ſunt aduocandi.

Hanc Eccleſiæ mentem eſſe colligi[illegible] ex Clementina *dudum de ſepulturis*, §. *numerus*, in qua Conſtitutione Clemens quintus in Concilio generali Viennenſi hæc ſta-

Digitized by Google

tuit, *Numerus autem perſonarum aſſumendarum ad huiuſmodi officium* (audiendarum confeſſionum) *exercendum eſſe debet, prout vniuerſitas Cleri & populi ac multitudo, vel paucitas exigit eorumdem.*

Colligitur ex Extrauaganti Bonifacij VIII. *ſuper Cathedram*, inter Extrauagantes communes, titulo *de ſepulturis*, in quo de Religioſis ad confeſſiones aſſumendis ſimiliter ſtatuitur, *Vt numerus perſonarum aſſumendarum ad huiuſmodi officium eſſe debeat prout vniuerſitas Cleri & populi, ac multitudo vel paucitas exigit eorumdem.* Colligitur etiam, quandoquidem aduerſus Ieſuitam agimus, ex prudentia quam erga Societatem iſtam iam coaleſcentem Apoſtolica Sedes oſtendit. Niſi enim & Clericorum & Sacerdotum numerum aliquem definitum eſſe ſibi perſuaſiſſet Paulus III. perperàm in Bulla, quâ illius Societatis inſtitutum primum approbauit, Profeſſorum eius numerum ad ſexaginta duntaxat perſonas Apoſtolico diplomate præſcripſiſſet, cuius initium eſt, *regimini militantis*, tomo 1. Bullarij Cherubini, cuius quidem Conſtitutionis meminit Orlandinus lib. 4. hiſtoriæ Societatis, num. 2. Quamtumuis enim, quos Sedes Apoſtolica huic Ordini circumdederat cancellos, dictus Pontifex poſtulante Ignatio reuulſerit, teſte eodem Orlandino, Bullâ quæ incipit, *Licet debitum*, §. 40. & coadiutorum numerum ad alios, quos idoneus præpoſitus Generalis iudicarit, extendi poſſe voluerit: quod nimirùm aperiente ſe vbique meſſe, meſſorum copia maior deſideraretur, nec iam paucis locis ſocietas concludi poſſet, ſed ad plurima diffundenda eſſet, non tamen in vnaquaque ciuitate, aut Diocœſi, ampliorem aut ſacerdotum huius Societatis, aut alterius copiam ſummus vnquam Pontifex eſſe voluit, quàm ad Eccleſiæ miniſteria obeunda, & populorum neceſſitatibus ſubueniendum ſufficeret.

Grauiſſima & idonea huic rei confirmandæ auctoritas S. Thomæ 2. 2. q. 188. a. 4. ad 3. obiicienti enim, *inconueniens videri quod auctoritas prædicandi, & confeſſiones audiendi infinitis hominibus committatur*, reſpondet, *quod à Prælatis non conceditur talibus Religioſis, vt quilibet indifferenter prædicare, vel confeſſiones audire poſſit, ſed ſecundum moderationem eorum, qui huiuſmodi Religionibus præficiuntur, vel ſecundum taxationem ipſorum Prælatorum.* Lege Caietanum Comment. in eundem articulum.

§. VLTIMVS.

CONCLVSIO ADVERSVS CELLOTIVM.

EX iis autem quæ circa numerum Confeſſariorum & Prædicatorum definiendum, ſtatuta, definita, aſſerta ſunt: licet etiam argumento à ſimili oſtendere ſacerdotum, ad diuinum officium offerendum, numerum determinatum eſſe debere: maximè cùm ad ſolas preces & ſacrificium diuinum Eccleſia non probarit ordinari vt plurimùm ſacerdotes, qui in cæteris inutiles exiſtant; nec vlli certo officio Eccleſiæ neceſſario addicantur. Vtroq. igitur argumento inferre licet numerum ſacerdotum innumerabilem eſſe non debere, nec in immenſum creſcere, nec omnes homines ad ſacerdotium prouehi expedire, multò minùs brutas animantes, & corpora omnia ſenſus & vitæ expertia in homines mutari eâ dignitate exornatos, quod tu Thraſonicâ exaggeratione aſſeueras.

Nec ad rem eſt magnifica iſta oratio, quæ à te loco citato ſubiungitur; exuberare ſcilicet Lutetiæ operariorum multitudinem, nec tamen ad viginti tria millia octingentos octoginta aſcendere, quot Leuitas vni tabernaculo, vni ſacrificio, vni populo addictos Moſes recenſuit. Poſthæc quatuor terræ partibus prouidendum eſſe, tuncque exuberantem iſtam multitudinem Pariſiis nimiam minimè futuram, cùm in Canadenſes, Braſilos, Taupinambuccios, Abiſſinos, Sinenſes, Iaponas, Cafros, Mauros, Ægyptios, Græcos, Turcas, Perſas, ſeſe effuderit. Quid enim ex hac oratione aptè ad propoſitam quæſtionem concludas parum intelligo: non enim video te aliquid concludere poſſe, niſi Lutetiam cum tota Paleſtina, & Pariſienſes cum integro Iſraëlitarum populo compares, quod ineptum eſt: vel niſi Pariſienſi Epiſcopo vniuerſis orbis partibus ſacerdotes affatim prouidendi curam ineſſe volueris, quod erroneum eſt. Hoc ergo intellige, quænam mea ſit, circa ea, quæ à te proferuntur, ſententia: nimirùm Pariſienſem Epiſcopum deſeruituros ſuæ Eccleſiæ ſacerdotes tot debere

ordinare, quot populo ſuo ſufficiant. Si qui ex ſuis; in quos poteſtatem habet, pio hoc deſiderio incaleſcant, Euangelium in remotiſſimas prouincias deferendi, & hoc in alieno cælo verſaturos ordinare, ſuáque & benedictione & precibus proſequi poſſe, Eccleſiæ profuturos vniuerſæ, nec ſuam Diœceſim immodicâ multitudine grauaturos. Quid me, quid Aurelium compellas ad longinquas iſtas profectiones, & te vel Comitem vel aſſeclam pollíceris. Idem dictis adſtrues, cùm vobis eum cæteris eiuſdem propoſiti viris optimè conuenerit; comites non amat ambitio. *Votum pro viatico* tibi futurum ais: ſed ſcimus & alia à vobis viatica prudenter comparari. Verùm quid moramur in iis tricis, vnum mihi ſemper in votis erit Deum vocantem ſequi, hactenus Spartam, quam nactus ſum, adornare curaui, maioribus me indignum conſiliis duco: quòd ſi ad maiora Deus vocet, ſummis iam ab eo precibus expoſtulo, vt quod voluerit manifeſtum faciat, & quod manifeſtum fecerit, velle & perficere tribuat.

ARTICVLVS VII.

Error Cellotij functiones hierarchicas Eccleſiaſticorum ordinum poſtponentis cæleſtis Hierarchiæ ſeu cuſtodiæ Angelicæ officiis.

§. I.

Præcellentiam ſacerdotij ſupra officium Angelicæ cuſtodiæ non officere Angelorum dignitati.

GRAVIOREM moueo aduerſus Cellotium expoſtulationem, præfert ille capitibus 19. & 20. lib. 2. pluribus integris paginis, officium Angelicæ cuſtodiæ, officiis Sacerdotum & Epiſcoporum. Et quia prælatio omnis vnius officij ſupra aliud, illius quod inferiori loco ponitur, videtur quædam eſſe depreſſio, ideò callidè conatur, quidquid ego dixi de præſtantia ſacerdotalis & Epiſcopalis officij, criminari quaſi in contemptum Angelicæ cuſtodiæ, cui plurimum debemus, à me dictum fuerit.

Sed æquiſſimè ferent beatiſſimi illi ſpiritus, ſi hominibus à Chriſto demandata quædam officia; quæ ſine Chriſti ipſius contemptu officiis ipſorum poſtponi non poſſunt, pró rei veritate præferamus, non inuident dignitati Chriſti, non dignitati hominum quæ cum Chriſti dignitate coniuncta eſt. Sequamur ergo exemplum Apoſtoli, quomodo in eiuſmodi comparationibus loquendum ſit, nobis præmonſtrantis epiſtolæ ad Heb. cap. 2.

Primùm enim Chriſtum naturam inferiorem dignitate Angelicâ aſſumpſiſſe fatetur, Angelis tamen hypoſtaticâ vnione, poteſtate & auctoritate longè ſuperiorem eſſe prædicat, auctoritate Prophetæ Regij Pſal. 5. in cuius explicationem hæc addit, *Eum autem qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum: vt gratiâ Dei pro omnibus guſtaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare. Qui enim ſanctificat, & ſanctificantur ex vno omnes.* Nec dubitat idem Apoſtolus ex eadem Chriſti Domini præcellentiâ ſuper Angelos, aliquam ſimiliter noſtrûm omnium ſupra Angelos prærogatiuam deducere, vt Angeli Dei miniſtri ſint, nos autem fratres dici poſſimus, ſubiungit enim, *Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare*, dicens Pſal. 21. *Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te.* Et iterum Pſal. 17. *Ego ero fidens in eum.* Et iterum Iſaiæ 6. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus: quia ergo pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, Diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti. Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit: vnde debuit per omnia fratribus ſimilari.*

Quòd ſi licuit Apoſtolo, Angelos naturâ nobiliori præditos illâ quam Chriſtus aſſumpſit, Chriſto non ſolum ſubiicere in pluribus (quod ſine ſumma impietate nega-

ti non poteſt) verùm etiam nobis ipſis hominibus lutea vaſa portantibus, in ea dignitate poſtponere, quæ nobis ex conſortio eiuſdem cum Chriſto naturæ prouenit, ratione cuius Dei fratres vocari, & eiuſdem cum Chriſto Deo ſubſtantiæ dici poſſumus: quo etiam titulo hoc ſummum nobis diuinâ dignatione beneficium contigit, & ad hoc dignitatis faſtigium erecti ſumus, vt noſtram naturam diuinæ perſonæ vnitam gloriari poſſimus, communicantes gloriæ Chriſti, cui carnis & ſanguinis Communione coniungimur, ſecundùm quam homo Verbo diuino vnitus, Deus incarnatus, & Deus homo factus eſt. Similiter & licebit nobis ratione ſacerdotij, cuius per ordinationem fuimus participes, Angelis non ſolùm coæquare, verùm etiam præferre.

Quis Viceregem, cui Rex omnem ſuam poteſtatem commiſit, temeritatis arguat, ſi eo ie titulo miniſtris & domeſticis Regis, quamtumuis honoratioribus ac genere nobilioribus præferat? ſi non patiatur vicariam ſuam poteſtatem ac dignitatem vileſcere, ſed loci ſui dignitatem implere ſatagat? quis enim non potius eum tanquam loci ſui immemorem carpat, ſi aliquid ſibi de Maieſtate regiæ poteſtatis quam repræſentat, delibari patiatur? nónne abſque ambitionis nota licet imaginem pulcherrimæ formæ, & optimè elaboratam, etiamſi apud te exiſtat, alteri imparis artificij, & pulchritudinis ſimulachro apud alium exiſtenti pręponere? etiam in lutea materia Praxitelis ac Ph.d æ. induſtria, imperitorum ſtatuariorum circa marmor impenſæ operæ pręferri ſolet.

Non ergo Angelos contemnimus, dum ſacerdotium Chriſti in delegato ſacerdote Angelorum cuſtodiæ præferimus; dum vicariam poteſtatem magni Regis, miniſtrantium circa nos officiis; antitypum & apographum ſacerdotij Chriſti, effictam poteſtatis eius exemplo ab ipſo imaginem, Angelicæ virtutis delineationibus, virtutem & influxum ipſius Spiritus ſancti per ſacerdotes tanquam per canalem quemdam prodeuntem Angelicæ operationi anteponimus.

Angeli naturâ, ſtatu, conditione, ſacerdotibus præſtare non abnuo, nec vnquam abnui: perlegat Lector totum Paragraphum ſecundum cap. 2. lib. 3. vindiciarum, quo eam quęſtionem tractaui: ne verbum quidem reperiet, quòd eò trahere poſſit, vt dixiſſe videar Angelorum naturam inferiorem eſſe naturâ ſacerdotum, horum conditionem meliorem, ſtatum optabiliorem. Inſcriptio huius Paragraphi 2. ſatis oſtendit qua de re agatur, nempe *Officium Angelicæ cuſtodiæ officio paſtorali inferius eſſe.* Propoſitio quoque, quam impugnandam inſumpſi, ea fuit, *Munus cuſtodiendarum animarum, quo funguntur Angeli, Epiſcopali aut Sacerdotali muneri vel æquiparari, vel anteponi.*

Calumniatur ergo Cellotius, dum lib. 2. cap. 19. §. vnico integro, cùm non poſſet ſoluere argumenta, quibus officium Epiſcopale ac Sacerdotale ſuperius officio Angelicæ cuſtodiæ probabamus, quęſtionem aliò transfert, ac ſi Angelis ſacerdotes, & Epiſcopos abſolutè ſimpliciter prætuliſſemus. *Quis*, inquit, *neſcit Epiſcopale onus Angelicis humeris eſſe formidandum, opus ſacerdotale Angelicis manibus inconceſſum, ſacramentorum confectionem maximeque τὴν τελετὴν τελετῶν ab Angelis quodammodo nobis inuideri? ſed Angelos, qui his careant prærogatiuis, cùm alia multa in homines agant naturæ ſuæ conſentanea, nego eſſe illo contemptu dignos, quem aduerſarij palam & apertè demonſtrant.*

Scilicet magnum aliquid confeciſti, Angelos non eſſe dignos contemptu; quis hoc vnquam negauit, quid te verſas, vt id probes quod conceſſimus, quàm liberaliùs egiſſes, ſi agnoſcens Angelicis humeris formidandum eſſe ſacerdotium, quibus aſſidua in cuſtodiendis animabus opera nullam talem gignit formidinem, ſacerdotium quoque Angelicâ animarum cuſtodiâ ſuperius eſſe & pręſtantius admiſiſſes. Si opus ſacerdorale Angelicis manibus inconceſſum ſciuiſſes, non te anxiè poſteà pag. 88. & 89. torſiſſes, vt illud ipſum Angelis concederes, quemadmodum inferiùs demonſtrabimus. Si ſacramentorum confectionem, maximèque Euchariſtiæ quodammodo inuideri ab Angelis faſſus eſſes, eam tu poſteà hominibus propriam non inuideres, nec Angelum in eo munere æquares, quaſi quæcunque ſacerdos immediatè efficit, Angelus mediatè, & remotè efficiat, aut eius opera hierarchica nihilo inferiora ſint ſacramentorum confectione, quod tu, vt infrà docebimus, aſſeris.

Digitized by Google

§. II.

Inſignes prerogatiua ſacerdotij in productione Corporis & Sanguinis Chriſti ac ſanctificatione hominum.

EXTERSA igitur iſtâ calumniâ, quæ Cellotij fundamenta deſtruit, omnéſque in contrarium rationes diſſoluit, quæ rationes noſtras & Patrum teſtimonia ſuperiori opere vindiciarum noſtrarum allata ſuo robori reſtituit, hoc potiſſimùm pro dignitate ſacerdotij ſupra munus animarum cuſtodiendarum Angelis conceſſum, vrgendum duco quod initio protuli, nempe non conceſſa eſſe Angelorum cuſtodiæ, quæ ſacerdotio conceſſa ſunt plurima.

Prærogatiua ſiquidem ſacerdotij inſignis eſt, quòd Chriſtus *cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo, in finem dilecturus eos* ſine fine, ſine modo, & ad Patrem rediturus, eximiæ ſuæ erga nos dilectionis ſtupenda teſtimonia exhibere voluerit: huiúſque rei cauſa duo ſupra omnem cogitationem miranda, ſupra omnem cuiuis vnquam (ſi fortè dignitatem matris Dei exceperis) dignitatem conceſſam efficere decreuerit, quæ in vno ſacerdotio reperiantur.

Primùm enim, vt nobiſcum ſemper verſaretur, nec nos deſeruiſſe dici poſſet, qui & moriturus erat, & ad Patrem aſcenſurus, de ſacerdotum ordinatione & creatione cogitauit, per quos nobis & Corpus ſuum & Sanguinem communicaret, & Spiritum ſuum effunderet, vt per eos & nobis & in nobis viueret: & nos à peccati morte liberati, cum ipſo, & ſpiritu eius viueremus, & carnis eius manducatione, ac ſanguinis potu ad immortalem cum ipſo vitam pararemur,

Ex quo fit, vt ſacerdotium quodammodo ſemen ſit ſpiritale, quo Chriſtus in hominibus non ſolùm per gratiam, verùm etiam per ſubſtantiam viuit: quod innuiſſe viſus eſt Tertullianus Scorpiaci, cap. 9. dum Apoſtolos miſſos ait, *cum toto ſacramento, cum propagine nominis, cum traduce Spiritus ſancti*, dum ſuccedentes Apoſtolis ſacerdotes *hereditarios diſcipulos, Apoſtolici ſeminis frutices* appellat.

Habet ab iſta prærogatiua ſacerdotium duo, quibus Angelicæ cuſtodiæ longo interuallo præferatur: vnum in quo quodammodo beatæ Mariæ Virgini coæquatur: ſicut enim iſta ſemel Chriſtum produxit, & in mundum effudit: ita quotidie ſacerdotes eundem ſacris altaribus ſiſtunt, &, vt ait Hieronymus epiſt. 1. ad Heliodorum, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt: æmulatur etiam diuini Patris perſonalem dignitatem in eo poſitam, vt verbum producat ſuum, quod quotidie incarnatum expreſſione verbi ſacerdotes producunt. Cogitet vnuſquiſque quàm honorifica ſit ſacerdotij dignitas, cui quodammodo Chriſtum compellare iis verbis licet, quibus eum diuinus Pater affatur, *Ego hodie genui te*, ſeu ego hodie produxi te.

Ex quo loco ſi potuit Paulus ad Hebręos 1 dignitatem Chriſti ſuper omnes Angelos inferre, quia nulli Angelorum tale quippiam vnquam dictum eſt, quidni & liceat mihi ſacerdotalis muneris ex eodem ſupra Angelica officia extollere, quia nullus vnquam Angelus hoc Chriſto dicere potuit, quod ſacerdos ſacrificans poteſt dicere, *Ego hodie produxi te.* Hanc excellentiam ſupra Angelos ſpectarunt, & mirati ſunt Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio, homil. 93 in Mathæum, & 60. ad populum Antiochenum, item hom. *in laudem eorum, qui comparuerunt in Eccleſia*, & Bernardus ſermone in Cœna Domini à nobis in vindiciis citati, quibus etiam addes eumdem Chryſoſtomum homil. 51. in Math. tu ad hæc vel ſimilia quid reſpondes? mala vtique fide agis, qui hęc diſſimulas cùm ſoluere nequeas, & tamen contradicere velis, cùm obiectis reſpondere non poſſis.

Excipis quidem lib. 2. cap. 18. pag. 85. ſacrificium, quo vnico vis videri ſacerdotem cuſtodi Angelo pręcellere, ſed mox pręrogatiuam iſtam deprimis, dum oblationem corporis Chriſti magis Angelis, quàm ſacerdoti attribui ſcribis, qua de re infrà. Dum item ſacrificio Angelos cooperari dicis, quia voluntatem illud efficiendi præſtant, & verborum ad Chriſti corporis conſecrationem imagines exhibent. Quæ omnia & perperàm à te iactantur, ac ſine fundamento, & Angelicæ pręcellentiæ non multùm conducunt, quandoquidem & laicus ſacerdotem ad conſecrandum adhortari,

ri, & de verbis conſecratoriis inſtruere poſſit: quamuis dignitate & poteſtate non ideò ſacerdoti eſſet vllatenus in eo comparandus.

Alterum ad ſacerdotij ſupra Angelicam cuſtodiam præcellentiam demonſtrandam, ex eadem prærogatiua colligitur, quòd diuinum Spiritum ſacerdos ſupra populum effundat, Deo nos vniat, deóſque efficiat: effundit autem ſpiritum Dei, tanquam inſtrumentum Deo quodammodo coniunctum ſanctificationis diuinæ: vt quemadmodum per humanitatem Chriſti hypoſtaricè vnitam, à Verbo omnes ſanctificamur, *de plenitudine enim eius omnes accepimus*, Ioan. 1. ita ſacerdotij virtute omnes ſanctitatem à Chriſto accipiamus. Sanctificari quidem humanitatem Chriſti oportuit, vt eſſet inſtrumentum redemptionis & ſanctificationis generis humani: ſanctificantur in ſua ordinatione ſacerdotes, vt ſint inſtrumenta ſanctitatis, & meritorum, & ſatisfactionis eius hominibus communicandæ: humanitas Chriſti per Verbum quidem formaliter ad hoc opus redemptionis humanæ ſanctificatur; ſacerdotes verò Chriſti ad idem opus ſanctificationis hominum ſanctificantur per Spiritum ſanctum: in quorum proinde ordinatione dicitur Ioannis 20. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Et paulò poſt, Chriſto inſufflante, adiungitur, *Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis*, &c.

Sanctitas diuini Verbi in humanitatem Chriſti, operante Spiritu ſancto effluxit, iuxta illud Luc. 1. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, Filius Dei vocabitur*: ſimiliter & ſanctitas humanitatis Chriſti ad ſanctificationem cæterorum per ſacerdotum miniſterium, operante Spiritu ſancto defluit, quod vtique ſignificat Chriſtus Ioannis capite decimo ſeptimo, dum ſe in Apoſtolis ait clarificatum, dum ſanctitatem à Patre ſuo acceptam ſe in eos refundere, & illos ſibi quodammodo in eo ſimiles nobis repræſentat iis verbis: *Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum, & pro eis ego ſanctifico meipſum: vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate.* Et paulò pòſt, *Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis: vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus.* Ac ſi diceret, eo fine quo Pater eum miſit in mundum, vt ſaluaretur mundus per ipſum, ita & miſſos ſacerdotes Apoſtolicæ poteſtatis heredes, vt per eos ſimiliter mundus ſaluaretur: quâ poteſtare remittendi peccata, & ſanctificandi homines ipſe donatus eſt, eadem poteſtate à ſe ipſos quoque donatos: ac ſi teſtaretur quòd ſemetipſum ſanctificarit infinita aggregando meritorum & ſatisfactionum opera, vt hi ſanctificati in veritate aliis eandem ſanctitatem impertirent in veritate docendos, & veritatem gratiæ per ſacramenta exhibentes: eandem tandem quam habet claritatem & dignitatem iis ſe largiri, vt ſint vnum agens cum Patre communicatione ſanctitatis, ſicut ipſe cum Patre ſuo vnum eſt ob vnitatem virtutis, ratione cuius ei neceſſum eſt idipſum operari quodcumque Pater operatur, Ioan. cap. 5.

Atque, vt hanc prærogatiuam occulatiùs & attentiùs intueamur, duas tantùm reperio rationes explicandæ virtutis, per quam tam ſacramenta quàm ſacerdotes gratiam in Chriſtianorum animabus producunt. Diuus Thomas tertiâ parte, quæſt. 62. art. 1. in corpore articuli, & in reſponſione ad ſecundum, ſaltem ſecundum interpretationem plurimorum ex diſcipulis ipſius, cenſere videtur, duplicem eſſe virtutem in ſacerdote, & ſacramentis producentibus gratiam; vnam propriam, quæ competit eis ſecundum propriam formam, ſicut ſecuri competit ſcindere ratione ſuæ acuitatis; alteram inſtrumentalem, quæ ſit virtus quædam influxa ab agente principali, habens ſe per modum motus, quo pacto ſecuris, vt eſt inſtrumentum artis, & mouetur per artem, non tantùm habet quòd ſecet, ſed quòd artificiale aliquod opus elaboret. Alij verò priorem virtutem vt minimè neceſſariam reiiciunt, dicúntque inſtrumentum cum agente principali coniunctum ad producendum effectum ſupernaturalem, nullam aliam habere virtutem quam agentis principalis, putà Dei, & agere virtute Dei non ſibi inſidente, ſed ſibi adſiſtente, & quodammodo adhærente, eiuſq; imbecillitatem & impotentiam ſupplente. Vtramuis opinionem ſequamur nihil refert: ex vtraque ſcilicet patebit, ad quantam ſacerdos vi Ordinationis ſuæ, ad quam ſacramenta vi ordinationis ſuæ dignitatem euehantur: nam ſi priorem ſententiam ſequamur, quantæ dignitatis eſt, influxam quandam ab ipſo Deo virtutem ſacerdotem ſuſcipere, & impreſſionem diuinæ virtutis, quoties ſanctificandis animabus vacat! ſi vero poſteriorem, quæ in ſchola communior eſt, amplectamur, illuſtrabit iſtam prædictã

Cc

Chriſti domini ſententiam, oſtendétque vi ſacerdotij hominem ad hoc ſanctificari, vt ſit vnum agens cum Chriſto eodem aliquali modo, quo Chriſtus ratione diuinitatis, eſt vnum agens cum Patre. Etenim Chriſtus eſt vnum agens eum Patre, non ſolùm quia ad eadem opera, & actiones concurrit, ad quæ concurrit Pater, ſed maximè quia eandem habet virtutem quam habet Pater, atqui ſacerdos ſimiliter ad hominis ſanctificationem concurrit, quam non propriâ virtute, ſed inſtrumentali tantùm attingit, non ſolùm eandem habet actionem & terminum eundem producit quem producit Deus, quòd creaturis omnibus Deo cooperantibus conuenit, verùm etiam per eandem virtutem agit, per quam Deus agit: non enim aliam habet vim effectus ſupernaturalis producendi, quam diuinam ſibi adſiſtentem virtutem quæ per ſacerdotium vis eius dicitur & poteſtas. Igitur ſumma in eo prærogatiua eſt ſacerdotis, ratione cuius ſacerdotium officio Angelicæ cuſtodiæ longè præcellit. Quid enim habet Angelus ratione Angelicæ cuſtodiæ huic ſimile vel affine: quicquid agit officij iſtius, per propriam virtutem agit, nunquam coniungitur Deo in ratione vnius agentis, vt tota virtus ſua, virtus ſit vel Dei ipſius, vel influxa à Deo virtus: quod diximus ſacerdoti quatenus ſanctitatem hominis attingit competere: atque ita patet ſacerdotium aliquid homini tribuere (quod ipſum eſt, quod ab Aurelio rectè dicitur eſſe inſtrumentum Dei, quódque Cellotius pag. 87. lib. 2. cap. 19. §. vnico citato Angelis etiam vendicare conatur) ratione cuius ad maiorem dignitatem euehatur, quam Angelus per officium ipſi demandatum cuſtodiendorum hominum promoueri dici poſſit.

Confirmatur; etenim vicarij & eius cuius locum tenet ac tuetur vicarius eadem eſt poteſtas, vt colligitur ex cap. *Romana de appellationibus*, & Leg. 1. §. 1. ff. *quis & a quo appelletur*: ideóque ab iis non appellatur ad eos, quorum locum tenent, vt iiſdem iuribus definitur: atqui ſacerdotes Dei vicarij ſunt, quo nomine ab Ambroſio appellantur in cap. 11. prioris ad Corinthios, *Chriſti ſunt vicarij*, quo eoſdem nomine exornat idem Ambroſius in primam ad Timotheum, cap. 5 φύλακές εἰσι τοῦ τόπου Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Locum ſunt tenentes Ieſu Chriſti*, vt Ignatius loquitur epiſt. ad Trallianos. Nec abnuit Scriptura ſacra quin immò expreſsè docet, dum eos *legatione fungentes pro Chriſto*, nobis deſcribit 2. Cor. 5. & ad Epheſ. 6. nec ab eorum ſententiis appellatur ad Chriſtum, ſed vt eadem Scriptura teſtatur Mathæi 16. & 18. quæcunque ſoluuntur eorum miniſterio in terris, erunt ſoluta & in cælis, quæcunque ligata erunt in terris, ligata erunt & in cælis. Igitur eandem habent illi cum Deo & Chriſto poteſtatem: quod innuit Chriſtus Ioan. 20. dum ait, *ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos.*

Habent ergo ſacerdotes vi ſacerdotij diuinam virtutem: niſi enim eam haberent, quomodo peccata dimittere poſſent? cùm Lucæ 5. ſcriptum ſit, *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus.* Nihil verò tale ſibi vendicare poſſunt Angeli ratione officij ſibi à Chriſto commiſſi cuſtodiendarum animarum: non vicarij Chriſti ſunt, non ſoluunt animas, non ligant, non auctoritate Chriſti vel Dei iudicant, non diuinâ auctoritate vtuntur, non eius locum tuentur; quod priuilegium hominum ſupra Angelos fusè explicat Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio cap. 5. in vindiciis à nobis citatis, ex quo hæc ſolùm excerpimus, οἱ γὰρ τὴν γῆν οἰκοῦντες, καὶ ἐν ταύτῃ ποιούμενοι τὴν διατριβὴν τὰ ἐν οὐρανοῖς διοικεῖν ἐπετράπησαν, καὶ ἐξουσίαν ἔλαβον, ἣν οὔτε ἀγγέλοις, οὔτε ἀρχαγγέλοις ἔδωκεν ὁ θεός. οὐ γὰρ πρὸς ἐκείνους εἴρηται. ὅσα ἂν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα, καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ· *Etenim qui terram incolunt atque in ea verſantur, iis commiſſum eſt vt ea quæ in cælis ſunt diſpenſent: iis datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis neque Archangelis datam eſſe voluit: neque enim ad illos dictum eſt, quæcumque alligaueritis in terra erunt alligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis in terra, erunt ſoluta & in cælo.* Et paulò pòſt, πᾶσαν τὴν κρίσιν ἔδωκεν ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ. ὁρῶ δὲ πᾶσαν αὐτὴν τούτοις ἐγχειρισθέντας ὑπὸ τοῦ υἱοῦ· *Pater omne iudicium Filio dedit: ceterùm video ipſum omne iudicium à Deo filio illis traditum*, &c. Quanto ergo interuallo poteſtas iudiciaria Chriſti ſuperat poteſtatem hierarchicam Angelorum in homines tanto interuallo poteſtas ſacerdotalis, quæ eadem eſt poteſtas Chriſti quam illis communicari totam ex Chyſoſtomo Chriſtus voluit, Angelorum poteſtatem hierarchicam in homines ſuperabit, eodem itaque titulo & officium Paſtoratus humani officio Angelicæ cuſtodiæ iterùm Chryſoſtomus prætulit ſermone 40.

de laudibus ſancti Pauli Apoſtoli tomo 5. eius operum iis verbis, καὶ τοίγε ἄγγελοι πολλάκις ἐνεχειρίσθησαν ἔθνη διάφορα, ἀλλ' οὐδεὶς αὐτῶν τὸ ἔθνος, ὃ ἐνεπιστεύθη, οὕτως ᾠκονόμησεν, ὡς Παῦλος τὴν οἰκουμένην ἅπασαν. *Et Angelis quidem ſæpe diuerſarum gentium cura commiſſa eſt, ſed nullus illorum, ita populum ſibi creditum gubernauit, vt Paulus vniuerſum gubernauit orbem.*

Scio ipſum quædam ſubdere quæ correctionis loco eſſe dici poſſunt, ſed ea quidem fateor correctionis locum habere, ſi ad amplificationem hominis ſupra Angelos, non officij ſacerdotalis hominis ſupra officium cuſtodiæ Angelicæ, quod non ſolùm vrgemus, excellentiam traherentur. Ne quis ergo exinde ſimpliciter Angelos homine inferiores eſſe ex officio hierarchico Angeli, inferiori officio hierarchico hominis concluderet rectè ſubiunxit paulò pòſt Chryſoſtomus, ὁ Μιχαὴλ τὸ τῶν Ἰουδαίων ἔθνος ἐνεχειρίσθη· Παῦλος δὲ γῆν καὶ θάλατταν, καὶ τὴν οἰκουμένην, καὶ τὴν ἀοίκητον, καὶ ταῦτα οὐχ ἀγγέλους ὑβρίζων λέγω μὴ γένοιτο, ἀλλὰ δεικνὺς ὅτι δυνατὸν ἄνθρωπον ὄντα μετ' ἐκείνων εἶναι, καὶ ἐγγὺς αὐτῶν ἑστάναι. *Michaeli genti commiſſa eſt Iudæorum: Paulo verò terræ ac maris, atque vniuerſi orbis habitatio, ipſúmque deſertum: & hoc non ad iniuriam, quod abſit, Angelorum: ſed oſtendimus eſſe poſſibile illis hominem copulari, iuxtaque illorum merita conſiſtere.*

Lubeat etiam audire Petrum Damiani eandem Paſtoratus Eccleſiaſtici ac ſacerdotij prærogatiuam in Petro explicantem ſermone 16. de ſancto Petro Apoſtolo, rationémque proferentem cur Petrum, *conuentus Angelicus non mediocriter reueretur: vnus eſt enim*, inquit, *quem prænobilitant ſingularis Primatus inſignia, clauicularius regni cælorum, lingua fidei, fundamentum. Conſummatur honor & dignatio glorioſa, hominem in terris poſitum cælis imperitare, & inter Angelorum choros, iudiciariæ virtutis exercere virtutem.* Et paulò pòſt, *Et licèt aſſiſtant Angeli præſidentis imperium expectantes, & adminiſtratorij ſpiritus aſſignata ſibi miniſteriis ſortiantur: Nullus tamen eorum ligandi atque ſoluendi poſſidet poteſtatem.* Item, *quid eſt quod Angelorum & hominum agminibus excluſis ſolus Petrus in conſortium diuinæ maieſtatis, & cum Domino reſidet præſidente.*

Rurſum ſermone ſequenti de ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, *Cum intueor Petrum, quem ipſa manus omnipotentis regni cæleſtis clauibus inueſtit, cui Pater reuelat Filij maieſtatem, ſuper quem fundatur Eccleſia, cui poteſtas ligandi & ſoluendi conceditur, qui cælos claudit & aperit, quod Cherubim & Seraphim habere non legitur, vehementer admiror.*

§. III.

Prærogatiua ſacerdotij ampliùs inquiritur ex conformitate ſacerdotij cum diuino Principatu.

AD prædictas ſacerdotij prærogatiuas ſingulæ quæcumque proferuntur rationes referri poſſunt, quia poteſtas omnis ſacerdotum, vel circa corpus Chriſti verum, vel circa myſticum verſatur; circa corpus Chriſti verum, vt illud conficiat, circa myſticum, vt ſanctitatem eius procuret.

Nihilominùs quia diuerſis viis ad inquiſitionem dignitatis ſacerdotij tendi poteſt, aliæ quædam ſunt quas omittere non poſſumus.

Prima, quòd ſacerdotium imago ſit & character ſacerdotij Chriſti: altera quòd eiuſdem ſacerdotij tanquam ſigilli cuiuſdam, imago diuinitatis imprimatur, ratione cuius prioris prærogatiuæ ſacerdos redditur deiformis, ratione poſterioris deificans, quas duas conditiones nec habet nec dare poteſt officium Angelicæ cuſtodiæ, prior in duas partes ſcinditur.

Primùm enim probandum ſacerdotio nos Deo conformes fieri, tum verò ſpeciatim attendendum nos Chriſti imaginem & characterem ſpeciatim per ſacerdotium ſuſcipere, & Chriſti ſacerdotij humanum antitypum eſſe. Paſtoratum verò hominis ſiue ſacerdotium, Dei imaginem eſſe ex pluribus comprobari poteſt.

Primò, quia teſte ſancto Ignatio epiſtolâ ad Trallianos, ὁ ἐπίσκοπος τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων τύπος ὑπάρχει, *Epiſcopus typum Dei Patris omnium gerit*: quod clariùs explicat Clemens Romanus lib. 2. Conſtitutionum Apoſtolic. cap. 11. in quo alloquens Epiſcopum ipſum hortatur vt locum ſuum dignitatémque ſuis actionibus declararet, quod ratione iſta

perſuadere conatur, ὡς θεῦ τύπον ὁ ἔχων ἐν ἀνθρώποις τῷ πάντων ἄρχειν ἀνθρώπων, ἱερέων, βασιλέων, ἀρχόντων, πατέρων, υἱῶν, διδασκάλων, *vt pote qui exemplar Dei apud homines repræſentas præſidendo omnibus hominibus, ſacerdotibus, Regibus, Magiſtratibus, parentibus, filiis, magiſtris.* Ideóque ab eodem Clemente lib. 2. cap. 26. de Epiſcopo dicitur, οὗτος ὑμῶν ἐπίγειος Θεὸς μετὰ Θεὸν, ὃς ὀφείλει τῆς παρ' ὑμῶν τιμῆς ἀπολαύειν, περὶ γὰρ τούτου καὶ τῶν ὁμοίων αὐτῶν ὁ Θεὸς ἔλεγεν. ἐγὼ εἶπα Θεοί ἐστε καὶ υἱοὶ ὑψίστου πάντες, καὶ θεοὺς οὐ κακολογήσεις. ὁ γὰρ ἐπίσκοπος προκαθεζέσθω ὑμῶν ὡς Θεοῦ ἀξίᾳ τετιμημένος. ᾗ κρατεῖ τοῦ κλήρου, καὶ τοῦ λαοῦ παντὸς ἄρχει· ὁ δὲ διάκονος τούτῳ παριστάσθω, ὡς ὁ Χριστὸς τῷ πατρὶ καὶ λειτουργείτω αὐτῷ ἐν πᾶσιν ἀμέμπτως· *Hic poſt Deum terrenus Deus, qui honore veſtro frui debet, de eo enim & ſimilibus aiebat Deus, Ego dixi, Dij eſtis, & filij Altiſſimi omnes: & diis populi tui non detrahes. Epiſcopus igitur vobis præſideat, vt dignitate Dei cohoneſtatus, quâ Clerum ſub poteſtate ſua tenet, & toti populo præeſt. Diaconus verò adſiſtat huic, vt Chriſtus Patri, ac miniſtret ei ſanctè in omnibus.* Similiter & Dionyſius cap. 1. Eccleſiaſticæ hierarchiæ eam vim ait ſacerdotij, ὡς θέωσιν, *vt Deus fiat* Pontifex; & hierarchiam noſtram θεουργικὴν, *Deos efficientem* vocat. Sumetur autem ſimilitudo ſacerdotij cum Deo præſertim ratione præſidentiæ, nam, vt ait Ennodius in vita Epiphanij, *Ad inſtar ſuperni dominatus vicarios ſuæ poteſtatis voluit eſſe mortales Deus.* Præſidentia verò Eccleſiaſtica ſacerdotij in duobus aſſimilatur diuinæ præſidentiæ, cui officium Angelicæ cuſtodiæ aſſimilari non poteſt. Nam Angeli quidem hominibus adſiſtunt, regunt, gubernant, quod & Regibus ac Principibus conuenit, eoſdémque illuminant, inſtruunt, quod & Pædagogi & Magiſtri faciunt: ſed non eos ſpiritaliter aut carnaliter generant quos cuſtodiunt. Sacerdotes verò ſpiritualiter generant quos regunt, Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 2. cap. 26. citato, hanc rationem præmittunt, ob quam ſcilicet ſacerdos Deus quidam terrenus ſit; nam, inquiunt, οὗτος μετὰ Θεὸν πατὴρ ὑμῶν, δι' ὕδατος καὶ πνεύματος ἀναγεννήσας ὑμᾶς εἰς υἱοθεσίαν, *Hic eſt ſecundum Deum pater veſter, qui vos per aquam & ſpiritum ſanctum in adoptionem regenerauit.* Copioſè verò cap. 32. eiuſdem libri enumerant eædem Conſtitutiones varia beneficia, quæ à ſacerdotibus nobis proueniunt, quorum nulla vel dignitate ſimilia ab Angelis dari poſſunt, non quòd Angeli iis muniis digni hominibus fuerint, quibus ea committeret Deus, ſed quod placuerit Deo hominem paulò minùs ab Angelis minoratum ad officia longè maiora, longè diuiniora ſacerdotij Filij ſui immerentes ſublimare. Ea verò ſunt quòd per eos accepèrimus Spiritum ſanctum in impoſitione manus baptizantis, quòd ſancta dogmata didicerimus, Deum cognouerimus, cogniti à Deo ſimus, ſignati oleo exultationis fuerimus, declarati filij lucis. Poſt hæc verò omnia enumerata, elegantem ſubdunt ad ſingulos apoſtrophen, διὰ τοῦ ἐπισκόπου σου ὁ Θεὸς υἱοποιεῖταί σε ἄνθρωπε· γνώριζε υἱὲ τὴν δεξιὰν τὴν μητέρα σου· στέργε τὸν μετὰ Θεὸν γενόμενόν σου πατέρα καὶ σέβου τοῦτον· *Per Epiſcopum tuum Deus te, homo, adoptat, cognoſce filij dexteram, quæ eſt mater tua: ama eum qui ſecundum Deum factus eſt tuus pater, & cole hunc.*

Quàm ingens hæc prærogatiua officij ſacerdotis ſupra Angelicæ cuſtodiæ munus, quantò dignius eſt, & ad diuinæ poteſtatis atque auctoritatis ſimilitudinem propius eſt eſſe ſupernaturale largiri, hominem nihil ſpiritalis vitæ habentem, nulla à natura ſemina generationis ſpiritalis adferentem manuum ſuarum impoſitione, verborum ore ſuo prolatorum miniſterio, ſacerdotem ad ſpiritalis vitæ lucem emittere; creare in eo ſpiritum nouum, eúmque è tenebris ad lucem educere, nouum hominem ſecundum Deum creatum producere? diuinitas quædam videtur hæc dignitas, & Angelicæ cuſtodiæ officio ac illuſtrationum Angelicarum, quibus inferiores à ſuperioribus illuſtrantur, beneficio longè dignior Angelus inferiorem quidem nouâ veritatis alicuius luce illuſtrat, & ab eo tenebras ignorationis abigit, hominem cuſtodit, regit, & aliquatenus etiam illuminat: Quid tum? hæc omnia cedant oportet, regenerationi ad vitam ſpiritalem, ad quam ſacerdos hominibus tribuendam conſecratur: cùm ſcilicet omnino maius ſit facere, vel quod non erat exiſtat, & nouum eſſe ſupernaturale habeat, quam non habebat: ac vitæ nouitate inſtauretur; quam vt exiſtens & viuens quarumdam perfectionum & ornamentorum acceſſione melius ſeſe habeat. Hanc dignitatem ſacerdotij admirans Procopius Gazæus Commentariis in Exodum, ſacerdotium à terræ contagio abſcindens, ſacerdotes cælo adſcribere ait: quandoquidem ſcriptum ſit, Mathæi vigeſimo ter tio, *Et patrem nolite vobis vocare*

ſuper terram, vnus eſt enim Pater veſter qui in cælis eſt. Vnde cùm ſacerdotium faciat ſacerdotes Patres neceſſariò cæleſtes, & Patris diuini aſſimilatione quadam cognomines faciat, neceſſum eſt, diuinæ paternitatis, & fœcunditatis ſine corruptione filios procreantis, imaginem aliquam exhibentes.

Eandem paternitatis ac fœcunditatis ſacerdotalis prærogatiuam, quam nemo Angelis tribuerit, egregiè nobis deſcribit Chryſoſtomus lib 3. de ſacerdotio cap. 5. primum autem ſacerdotum principatum nobis extollit, *Sine quo ſcilicet neque ſalutis, neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus: nam ſi non poteſt quis in regnum cælorum ingredi, niſi per aquam & Spiritum regeneratus fuerit, & qui non manducat carnem Domini, & ſanguinem eius non bibit, æternâ vitâ priuatur: omnia autem hæc non aliter quam per ſacroſanctas illas manus perficiuntur, qui fiet, vt citra illorum opem aut gehennæ ignem euitare quis poſſit, aut repoſitæ in cælo coronæ præmia aſſequi?* Vbi hæc facundo calamo deſcripſit Chryſoſtomus, quæ ſunt maxima nec parum ad ſacerdotij dignitatem promouendam valent, hæc addit, ad paternitatis ſacerdotalis prærogatiuam commendandam, quâ diximus ſacerdotes Angelis anteponi, οὗτοι γὰρ (ἱερεῖς) εἰσιν οὗτοι οἱ τὰς πνευματικὰς πιστευθέντες ὠδῖνας, καὶ τὸν διὰ τοῦ βαπτίσματος ἐπιτραπέντες τόκον· διὰ τούτων ἐνδυόμεθα τὸν Χριστόν, καὶ συνθαπτόμεθα τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, μέλη γινόμεθα τῆς μακαρίας σαρκὸς ἐκείνης. ὥστε ἡμῖν οὐκ ἀρχόντων μόνον οὐδὲ βασιλέων φοβερώτεροι, ἀλλὰ καὶ πατέρων τιμιώτεροι δικαίως ἂν εἶεν, οἱ μὲν γὰρ ἐξ αἱμάτων καὶ ἐκ θελήματος σαρκὸς ἐγέννησαν, οἱ δὲ τῆς ἐκ τοῦ Θεοῦ γεννήσεως ἡμῖν εἰσιν αἴτιοι τῆς μακαρίας παλιγγενεσίας ἐκείνης τῆς ἐλευθερίας τῆς ἀληθοῦς, καὶ τῆς κατὰ χάριν υἱοθεσίας, *Hi enim ſunt, hi ſunt, inquam, quibus tum concreditæ ſunt ſpirituales parturigines, tum etiam Baptiſmatis partus à Deo eſt commiſſus: per hos ipſos Chriſtum induimus, vna cum Dei filio ſepelimur: beati illius capitis membra efficimur: quo nomine ſacerdotes meritò non modò plus vereri debemus, quàm vel Principes vel Reges, verùm etiam maiori honore quàm parentes proprios honeſtare. Hi enim ex ſanguinibus, illi verò auctores nobis ſunt natiuitatis eius, quam à Deo habemus beatæ regenerationis illius libertatis veræ atque adeo adoptionis eius, qua nos per gratiam filij Dei ſumus.*

Quàm nobilis illa ſacerdotum paterniras, quæ diuinum tum in æternis proceſſionibus, tum in temporali creatione modum agendi exprimit; nam ſicut diuinus Pater ſuâ cognitione Verbum producit, ſimúlque cum Verbo & per Verbum Spiritum ſanctum: Verbo vero & Spiritu ſancto omnia extra ſe creat, iuxta illam Dauidis ſententiam Pſalm. 33. *Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Similiter ſacerdos hierarchicâ cognitione formæ à Chriſto inſtitutæ Verbum ſacramentale producit, quo verbo accedente ad elementum, Spiritum ſanctum in cordibus ſuſcipientium Sacramentum diffundit: atque ita & verbi prolatione, & Spiritus ſancti diffuſione nouum hominem ſecundum Deum procreat, & ſanctificantem gratiam tanquam è nihili latebris euocat.

Qid in hierarchicis Angelorum ſiue ſuperiorum ergà inferiores, ſiue erga homines quos cuſtodiunt, ſimile aliquid aut excogitari, au explicari poteſt. De hac verò ſpiritali ſacerdotum paternitate loquebatur Apoſtolus ad Epheſios tertio dicens, *Huius rei gratiâ flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex quo omnis paternitas in cælo & terra nominatur, vt det vobis ſecundum diuitias gloriæ ſuæ virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem.* Quænam enim, quæſo, eſt illa paternitas, de qua loquitur Apoſtolus, niſi illa cuius fœcunditatem, & ampliationem in Eccleſia Dei, & exoptat ardentiſſimè & ſubmiſsè à Deo efflagitat. Hanc autem cur non à diuino Patre communicari, à quo omnia communicantur, quæcumque in nobis bona reperiuntur, ſed ex Patre diuino nominari dixit Apoſtolus, niſi quia parum eſſet paternitatem ſacerdotalem à Deo Patre nobis dari, niſi & paternitatis diuinæ eam eſſe expreſſam ſimilitudinem inſculptam tanquam ſignaculo diuino ſacerdoti, ac formæ denominationem ab ipſa diuina paternitate tanquam ab exemplari deſumptam dicere inſuper voluiſſet? Seu mauis, hæc mens eſt Apoſtoli, vt ex paternitate diuina denominari ſacerdotem Patrem credi voluerit, ne videlicet aliö ſe ſacerdos putet ſpiritalem fideliſi patrem, niſi quo Pater diuinus ſecundum Spiritum nobis pater; nam per gratiam Pater ditiinus nos adoptat, & filios ſuos efficit, per eandem quoque gratiam ſacerdos pater noſter eſt, quam ſcilicet nos Deo adoptat, & filiorum Dei ac cohæredum Chriſti dignitatem nobis tribuit: hócq; ipſum eſt quod Auguſtinus enarrat. in Pſ. 77. ad commendationem

paternitati: ſacerdotalis eſſe docuit, dum verba Chriſti, Math. 23. ſuperiùs cit. quibus vnum in cælo Patrem eſſe teſtatus eſt, non ideò dicta eſſe interpretatur, vt hoc vocabulum honoris humani de loquendi conſuetudine tolleretur: *Sed ne gratia Dei, qua in æternam vitam regeneramur, naturæ vel poteſtati, vel etiam ſanctitati cuiuſque hominis tribueretur.*

Ex quo colliges dignitatem paternitatis ſacerdotalis Angelicis officiis præcellentem non præiudicare dignitati Angelicæ, quia in Deum refunditur. Nam quod ſacerdos ſpiritaliter hominem regenerat, non ipſius eſt ſed Dei, nec à ſeipſo hoc habet, ſed à Deo; nec ſibi generat, ſed Deo; nec quos generat in ſuam familiam adſciſcit, ſed in diuinam tranſcribit: quis autem ineffabilem iſtam generationem concipere poterit? quis non hanc ſublimem generandi poteſtatem omnibus officiis Angelicæ cuſtodiæ, & actionibus hierarchicis præferat? cùm enim Filium Dei eſſe maius quippiam ſit quàm cogitari poſſit: facere Filium Dei & Filium Deo generare maior erit ſublimitas, quàm vt aliquid, quod ad Deum minùs attineat, eidem æquari poſſit.

Poſſem addere plurima Paſtoratus & paternitatis ſpiritalis beneficia, quæ ſicut paternitatem carnalem longè exuperant, ex Chryſoſtomo lib. 3. de ſacerdotio cap. 3. qui ea fusè enumerat, & paternitati naturali præfert, ita & Angelicæ cuſtodiæ officiis actibuſque hierarchicis præcellunt. Neque enim Angeli aliis Angelis, quibus præſident, aut vitam ſupernaturalem conſeruant, aut morbos animi aut ægritudines depellunt, aut pœnas remittunt, aut eas Deo reconciliant: quæ omnia ſacerdotes circa ſubditos ſibi populos exhibent: quorum populorum quò vita miſerior, quòd iis indigeant à ſacerdote remediis: at certè ſacerdotum tantò virtus efficacior, quod hæc etiam pręſtare poſſit, quæ nec Angeli aliis Angelis, ſi iiſdem miſeriis ſubiacerent, à quibus meliori vtique ſorte & conditione perfruentes (qua de re non ambigimus) eximuntur, exhibere poſſent. Quæcunque ergo ſit Angelorum conditio (quam humanæ meliorem eſſe non inuiti fatemur,) eorum tamen hierarchica poteſtas minor eſſe arguitur quàm ſacerdotis, quia hęc ad plura & præſtantiora beneficia valet, ad quæ functio hierarchica vnius Angeli circa alium, nec ſi Angelus ad noſtram conditionem excidiſſet, ſufficere videretur.

Vnde nec hominum vitam Angeli cuſtodes interioribus gratiæ donis muniunt, nec peccato emortuam vitæ reddunt, nec languentem gratiæ dono roborant, nec voluntati, cuius ſolius ſanatio totius hominis curatio eſt, medicamenta adhibent, ſed inferiori animæ parti, cuius morbus quantumcunque ſanetur, ex voluntatis ægritudine ac debilitate in dies recrudeſcet.

Malim iis omnibus explicandis immorari fuſiùs, interim tamen dum tranſeo ad aliam rationem, quâ ſacerdotium Dei imaginem referre demonſtretur, beneficentiæ diuinæ imaginem ſacerdotij virtute expreſſam hac breuiſſimâ enumeratione donorum, quæ nobis ex ſacerdotio proueniunt cum Clemente Romano lib. 2. Conſtitutionum cap. 33. concludam, ob quam ipſe ſacerdotes honorandos demonſtrat, μετὰ Θεὸν τοὺς δι' ὕδατος ὑμᾶς ἀναγεννήσαντας, τοὺς τῷ ἁγίῳ πνεύματι πληρώσαντας· τοὺς τῷ λόγῳ γαλακτοτροφήσαντας, τοὺς ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀναθρεψαμένους, τοὺς ἐν ταῖς νουθεσίαις στηρίξαντας, τοὺς τοῦ σωτηρίου σώματος, καὶ τοῦ τιμίου αἵματος ἀξιώσαντας ὑμᾶς, τοὺς τῶν ἁμαρτιῶν λύσαντας, καὶ τῆς ἁγίας καὶ ἱερᾶς εὐχαριστίας μετόχους ποιήσαντας· καὶ τῆς ἐπαγγελίας τοῦ Θεοῦ κοινωνοὺς, καὶ συγκληρονόμους θεμένους ὑμᾶς, *Qui vos per aquam Deo regenerarunt, Spiritu ſancto impleuerunt, corpore ſalutari, & pretioſo ſanguine vos dignati ſunt, vobiſque peccata remiſerunt, & ſanctæ ac ſacræ Euchariſtiæ participes fecerunt, ac promiſſionis Dei conſortes ac Chriſti coheredes conſtituerunt.*

Altera verò ratio ob quam ſacerdotium ſimilitudinem diuini principatus inſigniter referat præ Angelico Principatu, petitur à poteſtate vitæ & necis, quæ ſpiritaliter ſacerdotibus conuenit, quam nullus Angelus in alium, imò nec in hominem ipſum ſimiliter obtinet: cùm enim ſingulare hoc ſit priuilegium, vitæ & mortis arbitrium apud ſe habere, quod nobis 1. Reg. 2. in Cantico Annæ indicatum eſt, *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Hoc ſacerdoti quòd per eſſentiam ſibi proprium eſt, per gratiam commune Deus eſſe voluit: nam, vt de ſacerdotibus ait ſanctus Clemens loco mox citato, οὗτοι μετὰ Θεῷ ζωῆς, καὶ θανάτου ἐξουσίαν εἰ-

λήφασιν ἐν τῷ δικάζειν τοὺς ἡμαρτηκότας, καὶ καταδικάζειν εἰς θάνατον πυρὸς αἰωνίου, καὶ λύειν ἁμαρτιῶν τοὺς ἐπιστρέφοντας, καὶ ζωοποιεῖν αὐτούς· *Hi poteſtatem vitæ & mortis à Deo acceperunt, in iudicandis iis qui deliquerunt, & in damnandis ad mortem ignis ſempiterni, & iis qui ſe ad rectè viuendum conuertunt abſoluendis & viuificandis*, nec in homines quos cuſtodiunt, nec in Angelos quos illuminant, poteſtatem talem habent: ſacerdotum itaque humanus Principatus longè potior, ac perfectior Angelico, ſiue in Angelos inferiores ſiue in homines.

§. IV.

Eadem prerogatiua ſacerdotij ex conformitate cum ſacerdotio Chriſti, & cum ipſo Chriſto colligitur.

QVANTVM etiam ornamenti & dignitatis ſacerdotio accedat ex imagine ſacerdotij Chriſti impreſſa ſacerdoti, ex imitatione Principatus Chriſti, & eius, vt ita loquar, deſcripta ac delineata in nobis figura ac ſimilitudine quis dignè referre aut cogitare poſſit? Chriſtus ab Apoſtolo ad Heb. 1. cap. dicitur, ὃς ἀπαύγασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius*, id eſt, hypoſtaſeos & perſonæ Patris character ac figura perſonæ ipſius: ſacerdotem autem ſplendorem eſſe gloriæ Chriſti, oſtendunt citata verba Chriſti domini, Ioan. 17. de Apoſtolis loquentis, *Et ego claritatem quam dediſti mihi dedi eis.* Eam verò figuram eſſe & characterem hypoſtaſeos ac ſacerdotij Chriſti facile eſt tum auctoritate Patrum, tum ratione perſuadere.

Tertullianus lib. 4. in Marcionem cap. 35. Chriſtum ideò *authenticum Pontificem Dei Patris* nominat *diſceptatorem & elimatorem humanarum macularum*, vt oſtenderet ipſum noſtri ſacerdotij exemplar eſſe authenticum ac prototypum: ſacerdotium verò noſtrum eiuſdem apographon: eámque figuram ſacerdotij Chriſti in duobus maximè elucere, & quòd peccati maculas ſanguinis Chriſti applicatione ſacerdos extergat, quas eiuſdem effuſione Chriſtus ſufficienter aboleuit; & quòd diremptorem ſe Chriſtus & iudicem humanarum culparum aliquando exhibiturus ſit, cuius vice iam ſacerdos iudicat.

Eiuſdem ſimilitudinis myſteria reſerat Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 6. ſcribens, εἴγε ποιμένες ἐσμὲν οἱ τῶν ἐκκλησιῶν προηγούμενοι, κατ' εἰκόνα τοῦ ἀγαθοῦ ποιμένος, *Si quidem Paſtores ſumus, qui Eccleſiis præſumus, ad imaginem boni Paſtoris.* Imaginis verò iſtius expreſſionem fusè poſteà collocat in nutritione ſpiritali Chriſtianorum: quam cum eiuſdem generatione coniunctam nobis exponit, adeò vt quemadmodum Chriſtianus fœtus Chriſti ſanguine in vtero Eccleſiæ eiuſdem Chriſti & ſacerdotis operâ formatus & verbo fidei concipitur, ita quoque eductus iam in lucem Chriſtianus fœtus, eodem ſanguine ad vbera quodammodo impulſo, eáque diſtendente & per modum lactis manante operâ ſacerdotis nutriatur. Nutrit Chriſtus Chriſtianum, nutrit Eccleſia Chriſtianum, verbo nutrit Chriſtus, verbo nutrit Eccleſia, ſanguine ſuo Chriſtus nutrit, ſanguine Chriſti nos alit, nos reficit Eccleſia: parum refert vberibus Chriſti Chriſtianum nutriri dicas, an vberibus Eccleſiæ, nam cùm Chriſtus & Eccleſia vnum corpus ſint, cuius Chriſtus caput eſt, cætera verò membra ſunt, ideò vbera Eccleſiæ, vbera Chriſti; & vbera Chriſti vbera Eccleſiæ; vis ſcire quænam ſint vbera Chriſti, nónne ſacramenta? ea verò nónne & Eccleſiæ ſunt? Eccleſiam verò cùm dico nutrientem, Paſtores intelligo, eos qui ſacramenta conferunt, & verbum Dei adminiſtrant.

De Chriſto Chriſtianum nutriente ita Clemens Alexandrinus, ὁ δὲ κύριος ὁ Χριστὸς ὁ τῆς παρθένου καρπὸς, οὐκ ἐμακάρισε τοὺς γυναικείους μαστοὺς, οὐδὲ ἔκρινεν αὐτοὺς τροφεῖς, ἀλλὰ τοῦ φιλοστόργου καὶ φιλανθρώπου Πατρὸς ἐπομβρήσαντος τὸν λόγον, αὐτὸς ἤδη τροφὴ γέγονε πνευματικὴ τοῖς σώφροσιν, *Dominus autem Chriſtus fructus virginis, non beata dixit vbera fœminea, nec ea ad nutrimentum delegit: ſed cùm amans & benignus Pater verbum impleuiſſet, ipſum iam ſpiritale alimentum factus eſt bonis, & maturatis hominibus.*

De Eccleſiis & ſacerdotibus Chriſtianum alentibus paulò poſt ſubiungit, μία δὲ

μόνη γίνεται μήτηρ παρθένος· ἐκκλησίαν ἐμοὶ φίλον αὐτὴν καλεῖν. Πάλα οὐκ ἔχει ἡ μήτηρ αὕτη μόνη, ὅτι μόνη μὴ γέγονεν γυνή. παρθένος δὲ ἅμα καὶ μήτηρ ἐστίν. ἀκήρατος μὲν, ὡς παρθένος· ἀγαπητικὴ δὲ, ὡς μήτηρ, καὶ τὰ αὐτῆς παιδία προσκαλουμένη, ἁγίῳ τιθηνεῖται γάλακτι τῷ βρεφώδει λόγῳ. διὸ οὐκ ἔσχε γάλα, ὅτι γάλα ἦν τὸ παιδίον τοῦτο καλὸν καὶ οἰκεῖον τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ τὴν νεολαίαν ἀποτρεφοῦσα τῷ λόγῳ· Vna autem ſola eſt mater virgo: mihi autem placet eam vocare Eccleſiam, lac non habuit mater hæc ſola, quoniam ſola non fuit mulier. Virgo eſt autem ſimul & mater: quæ ſuos accerſens infantulos ſancto lacte nempe verbo infantili enutriat. Ideò autem lac non habuit, quòd lac eſſet hic infantulus pulcher, & appoſitus, ſcilicet corpus Chriſti, nouum cœtum verbo nutriens, quem ipſe Dominus carnali labore peperit. O diuinam Chriſto ſacerdotis configurationem, eodem alimento nutrientis Chriſtianum quo Chriſtus nutrit, Chriſti ſanguinem propinantis, quem Chriſtus propinauit, carnem diſtribuentis, quam Chriſtus diſtribuit, verbum fidei annuntiantis, quod Chriſtus prædicauit. Obſtupeſcant Angeli ad hæc myſteria, nec diuinæ iſti configurationi ſacerdotis cum Chriſto cedere renuant, qui Chriſti veſtigia ſubmiſsè venerantur & adorant.

Quàm egregiè etiam hanc ſimilitudinem ad moralem veritatem trahit Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 136. Hermino Comiti iis verbis, *ὁ γὰρ ἐπίσκοπος εἰς τύπον ὢν τοῦ Χριστοῦ, τὸ ἔργον ἐκείνου πληροῖ, καὶ δείκνυσι πᾶσι διὰ τοῦ σχήματος, ὅτι μιμητής ἐστι τοῦ ἀγαθοῦ καὶ μεγάλου ποιμένος, ὁ τὰς ἀσθενείας φέρειν τοῦ ποιμνίου προβεβλημένος, Epiſcopus enim qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque ipſo etiam habitu illud omnibus oſtendit ſe boni illius ac magni Paſtoris imitationem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit.*

Præclara & hæc Paſtoralis muneris cum Chriſto comparatio, quæ nec Angelis conuenit: Chriſtus peccata populi ſuſtulit, factus pro nobis peccatum: annon & Paſtores atque Sacerdotes Eccleſiaſtici animam ſuam populo obſtringunt, & populi peccata portant, vt & pro illis ſatisfacere aliquando obligentur, & populi peccata Deus aduerſum ipſos interdum vlciſcantur, ſicut aduerſus Chriſtum generis humani peccata vltus eſt: quorum neutrum in Angelo cuſtode, vel ſuperiore reſpectu inferioris animaduertitur: in quo aduertis & Principatum ſacerdotalem Chriſti Principatus figuram magis exprimere, & arctiorem etiam cum iis, in quos hierarchico Principatu extollitur neceſſitudine ſacerdoti conſtringi.

Probat etiam noſtram explicationem tum Dionyſij, tum Theologorum doctrina de charactere ordinationis: ex qua ſcilicet patet characterem quemlibet eſſe participationem ſacerdotij Chriſti: & configurationem cum Chriſto; differenter tamen charačteri ordinationis, & characteribus Baptiſmi & Confirmationis id conuenire: nam character ordinationis nos Chriſtos facit, & ſacerdotes ſacerdotio Chriſti virtutiſque eius actiuæ participes: characteres verò alij faciunt nos Chriſtianos, & effectuum ſacerdotij Chriſti recipiendorum capaces; character ordinationis duces efficit, loco Chriſti eiuſque Principatus inſignibus ornat: alij ſub Chriſti ſigno militantes nos oſtendunt, & ab iis qui in aliis quàm Eccleſiæ Chriſtianæ caſtris militant, diſtinguunt. Configurant nos Baptiſmi & Confirmationis characteres Chriſto, vt membra ipſius dicamur, & influxum eius vel ſimpliciter, vel conuenientiùs participemus: configurat nos character ordinationis, vt non ſolùm membra eius dicamur, ſed & capitis officio fungamur, recipientes Chriſti influxus, & in alios miniſterio ſacerdotali deriuantes. Hanc doctrinam confirmamus primo teſtimonio Dionyſij cap. 2. Eccleſiaſticæ hierarchiæ parte 3. hæc verba proferentis, *τὸν δ᾽ οὕτως ἀναγόμενον ἡ θεία μακαριότης εἰς τὴν ἑαυτῆς μετουσίαν εἰσδέχεται, καὶ τοῦ οἰκείου φωτὸς ὥσπερ τινὸς αὐτῷ σημείου μεταδίδωσιν, ἔνθεον ἀποτελοῦσα, καὶ κοινωνὸν τῆς ἐνθέων ἀποκληρώσεως καὶ ἱερᾶς κατατάξεως· Eum qui ita deducitur beata diuinitas in communionem ſui recipit, eique proprium ſuum lumen quaſi ſignum tradit, diuino eum numine afflans, ſortiſque ac ordinis eorum, qui diuino numine afflantur participem faciens.*

Ex quibus verbis characteris Baptiſmi dignitatem maximam poſſumus intelligere, vt ſit ſignum quoddam & participatio diuini ſplendoris ac claritatis, communicatio diuinitatis, receſio in eorum numerum, qui ex ipſo quo fiunt membra Chriſti, diuinis influxibus à Chriſto tanquam à capite prouenientibus ſubiiciuntur, quemadmodum membra omnia capitis influxibus patent, & obnoxia ſunt. Maiorem verò

ſacerdotalis characteris poſſumus ſeruarâ proportione nobilitatem colligere, vt nempe & ſignum & participatio ſit longè auguſtior claritatis & ſplendoris Chriſti, Chriſto non ſolùm ſacerdotes configurans vt ſint membra eius, & membra corporis eius, ſed vt loco ipſius etiam & ipſi capita corporis Chriſti eſſe poſſint, nec ſolùm Chriſto vniantur, ſed & ſibi & Chriſto alia corporis membra vniant exiſtentes vnitatis Eccleſiaſticæ principia, ita vt cætera membra per adhæſionem ipſis cum Chriſto vnionem & locum in corpore Chriſti obtineant, ſicut character Ducatus, & Imperatorius ſub Rege efficit, vt ij demum milites Regis, huius vel illius milites dicantur, qui Imperatori vel Duci characterem eius & notam Imperatoris ac Ducis habenti adhæſerint. Hunc characterem Auguſtinus *Sacramentum Domini* vocat, de bono coniugali cap. 5. diſtinguitque à charactere Baptiſmatis lib. 2. contra Parmenianum, cap. 13 & lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1. quòd ille ſit ſacramentum dandi Baptiſmi, quemadmodum explicuimus.

Sed doctrinam priùs traditam omnium apertiſſimè tradit ſanctus Thomas 3. part. quæſt. 63 integrâ, ſed maximè artic. 3. tum in argumento *Sed contrà*, tum in corpore articuli, tum in reſponſione ad ſecundum: nam primo loco character à quibuſdam, ita apud eum definiri dicitur, vt ſit *diſtinctio à charactere æterno* (id eſt, verbo diuino) *impreſſa animæ rationali ſecundum imaginem conſignans Trinitatem creatam Trinitati creanti, & recreanti & diſtinguenti à non configuratis ſecundum ſtatum fidei*, id eſt, cultus diuini & Religionis Chriſtianæ. Secundo loco concludit *characterem ſacramentalem specialiter eſſe characterem Chriſti, cuius ſacerdotio configurantur fideles ſecundum ſacramentales characteres, qui nihil aliud ſunt quàm quædam participationes ſacerdotij Chriſti ab ipſo Chriſto deriuatæ.*

Tertio tandem exemplo militum & Ducum regiorum explicat, quomodo *illi qui deputantur ad cultum Chriſtianum, cuius auctor eſt Chriſtus, characterem accipiunt, quo Chriſto configurantur.* Hæc enim omnia ſacerdotium noſtrum ſacerdotij Chriſti quandam eſſe participationem & configurationem cum Chriſto euidenter demonſtrant. Quæ quidem ex eo confirmare poſſumus quòd ſi ſacerdotium noſtrum diſtinctum eſſet à Chriſti ſacerdotio, & non quædam participatio, non ſolus Chriſtus dici poſſet verus ac ſummus Dei ſacerdos, quem tamen ἀληθῆ καὶ μόνον Θεοῦ ἀρχιερέα ſcribit Euſebius lib. 1. hiſtoriæ cap. 3. poteſtque colligi ex verbis iſtis Apoſtoli ad Hebræos 7. *& alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem eo quòd maneat in æternum ſempiternum*, Græcè ἀπαράβατον, *intranſibile habet ſacerdotium*: quibus quidem verbis vnicum Chriſti & indeficiens ſacerdotium rectè explicatur, hoc ſenſu, quòd vnicum ſit archetypum ſacerdotium Chriſti, cuius expreſſa tantùm exempla gerant inferiores Chriſto ſacerdotes, vnum ſit ſacerdotij lumen, ſed radij multi in hominibus emicantes, robur vnicum poteſtatis tenaci radice diuinitatis fundatum, cuius tot rami numerantur, quot ſunt qui eius ſacerdotio per ordinationem inſeruntur, fons vnicus in Chriſto poteſtatis, ſed riuuli multi exundantis in nos gratiæ largitate profluentes: atque ideò qui dignitatem ſacerdotij diminuit, nihil aliud quàm ipſum Chriſti ſacerdotium contemnit.

Quòd ſi ſigillatim prædicta omnia ad comparationem ſacerdotij cum officio Angelicæ cuſtodiæ, & hierarchicis ſuperioris Angeli erga inferiores functionibus conferamus, ſacerdotium longè dignius officiis iſtis, & nobilius eſſe colligemus: neque enim per characterem, ſed per ſolam Dei voluntatem deputatur Angelus ad Principatus ſui circa inferiores, tum homines, tum Angelos exercitium neque vllo ſigno regali, aut participatione diuini alicuius ſigni exornatur: illuminationes quidem diuinas recipit quas communicet, ſicut ſacerdos inſtruens aliquem de myſteriis fidei, illuſtrationibus diuinis imbuitur, quibus alios perfundat: & in eo par videtur vtriuſque eſſe ratio; niſi fortè maiorem illuſtrationem eſſe dixeris Angeli quàm ſacerdotis, quod vt plurimum verum eſt: ſed non ex eo vtriuſque officij dignitas petenda eſt, inſtrumenta ſunt illa exercendi officij; quæ non ſemper maiorem officij dignitatem oſtendunt: illa porro præſertim petenda eſt ex poteſtate muneri adiuncta, & conſecratione atque initiatione ad munus gerendum. Quorum vtroque ſacerdotium Angelicis officiis, tum circa inferiores Angelos, tum circa homines præſtat. poteſtatem maiorem oſtendimus: Auguſtiorem quoque & ſacratiorem

Digitized by Google

ſacerdotiſ initiationem eſſe quis non videt? quandoquidem ſacerdotem initiandam oporteat per characterem Chriſto configurari, eiuſque ſacerdotij participem fieri, nota eius regali interiùs conſignari, ſpiritali ſignaculo Dominico diuinitùs exornari, inſignia Chriſti principatus gerere, indelebilia, ſempiterna: cùm è contrà Angelus ad officium, verbi gratiâ cuſtodiæ hominis ſola exteriori deputatione aſſumatur, temporaneum munus hoc gerat, nullâ inueſtiatur regali notâ, nullo ſigno indelebili præemineat, aut homini quem cuſtodit, aut Angelo quem illuminat: ceſſatura ſit aliquando hierarchicarum functionum operatio, & diſtinctio in Angelis: numquam autem diſtinctio ſacerdotis ab aliis finienda ſit.

Poſſem plurima ad huius rationis illuſtrationem adiungere: ſed quia prærogatiuæ iſtæ attentâ potiùs meditatione percipi, quàm fuſiori ſermone exponi poſſunt, ideò ſilendum ſatiùs iudico quàm loquendum.

Vnum etiam eſt quod Lectori potiùs cogitandum relinquere, quàm amplificare malumus, ſtupendum iſtud diuinæ erga ſacerdotes dignationis myſterium: quod vt omnis indignandi aduerſus ſacerdotij ſublimitatem Angelo tolleretur occaſio, Chriſtus etiam ſeipſum ſacerdote inferiorem quodammodo efficere voluerit, nunquid enim, vt argumentatur Apoſtolus ad Hebræos 3. *ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit illam?* at ſacerdos Chriſtum conficit; nunquid & arguit idem ſanctus Paulus eiuſdem epiſt. cap. 7 *Sine vlla contradictione quod minus eſt a meliore benedicitur?* ſed Chriſtus in Miſſæ ſacrificio à ſacerdote benedici voluit. Nunquid & datorem meliorem ſuo dono eſſe conuenit? ſed ſacerdos nobis dat ipſum Chriſtum, Chriſtus in altari ſacerdotis voci obedit, eique quodammodo ſubiicitur.

Hæc vbi perceperis, Celloti, deſines Angelos in tuam partem trahere, quaſi ſacerdotali gloriæ inuideant, quam cum ſua aliquali imminutione ſuper omnem poteſtatem & dignitatem efferri Chriſtus inſtituit: non indignè ferent ſanctiſſimi illi ſpiritus eorum dignitati cedere, quorum dignitas, vt ex Ambroſio retulit Leo decimus in Concilio Lateranenſi ſeſſ. 11. Bullâ *Dum intra. nullis poteſt comparationibus adæquari.*

§. IV.

Prærogatiua vltima ſacerdotij quòd homines diuinos faciat.

VLTIMA tandem prærogatiua ſacerdotij ex pluribus quas explicandas ſuſcepimus, eſt quod deificandi vim habeat, hominémque in Deum transformandi per gratiam. Hinc Dionyſius cap. 1. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, noſtram hierarchiam θεουργικὴν, *Deos efficientem* vocat, paſſimque θεουργοὶ tum à Dionyſio, tum à Maximino dicti ſacerdotes. Nazianzenus verò Orat. 1. egregiè hanc ſacerdotis prærogatiuam explicat, dum ſacerdotem nobis deſcribit, τὸν μετὰ ἀγγέλων στησόμενον, καὶ μετὰ ἀρχαγγέλων δοξάσοντα, καὶ ἐπὶ τὸ ἄνω θυσιαστήριον ἀναπέμψοντα τὰς θυσίας, καὶ Χριστῷ συνιερεύσοντα, τὸν ἀναπλάσοντα τὸ πλάσμα, καὶ ἐπαναγήσοντα, τὴν εἰκόνα, καὶ τῷ ἄνω κόσμῳ δημιουργήσοντα, καὶ τὸ μεῖζον εἰπεῖν, Θεὸν ἐσόμενον καὶ θεοποιήσοντα, *Cum Angelis ſtantem, cum Archangelis glorificantem, ad ſupernum altare ſacrificia tranſmittentem, Chriſti ſacerdotio fungentem, figmentum inſtaurantem, imaginem exhibentem, ſuperno mundo opificem agentem, & vt maius dicam, Deum exiſtentem, & Deos efficientem.* Quàm multa hîc videntur officia ſacerdotis enumerari, quædam communia ipſis cum Angelis, ſtare coram Deo, & diuinum numen glorificare: quædam verò potiora & ſublimiora, quæ rectè ab Elia Cretenſi Scholiis in dictam Orationem num. 25. explicantur, quòd cùm Chriſti ſacerdos ad eius imitationem ſacrificet, *Nec id tantummodo, verùm etiam hominem Dei figmentum refingat, atque his maiora per ſacram & diuinam generationem efficere dicatur, quâ fit vt imago ad exemplar ſuum recurrat, & ij qui initiantur cum diuino Spiritu copulentur, atque ad perfectiſſimam (quantum ipſorum captus fert) exemplaris imitationem reducantur, & in ſuperno mundo & Angelico vitæ ſtatu reponantur. Pontifex enim Chriſto per Baptiſmum indutus, ſanctóque Spiritu delibutus, ac per adoptionem Deus effectus per ſpiritualem hanc generationem homines procreat, procreat autem non ſimpliciter, ſed ſuperno modo, Angelum ex homine, atque, vt quod maius eſt dicam, Deum reddens, hinc quippe per ſpiritualem hanc regenerationem diuino modo eſſe incipimus: nam noſtra illa, quæ ex ſemine fit procreatio, tametſi ex*

Deo inuiſibili modo procreante, eſt tamen naturalis, & quodammodo corporea eſt. Quæ autem ex Baptiſmo eſt, cùm diuina quædam ſit, ſpirituales noſtras affectiones in id quod diuinum eſt tranſmutat, atque ad cæleſtem ſtatum informat. Quo etiam ſenſu intelligi poſſe ait Elias, quòd Gregorius cum Angelis ſtantem hominem dixit, quamuis & alio ſenſu explicari poſſe fateatur, quòd Angeli præſentes diuino ſacrificio à ſacerdotibus oblato interſint. Quæ ſanè tota Gregorij textus expoſitio à vetuſto patre quantum ſacerdotium Angelorum officiis circa homines vel alios Angelos efferatur, ad oculum demonſtrat. Idem verò Nazianzenus deificationis munus proprium eſſe ſacerdoti oſtendit Orat. 23. non longè ab initio, vbi ſe ad hanc menſam myſticam μυσταγωγεῖν τ̃ θέωσιν, *ſacrum deificationis munus* obire dixit.

Deificatio autem illa duobus modis perficitur. Primò Dei imitatione per bonos actus, ſecundò gratiæ ſanctificantis receptione, & vnione cum Deo, quemadmodum exponit ſanctus Dionyſius cap. 1. Eccleſiaſticæ hierarchiæ: hæc vltima ratio deificationis magis propria eſt, quia per gratiam diuinum eſſe accipimus, per quam ſcilicet primi illius doni ſanctificationem (τ̃ πρώτου ἁγιασμοῦ) recipimus, quam diuini Spiritus inſufflatione primus homo ad imaginem Dei conditus acceperat, vt explicat D. Cyrillus aduerſus Anthropomorphytas, cap. 2. quem ideò primum hominem Gregorius Nyſſenus Orat. 3. de Reſurrectione, θεοειδῆ, ſeu *diuinâ formâ præditum* aſſerit. Per eandem gratiam, vt ait ſanctus Petrus epiſtolæ Canonicæ cap. 4. *efficimur diuinæ conſortes naturæ.* Angelis quidem ſicut & hominibus commune eſt, quòd eorum illuſtrationibus, ſicut & ſacerdotum exhortationibus ad Dei imitationem pertrahi poſſimus: quamuis ſacerdos hoc ſaltem proprium habeat, quòd ab eo ſpeciatim Deus nos de fidei myſteriis & Chriſtianæ vitæ elementis, quibus ad Chriſti imitationem gradimur, inſtrui velit, non ab Angelis immediatè edoceri; quódque exemplis ſuis ad imitationem Dei præire nobis poſſit, cùm Angelorum exempla ab hominum oculis longè remota ac ſepoſita ſint: ſed hanc partem ego non attingo. Id ſolum ad honorem & commendationem ſacerdotij vrgeo, quòd ſacerdos quaſi medius inter humanam & diuinam naturam, per ſacerdotium, in Deum quodammodo transformatus, & diuinam vim ſuſcipiens homines infuſione gratiæ diuinæ, naturæ communione melioris, & quodammodo Deos, id eſt, diuinos efficiat. Recte Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſt. 20. Hermogeni Epiſcopo, τ̃ θείας καὶ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἡ ἱερωσύνη, ὥσπερ μέση καθέστηκεν, ἵνα τ̃ μὲν θεραπεύῃ, τῇ δὲ μεταβολὴν ἐργάζηται κρείττονα. εἴ τις τοιγαροῦν ταύτης μεῖζον φρονεῖ, οὐδὲ φρόνησιν ἔχειν μοι δοκεῖ. *Inter diuinam & humanam naturam ſacerdotium velut medium interiectum eſt, vt illam colat atque obſeruet, hanc autem in melius commutet, quocirca ſi quis eò ſublimiùs ſentit, ne mentis quidem & prudentiæ particeps eſſe mihi videtur.*

Nihil ergo ſublimius ſacerdotio ſentire aliquis poteſt, non officium Angelicæ cuſtodiæ, non illuminationem Angelicam huic æquare poſſumus, non illa animum ita immutant, vt diuinus illicò reddatur, & in nouam Dei formam tranſmutetur. Propriam ſibi Deus communicandæ poteſtatem vendicat, dicente Prophetâ regio Pſal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus*, cuius tamen poteſtatis participationem ſacerdotibus dedit, tunc præſertim cum ipſis abſoluendi à peccatis, & in nouam per Baptiſmum vitam regenerandi poteſtatem tradidit: ſi quid maius concipere potes eâ veritate, quæ & Chriſtum Deum producit, & animabus imprimit diuinæ naturæ imaginem, quâ efficimur filij Dei, heredes Dei, coheredes Chriſti, animabus infundit, ſi quid, inquam, ſublimius, ſi quid diuinius concipere potes, nobis reuela.

Non ego dubito, quin Angeli nullum tale ſibi officium, nullam tantæ dignitatis virtutem collata fuiſſe libenter faſſuri ſint, quia ad Dei maieſtatem ſpectat, vt adoptandi in filios Dei poteſtate, nihil maius ſtatuatur: ad eius munificentiam, & in prouidendo ſublimitatem pertinet, vt quibus vult ſua munera diſpertiat, & inferioribus nonnunquam naturæ ſublimiora & nobiliora dona largiatur; Angelos beatos Deo propinquiores, Deóque vnitos, magis quàm ſacerdotes in hac mortali vita ſtatuas, per me licet. Sed hoc ſingulare priuilegium habeant ſacerdotes, quòd Deo per gratiam ſanctificantem vnire ſtrictiùs hominem poſſint, quàm Angelus aut hominem aut alium Angelum: quòd diſſolutam per peccatum hominis cum Deo amicitiam, abſoluendo à peccatis, religare, diſſolutáſque voluntates copulare queant.

Digitized by Google

Quod vbi agnoueris, non dubito quin ſacerdotium officio Angelicæ cuſtodiæ, & quibuſlibet actionibus hierarchicis ſuperioris Angeli erga inferiores, nobilius ac præſtantius admiſſurus ſis; quin ſtultam putes eſſe, ad quam contendiſti victoriam, vt eorum munus & dignitatem eleuares, qui vt ait Hieronymus epiſt. 1. ad Heliodorum, *Apoſtolico gradui ſuccedentes Chriſti corpus ſacro ore conficiunt: per quos & nos Chriſtiani ſumus, qui claues regni cælorum habentes, quodammodo ante iudicij diem iudicant, qui ſponſam Domini ſobriâ caſtitate conſeruant.*

§. VI.

Fundamentum, quo Cellotius aduerſus rationes à nobis allatas in vindiciis pro prærogatiua ſacerdotij, excipit, diſſoluitur.

SVFFICIVNT iſta, ni fallor, quæ nos fuſiùs ad commendationem ſacerdotij explicuimus, vt ex iis pateat ſacerdotium, & officia hierarchica Eccleſiæ militantis longè præſtare, & præcellere officiis tum Angelicæ cuſtodiæ, quod in vindiciis probare ex profeſſo aggreſſi fueramus; tum hierarchicis Angeli ſuperioris erga inferiores, quod etiam obiter allatis ſuperiùs argumentis tetigimus.

Sed quia non ſufficit aduerſarium confodere, niſi etiam nos ab eius ictibus & inſultibus præſtemus immunes: ſoluendæ ſunt eius criminationes, quas aduerſus rationes à nobis in vindiciis prolatas intentat.

Intacta relinquit Cellotius ea omnia Patrum teſtimonia, quibus expreſsè Patres aſſerunt, functiones ſacerdotales ſuperare omnia officia Angelica, poteſtatémque ſacerdotalem nullâ comparatione adæquari poſſe; pluráque & nobiliora à ſacerdotibus quàm ab Angelis ex officio præſtari: ſed hæc omnia lib. 2. cap. 19 §. vnico, ſolui poſſe ait, ex eo quòd inſtrumenti dignitas aut vtilitas, vniuersè & abſolutè loquendo, ex eo non ſpectari debeat quod agit, ſed ex maiore, aut minore cum cauſa primaria propinquitate: nam, inquit, digitus penicillo nobilius inſtrumentum eſt, quia manui coniunctius, & ipſa manus inſtrumentum nobiliſſimum eſt, quia mouenti animæ ad quælibet efficienda promptiùs famulatur.

Fundamentum hoc ſtatuit, quo putat noſtra omnia conuelli, ſed inutiliter: nam quantumuis ad eius veritatem nihil deſideraremus; nihilominùs ad vim argumentorum noſtrorum retundendam nullius eſſet efficaciæ ac roboris. Etenim non hîc agimus, ſitne Angelus nobilius inſtrumentum, ſeu nobilior miniſter Dei, quàm ſacerdos; iam faſſi ſumus Angelum ſacerdote nobiliorem eſſe; nec negamus, quin ſicut digitus nobilior eſt penicillo, ita Angelus nobilior ſit homine. Sed quæſtio, quæ à nobis diſcuſſa eſt, hæc fuit, quodnam eſſet præſtantius officium an Paſtorum, an Angelorum cuſtodum. Malæ fidei eſt, Ludouice, quæſtionem inuertere, & vt aliquid dixiſſe videaris ad ſociorum tuorum excuſationem (qui contra Eccleſiæ ſenſum aſſeuerant officium Angelorum cuſtodum vel nobilitate vincere officia omnia Paſtorum Eccleſiaſticorum & ſacerdotum, vel ſaltem iis nihilo deterius aut ignobilius eſſe) ſtatum quæſtionis immutare: quaſi in controuerſiam adducatur, vter nobilior ſit Dei miniſter, an Angelus, an homo ſacerdos.

Itaque fundamentum quod ſupponis, duntaxat ad faciendum Lectoribus fucum, non quæſtionis de qua agebatur, diſcuſſionem facit. Argumentorum autem noſtrorum vis omnis integra & illibata conſiſtit, quandoquidem officij cuiuſlibet, muneris & gradus dignitas & vtilitas ex vtilitate maximè & dignitate functionum, ad quas officium iſtud & munus deſtinatur, vel gradus inſtituitur, colligere ac metiri oporteat: ſpectandúmque quid per ſe agat iſtud officium, ad quid agendum conferatur, cui vſui gradus iſte conferatur: atqui docuimus functiones ſacerdotij longè præſtantiores ac nobiliores eſſe functionibus Angelicæ cuſtodiæ: Igitur, ſuppoſitâ etiam veritate fundamenti Cellotiani, noſtrorum argumentorum vis & firmitas perſiſteret.

Secundò, nec in omnibus fundamentum iſtud veritati conſentit: primò enim quod ad vtilitatem ſpectat, abſolutè falſum eſt, plus enim ad vtilitatem inſtrumenti cuiuſque ſpectandam expendere oportet, quid quodque inſtrumentum agat, & ad

quot

quot functiones, & quantum conferat, quam ex coniunctione inſtrumenti cum cauſa principali, vel ſeparatione ab ipſa de vtilitate iudicare conueniat: capilli v. g. coniunctiores ſunt inſtrumentis artificialibus, quibus tamen, quia ad artis operationes minùs conferunt, nullum ferè inſtrumentum ſeparatum inutilius dici poteſt. Similiter penicillus coniunctior eſt agenti principali ſubſtantia colorata, quæ ad pingendum adhibetur: nam medianre penicillo tabellæ iſta apponi & affingi ſolet, quæ tamen ad pingendum longè vtilior, quia omninò neceſſaria eſt: adeps quoque & catnea moles manus inſtrumentum eſt coniunctum homini, cuius vtilitas ad opera artis longè minor ſpiritibus vitalibus ad motum manus omninò requiſitus: acumen enſis minùs coniunctum homini pugnanti manuariâ eiuſdem ſcutulâ, quæ tamen ad feriendum minùs confert: chirotecæ ſunt coniunctiores agenti principali inſtrumentis quæ ad varia opera artis adhibentur: quæ tamen licet quibuſdam operibus artis inſeruiant, minùs tamen ad ea vtiles ſunt, quàm ipſa inſtrumenta, quibus ad opera artificialia vti ſolemus.

Deinde nec verum eſt inſtrumenta coniunctiora nobiliora ſemper eſſe inſtrumentis magis ſeparatis, nam v. g. cæli motu ſuo producunt calorem, calore raritatem, vel aliquam aliam aut qualitatem aut ſubſtantiam, in qua ſerie actionum motus longè coniunctior eſt cælo quàm calor, cuius tamen motus eſſentia vt pote imperfecta & in continuo fluxu poſita calore, qualitate perfectâ, ac permanenti dignitate inferior eſt. Similiter actio quæuis ignobilior termino, quæ tamen agenti coniunctior quàm ſit terminus: ſemen coniunctius generanti embryone, embryo tamen ſemine nobilior; & in artificialibus videre eſt non ſemper inſtrumenta artificialia nobiliora ea eſſe quæ ſint coniunctiora: in moralibus quoque contingit Regem, verbi gratiâ, per miniſtros Palatinos inferiores dignitate, duces exercituum, & gubernatores prouinciarum monere, eorúmque conſilia dirigere: ita vt coniunctius inſtrumentum ignobilius ſit remotiori, minúſque coniuncto.

Denique male ad commendationem coniunctioris inſtrumenti adfertur, quod agenti promptiùs famuletur, quandoquidem certum ſit & ipſam manũ quæ in exemplum adducitur minùs promptè famulari, & miniſtrare artifici quàm penicillũ, aut aliud quoduis inſtrumentum artificiale, quorum nullum toties artifici reſiſtit quoties reſiſtit manus, quæ ſcilicet ad quoduis opus aſſuetudine flexilis reddi debet & docilis antequam pro nutu artificis regatur, quæ torpore continuóque vſu, vel aſſuetudine vel morbo artifici dirigenti renititur: quibus modis cætera inſtrumenta nunquam artifici reſiſtunt. Imbecillum itaque argumentum Cellotij, quo Angelos nobiliores Dei miniſtros ſacerdotibus eſſe probat: ex iſtis generalibus axiomatibus, 1. quòd inſtrumentum coniunctiùs agenti principali nobilius ſemper ſit & vtilius. Altero, quòd inſtrumentum, quo cauſæ principali coniunctius, eò minus ei mouenti renitatur.

Sed iam argumenti imbecillitatem non moror, parum eſt non eſſe firmum ad impugnandam veritatem, niſi potentiſſimum oſtendatur ad ſtatuendũ errorem. Hoc enim argumento conuincitur vtilius eſſe ad hominum ſalutem officium Angelicæ cuſtodiæ, quàm ſacerdotium, atque adeò Angelorum circa nos operam vtiliorem eſſe, magiſque neceſſariam meritis & ſatisfactionibus Chriſti quæ nobis per ſacramenta miniſterio ſacerdotum applicantur, quod ſine errore & blaſphemia dici nequit. Etenim ita ex principio Cellotiano diſputare licet. *Inſtrumenti dignitas aut vtilitas vniuersè & abſolutè loquendo ex eo ſpectari non debet quod agit, ſed ex maiore aut minore cum cauſa primaria propinquitate*, ſeu inſtrumentum vtilius cenſetur, quo cauſæ primariæ coniunctius eſt. Atqui Angeli cuſtodes ex eodem Cellotio cauſæ primariæ, putà Deo propiora ſunt inſtrumenta & coniunctiora quàm ſacerdotes. Ergo Angeli cuſtodes non tantùm digniores ſed & vtiliores ſunt hominum ſaluti quàm ſacerdotes.

Augebit admirationem incogitantia & imprudentia Cellotij, quòd ex eodem principio quod aſtruit, contrarium ſequatur, ei cuius ipſe probationem intendit. Etenim axioma illud Cellotianum, quòd vtilitas & dignitas inſtrumenti ex coniunctione & propinquitate maiori cum cauſa primaria repetatur, quo ſenſu probabiliſſimum eſt, de inſtrumento intelligendum eſt in ratione inſtrumenti conſiderato, non in ratione entis per ſe exiſtentis. propinquitas enim cum cauſa primaria ad dignitatem inſtrumenti materialiter ſumpti, vt quædam res eſt parum vtique confert, ſed conducit maximè ad digni-

tatem inſtrumenti in ratione inſtrumenri & formaliter ſpectati, atqui hoc axioma ſic expoſitum Angelorum m niſteriū dignitate cedere ſacerdotio oſtendit. Erenim licèt Angelus quarenus bearitudine perfruirur, Deo magis vniatur quàm ſacerdos in via poſitus, qui eo ipſo quo in via eſt, corporis corruptibilis mole ranquam macerie interpoſitâ a Deo ſeparatus diei poteſt: ob quam eauſam dicebat Apoſtolus, *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto*: Nihilominus ſi concipiarur iu rarione inſtrumenti noſtræ ſalutis hierarchicè per ſacramenta Deo cooperantis, magis vtique Deo coniungitur quàm aut Angelus cuſtos, aut Angelus hierarchiċè illuminans alium; nam ſacerdos prout inſtrumentum eſt Dei ſaluti noſtræ per ſacramenta Deo cooperans non propriâ vllâ virtute, ſed vel eadem quâ Deus agit, agit & ipſe, & ad agendum ab eo eleuatur, vel influxâ quadam & participata virtute à Deo prodeunte ad agendum mouetur, quæ vtraque rario agendi valdè intimam inſtrumenti cum cauſa primaria in ratione inſtrumenti rationem arguit, nec Angelo conuenit, qui quaſcumque actiones hierarchicas agit, eas virture ſuâ motriee, proprio intellectu, ac voluntate per ſpecies & habitus ſibi inditos efficit. Igitur illud principium, quod tanquam ſententiæ ſuæ fundamentum ſtatuit, quo ranquam ariete vtitur ad noſtram doctrinam conuellendam; illud, inquam, intentum noſtrum probat atque confirmat.

§. VIII.

Rationum auctoris vindiciarum firmitas aduerſus Cellotij ridiculos conatus aſſeritur.

EVERSO tuo fundamento, Celloti, quo noſtra conuelli aſſeuerabas, facile eſt inanitatem reſponſionum tuarum, quibus noſtras probationes conaris concutere, Lectori demonſtrare. Nec multâ ad id induſtriâ opus eſt: quandoquidem vel ſolâ collatione argumentorum noſtrorum eum tuis reſponſionibus voluiſſe vim eorum effugere videberis, non ſoluere.

Probationes noſtras, quas copioſiùs & neruoſiùs propoſueramus in vindiciis pag. 140. & ſequentibus, ſingula capita diſtinctè & ſolidè Scripturarum, ac Patrum auctoritatibus comprobantes ſummariè complectens, paucis iſtis verbis contrahis §. vnico citato lib. 2. cap. 12. pag. 86. *Munus cuſtodiendarum animarum, inquit Hallier, Angelicum quidem eſt, ſed Epiſcopali longè inferiùs, quod eſt eaſdem animas ſoluere per abſolutionem peccatorum, ligare per cenſuras, conferre gratiam per ſacramenta, conficere auguſtiſſimum altaris myſterium, quâ poſt Deum nulla maior poteſtas eſt.*

Eſto, meum iſtud ſit argumentum, quod tu elumbe & imminutum profers, à te tamen nec illud ſolutum eſſe contendo, ad hoc enim Thraſonicè reſpondes non Theologicè, ſed ne Logicè quidem, *Facilis*, inquis, *nodi ſolutio. Viatoribus hæc conceſſit Deus merâ voluntate, quæ cum beatis ſpiritibus communicata velle poterat, ſiquidem alibi fatetur Auctor hic* (citas librum meum de ſacris Ordinibus pag. 492.) *quaſi magnum aliquid ex diuina commiſſione ſacra nonnunquam ab Angelis obiri miniſteria.*

Primum hoc tuum effugium eſt, ſed extra rem omnino reſponſio; non enim agitur potueritne Deus Angeli officia æquare cum hominum miniſteriis, & ad eam dignitatem euehere, ad quam homines euexit, ſed vtrùm de facto euexerit, illúdque officium cuſtodiendi homines, quo ex diuinæ prouidentiæ lege de facto funguntur, ei æquiparari debeat miniſterio, cui ſacerdotes ſuos in noua lege Chriſtus voluit mancipari, & vtrùm illorum hierarchica poteſtas, quam in cuſtodiendis hominibus exercent, dignitate æqualis ſit, ei quàm illi, ex Chriſti inſtitutione acceperunt. Sicut enim manet inconcuſſa iſta veritas, quam Paulus docuit ad Heb. 1. *Chriſtum tantò meliorem Angelis effectum, quantò differentiùs præ illis nomen hereditauit*: manet & eius firma probatio, quam ſequentibus verbis expreſſit, *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu: ego hodie genui te? & rurſus, Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium? & cùm iterùm introduxit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei, & ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis*, &c.

Potuiſſet tamen, ſi Deus ita voluiſſet, Angelica natura æquè ac humana vni ex perſonis diuinis vniri, atque ita potuiſſet Angelus, & verè dici filius Dei & æqualem cum homine Deo conditionem nactus, æqualem quoque ſortiri honorem, parem venerationem & cultum: nec differens nomen hereditare, ab eo quo Deus homo nuncupatus eſt. Sed non ſpectatur quid fieri potuerit, ſed quid reuerâ factum ſit, atque

adeò, quia (ſicut notauit idem Apoſtolus cap. 2. eiuſdem epiſtolæ) *nuſquam Deus Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*, ideò abſolutè neceſſum eſt dicere maius beneficium Dei fuiſſe erga naturam humanam, quàm Angelicam, maioremque hominis in eo dignitatem quam Angeli, *Non enim Angelis ſubiecit Deus orbem, ſub* Chriſti *pedibus omnia ſubiecit.*

Similiter quantumcumque potuerit Deus Angelicæ cuſtodiæ officium iiſdem vel maioribus ditare priuilegiis, quibus humanum in noua lege priuilegium exornauit; quandoquidem conſtat reuerà non exornaſſe: non eſt ſpectandum quale & cuius dignitatis, ſi Deus voluiſſet, officium iſtud eſſe potuerit, ſed quale & cuius excellentiæ de facto exiſtat. Vnde cùm reuerà non eas habeat eximias dotes, non inſignes ac diuinas facultates, nec vllas alias eiuſdem dignitatis notas, cum iis quas ſacerdotium complectitur, ridiculè ad poteſtatem diuinam recurritur, de qua non diſputatur, dum duo iſta diuerſa & Angeli cuſtodis, & hominis ſacerdotis officia, qualia à Chriſto inſtituta ſunt, inter ſe conferuntur.

Subdis aliam reſponſionem, *& neque hanc ipſam* Angelorum *operam & miniſterium vacua eſſe permiſiſſe Deum: vt non incommode dici poſſit, ea immediatè hominem facere Angelum quodammodo mediatè*: perperàm autem iſta ſubiungis; tum quòd aliqua ſint opera ſacerdotis, vt poſteà dicemus, quæ neque mediatè neque immediatè ab Angelo fiunt: tum quòd idipſum quantumuis daremus, non tamen officium Angelicæ cuſtodiæ ſacerdotij dignitatem æquaret: quia mediatè tantùm ad opera gratiæ concurrere officij longè ignobilioris eſt, quàm immediatè ad illa cooperari: conferunt ſiquidem mediatè & potentiæ & actiones naturales, & inanimata quædam, atque inſenſibilia, nullâ ſupernaturali virtute eleuatâ ad opera gratiæ, v. g. obiecta, phantaſmata, cæteráque id genus, quorum tamen in ratione motiuorum, aut cauſatum ad gratiam operantium, longè deterior eſt conditio, ſacramenntorum conditione & aliorum, per quæ immediatè gratia animabus infunditur.

Neque hîc ſiſtis, ſed quàm inſulsè hæc addis, *Deinde ſi quid priuatim homini dedit Deus, quo iure inde deducis inferiorem homine Angelum? idémne etiam de Maria Virgine profiteris.* à ſcopo penitùs aberras: neque enim inter nos agitur, vtrùm homini Angelus dignitate inferior ſit: neque hoc deducere vnquam conatus ſum: quin immò citato à te paragrapho, pag. 149. Angelos expreſsè ſcripſi *hominibus naturâ ſuperiores eſſe, ac conditione beatiores.*

Quid ergo deducere aut colligere tentaui: illud vtique quod in titulo habetur, quodque toto parag. ſæpiùs inculcaui, *officium cuſtodiæ Angelicæ officio Paſtorali inferius eſſe*; illud autem omninò diuerſum eſt, ab eo quod me colligere voluiſſe ſcribis, *inferiorem homine eſſe Angelum*: quemadmodum aliud eſt, humanam Chriſti naturam inferiorem eſſe Angelicâ, aliud officium Mediatoris ſeu Redemptoris Chriſto homini conueniens inferius eſſe officio miniſterióque Angelorum: prius enim fatetur Apoſtolus, poſteriùs diffitetur ad Hebræos 2. citans enim Dauidis verba Pſalmi 8. eáque Chriſto applicans, *Minuiſti eum paulo minùs ab Angelis, gloriâ & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum; omnia ſubieciſti ſub pedibus eius.* Hæc ad explicationem iſtius verſus ſubnectit, *In eo enim quòd omnia ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei. Nunc autem necdum videmus omnia ſubiecta ei: eum autem qui modicò quam Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.*

Similiter ergo verum eſt quod concluſi, officium Angelicæ cuſtodiæ ignobilioris eſſe conditionis officio Paſtorali: illud vero falſum quod me nullo iure deducere poſſe ſcripſiſti, nec reuerà concludere vnquã cogitaui, homine inferiorem eſſe Angelum.

Exemplum autem B. Mariæ Virginis, ad inuidiam conciliandam à te ſæpiùs allatum, huic loco non conſentit: non enim B. Virginem in natura cum ſacerdotibus conferre licet, quia & ſacerdotum, & beatæ Virginis eadem natura eſt: ſed diſpar conditio, hæc θεοτόκος ſeu Deipara, illi corporis Dei conſecratores ac ſacrificatores, quæ duæ conditiones habent ſe per modum excedentis & exceſſi, nec à nobis vſquam inter ſe collatæ ſunt, nec vna alteri præpoſita, vel æquata. Quid ergo ea iam confers, de quibus quæſtio non eſt, niſi vt peſſimam cauſam acceſſitis obſcurioribus litis acceſſionibus probabilem efficere coneris.

Acriùs autem iſtam ratiocinationem noſtram carpis, quâ officia ſacerdotij præferimus officiis Angelicæ cuſtodiæ, quòd huius effectus ſint naturales, illius quoad ſubſtantiam ſupernaturales: in hac ratiocinatione primum hoc reprehendis, quòd modum agendi Angelicum pro ſubſtantia effectus accipiam, eúmque cum effectu Epiſcopalis ordinis comparem.

Quæ obſeruatio falſa eſt; nam comparo effectum quemuis ab Angelo in homine, vel circa hominem productum cum effectibus, quos per ſacramenta vel ſacramentalia producit ſacerdos in homine, vel circa hominem. Effectus quidem omnes ab Angelo cuſtode circa hominem vel in homine productos dico eſſe quoad ſubſtantiam naturales, v. g. liberationem hominis à periculo mortis, in quod aliàs incidiſſet, ligationem virtutis motricis diaboli, quâ non impeditus ab Angelo cuſtode vitæ noſtræ fortaſſe nocuiſſet, vel humores noſtros excitando, phantaſiam turbaſſet, item eorumdem humorum commotionem, ad excitandas ſpecies, quæ nobis alicuius criminis deformitatem exhibeant; quos effectus & alios ſimiles dixi eſſe naturales: cùm è contrà & gratia quæ per ſacramenta nouæ legis nobis infunditur, & ſanctitas etiam legalis, quæ per ſacramenta veteris legis conferebatur, quoad ſubſtantiam ſupernaturalis ſit. Atque ita cùm officium iſtud & poteſtas ad effectus quoad ſubſtantiam ſupernaturales nobilitate vincere debeant, officia quæuis & vim ad effectus quoad ſubſtantiam naturales conceſſam, iure merito intuli ſacerdotium præſertim nouæ legis, de quo ſolo diſputamus, officio Angelicæ cuſtodiæ eſſe præſtantius.

Confirmatur autem iſta mea ratiocinatio, quoad hanc partem quam potiſſimùm lancinas, & tanquam hæreticam ac Pelagianam reprehendis, quòd effectus omnes Angelicæ cuſtodiæ ſint naturalis ordinis, nullus autem eorum quoad ſubſtantiam ſupernaturalis. Etenim certum ex doctrina Theologorum, nullam motionem aut impreſſionem localem quoad ſubſtantiam eſſe ſupernaturalem: quæ enim ſunt ſupernaturalia quoad ſubſtantiam ea circa Deum immediatè verſentur neceſſum eſt, ad eumque creaturam eleuent: quod nulli motui vel impreſſioni locali conuenit: atqui nullus eſt effectus Angeli cuſtodis, qui ab eo producatur in homine præter motum localem: vadem quæris huius veritatis: non alium quàm teipſum teſtem cito libri ſecundi capite decimo ſeptimo, paginâ ſeptuageſimâ nonâ: qui verba iſta ſcripſiſti, eiuſdem cum iſta propoſitione ſignificationis; *Ego verò*, inquis, *licèt fatear, Angelos nihil extra ſe præter motum producere*: ſi enim nihil extra ſe præter motum producunt, nullus certè Angeli cuſtodis in homine effectus, præter localem motum; motum autem iſtum ad ſanctificationem iſtam & iuſtificationem conferre fateor; ſed naturalem eſſe aſſero: ac proinde omnes effectus Angelicæ cuſtodiæ circa nos eſſe naturales quoad ſubſtantiam euidenter demonſtro.

Nec vtique aduerſus iſta quippiam vrges, dum ais, ſi humorum excitatio naturalis eſt ad animam excitandam ad bonum, doctam & elegantem de virtute orationem, non magis eſſe ſupernaturalem: ſi dæmones coercentur poteſtate naturali, capitis infantilis perfuſionem, vel conceptorum verborum prolationem materialiter ſumptam nihil habere ſupernaturale; ſi delinquentes puniunt naturali virtute, non minùs naturalem eſſe virtutem motricem apparitionis Epiſcopalis reum in carcerem rapientis.

Quam ratiocinationem nullo negotio refello; non enim dixi omnes effectus ſacerdotij eſſe debere quoad ſubſtantiam ſupernaturales, ſed tantùm potiſſimos, cùm è contrà nullos effectus Angelicæ cuſtodiæ in homine vel circa hominem ſupernaturales eſſe quoad ſubſtantiam neceſſum ſit. Quamobrem quantumcumque oratio ſacerdotis docta & elegans effectus ſacerdotij circa ſubditum eſſe diceretur, quod non niſi impropriè dici poteſt, ſed potiùs functio ſacerdotij dicenda eſt, cuius ſcilicet non nude ſpectatæ, ſed cum gratia Dei effectus eſt nonnunquam fides ſupernaturalis, quam Apoſtolus ad Romanos decimo, ex auditu procreatam aſſerit, *auditum autem per verbum Chriſti.* Sed demus eam & effectum ſacerdotij, & naturalem eſſe, ſequetur tantùm non omnes effectus ſacerdotij eſſe quoad ſubſtantiam naturales, quod nec ſententiam noſtram impetit, nec argumentationem vel leuiter concutit. Quod de capitis infantilis infuſione, & verborum prolatione additur, extra rem eſt: nam vt ea demùm infuſio aquæ ſupra caput

Digitized by Google

infantis, ea verborum prolatio ad ſacerdotij infirmandam dignitatem proferantur, ſumi debent, vt ſunt effectus ſacerdotij, non vt materialiter tantùm ſpectantur: quo ſenſu non ſunt effectus ſacerdotij, ſed virtutis naturalis humanæ, ideóq; ſic ſumpta non ſacerdoti ac ſacerdoti æquè conuenire poſſunt; quare cùm materialiter ſumpta ſacerdotij effectus non ſint, adduci nequeunt, vt ſacerdotij effectus naturales eſſe oſtendantur: ad ſacerdotium autem ſpectant, quatenus habent à ſacerdotio obedientialem virtutem ſanctificandi infantem, cui aqua aſpergitur, ſuper quem verba ſacramentalia ex intentione ſacerdotis proferuntur: ſic autem ſupernaturalia ſunt, ac proinde quatenus ſacerdotij ſunt, ſiue actiones, ſiue effectus (meliùs autem actiones quàm effectus dixeris) quoad ſubſtantiam ſupernaturalia ſunt. Tractio autem in carcerem iuſſu Epiſcopi ab aliquo apparitore facta, quantumlibet naturalis ſit, non oſtendit effectus ſacerdotij, qui ſunt immediatè à ſacerdotio merè eſſe naturales, multò minùs quod Cellotio probandum, effectus potiſſimos ſacerdotij eſſe naturales.

Secundò carpit Cellotius, quòd ſupponere videar Angelicæ cuſtodiæ actiones (quas effectus malè nominarim) ad gratiam non tendere, quam ſolæ pariant Hierarcharum actiones, quod peruersè à me dictum affirmat, vt nemini obſcurum eſſe poteſt. Sed hæc obſeruatio iterùm falſa eſt; nam licet ea quæ in nobis, vel circa nos agit Angelus cuſtos (quos effectus Angeli cuſtodis ritè denominari poſſe nemo non videt) ex fine ipſius Angeli ad gratiam tendere poſſint: ſicut etiam ſonitus campanarum ad gratiam tendere poteſt; quippe cùm, ſicut per commotionem phantaſiæ factam ab Angelo excitatus homo, ita campanarum ſonitu ſimiliter excitatus, Deo interiùs per gratiam animum mouente, ad pœnitentiam induci poteſt: tamen nec excitatio facta ab Angelo, ſicut nec campanarum ſonitus, gratiam in homine per ſe producere dicitur, quam Epiſcopi vi ſacerdotij producere, & dicuntur, & creduntur: quorum proinde ſacerdotale munus officio Angelicæ cuſtodiæ nobilius eſt.

Tertiò, falsò ait iudicare me ad Hierarcharum functiones nullo penitùs modo concurrere Angelos, quòd ipſum etiam à me indicatum non fuit: nam quantumcumque ſuadendo aut etiam vim naturalem hominis iuuando, Angeli ad actiones ſacerdotales concurrerent, non ideò tamen deſineret eorum officium eſſe ignobilius functionibus ſacerdotij, ſicut licèt Epiſcopus ex ſuaſione amici ſui laici, aut chriſmate ſignandis fidelibus, aut ordinandis Clericis operam nauarit licèt Medicus homini reſtituens ſanitatem, vim actionémque baptizandi, confirmandi & cæterarum materialiter ſumptarum promouerit, atque adeò materialiter ad iſtas actiones concurrerit: non tamen ſequitur iſtam laici admonitionem, vel Medici operam vllo modo cum functionibus Epiſcopi in dignitate eſſe conferendam: quin etiam dici poſſit quod à laico & Medico effectus producti fuerint naturales, ab Epiſcopo verò ſupernaturales.

Quartò, ais me ſupponere adeò eſſe ſeiuncta Angelicæ cuſtodiæ officia ab Hierarchicis officiis, vt commune habeant omninò nihil, quaſi Dei vnius hac in re circa vnum & eundem ſubditum in vna hierarchiæ repub. ad vnum deiformitatis finem miniſtri non eſſent æquè vtrique. E contrà verò cenſeo communia officia & Angeli & ſacerdotis plurima eſſe, quod vterque ſibi commiſſæ animæ bono, & propter illud etiam bono corporis inuigilare debeat: vterque pericula, & occaſiones peccandi pro ſuo modulo auertat: vterque pro ſibi commiſſis, vel ad cuſtodiam, vel regimen & Paſtoralem curam Deum oret: vterque ſuo modo illuminet; hic, puta ſacerdos clariùs & diſtinctiùs proponendo credenda & facienda, ille confuſiùs turbatis in phantaſia reſidentibus ſpeciebus; cui proindè ſacerdoti potiùs fidem acceptam refert ſanctus Paulus quàm Angelis, dum loco mox à nobis citato ſcripſit, *Fidem eſſe ex auditu, auditum autem per verbum Christi.* Quod autem dicit vnam eſſe & eandem hierarchiæ rempublicam ex Angelis & hominibus, hoc ratione finis duntaxat verum eſt, nec abſolutè proferendum, quandoquidem & Dionyſij, & omnium calculo conſtet duas eſſe hierarchias, Angelicam ſeu cæleſtem, & Eccleſiaſticam ſeu terreſtrem, quæ vltima à ſacerdotibus regatur, paſcatur, à cæleſti vero foueatur & illuminetur. Protuleram Auguſtini textum tractatu 7. in Ioannem, *Difficilius eſſe hominem iuſtificare quam cælum & terram creare*, eóque demonſtrabam difficultatem iuſtificationis, quem effectum adeo operoſum ſacerdoti concedi, ad ſacerdotij prærogatiuam facilè inferebam.

Occurrit aduerſarius, duplicémque errorem opponit, & quòd ſine Angelica opera ſacerdos hominem non iuſtificet: & quòd ſæpè Angeli obices omnes, qui difficultatem creant tollere ſoleant: quem vtrumque errorem inferiùs refutabo.

§. VIII.

Quo ſenſu omnes Angelicæ cuſtodiæ effectus ſint naturalis ordinis.

QVINTO potiſſimùm in eo refellendo moratur, quòd effectus cuſtodiæ Angelicæ naturales aliquos dixerim, ex quo infert ſenſiſſe me ſolius naturæ viribus, gratiâ Seruatoris nihil adiuuante, effectus iſtos fieri, quem errorem Pelagianum mihi ita obiicit, *Angeli ergo non rarò naturâ minùs perfectis dæmones, aliquos naturâ ſuperiores ſine gratia, naturali qualitate immiſſâ coercent: homines ad bonum excitant ſolis naturæ viribus; orant pro nobis ſine diuina gratia, orationes hominum ad Deum deferunt, eo quo ſuperiùs explicabat Præſul Pariſienſis modo, viâ naturali: procurant nobis finem hierarchicum, gratiâ nihil adiuuante?* Quo argumento incaleſcens Auctor modeſtè & pacatè, ſuo ſcilicet more egregiam iſtam coronidem adiicit: *In hæc verba, & Doctoris noſtri cogitata niſi Pelagius & Cæleſtius ab inferis excitati iurauerint, cauſæ nihil dico, quin Angeli omnes causâ cadant; hæc dicta niſi ſanctus Auguſtinus, niſi Arauſicanum & Mileuitanum Concilia, niſi fides Catholica proſcribat & abominetur, ſiam ego anathema à Chriſto, extraneus fratribus meis Angelis, & peregrinus filiis matris meæ Eccleſiæ.*

Miror, Chriſtianum, Ieſuitam, ſacerdotem, tam temerè, tam libenter, tam inutiliter, nullâ vrgente neceſſitate, nullâ prouocante vtilitate palam & in oculis omnium, execratorium iſtud iuramentum emiſiſſe, & perennitati temporis (ſi tamen tandiu liber eius duraturus eſt) conſecraſſe. Si me vel iſtius erroris damnare potuiſſet, non ideò ei iurandum, non huiuſmodi iuramentum emittendum erat, cuiuſmodi, vt ſe ad promiſſionem, quam ex animo ſeruare volebat, firmandam infidelibus obſtringeret, nullo vnquam metu ſanctus Ludouicus Franciæ Rex induci potuit.

Sed ad eluendam Pelagiani erroris calumniam pergo, quam mihi notam imprimere non poteſt, niſi eodem ſtigmate ſanctum Thomam inurat. Dixi ego effectus Angelicæ cuſtodiæ viâ naturali fieri, naturalis ordinis eſſe: dixit autem ſanctus Thomas beneficium cuſtodiæ Angelicæ eſſe naturale: verba illius hæc ſunt, 1. parte quæſt. 113. art. 5. in corpore, *Beneficia quæ dantur homini, ex eo quod eſt Chriſtianus, incipiunt à tempore Baptiſmi: ſicut perceptio Euchariſtiæ & alia eiuſmodi, ſed ea quæ prouidentur homini à Deo, in quantum habet naturam rationalem ex tunc ei exhibentur, ex quo naſcendo talem naturam accipit, & tale beneficium eſt cuſtodia Angelorum.* Hæc Angelicus Doctor, quibus ego conſenſi: nam perinde eſt dicere effectus aliquos viâ naturali prouideri, nec diuinitùs homini dari, & naturam rationalem ſequi: priùs ego ſcripſi; poſteriùs diuus Thomas. Niſi D. Thomam Pelagiani erroris conuicerit aduerſarius, nec me conuincet.

Poſſem autem ratione generali hanc calumniam expungere: quia hæreſis Pelagiana conſiſtebat, non in eo quòd excitationes, exhortationes, catecheſes, inſtructiones, quæ ad fidem nos ducunt, vel ad charitatem in nobis inflammandam iuuant, naturalem diceret, aut gratuita hæc Dei dona negaret, quinimò totam in iis diuinam gratiam conſiſtere dicebat Pelagius, cuius eum erroris ſæpè coarguit Auguſtinus aſſerens cum Catholicis aduerſus ipſum, & eius aſſeclas neceſſaria eſſe interiora Dei auxilia, gratias interiores in intellectu ad eius illuſtrationem, in voluntate ad eius motionem & conuerſionem à bono mutabili ad immutabile: docens proinde quantumcumque homines exteriùs alios doceant & moneant, doctis piiſque ſermonibus, quantumcumque Angeli exterioribus ſignis nos inſtruant, vel phantaſiam ipſam agitatione humorum moueant, *Cathedram tamen habere eum in cœlo qui corda docet*; Deum eſſe, qui voluntates flectat, mentiſque tenebras diſpellat, & ad aſſentiendum mentem, ad bene amandum voluntatem inclinet: hanc gratiam non naturæ dari, non meritis deberi, ſed eam Chriſtum nobis promeritum fuiſſe, eam gratuitò à Deo concedi, ſupernaturalem eſſe, quoad ſubſtantiam: ſintne verò motiones & operationes circa nos Angeli cuſtodis naturales, an verò ſupernaturales, non diſputauit Pelagius, gratia-

Digitized by Google

rum ſupernaturalium diſpoſitionem euertens. Quam ergo cum Pelagij errore affinitatem habet hæc propoſitio, quòd effectus Angelorum circa nos non ſint, quoad ſubſtantiam, ſupernaturales. Profectò nullam hæc propoſitio cum Pelagij errore germanitatem habet: imò nec in eo vllus error deliteſcit.

Ad ſingula eius obiecta Cellotij reſpondeo, nec coercitionem dæmonum ab Angelis neceſſariò quoad ſubſtantiam eſſe ſupernaturalem: nec excitationem ad bonum, nec orationem, nec orationum noſtrarum delationem, in eáque infieiatione mea nihil Pelagiani erroris contineri.

Primò quidem ſatis oſtendit Cellotius, ſe errorem, in quem Pelagius & Celeſtius impegerint, iterùm neſcire: nam aduerſus iſtos hæreticos pro neceſſitate gratiæ Seruatoris acriter diſputarunt Catholici, vt videre eſt ex ſcriptis Hieronymi, Auguſtini, Proſperi & aliorum epiſtolis Synodalibus Conciliorum African. & reſponſionibus ſummorum Pontificum Innocentij, Zoſimi, Celeſtini. Porrò Catholici gratiam, quâ Angeli ad beatitudinem æternam adducti ſunt, Seruatoris gratiam non omnes ſaltem dici debere putauerunt. Etenim Auguſtinus magnus gratiæ defenſor aduerſus Pelagianos, Enchiridij ad Laurentium cap. 61. Eccleſiam in qua ſumus ab Angelica ſocietate diſtinguit, quòd hæc gratiâ Seruatoris careat, quâ illa indiget: de qua ita loquitur, *Hæc ſanguine mediatoris nullum habentis peccatum, ab omni redempta eſt peccato, cuiúſque vox eſt, Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: non enim pro Angelis mortuus eſt Chriſtus.* Ideóque cap. 62. ſententiam Apoſtoli ad Epheſios primo dicentis Chriſtum *inſtauraſſe omnia, quæ in cælis ſunt, & quæ in terris*, in eum ſenſum interpretatur, non quòd Chriſti gratiâ Angeli ſteterint, ſed quòd eius gratiâ homines ad reparandas Angelorum lapſorum ruinas erecti ſint, & deleto ex hominibus peccato cæleſtia cum terreſtribus pacificata fuerint, quòd magis explicat 63. cap. ſequenti: quam doctrinam haurire potuit ab Ambroſio, qui eam tradidiſſe videtur ſerm. 10. in Pſalm. 118. *Habemus*, inquit, *aliquid quod fortaſſe Angeli non habeant: vbi enim abundauit peccatum, ſuperabundauit & gratia, nobis eſt natus Chriſtus ex virgine: legimus enim, Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, nobis carnem ſuſcepit, quando filium hominis in Dei ſede conſtituit: non lego Angeles, ſed homines conſepultos Chriſto, & in Chriſto reſuſcitatos. Denique ait Apoſtolus, quia conuiuificauit nos in Chriſto, cuius gratiâ eſtis ſaluati, & ſimul ſuſcitauit, ſimulque ſedere fecit in cæleſtibus cum Chriſto Ieſu.* Fauet Gregorius lib. 28. Moralium cap. 6. in fine, dum ait, *Cuius Incarnationis myſterium, quia & electi Angeli mirati ſunt, qui eodem myſterio redempti non ſunt, rectè ſubiungitur*, &c. Vide caput 7. quo fuſiùs eandem doctrinam videtur ſecutus fuiſſe.

Vt vt ſit, Scholaſtici Theologi in duas opiniones diſtrahuntur, quidam maximè ex antiquioribus videntur nequaquam credidiſſe, Angelicas actiones eſſe ex gratia Chriſti, quamuis quaſdam illuminationes in Angelos, à Chriſto influi aliqui ex ipſis admittant.

Alij tanquam probabiliorem aliam ſententiam ſequuntur, & omnem gratiam Angelis ex Chriſti meritis datam putant. Nulli Pelagiani erroris notâ afficiunt opinionem eorum, qui Angelos *gratia Seruatoris nihil adiuuante* operari defenderent. Nec Pelagius & Celeſtius, quos ab inferis excitat aduerſarius tanquam ſpectra, quæ Lectori terrorem incutiant, circa Angelos quidquam errasse referuntur, proindéque errorem Pelagij & Celeſtij non videtur nouiſſe Cellotius, dum nos in eorum errorem incidiſſe contendit, quòd nos docuiſſe putet gratiâ Seruatoris Angelos cuſtodes non indigere ad effectus Angelicæ cuſtodiæ producendos.

Quare ſi quid aduerſus nos promouere voluiſſet, non de gratia Seruatoris à nobis negata in Angelis lis intentanda erat, ſed de omni gratia ſublata querimonia erat mouenda, vt in Pelagiani erroris ſuſpicionem nos aliquâ ratione traheret. Sed nec ſi de ea gratia ſublata quereretur, de qua inter Pelagium & Celeſtium cum Catholicis diſputatio mouebatur, quidquam etiam promoueret aduerſarius. Certum eſt enim Angelos cuſtodes, vt pote beatos, & in bono conſtantes, eique incommutabiliter adhęrentes, ita vt nullatenus à boni proſecutione dimoueri poſſint, indigere eâ gratiâ, quæ ad bonam voluntatem excitaret & in bono firmaret.

Certum eſt item eoſdem extra ſtatum merendi poſitos, non indigere gratiâ, quæ

requiratur ad meritum. Ac tota diſputatio Pelagij & Celeſtij cum Catholicis erat de neceſſitate gratiæ, quæ eſſet principium meriti, & ſine qua Catholici infirmam & inſufficientem voluntaris poteſtatem tum ad merendum, tum ad actus bonos ſaltem ſupernaturales eſſe docebant.

Itaque nequidem ſi gratiæ in ſtrictiori iſto ſignificato neceſſitatem in Angelo beato negarem, à Pelagij vel Celeſtij partibus eſſe viderer. Quòd ſi iam excluſâ Celeſtianâ querimoniâ probabiliorem aliquis aduerſum me ſcrupulum moueat, quaſi ſupernaturalem omnem ab Angelo cuſtode actionem, cogitationem, voluntatem remoueam. Tum demum negabo id me aut ſcripſiſſe, aut cenſuiſſe. Neque enim v. g. qui dixerit effectus quos operatur Medicus circa ægrotum eſſe naturales, & naturali viâ fieri: ideo negat neceſſitatem gratiæ in Medico: ad hoc vt ægro piâ & Chriſtianâ intentione medeatur, idcò inter medendum negat occurrere Medico piam & ſupernaturalem cogitationem & voluntatem, à qua eius medendi effectus extrinſecè ſupernaturalis dicatur.

Similiter nec quamtumuis dixerimus effectus, quos operatur Angelus cuſtos circa eos quos cuſtodit, eſſe naturales, & naturali viâ fieri, ſequitur naturali viâ ad Deum dirigi, & naturalibus viribus ad finem æternæ ſalutis eos ab Angelo ordinari. Fatemur igitur ſupernaturali lumine Angelos duci ad referendum officia omnia cuſtodiæ, quam circa nos exhibent; tum ad Dei gloriam, ad quam omnia vi diuinæ viſionis & amoris beatifici referunt; tum ad noſtram æternam ſalutem, quam promouendam ſuſceperunt. Sed negamus eos effectus, quos circa nos operantur quoad ſubſtantiam ſupernaturales eſſe oportere, quemadmodum effectus potiſſimos ſacerdotij ſupernaturales quoad ſubſtantiam eſſe neceſſum eſt; nam ſanctitas, quam conferunt rebus à Deo conſecratis, gratiâ ſanctificante quam infundunt, character, quem animæ per ſacramentum imprimunt, gratia ſacramentalis, quam producunt, hæc omnia quoad ſubſtantiam ſupernaturalia ſunt, ſiue bono, ſiue malo fine fiant, ſiue propter gloriam Dei, ſiue propter ambitionem, eſſentialiter ſupernaturalia ſunt, ſi quem talem effectum ordinarium Angelicæ cuſtodiæ, mi Ludouice, repereris, tum demum argumentum meum nutabit, neque tamen in Pelagianiſmum impinget.

At nihil tale repereris, nam quòd ais Angelos non raro naturâ minùs perfectos, dum coercent dæmonem neceſſario ſupernaturali qualitate id agere debere, falſum eſt, & quamuis verum eſſet, vim noſtri argumenti nequaquam infringeret. Falſum inquam eſt, nam Angelus bonus, etiamſi naturâ interdum imperfectior ſinitur agere in dæmonem, dæmónque capax eſt ingratæ & incommodæ qualitatis, quâ torqueatur, ligari etiam poteſt eius virtus. E contrà verò bonus Angelus in eo ſtatu poſitus eſt, vt nihil ei iniucundum accidere poſſit, nec virtuti motrici naturæ ſuperioris Angeli vlteriùs ſubiaceat, nec eius virtus ligari poteſt, ſicut nec corporis beatifici virtus motrix ab vllo agente retardari: quo fit vt cùm Angelus bonus in malum etiam nobilioris naturæ agere poſſit: repati verò à malo nequeat ex conditione beatifici ſtatus in quo eſt: præualeátque aduerſus dæmonem quantumcumque naturalem tantùm in eum effectum immittat, eúmque naturali virtute coerceat: quod vtique videtur docere Auguſtinus lib. 11. de Geneſi ad literam, cap. 19. iis verbis, *Habent enim quædam boni & mali Angeli opera ſimilia, ſicut Moyſes & Magi Pharaonis, verùm in his etiam boni Angeli potentiores ſunt, quia nec mali Angeli etiam talium operum, quidquam poſſunt, niſi per bonos Angelos permiſerit Deus.*

Neque verò qualitate ſemper opus eſt, vt dæmones Angelus pacis compeſcat: nam, vt ait ſanctus Gregorius lib. 25. magnorum Moralium, cap. 9. *Angelicos ſpiritus rectè Dei milites dicimus, quia decertare contra poteſtates aëreas non ignoramus, quæ tamen certamina non labore, ſed imperio peragunt, quia quidquid agendo contra immundos ſpiritus appetunt, ex adiutorio cuncta regentis poſſunt.* Sed eſto qualitate ſupernaturali dicerentur boni Angeli malos coercere, non tamen ſupernaturali quoad ſubſtantiam, cuiuſmodi eſt gratia, character, ſed ſupernaturali quoad modum, putà ratione intentionis maioris quàm natura agentis ferat, quomodo ſi tantus calor produceretur ab aëre quantus ab igne, diceretur calor iſte ſupernaturalis, quamuis non eſſet ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: quæ ratio eſſe ſupernaturalis quoad ſubſtantiam reperitur tantùm in iis quæ creaturam ad Deum adducunt, eique vniunt, cuiuſmodi ſunt Theolo-

gicæ virtutes, gratiæ, lumen gloriæ, vnio hypoſtatica naturæ humanæ Chriſti cum Verbo, & quæ ordinem omnem naturæ tranſcendunt, cuiuſmodi effectus, quia à ſacerdote fieri poſſunt, ideò ſacerdotium Angelicæ cuſtodiæ officiis prætulimus: quibus expreſsè effectus tantùm ſupernaturales *quoad ſubſtantiam* ad officium cuſtodiæ quam exhibent, pertinentibus conuenire diximus.

Vrgent non poſſe dici quòd Angeli ad bonum excitent hominem ſolis naturæ viribus.

Reſpondeo eodem modo id dici poſſe, quo modo concionatores excitant ſolis naturæ viribus: Nec Pelagij error mihi cauendus, qui nunquam ab Auguſtino aut cæteris Patribus redargutus eſt, quòd legem & doctrinam naturales eſſe diceret; ſed quod legi & doctrinæ omnia concederet: cùm è contrà ab Apoſtolo doceamur 1. Cor. 3. *Neque qui plantat, neque qui rigat eſſe aliquid, ſed qui incrementum dat Deus*: parúmque prodeſſe aut exterius proponentem bonum hominem, aut obiectorum apprehenſionem in phantaſiam immittentem Angelum, niſi animum ad aſſentiendum Deus potentiori gratiâ inducat, & corda flectat: nam, vt ait Auguſtinus, *Cathedram habet in cælo qui corda docet.*

Scrupulum moues, Celloti, de oratione, quam ais, vt ab Angelis dirigitur in Dei gloriam, & in noſtram ſalutem, ſupernaturalem eſſe: fateor orationem Angeli eo ſenſu ſupernaturalem eſſe eo modo quo & operationes & effectus naturales, qui à nobis fiunt, verbi gratiâ actus ipſi manducandi & bibendi, quatenus diriguntur ad Deum, ſupernaturales dici debent: hanc orationem Angeli & directionem noſtrarum precum ad Deum non ita ſpecto; neque vt eſt actus imperatus à charitate, ſed vt eſt actus religionis ſolitariè ſpectatæ, nihilque eſt aliud, quàm directio Angelicæ cogitationis ad Deum, quo ſenſu nemo dubitat, quin ipſa ſit quoad ſubſtantiam naturalis, & à potentia naturali ac virtute naturali eliciatur; cùm è contrà ſupernaturales quoad ſubſtantiam effectus à ſacerdotio ſub ea ratione profluant. Deinde nec de oratione præciſè hîc ago, ſed de effectibus quos Angelus cuſtos in nobis producit, quos dixi eſſe quoad ſubſtantiam naturales, non ſupernaturales.

Cùm igitur in iis verbis & cogitatis meis nihil quod Pelagij vel Celeſtij errorem ſapiat inueniri poſſit, causâ cadas, Ludouice, neceſſum eſt, tibique horrendum illud iuramentum, quo te obſtrinxeras, reuocandum, ne, quod abſit, contingat tibi dura iſta conditio, quæ nec tibi in mentem venire debebat, ad quam tamen te obligaſti, vt fias anathema à Chriſto, extraneus ab Angelis, & peregrinus à filiis matris Eccleſiæ.

§. IX.

Vtrùm Epiſcopi omnia obeant munia Angelicæ cuſtodiæ, illuminentur immediatè à Deo, & Angelos aliquando illuminauerint.

PERGIT deinceps citato à nobis §. aduerſum nos commoueri Cellotius, dum nos pergere ait Angelos deprimere: quam accuſationem nonniſi leuibus iſtis & friuolis argumentis peragit, quòd mente meâ *omnia cuſtodum Angelorum munia Epiſcopi & ſacerdotes obeant, ipſam etiam illuminationem: nam & in hac inferiores eſſe Angelos hominibus ex eo patere* ait, *putà Apoſtolos à Chriſto; Angelos autem infimæ hierarchiæ non à Deo immediatè, ſed à ſuperioribus mentibus illuminari: Quæ*, inquit, *ſi vera ſunt, cui bono cuſtodes Angeli? cur ſingulis hominibus non beatum genium, ſed ſacerdotem cuſtodem non adiungit Deus?* Duas noſtras argumentationes coniungit: probationes noſtras diſſimulat; quæ moderatiùs à nobis dicta ſunt, ea duriùs proponit, ea omnia peruertit, ac friuolis coniecturis ſolidè ſtabilita euertere conatur.

Primò enim diximus Angelorum cuſtodum omnia miniſteria ſacerdotes & Epiſcopos obire, nullum ſcilicet genus eſſe functionis Angelicæ cuſtodiæ, quod non ſacerdotes obeant, longâ enumeratione id probauimus, cuius nullam partem negat Cellotius, ſed ſolùm non tantumdem poſſe ſacerdotis quantum Angeli cuſtodis in eo genere operationem; quod an verum ſit, mox diſcutiemus. Sed etſi verum eſſet obſtaret quin vera eſſet iſta propoſitio, nullum eſſe genus actionis Angelicæ cuſtodiæ, quod non ſuo modo, eſto imperfectiori, non enim id aut affirmaui aut negaui, ſacerdos defungatur.

Atque adeò ſacerdotij prætogatiuam maximam eſſe, quòd non omnes actiones ſacerdotales poſſint in Angelum cuſtodem cadere: non enim poteſt ordinarie baptizare, non ſacrificare, non à peccatis abſoluere: quæ tamen actiones nobiliſſimæ ſunt & præſtantiſſimæ, quæcunque autem poteſt Angelus cuſtos, ea poſſit ſiue perfectiùs ſiue imperfectiùs ſacerdos, ſed & perfectiùs aliquas ſaltem earum poſſe mox docebimus.

Exinde verò colligi nequit Angelo cuſtode non opus eſſe: ſicut nec ex eo quòd Epiſcopi omnia Presbyterorum & Diaconorum munia obire poſſunt, non ſequitur Presbyteros & Diaconos inutiles eſſe, maximè verò cùm non eodem modo, ſed diuerſis, quod efficit ſacerdos, efficiat Angelus, & vnius opera, alterius operam iuuet. Nam verbi gratiâ, per aquam benedictam & alia ſacramentalia ſacerdos pericula ab homine auertit, in quæ Deus aliàs hominem permiſiſſet incidere, nec ab Angelo cuſtode præpediri voluiſſet; imò & quod Angelus cuſtos ea auertat, & diuinæ permiſſionis & Eccleſiaſticæ benedictionis per ſacerdotem factæ nonnunquam effectus eſt vt Catholica credit Eccleſia.

Secundò, excitat Angelus hominem ad bonum commotione humorum & ſpecierum in phantaſia deliteſcentium: id ſacerdos & ſæpiùs & efficaciùs facit, à quo nempe benè agendi rationem enucleatiùs & diſtinctiùs edocemur, cuius obiurgatio & increpatio magis ſenſum ferit, pudorem maiorem incutit, maiori cum imperio fit, puta vice Chriſti, cuius loco ſacerdos præſidet, cui proinde Chriſtus gratiam ſuam ſæpiùs adnexuit.

Tertiò, & dæmones coercent ſacerdotes, atque exorciſmis abigunt, eò mirabiliùs quod non virtute naturali, non qualitate aliquâ impreſſâ, ſed ſolâ Chriſti inuocatione & verbo id præſtent, eòque potentiùs quod ſæpiùs executores ſuæ iuſſionis habeant bonos Angelos, aliquando etiam Deum ipſum.

Quartò, orationes deferunt ſacerdotes & orant, quæ duo in iis Chryſologus diſtinguit, ſicut & in Angelis ſerm. 26. à nobis citato, iis verbis, *Verſatur inter altaria ſemper, peccatorum cauſas & dolores populi ſuſcipit, fert, offert, ingerit preces, accipit, refert, reſtituit impetrata, ex homine totus in Angelum ſubſtituitur.* Quæ etiam duo diſtinguere videtur Auguſtinus epiſt. 120. *ad Honoratum* 121. *ad Probum*, & lib. *de diligendo Deo*, vt ſcilicet offerre Deo orationes, ſit Deum ſuper noſtris precibus conſulere, & quod ſuper hoc faciendum ſit, vel euidenter, vel latenter reportare: orare verò ſit petere.

Quæ proinde à nobis diſtingui malè reprehendit Cellotius lib. 2. cap. 18. pag. 82. Orationes verò noſtras ſacerdotes offerunt, ſuáſque non petitiones vt Angeli, ſed Chriſti ſatisfactiones & merita, quorum diſpenſatores conſtituti ſunt: imò & Chriſtum ipſum qui exauditur à Patre pro ſua reuerentia, offerunt, atque adeò longè exaudibiliores noſtras preces faciunt, & à Deo potentiùs quæ volunt exorant, quàm Angeli; quia non ſuâ vi, ſed Chriſti meritis ſibi ad applicandum commiſſis, ad impetrandum in ſacrificio, & ſacramentis nituntur.

Sextò, nec dubium eſt, quin pœna ſpiritalis, quæ animam ipſam attingit, maior ſit & præſtantior corporali quacumq; punitione, vt oſtendit Chryſoſtomus lib 3. de ſacerdotio cap. 5. homil. 5. in Eſaiam, & homil. 8. in Acta; Angeli tamen corporaliter tantùm puniendi vim habent, vinculum autem ſacerdotale etiam animam conſtringit. Ideóque & puniendi officio ſacerdotes perfruuntur, & nobiliùs quidem quàm Angeli ipſi noſtri cuſtodes eodem potiuntur.

Epiſcopos dixi immediatè à Deo nonnunquam illuminari, quemadmodum Apoſtolos à Chriſto, quibus nempè Epiſcopis Apoſtolicum iſtud proferre licet, *viſum eſt Spiritui ſancto*, audes id negare quicumque te Catholicum dicis? quod negare non poteſ niſi Conciliorum Eccleſiæ, cum Nouatoribus noſtris auctoritatem infirmes, quam Patres, quam Theologi Doctores admittunt: audes id negare quòd non ſolùm illatus Scripturæ ſacræ textus Actorum 15. in quo Conciliorum forma & auctoritas elucet, probat, verùm & alia Scripturæ ſacræ teſtimonia confirmant? quæ ſcilicet de illuminatione Epiſcoporum in Concilijs ab ipſo Chriſto & Spiritu ſancto Patres interpretati ſunt, cuiuſmodi iſta ſunt: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus ad conſummationem ſæculi*, Math. 18. *Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet*

Digitized by Google

Pater in nomine meo , illè vos docebit omnia quæcumque dixero vobis, Ioan. 14. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre , Spiritum veritatis , qui à Patre procedit , ille teſtimonium perhibebit de me* , Ioannis 15. *Cum autem venerit Spiritus ille veritatis , docebit vos omnem veritatem* , capite ſequenti. Quæ omnia promiſſa Eccleſia Catholica non ſolùm ad Apoſtolos, verùm etiam ad ſucceſſores eorum pertinere cenſuit. Tu ad ſucceſſores pertinere negas contra Eccleſiæ ſenſum , quæ immediatè Spiritum ſanctum Conciliorum Patribus adeſſe , & diuino lumine ipſis prælucere, ne errorem definiant , credidit, & ex iis locis eruit. Tu verò ſpretâ iſtâ Epiſcoporum in Conciliis prærogatiuâ , ſine qua Conciliorum etiam generalium, & ſummi Pontificis veracitas periclitatur, quâ ſublatâ Moyſe, & ſeptuaginta Senioribus, quibus de ſpiritu Moſis Deus per ſeiptum communicaſſe legitur , longè inferiores noſtros Antiſtites ſtatuis, eámque prærogatiuam ordinariam ac promiſſione certam, indubitatam transfers ad extraordinarium quoddam beneficium, quo *hominum electi* quidam, id eſt, ſi mentem tuam capio, monachi, *prout Deo viſum* immediatè à Deo ſunt illuminari. In quo à Caluino & Luthero in eo ſolùm diſſentis, quòd ſingulos illos fideles, & prædeſtinatos θεοδιδάκτους putent, tu electos quoſdam , & hierarchiæ fictitiæ Chariſmatum primores : in eo verò conſentis, quod ſpiritum à Deo ſacerdotibus promiſſum ad Eccleſiæ ædificationem, & perennitatem, contra diuina oracula adimis : tu iniquior, qui quod ſacerdotibus vniuerſis ex ſingulari ſacerdotij prærogatiua promiſſum eſt, vt ad quoſdam Monachos transferas, quos contemplatione cæteris præcellere aſſeris, beneficium paucorum merè gratuitum facis , quòd in fauorem Eccleſiæ promiſſum eſt. Quo errore nullus Eccleſiæ capitalior eſſe poteſt : vt pote qui totius Eccleſiaſticæ gubernationis formam & definitionis certitudinem conuellat.

Ita ergo cæcutis, vt non videas te ita ſentientem hæreſim docere, & in transfugarum ab Eccleſia Catholica caſtris militare, Obſtrepis tamen, & quæ cum Catholicis docui, ſi vera ſint , non eſſe opus Angelicâ cuſtodiâ fremis? itáne vnum fidei dogma ab alio deſtrui putas ? quid leues iſtas conſecutiones aduerſus conſentientem Eccleſiæ doctrinam contexis? Redi ad Eccleſiam Catholicam, quæ iſtorum dogmatum conſenſum docebit.

Reprehendis etiam quòd dixerim Angelos cuſtodes , vt pote ex infima Angelica hierarchia ſelectos non immediatè à Deo edoceri , ſed Angelorum ſuperiorum miniſterio : ſed adduxi Auctores Dionyſium 3. cæleſtis hierarchiæ , Athanaſium libro de communi eſſentia, Damaſcenum lib. 2 de fide cap. 3. Bernardum de conſideratione, lib. 3. cap. 4. quorum auctoritatem præteris, vt in nos incurras.

Attuli etiam exemplum ex Scripturis Angelorum, Perſarum & Iudæorum, quos inter ſe altercantes Michaelis ſuperioris Angeli miniſterio de Dei voluntate certiores factos ex cap. 11. Danielis diſcimus. Scripturæ etiam auctoritatem prætermittis, adeò incautus in aduerſarium irruis , vt vel ipſo Scripturæ ſacræ neglectu , vel negatione tibi impetendus videat.

Intuli Paſtores *aliquo modo*, quod ad illuminationem ſpectat eſſe ſuperiores: tu hæc profers quaſi hæc à me ita prolata ſint , vt abſolutè ſimpliciter illuminandi virtute Angelum ſuperiorem dixerim , quod in vindiciis non dixi: Vbi tua fides? vbi candor? vbi ſyncerum veritati teſtimonium?

Addidi denique dici poſſe Angelos quoad aliqua à Paſtoribus Eccleſiæ illuminari; nec dubium eſt quin id dici poſſit, tum quòd ſecundum plurimos Patres & interpretes fundamentum habeat in ſancto Paulo epiſt. ad Epheſios cap 3. *Sibi datum eſſe* ſcribenti *in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti , & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo qui omnia creauit , vt innoteſcat Principatibus & Poteſtatibus cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Tum quòd idipſum aſſeratur ab Origene homil. 23. in Lucam , Chryſoſtomo præfatione homiliarum in Ioannem, & homil. 4. contra Anomæos, Hieronymo in caput 3. ad Epheſios, Theodoreto in Dialogo, qui inſcribitur *Immutabilis.* Sedulio in Collectaneis huius loci; Haymone in eundem locum; Magiſtro ſententiarum lib. 2. diſtinct. 11. & aliis.

Vnicum proferam ſanctum Chryſoſtomum , qui prædicto in Euangelium Ioannis Prologo, de Ioanne loquens, cuius ſapientiam ſupernæ virtutes admirentur, hæc habet, οὐδὲν γὰρ ἀνθρώπινον ἡμῖν ἐρεῖ. ἀλλὰ ἀπὸ τῶν ἀβύσσων τῶν πνευματικῶν, ἅπερ ἂν λέγῃ.

ἀπὸ τῶν ἀπορρήτων ἐκείνων ἃ μὴ δὲ ἄγγελοι πρὶν [ἢ τούτων] γενέσθαι ᾔδεσαν. μεθ' ἡμῶν γὰρ δὴ καὶ οὗτοι [διὰ τῆς Ἰωάννου φωνῆς] καὶ δι' ἡμῶν ἔμαθον ἅπερ ἔγνωμεν, καὶ τοῦτο ἐδήλωσεν Ἀπόστολος ἕτερος εἰπών· ἵνα γνωρισθῇ νῦν ταῖς ἀρχαῖς καὶ ταῖς ἐξουσίαις διὰ τῆς ἐκκλησίας ἡ πολυποίκιλος σοφία τοῦ Θεοῦ. εἰ τοίνυν καὶ ἀρχαὶ, καὶ ἐξουσίαι καὶ τὰ Χερουβὶμ, καὶ Σεραφὶμ διὰ τῆς ἐκκλησίας ἔμαθον ταῦτα εὔδηλον ὅτι καὶ αὗται μετὰ πολλῆς τῆς σφοδρότητος περὶ ταύτην ἐσπούδασαν τὴν ἀκρόασιν· καὶ γὰρ καὶ τούτῳ τετιμήμεθα οὐ μικρῶς τῷ μεθ' ἡμῶν τοὺς ἀγγέλους μαθεῖν ἅπερ ἠγνόουν. τὸ δὲ καὶ δι' ἡμῶν, οὔπω πῶς φημὶ τίνων ἢ ποίων ὄντων ἡμῶν. *Nihil enim nobis humanum, ſed à Spiritus ſancti profundis, & abditis theſauris omnia proloquitur quæ neque Angeli priuſquam hic diceret, nouerunt: namque & ipſi nobiſcum, per Ioannis vocem & per nos didicerunt, quæ cognouimus; quod beatus etiam Paulus iis verbis ſignificauit, vt innoteſcat nunc Principatibus cæleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei. Si igitur Principatus & Poteſtates, Cherubimque, ac Seraphim hæc per Eccleſiam didicerunt, planè conſtat ipſos Angelos ſumma cum attentione eius ſe ſe auditores exhibuiſſe. Quippe idcircò non parum honoris conſequimur, quòd nobiſcum Angeli didicerint quæ neſciebant. Quòd autem per nos, longè magis honoramur: ſed per quos vel quales noſtrum nondum diximus.* Idem quoque Orat. 4. contra Anomæos, ſeu de incomprehenſibili Dei natura non longè ab initio fusè hoc probandum ſuſcipit, eodémque Apoſtoli teſtimonio comprobat.

Scio varios alios ſenſus loci Apoſtoli tradi poſſe, Gregorius Nyſſenus homil. 8. in Cantica, Oecumenius in eum locum, ſed clariùs D. Thomas & alij recentiores in eumdem, non per Eccleſiam tanquam docentem inſtructos Angelos, ſed in ea tanquam in obiecto noua vidiſſe Angelos multiformis ſapientiæ Dei effecta, quæ præuidere non poterant. In quem etiam ſenſum Hieronymus, & Sedulius trahi poſſunt. Primaſius verò cuius etiam explicationem probat Sedulius per Principatus & Poteſtates eos intelligunt, qui rebus cæleſtibus doníſque per Eccleſiam principantur. Ambroſiaſter ſecutus etiam Origenem lib. 1. periarchon cap. 6. & alij de malis Angelis idipſum exponunt, ſed erroneè hoc adiungere viſi Origenes & Ambroſiaſter, quòd Eccleſiæ prædicationibus quidam ex dæmonibus conuertantur, quod additamentum Eccleſia reprobat. Auguſtinus lib. 5. de Geneſi ad literam, cap. 19. cuius teſtimonium colligit Beda Commentariis in dictum locum ad Epheſios, ſubtilius, & myſterium Incarnationis abſconditum à ſæculis in Deo exponit, *Quia omnis creatura non ante ſæcula, ſed à ſæculis*, ea per Eccleſiam innotuiſſe affirmat, *quia ibi primitùs Eccleſia quò poſt reſurrectionem & iſta Eccleſia congreganda eſt, vt ſimus æquales Angelis Dei.*

Hæc ego veritatis ſtudio protuli, tum vt oſtenderem quàm curta bonarum rerum ſupellex ſit apud Cellotium, qui cùm argumentum noſtrum, quod ipſum eſt Mauleri, infirmare conaretur lib. 1. cap. 18. pag. 307. tum lib. 2. cap. 19. pag. 88. nunquam tamen quidquam eorum protulit, quæ profectò protuliſſet ſi nouiſſet: tum vt oſtendamus nos in vindiciis noſtris eadem animo complectentes quæ iam protulimus, non ſimpliciter aſſeruiſſe Angelos illuminari ab Eccleſiæ Paſtoribus: ſed tanquam opinionem probabilem id aſſeruiſſe iis verbis, *At vice verſâ dicere poſſumus Angelos quoque quoad aliqua à Paſtoribus Eccleſiæ illuminari*: quod proinde nec vniuerſim, nec ſimpliciter, nec certò affirmauimus, ſed cum reſtrictione, & dubitatione, nec tam ad adſtruendam prærogatiuam Paſtorum id attulimus, quam ad prærogatiuam Angelorum ex opinione probabili infirmandam; quare quæcumque in contrarium profert aduerſarius, nos nequaquam petunt, cùm minùs dixerimus, quàm quod ipſe fateatur.

Concludit Cellotius dicto capite 19. lib. 2. *Atque vt hìc deſinant, quod iam iterùm materiâ cogente retracto, mihi perſuadere non poſſum, in tantam confidentiam veniſſe ſacerdotem aut Epiſcopum vllum, quantum iſti efficere volunt, vt ſe Angelis abſolutè præferant, ſibi operam Angelorum neceſſariam eſſe denegent, à ſe Angelos, non ab Angelis illuminari prædicent, ſacerdotes ſe quam Angelos eſſe malint.*

Concluſio iſta ſcopum non tangit, neque enim ſacerdotem abſolutè Angelo prætulimus, ſed ſacerdotium cuſtodiæ Angelicæ officiis; nemo noſtrûm operam Angelorum ſibi neceſſariam non eſſe perſuadere conatus eſt, ſed opera ſacerdotis, quâ Chriſti merita, & ſatisfactiones nobis applicantur, magis neceſſaria cuique, quàm ſit Angelica cuſtodia; nemo non ſe ab Angelis illuminari ſaſſus eſt, ſed quod ſuperiori opere minimè dixeramus hoc iſto opere addidimus, & potentiùs, & frequentiùs, & diſtinctiùs & vtiliùs à ſacerdote hominesilluminari ſolere, ſine quo ſcilicet prædicante

cante nemo credere poteſt, ad Romanos decimo, quàm ab Angelo cuſtode. Denique ſacerdotium non definir eſſe nobilius Angelicæ cuſtodiæ officiis, quamuis ob ſtatum beatitudinis quo fruitur Angelus, de quo obtinendo ſecurus non eſt ſacerdos, rari ſint qui non ſe Angelos eſſe malint quàm ſacerdotes. Egregium tamen eſt quod huic voto contrarium edocere videtur vetus Auctor lib. 2 de viſitatione infirmorum, inter Opera Auguſtini tom. 9 cap. 2. iis verbis, *Plus debet mihi Chriſtus quàm alicui caleſtium. Quod tu es fieri dignatus eſt Deus, non factus eſt quod Angelus, etſi ſit magni conſilij Angelus; te exaltauit ſuper Angelos, tu enim iudicabis Angelos. Nollem habere locum Angeli, ſi poſſem habere locum debitum homini. Ad curiam Dei ſui, Dei tui præceſſit; Deus tuus, homo tuus*, &c. *Non iam ab Angelis minoratus, imò gloriâ & honore coronatus, & ſuper opera manuum Dei conſtitutus. Quem igitur habes interceſſorem, habeas mediatorem: conſtitue tibi proprium adiutorem, & ſi Deus pro te, quis contra te?*

Addo etiam votum iſtud, quo aliquis hominum malit eſſe Angelus quàm ſacerdos, imprudentis votum eſſe, id ſiquidem prudenter duntaxat cupere debemus quòd eſſe poſſumus, at Angeli eſſe non poſſumus, ſed ſimiles Angelis Dei; contendere itaque oportet, vt iis ſimiles ſimus quibus vtique maximè ſimiles euadimus, ſi ſacerdotio ritè fungamur; ſacerdos enim bonus, *Angelus Domini exercituum eſt*, Malach. 2. Angeli officium habet: imò pluſquam Angeli officium, in quo quia animas potentiùs Deo lucrari poteſt quàm Angelus, quis dubitet quin ſancti iſti viri qui Deum magis quàm ſeipſos amant, malint ad maiorem gloriam Dei magis promouendam ſacerdotio ritè fungi, quàm Angelicâ gloriâ ampliori illicò donari? Sed hæc non capit Cellotius.

§. X.

Primus error Cellotij eorum, quos ad probandam prærogatiuam Angelorum ſupra ſacerdotes inuexit, putà ex nullo capite, hierarchicis actionibus hominem Angelo æquiparari poſſe, eiuſdemque in eo contradictio.

QVONIAM igitur non poteſt veritati niſi falſitas eſſe contraria, nec falſitas niſi falſitate defendi, nec veritas errori vnquam patrocinio eſſe potuit: Ideò Cellotius, tum me, tum Aurelium reprehendens officia Angelicæ cuſtodiæ ſacerdotij functionibus poſtponentes, in aliquos neceſſariò errores impingere oportuit.

Primùm enim nos de eo incuſare non potuit, quin ſacerdotium ſimpliciter Angelicæ cuſtodiæ officiis poſtponeret, neque de eo aut ego aut Aurelius dubitabamus, quin ſecundum quid ſacerdotium Angelicâ cuſtodiâ inferius eſſet. Nulla enim res eſt ſimpliciter alia longè nobilior, quin ſecundum quid eadem ignobilior videri poſſit. Quamobrem ſimpliciter loquitur Cellotius, dum ita concludit, lib. 1. cap. 18. pag. 40. *Quare actionibus hierarchicis hominem Angelus antecellit*. Et paulò pòſt, *Quapropter nullo ex capite, meo quidem iudicio, non ſuperat Eccleſiaſticam hierarchiam cæleſtis ſeu Angelica*. Sibi tamen contradicit Cellotius: primò enim lib. 2. capite decimo octauo, paginâ octuageſimâ tertiâ, ſacrificium excipit, quo ſacerdos ſuperior ſit Angelo: ac proinde aliquo capite ſuperiorem fatetur, quem ex nullo ſuperiorem dixerat. Secundò, in ſua declaratione, cap. 2. num. 2. *Hæc autem verba*, inquit, [*actionibus hierarchicis hominem Angelus antecellit*] *nolim ſimpliciter intelligi, quaſi ſacramentorum adminiſtratio ſit magis ab Angelo quàm ab homine, ſed tantum ſecundum quid*.

Fateor in iſta declaratione homonymiam latere: nam fauet illud nobis quod dixit Angelum non ſimpliciter, ſed ſecundum quid actionibus hierarchicis hominē antecellere; nihil enim nos aliud intendimus, quàm actiones hierarchicas Angeli ſacerdotalibus, ſimpliciter eſſe ignobiliores, ſed ſecundum quid nobiliores, in quantum officia ea nobis exhibet Angelus, quibus nulla tantæ neceſſitatis ipſi rependimus: in quantum etiam ab Angelo ſuperiori in ordine conſtituto, & in ordinatiori longè Republica, meliori & beatiori quàm noſtra ſit, collocato functiones iſtæ proficiſcuntur. Id videtur in iſta declaratione agnouiſſe Cellotius, cuius tamen declarationis

ſinceritatem, ratio ab ipſo allata corrumpit; quia nempe iſta ratio ſenſum immutat præcedentem, facitque vt verba iſta ſimpliciter ſecundum quid non iam efficere videantur propoſitionem, ad cuius declarationem proferuntur, ſed aliam ſuperiorem, eam nempe quòd *Angeli comminiſtri ſint, noſtri operum duces & perpetui, in ſanctiſſimis illis myſteriis, adiutores.* Ita vt hæc propoſitio non ſit ſimpliciter intelligenda; quaſi adminiſtratio ſit magis ab Angelo quam ab homine, ſed tantùm ſecundum quid, quia Angeli, in ſanctiſſimis myſteriis homines adiuuant, faciúntque præſidiis ſuis, vt illa rectè adminiſtrent: quo artificio quid fallacius? quid religioſo viro & Theologiæ ſtudioſo indignius, cui nuda & ſincera veritas placere debet; non tergiuerſationes doloſæ, non euaſiones clanculariæ.

Refellitur autem hic error tum ex prædictis ſuprá copioſè, tum ex iſta eiuſdem conceſſione quòd ſacrificium ſemper excipiat, dum de prærogatiuâ Angeli & ſacerdotis agitur; nam huius exceptionis nullus alius ſenſus eſſe poteſt, quam ſacrificium præſtantiorem eſſe functionem, quàm ſit vlla hierarchica functio Angeli; ex qua proinde propoſitione conceſſa ſic argumentor, ſimpliciter eorum actio hierarchica præcellit, quorum præſtantiſſima functio hierarchica aliorum præſtantiſſimæ functioni præponenda eſt: nam in expendenda comparatione duorum, quod præſtantiſſimum ſit in vno quoque genere cum præſtantiſſimo in alio conferri ſolet; atqui præſtantiſſima functio ſacerdotij, putà ſacrificium, nobilior eſt qualibet præſtantiſſima functione hierarchicâ Angeli, vt aduerſarius faſſus eſt, & Patres ſuperiùs citati docuerunt, igitur ſimpliciter ſacerdos hierarchicis functionibus Angelum antecellit.

Secundo, ſicut æquè ad ſacrificium ſacerdotis concurrit Angelus, atque ad ſacramenta, quæ à ſacerdote conficiuntur, perinde quoque extinctio culpæ ac reconciliatio hominis cum Deo in Baptiſmo, & in ſacramento Pœnitentiæ, collatio plenitudinis Spiritus ſancti in ſacramento Confirmationis, infuſio gratiæ in omnibus ſacramentis pręcellunt quibuſlibet actionibus hierarchicis Angeli, ac ſacrificium ipſum præcellat, vt ſuperiùs probatum eſt, ac proinde nulla eſt ratio, cur potiùs excipiatur à Cellotio ſacrificium, quàm ſacramentorum adminiſtratio. Confirmatur hæc probatio, quia nimirùm functio Angeli hierarchica non poteſt vlla fingi niſi aliorum reſpectu, non ſui ipſius, neque enim ſeipſum Angelus beatus aut purgat, aut illuminat, aut perficit, ſed alios duntaxat inferiores, à quibus neſcientiam tollit, diuinitùs ſibi reuelata communicans: atqui eæ tantùm ſunt actiones hierarchicæ purgatio, illuminatio, & perfectio, ex Dionyſio, Maximo, & aliis, ideóque nonniſi in ordine ad alios functiones hierarchicæ admittendæ ſunt. Quæ cauſa eſt, vt Cellotius ipſe lib. 2. cap. 4. pag. 51. poſt iudicij diem fateatur, *hierarchias Angelicas non fore, quoad officia illa, & actiones quæ in prioribus ſtatibus habentur.* Hoc verò ſuppoſito certè ſine errore dici nequit, quòd ignobiliores ſint actio conſecratoria Corporis & Sanguinis Chriſti, actio quâ perfunditur anima gratiâ ſanctificante, itémque fide, ſpe & charitate, quæ neceſſariò cum gratia ſanctificante infunduntur, quâ anima donatur charactere ſacerdotali, aliiſque ornamentis perficitur, actione quauis, quâ ſuperior Angelus inferiorem de rebus ad ſuam ſalutem & beatitudinem minimè pertinentibus inſtruit. Neque enim ſiue dignitatem obiectorum ſpectes, ſiue neceſſitatem actionis, ſiue effectuum dignitatem, actio ſuperioris Angeli in inferiores prædictis ęquiparari vllo modo poteſt, multóq; mallet Angelus inferior, ſi charitatis vacuus eſſet & gratiæ, charitatem recipere, aut gratiam, quam recipit homo miniſterio ſacerdotis, quàm ignotas ſibi prouidentiæ diuinæ circa homines reuelationes, quas ſolas miniſterio ſuperiorum Angelorum edocetur, ſuſcipere. Nec ſine blaſphemia & contemptu diuiniſſimæ vnionis cum Chriſti Corpore & Sanguine in Euchariſtia, ſine deſpicientia myſteriorum neceſſariorum ad ſalutem, quæ obiecta aliquando futura ſunt noſtræ ſalutis, quorum cognitione imbuimur à ſacerdote & fidem recipimus per ſacramenta ſacerdotis miniſterio collata, ſine ſpei fœlicitatis ęternæ contemptu, cuius habitum infundit ſacerdos, ſine neglectu ſacerdotalis poteſtatis, quam miniſterio Epiſcoporum recipimus, ac tandem ſine contemptione diuinæ gratiæ, quæ nos diuinæ naturæ participes facit, pręferri poteſt reuelatio quorumdam, quæ circa homines contingunt iis omnibus, quæ à nobis enumerata ſacerdotum miniſterio obueniunt. ac proinde propoſitio iſta quòd actionibus hierarchicis Angelus hominem ſimpliciter antecellat, cum errore & contemptu rerum diuiniſſimarum coniungitur.

Nec nos mouet quòd hierarchia Angelica ſit ſuperior & Archetypus noſtræ, quòd noſtra ſit in termino, alia in via, à qua ſæpè aberrat; nam hoc magis Dei erga Eccleſiam ſuam bonitatem commendat, quòd in inferiori hierarchia hominum, ex qua non ex cæleſti naſci voluit, ſimiliter aliquos voluerit poteſtate hierarchicarum actionum nobiliſſimarum præditos eſſe.

Item hierarchia quidem Angelicâ ratione ſcientiæ perfectiſſimæ, conſtantiæ in bono indeficientis, ordinationis perfectiſſimæ, ſymphoniæ ac conſenſionis inter omnes ordines, & ordinum inter Angelos mirabilis noſtræ archetypus conſtituta eſt, & ita ſumma gloria hominum fuerit, ſi eas dotes pro modulo ſuo exprimere conentur, vt pote qui in imperfectiori ſtatu, conditione longè mutabiliori, & inordinata magis ſocietate verſentur: nihilominùs hoc non impedit quominùs in hac turbata Eccleſiaſtica ſocietate & imperfecta perfectiores eſſe voluerit actiones hierarchicas, quæ non imitentur Angelicæ operationis modum, ſed Chriſti ſolius Pontificis & Hierarchæ à Deo Patre conſtituti, quales eſſe ſacerdotales functiones ſuperiùs docuimus.

Deniquè quòd hierarchia Angelica in termino ſit, iámque beata actionum ſacerdotis hierarchicarum nobilitati non derogat, quin potiùs hinc factum eſt, vt actiones quas vnus Angelus circa alium exercet, minùs ad æternæ vitæ fœlicitatem conferant, quam conferant illæ quæ in hierarchia inferiori exercentur à ſacerdotibus. Hinc fit, vt quia Chriſtus caput noſtrum, frater noſter quoad humanitatem morte ſuâ redemit genus humanum, ideò ex eodem genere quoſdam eſſe voluerit veluti ſeruatores cæterorum, qui pretium redemptionis noſtræ ab ipſo perſolutæ expenderent, & aliis applicarent: quales inter Angelos nulli. Atque ita contingit, vt quia actiones iſtæ, quæ (emen æternæ vitæ conferunt, & pretium noſtræ ſalutis applicant, longè ſuperiores ſunt iis functionibus, quibus ij qui beati ſunt, demùm exornari poſſunt, actiones hierarchicæ hominum circa alios actionibus hierarchicis Angelorum circa ſocios ſuos dignitate inferiores exiſtant.

§. XI.

Alter error in depreſſionem virtutis ſacramentalium ipſorumque Exorciſtarum, itémque prædicationis verbi Dei factæ ab hominibus, & precum à ſacerdotibus fuſarum.

EX eodem contemptu & ignorantia diuinorum myſteriorum Cellotius lib. 2. cap. 19. §. vnico, pag. 88. iſta effutiit, *Potius autem vt credas, aquam à ſacerdote benedictam tantumdem poſſe ad auerruncanda mala, quàm Angelum? ſacerdotum adhortatione virtutis ſtudium & amorem æquè in nobis excitari, vt Angelicâ illuminatione, vel phantaſiam peruadente? non potentiùs dæmonum vim & importunitatem à nobis abigi Angelicâ virtute, quam Exorciſtarum miniſterio, efficaciores eſſe apud Deum ſacerdotis preces pro populo, quàm Angeli pro cliente?*

Porrò eadem periculoſiùs ſcribit lib. 2. cap. 18. pag. 83. quo loco ita intricatè ſcribit, vt non ſolùm opera iſta humana minùs efficacia, ſed nullatenus efficacia eſſe docere videatur, ita enim loquitur, *Quis enim credat docenti Hallier nos à periculis liberari per ſacramentalia per ſacerdotes confecta, ad bonum excitari & reuocari à malo per ſacerdotum exhortationes, dæmones coerceri per Exorciſtarum miniſterium æquè perfectè, vt per Angelorum cuſtodiam.*

Non cogitas, Ludouice, aquæ benedictæ vim à Chriſto tribui, iuxta quod ex ritualibus Græcorum libris in Hagiaſmo ſeu ritu aquæ benedictæ ſcribitur, ἡ χάρις τοῦ πνεύματος τοῖς πιστῶς ἀντλοῦσιν ἀοράτως ἐπιδίδοται παρὰ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ σωτῆρος τῶν ψυχῶν ἡμῶν, *Gratiâ Spiritus fideliter haurientibus inuiſibiliter conceditur à Chriſto Deo & ſaluatore animarum noſtrarum.*

Eam ergo vim Angelicam cum ſacerdotali conferre te putas? Chriſtum cum Angelis componis: idem facis, dum Exorciſtarum vim eleuas, vt Angeli poteſtatem præferas, parum enim eſſet, ſi Exorciſtarum miniſterium ſolitariè à Chriſto deprimeres; ſed quoniam illud miniſterium niſi in nomine Chriſti non ex-

hibetur, *Cuius vim nominis dæmones perhorreſcunt*, vt ait Iuſtinus Dialogo contra Tryphonem, quod confirmat quæſtione quadrageſimâ ad gentes: quoniam vim huic miniſterio præſtat ſolus Chriſtus, eámque proinde poteſtatem hominibus conceſſam *imperabilem & ſummi Dei poteſtatem, quæ interdum ſanctis conceditur, vt imperent infimis Poteſtatibus*, vocat Auguſtinus libro octuaginta trium quæſtionum; quæſtione ſeptuageſimâ nonâ: qui etiam ibidem exorciſmos, *Signa publicæ iuſtitiæ* appellat, *quæ efficaciam habeant propter honorem excellentiſſimi Imperatoris*, quantumuis à malis vel Schiſmaticis aſſumantur. Ideò qui Exorciſtarum virtutem deprimit, Chriſti deprimit. Tu verò, Ludouice, vim iſtam Chriſti Dei, virtuti Angelorum tanquam ignobiliorem eo ſolùm titulo ſubiieis, quòd per homines transfundatur: quaſi verò indignitas inſtrumenti Dei dona virtutémque vitiare aut viliorem facere poſſit.

In comparatione verò exhortationum ſacerdotis & Angeli, ac generatim doctrinæ ab vtroque traditæ non cogitas, legi in Scripturis ſacris de hominibus, *quomodo credent ſine prædicante* homine: non legi, quomodo credent ſine illuminante Angelo? non cogitas parum ad fidem & morum conuerſionem valere aut exhortationem ſacerdotis docentis, aut illuminationem Angeli phantaſiam peruadentis: ſolam Chriſti gratiam ad aſſentiendum fidei operari, tollere à nobis cor lapideum, & dare cor carneum: Prouidentiæ tamen diuinæ conformius eſſe, vt homines per homines Chriſti vicarios ſaluet quàm per Angelos: tum vt Chriſti vis & auctoritas magis in noſtra conuerſione eluceat; tum vt humilitatis & obedientiæ diſcentibus, charitatis verò exercendæ docentibus, fouendæque ſtrictiùs humanæ ſocietatis occaſiones vtriſque præbeantur. Ideóque legimus Actorum decimo ad Cornelium Angelum miſſum, non qui eum doceret, ſed qui ſanctum Petrum à quo doceretur accerſendum moneret.

Angelos non dubium eſt in noſtra conuerſione concurrere, ſed cùm nihil in intellectum cadat ſecundum ordinem naturæ, quod non priùs in ſenſum incurrerit: ordinariè verò Angeli exterioribus ſignis nos nequaquam moueant: Viſiones enim Angelorum & auditio vocis ab iis productæ, inter extraordinaria diuinæ Prouidentiæ miracula numerantur, hinc fit vt Angeli ſpeciebus ab hominibus immiſſis ſolummodo vti ſoleant: ac proinde minor in hominibus inſtruendis & illuminandis eorum ſit opera quàm hominum: Deo ita res omnes ſecundum ordinem naturæ conuenientiorem diſponente.

Addit alias rationes Chryſoſtomus ſermone quadrageſimo de laudibus ſancti Pauli prope finem tomo quinto, iis verbis, καὶ τίνος ἕνεκεν οὐκ ἄγγελοι ταῦτα ἐνεχειρίσθησαν; ἵνα μηδεμίας ἀπολογίας ἔχῃς ῥαθυμῶν, μηδὲ εἰς τὴν διαφορὰν τῆς φύσεως καταφεύγῃς καθεύδων· ἄλλως δὲ καὶ τὸ θαῦμα μεῖζον ἐγίνετο· πῶς γὰρ οὐ θαυμαστὸν καὶ παράδοξον, ἀπὸ γλώττης πηλίνης ἐκπηδῶντα λόγον, θάνατον φυγαδεύειν, ἁμαρτήματα λύειν, πεπηρωμένην διορθοῦν ὄψιν, καὶ τὴν γῆν ἐργάζεσθαι οὐρανόν· *Cuius autem rei gratiâ non Angelis potiùs hæc prædicationis cura commiſſa eſt? vt nullum ſcilicet excuſationis colorem de ſe inueniret anima negligens, ac metu ad diuerſitatem naturæ confugeres, dormiendo. Deinde vt tanto etiam maior operum admiratio naſceretur, quando de natura inferiore procederent. Quomodo enim non admirabile hoc atque improuiſum videretur, cùm ex terrena linguâ ſermo proſiliens mortem fugat, peccata diſſoluit, tenebras cæcitatis illuminat, & mutatione mirificâ terram conuertit in cælum.*

Denique parum attendis ſacerdotum pro populo ſibi commiſſo preces non eſſe à ſacrificio Chriſti non ab eius ſatisfactionibus & meritis remouendas; Chriſtum eſſe qui, vt ait Claudianus Mamertus lib. 1. de ſtatu animæ capite ſecundo, *Principaliter apud diuinitatem ſummæ Trinitatis humani generis oblata ſanctificat, peccata expiat, vota commendat.* Eóque proinde potentiores eſſe ſacerdotis preces, quæ & Chriſti intercesſionem habent adiunctam, merita Chriſti offerunt, ſatisfactiones applicant; quo ſcilicet potentiora ſunt, minúſque repelli poſſunt Chriſti merita, preces, & ſatisfactiones, merita quæ offeruntur, preces quibus noſtræ ex inſtitututione ſua innituntur, ſatisfactiones quæ per Eccleſiæ auctoritatem applicantur. Quòd ergo Angelorum preces pro cliente abſolutè precibus ſacerdotum præponis, non in Angelorum honorem, ſed in Chriſti contemptum cedit, hic enim per ſacerdotem ſuum corpus & ſanguinem offert

Deo Patri, hic Eccleſiæ publicis precibus dignitatem & valorem ſuis precibus & meritis adiunxit, ſacerdotémque ſuarum ſatisfactionum & meritorum diſpenſatorem fecit, non Angelos cuſtodes : atque ita dum cuſtodes Angeli officia tibi videris extollere, Chriſti deprimis.

§. XII.

Alij errores iniuriam gratiæ Chriſti, prædicationi verbi Dei, & miniſterio legis Euangelicæ inferentes.

ORIVNTVR ex iiſdem fontibus illæ propoſitiones quas gratis & abſque fundamento profers, primam libri ſecundi capite vigeſimo primo, paginâ nonageſimâ ſecundâ, *Et ſanè quantumcumque aurem feriat Apoſtolicus concionator, niſi ſenſus interiores diſponat Angelus, non plus proderit quam æs ſonans & cymbalum tinniens.*

Alteram eiuſdem libri capite decimo nono, paginâ octuageſimâ quintâ. *Deinde per eos* (Angelos) *à ſacerdotibus noſtris hierarchicas actiones fieri* (ſic enim lubet Pachimerem interpretari) *quaſi illis præſideant, & omnia rectè perfectéque confici procurent, nam ſacerdos, verbi gratiâ, vt baptizet infantem, non tantùm externo motu aquam debet aſpergere, & myſtica quædam verba eloqui : ſed etiam ad hanc actionem eius phantaſia debet concurrere, vt prudens loquatur, vt id intendat facere, quod Catholica facit Eccleſia, hominis autem phantaſiam, vt propriam quandam prouinciam ab Angelo gubernari iam antè diximus. Quòd ſi hac decoratum à Deo prærogatiuâ, magnum Eliam ſibi perſuaſerunt Hebræi Doctores, vt nullus eo abſente circumcidatur infans, eámque ob rem in eius ſacramenti apparatu duas ornant ſedes, alteram circumciſionem peracturo ; alteram Eliæ ſub aſpectum non cadenti. Quanto potiori iure id in ſacramentis noſtris Angelicæ cuſtodiæ, & hierarchico officio debitum eſſe putabimus?*

Cui propoſitioni omninò affinis & alia libri primi capite decimo octauo, paginâ trigeſimâ nonâ : *Addo denique quòd maximè in hac cauſa maieſtati fauet Angelorum, & nos ipſos abſque illorum operâ & pene dixi labore, his præſidiis vti non poſſe, ita diſponente Deo, vt comminiſtri ſint noſtri, operum duces, & perpetui in ſanctiſſimis illis myſteriis adiutores, vt ſequente libro videbimus.* Quarum propoſitionum ſcopus eſt oſtendere, nec poſſe concionatorem quemquam ad Deum adducere, niſi Angelica opera auditores ad aſſentiendum concionatori moueatur : nec poſſe quemquam aut baptizare, aut ſacramentum quoduis conficere, niſi phantaſia eius à ſacerdote ad proferenda verba, & applicandam iuxta ritum Eccleſiæ moueatur. Neutrum autem in ſcripturis, aut in Patribus fundamentum habet ; in quibus tamen veritas tanti momenti fundari deberet. Et ſanè miror vos, qui tam acriter, tam audacter defenditis neceſſariam Dei gratiam non eſſe, vt bonum opus morale, omni ex parte perfectum ab homine efficiatur ; téque præcipuè, Celloti, qui aduerſus iſtam gratiæ neceſſitatem, cùm Rothomagi ad populum prædicata fuiſſet, non leuiter excanduiſti, iam operam Angeli neceſſariam eſſe ad ſacramentalia verba proferenda iuxta intentionem Eccleſiæ etiam abſque fide, ac bono propoſito, (nam miniſtrum ſacramentorum, aut fide aut bonâ voluntate præditum eſſe ad validam ſacramenti collationem & ſuſcipienti fructuoſam neceſſum non eſt ſecundum Eccleſiæ Catholicæ aduerſus Donatiſtas definitionem) tam audacter, tam temerè pronuntias. Nec aduertis, Ludouice Celloti, te dum ais, *Quantumcumque aurem feriat Apoſtolicus concionator, niſi ſenſus interiores diſponat Angelus, non plus profecturum quàm æs ſonans aut cymbalum tinniens.* Hunc effectum gratiæ proprium te Angelo tribuere, non ſolùm loco citato, ſed clariùs capite decimo nono citato, paginâ octuageſimâ octauâ iis verbis, *cùm ſine Angelica opera ſacerdos hominem non ſuſtipicet : imò ſæpe Angeli ſoli obices omnes qui difficultatem creant tollere ſoleant.* At verò è contrario ſanctus Auguſtinus tract. 3. & 4. in epiſt. 1 Ioannis, & alibi paſſim, effectum proprium diuinæ gratiæ eſſe docet diſponere ſenſus hominis, & omnes difficultates tollere & obices, qui receptionem Euangelij præpediunt.

Inter illos autem obices locum potiſſimum tenet cupiditas, dolórque carnalis, & voluptas terrena; hæc omnia ſcilicet impedimenta ſecundum te tollit Angelus ſenſus interiores diſtinendo & ad iuſtificationem præparando: cui ergo bono ampliùs diuina gratia? ſi difficultates omnes, obices omnes qui iuſtificationem impediunt, Angelica tolluntur opera? ſi ſenſus interiores diſponit Angelus, ſi eâ ſuauitate eos repleat, vt quod de gratia dixit Auguſtinus libro de ſpiritu & litera, cap. 28. *Faciat plus delectare quod præcipit, quàm delectare quod impedit, hoc eſt quodcumque bonum temporale, cuius delectatione peccamus.*

Pelagianus hic error eſt in quem incidis. Catholica verò Eccleſia in contrarium docet fruſtrà aut Angelum, aut hominem exteriùs credenda vel facienda Chriſtianæ legis opera proponere, niſi Deus interiùs ſuadeat, carnis aduerſarios inſultus reprimat, obices, quos cupiditas nectit, iuſtitiæ delectatione remoueat: vbi verò propoſitum à concionatore fidei obiectum fuerit, quantumuis ad credibilitatis, vt vocat, motiua proponenda, cooperari ſoleat Angelus, ab eo tamen actu quamuis ceſſauerit, internam Spiritus ſancti motionem & lumen ſufficere, vt tenebræ omnes animi fugentur, & conuictus propoſitarum rerum veritate animus concionatori exteriùs prædicanti aſſentiat, Deo interiùs perficiente aſſenſum, & illuminante animum: atque adeò ſi neceſſarius ſit Angeli ſenſus interiores diſponentis concurſus (vt tu ſomnias) ad hoc vt Apoſtolicus concionator aliquid proficiat, non hominis exinde operæ detrahi, ſed diuinæ gratiæ virtuti derogari.

Neque nos Angelicæ illuminationi detrahimus, quam & libenter agnoſcimus, & ſummoperè commendamus; ſed eam adeo neceſſariam eſſe, vt poſitá prædicatione Verbi Dei nequeat gratia diuina, incredulitatis obicem, & difficultates acceptandæ fidei repugnantes perrumpere, ſed præparandus omnino ſit animus noſter Angelico miniſterio quo difficultates iſtæ, & impedimenta credendi ſuperentur: hoc eſt quod negamus: & quod nullâ Patris cuiuſquam auctoritate comprobatur.

Profert Cellotius cap. 21. libri ſecundi quaſdam auctoritates, quibus Angelos hominum Doctores eſſe probare contendit; ſed eæ nequidem trahi poſſunt ad eam, de qua iam diſputamus, propoſitionem probandam præter Auguſtini, fortaſſe in Pſalmum octauum, & D. Thomæ non quidem 1. part. quæſt. 45. art. 5. ad primum, vt citauit Cellotius, ſed q. 111. art. 1. ad 1. ſententias quas tamen à ſenſu Auctorum detorquere oportet, ſi propoſitionem iſtam, quam ſubiicit aduerſarius, ex iis eruere aliquis contendat. Vterque, fateor, quandam prærogatiuam Angelorum illuminantium ſupra homines agnouit: ſed non illico neceſſum eſt, vt exiſtimationem Cellotij fallacem amplexus ſit.

Placet maximè opinio Franciſci Suaris qui tractatu de Angelis lib. 6. cap. 16. num. 24. ſecutus alios quos laudat, prærogatiuam iſtam illuminationis hominis ab Angelo vel alio homine in eo ſtatuit quòd *Angelus ſuperiori virtute & maiori acumine mentis poſſit docere, quàm homo; maiorem efficaciam habeat circa ordinationem & applicationem phantaſmatum quàm homo.* Ipſaque phantaſmata ab Angelo excitata & ſubtiliora reddat, & iis meliùs ordinatis vim intellectus noſtri adiuuet & confortet. In eóque iam ex mente ſancti Auguſtini, quam D. Thomæ præferri dico illuminationem hominis ab Angelo, illuminationi hominis ab homine, quod hæc exterior tantùm ſit, meráque obiecti propoſitio nullam vim conferat audienti: illa vero interior, & quæ vim intellectus promoueat, qui vtique intelligit ea quæ defæcatis magis meliúſque diſpoſitis phantaſmatis repręſentantur. Non negant tamen iſti ſancti Doctores, quin exterior iſta propoſitio ſimpliciter neceſſaria magis ſit ad credendum, ſed potiùs id expreſsè ex Apoſtolo docet ſanctus Thomas; nec aiunt interiorem iſtam illuminationem, quæ fit interdum ab Angelo ſimpliciter ad credendum neceſſariam eſſe, aut ſimpliciter exteriori quæ fit ab homine nobiliorem: quinimò ita de humana loquuntur, vt & vtilitate & dignitate pręferri videatur Angelica, quæ circa homines ordinariè exercetur: tum quod illa rerum nondum auditarum aut ſenſu vllo pręceptarum notitiam omnium primam ingenerare poſſit. Hęc rerum tantùm, quarum ſpecies in phantaſia aſſeruantur notitiam refricare queat, ac proinde prior poſteriori magis neceſſaria, atque vniuerſalior videatur: tum quòd ſignis magis obſcuris & æquiuocis, (cuiuſmodi in viſionibus contingunt) Angelus hominibus diuinam

voluntatem patefacere ſoleat; homo verò verbis vſitatis, & notioribus, quibus titulis nos ſuprà, illuminationem ab homine factam alteri prætulimus.

Gratis quoque & leuiori fundamento nixus idem Cellotius, adeò imbecillam humanæ mentis virtutem facit: vt nec verba ſacramentalia ſacerdos proferre, nec aqua infantem abluere poſſit abſque miniſterio Angelico, quo phantaſmata moueantur, & excitentur: quaſi verò ad actus peccati, in quibus plus doli & ingenij reperitur, Angelos ſemper phantaſiam mouere oporteat: quas actiones, ſi propriâ virtute exercere poſſumus, quidni & prolationem verborum ſacramentalium & ablutionem infantis aquâ elementari? quos actus materialiter nihil habere ſupernaturale contendebat ſuprà Cellotius lib. 2. cap. 19. §. vnico, pag. 87. quos etiam actus aliquando malos eſſe & miniſtri malitiâ infici, remanente ſacramenti valore, & efficaciâ Catholici omnes admittunt.

Ad hos actus tam faciles & naturæ captum non excedentes, non neceſſariò bonitate morali donatos Angeli miniſterium neceſſariò requirere quis, ſi ratione polleat, præter Cellotium audebit aſſerere? Quis rem adeò grauem, adeò momentoſam, & ad hominum ſalutem ſpectantem, nullâ aliâ, quàm ductâ ex Rabinicis fabulis inani coniecturâ ſtatuere præter vnicum Cellotium præſumet?

Eiuſdem vanitatis eſt iſta Angeli cuſtodis prærogatiua ſupra ſacerdotem, quam ita explicat aduerſarius pag. 83. citatâ, *Scio illum ſacerdotem legatione ad Deum fungi pro populo, ſed & in hoc officio (ſacrificium ſemper excipio) Angelo ſeipſum inferiorem profitetur; cùm in venerando Miſſæ Canone orat, ſacrificia illibata proferri per manus ſancti Angeli in conſpectu diuinæ maieſtatis.* In quibus verbis præterquam quod contradictio ineſſe videtur, cùm illud ipſum in quo inferiorem ſe Angelis ſacerdotem profiteri aſſerat, pars ſit ſacrificij, ac proinde vel auctor ſacrificium minimè excipere, vel in eo de quo agitur, ſacerdotem inferiorem dicere non debebat: quâ tamen donatâ & remiſsâ libenter repugnantia, temerè Cellotius in oblatione ſacrificij Miſſæ ſacerdotem Angelo poſtponit, coniecturam ex iis verbis ducens, quæ non de Angelis, ſed de *Chriſto magni conſilij Angelo* interpretantur Algerus lib. 1. de ſacramentis Corporis & Sanguinis Domini cap. 14. Stephanus Eduenſis de ſacramento Altaris cap. 17. & alij: quæque, etſi de Angelis, ſiue cuſtodibus, ſiue aliis intelligantur, dignitatem ſacerdotis nihilo inferiorem oſtendunt. Nam quòd Angelorum preces noſtris adiungi petimus, quas ſcimus noſtris puriores & ſanctiores eſſe: quòd memoriam paſſionis Corporis & ſanguinis Chriſti ac meritorum eius ab Angelis ſanctiùs recoli, & Patri diuino exhiberi petimus; non illud oſtendit, in offerendo ipſo Corpore & Sanguine Domini in ſacrificium & hoſtiam Patri, cuius oblationis dignitas omnes preces ſuperat, non eſſe ſacerdotis potiores partes quàm Angeli, vt in declaratione ſuâ Cellotius ipſe videtur admittere.

ARTICVLVS VIII.

Errores Cellotij Paſtoratum & Sacerdotium tribuentis Angelis, itémque Eccleſiam inuiſibilem ſine Sacerdotibus & Paſtoribus viſibilibus fingentis, refelluntur.

§. I.

Angelos non eſſe Paſtores aduerſus Cellotium.

NON contentus aduerſarius ſacerdotij functiones eleuaſſe, eáſque hierarchicis functionibus Angelicis, & cuſtodia Angelorum longè inferiores docuiſſe, hierarchiam Eccleſiaſticam, vnico quod ei contulit Chriſtus, priuilegio ſpoliare aggreditur, duo ſtatuens quæ ab hæreſi vix vllus excuſare poteſt, niſi ridiculâ explicatione confictâ, quam ſi quis admittat nihil omninò ad propoſitum dixiſſe Cellotius, & verborum ſignificatione fuiſſe videbitur.

Primùm enim toto cap. 20. lib. 2. in noſtram concluſionem incurrit, quâ in vindi-

ciis noſtris, cap. ſcilicet primo lib. 3. §. 1. num. 5. pag. 139. *hæreticam eſſe hanc propoſitionem* diximus, quòd Angelis cuſtodibus Paſtorale Epiſcoporum munus conueniat: quam propoſitionem ſtatueramus aduerſariam ei quæ eſt Danielis à Ieſu, quia verba iſta ſancti Petri, *Paſcite qui in vobis eſt gregem*, Angelis cuſtodibus dicta eſſe ſicut Epiſcopis; & Angelos earum animarum Paſtores eſſe, quarum ſunt cuſtodes ſcripſerat, quam propoſitionem eodem ſenſu munus Paſtorale tribuentem Angelis, quo Epiſcopis, Facultas Pariſienſis temeritatis & hæreſeos damnauerat, cuius iudicio conſentaneè ſtatuimus hæreticam eſſe propoſitionem, quod Angelis cuſtodibus Paſtorale Epiſcoporum munus conueniat. Ac proinde ſi Facultatis Pariſienſis, cuius non ſincerè reuerentiſſimum ſe profitetur Cellotius, in cuius decreta libri ipſius Approbatores iurarunt, vel hi, vel ille iudicium honoraſſent: neque me ille per omnia Facultatis Pariſienſis iudicio concinentem reprehendiſſet, neque illi accuſationis librum in me ſcriptum ſolemni laudatione exornaſſent.

Malâ vtique in omnibus fide agit Cellotius, ſtatum enim quæſtionis diuerſum omninò facit: quaſi de nomine Paſtorum quæſtio tantùm mota ſit, non de Paſtorum officio, eóque non diuerſo ab eo quòd Epiſcopis ab omnibus tribuitur: ait mihi viſum hæreticum eſſe *Paſtorum nomen Angelis aſſignare*; quod omninò abſurdum eſt, cùm enim fides non circa nomina, ſed circa res verſetur: qui errauerit tantùm in nomine, ſi rem ipſam teneat, malè dicetur hæreticus, nec abuſio nominum, retentâ rei ipſius verâ doctrinâ, dicitur hæreſis, ſed catachreſis. Paſtorum ergo nomine quiſquis abuti voluerit, ſaluâ fide poterit, dummodo rem ipſam nomine ſignificatam teneat.

Mox tamen, tanquam eum pœniteret, de nomine tantùm quæſtionem mouiſſe rem ipſam tangit, & Paſtorum officium Angelis conatur tribuere puerilibus coniecturis nixus: quarum prima eſt, quia Paſtoribus Chriſtum euangelizauerunt, *Paſtoribus*, inquam, *ſacerdotum & Doctorum figuræ* (*figuris* meliùs dictum fuiſſet) *ſi Ambroſio, Gregorio, Eucherio fides.*

Secundò, quia Angeli in veteri lege, Paſtores, Aurelio conſentiente fuerunt: quidni ergo & in noua lege Paſtores exiſtent?

Tertiò, quia officium Paſtoris eſt oues ab hœdis diſcernere, Mathæi 25. *Sicut Paſtor ſegregat oues quidem à dextris, hœdos autem à ſiniſtris.* Atqui Angelis ad hoc miniſtris Chriſtus vtetur, Marc. 14. *Mittet enim Filius hominis Angelos, & colligent de regno eius omnia ſcandala.*

Quartò, quia Eccleſia nunquam eſſe poteſt ſine Paſtoribus; futura autem eſſet ſine Paſtoribus, niſi Angeli Paſtores eſſe admittantur, de quo argumento infrà dicemus.

Quintò, quia in libro Hermæ Paſtoris, vir quidam habitu Paſtoris ei appàruiſſe dicitur, quem Margarinus de la Bigne Pariſienſis Theologus Angelum cuſtodem interpretatus eſt.

Hæc argumenta non nomen tantùm, ſed rem ipſam tangunt, eóque collimant, vt non nudum nomen, ſed miniſterium & officium Angelis vendicent. Præſertim illud, quod in viſibilium Paſtorum defectum Angelos inuiſibiles ſubſtituit: nam cùm Eccleſia ſine veris Paſtoribus eſſe non poſſit: ſi Angelos ſolos Eccleſiæ Paſtores ſuperfuturos aliquando aduerſarius credat, neceſſum eſt vt eoſdem credat veros eſſe Paſtores. verùm hæc argumenta nihil omninò aduerſus meam, quæ reprehenditur, aſſertionem probant: ſi quid enim probarent, hoc ſolum, aliquo ſenſu Angelos eſſe Paſtores, ſed non eo ſenſu quo Epiſcopos. At illud ego nunquam negaui, ſicut nec Facultas Pariſienſis in libro Danielis à Ieſu damnauit: ſed ſolùm damnauit illa, ego verò refutaui poſſe Angelos eo ſenſu Paſtores dici quo ſenſu Paſtores dicuntur Epiſcopi: quam propoſitionem ex ſola verborum explicatione hæreticam eſſe facilè prudentibus & Catholicis perſuadeo.

Primò, quia Paſtores dicuntur Epiſcopi, quia Sacramenta adminiſtrant, quibus generantur, nutriuntur, ſanantur, reguntur, fouentur. Atqui eo modo Angelos conſtat non eſſe Paſtores, quandoquidem ex Concilio Florentino, & Tridentino pateat miniſtros ordinarios Sacramentorum eſſe ſolos homines ritu ſenſibili ab Eccleſia Catholica ordinatos.

Secundò, quia & alia ſunt eo ſenſu Paſtoris officia, quæ paſſim nobis Eccleſiaſti-

Digitized by Google

cis Canonibus præſcribuntur, quæ ab Angelis aliena ſunt: Hæc ſolùm ex Tridentino proferam, tum ſeſſione 13. cap. 1. de reformatione, *Illud primum eos* (Epiſcopos ſcilicet) *admonendos cenſet, vt ſe Paſtores non percuſſores eſſe meminerint: atque ita præeſſe ſibi ſubditis oportere, vt non in eis dominentur, ſed illos tanquam filios & fratres diligant: elaboréntque, vt hortando & monendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur: quos tamen ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apoſtoli,* 2. ad Tit. 4. *eſt ab eis ſeruanda præceptio, vt illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate & patientia.* Et paulò poſt, *Cùm ſit diligentis, & pij ſimul Paſtoris officium morbis ouium leuia primùm adhiberi fomenta, poſt vbi morbi grauitas ita poſtulet, ad acriora & grauiora remedia deſcendere: ſin autem, ne ea quidem proficiant illis ſubmouendis, cæteras ſaltem oues à contagionis periculo liberare.* Quo capite poteſtas ferendarum cenſurarum Paſtoribus ineſſe demonſtratur, & quis ſit modus ſalutaris cenſurarum ferendarum oſtenditur, quæ omnia in Angelos non cadunt.

Sed plura cap. 1. de reformatione, ſeſſ. 23. officia Paſtoris ab Angelis aliena referuntur, his verbis: *Cùm præcepto diuino mandatum ſit omnibus quibus animarum cura commiſſa, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione ac bonorum omnium exemplo paſcere, pauperum aliarum miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia Paſtoralia incumbere.*

Tertiò & Paſtores eo ſenſu Epiſcopos dicunt Scripturæ quo Angelis conuenire nequit: nam Pontificem *ex hominibus aſſumptum* prædicat Apoſtolus ad Hebræos 5. *in iis conſtitui, quæ ſunt ad Deum, vt offerat hoſtias & ſacrificia pro peccatis.* Nota *ex hominibus aſſumptum*, non ex Angelis: & ad Paſtoratum ac Sacerdotium electione ſenſibili atque ordinatione aſſumendum tanquam Aaronem vult eodem capite Apoſtolus, dum ait: *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron:* eundem nobiſcum infirmum deſcribit, *qui condolere poſſit iis, qui ignorant & errant, quoniam & ipſe circundatus eſt infirmitate:* & beatus Petrus Paſtoris officium præcipuum ſtatuit exemplo præeſſe, ſeniores ſeu Preſbyteros admonens epiſt. 1. Canonicæ cap. 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum, neque turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè neque dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo:* quæ exhortatio in Angelos cadere non poteſt.

Denique Apoſtolus ad Epheſ. 4. Paſtoratus munus Eccleſiæ Deum dediſſe affirmans, ait Deum, *dediſſe dona hominibus*, hominibus, inquam, non Angelis, vt diſceremus Paſtores Eccleſiæ à Deo datos non Angelos eſſe ſed homines. Hæc nos ferè omnia argumenta in vindiciis protulimus, quibus omnibus reſpondes fatendo ea officia Paſtoralia Angelos non obire, ſed alia eſſe quibus defungantur.

Hoc verò vrgeo, non igitur illos Epiſcoporum munus Paſtorale obire: quod vnum probandum ſuſceperam. Iam verò addo, nec Angelos ſimpliciter Paſtores eſſe dicendos, quód vnam aut alteram Paſtoris functionem obeant; imò nec vlla communi ipſis & Paſtoribus functione Paſtores dici poſſe, cùm nullam eo modo obeant quo ipſi Paſtores. Nam Paſtoris nomen metaphoricum eſt à paſtoribus ouium deductum, nec in docendo aut illuminando Paſtoris propriè officium munúſque conſiſtit, niſi in quantum & doctrina iſta & veritas, quâ mens illuminatur, eadem quoque pabulum eſt quo paſcitur, quo reficitur: per modum autem pabuli ab Angelis doctrina non miniſtratur, ſed ab hominibus qui eam Paſtorum more audientibus proponunt, aure tanquam ore ſumendam, tum ſenſuum interiorum actione, tanquam ſtomachi calore coquendam, vt nutrire tandem animum poſſit. Atque adeò Angeli etiamſi Doctores noſtri, & animorum illuminatores dici queant, Paſtores tamen propriè nominari non poſſunt, tum quòd Paſtorum varia officia minime habeant: tum quòd ea ipſa officia doctrinæ & illuminationis, ratione quorum Paſtores à Cellotio dicuntur, & quæ ab ipſis exercentur, impropriè tantùm pabuli rationem habeant, prout ab ipſis miniſtrantur, ac proinde nonniſi ab iis impropriè Angeli Paſtores denominari poſſint.

Atque eæ rationes ſunt, propter quas Patres, Paſtores & Sacerdotes Angelos eſſe negant. Innumeros referre moleſtum foret, vnico contentus ero Chryſoſtomo, qui licèt de Sacerdotio loqui videatur, quatenus cum Paſtoratu aliquando confunditur, tota tamen ſententia manifeſtè Paſtoratum non Angelo, ſed homini à Deo commu-

nieatum oſtendit, huiuſque rei rationem aperit homil. 69. In SS. Petrum & Eliam, tom. 1. eius Operum editionis Pariſienſis, Διὰ τοῦτο γὰρ οὐκ ἄγγελος, οὔτε ἀρχάγγελος ἐπιστεύθη ἱερατεύειν. ἀναμάρτητοι γάρ εἰσιν, ἵνα μὴ ἐξ ἀποτομίας τοὺς ἁμαρτάνοντας τοῦ λαοῦ ἀθρόον κεραυνοβολῶσιν. ἀλλὰ ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπου ἐπιστεύθη τὸν θρόνον τοῦτον, καὶ αὐτὸς ἡδονῇ καὶ ἁμαρτίᾳ συνδεδεμένος· ἵνα ὅταν λάβῃ τινὰ ἁμαρτάνοντα, ἐκ τῶν οἰκείων πλημμελημάτων φιλανθρωπότερος γένηται πρὸς ἐκεῖνον τὸν ἁμαρτήσαντα. εἰ γὰρ ἦν ἄγγελος ἱερεὺς, καὶ ἔλαβε τινὰ πορνεύσαντα εὐθὺς ἀνῄρει αὐτὸν αὐτὸς τῷ πάθει τούτῳ οὐ συμπεπλεγμένος. Διὰ τοῦτο εἰ ἔλαβεν ἄγγελος τὴν ἐξουσίαν τοῦ ἱερατεύειν, οὐκ ἐδίδασκεν, ἀλλ' εὐθέως ἀνῄρει, διὰ τὸ ἐκεῖνον, μὴ εἶναι τοιοῦτον, εἰς ὀργὴν αὐτὸν ἔφερε κατὰ τοῦ τοιούτου, ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἄνθρωπος ἐπιστεύθη εἰδὼς τὰ πλημμελήματα ἑαυτοῦ, καὶ ἐκ πείρας ἔχων, ἵνα συγγινώσκῃ τοῖς ἁμαρτάνουσι, καὶ μὴ κινῆται διὰ τῆς ὀργῆς, ἐκ χολάζῃ ἡ ἐκκλησία διὰ τῆς συναγωγῆς· *Propterea enim non Angelo neque Archangelo ſacerdotij fungi commiſſum eſt, (liberi enim ſunt à peccandi libidine) ne videlicet ob ſeueritatem eos qui ex populo peccarent, confeſtim fulguribus transfigerent; ſed homini à Deo cathedra hæc commiſſa eſt, qui & ipſe libidine, & peccatis colligatus eſt, vt ſi quem peccantem inuenerit, ſuorum peccatorum conſcius, in eum qui peccat benignus efficiatur. Nam ſi Angelus ſacerdos fuiſſet, & aliquem ſtuprum inferentem inueniſſet, ſtatim eum de medio ſuſtuliſſet, cùm ipſe huic libidini ſubiectus non eſſet. Si Angelus poteſtatem ſacerdotij functiones obeundi accepiſſet, peccantes homines non doceret, ſed in iram mortiferam concitatus repentè illos perderet, propterea quòd talis non eſſet. Itaque ob id homini commiſſa eſt Eccleſia, quòd ſciat ſe delinquere, & peccata expertus iis qui peccant veniam dare poſſit, ne iraſcente illo Eccleſia inanis fiat.*

Nugæ ſunt coniecturæ iſtæ, quibus Cellotius nititur. Primò enim ex eo quòd Paſtoribus, qui figuram gerebant Paſtorum Eccleſiæ Angeli Chriſti natiuitatem extraordinariè nuntiarint, Paſtoratus ordinarium officium Angelis tribuendum eſſe nemo Theologus, nemo Dialecticus probare aggreditur: ſi enim ad ſyllogiſmum argumentatio iſta reducatur, illius maiorem propoſitionem nullâ probabilitate muniri ſtatim omnes aduertent: ita enim oportebit argumentari, ij veri ſunt & ordinarij Paſtores, qui paſtoribus ouium ſuâ vigilantiâ Paſtores Eccleſiæ referentibus, Chriſti natiuitatem annuntiarunt: atqui Angeli paſtoribus huiuſmodi Chriſti natiuitatem annuntiarunt; igitur ſunt illi veri & ordinarij Paſtores. Maiorem vbi negauero, hærere aduerſarium in eius probatione oportebit.

Altera coniectura quæ totâ Aurelij auctoritate nititur, eiuſdem verbis diſpungitur: non enim Aurelius ait Angelos in veteri lege veros fuiſſe Paſtores, ſed aliquod miniſterium, & curam Paſtoralem videri habuiſſe: quæ longè vtique differunt; nam veros Paſtores ad omnia Paſtorum officia poteſtatem habere neceſſum eſt, non enim denominatio Paſtoris ſimplex & abſoluta, niſi adæquatâ poteſtate Paſtoris circumſcribitur; bonum ex integra cauſa naſcitur, nec à partiali quodam officio Regis, Doctoris, Epiſcopi, Preſbyteri, Rex, Doctor, Epiſcopus, Preſbyter denominantur. Nam partiale aliquod officium pluribus aliquando dignitatibus, gradibus muneribus conuenit.

Vera ergo Aurelij propoſitio aliquod *munus Paſtorale geßiſſe Angelos in noua lege, & vt ipſius verbis loquar,* pag. 165. *fuiſſe aliquod eorum miniſterium, curámque Paſtoralem in lege veteri, quòd non modò præſidere, & cuſtodes Synagogæ, ſed etiam primi legiſlatores, prædicatores, promulgatores fuerint legis apud vniuerſam congregatam multitudinem filiorum Iſrael.* Non tamen ſequitur eos veros & ordinarios Paſtores ſimpliciter fuiſſe, quia nec ſacramentorum, nec ſacrificiorum adminiſtratio ordinarium eorum munus erat, nec iudicandi populum, & exteriùs regendi, docendique munere fungebantur: quæ tamen ad Paſtoris ordinarij rationem neceſſaria ſunt.

Paſtoratus tamen munia plura eos in veteri lege quàm in noua attigiſſe, ibidem eruditè docet Aurelius, réſque per ſe clara eſt, cùm ſcilicet eo ſtatu legem populo Moſaico tradiderint ex ſancto Paulo Actorum 7. & ad Galat. 3. ſub viſibili columna ignis per noctem, nubis per diem eumdem duxerint, Exod. 13. ſecundi Eſdræ 9. Pſalm. 98. pane ſua opera confecto nutrierint Pſalm. 77. de euentibus futuris in tabernaculo conſulti reſpondere ſolerent, paſſimque variis aliis ſenſibilibus ſignis ſe eis adiutores præberent: quorum nullum in noua lege præſtatur, vt fruſtrà quæras, *Quæ potior ſit vnius legis cauſa quàm alterius? quâ ſuâ culpâ tam*

glorioſum titulum intelligentes ſubſtantiæ amiſerint? Eadem ſcilicet ſubtilitate, ac ſi quæreres, quâ ſuâ culpâ poſt iudicij diem Angelorum cuſtodum titulum amittent? quæ interrogatio inepta eſt: non enim ex aliqua culpa Angelis deperit, quòd ex ordinatione prouidentiæ mutari circa illos in ordine ad homines debuit: natura porrò ſtatus Euangelici poſtulat, vt cùm anteà *multifariam multiſque modis* etiam per Angelos *Deus loqueretur Patribus in Prophetis, nouiſſimè loqueretur nobis in Filio*: nec per alios *quam per ſeipſum*, aut vicarios à ſe conſtitutos homines Chriſtus fidelibus loqueretur, Eccleſiamque à ſe fundatam regeret, gubernaret, eámque per ſuæ poteſtatis vicarios, & eiuſdem ſecum naturæ conſortes adminiſtraret. Lege Aurelium pag. 165. & 166. quem ſi non contentionis libidine, ſed addiſcendi cupiditate legeris, poteris hæc myſteria ediſcere quæ videris omnino ignorare.

Tertiò, Cellotius extra chorum ſaltat: non enim probat, toto hoc tempore viæ, quo cuſtodes noſtri ſunt Angeli, actus Paſtorum ab iis exerceri, multò minùs eos Paſtores eſſe: ſed de die iudicij verba facit, in quem diem officium cuſtodiæ Angelicæ minimè eſt protrahendum; nam de cuſtodia Angelica, & Angelo cuſtode ſermo inſtitutus eſt: vtrùm ſcilicet cuſtodia noſtra ab Angelo Paſtoratus ſit, vtrùm eum eſſe cuſtodem, idem ſit ac eſſe Paſtorem: quare aliud ei probandum eſt quàm quod probare contendit.

Deinde probatio eius multis modis inanis eſt: tum quòd quantumcumque totum quod intendit concederemus, ſequeretur tantùm aliquod munus Paſtoris, idem etiam eſſe Angeli cuſtodis; ex quo non ſequitur non eſſe idem Angelum hominem cuſtodire & paſcere, qua de re diſputatio inita erat: tum quòd nec in eo munere quod profert Paſtoris officium vllum appareat. Sed tantùm elucet Chriſtum Paſtorem animarum noſtrarum, iudicem & rectorem, pro dignitate iſta quam ſuſtinet, bonos à malis tanquam oues ab hœdis ſeparaturum: Angelóſque non tanquam Paſtores, ſed tanquam apparitores Paſtoris magni Chriſto in eo officio miniſtraturos. Quod non eſt Paſtorem eſſe, aut Paſtoris officio fungi, ſicut nec apparitores Epiſcopi, & in ſegregandis bonis à malis miniſtrantes Paſtorum officio fungi dicuntur, quia purum ſicut & Angeli miniſterium exhibent, non cauſæ cognitionem habent.

Quartam non moramur, quam modò hæreſim continere docebimus.

Vltima tandem coniectura vix meretur reſponſionem, omninò enim puerilis eſt: nam ſi ex eo quòd Paſtoris habitu Angelus apparuerit, ſequeretur verum eum eſſe Paſtorem; cùm Magis ſub forma ſtellæ apparuerit, ex communi plurium Patrum ſententia; cùm Ezechieli ſub ſimulacris quatuor animalium; Iudæis in columna nubis & ignis; Ioanni ſub perſona hominis pedes habentis aurichalco ſimiles, mammas habentis, zonam, &c. Denique cùm modò ſub hominis figura, modò ſub alia apparuiſſe Angeli referantur, ſequeretur, inquam, ea omnia eſſe Angelos, quorum formam induerent: quod omninò abſurdum eſt.

§. II.

Error Cellotij Eccleſiam inuiſibilem Paſtores tantùm inuiſibiles habentem proponitur & refellitur.

LICVIT hactenus Cellotio diſſilientes verborum bullas aduerſus veritatis ſcopulum conijcere: nec hamatis ſyllogiſmis, ſed hapſatis dimicare. Tolerauimus nugaces gerras pro Theologicis rationibus nobis obtrudi. Condonauimus hos ludos quantumuis in rebus ſeriis, quandiu inoffenſo pede in Catholica fide ambulauit. Iam verò non rectè ambulantem ad veritatem Euangelij tolerare non poſſumus, quia reprehenſibilem ſe conſtituit, nec patienter ferre poſſumus fidem ab eo Catholicam lædi, & ad omnem hæreſim patentem ianuam aperiri.

Vnum eſt Catholicorum principium, quo aduerſus quamlibet hæreſim præſcribitur, *Dediſſe Deum*, vt ait Apoſtolus ad Epheſ. 4. *in Eccleſia Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni ven-*

to doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. Dediſſe, inquam, Paſtores viſibiles ad ædificationem Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, miniſterio doctrinæ attendentes, qui & erroribus reſiſtant, & veritatem doceant, & ab hæreticorum aſtutia cauendum moneant, & in ſimplicitate veritatis ambulent, qui arguant, obſecrent in omni patientia & doctrina, ad quos ſecundum præceptum Chriſti, *Dic Eccleſiæ*, Math. 18. errones referantur, & contumaces pro Ethnicis & Publicanis habendi declarentur.

Hos itaque viſibiles Paſtores nunquam defecturos Eccleſia ſemper credidit, nec promiſſionem diuinam nouæ legi factam vnquam ceſſaturam, *Dabo vobis Paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ,* Ierem. 3. Nec Chriſti prædictioni, Lucæ 24. *Oportere prædicari in nomine eius pœnitentiam & prædicationem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hieroſolyma*, euentum defuturum. Hoc argumento Tertullianus lib. integro de præſcriptionibus, Vincentius Lirinenſis toto ſuo commonitorio aduerſus hæreſes, communiterque Patres omnes hæreſibus omnibus obſtiterunt & exo tas oppreſſerunt, Eccleſiæ viſibilis indeficientem fidem, & gubernationem pro indubitato principio ſupponentes, quod Auguſtinus aduerſus Donatiſtas lib. præſertim *de vnitate Eccleſiæ*, toties inculcauit, *doctrinam omnem*, (vt loquitur Tertullianus cap. 21. lib. citati) *de mendacio præiudicans, quæ ſapiat contra veritatis Eccleſiam.*

Hoc principium in dubium reuocat Cellotius, dum poſſe eſſe Eccleſiam ſine Paſtoribus viſibilibus, nullos habentem Paſtores viſibiles, ſed ſolos Angelos inuiſibiliter Eccleſiam latentem, abſtruſam in deſerto fugientem regentes affirmat. Nihil ei affingo, nihil de eo mendaciter ad odium vel inuidiam dico, aperta ſunt huius ſententiæ verba lib. 2. cap. 10. pag. 90. *Addo ex Apocalypſi aliud, etſi non eius roboris, non contemnendum tamen teſtimonium. Mulier enixa fugit in ſolitudinem, vt ibi paſcant eam diebus* 1260. Apoc. 12. *Si mulier illa Eccleſia eſt metu perſecutionum in deſertum abrepta, qui ſunt Paſtores eius futuri? an homines? at illi ipſi ſunt qui fugiunt, qui latent, qui paſcuntur. Angeli ergo, qui mulieris partum rapiunt in cælum, iidem matrem paſcunt.*

Tu ergo, Celloti, Eccleſiam Dei inuiſibilem adſtruis in deſerto latentem, nullos habentem Paſtores, præter Angelos inuiſibiliter eam regentes: eóque teſtimonio Scripturæ id confirmas, quo Nouatores noſtri hoc ſæculo ſimiliter abuſi ſunt: nam quamuis, vt notat Stapletonus controuerſiarum lib. 4. cap. 10. nec Donatiſtæ, nec Lutherus, Melancthon, aut Caluinus eo teſtimonio Apoc. 12. viſi ſunt pro Eccleſia latenti ſtatuenda, tamen ipſe ſuo tempore Proteſtantes eo vſos refert, quos ibi ſtudioſè refellit, cuius reſponſionem excepit Guillelmus Fulco hæreticus Anglus, eodem argumento latentem Eccleſiam confirmare adniſus, cuius item conatus lib. 13. ex profeſſo edito retundit. Molinæus quoque in reſponſione ad Cardinalem Perronium, lib. 1. cap. 9. iam alibi à ſe iactatam aduerſus Eccleſiam viſibilem mulieris in deſertum fugientis cantilenam recantauit. Pleſſæus & alij eamdem aduerſus Eccleſiam obiectionem proponunt, quam Ieſuita tanquam probabilem audet pro errore ſuo adſtruendo proferre.

Commiſerationem dicam an indignationem mouet turpis Cellotij lapſus: certè magna animi humani imbecillitas eſt, vt ſe ab indubitato Catholico dogmate vanæ cuiuſdā propoſitionis probandæ deſiderio, & ambitione vincendi abduci ſinat. Redi ad mentem tuam, reſipiſce, Ludouice, & qui communionem Catholicam nondum deſeruiſti, nec maiorum fidem deſere. Agnoſce Eccleſiam Catholicam minimè in deſerto quærendam eſſe, cùm monuerit Chriſtus, Math. 24. *Si ergo dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere*: in quem locum Auguſtinus l. 13. contra Fauſtum, cap. 13. *Nec illi audiantur, qui ſub nomine quaſi ſecretæ & apocryphæ veritatis, & hominum paucitatis dicunt, Ecce in cubiculis, ecce in deſerto: quia non poteſt abſcondi ciuitas ſupra montem conſtituta, quia ſedes gloriæ exaltata eſt ſanctificatio noſtra.* Agnoſce Eccleſiam ſub finem ſæculi regnante Antichriſto ad has anguſtias conſtrictam iri, vt in deſerto eſſe videatur, viſibilem tamen futuram: neque enim in inuiſibilem ſæuiretur: habiturámque Paſtores viſibiles, ſicut & Diocletiani & Decij temporibus habebat, quos fideles noſcent, infideles ad necem inquirent: ac proinde nec ſolos Angelos Paſtores futuros inuiſibiles, & licèt publicus Religionis vſus ob perturbationem maximam ceſſaturus ſit, non tamen clàm & priuatim ceſſaturum. Stabit etiam tunc

temporis

temporis Capitolij immobile ſaxum, fundamentum, & petra fidei Romana Eccleſia, nec vlla perſecutio tanta erit, quæ ſacramenta omnia, quæ ſine ſacerdotibus adminiſtrari non poſſunt è medio tollat.

Agnoſce denique ſi paſcendi munus Angelis tribui poſſit, & Angeli paſcendis fidelibus ſufficiant, & Paſtores illi dici poſſint, qui Eccleſiæ nunquam defuturi promittuntur, nobis ſubſtrahi inuictiſſimum argumentum, quo hæreticos conſtringimus, dum ab iis Paſtorum ſuorum nomina, Epiſcoporum tabulas, Eccleſiarum Annales inquirimus: quandoquidem ſecundum doctrinam tuam reſpondere poſſent, aliquo tempore ſibi Angelos pro Epiſcopis, pro Paſtoribus extitiſſe, Eccleſiam ſuam in deſerto in abſcondito fuiſſe, Paſtores Eccleſiæ Deum quidem nunquam ab Eccleſia ſubſtracturum; ſed ſufficere quòd Angeli paſcant, quòd Paſtores ſoli aliquo tempore ſuperſtites exiſtant, eos quoque veros eſſe Paſtores, quorum ſollicitudo & cura Eccleſiæ non defuerit, quamuis probari non poſſit.

§. VLTIMVS.

Tertius error, Angelos ſacerdotes eſſe.

IIs omnibus conſentit etiam error Cellotij Angelos ſacerdotes eſſe, quem probare conatur lib. 2. cap. 19. pag. 84. & 85.

Primùm enim eò loci pueriliter refutare aggreditur quod dixerat Aurelius pag. 178. *Legimus in Scriptura ſacerdotes vocatos fuiſſe Angelos: Angelos verò dictos eſſe ſacerdotes aut Epiſcopos nunquam legimus.* Peruerſo enim gloſſemate Aurelij aſſertionem corrumpit, vt ex eo iocandi aduerſus ipſum pueriſi licentia, & Grammatica facundia occaſionem ſumat.

Gloſſema illud eſt, vt quod ait Aurelius ſe non legiſſe in Scriptura ſacra, Cellotius explicet, *putà neque in ſcriptura, neque in Patribus*, quaſi quicquid Scriptura ſacra non continet, hoc neque Patres contineant, quod ad hæreſim Nouatorum noſtrorum accedit; ſed ſtolidius multò, & eorum hæreſi ſtultius eſt: nam dicunt illi nihil Patres in fidei concluſionibus addere Scripturæ ſacræ debuiſſe. Cellotius verò nec verba vlla Patres propriè vel impropriè vſurpaſſe ſuppoſuit, in eo ſenſu in quo non Scriptura ſacra idem nomen acceperit, quod omni abſurditate abſurdius eſt.

Sed apparet inſuper Cellotij imprudentia, ex eo quòd Aurelius expreſsè eò loci ſe tantùm negare velle in Scripturis ſacris nomen ſacerdotis tribui Angelis ſicut in iiſdem nomen Angeli tribuitur ſacerdotibus: nam immediatè anteà dixerat, nec à Patribus Angelos vnquam mediatores & redemptores Eccleſiæ dictos legi, ſicut ſacerdotes dicti leguntur, vt videas Aurelium diſtinguere, quæ in Scripturarum, quæ in Patrum lectione ſacerdotibus propria ſunt.

At enim ne nugæ iſtæ Cellotianæ nos detineant, Dionyſij auctoritati reſpondendum, ne tanti viri nomine error à Cellotio defenſus illuſtretur. Nego itaque vnquam à Dionyſio Angelos ſacerdotes dictos capitibus quidem 9. 10. & 13. cæleſtis hierarchiæ ἱεράρχου nomen Angelo attributum lego: ſed nego Hierarcham apud Dionyſium iis locis idem eſſe quod Pontificem, Epiſcopum & Sacerdotem: quis enim neſciat ἱεράρχην eum eſſe qui cuiuſlibet hierarchiæ Princeps ſit, quare cùm duæ ſint hierarchiæ cæleſtis & Eccleſiaſtica, diuerſæ & differentes, diuerſa quoque vtriuſque ſunt capita, diuerſi Principes, Hierarchæ diuerſi, Eccleſiaſticæ Epiſcopus, cæleſtis ſummus Angelus: quin etiam in vnaquaque hierarchia Angelica, in vno quoque ordine, qui ſupremus eſt, Hierarcha quoque aliquis admitti poteſt: quòd ſi apud quoſdam interpretes Dionyſij ſacerdos dicitur & ſacerdotio fungi, qui ſupremam in Angelos habet poteſtatem: voluerunt interpretes ſimilitudine quadam nominum ſimilitudinem officiorum vtriuſque hierarchiæ principum ſignificare, non autem Angelos propriè ſacerdotes eſſe vnquam aut putarunt, aut perſuadere ſe crediderunt.

Nec plus mouet quòd ex cap. 15. Dionyſij Angelus Pontificiam veſtem veſtitus pingi dicatur, eo quòd ad diuina abſtruſáque ſpectacula perducat: nam ex pi-

to doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. Dediſſe, inquam, Paſtores viſibiles ad ædificationem Corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, miniſterio doctrinæ attendentes, qui & erroribus reſiſtant, & veritatem doceant, & ab hæreticorum aſtutia cauendum moneant, & in ſimplicitate veritatis ambulent, qui arguant, obſecrent in omni patientia & doctrina, ad quos ſecundum præceptum Chriſti, *Dic Eccleſiæ*, Math. 18. errones referantur, & contumaces pro Ethnicis & Publicanis habendi declarentur.

Hos itaque viſibiles Paſtores nunquam defecturos Eccleſia ſemper credidit, nec promiſſionem diuinam nouæ legi factam vnquam ceſſaturam, *Dabo vobis Paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrina,* Ierem. 3. Nec Chriſti prædictioni, Lucæ 24. *Oportere prædicari in nomine eius pœnitentiam & prædicationem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hieroſolyma*, euentum defuturum. Hoc argumento Tertullianus lib. integro de præſcriptionibus, Vincentius Lirinenſis toto ſuo commonitorio aduerſus hæreſes, communiterque Patres omnes hæreſibus omnibus obſtiterunt & exo tas oppreſſerunt, Eccleſiæ viſibilis indeficientem fidem, & gubernationem pro indubitato principio ſupponentes, quod Auguſtinus aduerſus Donatiſtas lib. præſertim *de vnitate Eccleſiæ*, toties inculcauit, *doctrinam omnem*, (vt loquitur Tertullianus cap. 21. lib. citati) *de mendacio præiudicans, quæ ſapiat contra veritatis Eccleſiam.*

Hoc principium in dubium reuocat Cellorius, dum poſſe eſſe Eccleſiam ſine Paſtoribus viſibilibus, nullos habentem Paſtores viſibiles, ſed ſolos Angelos inuiſibiliter Eccleſiam latentem, abſtruſam in deſerto fugientem regentes affirmat. Nihil ei affingo, nihil de eo mendaciter ad odium vel inuidiam dico, aperta ſunt huius ſententiæ verba lib. 2. cap. 10. pag. 90. *Addo ex Apocalypſi aliud, etſi non eius roboris, non contemnendum tamen teſtimonium. Mulier enixa fugit in ſolitudinem, vt ibi paſcant eam diebus* 1260. Apoc. 12. *Si mulier illa Eccleſia eſt metu perſecutionum in deſertum abrepta: qui ſunt Paſtores eius futuri? an homines? at illi ipſi ſunt qui fugiunt, qui latent, qui paſcuntur. Angeli ergo, qui mulieris partum rapiunt in cælum, eidem matrem paſcunt.*

Tu ergo, Celloti, Eccleſiam Dei inuiſibilem adſtruis in deſerto latentem, nullos habentem Paſtores, præter Angelos inuiſibiliter eam regentes: eóque teſtimonio Scripturæ id confirmas, quo Nouatores noſtri hoc ſæculo ſimiliter abuſi ſunt: nam quamuis, vt notat Stapletonus controuerſiarum lib. 4. cap. 10. nec Donatiſtæ, nec Lutherus, Melancthon, aut Caluinus eo teſtimonio Apoc. 12. viſi ſunt pro Eccleſia latenti ſtatuenda, tamen ipſe ſuo tempore Proteſtantes eo vſos refert, quos ibi ſtudioſè refellit, cuius reſponſionem excepit Guillelmus Fulco hæreticus Anglus, eodem argumento latentem Eccleſiam confirmare adniſus, cuius item conatus lib. 13. ex profeſſo edito retundit. Molinæus quoque in reſponſione ad Cardinalem Perronium, lib. 1. cap. 9. iam alibi à ſe iactatam aduerſus Eccleſiam viſibilem mulieris in deſertum fugientis cantilenam recantauit. Pleſſæus & alij eamdem aduerſus Eccleſiam obiectionem proponunt, quam Ieſuita tanquam probabilem audet pro errore ſuo adſtruendo proferre.

Commiſerationem dicam an indignationem mouet turpis Cellotij lapſus: certè magna animi humani imbecillitas eſt, vt ſe ab indubitato Catholico dogmate vanæ cuiuſdã propoſitionis probandæ deſiderio, & ambitione vincendi abduci ſinat. Redi ad mentem tuam, reſipiſce, Ludouice, & qui communionem Catholicam nondum deſeruiſti, nec maiorum fidem deſere. Agnoſce Eccleſiam Catholicam minimè in deſerto quærendam eſſe, cùm monuerit Chriſtus, Math. 24. *Si ergo dixerint vobis, Ecce in deſerto eſt, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere*: in quem locum Auguſtinus l. 13. contra Fauſtum, cap. 13. *Nec illi audiantur, qui ſub nomine quaſi ſecretæ & apocryphæ veritatis, & hominum paucitatis dicunt, Ecce in cubiculis, ecce in deſerto: quia non poteſt abſcondi ciuitas ſupra montem conſtituta, quia ſedes gloriæ exaltata eſt ſanctificatio noſtra.* Agnoſce Eccleſiam ſub finem ſæculi regnante Antichriſto ad has anguſtias conſtrictam iri, vt in deſerto eſſe videatur, viſibilem tamen futuram: neque enim in inuiſibilem ſæuiretur: habiturámque Paſtores viſibiles, ſicut & Diocletiani & Decij temporibus habebat, quos fideles noſcent, infideles ad necem inquirent: ac proinde nec ſolos Angelos Paſtores futuros inuiſibiles, & licèt publicus Religionis vſus ob perturbationem maximam ceſſaturus ſit, non tamen clàm & priuatim ceſſaturum. Stabit etiam tunc

temporis

temporis Capitolij immobile ſaxum, fundamentum, & petra fidei Romana Eccleſia, nec vlla perſecutio tanta erit, quæ ſacramenta omnia, quæ ſine ſacerdotibus adminiſtrari non poſſunt è medio tollat.

Agnoſce denique ſi paſcendi munus Angelis tribui poſſit, & Angeli paſcendis fidelibus ſufficiant, & Paſtores illi dici poſſint, qui Eccleſiæ nunquam defuturi promittuntur, nobis ſubſtrahi inuictiſſimum argumentum, quo hæreticos conſtringimus, dum ab iis Paſtorum ſuorum nomina, Epiſcoporum tabulas, Eccleſiarum Annales inquirimus: quandoquidem ſecundum doctrinam tuam reſpondere poſſent, aliquo tempore ſibi Angelos pro Epiſcopis, pro Paſtoribus extitiſſe, Eccleſiam ſuam in deſerto in abſcondito fuiſſe, Paſtores Eccleſiæ Deum quidem nunquam ab Eccleſia ſubſtracturum; ſed ſufficere quòd Angeli paſcant, quòd Paſtores ſoli aliquo tempore ſuperſtites exiſtant, eos quoque veros eſſe Paſtores, quorum ſollicitudo & cura Eccleſiæ non defuerit, quamuis probari non poſſit.

§. VLTIMVS.

Tertius error, Angelos ſacerdotes eſſe.

IIs omnibus conſentit etiam error Cellotij Angelos ſacerdotes eſſe, quem probare conatur lib. 2. cap. 19. pag. 84. & 85.

Primùm enim eò loci pueriliter refutare aggreditur quod dixerat Aurelius pag. 178. *Legimus in Scriptura ſacerdotes vocatos fuiſſe Angelos: Angelos verò dictos eſſe ſacerdotes aut Epiſcopos nunquam legimus.* Peruerſo enim gloſſemate Aurelij aſſertionem corrumpit, vt ex eo iocandi aduerſus ipſum puerili licentia, & Grammatica facundia occaſionem ſumat.

Gloſſema illud eſt, vt quod ait Aurelius ſe non legiſſe in Scriptura ſacra, Cellotius explicet, *putà neque in ſcriptura, neque in Patribus*, quaſi quicquid Scriptura ſacra non continet, hoc neque Patres contineant, quod ad hæreſim Nouatorum noſtrorum accedit; ſed ſtolidius multò, & eorum hæreſi ſtultius eſt: nam dicunt illi nihil Patres in fidei concluſionibus addere Scripturæ ſacræ debuiſſe. Cellotius verò nec verba vlla Patres propriè vel impropriè vſurpaſſe ſuppoſuit, in eo ſenſu in quo non Scriptura ſacra idem nomen acceperit, quod omni abſurditate abſurdius eſt.

Sed apparet inſuper Cellotij imprudentia, ex eo quòd Aurelius expreſsè eò loci ſe tantùm negare velle in Scripturis ſacris nomen ſacerdotis tribui Angelis ſicut in iiſdem nomen Angeli tribuitur ſacerdotibus: nam immediatè anteà dixerat, nec à Patribus Angelos vnquam mediatores & redemptores Eccleſiæ dictos legi, ſicut ſacerdotes dicti leguntur, vt videas Aurelium diſtinguere, quæ in Scripturarum, quæ in Patrum lectione ſacerdotibus propria ſunt.

At enim ne nugæ iſtæ Cellotianæ nos detineant, Dionyſij auctoritati reſpondendum, ne tanti viri nomine error à Cellotio defenſus illuſtretur. Nego itaque vnquam à Dionyſio Angelos ſacerdotes dictos capitibus quidem 9. 10. & 13. cæleſtis hierarchiæ ἱεράρχου nomen Angelo attributum lego: ſed nego Hierarcham apud Dionyſium iis locis idem eſſe quod Pontificem, Epiſcopum & Sacerdotem: quis enim neſciat ἱεράρχω eum eſſe qui cuiuſlibet hierarchiæ Princeps ſit, quare cùm duæ ſint hierarchiæ cæleſtis & Eccleſiaſtica, diuerſæ & differentes, diuerſa quoque vtriuſque ſunt capita, diuerſi Principes, Hierarchæ diuerſi, Eccleſiaſticæ Epiſcopus, cæleſtis ſummus Angelus: quin etiam in vnaquaque hierarchia Angelica, in vno quoque ordine, qui ſupremus eſt, Hierarcha quoque aliquis admitti poteſt: quòd ſi apud quoſdam interpretes Dionyſij ſacerdos dicitur & ſacerdotio fungi, qui ſupremam in Angelos habet poteſtatem: voluerunt interpretes ſimilitudine quadam nominum ſimilitudinem officiorum vtriuſque hierarchiæ principum ſignificare, non autem Angelos propriè ſacerdotes eſſe vnquam aut putarunt, aut perſuadere ſe crediderunt.

Nec plus mouet quòd ex cap. 15. Dionyſij Angelus Pontificiam veſtem veſtitus pingi dicatur, eo quòd ad diuina abſtruſáque ſpectacula perducat: nam ex pi-

cturis argumenta imbecilla ducuntur, & pictura non quid ſit Angelus, ſed quo ſigno viſibili magis referri poſſit, indicat: atque adeò non ſacerdorem, ſed ſacerdotibus ſimilem Angelum demonſtrat.

Quod vrges in Scripturis Pontificia veſte Angelum indutum legi, non probat in Scripturis, Angelum Pontificem aut Sacerdotem nominari. Sicut nec quod eodem Dionyſio teſte eodem cap. & 10. apud Ezechielem alati, capite, manibus, aliis membris præditi beati iſti Spiritus legantur, probat eos, aut pennatos, aut aliis membris præditos eſſe. Malè autem ex ſancto Maximo Danielem & Ieremiam hoc loco notari dicis à Dionyſio: nam Maximus ad Ezechielem & Danielem, veſtis ſacerdotalis deſcriptionem reuocat, nullâ factâ mentione Ieremiæ.

Piget in iis refellendis hærere: grauiori argumento inſiſtit Cellotius, dum officij ſacerdotalis poteſtatem cum Angelo partitur, maximámque partem huius muneris Angelo aſſignat, quòd ſuperiùs refellitur. Concludit verò, ſententiámque ſuam aperit iis verbis, *Confirmata Angelis Epiſcoporum & Sacerdotum nuncupatione, quid apertiùs poſtulas, vt rem ipſam, & pro modo munus & officium aſſeram?* Quæ verba non nomine tenus ſacerdotes, ſed reipſa & officiis Angelos à Cellotio dictos oſtendunt, quod refellerem vberiùs, niſi tum in vindiciis cenſuræ Facultatis Pariſienſis, tum eo opere id ſatis refutaſſem, tum etiam hunc errorem reuocaſſet Cellotius in ſua declaratione, cap. 2. num. 1. *Vbi*, inquit, *Angelos appello Epiſcopos & Sacerdotes, non ſumo Epiſcoporum aut Sacerdotum nomen ſtrictè ac propriè; ſed tantùm latè & impropriè: quod eo loco ſatis expreſſum putaui his verbis confirmata Angelis Epiſcoporum*, &c. Cui declarationi nihil habeo quod addam, niſi vt notem ſummam Cellotij confidentiam & temeritatem, qui lectori tanquam fungo aut ſtipiti illudi putet: vt ea credat in ſui patrocinium apud eum valitura, quæ ad accuſationem faciunt. Nam qui rem & officium ſacerdotis Angelis conuenire aſſerit, non ſolùm nomen, quid expreſſius dicere poteſt, vt ſacerdotem propriè Angelum eſſe ſignificet?

Leuis autem eſt excuſatio in iis verbis, *pro ſuo modo*: nam cùm res diuerſi generis eandem formam participant, quia excellentioris generis ſubiectum eam excellentiùs obtinet: ideò *pro ſuo modo*, tum nobilius, tum ignobilius ſubiectum eam formam participare dicuntur, licèt propriè omnibus commune dici poſſit: verbi gratiâ, quia & Angelus & homo ſcientiæ capaces ſunt, ſed Angelus nobiliùs res nouit, quàm homo, ideò pro ſuo modo vterque ſcire dicitur, quamuis ſcientia ſeu cognitio propriè vtrique attribuatur. Ideóque non ea vis eſt iſtorum verborum *pro ſuo modo*, vt Angelum propriè, hominem impropriè ſacerdotem denominet: quin immò potiùs ex iis vocibus, Angelus propriè, homo impropriè ſacerdos diceretur: quia homini & Angelo ſacerdotium, ſed Angelo nobiliùs, homini ignobiliùs attributum tota hæc Cellotiana propoſitio ſignificabit, vt ſi anologicè tantum vtrique tribuatur, Angelus vt pote nobiliorem, præcipuum analogatum eſſe ex iis verbis intelligere oporteat.

Notus ergo Cellotij error ex eius libro; quem declaratione ſua eluit, quam iure optimo extorſerunt ab eo Doctores deſignati, tum vt hæreſi noſtro ſæculo inualeſcenti occurrerent, quæ ex ſacerdotij ſignificatione ſimiliter detortâ oritur: dum ſacerdotes omnes laicos dicunt Nouatores noſtri, ſumptâ ſacerdotis voce, non pro eo qui ad ſacrificium propriè dictum ordinatus eſt, ſed qui Deo laudes, gratiarum actiones, orationes offert: nam iuxta hanc ſignificationem Cellotius Angelos ſacerdotes conſtituit, iuxta quam ſimiliter Caluini & Lutheri ſectatores populum quemlibet Chriſtianum ſacerdotio propriè dicto fungentem & ſolâ Eccleſiæ ordinatione Clerum à populo diſtinctum ſtatuunt. Quem errorem ſynodus Tridentina ſeſſ. 23. capite 4. damnauit: haud dubiè damnatura ſi pariter Angelos propriè dictos ſacerdotes dixiſſent.

CAPVT III.

Errores Cellotij aduerſus ſingulos hierarchicos ordines commiſſi refelluntur.

ARTICVLVS I.

Errores aduerſus Epiſcoporum neceſſitatem & Eccleſiæ Epiſcopo viduatæ ſtatum.

§. I.

Cellotius dum Epiſcoporum neceſſitatem adſtruere videtur, impugnat.

NON iniquo animo ferat Lector ſi ſigillatim maximam partem errorum Cellotij refello. Ex eorum ſiquidem refutatione integra de hierarchia doctrina exurgit: nulla ferè pars fuit hierarchiæ tractationis, quam non aliquo proprio errore inficeret, vt non quid nobis tenendum ſit, ſed quid cauendum, ſuo nobis ſcripto monſtraſſe videatur.

Plurima verò circa Epiſcopalem ordinem ex profeſſo peccat, dum eius ſtatus perfectionem imminuit, diſpoſitiones ad eum ordinem ferè nullas requirit, aliáque ad eiuſdem ſtatus dehoneſtamentum & contemptum protulit, quibus omnibus diſcutiendis proprius locus dabitur.

Epiſcopalem quoque neceſſitatem ex obliquo carpit lib. 4. cap. 18. ſubdolè quidem decreti cuiuſdam, cuius apud nos nulla publica promulgatio, aut priuata ſignificatio facta eſt, religione captum ſe quæſtionem de propria neceſſitate attingere noñ auſum dicit, cuius tamen attingendæ prohibitionem memorat ſolam *inſulanis* Angliæ *ſcriptoribus* factam: eáque generali tantùm prohibitione comprehenſâ illo decreto ſcribit, quæ ad controuerſiam inter illuſtriſſimum Chalcedonenſem & Regulares Anglicanos ortam pertinerent: at nego controuerſiam de neceſſitate Epiſcoporum, inter illuſtriſſimum Chalcedonenſem & Regulares Anglicanos vnquam agitatam fuiſſe: ſed ſolùm de iure approbationis Regularium in Anglia ad confeſſiones audiendas, illúdne penes illuſtriſſimum Chalcedonenſem eſſet, an verò miſſionis ad infideles priuilegio ab iſto onere exempti eſſent, hoc demùm Romæ inter illos diſceptatum eſt, ſi quam vnus aut alter tui ordinis aduerſus Eccleſiam Catholicam pro tollendis Epiſcopis famoſis libellis dicam intentauit, hoc diſſidium Regularium cum illuſtriſſimo Chacedonenſi dici non debet.

Prima ergo tua fraus, Ludouice, in eo eſt, quòd cùm nihil haberes quod neceſſitati Epiſcopi à nobis probatæ obiiceres, voluiſti religionis ſpecie, cauſæ cuius patrocinium ſuſceperas, turpitudinem obuelare.

Altera fraus, eáque tectior, quòd quædam in me, quædam in Aurelio reprehenderis ſpecie quidem aſſerendæ Epiſcoporum neceſſitatis, reuerà autem & eandem tollas. Duo ſunt verbi gratiâ quæ apud Aurelium carpis: vnum quod Eccleſiæ regimen morale aliquod faciat, quod moralibus ſpatiis menſuretur, cuius per breue tantùm tempus interruptio integritati & inſtitutioni nihil præiudicet.

Alterum, quòd regimen Eccleſiæ cuiuſlibet particularis Preſbytero ad breue tempus neceſſitate cogente committi poſſe docuerit, paginis 222. 223. 224. imò & vniuerſaliùs pag. 274.

Contrà verò ordinis Epiſcoporum acerrimus aſſertor Cellotius nequidem momento Eccleſiæ regimen Epiſcopale ſuppleri poſſe à Presbyteris affirmat, *Si enim omnia regendæ Eccleſiæ neceſſaria vel ad vnum diem ſuppleri poſſunt à Presbytero ad annum, ad luſtrum, ad ſæculum poſſunt: ſiquidem homo ille, quocunque eum nomine appellare ius fáſque eſt, ordine Presbyter, poteſtate & iuriſdictione Pontifex erit: horam vel diem nihil intereſt, & pugno, ne horam quidem poſſe.*

Vrget in hanc rem Tridentini Concilij definitionem ſeſſ. 23. Can. 4. regimen inter ea quæ ſic Epiſcopo propria ſunt, vt ad Presbyteros non poſſint transferri, referentis. Vrget & rationem: *Nam*, inquit, *numquam Clerus, ne Romanus quidem, coegit, & confirmauit Concilia generalia, nunquam nouos vrbibus dedit Epiſcopos, ordinauit Presbyteros, Patriarchas ſuis ſedibus dimouit, quæ & ſimilia Eccleſiæ vniuerſalis regimen explent, & pro modo ſuo ad particulares Eccleſias & ſingulos Epiſcopos referri poſſunt. Quòd ſi quædam priuatæ operationes hierarchicæ Presbyteris aliquando committantur, non idcircò tamen dici poteſt, ac debet Eccleſiæ regimen à Presbyteris ſuppleri: ſed aliquam eámque minoris momenti partem, ex iis quæ facilè communicari poſſent.* Hæc quiſquis obiter ſolùm legerit, dicet ad Epiſcopi neceſſitatem & dignitatem ſcribi, maiorémque eam à Cellotio ſtatui, quàm à nobis eius propugnatoribus ſtatuta ſit.

Sed memini Græcorum parœmiæ *ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα*, cui conſonat illud Poetæ,

---- timeo Danaos & dona ferentes.

Suſpecta mihi eſt nimis iſta exacta, & moroſa neceſſitatis Epiſcopalis ordinis apud Cellotium obſeruatio: Conſilium altius Auctoris inſpicio, reperio, ideò ne momento quidem regimen Epiſcopale à Presbytero ſuppleri poſſe negari: vt id quod à Presbytero ſuppletum repereris, ad Epiſcopos minimè pertinere, nec Epiſcopale eſſe tibi perſuadeas; quare cùm iudicia, cenſuræ, monita, adhortationes, increpationes, obiurgationes, legum ſtatutorúmque confirmationes, literarum dimiſſoriarum conceſſio ad ordines, beneficiorum prouiſio, & cætera id genus, quibus verè Eccleſiæ regimen continetur, quocumque modo & imperio fiant: quia, inquam, iſta à Presbyteris ſiue Eccleſiarum particularium inferiorum, ſiue Romanæ Eccleſiæ ſuppleta aliquando fuiſſe reperiuntur; hæc omnia, Epiſcopalis regiminis partes & officia eſſe, propter quæ Epiſcopos Chriſtus conſtituerit, ſed æquè ad illa Presbyteros atque Epiſcopos à Chriſto inſtitutos eſſe; ad ea obtinenda nemini Epiſcopi habendi votum aut deſiderium ineſſe oportere, perſuadere vult homo dignitatis & neceſſitatis Epiſcopalis ſtudioſus.

Iam, vt opinor, anguem in herba latentem inſpicitis: ſed latiùs etiam venenum iſtud ſe diffundit; ſi enim à Cellotio quæras, quænam ſint quæ regimen Eccleſiæ expleant? Vniuerſalis quidem Eccleſiæ regimen ea explere dicit, cogere & confirmare Concilia generalia, nouos vrbibus dare Epiſcopos, ordinare Presbyteros, Patriarchas ſuis ſedibus dimouere, aliáque ſimilia efficere, quæ per Presbyteros ſuppleri non poſſunt: iuxta quam explicationem ſequitur 1. ſummi Pontificis neceſſitatem ex eo principio plurimùm eleuari: etenim ſi propter iſta tantùm ſummus Pontifex neceſſarius ſit, quæ ab aliis ſuppleri non poſſunt, vix neceſſarius dicetur, niſi vbi cogenda erunt Concilia generalia, aut Patriarchæ deponendi, aut noui in vrbibus Epiſcopi inſtituendi, quæ occaſiones cùm raræ ſint, ſummi vtique Pontificis neceſſitas eleuabitur plurimùm. Sequitur 2. quòd iudicia de Epiſcoporum cauſis, & cæterarum cauſarum maiorum diſcuſſiones, aliáque id genus, quæ à Romano Clero ſupplentur indubitatò, ad Eccleſiæ vniuerſalis regimen non pertineant, non potiùs ſint Romani Pontificis, quàm Presbyteri cuiuſuis. 3. Singularum verò Eccleſiarum regimini, hoc poſito, vix ſcio quid attribuere poſſit aduerſarius, niſi intereſſe Conciliis; nam non omnium Epiſcoporum eſt Conciliis etiam Prouincialibus præſidere, ſuffragari electioni Epiſcopi alicuius: ſoli enim Metropolitani proprio iure Epiſcopos confirmant, ordinare Presbyteros, aut iudicio de Epiſcopo ferendo intereſſe Epiſcopis tanquam propria officia adducet: hæc enim ſunt quæ prædictis officiis vniuerſalis Eccleſiæ regiminis, particularibus Eccleſiis reſpondent: vbi ad hæc officia regimen Epiſcopale reſtrinxerit, tollendi ab aliquo regno totius Epiſcopalis ordinis probabilis ratio occurret; quia fortè hæc munia in eodem minùs neceſſaria, & à Romano

Pontifice congruenter exerceri poſſe videbuntur: atque ideò quis ſcit an exinde colligere in animo habeat, propter iſta Epiſcoporum propriorum neceſſitatem nullam eſſe, quia vel minimæ ſunt neceſſitatis, vel à ſummo Romano Epiſcopo aut per ſe, aut per deputatos aliquos facilè per totum orbem exerceri poſſunt: cætera verò quæ prædictis non reſpondent quæ Capitulum ſede Epiſcopali vacante adminiſtrat, Preſbyteralia æquè eſſe ac Epiſcopalia, ex hoc à ſe principio ſtatuto haud dubiè concludet, quia quod vel momento à Preſbytero ſuppletur, ex inſtitutione Chriſti Epiſcopale non eſt, ac proinde nec propter iſta Epiſcopum requiri oportere colliget.

Eæ ſunt clandeſtinæ aduerſarij machinationes, hæ fraudulentæ aduerſus Epiſcopalem ordinem cogitationes, graſſationes, hæc tollendi totius Epiſcopalis ordinis doloſa conſilia, quæ toti orbi reſerare oportuit, vt depoſitâ laruâ errores iſti quantum Eccleſiæ Dei exitiales ſint ac pernicioſi, innoteſcat.

§. II.

Regimen Eccleſiæ eſſe morale & à Presbyteris ſuppleri poſſe.

REPELLI autem facillimè poſſunt quæcunque ab aduerſario erroris ſui principia ſtatuuntur. Ac primùm quàm falsò neget Eccleſiæ regimen eſſe morale, tum communi Theologorum conſenſu, tum etiam ratione demonſtratur.

Etenim quod non ex rei natura, ſed ex ſola Chriſti inſtitutione pendet, illud morale eſt, ſic enim verbi gratiâ, ſacramenta ſigna moralia ſunt, quia quòd hæc vel illa ad hos vel illos effectus ſignificandos & producendos ſigna ſumantur, verbi gratiâ quòd aqua ad regenerationem ſpiritalem, oleum ad reliquias peccatorum tollendas, vel cum balſamo ad plenitudinem Spiritus ſancti, & robur animi, aut panis ad Corporis Chriſti, vinum ad Sanguinis conſecrationem aſſumatur: non ex natura Phyſica iſtorum elementorum oritur, ſed ex mera Chriſti voluntate & inſtitutione, qui illa ipſa ad alios effectus, aliáque diuerſa ad eos quos iſta ſignificant, pro libito poterat deſignare.

Atqui regimen Eccleſiæ non ex rei natura, ſed ex mera Chriſti voluntate pendet: potuiſſet enim Chriſtus iubere, vt ſinguli ſibi viuerent religiosè Deum colentes, nullis communibus ſymbolis conſtricti; nullâ parendi aut imperandi inter ſe neceſſitudine colligati; quod ſi inſtituiſſet, omne regimen Eccleſiæ ſuſtuliſſet: potuiſſet Democraticum, potuiſſet Ariſtocraticum, potuiſſet merè Monarchicum, abſque vllo Ariſtocratiæ temperamento regimen in Eccleſiam inducere; potuiſſet ordinare, vt quemadmodum in veteri lege & in noua per generationum tramitem, & familiarum prærogatiuam ad officium & dignitatem ſacerdotij tranſiretur, non electione perueniretur: ergo Eccleſiæ regimen morale eſt non Phyſicum.

Nec obſtat quòd electis ad diuinum miniſterium character tanquam ſignum Phyſicum imprimatur: ſicut non deſineret politicum regimen eſſe morale, quamuis Phyſicum quoddam in corpore Principis ſignum inureretur, & nota Phyſica atque corporalis.

Alterum quoque principium falſum eſt Epiſcopale regimen actuale à Presbyteris ſuppleri non poſſe.

Primò, quia de regimine Eccleſiaſtico, ſeruatâ proportione ſentiendum eſt, ſicut de regimine politico: atqui & Regum & Principum actuale regimen ſuppleri poſſe ab iis qui ſint inferiores Regibus & Principibus nemo dubitat: vt ſi in captiuitatem Rex incidat, ſi in dementiam, ſi in infantia adhuc fuerit, ſi mortuus ſit, ſi de ſucceſſione ad regnum legitima dubium motum ſit, & interim per regentes quoſdam delectos regatur. Nam toto eo tempore non dicitur ſtatus Monarchicus regni mutatus, ſed ſuppletur ſiue vel per vnum non regiâ dignitate, ſed inferiori præditum, qualis eſt in Gallia qui Regens vocatur, ſiue per plures, iſtâ aut ſimili poteſtate præditos. Similiter in Eccleſia Dei quantumuis Epiſcopus mortuus ſit, tamen ſtatus Eccleſiæ Monarchicus manere dicitur, ſeu regimen Epiſcopale in actu primo, non ratione tantùm aptitudinis & poteſtatis ad ſubeundam vnius Epiſcopi gubernationem: ſed etiam ratione obligationis ad illius quantocyùs electionem procurandam. Sup-

pletur autem interim actualis gubernatio ab Epiſcopo per Preſbyteros, ad quos iuriſdictio ſede vacante deuoluitur, vt fusè Canonum auctoritate demonſtrat Franciſcus Pauinus tract. integro de poteſtate Capituli ſede vacante, præſertim part. 1. quæſt. 1. Igitur Epiſcopale actuale regimen per Preſbyteros ſuppleri poteſt; quamuis in actu primo manere ſemper in Eccleſia Epiſcopale regimen dici poſſit.

Secundò, quia non eſt abſurdius admittere regimen Epiſcopale demortuo Epiſcopo ſuppleri, quàm eo viuente à vicario Epiſcopi Epiſcopalem operam ſuppleri: nam quantumuis iuriſdictionem & operam Epiſcopi, vel abſentis vel infirmi, vel aliis negotiis diſtenti vicarius eius Generalis expleat; non tamen dicitur Epiſcopus, nec turbatur Eccleſiæ ſtatus, nec Epiſcopalis regiminis neceſſitati derogatur: nec poteſtas Epiſcopalis eodem modo afficit vicarium generalem Epiſcopi quomodo Epiſcopum, ſed in Epiſcopo tanquam in natiuo ſuo ſubiecto reſidet, in vicario tanquam in extraneo ſubiecto vices tantùm alterius gerente. Id totum de iis qui Epiſcopo mortuo iuriſdictionem exercent Epiſcopalem dici poteſt: atque ita vitantur eæ omnes abſurditates, quas inſulsè Cellotius ex ſuppleto per Preſbyteros Epiſcopali regimine conatur elicere. Atqui Epiſcopalem operam & regimen à vicario generali ſuppleri poſſe, non dubium eſt ex praxi Eccleſiæ, & ex titulis integris Decretalium, *de officio Vicarij*, nec non *de officio Archidiaconi*. Igitur actuale Epiſcopale regimen à Preſbyteris ſuppleri poteſt. Deinde cùm par ſit ratio mortis ciuilis & naturalis argumento, ex Canone, *Pontifices*, ſeptimâ quæſtione 1. cap. *Si Epiſcopus*, *de ſupplenda negligentia Prælatorum*, in 6. lege, *Res vxoris*, Codice *de donatione inter virum & vxorem*, & leg. vlt. Codice *de Epiſcopis & Clericis*: Epiſcopale regimen quod per mortem ciuilem omiſſum ſuppleri poteſt ex citato Can. *Pontifices*, & ſeqq. 7. quæſt. 1. & aliis mox proferendis, idem etiam per mortem Epiſcopi ſimiliter vacans, a Preſbyteris ſuppleri poterit.

Tertiò, Epiſcopale regimen & iuriſdictio idem ſunt: atqui iuriſdictionem Epiſcopalem actualem per Capitulum ſuppleri poſſe ſede vacante expreſsè habetur cap. *Si Epiſcopus*, *de ſupplenda negligentia Prælatorum*, in 6. vbi docetur, *Quòd ſi Epiſcopus à Paganis aut Schiſmaticis capiatur, non Archiepiſcopus, ſed Capitulum, ac ſi ſedes per mortem vacaret illius in ſpiritualibus & temporalibus miniſtrare debebit, donec eum libertati reſtitui, vel per ſedem Apoſtolicam (cuius intereſt Eccleſiarum prouidere neceſſitatibus) ſuper hoc ipſum Capitulum, quam citò commodè poterit conſulendam, aliud contigerit ordinari.* & cap. ſequenti, *Eccleſiæ Cathedrali vacanti Viſitator ab alio, quàm à Romano Pontifice deputari non poteſt, niſi fortè Capitulum in ſpiritualibus & temporalibus negligenter, aut perperam adminiſtret.*

Item cap. 1. *de maioritate & obedientia*, eodem lib. 6. *Epiſcopali ſede vacante poteſt Capitulum, ſeu is ad quem Epiſcopalis iuriſdictio tunc temporis noſcitur pertinere, in quibus poſſet Epiſcopus ſi viueret, ab excommunicationis ſententia ſiue iuris ſiue hominis fuerit, abſolutionis beneficium impertiri, niſi ei fuerit à Sede Apoſtolica ſpecialiter interdicta poteſtas.* Ex eo ſi quidem colligere licet, ad Capitulum ſede quoquomodo vacante Epiſcopalem iuriſdictionem pertinere poſſe. Vnde & capite *ad abolendum, de hæreticis*, Capitulum Epiſcopo mortuo de hæreſi conuictum damnat; can. *Pontifices*, 7. quæſt. 1. iuriſdictionis omnia munia exercet, ad ea verò quæ ſunt ordinationis Epiſcopos vicinos accerſit; electiones Prælatorum confirmat & infirmat; cap. *cùm olim* de maioritate & obedientia: denique punit delinquentes, & corrigit argumento ducto, ex cap. *iis quæ*, iunctâ gloſſâ *pro bono pacis*, eodem titulo. Igitur per Preſbyteros regimen Epiſcopale ſuppleri poteſt.

Ad cuius illuſtrationem veritatis & refutationem Cellotiani erroris, vnum hoc notandum eſt videri aduerſarium ſubtilitates iſtas inauditas inuehentem, Ioannis de Poliaco temeritatem non ſolùm ſecutum fuiſſe, verùm etiam ſuperaſſe. Hic enim temerè aſſerebat ſtante decreto Concilij Lateran. *omnis vtriuſque ſexus*, nec Papam, nec Deum poſſe facere, vt Parochianus ab obligatione confitendi peccata ſua proprio ſacerdoti ſeu Curato ſolueretur: quod ille temerè affirmabat, non ſimpliciter hanc libertatem impoſſibilem putans, ſed arbitratus ipſam cum Lateranenſi decreto non poſſe conſiſtere, vt refertur extrauaganti, *vas electionis*, inter communes, lib. 5. *de hæreticis*.

Ex Cellotij verò ſententia ſequitur non quidem ſtante aliquâ lege, ſed abſolutè & ſimpliciter, nec à Deo, nec à ſummo Pontifice fieri poſſe, vt regimen Eccleſiæ per Preſbyteros ſuppleatur. Nam rem Phyſicam eſſe, & non habere ſuam eſſentiam, hominem verbi gratiâ eſſe nec habere eſſentiam hominis contradictorium eſt: atqui ſtatuit ille regimen Epiſcopale Eccleſiæ rem eſſe Phyſicam, cuius eſſentia ſit, vt tantùm ab Epiſcopo fiat; igitur cenſet nec à Deo nec à Papa fieri poſſe, vt regimen Eccleſiæ per Epiſcopos ſuppleatur quod Ioannis de Poliaco temeritatem ſuperat.

Quod verò obiicit ille, ſi vel per horam ſuppleri poſſunt regendæ Eccleſiæ munera per alium quàm per Epiſcopum, poſſe, & ad annum, ad luſtrum, ad ſæculum; illud certè falſiſſimum eſt, & ad ſubuerſionem Papalis atque Epiſcopalis in Eccleſia dignitatis, imò & cuiuſuis Monarchici ſtatus etiam Politici fallaciter excogitatum: nam conſtat tam quæ ſucceſſione, quàm quæ electione parantur regna, per plures aliquando qui regiam non habeant dignitatem, in ſupplementum regum gubernari aliquandiu poſſe, eorúmque regimen ſuppleri, vt pote verbi gratiâ, quandiu de eligendo ſucceſſore tractatur, ſi imperium electione acquiritur, quemadmodum & in illis, ad quæ ſucceſſione peruenitur, quandiu ius ſucceſſionis dubium fuerit, vt ſi nondum conſtet marem eſſe aut fœminam, qui adhuc in vtero geritur, ad quem marem ius regnandi pertineat: ſi de legitimis natalibus alicuius dubium exortum priùs ſit iudicandum, quàm ſucceſſionis iure deferatur. Vel ſi in infantia adhuc conſtitutus ſit is qui pro rege agnoſcitur; tunc enim oportet regium miniſterium ac munus nonnunquam per plures ſuppleri: neque tamen ſi ſuppleri poſſit, per horam aut aliquod annorum tempus, illicò per luſtra & ſæcula ſuppleri poſſe ſequetur. Obſtat enim humana regni illius vel imperij inſtitutio, ac fundamentalis ordinatio, à quibus cùm habeat vt ſit Monarchicum, habet vt longo tempore per plures regi nequeat. Obſtat verò potentior Dei inſtitutio in Eccleſiâ Catholica, quominùs per plures annos Epiſcopale miniſterium per Preſbyteros ſuppleatur; nam hæc exigit, vt quàm primùm fieri poteſt, per Epiſcopum Eccleſia regatur, nec niſi Epiſcopo morte vel caſu aliquo deficiente, ad Preſbyterorum gubernationem recurratur: exigit illa poſt mortem Epiſcopi accelerari alterius electionem.

Ex quo fit, vt Preſbyteri qui interim officio Epiſcopali funguntur, nequidem poteſtate aut iuriſdictione Pontifices dici debeant, ſicut nec vicarij Epiſcoporum dicuntur Epiſcopi, nec qui ad regentis dignitatem, ac viceregis in Politicis Imperiis eliguntur, dicuntur Reges; quia non ſuâ ſuóque ſtatui debitâ, ſed delegatâ auctoritate funguntur: nec hi conſecrationem habent regiam, nec illi Pontificiam.

Obiicit aduerſarius Concilij Tridentini ſeſſ. 23. cap. 4. auctoritatem regimen Eccleſiæ inter ea enumerantis quæ Epiſcopis ita ſunt propria, vt ad preſbyteros transferri non poſſint.

Reſpondeo neque id dicere Tridentinum, ſed ſolùm *Epiſcopos à Spiritu Sancto poſitos regere Eccleſiam Dei, eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe, ac ſacramentum Confirmationis conferre, miniſtros Eccleſiæ ordinare, aliáque pleraque peragere ipſos poſſe, quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.* Neque enim opus eſt, vt hæc vltima verba ad ſuperiora omnia referantur: Nam & certum eſt pro ſuo modo & Preſbyteros Eccleſiæ regendæ à Spiritu ſancto admoneri, & certè plures Patres, verba quæ Epiſcopis aptat Tridentinum, etiam de Preſbyteris intelligunt.

Secundò, nec ſi regimen Epiſcopis proprium faceret Tridentinum, illicò ſequeretur extraordinariè ad Epiſcopos non poſſe transferri: quandoquidem Cellotius ipſe contendat paginis ſui libri 377. 378 449. 450. Confirmationem extra ordinem Preſbyteris committi poſſe, quæ tamen ſublatâ neceſſitate non debet ijs certiſſimè committi: ergo ſimiliter poterit quandiu Epiſcopus haberi nequit, regimen Eccleſiæ ſuppleri per Preſbyteros, mox tamen vbi Epiſcopus haberi poterit, ſuppleri illud ab aliis non debebit. nec conſentaneè Chriſti inſtitutioni poterit; quamobrem non ſequitur quòd Epiſcopale regimen per ſæcula ſuppleri poſſit, ex eo quòd per horam ſuppleatur.

Tertiò, nec ſi regimen Eccleſiæ propriâ, natiuâ & ordinariâ poteſtate dicatur incommunicabile aliis quàm Epiſcopis, ſequitur idem regimen extraordinariè & ſup-

Pletiuè duntaxat Preſbytero conuenire non poſſe, quomodo vacante ſede Capitulo dicimus conuenire; ſi ſecùs intelligatur Tridentinum Concilium nimis probat, putà regimen Eccleſiæ, quod in iudicando, puniendo, præcipiendo conſiſtit, de quo nimirùm loquitur Tridentinum ad Preſbyteros nullo caſu deuolui poſſe.

§. III.

Diſtinctio officiorum Regiminis.

DISTINCTIO officiorum regiminis in ea quæ ſuppleri non poſſunt à Preſbyteris, & ea quæ ſuppleri poſſunt à Cellotio propoſita inſulſa eſt & ridicula. Tum quia quæ ſunt regiminis ſeu iuriſdictionis à Preſbyteris ſede vacante, vel per mortem Epiſcopi ſuppleri poſſe iura indefinitè affirmant. Quare vbi ius non diſtinguit nec nos diſtinguere debemus: tum quia ſi Presbyteri omnia quæ ſunt regiminis ex mandato & commiſſione Epiſcopi exercere poſſunt: quidni & poſt mortem Epiſcopi ex commiſſione Eccleſiæ exercere poterunt? tum denique quia quæ exempla regiminis vniuerſalis incommunicabilia alteri quàm ſummo Pontifici propoſuit Cellotius, tanquam per Preſbyteros ſuppleti non poſſent, vel ſuppleri poſſunt certè non propter eam rationem ſuppleri nequeunt, nec defectu poteſtatis regiminis, quæ in Presbyteros, quæcumq; illa ſit, tranſmitti poteſt, ſed defectu gratiæ ſeu doni infallibilitatis, quod ſoli Petro, ac Romano Pontifici à Deo promiſſum, vel aliquâ aliâ ratione in alios tranſmitti nequit. In regimine autem Eccleſiæ particularis nulla huiuſmodi reperiuntur, quæ non per Presbyteros ſuppleri queant, quemadmodum mox probabimus.

Quartò itaque dicimus ſi quòd ſit officium in regimine vniuerſalis Eccleſiæ, quod à ſummo Pontifice peragi ſolitum, à Clero Romano & Collegio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ſuppleri non poſſit, non oriri ex defectu capacitatis in Collegio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium ad ſupplendam iuriſdictionem Pontificiam, ſed ex aliis cauſis: nam verbi gratiâ quod Collegium Cardinalium ſede vacante Concilium vniuerſale nec cogere, nec confirmare poſſit, duplex alia cauſa aſſignari poteſt.

Prima, quòd cùm iuriſdictio Presbyteris poſt obitum Epiſcopi, & Collegio Cardinalium, è viuis ſublato ſummo Pontifice, in ſupplementum tantùm detur, ea tantùm ab iis debeant fieri, quæ moram non patiuntur; cuiuſmodi ſunt iudicia ſeu damnationis ſeu abſolutionis, quæ moram non ferunt, aliáque id genus; at Concilij generalis coactio & confirmatio non ſolent adeò præſentia eſſe malis remedia, vt retardari non poſſint: nam ſi grauis aliqua dubitatio ſede vacante emergat, quæ Concilij generalis celebrationem, & confirmationem videatur exigere de eligendo priùs ſummo Pontifice cogitandum eſt, vt cum ipſo poſteà, ſeu potiùs per ipſum grauioris momenti iſta quæſtio dirimatur. Si tamen contingeret differri ordinationem Romani Pontificis, & vrgere dubij ſolutionem, non ambigitur; quin ad præſentiora remedia, quàm ſit generalis Concilij coactio, Romanæ Eccleſiæ Cardinales confugerent: cuius rei exemplo eſſe poteſt Romanus Clerus in perſecutione Decij, qui cùm quæſtio de recipiendis lapſis ad pœnitentiam, vel reiiciendis omnino vrgeret, nec differri poſſet, vacante per Fabiani mortem Romanâ ſede, & Synodum habuit, & dilatâ maiori in aliud tempus diſcuſſione, quo Epiſcopus creatus eſſet fiduciariâ ſeu temporariâ ſententiâ, quid agendum eſſet, decreuit, literáſque tum in Siciliam, tum in Africam pro ſua poteſtate & auctoritate miſit, vt conſtat ex epiſtola eiuſdem Cleri trigeſima prima inter epiſtolas Cypriani, ex qua hæc verba in rem præſentem exſcribemus (nam poſteà pro auctoritate Clerum Romanum egiſſe contra Cellotium demonſtrabimus.) *Sed vt ad id vnde digreſſus ſermo videbatur eſſe, rurſus reuertatur, quales literas in Siciliam quoque miſerimus, ſubiectas habebis: quamquam nobis differendæ huius rei neceſſitas maior incumbat, quibus poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ viri Fabiani, nondum eſt Epiſcopus propter rerum & temporum difficultates conſtitutus, qui omnia iſta moderetur, & eorum qui lapſi ſunt poſſit cum auctoritate & conſilio habere rationem: quanquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu tractaſti priùs Eccleſiæ pacem ſuſtinendam; deinde ſic collatione conſiliorum cum Epiſcopis, Preſ-*

byteris, Diaconis, Confeſſoribus pariter ac ſtantibus laicis facta lapſorum tractare rationem. Et poſteà circa finem, *Cuius temperamenti moderamen nos hîc temerè quærentes, diu & quidem multi, & quidem cum quibuſdam Epiſcopis vicinis nobis, & appropinquantibus, & quos ex aliis prouinciis longè poſitis perſecutionis iſtius ardor eiecerat, ante conſtitutionem Epiſcopi nihil innouandum putauimus, ſed lapſorum curam mediocriter eſſe temperandam credimus: vt interim dum Episcopus dari à Deo nobis ſuſtinetur in ſuſpenſo eorum, qui moras poſſunt dilatione ſuſtinere, cauſa teneatur: eorum autem, quorum vitæ ſuæ finem vrgens exitus dilationem non poteſt ferre, actâ pœnitentiâ & profeſſâ frequenter ſuorum deteſtatione factorum, &c. ita demùm cautè & ſollicitè ſubueniri.* Quis dubitet in cauſa adeò vrgenti, ſi Concilium generale conuocari tutò & citò potuiſſet, id facturos fuiſſe Clericos Romanos, qui Epiſcopos tum vicinos, tum eos quos perſecutionis ardor eiecerat, ad diſcuſſionem conuocarunt? qui ſibi iuriſdictionem non deeſſe agnoſcentes, lapſos, quorum cauſa vrgeret, ad pœnitentiam receperunt, tantæque auctoritatis viſi ſunt, vt Epiſcopali decreta Concilio, ipſi tanquam maiori poteſtate, vacante Romanâ ſede pollerent, in prouincias ſuo nomine ſcripſerint.

Quòd tamen decretoriam ſententiam ferre vacante ſede non præſumpſerint, id eorum tribuendum modeſtiæ, & receptæ conſuedini Eccleſiæ id æquum vel primis iſtis temporibus eſſe ſentientis, quod poſteà conſtitutionibus poſteriorum ſæculorum firmatum, *ne ſede vacante aliquid innouetur*, lib. 3. Decretalium Gregorij, tit. 9. & tit. 8. in ſexto; quia nempe maiori cum auctoritate Epiſcopus Dei vicem gerens, & ad præſidendum conſecratus, & diuiniori conſilio Antiſtes gratiam à Deo definiendi res obſcuras conſecutus, exortas quæſtiones terminaturus credebatur: interim tamen dum ſuſtinebatur Epiſcopi electio, quantocyùs maturandam credebant, iuriſdictione ſe præditos confidentes, res, prout ſibi viſum erat, diſponebant.

Atque adeò aberrat toto cælo Cellotius, dum ex negata Capitulo ſede vacante quidquam innouandi poteſtate, Epiſcopalem iuriſdictionem, ſeu regimen ſupplendi adimit facultatem. Aliud enim eſt regimen Epiſcopale ſupplere, aliud quidquam innouare: qui regimen Epiſcopale ſupplet, ea agit omnia, quæ ad regimen ordinarium ſpectant, & quæ moram non patiuntur: vnde ſi quid innouandum eſt circa diſciplinam, circa alicuius quæſtionis ſtatum, vt ex dubia fiat certa, ſi quid Eccleſiæ viduatæ dignitati derogandum: hæc omnia ad Epiſcopum creandum reiicienda ſunt: quæ ideò innouari vacante ſede vetantur, vt maiori cura, ac ſollicitudine Epiſcopi in locum mortui acceleretur electio. Quæ ratio viget maximè in electione Romani Pontificis, cuius dilatio tanto magis Eccleſiæ periculoſa eſt, quanto ex eiuſdem conſtitutione magis quàm vllius alterius Epiſcopi Eccleſiæ vnitatis probatio dependet: Hinc Gloſſa in caput vnicum *de Schiſmaticis*, in ſexto, verbo *ſede vacante*, obiiciens ſibi quòd minora longè corpora Collegio Cardinalium vacante ſede non ſolùm de prouiſione iudicare, verùm etiam quæſtiones vltimò determinare ſoleant, id proinde & Collegium Cardinalium poſſe; reſpondet non eſſe parem rationem, *quia ob accelerandam prouiſionem Eccleſiæ, in cuius tardatione imminet periculum, ſpeciale quid ſtatui debet, & eſſe ſimile ſupra eodem libro ſexto de hæreticis, cap. accuſatus, paragrapho, ſanè.*

Hinc etiam tantâ diligentiâ eiuſdem accelerari electionem ſtatutum primò à Nicolao II. in Concilio Lateranenſi, Can. *in nomine*, diſtinct. 23. Secundò, maiori etiam præſcriptâ cautione à Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. cap. 2. quod habetur cap. 1. *de electione, & electi poteſtate*, in ſexto; expreſſiúſque adhuc cautum à Clemente V. in Concilio Viennenſi, ne ſe Cardinales aliis ingerant, ſed hoc vnum curent, vt Eccleſiæ Paſtorem illicò eligant, quemadmodum conſtat ex Clementina, *Ne Romani*, § 1. *de electione*, iis verbis, *irritum nihilominùs, & inane decernentes quidquid poteſtatis aut iuriſdictionis ad Romanum, dum viuit*, Pontificem *pertinentis, niſi quatenus in conſtitutione prædicta permittitur, cœtus ipſe duxerit, eadem vacante Eccleſiâ, exercendum.*

Atque hæc ratio ſimiliter oſtendit cauſam cur nec ſoleat Romanus Clerus vacante ſede nouos vrbibus dare Epiſcopos, Patriarchas ſuis ſedibus dimouere, eſſe potiùs quod non debeat, quàm quòd omninò non poſſit: cur enim verbi gratiâ non poſſet, (ſi res vrgeret, nec ipſi ab Eccleſia interdictum foret) Patriarcham à ſua ſede Clerus Romanus vacante ſede dimouere, qui olim, vt patet ex eiuſdem epiſtola ad

Cyprianum trigeſima inter epiſtolas Cypriani, & Priuato Lambeſitano, & Fœliciſſimo eiuſdem factionis vexillario Epiſcopis pacem communionémque (quam iiſdem minimè damnatis denegare non debuit) petentibus dare recuſauit? atque ideo partem regiminis vnquam ſuppletam fuiſſe malè Cellotius affirmauit.

Altera peculiaris ratio, ob quam confirmare Concilia generalia Clerus Romanus ſede Epiſcopali vacante minimè præſumpſit, ea eſt quòd ad confirmationem Concilij generalis non ſolùm iuriſdictio, ſed etiam certa & ineluctabilis in fide conſtantia requiratur, quæ ſoli Petro & ſucceſſoribus eius promittitur, qui ſoli in perſona Petri confirmare fratres iubentur, pro quibus ſolis orauit Chriſtus, ne deficeret fides eorum, hinc fit, vt non tam defectu poteſtatis ac iuriſdictionis, quàm defectu priuilegij iſtius perſonalis, confirmandi Concilia Romano Clero vacante ſede auctoritas adimatur. Item Conciliorum firmitas ex adhæſione maximè capitis & membrorum deſumitur, vt innuit epiſtola Concilij Chalcedonenſis ad Leonem, & VI. Synodi ad Hadrianum II. expectandum itaque videtur eſſe, quòd conſtitutum ſit caput, vt Concilij generalis ſententia firma ratáque habeatur accedente eiuſdem conſenſu & conſonantiâ capitis cum membris in Concilio congregatis. Quam rationem nobis explicat Synodus Romana IV. ſub Symmacho cap. 3. *Quod ſi cuiuſlibet prouinciæ ſacerdotes intra terminos ſuos Concilio habito quidquam ſine Metropolitani, ſiue Antiſtitis auctoritate tentauerint, irritum eſſe debere Patres ſancti ſanxerunt: quantò magis in Apoſtolica ſede non exiſtente Præſule, qui prærogatiua beati meritis Apoſtoli Petri per vniuerſum orbem primatum obtinens ſacerdotij ſtatutis Synodalibus conſueuit tribuere firmitatem?*

Quod additur à Cellotio incommunicabile eſſe Preſbyteris, quòd vacante ſede nouos vrbibus dent Epiſcopos, vel Presbyteros ordinent, vel de ordinatione Epiſcoporum & Preſbyterorum intelligitur, & tunc ineptè profertur, quia non defectu iuriſdictionis ſed ordinis, quem ſuppleri à Preſbyteris nemo dixit vnquam, accidit quòd ex iis muniis Preſbyteri vacante ſede nunquam defuncti ſint; vel de poteſtate facta alicui Epiſcopo à Romano Clero ſermo eſt, vt vel nouos Epiſcopos ciuitatibus ordinet, vel Preſbyteros, quod vtrumque à Romano Clero vacante ſede nunquam fuiſſe perfectum, nec perfici potuiſſe diuinare eſt; nam mox dicemus vacante ſede Capitulis & Epiſcopis & Presbyteris ordinandi poteſtatem nonnunquam conuenire.

Addo non ſatis prudenter hæc ab ipſo exempla regiminis vniuerſalis Eccleſiæ fuiſſe prolata. Nam Preſbyteros ordinandi officium in vnaquaque particulari Eccleſia ordinarium eſt, ac proinde malè pars regiminis vniuerſalis Eccleſiæ quòd ſuppleri nequeat ſtatuitur; Epiſcopos verò nouos creandi munus licèt iam Pontifici ſummo reſeruatum ſit in Occidente, in Oriente tamen idem munus ſibi Patriarchæ ex veteri conſuetudine aſſumunt, & Baſilius olim nullâ aliâ auctoritate, quam Metropoliticâ fretus, nouum Sazimorum Epiſcopatum inſtituit, Auguſtinus Fuſſalenſium oppidum ex aſſenſu Primatis Numidiæ, & Carthaginenſis Diœceſeos, Epiſcopatus honore donauit, vt leges apud Nazianzenum carmine de vita ſua, & Auguſtinum epiſt. 261.

Quintò falsò Cellotius hæc & ſimilia, quæ Preſbyteris incommunicabilia ſunt, vniuerſalis Eccleſiæ regimen explere dixit, & ſeruatâ proportione quædam eſſe ſimiliter Preſbyteris incommunicabilia quæ particularis Eccleſiæ regimen expleant. Nam legum lationes, cenſuræ, iudicia, & cætera id genus, ea ſunt quæ potiſſimam partem regiminis continent: de iiſque præſertim intelligendum eſt Concilium Tridentinum, dum cap. 4. ſeſſ. 23. à Cellotio citato, propria Epiſcopatus munera recenſens regiminis meminit, Epiſcopóſque ait *poſitos regere Eccleſiam Dei*: atqui hæc tam in regimine Eccleſiæ vniuerſalis quàm particularis a Presbyteris ſuppleri poſſunt, & ſuppleta aliquando fuere, vt ſuprà probatum eſt.

Sextò denique, incautè egit aduerſarius, dum iis ſuprà enumeratis, quæ in vniuerſali Eccleſiæ regimine occurrerent exemplis, alia ſubindicat in particularis Eccleſiæ regimine reſpondere, quæ pro modo ſuo ita Epiſcopis propria ſint, vt à Preſbyteris ſuppleri nequeant. Nulla enim talia eſſe reperiemus: nam verbi gratiâ coactioni Conciliorum vniuerſalium à ſummo Pontifice ſuccedit congregatio Concilij

Diœceſani, vel Prouincialis in Eccleſia particulari; confirmationi Concilij Oecumenici, confirmatio minoris Concilij; Epiſcoporum nouorum creationi, creatio nouorum beneficiorum, Monaſteriorum, Oratoriorum: Preſbyterorum verò ordinatio potiùs particularis regiminis Eccleſiæ pars eſt quàm vniuerſalis, depoſitioni Patriarcharum in inferiori Eccleſia reſpondet depoſitio Clerici, vel excommunicatio laici: atqui hæc omnia aut ſimilia vel à Preſbyteris ſuppleri poſſunt, & olim ſuppleta ſunt, vel ſi quando denegata eis fuere vacante ſede, iuriſdictionis defectus argui tamen exinde nec poteſt nec debet. Ergo malè in Eccleſia particulari ex iis exemplis probat Cellotius regimen Eccleſiæ à Preſbyteris nec ſuppletum fuiſſe nec ſuppleri poſſe.

Minor probatur ex allegatis ſuprà pro iuriſdictione Capituli ſede vacante, quibus addimus quædam alia & iura & exempla: nam Capitulum ſede vacante poſſe permutationibus auctoritatem præſtare notat Gloſſa I. in Clementinam primam, *de rerum permutatione*, bona Eccleſiæ vacantis tam in ſpiritualibus: quam temporalibus adminiſtrare poſſe habetur cap. 3. *de ſupplenda negligentia Prælatorum*, *in ſexto*. poſſe etiam abſoluere eos omnes, quos Epiſcopus abſolueret, expreſsè ſtatuitur cap. vnico *de maioritate & obedientia*, in ſexto, & vniuerſum ſuccedere in poteſtatem exercendi ſpiritualia etiam ea quæ requirunt ſpeciale mandatum Epiſcopo viuente, refertur cap. *cùm nullus*, §. *Epiſcopo*, & ibi Gloſſa v. *Capitulum, de temporibus ordinationum*, in ſexto: & in adminiſtrationem Eccleſiæ vacantis, extrauagante Ioan. 22. *execrabilis*, *de præbendis*, quâ ſtatuitur vt poſſit etiam admittere reſignationes: Denique in iis quæ ad iuriſdictionem Epiſcopi ſpectant, etiam in caſibus inquiſitionis, Clementinâ I. §. *duro*, & ibi Gloſſa v. *ſede*, & Gloſſa *Capituli*, *de hæreticis*.

Quare ſi quæ Capitulo ſede vacante denegantur, non defectu capacitatis ad iuriſdictionem exercendam denegantur, ſed Epiſcopo futuro propter honorem ſacerdotij reſeruantur, putà maiorum dubiorum ſolutio, quibus ſcilicet decernendis & diſcutiendis præter iuriſdictionem neceſſariam gratia diuina requiritur, quæ maior in ordinatione Epiſcopo quàm Preſbyteris conceditur; & eorum quæ inter fructus numerantur, cuiuſmodi eſt beneficiorum ab ipſo ſpeciali iure pertinentium collatio, vt oſtendit Gloſſa in caput, *cùm olim*, verbo *Capitulo, de maioritate & obedientia*. Nec immeritò, nam id & futuri Epiſcopi honori cedit, & commodo, & Eccleſiæ vtilitati, cui ſcilicet faciliùs prouidet, quo plures ſibi commodos & conſentientes habet adiutores: vnde licèt maior iuriſdictio non requiratur in inſtitutione ſibi præſentatorum ad beneficia, quàm collatione beneficiorum, quæ ſpeciali iure ad Epiſcopum ſpectabant, quia per vtrumque actum ſpiritalis datur poteſtas & iuriſdictio committitur, nihilominùs propter rationem prædictam Capitulum vacante ſede poteſt inſtituere præſentatos à patrono, cap. I. *de inſtitutionibus*, in ſexto. Hæc autem quæ pleno iure ad Epiſcopum ſpectant ordinario iure non confert, cap. finali, *de regularibus*, & cap. *illa*, *ne ſede vacante*, quibus adde Gloſſam primam in Canonem, *Presbyteri*, diſtinct. 24.

Vrget & alia ratio propter quam & quædam negotia Capitulo ſede vacante vltimò terminandi denegetur auctoritas, ne videlicet Presbyteri & Diaconi ſede vacante iis negotiis intricati electionis Epiſcopi curam deſerant, & ſe plebis commiſſæ gubernationi ſufficere putent, nec ad Epiſcopum quantocyùs ſibi procurandum ardentiùs aſpirent: repetere enim iterùm neceſſum eſt, nos ſolùm dicere Epiſcopale regimen à Preſbyteris ſuppleri poſſe: ſuppleri autem illud dici quòd deficiente proprio & debito agente, interim quia non patitur negotium dilationem, ab alio in quantum opus fuerit, perficitur.

Adiungimus etiam exempla quædam conceſſæ olim Archiepiſcopalis dignitatis Capitulis Metropolitanarum Eccleſiarum poſt Archiepiſcoporum obitum prærogatiuæ. Nam verbi gratiâ, antiquitates Britanniæ in quinquageſimo primo Archiepiſcopo Cantuarienſi, poſt obitum Waltheri, quam prior Eccleſiæ Cantuarienſis in cæteras Eccleſias Suffraganeorum iuriſdictionem nomine eiuſdem Eccleſiæ Metropolitanæ exercuerit his verbis oſtendunt, *Hic paucis menſibus omnem illam intermediam iuriſdictionem ante intermiſſam plenè exercuit, atque renouauit de Clericis ad Eccleſiaſtica beneficia præſentatis & patronorum iure diligenter inquiſiuit, electiones confirmauit, inteſtatorum bona adminiſtranda commiſit, prouocantium appellationes recepit, viſitauit, procura-*

tiones percepit, Synodum celebrauit, Clerum ex mandato regio ad Parlamentum citauit, contumaces & in ſuam iuriſdictionem committentes coercuit, beneficia vacantium ſedium contulit, ad hæc capas choreales, annulum, & ſigilla Cantuarienſis Prouinciæ Suffraganeis Cantuarienſi Eccleſiæ vindicauit, omniaque ad Archiepiſcopalem iuriſdictionem per ſingulas ſpecies tam exquiſité exercuit, vt nihil fuerit prætermiſſum præter Epiſcoporum conſecrationem, quam cum ſua auctoritate peragere non poterat, Epiſcopo Londinenſi mandauit, & iniunxit, vt is Suffraganeis Cantuariæ in Chriſti Eccleſia die quodam ſtatuto congregatis Menenenſem & Pangorenſem Epiſcopos tum electos & ſua auctoritate confirmatos conſecraret, quibus ſic conſecratis in teſtimonium & fidem conſecrationis, literas Conuentus ſigillo ſigillatas dedit, excitata hoc modo & agnitâ Cantuarienſis Conuentus, ſede vacante, poteſtate.

Quare vt ad ſingulas minoris prædictæ partes veniamus, & conuocandorum confirmandorumque Conciliorum,non Synodalium ſolùm, quæ regimini particularis Eccleſiæ proportionata ſunt, verùm etiam prouincialium auctoritatem Metropolitanæ Eccleſiæ Presbyteros aliquando ſuppleuiſſe legimus. Synodalium autem Conciliorum cogendorum poteſtate Capitula, vacante ſede, paſſim gauiſa viderunt priora ſæcula, & præſens ætas approbat. Nec vnquam vetitum legitur, quin nouorum Beneficiorum, & Oratoriorum fundationem admittere poſſit Capitulum, ſede vacante. Neque enim dubium eſt quin ea omnia, quæ ad Eccleſiæ vtilitatem ſpectant, gerere & firmare poſſit. In eo ergo partem regiminis ſupplere ipſos poſſe animaduertimus, quæ Epiſcopatuum nouorum fundationi reſpondet. Quòd ſi nouas verbi gratiâ parœchias aliarum detractione & diuiſione erigere non poſſit, ex eo prouenit, quòd ad ſupplendum tantùm regimen poteſtas ei conceſſa ſit, ex prædictis non ad aliquod circa ipſum regimen innouandum.

Quòd Presbyteros ordinare non poſſit, ſolius ordinationis Epiſcopalis obſtat defectus, nam Canon *Pontifices*, 7. quæſt. 1. aduocandi Epiſcopos ad ordinationes peragendas Epiſcopo infirmitate grauato, Capitulo facultatem concedit, nec obſiſtunt iura, præterquam ea quæ poteſtatem iſtam in gratiam Epiſcopi futuri limitant, vt poſſit ſibi ipſi coadiutores Pontificalis muneris aſſumere, cuius boni rationem habuiſſe videtur Tridentinum Concilium, dum ſeſſ. 7. de reformatione cap. 10. prohibet ne ante annum expletum ab obitu Epiſcopi, præterquam in graui neceſſitate, Capitulum dimiſſorias vllas literas concedat, ſed res integra futuro ſucceſſori reſeruetur, quod in vſu non videtur eſſe in Gallia.

In tota verò Eccleſia ſecundum iura ſuperiùs allegata receptum eſt, vt & ſuſpenſionis, & depoſitionis, & excommunicationis cenſuris, qui fuerit Presbyter à Capitulo ad munus Epiſcopale obeundum deſignatus, toto vacantis ſedis tempore, paſſim vtatur: quæ poteſtas in particulari Eccleſia reſpondet Patriarcharum depoſitioni in vniuerſali. Atque ita peſſimè exemplis prædictis conatus eſt Cellotius probare regimen Epiſcopale, per horam quidem ſuppleri poſſe à Presbyteris, aut ſuppletum vnquam fuiſſe.

§. IV.

Statum & dignitatem Epiſcopalem manere in Eccleſia vacante.

ALIAM mecum & cum Aurelio æquè infœlicem diſputationem aggreditur, dixerat Aurelius ſtatum & dignitatem Epiſcopalem ſemper actu manere in omni vera Eccleſia, quamuis Epiſcopi perſona non maneret pag. 20. dixeram ego pag. 35. vindiciarum *ſublato Epiſcopo ſtatum Epiſcopalem ſemper manere, ac formam Monarchici regiminis.* vterque rationem ducem, & modum loquendi vulgarem ſecuti fueramus: nam & prudentes & vulgus, quantumlibet Epiſcopus mortuus ſit, Eccleſiam tamen & ciuitatem cui præerat Epiſcopus, Epiſcopalem vocant, & Presbyteralem Eccleſiam nominant, cui Presbyter ex fundationis lege præeſſe debeat, & Regnum Monarchicum, in quo vnus debet conſtitui Princeps, etſi ad tempus ſuo rectore vacet.

Quis enim dicat ciuitatem Pariſienſem, verbi gratiâ, mortuo Archiepiſcopo Pariſienſi deſinere eſſe Archiepiſcopalem, aut Carnotenſem mortuo Epiſcopo Carnotenſi deſinere eſſe Epiſcopalem, aut Romanam mortuo Papâ deſinere eſſe ſupremam Eccleſiam

Eccleſiam, & reliquarum Eccleſiarum caput. Nemo vnquam hoc ſomniauit præter Cellotium. Gerſon qui vnicus in hac cauſa ſufficeret, quandoquidem ad interpretationem loci ex Gerſone adducti hæc à nobis dicta ſunt; quæ ſi vera non eſſent, Gerſonis menti conſentanea eſſe ſufficeret: Gerſon, inquam, *de ſtatu ſummi Pontificis*, conſid. 2. Cellotio apertè reſiſtit, *Status*, inquit, *Papalis, licèt non omninò vacet & deficiat, per mortem Papæ naturalem vel ciuilem, nec per conſequens Eccleſia deſinat eſſe vna, nihilominùs eniti debent Chriſtiani ſub pœna ſchiſmatis, quod in hoc ſtatu conſtituatur, & præſideat aſſiduè vnicus & ſummus Pontifex*: quod ipſum aſſerit conſid. 12. eodem tractatu, & alibi ſæpè. Idem docet Gloſſa verbo, *ſede vacante*, in cap. vnicum *de ſchiſmaticis*. Idem reliqui Theologiæ ac iuris Canonici Doctores.

Inauditam autem ac nouam ſententiam Cellotius conuitiis potiùs quàm rationibus aduerſum me, aduerſum Aurelium tuetur. Conuitia non regero, rationes quæ propter verboſitatem vix deprehenduntur, quâ poſſum ſedulitate ex ipſius ſcriptis eruo atque examino. Prædicta ergo, quæ ſolidè confutaui, aduerſarij inſiſtens veſtigiis refellere iam aggredior.

Primùm quidem refellit quod dixit Aurelius pag. 19. prioris editionis, *Patres & Concilia dicunt Petrum ſemper in throno ſedere, & de Eccleſiæ controuerſiis pronuntiare? Nuſquam autem*, regerit Cellotius, *illas voces à Patribus & Conciliis prolatas inueniet Aurelius de Eccleſia Romana Paſtore viduata: ſed tantùm de legitimis Petri-ſucceſſoribus in ſede Apoſtolica reapſe inſidentibus, & Eccleſiam regentibus auctoritate à Chriſto per Canonicam electionem accepta*. Ac poſt aliqua, quibus Cleri Romani, ſede vacante, auctoritatem eleuare conatur alibi commodiùs diſſoluenda, animosè ita perorat. *Dicat nunc Petrus Aurelius quomodo, ſede vacante, ſedeat Petrus, & de controuerſiis iudicet? Quale regimen Eccleſiæ ſolis Presbyteris commiſſum, quale ſuppletum?*

Faciliùs ſanè diceret Aurelius, ſi viueret, quomodo Petrus, ſede vacante, Romæ ſedeat, quàm Cellotius, quomodo poſito à ſe antecedente propoſitionem iſtam inferre poſſit, quòd à Presbyteris regimen Eccleſiæ ſuppleri nequeat. Ego verò & ex antecedente poſito concluſionem contrariam Cellotianæ inferam, & Cellotij poſteà interrogationi ſatisfaciam.

Primùm à me præſtari facilè poteſt in hunc modum. Patres & Concilia dicunt Petrum ſemper Romæ in throno ſedere: atqui non ſemper in throno ſedebit, niſi & vacante per mortem ſummi Pontificis ſede, & occupatâ à legitimis Pontificibus cathedrâ ipſe ſedeat: nam ſi tempore interpontificij Petrus in throno non ſedet, non omni tempore ſedet, ac proinde nec ſemper. Igitur Petrus etiam vacante ſede Pontificiâ in throno tamen ſedet: quomodo autem in throno ſedet, & de controuerſiis iudicat, niſi quia remanet etiam vacante ſede Pontificiâ Petri poteſtas in Clero Romano, per quem Petrus ad tempus Eccleſiam regit & controuerſias iudicat. Ergo quo argumento à Presbyteris ſuppleri ipſe negat Epiſcopale regimen: ego contrà ſuppleri poſſe demonſtro.

Præterea, ais, à Conciliis & Patribus ſanctum Petrum dici in throno ſemper ſedere, fateris tamen tempore interpontificij non ſedere: ſed tunc tantùm cùm legitimi Pontifices in throno collocati ſedent, neque tamen hæc vllâ ratione conciliari à te poſſunt, niſi eâ, quâ & Epiſcopo mortuo Epiſcopalem ſtatum ſemper vigere & manere aſſerimus: ſicut enim Epiſcopalem cathedram & ſtatum poſt Epiſcopum Epiſcopi propter iuriſdictionis Epiſcopalis officia, quæ penes aliquos remanent ex Presbyteris vel Diaconis: & propter obligationem Eccleſiæ viduatæ impoſitam ad procurandum ſibi, quamprimùm fieri poteſt, Epiſcopum admittimus: ita Cathedram Petri, mortuo hoc vel illo ſucceſſore Petri, non euerti, nec Petrum à Cathedra Romana abeſſe, eo tantùm ſenſu admitti poteſt, quia nimirum Romæ ordinaria poteſtas Petri indeficiens perſeuerat ſicut & fides; quemadmodum indicat ſanctus Leo ſermone ſecundo *in die anniuerſario aſſumptionis ſuæ*, iis verbis, *ſoliditas enim illius fidei, quæ in Apoſtolorum Principe eſt laudata, perpetua eſt, & ſicut permanet quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit.*

Porrò ſi eo ſenſu Petrus in throno ſemper ſedere dicitur, quia fides Petri numquam ab Eccleſia Romana deficit: ſi alio ſenſu Petrus, *in propria ſede & viuit & præſidet*,

tiones percepit, Synodum celebrauit, Clerum ex mandato regio ad Parlamentum citauit, contumaces & in ſuam iuriſdictionem committentes coercuit, beneficia vacantium ſedium contulit, ad hæc capas choreales, annulum, & ſigilla Cantuarienſis Prouinciæ Suffraganeis Cantuarienſi Eccleſiæ vindicauit, omniaque ad Archiepiſcopalem iuriſdictionem per ſingulas ſpecies tam exquiſitè exercuit, vt nihil fuerit prætermiſſum præter Epiſcoporum conſecrationem, quam cum ſua auctoritate peragere non poterat, Epiſcopo Londinenſi mandauit, & iniunxit, vt is Suffraganeis Cantuariæ in Christi Eccleſia die quodam ſtatuto congregatis Menenenſem & Pangorenſem Epiſcopos tum electos & ſua auctoritate confirmatos conſecraret, quibus ſic conſecratis in teſtimonium & fidem conſecrationis, literas Conuentus ſigillo ſigillatas dedit, excitata hoc modo & agnitâ Cantuarienſis Conuentus, ſede vacante, poteſtate.

Quare vt ad ſingulas minoris prædictæ partes veniamus, & conuocandorum confirmandorumque Conciliorum non Synodalium ſolùm, quæ regimini particularis Eccleſiæ proportionata ſunt, verùm etiam prouincialium auctoritatem Metropoliticæ Eccleſiæ Presbyteros aliquando ſuppleuiſſe legimus. Synodalium autem Conciliorum cogendorum poteſtate Capitula, vacante ſede, paſſim gauiſa fuerunt priora ſæcula, & præſens ætas approbat. Nec vnquam vetitum legitur, quin nouorum Beneficiorum, & Oratoriorum fundationem admittere poſſit Capitulum, ſede vacante. Neque enim dubium eſt quin ea omnia, quæ ad Eccleſiæ vtilitatem ſpectant, gerere & firmare poſſit. In eo ergo partem regiminis ſupplere ipſos poſſe animaduertimus, quæ Epiſcopatuum nouorum fundationi reſpondet. Quòd ſi nouas verbi gratiâ parœchias aliarum detractione & diuiſione erigere non poſſit, ex eo prouenit, quòd ad ſupplendum tantùm regimen poteſtas ei conceſſa ſit, ex prædictis nou ad aliquod circa ipſum regimen innouandum.

Quòd Preſbyteros ordinare non poſſit, ſolius ordinationis Epiſcopalis obſtat defectus, nam Canon *Pontifices*, 7. quæſt. 1. aduocandi Epiſcopos ad ordinationes peragendas Epiſcopo infirmitate grauato, Capitulo facultatem concedit, nec obſiſtunt iura, præterquam ea quæ poteſtatem iſtam in gratiam Epiſcopi futuri limitant, vt poſſit ſibi ipſi coadiutores Pontificalis muneris aſſumere, cuius boni rationem habuiſſe videtur Tridentinum Concilium, dum ſeſſ. 7. de reformatione cap. 10. prohibet ne ante annum expletum ab obitu Epiſcopi, præterquam in graui neceſſitate, Capitulum dimiſſorias vllas literas concedat, ſed res integra futuro ſucceſſori reſeruetur, quod in vſu non videtur eſſe in Gallia.

In tota verò Eccleſia ſecundum iura ſuperiùs allegata receptum eſt, vt & ſuſpenſionis, & depoſitionis, & excommunicationis cenſuris, qui fuerit Preſbyter à Capitulo ad munus Epiſcopale obeundum deſignatus, toto vacantis ſedis tempore, paſſim vtatur: quæ poteſtas in particulari Eccleſia reſpondet Patriarcharum depoſitioni in vniuerſali. Atque ita peſſimè exemplis prædictis conatus eſt Cellotius probare regimen Epiſcopale, per horam quidem ſuppleri poſſe à Preſbyteris, aut ſuppletum vnquam fuiſſe.

§. IV.

Statum & dignitatem Epiſcopalem manere in Eccleſia vacante.

ALIAM mecum & cum Aurelio æquè infœlicem diſputationem aggreditur, dixerat Aurelius ſtatum & dignitatem Epiſcopalem ſemper actu manere in omni vera Eccleſia, quamuis Epiſcopi perſona non maneret pag. 20. dixeram ego pag. 35. vindiciarum *ſublato Epiſcopo ſtatum Epiſcopalem ſemper manere, ac formam Monarchici regiminis*. vterque rationem ducem, & modum loquendi vulgarem ſecuti fueramus: nam & prudentes & vulgus, quantumlibet Epiſcopus mortuus ſit, Eccleſiam tamen & ciuitatem cui præerat Epiſcopus, Epiſcopalem vocant, & Presbyteralem Eccleſiam nominant, cui Presbyter ex fundationis lege præeſſe debeat, & Regnum Monarchicum, in quo vnus debet conſtitui Princeps, etſi ad tempus ſuo rectore vacet.

Quis enim dicat ciuitatem Pariſienſem, verbi gratiâ, mortuo Archiepiſcopo Pariſienſi deſinere eſſe Archiepiſcopalem, aut Carnotenſem mortuo Epiſcopo Carnotenſi deſinere eſſe Epiſcopalem, aut Romanam mortuo Papâ deſinere eſſe ſupremam

Eccleſiam

Eccleſiam, & reliquarum Eccleſiarum caput. Nemo vnquam hoc ſomniauit præter Cellotium. Gerſon qui vnicus in hac cauſa ſufficeret, quandoquidem ad interpretationem loci ex Gerſone adducti hæc à nobis dicta ſunt; quæ ſi vera non eſſent, Gerſonis menti conſentanea eſſe ſufficeret: Gerſon, inquam, *de ſtatu ſummi Pontificis*, conſid. 2. Cellotio apertè reſiſtit, *Status*, inquit, *Papalis, licèt non omninò vacet & deficiat, per mortem Papæ naturalem vel ciuilem, nec per conſequens Eccleſia deſinat eſſe vna, nihilominùs eniti debent Chriſtiani ſub pœna ſchiſmatis, quod in hoc ſtatu conſtituatur, & præſideat aſſiduè vnicus & ſummus Pontifex*: quod ipſum aſſerit conſid. 11. eodem tractatu, & alibi ſæpè. Idem docet Gloſſa verbo, *ſede vacante*, in cap. vnicum *de ſchiſmaticis*. Idem reliqui Theologiæ ac iuris Canonici Doctores.

Inauditam autem ac nouam ſententiam Cellotius conuitiis potiùs quàm rationibus aduerſum me, aduerſum Aurelium tuetur. Conuitia non regero, rationes quæ propter verboſitatem vix deprehenduntur, quâ poſſum ſedulitate ex ipſius ſcriptis eruo atque examino. Prædicta ergo, quæ ſolidè confutaui, aduerſarij inſiſtens veſtigiis refellere iam aggredior.

Primùm quidem refellit quod dixit Aurelius pag. 19. prioris editionis, *Patres & Concilia dicunt Petrum ſemper in throno ſedere, & de Eccleſiæ controuerſiis pronuntiare? Nuſquam autem*, regerit Cellotius, *illas voces à Patribus & Conciliis prolatas inueniet Aurelius de Eccleſia Romana Paſtore viduata: ſed tantùm de legitimis Petri ſucceſſoribus in ſede Apoſtolica reapſe inſidentibus, & Eccleſiam regentibus auctoritate à Chriſto per Canonicam electionem accepta*. Ac poſt aliqua, quibus Cleri Romani, ſede vacante, auctoritatem eleuare conatur alibi commodiùs diſſoluenda, animosè ita perorat. *Dicat nunc Petrus Aurelius quomodo, ſede vacante, ſedeat Petrus, & de controuerſiis iudicet? Quale regimen Eccleſiæ ſolis Presbyteris commiſſum, quale ſuppletum?*

Faciliùs ſanè diceret Aurelius, ſi viueret, quomodo Petrus, ſede vacante, Romæ ſedeat, quàm Cellotius, quomodo poſito à ſe antecedente propoſitionem iſtam inferre poſſit, quòd à Presbyteris regimen Eccleſiæ ſuppleri nequeat. Ego verò & ex antecedente poſito concluſionem contrariam Cellotianæ inferam, & Cellotij poſteà interrogationi ſatisfaciam.

Primùm à me præſtari facilè poteſt in hunc modum. Patres & Concilia dicunt Petrum ſemper Romæ in throno ſedere: atqui non ſemper in throno ſedebit, niſi & vacante per mortem ſummi Pontificis ſede, & occupatâ à legitimis Pontificibus cathedrâ ipſe ſedeat: nam ſi tempore interpontificij Petrus in throno non ſedet, non omni tempore ſedet, ac proinde nec ſemper. Igitur Petrus etiam vacante ſede Pontificiâ in throno tamen ſedet: quomodo autem in throno ſedet, & de controuerſiis iudicat, niſi quia remanet etiam vacante ſede Pontificiâ Petri poteſtas in Clero Romano, per quem Petrus ad tempus Eccleſiam regit & controuerſias iudicat. Ergo quo argumento à Presbyteris ſuppleri ipſe negat Epiſcopale regimen: ego contrà ſuppleri poſſe demonſtro.

Præterea, ais, à Conciliis & Patribus ſanctum Petrum dici in throno ſemper ſedere, fateris tamen tempore interpontificij non ſedere: ſed tunc tantùm cùm legitimi Pontifices in throno collocati ſedent, neque tamen hæc vllâ ratione conciliari à te poſſunt, niſi eâ, quâ & Epiſcopo mortuo Epiſcopalem ſtatum ſemper vigere & manere aſſerimus: ſicut enim Epiſcopalem cathedram & ſtatum poſt Epiſcopum Epiſcopi propter iuriſdictionis Epiſcopalis officia, quæ penes aliquos remanent ex Presbyteris vel Diaconis: & propter obligationem Eccleſiæ viduatæ impoſitam ad procurandum ſibi, quamprimùm fieri poteſt, Epiſcopum admittimus: ita Cathedram Petri, mortuo hoc vel illo ſucceſſore Petri, non euerti, nec Petrum à Cathedra Romana abeſſe, eo tantùm ſenſu admitti poteſt, quia nimirum Romæ ordinaria poteſtas Petri indeficiens perſeuerat ſicut & fides; quemadmodum indicat ſanctus Leo ſermone ſecundo *in die anniuerſario aſſumptionis ſuæ*, iis verbis, *ſoliditas enim illius fidei, quæ in Apoſtolorum Principe eſt laudata, perpetua eſt, & ſicut permanet quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit.*

Portò ſi eo ſenſu Petrus in throno ſemper ſedere dicitur, quia fides Petri numquam ab Eccleſia Romana deficit: ſi alio ſenſu Petrus, *in propria ſede & viuit & præſidet*,

vt loquitur Petrus Chryſologus epiſt. ad Eutychem, ſeu epiſtolâ decimâ quintâ, inter epiſtolas præambulas Concilio Chalchedonenſi, quia *præſtat quærentibus fidei veritatem*, id eſt, quia ſub patrocinio Romanam Eccleſiam perpetuo tuetur, quem ſenſum indicat ſanctus Leo ſerm. 2. in Natali Apoſtolorum docens Petrum *etiam nunc procul dubio oues Chriſti paſcere, & mandatum Domini pium Paſtorem exequi, confirmantem nos, atque exinde inferens, quòd ſi hanc pietatis curam populo Dei ſicut credendum eſt vbique protendit, multò magis alumnis ſuis opem ſuam dignatur impendere, apud quos in ſacro dormitionis thoro, eadem quâ præſedit carne, requieſcit.* Velim ſcire quo pacto ex iis ſenſibus inferre poſſit aduerſarius regimen Eccleſiæ à Preſbyteris non ſuppleri. Multa ſanè arte & induſtriâ opus eſt, quam nondum, vt verum fatear, didici, vt ſcilicet ex eo quòd ſanctus Petrus Eccleſiam Romanam dicitur ſingulari amore complecti, & perpetuo patrocinio fouere, colligatur à Preſbyteris regimen Eccleſiæ ne momento quidem ſuppleri poſſe.

Secundò, reprehendit tanquam erroneum Cellotius, quòd ſcripſerit Aurelius, *Statum & dignitatem Epiſcopalem ſemper actu manere in vera Eccleſia etiam Epiſcopo mortuo.* Quod ſcripſerim, *ſublato Epiſcopo ſtatum Epiſcopalem ſemper manere, ac formam Monarchici regiminis*, à qua doctrinam ſuam hauſiſſe dixit Aurelium, mihique confeſſe. Ratio quam in contrarium obiicit hæc eſt, quia accidentia ſunt iſta: requirunt ſubſtantiam cui inhæreant, abſtracta ſunt in concretis, ſubſiſtant neceſſum eſt: ſed Epiſcopo mortuo ante factam alterius electionem: quæ tandem, inquit, perſona eſt, cui ineſſe dicatur ſtatus & dignitas Epiſcopalis? ſi omnes dicamus, non nobis ab Anarchia cauemus: ſi plures, id eſt, Clericos pro ſubiecto ſtatuimus, Ariſtocraticum ſtatum Eccleſiæ ſtatum facimus: ſi populum, Democratiam in Eccleſiam inuehimus: ac tandem cum hæreticis, ac nonnullis licèt Catholicis minùs benè ſentientibus affirmandi ex eo neceſſitas nobis imponitur datas à Chriſto claues, non ipſi Petri perſonæ, ſed toti Eccleſiæ.

Duplex hoc loco reprehenſio, vna dictorum Aurelij, alia meorum. Nec eadem mea cum Aurelij ſententia, vtraque tamen vera eſt. Dixi, *ſublato Epiſcopo, ſtatum Epiſcopalem manere*, id eſt, obligationem ad habendum Epiſcopum: formam item regiminis Monarchici: neque hoc negare quiſquam poteſt, multominùs Cellotius, qui inuariabilem atque indefectibilem ibi formam Monarchici regiminis in vnaquaque Eccleſia tueri videtur: dum cauendum monet ne aut Anarchia inducatur, aut Ariſtocratia, aut Democratia loco Monarchici regiminis, quandiu Epiſcopo ſingulæ Eccleſiæ vacant.

Sed quærit, in quo ſubiecto iſte ſtatus Epiſcopalis, ac regiminis Monarchici forma reſideat.

Reſponſio facilis eſt, qualitatem eſſe atque affectionem ipſius ſingularis Eccleſiæ: quæ ſicut & vnitas ordinis ex partium Eccleſiæ adunatione reſultans, Eccleſiæ proprietas eſt, atque adeò illas omnes proprietates Eccleſiam afficere, in eâque reſidere, non in membris ſingulis Eccleſiæ diſtributiuè ſumptis, ſed in ipſa tota collectione & multitudine membrorum, vt ordinata eſt atque diſpoſita: eámque naturam eſſe eiuſmodi accidentium, ſeu denominationum extrinſecarum, vt adhæreant ſuorum collectioni, ſeu corpori cuius proprietates ſunt.

Dixit autem Aurelius ſtatum & dignitatem Epiſcopalem etiam tum poſt obitum ſingularis Epiſcopi vigere, quòd ad ſtatum Epiſcopalem ſpectat, mihi omninò conſonat, eóque modo explicandus eſt. Quod ad dignitatem Epiſcopalem attinet, ſatis ex iis quæ præmittit, ac ſubiungit, intelligendum relinquit, quo ſenſu exponi debeat: non eo quidem ſenſu quaſi totus iſte ornatus totâque perfectio, quam ex complexu Epiſcopi acquirit Eccleſia, eo mortuo perſeueret, quod ſæpè falſum aſſerit: ſed quod dignitas Eccleſiæ, quam habet ex eo quod in Epiſcopalem erecta ſit, & ordinata ſit, vt mox Epiſcopum habeat, moriente Epiſcopo non obſoleſcat, neque auctoritas Epiſcopalis omnino pereat, ſed illa tempore viduationis Eccleſiæ accommodata remaneat, quemadmodum oſtendimus, penes quos autem remaneat poteſtas & iuriſdictio, ſi quæris, eam penes Clericos cathedrales ex Eccleſiæ diſpoſitione remanere docebimus, tanquam accidens in ſubiecto minimè connaturali, & in ſtatu quodam violento: quod ſcilicet ex inſtitutione Chriſti deſtinatum eſt, vt Epiſcopi perſonæ inhæreat, ſicut color in aqua ebulliente ad horam reſidet, tanquam in ſubiecto non naturali, in igne verò tanquam in ſubiecto, cui

naturalîter debetur. Ita penes Preſbyteros vel Diaconos Cathedralis Eccleſiæ Epiſcopalis auctoritas ſede vacante, ad tempus reſidet, violento quodam modo ac minimè connaturali, donec Epiſcopo creato ad ſuum principium redeat, & in connaturali quodam ſubiecto quieſcat. Hæc enim de ſubiecto denominationum iſtarum extrinſecarum doctrina vulgò traditur, ad inſtar eorum, quæ de accidentibus realibus vulgò in ſcholis edocentur. Neque exinde cauendum, ne aut Anarchia, aut Ariſtocratia, aut Democratia inuehatur: non Anarchia, quæ induci non poteſt, vbi regimen aliquod retinetur; non Ariſtocratia, aut Democratia, quia non plebs imperare in ea ſententia dicitur: Optimates quidem imperare dicuntur, ſed ad tempus, & præter naturalem ordinem, in ſupplementum mortui Principis Eccleſiaſtici, de cuius ſucceſſore cogitatur: ac proinde Optimatum iſta gubernatio, quia naturalis non eſt, nec ordinaria, ſed extraordinaria, violenta, & temporaria, ſtatum non efficit Ariſtocraticum, nec Monarchicum vllâ ratione interuertit. E contrario verò Cellotij ſententia Anarchiam inducit, Monarchiam conuellit, nàm ſublato Epiſcopo regimen Epiſcopale ſublatum Auctor iſte docet, nec ab vllo ſuppleri poſſe; nullum aliud eius loco ſubſtituit, ſiue vnius, ſiue plurium; vel enim vnus ille aut plures iſti eſſent Preſbyteri ſeu Diaconi vel Epiſcopi: non Epiſcopi; ſupponimus enim Epiſcopum mortuum, & Eccleſiam Epiſcopo quouis carentem: non Preſbyteri, vel Diaconi; nam ex eius doctrina neque vnus, neque plures Preſbyteri Epiſcopale regimen ſupplere poſſunt: ergo nullum omninò regimen ſtante interpontificio in Eccleſia admittit, ergo Anarchiam inducit, Monarchicum quoque ſtatum tollit. Nam ſtatus Monarchicus eſt gubernatio vnius naturâ ſuâ perpetua ac ſtabilis, ſed nec naturâ ſuâ ſtabilis nec perpetua eſt vnius in Eccleſia gubernatio, ſi quotieſcumque naturæ conditione moriuntur Epiſcopi, regimen vnius, putà Epiſcopi, extingueretur, nec ab vllo ſuppleri poſſet: igitur in ea vitia reuerà incidit aduerſarius, quæ Aurelio ineptè obiicit.

Neque videt homo oculatus telum iſtud, quo meam atque Aurelij ſententiam impetit imbecille eſſe aduerſum nos, & ſine ictu, niſi & ſuam ipſius cauſam iugulet, dum ſcilicet obiicit ex mea atque Aurelij ſententia ſequi non Petro, ſed Eccleſiæ datas eſſe claues. Velim enim ipſe dicat, credátne mortuo Epiſcopo, in Eccleſia viduata claues deficere, eaſdémque mortuo ſummo Pontifice in tota Eccleſia nullas ampliùs eſſe, donec alius in demortui locum ſubrogetur? Si hoc affirmet, in grauiſſimum errorem impingit; tollit enim & ſacramentum Pœnitentiæ, quod ſine clauibus adminiſtrari non poteſt, & iudicia omnia Eccleſiaſtica, & cenſuras & abſolutiones ab Eccleſiis ſingulis, quandiu Epiſcopo viduatæ erunt, & à tota Eccleſia, donec ſummus Pontifex Petri ſucceſſor aliquis electus ſit, quæ omnes Chriſti inſtitutioni, Eccleſiæ praxi Catholicæ, ab Apoſtolica traditæ doctrinæ repugnare concedent. Si verò neget ceſſare ideò poteſtatem clauium in Eccleſia ſiue vniuerſali poſt obitum ſummi Pontificis, ſiue ſingulari poſt exceſſum è viuis ſingularis Epiſcopi: vlteriùs rogabo, vt explicet mihi quomodo in Eccleſia, extincto ſucceſſore Petri, & nullo in Cathedra Petri ſedente, claues in Eccleſia remaneant; neque tamen hoc officiat, quominùs Petro claues dicantur potiùs datæ quàm Eccleſiæ: quæcunque enim ad iſta duo concilianda proferentur: eadem à me aſſumentur, vt probem non repugnare, quominùs claues Petro primùm, & per Petrum Eccleſiæ communicatæ dicantur, quantumuis mortuo Petri ſucceſſore, mortuóve aliquo Epiſcopo regimen Epiſcopale penes Eccleſiam reſideat.

Ampliorem, ſi lector exquirat, reſponſionem, quâ ſuæ curioſitati ſatisfaciat, paucis dicam, Petro datas dici claues priuſquam Eccleſiæ, quia penes Petrum & ſucceſſores eius ordinaria poteſtas determinandæ Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, præfigendorum finium vnicuique Diœceſi, ſeu Parœciæ reſidere debebat; quia cæterarum Eccleſiarum Antiſtites à Petro vel ſucceſſoribus eius poteſtatis ſuæ determinationem, electionis ſuæ formam ac confirmationem petere debebant, nec vllam, niſi in communione cum Petri Cathedra, id eſt, ordinariè quidem cum Petro aut eius ſucceſſore, extraordinariè verò cum Romano Clero, ſede Pontificali vacante, legitimam adminiſtrationem habent, At non eo ſenſu dici Petro Eccleſiæ claues datas, quaſi nimirùm clauium aut iuriſdictionis poteſtas, Petro mortuo, vel nondum creato qui Cathedrã Petri teneat, omnino ab Eccleſia excidat: remanet enim Cathedra Petri, etiamſi nemo

ipſi inſideat: remanet communio cum Petri Cathedra: remanet ſubordinationis ordo Epiſcoporum inferiorum, ad Epiſcopum, qui in ea ſeſſurus eſt; qui ordo Catholicæ communionis Antiſtites omnes inter ſe conſtringit, eóſque à Petro dependentes, & clauium per Petrum participes denominat.

Eorum probatio non eſt præſentis inſtituti, quam alibi putà ſcribentes de iure ſummi Pontificis in Antiſtitum electionibus ſacris, & ordinationibus, lib. de electionibus & ordinationibus ex profeſſo conſcripto, parte 2. ſect. 5. cap. 4. art. 3. §. 6. numero quadrageſimo ſexto, & ſequentibus delibauimus, alibi autem fortaſſe cumulatiùs abſoluemus.

Interim notabit lector Catholicus non tam ab Epiſcopo dici, ſtatu & dignitate Epiſcopalem ciuitatem, quàm ab erectione in Epiſcopalem, nec tam Romanam à Papa actu exiſtente dici ſummam, quàm à diuina Chriſti inſtitutione, qui vel eam caput orbis eſſe præſcripſerit, vel dignitatem iſtam cuilibet Eccleſiæ, cui ſanctus Petrus vltimùm præſideret, addixerit. Inſtitutiones autem iſtas & erectiones temporarias non eſſe, nec cum Epiſcopis extingui, ſicut nec regna cum Regibus; ſed ſtatum retinere iſtas Eccleſias, & Epiſcopalem dignitatem, quarum etiam Epiſcopus eſt mortuus. Sicut Eccleſia retinet ſtatum Monarchicum, cuius Monarcha Papa ſcilicet mortuus eſt: quòd ſi neget Cellotius non ſolùm ſenſum abneget neceſſum eſt, ſed & fidem: nam de fide eſt Romanam Eccleſiam matrem caput & magiſtram eſſe Eccleſiarum, ſummam ſupra omnes Eccleſias ex definitione Concilij Lateranenſis cap. 5. vt refertur cap. *Antiqua, de priuilegiis*, ex confeſſione Michaelis Imperatoris probatâ imò præſcripta à Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. & ex Conſtantienſis Concilij ſententia, ſeſſione octauâ in damnatione quadrageſimi primi articuli Wicleſi: quod autem de fide eſt, ſemper verum eſt. Ergo Romanam Eccleſiam ſummam eſſe ſemper verum eſt: Papam verò aliquem ſemper in Cathedra Romana actu ſedere falſum: igitur ſtatu & dignitate ſumma eſt quantumcumque Papa nullus in Cathedra Romana actu ſedeat.

Quòd ſi nec huic argumento aduerſarius det manus, eidem non minoris roboris fortaſſe cedet. Certum eſt Eccleſiam eſſe aliquod corpus, cuius membra omnia connexa & colligata ſint, & in aliquo ſtatu conueniant: talia autem corpora vel ſtatum habent Monarchicum, vel Ariſtocraticum, vel Democraticum: nam vitioſos ſtatus, in quos illi degenerant, putà tyrannicum, Timocraticum, & Oligarchicum hîc prætermittimus: atqui mortuo Papa Eccleſia non habet ſtatum Ariſtocraticum, nec Democraticum: ſimiliter nec Diœceſis mortuo Epiſcopo: Igitur & mortuo Papa Eccleſia vniuerſalis, & quælibet Diœceſis mortuo Epiſcopo, ſtatum retinent Monarchicum; ſi Monarchicum ſtatum retinent, Papalem certè & Epiſcopalem: nam in Eccleſia Dei nullus alius Principatus diuinâ ordinatione inſtitutus, præter Papalem à ſancto Petro, & præter Epiſcopalem ab Apoſtolis originem trahentem: igitur etiam mortuo Papa, & Epiſcopo proprio & Eccleſia vniuerſalem Papalem ſtatum retinet ſeu dignitatem, & Eccleſia particularis Epiſcopalem.

Quæ ratio argumentandi aperta & ſolida non ſolùm veritatem à nobis propoſitam illuſtrat, verùm etiam ex Philoſophorum ſchola & nimia ſubtilitate offuſas tenebras diſcutit. Audiamus aduerſarium, *Epiſcopalis ſtatus & forma regiminis* accidentia ſunt, requirunt ſubſtantiam cui inhæreant: abſtracta ſunt, in concretis ſubſiſtant, oportet. Itaque ſi vacante cathedra ſtatus & dignitas Epiſcopalis manet, in quo ſubiecto manet? Epiſcopo mortuo, ante factam alterius electionem, quæ tandem perſona eſt cui ineſſe dicatur, ſtatus & dignitas Epiſcopalis? Non vna, inquiunt, ſed plures, caue Anarchiam. Quod plures illi, Clerus non poteſt ex ſupradictis & ſtatum facit Ariſtocraticum qui hoc affirmat. Populus igitur; atque hic minùs, niſi Democratiam inuehis in Eccleſiam, niſi cum hæreticis, & nonnullis minùs bene ſentientibus, quanquam Catholicis, affirmare audes datas à Chriſto claues, non ipſi Petri perſonæ, ſed toti Eccleſiæ. O nugaces ſubtilitates, & indignas Theologo ratiocinationes, quas ſola terminorum ignoratio peperit, audacia fudit. Etenim ſtatum & dignitatem Epiſcopalis Eccleſiæ, dum à ſtatu & dignitate Epiſcopi, & poteſtatem Epiſcopalem in natiuo ſuo ſubiecto, &

Digitized by Google

in exotico ad tempus ipſam ſupplente Ieſuita non diſtinguit, ambagibus impeditur, his Meandris & flexibus inerat. Quæris itaque in quo ſubiecto ſit poſt obitum Epiſcopi ens iſtud morale, quod ſtatum & dignitatem Eccleſiæ Epiſcopalis vocamus? Cui quæſtioni facilè ſatisfaciet, cui termini iſti noti erunt, cui enim compertum erit ſtatum & dignitatem Epiſcopalis Eccleſiæ nihil eſſe aliud quàm habitualem inſtitutionem & deſtinationem hierarchicam ſtabilem & perpetuam, quâ aliquod corpus Eccleſiaſticum ad habendum Epiſcopum deſtinatur, & ad hanc formam regiminis obtinendam eius membra obligantur, vt ab vno ordinariè regantur Epiſcopo, hic vtique ſtatum iſtum & dignitatem in ipſo toto corpore ſiue habeatur actu aliquis, ſiue non habeatur, ſed Epiſcopus in ſuſpenſo teneatur, dum vno mortuo expectatur alterius creatio, hanc, inquam, formam regiminis in toto corpore collectiuè ſumpto cuius proprietas eſt, non in ſi gulis membris reſidere: illúdque moraliter afficere & denominare perſpiciet. Status autem Epiſcopi ſeu dignitas, quæ non merum ens morale, ſed propter characterem animæ impreſſum, & gratias ordini Epiſcopali adnexas Phyſicum aliquid, id eſt, pluſquam morale, reale & poſitiuum accidens videtur, Epiſcopo ſolùm inhærere poteſt, & in eo ſubiectiuè reſidere. Quare ſublato Epiſcopo deſinit ſtatus & dignitas Epiſcopi, ratione cuius priuationis Eccleſia viduata dicitur: poteſtas tamen Epiſcopalis iuriſdictionis, quæ morale quoddam ens cenſeri debet, Presbyteris & Diaconis Eccleſiæ Cathedralis inſidet, non tanquam ſubiecto natiuo, ſed exotico & ad tempus, in ſupplementum ſolùm deficientis Epiſcopi.

Ex quibus poſitis nec Anarchici, nec Ariſtocratici ſtatus, aut Democratici inducendi periculum timeri poteſt; quin immò iis minimè admiſſis, vt probauimus, hæc omnia inducantur neceſſum eſt. Nec exinde Petro derogatur, quaſi non per eum Chriſtus Eccleſiæ claues reliquerit, quod teſtatur Tertullianus Catholicus Scorpiaci capite decimo, aut non per ipſum *ad Eccleſiam Petri propinquam*, ligandi & ſoluendi poteſtatem deriuarit, quod ipſum Montaniſtæ ex confeſſione eiuſdem Tertulliani de pudicitia capite vigeſimo primo, Catholicis (quos Pſychicos per deriſionem ille nominat) obiiciebant: Non, inquam, de priuilegio Petri quidquam ex dictis derogatur; imò hoc priuilegium ſtatuitur, quia Eccleſiarum erectiones, limitationes, nonniſi à Petro & ſucceſſoribus eius, à quibus ſtatum & dignitatem Epiſcopalis Eccleſiæ quæuis, vel certè ab aliis de ipſorum conſenſu conſecuta eſt, legitimam auctoritatem habere potuerunt, qui etiam ſummi Pontifices Capitulorum poteſtatem, ſede vacante, modò maiorem & ampliorem, modò minorem, & reſtrictiorem eſſe iuſſerunt.

Hæc ſi rectè intellexiſſet Cellotius non in ſcirpo nodum, non in Aurelij plana & aperta ſententia contradictionem quæſiuiſſet. *Sancti Patres Eccleſiam Epiſcopo mortuo viduatam, Paſtore deſtitutam, ſponſo orbatam dicunt.* Verba ſunt Aurelij, in quibus repugnantiam homo oculatiſſimus obſeruat, inquiens, *Si coniugium ſemper actu manet, coniuge mortuo, cur ſe fœminæ viduas & relictas lamentantur? ſtatus Epiſcopalis manet actu, & tamen vidua eſt. Eccleſia ad hanc argutiam ingenij mei acutè hebeſcit, cotem expecto, quæ me exacuat.*

Non opus erat cote, quæ ingenlj tui aciem exacueret, Ludouice, ſed opus erat lectione Iuris Canonici, quam mihi tanquam Theologo indignam, Theologiâ tu indignus toties obiicis. Nam animaduertiſſes profectò aliud eſſe ſtatum Epiſcopalis Eccleſiæ, ſeu formam regiminis eiuſdem, & dignitatem quam ex erectione Cathedræ Epiſcopalis conſequitur, aliud ſtatum Epiſcopi & dignitatem quæ hominem Epiſcopum conſequitur. Itaque malè ſuppoſuiſti ſtatum Epiſcopalis Eccleſiæ eſſe coniugium actuale eiuſdem cum mortali quocumque Epiſcopo, ſed potiùs deſtinationem & habitualem inſtitutionem immortalem ad ſuccedentium Epiſcoporum ſeriem ſublatione nouorum continuandam, quæ inſtitutio non perit, quamuis coniugium cum ſingulari quocumque Epiſcopo diſſoluatur. Quam ſolutionem aliis verbis protulerat Aurelius dicens Eccleſiam orbatam, viduam, Paſtore deſtitutam, *Fontem quodammodo perpetuum ſemper in ſe retinere, vnde ſponſi ſui abſentiam ſupplere, & nouos Epiſcopos ſublegere poſſit.* Vera cos erat illa reſponſio, quæ etiam ſtupidiora ingenia acueret, ſed nihil mirum, ſi vel teipſo fa-

tente, plus nimio ſubtilem animi tui agitationem reſponſio iſta obtuderit, in qua re-fellenda nugaris.

Primùm enim à Grammatico (vt tibi videtur) Aurelio Grammaticus quæris, nullâne re differant iſta ſponſi abſentiam ſupplere, & nouos Epiſcopos ſublegere? Accipies paratam reſponſionem, ſynonyma iſta non eſſe, ſed in præſenti negotio coniuncta; nam Eccleſia Epiſcopalis licèt careat, Epiſcopo, non tamen dignitate ſuâ Epiſcopalis Eccleſia orbatur, ſed ſuperſtitis dignitatis duo ſigna retinet, primùm quòd Epiſcopum ſublegere poſſit, & vt ocyùs ſublegatur, adniti debeat. Alterum quod regimen interim Epiſcopale per aliquos ſuppleat. Cui rei indubiæ explicationem nemo quæreret, niſi iſtarum rerum omnino ignarus. Deinde ab Aurelio Theologo (quæ enim in te expertus es in alio diſtinguere voluiſti) ſciſcitaris, *Num viduæ mulieri ſecundarum nuptiarum poteſtas libera ſit? quidni?* ſed ad propoſitum non eſt quæſtio: Item, *Num eâ ratione ſponſi ſui abſentiam ſupplere, & nouum coniugium ſublegere poſſit?* vtrumque iam diſtinximus, ſed tu extra orbitam excurris, *Deinde ſi bone coniugium ſemper actu manet in ea, quæ ſi mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri.* Supponis coniugium Eccleſiæ cum Epiſcopo dici actu manere: dicere debueras obligationem ad nouum ſponſum recuperandum actu manere. Ita tamen vt quotquot de nouo creantur Epiſcopi per modum vnius ſponſi ſe ſe habeant, quia omnes ſunt vicarij principalis ſponſi, qui eſt Chriſtus. Atque ita & vni viro Eccleſia deſpondetur, & pluribus viris, vni principaliter, putà Chriſto: pluribus minùs principaliter vnius Chriſti poteſtatem habentibus, eiúſque locum tenentibus: ideóque Epiſcoporum diuerſitas, huius, illius, & iſtius materialis tantùm videtur, non formalis. Hæc myſteria cape ſi potes, facilia tamen ſunt & patentia.

Apertè verò poteſt colligi, non eſſe omnino parem rationem inter mulierem viduam poſt obitum viri ſui, & Eccleſiæ viduatæ Epiſcopo; nam hæc, quia ad retinendum vinculum matrimonij ſpiritalis cum Epiſcopo deſtinata eſt, eo ipſo quo in Epiſcopalem erecta eſt, vbi hunc vel illum Epiſcopum amiſit, ad alterius, qui ipſi ſuccedat, legitimum thorum conuolare debet, qui Chriſti veri & indefectibilis ſponſi animarum noſtrarum præſentiam ſuppleat, & miniſteria viſibiliter exerceat. *Illa verò, ſi mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri, non peccat ſi nubat*; ſed nec peccat ſi non nubat, imò meliùs facit, ſi a nuptiis abſtineat: & à viro ſoluta deinceps virum non quærat, vt diſces ex 1. Corinth. ſeptimo cap. ac proinde mulier vidua dum in viduitate permanet, alium ſtatum habet quàm in matrimonio habuerat: Eccleſia vidua priorem ſtatum retinet, accidentariò tantùm propter mortem Epiſcopi variatum.

Cuius rei hæc etiam ratio adiungi poteſt, quia Chriſtus principalis eſt Eccleſiæ ſponſus, paſtor & rector, qui in æternum idem perſeuerat, quod indicauit Apoſtolus ad Hebræos 7. cuius hæc verba ſunt, *In tantum melioris teſtamenti Sponſor factus Ieſus. Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, idcircò quòd morte prohiberentur permanere, hic autem eo quòd maneat in æternum ſempiternum habet ſacerdotium*, &c. Quamobrem ex iis omnibus patet quomodo Eccleſiæ viduatæ & Eccleſiæ habentis Epiſcopum eadem ſit ratio, eadem, inquam, propter ſtatum habitualem eundem, inſtitutionem eandem, obligationem eandem, ſtatum Monarchicum eundem, poteſtatem quodammodo eandem, quæ mortuo Epiſcopo à Preſbyteris & Diaconis ſuppletur, viuente eodem, non iam ſuppletur, ſed in natiuo ſuo ſubiecto reſidet.

Huius occaſione quæſtionis, in qua Aurelius rectè, tu inſulsè diſputaueras, vide, quibus conuitiis eum laceſſas, dum ita concludis? *Indicà modò, Lector, quas in labes lapſúſque Aurelius incurrerit? obtentu & Romani Pontificis, & omnium Epiſcoporum vindicandorum, quàm multa in auguſtiſſimum iuriſdictionis ordinem imprudens, ignarus, odio fraterno, eóque gratuito perturbatus effutierit.* Noli iudicium à lectore exigere, tibi profectò nociturum; dum hæc ſcriberes lectorem non putaſti, æquum nobis & tibi iudicem futurum. Quid diceres in bona cauſa, qui in peſſima adeò iniurioſè inſultas; modeſtus tamen videri vis, omnem modum conuitiandi excedendo, dum ſubdis, *Plura non dico, ne quis de miſeri hominis ſupina incuria, & arrogante ignorantia triumphare me putet.*

Bene eſt, plura non dicit homo modeſtus, quem conuitiandi deficit potiùs facul-

tas quàm voluntas, exhauſiſti ferè omnes maledicentiæ fontes, & plura te non dicturum ais; hoc tibi ſupererat, vt miſerum, ſupinum, incurium, arrogantem, ignorantem Aurelium diceres. Inſpice te, frater, in teipſum deſcende, depone triumphandi iſtam libidinem, triumphos nemo tibi præter teipſum auguratur, plurimos de te quandiu falſa defendes, quilibet reportabit. Sed abigamus à nobis vel triumphorum iſtorum mentionem: vnicus ſit nobis triumphus, qui humilitate acquiritur; huius triumphi inſignia Chriſtus in cruce defixit: ad hæc nobis properandum, ſi eum duce noſtro æternùm triumphare geſtimus.

Cæterùm, plura ſunt quæ Cellotius aduerſus Epiſcoporum inſtitutionem & neceſſitatem obliquè coniecit, quæ omnia 2. parte huius Operis, quâ de Epiſcopis ex profeſſo diſputabimus, commodiùs à nobis refutabuntur. Alia ſunt aduerſus Epiſcopalis ſtatus dignitatem, quæ ſatius eſt in alium locum reiicere; plura aduerſus Epiſcoporum iuriſdictionem, quæ ſimiliter in eum librum reiicimus, quo ex profeſſo de iuriſdictione hierarchica diſſeremus.

ARTICVLVS II.

Errores Cellotij circa Presbyterorum ordinem.

§. I.

Presbyteros Epiſcopale regimen ne ad breue quidem tempus ſupplere poſſe.

HACTENVS Epiſcoporum ordinem à Cellotio malè habitum eiúſque neceſſitatem callidè atque artificiosè concuſſam demonſtrauimus. Preſbyteralem ordinem æquè proſternere, nec Cellotius auſus eſt, nec Smitheus, aut Daniel à Ieſu è re ſua eſſe duxerunt, quin immò cùm Epiſcoporum varia ſint munia & officia, quidam ex ipſis propter ſolam ordinationem Preſbyteros eſſe voluit. Modeſtior Cellotius inuidioſas iſtas quæſtiones prætermiſit: ipſi tamen incautè exciderunt nonnulla circa Preſbyterorum ſtatum & officia, de quibus à me breuiter monendus eſt.

Vt autem omittam quæ in depreſſionem Preſbyteralis ordinis ſuperiùs notaui, dum Angelorum & Sacerdotum comparationem diſcuſſi: vt etiam omittam quòd Preſbyterorum ordinem nullam auctoritatem vi ordinationis habere dixit; quòd ad ſacerdotium & Preſbyteratum pœnitentiæ causâ aliquem detrudi poſſe æquè ſcripſit, ac ad Monaſterium, aliáque eiuſmodi aduerſarij paradoxa, quæ ſuprà refutauimus. Ad incudem iterùm reuoco dictum iſtud eiuſdem Cellotij lib. 4. cap. 18. pag. 236. quod iam à me anteà refutatum eſt Preſbyteros ſupplere non poſſe, ne quidem breui tempore regimen Epiſcopale: quòd quia Preſbyteris iniurium eſt, iterùm hîc retracto, & Ignatij Antiocheni, ac Clericorum Romanæ Eccleſiæ Cypriani tempore teſtimoniis refello.

Ignatius quidem epiſtolâ ad Antiochenos duodecimâ, Preſbyteros Antiochenos admonet, vt gregem paſcant poſt obitum ipſius, donec alius in eius locum Epiſcopus inſtitutus eſſet, *οἱ πρεσβύτεροι ποιμάνετε τὸ ἐν ὑμῖν ποίμνιον, ἕως ἀναδείξῃ ὁ Θεὸς τὸν μέλλοντα ἄρχειν ὑμῶν, Presbyteri paſcite gregem, qui inter vos eſt, donec Deus deſignauerit eum qui principatum in vobis habiturus eſt.* Regendi & paſcendi hîc munus Preſbyteris attributum, ſede Epiſcopali vacante, neque tale duntaxat, quale Presbyteris proprium eſt, quia nec ab obitu Epiſcopi inciperet, nec ab alterius conſtitutione in eius locum finiretur: ergo Epiſcopale, ſeu quaſi Epiſcopale, quòd ab Epiſcopo anteà gereretur, & à Presbyteris poſteà ſuppleri vacante debeat ſede.

Preſbyteri verò ac Diaconi Romani epiſt. 3. ad Clerum Carthaginenſem, quæ tertia eſt inter epiſtolas Cypriani, Pontificale regimen circa Epiſcoporum etiam facta examinanda ſatis apertè ſe ſupplere putaſſe oſtendunt, dum ita loquuntur: *Et cùm incumbat nobis qui videmur propoſiti eſſe, & vice Paſtoris cuſtodire gregem, ſi negligentes inueniamur dicetur nobis, quod & anteceſſoribus noſtris dictum eſt, qui tam negligentes prepo-*

ſiti erant, quoniam perditum non requiſiuimus, & errantem non correximus, & claudum non colligauimus, & lac eorum edebamus, & lanis eorum operiebamur, &c. Quæ vtique Cellotium vel non legiſſe, vel cæcutiiſſe oportuit, dum cap. citato, pag. 237. hæc ſcripſit, *Neque vnquam S. Cyprianus Clerum Romanum, vt Petri ſucceſſorem, & Eccleſiæ vniuerſalis rectorem, ſed vt amicum, & conſiliarium in re dubia & ancipiti conſuluit, eiuſque lectâ epiſtolâ, ſtandum, inquit, putaui cum veſtra ſententia, ne actus noſter, qui adunatus eſſe & conſentire circa omnia debet, in aliquo diſcreparet, ſententiam dicit, non decretum, cum illa ſtandum putat libertate iudicij, non ſubdi[illegible] neceſſitate; ne diſcreparent actus, eandem Dei gloriam promouentium amicorum, non ordinum inuicem ſubiectorum, & Clerus ipſe Cypriani conſulentis mentem ſic explicuit, qui pro tua verecundia & ingenita induſtria, conſiliorum tuorum nos non tam iudices voluiſti, quàm participes inueniri: vt in tuis rebus geſtis laudem tecum, dum illas probamus, inueniremus & tuorum conſiliorum bonorum coheredes, quia & affirmatores eſſe poſſimus: qui & negat quicquam ſe in propoſita quæſtione ex auctoritate ſtatuere poſſe. Quamquam nobis deferendæ huius rei neceſſitas maior incumbat, quibus poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ viri Fabiani, nondum eſt Epiſcopus propter rerum & temporum difficultates conſtitutus, qui omnia iſta moderetur, & eorum qui lapſi ſunt, poſſit cum auctoritate & conſilio habere rationem.*

In iis verbis multa peccata ſunt: primùm, quod Clerum Romanum contra expreſſum adeò euidens teſtimonium citatum, non auctoritate, non poteſtate aliquâ in cauſa Africanæ Eccleſiæ vſum fuiſſe contendat; ſed *tanquam amicos Clericos Romanos conſultos, & vt prudentes conſiliarios rogatos conſilium* dediſſe affirmet, in quo & Preſbyterorum auctoritatem infirmat, & nominatim Romanæ Eccleſiæ etiam vacante ſede, (quam ex eo facto deducit Cardinalis Baronius ad annum Chriſti 434. num. 85. poteſtatem in totum orbem conuellit.

Alterum, quòd ea ipſa quæ in probationem adducit, aduerſus inſolentem iſtam ſententiam militent, nam & Clerus Romanus vacante ſede, ſuam auctoritatem ſatis apertè verbis citatis teſtatus eſt, *dum & cuſtodiendi ſibi gregis neceſſitatem incumbere & præpoſitos* videri; & *negligentiæ aliàs accuſandos* fore, & *vice Paſtoris ſe conſtitutos* fuiſſe aſſerunt, eáque ſibi applicant, quæ nonniſi de Paſtoribus, Ezech. 34. Ioan. 16. & 21. dicta ſunt; cùm & paulò pòſt idem Clerus verbis auctoritatem ſonantibus vtatur, dicens, *Nolumus ergo, fratres dilectiſſimi, vos mercenarios inueniri, ſed bonos paſtores*, &c. Denique dum literarum, quas mittebant, exemplum volunt ad quoſcumque tranſmitti, *Vt ſtent fortes & immobiles in fide*, mandatis ſcilicet & auctoritate ſuperiori confirmati. Quibus proinde literis reſpondens Cyprianus, non tam ab iis vt amicis conſilium quærit, quàm rationem factorum ſuorum, ipſis tanquam ſuperiorem habentibus poteſtatem reddit, quemadmodum patet ex ipſius tota epiſtola 15. in qua Clerum Romanum ſtatim initio iis verbis compellat, *Quoniam comperi, fratres chariſſimi, minùs ſimpliciter & minùs fideliter vobis renuntiari, quæ hîc à nobis & geſta ſunt, & geruntur, neceſſarium duxi: has ad vos literas facere, quibus vobis actus noſtri, & diſciplinæ & diligentiæ ratio redderetur.*

An conſilium hîc ab amicis quærit, an potiùs approbationem à ſuperioribus? Idem quoque Cyprianus epiſt. 23. ad eundem integrâ auctoritatem Cleri Romani recognoſcit, cuius initio hæc habet, *Poſt factas ad vos literas, fratres chariſſimi, quibus actus noſter expoſitus, & diſciplinæ ac diligentiæ quantulacumque ratio declarata eſt, aliud acceſſit, quod nec ipſum latere vos debuit.* Vnde & Clerus Romanus iiſdem reſpondens epiſt. 29. ſuam erga totum orbem vigilantiam confirmauit, dum ſcripſit, *Omnes enim nos decet pro corpore totius Eccleſiæ, cuius per varias quaſque prouincias membra digeſta ſunt, excubare.* Quin etiam eadem epiſtolâ quantæ auctoritatis idem Clerus etiam ab hæreticis haberetur, ex eo conſtat, quod ab ipſo Priuatus Lambeſitanus hæreticus, *furto ac fraudulenter literas communicatorias* elicere *curaſſe*, ibidem referatur, ſcilicet earum auctoritate in Catholicum ſe iactare hæreticus nitebatur: ſed eas literas Clerum Romanum ipſi prudenter denegaſſe, prædictâ epiſtolâ legere poteris.

Tertium quod quæcumque in contrarium proferuntur, & futilia ſint; & ſimiliter aduerſus Romani Pontificis auctoritatem variis occaſionibus adduci poſſint. Et primò quidem quæ ex epiſt. 15. Cypriani obiiciuntur, contrarium potiùs ſuadent, quippe cùm Cyprianus, dum ſe Cleri Romani ſententiæ acquieſcere debere ait, eius

Google

auctoritatem ſatis oſtendat, cum quibus diſſentire ſibi non licere teſtatur. Nec Gloſſemata Cellotij textui conſonant, nec eius acumen viro prudenri vlli probabitur, quòd adeò acutè & ſubtiliter inter decretum & ſententiam diſtinguat: cùm certum ſit ſententiæ nomine decreta ſæpè iudicium intelligi, quod ex eo patet quòd Clerus Romanus epiſt. 31. ſententiam & decretum promiſcuè vſurpet, dum aiunt, *Per quam enim nobis & inuidioſum & oneroſum videtur, non per multos examinare, quòd per multos commiſſum videatur fuiſſe: & vnam ſententiam dicere, cùm tam grande crimen per multos diffuſum notetur exiſſe, quoniam nec firmum decretum poteſt eſſe, quod non plurimorum videbitur habuiſſe conſenſum.* Quòd Cyprianus epiſt. 25. ad Antonianum, Africanorum Epiſcopum & Cornelij in Conciliis Africano & Romano decretum, ſententiam nominet: quod niſi fortè malè locuti ſint Africani Epiſcopi in Concilio Carthaginenſi ſub Cypriano promiſcuè modò ſentiendi, modò decernendi voce vtantur. Quòd denique Iuriſconſulti omnes paſſim pro decretis iudicum ſignificandis nomen ſententiæ vſurpant, vt patet vel ex integris titulis *de ſententiam paſſis & reſtitutis*, lib. 48. ff. tit. 25. & lib. 9. Cod. tit. 51. *ſententiam reſcindi non poſſe*, tit. 50. tit. 7. Cod. *ſententiis aduerſus fiſcum latis retractandis*, lib. 10. Cod. tit. 9. *ſententiis & interlocutionibus omnium iudicum*, tit. 45. lib. 7. & aliis: quòd Canonum quoque conditores & interpretes ſententiam in eodem ſignificato tanquam maximè proprio, abſolutè ſumant, vt conſtat ex titulis 28. lib. 2 Decretalium, *de ſententia & re iudicata*, & 49. lib. 5. *de ſententia excommunicationis*, & alibi.

Ab iſtis ergo præſidiis deturbatus Cellotius vim maximam in eo collocabit, quod Clerus Romanus dixerit non tam ſe iudices conſiliorum quàm participes delectos: cùm è contra reſponderi poſſit in commendationem Cypriani, quem detexerant non ſolùm innocentem, ſed omni laude dignum hæc dixiſſe Clericos Romanos, qui ſupra ipſum quem negligentem anteà credidiſſent verbis auctoritatis maiora ſe ſe extulerant. Potuit ideò dici Cyprianus (quem nunquam conſuluiſſe Clerum Romanum ex ſuperioribus eius literis vidimus, ſed apud eum ſe de obiecta negligentia purgaſſe, factorúmque ſuorum rationem reddidiſſe) Clericos tamen Romanos non tam iudice conſiliorum quàm participes quæſiuiſſe, quòd nihil in ipſius factis Clerus Romanus quod notaret, nihil quod non laudaret, inueniret. Vnde non negat idem Clerus, quin etiam iudex aſſumptus fuerit, ſed magis ſe participem conſiliorum, quàm iudicem ait, quamuis vtriuſque officio fungeretur: quia adeò probata fuerant ei Cypriani conſilia, eiuſdémque decreta plebi Carthaginenſi propoſita, vt non lege opus haberet aut imperio erga eum agere, ſed potiùs eius ſententiæ ſuffragator deberet accedere: vnde & paulò pòſt eandem ſuam auctoritatem verbis iſtis apertè prodit: *Abſit enim ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam prophanâ facilitate dimittere, & neruos ſeueritatis euerſa fidei maieſtate diſſoluere*, &c.

Nec Cellotium iuuant, quæ vltimo ex eadem Cleri Romani epiſtola ſubiungit; non enim ipſa probant auctoritatem Clero Romano defuiſſe, & ad interrogationes à Cypriano factas amicè ſolùm reſpondiſſe: ſed demonſtrant interlocutoriam duntaxat ab ipſo Clero ſententiam, non decretoriam dandam viſam fuiſſe, & tam momentoſæ cauſæ definitionem Pontifici mox eligendo reſeruaſſe: quia conſtat, *ſede vacante nihil innouandum*, conſtat diuinæ gratiæ promiſſiones Romanis Epiſcopis Petri ſucceſſoribus certiores factas, quàm Presbyteris vel Diaconis Romanæ Eccleſiæ ad breue tempus eorum regimen ſupplere debentibus.

§. II.

Error Cellotij quòd Presbyteris Monachos ex hierarchica ordinatione non ſubſint.

OBSERVO & alia circa Presbyteros Cellotij errata. Ac primùm quòd lib. 7. cap. 3. pag. 565. & ſequenti, nec non lib. 8. cap. 2, pag. 663. Monachos ex lege hierarchica ſolis Epiſcopis ſubeſſe dicat. Idque Dionyſium velle contendat, cap. 6. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, reprehendátque ſcriptum à me in vindiciis, pag. 412. *Monachos nobilioribus actionibus hierarchicis & hierarchiæ principibus præſertim ſubeſſe.* Vult

enim non Epiſcopis præſertim, ſed ſolis dici debere Epiſcopis ſubeſſe, aliis verò negari debere ſubiici, Cellotij aſſertio veritati omninò repugnat, & mera Dionyſiacæ doctrinæ corruptela eſt.

Primò enim Dionyſius cap. 1. Eccleſiaſticæ hierarchiæ Monachos à ſolis Presbyteris aſſerit conſecrari: ſi autem Presbyter Monachum facit, ſi Monachum conſecrat, eiuſdem quoque erit, & Monachum ſibi obedientem habere; quemadmodum enim Hieronymus epiſt. 1. ad Heliodorum, Chriſtianorum omnium Clericali ordini ſubiectionem probat, quia per eum Chriſtiani facti ſumus, ita ſubiectionem Presbyterali ordini probare poſſumus, ex eo quòd benedictione Presbyteri Monachus efficiatur. Quam rationem ipſe Dionyſius inſinuat epiſt. ad Demophylum, vbi enim negauit Demophylum à Pontificibus per ſeipſos inſtrui debere, ſed à ſacerdotibus, qui nuntij ſunt atque interpretes diuinorum ſecundum Pontifices, neque ab iis proximè & ἀμέσως, ſed διὰ μέσων τῶν λειτουργῶν, *per interiectos miniſtros*, rationem hanc ſubdit, cur à ſacerdotibus inſtrui deberet, quod ab iis habuerit, vt Monachus fieret, δι' ὧν καὶ τὸ εἶναι θεραπευτὴς ἠξιώθης, *A quibus*, inquit Demophylum alloquens, *vt Monachus eſſet, habuiſti.*

Secundò eadem epiſt. expreſsè Monachos non Presbyteris ſolùm, ſed & Diaconis ſubiectos eſſe, ab iis edoceri & corrigi docet, καὶ γὰρ οἱ περὶ τὸ θεῖον συμβολικῶς ἀεὶ παρεστηκότες θυσιαστήριον, ὁρῶσι καὶ ἀκούουσι τὰ θεῖα τηλαυγῶς αὐτοῖς ἀνακαλυπτόμενα, καὶ προϊόντες ἀγαθοειδῶς ἐπὶ τὰ ἔξω τῶν θείων παραπετασμάτων, τοῖς ὑπηκόοις θεραπευταῖς, καὶ τῷ ἱερῷ λαῷ, καὶ ταῖς καθαιρομέναις τάξεσιν ἐκφαίνουσι κατ' ἀξίαν τὰ ἱερά· *Ij enim qui myſticè ſemper ad diuinum altare præſto ſunt, cernunt, audiuntque diuina, quæ eis apertè oſtenduntur, & prodeuntes ad eos, qui extra diuina vela & integumenta ſunt, Monachis ſubiectis, & ſacræ plebis, ordinibus qui expiantur ſacra pro dignitate enuntiant.* Si ſingula hæc verba expendas plura diſces: primùm à Dionyſio dici Presbyteros & Diaconos ex proprio munere Monachis, æquè ac reliquæ plebi, atque immundis ipſis ſacrorum expoſitionem tradere debere.

Alterum egregiam ab eodem huius rei rationem proferri, quòd omnis poteſtas in Corpus Chriſti myſticum à poteſtate in corpus Chriſti verum deriuetur, ac proinde illos, qui in corpus Chriſti verum poteſtatem habent, ſimiliter in reliqua corporis Chriſti myſtici membra habeant poteſtatem, eos qui & corpus Chriſti tractant & vident, & ſacra verba proferunt & audiunt, tanquam diuini Spiritus propiùs participes, hunc aliis inſpirare, & diuina oracula quæ audierint, propalare debere iis qui extra diuina adyta conſiſtunt, putà Monachis, qui prope valuas adytorum ſtant, propius tamen ad populum quàm Eccleſiaſtici homines accedunt, plebi fideli, quæ proprium in Eccleſia locum habet, & immundis, qui in Eccleſia ad tempus tantùm conſiſtere poſſunt, ab ea dum ſacra celebrantur, excludendi.

Tertium tandem, refellendam eorum temeritatem, qui cum Cellotio Monachos à Presbyterorum & Diaconorum imperiis ſubtrahere vellent, ſoliſque Epiſcopis ſubiicere, expreſsè Dionyſium θεραπευτὰς, Deóque conſecratos Monachos, Epiſcoporum & Presbyterorum ordinibus ὑπηκόους, id eſt, *ſubiectos*, *ſubmiſſos*, *obſequentes* vocare.

Eadem quoque epiſtolâ iterùm hierarchicam hanc ſubordinationem ſtatuit Dionyſius, vt Monachi Diaconis, Diaconi Sacerdotibus, Sacerdotes Pontificibus ſeu Epiſcopis ſubiiciantur, Epiſcopi verò Apoſtolis, & Apoſtolorum ſucceſſoribus, id eſt, Apoſtolicas Eccleſias tenentibus. σοὶ δὲ οἱ θεῖοι λειτουργοί, καὶ τούτοις οἱ ἱερεῖς· ἱεράρχαι δὲ τοῖς ἱερεῦσι. καὶ τοῖς ἱεράρχαις οἱ Ἀπόστολοι, καὶ τῶν Ἀποστόλων διάδοχοι. καὶ εἴ που τις καὶ ἐν ἐκείνοις τοῦ προσήκοντος ἀποσφαλείη, παρὰ τῶν ὁμοταγῶν ἁγίων ἐπανορθωθήσεται, καὶ οὐ περιστραφήσεται τάξις ἐπὶ τάξιν. *Tibi autem Dei miniſtri* (ſupple modum imponunt) *& his Sacerdotes, Pontifices verò Sacerdotibus atque Pontificibus Apoſtoli, ſucceſſoreſque Apoſtolorum. Quòd ſi quis etiam in illis deſit officio, à ſanctis eiuſdem ordinis corrigetur, atque ita ordo in ordinem non commutabitur.* Quam etiam ſubordinationem & ſubiectionem totius populi Chriſtiani, & omnium qui in Eccleſia fuerint, Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis tanquam à Deo conſtitutis, omnibus ferè epiſtolis inculcat ſanctus Ignatius, cujus aliquas ſententias ſuperiùs in eorum ordinum commendationem retulimus, nullus ab hac lege eximitur, non virgo, non Monachus non aliquis alius Deo conſecratus.

Tertiò idem Dionyſius cap. 8. cæleſtis hierarchiæ, & cap. 5. Eccleſiaſticæ, quemadmodum ſuperiùs tradidimus, docet *morem hunc eſſe diuinitatis ſanctiſſimum per prima, ſecunda, & inferiora ad diminiſſimam lucem ſuam deducere*: primúmque ad ea quæ eis magis cognata ſunt venire; deinde per illa in alia ſuam traducere vim & actionem. Ex quo principio (quod verum eſſe agnoſcit Cellotius, & Diui Bernardi epiſt. 42. ad Henricum Senonenſem auctoritate confirmat) lib. 7. cap. 9. pag. 604. ſequitur non ita Monachos ſubiectos eſſe Pontificibus, quin & Preſbyteris & Diaconis pariter ſubiecti ſint, per quos nempe perfectionis regulam Monachos Epiſcopus edocet. Itaque dum Dionyſius cap. citato Eccleſiaſticæ hierarchiæ ſcribit, *τὴν Μοναχῶν τάξιν, ἐν ταῖς τῶν ἱεραρχῶν τελειωτικαῖς δυνάμεσιν ἐγχειριζομένην*, quæ verba ita interpretatur Lanſſelius, vt ſignificent *Monachorum ordinem Pontificum ordinis ſtatum exprimere tentantem*: cæteri poſt Perronium aliter vertunt, vt ſenſus ſit, *tradi Monachos perficienti Pontificum ordini.* Parùm vtique referre puto, quam quis verſionem ſequatur, nec de bonitate alterutrius diſceptare cum Cellotio placet, verba enim ſubſequentia id probant, quòd ex prioribus colligere vult Cellotius, nempe diuinis Pontificum illuſtrationibus hierarchiciſque traditionibus edoctum ordinem Monachorum, ſacrorum myſteriorum actiones quas inſpexit, quæcumque ad ipſum pertinent edoceri, & pro ſancta eorumdem Hierarcharum ſcientia proportionaliter ad ſummam perfectionem euehi; fatemur quoque eiuſdem lib. cap. 5. (quod malè tertium citat Cellotius) ſacerdotum ordinem dici, *ſpectatores eos, qui accedunt, ſacramentorum efficere, & in ſanctorum myſteriorum ſocietatem communionemque admittere: ſed ad Pontificem remittere eos, qui diſciplinæ myſteriorum, quæ aſpexerunt, cupiditate ducuntur.* Monachóſque, vt vult Cellotius, eos poſſe intelligi, qui cupiditate iſta rationabiliter ducantur.

Sed ex iis omnibus ſequi Monachos ſoli Pontificum ordini ſubiectos eſſe, quod probare Cellotius intendit, hoc demùm negamus.

Primo enim nullus ſtatus eſt, qui non purgatione & illuminatione indigeat, ſiue iſtæ actiones in ſacramentorum adminiſtratione, ſiue in doctrinæ purgatione verſentur: nam & ſacramenta quædam purgatiua, atque illuminatiua ſunt, & alia perfectiua, quæ ſolùm purgant à peccato, & per gratiam illuminant, vt Pœnitentia & Extrema-vnctio, hæc Preſbyteris propria ſunt; quibus etiam perfectiuum Euchariſtiæ ſacramentum conceditur, ſola ſacramenta quæ ita perficiunt, vt in aliquo gradu propter characteris productionem ſupra cæteros homines conſtituant, Pontificibus propria ſunt, cuiuſmodi ſunt Confirmatio, & Ordo: quamuis ergo Preſbyteris pro perfectiuis iſtis ſacramentis obtinendis; nec Monachi, imo nec plebs fidelis ſubiiciantur, ſubiacent tamen ipſis pro recipienda Euchariſtia, pro Pœnitentia, & Extrema vnctione.

Atque ita ſecundum hanc conſiderationem Monachos Preſbyteris ſubiici dicendum eſt, & quidem nobiliùs quàm Abbatibus aut Præpoſitis Regularibus, qui eorum Presbyteri non fuerunt, quia maiora ab illis beneficia, quàm ab his recipiunt; nam Abbates quidem & Præpoſiti Regulares Moſaicæ legis præfectorum inſtar, quid ſeruandum ſit, Monachis ſubditis præſcribunt, & delinquentes puniunt, ſed non dant gratiam, quâ id quod iubent, illi quibus iubent facere poſſint; Presbyteri verò & diuinas voluntates iiſdem indicant, & iiſdem gratiam (quæ proprium nouæ legis beneficium eſt) tribuunt, per quam diuina mandata, quæ iuncta erant, illi quibus nota fuerint, impleant.

Si verò purgatio, illuminatio, & perfectio pro doctrina ſumantur, ita vt hæ actiones pro diuerſis gradibus nobilitatis ſuæ, nomina iſta ſortiantur, doctrináque infima purgatrix, mediocris illuminatrix, nobilior perfectrix dicatur; ſiue pro ratione ſubiectorum ita diuidatur, vt purgatrix nominetur, per quam à deteriori ſtatu ad bonum extra Eccleſiam poſiti vel ab ea erecti reuocantur: illuminatrix, quâ poſiti in Eccleſia in ſtatu conſequentiæ fœlicitatis in diuinorum præceptorum obſeruatione confirmantur: perfectrix autem, quâ perfectior conſiliorum via tendentibus ad perfectionem aperitur; ſiue pro diuerſitate obiectorum doctrina tradita variis iſtis nominibus inſigniatur, purgationis, quæ á malo reuocat; illuminationis, quæ de neceſſariis bonis inſtruit; perfectionis, quæ meliora chariſmata nos docet. Iis, inquam, ferè om-

nibus modis Monachi ad perfectionem quidem obtinendam doctrinæ Epiſcopis ſubiacebunt, & plebs fidelis Presbyteris, ſed vt purgetur, atque illuminetur Monachus Presbytero, & plebs fidelis Diacono ſubiacebit.

Senſus ergo Dionyſij, dum Monachos Epiſcopis ſubdit, plebem fidelem Presbyteris, immundos Diaconis, non is eſt, vt velit Monachos omnino eximi à poteſtate Presbyterorum: ſicut nec eius mens eſt eximi plebem fidelem à poteſtate Diaconorum: patet enim ex prædictis quàm ſtricte plebs fidelis Diaconorum imperiis obnoxia eſſet, & quàm religioſè eis ſubiaceret. Eodem quoque modo & Monachos Presbyteris, imò & Diaconis ſubiectos agnouit Dionyſius. Sed ideò immundos ſubiecit Diaconis, quia quando ſunt in eo ſtatu non plus immundi exigunt, quàm vt à Diaconis rudi quadam cognitione purgentur, & à malo deterreantur. Et plebem fidelem ſubiecit Presbyteris, quia plebs fidelis in eo ordine eſſe poteſt, quamuis à ſolis Presbyteris purgationem atque illuminationem receperit, nec aliam quàm præceptorum, non autem conſiliorum, nec aliam quàm fidei mediocrem notitiam ſortita ſit. Monachos tandem ſubiecit Pontificibus, quia perfectiorem conſiliorum notitiam, & diuinorum myſteriorum, quorum contemplationi incumbant, accuratiorem ſcientiam, niſi à Pontificibus, vel aliis eorum loco hauſerint, profeſſionis ſuæ & conditionis perfectionem non aſſequuntur.

Epiſcopis verò proprium dicitur Monachos perfectiori iſtâ & cognitione perfectionis vitæ, & interpretatione myſteriorum accuratiori imbuere, pluribus titulis.

Primò, quia perfectior olim explicatio vitæ Chriſtianæ, tam quoad diſciplinam, quàm doctrinam, Epiſcopis reſeruabatur: quamuis ipſis abſentibus etiam Presbyteri ea officia ſubirent; quibus proinde poterant Monachi longè ab Epiſcopis commorantes, vel Epiſcopis abſentibus, ſubiici; vt ab iis ea ediſcerent, quæ ſi Epiſcopus præſens fuiſſet, ab Epiſcopis accepiſſent.

Secundò, quia Epiſcopis proprium etiam eſt, non Presbyteris, doctrinam fidei ſibi reuelatam proponere; iudicant enim in Conciliis & propoſitiones fidei definiunt, quod Presbyteris non conuenit.

Tertiò, eis etiam peculiare ritus ſacramentorum, quorum ipſi inſtituendorum habent auctoritatem, eadem poteſtate, quâ legiſlatores ſuas leges interpretantur, quod item Presbyterorum poteſtatem excedit.

Quartò, pariter regulam perfectioris vitæ Monachis imponere, præſcribere, confirmare: quod enim ipſi olim præſtabant, id preſtare etiamnum poſſent, niſi Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. conſtitutione, aliiſque recentioribus decretis, hæc ipſis poteſtas adempta fuiſſet; & ſummo Pontifici reſeruata, vt in vindiciis docuimus lib. 4. cap. 4. num. 5. Presbyteris autem nunquam permiſſum, vt auctoritate propriâ leges Monachis præſcriberent, quamuis Epiſcopi auctoritate aliquando regulas obſeruandas dederint, quod feciſſe Baſilium adhuc Presbyterum auctoritate Euſebij Cæſarienſis Epiſcopi diſces ex oratione Nazianzeni in laudem Baſilij. Quæ omnia non officiunt quominùs veriſſimè dici debeat, etiam ſecundum Dionyſij ſententiam, Monachos Presbyteris hierarchicâ lege ſublatis priuilegiis eſſe ſubiectos.

Quartò, Eccleſiæ praxis Patrum certiſſimis teſtimoniis conſpicua apertè nobis indicat & Monachos & Monachas, virgineſque Deo ſacras Presbyteris ac Diaconis ſubiectas fuiſſe.

Conſtitutiones ſiquidem Apoſtolicæ lib. 2. cap. 26. nullam mulierem acceſſum habere ad Epiſcopum aut ad Diaconum, niſi interuentu Diaconiſſæ ſtatuerunt, & Presbyteros ſicut Apoſtolos habendos iubent, eoſdémque *Doctores eſſe cognitione Dei, διδασκάλους θεογνωσίας*; & c. 30. Diaconum *Angelum & Prophetam Epiſcopi* vocant, & cap. 33. omnium Chriſtianorum parentes eſſe Presbyteros tradunt; & cap. 44. lib. 2. Diaconum Epiſcopi aurem, oculum, os eſſe debere, ac leuiora quæ occurrunt corrigere, & cap. 15. lib. 3. ad quaſuis mulieres Diaconiſſam Diaconi loco mittendam, quæ præcepta deferat Epiſcopi.

Quæ quidem omnia oſtendunt ſacras virgines non immediatè Epiſcopis, quoad doctrinam ſubditas fuiſſe: ſed ab iis mediantibus Presbyteris, atque Diaconis eruditas, inſtructas, atque hierarchiſatas fuiſſe, quod diſertè negat Cellotius pag. 763. Clariùs verò eadem Diaconorum præfectura ſupra virgines ſacras (nam Monacho-

rum

Digitized by Google

rum prioribus ſæculis obſcura eſt diſciplina, vt ne vix quidem nominentur) ex Ignatio, Cypriano; aliiſque auctoribus priorum ſæculorum innoteſcit.

Ignatius ſiquiem epiſtolâ decimatertiâ ad Heronem Diaconum, virginum ſacrarum curam ipſi commendat, *Virgines*, inquit, *ſerua*, *vt pretioſa Chriſti monilia*, παρθένους φύλαττε, ὡς Χριστοῦ κειμήλια. Cyprianus verò epiſt. 62. ad Pomponium virginibus Diaconos præeſſe conſueuiſſe apertè demonſtrat iis verbis, *Et cum omnes omnino diſciplinam tenere oporteat, multò magis præpoſitos & Diaconos curare hoc fas eſt, qui exemplum & documentum cæteris de conuerſatione & moribus præbeant. Quomodo enim poſſunt integritati & continentiæ magiſteria procedere?* In cuius etiam conſuetudinis teſtimonium proferri poteſt, quod Ammone Diacono legitur in Martyrologio Romano, & Menologio Græcorum die 1. Septembris Heracleæ nimirùm quadraginta virgines in fide erudiuiſſe, eáſque ſecum ſub Licinio tyranno ad Martyrij gloriam perduxiſſe. Igitur non immediatè per conſecrationem Monaſticam, aut virginalem eximuntur fideles à poteſtate Preſbyterorum ac Diaconorum, vt vnis deinceps ſubiiciantur Epiſcopis.

Confirmat illud ipſum ſequentibus temporibus, Hieronymus epiſt. 2. ad Heliodorum officium Clericatus eſſe demonſtrans virgines viduáſque propter eorum ſalutem aliquando inuiſere. *Si*, inquit, *propter officium Clericatus aut vidua viſitatur, aut virgo, nunquam domum ſolus introeas.* Confirmat Ambroſius libro primo de officiis capite vltimo, *Diaconos ideò admonens, vt violatores oderint caſtitatis, & pudicitiæ vlciſcantur iniuriam.* Confirmat Carthaginenſe tertium & quartum, dum virginum curam Preſbyteris commiſſam docent, ſaltem in iis locis in quibus abeſſent Epiſcopi; nam Carthaginenſe tertium Canone trigeſimo tertio ſtatuit, *vt virgines ſacræ cum parentibus, a quibus cuſtodiebantur, priuatæ fuerint, Epiſcopi prouidentiæ, vel Preſbyteri, vbi Epiſcopus abſens eſt, in Monaſterio virginum, vel grauioribus fœminis commendentur.* Carthaginenſe verò quartum Canone centeſimo ſecundo, *Ad reatum Epiſcopi pertinet vel Preſbyteri, qui Parochiæ præeſt, ſi ſuſtentandæ vitæ præſentis causâ, adoleſcentiores viduæ vel ſanctimoniales Clericorum familiaritatibus ſubiiciantur.* Ex quo Canone Preſbyteri parochiani auctoritatem in ſanctimoniales colligere poteris. Si cui tamen prædicta teſtimonia Patrum non ſufficiant ad oſtendendam Monachorum ſubiectionem Preſbyteris ac Diaconis in Eccleſia multo tempore viſitatam, ſequentia adiungam.

Primùm Synodi Romanæ ſub Syluestro Canone ſeptimo. in quo gradatione quadam & Pontifici Preſbyterum, & Preſbytero Diaconum, & ita ſuperiori ordini inferiores, & Oſtiario Abbatem, Abbati Monachum in omni loco obſequium repræſentare debere decernitur: quem Canonem malè à me citatum reprehendit Cellotius capite ſeptimo libri ſeptimi, paginâ quingenteſimâ nonageſimâ quartâ, & tribus ſequentibus, quia nec tomo primo Conciliorum, nec apud Bucardum talis gradatio legitur: quid tum? citaui ex Gratiani decreto, quòd maximam in Eccleſia habet auctoritatem: apud quem dicti Canonis lectio longè planior & clarior quam apud Burchardum, & Iuonem talis gradatio legitur. Sed iniuſta iſta reprehenſio eſt: hunc ego Canonem citaui ex Gratiani decreto, ex quo ſincerior multò ſcribitur, quàm tomo primo Conciliorum, vbi adeò corruptè & mendosè legitur, vt nec Grammaticus ſenſus conſtet. Quòd ſi me, Ludouice, reprehendis Canones ex Gratiani editione citantem, reprehende Canoniſtas omnes, qui ita citant: reprehende Eccleſiam, quæ iis ſæpè vtitur, & Gratiani collectionem præ cæteris approbat.

Quid ergo neceſſum erat tuam in me magniloquentiam oſtentare, & Burchardum atque Iuonem, quos nunquam legiſti niſi in retenſione ad iſtum Canonem ex editione Romana decreti Gratiani iactare? ſimpliciùs agendum erat, & ad Gratiani ac Canonis ab Eccleſia recepti, & à me fideliter probati auctoritatem reſpondendum; ſed conuiciari tibi potiùs placuit quam ſolidè aliquid ſtatuere: atque exinde accidit, vt præceps & in conuitia effuſus animus non aduerterit contradictionem orationis quâ te innexuiſti: nam cùm Monachos negares Preſbyteris eſſe ſubiectos: idipſum iam fateris, vt ſocios tuos malè à nobis reprehenſos, calumniareris. Verba hæc tua ſunt, *Nos ad illud obſequium* (Preſbyteris exhibendum) *ſine lege, nullius apparituræ coactu venimus: noſtrûm nullus dominationem ſpernit, aut hierarchicam maieſtatem blaſphemat.*

Quomodo enim iſta ſibi cohærent cum illa tua reprehenſione, quâ mihi vitio ducis,

quòd *Epiſcopis præſertim Monachos ſubeſſe* docuerim: cenſoriam adhibes virgulam; diſplicet tibi illud *præſertim*: eâ voce parari mihi effugium clamitas: contendis ſolis Epiſcopis Monachos ſubiectos dici debere: quorum tamen ordini neminem ex Monachis obſequium denegare profiteris.

Quid ergo te angebat Canon Romanæ Synodi, qui Presbyteris & Clericis obſequium à Monachis deberi decreuerat. Cur illum Canonem corruptum quereris, & Epiſcopis duntaxat à Presbyteris cæteriſque Clericis ac Monachis ex eo Canone obſequium debitum probari tanto ſtudio ſatagis? Concilia iſta ſi potes: ego obſcuriora ſæcula prætergreſſus, à ſequentibus abſtineo, quorum morem inferiùs, agendo de Monachis, & eorum in hierarchia loco, gradu ac ſtatu fuſiùs explicabo.

Interim cogitet Lector doctrinam iſtam Cellorij ordini Presbyterorum ac cæterorum Clericorum grauem inferre iniuriam, dum Principatum ſacrum Presbyterorum ac Diaconorum, qui in omnes Chriſtianos à Chriſto ipſis datus eſt ad aliquam tantùm partem Dominici gregis coarctat, quibus etiam ſuperiorem locum Monachis in Eccleſia inuidet: cùm enim ſcribat Apoſtolus ad Romanos 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, ſublimitatem Presbyteralis gradus ſupra Monachalem videtur conuellere, qui ſublato quouis priuilegio, Monachos ab obediendi Presbyteris neceſſitate, & ſubiectionis lege conatur eximere. Neque ſolùm Presbyterorum ordini iniuriam inferre, verùm etiam Monaſtici ſtatus venuſtatem dedecorare: quos nobis in Eccleſiaſtica hierarchia tanquam membra immediatè pendentia, extra ordinem conſtitutа exhibet: quos à Chriſti vicariis Presbyteris & Diaconis eximit, vt Præfectis Regularibus nullo ſacro ordine initiatis à ſe conſtitutis ſubiiciat, quaſi verò non honorificentius ſit in Eccleſia Chriſti eiuſdem vicariis, quam humani Principatus capitibus ſubiacere? & non honorabilior ſit ſeruitus quæ Chriſto exhibetur omni libertatis ſpecie & ſeruitutis humanæ nexibus? ſed de iis alibi fuſiùs diſſeremus.

Aliud peccatum Cellotij aduerſus Presbyterorum ordinem eſt, quòd vagos ipſe & acephalos primis Eccleſiæ temporibus, nulli ſcilicet loco Eccleſiaſtico adſcriptos nobis proponat; quòd quia commodiùs tractabitur, vbi de Parochorum inſtitutione diſſeremus, ideò ab huius quæſtionis diſcuſſione hoc loco abſtinebimus.

ARTICVLVS III.

ERRORES CELLOTII CIRCA ORDINEM Diaconorum.

§. I.

Quidam in Diaconatus ordinem auctoris errores referuntur.

PLVRA aduerſus Diaconorum ordinem à Cellotio peccari ex prædictis patebit: illud vtique maximum aduerſus Diaconalem ordinem peccatum, quòd eum Principatus ſacri expertem faciat, quod vtique quia ſuperiùs à nobis refutatum eſt, hoc loco retractari non debet.

Nec illud obiter prætermittendum, quòd iſtius ordinis erga diuinum iſtum ordinem, contemptum oſtendere, quódque ad oculum demonſtrare poteſt, quam tenuiter Angelicum illum gradum auctor æſtimet, quem ſcilicet cum laicis fratribus Canonicorum ac Clericorum Regularium comparat, vt ad eandem hierarchiam fratres laici pertineant, cum Canonicis Regularibus, quibus famulantur, quomodo Diaconi ad Apoſtolorum hierarchiam pertinebant, quibus in menſarum & egenorum ſollicitudine ſuppetias ferebant. Verba ipſa Cellotij audienda ſunt lib. 7. cap. 10. pag. 604. ne quid ipſi affingere videamur, *Fratres laici Canonicorum Regularium, Canonici Regulares ſunt, non quà obeunt Eccleſiaſtica munia, ſed quà obeuntes adiuuant. Sic Diaconi hierarchiam eandem cum Apoſtolis tenebant, quatenus menſarum & egenorum ſollicitudine Apoſtolos ſubleuabant.*

Digitized by Google

O indignam comparationem, ex qua ſequitur, non ſolùm fratres laicos Canonicorum Regularium ad eandem hierarchiam cum Canonicis Regularibus æquè pertinere, ac Diaconos ad eandem hierarchiam cum Apoſtolis, verùm etiam agaſones, ſutores, ſartores, & viliores artifices ad eandem hierarchiam cum iiſdem Canonicis Regularibus eodem iure referri quo Diaconi ad hierarchiam ordinis & iuriſdictionis, cui Apoſtoli inſeruntur, quia nempe priores Canonicorum Regularium calceos conficiunt, veſtes reſarciunt, domum exſtruunt, & eis in huiuſmodi vitæ neceſſitatibus opitulantur. Item ſequitur, quod cùm ex mente Cellotij Canonici Regulares in ſuperiori gradu ſint quàm Preſbyteri Parochiales, & propter operam quam illis fratres laici vtilem impendunt, ad eum gradum extolli debeant, ad quem ipſi euecti fuerint fratres illos laicos ſuperiorem habituros gradum iis Diaconis, qui duntaxat Preſbyteris Parochialibus miniſtraturi, in Eccleſiis Parochialibus ordinentur: imò & viliores artifices, qui Apoſtolis vel prædictis Canooicis miniſtrabunt, in ſuperiori hierarchia ponendos, ad quam Diaconi Parochiales non aſcendent.

Neque reticendum, quàm malè habeat hunc ordinem Cellotius, dum ſcilicet Diaconiſſas Diaconis æquar: hæc enim de Diaconis ſcribit lib. 6. cap. 13. paginâ quadringenteſimâ ſexageſimâ quartâ. *Huic ordini adiungendæ ſunt quaſi comites & adminiſtræ Diaconiſſæ*, & lib. 8. cap. 9. *Licèt enim hæc officia* (opitulationum & gubernationum) *curarent Diaconi, habebant tamen in iis ſuppares, & vt Aurelij verbo vtar, collaterales Diaconiſſas, circa mulieres occupatas.* Quam contemptim Diaconorum ordinem hîc appellat, quibus mulieres officij Eccleſiaſtici & ordinis incapaces, comites, adminiſtras, collaterales ſuppares facit. Eæne verò Diaconorum comites, collaterales, ſuppares dici poſſunt, quæ eas functiones quas Diaconi ex officio faciunt, ex commiſſione tantùm, & vt muliebris ſexus honeſtati conſulentes exercent, teſte Epiphanio hæreſi ſeptuageſimâ, & capite vltimo Panarij; ſeu ex Clemente libri tertij Conſtitutionum capite decimoquinto & decimoſexto ad cohibendas malorum ſuſpiciones, quæ forte ex conuerſatione virorum cum mulieribus oritentur, quæ ſacerdotalis officij Principatus Eccleſiaſtici, & miniſterij ſacri per ſe omnino incapaces videntur eidem Epiphanio locis citatis, Clementi lib. 3. cap. 9. Tertulliano de Virginibus velandis cap. 9. & de præſcriptionibus cap. 41. cùm è contrà Diaconi, & Principatum ſacrum habeant, & Eccleſiaſticum officium & miniſterium ex prædictis?

Quis comites & adminiſtras ac collaterales Diaconis dicat Diaconiſſam, quæ à Clemente libri ſecundi Conſtitutionum capite vigeſimo ſexto, ita Diaconis ſubiecta eſſe debere dicitur, vt nihil agere aut loqui abſque Diacono ei permiſſum ſit? Mera certè perturbatio eſt Eccleſiaſtici ordinis & diſciplinæ, conditionem ſubiectionis, & vt loquar cum Tertulliano capite citato de Virginibus velandis, *neceſſitatem humilitatis* cum ordine hierarchico æquiparare poteſtatem quandam delegatam & extraordinariam ob neceſſitatem habentes Eccleſiæ ordinibus principanribus tanquam comites & adminiſtros adiungere ſubiectóſque aliorum poteſtati collaterales facere.

§. II.

Alius error proponitur, ſimulque dictorum eiuſdem futilitates, temeritates, & contradictiones.

INSIGNE etiam Cellotij erratum, cui refellendo fuſiùs immorari conuenit, circa Diaconorum officia verſatur, dixeram in opere meo, *de ſacris electionibus & ordinationibus*, parte 2. ectione quintâ, capite primo, articulo tertio, §. quinto, paginâ quingenteſimâ ſeptuageſimâ tertiâ, quod Chriſtus *incommunicabilem voluit eſſe Preſbyteri ad conficiendum Chriſti corpus & ſanguinem poteſtatem: quamuis multa quæ ordinariè ſolis Presbyteris tribui poſſunt, vt ſolemniter baptizandi, corpus Chriſti diſtribuendi, aliáque munia, Diaconis extraordinariè concedi poſſe inſtituerit.*

Quæ doctrina Theologorum omnium eſt, quam tamen inſcitiæ coarguit Cellotius lib. 6. cap. 13. in fine paginæ quadringenteſimæ ſexageſimæ quartæ, & initio ſequentis: Poſtquam enim teſtimonio Cornelij à Lapide in Acta Apoſtolorum, probauit menſas, in quarum miniſterio primi Diaconi ab Apoſtolis deputati ſunt, non ex toto fuiſſe prophanas, *Siquidem*, inquit, *primo ſanctiſſimæ Euchariſtiæ communicabant fideles porrigente Diacono, deinde menſis accumbebant, & agapes celebrabant, eodem Diacono miniſtrante.* Mox ſubdit, *Huic tamen doctrinæ repugnantia ſcribit Franciſcus Hallier in grandi opere, fuiſſe à Chriſto Domino inſtitutum, vt ſolis Presbyteris ordinariè conceſſa munia ſolemniter baptizandi, & corpus Chriſti diſtribuendi extraordinariè concedi poſſent Diaconis: atqui non eſſe extra ordinem commiſſa huiuſmodi officia Diaconis, ſed ipſa per ſe ſe tanquam miniſtros ad ea deſtinatos, conſecratóſque ea peregiſſe nemo in antiquitatibus Eccleſiaſticis non hoſpes ignorat.*

In hac autem oratione duo videntur damnata: primùm quòd dixerim poteſtatem diſtribuendi corpus Chriſti Diaconis ſolùm extraordinariè concedi debere à Chriſto inſtitutum fuiſſe. Alterum, quòd de poteſtate ſolemniter baptizandi idipſum cenſuerim.

Primùm, aduerſario videtur ſufficienter impugnari teſtimonio Cornelij à Lapide dicentis menſas, quarum miniſterio priores Diaconi addicti ſunt, etiam ſacras fuiſſe. Alterum teſtimonio Pamelij & Canonibus Romanæ Synodi ad Gallicanos Epiſcopos: itémque ipſis meis dictis, *eò quòd nempe Presbyteros & Diaconos Eccleſiæ duces, & Eccleſiaſticæ hierarchiæ Principes, ac populi Chriſtiani Patres conſtituerint.* Eadémque paginâ eorum poteſtatem ad Sacramenta vel conficienda vel diſpenſanda deſtinatam aſſeruerim, abſque contradictione, inquit, negare non potui Sacramenta Baptiſmi & Euchariſtiæ ab illis ordinariè tribui debere: quandoquidem nobis explicari non poſſit, *Quomodo Diaconus Dux, pater Chriſtianorum dici debeat, ſi diſtributio Sacramenti, & Baptiſmi tinctio extra ordinem tantùm illi conceditur.*

Has aduerſarij futilitates refellam antequam duplicem errorem Cellotij vnum de poteſtate ordinaria Diaconi ad corpus Chriſti fidelibus diſpenſandum: alterum de poteſtate ordinaria eiuſdem, quoad Baptiſmum ſolemnem refutare aggrediar: oſtendámque cauſam meam cum D. Thoma & Scholaſticorum cauſâ eſſe coniunctam, per meum latus iſtos peti. Quin etiam id quod negari non poſſe à quoquam niſi qui in antiquitatibus Eccleſiaſticis hoſpes ſit dixit Cellotius, affirmari non poſſe, niſi à Canonum & Eccleſiaſticæ veteris tum doctrinæ, tum diſciplinæ imperito.

Stupenda itaque ſtatim initio hominis temeritas apparet, qui vnius Cornelij à Lapide teſtimonio Doctorum communem ſententiam ſecutum inſcitiæ coarguerit. Quid enim? Ideóne hoſpes eſſem in antiquitatibus Eccleſiaſticis, quia repugnantia quædam ſcripſiſſem iis quæ Cornelius à Lapide tradidiſſet, tantæ ſcilicet auctoritatis eſt iſte ſcriptor, vt ad eius doctrinam cæterorum expendenda ſit? Sed eò temeritas maior quòd nec quicquam dixiſſe referatur bonus iſte Pater, cui ego non conſentiam. Scripſit ille menſas, quibus Diaconi miniſtrabant, non ex toto prophanas, etiam ſacras fuiſſe: non abnuo, nónne ſacris menſis miniſtraſſe dici poſſunt, qui Sacerdoti in altari miniſtrabant, quod Diaconos feciſſe teſtantur Conſtitutiones Apoſtolicæ libri ſecundi capite ſexageſimo primo, & libro octauo fusè, Ignatius epiſtolâ ad Trallianos, & ad Heronem Diaconum; Polycarpus epiſtolâ ad Philippenſes; Dionyſius Eccleſiaſticæ hierarchiæ capite tertio; Anacletus epiſtolâ primâ; Fabianus epiſtolâ primâ; Stephanus Papa epiſtolâ primâ; Liturgiæ omnes Iacobi, Marci, Petri, Chryſoſtomi, Baſilij, &c. Origenes homiliâ ſecundâ in Cantica, & Cyprianus epiſtolâ quintâ loquens de Presbyteris & Diaconis alternis vicibus mittendis, ad offerendum in carceribus apud Confeſſores, & vigeſimâ octauâ, de Caio Diddenſi Presbytero ſimul cum adiutore ſuo Diacono abſtinendo, epiſt. 66. & 72. quâ Diaconos *altari miniſtrantes* appellat, & 65. *Eccleſiæ & Epiſcopatus miniſtros*, vetus auctor vitæ ſancti Sixti Papæ & martyris libri primi capite quadrageſimo primo; Prudentius Periſtephanon, hymno ſecundo & quinto; Nazianzenus epiſt. 205. Epiphanius hæreſi ſeptuageſimâ nonâ; Hieronymus lib. 1. aduerſus Pelagianos; Epiphanius epiſtolâ ſexageſimâ inter Hieronymianas; Innocen-

tius epiſt. 3. ad Exuperium Toloſanum cap. 1. Cyrillus Alexandrinus de adoratione in ſpiritu lib. 13. Concilium Romanum ſub Syricio capite nono, & Carthaginenſe quartum Canone quarto, & trigeſimo ſeptimo, & alij innumeri Patres.

Nónne etiam ſacris menſis miniſtraſſe dici poſſunt, quòd ſanguinem Domini non autem Chriſti corpus diſtribuerent? quorum vnum ipſis potiùs, quàm aliud mandatum mox docebimus. Nónne denique quantumuis & corpori Chriſti & Sanguini diſtribuendo Diaconi vacauerunt, dici poteſt extraordinaria hæc fuiſſe commiſſio pro tempore neceſſitatis? Quid ergo ex iſto teſtimonio Cornelij à Lapide contra noſtram ſententiam deduci poteſt?

Neque verò ſolidiores cæteræ rationes ab eodem ſunt allatæ: ait enim iſta officia extraordinaria non eſſe ad quæ officia Diaconi conſecrati ſunt: porrò ad officia diſtribuendi Corporis Chriſti & ſolemniter baptizandi Diaconos eſſe conſecratos. Sed non videt homo ſuo iudicio acutiſſimus, miniſtros Eccleſiaſticos ad aliqua officia duntaxat ſupplenda atque extra ordinem, & in neceſſitate obeunda nonnunquam conſecrari: quanto enim ardore ſæpiùs ipſe contendit ſacramentum Confirmationis extraordinariè à Presbytero adminiſtrari: quod cùm à Diacono ne quidem extraordinariè tribui poſſe audeat dicere, ideò conſecrari Presbyterum ad illud extraordinariè adminiſtrandum cogetur fateri: In eóque exemplo maiorem difficultatem ineſſe animaduertet, quandoquidem ab eo dicatur ex lege communi irritum Sacramentum Confirmationis, ſi ab alio quàm ab Epiſcopo conferatur: Ratum verò, ſi Presbyterali ordini, non autem Diaconali, vel cuiuis alij inferiori, extraordinaria commiſſio, ſeu diſpenſatio ſummi Pontificis accedat: in præſenti verò negotio de legitimo tantùm poteſtatis vſu, non validitate Sacramenti agatur: certúmque ſit & Euchariſtiam ratam eſſe à Diacono collatam, & Baptiſmum validum eſſe à Diacono collatum; duntaxátque diſputetur, vtrùm ordinariam & ex officio ſuo ordinario ſublatâ neceſſitate, adnexam Diaconus ea munia obeundi habeat poteſtatem: in qua quæſtione facilius eſt ſtatuere Diaconum ex vi ordinationis ſuæ, vt diximus, idoneum eſſe cui iſta officia extra ordinem committantur, quamuis earum functionum ordinariam poteſtatem non haberet: quemadmodum Presbyter ex ordine ſuo idoneus eſt, cui partes regiminis Epiſcopalis demandentur, Clericus, cui committantur variæ functiones Eccleſiaſticæ; quæ tamen munia neque ex ordine ſuo Presbyter, neque ex benedictione Clericali tanquam ordinaria Clericus ſibi vendicare poteſt. Quo leuiori aduerſarij ſophiſmate ſoluto cæteras quoque cauillationes diluere operoſum non fuerit.

Pamelius notis in epiſtolam ſexageſimam quintam Cypriani, totus in eo eſt vt Nouatores noſtros refellat aſſerentes Diaconum nullum aliud officium habuiſſe quàm prophanarum menſarum miniſterium. Probat autem & in regimine Eccleſiaſtico Diaconos Epiſcopis operam impendiſſe, & in altari ipſis miniſtraſſe. Ex quibus mirâ iſtâ arte, quâ pollet Cellotius quodlibet probandi ex quolibet, infert ordinariâ eos tam corporis Chriſti diſpenſandi, quàm ſolemniter baptizandi poteſtate, præditos fuiſſe. Id tamen quod probare intendebat, ſi fortè excidiſſet in memoriam ſuggeſturum pollicebatur Pamelium ea officia, de quibus erat ſermo, Diaconos per ſe tanquam miniſtros ad ea deſtinatos, ordinari nimirum, conſecrató que peregiſſe, de qua ordinaria deſtinatione & deputatione, nec Pamelius, nec quiquam ab eo citatis, vel verbum dicunt.

Sed fortè Canonum Romanorum magis appoſitè teſtimonium protulit: quinimmò contrarium probauit, & quod probare intendit, citat Canonem ſeptimum Romanorum ad Gallos Epiſcopos, ait ex illo inferri Diaconum & Presbyterum etiam præſente Epiſcopo Baptiſmum ſolemniter contuliſſe: ex quo infert ordinariam illius conferendi Diaconum habuiſſe poteſtatem: contrarium autem Canon docet: nam tempore Paſchæ præſente Epiſcopo, Presbytero & Diacono id concedit, ita quidem vt Epiſcopo præſente Baptiſmus tribuatur. Presbyter autem & Diaconus vt inſtrumenta tantùm Epiſcopi & ſubordinatâ ei poteſtate agere cenſeantur: quia nimirùm propter nimiam multitudinē eorum, qui ſe offerebant Epiſcopo baptizandos, ſolebat Epiſcopus cùm omnes non poſſet, aliquos baptizare, cæteros Presbyteris baptizandos remittere. Tu verò etiamſi neceſſitas non poſtularet, ad Diaconos baptizandos reieciſſe, nullis fultus

teſtimoniis aſſeris. Olim quidem vix Epiſcopum ad quemquam remiſiſſe baptizandos, ſed omnes vel ferè omnes ſuâ manu baptizaſſe teſtimonio Dionyſij libro de Eccleſiaſtica hierarchia cap. 2. part. 2. vrgere poſſumus, qui Epiſcopum præſentibus ſacerdotibus Baptiſmum perfeciſſe teſtatur. Item teſtimonio Paulini in vita ſancti Ambroſij, qui laborem ſancti iſtius Præſulis miratur ac commendat, tantum nempe fuiſſe, *Vt quod ſolitus erat circa baptizandos ſolus implere, quinque poſtea Epiſcopi, tempore quo deceßit, vix implerent.* Poſteà verò ad Presbyteros, & vrgente neceſſitate etiam ad Diaconos id opus reiectum à Pontificibus: ad Diaconos etiam, inquam, vrgente ſolùm neceſſitate expreſsè teſtatur. vetus ordo Romanus in Sabbatho Paſchæ iis verbis. *Deinde Presbyteri, aut Diaconi, etiamſi neceſſe fuerit, & Acolyti induentes ſe veſtibus mundis ingrediuntur in fontem,* &c. quod enim exceptionem neceſſitatis apponit, hoc ad Diaconos pertinet baptizantes, non ad Diaconos miniſtrantes, neque ad Acolytos baptizantes referri poteſt, qui nunquam ſolemniter leguntur baptizaſſe: ideóque paulò pòſt ſubditur *& accipiant ipſos à Pontifice & Presbyteris & Diaconibus qui eos baptizauerunt.* Atque adeò ſoli Presbyteri & Diaconi, quos non poſſet Epiſcopus propter multitudinem, baptizabant, ſed Diaconi; *ſi neceſſe fuerit*: totum autem hoc opus auctoritate Pontificis perficiebatur: ideóque poteſtas ordinarii baptizandi ex hoc facto nequaquam Diaconis ineſſe colligitur: quod indicans Canon prædictus ſeptimus Romanorum ad Gallos ait, *Paſchæ tempore Presbyter & Diaconus per Parochias dare repromißionem peccatorum, & miniſterium implere conſueuerunt, etiam præſente Epiſcopo. In factum quoque ipſi deſcendunt, illi in officio ſunt: ſed illius nomen facti ſumma conceditur.*

Nota ſiquidem Paſchæ temporibus id tantùm concedi, quia maior multitudo baptizandorum hoc die quàm in peruigilio Pentecoſtes ad Baptiſmum accedebat: hoc ſiquidem die baptizari ſolebant quicunque à die Pentecoſtes nati fuerant ad diem feſtum Paſchæ: in peruigilio verò Pentecoſtes ij duntaxat, qui à feſto Paſchatis ad iſtud tempus, quod longè breuius eſt, nati fuerant; concedebatur ergo propter neceſſitatem, vt Diaconi aliquando hoc die baptizarent: ita tamen vt non poteſtate propriâ, ſed delegatâ id facere viderentur.

Vt autem conſtaret ordinariam ſolemniter baptizandi poteſtatem Presbyteris non autem Diaconis conceſſam eſſe, ſubdunt, *reliquis verò temporibus vbi ægritudinis neceßitas conſequi vnumquemque compellit* (nam extra prędicta tempora vetitum erat ſublatâ ægritudinis neceſſitate quemquam baptizari) *ſpecialiter Presbytero licentia eſt, per ſalutaris aquæ gratiam dare indulgentiam peccatorum, quoniam & munus ipſi licèt causâ mundationis offerre, Diaconis vero nulla licentia inuenitur eſſe conceſſa, ſed quod ſemel fortè contigit vſurpare, per neceßitatem dicuntur excuſati, nec poſteà in ſecuritate commiſſum.* Quid apertius, quid clarius ad Cellotiani dogmatis refutationem dici potuit illis ipſis, quæ in ſuæ ſententiæ confirmationem producit? atque adeò neceſſum eſt vel ea ipſum non legiſſe, vel ſi legerit maligno ſilentio diſſimulaſſe: crediderim potiùs non legiſſe, nimiúmque fidenter alienis commentariis & exſcriptis vſum fuiſſe. Stupendum enim eſt idipſum quod mihi obiicit eo teſtimonio aſſertum, quo meam ſententiam volebat impugnare.

Contradictionem mihi tandem obiicit, à qua faciliùs me exoluero, quàm ipſe obiectam à me repulerit. Aſſerit à me dictos Diaconos, Patres, Principes, Duces, quæ elógia in eos cadere non poſſunt, niſi & baptizandi ſolemniter, & Euchariſtiæ diſtribuendæ poteſtatem habuerint; quaſi verò non ratione doctrinæ Chriſtianæ, quâ Catechumenos imbuerint, Chriſtianorum Patres, & ad benè agendum Duces Principéſque etiam Diaconi, Presbyteri verò & Epiſcopi maiori prærogatiuâ, & titulo meliori dici poſſint; quaſi non etiam plura alia ipſorum, quæ à nobis ſuprà enumerata ſunt, ſacri imperij priuilegia hos ipſis honorum titulos promereri potuerint: quaſi denique non extraordinarij ſaltem Patres ac Duces dici poſſint, quibus extraordinariè ſaltem Baptiſmatis ſolemnis conferendi, & Euchariſtiæ adminiſtrandæ poteſtas tribui poteſt. Quàm facilè ergo ab iſta me contradictionis accuſatione libero: at quomodo vim contrarij argumenti aduerſarius effugiet, quin aliquo ſaltem ſenſu eos eſſe Patres admittere cogatur, qui ex officio & per ſe conſecrati ab eo dicantur, vt eſſent ordinarij ſpecialis regenerationis auctores? quonam pacto negabit eos, qui aliquo ſenſu populi Chriſtiani Paſtores dici queant, qui eundem per ſe ex officio & or-

dinatiè ſpiritali paſcant ac reficiant, eos Patres eſſe? quomodo negari poterit eos Duces vocati poſſe, qui in Sacramentorum adminiſtratione ordinaria populis præfecti ac præpoſiti fuerint? neque enim, vt ait Tertullianus, *de corona militis*, cap. 3. *Euchariſtiæ ſacramentum niſi de præſidentium manu ſumimus.*

Itaque cùm nullo ſenſu Diaconos Duces, Paſtores, Patres populi Chriſtiani eſſe poſſe contenderit, mèque eam ob cauſam reprehenderit, quòd aliquo ſenſu eos ipſis titulos honorificos tribuiſſem, certè contradicat ſibi neceſſum eſt, dum eoſdem et Baptiſmi, per quem in vitam ſpiritalem renaſcimur, ordinarios eſſe miniſtros, & Euchariſtiæ ſacramenti adminiſtrandi ordinariam eos habere poteſtatem. At inquit ſaltem meipſum mihi contradixiſſe neceſſum eſt, dum Diaconos ad conferenda ſacramenta habere poteſtatem dixi: Fateor vtique contradictionem futuram, ſi ad conferenda ordinarie integra ſacramenta poteſtatem Diaconis aliquam inſidentem admiſiſſem: ſed quia eam duntaxat poteſtatem admiſi in Diaconis, quæ eos idoneos reddat, quibus extra ordinem conferendorum aliquorum ſacramentorum poteſtas tribuatur, vt ſatis meipſum eadem paginâ explicui, nego quidquam à me dictum quod vel ſpeciem contradictionis inuoluat: quamuis & Diaconum dicere potuiſſem abſque vlla contradictione poteſtatem habere alicuius ſacramenti, ſaltem ſecundum vnam ſpeciem diſpenſandi, quatenus ex officio diſtribuendi Sanguinis Dominici poteſtatem habet, ſed exinde non ſequitur quòd corporis Chriſti ſub ſpecie panis ordinariam habeat poteſtatem: quod ego duntaxat negaui.

§. III.

Probatur aduerſus Cellotium Diaconum non eſſe ordinarium miniſtrum ſacramenti Baptiſmi.

REFVTATIS Cellotij obiectionibus, iam primùm eius errorem impugnandum aggredimur, putà quod Diaconi ex officio Baptiſmum conferre poſſint, eiuſque miniſtri ordinarij dici queant. Probatur autem primò ex Concilio Florentino in Decreto vnionis Armenorum, cuius in eam rem aperta eſt ſententia, *Miniſter huius ſacramenti* Baptiſmatis, *eſt ſacerdos, cui ex officio competit baptizare.*

Secundò, ex Catechiſmo Concilij Tridentini cap. de Baptiſmo, docente, *Epiſcopis & Sacerdotibus datum eſſe, vt baptizent iure ſuo non delegatâ poteſtate.*

Tertio, ex Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 3. cap. 11. ἀλλ' οὔτε λοιποῖς κληρικοῖς ἐπιτρέπομεν βαπτίζειν, οἷον ἀναγνώσταις, ἢ ψάλταις, ἢ πυλωροῖς, ἢ ὑπηρέταις, ἢ μόνοις ἐπισκόποις καὶ πρεσβυτέροις, ἐξυπηρετούντων αὐτοῖς τῶν διακόνων. *Imo neque reliquis Clericis poteſtatem baptizandi facimus vt Lectoribus, Cantoribus, Ianitoribus aut miniſtris, niſi tantùm Epiſcopis & Presbyteris, miniſtrantibus Diaconis ipſis.* Quibus verbis Epiſcopis ſolis & Presbyteris ordinarium baptizandi officium attribuitur, miniſtrandi verò baptizantibus ordinarium munus Diaconis duntaxat proprium oſtenditur.

Quartò ex Decreto Gelaſij epiſtolâ ad Epiſcopos per Lucaniam Can. 9. cuius teſtimonium refertur diſt. 39. Can. *Diaconis*, *abſque Epiſcopo vel Presbytero* (Diaconi) *baptizare non audeant, niſi prædictis fortaſſis ordinibus longiùs conſtitutis neceſſitas extrema compellit, quod & laicis Chriſtianis facere plerumque conceditur.*

Quintò, ex Can. *conſtat*, de conſecratione diſtinct. 4. excerpto ex Iſidoro lib. 2. de officiis cap. 24. *conſtat Baptiſma ſolis ſacerdotibus eſſe tractandum, eiuſque myſterium nec ipſis Diaconis explere eſt licitum, abſque Epiſcopo vel Presbytero, niſi his procul abſentibus, vltimæ languoris neceſſitas cogat: quod & laicis fidelibus plerumque permittitur, ne quiſquam ſine remedio ſalutari de ſæculo euocetur.*

Sextò, ex Canone Concilij Eboracenſis, tempore Cæleſtini III. Papæ, & Richardi Angliæ Regis, præſidente Cantuarienſi Archiepiſcopo ſedis Apoſtolicæ Legato, quod Rogerius Dehoueden Annalium parte poſteriori in Richardo, *Decreuiſſe*, dicit, *vt nonniſi ſummâ, vt vrgente graui neceſſitate Diaconus baptizet, vel corpus Chriſti cuiquam eroget.* Item ex Decreto Concilij Londonenſis ſub Innocentio tertio, cap. 3. apud eundem Auctorem, *Et vt non liceat Diaconis baptizare, vel pœnitentias dare niſi duplici neceſſitate verbi gratiâ quia ſacerdos non poteſt vel abſens, vel ſtultè non vult, & mors imminet puero vel ægro.*

Digitized by Google

Septimò, teſtimoniis quorumdam Patrum expreſsè id aſſerentium. Iſidorus Hiſpalenſis, non ſolùm libro de Eccleſiaſticis officiis iam citato, verùm etiam epiſtolâ ad Ludifredum officium miniſtrandi in Baptiſmo, non autem baptizandi Diacono tribuit iis verbis, *Ad Diaconum pertinet aſſiſtere ſacerdotibus & miniſtrare in omnibus, quæ aguntur in ſacramentis Chriſti, in Baptiſmo ſcilicet, in chriſmate, in patena & calice*, &c. Sanctus Maximus in cap. 3. cæleſtis hierarchiæ, aut διακόνοις διδάσκειν, οὐ μὴν καὶ βαπτίζειν, *Diaconos docere non item baptizare.* Et quidem immediatè præcedentibus verbis dixerat, τοῖς πρεσβυτέροις διδάσκειν, καὶ τὸ δῶρον προσκομίζειν, οὐ μὴν καὶ χειροτονεῖν. *Preſbyteros docere, & donum offerre; non autem ordinare.* Satis vtique innuens peculiarem rationem eſſe, ob quam Diaconis potiùs baptizandi poteſtatem deneget, quàm Preſbyteris; vnde cùm poſteà proprium facit Epiſcopo baptizare, intelligendum eſt Baptiſmo ſolemni ſtatis diebus conferri ſolito, nec ſine Confirmationis ſacramento, quod proprium Epiſcopo fuiſſe aſſerit, vt pote perficiente virtute prædito, vnde & ait, οἱ δὲ τελειουργοί, οἱ τῷ βαπτίσματι πνεύματος πληροῦντες ἁγίου, ὡς οἱ ἐπίσκοποι, *Perfectius autem ſunt ij, qui per Baptiſmum implent Spiritu ſancto, quemadmodum Epiſcopi*: videbatur enim antiquis iſtis Patribus non eſſe perfectum aliquem Chriſtianum, niſi Spiritu ſancto per Confirmationis ſacramentum impleretur, quod ideò nonnunquam tanquam Appendicem Baptiſmi, eiuſdem nomine comprehendebant, quo ſenſu Baptiſmum perfectiuum vocabant, cùm tamen ſolitariè abſque ſacramento Confirmationis, illuminationis φωτίσματος nomine inſigniri tam à Maximo ipſo, quàm Dionyſio ſoleat; quo fit vt idem Maximus in cap. 6. Preſbyteris, ſed non ſine vnguento ab Epiſcopis conſecrato baptizandi licentiam attribuat. Epiphanius quoque hæreſi 79. num. 4. probare volens, Diaconiſſas poteſtatem non habere baptizandi, & Diaconis illam adimit, quibus nullius conficiendi Sacramenti ordinariam poteſtatem tribuit, καὶ γὰρ οὔτε διάκονοι ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ τάξει ἐπιστεύθησάν τι μυστήριον ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελούμενα, *Nam neque Diaconis quidem ipſis vllum in Eccleſiaſtico ordine ſacramentum perficere conceditur, ſed hoc duntaxat; vt eorum quæ perficiuntur, miniſtri ſint.*

Octauò, probatur ex antiquiſſimo vſu Eccleſiæ, nam Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 3. cap. 16. ſolos Epiſcopos vel Preſbyteros baptizare ſolitos oſtendunt iis verbis, ἔπειτα ἢ σὺ ὁ ἐπίσκοπος, ἢ ὁ ὑπὸ σὲ πρεσβύτερος τὴν ἱερὰν ἐπ' αὐτοῖς εἰπὼν, καὶ ἐπονομάσας ἐπίκλησιν πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου τοῦ πνεύματος, βαπτίσεις αὐτοὺς ἐν τῷ ὕδατι, *Deinde aut tu, Epiſcope, aut Presbyter tuus, qui ſub poteſtate tua eſt, factâ ſuper eos inuocatione Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizabis.* Eædem quoque lib. 8. cap. 28. Diaconis baptizandi officium expreſsè adimunt, διάκονος οὐ βαπτίζει, οὐ προσφέρει, *Diaconus non baptizat, non offert*, & cap. 46. eiuſdem lib. Presbyteris quæ ad ſacerdotium, Diaconis ea quæ ad miniſterium duntaxat pertinent, attribuunt, in cuius rei exemplum ſubdunt, οὔτε γὰρ διακόνῳ προσφέρειν θυσίας θεμιτὸν ἢ βαπτίζειν, *Neque enim fas eſt Diacono ſacrificium offerre aut baptizare*: Ac paulo poſt Philippum Diaconum, & Ananiam fidelem excuſat, tanquam qui extraordinariâ Dei electione baptizandi munere alioquin ſuo ordini minimè conſentaneo functi fuerint. Ignatius quoque Epiſcopus Antiochenus epiſt. 13. ad Heronem expreſsè negat Diaconos ex officio baptizare, ſed tantùm munus eorum eſſe affirmat, vt ſacerdotibus baptizantibus præſto ſint, Epiſcopis quidem potiſſimùm, quibus ſcilicet præſentibus, ſi huic officio pares eſſent nec multitudine obruerentur, aut aliquâ aliâ neceſſariâ occupatione diſtinerentur, Preſbyteri baptizare minimè ſolebant: quibus etiam tum temporis baptizantibus Diaconi miniſtrabant. Hoc enim verba iſta Ignatij demonſtrant, μηδὲν ἄνευ τῶν ἐπισκόπων πράττε, ἱερεῖς γάρ εἰσι, σὺ δὲ διάκονος τῶν ἱερέων. ἐκεῖνοι βαπτίζουσιν, ἱερουργοῦσι, χειροτονοῦσι, χειροθετοῦσι· σὺ δὲ αὐτοῖς διακονεῖς ὡς Στέφανος ὁ ἅγιος ἐν Ἱεροσολύμοις Ἰακώβῳ, καὶ τοῖς πρεσβυτέροις· *Nihil ſine Epiſcopis facito: ſacerdotes enim ſunt, tu verò ſacerdotum miniſter, illi baptizant, ſacrificant, eligunt, manus imponunt, tu verò illis miniſtras, vt ſanctus ille Stephanus Iacobo & Presbyteris qui erant in Hieroſolymis.*

Hilarius in Pſalmum 77. ad iſtum verſum, *Aethiopia preueniet manus eius Deo*, baptizandi ordinariam poteſtatem penes Diaconos non eſſe oſtendit, dum Eunuchi Reginæ Candaces ſanctam impatientiam ita deſcribit, *Sacramentum ipſum Baptiſmi adeò impatientis deſiderij cupiditate præueniens, vt à Diacono miniſterium Apoſtolici offi-*

cij ſalutis ſuæ cupidus exigeret. Nec aduerſus Preſbyteros militat, quod baptizandi munus *miniſterium Apoſtolici officij* nominet; nam & in functionibus ſacerdotij, licèt non in ſublimiori Principatu Preſbyteri ſuccedunt Apoſtolis: Hieronymus Dialogo aduerſus Luciferianos, Diaconis pariter munus baptizandi denegat, & iis ſolis ordinarium attribuit, qui ſacrificium offerre poſſent: *Hilarius*, inquit, *cùm Diaconus de Eccleſia receſſerit, ſolúſque, vt putat, turba ſit mundi, neque Euchariſtiam conficere poteſt Epiſcopos & Presbyteros non habens, neque Baptiſma ſine Euchariſtia tradere.*

Extat quoque epiſtola inter eas, quæ a diuerſis pro Concilio Chalcedonenſi datæ ſunt, in qua inter cætera Timothei Æluri crimina, qui in ſedem Alexandrinam, per Proterij viri ſanctiſſimi necem inuaſit, illud numeratur, quòd nondum Preſbyter factus Baptiſma feciſſet, & functiones quæ ei nullatenus competebant exercuiſſet. Quæ quidem accuſatio demonſtrat, quanta cum ſeueritate & diſtrictione Diaconis prohiberetur ſolemnis Baptiſmatis collatio. Proinde in Eccleſia creditum quod tradidi, Diaconos nonniſi extraordinarios Baptiſmi miniſtros à Chriſto inſtitutos fuiſſe: hanc doctrinam præter Cellotium neminem è Catholicorum cœtu reperiri qui reprehendat.

Si tamen tibi Celloti reprehendere id placet, cur me vnum appetis, hos aſpice, eos aggredere, à quibus id accepi, quod impugnas; quique ab Apoſtolis id ipſum hauſerunt, nec ſolùm ſermone cum hîc viuerent, verùm etiam ſcriptis, quibus poſt mortem poſteros inſtruerent, ab iis acceptum aliis reliquerunt. Ipſos aſpice, ipſos etiam atque etiam depoſito paulùſper tumore ceruicis intuere, & deſine ea redarguere, quæ tot ac tantorum virorum auctoritate nituntur. Nihil ſolidi aduerſus iſta obiicere potes, non teſtimonia Patrum, non Eccleſiæ vſum, ſi enim Diaconos aliquos interdum baptizaſſe reperias, neceſſitatem pro exceptione adfero: baptizandorum multitudinem, Epiſcoporum & Preſbyterorum abſentiam, extraordinariam vel Dei, vt prioribus temporibus, vocationem, vel Eccleſiæ, in ſequentibus ſæculis deputationem. Quid habes quod iſti exceptioni opponas, quam tot allata ſuperiùs decreta, ac Patrum teſtimonia confirmant, quam D. Thomas articulo mox citando in reſponſione ad tertium expreſsè tradidit?

Quòd ſi ſolis Epiſcopis velles baptiſmatis conferendi poteſtatem aſſerere, quantumlibet veritatis iudicio causâ caderes, probabilioribus tamen ex Dionyſio cap. 2. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, Tertulliano de Baptiſmo c. 17. Hieronymo aduerſus Luciferianos, c. 4. aliiſque deſumptis argumentis nitereris. Sed hæc nec cauſæ fauent quam ſuſcepiſti, nec inſtituti mei ſunt vt refellam, nec adeò nos vrgent, quin ex prædictis ſolutio aliqua peti poſſit, quæ ſi penitùs ſcrupulos non eximat, ſaltem argumentium impetus retundat.

Huic verò quæſtioni lux mihi videtur maior effulgere poſſe ex D. Thoma reſponſione doctiſſimâ, quam cùm ſecutus fuerim, ſecuti cæteri Theologiæ ſcriptores, pudeat te adeò temerarium fuiſſe vt redargueres. Audi ergo magiſtrum, quem ſi ſapis, Doctorem, ſi deſipis, habebis correptorem; audi ipſum 3. parte, quęſt. 67. art. 1. in corpore hæc ſcribentem. *Reſpondeo dicendum, quòd ſicut cæleſtium ordinum proprietates, & eorum officia ex eorum nominibus accipiuntur (vt Dionyſius dicit cap. 7. cæleſtis hierarchia) ita etiam ex nominibus Eccleſiaſticorum ordinum accipi poteſt, quid ad vnumquemque pertineat ordinem. Dicuntur autem Diaconi quaſi miniſtri, quia videlicet ad Diaconos non pertinet aliquod ſacramentum principaliter, & quaſi ex proprio officio præbere, ſed adhibere miniſterium aliis maioribus in ſacramentorum exhibitione, & ſic ad Diaconum non pertinet quaſi ex proprio officio tradere ſacramentum Baptiſmi, ſed in collatione huius Sacramenti, & aliorum adſiſtere, & miniſtrare maioribus.* Quod vtique ibi confirmat teſtimonio Iſidori ſuperiùs allato, & in reſponſione ad ſecundum argumentum ratione petitâ à Diuo Dionyſio, ex cuius ſententia cap. 2. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, *Baptiſmus non ſolùm habet purgatiuam, ſed etiam illuminatiuam virtutem, & ideò excedit officium Diaconi, ad quem pertinet ſolùm purgare, ſcilicet vel repellendo immundos, vel diſponendo eos ad Sacramenti receptionem.*

§. IV.

Probatur aduerſus eundem nec Diaconos corporis Chriſti ſub ſpecie panis diſtribuendi ordinariam habere poteſtatem.

ALTER error Cellotij pariter refutandus, qui dum cenſoriâ virgulâ in nos vti voluit, æquiſſimam omnium cenſoram in ſeipſum prouocauit. Reprehendit enim quòd dixerim Diacooos Gorporis Chriſti diſtribueodi ſub ſpecie ſcilicet panis extraordinariam ranrùm habere poteſtatem. Quod vtique reprehendens, reprehendat oportet Theologos omnes, qui id docuerunt, Concilia quæ definierunt, Patres qui non obſcurè ſignificarunt. Certè error eſt cum ſumma temeritate coniunctus, Catholicum dogma reprehendere tot illuſtribus teſtimoniis fultum, tantâ omnium conſenſione firmatum. Ordior à Theologis, vt deinde ad Eccleſiæ vſque incunabula conſcendens Catholici dogmatis antiquitatem & auîtam traditionem oſtendam, ac Cellotianæ ſententiæ oouitatem hanc antiquitati comparatam explodam.

Ex Theologis vnus mihi ſufficiat D. Thomas, quem cùm audis cæteros tibi audire videaris, qui Principem audias. Ille autem mihi occioit, Cellotio verò diſſentanea ſcribit tertiâ parte quæſt. 82. art. 3. in corpore. *Reſpondeo dicendum quod ad ſacerdotem pertinet diſpenſatio Corporis Chriſti propter tria; primò quidem, quia (ſicut dictum eſt) ipſe conſecrat in perſona Chriſti: ipſe autem Chriſtus ſicut conſecrauit corpus ſuum in cœna, ita & aliis ſumendum dedit. Vnde ſicut ad ſacerdotem pertinet conſecratio Corporis Chriſti, ita ad eum pertinet diſpenſatio. Secundò, quia ſacerdos conſtituitur medius inter Deum & populum: vnde ſicut ad eum pertinet dona populi Deo offerre, ita ad eum pertinet dona ſanctificata diuinitùs populo tradere. Tertiò, quia in reuerentiam huius ſacramenti, à nulla re contingitur niſi conſecrata. Vnde & corporale & calix conſecrantur, & ſimiliter manus ſacerdotis ad tangendum hoc ſacramentum: Vnde nulli alij tanger licet, niſi in neceſſitate, putà ſi caderet in terram.*

Diuo Thomæ nullus ex Theologis diſſenſit, quin etiam Suarez diſp. 72. ſect. 1. vtitur iiſdem quibus ego verbis, conclusione 1. aſſerens *primum ius, ſeu ordinariam poteſtatem & auctoritatem diſpenſandi hoc ſacramentum eſſe penes ſolos ſacerdotes ex iure diuino.* Nemo verò teperitur, qui ſaltem corporis Chriſti ſub ſpecie panis affirmet ordinariam poteſtatem vel auctoritatem Diaconis coouenire, ſolùm in explicatione aliqualis videtur eſſe diuerſitas circa ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vini dipenſationem, quidam enim tanquam ordinariam & ex officio conuenientem diſpenſandi ſanguinis Chriſti ſub ſpecie vioi poteſtatem Diacono videntur tribuere: quidam alij ne quidem eius diſpenſandi ordinariam auctoritatem eidem attribuunt, ſed ſolùm faciliùs hanc poteſtatem Diacono delegari arbitrantur.

D. Thomas videtur omnino allatis rationibus concludere, neque Corporis oeque Sanguinis Chriſti diſtribuendi poteſtatem ordinariam penes Diaconum eſſe: ſed ſolum Presbyterum diuina hæc dona ex officio & auctoritate ordinariâ dare poſſe. Nihilominus io reſponſione ad primum, & ad tertium, videtur circa Saoguinem Chriſti ſub ſpecie vini Diaconis auctoritatem admiſiſſe, non item circa Corpus Chriſti ſub ſpecie panis.

Ad primum ſiquidem reſpondet, *quòd Diaconus quaſi propinquus ordini ſacerdotali; aliquid participat de eius officio, vt ſcilicet diſpenſet ſanguinem, non autem corpus niſi in neceſſitate iubente Epiſcopo, vel Presbytero. Primò quidem, quia ſanguis Chriſti continetur in vaſe: vnde non oportet quòd tangatur à diſpenſante ſicut tangitur Corpus Chriſti. Secundò, quia ſanguis deſignat redemptionem à Chriſto in populum deriuatam: vnde & ſanguini admiſcetur aqua, quæ ſignificat populum: & quia Diaconi ſunt inter ſacerdotem & populum, magis conuenit Diaconis diſpenſatio Sanguinis quàm diſpenſatio Corporis.*

Ad tertium pariter dicit, *quòd ſicut Diaconus in aliquo participat illuminatiuam virtutem ſacerdotis, in quantum diſpenſat ſanguinem, ita ſacerdos participat perfectiuam diſpenſationem Epiſcopi, in quantum diſpenſat hoc ſacramentum, quo perficitur homo ſecundum ſe per comparationem ad Chriſtum: aliæ autem perfectiones, quibus homo perficitur per comparationem ad alios, Epiſcopis reſeruantur.*

Digitized by Google

Iis enim reſponſionibus videtur innuere ordinariam quodammodo Sanguinis Chriſti diſtribuendi penes Diaconos eſſe poteſtatem. Eique ſuffragari videntur Richardus in quartum diſtinct. 13. quæſt. 3. ad primum, Alenſis part. 4. quæſt. 1. membro 3. Scotus reportatorum in quartum; diſt. 13. quæſt. 2. & in ſcripto Oxonienſi in quartum, diſt. 24. qui omnes ſimiliter reſpondent diſcrimen eſſe inter diſpenſationem Corporis Chriſti, & Sanguinis, quòd hæc Diacono committi ſoleat, illa minimè. Nihilominùs Durandus in quartum diſtinct. 13. quæſt. 4. art. 2. Suarez loco ſuperiùs citato ſubtiliùs rem inquirentes, neque Corporis, neque Sanguinis Chriſti diſpenſandi auctoritatem & ordinariam poteſtatem attribuunt Diacono, ſed ſolis Sacerdotibus, quibus vtriuſque conſecrandi poteſtas conceditur, eos ſolos dicunt dare poſſe Corpus Chriſti & Sanguinem, qui eum conficiunt; quamuis per Diaconos aut vnum aut vtrumque diſpenſent.

Nec alia fortè D. Thomæ, & cæterorum citatorum ſententia eſt; ſed vt vt ſit, ſequitur Theologos omnes mecum ſaltem ſentire ordinariam poteſtatem & auctoritatem Corporis Chriſti diſpenſandi penes Diaconos non eſſe. Rem inferiùs magis explicabo, & antiquorum teſtimoniis confirmabo.

Primùm itaque dico neque Corporis, neque Sanguinis Chriſti diſpenſandi ordinariam poteſtatem & auctoritatem penes Diaconos eſſe: ſicut enim non cenſetur miniſter, qui dona à Domino deſtinata diſtribuit, ea auctoritatiuè diſpenſare, aut eorum donorum diſtribuendorum habere ordinariam poteſtatem, ſed tantùm delegatam inſtrumentalem, & miniſterialem: ita nec Diaconus qui diuina dona ſacerdotis ore conſecrata diſtribuit, ea cenſetur auctoritate propriâ vel ordinariâ poteſtate & ex officio diſpenſare, ſed delegatâ poteſtate ſibi commiſſâ miniſteriali & inſtrumentali, quæ Diaconi nomini & gradui conuenit.

Quam vtique poteſtatem delegatam & inſtrumentalem, non autem propriam & ordinariam Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 8. cap. 28. Diacono attribuunt, dum aiunt, διάκονος οὐκ εὐλογεῖ, οὐ δίδωσιν εὐλογίαν, λαμβάνει δὲ παρὰ ἐπισκόπου, καὶ πρεσβυτέρου, *Diaconus non benedicit, nec dat benedictionem, accipit verò ab Epiſcopo & Presbytero*: cuius ſenſus eſſe poteſt, quòd Diaconus neque dona Euchariſtica aut alia conſecret aut benedicat, neque benedicta vel conſecrata auctoritate propriâ diſpenſet, ſed accepta tantum ab Epiſcopo vel Preſbytero tanquam eorum inſtrumentum diſtribuat, quem ſenſum clariùs mox verba iſta ex iiſdem adducta confirmant: τοῦ δὲ ἐπισκόπου προσενεγκόντος, ἢ τοῦ πρεσβυτέρου, αὐτὸς ἐπιδίδωσι τῷ λαῷ οὐχ ὡς ἱερεύς, ἀλλ' ὡς διακονούμενος ἱερεῦσι, *Oblatione vero ab Epiſcopo aut Presbytero factâ ipſe Diaconus dat populo, non tanquam ſacerdos, ſed tanquam qui miniſtrat Presbyteris.* Eadem ferè verba Auctoris quæſtionum vtriuſque Teſtamenti inter Opera Auguſtini quæſt. 100. *Diaconi ergo ordo accipere à Sacerdote, & ſic dare plebi*: quo loco plura adiungit ad Diaconorum depreſſionem, quæ miniſtris ordinariis ſacramenti Euchariſtiæ minimè conuenirent.

Confirmat eandem doctrinam Clemens Alexandrinus lib. 7. non longè ab initio, duo genera cultuum ſeu officiorum ſtatuens, vnum quòd meliores ſiue animas ſiue corpora reddit, quale officium à Philoſophis in animabus, & à Medicis in corporibus ſanandis impenditur. Alterum quòd in famulitio & obſequio erga ſuperiores ac miniſterio conſiſtit, quale à filiis parentibus, à ſubditis Magiſtratibus redditur; tum quale ſit Preſbyterorum & Diaconorum officium ſubiungit, ὁμοίως δὲ κατὰ τὴν ἐκκλησίαν, τὴν μὲν βελτιωτικὴν (θεραπείαν) οἱ πρεσβύτεροι σώζουσιν εἰκόνα, τὴν ὑπηρετικὴν δὲ οἱ διάκονοι. *Similiter autem in Eccleſiam illud quidem (officium) quod meliores facit Presbyteri ſeruant, illud autem quod ſeruit, Diaconi.* Si enim perficiendi, ſanandi, ac meliores reddendi animas officium Clemens Alexandrinus denegat Diaconis: ordinariam Euchariſtiæ diſtribuendæ auctoritatem, per quam anima perficitur, ſanatur, ac melior efficitur; auctoritatem denegat, nec eis niſi miniſterialem ὑπηρετικὴν relinquit.

Quæ cauſa fortè induxit Dionyſium, vt in ſacra Euchariſtia diſtribuenda Diaconis, nonniſi adſiſtendi Pontifici ac Sacerdotibus, iiſque miniſtrandi officium tribuerit de Eccleſiaſtica hierarchia cap. 3. Vtrùm autem Tertullianus de Corona militis cap. 3. dum ait, *Euchariſtiæ ſacramentum nec de aliorum manu quàm præſidentium ſumi*; Diaconos ab ea diſpenſatione excludat, non adeò certum eſt: nam quinam ſint

illi præſidentes colligere aliquis volet, ex alio eius loco Apologetici cap. 39. vbi ſynaxi præſidere dicuntur *probati quique ſeniores*: at probati ſeniores non ſunt niſi Preſbyteri, & qui ſupra eos ſunt Epiſcopi, & quamuis Præſidentes dici poſſint Diaconi, quòd populis præſideant, non tamen reſpectu ſacrorum præſident, quorum conficiendorum poteſtas ipſis denegatur: ideòque ab Ignatio Preſbyteri non Diaconi dicuntur ἀρχιερεῖς, ſeu *præſidentes ſacri*, epiſt. 9. ad Philadelphienſes. Sed eſto præſidentium nomine etiam ex mente Tertulliani ſignificentur Diaconi, non poteſt tamen Celſotius huic explicationi conſentire, qui ab omni principatu & præſidentia Diaconos remouet. Ideóque ſaltem in Africanis Eccleſiis tempore Tertulliani numquam Euchariſtiæ ſacramentum de manu aliorum quam ſacerdotum ſumi conſueuiſſe cogetur admittere, ac proinde non vniuerſalem primis etiam Eccleſiæ ſæculis hunc morem quem ſupponit fuiſſe, vt Euchariſtia de Diaconorum manu ſumeretur.

Ignatius Antiochenus epiſt. 5. ad Trallianos, & 13. ad Heronem Diaconum, nonniſi miniſtrantes ſacerdotibus nobis exhibet Diaconos, non propriâ auctoritate ſacramentum Euchariſtiæ imò nec commiſſione ſub ſacerdotibus diſtribuentes. Probabilius arbitror ſaltem Chriſti Sanguinem ſub ſpecie vini à Diaconis propinari fidelibus ſolitum fuiſſe, quin etiam Corpus Chriſti interdum ab iiſdem adminiſtratum, vt mox dicemus. Nihilominùs Diaconos per ſe principaliter ad iſta munia inſtitutos non fuiſſe, nec eam poteſtatem ordinariam habuiſſe, nec omninò ex primaria ſua inſtitutione, colligere mihi videor ex verbis Chryſoſtomi homil. 14. in cap. 6. Actorum: ex quibus elicuit Synodus Trullana Can. 16. viros iſtos, qui narrantur in Actibus Apoſtolorum creati ab Apoſtolis Diaconi, non ad miniſtrandum myſteriis, in diſtributione ſcilicet Euchariſtiæ, ſed ad menſarum miniſterium, viduarum ac pauperum curam fuiſſe deſtinatos: quod eo ſenſu interpretandum arbitror appoſitè doctrinæ à nobis traditæ, non quòd non Diaconorum ordo aptos eos reddiderit, quibus officium diſtribuendi Corporis Chriſti ſub ſpecie panis, & maximè Sanguinis è calice conſecrato propinandi committatur, ſed quòd poteſtatem ordinariam, & auctoritatem ea diſpenſandi minimè ex vi inſtitutionis ſuæ habuerint, ſed ſolùm ex commiſſione Epiſcoporum & Preſbyterorum, quos cùm Chryſoſtomus nondum in Eccleſia Hieroſolymitana ordinaria cum poteſtate conſtitutos crederet, necdum vllos alicui Eccleſiæ addictos putaret, ſed ſolùm Apoſtolos tunc temporis fuiſſe arbitraretur, nulli loco adſtrictos, ſed cum extraordinaria poteſtate miſſos. Ideò nec dum putauit Diaconos creatos, qui ab officio iſto miniſtrandi altari, ex iuſſione Preſbyteri vel Epiſcopi Euchariſtiæ ſacramentum miniſtrarent.

Sententia Chryſoſtomi fateor obſcura eſt, quæ hoc loco referenda, ὁ ποῖον δ' ἄρα ἀξίωμα εἶχον οὗτοι ϗ ποίαν ἐδέξαντο χειροτονίαν, ἀναγκαῖον μαθεῖν. ἆρα τὴν τῶν διακόνων; καὶ μὴν τοῦτο ἐν ταῖς ἐκκλησίαις οὐκ ἔστι. ἀλλὰ τῶν πρεσβυτέρων ἐστὶν ἡ οἰκονομία. καίτοι οὐδέπω οὐδεὶς ἐπίσκοπος ἦν· ἀλλ' οἱ Ἀπόστολοι μόνοι. ὅθεν οὔτε διακόνων, οὔτε πρεσβυτέρων οἶμαι τὸ ὄνομα εἶναι δῆλον, ϗ φανερόν. hæc autem ſententia, quæ ad verbum reddita vix habet ſenſus, ita reddi poteſt iuxta leges ſinceræ verſionis; *quamnam autem habebant auctoritatem? cuius rei commiſſam poteſtatem? aut eam quæ iam eſt Diaconorum? ſed nondum illa in Eccleſiis erat: an diſpenſatio Presbyterorum iis credita? atqui nullus adhuc erat Epiſcopus: ſed ſoli in Eccleſia Apoſtoli. Vnde nec Presbyterorum nec Diaconorum nomen apertum eſſe exiſtimo, & manifeſtum.*

Chryſoſtomi in omnibus hanc ſententiam veram me præſtare minimè profiteor: ſed eo ſenſu ab errore libero, doceóque eius mentem fuiſſe Diaconos ex ſua inſtitutione commiſſam non habuiſſe Euchariſtiæ ſacramenti ordinariam diſpenſationem: itémque poteſtatem, quam poſteà illius adminiſtrandi ſuſceperunt, miniſterialem tantùm eſſe ac delegatam; ac proinde rectè inferri nondum conſtitutis Epiſcopis, ac Preſbyteris, quorum inſtrumenta forent Diaconi, nec ipſos iſtâ poteſtate viſos fuiſſe.

Iis omnibus addo verba iſta ſancti Thomæ, quæ ab Eccleſia decantari ſolent tanquam fidei Eccleſiæ expreſſa teſtimonia, *Sic ſacrificium iſtud inſtituit, cuius officium committi voluit, ſolis Presbyteris, quibus ſic congruit, vt ſumant, & dent cæteris.* Quibus è diametro pugnantia ſcribit Cellotius, dum Diaconos per ſe tanquam miniſtros ad ea officia conſecratos agnoſcit.

Dico

Dico ſecundò, quantumuis in Eccleſia veteri Diaconos conſtet non ſolùm Sanguinis Chriſti ſub ſpecie vini diſpenſatores interdum fuiſſe, verùm etiam Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, nihilominùs faciliùs diſpenſandi Sanguinis Chriſti poteſtatem ipſis commiſſam, quàm Corporis Chriſti, quæ eùm nunquam niſi in neceſſitate ipſis aſſignata fuerit, extraordinaria omni titulo dici poteſt, non ſolùm quia ordinaria & propria non eſt, ſed delegata, verùm etiam quia minùs vſitata, nec niſi vrgente neceſſitate legitur conceſſa.

Certè liquidò conſtat teſtimonio Clementis Romani in Conſtitutionibus Apoſtolicis ſuperiùs allato, Diaconos Euchariſtiæ ſacramentum aliquando populis diſtribuiſſe; conſtat item euidenti teſtimonio Iuſtini Martyris Apologiâ ſecundâ eoſdem Diaconos & calicem & panem conſecratum fidelibus diſtribuiſſe, verba ſiquidem eius clarè id atteſtantur, *οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι, διδόασιν ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου, καὶ ὕδατος, καὶ τοῖς οὐ παροῦσιν ἀποφέρουσι. Qui apud nos vocantur Diaconi, diſtribuunt vnicuique præſentium, vt participet gratiarum actione benedictum panem, vinum & aquam, & ad abſentes perferunt.*

Conſtat ex teſtimonio Auctoris de ſeptem gradibus, cap. *de quinto gradu Eccleſiæ*, vbi expreſsè hæc habet, *Et ſicut in ſacerdote conſecratio, ita in miniſtro eſt Sacramenti diſpenſatio. Ille oblata ſanctificat, hic ſanctificata diſpenſat. Ipſis etiam ſacerdotibus propter præſumptionem non licet de menſa Domini tollere calicem, niſi eis traditus fuerit à Diacono.* Quæ verba etiam exſcripta habentur à Rabano Mauro libro primo *de inſtitutione Clerici*, capite ſeptimo, oſtendúntque aptos per Diaconatum effici Diaconos, qui ſanctificata à ſacerdote diſpenſent; præſertim verò calicem conſecratum, quem ex Eccleſiæ ritu Preſbyter à Diacono de altari debebat accipere. Colligunt etiam idipſum aliqui ex Conciliis Ancyrano & Nicæno: nam Concilium Ancyranum can. 2. Diaconos lapſos iubet, *πεπαῦσθαι αὐτοὺς πάσης τῆς ἱερᾶς λειτουργίας, τῆς τε ἢ ἄρτον ἢ ποτήριον ἀποφέρειν. Ceſſare ab omni ſacro miniſterio, ſiue à pane, ſiue à calice offerendo.* Vnde inferunt Diaconos antequam plecterentur, à pane & calice offerendo vacaſſe.

Sed argumentum iſtud infirmum eſt, quia de oblatione panis & calicis in altari ſermo eſſe poteſt, quæ nempe Diaconi ex proprio officio ad altare ſacerdoti conſecranda offerebant, teſte Iſidoro libro ſecundo *de diuinis officiis*, capite octauo, Alcuino, & aliis; non autem de oblatione eorumdem conſecratorum populo. Concilium verò Nicænum canone decimo-octauo, aliàs decimo-quarto, reprehendit abuſum in quibuſdam locis, & ciuitatibus, quòd Diaconi Ppreſbyteris ſacramenta gratiam ſacræ Communionis porrigerent, quem extirpandum dicit, *ὅπερ οὔτε ὁ κανών, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκεν, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. Quod nec regula nec conſuetudo tradidit, vt ab iis qui poteſtatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Chriſti Corpus accipiant.* Nos ex iſto Canone hæc tantum deduci poſſe dicimus, primùm in quibuſdam locis & ciuitatibus abuſum irrepſiſſe, vt Diaconi Presbyteris Corpus etiam Chriſti traderent. Alterum hunc abuſum nec canone, nec veteri conſuetudine niti à Concilio Nicæno declaratum fuiſſe. Tertium viſum eundem fuiſſe rationi diſſentaneum Nicænis Patribus, indignum ducentibus, quòd ij qui Corpus Chriſti offerre in ſacrificium non poſſunt, ſacerdotibus hanc poteſtatem habentibus diſtribuere præſumerent. Nihil autem ſtatutum, nihil propoſitum, licerétne Diaconis aliis quàm Preſbyteris Chriſti corpus diſtribuere. Proindeq; perperàm niteretur aliquis ex eo canone poteſtatem iſtam Diaconorum firmare; quinimò eodem canone vetatur, ne ſibi ipſis ſacram Euchariſtiam tribuant, ſed eam ſumant, *ἢ τοῦ ἐπισκόπου διδόντος αὐτοῖς, ἢ τοῦ πρεσβυτέρου, aut Epiſcopo eis aut Presbytero porrigente*, quod quidem arguit nequaquam diſtribuendi corporis Chriſti ordinariam eos habuiſſe poteſtatem.

Nihilominùs ex eodem can. prout legitur apud Ruffinum lib. 10. hiſt. cap. 6. in abſentia Presbyterorum id muneris habuiſſe etiam Diaconos colligi poteſt, hunc enim canonem, quem 20. ſtatuit, ita vertit, *Ne Diaconi Presbyteris præferantur, neve in eorum conſeſſu ſedeant, aut illis præſentibus Euchariſtiam diuidant, ſed agentibus ſolùm miniſtrant: ſin nullus Presbyter præſens ſit, tunc eis demùm diuidere licet, aliter agentes abiiciendi.* Quem Eccleſiæ morem fuiſſe Ruffini tempore, quæ infrà docebimus, oſtendent: ſed iſta extraordinarium tantùm munus hoc Diaconorum fuiſſe demonſtrant.

Idem etiam mos confirmatur ex Trullano can. 23. quo dans Communionem Epiſcopus, Preſbyter aut Diaconus, ſi quid auri exigat, deponi iubetur: nam ſupponit iſte Canon Epiſcopos, Preſbyteros & Diaconos Communionem dediſſe: ſed non ideò conuincitur Corpus Chriſti præbuiſſe, cùm Canon quoad Diaconum de ſanguinis diſpenſatione intelligi poſſit. Ducitur etiam argumentum ex 59. can. eiuſdem Concilij, quo laicus plectitur, qui præſente Epiſcopo, Preſbytero vel Diacono ſacra myſteria tradit; ſed non ex eo ordinaria poteſtas penes Diaconum ſacrorum myſteriorum diſtribuendorum reſidere colligitur. Satis vtique eſt ſi quacumque vrgente neceſſitate ſatius ſit à Diacono Euchariſtiam, quàm à ſeipſo ſumere.

Probatio etiam huius conſuetudinis ex Chryſoſtomi verbis, à quibuſdam deſumitur, homiliâ 60. ad populum Antiochenum, homiliâ 83. in Mathæum, & homiliâ *de non contemnenda Eccleſia, & myſteriis*, quibus quidem Diaconis poteſtatem diſtribuendæ Euchariſtiæ commiſſam fuiſſe arguunt: nam verbi gratià, duobus prioribus homiliis hæc Chryſoſtomus, ταῦτα πρὸς ὑμᾶς τοὺς μεταλαμβάνοντας λέγω, καὶ πρὸς ὑμᾶς τοὺς διακονουμένους, καὶ γὰρ ἀναγκαῖον καὶ πρὸς ὑμᾶς διαλεχθῆναι, ὥστε μετὰ πολλῆς τῆς σπουδῆς διανέμειν [ταῦτα] τὰ δῶρα. *Hæc tam ad vos, qui communicatis, quàm ad vos qui miniſtratis dicta eſſe volo, oportet enim eadem ad vos dicere, vt magno ſtudio & diligenti curâ dona hæc diſtribuatis.* Et paulò pòſt, τοῦτο ὑμῶν ἡ ἀξία, τοῦτο ἡ ἀσφάλεια, τοῦτο ὁ στέφανος ἅπας. οὐχ ἵνα λευκὸν χιτωνίσκον καὶ ἀποστίλβοντα περιβαλλόμενοι περιίητε. *Hæc eſt dignitas veſtra, hæc ſtabilitas, hæc corona præcipua, non vt tunicam induti candidiſſimam circumeatis.*

Fateor probabile videri hæc verba etiam ad Diaconos directa, qui vel Presbyteris ſacram Euchariſtiam porrigentibus miniſtrarent, & indignos à ſacra menſa (quod eorũ proprium purgandi officium eſt) arcerent, vel qui calicem conſecratum propinarent, imò etiam vel ipſum Corpus Chriſti diſpenſarent. Sed hoc vltimum ex iis verbis certò confici non video: neque hæc ad ſolos Diaconos directa eſſe exiſtimo; quandoquidem & Presbyteri adminiſtrantes ſacram Euchariſtiam διακονούμενοι ab iſto miniſterio dici potuerint, & conſtat ex ipſo Chryſoſtomo pluribus in locis; ſacerdotéſque ſæpiùs ſaltem adminiſtrandæ & diſpenſandæ ſacræ Euchariſtiæ vacaſſe indubitatum ſit: vnum ex pluribus Chryſoſtomi locum profero ex homilia quinquageſima prima in Mathæum, in quo hæc habet, ὅταν τοίνυν τὸν ἱερέα ἐπιδιδοῦντά σοι ἴδῃς, μὴ τὸν ἱερέα νόμιζε τὸν τοῦτο ποιοῦντα, ἀλλὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ χεῖρα εἶναι τὴν ἐκτεινομένην. *Quando igitur ſacerdotem corpus tibi præbentem videris, noli ſacerdotis, ſed Chriſti manum ad te porrigi arbitrari.* Proprium eò loci ſacerdotum officium facit Corporis Chriſti vice ipſius Chriſti diſpenſationem, tantùm abeſt, vt Diaconis hoc committi ſæpiùs conſueuiſſe crediderit.

Profertur etiam ſancti Leonis teſtimonium, ſermone in natali ſancti Laurentij, quem *non ſolùm miniſterio ſacramentorum, ſed etiam diſpenſatione Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ præeminentem* vocauit: ſed cùm miniſterium tantùm dixerit, non diſpenſationem ſacramentorum, nihil ex eo colligi poteſt. Vix ergo vlla proferri poſſunt, quæ Diaconis ex vſu paſſim recepto Eccleſiæ Corporis Chriſti diſpenſationem ſuſcepiſſe demonſtrent. E contrà verò ſi aliquando contingeret hoc illos munus obiiſſe, nonniſi in ſubſidium Presbyterorum, & vrgente neceſſitate eos ad id muneris præſtitiſſe, plurima notum faciunt, Canon ſcilicet Nicænus citatus ſecundum verſionem Ruffini, Canon 38. Concilij Carthaginenſis IV. *Diaconus præſente Presbytero Euchariſtiam Corporis Chriſti populo, ſi neceſſitas cogit, iuſſus eroget.* Canon decimusquintus Concilij Arelatenſis ſecundi, *In ſecretario, Diacono inter Presbyteros ſedere non liceat, vel Corpus Chriſti præſente Presbytero tradere præſumat, quod ſi fecerit, ab officio Diaconatus abſcedat.* Decretum Gelaſij epiſtolâ ad Epiſcopos Lucaniæ capite decimo, *Sacri Corporis prærogationem* (Diaconi) *ſub conſpectu Pontificis, ſeu Presbyteri, niſi his abſentibus, ius non habeant exercendi.* Concilij Eboracenſis Conſtitutio citata. Statuta Odonis Pariſienſis capitulis de Sacramento Altaris canone quinto, *Non permittant Presbyteri Diaconis*, &c. *deferre infirmis ſacroſanctum Corpus Domini, niſi in neceſſitate cùm ſacerdos abſens fuerit, ſed ſemper cum magna reuerentia & maturitate deferat.*

Quamobrem ex iis decretis Eccleſiaſticis colligitur, neque paſſim, neque frequen-

ter, neque qualibet datâ occaſione, ſed nonniſi in neceſſitate permiſſum Diaconis panem conſecratum fidelibus diſtribuere: ac proinde extraordinariè duntaxat ad illud munus obeundum dici poſſe deſtinatos. Quod vtique confirmari poteſt ex eo quòd tanquam propria ſacerdotibus eiuſdem Euchariſtiæ diſtributio referatur in epiſtola Cornelij apud Euſebium libri ſexti capite trigeſimo quinto, Concilij Toletani primi Canone decimo tertio, epiſtolâ vigeſimâ ſecundâ, Auguſtini capite quinto, & Nicephori lib. 10. cap. 25. & innumerorum aliorum auctorum operibus.

Quin etiam ex eo quòd Sanguinis Dominici diſpenſatio abſque mentione panis conſecrati, commiſſa longè frequentiùs reperiatur. Si enim vtramque ſpeciem Sacramenti ex æquo diſtribuere potuiſſent Diaconi, neque vna ſolitariè ſpecies ab iis adminiſtrata legeretur, neque toties vnius, putà calicis Dominici: nec de pane conſecrato a Diacono fidelibus tradito tam altum eſſet ſilentium, vt nonniſi à pauciſſimis auctoribus eius mentio reperiatur: cùm è contrà Sanguis Dominicus ſub vini ſpecie, abſque mentione panis conſecrati, ab iiſdem diſtributus ſæpè legentibus occurrat. Nam verbi gratiâ, lib. 8. Conſtitutionum cap. 13. hæc leguntur: καὶ ὁ μὲν ἐπίσκοπος διδότω τὴν προσφορὰν λέγων· σῶμα Χριστοῦ, καὶ ὁ δεχόμενος λεγέτω. ἀμήν. ὁ δὲ διάκονος κατεχέτω τὸ ποτήριον, καὶ ἐπιδιδοὺς λεγέτω. αἷμα Χριστοῦ, ποτήριον ζωῆς, *Atque Epiſcopus quidem tribuat oblationem, dicens, Corpus Chriſti; & qui accipit, dicat, Amen; Diaconus verò retineat calicem, & tribuens aliis dicat, Sanguis Chriſti, calix vitæ.* Epiſcopo vt pote ſacrificatori Corporis adminiſtratio tribuitur, Diacono adminiſtrandi calicis conſecrati diſpenſatio. Apud Cyprianum ſer. de lapſis. *Vbi verò*, inquit, *ſolemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit: faciem suam paruula inſtinctu diuinæ maieſtatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare. Perſtitit tamen Diaconus; & reluctanti licèt, de Sacramento calicis infudit.* Apud veterem Scriptorem vitæ ſancti Laurentij, *Experire*, ait ſanctus Laurentius Xiſto, *vtrùm idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem, cui conſummandorum conſortium Sacramentorum credidiſti, huic ſanguinis tui conſortium negas?* Quem ſecutus Ambroſius libri primi Officiorum capite quadrageſimo primo, eadem verba repetit, præterquam quòd loco vocis *diſpenſationis*, conſecrationem nominat, quemadmodum habetur in editione Baſileenſi, anno 1492. necnon in veteri Manuſcripto, quod à ſe viſum citat Hugo Menardus notis in paginam 159. libri ſacramentalis Gregorij lineâ 22. *quamuis*, aliquando apud Ambroſium aliter lectum fatear, putà *experire vtrùm idoneum miniſtrum elegeris cui commiſiſti Dominici Corporis & Sanguinis conſecrationem.* Sic enim legunt Petrus Bleſenſis epiſtolâ tertiâ, & Petrus Cantor libro manuſcripto, *de verbo mirifico*, capite quadrageſimo primo, citato ab eodem Hugone Menardo; quo tamen loco conuenit vterque, quòd conſecratio pro diſpenſatione ſumatur, *Nobis enim Diaconis*, inquit Bleſenſis, *conſecratio illius Saluatricis hoſtiæ committitur, non vt conficiamus, ſed vt conficientibus humiliter adſiſtamus*: Cuius veſtigiis inſiſtens alter, *non ad conficiendum*, conſecrationem Diaconis committi docet, *ſed ad adſiſtendum, qui ſicut ſecretarius altaris particeps eſt confectionis Euchariſtiæ, non quia ſumat & conficiat: non quia hoc ſine eo non poſſit fieri, ſed quia celebriùs & in maiori reuerentia conficitur Corpus Domini cum præſentia miniſtri, & teſtimonio eius.* Sed hæc alibi fortaſſè fuſiùs. Diſpenſatio porrò ſolius Sanguinis Diacono hîc commiſſa legitur non corporis, iuxta veteres omnes editiones ac correctiores, vt diſcas Diacono Sanguinis propinandi poteſtatem frequentiùs commiſſam fuiſſe quàm corporis.

Apud Leonem ſerm in Natali S. Vincentij cap. 2. *Huius denique Spiritus tanto virtutum munere claruit, vt ſacri miniſterij fultus officio, qui Filium Dei Dominum noſtrum ſecutus eſſet in Paſſione eiuſdem Chriſti calicem credentibus priùs miniſtraret in ſalutem.* apud Aratorem lib. 1. hiſtoriæ Apoſtolicæ,

Iura miniſterij ſacris altaribus apti
In ſeptem ſecuere viros, quos vndique lectos
Leuitas vocitare placet, quàm ſplendida cœpit
Eccleſiæ fulgere manus, quæ pocula vitæ
Miſceat, & laticem cum ſanguine porrigat Agni.

Apud auctorem veteris ordinis Romani editi à Caſſandro, pag. 23. *Recepto calice Archi-*

diaconus confirmat omnes ſanguine Dominico. Item ſicut Archidiaconus confirmat quos Pontifex *communicat, ſic reliqui Diacones confirmant quos Epiſcopi, ſiue Presbyteri poſt Pontificem communicant.* Apud auctorem Miſſæ veteris ex Cod. Racoldi Abbatis Corbeienſis in Appendice ad lib. Sacramentorum S. Gregorij edito per Hugonem Menardum, *&* *Diaconi & Presbyteri ſummatim guſtent cum calice tenente Diacono de ipſo ſanguine.* Qui tamen ritus omittitur in veteri alio ritu celebrandæ Miſſæ, cuius auctor dicitur Ioannes Abrincenſis, quem edidit idem Hugo ex Cod. Manuſcripto Prioratus Salicoſani apud Velocaſſes, in quo ſoli Sacerdoti communicandi munus adſcribitur. Oſtendunt, inquam, hæc & ſimilia Diaconum calicis propinandi poteſtatem longè frequentiùs ſuſcepiſſe, quàm Corporis Chriſti ſub ſpecie panis diſtribuendi, vixque abſque ingenti neceſſitate conceſſum, vt Diaconi panem conſecratum fidelibus diſtribuerent. E contrà verò conceſſum liberiùs, vt Sanguinem populo miniſtrarent: ſcilicet cùm ſacerdos populo Corpus Chriſti ſub panis ſpecie diſpenſaret, ponè erat Diaconus, qui calicem propinaret: Neque enim plures ſacerdotes in Ruſticanis Eccleſiis ſolebant reſidere, nec vnus ſingulis ſtatim poſt Corpus Chriſti ſub ſpecie panis poterat commodè eiuſdem Sanguinem ſub ſpecie vini diſtribuere, neque Euchariſtiæ ſumptio dimidiari ſolebat, ſed ſtatim atque vnicuique panis conſecratus diſtributus fuiſſet, mox calix porrigi ſolebat; non enim conſentaneum videbatur eiuſdem conuiuij conſummationem interpolatis ſumptionibus abrumpere. Ideóque neceſſarium videbatur ob miniſtrorum paucitatem, vt calix benedictus à Diaconis diſtribueretur, conſecratus panis à ſacerdote frangeretur.

Nitebatur etiam hæc conſuetudo rationibus à D. Thoma ſuperiùs prolatis, quibus iſtam etiam adiungimus, quia nempe vt conſtaret Diaconum plus auctoritatis in calicem conſecratum habere, quàm in panem conſecratum, ſacerdos ex ritu Romanæ Eccleſiæ ſolus panem conſecratum offert, Diaconus ſimul cum ſacerdote orationem dicit in oblatione conſecrandi calicis. Ad neutrum autem diſtribuendum videtur auctoritatem vel poteſtatem ordinariam habuiſſe Diaconus: quamuis ordo Diaconatus eum idoneum reddat, cui iſta poteſtas præſertim ſanguinis diſtribuendi committi & delegari poſſit. Neque verò ex eo quòd commiſſa olim rariùs quidem Corporis Chriſti ſub ſpecie panis, crebriùs autem ſanguinis ſub ſpecie vini diſpenſandi Diaconis fuerit poteſtas, auctoritatem & poteſtatem ordinariam ipſis inſidentem inferre licet: nam nec Cellorius ipſe, vt opinor, dixerit laicos Euchariſtiæ diſpenſandæ ordinarios eſſe miniſtros; & tamen per laicos aliquando Corpus Chriſti tranſmiſſum indicat hiſtoria Serapionis c. 36. lib. 6. Euſebij; Ruffini lib. 1. c. 34. Nicephori c. 6. lib. 6. In qua tamen hoc obſeruabis, Serapionem ex morbi violentia periclitantem aliquem ad ſe aduocari Presbyterum petiiſſe, qui ſacram Communionem porrigeret; Presbyterum autem, qui propter morbi vexationem venire non poterat, ne Serapion abſque ſalutari iſto viatico ex hoc ſæculo migraret, cùm ad ægrotum accedere non poſſet, per puerum ſacræ Euchariſtiæ particulam miſiſſe; ex qua narratione deduces etiam per laicum in neceſſitate Corpus Chriſti aliquando miſſum: ſed Presbyterum eiuſdem Sacramenti diſtribuendi ordinarium diſpenſatorem creditum fuiſſe.

Per Acolytos quoque Chriſti corpus olim etiam tranſmiſſum docet narratio paſſionis Tharſicij Acolyti, in Martyrolog. Romano, Bedæ & Adonis, & in actis Stephani Papæ & martyris à vetuſtiſſimo auctore conſcriptis, quæ vtique referunt ipſum Chriſti ſacramenta portantem, nolentémque prodere Chriſti ſacramenta, quæ geſtabat, à paganis occiſum, ſacrilegóſque diſcuſſores nihil Sacramentorum Chriſti in manibus aut in veſtibus poſt eius mortem inueniſſe. Quin etiam prioribus Eccleſiæ ſæculis Chriſti ſacramenta in manus tradita populorum, fidem faciunt Dionyſius Alexandrinus epiſt. ad Sixtum Papam apud Nicephorum lib. 6. cap. 9. Cyprianus de bono patientiæ; Cyrillus Catecheſi myſtagogicâ 5. Synodus Trullana can. 102. Damaſcenus lib. 4. fidei Orthodoxæ cap. 14.

In more etiam poſitũ fuiſſe tempore perſecutionis, vt Euchariſtia deferretur, & aſſeruaretur domi, vt vel morte imminente vel ſynaxeon interrupta, aut propter conueniẽd. ſimul difficultates, diu dilatâ celebratione ſumi poſſet, vt teſtantur Tertullianus l. 2. ad vxorem lib. de Orat. in fin. Cyprianus ſer. de lapſis, l. de ſpectac. ep. 56. Clemens Alex. circa initium lib. 1. Strom. qui & ait permittendum vnicuique è populo, vt Euchariſtiæ partem ſumant. Nec non Baſilius epiſt. 289. ad Cæſariam Patriciam, in qua plurima

Digitized by Google

præſenti diſputationi conſentanea habentur quæ ipſi proinde colophonem imponent.

Primùm licuiſſe aliquando tum propter perſecutionem, tum propter alias neceſſarias vel honeſtas occaſiones ab Eccleſia probatas abſente tum Preſbytero, tum etiam Diacono ſacram Euchariſtiam domi aſſeruatam à ſeipſo ſumere, Ita enim Baſilius, τὸ δὲ ἐν τοῖς τοῦ διωγμοῦ καιροῖς, ἀναγκάζεσθαί τινα μὴ παρόντος ἱερέως ἢ λειτουργοῦ, τὴν κοινωνίαν λαμβάνειν τῇ ἰδίᾳ χειρὶ, *Quoniam vero per tempora illa perſecutionum cogebantur homines neceſſariò, vel miniſtro non præſente propriis manibus percipere Communionem*; quam rem grauiter, aut iniquè ferendam non eſſe probat, propter inueteratam conſuetudinem, quæ hoc ipſum confirmatum dederat, cui affinia exempla profert, 1. eorum qui vitam Monaſticam inſtituunt; qui ὅπου μὴ ἔστιν ἱερεύς, *vbi non eſt copia ſacerdotis*, quam habent domi Communionem propriis manibus percipiunt, etiam laicorum Alexandriæ & in tota Ægypto commorantium, & in quibus prouinciis teſtatur vnumquemque etiam de plebe, vt plurimùm habere domi Communionem, ex ea ſcilicet parte, quam in manus ſumebat, cum omni libera poteſtate, atque ſuis propriis manibus ſuo ori admouebat. Ex eius tamen verbis colligi videtur, nonniſi abſente Preſbytero, vel miniſtro propriis manibus Euchariſtiam percipere licuiſſe: nam abſentiæ Preſbyteri & miniſtri primùm meminit, tanquam cauſæ, propter quàm perſecutionis tempore fideles primitiuæ Eccleſiæ propriis manibus communicarent; iterúmque abſentiæ ſacerdotis mentionem facit, ob quam Monachi, qui in eremis exercentur, apud ſe Communionem, & à ſeipſis reciperent; quam abſentiam licèt, vbi de plebe loquitur, referre prætermittat, ne lectori faſtidium ingereret, eandem tamen ſubintelligi voluit, vbi quod plebi quoque licuiſſet, oſtendit. Alterum notandum, ex eo quòd laicis, nonniſi abſente Preſbytero vel Diacono ſacram Euchariſtiam ſibi ipſis ſumere conceſſum ſit, prærogatiuam Presbyteri ac Diaconi in hoc ſacramento diſtribuendo præ laicis oſtendi, quam in eo ſitam explico, quod vterque ſit Eccleſiæ miniſter; vterque eius confectioni cooperatus ſit, ille conſecrando, hic adſiſtendo, & conſecrata in altari exhibendo; vterque nomine Eccleſiæ, cuius dignitatem ſuſtinet, Euchariſtiam dare poſſit; vterque tandem ad illud munus obeundum deputari queat: cum laico ſibi tantùm ſumere, vel ſemel, aut iterùm in neceſſitate aliis deferre concedi tantùm poſſit.

Tertium, ſacerdotis etiam prærogatiuam ex eodem diſces, quòd vbi primùm abſentiam tum Presbyteri, tum Diaconi protuliſſet, quâ poſitâ licuerit laico propriâ manu Communionem ſumere, mox ſacerdotis abſentiæ ſolius meminit, quia hic ſolus miniſter eſt ordinarius, ille nonniſi extraordinarius, & Presbyteri vicem gerens, eiuſque loco publicâ auctoritate ſubſtitutus, quam Presbyteri prærogatiuam ſingularem ſequentibus mox verbis explicat, ἅπαξ γὰρ τὴν θυσίαν τοῦ ἱερέως τελειώσαντος καὶ δεδωκότος, ὁ λαβὼν αὐτὴν ὡς ὅλην ὁμοῦ, καθ' ἑκάστην μεταλαμβάνων, καὶ ὑποδέχεσθαι πιστεύειν ὀφείλει. *Nam cùm ſemel ſacerdos hoſtiam conſecret & diſtribuat, qui ſuſceperit illam integram ſimul, quotidie de illa participare ac recipere, quam à dante acceperat ſacerdote, quam & credere debet.* Ac ſi diceret penes ſacerdotem quidem eſſe poteſtatem ordinariam & auctoritatem dandi ſacram Euchariſtiam, & ideò illum ipſum qui ſumit domi, particulam eius cæleſtis doni, quod à ſacerdote accepit, ab eodem videri accepiſſe, quia licet particulatim non ſumpſerit, neque hîc & nunc de eius manibus ſumat, tamen ſemel à ſacerdote totum accepit, quod pluries particulatim ſumeret. Diceret ſimiliter Baſilius & eum qui à Diacono Euchariſtiam recepit, quia ab eo tanquam miniſtro Presbyteri recepit, quem & oportuit à Presbytero recepiſſe, ideò à Presbytero ſumpſiſſe, & ita vnicum principalem ordinariúmq; diſpenſatorem ſacræ Euchariſtiæ eſſe ſacerdotem, Diaconum vnicum eſſe publicum Presbyteri miniſtrum, cui publica & generalis huius Sacramenti diſtribuendi poteſtas vrgente neceſſitate committi poſſit: ac proinde vnicum extraordinarium publicum miniſtrum: laicum verò extraordinarium quidem eius diſtributorem eſſe poſſe, qui vel ſibi propriâ manu ſumendam hanc ſacram eſcam accipiat, vel priuatim in aliquo caſu neceſſitatis, huic vel illi diſpenſat; ſed non qui ad eam vnicuique petenti diſtribuendam, toto aliquo tempore, quo Presbyterorum penuria ſit, ab Eccleſia deputari legitimè poſſit.

Google

ARTICVLVS IV.

Cellotij contemptus circa Subdiaconatum ac minores Ordines.

NVLLVM Eccleſiaſticum ordinem intactum relinquit Cellotius, qui enim, vt vidimus ſuperiori articulo, adeò contemptim Diaconatus ordinem cogitabat, vt Diaconis in hierarchia ordinis locum eâ ratione daret, quâ laicis fratribus corporali Canonicorum Regularium Preſbyterorum neceſſitati famulantibus. Iam Hypodiaconos, & cæteris inferioribus ordinibus initiatos longè infra Monachos quoruis videtur reiicere: paginâ ſiquidem 556. ſeu lib. 7. *de Regularibus in hierarchia ordinis*, cap. 1. cùm retuliſſet ex Euſebio Monachum totum prorſus à communi vita abhorrentem & ſoli diuino cultui ex immenſo rerum cæleſtium amore addictum, ipſumque duntaxat corpus in terra gerentem, ſubdit, *eam ſublimitatem nec Hypodiaconus, nec Oſtiarius, nec Pſalmiſta, aut Lector affectat*; Oeſtro verò quodam percitus neſcio quid adiungit quòd aduerſus Preſbyteros parœcos imò & Epiſcopos, quin etiam ipſos Cœnobitas ſacerdotes torqueri poſſit, *Ne ipſi quidem*, inquit, *maiorum gentium ſacrati, quos ipſa officij ratio & ſalutis alienæ procurandæ neceſſitas in communi vita retinet.* Quibus verbis nihil inſulſius vel vituperoſius aduerſus Clerum dici potuit: nam ſi per eos qui ſunt in communi vita intelligat Cœnobitas communem vitam degentes, quos eo ipſo, quo ad aliorum ſalutem conſecrati eſſent, Monachis etiam laicis ſubiiciat, quantam ordini Clericali inferat iniuriam, vt vel Monachatum acceſſione ſacerdotij viliorem fieri putet, & contra propoſitum, quod paſſim toto libro emicat, Clericos Cœnobitas præ cæteris laudandi & commendandi, deprimat: ſi verò per communem vitam vulgarem popularémque intelligat, quantum vtique tum Epiſcopis, qui *maiorum gentium ſacrati* commodiùs, quàm Presbyteri exponi poſſunt, tum Presbyteris infert iniuriam, quos ad vitam vulgarem, communem, popularem contra omnium Patrum & Conciliorum mentem reuocat. Vnde non eſt mirandum, ſi qui Epiſcopos & Presbyteros Monachis inferiores facit, Hypodiaconum, & cæteros inferiorum graduum Clericos ſubiiciat.

In quo duo peccat aduerſarius, 1. quòd in hierarchia ordinis ſublimiorem Monachis locum ex perfectione vitæ maiori, quam ipſis attribuit, inferat, quæ ipſiſſima eſt hæreſis Huſſij & Wiclephi, quam ſuperiùs damnatam in Concilio Conſtantienſi diximus, quod in Eccleſia militante maiorem aliquem eſſe, & ſuperioris gradus aut poteſtatis ex maiori charitate vel ſanctitate dici noluit: quantominùs in hierarchia ordinis, ex perfectionis ſtudio aliquem maiorem vel minorem Synodus Conſtantienſis dici debere cenſuiſſet? Alterum, quòd Clericos adeò contemnat, vt non ſolùm Hypodiaconum, cæteróſque inferioris gradus, verùm etiam maiorum gentium ſacratos, aut Monachi perfectionem aſſecutos, aut aſſequi debere neget: ſed nec ad eam vt pote totam diuinam, & ſupra mortalium captum aſpirare poſſe putet, ſcilicet ambitioſi candidati Monaſticæ vitæ, qui hanc perfectionem ambiunt & affectant, quam nec Epiſcopi nec Presbyteri, nec cæteri è Clero affectu ipſo & votis attingere poſſunt. O intolerandam audaciam! ô incredibilem ſuperbiam! Quid non hominibus vanitas perſuadet, & amor ſui? ſed hæc ſuo loco refutabimus.

Idem Cellotius pág. 567. eiuſdem lib. cap. 1. num. 5. grauatè fert quòd poſt Lectores & Cantores, id eſt, poſt vniuerſum Clerum Monachos ad communionem accedere ſolitos dixerim, in cuius dicti reprehenſionem hæc habet. *Quis tibi ſuggeſſit lepidum iſtud, id eſt, aut cur non addis poſt Clerum miniſtrantem? cum cauſa, cur Monachis multi è Clero præponantur, ſit ipſum miniſterium.* Attende, Lector, grauiter ferre Cellotium Monachos etiam quoad hierarchicam dignitatem, & ordinem ſtandi in Eccleſia ac communicandi, Clericis etiam miniſtrantibus poſtponi: non enim ait miniſterium cauſam eſſe, cur Monachis omnes miniſtrantes è Clero præponantur: ſed cur multi præponantur? Mentem tuam aperi, Ludouice, venenum cùm ex animo effuderis, fortaſſe ſanaberis. Certe vbi detectum fuerit, aliis minùs nocebit: *nam errorem detexiſſe reuiciſſe*

eſt. Quam ergo exceptionem meditaris, dum multos è Clero propter miniſterium præponi Monachis in receptione Communionis Euchariſtiæ vix tandem fateris? An minorum Ordinum Clericis, etiam dum altari miniſtrant, vis præponi Monachos? Sed nec ſi ab altaris miniſterio vacarent, vlli eorum Monachi præponendi eſſent; nam Conſtitutiones Apoſtolicæ libri octaui capite decimo tertio à me in vindiciis citato, quem locum eludere, eiúſque vim effugere tentas, apertè poſt Cantores, quos certum eſt vltimum in Clero, ſeu, vt tu vis dicere, in Clero miniſtrante, locum tenere ex Concilio Carthaginenſi quarto pluribus Canonibus, & aliis paſſim Patribus ac Scriptoribus Eccleſiaſticis: Monachos reponunt, dum Epiſcopum Communionem primùm ſumere, deinde Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos, & Lectores, & Cantores, & Aſcericos, & ex fœminis Diaconiſſas ac virgines & viduas, poſteà pueros, ac deinde cunctum populum ordine ſuo. Quin etiam ſanctus Dionyſius cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ in theoria excluſis Catechumenis, Energumenis, Pœnitentibus: tum primo loco tanquam in inferiori gradu plebem fidelem nominat, ſecundum quos ait eſſe Monachos vitam vniformem amplexos: denique ſuperiori gradu & loco, τοὺς πανιέρους τῶν πανιέρων ἱερουργούς, καὶ φιλοθεάμονας τὴν ἁγιωτάτην τελετὴν ἁγιοπρεπῶς ἐποπτεύοντας, *ſanctos ſacrorum ſacrificos, ſtudioſoſque ſpectatores ſanctiſſimum ſacramentum ſanctè ſpectantes.* Nec dubium quin Clerici cuiuſcumque ordinis, Monachis non Clericis in ſacris & Eccleſiaſticis precationibus præponi debeant, quibus & loco & ordine ſedendi & procedendi ſemper priores fuerunt; Dionyſius epiſt. ad Demophylum Clero ἄδυτα, καὶ ἅγια τῶν ἁγίων, vno verbo Chorum, Monachis locum extra Chorum prope cancellos tertiam partem ædis ſacræ viciniorem parti ſanctæ plebi deſtinatæ. Quod confirmant plura Eccleſiaſtica decreta; Clemens epiſt. 3. Chorum ſeu Presbyterium ſacerdotibus, aliiſque Clericis Eccleſiæ ſeruientibus; Turonenſis II. Synodus Can. 3. Pſallentibus tantùm Clericis patere præcipit; Trullana Can. 69. ſolis Clericis intra ſepta altaris ingredi permittit, Imperatoriâ Maieſtate exceptâ; quemadmodum & Laodicenum Can. 15. ſolis Cantoribus in Eccleſia relatis Canonem concedit Eccleſiæ pulpitum τὸ ἄμβωνα in Eccleſia conſcendere; Gregorius Nazianzenus carmine 11. Epiſcopos, Clericos, quos diuos vocat, à reliquis, quos homines appellat, cancellis diſterminari ſcribit: carmine 9. ſeu inſomnio de Anaſtaſiæ templo, in medio Chori Presbyteros ſedentes Antiſtitem ex vtraque parte circumſtantes, turbámque miniſtram ſtantem in veſtibus niueis, populum reliquum partim circa ſuggeſtum, partim circa limina ſeſe prementem, virgineos cœtus matronáſque honeſtas è tectis audientes deſcribit: Oratione verò 32. quælibet Eccleſiæ membra eo ordine, quo in Eccleſia conſiſtebant, nominans Pontifices, Sacerdotes, aliόſque circa ſacram menſam miniſtrantes, atque ad appropinquantem Deum appropinquantes coniungit, tum Nazaræorum choros, id eſt, Monachorum, virgines viduáſque eadem ſerie memorat, qui ſcilicet omnes extra chorum conſiſtebant.

Sed & primæ ſemper partes Clericis in quocumque inferiori gradu ante Monachos conceſſæ ſunt, quos ſcilicet Canones ſemper poſt Clericos nominant, & expreſsè quidem ne innumera teſtimonia recenſeam; Laodicena Synodus can. 24. Lectores, Cantores, Exorciſtas, Oſtiarios, Aſcetis præponit. Ignatius quoque Lectores, Cantores, Ianitores, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſoribus ipſis & Diaconiſſas virginibus ſacris præponit epiſt. 10. ad Antiochenos. Quare mirabilis iſte ſanctus Antonius Monachorum pater, à quo enixè Epiſcopi & Imperatores precum ſubſidia flagitabant, etiam in priuatis orationibus primum locum Clerico infimi gradus tanquam debitum concedebat, de eo ſiquidem Athanaſius in eius vita hæc ſcribit, τόν τε κανόνα τῆς ἐκκλησίας ὑπερφυῶς ἐτίμα, καὶ πάντα κληρικὸν τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι ἤθελεν ἑαυτοῦ, *Eccleſiæ Canonem ſupra quam dici poteſt honorabat, & Clericum quemuis honore ſibi præire volebat.* Subiungit autem quem honorem Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis exhiberet. Sed hunc locum Euagrius Antiochenus Presbyter non tam verba ſpectans quàm ſenſum (quod in Prologo ad Innocentium I. ſe facturum pollicitus fuerat) eiuſdem vitæ cap. 39. *Nàm omnes Clericos*, inquit, *vſque ad vltimum gradum ante ſe orare compellens, Epiſcopis quoque & Presbyteris quaſi humilitatis diſcipulus ad benedicendum ſe caput ſubmittebat.* Ex Eccleſiæ ſcilicet Canone & Regula id faciens non Cellotianâ exiſti-

nuatione: nec in contumeliam Monaſtici ſtatus vergere arbitratus eſt tantus Abbas & Monaſticæ vitæ præcipuus auctor, ſi Oſtiario vel Lectori cederet.

Sed nec in proceſſionibus Eccleſiaſticis Monachi ſimul cum Clero olim procedebant, ſed ſeparatim, & poſt Clericos, vt patet ex relatione Diaconi Turonenſis de Litania inſtituta à Gregorio magno ad Turonenſem cognominem lib. 10. hiſtoriæ cap. 1. ex qua conſtat Clerum Romanum primum progredientem cum Presbyteris regionis ſextæ; poſtrà omnes Abbates cum Monachis ſuis, cum Presbyteris regionis 4. tum Abbatiſſas cum congregationibus ſuis, cum Presbyteris regionis 1. deinde alios laicorum ordines ducibus ſemper Presbyteris proceſſiſſe: quem ordinem ſeruatum ſuſpicor, quamuis apud Ioannem Diaconum lib. 1. vitæ ſancti Gregorij cap. 42. & apud ſanctum Gregorium lib. 11. indict. 6. epiſt. 2. Litanias Monachorum & ancillarum Dei Litaniæ virorum præmittantur.

Quod vtique confirmat Iuſtinianus Nouell. 123. c. 32. ſine ſacerdotibus, & Clericis, negans Litaniam vllam eſſe poſſe. Conſtat ergo non multos ſolùm, ſed omnes è Clero Monachis & Abbatibus non initiatis ordine ſacro in Eccleſia prælatos, neque ob miniſterium duntaxat, quod actu exhiberent, quamuis pauci eſſent, qui non aliquo ſacro miniſterio antiquitùs in Eccleſia fungerentur, ſed propter poteſtatem miniſtrandi, & deputationem Eccleſiaſticam ad ſacrum miniſterium, quæ ſola Clericos facit, & à cæteris ſegregatos, ſublimioreſque in Eccleſia cæteris.

Turbat aliquid citato cap. Cellotius, nec mentem aperit, nec probat aliquid, imò nec ordinatè differit; ſi quid in tanta caligine lucis emicat, idipſum dixiſſe colligent acutiores, Clericis adcenſeri debere Monachos, quia eodem quo Clerici loco communicant, putà intra ſepta altaris, ex Dionyſio cap. 6. Eccleſiaſticæ hierarchiæ. Ideóque cùm cautum ſit in Concilio Toletano IV. cap. 17. vt ſacerdos & Leuites ante altare communicent, in choro Clerus, extra chorum populus, Monachos in Clero communicantes Clericorum ordini adnumerandos.

Equidem ex ea argumentatione non prærogatiuam vllam Monachorum ſupra quemlibet ex initiatis ordinibus minoribus inferre poteſt aduerſarius, ſed aliqualem vtique paritatem: ſi nempe conſtaret Dionyſium ad normam Concilij Toletani locutum fuiſſe; & Concilium Toletanum eâ lege, quæ Euchariſtiæ ſumendæ locum præſcribit, voluiſſe etiam præſcribere eundem locum extraordinariis Communionibus, quas acciperent illi, circa quos aliqua recens conſecratio vel benedictio ſolemnis facta fuiſſet. Liquet autem ex Dionyſio cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ etiam laicos in choro, & intra ſepta altaris Communionem accepiſſe, ſaltem eo die quo eſſent baptizati: quam ergo prærogatiuam Monachorum ex illo Dionyſij teſtimonio colligere poterit, quo nempe eo ſolùm die, quo conſecrati ſunt Monachi intra altare cum ſacerdotibus eos communicare ſolitos retulit, cùm & laicos quoſuis, ſaltem eo die quo baptizati ſunt, eodem loco communicaſſe teſtetur? Audiatur Dionyſius cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, ὁ μὲν ἱεράρχης ἐν μέσῳ τοῦ θείου θυσιαστηρίου καθίσταται. περιΐστανται δὲ μόνοι μετὰ τῶν ἱερέων οἱ τῶν λειτουργῶν ἔκκριτοι. *Pontifex quidem in medio altaris collocatur, circumſtant autem ſoli cum ſacerdotibus miniſtri ſelecti.* quid autem ex eo loco agere debeat paulò pòſt ſubdit, καὶ τὰς δωρεὰς θείων θεουργιῶν ὑποδείξας εἰς κοινωνίαν αὐτῶν ἱερὰν, αὐτός τε ἔρχεται, καὶ τοὺς ἄλλους προτρέπεται, *Donis diuinorum operum monſtratis, ad ſacram eorum Communionem, & venit ipſe & inuitat cæteros.*

Quid ergo mirum ſi Monachis eo die quo conſecrabantur Deo, eundem locum pro recipienda Communione aſſignet Dionyſius quem laicis, ſaltem eo die quo baptizarentur, ad recipiendam Communionem patentem deſcripſit, præſertim cùm conſecrationis Monaſticæ, quæ ante altare perficiebatur, Communio iſta pars eſſet, & cauſam myſticam egregiam contineret, ſignificabat enim Dionyſio teſte, cap. 6. citato in theoria, ὡς ὁ τελεσθεὶς εἴπερ ἀληθῶς ἐπὶ τὴν μοναχικὴν ἀφίκοιτο καὶ ἑνιαίαν ἀναγωγὴν οὐ θεωρητικὸς μόνον ἔσται τῶν κατ᾽ αὐτὸν ἱερῶν, οὐδὲ κατὰ μέσην τάξιν ἐπὶ τὴν κοινωνίαν ἥξει τῶν ἱερωτάτων συμβόλων, ἀλλὰ μετὰ θείας τῆς ὑπὲρ αὐτῶν μετεχομένων ἱερῶν γνώσεως ἑτέρῳ τρόπῳ παρὰ τὸν ἱερὸν λαὸν, ἐπὶ τὴν μετάληψιν ἥξει τῆς ἱεραρχικῆς κοινωνίας, *Quòd ille qui conſecratus eſt, ſi verè ad Monachorum inſtitutum, quod ſingulare eſt, peruenerit, non ſolùm ſpectator ſit futurus ſacrorum quæ ei permiſſa ſunt, nec ritu medij ordinis* (id eſt, plebis fidelis) *in ſanctiſſimorum ſacramentorum Communionem venturus, ſed cum diuina eorum ſacrorum, quæ*

percepit, Communione venturus ſit ad diuinæ ſocietatis adoptionem. Ex quibus diſcat Cellotius muneris loco eſſe, quòd Monachi cum ſacris Ordinibus, *ἐν ταῖς ἱερατελεστικαῖς αὐτῶν ἁγιαστείαις, in ſacris eorum conſecrationibus*, quemadmodum expreſsè addit Dionyſius, à Pontifice ſanctiſſimæ Euchariſtiæ participes fiant, vt ſicut Presbyteri in ſuis ordinationibus Pontifici Euchariſtiam conſecranti concelebrant, vt in conſortium aliquale diuinitatis aſſumpti & electi videantur; ita & Monachi in ſua conſecratione eodem quo Clerici loco Euchariſtiam recipiant, non vt parem auctoritatis vel ſanctitatis ſtatum tenere doceantur cum Clericis, ſed vt moneantur, quòd peruenturi ſunt ad dignitatem ſtatus Clericalis, qui admittitur ad contemplationem diuinorum, & adoptionem ſingularem filiorum Dei, ſi Monaſticæ vitæ propoſitum accuratè ſectentur, & eius perfectionem aſſequantur; quaſi moneret Eccleſia bene cum ipſis agendum eſſe, ſi in eo perfectionis ſtatu quieſcant, à quo Clerici ſumunt initium, & cùm ſint imitatores Clericorum, eorum perfectionem imitentur, illorúmque gradus dignitatem aliquo modo exprimant. Itaque probabile eſt Dionyſium & laicos eo die quo baptizabantur, & Monachos, quo conſecrabantur, intra altaris ſepta voluiſſe Euchariſtiam ſumere, vt perfectionis ſummam, quam Euchariſtia complectitur, (quemadmodum verbis mox ſequentibus ſignificat) ſibi vitæ Clericalis imitatione obtinendam eſſe ſcirent. Cæteris autem diebus Monachos, quibus nefas ait adyta ſacra perrumpere, adeóque penetrare, epiſt. ad Demophylum, nonniſi extra cancellos altaris communicare voluiſſe.

Certiſſimum autem eſt ex iis verbis Dionyſij nullam prærogatiuam Monachorum præ cæteris laicis colligi poſſe. Certè laicos dum baptizarentur, ſacram Communionem ſuſcepiſſe ante altare, tum ex more Orientalis, tum Occidentalis Eccleſiæ notiſſimum eſt ex Nazianzeno Orat. 40. prope finem; Nicæta commentariis in iſtam Orationem; Seuero de ritibus Baptiſmi, ordine Æthiopum, Euchologico Græcorum; ſancto Germano in Theoria, Ambroſio de initiandis cap. 7. & ſequentibus, & lib. 4. de ſacramentis cap. 2. & 3. lib. 5. cap. 3. Auguſtino lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. epiſt. 168. *ad Euſebium*, ſerm. 164. *de tempore*, ſerm. 8. *in die Dominicæ Reſurrectionis*, prope finem; Paulino epiſt. 12. *ad Seuerum*; Eucherio Lugdunenſi lib. 4 Commentariorum in libros Regum; Fortunato lib. 4. carminum, & aliis. Non ergo pro magna aliqua prærogatiua iactari debet, quod à Monachis eo die, quo conſecrantur ante altaria, in choro cum Eccleſiaſtici ordinis viris Euchariſtia ſumi conſueuerit, cùm eadem prærogatiua baptizatis, eo die, quo baptizarentur, conceſſa ſit.

Prærogatiuam tamen aliquam & priuilegium agnoſcit Dionyſius ad inſtructionem Monachi conceſſum, vt diſcat Monaſtici ſtatus finem eſſe deificationem, & ſocietatem cum Chriſto, contemplationem diuinorum, quâ Clerici iam facti perficiuntur: atque adrò quotieſcumque extra diem conſecrationis ſuæ Monachi communicarent, exiſtimo eos extra ſepta altaris communicaſſe. Mos enim Orientalis Eccleſiæ conformis Dionyſio is mihi fuiſſe videtur, vt ſolis Clericis chorus ad communicandum pateret. Id enim ſancitum in Concilio Laodiceno can. 19. nimirùm *καὶ μόνοις ἐξὸν εἶναι τοῖς ἱερατικοῖς εἰσιέναι εἰς τὸ θυσιαστήριον, καὶ κοινωνεῖν, ſolis licere ſacratis ad altare accedere, & communicare. ἱερατικοὺς*, nonniſi Clericos ſacris miniſtrantes, & ſacerdotibus, qui *ἱερεῖς* dicuntur miniſtrantes ſignificare notius eſt quam vt probari debeat; itaque eo Canone Monachi inter laicos reiiciuntur, vt cum iis extra ſepta chori, & cancellos in quibus obſeruabant, communicent. Idem mandatum in Synodo Trullana can. 69. *Μὴ ἐξέστω τινὶ τῶν ἁπάντων ἐν λαϊκοῖς τελοῦντι, ἔνδον ἱεροῦ εἰσιέναι θυσιαστηρίου· Nulli omnium liceat ex laicorum numero intra ſepta altaris ingredi.* Excipitur Imperator dum offerre voluerit non Monachus, quem ſi Cellotius è laicorum numero eſſe neget, fruſtrà ſibi fidem haberi cupit, qui nec intra paucas lineas conſentanea loqui potuerit; ſi enim, vt eius verbis vtar, *Communio laica eſt quæ extra ſacros cancellos populo data, quæ & pœna peccantium miniſtrorum*: Pœna, inquam, peccantium miniſtrorum ad quam damnatos Monachos nunquam leges; vnde ſequitur nec Communionem laicam illis vnquam conceſſam, quæ ob nullum vnquam flagitium adempta eis legitur: ſed hoc argumentum inferiùs vrgebimus.

In Eccleſia verò Occidentali varias conſuetudines reperio: placet Canon Toletanus citatus, vt *Sacerdos & Leuites ante altare communicent, in Choro Clerus, extra Clerum po-*

pulus; cui conſentit in eadem prouincia editus Canon 31. Concilij Bracharenſis I. qui 13. eſt circa diſciplinam in eodem Concilio relectus ex prioribus Conciliis, & probatus. *Item placuit vt intra ſanctuarium altaris ingredi ad communicandum non liceat laicis viris vel mulieribus, niſi tantùm Clericis, ſicut & antiquis Canonibus ſtatutum eſt.*

Sed iſtos Canones non ſemper & vbique in vſu fuiſſe ex Hieronymo colligo, qui & laicos ad ſedem Epiſcopalem in choro ſitam accedere, & ibi Communionem percipere ſolitos ſatis euidenter inſinuat Dialogo aduerſus Luciferianos iis verbis, *Epiſcopi eſt Corpus Domini attrectare, & de ſublimi loco Euchariſtiam miniſtrare populo.* Euidentius etiam Concilium Turonenſe II. can. 4. ex quo etiam deſumptum Capitulare 278. lib. 2. *Laici ſecus altare, quo ſancta myſteria celebrantur, inter Clericos tam ad vigilias quam ad Miſſas ſtare penitus non præſumant, ſed pars illa quæ à cancellis verſus altare diuiditur, choris tantùm pſallentium pateat Clericorum, ad adorandum & communicandum laicis & fœminis, ſicut mos eſt, pateant Sancta ſanctorum.* Ad communicandum Sancta ſanctorum patere ex veteri more volunt iſti Patres, itémque ad adorandum, ſi quem venerandi numinis, & colendi ſtudium, ac dona offerendi ardor & ſingularis deuotio ad hæc adyta religiosè ſubeunda incitaret, quemadmodum ſanctus Ambroſius epiſt. 14. altaria honoris cauſa ſuauiari Chriſtianis in more poſitum teſtatur, & Saluianus lib. 6. de prouidentia, aras muneribus à Chriſtianis impleri ſolitas: nec inuſitatum ad altaria fideles accedere ad offerendum tam in Oriente quàm in Occidente, teſtis eſt Sozomenus lib. 7. cap. 24. quidni aliquando & ad communicandum?

Horum omnium rudem & ignarum oportuit eſſe Cellotium, dum ex Concilij Toletani Canone Dionyſium interpretari voluit, atque ita diuerſas communicandi diuerſis in locis rationes, diuerſas conſuetudines omnino neſciuit: ſed hæc minoris momenti ſunt, quæ ignorantiam auctoris produnt, non errores Catholicæ doctrinæ vel diſciplinæ penitus contrarios diſſeminant, in quibus refellendis, contrariiſque dogmatibus ac legibus aſſerendis maior à nobis, & accuratior opera impendenda eſt.

LIBER QVARTVS DE IVRISDICTIONE HIERARCHICA.

EXPLICATIS tum chariſmatibus, tum ordinibus hierarchicis, de iuriſdictione hierarchica, quæ vna eſt ex dotibus hierarchiæ, differendi locus ſeſe offert. Hæc autem de ea tractanda ſunt.

Primùm vt iuriſdictionis Eccleſiaſticæ neceſſitatem ad hierarchiam omnem conſtituendam, aut aliquem in hierarchia collocandum oſtendamus.

Alrerum, vt condiriones verè & propriè dictæ hierarchicæ iuriſdictionis exponamus.

Tertium, vr diuiſionem hierarchiæ ratione iuriſdictionis potiſſimum exhibeamus.

Quartum, vt prærogariuas & iura Metropolitanorum, Primatum, Patriarcharum, ſummi Pontificis, atque Epiſcoporum Eccleſiaſticâ iuriſdictione præditorum ſecundum antiquam & recentiorem Eccleſiæ praxim legentium oculis ſubiiciamus.

Quintum, vt ordinis & iuriſdictionis comparationem inſtituamus, & antiquum ac nouum Eccleſiæ morem obſeruanres, diſquiramus, quomodo & quando in Eccleſiam inuectum ſit, vt qui ordine inferior eſt, iuriſdictione & dignitate potior eſſet.

Sextum denique, vr errores Cellotij circa ordines hierarchicâ iuriſdictione præditos adnotemus, eoſque breuiter refellamus.

Digitized by Google

SECTIO I.

DE IVRISDICTIONIS NECESSITATE ad Hierarchiam conſtituendam, vel quemcumque Hierarchiæ inſerendum.

CAPVT I.

Iuriſdictionem aliquam requiri, vt aliquis in hierarchia reponatur.

ARTICVLVS I.

Quædam notanda præmittuntur.

CONSTAT ex prædictis ſparſim lib. 1. neminem in hierarchia locum habere poſſe, quin iuriſdictionis alicuius capax ſit. Sed quia alios perfecte diximus in hierarchia locum habere, alios imperfectè: & iuriſdictionis variæ ſunt ſpecies ac gradus. Ideò ſubtiliùs & accuratiùs quæſtio iſta quam pingui duntaxat Mineruа, aliudque veluti agentes, occaſione ſcilicet errorum quorumdam, quos refutandos ſuſceperamus, diſcuſſimus examinari hoc loco & expendi debet. Notandum itaque primò eſt, non nos hîc iuriſdictionem preſſiùs ſumere in ſignificatu apud Legum ciuilium peritos vſitato prout ab imperio diſtinguitur; ita nempe vt iuriſdictio iudicis, imperium magiſtratus, iuriſdictio circa res priuatas, imperium circa publicas occupari ſoleat, quippe cùm de rebus ſacris tractemus in quibus imperium à iuriſdictione diſtinguere non expedit, præſertim in ea quæſtione de hierarchica dignitate quam verſamus, iuriſdictionem proinde nos ſumere pro qualibet poteſtate & auctoritate in alios tanquam in inferiores, quam ἐξουσίαν paſſim Græci vocant: de eáque ſacra poteſtate & iuriſdictione vniuerſim hîc diſputare. Notandum eſt ſecundò, iuriſdictionis quoque, quæ circa priuatorum negotia verſatur, duplicem veluti ſpeciem conſtitui: vnam iuriſdictionis voluntariæ, qualis eſt circa manumiſſiones, adoptiones, emancipationes, lege 2. ff. *de officio Proconſulis*, in quam legi poſſunt Doctores: ij enim, quos in exemplum protulimus, ſunt actus legitimi, qui licèt nonniſi circa volentes exerceantur, tamen quia per eos ſtatus perſonarum immutatur, ideò qui eos actus exercent publicam quandam auctoritatem (quam voluntariam iuriſdictionem vocant) habere videntur. In exemplum etiam proferri vulgò ſolet auctoritas Legati à latere, qui etiam extra prouinciam ſibi decretam ab iniectione manuum in Clericos abſoluit, cap. *excommunicatis de officio Legati*, & cap. *ad eminentiam de appellationibus*. Alteram ſpeciem dicimus iuriſdictionis neceſſariæ, quæ in inuitos etiam exercetur & coercendi poteſtate opus habet, ex lege *inter ſtipulantem*, §. 1. ff. *de verborum obligationibus*, & lege 1. ff. *ſi quis ius dicenti non obtemperat*, &c. lege finali, ff. *de iuriſdictione omnium iudicum*. Notandum tertiò iis ſiue imperij, ſiue iuriſdictionis ſpeciebus reſpondere in ſacro principatu tres veluti gradus. Primum iuriſdictionis minùs arctæ, cùm ſcilicet quis poteſtatem habet, vel immutandi res aliquas, & ad publicum miniſterium inſtituendi, ac deſtinandi; ad hoc enim publicâ auctoritate opus eſt (quam iuriſdictionem appellare poteris) vel immutandi perſonas eáſque diſponendi, ordinandi, regendi, docendi, purgandi, illuminandi, ac perficiendi, ſiue per ſacramenta, ſiue per ſacram doctrinam: poteſtas enim iſta etiam publica eſt, & iuriſdictio vocatur quatenus ſibi ſubiectas & ſubditas aliquas perſonas nanciſcitur.

Alterum gradum iuriſdictionis ſtatuimus, qui eſt cum cognitione cauſæ, quâ nempe

pe

pe qui præditus eſt, causâ cognitâ aliquid ſtatuit & decernit, ſiue adhibitâ ſolemnitate iudiciorum, vt in foro contentioſo, ſiue non adhibitâ iſtâ formâ, vt in ſacramento Pœnitentiæ, in quo idem actor, reus, & teſtis, & reo aduerſum ſe liberè confitenti pœnitentia imponitur, ſiue de plano de aliqua re cognoſcat, modicámque ſaltem coercitionem habeat, ſiue quid imperet ad executionem tantùm ſuperioris non nouum aliquid generatim ſtatuens: quam iuriſdictionem quidam diſtinguunt ab imperio abſolutè prolato, iuxta legem *iubere*, ff. *de iuriſdictione.*

Tertium maioris imperij, nec tam propriè iuriſdictionis, quàm imperij ex citata lege *iubere*. nec non lege *imperium*, & lege *eum qui*, ff. eodem: quâ poteſtate qui præditus eſt, tanquam ſuperior Magiſtratus iudices conſtituit, iuriſdictionem mandat, leges ordinat, publica priuataque negotia ſuperiori poteſtate componit, facinoroſos punit, & anathematis gladio ab Eccleſia exterminat.

ARTICVLVS II.

Prædictam neceſſitatem etiam ex mente Dionyſii veram eſſe.

IIs verò præſuppoſitis dico neminem in hierarchia Eccleſiaſtica collocari, ſeu ſacri Principatus participem eſſe poſſe, ſiue perfectè, ſiue imperfectè, qui non aliquam ſaltem iuriſdictionem imperfectam habeat, cuiuſmodi eſt ea, quâ potiuntur, qui in primo gradu iuriſdictionis conſtituuntur.

Propoſitio iſta eſt omnium Patrum ac Doctorum, qui ante Anglicanos Scriptores, & Cellotium de hierarchia Eccleſiaſtica locuti ſunt. Neque vel vnum in contrarium aduerſarij citare poſſunt, Bonauenturam & Guillelmum Pariſienſem libro primo eis eripui, plurimos pro hac ſententia citaui: verba ſolùm aduerſum iſta effudit Cellotius: nullum aut ex antiquis, aut ex recentioribus ſibi fauentem adduxit.

Equidem capite decimo-quinto libri tertij Dionyſij ſententiam, meámque corrupit, quâ abuteretur ad hierarchiam aliquam omnis iuriſdictionis expertem fingendam; de mea ſententia non queror eam ab ipſo in alienum ſenſum eſſe detortam. Quæri tamen poſſem, quod tanquam vitio nobis obiiciat in ſola nos iuriſdictionis hierarchia verſari; cùm inauditum hactenus hierarchiæ nomen fuerit, niſi quòd iuriſdictionem ſignificaret.

Sed excutere volo ipſius errorem, quòd explicationem hierarchiæ propriè dictæ à nobis traditam ad ſua trahere velit figmenta. Diximus hierarchiam eſſe ordinem ſacrarum in Eccleſia perſonarum: Monachis id ille conuenire contendit, quo iure? An quia Deo deuoti ſunt? ſunt & omnes Chriſtiani. An quia ſpecialiter Deo deuoti & ſacri? ſed ſpecialis conſecrationis non memini; eamque habent etiam laici, qui priuatis & apud ſe duntaxat fuſis votis ſeſe obſtrixerunt, quos tamen hierarchiæ dignitate præ cæteris exornatos non admittit aduerſarius. An quia conſecratione publicâ ad publica officia & publica miniſteria conſecrati ſunt? Certè mens iſta noſtra eſt, quam & ſequentia verba innuunt, quæ publicam poteſtatem ſacræ functionis in Eccleſia exercendæ eis tribuunt. Sed eo ſenſu Monachos ſeu Regulares viros eo ſolùm titulo ſacras perſonas eſſe non probabitur, qui nempe ſibi tantùm & priuatæ ſanctitati habendæ conſecrantur, non functioni vllæ Eccleſiaſticæ exercendæ. Itaque perperàm ad meum ſuffragium ad malæ cauſæ defenſionem aduocauit.

Sed quâ fronte, Ludouice, Dionyſium tuæ ſententiæ patronum accerſis, cuius & verba & ſenſum corrumpis? Etenim hæc habet Dionyſius cap. 3. cæleſtis hierarchiæ, quemadmodum ſupra retulimus, *Eſt quidem hierarchia, mea quidem ſententiâ, ſacer ordo, ſcientia & actio, quæ ad diuinitatis ſimilitudinem, quod eius fieri poteſt, accedit, & propoſitione illuſtrationum, quæ ei diuinitùs datæ ſunt, ad Dei imitationem traducitur.* Quibus paulò pòſt ſubdit, *Finem igitur hierarchia ſibi propoſitum, Dei habet imitationem, quantum homini licet, & cum illo coniunctionem, eúmque omnis ſacroſanctæ ſcientiæ atque actionis ducem ſequitur.* Ex iis duobus textibus vnam definitionem longè diuerſam conflas, vt ſit hierarchia *ſacer ordo, & ſcientia, & actio, in Eccleſia,*

perſonarum peculiariter ſacrarum per ſpecialem Chriſti imitationem ad diuinitatis ſimilitudinem adducens, & ad eam ſecundum actus hierarchicos ſibi inditos, pro rata & proportionaliter aſcendens.

Primò quidem perſonarum peculiariter ſacrarum, per quas Monachos, vt à reliqua plebe diſcretos, comprehendis, nulla apud Dionyſium fit mentio: ſed ſacrum ordinem hierarchiam dixit, quo ſacri ordinis nomine, ſi teipſum conſulo, lib. 7. cap. 2. annuis non Monachorum ordinem, ſed eorum qui Eccleſiæ miniſtrant, Clericorum intelligi. *Eſt enim*, inquis, *Dionyſius totus in actuali, vt ſic loquar, Eccleſiæ miniſterio, miniſtriſque deſcribendis occupatus, quo propiùs monachis aſpirare non licet.* Quòd ſi alibi id negas, quid mihi curæ? contradictiones tuas non præſto. Certè veriſſimum eſſe neceſſum eſt, quod tu ipſe contra tuum ſcopum fateri cogeris, pro quo omnes Dionyſiacæ ſententiæ interpretes conſentientes adducis. Ordinis igitur ſacri nomine ex Dionyſio non Monachorum ordo, ſed Clericorum miniſtrantium intelligitur. Cui acceptioni Tertullianus conſentit, qui nomine ordinis ſimpliciter Prælatorum Eccleſiaſticorum ordinem ſignificauit, exhortationis ad caſtitatem c. 17. iis verbis, *Differentiam inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiæ auctoritas; honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus à Deo: vbi Eccleſiaſtici ordinis eſt conſeſſus*, &c. A quo etiam mutuati ſunt Theologi ſacramenti Ordinis nomen, quo duces populi ſpirituales inaugurantur. Ruit itaque id totum, quod ex ea definitione colligis, ſufficere conſecrationem Monaſticam ad hierarchiam agentium & ordinis.

Secundò, per ſpecialem Chriſti imitationem hierarchiam ad diuinam nos imitationem deducere ais: vt ſcilicet hierarchicos actus, quibus ad Dei ſimilitudinem deducimur, monaſticæ exercitationis opera eſſe probes: de iſta Chriſti imitatione ne verbulum quidem apud Dionyſium, & valdè ab eius mente abhorret, vt per actus illos Monaſticæ exercitationis, ſeu mortificationis religioſæ, hierarchia finem ſuum conſequatur; quippe qui purgationis, illuminationis & perfectionis, per doctrinam ac ſacramentorum adminiſtrationem duntaxat meminerit toto libro de Eccleſiaſtica hierarchica, quibus initiantium ordines initiandos ad finem hierarchicum deducunt: & cùm tres initiantium ordines ſtatuat, Epiſcoporum, Preſbyterorum & Miniſtrorum, è contrario tres initiatorum diſtinguit, Monachorum, plebis fidelis, & immundorum. Falsò igitur affirmat Cellotius definitionem à ſe traditam eſſe Dionyſij, & eius verbis conceptam: neque enim aut verba Dionyſij ſecutus eſt aut ſenſum cepit.

Certè Interpretes omnes Dionyſij hac definitione ſignificare volunt poteſtatem agendi in alium, cum aliqua ſubordinatione, quæ iuriſdictionis in agentibus ſaltem priorem gradum infert. Pachymerem in Paraphraſi tertij iſtius capitis Dionyſij loquentem audiamus, vbi allatâ Dionyſiacâ definitione ſuperiori, quem ordinem Dionyſius intellexerit, dum hierarchiam ordinem dixit, oſtendit, ἔστι γὰρ τάξις καὶ φυσική, ἡ τοῦ ἀριθμοῦ, ὡς τὸ πρῶτον, καὶ δεύτερον. ἔστι τάξις καὶ ἡ θετή, ἧς τὸ μὲν, σωματικὸν, ὡς αἱ βασιλικαὶ ἀξίαι. τὸ δὲ ἱερὸν, ὡς ἱερατικὴ κατάστασις. *Eſt autem ordo & naturalis putà numeri, vt primum & ſecundum: eſt ordo & poſitione, cuius vnum quidem eſt corporeum, vt dignitatis regiæ: alterum verò ſacrum, vt ſacerdotalis ſtatus.* Ac ſi diceret ordinem eſſe duplicem, vnum naturalem, de eo non agere Dionyſium: alterum, poſitionis & collocationis ſuperiorum & inferiorum, qui proinde & dignitates eas comprehendat, quæ in corpora ſuam exercent poteſtatem, quales ſunt regiæ; & quæ in ſacra, quales ſunt ſacerdotales, de quibus agat Dionyſius, ordinis nomine poteſtatem iſtam inſigniens, quæ in ſacra exercetur, ſacerdotaliſque ordinatio, ſeu ἱερὰ κατάστασις dici poteſt.

Subdit & explicationem ſcientiæ atque operationis, de qua agit Dionyſius, quam ad alios initiandos rendere ſcribit iis verbis, ἣν δὲ καὶ ἐπιστήμην λέγει καὶ ἐνέργειαν, εἰ μὴ γὰρ καθ' ἕξιν ὁ σίδηρος ἐκπυρωθείη, οὐκ ἂν ἐπ' ἄλλου τὴν καῦσιν πλησιάζοντος δράσειε· καὶ εἰ μὴ φωτισθείη καθ' ἕξιν ὁ ἱεράρχης ἄνωθεν, οὐκ ἂν ἐνεργήσοι ἑτέροις τὸν φωτισμόν· ἐπεὶ γὰρ ὁ φωτίζων πρὸς τὸν φωτιζόμενον λέγεται, καὶ ὁ τελῶν πρὸς τὸν τελούμενον, ὡς ὁ διδάσκων πρὸς τὸν διδασκόμενον, διὰ τοῦτο οὐ λέγεται μόνον ἐπιστήμη ἡ ἱεραρχία, ἀλλὰ καὶ ἐνέργεια. ἵνα κατὰ τὴν ἑαυτῆς ἕξιν ἐνεργήσειεν ἐπ' ἄλλοις τὸν φωτισμόν. διὰ τοῦτο καὶ πρὸς τὸ θεοειδὲς ἀφωμοίωται. κατὰ γὰρ τὰς ἐνδιδομένας ἐλλάμψεις

ἀναλόγως εἰς θεομίμησιν ἀνάγεται, ἐν τῷ ἐνεργεῖν τὸν φωτισμὸν τοῖς ἔξωθεν, ἐπεὶ ἡ ἱεραρχία πρὸς τὸ θεοειδὲς ἀφομοιοῦται. Quam verò & ſcientiam dicit: niſi enim ſecundum habitum ferrum ignitum ſit, non facit combuſtionem in alio propinquo. Nec niſi illuminatus fuerit ſecundum habitum Hierarcha deſurſum operabitur in aliis illuminationem: quandoquidem illuminans ad illuminatum dicitur, & perficiens ad perfectum, ſicut docens ad eum qui docetur: Quapropter hierarchia non ſolùm dicitur ſcientia, ſed & operatio, vt ſecundum ipſius habitum operetur in aliis illuminationem: propter hoc aſſimilatur ad deiforme nam ſecundum inditas illuſtrationes analogicè in Dei imitationem peruenitur operando illuminationem in iis qui extrà ſunt, quoniam hierarchia ad deiforme aſſimilatur.

Pergit autem docere ex Dionyſio in quo ſita ſit illa deiformitas, in communicatione ſcilicet diuinorum beneficiorum ac gratiarum, nullatenus in mortificatione religioſa: quæ omnia perſequi moleſtum foret. Sufficiunt autem iſta ad Dionyſij mentem aperiendam, qui nempe hierarchiam ordinem ſuperiorum in dignitate, & poteſtatem eſſe dixit cum ſcientia diuinitùs accepta coniunctam, & operatione, quæ in alios diffunditur; ita vt ſcilicet is qui ſupra alios ordinatus ac collocatus eſt, illuſtrationes quas à Deo accepit, ad quem propiùs accedit, in remotiores diffundat, diuináque beneficia ſibi ſubiectis impertiatur. Quam eius mentem indicant quæ ex Hugone in illud caput aliquando docuimus per *ordinem*, diuinitùs inſtitutam poteſtatem Dionyſium intellexiſſe: per *ſcientiam*, cognitionem dirigentem; per *operationem* miniſterium exterius, quod per ſcientiam dirigitur. Addimus ex eodem Hugone aliam expoſitionem Pachymeris interpretationi congruentem. *Hierarchia*, inquit, *in duobus eſſentialiter conſiſtit, videlicet in participatione gratiæ, illuminationis, & in eius infuſione ſuper inferiora. Ad participationem autem gratiæ illuminationis tria exiguntur, quæ ſunt 1. conuerſio ad principium illuminationis, quæ nomine ordinis deſignatur. 2. eſt receptio luminis, & hoc dicit ſcientia, quæ eſt lumen ab illuminatore receptum. 3. eſt effuſio luminis in inferiores, quod exprimit actio.*

Nec ab eo longè abludit Petrus de Tarenthaſia apud Dionyſium Carthuſianum in libro ſecundo ſententiarum, diſtinctione nonâ, quæſtione primâ. *In hierarchia*, inquit, *eſt gradus poteſtatis alicuius qui dicitur ordo, & aliquid quod dirigit poteſtatem in finem, ne erret, & hoc eſt ſcientia, id eſt, diuina illuminatio: aliquid quoque, quo pertingit poteſtas in finem, ſcilicet executio quædam, quæ dicitur actio, & aliquid tanquam finis intentus, ad quem ordinatur poteſtas, quod eſt aſſimilatio deiformis.* Nec ſatis diſtinguit Cellotius hæc tria, putà poteſtatem, ſcientiam, actionem: ſed incautè confundit media diuinæ illuminationis in alios effundendæ cum ipſo fine diuinæ aſſimilationis, & actionibus, quibus vnuſquiſque Deo ſimilior euadit, & quam Dionyſius nonniſi in alios agendi hierarchicam poteſtatem, quam in alios luminis recepti diffuſionem hierarchicam operationem vocat, ipſe in ſeipſum operandi poteſtatem hierarchicam fingit, & quam quis in ſeipſo aliquis exercet operationem, vocat hierarchicam.

Denique hierarchiam ſine ſubiectis, quam ignorat Dionyſius, ſomniat: proinde falſum eſt quod toties ipſe inculcat, hierarchiæ nomine nullam à Dionyſio iuriſdictionem ſignificari: nam eo ipſo quo poteſtatem ordinatam in alios agendi Dionyſius vult eſſe hierarchiam, eo ipſo, inquam, hierarchiæ iuriſdictionem aliquam inſertam neceſſariò eſſe demonſtrat: nam poteſtas agendi in alium ordinata, ſubordinationem patientis arguit, & ſubiectionem ſibi legitimam infert: cui ſubordinationi ac ſubiectioni legitimæ, iſte gradus iuriſdictionis reſpondet, quem priori loco ſtatuimus, qui ſcilicet facultatem dicit agendi in alium, eumque immutandi, ſibique in eo ſubditum & ſubiectum habendi: hinc toties apud Dionyſium ſuperiorum & inferiorum, ſubiectionis & prælationis, tam in Eccleſiaſtica quàm in cæleſti hierarchia fit mentio, quemadmodum ſuperiùs docuimus: quorum nominum mentionem non faceret, niſi aliquam iuriſdictionem in vnaquaque hierarchia cuiuſcumque ſtatus, pro modulo conuenientem admitteret.

Prætereà Dionyſius capitibus 3. 5. & 6. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, initiantibus ordinibus tribuit poteſtatem excludendi immundos à ſacra Communione, eámque poteſtatem *καθαρτικὴν, καὶ τὴν ἀνομοίων διακριτικὴν, purgatiuam, & diſſimilium diſcretiuam*

miniſtris (quos τοὺς λειτουργοὺς vocat) capite quinto tribuit. Hæc autem poteſtas non ſolùm voluntariæ, ſed neceſſariæ iuriſdictionis poteſtas eſt. In ea ſiquidem expiatione ſeu diſcretione immundorum a mundis, & reiectione peccatoris in claſſem immundorum, atque excluſione immundorum à ſacra Communione, donec per pœnitentias expurgentur, iuriſdictionis Eccleſiaſticæ neceſſaria vis & robur maxime conſiſtit. Itaque ex ſancto Dionyſio hierarchia Eccleſiaſtica iuriſdictionem neceſſariam adnexam habet.

Denique vt contentioſis etiam ſatisfaciamus, 1. iuriſdictionis Eccleſiaſticæ particulam aliquam eſſe, quamlibet docendi & ſacramenta adminiſtrandi ſpiritualémque gratiam ex officio publico v.g. per oblatum ſacrificium promerendi poteſtatem (quod haud dubiè ordinibus à Dionyſio & aduerſariis tribuitur) probamus; quia non ſolum Scriptura ſacra Eccleſiaſticam iuriſdictionem verbis *ligandi & ſoluendi*, Matth. 16. & 18. verùm etiam per *paſcendi* poteſtatem explicuit, Ioan. 21. 1. ad Cor. 9. 1. Pet. 5. Itémque per *docendi* auctoritatem, Matth. vltimo, 1. Corinth. 12. ad Epheſ. 4. & alibi: item per *diſpenſandi* miniſterium 1. Corinth. 4. & 9. ad Tit. 1. Matth. 2. quam loquendi rationem imitati Patres eandem modo ligandi atque ſoluendi auctoritatem vocant Tertullianus de pudicitia cap. 21. Cyprianus epiſt. 55. & libro de vnitate Eccleſiæ; Sanctus Leo ſerm. 3. in die anniuerſario aſſumptionis ſuæ, & alij paſſim: modò poteſtatem iudiciariam, vt Cyprianus citatâ epiſtolâ: modo paternitatem, vt Origenes in cap. quartum ad Romanos, Ambroſius in Pſal. 43. Hieronymus in Pſal. 44. Auguſtinus epiſt. 162. & 165. & alij; modò paſtoratum, vt Cyprianus epiſt. 67. atque innumeri alij Patres. Eamdem vero alij ſimilibus nominibus indigitant: quâ vtique multiplici loquendi ratione docemur iuriſdictionem Eccleſiæ multa officia complecti, non ſolùm coercendi ac caſtigandi, ligandi vel abſoluendi, verùm etiam docendi, inſtruendi, monendi, ſacramenta adminiſtrandi, pabulumq; tam diuinæ doctrinæ, quàm ſacramentorum & gratiarum per diuina ſacrificia miniſtrandi; atque ideò licèt omninò perfectam iuriſdictionem nemo habeat, niſi quis coercere, & ligare, ac ſoluere poſſit, tamen imperfectam ſaltem habere, cui paſcere ſacramentis doctrinæque cæleſtis alimentis, & diuini ſacrificij gratiis conceſſum eſt, quos actus Dionyſius purgationis, illuminationis, & perfectionis nominibus expreſſit. Atque adeò ſequetur ſecundum ſententiam Dionyſij, neminem in hierarchia nequidem imperfectè eſſe poſſe, qui non imperfecta ſaltem iuriſdictione præditus ſit.

Quòd ſi obiicias imperfecte ſaltem videri eos in hierarchia Eccleſiaſtica eſſe collocandos, qui Preſbyteri, Diaconi, vel Epiſcopi, ſine plebis aſſignatione ordinati fuerint, vel onere ſe plebis regendæ exuerint, ſolam retinentes ordinis dignitatem, qui tamen omni iuriſdictione ſpoliantur. Reſponſio in promptu eſt, numquam quemquam qui ordinatus fuerit Epiſcopus, Preſbyter vel Diaconus, ita omni iuriſdictione exui poſſe, quin aliqualem ſaltem, purà voluntariam iſtam, quam explicuimus, iuriſdictionem retineat ab omni erectione ſeiunctam, niſi in gradum laicorum deiiciatur, & à ſuo gradu deturbetur: qui autem à gradu ſuo exciderint, eos tanquam laicos Eccleſia habet, vt ex Cypriano epiſt. 67. 68. & 69. Hilario lib. 3. contra Conſtantium, Concilio Ancyrano Can. 17. Zozymo epiſt. 12. ad Maſſilienſes, Auguſtino epiſt. 203. Concilio Toletano quarto, Can. 7. Nicolao primo epiſtolâ nonâ Michaeli Imperatori, & alijs paſſim colligere poſſumus. Illos autem qui vel abſque plebis aſſignatione in Martyriis, verbi gratiâ ordinati fuerint Preſbyteri vel Diaconi (quod concedit Concilium Chalced. Can. 6.) vel nulli Eccleſiaſtico titulo adſcripti fuerint, quales plurimos ordinari Eccleſiæ huius temporis conſuetudo permittit; vel qui ordinati etiam Epiſcopi plebi non dignitati renuntiarint: quod exemplo Martyrij Antiocheni permiſſum fuiſſe clarum eſt apud Theodorum Lectorem Collectaneorum lib. 1. & Nicephorum lib. 15. cap. 28. ac Milæ ſeu Millæ, aut Milleſij apud Sozomenum lib. 2. capite decimo quarto, & Nicephorum lib. 8. cap. 37 aliiſque pluribus exemplis, quodque conceſſum nonnumquam ſupponit Alexander III. cap. 1. *de ordinatis ab eo qui renuntiauit.* Si qui, inquam, ita renuntiauerint, & ordinem retinent & iuriſdictionem ſaltem voluntariam, quæ ſufficiens videtur, vt aliquis in hierarchia collocetur; neq; enim neceſſum eſt, vt qui in hierarchia ſaltem imperfectè collocatur, omnis generis functiones hierarchicas exerceat. *Sed diuiſiones gratiarum ſunt*, ſicut *& diuiſiones miniſ-*

Digitized by Google

ſtrationum, primæ Corinthiorum duodecimo, alióſque *mittit Dominus euangelizare, alios baptizare*, vt ſuo exemplo docet Apoſtolus 1. Corinthiorum 1. nec omnes Presbyteri miniſterio verbi incumbebant, cùm dicat Apoſtolus, *Qui benè præſunt Presbyteros duplici honore dignos haberi, maximè qui laborant in verbo & doctrina*: ita demum illi Epiſcopi; qui ſedi, non dignitati ceſſerunt, in hierarchico gradu eſſe cenſentur, vt iuriſdictionis alicuius participes ſint; & licèt determinatos ſubditos, hos vel illos non habeant, habeant tamen generaliter omnes, non ipſis ſingulariter & ſolitariè ſpectatis, ſed in Concilio generali collectis ſubiectos; quam vniuerſalem iuriſdictionem ſibi non ſigillatim, ſed in collectione cæterorum Epiſcoporum conuenientem Epiſcopos titulares vendicare poſſe non dubitamus; quâ tamen tu tanquam exutos nobis illuſtriſſimos & reuerendiſſimos Bituricenſem Archiepiſcopum iam demortuum, & Bellicenſem Epiſcopum non ſatis honorificè nominas. Quibus etiam addis Eminentiſſimum Cardinalem Richelæum tunc viuentem, cuius dignitas ſilentio debebat potiùs honorari, quàm intempeſtiuâ mentione dedecorari: hunc tu tanquam in Presbyteri deiectum ordinem producis, ea ſolùm facientem quæ Presbyteri ſunt: ſic enim eos quibus placere voluiſti turpificas: nec ad commendandum ſatis idoneus Encomiaſtes, nec ad criminandum probabilis accuſator delectus. Nobis autem vt ab hoc conſilio caueremus, viſum eſt tutum Cyrilli Alexandrini conſilium lib. 10. de recta in Deum fide ad Reginam non longè ab initio, ne ea laudare videremus, quorum excellentiam nos aliqui poſſe non putaremus; æquius enim duximus, vt qui nec oratoris perſonam ſuſtinemus; nec laudem ambimus, quorum merita ſermonibus æquare non poſſumus tanquam ſacra & ab hominum conſortio remota reuerentes potiùs ſileamus, quàm ipſorum maieſtatem inconditâ garrulitate profanemus.

Sed vt ad propoſitum redeam, conuitiandi libido quâ in Aurelium ferebaris, compulit te, non ſolùm vt intempeſtiuè grauiſſimos viros nominares, verùm etiam inſulſa circa doctrinam & abſurda diceres. Effundis enim tanquam è plauſtro in Aurelium conuitia, quòd ea dixerit, quæ prout à nobis explicata ſunt, & ab Aurelio ſufficienter indicata, à te improbari non poterant, niſi & Canonum, & Patrum, & totius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ & diſciplinæ haberi velles ignorantiſſimus.

Patet itaque ad hierarchiam ſtrictè ſumptam, quæ abſque ordine ſuperiorum ad inferiora cogitari non poteſt, quæ niſi Principatum aliquem includat, nec nomen ſuum retinet, nec ſignificationem; ad quem quicumque admittitur vel præſidens vel Præpoſitus, vel Hierarcha, vel Magiſter, Pater, Myſtagogus, aut aliquo alio nomine donatus, qui præſidentiam & iuriſdictionem aliquam ſignificat; ad hanc, inquam, hierarchiam locum nemini patere poſſe, ne imperfectè quidem qui iuriſdictionem ſaltem voluntariam non habet, qualem nempe tum hoc loco, tum alibi ſuprà de actionibus hierarchicis differentes deſcripſimus ac comprobauimus, quam ab ordine hierarchico, Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, indiuulſam ac minimè ſeiunctam nemo eſt qui non agnoſcat, niſi forte in eo qui depoſitus ab ordine ſuo & gradu, licet characterem Eccleſiaſticum per accidens quodammodo retineat, ordinis tamen æque ac iuriſdictionis functiones ex Eccleſiæ ſententia atque iudicio (quæ pœna ſine graui crimine non imponitur) exercere non poteſt.

ARTICVLVS III.

QVALIS IVRISDICTIO AD HIERARCHIAM requiratur.

§. I.

Iuriſdictionem neceſſariam requiri, vt quis perfectè in hierarchia ſtatuatur.

IAM videndum eſt qualis iuriſdictio requiratur, prima quæſtio eſt vtrùm requiratur iuriſdictio neceſſaria. Voluntariam ad habendum imperfectum in hierarchia locum, ſi modò ordini coniungatur ſufficere ex prædictis patet, quandoquidem licet imperfectam iuriſdictionem tantùm quis habeat, putà voluntariam; attamen perfectioris, putà neceſſariæ capax eſt quod ad principatum ſacrum ſufficit: vtrùm autem requiratur iuriſdictio neceſſaria ſaltem in eo qui per ordinem hierarchicum non fuerit capax effectus iuriſdictionis neceſſariæ hîc diſcutiendum eſt.

Dico igitur primò, vt quis perfectè ſit in hierarchia, non ſufficere iuriſdictionem voluntariam, ſed requiri neceſſariam probatur primò ſecundum ſanctum Thomam 1. parte quæſt. 108. art. 1. *in nomine Principatus duo intelliguntur, ſcilicet ipſe Princeps, & multitudo ſub Principe.* Ex quo infert hierarchiæ nomine duo pariter intelligi, ſacri ſcilicet Principatus participes, & eos qui ab iis reguntur ac gubernantur. Quod etiam oſtendunt illi Patres, qui hierarchiam Eccleſiaſticam latè ſumptam nobis deſcribentes duplicis generis homines nobis memorarunt, quorum aliquos ſecundum Dionyſij & Maximi loquendi morem cap. 5. & 6. Eccleſiaſt. hier. τοὺς μύςας, ϗ τοὺς ἱερουργούς. ſeu *initiatores & ſacrorum operatores*: aliquos τοὺς μυουμένους, ϗ τελουμένους *initiatos*, cum Clemente Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8. cap. 1. prioris generis homines ἄρχοντας, ſeu *magiſtratus*, poſterioris ἀρχομένους, ὑπηκόους, λαϊκοὺς, *parentes, ſubditos, laicos*; cum Nazianzeno verò Orat. 1. & 26. alios *Paſtores*, ſeu *Præpoſitos*, alios oues ſiue ſubditos; cum Gerſone de poteſtate Eccleſiaſtica conſid. 9. alios hierarchizantes, alios hierarchizatos dicere poſſumus. Vno verbo illi omnes quos innumeros citare poſſem, qui hierarchiæ latiſſimè ſumptæ ita membra diſtingunt, vt rectores ac magiſtratus ſacros, partem vnam hierarchiæ, alteram ſubditos facere doceant, propoſitum noſtrum videntur probare; nam cùm prioris generis membra ea ſolum eſſe denotent, quæ in ſtrictiori ſignificato hierarchiæ rationem obtineant, vt pote quæ principatus ſacri denominatione nobiliori ratione & æquiori titulo donentur, non obſcurè nobis ſignificant neminem perfectè huic priori membro hierarchiæ inſeri, qui non iuriſdictionis neceſſariæ particeps fuerit; non enim magiſtratus aut iudicis ſacri aut rectoris Eccleſiaſtici perfectè rationem habere quis poteſt, niſi iuriſdictione neceſſariâ præditus fuerit, *Omnibus enim magiſtratibus*, inquit Iuriſconſultus, ff. *ſi quis ius dicenti non obtemperauerit*, lege vnicâ, *ſecundum ius poteſtatis ſuæ, conceſſum eſt iuriſdictionem ſuam defendere pœnali iudicio*; Ex quo ſcilicet fit, vt nec illi qui vel adoptandi, vel arrogandi, vel manumittendi poteſtatem habent; nec iſti qui arbitri à partibus deliguntur, (quos conſtat iuriſdictione præditos) iudices tamen aut magiſtratus dici poſſint. Secundò, quia nec ipſa iuriſdictio voluntaria ſufficeret ad rationem hierarchiæ etiam imperfectæ, niſi connaturalis eſſet, vel debita alicui ordini & gradui in Eccleſia Dei: non enim ex ſe ad gradum aliquem vel ordinem habentem euehit, ſicut nec verbi gratiâ illuminatio actiua, quâ inferior Angelus ſuperiorem illuminaret, ſi Deo ita placeret, cum tamen in hierarchia ſuperiori conſtitueret, quia nec ei connaturalis eſſet, nec debita: quin immò præter ordinem eſſet, quòd inferioris gradus exiſtens ſuperiorem illuminaret: Eſt enim hierarchia ex definitione ſuperiùs tradita, ordinata poteſtas in ſubditis debitum retinens principatum; & ſecundum Dionyſium non tantùm ipſa ſcientia, & actio dicitur, ſed ordo: itaque vbi ordo non eſt, id eſt, vbi non cuiuſque gradui, & ordini connaturalis eſt actio, ſed indebita, nec vera vlla hierarchia cenſetur. Idem de iuriſdictione extraordinaria

argumentum fieri poteſt; ac proinde imperfectè tantùm vtraque iuriſdictio hominem in hierarchia conſtituit: imò ne per ſe quidem conſtituit, ſed ſolùm quatenus ordini ſacro vel gradui, officio, vel dignitati Eccleſiaſticis connectitur, ac proinde nec perfectè hominem in hierarchia conſtituit: ſi enim perfectè hominem in hierarchia conſtitueret, ſolitariè etiam ſpectata & ſeorſim à cæteris, ſedem alicui in hierarchia acquireret: quod vtique falſum eſt.

E contrà verò ordinaria iuriſdictio coercitiua, dimidiata ſaltem eſt hierarchiæ Eccleſiaſticæ ratio: ſiquidem ordo quoque ſacer & hierarchicus debetur ei qui illâ iuriſdictione prædirus eſt; ac proinde imperfectè ſaltem & ex parte hierarchiæ propriè dictæ inſerit, in quantum & principatum iuriſdictionis tribuit, & ſibi debitum ordinem exigit.

Iuriſdictionis autem Eccleſiaſticæ duplex virtus, & officium geminum eſt, vnum dirigendi, alterum vtique coercendi; & ſanè, ſuppoſitâ culpâ, ac hominis propenſione naturali in malum, inanis eſt atque imperfecta dirigendi virtus, niſi coercitiua iuuetur. ἐ γὰρ ἀν ἀκούσῃ λόγου ἀποτρέποντος, ἐδ' ἂν ζυνίη ὁ κτ' πάθος ζῶν. τὸν δ' ὕτως ἔχοντα, πῶς οἷόν τε μεταπεῖσαι; ὅλως δ' οὐ δοκεῖ λόγῳ ὑπείκειν τὸ πάθος, ἀλλὰ βίᾳ, inquit Ariſtoteles libri decimi Ethicorum capite decimo, id eſt, *Nam qui perturbatione vitam dirigit, is numquam illum à quo deterreatur, atque auocetur à vitio, patienter auditurus eſt, nunquam eius orationem intellecturus. At eum, qui ita ſit affectus, quonam modo de ſua ſententia dimouere poſſit? omninò autem perturbatio non videtur orationi cedere, ſed vi eſſe cogenda.* Atque ideò eodem capite ſubiungit leges habere ἀναγκαστικὴν δύναμιν, *vim neceſſitatem inferentem*: imò nec ſatis in paternis iuſſis neceſſitatis & virtutis ineſſe ad cogendum adiungit, quamuis dilectio, quâ parentes liberi proſequuntur, ad parendum illorum iuſſionibus, flexiles faciléſque hos faciat, cui conſentientes Demoſthenes Orat. 1. aduerſus Ariſtogitonum, Papinianus lib. 1. definitionum, & cæteri paſſim Iuris Anteceſſores Legem ἐπανόρθωμα, ſeu *coercitionem* dixerunt. Imò nec iuriſdictionem infimam, ſine coercitione, vllam eſſe Legum Canonúmque Doctores pronuntiant, Gloſſa finalis in cap. 1. de officio Archidiaconi, cap. *Paſtoralis*, & ibi Gloſſa *de officio delegati*, cap. *ex litteris*, eodem; Lex finalis, ff. *de officio eius cui mandata eſt*. Innuitque Lex prima, *de iuriſdictione omnium iudicum*, & ibi Gloſſa prima, atque Interpretes omnes iſtarum Legum ac Canonum. Quare cùm pro modulo iuriſdictionis, quam quis habet, in hierarchia Eccleſiaſtica reponatur ex prædictis: nemo verò iuriſdictionem perfectam obtineat, niſi coercitionis alicuius vim & poteſtatem habeat, ſequitur nec in hierarchia Eccleſiaſtica abſque iuriſdictione coercitiua perfectum cuiquam in hierarchia locum aſſignandum eſſe.

Illi ipſi qui docendi ſeu purgandi, perficiendi, illuminandi officium ſuſcipiunt, & eo titulo hierarchiæ Eccleſiaſticæ adſeribuntur, perfectè eo fungi nequeunt, niſi coercendi modicâ ſaltem aliquâ auctoritate præditi ſint. Vnde poteſtatem iſtam docendi Dauid comparat Regiæ, Pſal. 2. *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.* Et Apoſtolus 1. ad Timoth. 5. præeſſe dixit *Presbyteros qui laborant in verbo & doctrina*. Origenes homil. 21. in Num. Reges vocat, qui ſcriptis ſuis alios erudiunt. Ea verò coercendi poteſtas ad plura neceſſaria eſt, tum vt ſecundum præceptum Apoſtoli prædicaturi verbum, *inſtent opportunè importunè*, & inuitis etiam ac renitentibus ingerant Dei cognitionem, quod Paſtores facere oportere tradit Auguſtinus lib. de Paſtoribus cap. 7. tum vt *cum imperio*, doceant, & ad diſcendum etiam negligentes compellant, iuxta præceptum eiuſdem Apoſtoli 1. ad Timoth. 4. *Præcipe & doce*; quæ Græci Interpretes Chryſoſtomus & alij ita diſtingunt, vt in rebus humanis quædam doctrinâ & inſtitutione indigeant, quædam imperio, & vtramque præſtandi Doctores Eccleſiaſtici auctoritatem habent, vt ſcilicet apud ſcientes & agere nolentes, itémque apud diſcere negligentes præcepto, apud ignorantes & benè affectos doctrinâ agant. Tum denique vt etiam docenda corrigant, & immorigeros durè quandoque arguant, iuxta præceptum Pauli ad Titum 2. *Argue cum omni imperio*, & eiuſdem 1. ad Tim. 4. *Argue, obſecra, increpa cum omni patientia & doctrina.* Itaque Apoſtolus ſibi etiam ab iis quibus prædicabat obedientiam exigebat ad Rom. 6. ad Philippenſes 2. & alibi; imò & eos qui non obedirent poſteà puniendos notari volebat, 2. ad Theſſal. 3. ac proinde nemo non videt,

quin & hoc ipſum iuriſdictionis voluntariæ officium, cui operam dantes, cuiuſuis fortè iuriſdictionis expertes videri poſſent, iidémque nihilominùs ad hierarchiam Eccleſiaſticam irrepere cenſerentur, imperfectum eſſe niſi cum iuriſdictione coercitiuâ coniungatur: atque adeò imperfectum in eadem hierarchia ratione iſtorum officiorum locum eum tenere qui iuriſdictionem coercitiuam nullam habeat.

Idem dici poteſt de ſacramentorum adminiſtrandorum munere: ſine coercitione ſcilicet imperfectum eſſe, quippe cùm illud legitimè executioni demandari nequeat, niſi indignè accedentes reiiciantur, quòd cuiuſdam iuriſdictionis coercitiuæ locum habere collige ex Chryſoſtomo homil 83. in Mathæum; vbi Diaconorum curæ & auctoritatis eſſe demonſtrat indignos à ſacra menſa arcere: idcóque Tertullianus de Corona militis c.3. ſcripſit, *nec de aliorum manu* (ſacramentum Corporis Chriſti) *quam præſidentium ſumimus*. Nam & præſidentium & præpoſitorum officio funguntur; qui ſacram iſtam eſcam, aut aliud quo ſuis ſacramentum diſtribuunt, ac proinde imperfectum eſt ipſorum munus, niſi cùm præſidentium ac præpoſitorum auctoritate, quæ coercitionem includit, coniungatur.

Quinto, quia hierarchia Principatus eſt, ſacérque Principatus. Ita enim hactenus Doctores omnes & ſcriptores ſacri, qui eâ voce vſi ſunt, interpretati fuere, vt ex prædictis conſtat: at verò Principatus humani nomen iuriſdictionem aliquam coercitiuam ſonat, tum apud prophanos tum ſacros Auctores, tum vbi ſermo eſt de ciuili, tum de Eccleſiaſtico Principatu. Legantur Xenophon lib. 1. de imperio, Ariſtoteles Politicorum 1. Plato de Repub. & alij paſſim Principatum eo ſenſu ſumentes; quod egregiè docuit Tertullianus lib. aduerſus Hermogenem cap. 19. quo vocabuli iſtius ἀρχὴ duplicem ſignificationem profert, priorem pro principio, quod *ordinatiuum* vocat, ſeu pro eo, quod ordine prius eſt: *quo ſenſu*, inquit, *ad ordinationem operum vocabulum principij pertinebit*: poſteriorem pro principatu, de qua ſignificatione hæc habet, *Poſſunt & aliter principium interpretari, non abs re tamen, & in Græco principij vocabulum, quod eſt ἀρχὴ non tantùm ordinatiuum, ſed & poteſtatiuum capit principatum: Vnde & ἄρχοντας dicunt Principes & Magiſtratus. Ergo ſecundum hanc quoque ſignificationem principium pro principatu & poteſtate ſumetur.* Ex cuius verbis inferre mihi licet, hierarchiæ nomen in ſtrictiori ſignificato ſumi debere, prout ἀρχὴ principium ordinatiuum vel poteſtatiuum ſignificat; certum eſt non ſumi pro principio ordinatiuo, quaſi priùs debuerint eſſe aut Clerici, aut aliqui Deo ſpecialiter conſecrati, quo ſenſu hierarchiæ membra interpretatur Cellotius quàm Chriſtiani: cùm conſtet ex Chriſtianis omnes ſpecialiter conſecrandos deligi: ac proinde priùs eſſe Chriſtianos quàm hierarchicos eo ſenſu viros, quod expreſsè notauit Auctor Operis imperfecti in Matthæum, inter Opera Chryſoſtomi homil. 40. *Prior enim*, inquit, *populus creatus eſt, deinde ſacerdotes qui regunt populum: alioquin ante creati ſacerdotes quem regerent: non enim populus propter ſacerdotes creatus eſt, ſed ſacerdotes propter populum.* Itaque dum hierarchici & ἄρχοντες dicuntur è Chriſtianis non quiuis è fæce populi, ſed dilecti, & ſublimioris ordinis viri, eos vtique à principio poteſtatiuo, ſeu Principatu dici oportet ἄρχοντας ſeu *hierarchicos*, quod ſcilicet Principatum gerant, & ſuperiorum in alios poteſtatem exerceant; qualem in Repub. ciuili Principes & Magiſtratus gerunt, quos ideo idem Tertullianus tam ſacris quàm prophanis rebus præſidentes, ἄρχοντας vocare ſolitus fuit, ſicuti leges libri aduerſus Iudæos cap. 9. lib. 2. de Corona militis cap. 9. lib. 3. aduerſus Marcionem cap. 22. & lib. 4. cap. 42. eadémque ſignificatione ἄρχοντας ſumit Anaſtaſius quæſt. 120. quæſtionum ad Antiochum; ſumunt & alij paſſim Patres.

Quin etiam, ne moremur in ſingulis, nomina omnia quæ ex illo vocabulo ἀρχὴ, conflata ſunt in ſacris vſurpata, dignitates ſignificant poteſtate aliquâ coercitiuâ præditas, verbi gratiâ, Patriarcharum nomina, Archiepiſcoporum, Archipreſbyterorum, Archidiaconorum: quod ipſum de officiis Eccleſiaſticis dici poteſt, quæ à Zonara in Can. 7. Trullanæ Synodi, ἀρχοντικὰ vocantur. Igitur & dignitas illa, ſeu gradus ille qui hierarchiæ nomine ſignificatur, perfectus non erit ſuiſue numeris omnibus abſolutus, niſi iuriſdictionem neceſſariam ſeu poteſtatem coercitiuam ſecum adiunctam aliquam habeat.

Sexto, iuriſdictionem neceſſariam ſaltem aliquam inter homines habent illi omnes

quibus obtemperare, atque obſequi neceſſum eſt. Atqui iis, quibus perfectus in hierarchia locus conceditur, obedire & obtemperare neceſſum eſt: nam verbi gratiâ Ignatius hierarchiam Eccleſiaſticam, qualis ſuo tempore ſeruabatur, nobis deſcribens, variis epiſtolis, ad Trallianos, ad Magneſianos, ad Philippenſes, ad Polycarpum, ad Philadelphienſes, Epiſcopis Presbyteros, his Diaconos, quibus à populo obtemperandum ſit, obedire debere prædicat. Idem inculcant Polycarpus epiſt. ad Philippenſes, Clemens Romanus Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 30. & 33. lib. 8. cap. 1. & alibi paſſim. Igitur quibus perfectè in hierarchia locus debetur, ij iuriſdictionem neceſſariam habere debent.

Denique clauium præſertim nomine, quibus aditus ad Eccleſiam recluditur vel aperitur, iuriſdictio Eccleſiaſtica ſignificatur, ligandique ac ſoluendi poteſtas dici ſolet: hæc autem verba denotant iuriſdictionem coercitiuam, ac proinde perfectam iuriſdictionem Eccleſiaſticam non eſſe coniicimus, quæ coercitiua non fuerit. Vnde cùm hierarchica poteſtas & iuriſdictio pari greſſu incedant, quibus illa iuriſdictio coercitiua non conueniet, nec hierarchica poteſtas perfecta tribuetur, nec perfectus in hierarchia locus.

§. II.

Iuriſdictionem voluntariam abſque ordinis conſortio non ſufficere, vt aliquis ſit in hierarchia etiam imperfectè.

DICO ſecundò, iis qui non ſunt inſigniti hierarchico ordine, non ſufficere iuriſdictionem voluntariam; vt vel imperfectè hierarchiæ ſtrictè ſumptæ inſerantur. Primò, quia ad omnem magiſtratum, vel dignitatem ciuilem requiritur iuriſdictio neceſſaria: ergo & ad ſacram atque hierarchicam dignitatem. Inter quas tamen prophanam & ſacram hoc intereſt, quòd per ordinationem aliquis deſignetur ad ſacram præfecturam, idcóque quantumcumque eam actu non habeat, in gradu tamen eſt eam habendi quod ei ſufficit, vt in hierarchia imperfectè eſſe dicatur: in prophana verò dignitate, ad quam nulla requiritur ordinatio, ſecus eſſe videatur, niſi fortè dicas etiam magiſtratus, quos homines, perpetuos eſſe voluerunt, nec niſi morte finiri, ordinibus ſacris, in eo comparari poſſe, vt poſſit tolli poteſtas proxima functionum exercendarum, remanente ſtatu & gradu. Secundò, quia argumenta ſuperiùs adducta id oſtendere videntur. Tertiò, quia exemplo arbitri à partibus delecti idipſum illuſtratur, qui licèt habeat iuriſdictionem voluntariam, nihilominùs omnis Principatus expers dicitur.

Nec obiicias in hierarchia cæleſti nullam eſſe iuriſdictionem neceſſariam. Primùm enim hoc falſum eſſe ſuperiùs docuimus. Deinde nec quamuis verum eſſet, omnimodam hierarchiæ Eccleſiaſticæ & cæleſtis ſimilitudinem eſſe oporteret.

ARTICVLVS IV.

Requiri ad habendam perfecto iure in Hierarchia ſedem iuriſdictionem ordinariam.

§. I.

Probatur Concluſio.

ALTERA quæſtio eſt, vtrùm requiratur ad hierarchicum gradum ordinaria iuriſdictio.

Reſpondeo, ad perfectam hierarchicam dignitatem, ſeu perfectum in hierarchia Eccleſiaſtica gradum tenendum, ordinariam iuriſdictionem requiri, delegatam verò ſeu ex commiſſione nec ſufficere, nec poſſe ſacro Principatui aliquem inſerere.

Probatur primò, quia, vt docet Papinianus lib. 1. quæſtionum, habetúrque lege 1. §. *qui mandatam*, ff. *de officio cui mandata eſt iuriſdictio*, *qui mandatam iuriſdictionem*

ſuſcepit proprium nihil habet, ſed & eius qui mandauit iuriſdictione vtitur; nec, vt addit Iulianus libro 5. Digeſtorum relatus, lege 3. eodem titulo, *pro ſuo imperio agit, ſed pro eo, cuius mandatu ius dicit, quoties partibus eius fungitur.* Atqui quicumque in hierarchia perfectam ſedem habet, in ea ſuo nomine reponi debet non alterius: eſt enim hierarchica dignitas perfecta vnicuique propria: nec ab alterius dignitate petenda, ſicut nec conſularis, prætoria, tribunitia; aut aliæ mundanæ dignitates iis tribui ſolent, qui alterius ſolùm nomine & iure officium aliquod dignitatum iſtarum exercent: ergo eo præciſè titulo, quo quis iuriſdictionem delegatam alterius nomine exercet, dignitatem hierarchicam, ſeu ſedem in hierarchia perfectam vendicare non poteſt.

Confirmatur teſtimonio & ratione ſancti Thomæ quæſt. 118 art. 4. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quòd ille qui operatur ex virtute alterius, agat per modum inſtrumenti; miniſter autem eſt ſicut inſtrumentum animatum, vt Philoſophus dicit in primo Politicorum*, (cap. 3. & 8. Ethicorum cap. 7.) *vnde quod aliquis auctoritate Prælatorum prædicet, vel alia eiuſmodi faciat, non ſupergreditur diſcipulatus vel ſubiectionis gradum.* At diſcipulatus ac ſubiectionis gradus, principatui ſacro ſeu hierarchiæ perfectæ dignitari opponitur. Igitur ex ſententia & argumentatione ſancti Thomæ ſequitur iuriſdictionem delegatam præciſè locum in hierarchia non tribuere, & cum ſubiectione hierarchicæ dignitati oppoſita ſtare poſſe.

Confirmatur etiam & auctoritate & argumentatione Philippi Abbatis Bonævallis de continentia Clericorum cap. 110. & quibuſdam ſeqq. Monachos reprehendentis, qui quòd Clerici officium aliquando peragerent, Clericos ſe dicendos eſſe contendebant: hac enim occaſione luculenter oſtendit, non ideò nomen dignitatis cuiuſlibet, ſtatus vel officij cuiquam eſſe concedendum, quòd officij iſtius functiones ipſi committantur: ea ſolùm profero quæ in hunc ſcopum diſputat cap. 111. *Denique ſi is qui agit quod eſt Clerici, Clericus eſt; numquid non etiam qui agit quod eſt Monachi, Monachus eſt? qui agit quod eſt militis miles eſt? ſi ita eſt, ordo rerum non mediocriter confundetur, nulla profeſſio diſtinguetur quod quiſque dici debeat non facilè cognoſcetur: quia in omni profeſſione rarus admodum continetur, qui non aliquid quod eſt proprium profeſſionis alterius operetur*, Probat id exemplo ignobilium & Clericorum qui milites non ſunt, & tamen militum aliquando officia vſurpant: quod exemplum proſequitur cap. 112. & 113. capite verò ſequenti 114. exemplum eorum, qui cùm Monachi non ſint, officia tamen Monachorum obeunt, ad eiuſdem propoſitionis probationem ſubiungit dicens, *Superiùs audiſtis, quia officium Monachi eſt ieiunium, vigiliæ, labor, luctus, ſilentium: & Hieronymus dicit, quia Monachus habet plangentis officium. Nunquid igitur omnis qui hæc inuenitur agere, Monachus erit? quantum mihi videtur non erit.* Aliud exemplum ſubnectit, quod breuitatis ſtudio & diſcretionis moderatione, ne quid in Monachos infenſiùs dicere videar, prætermitto. Sufficiunt enim iſta quæ protulimus, vt probemus iuriſdictionis officia alieno nomine vſurpatæ vel exercitæ, non ſufficere vt ſtatum gradúmque iuriſdictionis, id eſt, hierarchicum per ſe, & ſecundum ſe tribuere poſſit.

Secundò probatur, quia illa iuriſdictio per ſe non conſtituit hominem in hierarchia, quæ conuenire poteſt iis qui ab hierarchiæ finibus arcentur: atqui iuriſdictio delegata ſeu credita & commiſſa, conuenire poteſt iis, qui procul ab hierarchiæ finibus arcentur, nempe merè laicis & ſæcularibus, vt colligitur ex Can. *Præter*, §. *ad hæc verò*, & ibi Gloſſa, *ducibus* diſtinct. 32. ex Can. *Mennam*, 2. quæſt. 5. vt notat Gloſſa 2. ibidem; ex Can. *Benè quidem*, diſtinct. 96. obſeruátque Gloſſa verbo *laico*; ex Can. *plures*, 16. quæſt. 1. quod etiam animaduertit Gloſſa, verbo *diſcernant*, cap. *tua*, *de decimis*; Illis tamen qui ſunt merè laici & ſæculares, ne Cellotius quidem locum in hierarchia ſtrictiori ſignificato ſumpta concedit, quibus ſpecialem conſecrationem ad hierarchiam in ſtrictiori ſignificato ſumptam adimit. Igitur iuriſdictio delegata per ſe hominem in hierarchia non conſtituit: ac proinde ſi ſeorſim ab ordine hierarchico, gradu, officio, vel dignitate Eccleſiaſtica ſumatur, ad hierarchicum ordinem nullomodo habentem promouebit; ſi verò eis accedat, nec eius in hierarchia ſtatum multum amplificabit; ornabit quidem, ſed non complebit, non conſummabit, non perfectum in eadem hierarchia locum tribuet.

Tertiò, quia iuriſdictio omnis, quæ vel primum in hierarchia locum alicui acquirit, vel eius dignitarem hierarchicam complet, ac perficit, debet eſſe ſtabilis ac na-

turâ ſuâ perpetua, ſicut & dignitas hierarchica, per quam in ordinem aliquem ſuperiorem homo transfertur, ſtabilis eſſe debet, & ex ſe perpetua: ordinationes enim Eccleſiaſticæ ſtatum quemdam naturæ firmum, conſtantem, perpetuum ſignificant: quod oſtendit Eccleſiæ ſenſus, cuius ab antiquis temporibus teſtis eſſe poteſt Tertullianus lib. de præſcript. cap. 41. dum hæreticis obiectat, *quòd ordinationes eorum temerariæ, leues, inconſtantes, &c. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector; hodie Presbyter qui cras laicus*: oſtendit & Eccleſiæ maieſtas, in cuius opprobrium cederet, ſi eius Principatus eſſet mutabilis, ordines temporarij: quemadmodum & inconſtantia Principatus ciuilis regiminis eius præſtantiæ ac dignitati detrahit, nec diffiteri poteſt Cellotius, ſi conſentaneè loquatur iis quæ de conſecratione ad hierarchiam aditum patefaciente ſtatuit, conſecrationem omnem ſtabilem naturâ ſuâ eſſe oportere. Atqui iuriſdictio delegata ſeu commiſſa naturâ ſuâ fluxa eſt & inſtabilis, quippe quæ à voluntate delegantis & committentis dependeat, variiſque aliis modis reuocetur, vt patet ex capite *in literis, de officio delegati*, & aliis paſſim: quod ipſum de qualibet iuriſdictione ex priuilegio ſolùm conceſſa docuimus vindiciarum cenſuræ lib. 4. cap. 1. §. 4. & infrà confirmabimus. Igitur iuriſdictio ſiue delegata, ſiue commiſſa, ſiue quocumque modo ex priuilegio cuiquam competens abſque animarum cura & obligatione officio adnexa, per ſe nec primum in hierarchia locum cuiquam acquirit, nec dignitatem hierarchicam complet ac perficit.

Quartò, quia hierarchia Principatus eſt: Principatus autem nullus ſine ſubditis: proindéque, vt perfectus ſit, certos debet habere ſubditos neceſſitate ſubiectos, non ſolâ voluntate ſubmiſſos: nam ordo quidem hierarchicus generatim ſubditos aliquos Epiſcopis, Presbyteris, miniſtris acquirit: ſed vagus eſt hic Principatus, incertus, inconſtans, imperfectus, niſi certi quidam aſſignentur, qui ſacro ordine initiatis ſubiici debeant: ſed nemini certi ſunt ex lege & neceſſitate ſubditi, niſi habenti iuriſdictionem neceſſariam; ergo hierarchia, & Principatus, qui iuriſdictionem tantùm habebit voluntariam, incertus eſt & imperfectus: ac proinde ad perfectam hierarchiam neceſſaria iuriſdictio requiritur.

Neque iuuat cum Cellotio reſpondere lib. 2. cap. 2. hierarchiam principatum dici potiùs præ eminentia dignitatis, quàm poteſtatis: nam eſto id de hierarchia cæleſti dici poſſet: de qua tantùm loquitur Guilelmus Pariſienſis 2. partis parte 2. *de vniuerſo*, cap. 136. à Cellotio citatus, qui nec ipſe quidem præcellentiam poteſtatis in hierarchiis iſtis negat, ſed ſolùm à maiore potiùs nobilitate quàm poteſtate dictas affirmat, quamuis & poteſtatē maiorem in ſublimioribus hierarchiis admittat. Quamuis tamen id de cæleſti hierarchia fateremur, cuius ordinum diſtinctio ſequitur naturarum maiorem vel minorem nobilitatem; non tamen in Eccleſiaſtica admittendum eſſet: in qua non naturarum, non animi dotum, non meritorum, ſed ſola poteſtatum inæqualitas diuerſos ordines facit, vt contra Wiclephiſtas credunt Catholici: ac proinde qui hanc diſtinctionem tradunt, non tam nos de principatu iſto deiiciunt, quàm principatum ſacrum & hierarchiam omnem euertunt, hæreticorum noſtri temporis veſtigiis inhærentes, qui ſanctorum Patrum pro Principatu D. Petri teſtimonia omnia eadem diſtinctione eludere conantur, vt non Principatum auctoritatis, ſed ſolùm nobilitatis ſignificent: cùm tamen nec Petrus conſtanter cæteris nobilior à Chriſto dictus ſit; nec hierarchici viri non hierarchicis, niſi vel ordine Eccleſiaſtico, cui vt actus ſuos legitimè exerat, neceſſariò adnectitur iuriſdictio: vel ipſo iuriſdictionis officio ſuperiores exiſtunt, eorum nempe ſpiritales duces conſtituti.

Quintò, ad omnem hierarchiam perfectam tria hæc neceſſaria ſunt, ordo ſeu conſecratio hierarchica, munus & officium ordini conueniens, reſpectum habens ad inferiores & ſubditos, & actio officio ſiue muneri ſuſcepto adæquata: ſi quid eorum deſit, imperfecta eſt, ac mutila omnis hierarchia; nam ſicut in prætoria dignitate hæc reperiuntur, præturæ dignitas, præturæ officium, determinatio cum aſſignatione ſubditorum, quòd vrbana ſit, verbi gratiâ, quòd conſularis, quòd militaris: & actiones illis omnibus reſpondentes. Item quemadmodum vt quis perfectè præturam gerere dicatur, 1. requiritur quòd Prætor creetur: 2. quòd aliquod ex præturæ officiis ſortiatur, & aliqui ſubditi aſſignentur. 3. quòd in officio Prætoris. quod ſortitus fuerit, nulla actio ei denegetur, quæ cæteris tribui ſolet: imperfectè Prætor eſt, qui ha-

buerit officium præturæ ſuæ ſine dignitate prætoria: imperfectè Prætor eſt, qui abſque ſortitione officij voluntariam tantùm iuriſdictionem habuerit; imperfectè Prætor eſt, qui officium quidem ſortitus ſit, ſed mutilatum nec integrum, quale per leges dari ſolet, ſimiliter vt perfectam aliquis dignitatem hierarchicam obtineat, tria neceſſaria ſunt. Primum ordo Epiſcopalis, Preſbyteralis, vel Diaconalis: Alterum, inſcriptio alicui Eccleſiæ cum officio vel dignitate circa plebem, verbi gratiâ, Patriarchæ, Primatis, Metropolitani, Epiſcopi Diœceſani, Archipresbyteri, Decani, Parochi, Archidiaconi, &c. Tertium, functionis adæquatæ iſtorum omnium officiorum: quòd ſi quis Epiſcopus ſit abſque Patriarchali, Exarchica, Metropolitana, Epiſcopali ordinaria dignitate, non eſt perfectus Epiſcopus, nec eo nomine perfectè in hierarchia conſtituitur: ſi quis Presbyter vel Diaconus ſit abſque vlla dignitate hierarchica aut aſſignatione ſubditorum, nec in ordine hierarchico Preſbyterorum, nec Diaconorum perfectam ſedem haber. Item ſi quis dignitatem quidem hierarchicam habet ordini ſuo conſentaneam, ſed ei omnes vel aliquæ interdicuntur functiones ſuæ dignitati lege communi adnexæ, nec ipſe perfectam habet hierarchicam poteſtatem.

At quicunque habet ordinem, & ad illius exercitium alicui Eccleſiæ regendæ aſſignatur, officiúmque vel dignitatem ordini hierarchico reſpondentem ſuſcepit, ac functionum illius officij, dignitatis vel muneris adæquatam poteſtatem, hic vtique iuriſdictionem tam ordinariam quàm neceſſariam habeat, neceſſum eſt. Ordinariam quidem, quia conſuetam officio ſuo, graduique debitam gerit, & vt haber definitio hierarchiæ aſſignata, *debitum in ſubditis retinet principatum*; debitum, inquam, ſuo gradui, officio, dignitati: neceſſariam verò, quia eo ipſo quo ſubditi quidam alicui aſſignantur, quorum curam gerere debeat, eo ipſo ſuperiori obedire, atque obſequi in iis quæ ex officio præſcribuntur, ſubditi tenentur: atque ita iis, qui & ordinem habent hierarchicum & officium hierarchicum, & functionum officij ſui adæquatam ac liberam poteſtatem, id eſt, quibus ad hierarchiæ in ſuo ordine perfectionem nihil deeſt, iuriſdictio quoque tam ordinaria, quàm neceſſaria ineſſe debet.

§. II.

Obiectiones in contrarium diſſoluuntur.

OBIICIT ſæpè Cellotius nos nimium hierarchiam coarctare, anguſtioribus limitibus concludere, hanc ſtrictiorem hierarchiæ acceptionem belli ſeminarium eſſe: ſe autem dilatare ſpatia charitatis. Sed videat ne dum hierarchiam laxiorem facit, faciat imperfectiorem; ne dum contentiones ſopire ſtudet, maiores excitet: & deterior ſit fraudulenta pax aperto bello. A tanto tempore Monachorum ordines in Eccleſia floruerunt, nullus eorum pro hierarchica dignitate ſibi arroganda, ſolo profeſſionis monaſticæ titulo pugnauit, vt alibi videbimus. Quis ergo putet nouorum quorumdam hominum ambitioni id cedendum, quod prædeceſſorum ſuorum humilitas, ſuperiorum ordinum reuerentiſſima repudiauit? Abſit, vt dum extendere ſatagimus ſpatia charitatis, excedamus limites æquitatis: & hierarchicam (ſicut alludendo ad ſententiam Iſaiæ cap. 9. dicere poſſumus) multiplicemus gentem, nec magnificemus lætitiam: indignóſque ſpecioſis hierarchiæ titulis exornantes, hominum contemptui & ludibrio hierarchicam ipſam exponamus dignitatem.

Nihil vtique cedendum, quòd ex ambitione petitum, iniur â prætentum, ſine religionis violatione concedi non poteſt. Periculoſa eſt in ſacris omnis gratuita conceſſio: nam, vt ait Cyprianus epiſt. 73. ad Iubaianum, *Quàm periculoſum ſit in diuinis rebus, vt quis cedat iure ſuo & poteſtate, Scriptura ſacra declarat, cùm in Geneſi Eſau primatus ſuos inde perdiderit, nec recipere id poſtmodum potuerit, quod ſemel ceſſit.* Contentioſus videri non poteſt, qui acceptam à maioribus poſſeſſionem defendit, ſed ille contentioſus eſt, qui in alienos fines nullo iure fretus inuadit, de iure itaque ipſo hierarchicæ dignitatis agendum eſt; tu nullo veterum præiudicio fretus incedis, ſolâ nouitatis à te inductæ admiratione ſuperbis; ego veterum ſententiæ definitione, nominis etymologia nitor: vter noſtrûm contentioſus videri debet?

Sed

Sed inſuper offenditur noſter aduerſarius, quòd plurimos imperfectè tantùm in hierarchia conſtituamus, quibus perfectum ac plenum ius ad eam ineſſe contendit. Audio eum ipſum ſubmurmuranrem, quod Presbyteros, vt vocat, ſimplices, nulli Eccleſiæ addictos, nulli plebi Præpoſitos; Capellanos item & alios ſacerdotes ac Diaconos, officia ſine cura & regimine populi Eccleſiaſtica gerentes, Beneficiaq; , vt vocanr, ſimplicia habentes; Canonicos ipſos Cathedralium Eccleſiarum; imò & Eminentiſſimos Cardinales à perfectæ hierarchiæ poſſeſſione depellamus: quod abſque iniuria, & probro rot ſacerdotalis ordinis virorum defendi non poreſt. Quòd denique vniuerſim omnes penitùs Diaconos Eccleſiaſticæ hierarchiæ perfecta membra abnegare oporreat, quorum ſcilicet nullis iuriſdictio ordinaria conuenit: quod tamen Concilij Tridentini definitioni repugnar.

Sed hanc à nobis criminationem facilè repellimus: etenim quidam ex iis quos obiicit aduerſarius grauatè non ferrent, non quidem ſe ab hierarchia excludi: cui eos ordo ac conſecratio principalis adſcribit: ſed perfectiorem locum perfectioribus in ordine ſuo tribui, & aliis dignitatibus quam inchoatam habent, cumulum concedi, quem nequaquam attigerint.

Quid enim v. g. deperit Presbytero, quem vocatis ſimplicem, ſi eùm ordine ſacro Archypresbyreris & Presbyteris æquetur, iuriſdictionis excellentiâ, quæ & ipſa hierarchici ſtatus ornamentum eſt, inferiorem ſe fateatur? qui grauatè hoc ferret, mihi, quæſo, reſpondeat, num ad hierarchiæ perfectionem ſuſceptum Parochi officium, iuriſdictio Archypresbyteri vel Archidiaconi aliquid conferat? Si negat, ex ipſa terminorum ſignificatione refellitur: ſi concedit, iam agnoſcat neceſſum eſt, iis qui nec officium illud habent, nec ſimile, deeſſe aliquid, quo perfectiorem in hierarchia ſedem obtineant.

Quòd ſi vrgeat, non ideò imperfectum illis in hierarchia locum eſſe, quia non debitâ perfectione priuantur: atque adeò comparatè tantùm imperfectum locum illis eſſe aſſignandum contendat, non abſolutè imperfectum: eadem quâ ſe exceptione excuſat, redargui poteſt. Eſto ſiquidem ſimplici Presbytero officij Eccleſiaſtici experti ordo ſuus, ſuáque conſecratio perfecta eſſet, quantumuis ab omni neceſſaria iuriſdictione ſeiuncta: non tamen ſequeretur nihil amplius deberi ad perfectionem hierarchicam: non enim ſola conſecratio ad eam ſufficit, niſi iuriſdictio accedat, quæ certè imperfecta eſt, niſi & ordinaria, & neceſſaria fuerit, quemadmodum probauimus. Præterea ordini ipſi ſacro non quidem quoad ſanctitatem aut ſacra altaris miniſteria aliquid deeſt, ſublatâ ordinariâ atque neceſſariâ iuriſdictione: ſed deeſt ipſi aliquid quoad efficaciam, perpetuitatem & auctoritatem ſuæ actionis. Quamuis enim nolim ordinatum ſuſcipere omnia officia quæ ordini ſuo adnecti poſſunt, non enim hoc diuinus ordo poſtulat, qui etiam inrer perfectos, vt docet Nazianzenus Oratione vigeſimâ ſextâ, differentiam ſtatuit, & varia gratiarum dona impertitur, iuxta quæ & ipſi Presbyteri atque Diaconi munera atque officia diuerſa ſortiri poſſunt: tamen ad perfectionem cuiuſcumque officij, quod ordinato adnexum ſit, requiritur & debetur iuriſdictio aliqua ordinaria & neceſſaria, vt efficaciter ex officio publico, ac ſtabili, ex obligatione & cum imperio ſuum quodque circa plebem munus ordinati exequi poſſint, non precariò, non inefficaciter, non dependenter à ſubditorum voluntate. Ad hoc præſertim procurandum, gratia ordinationis ſacramento adnectitur, vt difficultates quæ in regimine Eccleſiæ occurrunt, leuari, & ſollicitos in officiis circa plebem Clericos faciat, patientes ac fortes. Atque ideò in omni hierarchico ordine præſidentiam quandam agnoſcunt Patres: ſic enim verbi gratiâ præter citatos toto hoc Opere, Origenes de Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis loquens homiliâ ſeptimâ in Hieremiam. *Nos*, inquit, *qui putamur aliquid eſſe, id eſt, qui in Clericatus vobis ordine præſidemus.* Hieronymus epiſt. 9. *Pro officio ſacerdotij omnes Chriſtianos filiorum loco diligimus, & profectus eorum noſtra eſt gloria.* Nyſſenus Oratione de ſancto Baptiſmate, docet per ordinationem hominem illicò fieri *καθηγήμονα, προεδρὸν, διδάσκαλον, μυσταγωγὸν, Ducem, præſidem, præceptorem, myſteriorum præſulem.* Ambroſius in 1. ad Timotheum quarto, de ordinatione loquens: *Ad hoc enim*, inquit, *creatur dux populo, vt huius ſalutis ſollicitudinem gerat admonendo, docendo, vt fructum habeat ordinatio: quem ad hoc vtique Deus conſtituit, vt proficiat ſaluti plebis ſuæ.* Nazianzenus Oratione primâ, adeò connexam putat ordinis & iuriſdictionis poteſtatem, vt Deum non

poſſe myſticis coli ſacrificiis probet, niſi Rex aut Præfectus eſſet, qui contumaces à ſacerdotiis arcere poſſet. Quæ ſanè argumentatio optima eſt: vt quia nimirùm oportet eum cui ex officio incumbit, & ex obligatione ſacramentis ac ſacrificiis plebem paſcere, poſſe (niſi poteſtas eius coerceatur) alimenta iſta in pœnam peccati, vel per ſententiam iuridicam plebi ſubtrahere: vel ſaltem tanquam ad alicuius mali medicinam ad tempus ſubducere; at ſubſtractio iſta iuriſdictionis neceſſariæ effectus eſt. Baſilius ad caput tertium Iſaiæ, verbo *ſeniorem*, ordinationi in Presbyterum, eique qui fert characterem Presbyteri, τὴν προεδρίαν, *præſidentiam Cathedræ* adnexam facit. Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio, homil. 4. de verbis Iſaiæ, & 5. ſacerdotium Principatum eſſe demonſtrat, regêſque creari, qui conſecrantur ſacerdotes. Theophylactus ad caput decimum nonum Lucæ ſuperiùs à nobis citatus cum ordinatione præſidentiam coniunctam dicit, ordines hierarchicos pro operationum diuerſitate ſtatutos fuiſſe, *neque plures, neque pauciores*, quàm præſidentium ordines. Oecumenius in caput primum poſterioris ad Timotheum ordinationem fieri ſignificat εἰς προστασίαν τῆς ἐκκλησίας, *ad præſidentiam Eccleſiæ*.

Omitto ſimilia innumera: igitur nemo ex Presbyteris & Diaconis ſimplicibus, quibus nullum officium circa plebem regendam commiſſum eſt, quibus neceſſaria & ordinaria iuriſdictio deeſt: queri poteſt, quòd eos imperfectè tantùm in hierarchia Eccleſiaſtica conſtitutos adſeramus, quandoquidem ſibi ad perfectionem aliquid deeſſe ipſi vltrò fateantur.

Maiorem verò tum Eccleſiæ toti, tum Eccleſiaſticæ hierarchiæ, tum ipſis iniuriam infert Cellotius, qui tales in ordinis hierarchia reponit, & à iuriſdictione excludit. Primò enim hierarchiam diuidit, quam Patres vnam indiuiſam eſſe volunt, Eccleſiam vnam, gubernationem eius vnam, Principatum vnum, ſacerdotium vnum ſtatuentes. Secundò eius perfectioni detrahit, cui vnicam ſufficere dotem putat, vel ordinis vel iuriſdictionis, vel chariſmatum, quam multò ornatiorem facimus, dum ipſius perfectioni tria hæc neceſſaria eſſe docemus. Tertiò, nec magnam gratiam iis quos in vna hierarchia ordinis verbi gratiâ ſtatuit, ab alia excludens, quibus nempe vnicam ſolùm dotem tribuit abſque reſpectu & ordine ad cæteras: cùm è contrà nos iis, quos imperfectè in hierarchia ſtatuimus, ita vnam ex prædictis dotibus tribuamus, vt ordinem ad cæteras, aptitudinem connaturalem, imo & ius aliquod ac debitum, quale ſcilicet explicuimus, tribuamus. Vnde præterquam quod vnitati & ſimplicitati hierarchiæ, ac perfectioni magis conſulimus; eos quoque quibus locum in hierarchia debitum imperfectè etiam tribuimus, magis honoramus: cùm nobilius multò ſit in hierarchia Eccleſiæ, quem excellentiorem prædicamus, imperfectè eſſe, quàm in hierarchia vna ex iis, quas confinxit Cellotius, perfectè eſſe & ab alia excludi.

Denique quod in nobis reprehendit Cellotius, hoc ipſe ſui immemor, parúmque ſibi conſtans expreſsè docet, nam, vt vidimus, reprehendit illud quod diximus eum, qui vel ordine vel iuriſdictione caruerit, perfectè hierarchicum gradum non habere; at idipſum aſſerit lib. 3. capite decimo ſexto, paginâ centeſimâ quinquageſimâ ſextâ, iis verbis. *Ex ſe igitur dignitatem ordo, ordinem miſſio prærequirit, quique hierarchiam perfectè & cumulate tenere vult, is tria ab Hierarchis accipiat neceſſum eſt.* Per ordinem autem ibi propriè dictum, ordinem intelligit, qui eſt ſacramentum: per miſſionem iuriſdictionis receptionem, vt legendo aduertes. Quare tria hæc, purâ, chariſmata, ordinem, & iuriſdictionem ad perfectum & cumulatum hierarchiæ gradum hîc deſiderat, quòd ipſum eſt quod aduerſum me impugnat.

Sed dicet aliquis nos de nomine ſolùm diſputare. Verùm etſi de nomine ſolùm eſſet diſputatio, æqua tamen eſſet & neceſſaria, tum ad deuitandas vocum nouitates, tum ad præcludendas ex poſitione nominis, ſi ſemel conceſſum foret, longè perículoſiores conſecutiones, quas tamen vel ex tenui vocum ſimilitudine atque æquiuocatione fallaciter aduerſarij aucupantur. Neque tamen de ſolo nomine dimicamus, ſed hierarchiæ limites, quos diuina prouidentia ſtatuit, Chriſtus inſtituit, maiores noſtri agnouerunt, fortiter propugnamus. Non enim de nomine quæſtio eſt, dum Monachos omnes pro aliis non pro ſe ſolùm conſecratos; dum nulli digno ſacerdotium, aut priuilegia prædicandi, confeſſiones audiendi, aliáque id genus denegari perti-

nacitet aſſerere audet. Dum Præpoſitis ſuis in Concilio generali locum deberi, & ſimilia ex nominis hierarchici conficta appellatione aduerſarij deriuant: dum minorum Ordinum officia vilioris exinde pretij habent quàm Monachatus ſuſceptionem ex hierarchici iſtius ordinis præſumptione, auſuri vtique plura ſi vel nudum nomen & inane hierarchiæ concederemus.

Quod verò ſpectat ad alios plures, quorum in obiectione fit mentio, abſit vt iis perfectum in hierarchia locum denegemus. Eos enim ſecundum ſuum officium, debitum gradum conceſſum, primæuam inſtitutionem & naturalem ſtatum ſpectantes, ordinariâ iuriſdictione ac neceſſariâ ſaltem cum aliis, præditos eſſe agnoſcimus. Atque ideò quemadmodum nemo inficiari poterit, quin Senatores ordinarij, & Conſiliarij Principis neceſſariam atque ordinariam habeant iuriſdictionem cum Principe, ita nemo negare poteſt quin ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Canonici Cathedralium Eccleſiarum, & Preſbyteri omnes in Eccleſia veteri, qui vel ciuitatis cum Epiſcopo, vel vicorum ſolitariè curam gerebant in Eccleſia, populorum quibus adſcribebantur iuriſdictionem ſimiliter ordinariam ac neceſſariam habuerint. Quod cùm priori noſtro libro vindiciarum ſufficienter probatum ſit, & alibi fortaſſe fuſiùs explicandum, hoc loco probatum ſupponetur: vt ex ea ſuppoſitione concludamus eos omnes perfectum in hierarchia locum occupare.

Quod denique pertinet ad Diaconos, negamus ordinariam ipſis & neceſſariam iuriſdictionem conuenire non poſſe: annon ordinariam iuriſdictionem habet Archidiaconus, cuius officio iuriſdictio adnexa eſt? cuius dignitas iuriſdictionem expoſcit? vt ex teſtimonio Optati Mileuitani aduerſus Parmenianum, Chryſoſtomi epiſt. ad Innocentium, Iſidori Peluſiotæ lib. 1. epiſt. 20. & 157. & alterius cognominis Hiſpalenſis epiſtolâ ad Ludifredum colligere eſt, Canoneſque paſſim oſtendunt: conſtat ex teſtimonio Ioannis Epiſcopi Cypri ad Cabaſilam libro primo reſponſionum, & Balſamonis in Canonem decimum octauum Nicænum, principalia Eccleſiæ Diaconis attributa fuiſſe, quod ipſum vſus Eccleſiæ tam Orientalis quàm Occidentalis oſtendit: ac proinde Diaconis iuriſdictionem ordinariam deeſſe quis diceret? Accuratè plura de hac re infrà.

ARTICVLVS V.

Plura alia circa iuriſdictionis hierarchicæ qualitatem definiuntur.

TERTIA quæſtio eſt an perfectiſſima, & nobiliſſima iuriſdictio requiratur ad hierarchicum gradum.

Dico primò, poſſe aliquos perfectè dici in hierarchia Eccleſiaſtica, etiamſi habeant iuriſdictionem qualemcumque ſecundi gradus ſuperiùs explicatam: neque eſſe neceſſe, quòd iuriſdictionem in foro contentioſo habeant, alioqui pauci Preſbyteri ac Diaconi eſſent in hierarchia; pauci enim iuriſdictionem ordinariam & neceſſariam fori contentioſi ſibi vendicant, quales ſunt qui maiorem vel minorem iuriſdictionem exercent, ſecundum varias conſuetudines locorum, cap. *Archidiaconus, de officio Archidiaconi*: in quibuſdam ſiquidem locis, in inquirendis potiùs delictis verſantur, & ad Epiſcopum referendis, quàm in cognoſcendis ac puniendis, poſt Canonem *ſi quis*, §. *Archidiaconus*, & Canone ſequenti, diſtinct. 94. in aliis corrigit ipſe & emendat, vt habetur cap. 1. *de officio Archidiaconi*, & cap. *ad hæc* eodem. Non eſſe neceſſum quod in foro ſacramentali iuriſdictionem exerceant, nam Archidiaconis, qui hanc iuriſdictionem exercere non poſſunt, vt ſint perfectè in hierarchia, ſufficit quod alicuius gradus iuriſdictionis ex iis quos aſſignauimus, participes ſint: putà quòd iuriſdictionis neceſſariæ in foro exteriori capaces ſint: & iis qui Presbyteri Pœnitentiarij dicuntur, ſufficit vt dignitati ſuæ iuriſdictionem conſentaneam habeant in foro interiori; & generatim ſufficit quibuſlibet in ordine hierarchico, Epiſcopi, Presbyteri, vel Diaconi conſtitutis, quòd officium adnexum

gerant, vel imperandi aliqua vbi ſeſe offert occaſio, vel executioni demandandi ſcriptas à ſuperioribus leges, vel præcepta ſuperiorum ex officio deferendi non nudè & ſimpliciter, ſed cum aliqua iudicij diſcretione; vel Eccleſiaſtica aliis officia etiam ſub alio committendi; aut aliquos ſoluendi atque ligandi, ſiue in foro pœnitentiæ, ſiue in foro exteriori: ex quibus aliqualem verbi gratiâ poteſtatem habent, ampliorem quidem Archipreſbyteri, toto titulo de *officio Archipresbyteri*, ſtrictiorem quilibet Preſbyteri Curati: multò minùs verò requiritur, vt quis perfectè in hierarchia collocetur, quòd maioris imperij particeps ſit; aliàs Epiſcopi ſoli perfectè in hierarchia dici poſſent. Eorum autem iſtorum omnium vnica ratio quam ſuprà inſinuauimus, quia non requiritur ad hoc, vt quis perfectè in hierarchia collocetur, quòd quàm maximam ac perfectiſſimam habeat iuriſdictionem: cùm enim hierarchia ordo ſit, ordo verò, vt rectè definit ſanctus Auguſtinus lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 13. *ſit parium diſpariúmque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio*, non debet ad ordinationem hierarchicam exigi, vt vnumquodque hierarchiæ membrum quàm maximè perfectam iuriſdictionem obtineat, ſed ſuo ordini congruentem. Et cùm in inferioribus ſaltem Preſbyterorum & Diaconorum ordinibus Deus varia officia eſſe voluerit, tum ad ſubditorum vtilitatem, tum ad gratiarum Dei excellentem diſtributionem, tum ad hierarchiæ ipſius ſplendorem: nec perfectum quodlibet hierarchiæ membrum neceſſum fuit omnem iuriſdictionis, quæ in illo ordine reperiri poteſt, amplitudinem complecti; ſatis eſt quod ordinariam ac neceſſariam (quam ſolam perfectam iuriſdictionem agnoſcimus) ad actus officio ſuo proportionatos, ſaltem modicam iuriſdictionem pro exigentia ſui officij, muneris ac dignitatis complectatur. Ad ſolum ſuperiorem Epiſcoporum ordinem omnimodam iuriſdictionem particularem (niſi per accidens eam ab Eccleſiæ Monarcha reſtringi contingat) neceſſariam eſſe dicimus, quandoquidem Epiſcopum oportet Hierarcham eſſe ſimpliciter ac abſolutè, hierarchiæ particularis caput, omnem inferiorum vim ac poteſtatem continentem, vt ex Dionyſio cap. præſertim 1. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, aliiſque pluribus oſtendimus.

Dico ſecundò, hierarchiam perfectam ſumptam pro Eccleſia perfecta, ſeu pro complexione omnium ordinum, & ſerie iuxta inſtitutionem Chriſti ordinatâ, quam Tridentinum Concilium can. 6. ſeſſ. 23. *Diuinâ ordinatione inſtitutam, ex Epiſcopis, Preſbyteris & miniſtris conſtantem* definit, indigere iuriſdictione excellentiſſimâ in tertio iſto gradu, quem ſuperiùs explicuimus. Indiget enim Epiſcopo iuxta definitionem Tridentinæ Synodi allatam, & Dionyſij toto libro *de Eccleſiaſtica hierarchia*, atque aliis paſſim; in quo iuriſdictio iſta perfectiſſima ex ſuo gradu reperiri debet, ſeu perfectiſſimum imperium: quod ſi deſit, tunc, vt rectè ait Nazianzenus Orat. 1. num. 11. *χωλεύσει τῷ μεγίστῳ μέρει, καὶ οὐδ' αὖ καλὸν ἐπιδείξει τὸ καλὸν τῆς ἐκκλησίας πλήρωμα, maxima ex parte claudicabit, nec iam pulchritudinem ſuam retinebit, pulchrum illud Eccleſiæ complementum*. Sed de hac re alibi fuſiùs.

Digitized by Google

SECTIO II.

DE CONDITIONIBVS IVRISDICTIONIS HIERARCHICÆ

CAPVT I.

De prima conditione iuriſdictionis hierarchicæ, vt ſit ſacra.

ARTICVLVS I.

De vnico inter Angelos ſacro Principatu, duplici inter homines, ſacro & prophano.

QVOD in vindiciis noſtris cenſuræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis lib. 4. cap. 1. obſeruauimus, inter Angelos hominéſque beatos, & viatores hanc eſſe differentiam, quòd tam beati ſpiritus quàm homines, qui fœlicitatis ſtatum conſecuti ſunt, nullo alio ordine quàm ſacro contineantur, nulli regimini præterquàm ſpiritali obnoxij ſint, quia nec pœnis corporalibus ampliùs ſubiacent, nec ad pacem temporalem, quæ politicæ ſocietatis finis eſt, dirigendi ſunt, qui perpetuâ & ſtabili tranquillitate potiuntur, & ab omnibus quæ nos iam terent, vexántque, corporis moleſtiis, & ab omnibus aduerſæ fortunæ viciſſitudinibus penitus liberi ſunt atque immunes: quæcunque proinde inter eos gubernatio admittitur, hierarchica eſt, nullúſque alius Principatus, quàm ſacer & ſpiritalis: nullus prophanus politicus, ſeu ciuilis, & corporalis.

Sacrum autem Principatum quemadmodum inter Angelos, ita & inter homines beatos admittunt Theologi omnes poſt Dionyſium lib. de cæleſti hierarchia; inferúntque ex ipſis beatorum ordinum ſeu Angelorum nominibus, quibus ſacra Scriptura vtitur: quorum plura ſacrum ſignificant Principatum.

Vtrùm duraturus ſit poſt iudicij diem Principatus iſte controuertitur. Chryſoſtomus hom. 39. in cap. 15. 1. ad Corinth. videtur affirmantem ſequi ſententiam; explicans verba iſta Apoſtoli, *Deinde finis, cùm tradiderit regnum Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem Principatum & poteſtatem & virtutem.* Primò quidem, quia ex cap. 7. Danielis profert iſta verba, quæ regni Chriſti ſeu hierarchiæ perennitatem ſignificant, *Regnum eius regnum æternum, quod non præteribit.* Deinde quia hæc verba ſubiungit, quibus ex profeſſo quæſtionem proponere, & pro affirmante ſententia concludere videtur, ποίαν δὲ ἀρχὴν ἄρα ἐνταῦθα φησὶ καταργεῖν, τὴν τῶν ἀγγέλων, ἄπαγε· ἀλλὰ τὴν τῶν πιστῶν; οὐδὲ τοῦτο. ἀλλὰ ποίαν; τὴν τῶν δαιμόνων, περὶ ἧς φησι. οὐκ ἔστιν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου. *Quemnam autem hic dicit euacuari, & aboleri Principatum, Angelorúmne? abſit: at fidelium? ne hoc quidem. Sed quemnam? Dæmonum: de quo dicit: non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Principatus, aduerſus Poteſtates, aduerſus mundi rectores huius ſæculi.* Verùm Chryſoſtomum ibi non loqui de iis, quæ accident poſt diem vniuerſalis iudicij, ſed potiùs quæ contingent ante illum diem, ab eo ſcilicet tempore, à quo Euangelij promulgatio facta fuerit; à quo tempore docet Paulum ſignificare hoc capite initium habiturum exterminium Principatus, & amplificationem regni Dei, quorum continuatio ad diem vſ-

que iudicij protrahetur, ad quem vſque diem ſemper præliando & vincendo Chriſtus regnabit, donec mors poſt omnia deſtruatur, Deo mortuos omnes ad vitam ſuſcitante; húocque germanum eſſe ſenſum Pauli (vt reuerà videtur eſſe genuinus) præter Chryſoſtomum tradunt Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, & alij Græci, Sedulius item, Primaſius, & alij ex Latinis. Quamuis & poſſint ipſa intelligi de humanis Principatibus & Poteſtatibus, quæ in die iudicij ceſſabunt, imò etiam, ſi ita lubet, de Principatibus & Poteſtatibus cæleſtis hierarchiæ, ſecundum interpretationem ſancti Thomæ quæſt. 108. art. 7. quæ quidem quoad actualia miniſteria, & nouas reuelationes, quibus vltrà opus non erit, cùm ſuos Deus collegerit, & à malis ſeparauerit, & in ſtatu fœlicitatis immutabili collocauerit, poſt diem iudicij pariter deſinent: ſed hac de re ſuprà diximus. Interim autem habetur in cælis inter ipſos beatos ſpiritus, & ſanctos homines in cælis degentes hierarchia ſeu ſacer Principatus ratione nouarum reuelationum, quæ inferioribus ſuperiorum operâ immittuntur, & miniſteriorum, quæ Angelis bonis demandantur propter electos. Sed omnis Principatus politici ab eis imperfectio procul abeſt, qui ſuperiorem ſocietate ciuili conditionem nacti, nec temporalibus bonis indigent, nec temporalibus pœnis coerceri poſſunt.

ARTICVLVS II.

Varia diſcrimina inter ſacrum & politicum Principatum.

INTER homines autem quandiu in hac mortali vita peregrinantur, duplex Principatus neceſſarius eſt; vnus Politicus, qui habet poteſtatem in corpora, alter ſacer & Eccleſiaſticus, qui animam ipſam ligat: prior qui negotia prophana procurat, poſterior qui res ſacras adminiſtrat: prior qui pro fine habet pacem temporalem, alter qui æternam fœlicitatem; prior qui homini, & vt ſibi viuit, & vt in collectione aliorum ad Dei cultum congregatorum verſatur, conſulit, ac prouidet; quatenus æternam beatitudinem conſequi poſſit, & prædeſtinatorum cœtui aggregetur: poſterior, qui ex ſuo præcipuo fine hominis, quatenus ſibi ſolitariè viuit, minùs ſollicitus; eiuſdem, quatenus in ſocietate ciuili verſatur, curam gerit, ne debita totius corporis harmonia concentúſque ſoluatur. Quas differentias oſtendunt paſſim ſancti Patres; ac primò Clemens Romanus lib. 2. Conſtitutionum, cap. 34. comparans enim Regem cum Epiſcopo hæc ſcribit: εἰ δὲ δεῖ καί τι προσθεῖναι τῷ λόγῳ, πλέον οὗτος λαμβανέτω, ἢ ἐκεῖνος τὸ παλαιόν. ὁ μὲν γὰρ στρατιωτικὰ μόνα διέπει, πόλεμον καὶ εἰρήνην ἀναδεδεγμένος εἰς φυλακὴν σωμάτων, ὁ δὲ τὴν εἰς θεὸν ἱερωσύνην σῶμα καὶ ψυχὴν παραιτούμενος κινδύνων. ὅσῳ τοίνυν ψυχὴ σώματος κρείττων, τοσούτῳ ἱερωσύνη βασιλείας. δεσμεῖ γὰρ αὕτη, καὶ λύει τοὺς τιμωρίας ἢ ἀφέσεως ἀξίους. διὸ τὸν ἐπίσκοπον στέργειν ὀφείλετε ὡς πατέρα, φοβεῖσθαι ὡς βασιλέα, τιμᾶν ὡς κύριον. *Imò ſi quid amplius dicendum eſt, plus hic accipiat, quàm ille olim accipiebat: ſiquidem ille militaria tantùm adminiſtrabat, bello & pace ad cuſtodiam corporis ſuſceptis, hic verò ſacerdotium ad Dei honorem adminiſtrat, vt pericula ab anima & corpore propulſet. Quantò ergo anima corpore præſtantior, tantò eſt ſacerdotium regno excellentius: ligat enim aut ſoluit ſupplicio vel remiſſione dignos. Quocirca Epiſcopum oportet, vt patrem diligere; vt Regem metuere.* Origenes lib. 8. contra Celſum in fine, *Quin & ad magiſtratus in patria gerendos hortatur nos Celſus, ſi hoc incolumitas legum ac pietatis tuenda poſtulet. Nos verò cùm ſciamus oppidatim alias ciuitates per verbum Dei conditas, eos qui vitâ & doctrinâ ſacrâ vt præſint ſunt idonei, hortamur ad præfecturas Eccleſiarum, non ambitioſos probando, ſed modeſtos, & non temerè ſe in functiones tam arduas ingerentes; cogimus ad curas publicas: & magiſtratus noſtri benè rem adminiſtrantes, ſubpræfecti ſunt magni Regis illius quem Filium eſſe Dei credimus; qui dum benè præſunt diuinitùs conſtitutis patriis, hoc eſt, Eccleſiis, à quibus electi ſunt, regunt eas iuxta præſcripta Dei, ſaluis etiam legibus publicis. Nec hoc faciunt Chriſtiani, quòd iſta publica vitæ munia refugiant, ſed quòd ſe ſeruent diuinioribus & magis neceſſariis muniis Eccleſiæ ad ſalutem hominum: quoniam hoc & iuſtum exiſtimant, & neceſſarium; omnium rationem habentes, ſuorum quidem vt in dies pro-*

ficiant, extraneorum verò, vt eos ad pietatis ac religionis doctrinam ſimul & opera pertrahant; & quantum poſſunt, plurimos adiungunt ſuæ Reipublicæ, vt per diuinas leges vnum fiant, cum Deo vniuerſorum Domino, idque vniente ipſius filio Dei verbo. Quaſdam iis verbis leges Politici, & Eccleſiaſtici Magiſtratus ſeu hierarchici differentias adnotabis, ſed eas præcipuè, quòd diuiniora ſint & magis neceſſaria huius quàm illius munia: quòd hi ſecundum diuinas leges, saluis legibus publicis, quatenus cum diuinis conſentiunt, Eccleſias regere; illi legibus publicis ſaluâ diuinâ lege Rempublicam adminiſtrare debeant: quod hi præcellentiorem finem ſpectent, putà hominum ſalutem, & vnionem cum Deo: in quo conſentiunt Origeni Dionyſius cap. 1. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, qui cùm definiuiſſet ſcopum & finem hierarchiæ eſſe θεωθῆναι, id eſt, *Deum fieri* quid ſit iſta θέωσις, iis verbis explicat, ἡ δὲ θέωσίς ἐστιν ἡ πρὸς Θεὸν ὡς ἐφικτὸν ἀφομοίωσίς τε καὶ ἕνωσις, *Dei porrò effectio eſt Dei, quoad eius fieri poteſt imitatio, & cum eodem coniunctio, atque, vt ita dicam, vnio.* & Antiochus hom. 122. σκοπὸς δὲ ἱεραρχίας ἐστὶν, ἡ πρὸς Θεὸν, ὡς ἐφικτὸν, ἀφομοίωσίς τε, καὶ ἕνωσις, αὐτὸν ἔχουσα πάσης ἱερᾶς ἐπιστήμης τε καὶ ἐνεργείας καθηγεμόνα. *Sacri igitur Principatus iſtius ſcopus hic eſt, Deo, quantum humanæ ſinunt vires, vt ſe aſſimilet atque vniat, Deum habens ſacræ totius ſcientiæ & operatoriæ virtutis præceptorem.* Sed redeamus ad alios Patres, qui ſacrum Principatum à Politico & Regio diſcriminant. Oſius Cordubenſis Epiſcopus hæc ſcripſiſſe ad Conſtantium Imperatorem refertur, quæ vtramque poteſtatem ſacram & ciuilem diſterminant, referente Athanaſio epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, μὴ τίθει σεαυτὸν εἰς τὰ ἐκκλησιαστικά, μηδὲ σὺ περὶ τούτων ἡμῖν παρακελεύου· ἀλλὰ μᾶλλον παρ' ἡμῶν σὺ μάνθανε ταῦτα. σοὶ βασιλείαν ὁ Θεὸς ἐνεχείρισεν, ἡμῖν τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐπίστευσε, καὶ ὥσπερ ὁ τὴν σὴν ἀρχὴν ὑποκλέπτων ἀντιλέγει τῷ διαταξαμένῳ Θεῷ, οὕτω φοβήθητι, μὴ καὶ σὺ τὰ τῆς ἐκκλησίας εἰς ἑαυτὸν ἕλκων, ὑπεύθυνος ἐγκλήματι μεγάλῳ γένῃ. ἀπόδοτε γέγραπται, τὰ Καίσαρος Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ τῷ Θεῷ. οὔτε τοίνυν ἡμῖν ἄρχειν ἐπὶ τῆς γῆς ἔξεστιν. οὔτε σὺ τοῦ θυμιᾶν ἐξουσίαν ἔχεις, βασιλεῦ. ταῦτα μὲν οὖν κηδόμενος τῆς σῆς σωτηρίας γράφω. *Ne te miſceas Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe. Tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit: & quemadmodum qui tuum imperium multis conatibus inuadit, contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius fias. date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Neque igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum & ſacrorum poteſtatem habes, Imperator.*

Hilarius ſimiliter libello ad Conſtantium Auguſtum, qui incipit, *Benignifica natura tua*, non longè ab initio duas iſtas poteſtates diſcriminat, quod ciuilis circa publica & temporalia negotia: ſacra ſeu ſacerdotalis, circa religioſam obſeruantiam verſetur. *Prouideat*, inquit, *& decernat clementia tua, & omnes vbique iudices, quibus prouinciarum adminiſtrationes creditæ ſunt, ad quos ſola cura, & ſollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religioſa ſe obſeruantia abſtineant, neque poſthac præſumant atque vſurpent, & putent ſe cauſas cognoſcere Clericorum.*

Nazianzenus differentiam inter illas poteſtates ſtatuit, quod prior exerceatur in corpus, poſterior in animam; prior circa res terreſtres, poſterior circa cæleſtes: prior legibus humanis intendat, poſterior legem diuinam habeat pro regula, & ad Deum ducat. Hinc enim orat. 1. num. 9. docet ſacros magiſtros reſpectu cæterorum Chriſtianorum habere ſe velut animam ad corpus, aut mentem ad animam: ait enim Chriſtum inſtituiſſe τοὺς μὲν ποιμένας καὶ διδασκάλους πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῆς ἐκκλησίας, ὅσοι τῶν πολλῶν εἰσὶν ἀνωτέρω κατ' ἀρετήν, καὶ τὴν πρὸς τὸν Θεὸν οἰκείωσιν, λόγον ψυχῆς πρὸς σῶμα, ἢ νοῦ πρὸς ψυχὴν ἐπέχοντας, *Alios eſſe ad Eccleſiæ perfectionem Paſtores ac Magiſtros, nimirùm qui virtute, coniunctionéque ac familiaritate apud Deum vulgo ſublimiores ſunt, rationem animæ ad corpus aut mentis ad animam obtinentes.* Hinc eadem Oratione, num 21. hierarchiam, ſeu τὴν ἀρχὴν ἱεράν, *ſacram gubernationem* in lege diuina ſitam, & ad Deum deducentem appellat, τὴν ἐν νόμῳ θείῳ, καὶ πρὸς Θεὸν ἄγουσαν. Hinc Oratione 17. num. 15. magnificè de ſacro Principatu ita loquitur, Καὶ ὁ τοῦ Χριστοῦ νόμος ὑποτίθησιν ὑμᾶς τῇ ἐμῇ δυναστείᾳ, καὶ τῷ ἐμῷ βήματι; ἄρχομεν γὰρ καὶ αὐτοί. προσθήσω δ' ὅτι καὶ τὴν μείζονα καὶ τελεωτέραν ἀρχήν, ἢ δεῖ τὸ πνεῦμα ὑποχωρῆσαι τῇ σαρκί, καὶ τοῖς γηΐνοις τὰ ἐπουράνια. *Vos quoque imperio meo ac throno lex Chriſti ſubiicit: imperium nos quoque gerimus: addo etiam præſtantius ac perfectius: niſi vero æquum eſt ſpiritum carni faſces ſubmit-*

tere, & cæleſtia terrenis cedere. Hinc Oratione 19. in funere Patris, num. 41. Epiſcopatum vocauit τὸ φορτικὸν, καὶ ἐπίβουλον τῶν ψυχῶν ἀγορὰν, *graue & inſidioſum animarum forum*: hinc denique epiſt. 46. Africano paucis verbis duos iſtos Principatus diſcriminat, dum imperium quod ipſe aliique Antiſtites gererent, τὴν ἀναίμακτον ἀρχὴν, *incruentum principatum* vocat: illud verò quod præſides prouinciarum haberent, τὴν ἀρχὴν μετὰ ξίφους καὶ τελαμῶνος, *quòd gladios & lorum iuncta habet.*

Vtrumque Valentinianus Senior Principatum ita diſtinxit, vt animarum ſacro, corporum ciuili curam commiſſam crederet: refertur enim à Theodoreto lib. 4. hiſtor. c. 6. cùm Ambroſium, quem Præfectum vrbi Mediolanenſi conſtituerat, in Epiſcopum electum reſciuiſſet, dixiſſe, χάρις σοι δέσποτα παντοκράτορ, καὶ σῶτερ ἡμέτερε, ὅτι τῷδε τῷ ἀνδρὶ ἐγὼ μὲν ἐνεχείρησα σώματα, σὺ δὲ ψυχὰς, καὶ τὰς ἐμὰς ψήφους δικαίας ἀπέφηνας: *Gratia tibi ſit Domine omnipotens, & ſeruator noſter, quòd cùm ipſe corpora huic viro commiſiſſem, tu etiam animas ei commendaſti.* Chryſoſtomus pluribus paſſim in locis vtrumque principatum diſcriminat. Præclarè quidem lib. 3. de ſacerdotio cap. 5. ἔχουσι μὲν γὰρ καὶ οἱ κρατοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς τὴν τοῦ δεσμοῦ ἐξουσίαν, ἀλλὰ σωμάτων μόνον. οὗτος δὲ ὁ δεσμὸς αὐτῆς ἅπτεται τῆς ψυχῆς, καὶ διαβαίνει τοὺς οὐρανοὺς, καὶ ἅπερ ἂν ἐργάζονται κάτω οἱ ἱερεῖς, ταῦτα ὁ Θεὸς ἄνω κυροῖ, καὶ τὴν τῶν δούλων γνώμην ὁ δεσπότης βεβαιοῖ. καὶ τί γὰρ ἀλλ' ἢ πᾶσαν αὐτοῖς τὴν οὐράνιον ἔδωκεν ἐξουσίαν. *Habent quidem Principes terreſtres vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm: id autem quod dico ſacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cælos vſque peruadit adeò vt quæcunque infernè ſacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac ſeruorum ſententiam Dominus confirmet.* Fuſiùs ſerm. 50. *De vtilitate lectionis Scripturæ, & Apoſtolatus dignitate*, Magiſtratus ciuiles & ſacros comparat, in vinciendi & ſoluendi poteſtate, in iure habendi carceris, in poteſtate vitæ & necis, in facultate remittendi debita, auctoritate tradendi carnificibus, aliiſque eiuſmodi: hiſque ſpiritalia aſſignat vincula, & carceres quibus animas ligent, illis terreſtria, quibus corpora: his debitorum ſpiritualium relaxationem, illis temporalium: his ſuſcitationem à mortuis, & damnationem ad mortem æternam, illis adiudicandi morti temporali duntaxat facultatem: his dæmones ipſos carnifices parere, quibus contumaces & facinoroſos tradant; illis homines ſolùm obſequi.

Denique probare adnititur hos, τοὺς ἄρχοντας πνευματικοὺς, *Spirituales magiſtratus* eſſe illos τοὺς βιωτικοὺς *ſeculares*; atque adeò tantò præſtantius priorum officium eſſe quàm poſteriorum, quantò digniores ſunt ij qui magiſtratus gerunt, pueris qui magiſtratus ludunt. Denique (plurima ſiquidem eiuſdem generis prætermitto) eleganter idem ſanctus Doctor vtrumque principatum comparat homil. 15. in poſteriorem ad Corinthios, iis verbis, ἐνταῦθα δὲ ἔστι καὶ ἑτέρα ἀρχὴ τῆς πολιτικῆς ἀρχῆς ἀνωτέρα. τίς οὖν ἐστιν αὕτη; ἡ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ἧς καὶ αὐτῆς ὁ Παῦλος μέμνηται λέγων, πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ ὑπείκετε, ὅτι αὐτοὶ ἀγρυπνοῦσιν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, ὡς λόγον ἀποδώσοντες. αὕτη γὰρ ἡ ἀρχὴ τοσοῦτον τῆς πολιτικῆς ἀμείνων, ὅσον τῆς γῆς ὁ οὐρανὸς, μᾶλλον δὲ καὶ πολλῷ πλέον. πρῶτον μὲν γὰρ οὐχ ὅπως γενόμενα κολάσῃ ἁμαρτήματα σκοπεῖ προηγουμένως, ἀλλ' ὅπως μὴ γένοιτο τὴν ἀρχήν. ἔπειτα γενόμενα, οὐχ ὅπως ἀπολίσκοι τὸν νοσοῦντα, ἀλλ' ὅπως ἀφανισθείη. καὶ βιωτικῶν μὲν ὁ πολὺς αὐτῇ λόγος· πάντα δὲ ὑπὲρ τῶν ἐν οὐρανοῖς πραγμάτων χρηματίζει. διὰ δὴ τοῦτο, οὐχ ὑπάρχων μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτῶν τῶν τὰ διαδήματα περικειμένων μείζονα εἰσὶν ἐγκεχειρισμένοι τιμὴν οἱ ταύτην ἔχοντες τὴν ἀρχὴν, ἅτε ἐν μείζοσι, καὶ ἐπὶ μείζοσι πλάττοντες τοὺς ἀνθρώπους. *At verò hic aliud quoque imperij genus eſt, ac ciuili quidem imperio ſublimius. Quodnam igitur hoc eſt? illud nimirùm quod in Eccleſia viget, cuius etiam ipſius Paulus mentionem facit, cùm ait, Obedite Præpoſitis veſtris & ſubiacete eis: ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri: hoc enim imperium tanto ciuili excellentius eſt, quantò cælum terrâ: imò etiam multò præſtantius. Primùm namque non hoc præcipuo ſtudio ſpectat, vt perpetrata ſcelera vindicet, ſed vt ne omninò quidem perpetrentur: deinde ſi perpetrata ſunt, non vt ægrotantem de medio tollat, ſed vt ipſa deleantur. Ad hæc, rerum quidem huius vitæ paruam omnino rationem habet, verùm pro cæleſtibus omnia agit ac decernit. Quocirca non modò maiorem quàm prouinciarum præfecti, ſed etiam quàm illi ipſi, qui diademate cincti ſunt honorem acceperunt, qui hoc imperium gerunt, vt qui in maioribus rebus & ad maiora commoda homines fingant.* Epiphanius quoque in opere quod Panarium inſcripſit, hæreſi 29. quæ eſt Nazaræorum, num. 3. & 4. fusè thronum Dauidis Eccleſiam eſſe contendit, cui nempe Chriſtus Rex ſimul & Sacerdos contule-

rit ἀξίωμα βασιλικόν τι καὶ ἀρχιερατικὸν, *dignitatem regiam ſimul ac Pontificiam*, ſed regiam ſuperioris ordinis ac cæleſtis; quia βασιλεὺς τι ὁμοῦ κατὰ τὴν τάξιν τὴν ἄνωθεν, *ipſe rex ſecundum ſuperiorem ac cæleſtem ordinem*; quippe qui Ioan. 18. faſſus fuerit regnum ſuum non eſſe de hoc mundo. Vnde colliges verum Principatum ac quaſi regium Eccleſiaſticum eſſe, qui tamen negotiorum mundanorum minimè curam gerat: ſed cæleſtia meditetur.

Syneſius Epiſcopus Ptolemaïdis epiſt. 57. aduerſus Andronicum, διῴκισεν ὁ Θεὸς τοὺς βίους, καὶ ὁ μὲν ἱερὸς, ὁ δὲ ἡγεμονικὸς ἀπεδείχθη. τοὺς μὲν γὰρ εἰς ὕλην ἐπέτρεψε, τοὺς δὲ συνέταξεν ἑαυτῷ. τετάχαται δὲ οἱ μὲν ἐν τοῖς πράγμασιν, ἡμεῖς δὲ ἐν ταῖς εὐχαῖς εἶναι. τὸ δὲ καλὸν ἀπαιτεῖ παρ' ἀμφοῖν ὁ Θεός. Προστάτου σοὶ δεῖ; βάδιζε παρὰ τὸν ἐπιτροπεύοντα τοὺς νόμους τῆς πολιτείας. τοῦ Θεοῦ σοί τι δεῖ; ἴθι παρὰ τὸν ἱερέα τῆς πόλεως. *Deus ambo vitæ genera ſeparauit: vnúmque horum ſacrum: alterum ad regimen atque imperium conſtitutum eſt: alios enim ad infimarum rerum fæcem conuertit, alios ſibi ſociauit. Illi in negotiis, nos in oratione collocati. ab vtriſque verò quod honeſtum & conſentaneum eſt requirit Deus. Patrono opus habes: vade ad eum, qui Reipublicæ præeſt. Deo quapiam in re indiges: vade ad vrbis Antiſtitem,* &c. Hîc Syneſius diſtinguit duos prædictos principatus quòd Eccleſiaſticus ſit circa ſacra, ciuilis circa negotia prophana: ciuilis circa ſubditos ſolùm verſetur: Eccleſiaſticus circa Deum primò occupetur, à quo & ſcientiam hierarchicam, & regendi prudentiam, & conſtantiam, & piam voluntatem haurit, gratiarúmque diuinarum diſtribuendarum ſingularem poteſtatem, cuius cultum procurat, & ſacrificiis & ſacramentorum celebratione, quæ poteſtas in homine hierarchico potiſſima eſt, & alterius circa populum fons & origo. Denique quòd Eccleſiaſticus aduerſus pertinaces non tam vim adhibeat quàm orationem apud Deum, & exhortationes erga peccantes: Politicus vim potiùs inferat: vnde abſolutè vocatur imperium & dominatio: quam dominationem ab Eccleſiaſticis Principibus arcet ſanctus Petrus, dum ait, *Non dominantes in Cleris, ſed forma gregis facti ex animo.*

Eleganter etiam Iſidorus Peluſiota lib. 3 epiſt. 249. Iſidoro Diacono, cuius initio hæc ſcribit. Ἐξ ἱερωσύνης καὶ βασιλείας τὰ πράγματα συνέστηκεν· εἰ γὰρ καὶ πολλῷ ἀλλήλων διαφέρουσιν (ἡ μὲν γὰρ ὡς ψυχή ἐστιν, ἡ δὲ ὡς σῶμα) ἀλλ' εἰς ἓν ὁρῶσι τέλος, τὴν τῶν ὑπηκόων σωτηρίαν· διὰ τοῦτο καὶ ἡνίκα τὰ Ἰουδαϊκὰ πράγματα ἀρχὴν ἐλάμβανεν, ἡ ἱερωσύνη ἀναγκαιοτέρα ἐθεσμοθετήθη, καὶ ἐπὶ πολὺ διήρκεσεν. ἐπειδὴ δὲ σαρκικώτεροι ὄντες καὶ παχύτεροι, καὶ βασιλείαν ἐξεζήτησαν, καὶ αὕτη ἐδόθη, χρησιμωτάτη οὖσα, καὶ ἀναστέλλουσα τὰ πλημμελήματα τῶν τῇ ἱερωσύνῃ μὴ πειθομένων, *Ex ſacerdotio & regno rerum adminiſtratio conflata eſt. Quamuis permagna vtriuſque differentia ſit (illud enim velut anima eſt, hæc velut corpus) ad vnum tamen & eundem finem tendunt, hoc eſt ad hominum ſalutem: Quapropter cùm Iudaicæ res initium ſumebant, ſacerdotium vt magis neceſſarium inſtitutum eſt, ac perdiu durauit. Poſtquam autem carni addictiores atque craſſiores eſſent, regnum popoſcerunt: illud ipſis conceſſum fuit, quippe quod vtiliſſimum eſſet, atque eorum qui ſacerdotio minimè parebant, peccata coerceret ac reſtringeret.* Sanè illud circa iſta verba notandum eſt, non dici ab Iſidoro circa corpus politicum principatum verſari; vel circa animam Eccleſiaſticum, quod ſuperiùs citati Patres docuerunt, & alij inferiùs citandi docent; neque in eo diſtingui Eccleſiaſticum Principatum à ciuili, quòd hic ad pacem temporalem tendat, ille ad ſalutem ſubditorum referatur, quòd à præceptore ſuo Chryſoſtomo, ac Nazianzeno citatis addiſcere potuerat, qui ad cæleſtia tendere ſacrum principatum, atque ideò ob maiora commoda putà ſempiterna hominem formare, & ad Deum deducere, qui ſolus eſt vera hominum ſalus: Politicum verò terreſtria ſpectare, ac minoris momenti commoda procurare, & ad Deum per ſe minimè perducere non obſcurè oſtendunt: neque tamen his repugnat citatus Iſidorus: illi ſiquidem principatum vtrumque, ſecundum ſe cogitant, prout intra proprias metas propriósque terminos concluditur, quo ſenſu non vlteriùs tendit, quàm ad commodi temporalis acquiſitionem, & publicæ tranquillitatis fœlicitatem. Iſidorus verò conſiderat prout ab ipſo Deo intentum eſt; vel prout à creatura rationali ſe ſe dirigente in vltimum ſuum finem refertur: quo ſenſu ad hominis ſalutem tendit ſicut & ſacerdotium: nam Deus vtrumque iſtum principatum tam ciuilem, quàm ſacrum ad hominis ſalutem procurandam deſtinauit, ſacerdotalem quidem immediatiùs, qui ſcilicet hominis perfectionem ſpiritalem proximè operatur, regium verò remotiùs in quantùm à malo

auertit pœnarum metu: regiúmque principatum ad hominum ſalutem voluit per ſacerdotalem dirigi, moueri atqne impelli, eodem nempe modo quo corpus ab anima mouetur, dirigitur atque impellitur. Primáſque & maximè neceſſarias partes dedit ſacerdotali, ſine quo nimirum dirigente, docente atque inſtruente, vix poſſunt homines ad Deum deduci, & ſalutem conſequi, poſſunt autem ſine regio principatu terrente. In cuius rei confirmationem ſubiungit populum Iudaicum, qui à Deo ſingulariter diligebatur ac fouebatur, ab initio habuiſſe ſacerdotes, quorum ductu regeretur, Reges autem non habuiſſe, niſi cùm craſſiores ac rudiores effecti indigerent ſcelerum vindice, & principe ius gladij temporalis habente ad vlciſcendam rebellantis populi contumaciam. Ad hanc neceſſitatem confirmandam idem paulò pòſt addit, vt oſtenderet regno ac ſacerdotio ſublato, nullum populo Iudaico ſalutis ſubſidium reliquum eſſe; ideóque Danielem Prophetam, vt illud oſtenderet fore, vt Iudæorum res poſt Chriſtum in crucem ſublatum funditùs delerentur, nec vllum latioris ſpei veſtigium ipſis reſtaret, neo melior vlla expectatio eluceret, his verbis vſum, *exterminabitur vnctio, & iudicium non erit in ea*: per vnctionem videlicet ſacerdotium, per iudicium autem regnum ac ciuilem ſtatum intelligens. Quæ obiter notare voluimus non tantùm ad Iſidori mentem oſtendendam, verùm etiam ad neceſſitatem ſacri ſeu ſacerdotalis principatus, & hierarchici adſtruendam: quam vtique magis ipſe confirmat ſubdens ſublato hierarchico ſtatu, ciuilem quoque perire, cuius rationem hanc aſſignat, τοῦ γὰρ κεφαλαιωδεστέρου, καὶ κυριωδεστέρου παντάπασι καταλυομένου, οὐδ' ἄλλο τι συστῆναι ἠδύνατο, ὅτι καὶ τῆς βασιλείας ἡ κρηπὶς, ἡ πρὸς τὸ θεῖον ἐτύγχανεν εὐσέβεια, ἥτις ἐν τῇ πρὸς θεὸν ἔκειντο λατρείᾳ. *Sublato enim ac prorſus deleto eo, quod caput erat, maioriſque momenti; ne aliud quidem quicquam conſiſtere poterat. Nam regni quoque baſis pietas erga Deum, quæ in Dei cultu poſita cenſebatur.* Aduertant iſta hierarchici ſtatus oſores, vel contemptores, obſeruéntque ſedulo Principes, eodem ſcilicet ictu, quo hierarchicus Principatus concutitur, regium quoque quati, & priori deſtructo poſteriorem quoque labefactari. Quòd autem citato loco Iſidorus Eccleſiaſticam poteſtatem politicæ præfert, quia hanc corpori, illam animæ comparat, adſtipulatorem habet Nilum apud Damaſcenum lib. 2. Parallelorum cap. 21. ſcribentem *tantò ſublimius eſſe regno ſacerdotium, quanto ſpiritus carne præſtantior*: cuius rei ratio eſſe poteſt egregia illa Nili ſententia ibidem, *quantum corpori præſtat animus, tantùm quoque is, qui animis medetur, eos antecellit qui corpora duntaxat curant.* Adſtipulatorem habet Innocentium III. cap. *Solitæ, de maioritate & obedientia. Non negamus*, inquit, *quin præcellat Imperator in temporalibus illos duntaxat, qui ab eo ſuſcipiunt temporalia: ſed Pontifex in ſpiritualibus antecellit; quæ tantò ſunt temporalibus digniora, quantò anima præfertur corpori.*

Sed redeamus ad Principatus vtriuſque ſacri & politici diſtinguendi ſuſceptum negotium, preſſiùs & accuratiùs diſcrimen iſtud nobis videntur exhibere ſequentes à me laudandi Patres atque Imperatores Chriſtiani. Gelaſius Papa epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem apud Binium, cuius verba mutuati ſunt Concilij Troſleiani Patres Can. 2. & Pariſienſis ſub Ludouico, & Lothario lib. 1. cap. 6. Gregorius VII. lib. 8. Regiſtri epiſt. 28. & alij, referúntque Gratianus diſtinct. 96. Can. 10. Iuo Carnotenſis, & alij. *Duo quippe ſunt, Imperator auguſte, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas. In quibus tantò grauius eſt pondus ſacerdotum, quantò etiam pro ipſis regibus hominum in diuino reddituri ſunt examinerationem. Noſti enim, clementiſſime fili, quòd licet præſideas humano generi dignitate, verum tamen Præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittis, ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis, inque ſumendis cæleſtibus ſacramentis, eiſque, vt competit, diſponendis ſubdi te debere cognoſcis, religionis ordine potiùs quàm præeſſe noſti. Itaque inter hæc & illorum te pendere iudicio, nos illos ad tuam velle redigi voluntatem: ſi enim quantum ad ordinem pertinet, publicæ diſciplinæ, cognoſcentes imperium tibi ſuperna poteſtate collatum, legibus tuis ipſi quoque parent religionis Antiſtites; ne vel in rebus mundanis excluſæ videantur obuiare ſententiæ; quo, rogo te, decet affectu eis obedire, qui prærogandis ſunt attributi myſteriis, proinde ſicut non leue diſcrimen incumbit Pontificibus ſiluiſſe pro diuinitatis cultu, quod congruit. Ita his, quod abſit, non mediocre periculum eſt, qui cùm parere debeant, deſpiciunt*, &c. Idem de anathematis vinculo vbi oſtendit, & apud Iudæos fuiſſe, qui ſacerdotium regnumqne coniungerent, & paganos Imperatores

ſimul Reges Pontificéſque fuiſſe, hæc pro diſtinguendis iſtis poteſtatibus ſubiungit: *Sed cùm ad verum ventum eſt, eumdem Regem atque Pontificem* (Chriſtum) *vltra ſibi nec Imperator Pontificis nomen impoſuit, nec Pontifex regale faſtigium vendicauit. Quamuis enim membra ipſius, id eſt, veri Regis atque Pontificis ſecundum participationem naturæ magnificè vtrumque in ſacra generoſitate ſumpſiſſe dicantur, vt ſimul regale genus & ſacerdotale ſubſiſtant; attamen Chriſtus memor fragilitatis humanæ, quòd ſuorum ſaluti congrueret, diſpenſatione magnificâ temperans, ſic actionibus propriis dignitatibuſque diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit, ſuos volens medicinali humilitate ſaluari, non humanâ ſuperbiâ rurſus intercipi, vt & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro temporalium curſu rerum imperialibus diſpoſitionibus vterentur, quatenus ſpiritalis actio à carnalibus diſtaret incurſibus: & ideò militans Deo minimè ſe negotiis ſæcularibus implicaret; ac viciſſim non ille rebus diuinis præſidere videretur, qui eſſet negotiis ſæcularibus implicatus: & vt modeſtia vtriuſque ordinis curaretur, ne extolleretur vtroque ſuffultus, & competens qualitatibus actionum ſpecialiter profeſſio aptaretur.* Eadem verò inculcat Nicolaus I. epiſt. ad Michaelem Imperatorem, quæ incipit *Propoſueramus*, circa finem.

Ex vtroque verò Gelaſij teſtimonio colligere licet poteſtates iſtas & ſubiectis & officiis diſtinctas eſſe, nec vni in alterius iura inuolare, proprióſque terminos tranſilire fas eſſe. Priori porrò citato teſtimonio hos fines vtriuſque poteſtatis aſſignat, ſacræ quidem poteſtatis religionis cultum, ſacramentorum adminiſtrationem, & eorum adminiſtrandorum diſpoſitionem, doctrinam ſalutis, & eorum, quæ ad diuinum cultum pertinent, inſtitutionem; ciuilis autem ordinem publicorum negotiorum, & rerum mundanarum procurationem; poſteriori & fines & obiecta, & actiones vtriuſque poteſtatis diuerſa aſſignat. Eccleſiaſticæ ſcopum *vitam æternam*; ciuilis, *fœlicem temporalium rerum excurſum*: obiecta prioris, *res diuinas*; poſterioris, *negotia ſæcularia*: denique, prioris, *actionem ſpiritalem*; poſterioris, *carnalem*.

Illum imitatus Symmachus Papa epiſt. 4. Apolog. ad Anaſtaſium Imperatorem: *Conferamus autem*, inquit, *Imperatoris honorem cum honore Pontificis, inter quos tantùm diſtat, quantùm ille rerum humanarum curam gerit, iſte diuinarum. Tu, Imperator, à Pontifice baptiſmum accipis, ſacramenta ſumis, orationem poſcis, benedictionem ſperas, pœnitentiam rogas. Poſtremò, tu humana adminiſtras; ille tibi diuina diſpenſat: itaque, vt non dicam ſuperior, certè æqualis honor eſt: ne te putes mundi pompâ præcellere, quia quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*, &c. ac paulò pòſt, *Cæterùm, ſi omnis poteſtas à Deo eſt, magis ergo quæ rebus eſt præſtituta diuinis.* Propter hanc differentiam quòd humanis præſit Politica poteſtas, diuinis ſacra ſeu hierarchica, ſuperhumanam videtur hanc agnoſcere Horſmiſda Pontifex epiſtolâ Presbyteris, Diaconis, & Archimandritis ſecundæ Syriæ, relatâ actione quintâ Concilij Conſtantinopolitani ſub Agapeto & Menna, dum ait, *Alia eſt hominum poteſtas, alia ſunt ſacerdotum officia*: hæc verò in doctrinæ miniſterio, ſanciendi circa res fidei auctoritate, religionis functionibus verſari, nec impunè à ſæcularibus Principibus inuadi exemplo Oziæ Regis exponit.

ARTICVLVS III.

Quiſnam illorum Principatuum ſit vniuerſalior occaſione teſtimonij Caſſiodori.

CASSIODORVS lib. 11. variarum, cùm eſſet Senator, & Præfectus Prætorio, epiſt. 2. ad Ioannem Papam, *Nolite*, inquit, *in me tantùm reiicere illius ciuitatis curam, quæ potiùs veſtrâ laude ſecura eſt. Vos enim ſpeculatores Chriſtiano populo præſidetis, vos Patris nomine vniuerſos diligitis. Securitas ergo plebis ad veſtram reſpicit famam, cui diuinitùs eſt commiſſa cuſtodia: quapropter & nos decet cuſtodire aliqua, vos omnia. Paſcitis quidem ſpiritualiter commiſſam vobis gregem: tamen nec iſta poteſtis negligere, quæ corporis videntur ſubſtantiam continere; nam ſicut homo conſtat dualitate: ita boni Patris eſt vtraque re fouere. Primùm penuriam temporis, quam delicta promerentur, orationibus ſanctis*

amouere: monere me quæ ſunt gerenda ſollicitè. Sum quidem iudex Palatinus, ſed veſter non deſinam eſſe diſcipulus: nam tunc iſta rectè gerimus, ſi à veſtris regulis minimè diſcedamus: ſed cùm me à vobis deſiderem, & moneri conſiliis & orationibus adiuuari: iam vobis eſt applicandum, ſi quid in me fuerit aliter quàm optabatur inuentum. Eadem ibi Caſſiodorus cum cæteris de vera & formali, vt loquuntur, ratione obiecti ſacræ poteſtatis, putà quòd debeat eſſe negotium ſpiritale, ſeu ad ſalutem animæ ſpiritalem ſpectans: ſingulare verò iſtud docet quod ad hierarchiæ ſeu ſacri Principatus dignitatem plurimùm facit, nimirùm magis vniuerſalem, generaliorémque eſſe amplitudinem rerum, quæ ſub principatum ſacrum cadunt, quàm quæ ſub diſpoſitione ciuili continentur: nam & domeſtica negotia, quæ ciuilis Principis cognitionem fugiunt, obiici ſacræ poteſtati, cuius eſt ſecundum diuinas leges vniuſcuiuſque mores formare, non ſolùm vt rectè in Eccleſia ſe gerat, verùm etiam vt & ſiue in priuata vita, ſiue in ſocietate œconomica officio ſuo fungatur; cuius item eſt paternam charitatem omnibus exhibere, & paternam ſupplere atque herilem, in iis in quibus deficiunt, poteſtatem: actus proinde ſacri Principatus aliquos eſſe domeſticos ſeu domeſticæ poteſtatis, putà docendi, arguendi, & coram domeſticis teſtibus increpandi, corripiendi, & pœnitentias etiam priuatas imponendi: quæ officia nullo modo ſunt publicæ poteſtatis politicæ.

Deinde ciuilia ipſa negotia ſpectare pariter ad ſacrum Magiſtratum, non quidem vt ipſa procuret, vel eorum procurandorum rationem iis qui poteſtati politicæ ſubditi ſunt, per ſe ſingulariter præſcribat: hoc enim proprium eſt officium politici Magiſtratus, quod ſibi arrogare non debet Eccleſiaſticus: ſed vt pro ipſis gerendis apud Deum ſit ſollicitus, eáque Deo precibus ſuis commendet, quod ſupra ex Syneſio notauimus, & apud ipſos Principes ſatagat, quatenus ſecundum Dei legem fiant; imò etiam delinquentes corripiat ac puniat: quod ius etiam ipſis tribuit Innocentius III. cap. *Nouit de iudiciis*, his verbis, *Cùm non humanæ conſtitutioni, ſed diuinæ potiùs innitamur, quâ poteſtas noſtra non eſt ex homine, ſed ex Deo, nullus ſanæ mentis ignorat, quin ad officium noſtrum ſpectet, de quocunque peccato corripere quemlibet Chriſtianum, & ſi correptionem contempſerit, per diſtrictionem Eccleſiaſticam coercere.* Atque adeò quod olim Volnſiano ſuaſit Sidonius lib. 7. epiſt. 17. vt Abbas eſſet Frater Auxianus ſupra Congregationem, ipſe verò & ſupra Abbatem: id ſeruatâ proportione à Chriſto circa vtrumque principatum inſtitutum dici poteſt, vt in negotiis ciuilibus ſit Rex Magiſtratúſque politicus ſupra plebem & ſupra ipſum ſacerdotem, qui in eo quaſi vnus ex plebe eſſe videtur ad obediendum regio Magiſtratui paratiſſimus: ipſe tamen aliâ ratione ſit ſupra ipſum Regem ac Magiſtratum, quatenus conſilio illum dirigit, & precibus apud Deum iuuat in ſuo munere rectè exercendo: cuius rei rationem habens eadem Epiſtola Sidonius Victorium Comitem *ſe iure ſæculari patronum, iure Eccleſiaſtico filium, excolere vt clientem, vt Patrem eligere* profitetur. Caſſiodorus igitur tum propter protectionem diuinam Imperatoris, quæ à precibus ſacerdotis maximè pendet; tum propter exhortationes & conſilia ſalutaria, quæ in rebus ciuilibus quotieſcunque dubium, num aliquid ſit contra legem diuinam, à ſacerdotibus expetere debent Principes temporales, ſupra ipſos aliquâ ratione ſacerdotes conſtituit. Hoc autem poſtremum aſſerit etiam ſanctus Bernardus de conſideratione lib. 3. cap. 3. iis verbis, *Vterque ergo Eccleſiæ & Spiritualis ſcilicet gladius & materialis: ſed is quidem pro Eccleſia, ille verò & ab Eccleſia exercendus eſt. Ille ſacerdotis, is militis manu, ſed ſanè ad nutum ſacerdotis, & iuſſum Imperatoris.* Vide eundem epiſt. 256.

Iis obiter addi poteſt ad maiorem hierarchicæ poteſtatis quàm politicæ amplitudinem oſtendendam, occulta delicta, & intra animum concluſa ad politicam poteſtatem non ſpectare, ſiue vt ligentur ſiue vt ſoluantur, *cogitationis* ſiquidem *pœnam neminem* pati, lege *cogitationis*, ff. *de pœnis*. E contrà verò ad omnia penitus peccata hierarchicam extendi, iuxta illud Chriſti, Matth. 18. *Quæcumque ſolueritis*, &c. *quæcumque ligaueritis*, &c. quæ verba ſacerdotalem ligandi atque ſoluendi auctoritatem ad omnia penitus peccata licèt nondum opere perfecta patere demonſtrant: quod & receptus ab initio Eccleſiæ mos confitendi etiam apud ſacerdotem peccata ſolo animo deſtinata ab obtinendam abſolutionis gratiam confirmat, cuius meminerunt Tertullianus lib. de pœnitentia, Cyprianus ſerm. *de lapſis*, atque alij plures.

Deinde quòd ea ſolùm peccata vlciſcatur Magiſtratus ciuilis, quæ pacem publicam

eam turbant, in omnia verò quæcumque tandem illa ſint animaduertere poſſit Eccleſiaſticus, quia legibus Dei repugnant, & gloriam Dei deprimunt, pro qua vindex in foro ſaltem pœnitentiæ conſtitutus eſt. Quæ cauſa eſt cur ſcripſerit Auguſtinus epiſt. 54. ad Macedonium, *Nam quoſdam quorum crimina manifeſta ſunt à veſtra ſeueritate liberatos, à ſocietate tamen remouemus altaris, vt pœnitendo placare poſſint, quem peccando contempſerunt, ſeque ipſos puniendo.*

Iure igitur Caſſiodorus vniuerſaliorem ſacrum Principatum, magiſque extenſum eſſe docuit quàm politicum, cuius amplitudinis explicandæ gratiâ, plurimas quoque hierarchiæ, & ſæcularis Monarchiæ, vel alterius generis Principatus ciuilis differentias obſeruauimus, vt non tam à propoſita quæſtione diuerſio videri poſſit, quàm in ſuſcepta diſputatione non infructuoſa progreſſio.

ARTICVLVS IV.

Varij proferuntur Auctores pro differentiis inter vtrumque Principatum, Eccleſiaſticum, & ciuilem.

VERVM redeundum videtur ad alios omni exceptione maiores teſtes audiendos, qui non minùs apertè quàm præcedentes, vtriuſque Principatus limites, fineſque intra quos ſeſe continere vterque debeat, nobis exponunt. Primus ſecundum rationem temporis proferetur Iuſtinianus Imperator, cuius egregia iſta verba leguntur, à quibus Nouellam ſextam, quæ eſt de Clericorum ordinatione, exorditur. *Maxima quidem in hominibus ſunt dona Dei à ſuperna collata clementia, Sacerdotium & Imperium, & illud quidem diuinis miniſtrans, hoc autem humanis præſidens ac diligentiam exhibens: ex vno eodémque principio vtraque precedentia humanam exornant vitam: idéoque nihil ſic erit ſtudioſum Imperatoribus, ſicut ſacerdotum honeſtas: cùm vtique & pro illis ipſi ſemper Deo ſupplicent. Nam ſi hoc quidem inculpabile ſit vndique, & apud Deum fiducia plenum: imperium autem rectè & competenter exornet traditam ſibi Rempublicam, erit conſonantia quidem bona, omne quicquid vtile eſt humano conferens generi*, &c. citantur autem iſta & laudantur à ſummis Pontificibus & Sacerdotibus ſcribentibus ad Taraſium Conſtantinopolitanum Patriarcham, actione 7. ſeptimæ Synodi.

Hanc autem diuiſionem duplicis poteſtatis in Eccleſia, ſacræ ſcilicet ſeu hierarchicæ, & politicæ confirmant Fulgentius libro *de veritate prædeſtinationis & gratiæ*, citatus à Concilij Pariſienſis & Aquiſgranenſis ſecundi Patribus: ipſique Concilij Patres ſub Ludouico Pio, & Lothario cap. 3. Aquiſgranenſis ſecundi ſub Ludouico *in Præfatione*: Capitularia Caroli & Ludouici lib. 5. cap. 167. eam, inquam, diuiſionem publicæ poteſtatis tanquam adæquatam ſtatuunt, & in Epiſcopis ſacram, in Regibus politicam reſidere docent, tanquam in fontibus à quibus ad alios deriuatur, qui pro ſuo modulo vel regiæ vel Epiſcopalis participes ſunt poteſtatis. Quibus proinde teſtimoniis refelluntur, qui hierarchiam ſeu ſacrum Principatum in aliis officiis reponunt, quæ nec ſint Epiſcopalis poteſtatis, nec alterius imminutæ, & minoris Epiſcopali, ab ipſa tamen deriuatæ, eiuſdémque cum eo ordinis, conſtituunt.

Verùm quia iſti Auctores neque ſacram, neque politicam poteſtatem ſuis terminis circumſcribunt, neque nobis vtriuſque munia accuratè deſcribunt, ideò à me obiter duntaxat recenſentur, quatenus ad alios tandem perueniamus, qui hoc munere diſtinguendarum duarum iſtarum poteſtatum diligentiùs perfuncti fuerint, cuius inquiſitio præſentis potiſſimùm eſt inſtituti.

Digitized by Google

ARTICVLVS V.

Oppoſitiones quædam inter vtrumque principatum explicantur, occaſione teſtimonij Gregorij II.

DISTINGVNT igitur alij duas iſtas poteſtates: Gregorius ſecundus ſummus Pontifex aduerſus Leonem Iſauricum ſcribens, qui & imagines ſacras confregerat, & ſe Imperatorem & Pontificem eſſe ſcripſerat, fusè vtriuſque regiminis diuerſitatem oſtendit epiſt. 2. ad ipſum, quæ Græca & Latinâ habetur ante editionem VII. Synodi. Act. 1. doctrinam non ſpectare tradit ad Imperatores, ſed ad hierarchas, *Non ſunt*, inquit, *Imperatorum dogmata, ſed Pontificum: quoniam Chriſti ſenſum nos habemus; alia eſt Eccleſiaſticarum Conſtitutionum inſtitutio, & alius ſenſus ſæcularium: in adminiſtrationibus ſæculi militarem & ineptum quem habes ſenſum & craſſum, in ſpiritalibus dogmatum adminiſtrationibus habere non potes. Et ecce tibi Palatij & Eccleſiarum ſcribo diſcrimen, Imperatorum & Pontificum; agnoſce illud, & ſaluare, nec contentioſus eſto.* Hanc autem differentiam præter citatos apertiſſimè tradunt Oſius Cordubenſis apud Athanaſium epiſt. ad ſolitariam vitam agentes; Athanaſius ipſe eadem epiſtolâ; Lucifer Calaritanus aduerſus Conſtantium; Gregorius Nazianzenus Orat. 9. ad Iulianum Præfectum; Hilarius lib. imperfecto ad Conſtantium Auguſtum; Gratianus Imperator apud Ambroſium in Concilio Aquileienſi; idem Ambroſius epiſt. 32. Theodoſius ſecundus Imperator epiſtolâ ad Concilium Epheſinum, inter epiſtolas Cyrilli Alexandrini epiſt. 17. Gelaſius epiſt. 6. vel 7. ad Epiſcopos Orientis circa medium; Horſmiſda epiſtolâ ad Preſbyteros, Diaconos, vel Archimandritas ſecundæ Syriæ, relatâ actione quintâ Concilij Conſtantinopolitani ſub Agapeto & Menna; Facundus Hermianenſis lib. 12. pro defenſione trium Capitulorum cap. 3 Auitus Viennenſis nomine omnium Epiſcoporum Galliæ epiſt. 2. Damaſcenus Orat. 2. de imaginibus; Nicolaus primus epiſt. 8. & 10. ad Michaelem Imperatorem apud Binium; Baſilius Imperator actione 10 octauæ Synodi; & alij paſſim.

Pergit paulò pòſt Gregorius ſecundus, *Quemadmodum Pontifex introſpiciendi in Palatium poteſtatem non habet, ac dignitates regias deferendi; ſic neque Imperator in Eccleſiis introſpiciendi, & electiones in Clero peragendi, neque conſecrandi, vel ſymbola ſanctorum Sacramentorum adminiſtrandi, ſed neque participandi abſque opera ſacerdotis: ſed vnuſquiſque noſtrûm in quâ vocatione vocatus eſt à Deo, in ea maneat.* Plures hîc differentias ratione diuerſarum functionum ſacrarum, quas enumerat vtriuſque poteſtatis recenſet Gregorius, quæ ex prædictis abundè innoteſcunt.

Duæ ſunt quas præcedentibus adiungit, prima, quòd ſicut introſpiciendi in Palatium Pontifex poteſtatem non habet, ita nec Princeps politicus, in Eccleſias introſpiciendi: quam differentiam confirmant Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 2. cap. 57. & 58. nec non lib. 8. cap. 11. Euſebius lib. 6. hiſtoriæ cap. 27. Chryſoſtomus Oratione de ſancto Babyla aduerſus Gentes; idem homiliâ octauâ in Acta, & octuageſimâ tertiâ in Mathæum; Ambroſius apud Theodoretum lib. 5. cap. 17. Sozomenum lib. 7. cap. 24. & alios; Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 28. Euſebio; Theodoſius Magnus in actis Epheſinæ Synodi editionis Peltanæ tomo quinto, capite vigeſimo primo: & alij plures.

Altera verò, quòd electiones ſacrorum Magiſtratuum ſecluſis priuilegiis, quibus id Principibus conceſſum ſit, politici Magiſtratus, ſeu Principis iuris non eſſe: neque enim antiquus Eccleſiæ mos fuit, vt Principes temporales ſacris ſe electionibus immiſcerent: & ne iis ſe immiſceant vetant Apoſtolorum Canon 30. ſeu in Græco 31. Synodi Romanæ ſecundæ ſub Symmacho Canon tertius; Synodi Nicænæ ſecundæ Canon 3. Moguntinæ ſub Carolo Canon 29. Cabilonenſis ſub eodem, Canon quadrageſimus-ſecundus; Turonenſis Canon decimus quintus; Arelatenſis ſub eodem Canon 4. Nicolai primi epiſtola *Propoſueramus*, ad Michaelem; Moguntini ſub Rabano Canon 12. ſub Arnulpho Canon 5. Holonienſis apud Meldenſem Canon

decimus, Wormacienſis Canon 57. Synodi VIII. ſub Hadriano ſecundo Canones ſecundus, & vigeſimus ſecundus, decreta Nicolai ſecundi in Synodo Romana centum tredecim Epiſcoporum, Gregorij VII. in Synodo Romana anni 6. cap. 3. anni 7. cap. 1. & 2. anni incerti cap. 10. Victoris X. in Synodo Beneuentana, Vrbani II. in Claromontano Concilio, Can. 13. vel 15. Melphitani Concilij Can. 8. Paſchalis II. epiſt. ad Archiepiſcopum Viennenſem in fine, in Concilio incerto pluribus Canonibus, Concilij Pataujenſis ſub eodem cap. 1. & apud Guardaſtallam cap. 3. Callixti II. in Concilio Romano cap. 4. & 14. in fine; Innocentij II. in Synodo Romana cap. 7. & 19. Alexandri III. in Concilio Lateranenſi generali cap. 14. Innocentij III. in Concilio generali, capite 25. & aliorum Conciliorum & ſummorum Pontificum paſſim.

ARTICVLVS VI.

Diuerſus vtriuſque Principatus modus procedendi, occaſione teſtimonij eiuſdem Gregorij II. vbi de pœnis à ſacro & politico Magiſtratu infligendis.

DENIQVE modum diuerſum procedendi vtriuſque poteſtatis ſubinde explicat Gregorius II. copioſiùs, hæc ſcribens: *Si quiſpiam te offenderit, domum eius publicas & ſpolias, ſolam illi vitam relinquens, tandémque illum ipſum vel ſuſpendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eúmque longè à liberis, & ab omnibus cognatis, & amicis ſuis amandas. Pontifices non ita, ſed vbi peccarit quis & confeſſus fuerit, ſuſpendij vel amputationis capitis loco Euangelium & crucem eius ceruicibus circumponunt, eúmque tanquam in carcerem, in ſecretaria ſacrorumque vaſorum æraria conijciunt, in Eccleſiæ Diaconia & in Catechumena ablegant, ac viſceribus eorum ieiunium, oculiſque vigilias & laudationem ori eius indicunt. Cúmque probè caſtigauerint, eúmque fame afflixerint, tum pretioſum illi Domini corpus impertiunt, & ſancto illum ſanguine potant, & cùm illum vas electionis reſtituerint ac immunem peccati, ſic ad Dominum pium inſontémque tranſmittunt. Vides, Imperator, Eccleſiarum Imperatorúmque diſcrimen.* Et paulò pòſt, *Perſequeris nos, ac tyrannicè vexas, militari carnalique manu: nos inermes ac nudi, qui terrenos ac carnales exercitus non habemus, inuocamus Principem exercitus omnis creaturæ ſedentem in cælis Chriſtum, qui eſt ſuper omnes exercitus ſupernarum virtutum, vt immittat tibi Dæmonem, ſicut dicit Apoſtolus, tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit. Nam vbi præclarâ commonitione adhibitâ, & doctrinâ Pontifices Deo exhibuerint Imperatores irreprehenſibiles & mundos à peccatis & delictis, magnam apud eum laudem & gloriam obtinent, in ſanctam reſurrectionem magnam, quo tempore res ipſas occultas operâ noſtrâ in lucem prolaturus eſt, in confuſionem noſtram coram Angelis ſuis.*

Nolim ad huius diſcriminis à Gregorio traditi explicationem diuerſas pœnitentiæ impoſitiones, quarum aliquas ipſe attigit, exponere; res immenſi eſſet laboris, nec noſtri inſtituti. Tria hîc tantùm obſeruare neceſſum eſt: primùm corporalem vitam à ſacra poteſtate nemini auferri; citra mortem peccata per pœnitentiam à ſacerdotali poteſtate plecti. Politicam verò poteſtatem & mortem ipſam nonnunquam inferre. Non debuit ſacra poteſtas peccatorem è medio auferre, quæ inſtituta eſt vt illum emendaret: cuius emendationis procurandæ gratiâ, vitæ hominum parcere debet, & vt loquitur Auguſtinus epiſtolâ quinquageſimâ quartâ ad Macedonium; *Quantò magis nobis diſplicet vitium, tantò minùs volumus inemendatum interire vitioſum.* hoc quoque Eccleſia cupit enixè, *vt qui liberantur à temporali morte, ſic viuant, ne in æternum vnde nunquam liberantur, incurrant.* Vnde quod contigit Ananiæ & Saphyræ, qui poſt voti infractionem mentientes Spiritui ſancto ad Petri vocem *præſentem meruere vindictam*, non crudelitate ſententiæ id factum interpretatur Hieronymus, epiſtolâ octauâ ad Demetriadem, *Sed correptionis exemplo; nam & Apoſtolus Petrus nequaquam eis imprecatur mortem, vt ſtultus Porphyrius calumniatur, ſed Dei iudicium prophetico ſpiritu annuntiat.*

Alterum, pœnas ipſas temporales ac pœnitentias, quas ſacra poteſtas infligit, prout

ab illa inferuntur quodammodo ſpiritales eſſe. Primò, quia priùs animam ſubigunt quàm corpus, priùs animo pœnitentis perſuadentur, quàm corpori infligantur, vixque niſi conſentienti imponuntur: efficit autem ſacra poteſtas admonitione & doctrinâ vt pœnitens conſentiat: ideóque doctrina ſacra pars quædam poteſtatis ſacræ, quod vtique inſinuat Apoſtolus 2. ad Timotheum 4. diſcipulo præcipit, *Argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina*; & apertiùs docet magnus hierarchiæ magiſter Dionyſius, quem ſecuti ſunt Maximus & alij, dum in definitione hierarchiæ meminit, καὶ θείας τῆς θεουργικῆς ἐπιστήμης, καὶ ἐνεργείας, καὶ τελειώσεως, *Diuinitùs traditæ, diuinóſque efficientis & ſcientiæ, & efficaciæ & perfectionis*, cap. 1. Eccleſiaſticæ hierarchiæ ſtatim initio: quas conditiones recto ordine ſtatuit, vt pote cùm per diuinitùs datam ſcientiam efficax reddatur ſacer Principatus, animóſque ſubditorum inflectat, ac corpora ſubigat: per iſtam verò coercitionem perfectionem operetur. E contrà verò poteſtas politica nec ſcientiâ opus habet, vt ſit efficax, ſed vi, nec coercitione perfectionem per ſe operatur, ſed remotè duntaxat ad perfectionem præparat, quia metus iſte quem infert, *nihil ad perfectum adducit, ſed perfecta charitas*, vt ait Apoſtolus, *foras mittit timorem*, mundanum præſertim iſtum & carnalem; ſed nec remotè quidem ad perfectionem aliquando diſponit, tunc maximè cùm peccatorem è medio tollendum iudicat: tunc enim hoc vnum ſpectat ne flagitioſus cæteris noceat, eúmque è medio proinde tollit, & à ſocietate ciuili, atque ipſo hominum cœtu per mortem abſcindit.

Per doctrinam igitur, & fidem diuinorum iudiciorum, quam inculcat ſacra poteſtas, efficax ipſa redditur: *viuuſque ſermo Dei efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti*, ad Hebræos 4. cap. ſacræ poteſtati efficaciam præbet, & ἐνεργείας ad animum vſque peruadentem. Ideò doctrinâ opus habet ille ſacer Principatus, tum quia niſi probatio præceſſerit, temerarius videbitur qui peccantem diuinâ ſe auctoritate caſtigare affirmabit, inquiunt Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius in citatum locum Apoſtoli ad Timotheum; tum quia cùm ſacri magiſtratus nullos alios homines tortores adhibeant & vindices criminis, quàm ipſos peccatores, illos in ſeipſos armantes, vt conceptâ deteſtatione criminis in ſeipſos piè ſæuiant, quis dubitet doctrinâ & verbo opus eſſe vt id perſuadeant, & ad hanc vindictam pœnitentes adigant? cuius verbi diuini efficaciam notarunt Euſebius lib. 3. de demonſtratione Euangelica, aſſerens *Seruatoris noſtri diſcipulos eiuſmodi aculeos in auditorum animis reliquiſſe, vt penetraret eorum doctrina in intimos thalamos, & cuiuſque conſcientiam ita ſauciaret, vt arcana ex latebris proferre, & prauitatem anteactæ vitæ palam confiteri non dubitarent.*

Dionyſius Eccleſiaſticæ hierarchiæ cap. 6. docens ex tribus immundorum ordinibus primum, qui eſt Catechumenorum, ad vitalem partionem efformari & effingi à miniſtris τοῖς μαιευτικοῖς λογίοις, *ſermonibus obſtetricandi vim habentibus*: alterum pœnitentium, qui à ſancta vita deſciuerunt, à prioribus facinoribus reuocari atque retrahi, τῇ τῶν ἀγαθῶν λογίων ἐπιστρεπτικῇ διδασκαλίᾳ, *Bonorum ſermonum hortatrice inſtitutione*: tertium tandem Energumenorum, qui à contrariis formidinibus adhuc per ignauiam terrentur, confirmari πρὸς τῶν δυναμοποιῶν λογίων, *ſermonibus virtutem adferentibus*. ac proinde purgandi & expiandi vim in doctrinæ traditione & inſtructione reponit.

Firmilianus quoque inter epiſtolas Cypriani epiſt. 750. in doctrina vim ſacri Principatus magnam reponit dum ait, *Lapſis fratribus & poſt lauacrum ſalutare a Diabolo vulneratis per pœnitentiam medela quæratur, non quaſi à nobis remiſſionem peccatorum conſequantur, ſed vt per nos ad intelligentiam delictorum ſuorum conuertantur & Domino pleniùs ſatisfacere cogantur.* Sed & Tertullianus ſacerdotalis correctionis & cenſurarum efficaciam oriri ex diuinorum iudiciorum metu, & diuinæ prouidentiæ fide, in quibus animus per doctrinam Chriſti ſuſceptam, & exhortationes ac caſtigationes ſæpiùs inculcatas confirmatus fuerit. *Certè*, inquit, *fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus: ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura diuina: nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conſpectu, ſummúmque futuri iudicij præiudicium eſt, ſi ita deliquerit, vt à communicatione orationis & conuentus, & omnis ſancti commercij relegetur.* Apologet. c. 39.

Duplicem iis verbis rationem Tertullianus nobis præbere poteſt, cur quodammodo

Digitized by Google

ſpiritales dici poſſint ipſæ pœnæ corporales, prout ab Eccleſia imponuntur; primam quam explicuimus, quia non niſi in volentes & conſentientes feruntur, nec ad eas ſubeundas Eccleſia vi adigit, ſed propoſitis diuinorum præceptorum neceſſitate, indiciorum ſeueritate, ſcientiæ perſpicuitate, quibus omnibus qui fidem adhibent metu maiorum pœnarum minores ab Eccleſia inflictas, lubenter ſubeunt, imò & Eccleſiam ipſam rogant, vt illas meritis imponat. Alteram eos, qui in fide tepidiores ſunt, vel ſuæ ſalutis negligentiores ab Eccleſia nullâ aliâ ratione vrgere, quam excommunicationis comminatione, quæ ſpiritalis eſt pœna: quam vtique impœnitentibus inferendam monent Apoſtolus 1. Cor. 12. Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 2. c. 41. Cyprianus epiſt. 10. & alibi paſſim: Ambroſius lib. 1. de pœnitentia cap. vltimo: Hieronymus lib. 3. Commentariorum in cap. 6. ad Galatas, & in caput 5. Zachariæ; Auguſtinus hom. 50. inter quinquaginta, & innumeri prope Conciliorum Canones. Vbi autem excommunicationem Eccleſia inflixit, inquit Cæleſtinus tertius, *Si excommunicatus in profundum malorum venerit, cùm Eccleſia non habeat vltrà quid faciat, ne poſſit eſſe vltrà perditio plurimorum, per ſæcularem comprimendus eſt poteſtatem*, cap. *non ab homine, de iudiciis* ſcilicet, quia teſte Auguſtino lib. *de correptione & gratia*, cap. 15. cuius ſententia refertur, Can. *corripiantur*, 24. quæſt. 3. *excommunicationis pœna in Eccleſia nulla maior eſt.* Ob has itaque cauſas Cyrillus Alexandrinus non carnalia Eccleſiæ arma, ſed ſpiritalia eſſe docuit lib. 2. in caput ſextum Ioannis; explicans ſiquidem iſta Petri verba, *Domine, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes*: exemplo vrbis Hiericuntis, cuius mœnia Arca Domini per ſacerdotes circumlata non machinis aut arietibus admotis, ſed tubarum ſonitu, & clamantium voce quaſſata corruerunt, modum vincendi Eccleſiæ à Chriſto præſcriptum oſtendit, iis verbis, αὐτὸς γὰρ (Χριστὸς) ἐστὶν ὁ τοῖς ἱεροῖς καὶ ἁγίοις ἀνθρώποις ἐποχούμενος, καὶ πᾶσαν διαβόλου καταστρέφων ἰσχὺν, οὐχ ὅπλοις, ἀλλὰ κραυγῇ, καὶ σάλπιγγι, τοῦτ' ἔστι ἀποστολικοῖς τε καὶ εὐαγγελικοῖς κηρύγμασι, καὶ συνῳδίᾳ τῇ παρὰ παντὸς τοῦ λαοῦ, ἐν ὀρθότητι πίστεως τὸν ἴδιον ὁμολογοῦντος δεσπότην. ὃ καὶ ἐν ταῖς μυστικαῖς δοξολογίαις ὁρῶμεν ἀποπληρούμενον προαναφωνούσης τῷ λαῷ σάλπιγγος ἱερατικῆς, ἢ καὶ ἐν τῇ τοῦ λειτουργοῦντος ἵσταται φωνῇ, πίπτει δὲ οὕτω καὶ συντρίβεται τῶν ἐναντίων ἡ δύναμις. τὰ γὰρ ὅπλα ἡμῶν οὐ σαρκικὰ, κατὰ τὸν Παῦλον, ἀλλὰ δυνατὰ τῷ Θεῷ. *Ipſe enim (Chriſtus) eſt qui à ſanctis viris portatur, & omnem Diaboli vim euertit non armis, ſed clamore ac tubâ, hoc eſt Euangelicâ prædicatione, & conſenſu omnium populorum in rectitudine fidei Dominum confitentis. Quod in myſticis quoque rerum diuinarum celebrationibus impleri videmus Pontificali tubâ, hoc eſt miniſtrantis voce populo præeunte: ita verò cadit & conteritur aduerſariorum vis; arma enim noſtra non ſunt carnalia ſed potentia Deo.* Neque iis obſtat ſanctus Auguſtinus de fide & operibus cap. 4. docens *peruerſiſſimam ſecuritatem præpoſitis tribuere, vt ad eos non pertineat niſi docere, quid cauendum, quidue faciendum ſit, quodlibet autem faciat quiſque non curare*: contendénſque in Eccleſia malos tolerandos, quando corrigi non poſſunt; *cùm verò eis per quos Eccleſia regitur, adeſt ſalua pace poteſtas diſciplinæ aduerſus improbos aut nefarios exercendæ, tunc rurſus, ne ſocordia ſegnitiâque dormiamus, aliis aculeis præceptorum, quæ ad ſeueritatem coercitionis pertinent excitandos nos eſſe admonens.* Non, inquam, prædictis obſtat, quippe cùm nequaquam nos omnem ab Eccleſia iuriſdictionem coercitiuam excludamus, ſed ſolùm publicam Eccleſiæ poteſtatem, ita demùm corporales pœnas, aut pecuniarias imponere ac præcipere poſſe dicamus, vt ſi renuerit peccator illas ſubire, non aliud ordinarium ac commune remedium Eccleſiæ ſuppetat, quam à conſortio Chriſti & Eccleſiæ vnitate rebelles iſtos exſcindere.

Si qui autem hanc extremam ſententiam contempſerint, nihil Eccleſiæ vt plurimùm ſupereſſe dicimus, niſi vt vel eos lugeat, ac pro iis ingemiſcat, quatenus ad ſaniorem mentem redeant, iuxta ſententiam Chryſoſtomi homiliâ vltimâ in epiſt. ad Heb. & primâ in epiſt. ad Titum; vel Sathanæ contemptores iſtos tradat, quemadmodum inceſtuoſum Corinthium tradidit Paulus 1. Cor. 5. quâ de re Interpretes in illud cap. noſq; ſuperiùs etiam aliqua; vel denique ad ſæcularem poteſtatem recurrat, quemadmodum recurrendũ conſuluerunt aduerſus inobedientes, Auguſtinus epiſtolis pluribus ad Bonifacium, Macedonium & alios plures, Concilij Antiocheni Patres can. 5. Vernenſis can. 9. Turonenſis III. can. 4. Ticinenſis anno 855. reſcripto ad Ludouicum Pium, Gregorius nonus cap. *ſtatuimus, de maledicis*, Cæleſtinus tertius cap. *cùm non ab homine, de iudiciis.*

Hincmarus Remenſis apud Flodoardum hiſtoriæ Remenſis lib. 3. cap. 18 Lupus Ferrarienſis epiſt. 80. & 81. & alij paſſim: lege Canonem *ſi quis Epiſcopus*, & ſequentes 23. quæſt. 1. caput 1. *de officio Ordinarij*, verbo *cùm opus eſt*, & Clementinam *quia contigit*, iuncta Gloſſa, verbo *remedijs, de religioſis domibus*. Hicque recurſus ad poteſtatem ſæcularem, vt rectè notant Ioannes Papa in Synodo cap. 1. citato de officio iudicis ordinarij, *non ad præiudicandum, ſed potiùs ad ea quæ Deo ſunt placita proſequendum* valere debet. *Ob hoc enim vir temperans* (Marcianus) *Imperator* (ait Facundus lib. 11. cap. 3.) *ſuo contentus officio Eccleſiarum canonum exactor eſſe voluit, non conditor, non exactor.* Lege ipſa Marciani verba actione 6. Concilij Chalcedonenſis, & Facundum fusè toto iſto libro Principibus circa res ſacras exequendi ſolùm non ſtatuendi poteſtatem conuenire contendentem: ſanctus quoque Auguſtinus epiſt. 159. *Marcellino tribuno*, in huiuſmodi cauſis, quænam Epiſcopi ſit auctoritas, quod Magiſtratus exequentis officium, docet iis verbis, *Si non audis amicum petentem, audi Epiſcopum conſulentem: quamuis, quoniam Chriſtiano loquor maximè in tali causâ, non arroganter dixerim audire te Epiſcopum conuenit iubentem.* Quod fuſiùs explicat epiſt. ſequente *ad Apringium Iudicem*, vbi & nomine Eccleſiæ agere iudicem ſæcularem, dum inobedientes Eccleſiæ plectit, oſtendit hæc ſcribens, *Time ergo nobiſcum iudicium Patris* (Dei) *& commenda manſuetudinem matris* (Eccleſiæ) *cùm enim tu facis, Eccleſia facit, propter quam facis, & cuius filius facis*, &c. Ex iiſque colligit modum Eccleſiæ procedendi in iis cauſis ſæculari magiſtratui eſſe imitandum.

Ne tamen exinde iudicandi de negotiis ſpiritalibus occaſionem ſumerent Magiſtratus ſæculares, quòd ad executionem vocarentur, & imperfectam ſine ſæculari præſidio poteſtatem Eccleſiæ cenſerent: non immeritò fortaſſis veriti ſunt aliqui Patres. Atque ideò perniciosi exempli recurſum iſtum putauerunt Hilarius lib. aduerſus Auxentium, & Seuerus Sulpitius Dialog. 1. *de virtutibus Monachorum Orientalium*, cap. 2.

Obligantur verò Principes temporales non ſolùm, tanquam filij parenti, & multis beneficiis ab Eccleſia affecti eidem benè merenti hoc auxilium impendere; verùm etiam ex inſtitutione Chriſti, & fidei Chriſtianæ ſuſceptione, vt illud Propheticum adimpleant, *Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent*, Iſaiæ 49. itemque 60. *Surge, illuminare, Ieruſalem: & ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui: gens enim & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit: ſuges lac gentium, & mamillâ Regum lactaberis.* item Pſal. 71. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes gentes ſeruient ei*, &c. Lege Auguſtinum epiſt. 50. Bonifacio Comiti, *de moderatè coercendis hæreticis*, & aliis eiuſdem epiſtolis, necnon lib. 3. contra Creſconium cap. 51. Bonifacium I. ad Honorium Imperatorem: Leonem Magnum epiſt. 85. ad Leonem Imperatorem, cap. 3. & Turribium Aſturicenſem Epiſcopum *in Præfatione*, Iſidorum Hiſpalenſem *de ſummo bono*, cap. 53. Concilium Pariſienſe ſub Ludouico, & Lothario, cap. 1. prope finem, & Aquiſgranenſe II. ſub Ludouico, parte 4. Can. 2. Concilium Holonienſe in Synodo Meldenſi Can. 11. Synodum Meldenſem, Can. 28. 71. & 81. Alexandrum III. in Concilio Lateranenſi cap. 27. & alij paſſim.

Notandum verò, dum poteſtatem in inuitos Eccleſiæ quodammodo ademimus, nos duntaxat Eccleſiæ vniuerſalem in omnes fideles poteſtatem conſideraſſe, ac publicam: nullam autem habuiſſe rationem poteſtatis eiuſdem Eccleſiæ quaſi paternæ & domeſticæ in eos, qui ſe Deo conſecrauerunt, & propriâ voluntate ſeſe Eccleſiaſticis Magiſtratibus corrigendos etiam corporaliter ſubdiderunt, eodem modo quo ſerui vel famuli dominis; filij adoptiui patribus adoptantibus; diſcipuli præceptoribus ſeſe ſubiiciunt: non enim dubium eſt, quin ea conuentio æquiſſima ſit, eámque obligentur temporales Principes cuſtodire, & munire, vt pote à Chriſto ipſo delineatam, & Eccleſiaſtico regimini neceſſariam, cuius meminit Auguſtinus epiſt. 159. *Marcellino tribuno*, de coactione per virgarum verbera loquens, *Qui*, inquit, *modus coercitionis, & à magiſtris liberalium artium, & ab ipſis parentibus, & ſæpe etiam in iudiciis ſolet ab Epiſcopis adhiberi*, adeóque hæc coercitio Eccleſiæ propria cenſetur: vt ſi quis è Clero incorrigibilis à laico Magiſtratu in Eccleſiæ ſubſidium puniatur, auctoritate Eccleſiæ id facere videatur, cap. *vt famæ, de ſententia excommunicationis.* Sed hæc omnia quæ leuiter perſtrinximus, fuſioris ſunt indagationis.

ARTICVLVS VI.

Excellentia ſacri Principatus quoad modum procedendi.

EX iis tamen differentiis circa modum procedendi diuerſum ſacræ & politicæ poteſtatis, eiuſdem ſacræ poteſtatis excellentiam colligere licet, 1. quod pœnam imponat Eccleſia, quam licet in hac vita aliqui proterui ac rebelles effugiant: at in alia Deus, cuius manus nemo effugere poteſt, vſque ad vltimum quadrantem multiplicatâ pro contumaciæ crimine ſatiſpaſſione exolui curabit: Atque adeò ineuitabiliter pœna à ſacerdote peccatis aſſignata, vel in hac, vel in altera vita infligitur, quia quæcunque à ſacerdote ligantur in terris, ligata erunt & in cælis. Cùm è contra pœna publicæ poteſtatis, quia territorij cuiuſdam, vitæque huius limitibus continetur, ineuitabilis non ſit, ſed contrariâ vi, dolo, fugâ euitare poſſit. 2. Quòd Eccleſia percutiat vt ſanet, corripiat & corrigat, corpus opprimat, vt animam erigat: obliget ad pœnam, vt peccati obtineat veniam, quorum nullum per ſe politica poteſtas ſpectet, cuius vnicus interdum ſcopus eſt: exterminatio vitioſi, ne publicam ſocietatem turbet: malens vnum perire, quàm vnitatem: atque adeò ſacræ poteſtatis animaduerſio non tam pœna quam medicina: non tam ſupplicium quàm beneficium dicendum eſt. *Quis enim*, vt cum Auguſtino loquar epiſt. 59. *Marcellino tribuno*) *non intelligat magis beneficium quàm ſupplicium nuncupandum, vbi nec ſæuiendi relaxatur audacia, nec puniendi medicina ſubtrahitur?* Vel ſi ſupplicium pœna iſta dicitur, ſupplicium cum beneficio coniunctum dici debet, vbi iuſtitiæ vltio cum miſericordia, ſeueritas cum indulgentia copulatur: nam vt idem ſanctiſſimus Pater docet in Pſalm. 50. *Miſericordia eſt, vt ignoſcat ſacerdos peccanti, iuſtitia eſt vt puniat peccatum.* Ex quibus apparet coercitionem, quâ vtitur Eccleſia, minùs efficacem non eſſe, quàm ſit coercitio politica: vtiliorem autem eſſe & præſtantiorem, quia ad diuinæ operationis formam magis accedit, quâ Deus & peccata aliquando diſſimulat, & in hac vita nonnumquam impunita relinquit in altera duriùs punienda, & miſericordiam cum iuſtitia coniungit: iuſtitiam cum pace, miſericordiam cum vindicta, iuxta illud Pſalmi, *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas*: & 1. Reg. 2. *Dominus mortificat & viuificat: deducit ad inferos & reducit.* Hæc verò fuſiùs occaſione traditâ à Gregorio II. differentiæ inter ſacram & politicam poteſtatem.

ARTICVLVS VII.

Varia alia teſtimonia quibus vterque Principatus diſcernitur.

IAM verò ad aliorum teſtimonia Patrum, quibus differentiæ inter illas duas poteſtates iam traditæ illuſtrari poſſunt, proferenda, leuique manu attingenda regredimur.

Occurrit primò Damaſcenus lib. 2. de imaginibus: *Regum*, inquit, *partes non ſunt, vt Eccleſiæ leges præſcribant; conſidera enim*, inquit, *quid Apoſtolus dicat, & quos quidem in Eccleſia poſuit primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tum Paſtores & Doctores ad Eccleſiæ conſtitutionem, non adhibuit Reges*: & rurſum, *Obedite*, inquit, *Præpoſitis veſtris: verbum non locuti ſunt vobis Reges, ſed Apoſtoli & Prophetæ, Paſtoreſque & Doctores*, &c. *Regum eſt ciuilis adminiſtratio, Eccleſiaſtica verò Conſtitutio Paſtorum atque Doctorum*, &c. *Paremus tibi, Rex, in iis, quæ ad vitæ ciuilis negotia pertinent, vt in tributis, vectigalibus, congiariiſque ſoluendis, quorum tibi, quantùm ad nos ſpectat, munus eſt creditum ac demandatum: at in Eccleſiaſticis rebus ſtatuendis ac decernendis habemus Paſtores, qui nobis locuti ſunt verbum, & leges atque inſtituta Eccleſiaſtica tradiderunt.*

Occurrit ſecundò Nicolaus primus epiſt. 8. ad Michaelem Imperatorem apud Bi-

nium, qui ſtatuendi aliquid circa tes fidei auctoritatem Imperatori denegat, & ciuilium negotiorum adminiſtrationem vnicam rem ipſius poteſtati ſubiectam monet iis verbis, *Congregaſtis Concilium aduerſus Ignatium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & ad Imperij veſtri nutum cuncti ſunt famulati minores, & ad votum ſæcularium, vt cum pace veſtra dicamus; de ſolio Imperiali deſcendentes Cathedram præſularem, vt ita fateamur, aſcendiſtis, & pro deſiderio hoſtium eius auguſtalium obliti ſceptrorum quendam Regem Iſrael imitantes aduerſus illum ſacerdotalis miniſterij arripuiſtis officium: præſertim cùm imperium veſtrum ſuis publicæ rei quotidianis adminiſtrationibus debeat eſſe contentum, nec vſurpare quæ ſaccerdotibus Domini ſolùm conueniunt*, &c. Et paulò pòſt, *Vos autem quæſumus, nolite præiudicium Dei Eccleſiæ irrogare, illa quippe nullum imperio veſtro præiudicium infert, cùm magis pro ſtabilitate ipſius æternam Diuinitatem exoret, & pro incolumitate veſtra, & perpetua ſalute iugi deuotione precetur. Nolite quæ ſua ſunt vſurpare; nolite, quæ ipſi ſoli commiſſa ſunt, velle ſurripere ſcientes, quia tantò nimirùm à ſacris debet omnis mundanarum rerum adminiſtrator eſſe remotus, quantò quemlibet ex catalogo Clericorum, & militantium Deo nullis conuenit negotiis ſæcularibus implicari. Denique hi quibus tantùm humanis rebus & non diuinis præeſſe permiſſum eſt, quomodo de his, per quos diuina miniſtrantur, iudicare præſumant, penitus ignoramus.* Plura ſubdit in eundem ſenſum, maximè quæ à Gelaſio ſuperiùs retulimus.

Occurrunt Epiſcopi Gallicani, Agobardus Lugdunenſis Opuſc. de comparatione vtriuſque regiminis Eccleſiaſtici & politici, dicato Imperatori Ludouico Pio, *Neque*, inquit, *ignorare debueratis maius eſſe regimen animarum, quod eſt Pontificale, quàm imperiale, quod eſt temporale.* Plura alia ibidem de excellentia iuriſdictionis ſacræ, quæ non ſunt huius inſtituti. Hincmarus Remenſis, epiſt. 4. ad Epiſcopos Franciæ ſtatim initio, *Doctrina eſt Chriſtiana ſecundum ſanctarum Scripturarum tramitem, prædicationemque maiorum, quâ Deo ac Domino noſtro Ieſu Chriſto conditore & redemptore noſtro, qui ſimul ſolus rex & ſacerdos fieri potuit, in cuius nomine omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum, diſponente, ſicut beatus Gelaſius Papa ad Anaſtaſium Imperatorem dicit, & in geſtis, quæ nuper in martyrio ſanctæ Macræ geſta ſunt, partim continetur, duo ſunt quibus principaliter, vnà cum ſpecialiter cuiuſcumque curæ ſubiectu, mundus hic regitur, auctoritas ſacra Pontificum & regalis poteſtas, in quibus perſonis, ſicut ordine ſunt diuiſa vocabula, ita ſunt & diuiſa in vnoquoque ordine ac profeſſione ordinationum officia: quamuis enim membra veri Regis atque Pontificis ſecundum participationem naturæ magnificè vtrumque in ſacra generoſitate ſumpſiſſe dicantur*, &c. vt ſuprà ex Gelaſio tom. de anathemate: quibus memoratis ſic pergit. *Sed tantò grauius pondus eſt ſacerdotum, quantò etiam pro ipſis regibus hominum in diuino reddituri ſunt examine rationem: & tantò eſt dignitas Pontificum maior quàm Regum: quia Reges in culmen regium ſacrantur à Pontificibus, Pontifices autem à Regibus conſecrari non poſſunt. Et tantò in humanis rebus Regum cura eſt propenſior quàm ſacerdotum, quantò pro honore & defenſione & quiete ſanctæ Eccleſiæ & rectorum & miniſtrorum ipſius ac leges promulgando ac militando à Rege regum eſt eis curæ onus impoſitum.* Plura ibidem Hincmarus, ex quibus vtriuſque poteſtatis diſcrimina colligantur: quemadmodum & epiſt. 6. cap. præſertim 33. & 34. ex Leonis epiſt. 54. ad Marcianum, Gelaſij epiſt. ad Anaſtaſium, legibus Valentiniani, Theodoſij, & Arcadij plura congeſſit, quod ipſum facit nomine Caroli Calui Imperatoris ad Adrianum ſecundum ſcripta, quæ habetur in actuario Bibliothecæ Patrum Pariſienſis tom. 2.

Hildebertus quoque primo Cœnomanenſis Epiſcopus, deinde Turonenſis Archipræſul epiſt. 40. ad Herlonem Sagienſem Epiſcopum hoc argumentum tractat, *Membrum*, inquit, *Chriſti Rex, membrum Chriſti ſacerdos, ſcienti loquor, noſti gladium Regis, noſti gladium ſacerdotis. Gladius Regis cenſura curiæ, gladius ſacerdotis Eccleſiaſticæ rigor diſciplinæ. Hoc Euangeliſtam figuraſſe legiſti dicentem, Domine, ecce gladij duo hìc: ſi eſſet qui in gladio regni liberaret nos, non peteretur educi gladius ſacerdotis propter nos.* Arnulphus Lexouienſis epiſt. 68. ad Alexandrum tertium ſummum Pontificem, *Dignitas Eccleſiaſtica regiam prouehit, & regalis dignitas Eccleſiaſticam conſeruare potiùs conſueuit, quàm tollere libertatem. Etenim quaſi quibuſdam ſibi inuicem complexibus dignitas Eccleſiaſtica & regalis occurrunt, cùm nec Reges ſalutem ſine Eccleſia, nec Eccleſia pacem ſine regia protectione conſequatur.*

Quibus Epiſcopis Gallicanis addo celebrem ex Anglia Anſelmum Cantuarienſem

Commentariis in cap. 27. Matthæi; *Nota*, inquit, *duos eſſe gladios in Eccleſia: alter materialis eſt, alter ſpiritualis, ſed ſpiritualis nonniſi volentes, materialis cogit etiam nolentes.* De vtraque poteſtate Clericali & laica loquitur, quam dicit eſſe in Eccleſia, quia Eccleſia ex laicis & Clericis conſtat: à laica poteſtate ſeu ciuili pacem & protectionem, à Clericali ſeu Eccleſiaſtica & ſacra doctrinam, ſalutis remedia, ac gubernationem habet.

Occurrunt & Abbates Gallicani maximi nominis, Lupus Ferrarienſis epiſt. 81. ad Amulium Epiſcopum ex parte Guenilonis Epiſcopi, & Gherardi Comitis. *Præcipit itaque Dominus noſter Rex*, inquit, *vt eius vobis ſermonibus diceremus ſe fideliter tenere, quòd Rex Regum, idemque ſacerdos ſacerdotum, qui ſolus potuit Eccleſiam regere, quam redemit, poſtquam humanitatem ſuam in cælum euexit ſemper cum ſuis futurus diuinitate, poteſtatem ſuam ad eam gubernandam Eccleſiam in ſacerdotes diuiſit & Reges, vt quod ſancti docerent Pontifices, & ipſi implerent, & impleri facerent deuotiſſimi Reges. Quamobrem ſe cupere debitam ſanctitati veſtræ impendere reuerentiam: ſicut ei quem ſciat diuinitatis cultum integrè velle ſeruare: atque viciſſim poſtulare, cum eo tale fœdus concordiæ ineatis, vt vbicumque Eccleſiaſticæ vtilitati in portione regni ſibi diuinitùs collata veſtræ auctoritatis diſpoſitione in re tanta cupit conſulere, vnanimitate veſtri conſenſus continuò adiuuetur.* Bernardus Claræuallenſis lib. 1. de conſideratione ad Eugenium cap. 6. *In criminibus non in poſſeſſionibus eſt poteſtas veſtra: quoniam propter iſta, & non propter has accepiſtis claues regni cælorum:* ſequitur, *quænam tibi videtur maior poteſtas peccata remittendi, an prædia diuidendi: habeat hæc terrena & infima iudices ſuos Reges & Principes terræ: quid fines alienos inuaditis? quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis? cur maior vis eſſe Domino, qui interpellatus quodam dicente, Dic fratri meo vt diuidat mecum hereditatem, reſpondit, quis me conſtituit iudicem inter vos?* Denique Hugo Victorinus de ſacramentis fidelium lib. 2. parte 2. cap. 4. *Ad poteſtatem Regis pertinent quæ terrena ſunt, & ad terrenam vitam facta omnia: ad poteſtatem ſummi Pontificis pertinent quæ ſpiritualia ſunt, & vitæ ſpirituali attributa vniuerſa.*

Occurrunt & illuſtres S. R. E Cardinales duo, Primus Petrus Damiani lib. 7. epiſt. 3. ad Henricum Henrici II. Imperatoris filium, quem iis verbis alloquitur, *Vtraque præterea dignitas, Regalis ſcilicet ſcilicet & Sacerdotalis, ſicut principaliter in Chriſto ſibimet inuicem ſingularis ſacramenti veritate connectitur, ſic in Chriſtiano populo mutuo quodam ſibi fœdere copulatur: vtraque videlicet alternæ inuicem vtilitatis eſt indiga, dum & ſacerdotium regni tuitione protegitur, & regnum ſacerdotalis officij ſanctitate fulcitur. Rex enim præcingitur gladio, vt hoſtibus Eccleſiæ munitus occurrat, ſacerdos orationum vacat excubiis, vt Regi cum populo Deum placabilem reddat: ille ſub lance iuſtitiæ terrena negotia debet dirimere: iſte fluenta cæleſtis eloquij debet ſitientibus propinare. Ille conſtitutus eſt, vt nocentes atque ſceleſtos legalium ſanctionum cenſurâ coerceat: iſte ad hoc ordinatus eſt, vt per claues Eccleſiæ quas accepit, alios zelo Canonici rigoris adſtringat, alios per manſuetudinem Eccleſiaſticæ pietatis abſoluat.*

Alter Petrus Cardinalis Bertrandi Epiſcopus Eduenſis, qui fuſiſſimè tractatu *de origine & vſu iuriſdictionum*, vtriuſque tam ſacræ quàm prophanæ limites ſtatuit, & ſacræ præſertim iura tuetur, quæ fuſiùs quoque defendit aduerſus *Petrum de Cugneriis militem & conſiliarium Philippi Valeſij Francorum Regis*, nomine Prælatorum omnium Regis Franciæ, quibus à prædicto Regis Conſiliario intentata lis erat, quòd plurima quæ iuriſdictionis temporalis erant, ad ſe traxiſſe viderentur: nec abnuebat Petrus de Cugneriis poteſtati temporali nullum ius eſſe circa ſpiritalia, quin immò eo præſertim fundamento nitebatur, quòd diſtinctæ officiis & actibus iſtæ poteſtates eſſent, atque adeò nulli earum in alterius fines inuadere liceret. Vnde hoc orationis ſuæ thema aſſumpſerat ex cap. 23. Mathæi, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Itaque dicam duntaxat Prælatis intentabat, quòd quæ iuriſdictionis eſſent temporalis, ea, ac ſi ſui fori, ſuæque cognitionis eſſent, ſibi vendicarent. Cuius petitiones declinabat dictus Cardinalis eâ exceptione, quòd licèt plurimorum circa prædia & rerum diuiſiones, quæ fori non ſunt Eccleſiaſtici cognitionem ad ſe traherent Antiſtites Galliarum; nihil tamen, inquam, contra officium ſtatúmque ſuum committerent: vt pote qui iuriſdictionis temporalis capaces eſſent, quemadmodum & cæteri regnicolæ & iuriſdictionem iſtam diuturnâ poſſeſſione pluſquam trecento-

nium, qui ſtatuendi aliquid circa res fidei auctoritatem Imperatori denegat, & ciuilium negotiorum adminiſtrationem vnicam rem ipſius poteſtati ſubiectam monet iis verbis, *Congregaſtis Concilium aduerſus Ignatium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & ad Imperij veſtri nutum cuncti ſunt famulati minores, & ad votum ſæcularium, vt cum pace veſtra dicamus; de ſolio Imperiali deſcendentes Cathedram præſularem, vt ita fateamur, aſcendiſtis, & pro deſiderio hoſtium eius auguſtalium obliti ſceptrorum quendam Regem Iſrael imitantes aduerſus illum ſacerdotalis miniſterij arripuiſtis officium: præſertim cùm imperium veſtrum ſuis publicæ rei quotidianis adminiſtrationibus debeat eſſe contentum, nec vſurpare quæ ſaccerdotibus Domini ſolùm conueniunt,* &c. Et paulò pòſt, *Vos autem quæſumus, nolite præiudicium Dei Eccleſiæ irrogare, illa quippe nullum imperio veſtro præiudicium infert, cùm magis pro ſtabilitate ipſius æternam Diuinitatem exoret, & pro incolumitate veſtra, & perpetua ſalute iugi deuotione precetur. Nolite quæ ſua ſunt vſurpare; nolite, quæ ipſi ſoli commiſſa ſunt, velle ſurripere ſcientes, quia tantò nimirùm à ſacris debet omnis mundanarum rerum adminiſtrator eſſe remotus, quantò quemlibet ex catalogo Clericorum, & militantium Deo nullis conuenit negotiis ſæcularibus implicari. Denique hi quibus tantùm humanis rebus & non diuinis præeſſe permiſſum eſt, quomodo de his, per quos diuina miniſtrantur, iudicare præſumant, penitus ignoramus.* Plura ſubdit in eundem ſenſum, maximè quæ à Gelaſio ſuperiùs retulimus.

Occurrunt Epiſcopi Gallicani, Agobardus Lugdunenſis Opuſc. de comparatione vtriuſque regiminis Eccleſiaſtici & politici, dicato Imperatori Ludouico Pio, *Neque*, inquit, *ignorare debuerattit maius eſſe regimen animarum, quod eſt Pontificale, quàm imperiale, quod eſt temporale.* Plura alia ibidem de excellentia iuriſdictionis ſacræ, quæ non ſunt huius inſtituti. Hincmarus Remenſis, epiſt. 4. ad Epiſcopos Franciæ ſtatim initio, *Doctrina eſt Chriſtiana ſecundum ſanctarum Scripturarum tramitem, prædicationemque maiorum, quâ Deo ac Domino noſtro Ieſu Chriſto conditore & redemptore noſtro, qui ſimul ſolus rex & ſacerdos fieri potuit, in cuius nomine omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum, diſponente, ſicut beatus Gelaſius Papa ad Anaſtaſium Imperatorem dicit, & in geſtis, quæ nuper in martyrio ſanctæ Macræ geſta ſunt, partim continetur, duo ſunt quibus principaliter, vnà cum ſpecialiter cuiuſcumque curæ ſubiectus, mundus hic regitur, auctoritas ſacra Pontificum & regalis poteſtas, in quibus perſonis, ſicut ordine ſunt diuiſa vocabula, ita ſunt & diuiſa in vnoquoque ordine ac profeſſione ordinationum officia: quamuis enim membra veri Regis atque Pontificis ſecundum participationem naturæ magnificè vtrumque in ſacra generoſitate ſumpſiſſe dicantur,* &c. vt ſuprà ex Gelaſio tom. de anathemate: quibus memoratis ſic pergit. *Sed tantò grauius pondus eſt ſacerdotum, quantò etiam pro ipſis regibus hominum in diuino reddituri ſunt examine rationem: & tantò eſt dignitas Pontificum maior quàm Regum: quia Reges in culmen regium ſacrantur à Pontificibus, Pontifices autem à Regibus conſecrari non poſſunt. Et tantò in humanis rebus Regum cura eſt propenſior quàm ſacerdotum, quantò pro honore & defenſione & quiete ſanctæ Eccleſiæ & rectorum & miniſtrorum ipſius ac leges promulgando ac militando à Rege regum eſt eis curæ onus impoſitum.* Plura ibidem Hincmarus, ex quibus vtriuſque poteſtatis diſcrimina colligantur: quemadmodum & epiſt. 6. cap. præſertim 33. & 34. ex Leonis epiſt. 54. ad Marcianum, Gelaſij epiſt. ad Anaſtaſium, legibus Valentiniani, Theodoſij, & Arcadij plura congeſſit, quod ipſum facit nomine Caroli Calui Imperatoris ad Adrianum ſecundum ſcripta, quæ habetur in actuario Bibliothecæ Patrum Pariſienſis tom. 2.

Hildebertus quoque primo Cœnomanenſis Epiſcopus, deinde Turonenſis Archipræſul epiſt. 40. ad Herlonem Sagienſem Epiſcopum hoc argumentum tractat, *Membrum*, inquit, *Chriſti Rex, membrum Chriſti ſacerdos, ſcienti loquor, noſti gladium Regis, noſti gladium ſacerdotis. Gladius Regis cenſura curiæ, gladius ſacerdotis Eccleſiaſticæ rigor diſciplinæ. Hoc Euangeliſtam ſignaſſe legiſti dicentem, Domine, ecce gladij duo hìc: ſi eſſet qui in gladio regni liberaret nos, non peteretur educi gladius ſacerdotis propter nos.* Arnulphus Lexouienſis epiſt. 68. ad Alexandrum tertium ſummum Pontificem, *Dignitas Eccleſiaſtica regiam prouehit, & regalis dignitas Eccleſiaſticam conſeruare potiùs conſueuit, quàm tollere libertatem. Etenim quaſi quibuſdam ſibi inuicem complexibus dignitas Eccleſiaſtica & regalis occurrunt, cùm nec Reges ſalutem ſine Eccleſia, nec Eccleſia pacem ſine regia protectione conſequatur.*

Quibus Epiſcopis Gallicanis addo celebrem ex Anglia Anſelmum Cantuarienſem

Digitized by Google

Commentariis in cap. 27. Matthæi; *Nota*, inquit, *duos eſſe gladios in Eccleſia: alter materialis eſt, alter ſpiritualis, ſed ſpiritualis nonniſi volentes, materialis cogit etiam nolentes.* De vtraque poteſtate Clericali & laica loquitur, quam dicit eſſe in Eccleſia, quia Eccleſia ex laicis & Clericis conſtat: à laica poteſtate ſeu ciuili pacem & protectionem, à Clericali ſeu Eccleſiaſtica & ſacra doctrinam, ſalutis remedia, ac gubernationem habet.

Occurrunt & Abbates Gallicani maximi nominis, Lupus Ferrarienſis epiſt. 81. ad Amulium Epiſcopum ex parte Guenilonis Epiſcopi, & Gherardi Comitis. *Præcipit itaque Dominus noſter Rex*, inquit, *vt eius vobis ſermonibus diceremus ſe fideliter tenere, quòd Rex Regum, idemque ſacerdos ſacerdotum, qui ſolus potuit Eccleſiam regere, quam redemit, poſtquam humanitatem ſuam in cælum euexit ſemper cum ſuis futurus diuinitate, poteſtatem ſuam ad eam gubernandam Eccleſiam in ſacerdotes diuiſit & Reges, vt quod ſancti docerent Pontifices, & ipſi implerent, & impleri facerent deuotiſſimi Reges. Quamobrem ſe cupere debitam ſanctitati veſtræ impendere reuerentiam: ſicut ei quem ſciat diuinitatis cultum integrè velle ſeruare: atque viciſſim poſtulare, cum eo tale fœdus concordiæ ineatis, vt vbicumque Eccleſiaſticæ vtilitati in portione regni ſibi diuinitùs collata veſtræ auctoritatis diſpoſitione in re tanta cupit conſulere, vnanimitate veſtri conſenſus continuò adiuuetur.* Bernardus Claræuallenſis lib. 1. de conſideratione ad Eugenium cap. 6. *In criminibus non in poſſeſſionibus eſt poteſtas veſtra: quoniam propter illa, & non propter has accepiſtis claues regni cælorum:* ſequitur, *quænam tibi videtur maior poteſtas peccata remittendi, an prædia diuidendi: habent hæc terrena & infima iudices ſuos Reges & Principes terræ: quid fines aliorum inuaditis? quid falcem veſtram in alienam meſſem extenditis? cur maior vis eſſe Domino, qui interpellatus quodam dicente, Dic fratri meo vt diuidat meam hereditatem, reſpondit, quis me conſtituit iudicem inter vos?* Denique Hugo Victorinus de ſacramentis fidelium lib. 2. parte 2. cap. 4. *Ad poteſtatem Regis pertinent quæ terrena ſunt, & ad terrenam vitam facta omnia: ad poteſtatem ſummi Pontificis pertinent quæ ſpiritualia ſunt, & vitæ ſpirituali attributa vniuerſa.*

Occurrunt & illuſtres S. R. E Cardinales duo, Primus Petrus Damiani lib. 7. epiſt. 3. ad Henricum Henrici II. Imperatoris filium, quem iis verbis alloquitur, *Vtraque præterea dignitas, Regalis ſcilicet ſcilicet & Sacerdotalis, ſicut principaliter in Chriſto ſibimet inuicem ſingularis ſacramenti veritate connectitur, ſic in Chriſtiano populo mutuo quodam ſibi fœdere copulatur: vtraque videlicet alternæ inuicem vtilitatis eſt indiga, dum & ſacerdotium regni tuitione protegitur, & regnum ſacerdotalis officij ſanctitate fulcitur. Rex enim præcingitur gladio, vt hoſtibus Eccleſiæ munitus occurrat, ſacerdos orationum vacat excubiis, vt Regi cum populo Deum placabilem reddat: ille ſub lance iuſtitiæ terrena negotia debet dirimere: iſte fluenta cæleſtis eloquij debet ſitientibus propinare. Ille conſtitutus eſt, vt nocentes atque ſceleſtos legalium ſanctionum cenſurâ coerceat: iſte ad hoc ordinatus eſt, vt per claues Eccleſiæ quas accepit, alios zelo Canonici rigoris adſtringat, alios per manſuetudinem Eccleſiaſticæ pietatis abſoluat.*

Alter Petrus Cardinalis Bertrandi Epiſcopus Eduenſis, qui fuſiſſimè tractatu *de origine & vſu iuriſdictionum*, vtriuſque tam ſacræ quàm prophanæ limites ſtatuit, & ſacræ præſertim iura tuetur, quæ fuſiùs quoque defendit aduerſus *Petrum de Cugneriis militem & conſiliarium Philippi Valeſij Francorum Regis*, nomine Prælatorum omnium Regis Franciæ, quibus à prædicto Regis Conſiliario intentata lis erat, quòd plurima quæ iuriſdictionis temporalis erant, ad ſe traxiſſe viderentur: nec abnuebat Petrus de Cugneriis poteſtati temporali nullum ius eſſe circa ſpiritalia, quin immò eo præſertim fundamento nitebatur, quòd diſtinctæ officiis & actibus iſtæ poteſtates eſſent, atque adeò nulli earum in alterius fines inuadere liceret. Vnde hoc orationis ſuæ thema aſſumpſerat ex cap. 23. Mathæi, *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Itaque dicam duntaxat Prælatis intentabat, quòd quæ iuriſdictionis eſſent temporalis, ea, ac ſi ſui fori, ſuæque cognitionis eſſent, ſibi vendicarent. Cuius petitiones declinabat dictus Cardinalis eâ exceptione, quòd licèt plurimorum circa prædia & rerum diuiſiones, quæ fori non ſunt Eccleſiaſtici cognitionem ad ſe traherent Antiſtites Galliarum; nihil tamen, inquam, contra officium ſtatúmque ſuum committerent: vt pote qui iuriſdictionis temporalis capaces eſſent, quemadmodum & cæteri regnicolæ & iuriſdictionem iſtam diuturnâ poſſeſſione pluſquam trecento-

rum ſcilicet annorum, ſuam effeciſſent. Vltrò citróque per aliquot dies res diſceptata eſt, tandémque Rex Philippus pro Epiſcopis iudicauit. Legi poteſt iſta diſceptatio tomo 4. Bibliothecæ Patrum, parte 1.

Denique vltimo loco referendi nobis ſunt duo ex ſummis Pontificibus poſteriorum temporum; Innocentius tertius, & Vrbanus quartus; prior ſcribens illuſtriſſimo Conſtantinopolitano Imperatori, vt habetur cap. *Solitæ, de maioritate & obedientia*: *Noſſe*, inquit, *debueras, quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli: luminare maius vt præeſſet diei, & luminare minus vt præeſſet nocti: Vtrumque magnum, ſed alterum maius: ad firmamentum igitur cæli, hoc eſt, vniuerſalis Eccleſiæ fecit Deus duo magna luminaria, id eſt, duas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis auctoritas, & Regalis poteſtas: ſed illa quæ præeſt diebus, id eſt, Spiritualibus, maior eſt: quæ verò carnalibus, minor; vt quanta eſt inter Solem & Lunam, tanta inter Reges & Pontifices differentia cognoſcatur.* Eadem comparatione vtitur Vrbanus quartus literis ad Romanorum Regem, quas lectione dignas cenſuit Auctor *Indicum Rerum ab Arragoniæ Regibus geſtarum*, tom. 3. *Hiſpaniæ illuſtratæ*, eáſque proinde in Indices ſuos retulit: orditur autem ab iis verbis ſummus Pontifex, *Qui cælum terramque regit, is nimirùm cæli nouit ordinem, & in terra poteſt cæleſtis ponere ordinis rationem. Is exempla de ſuperis ad inferiora deriuans, ſicut in firmamento cæli duo luminaria magna conſtituit, vt mundum vicibus illuſtraret, ſic & in terris maxima dona ſua, ſacerdotium videlicet & imperium, ad plenum ſpiritualium mundanorûmque regimen, ad firmamentum Eccleſiæ militantis inſtituens, vtriuſque poteſtatis ita diſcreuit officia, vt eorum officioſa diuerſitas nullâ ſibi aduerſitate diſſentiat: ſed in commiſſi executione regiminis, ex officij debito in voti vnitate concordet: & ipſorum procul dubio pro futura concordia alterutrius alternis fulta præſidiis, ac vtriuſque mutuis fota fauoribus, opus iuſtitiæ liberiùs operetur, pacem mundo pariens, tranquillitatem inducens & nutriens vnitatem. Imperium ſiquidem ad ſalutem ſacerdotali auctoritate dirigitur, & ipſius adiutum ſuffragiis, ſedatis procelloſis interdum imminentium tempeſtatum turbinibus, tranquillum redditur & quietum: ſacerdotium verò pium & tutum habere debet refugium imperialem manſuetudinem cum ſua veneratione coniunctum; vt Imperij Romani faſtigium, & eius culmini præſidens ſpecialis aduocati, & defenſoris præcipui circa Eccleſiam gerat officium, & in ipſius fortitudine brachij defenſentur Eccleſiæ libertates, & iura teneantur ipſarum, extirpentur hæreſes, cultus Chriſtianæ fidei amplietur, & inimicis conſternatis eiuſdem in pacis pulchritudine ſedeat populus Chriſtianus, & in regis opulentia quieſcat.*

Alias comparationes duarum iſtarum poteſtatum tradunt alij; Ambroſius poteſtatem ſacram auro, mundanam plumbo comparat lib. 2. de dignitate ſacerdotali cap. 2. iis verbis, *Honor igitur, fratres, & dignitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari: ſi Regum fulgori compares & Principum diademati, longè erit inferius quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cùm videas Regum colla & Principum ſubmitti genibus ſacerdotum, & ex oſculatis eorum dextris orationibus eorum credant ſe communiri.* Quæ verba Ambroſij referuntur à Gregorio VII. epiſtola 21. ad *Hermanum*, corruptè *Herimitenſem, Epiſcopum Metenſem.* Quâ epiſtolâ Exorciſtarum ipſorum poteſtatem Regiæ præferendam eſſe contendit, & fusè comparationem vtriuſque poteſtatis inſtituit. Bartolus autem in Nouell. 6. in principio, duas iſtas poteſtates tanquam fratrem & ſororem compárat: fratris locum ſacram tenere, prophanam ſororis docet: omitto innumera alia quæ in hanc rem proferri poſſunt.

Ex iis verò poſterioribus teſtimoniis multa confirmari poſſunt, quæ ſuperioribus tradita ſunt, nimirùm poteſtatem ſacram circa animas verſari: ad earum ſalutem ex proprio fine tendere; non violentiam inferre, ſed ſuaſionem præmittere; ſæculari & nobiliorem eſſe, & quodammodo ſuperiorem; tum quòd apud Deum, qui eſt fons totius dignitatis, primum locum habeat ſacerdos; cui ſcilicet Imperatores ipſos & reges commendat: tum quòd Reges ac Principes diuinam, & naturalem in Reipublicæ adminiſtratione ſequi debeant legem, quam à ſacerdotibus debent addiſcere: ſacerdotes autem à Regibus circa ſuum officium nec dirigi, nec iuberi debeant, nec conſilij accipiendi neceſſitate ducantur. Sæcularem verò poteſtatem circa corpus verſari: ad hominum ſalutem per ſe non referri. Sed ad pacem & tranquillitatem publicam, violentiam inferre, nec ſuaſionem exigere: ignobiliorem eſſe ſacrâ ſeu ſacerdotali, quia ad Deum minùs quàm illa accedit: inferiorem quodammodo eſſe ac ſubditam:

tum vt apud Deum benè illis ſit, cui per ſacerdotem reconciliantur ac grati efficiuntur, tum vt homines ſibi ſubditos rectè, & ſecundum Dei legem regere ac gubernare poſſint, quemadmodum docuimus.

ARTICVLVS VII.

COROLLARIVM PRIMVM, PVTA IN ECCLESIA eſſe aliquam iuriſdictionem coactiuam.

§. I.

Damnantur qui iuriſdictionem coactiuam Eccleſiæ adimunt.

EX iſta verò doctrina, quam fusè explicuimus, corollaria quædam aduerſus hierarchiæ perturbatores plurimos egregia deduci poſſunt. Primùm ſuam eſſe hierarchiæ ſeu ſacro Magiſtratui iuriſdictionem; nec omninò ab Eccleſiaſtica poteſtate ſecundum ſe, & ex inſtitutione ſua omnem iuriſdictionem, quam coactiuam vocant, eſſe amandandam; quod olim defenderunt Marſilius de Padua, & Ioannes de Ianduno, ob hanc cauſam, à Ioanne vigeſimo ſecundo damnari, cuius damnationis verba audire præſtat, quàm ineptè velle aut iſtos auctores malè ſentientes è cerebro noſtro exponere, aut Ioannis ac proinde Catholicam ſententiam aliis ſeu noſtris, ſeu cuiuſquam auctoris verbis explicare. Quintus autem error iſtorum hominum aduerſus hierarchicam iuriſdictionem militabat, quem iis verbis proponit ſummus Pontifex. *Quintò adhuc iſti blaſphemi dicunt, quòd tota Eccleſia ſimul iuncta nullum hominem punire poteſt punitione coactiuâ, niſi concedat Imperator; quod vtique doctrinæ Euangelicæ noſcitur obuiare. Conſtat enim, quòd à Chriſto, Petro, & in perſona Petri Eccleſiæ poteſtas coactiua conceſſa vel ſaltem permiſſa exiſtit; quæ quidem permiſſio fuit poſtea adimpleta, cùm ſibi Chriſtus dixit, Quodcumque ligaueris ſuper terram, &c. Ligantur enim non ſolùm voluntarij ſed inuiti: adhuc ſicut ibi legitur in Mathæo, quod ſi aliquis damnum alicui indebitè dederit, illudque ad mandatum Eccleſiæ noluerit emendare, quod Eccleſiæ per poteſtatem à Chriſto ſibi conceſſam, ipſum ad hoc per excommunicationis ſententiam compellere poteſt. Quæ quidem poteſtas vtique coactiua eſt: circa quod eſt aduertendum, quòd cùm excommunicatio maior nedum excommunicatum à perceptione ſacramentorum remoueat, ſed etiam à communione fidelium ipſum excommunicatum excludat: per quod corporalis à Chriſto coactio Eccleſiæ eſt permiſſa. Quia ſecundum leges Imperiales grauius reputatur inter homines conuerſari, ipſorúmque priuari ſuffragiis, quàm ab hominibus ſeparari. Ex quo ſequitur poteſtatem coactiuam non ab Imperatore terreno, ſed ab ipſo Chriſto fuiſſe originaliter Eccleſiam conſecutam. Præterea beatus Petrus poſt Aſcenſionem Domini in perſonam Ananiæ & Saphiræ vxoris ſuæ, ſine Imperiali conceſſione aliqua, hac vſus eſt poteſtate: in quos, quia de pretio agri Eccleſiam fraudauerant, mortis ſententiam promulgauit. Quæ quidem ſententia non proceſſit de coniugum voluntate: item beatus Paulus Elymam magum Sergium Paulum à fide quærentem abducere ad tempus luce priuauit, fornicatorem quoque Corinthium in carnis interitum tradidit Sathanæ. Item ad Corinthios ſcribens idem Apoſtolus dixit, quid vultis in virga ad vos veniam? in charitate & Spiritu manſuetudinis? in quo ſatis coactiuam poteſtatem ſuppoſuit ſe habere. Item ſcribens eiſdem alibi dixit, Arma, inquit, militiæ noſtræ non carnalia pro Deo, id eſt, à Deo conceſſa ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruens, & omnem multitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, vt ſequitur: in promptu habentes vlciſci omne malum. Ex quibus patet Paulum non ab Imperatore, ſed à Deo habuiſſe poteſtatem iſtam coactiuam.*

Ioannes autem vigeſimus ſecundus hunc articulum, qui omnium poſtremus eſt, cæteróſque quatuor articulos, *Velut ſacræ Scripturæ contrarios, & fidei Catholicæ inimicos, hæreticos ſeu hæreticales, & erroneos damnauit, necnon & prædictos Marſilium & Ioannem hæreticos, imò Hæreſiarchas fore manifeſtos & notorios finaliter declarauit.* Miſſa eadem damnatio eſt ad facultatem Pariſienſem, ac recepta anno milleſi-

mo trecenteſimo trigeſimo, die primâ Septembris, in congregatione habita in domo Cancellarij Pariſienſis, & decreta inquiſitio aduerſus eos, qui dictos libros Marſilij de Padua, & Ioannis de Ianduno Gallicos fecerant: quemadmodum in publicis eiuſdem Facultatis tabulis habetur. Vnde & poteſtatem coercitiuam Eccleſiæ à Chriſto conuenire docuerunt ſemper eiuſdem Facultatis Magiſtri: eamque iiſdem ferè argumentis quibus Ioannes vigeſimus-ſecundus, probat Gerſon, *de poteſtate Eccleſiaſtica*, conſid. 4. fusè Heruæus lib. de poteſtate Eccleſiæ: itèmque Petrus de Alliaco, & Ioannes Maior in eodem argumento verſantes. Sed notanda verba Almayni de auctoritate Eccleſiæ cap. 2. corollario 3. *Marſilius de Padua deuiauit à fide, omnem iuriſdictionem coercitiuam ab Eccleſia auferens.* Item de poteſtate Eccleſiaſtica & laïca, quæſt. 3. cap. 2. *Marſilius de Padua ponit, quòd Papa nullam habet poteſtatem coërcitiuam ſiue coactiuam ex inſtitutione Chriſti, ſed iſta opinio eſt damnata: erroneum enim eſt, quòd Papa non habeat poteſtatem coactiuam in vllis rebus.* In Concilio quoque Senonenſi Prouinciali habito anno 1528. præſidente Antonio Cardinali à Prato Archiepiſcopo Senonenſi, regni Franciæ Cancellario, cui plurimi ex Doctoribus Facultatis Pariſienſis intererant, damnantur errores varij Marſilij Patauini, interque cæteros ille, quem à Ioanne vigeſimo ſecundo damnatum diximus, *Poſt hos*, nempe Valdenſes (inquit Concilium) *ſurrexit Marſilius Patauinus, cuius peſtilens liber, quod Defenſorium pacis nuncupatur, in Chriſtiani populi perniciem procurantibus Lutheranis nuper excuſus eſt. Is hoſtiliter Eccleſiam inſectatus, & terrenis Principibus impiè applaudens, omnem Prælatis adimit iuriſdictionem, eâ duntaxat exceptâ, quam ſæcularis largitus fuerit Magiſtratus.* Verùm accurata huius quæſtionis deciſio integrum librum exigeret, nec huius temporis nec loci. Breuem duntaxat illius explicationem, ne quid ad operis noſtri perfectionem deſit, ſubnectimus.

§. II.

Fundamenta erroris contrarij refelluntur.

PRIMVM, quænam fuerint fundamenta erroris Marſilij de Padua explicandum eſt, quatenus ipſa contrariis rationibus Ioannis vigeſimi-ſecundi rite redargui, & ab Eccleſiaſtica traditione conuelli penitùs innoteſcat. Supponit igitur Marſilius de Padua, vt patet ex libro ab ipſo conſcripto, qui inſcribitur, *Defenſorium pacis, ad Ludouicum Bauarum Imperatorem*, iuriſdictionem coactiuam non eſſe, cui non conceditur facultas infligendæ alicuius pœnæ inuito; cùm enim non cogatur, qui ſponte aliquid facit, quia coactio voluntario & ſpontaneo opponitur non ſolùm ex Philoſophis, Ariſtotele in libris Ethicorum, & cæteris, verùm etiam ex Patribus Irenæo lib. 4. cap. 7. Tertulliano lib. 2. contra Marcionem cap. 2. Hilario in Pſal. 2. Origene Procœmio lib. Periarchon; Euſebio de præparatione Euangelica cap. 6. Epiphanio hæreſi 5. & & 16. & Macario homil. 15. Chryſoſtomo homil. 11. in Ioannem, & alibi ſæpè; Auguſtino paſſim, & cæteris: ex iis ſequitur iuriſdictionem coactiuam non habere, qui inuito pœnam infligere non valet Eccleſiam autem defendebat Marſilius: nullam poſſe infligere pœnam, niſi volenti: probare nitebatur his auctoritatibus, quarum aliquas ſuperiùs protulimus, quæ ſuadere videntur nonniſi volentem ab Eccleſia puniri, & eum qui nolit Eccleſiæ iudicium ſubire, aut pœnam ab ea impoſitam ferre, nec ad iudicium inuitum per Eccleſiam adduci poſſe, nec compelli vt pœnam in ſe admittat: Nam, inquiebat ille, nec pœnitentias corporales à ſacerdote impoſitas aliquis ſubit niſi volens; & licèt excommunicetur aliquis nolens, excommunicatio iſta non eſt pœna ſolius ſacerdotis, ſed totius communitatis, ſeu iudicis à communitate electi, ſiue ille ſit ſacerdos, ſiue non ſit: ſacerdos verò ſolùm clauigeri officium exhibet, pronuntiando maledicti ſententiam in eos qui iudicio totius communitatis renituntur: iudex ciuilis conſtringit, vt ipſa ſeruentur. Eadem ferè fundamenta Antonij de Dominis lib. 5. *de Republica*, cap. 1. 2. & 3. quæ omnia hoc loco ex profeſſo à nobis impræſentiarum minimè refelluntur; ſeriò, ſi Deus permiſerit, à nobis refutabuntur aliàs; iis tamen obiter refellendis iam ſufficiunt iſtæ elucidationes.

§. 3.

§. III.

Eccleſiaſtica poteſtas quomodo corporales pœnas prodigioſâ virtute inferat.

PRIMA elucidatio. Eccleſia nonnunquam poteſtate diuinitùs traditâ miracula faciendi (quæ licèt neque ſingulis Eccleſiæ Paſtoribus, neque paſſim conceſſa ſit, in Eccleſiæ tamen corpore iugiter perſeuerat) corporales pœnas mirâ virtute inferendi auctoritatem habet: huiúſque poteſtatis exempla Ioannes XXII. protulit, Ananiam & Saphyram morte mulctatos, Elymam magum cæcitate punitum, fornicatorem Corinthium Satanæ diſcerpendum traditum. Nec ab iis abludit Chryſoſtomus ſermone citato quinquageſimo *de veritate Scripturæ, & Apoſtolatus dignitate*, cacodæmonas tanquam carnifices obſequentes præſto eſſe docens, qui ſacerdotum ſententiam exequantur, & ab iis maledictos torqueant. Idem quoque Chryſoſtomus, & reliqui Græci Interpretes in primæ ad Corinthios caput quintum, hominem, qui excommunicationis ſententia olim afficeretur, tradi ſolitum dicunt Satanæ, vt ab eo cruciaretur, vel per morbum, vel aliter citra mortem tamen, quomodo ſanctus Iob traditus à Deo dicitur, vt citra mortem variis ærumnis & tentationibus affligeretur. Theodoretus inter Græcos eandem quoque ſententiam inculcat in priori ad Timotheum caput 1. Ambroſius lib. 1. de pœnitentia, capite 12. eamdem ſententiam amplectitur, quod confirmat capite decimo tertio; *explanamus*, inquit, *Pauli ſententiam, nunc verba ipſa conſideremus, qua ratione dixerit, quod tradiderit eum Satanæ in interitum carnis; quia tentator noſter diabolus eſt, nam debilitates membris ſingulis inferre, & ægritudines toto ſolet mouere corpori. Denique percuſſit ſanctum Iob vlcere malo à pedibus vſque ad caput, quia poteſtatem acceperat in interitum carnis eius, dicente Deo: Ecce trado tibi eum, tantummodo animam eius cuſtodi. Hoc iiſdem verbis Apoſtolus tranſtulit dicens, quod tradiderit huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt Spiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Magna poteſtas! magna gratia! quæ imperat diabolo, vt ſe ipſe deſtruat, &c.* Aſſentitur Pacianus Barcinonenſis epiſtolâ tertiâ ad Sympronianum iis verbis. *Deinde vides quòd hic ipſe peccator inceſtus non morti traditur, ſed Satanæ, ad emendandum, ad colaphiſandum, ad pœnitendum. Denique ait ad interitum carnis, non tamen animæ, non etiam ſpiritus, ſed ad ſolius carnis interitum, tentationes ſcilicet, carnis anguſtias, detrimenta membrorum: ſicut alibi de intemperantibus dicit, tribulationes autem carnis patientur huiuſmodi.* Aſſentitur Hieronymus epiſt. 1. *nunc vero inobediens Spiritali truncatur mucrone, aut eiectus de Eccleſia rabido dæmonum ore decerpitur.* Aſſentitur Primaſius, & Haymo in eundem locum Apoſtoli, inclinat Auguſtinus libro primo de ſermone Domini in Monte cap. 20. lib. 2. contra epiſtolam Parmeniani capite primo.

Poſſuntque exempla huius rei proferri plurima; verbi gratia, quòd in vita ſancti Ambroſij refert Paulinus, Ambroſium cum Stiliconis comitis ſeruum anathemate percuſſiſſet, eodem momento ſpiritum immundum arreptum diſcerpere cæpiſſe: quòd teſte Marcellino Preſbytero, libro de ſchiſmate Vrſicini & Damaſi, cùm Zozimus Neapolitanæ Cathedræ inuaſor à Maximo legitimo Epiſcopo fuiſſet excommunicatus, *Inter ipſa verba ſacerdotalia eius lingua protenſa fuerit, nec valuerit eam ampliùs reuocare intra oris meatum, eò quòd contra naturæ modum extra os penderet, vt bouis anhelo*: nec ſanari potuerit, niſi vbi Epiſcopatui ceſſit. Quòd Eudoxia Imperatrix à Chryſoſtomo & Innocentio I. excommunicata infœliciter iuxta prædicationem Innocentij; qui litteris excommunicationis præſentis etiam vitæ mala comminatus fuerat, petierit; & vrna in qua corpus eius quieſcebat, iugi motu contremuerit, donec reducto in vrbem Conſtantinopolim Chryſoſtomi corpore, precibúſque à filio fuſis ante venerabile cadauer, motus iſte repreſſus fuerit, vt referunt Auctores vitæ ſancti Chryſoſtomi Nicephorus, Cedrenus, & alij. Quòd Dioſcorus in Chalcedonenſi Concilio damnatus infœliciſſimè in exilio mortuus fuerit. Quòd Cariſius Eccleſiæ ſancti Eleutherij martyris Clericus, contemptor anathematis à Gennadio Patriarcha Conſtantinopolitano in eum ob malos mores contorti, vbi litteris publicis Gennadius Martyrem deprecatus eſſet, vt eum vel

emendaret, vel è medio tolleret, die craſtinâ mortuus in lecto inuentus fuerit teſtibus Theodoro Lectore, libro primo Collectaneorum, & Sophronio in Prato capite 145. Quod Nantinus Engoliſmenſium Comes ab Heraclio Epiſcopo excommunicatus obierit inclamans ſe ab Heraclio comburi, teſte Gregorio Turonenſi lib. 5. hiſtoriæ cap. 36. Quod Sigebertus Rex in Anglia iuxta prædictionem Epiſcopi à ſuis in domo ſua occiſus fuerit, quòd Comiti cuidam ab Epiſcopo ob illicitum coniugium excommunicato communicaſſet, teſte Bedâ libro tertio hiſtoriæ, cap. 22. Quòd cùm beatus Machutius ſeu Maelouius ſacrilegos ſuæ Diœceſeos homines & impios Satanæ tradidiſſet, & puluerem de pedibus ſuis excutiens exiiſſet, terra ſterilis & infructuoſa reddita fuerit, homines innumeri morborum generibus affecti fuerint, alij ſcilicet membrorum debilitate cœperint contrahi, alij lepræ ſqualore, alij viſu priuari, alij oris officio deſtitui, alij auditu carere, donec Epiſcopum ſuum pœnitentes reuocaſſent, eique obedientes effecti fuiſſent, teſte Sigeberto in eius verba apud Surium 25. Nouembris.

Quibus omnibus & innumeris aliis, quæ breuitatis causâ prætermitto, congruit quod tradit Ioſephus de bello Iudaico lib. 2. cap. 7, eos qui apud Iudæos pro peccatis ſuis à congregatione eiecti fuiſſent, & extra Synagogam facti, miſerabili morte conſumptos fuiſſe. Eæ enim ſunt *immiſſiones per Angelos malos*, quarum meminit Propheta Regius Pſalmo 71. ob quas *Carnifices Reipublicæ Chriſtianæ* Cacodæmones à Patribus dici ſolent: eo enim nomine præter citatos illos indigitant Origenes lib. 7. contra Celſum in fine, & rurſus lib. 8 Hieronymus in caput ſecundum Ioelis, Chryſologus ſermone 17. Baſilius, Syneſius, Auguſtinus & alij.

Fundatur autem iſta poteſtas Eccleſiæ collata in iis verbis Chriſti, Marci 16. quibus Apoſtolis donaſſe dicitur poteſtatem ſpirituum immundorum; licèt enim poteſtas eiiciendi dæmonia præſertim iis verbis ſignificetur, tamen & poteſtas tradendi Satanæ videtur indicari, vt notat ſanctus Thomas in eum locum: cuius poteſtatis exemplum præbuit Chriſtus, dum in porcos dæmonia ab homine eiecta immiſit, quæ malè ipſos habuerint, & in mare præcipitarint, Math. 5. & Luc. 8.

§. III.

Quomodo vim interdum adhibeat Eccleſia, & pœnas corporales inferat ratione domeſticæ poteſtatis.

ELVCIDATIO 2. videtur etiam ſtatuendum, Eccleſiaſticis Prælatis ratione poteſtatis canonicæ, ſeu domeſticæ, de qua inferiùs, poſſe ex inſtitutione Chriſti, vim corporalem iiſdem permitti, quæ Patribusfamilias permittitur: vnde quemadmodum poteſt vnuſquiſque priuatum quemuis e domo ſua repellere, etiam adhibitâ, ſi alius exire nolit, corporali violentiâ: ſimiliter & indignos, & excommunicatos Prælati Eccleſiaſtici, etiam adhibitâ corporali renitentiâ ab Eccleſiæ liminibus, per ſe vel per Oſtiarios, Subdiaconos, Diaconos, ingredi prohibebant, vel ingreſſos olim eiiciebant: illúdque primò conſtat ex facto Chriſti, qui è domo Dei ementes & vendentes eiecit, formam dans ſacerdoribus nouæ Legis, vt idem ſibi licere prætendant, quippe cùm Oſtiariorum officium eo facto Chriſtus Dominus demonſtrarit, teſtibus Iuone Carnotenſi, ſermone habito in Synodo, *De excellentia ſacrorum Ordinum*, & aliis Eccleſiaſticorum rituum Scriptoribus.

Conſtat ſecundò, ex vſu Moſaicæ legis, quâ vigente ſacerdotes & legis Doctores ius habebant è templis, & Synagogis indignos eiiciendi: quod vtique patet exemplo quod habetur cæci nati, de quo Ioan. 9. *Et eiecerunt eum foras*, quæ verba Chryſoſtomus catenâ Græcâ in Ioannem, & Theophylactus in eum locum de eiectione è templo; Leontius de eiectione è Synagoga interpretantur. Et ſanè clara ſunt iſta verba Chriſti Ioannis 16. *Abſque Synagogis facient vos*: Clarum & iſtud Iudæorum decretum Ioannis citato cap. 9. & 12. vt qui confiteretur Chriſtum *extra Synagogam fieret*, ſeu è Synagoga eiiceretur.

Conſtat 3. ex ſancto Paulo 1. Corinth. 5. quo loco excommunicationis actum verbis *tollendi è medio*, & *auferendi* exprimit, verſ. 2. *Et vos inflati eſtis, & non magis luctum habuiſtis, vt tollatur è medio veſtrum qui hoc opus fecit*, verſu vltimo, *auferte malum ex vobis ipſis*, quæ verba poteſtatem Antiſtitum Eccleſiæ oſtendunt eam eſſe, vt poſſint iubere è cœtu Eccleſiæ eiici eos, quos indignos ipſo cœtu iudicarint: Colligitur etiam ex verbis Ioannis Epiſtolæ ſecundæ Canonicæ verſu decimo: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis.* Si enim priuatis licet, imò præcipitur, excommunicatos à domo ſua excludere, non minus Eccleſiæ Prælatis licebit à domo Dei, quæ in Sacerdotis eſt poteſtate non Imperatoris, vt fuſe tradit Ambroſius epiſtola 33. in veteribus editionibus, ſeu lib. 2. epiſt. 14. *Marcellinæ ſorori*, in nouis conteſtatus, *Ea quæ diuina ſunt Imperatoriæ poteſtati non eſſe ſubiecta*; à domo, inquam, Dei indignos, & per ſententiam expelli iuſſos, facto ipſo excludere.

Sed & notandum eumdem Ambroſium, concione ad populum aduerſus Auxentium, Baſilicam quam auctoritate Imperatoria Auxentius Iunior Arrianus ſibi vendicare ſtudebat, *Hereditatem Patrum, hoc eſt Dionyſij, qui ex exilio in cauſa fidei defunctus fuerat, hereditatem Euſtorgij Confeſſoris, hereditatem Myroclis, atque omnium retrò fidelium Epiſcoporum* vocitare. Si enim à ſua hereditate, extraneum excludere licet, & ab Eccleſiis excludere indignum ſacerdoti licebit.

Colligitur etiam ex continua Eccleſiæ praxi, quam plurima egregia documenta oſtendunt: ac primùm conſtat ex Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 2. cap. 57. & lib. 8. cap. 11. Dionyſio cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, & Maximo Scholiis in eundem locum, Hieronymo epiſt. 3. ad Heliodorum, Auguſtino 6. Confeſſionum cap. 2. & lib. de Paſtoribus cap. 13. Concilij Carthaginenſis IV. can. 8. aliiſque paſſim, quòd Diaconi, Subdiaconi, iiſque ſubſeruientes Oſtiarij ad fores Eccleſiæ ſtabant Antiſtitis iuſſa executuri, eúmque vel admiſſuri, vel reiecturi quem ipſe deſignaſſet.

Deinde Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 58. peregrinorum commendatitiæ literæ à Diacono inquiri iubentur antequam in ſynaxim introducantur.

Præterea Philippum Cæſarem ex fama refert Euſebius lib. 6. hiſtoriæ cap. 27. cùm in die poſtrema Vigiliæ Paſchatis cum multitudine in Eccleſia particeps fieri vellet, ab Epiſcopo non priùs permiſſum intrare, quàm peccata confeſſus, & in pœnitentium ordinem redactus fuiſſet.

Theodoſium ab Ambroſio propter cædem Theſſalonicæ factam ab Eccleſiæ liminibus excluſum tradunt Theodoretus lib. 5. cap. 17. Sozomenus lib. 7. cap. 24. Nicephorus lib. 12. cap. 41. Eudoxiam Imperatricem Oſtiarius iuſſione Chryſoſtomi Eccleſiam intrare prohibuit, ſi credimus Palladio, Georgio Alexandrino, & aliis eiuſdem vitæ ſcriptoribus.

Conſtat teſtimonio Auguſtini lib. 6. Confeſſionum citato capite ſanctam Monicam matrem eius, cùm ad memoriam ſanctorum, ſicut in Africa ſolebant fideles, pultes, & panem, & merum attuliſſet, ab Oſtiario prohibitam, neque grauiter id tuliſſe, *Vbi hoc Epiſcopum prohibuiſſe* cognouit. Idem Sanctus libro de Paſtoribus cap. 13. vel per ſeipſum, vel per miniſtrum ignotos ad Eccleſiam accedentes probandi Antiſtitis officium eſſe deſcribit, *Ouis Dei* (verba ſunt Auguſtini) *gregem ſuum quærit, putà ouem de Oriente veniſſe in Africam: quærit gregem ſuum, incurrit in te, in Baſilicam tuam intrare vult: commoueris ignotâ facie, vel tu, vel miniſter tuus ſtans vel ſedens ad oſtium, interrogat ouem quærentem gregem ſuum, imò gregem Dei: cum grege ſuo intrare vult, vbi eum eſſe putat: Quæris, Paganus es, an Chriſtianus? reſpondet, Chriſtianus, ouis eſt enim Dei. Quæris, ne fortè Catechumenus ſit, & irruat Sacramentis: reſpondet, Fidelis. Quæris cuius communionis ſit? reſpondet, Catholicus.* Huc etiam refer, quòd peregrini ſine litteris communicatoriis ſui Epiſcopi ab Eccleſia interdum excluderentur, ex Canone Apoſtolorum quibuſdam nono, quibuſdam duodecimo, & Conſtitutionum libri ſecundi capite quinquageſimo octauo, Concilio Carthaginenſi primo Canone 7. Arelatenſi I. Can. 9. & aliis: nonnunquam verò in Eccleſiam quidem, ſed non ad communionem vel oblationem reciperentur.

Verùm poteſtatis iſtius apex eſt, quòd liceat Catholico Antiſtiti diuinas atque Eccleſiaſticas leges eâ pœnâ confirmare, vt præuaricatores earum ab Eccleſiaſticis limitibus arceantur: cuius poteſtatis illuſtre exemplum in Chryſoſtomo, qui

Digitized by Google

homil. 8. in Acta Apoſtolorum, menſem tantùm populo Conſtantinopolitano præ-
ſtituit, quo elapſo ſi quis vel ex conſuetudine iuraret, ab Eccleſiæ ingreſſu remoue-
retur. εἴ τις μὴ βούλεται κατορθῶσαι τοῦτο τὸ ἐπίταγμα, ὥσπερ σάλπιγγί τινι διὰ τοῦ λό-
γου ἀπαγορεύω τῶν οὐδῶν μὴ ἐπιβαινέτω τῶν ἐκκλησιαστικῶν τῶν τοιούτων. κἂν ἄρχων ᾖ, κἂν αὐ-
τὸς ὁ διάδημα περικείμενος. ἢ καθέλετέ με ταυτησὶ τῆς ἀρχῆς; ἢ μένοντα περιβάλλετε κιν-
δύνοις; οὐκ ἀνέχομαι ἐπὶ τὸν θρόνον τοῦτον ἀναβαίνειν μὴ μέγα κατορθῶν· *Si quis noluerit hoc præ-
ceptum perficere, quemadmodum tubâ quadam per verbum denuntio: abſtineat à liminibus Ec-
cleſiaſticis ille, ſiue Princeps ſit, ſiue alius diademate cinctus. Nunquid depoſuiſtis me ab hoc
principatu? vel ſi manſero, multa me manent pericula? non patiar vt aſcendam in hunc thro-
num magna non faciens.* Et paulò pòſt, ἰδοὺ πάλιν ἀπαγορεύω, καὶ λαμπρᾷ βοῶ τῇ φωνῇ, μη-
δεὶς νομιζέτω γέλωτα εἶναι· ἀπείρξω καὶ κωλύσω τοὺς μὴ πειθομένους. καὶ ἕως ἂν [ἐν] τῷ θρόνῳ κα-
θίζωμαι τούτῳ, οὐδὲν προσήσομαι τῶν αὐτοῦ δικαιωμάτων. ἄν με τις καταβιβάσῃ, λοιπὸν ἀνεύθυ-
νός εἰμι· *Ecce iterùm denuntio, & clara voce clamo, iocum nullus eſſe putet: abarcebo & pro-
hibebo non obtemperantes: & quandiu in hac ſede conſedero, nihil illius iuſtificationibus præ-
feram: ſi me quis deiecerit, poſtea ſine culpa fiam.* Lege pariter epiſtolam Iſidori Peluſiotæ
vigeſimam octauam Euſebio Epiſcopo, lib. 1. epiſtolarum ipſius.

Egregium verò huius poteſtatis exemplum in Babyla Antiocheno Epiſcopo, qui
Numerianum Imperatorem inſpicere Chriſtianorum arcana myſteria volentem ingre-
di prohibuit, nefas eſſe dicens eum in domum Dei tam præcipitanter ingredi, & di-
uina myſteria contaminatis oculis inſpicere, teſte Nicephoro lib. 6. cap. 37. In quo
exemplo id ſpeciatim obſeruandum, quòd a Chryſoſtomo ſanctus iſte Præſul non ſo-
lùm Imperatorem ingredi volentem obiurgaſſe, ſed dextrâ in pectus impactâ ne ingre-
deretur, obſtitiſſe referatur lib. *de Babyla, aduerſus Gentes.* Sed plura in hanc rem, ſi de
excommunicatione Eccleſiaſtica ex profeſſo nos diſſerere aliquando contingat.

Deinde, quemadmodum filij à parentibus, ſerui à dominis, diſcipuli à præceptoribus
pœnis corporalibus caſtigantur, ſimiliter ij qui in familiam Eccleſiaſticam transcri-
buntur, etiam corporali pœnâ vel mulctâ pecuniariâ, putà ſtipendiorum Eccleſiaſti-
corum diuino iure debitorum, quorum diſtribuendorum poteſtas vel tempore ipſo
Apoſtolorum erat in poteſtate Epiſcopi, vt patet ex 1. ad Tim. 5. & aliis, puniri ex ea-
dem inſtitutione Chriſti poſſunt; quam poteſtatem oſtendit Apoſtolus, dum aduerſus
Presbyterum accuſationem ſuſcipere proprium officium Epiſcopi demonſtrat capite
citato prioris ad Timotheum. Fundatur autem hæc poteſtas in filiatione ſpeciali, quâ
per ordinationem Clerici incipiunt Epiſcopis tanquam parentibus obſtringi: fundatur
in adoptione, quâ in Chriſti familiam, hereditatem & ſortem transferuntur, cuius fa-
miliæ Epiſcopus à Chriſto auctor eſt conſtitutus *tanquam fidelis & prudens, quem conſti-
tuit Dominus ſuper familiam ſuam*: fundatur in ſubiectione quam habent inſtrumenta &
organa cauſæ ſuæ principali: ita enim comparantur Clerici omnes cum Epiſcopo,
vt eius quodammodo in tota hierarchica functione inſtrumenta ſint, atque adeo eidem
in officio ſubiecti, & ab eo applicandi vel remouendi: fundatur in pacto & conuento
iſtorum hominum inito cum Eccleſia; in cuius corpus hierarchicum admittuntur cum
ſubiectione Epiſcopo: denique fundatur in profeſſione obedientiæ, quam Epiſcopo
emittunt. Quæ omnia diuinâ lege ſancitâ obediendi neceſſitate, Clericos Epiſcopis ſub-
iiciunt; eodémque iure domeſticum in eos imperium Epiſcopis tribuunt, ita vt caſtiga-
tiones quaſdam corporales, ac pecuniarias quaſdam mulctas imponere poſſint: quod
vſus Eccleſiæ perpetuus ab Apoſtolis oſtendit, quemadmodum alibi ſingulari tractatu
Deo dante oſtendemus. Hæc enim quæ paucis iſtis verbis concluſimus, integram & fu-
ſiſſimam diſputationem poſtulant, alibi fortè in lucem emittendam.

Sufficiat ex Auguſtino proferre, quæ ipſe in Pſal. 101. de ea poteſtate domeſtica ediſ-
ſerit, *Quid ergo*, inquit, *dormiet diſciplina? auferetur omnis correptio? non auferetur? quid
enim de luxurioſo filio facturus es? non caſtigabis? non verberabis? ſeruum & ipſum tuum ſi
malè viuentem videris, non pœnâ aliquâ, non verberibus refrænabis? fiat hoc, fiat; admittit
Deus, imò reprehendit ſi non fiat; ſed animo dilectionis fac, non animo vltionis.* Hæc & alia
de poteſtate Eccleſiaſtica loquens, vt ex ſequentibus patebit, quam paternæ & herili
comparat Auguſtinus.

Vnde innoteſcit optimè Ioannem XXII. ex illa poteſtate Epiſcoporum in Clericos,
iuriſdictionem Eccleſiæ etiam in inuitos exerceri aſſeruiſſe, etiam cùm de pœnarum cor-

poralium inflictione interdum agitur. Et hanc ſaltem poteſtatem iuris diuini eſſe tradunt Ioannes VIII. can. *ſi Imperator*, diſtinct. *96.* Bonifacius VIII. cap. *quanquam, de cenſibus*, Concilium Lateranenſe ſub Innocentio tertio cap. 43. Lateranenſe ſub Leone decimo ſeſſ. 9. Concilium Colonienſe parte 9. cap. 20. Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 20. de reformatione Epiſcopi Franciæ in Synodo Cariſiaca epiſt. ad Ludouicum Germaniæ Regem. Annuunt Dionyſius epiſt. ad Demophylum, Ignatius epiſt. ad Philadelph. Clemens epiſt. 1. Conſtantinus Magnus apud Ruff. lib. 10. hiſt. c. 2. & alij paſſim.

Ad hanc quoque poteſtatem pertinet diſpenſatio bonorum Eccleſiæ, quæ licet temporalis ſit, ad Epiſcopos tamen, non ad Principes temporales pertinet diuino iure, ſecundum definitionem Synodi Romanæ quartæ ſub Symmacho can. 3. & aliarum, & vſum Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis initium habentem, vt patet ex Actibus Apoſtolorum & epiſtolis Pauli: ſed hæc adnotamus duntaxat, non exponimus, multominus probamus.

§. IV.

Cogit Eccleſia ad corporales pœnas ſubeundas excommunicationis metu.

ELVCIDATIO tertia, pœnas quoque corporales peccatoribus ad pœnitentiam accedentibus poſſunt imponere ſacerdotes, eóſque vel per excommunicationem, quæ ſit vera cenſura, vel per refutationem abſolutionis, vel per ademptionem participationis Euchariſtiæ ligare, iuxta illa verba Chriſti Math. 16. *Quodcumque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*, Mathæi 18. *Quæcumque alligaueritis ſuper terram*, &c. Ioannis denique vigeſimo, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quibus verbis apud Mathæum poteſtas extra ſacramentum Confeſſionis confertur à Chriſto, ante paſſionem Apoſtolis ſcilicet nondum in ſacerdotes conſecratis: iis verò quæ leguntur apud Ioannem poteſtas à Chriſto iam à mortuis ſuſcitato confertur in ſacramento exercenda, Apoſtolis iam in die vltimo Cœnæ ab eodem Chriſto ſacerdotibus ordinatis. Vtraque autem iſta poteſtas, prima quidem inferendi pœnitentias corporales pro peccato & ad eas ſubeundas, atque exequendas metu iudiciorum diuinorum atque excommunicationis compellendi: altera verò excommunicationis infligendæ, veram iuriſdictionem coactiuam arguit, quod eò loci explicandum eſt.

Prior quidem poteſtas coactiua dici poteſt, quia eſt obligatoria, & neceſſitatem tum præcepti tum pœnæ incurrendæ, velimus, nolimus, inuoluit. Negatur tamen aliquando eſſe coactiua, inſtar nimirum iuriſdictionis ſæcularis ac temporalis; quia executio præcepti nobis impoſiti eſt in poteſtate noſtra, poſſumúſq; impoſitam pœnitentiam non implere, & ſi inobedientes fuerimus nulla nobis pœna corporalis incutietur, quæ dolorem inurat, erimus quidem priuati iure ſacramentorum, & ſuffragiorum Eccleſiæ, & conſortij domeſtici ipſorum fidelium: ſed nec bonis noſtris, nec corpori, Eccleſia vim vllam directè inferet; atque hic ſenſus eſt, ſecundum quem docuimus ſuperiùs plurimos Patres hanc differentiam inter vtramque poteſtatem ſæcularem & ſacram aſſignaſſe, quòd hæc vim nullam inferat, quam illa præuaricatoribus infert. Eo ſenſu intelligendus eſt Chriſtus Dominus, dum ait, *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic*, Luc. 22. Intelligendi Paulus 2. Cor. 1. *Non quia dominamur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus fidei veſtræ:* & Petrus epiſt. 1. canonicæ cap. 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coactè ſed ſpontaneè, ſecundum Deum, neque turpis lucri gratiâ, ſed voluntariè, neque vt dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Quibus omnibus ſententiis impotens dominatus vel violentus, qui vim corporalem infert ad legis executionem procurandam, videtur ab Eccleſiaſtico Magiſtratu Principatum ſacrum gerente non poteſtatem merè domeſticam exercente, excludi; ſcilicet vt ſacer Magiſtratus Patris potiùs quàm Domini perſonam induat, memineritque ſe ex genere ſui Principatus ſpiritalem potiùs animaduerſionem quàm corporalem decere, demandatam potiùs ſibi beneuolam ſalutis ſubditorum procurationem, quam terribilem ſubditorum regendorum corrigendorúmque poteſtatem: nam verbum ipſum, κυριεύειν, videtur herilem ac deſpoticam ſeueritatem ſignificare, vt patet ex eo quòd κύριος τῦ δούλου, *Dominus ſerui*, iſti

Scripturis perpetuò opponatur, verbi gratiâ, Mathæi 6. & 10. Luc. 7. & 12. ad Coloſſenſes 1. ad Epheſios 6 ad Romanos 6.

Ita etiam explicandi plurimi Patres, qui non ſolùm dominatum ipſum, & truculentum imperium à Prælatis Eccleſiaſticis reiiciunt, verùm etiam Principatum, ac coactionem, nec in inuitos dicunt eorum poteſtatem exerceri, ſed in volentes: quia nimirùm pœnitentias, quas ſacerdotes imponunt, volentibus imponunt: nec renuentes ad eas vi adigunt, ſed metu excommunicationis quæ per ſe eſt pœna ſpiritualis; nec legum quas condunt obſeruationem aliter vrgere ſolent, quàm comminatione eiuſdem pœnæ præuaricatoribus infligendæ vel incurrendæ, quemadmodum ſuperiùs explicuimus, pluriúmque Patrum auctoritatibus communiuimus: quibus iſtas quoque adiunges ſimili ratione exponendas. Origenes ſiquidem in hunc ſenſum homil. 6. in Iſaiam ex verbis Chriſti citatis ex cap. 22. Lucæ hanc concluſionem elicit, *Qui vocatur ergo ad Epiſcopatum, non ad Principatum vocatur, ſed ad ſeruitutem totius Eccleſiæ.* Quod iterùm confirmat, quia Chriſtus in medio diſcipulorum factus eſt, non quaſi diſcumbens, ſed quaſi miniſtrans. Nazianzenus Orat. 1. Apologet. Præfectum Eccleſiæ ſeu Antiſtitem quam optimum eſſe debere, & acceſſiones virtutum ſubinde facere, probat, quod eum oporteat μὴ βίᾳ καθέρξειν, ἀλλὰ πειθοῖ προσάξεσθαι, *Non vi conſtringere, ſed perſuaſione allicere.* Hieronymus epiſt. 3. ad Nepotianum, cum Rege Epiſcopum iis verbis comparat, *Ille nolentibus præeſt hic volentibus: ille terrori ſubiicit, hic ſeruituti donatur: ille corpora cuſtodit ad mortem, hic animas ſeruat ad vitam.* Item epiſt. 62. aduerſus Ioannem Hieroſolymitanum, *Patrias noſtras dimiſimus, vt quieti in ſolitudine viueremus. Pontifices Chriſti, qui tamen rectam fidem prædicant, non dominorum metu, ſed patrum honore veneremur, vt deferamus Epiſcopo, vt Epiſcopo, & non ſub nomine alterius, aliis quibus nolumus ſeruire cogamur: contenti ſint honore ſuo, Patres ſe ſciant eſſe, non Dominos.* Ioannes Chryſoſt. homil. 3. in Act. Epiſcopalem adminiſtrationem multò difficiliorem ciuili præfecturâ oſtendit, 1. quòd Principem ſæcularem nemo accuſare audet, Epiſcopos omnes audeant, ἐπὶ μὲν γὰρ τῶν ἀρχόντων ὁ φόβος ἔπεισιν, ἐπὶ δὲ τούτων, οὐχί. ὁ γὰρ φόβος τοῦ Θεοῦ παρ' αὐτοῖς οὐδὲν ἰσχύει, *Nam in Principibus vrget metus; in his verò nequaquam, quando Dei timor apud iſtos* (populos) *valet nihil.* 2. Quia in præfectura temporali πολλοὶ οἱ συναντιλαμβανόμενοι, *Plures ſunt qui adiuuant.* πάντα γὰρ νόμῳ καὶ διατάξει γίνεται· ἐν ταῦτα δὲ οὐδὲν τοιοῦτον, οὐδὲ ἀπ' ἐξουσίας ἔστιν ἐπιτάξαι, *Omnia legibus illic, & mandatis illic peraguntur: hic verò nihil tale, neque enim licet ex auctoritate præcipere.* Quæ duæ rationes ſupponunt vim & rationem agendi ex mera voluntate ac libidine, quæ in præfectura temporali aliquando vim habet, in ſpirituali abeſſe, quippe cùm ſublatâ æquitate cauſæ, nec pœnitentiarum impoſitio, nec excommunicatio lata ab Eccleſiaſtico Magiſtratu ſubditum liget: è contrà verò Magiſtratus temporalis ſiue iuſta ſiue iniuſta iubeat, pœnas inferre poſſit, quæ verè damnatum afficiant, cúmque conſtringant; quæ ratio non impedit quin iuriſdictio coactiua Eccleſiaſtico Magiſtratui, eo ſenſu quo diximus, conueniat, tantò nobilior quò ſtrictiori vinculo Eccleſiaſtica coërcitio æquitati cauſæ copulatur, in quo Dei Principatum æmulatur qui non poteſt non iuſta præcipere, non poteſt non iuſtè quemquam punire. Clariùs idem Chryſoſtomus homil. 1. in epiſt. ad Titum, vbi de Epiſcopo: οὐ γὰρ δὴ οὐδὲ τοῦτο ὁρᾷ· οὐ γὰρ ἔστι δυνατὸν ἄρχοντα εἶναι ἀληθῶς, πῶς; ὅτι ἐν τῇ ἐξουσίᾳ κεῖται τῶν ἀρχομένων τὸ ὑπακούειν· καὶ εἴ τις ἀκριβῶς ἐξετάσειε τὸ πρᾶγμα, οὐκ ἐπὶ ἀρχὴν ἔρχεται ὁ τοιοῦτος. ἀλλὰ δουλεύειν μυρίοις δεσπόταις, ἐναντία καὶ ἐπιθυμοῦσι καὶ λέγουσιν. *Omittam enim interim dicere, poſſibile non eſſe huiuſmodi dici veraciter Principem. Cur obſecro? quia in poteſtate ſubiectorum poſitum eſt obedire, vel non. Ac ſi quis rei veritatem diligenter exploret, non ad Principatum promouetur qui huiuſmodi eſt, verùm potiùs ad ſeruiendum innumeris dominis qui contraria cupiunt ſemper & dicunt.* Lege eundem hom. 11. in epiſtolam ad Epheſios, & concione quadam *in malum ſchiſmatis*, & lib. 2. *de ſacerdotio*, homil. 4. de verbis Iſaiæ, *Vidi Dominum.*

Adſtipulatur Bernardus *de conſideratione* lib. 2. cap. 6. *Nec enim tibi ille* (Petrus) *dare quod non habuit potuit, quod habuit dedit, ſollicitudinem vt dixi ſuper Eccleſias: nunquid dominationem? audi ipſum, Non dominantes, ait, in Clero, ſed forma facti gregis: & ne dictum ſolâ humilitate putes, non etiam veritate, vox Domini eſt in Euangelio; Reges Gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur, & infert:*

vos autem non ſic. Planum eſt: Apoſtolis interdicitur dominatus, ergo tu, & tibi vſurpare aude, aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum.

Hæc, inquam, & ſimilia dum apud Patres exhortatorio vel increpatorio ſtylo ſcripta legimus, non animum noſtrum ſubire debet hæc cogitatio, quaſi omnem penitùs coactionem, parendíque neceſſitatem omnem & obligationem à Magiſtratu Eccleſiaſtico procul remoueant, eorúmque iuſſa inefficacia, caſſa, infirma crediderint, qui obedientiam Præpoſitis Eccleſiæ deberi ſtatuerunt, iuxta illud Pauli ad Hebræos 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis; ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri*; qui vindicandi & vlciſcendi poteſtatem aduerſus inobedientes Eccleſiaſticis ineſſe ſciebant, eáſque ſancti Pauli ſententias altâ mente retinuerant 1. Cor. 4. *Quid vultis? in virga veniam ad vos? an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis?* 2. Cor. 10. *In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam*, & cap. 13. *Si venero iterùm, non parcam.* Et paulò pòſt, *Ideò hæc abſens ſcribo, vt non præſens duriùs agam ſecundum poteſtatem quam Dominus mihi dedit in ædificationem, & non in deſtructionem.* Qui denique paſſim Eccleſiæ Principatum extollunt, & verè Principes Eccleſiæ Paſtores agnoſcunt eſſe: & ſanè præter citata Patrum teſtimonia, laudari poſſunt iſta Ignatij epiſtolâ ad Trallianos, τί γάρ ἐστιν ἐπίσκοπος, ἀλλ᾽ ἢ πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας ἐπέκεινα πάντων κρατῶν, *Quid aliud eſt Epiſcopus, quam is qui omni principatu & poteſtate ſuperior eſt?* Quibus aſſentitur tum epiſt. ad Smyrnenſes, dum in Epiſcopo duo diſtinguit, τὸ ἄρχειν, καὶ τὸ ἱερατεύειν, *Principatum & Sacerdotium*: Principatum, ratione cuius imaginem Dei refert; Sacerdotium, ratione cuius imaginem Chriſti gerit. Idem etiam Epiſcopo alibi principatum attribuit. Poſſunt & laudari verba iſta Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 26. οὗτος (ἐπίσκοπος) ἄρχων καὶ ἡγούμενος ὑμῶν, οὗτος ὑμῶν βασιλεὺς καὶ δυνάστης. *Hic* (Epiſcopus) *Princeps & Dux veſter eſt: hic veſter Rex & Præfectus.* Et paulò pòſt, ὁ γὰρ ἐπίσκοπος προκαθεζέσθω ὑμῶν, ὡς Θεοῦ ἀξίᾳ τετιμημένος, ᾗ κρατεῖ τοῦ κλήρου, καὶ τοῦ λαοῦ παντὸς ἄρχει· *Epiſcopus igitur vobis præſideat, vt dignitate Dei cohoneſtatus, qui Clerum ſub poteſtate ſua tenet, & Principatum ſuper Clerum exercet.* Citari etiam queunt verba Irenæi lib. 4. cap 44. qui de Preſbyteris (quo nomine Epiſcopos comprehendit) ſcribit, *Quòd principalis confeſſionis tumore elati ſint*, iiſdémque mox applicat verba iſta Iſaiæ ſecundum Septuaginta Interpretum verſionem, *Et dabo Principes tuos in pace, & Epiſcopos tuos in iuſtitia.* Eoſdem Tertullianus, *præſidentes* Apologetici cap. 39. libro de Corona militis cap. 3. lib. 1. ad vxorem cap. 7. Cyprianus epiſt. 55. 69. & 65 *Principes* appellat, iis applicans verba iſta, quæ Pontificibus veteris legis aptantur à Paulo, Act. 13. *Principem populi tui non maledices.* Eoſdem paſſim Præpoſitos nominat, quemadmodum & Iuſtinus Martyr Apolog. 2. προεστῶτας eos nuncupans. Egregiè verò Eccleſiaſticam poteſtatem extollit pluribus locis Cyprianus, quam *Epiſcopatus vigorem, & ſublimem ac diuinam poteſtatem* nuncupat, epiſt. 55. Cornelio; quam & vegetam & fortem, & ſcelerum vindicem agnoſcit epiſt. 65. Rogatiano, vbi hæc habet, *At quidem honorificè circa nos, & pro ſolita tua humilitate feciſti, vt malles de eo nobis conqueri, cùm pro Epiſcopatus vigore, & Cathedræ auctoritate haberes poteſtatem, quâ poſſes de illo ſtatim vindicari.* Fusè Origenes homil. 22. in Numeros, Eccleſiarum Principes probat eſſe Epiſcopos: quo etiam nomine eos donat hom. 11. in Exod. quo vltimo loco duplicis generis eos conſtituit, alios qui de maioribus negotiis iudicent, ampliorem poteſtatem habentes; alios qui minoribus iudiciis præſunt, anguſtiorem habentes & reſtrictiorem poteſtatem. Hilarius *Euangelicæ diſpenſationis principes & principes Eccleſiarum* Antiſtites Eccleſiæ appellat in Pſalm. 67. neque ſolùm Principatum exercere, ſed regnare Epiſcopos dici poſſe ex Scriptura oſtendit, in eumdem Pſalmum: primò enim verba iſta Prophetæ Regis, *Dum diſcernit cæleſtis Reges ſuper eam*, quæ immediatè verbis illis ſubnectuntur, *ſi dormiatis inter medios Cleros*, &c. de Clericis interpretatur, quos *Dominus de cælis deſcendens eos qui ſpoliati fuerant, conſtituit in Reges.* Tum ex alio loco eos Reges eſſe paulò pòſt demonſtrat, addens: *Reges autem eos eſſe non obſcurum eſt, de quibus dictum eſt*, 1. Cor. 4. *Iam ſine nobis regnatis, & vtinam regnaretis, vt nos vobiſcum conregnaremus.*

Nazianzenus Orat. 20. ἐξουσίαν καὶ δυναστείαν Epiſcopis attribuit, quæ verba poteſtatem coercitiuam, & veluti regiam ſignificant. Baſilius ſimiliter in caput 13. ad iſta verba Iſaiæ, *Vox Regum & Gentium congregatarum.* Hieronymus in Pſalm. 2. ad iſta

verba Dauidis, *Nunc Reges intelligite*, & Arnobius in Pſalm. 132. ad illa, *Confiteantur tibi Domine, omnes Reges terræ*: Regum nomine intelligi ſacerdotes putant, quemadmodum & Cyrillus Alexandrinus verba iſta Abacuc 1. cap. *Ipſe de Regibus triumphabit*, vel vt eſt in Græco, *Ipſe in Regibus delectabitur, & tyranni ludibria eius*, Reges aſſerit eos eſſe *τῆς ἱερωσύνης ἐπαρχοῦντας δόξῃ*, *qui ſacerdotij dignitate gloriantur*. Sed hæc aliáque id genus omiſſa facio, quæ nomen Principis & Regis, quod in vno ſenſu Prælatis Eccleſiaſticis adimunt aliqui Patres, alio ſenſu optimo iure iiſdem ex mente eorumdem Patrum, & quidem plurium conuenire poſſe demonſtrant. Hieronymus quoque, Auguſtinus, Euthymius in Pſal. 44. & alij alibi citandi verba iſta Prophetæ Regij dicto Pſalmo, *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*, de Apoſtolis, ac deinde de Epiſcopis in eorum locum ſuccedentibus prædicta eſſe contendunt, ſi eidem Auguſtino credimus hæc verba Prophetæ Regij, *Principes Iuda duces eorum*, Pſal. 67. *Veriſſimos nobis inſinuant Eccleſiarum Principes, dignos ducatu.* Illa verò *filiæ Regum in honore tuo*, Pſal. 44. animas ab Apoſtolis per prædicationem ad Chriſti fidem adductas. *Etenim omnes animæ, quæ illis prædicantibus & euangelizantibus natæ ſunt, filiæ Regum ſunt: & Eccleſiæ filiæ, Apoſtolorum filiæ Regum ſunt: ille eſt enim Rex Regum, & illi Reges, de quibus dictum eſt, Sedebitis ſuper duodecim ſedes, iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Diſces iſta ex Commentariis Auguſtini in Pſalmos citatos. Proſper lib. 2. de vocatione gentium, cap. 16. *Sacerdotij Principatum agnoſcit in arce Religionis fundatum.* Innumera alia eiuſdem notæ citari poſſunt, quæ ſi non ſufficiant, vt Principatum Eccleſiæ cum vera coactione coniunctum eſſe conuincant, at ſufficient vtique, vt argumentum ex Patribus negantibus in Eccleſia Principatum diluant: dum enim Patres Principatum in Eccleſia ſæpiſſimè agnoſcentes, & Eccleſiæ Paſtores eoſdem etiam Principes eſſe conteſtantes legimus, procul dubio, ſi quando rariùs principatum ſeu dominatum in Eccleſia eoſdem negantes aduertamus, explicatione opus eſt, non quæ propriè dictum principatum euertat, ſed quæ differentem à principatu temporali Eccleſiaſticum eſſe oſtendat; non quæ coactionem omnem cuiuis principatui neceſſariò coniunctam tollat: ſed quæ diuerſam rationem coactionis inuoluat, & vim connotet non minùs efficacem aut minùs potentem, quin immò magis, vt ſuperiùs docuimus; at magis quoque ſuauem, magis æquam & rationabilem. Primò enim qui apud nos in Eccleſia imperant, *non dominandi cupiditate imperant, ſed officio conſulendi nec principandi ſuperbiâ, ſed officio conſulendi*, vt tradit Auguſtinus lib. 19. de ciuitate Dei cap. 14. In quem ſenſum Bernardus lib. 2. de conſideratione, cap. 6. *Blanditur Cathedra? Specula eſt. inde denique ſuperintendis, ſonans tibi Epiſcopi nomine non dominium, ſed officium.* Secundò corriguntur maximè à ſacerdotibus fideles exhortatione, correptione, ſeuerâ & acri obiurgatione, quæ ſunt pœnæ reales, verè animum pungentes, & infamiam aliquam nonnunquam inferentes; ſed quæ tamen ſimul inſtruunt, & puniunt. Corriguntur pœnitentiis corporalibus quæ diuerſâ ratione voluntariæ & inuoluntariæ dici poſſunt, voluntariæ quidem ſunt, quia à pœnitentibus ſibi ipſis liberè abſque vlla externa vi inferuntur: ſed interna vis quædam à ſacerdote infertur, dum conſcientiæ ſtimulos excitat, & diuinorum iudiciorum metum, quibus pœnitentem inducat, dùm obligationem præcepti, velit, nolit pœnitens, ſuo iudicio ſuaque ſententiâ ipſi imponit: dum excommunicationis pœnâ per ſe quidem ſpiritali, quatenus animam ligat, per accidens corporali, quatenus & infamiam quandam habet adnexam, & corporalem à ſacris ac conuictu fidelium ſeparationem, præcepti impoſiti tranſgreſſores ac pœnitentiarum contemptores coercet.

Tertiò, quia ſi ipſa excommunicatio negligatur, tum demùm à Principe quidem ſęculari contemptor punietur, *publicè namque intereſt*, vt ait Petrus Bleſenſis epiſt. 73. ad tres Epiſcopos Angliæ, *Vt materiali gladio cohibeantur, qui nec Deum timent, nec deferunt Eccleſiæ, nec cenſuram canonum reuerentur.* Sed quia diuinâ lege Princeps temporalis adſtringitur ad Eccleſiæ poteſtatem muniendam, eiúſque ac Dei contemptum vindicandum, ideò pœna, quæ à Principe ſæculari infertur, quia ad Eccleſiæ ſententiam executioni demandandam, non corrigendam vel retractandam valere debet, eámque diuinæ legis pręcepto accedere Eccleſiaſtico iudicio, vt quid neceſſariò conſequens, oportet: ac Eccleſiæ nomine & auctoritate quodammodo infertur, vt ſuperiùs ex Patribus oſtendimus, coactio iſta licèt commodata, quia tamen debita,

Digitized by Google

iuriſdictioni Eccleſiæ poteſt attribui, eámque denominare coactiuam. Sicut enim, quamuis ſententia iudicis togati vim & coactionem mutuetur ab apparitoribus, & militaribus Magiſtratibus; in quantum debent arma togæ præſidio eſſe, & Reipublicæ ordo poſtulat, vt Iudicum ſententiæ per armatos vim & auctoritatem habeant, vt inſinuat Imperator Iuſtinianus ſtatim initio Inſtitutionum. Nihilominùs togatorum iudicum poteſtas coërcitiua, & vi coactiua prædita cenſetur ab omnibus: ita, quia Eccleſiæ ordo à Deo Sacerdotij & Regni auctore ſtatutus exigit, vt precibus Sacerdotij apud Deum Regnum muniatur, & æquitate legis diuinæ per ſacerdotem propoſitæ dirigatur; ac vice verſa armis Regum Eccleſiaſticæ leges aſſerantur, atq; aduerſus inobedientes vindicentur; ex iſto ſtrictiſſimo fœdere, & iuriſdictio Eccleſiaſtica coactiua propter regium ſubſidium, & imperatoria ſeu regia diuina propter conſonantiam cum diuina lege, diuinúmque ſubſidium, quod vtrumque à ſacerdotio mutuatur, haberi poterit. Quod luculenter explicat prædictus Bleſenſis epiſtolâ citatâ iis verbis, *Eccleſia iuriſdictionem ſuam priùs exerceat: & ſi illa non ſufficit, eius imperfectum ſuppleat gladius ſæcularis; huius rei auctoritas è Synodo Vrbani Papæ, de decreto Gregorij, ex epiſtola Gregorij ad Epiſcopos Galliarum, ex Concilio etiam Martini Papæ, & Concilio Carthaginenſi tertio, & ex multis ſanctorum Patrum inſtitutionibus emanauit. Nec dicatur quod aliquis puniatur bis in idipſum: nec enim iteratum videtur, quod ab vno incipitur, & ab altero conſummatur. Duo ſunt gladij, qui mutuum à ſe mendicant auxilium, atque ad inuicem ſibi vires impartiuntur alternas; ſacerdotium Regibus, & ſacerdotibus Regnum: idcirque ſi ab altero ſuppletur alterius inſufficientia, non videtur duplex contritio aut punitio combinata.*

§. V.

Excommunicandi poteſtas eſt coercitiua ſeu coactiua.

QVARTA tandem elucidatio, vel ſola excommunicandi poteſtas coactiuam poteſt denominare iuriſdictionem Eccleſiaſticam; ferri enim poteſt omninò in inuitos, eóſque velint nolint conſtringit, in quo propria ratio coactionis conſiſtit: quamuis non eam vim inferat, quæ cum ſenſu doloris neceſſariò coniungatur, ſed eius illatio eos tantùm dolore afficiat, qui fide Chriſti imbuti, quanta ſit hæc pœna, quam perniciem damnúmque ſecum inuehat, illuminato fidei oculo apprehendunt. Prior pars clara eſt, quæ nempe tam Scripturarum quàm Patrum certiſſimis teſtimoniis comprobatur. Scripturarum quidem, nam qui excommunicatur, dicitur eſſe anathema: at anathema dicitur qui fit alienus à Chriſto, & 1. Cor. 16. *Si quis non amat Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, anathema ſit*: & eo ſenſu vocem iſtam interpretantur Chryſoſtomus homil. de anathemate, & homil. 16. in epiſtolam ad Romanos non longè ab initio; Hieronymus quæſt. 90. epiſt. ad Algaſiam, & Commentariis in cap. 14. Zachariæ, ad illud, *anathema non erit ampliùs*. Itaque operatur excommunicatio ſeparationem à Chriſto, quia ſeparat ab Eccleſia, quæ corpus eſt Chriſti; & nemo poteſt Chriſto coniungi, niſi qui eius corpori vnitus ſit. Item qui excommunicatur, dicitur *tradi Satanæ*, 1. Cor. 5. & 1. ad Timotheum 1. ſiue ad cruciatus, vt ſuprà explicuimus, ſiue ad tentationem, cuius ſcilicet inſidiis, vbi diuinis ſubſidiis per excommunicationem priuatur, longè periculoſiùs patet, nudúmque quodammodo habet latus, quo confodi poſſit, vt explicant Origenes homil. 2. in Iudices; Hilarius in Pſal. 118. litera *Ain*, ad illud, *Feci iudicium & iuſtitiam*; Ambroſius lib. 1. *de pœnitentia*, cap. 14. Hieronymus in cap. 14. Iſaiæ, & in cap. 19. ad illa verba, *Tradam Ægyptum in manus*, &c. Leo epiſt. 89. cap. 7. ad finem. Theophylactus 1. ad Tim. 1. in fine, & alij paſſim. Dicitur *tolli de medio*, *auferri*, cap. 1. prioris ad Corinthios, quæ verba vim aliquam ſignificant, & effectum à voluntate excommunicati minimè dependentem, & ſpiritalem quandam interfectionem, vt explicant Pacianus epiſt. 3. ad Sympronianum; Hieronymus ad cap. 32. Ezechielis; Auguſtinus quæſt. 39 in Deuteronomium, tractans verba illa Deuteron. 24. *Interficietur, & auferes malum de medio tui*, & lib. 22. contra Fauſtum, cap. 20. Dicitur abſciſſus, Mathęi 5. *Si oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te, ſi dextra manus ſcandalizat te, abſcinde eam, & proiice abs te*, &c. quem locum excommunicationi accommodant Origenes homil. 7. in Ioſue ſub finem,

Pontificale Romanum parte 3. cap. *de ordine excommunicandi*, & aliqui alij ex Patribus; tum ad Galatas 5. *abſcindantur qui vos conturbant*: quod dictum Apoſtoli excommunicatis applicat Innocentius I. epiſt. ad Concilium Mileuitanum, quæ eſt 93. inter epiſt. Auguſtini; adſtipulatúrque Cyprianus epiſt 62. Ambroſius lib. de Elia cap. 22. Hieronymus epiſt. 1. ad Nepotianum; Proſper lib. 2. de vita contemplatiua cap. 7. & alij paſſim, qui excommunicationem, abſciſſionem, truncationem, ſectionem eſſe dicunt; quæ omnia verba violentiam ſignificant, & punitionem etiam inuiti. Dicitur etiam excommunicatus *mitti foras*, Mathæi 5. *Si ſal infatuatum fuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quam ſententiam de lapſis in hæreſim ab Eccleſia eiectis, foráſque miſſis interpretatur Chromatius in illud caput primum. *Conculcatio* verò, cuius in eadem ſententia fit mentio: eiaculatio execrationum ac maledictorum in excommunicatum, & probrorum aſperſio videri poteſt, quorum meminit Clemens Romanus Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 20. & ſanctus Paulus 2. ad Cor. 2. dum ait, *Sufficit illi qui eiuſmodi eſt obiurgatio hæc quæ fit à pluribus.*

Ex quibus inferri poteſt excommunicationem à Prælato Eccleſiaſt. latam duos habere effectus, qui vim aliquam & coactionem indicant; primo ablegari excommunicatum ab Eccleſiâ ſeu foras mitti, etiam inuitum: mitti, inquam, foras non ſine violentiâ quadam ſaltem ſpiritali, in quantum contingit per ſententiam damnationis peccatores ab Eccleſiæ corpore arceri, ſuffragiiſque & fructibus communionis Eccleſiaſticæ vel inuitos priuari. Secundo infamiam etiam aliquam excommunicato inuri, quæ conculcationis, id eſt contemptus nomine ſignificatur, & excommunicatione adhereſcere videtur ex natura ipſa actus: eſſeque proinde ab excommunicatione inſeparabilem, & ab eodem infligi à quo & ipſa excommunicatio pronuntiatur. Prætereà dicitur excommunicatus *habendus ſicut Ethnicus & Publicanus*, Matthæi decimo octauo, quibus nimirum verbis cohabitationem & familiaritatem cum excommunicato interdictam ſentire debemus. Nam Ethnicos ex lege euitabant Iudæi, ne eorum contagio polluerentur, Deuteronomij ſeptimo; cui affine eſt illud Ioannis quarto capite, non *coutuntur Iudæi Samaritanis.* Publicanos verò odio infenſiſſimo proſequebantur, vt ex Euangelica Hiſtoria colligere eſt, in quâ male audiuiſſe Chriſtus narratur, quod cum Publicanis manducaret, & hæc hominum exempla, qui odio & execrationi eſſe ſolent, Chriſtus Dominus attulit ad oſtendendum excommunicatos à Chriſtianis euitandos ſimiliter eſſe, & execrandos, vt exponunt Hilarius, Hieronymus, & alij in eum locum, nec non Gelaſius Opuſculo *de anathemate*, aliique paſſim. Quæ pœna partim diuina, partim humana eſt: eaque Eccleſiæ etiam propria, cui huius pœnæ infligendæ poteſtatem habenti, iuriſdictio coactiua haud dubiè conuenire dici poteſt.

Propter hanc igitur cauſam eodem cap. 18. Mathæi, excommunicatus dicitur *ligari in cælo & in terra*: eaque poteſtas ligandi in cælo & in terra Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus conceditur, iis verbis, *Quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in cælo, & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo.* Ligandi hæc poteſtas quid aliud quàm poteſtas cogendi? qui enim ligatur, cogitur. *Vinculum autem illud ſacerdotale ipſam animam contingit, atque ad cælos vſque peruadit: vſque adeò vt quæcunque infernè ſacerdotes confecerunt, illa eadem Deus ſupernè rata habeat, ac ſeruorum ſententiam Dominus confirmet*, vt ait Chryſoſtomus lib. 3. de ſacerdotio, cap. 5. Vnde & duplex vinculum eſt, ſeu potiùs vnicum duplicem habens reſpectum, vnum ad ea, quæ excommunicato interdicuntur in terris, quod interdictum inuitos ligat, & inhabiles ad plurima, verbi gratiâ, ad ſacramenta recipienda, ac conferenda; officia, miniſteriaque ſuſcipienda vel exercenda, indulgentias lucrandas; aliaque id genus plurima excommunicatos efficit. Quis autem dubitet, quin inhabilitates iſtiuſmodi ac priuationes, quibus velint, nolint, aliqui puniuntur, poteſtati coactiuæ pœnæ ſint proportionatæ? Quo nempe pœnarum genere poteſtatem quoque politicam vti decet, vt ſæpe vtitur, quatenus immorigeros ad meliorem frugem reuocet. Aliud vinculum eſt reſpectu cælorum, quod iniicitur homini, vt cæleſtem fœlicitatem conſequi non poſſit, quia cùm humanum ſacerdotis iudicium Deus ſententiâ ſuâ confirmet, & extra Eccleſiam nemini ſalutis æternæ obtinendæ aditus recludatur: eo ipſo quo quis extra Eccleſiam per excommunicationem reiicietur, extra ſalutis viam con-

ſtituitur: ac proinde eo ipſo quo quis excommunicationis vinculo innodatur à fœlicitate æterna arcetur, ne eam conſequi poſſit, ab iſtis autem vinculis liberari incipit, cùm eum prioris vitæ pœnitet, & Eccleſiaſticæ communionis beneficium promereri ſatagit: ſed perfectè ſolutus non eſt, niſi vbi Eccleſiaſticæ communioni reſtituitur: quia quandiu extra Eccleſiam fuerit, licet abſolutè, ſimpliciter ſaluari poſſit, tamen ægrè id poteſt, quia remedia aduerſus peccata, & inſidias Satanæ, Eccleſiæ relicta ipſi ſubtrahuntur. Quamobrem ſancti Patres arctè illigari iſtiuſmodi vinculo animas docent. Præ cæteris legantur Nyſſenus Oratione *in ægrè ferentes reprehenſionem*, ſub medium, Chryſoſtomus homil. 4. in Hebræos; Auguſtinus epiſt. 75. tract. 50. in Ioannem; & alibi ſæpè. Et appoſitè ad noſtrum inſtitutum; Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 7. viſionem virgæ vigilantis & ollæ ſuccenſæ exponens, docet virgam illam vigilantem animaduerſionem eſſe Eccleſiaſtici Prælati, per quam qui non reſipiſcunt, incidunt in ollam ignis æterni. Itémque Tertullianus Scorpiacei cap. 10. excommunicatis per Eccleſiæ claues, *cælum clauſum* aſſerens.

Verum quidem eſt Deo præſertim attribui debere ſecundum iſtud vinculum, quod eſt ſubſtractio quædam gratiarum, auxiliorum, ac mediorum ad ſalutem obtinendam deſtinatorum; ſed tamen & homo vinculum iſtud iniicit, auctoritate Dei vtens, & Deus quodammodo hominis ſententiæ obſequitur, iis peccatorem priuans, vbi indignus à ſacerdote pronuntiatus fuerit, vt explicat Chryſoſtomus ibidem.

Nec repugnant verba Iacobi cap. 4. *Vnus eſt Legiſlator & Iudex, qui poteſt perdere & liberare*, verbis Chriſti, *quæcumque alligaueritis*, &c. quandoquidem quod ſacerdos ligat, Deus ligat: quod decernit ſacerdos, Deus decernit. Deus quidem principali auctoritate; ſacerdos tamen diuinâ & acceptâ à Deo poteſtate.

Denique dicitur excommunicatus *virgæ ſubiici*, 1. Cor. 4. vt explicat Ambroſius lib. 1. *de pœnitentia*, cap. 14. quæ virga coactionem haud dubiè ſonat, & quidem ſeueritatis multum habentem, quam ideò ferream dictam à Propheta Regio Pſal. 2. contendit, non ad dirigendum tantùm per Euangelica præcepta, ſed cogendum, conterendum, vlciſcendum: ita enim loquitur epiſt. 53. *Miror ſanctum Epiſcopum, in cuius parochia eſſe Presbyter dicitur, acquieſcere furori eius, & non virga Apoſtolicâ, virgáque ferreâ confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis.*

Patres quoque excommunicationi vim cogendi attribuunt. Tertullianus *relegationis* nomine illam inſigniuit Apologetici c. 39. excommunicatos *ab Eccleſia arceri* docet, de idololatria cap. 11. *ab omni excommunicatione fraternitatis*, lib. 2. ad vxorem c. 3. *prohiberi recipi in Eccleſiam*, lib. 4. aduerſus Marcionem cap. 24. *ab agmine pelli*, item *abiici*, lib. 3. aduerſus Marcionem cap. 9. *ſacramento benedictionis exauctorari*, lib. de pudicitia cap. 9. Quæ omnia verba vim aliquam ſignificant: Origenes homil. 14. in Leuiticum duplicem ab Eccleſia exitum diſtinguit, vnum ſpontaneum per deuotionem *à veritate fidei & charitate*; alterum coactum, *per Epiſcopi vocem.* Cyprianus epiſt. 38. & 40. diſtinguit item duplicem ab Eccleſia egreſſum; vnum ſchiſmaticorum, qui ſponte ab Eccleſia exeunt, conuenticula extra eam congregantes, & factionem perditorum colligentes: alium qui fit per ſententiam Eccleſiæ eos pronuntiantis abſtinendos atque euitandos, qui indigni Eccleſiæ conſortio fuerint iudicati. Vnde infertur excommunicationem vim inferre, nec ſpontaneam eſſe. Epiſtolis quoque 27. 28. & 62. iis verbis excommunicationem deſcribit, quæ violentiam & coactionem connotant: iis adiungi debent Nazianzenus Orat. 26. n. 52. Ambroſius lib. 2. Off. cap. 27. Hieronymus in cap. 10. Eccleſiaſtis; Chryſoſtomus homil. *de anathemate*, & 4. in 2. cap. ad Hebræos; Auguſtinus *de correptione & gratia*, cap. 15. ſerm. 20. & 40. ex 40. nouis; Leo epiſt. 89. cap. 7. ad finem; Fauſtus Regienſis, homiliâ quadam *ad Monachos*, quæ tertia eſt inter epiſtolas Pſeudo-Euſebij Emiſſeni ad Monachos, & alij paſſim, ſtatum miſerrimum excommunicatorum nobis exhibentes, iiſque verbis explicantes, quæ vim & coactionem ſonant.

Quibus adiungo duo Auguſtini teſtimonia, quæ nobis id clariùs indicant: primum ex lib. 1. contra aduerſarium legis & Prophetarum cap. 17. petitur, quo ſcilicet vindicatricis & vltricis ac coactricis poteſtatis actus excommunicatio eſſe manifeſtè deſcribitur, *Ignoſcendi*, inquit, *miſericors manſuetudo, propter quam dictum eſt non ſolùm ſepties, verum etiam ſeptuageſies ſepties fratri remittenda eſſe peccata, non ad hoc valet vt*

ſit iniquitas impunita, aut torpens, aut dormiens diſciplina, quod potius obſit quam diligens vigilanſque vindicta. Clauos quippe regni cælorum ſic dedit Dominus Eccleſiæ, vt non ſolùm diceret quæ ſolueritis, &c. *vbi apertiſſimè bonum pro malo reddit Eccleſia: verùm & adiungeret, quæ ligaueritis in terra, erunt ligata & in cælo; quia bona eſt & vindicandi iuſtitia. Illud enim quod ait, Si nec Eccleſiam audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus; grauius eſt quàm ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubigeretur. Nam ibi quoque ſubiunxit, Amen dico vobis, quæ ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis, vt intelligeretur quantò grauiùs ſit punitus, qui velut relictus eſt impunitus.* Quæ poſteriora verba non obſtant præcedentibus, nec indicant mentem Auguſtini eſſe, quòd excommunicatio non ſit dicenda pœna, ſed ſolùm quòd non ſit talis pœna corporalis, qualem infert Magiſtratus politicus. Alterum teſtimonium deſumitur ex libro *de fide & operibus*, cap. 4 vbi Auguſtinus eos reprehendit, qui ſolam directionem Eccleſiaſtico Præſuli tribuerent, coercitionem denegarent, ſcribens eos *peruerſiſſimam ſecuritatem Præpoſitis tribuere, vt ad eos non pertineat niſi docere quod cauendum, quódque fugiendum ſit; quodlibet autem quiſque faciat non curare*: hánceque regulam indulgentiæ & coërcitionis ſtatuens cap. 5. iis verbis, *Nos verò ad ſanam doctrinam pertinere arbitramur ex vtriſque teſtimoniis vitam ſententiámque moderari, vt & canes in Eccleſia propter pacem Eccleſiæ toleremus, & canibus ſanctum, vbi pax Eccleſiæ tuta eſt, non demus. Cùm ergo ſiue per negligentiam Præpoſitorum, ſiue per aliquam excuſabilem neceſſitatem, ſiue per occultas obreptiones, inuenimus in Eccleſia malos, quos Eccleſiaſticâ diſciplinâ corrigere aut coercere non poſſumus, tum nec aſcendat in cor noſtrum impia & pernicioſa præſumptio, quâ exiſtimemus nos ab his eſſe ſeparandos: cùm verò iis per quos Eccleſia regitur, adeſt ſaluâ pace poteſtas diſciplinæ aduerſus improbos aut nefarios exercendæ, tunc rurſus nec ſocordiâ ſegnitiáque dormiamus, aliis aculeis præceptorum quæ ad ſeueritatem correctionis pertinent excitandi ſumus*, &c.

Infinita ſunt quæ in hunc ſcopum proferri poſſunt; quibus nec Marſilij, nec aliorum effugia ſatisfaciunt, quaſi poteſtas illa ſit multitudinis non Epiſcoporum: præterquàm quòd enim plura ex iis teſtimoniis Epiſcopis poteſtatem excommunicandi propriam eſſe oſtendunt; Conciliorúmque omnium canones paſſim id demonſtrant, & antiqua Eccleſiæ diſciplina ab Apoſtolis; quam quæſtionem hoc loco nolumus attingere; vt pote fuſioris diſcuſſionis, & alibi fortaſſe diſcutiendam: tamen nec, ſi hoc aduerſariis daremus, intentum euincerent, nec Regi aut Imperatori huius poteſtatis exercitio ius quoddam exinde competere demonſtrarent: quandoquidem poteſtas hæc Eccleſiæ eſſe, non Reipublicæ, innoteſceret; in Eccleſia verò Imperator, vt ouis ac ſubditus, non vt Rector vel Paſtor conſtituatur, non ouem aut ſubditum habeat: pareréque etiam inuitis Imperatoribus Ethnicis in Eccleſia pœnæ iſtius ac coercitionis vſum ſemper fuiſſe: nec ſolùm viguiſſe excommunicationis cenſuram, prout ſpiritalibus bonis nos priuat, verùm etiam, vt ab omni nos conſortio & conuerſatione fidelium repellit. Ea ſiquidem cenſura ab inſtitutione Chriſti ortum habet, quam citata eiuſdem Chriſti verba oſtendunt, Math. 18. & ab Apoſtolorum diſciplina, quam laudata pariter ex epiſtolis ſancti Pauli teſtimonia demonſtrant; quibus addi debent loca iſta, epiſtolæ 1. ad Corinth. 5. *Scripſi vobis in epiſtola, ne commiſceamini fornicariis; non vtique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut rapacibus, aut idolis ſeruientibus: alioqui debueratis de mundo exiiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri, ſi is qui nominatur frater inter vos, eſt fornicator aut auarus.* 2. ad Theſſ. vlt. *Quòd ſi quis non obedit verbo noſtro, per epiſtolam hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur.* ad Tit. 3. *Hæreticum hominem, poſt vnam & ſecundam correptionem, deuita: ſciens quia ſubuerſus eſt.* & 2. Ioannis verſ. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis; qui enim dicit illi aue, communicat eius operibus malignis.* Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 6. cap. 18. quo iubentur impij hæretici, non pœnitentes excludi & ſemoueri à fidelibus, & eis Eccleſia Dei interdici, καὶ παραγγέλλετε τοῖς πιστοῖς παντοίως αὐτῶν ἀπέχεσθαι· καὶ μήτε λόγοις, μήτε προσευχαῖς κοινωνεῖν αὐτοῖς. *Vt omnibus modis ab iis fideles declinent, & nulla cum iis ſit precationis aut ſermonis communitas.* cuius Conſtitutionis ratio redditur, *Quia hi ſunt aduerſarij & inſidiatores Eccleſiæ, qui corrumpunt gregem, & fœdant hereditatem*, &c. Denique exemplum inſigne habemus in hanc rem S. Ioannis Apoſtoli,

quòd

quòd ſe à ſancto Polycarpo accepiſſe narrat Irenæus lib. 3. aduerſus hæreſes cap. 3. & refert Euſebius lib. 6. cap. 21. illum ſcilicet Ioannem Apoſtolum lauandi ſui cauſâ balneum ingredientem, cùm certior factus eſſet Cerinthum intus eſſe, actutum ex eo loco reſiliiſſe, & ſe proripuiſſe foras, illudque tectum ſubire nullatenus ſuſtinuiſſe, atque ad hunc modum ſuos hortatum fuiſſe, Fugiamus extemplò, ne balneum, in quo Cerinthus veritatis hoſtis moratur, ſubitò concidens nos opprimat Quæ autem de vitanda hæreticorum communione decreta ſunt, quique mos ab Apoſtolis eoſdem euitandi ſeruatus eſt, ea ad omnes excommunicatos haud dubiè extendi debent, quos tanquam Ethnicos euitari Chriſtus voluit, & à quibus Eccleſia pluſquam ab infidelibus abhorrere ſuos iuſſit, teſte Chryſoſtomo homiliâ vigeſimâquintâ in epiſtolam ad Hebræos, docuitque ſanctus Paulus 2. ad Corinth. 5. citatis ſuperiùs verbis.

Atque hæc Eccleſiæ continua praxis fuit, vt teſtantur Ignatius epiſt. ad *Philadelphienſes*, Tertullianus Apologetici cap. 39. & lib. 2. *ad vxorem*, cap. 3. Origenes homil. 9. *in Hieremiam*, Cyprianus ep. 62. Baſilius ep. 47. *Athanaſio*, Syneſius epiſt. 58. *ad omnes Epiſcopos*, Chryſoſtomus hom. *de anathemate*, & in Pſalm. 4. & ſæpè alibi, Auguſtinus lib. *de vera Religione*, cap. 6 lib. 3. *contra epiſtolam Parmeniani*, cap. 2. lib. *poſt collationem*, *contra Donatiſtas*, cap. 20. concione in Pſalmum 54. *de correptione & gratia*, cap. 15. & alibi paſſim. Iſidorus Peluſiota lib. 4. epiſt. 154. *ad Anatolium*, & alij plurimi Patres. Quibus iunge Eccleſiaſticos Canones innumeros, videlicet 10. vel 11. *Apoſtolorum*, 12. vel 13. necnon 32. vel 33. eorumdem Apoſtolorum, decreta ſummorum Pontificum, Clementis epiſtola prima, Anacleti epiſtola tertia in fine, Alexandri epiſtola prima ante medium, Calixti epiſtola ſecunda, Fabiani epiſtola prima, Zachariæ epiſtola quinta *ad Bonifacium*, & aliorum. Item Conciliorum Eliberitani Can. 28. Antiocheni Can. 2. Toletani I. Can. 15. Arelatenſis II. Can. 30. Antiſſiodorenſis Can. 38. Vaſenſis Can. 6. Capitularium lib. 1. cap. 1. & libri 7. capite ducenteſimo nonageſimo-quinto, & quadringenteſimo ſexageſimo primo, aliaſque paſſim eiuſmodi ſanctiones.

Sed notari ſpeciatim debent verba Origenis ſuprà, quæ ſeparationem iſtam *Dei diſpenſationi* attribuunt. *Diſſoluuntur ergo*, inquit, *& ad nihilum deducitur nequam cogitatio, cùm non habuerit collocutionem alterius nequioris. Idcircò per diſpenſationem Dei prouidetur peſſimos à peſſimis ſeparari: iuſtum quoque & commodum eſt vt à priſtinis ſceleribus ipſa ſolitudine & penuria conſortij aliquando deſiſtant.* Hæc autem pœna non eſt omninò ſpiritalis niſi ratione finis & radicis; radix enim illius ſeparationis à congreſſibus, conuiuiis, colloquiis, & aliis humanæ ſocietatis officiis, quæ per excommunicationem infligitur etiam nolenti, videtur eſſe execratio iſta, quam contrahit peccator, ex eo quod tanquam membrum putridum ab Eccleſiæ corpore reſecetur, & tanquam inimicus Chriſti Principis noſtri, rebelliſque aduerſus matricem Eccleſiam habeatur: ex eo enim connaturaliter ſequitur, vt niſi accedat Eccleſiæ indulgentia, adeò execrabilis nobis debeat eſſe excommunicatus, vt ab eius conuerſatione ac familiaritate debeamus abhorrere, quemadmodum à conuictu & conuerſatione proditoris patriæ, & læſæ maieſtatis rei abhorremus. Finis verò eiuſdem ſeparationis, etiam quoad humanam & externam ſocietatem eſt hominis tum facinoroſi, tum alterius, qui eius conuictu peruerti poſſet, ſpiritalis ſalus; dicit enim Apoſtolus citato ſuperiùs 2. ad Theſſal. vltimo, *Ne commiſceamini cum illo, vt confundatur.* de ea autem confuſione loquitur Apoſtolus, de qua Sapiens Eccleſiaſt. 4. *Et eſt confuſio adducens gratiam & gloriam*, idem quoque Apoſtolus ad Titum 1. *Increpa illos durè, vt ſani ſint in fide.* Duobus ergo iſtis titulis ſpiritalis eſt iſta ſeparatio in ciuilibus & humanæ vitæ negotiis communibus, quæ per excommunicationem Eccleſiaſticam conſequenter infertur, quæ tamen in ſe conſiderata humana, naturalis ordinis, & corporalis eſſe videtur, quomodo materia ſacramentorum, verbi gratiâ, aqua elementaris naturalis ordinis vt plurimùm eſt, ſed ratione finis ad quem refertur, & inſtitutionis, quam habet à Deo, ſupernaturalis eſt, atque ita ſacerdotij ſubiecta materia eſt, non terreſtris vllius poteſtatis. Verè autem in iſta ſeparatione aliqua cognoſcitur vis atque coactio, quia cum ſenſu coniungitur: *quod enim ſanare non poteſt, cum dolore abſcindere* ſacerdotem dixit Am-

broſius lib. 2. Officiorum cap. 27. Legantur Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 2. cap. 41. Origenes homiliâ ſeptimâ in Iofue, & alij paſſim Patres, qui acerbitatem iſtius ſeparationis dolore non mediocri damnatos pungentem amplificant, & egregiis comparationibus illuſtrant.

Eadem ratio eſt iſtius infamiæ & execrationis, quæ connaturaliter excommunicationem conſequitur. Excommunicatos ſiquidem infames eſſe colligitur, ex Can. *omnes verò*, Can. *illi qui*, Can. *omnes illi qui*, 6. quæſt. 1. & aliis: quibus conſentiens Baſilius epiſt. 47. *ad Athanaſium* præfectum Lybiæ, excommunicatum *infamis viri* τοῦ δυσωνύμου ἀνδρὸς notâ afficit, & omnibus execrabilem futurum, & *auerſandum* viſum *omnibus* affirmat. Infamia ſiquidem iſta & execratio, quam quis ob excommunicationem incurrit, pœnæ ſunt tam poteſtati Eccleſiaſticæ quam ciuili communes, quia declarationem turpis facinoris conſequuntur; potiúſque propriæ ſunt Eccleſiaſticæ quam poteſtati politicæ: quia Eccleſia certiùs, & ex principiis, quibus minor poteſt obrepere falſi ſuſpicio, virtutem à vitiis diſcernit, verúmque honorem ab infamia: & execrationis maior occaſio quò quis à Deo longiùs abſcedit, Deóque magis inuiſus eſt, quod vtique iudicare Eccleſiaſticus potiùs debet, quàm ciuilis Magiſtratus.

Nihilominùs Patres aliqui coactionem & vim omnem Eccleſiæ adimunt, & excommunicare poſſe Eccleſiam fatentes, cogere poſſe diffitentur, quorum plurimos ſuperiùs, & ab aduerſariis obiectionis loco prolatos retulimus, & in explicatione differentiæ vtriuſque poteſtatis adduximus: ij autem in eum ſenſum ſunt exponendi quem tradidimus, nimirùm vt quemadmodum putridæ omninò carnes & emortuæ abſque doloris ſenſu à corpore abſcinduntur: ita quoque quidam in peccatis obdurati reperiantur, qui ſine doloris ſenſu patiuntur ſe a corporis vnitate reſecari; eò infœliciores, quò infœlicitatis ſuæ ſenſum non habent, nec iacturam ſpiritalium bonorum dolent, nec bonorum conſortium ſibi ademptum gemunt, *quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, gloria in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt*, vt loquitur Apoſtolus ad Philippenſes tertio. Iis ergo per excommunicationem nulla videtur inferri violentia, quia voluntariè in eam incurrunt, & ſponte in proprium exitium ruunt. Atque adeo ſublatâ omni fide, & piâ voluntatis affectione, quæ non datur niſi volentibus, excommunicatio nullam vel exiguam peccatoribus induratis moleſtiam exhibet: eóque ſenſu Patres neminem ab Eccleſia niſi volentem ligari docent: maximè verò, quia nemo per excommunicationem ligari poteſt, niſi qui in Eccleſiæ ſinu fuerit, & per Baptiſmi ſuſceptionem Eccleſiæ myſteriis initiatus ſit. Baptizari autem adultus nemo debet niſi volens, & Religioni Chriſtianæ conſentiens; nemo in Eccleſiæ corpore niſi volens remanet, a quo per æternam infidelitatem exire poteſt: non requiritur tamen ad iuriſdictionem coactiuam quòd pœnas exhibeat, quæ doloris ſenſum aut violentiam ſemper inferant, dummodo vt plurimùm inferant, & ex ſe diſpoſitis inferre poſſint aut debeant; alias nec corporales pœnæ, quas tortores infligunt, coactiuæ dicerentur, ſi grato animo ſuſciperentur, citra doloris ſenſum aut diſplicentiam, ſiue propter Deum ex pietate, ſiue propter animi ægritudinem ex deſperatione, ſiue denique propter membri defectum ſenſu deſtituti ex morbo.

Digitized by Google

ARTICVLVS VIII.

Quædam alia Corollaria ex præcedentibus deducuntur.

COROLLARIVM ſecundum. ex prædictis confirmatur, quod lib. 1. à nobis ſæpiùs inculcatum eſt, hierarchiam abſque iuriſdictione quadam nullam eſſe. Etenim quæ modò docuimus oſtendunt *Principatum* eſſe duplicem : vnum ſacrum, quem vno verbo hierarchiam dicimus : alterum ſæcularem ſeu politicum, ſiue ille ſit Monarchicus, ſiue ſit Ariſtocraticus, ſiue Democraticus : vtrique autem Principatui iuriſdictionem aliquam coactiuam competere : vnde nullo negotio deducitur hierarchiam nullam eſſe, quæ iuriſdictionem coactiuam adnexam non habeat.

Corollarium tertium. deducuntur etiam ex præcedentibus iuriſdictionis hierarchicæ prærogatiuæ plurimæ, quarum ſuperiùs explicatarum recenſio ad refricandum memoriam non inutilis videbitur.

Ratione finis præcellit iuriſdictio Eccleſiaſtica ſeu hierarchica, quòd vnum tam publicum quàm priuatum ſubditi bonum propoſitum habeat : politica verò ſolum bonum publicum, non autem priuatum vniuſcuiuſque, niſi in quantum cum publico coniungitur : Sacra, inquam, reſpicit bonum priuatum cuiuſque, vt caſtigatus reſipiſcat, & ſalutem conſequatur, quemadmodum pluribus teſtimoniis iam notum fecimus.

Quod ipſum colligo ex Walafrido Strabone de rebus Eccleſiaſticis cap. 17. has cauſas excommunicationis, quâ præſertim Eccleſia contumaces caſtigat, referente, quæ ad priuatum excommunicati bonum tendunt. *Sciendum enim*, inquit, *à ſanctis Patribus ob hoc vel maximè conſtitutum, vt mortaliter peccantes à ſacramentis Dominicis arceantur, ne indignè ea percipientes vel maiori reatu inuoluantur, vt Iudas, vel ne (quod Apoſtolus de Corinthiis dicit) infirmitatem corporis & imbecillitatem ipſamque mortem præſumptores incurrant. Et vt a communione ſuſpenſi terrore eius excluſionis, & quodam condemnationis anathemate compellantur ſtudioſiùs pœnitentiæ medicamentum appetere, & recuperandæ ſalutis deſiderio inhiare.* hanc poſtremam rationem, quæ apud Patres antiquos communis eſt, profert Innocentius quartus in Concilio Lugdunenſi, prout refertur capite *Piâ, de exceptionibus*, in ſexto, docens, *piâ conſideratione ſtatuiſſe matrem Eccleſiam, quod maioris excommunicationis exceptio, in quacumque parte iudiciorum oppoſita, lites differat, & repellat agentes, vt excommunicati, dum a communibus actibus repelluntur, rubore ſuffuſi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum faciliùs inclinentur*, Item politicæ finis eſt quies temporalis : ſacræ ſeu Eccleſiaſticæ ſalus æterna.

Ratione mediorum ſacra poteſtas pariter præcellit, quia ſacra ex officio adhibet media ſupernaturalia, cuiuſmodi ſunt ſacramenta & ſacramentalia, quibus homo expurgetur & mundetur ; ſacram doctrinam qua moneatur & inſtruatur ; diuina iudicia quibus terreatur : etiam miracula, quibus fidem incredulis faciat : politica verò ſola humana media ad terrorem, pœnam, vel excidium improborum.

Ratione obiecti ſimiliter anteponenda eſt poteſtas Eccleſiaſtica ciuili : quia hæc in corpora dumtaxat habet poteſtatem : illa verò in animas, quarum pernicies ac iactura longè magis extimeſcenda eſt, quàm corporum, dicente Chriſto Domino Math. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam, & corpus perdere in gehennam.*

Ratione pœnarum, quia quæ pœnæ ab Eccleſiaſtica poteſtate infliguntur, ſpirituales ſunt, non autem corporeæ, quemadmodum pœnæ quæ à politica poteſtate inferuntur ; item earum aliquæ ſupernaturalis ſunt ordinis, ſupernaturalibus nos bonis priuantes, quas adhibere non poteſt politica poteſtas, ſed ſolùm pœnas quaſdam, quæ naturalibus bonis expeti ſolitis nos ſpoliant : deinde durabiliores ſunt pœnæ Eccleſiaſticæ poteſtatis quàm ſæcularis : Eccleſiaſtica ſiquidem poteſtas æternis pœnis hominem addicit, & quodammodo iudicium Dei præuertit, illúdq; prouocat, dicente Chriſto Domino, *Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo*. Poteſtas verò ſæcularis nonniſi ad pœnam temporalem per aliquod breue momentum ſubeundã nos obſtringit :

ob eámque cauſam *temporalis* iſta poteſtas dici ſolet. Extenditur poteſtas Eccleſiaſtica ad ligandos etiam mortuos: nam & rebelles Eccleſiaſticâ ſepulturâ priuat, cuius non minima commoda eſſe ſolent, teſtibus Auguſtino *de cura pro mortuis* cap. 4. & 5. Gregorio, lib. 4. Dialogorum cap. 50. Iuliano Toletano lib. 1. prognoſticorum cap. 20. & aliis: priuat ſacrificij incruenti fructibus, quos Tertullianus lib. *de corona militis*, & lib. *de monogamia*, Cyprianus epiſt. *66*. Athanaſius lib. de variis quæſtionibus, quæſtione 34. Ambroſius *in funere Valentiniani*, Chryſoſtomus homil. 21. in Acta, 41. in priorem ad Corinthios, 3. in epiſtolam ad Philippenſes; *69*. ad populum Antiochenum; Epiphanius hæreſi Arrianorum; Auguſtinus ſermone trigeſimo-ſecundo *de verbis Apoſtoli*, libro ſecundo *de ciuitate*, cap. *9*. *Confeſsionum*, capite duodecimo & decimo-tertio *de anima* ad Renatum capite nono & vndecimo; *de cura pro mortuis*, cap. 1. Enchiridij cap. 10. & alij paſſim agnoſcunt. Priuat & publicarum precum ac ſatisfactionum tum Eccleſiæ, tum priuatorum emolumentis. De quibus legendi præſertim Chryſoſtomus homil. 41. citata in primam ad Corinthios; Damaſcenus Oratione, quòd hi qui cum fide ex hac vita exceſſerunt, viuorum Miſſis ac beneficiis iuuentur; Petrus Damiani opuſculo 33 cap. 5 & alij. In mortuos, inquam, iis aliiſque modis rebellionem vlciſcitur, de qua re latiſſimè Iuſtinianus Imperator epiſtolâ ſuâ ad Ioannem Papam ſecundum, inter Acta quintæ Synodi, pluribus exemplis & teſtimoniis id probans. Eodémque ſpectant, quæ Cyprianus ſuprà; Diuus Auguſtinus lib. *de vnitate Eccleſiæ* cap. 7. epiſt. centeſimâ quinquageſimâ ſecundâ *ad Donatum*. & aliàs ſcribunt; & de Origene poſt mortem damnato referunt Socrates lib. *6*. cap. 17. cap. 40. Nicephorus lib. 7. capite vigeſimo-ſeptimo & vigeſimo-octauo; Liberatus in Breuiario capite decimo-tertio, & alij. E contrà vero nihil ſimile dici poteſt de poteſtate politica, cui mortuis nocendi poteſtas denegatur, teſtimonio ipſius Chriſti Domini Lucæ duodecimo, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant*: Ex quibus verbis non nocere inhumanam quorumdam in ipſa cadauera ſæuitiem iis qui mortui ſunt, ita arguit venerabilis Beda lib. 4. in Lucam capite quinquageſimo ſecundo, *Si perſecutores ſanctorum non habent ampliùs quid faciant: ergo ſuperuacuâ furent inſaniâ, qui mortua martyrum membra feris, auibúſque diſcerpenda proiiciunt, cùm nequaquam omnipotentiæ Dei, quin ea reſuſcitando viuificet, obſiſtere poſſint.*

Poteſtas item ſacra propter Epiſcopatus vnitatem, in ſuo territorio ligatum, vbique ligatum detinet, vt oſtendit Syneſius epiſt. 58. contendunt Iſidorus Peluſiota lib. 3 epiſt. 259. & auctor libri *de duodecim abuſionibus*, & alij: Concilia verò innumera obſeruari iubent: non eadem verò eſt vis & efficacia poteſtatis politicæ, quæ extra territorium ſuum vindictæ & vltionis locum non habet, propter principatuum temporalium differentiam, qui vnum non efficiunt Principatum, ſicut omnes Eccleſiæ efficiunt vnam Eccleſiam.

Præterea pœnæ à Magiſtratu Eccleſiaſtico latæ *claue non errante* ſunt ineuitabiles, excommunicatio, verbi gratiâ, hominem vbilibet apprehendit & ligat: fugere nemo poteſt Epiſcopi iudicium, quin eo percellatur: fugientem cenſura Epiſcopalis ſequitur, & vt notat Panormitanus in caput primum, *de treuga & pace*, non clauditur territorio, ſed ſequitur perſonam; non vi, non dolis euitatur, ſed aggrauatur. Pœnæ corporales in pœnitentiam ab Eccleſia præſcriptæ poſſunt quidem non impleri, ſed nunquam impunè cum culpa prætermittuntur, cùm è contrà corporales pœnæ à Magiſtratu politico ſtatutæ & fugâ, & vi maiore, & dolis ſæpiùs euitentur, & impunè poſſint aliquando prætermitti.

Denique cùm pœnæ, quas ſacra poteſtas infligit, & pœnæ eſſe ſoleant, & medicinæ; Magiſtratus è contrà politicus pœnas non remedia puniendo adhibere ſatagat, præſertim, vbi mortem infert, vt ſuprà ex Auguſtino docuimus.

Exinde etiam patet & efficaciorem ſimpliciter & ſalubriorem, & vniuerſaliorem eſſe ſacram ſeu hierarchicam poteſtatem ſæculari ac politicâ: quemadmodum iam obſeruauimus. Confirmatúrque tum ex aureis iſtis verbis Conſtantini Magni ad Ablauium præfectum prætorio libro primo Codicis Theodoſiani, *de Epiſcoporum iudicio. Multas quæ in iudicio captioſæ præſcriptionis vincula non patiuntur, inueſtigat & promit ſacroſanctæ religionis auctoritas*: tum ex conſentientibus Magni Baſilij verbis

epiſt. 517. Commentarienſi, ἃ γὰρ αἱ τῶν δικαστηρίων πληγαὶ οὐκ ἐργάζονται, ταῦτα ἔγνωμεν πολλάκις τὰ φοβερὰ κρίματα τοῦ κυρίου κατορθοῦντα. *Nam quæ tribunalium officia non potuerunt efficere, ea ipſa tremenda Dei iudicia effeciſſe ſcimus, & ad rectam deduxiſſe rationem.*

CAPVT II.

Vtrùm ſufficiat ad poteſtatem ſeu iuriſdictionem hierarchicam, quòd ſit merè domeſtica ſeu œconomica.

ARTICVLVS I.

Poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe tam œconomicam, quàm publicam.

§. I.

Principia huius concluſionis traduntur.

HIERARCHICA ſeu ſacra poteſtas, ac iuriſdictio, ſi ſecundum omnem ſui amplitudinem concipiatur, haud dubiè tum œconomicæ poteſtati, patricæ, deſpoticæ, & magiſtrorum affinis eſſe reperietur: tum etiam publicæ Regum, Principum, ac magiſtratuū auctoritati ſimilis. Hæc enim omnia officia Paſtores gerunt, & patrum, & magiſtratuum, Principum, & magiſtrorum, ideóque dum ſancti Patres de poteſtate hierarchica diſſerunt, de ea loquuntur aliquando, tanquam de iudiciaria poteſtate, Cyprianus, verbi gratiâ, epiſt. 55. interdum vt patriam poteſtatem eam nobis exhibent, Auguſtinus epiſt. 256. & in Pſalm. 44. alij tanquam Magiſterium & Doctoratum, vt Gregorius paſſim toto libro *curæ Paſtoralis*; alij tanquam principatum, vt Nazianzenus Orat. 20. & epiſt. ad Africanos, & plures ſuprà citati. Eccleſiaſticos quoque Proceres modò *Patres* nominant, Origenes in caput quartum ad Romanos; Ambroſius in Pſalmum 43. Hieronymus in Pſalmum 44 Chryſoſtomus homil. 23. in vndecimum ad Hebræos, & lib. 3. de Sacerdotio; Auguſtinus in Pſalmum 94. & 86. modò *Patresfamilias*, vt Hilarius 14. Canone in Mathæum: modò Magiſtros & Præceptores, vt Gregorius Nyſſenus in Hexameron; Proſper Aquitanicus lib. 2. de vita contemplatiua capite ſecundo: modò Principes, vt ij quos ſuprà citauimus. Quæ omnia, Paſtoris, Præceptoris, Ducis, Principis, capitis elogia complectitur, Chryſoſtomus homiliâ vigeſimâ ad populum Antiochenum; Baſilius verò epiſtolâ ſexageſimâ-ſecundâ Eccleſiæ Neocæſarienſi his ſimilia congerit, Coryphęi, Interpretis, Patris, Principis, Præſidentis: cætera non motor, quæ paſſim in hac diſputatione occurrunt.

Principia verò ex quibus concluditur, quòd poteſtas hierarchica vtrumque contineat, & domeſticum, & publicum ſeu ἀρχικὸν imperium, iſta ſunt, quæ quàm fieri poterit breuiſſimè complectemur.

Primum principium: Religionis officia & publici, & priuati iuris eſſe: publicum enim ius ex definitione Vlpiani leg. 1. §. 2. ff. *de iuſtitia & iure, illud eſt quod ad ſtatum Reipublicæ* (*Romanæ* ipſe adiungit, quia de iure apud Romanos vſitato loquebatur) *priuatum, quod ad ſingulorum vtilitatem.* Non dubium autem eſt, quin ad ſingulorum vtilitatem religioſus Dei cultus pertineat: quin omnibus Dei colendi obligationem vel ipſa lex naturalis priùs impoſuerit, quàm ciuitates conditæ, Reſpublicæ compoſitæ & ordinatæ fuerint: quin homo aut ſibi conſtare, aut moraliter benè apud ſe viuere nequeat, niſi à Dei cultu incipiat, *cùm pietas virtutum omnium fundamentum ſit*, vt habet Ambroſius in Pſalmum 118. Vnde eo titulo priuati iuris Religionis

officia eſſe nemo inficias ire poteſt. Eóque ſenſu Vlpianus tit. cit. leg. 2. religionem erga Deum ſub iure Gentium, eóque priuato collocauit.

Ex alia verò parte quia Deus in ſe vnus eſt, voluit & cultores ſuos idem de ſe ſentire, & communibus officiis ac publicis ritibus diuinam ſuam maieſtatem colere, ne vel falſa credant, vel ſuperſtitione laborent; ideò homines diuerſos in vnum religionis nomen, *aliquo ſignaculorum vel ſacramentorum viſibilium conſortio*, vt habet Diuus Auguſtinus lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. voluit inter ſe conuenire: & ita quæ priuati iuris erat religio, facta eſt publici: quod agnoſcens Vlpianus leg. 1. §. 2. cit. docuit *publicum ius in ſacris, in ſacerdotiis, in magiſtratibus conſiſtere*.

Alterum principium: quandiu vnicuique liberum fuit ex inſtinctu & inſpiratione ſibi priuatim factâ Deum colere: quandiu nonniſi pauciſſima fidei capita, quæ hominibus à Deo reuelata, ad credendum propoſita eſſent; priuata cuiuſque inſtitutio præcipua erat, & priuata ferè religio videbatur, vnoquoque Deum, prout ſpiritus Dei ſuggerebat, hoc vel illo ritu ac ſymbolo venerante, ideóque tunc temporis inſtitutio parentum primas in religione tenebat, quam verbi gratiâ Deus commendat, Gen. 18. vti de Abrahamo, *Scio quòd præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, vt faciant iudicium & iuſtitiam*. Publica tamen non omnino deſerta erat; nam ij qui Prophetæ & Patriarchæ hoc tempore dicebantur, publicam ſacrorum habere videbantur præfecturam, cæteriſque præſidebant; vbi verò plurima diuinitùs reuelata fuerunt publica ſacrorum cura, publica inſtitutio & publica poteſtas magis inclaruerunt quæ obſcuriora hactenus iacuerant; ſacerdotum ordo ab eo tempore certus inſtitutus, diuinæ legis Interpretes ipſi aſſignati ſunt, ſcientia ab ipſorum ore iuſſa eſt peti, dicente Deo per Malachiam cap. 2. *Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius*.

Tertium, hinc in lege naturæ extraordinarij ferè erant, qui publicam ſacrorum curam, & ſacram poteſtatem obtinerent: primus Adamus cum officio Patrisfamilias totius generis humani, cuius primus auctor & parens fuerat, publicam quandam auctoritatem ſacrorum ſibi à Deo diuinitùs datam coniunxit, adeò vt ſicut Eccleſiæ principium, ita & Princeps & veræ Religionis publicus Doctor, magiſter, & fidelium rector haberi poſſet, vt docent Martialis epiſt. ad Burdigalenſes, Epiphanius lib. 1. aduerſus hæreſes, Chryſoſtomus homil. 34. in primam ad Corinthios, & alij. Adamo defuncto penes Seth eius filium, cura religionis publica fuiſſe videtur, qui, vt ait Theodoretus quæſt. 47. in Geneſim, propter eximiam pietatem vocatus eſt Deus: & qui ex eius ſemine prognati fuere, *filij Dei appellati*, Geneſ. 6. cap. Reliquit autem ſuæ pietatis heredem, amplificatorem religioſi cultus, & ſacrorum curatorem ſuo loco Enos, quem Scriptura ait *cœpiſſe inuocare nomen Domini*, Geneſ. 4. hunc ſeptimus ab Adam excepit Henoc, *qui ambulauit cum Deo*, & de finali iudicio prophetauit, teſte Apoſtolo Iuda in epiſtola ſua canonica, cui decedenti ſuffectus Noë, *iuſtitiæ præco* à ſancto Petro dictus 2. epiſt. canonicæ cap. 2. Quos omnes non temere rectores Eccleſiæ nouellæ, ac Doctores, ſed extraordinarios dicere poſſumus, qui nempe diuinitùs à Deo excitati non ſuffragiis humanis, vel propagatione carnali ab hominibus ad magiſtratum vel officium ſacrum gerendum electi, prophetiæ inſuper gratiâ donati hominibus ignoratiâ laborantibus diuina iudicia ac beneficia inculcabant: cùm interim ſacrificia iſtius temporis, nec certa, nec determinata, nec publici iuris eſſent, ſed in vnaquaque familia, pro vniuſcuiuſque arbitrio & conditione offerrentur, ab Abel verbi gratiâ paſtore primogenita gregis & meliora, à Cain agricola de fructibus terræ, vt conſtat ex Geneſ. 4. habebant verò ſingularem iſti præ cæteris extraordinariam quandam prærogatiuam, ac ſacræ poteſtatis excellentiam quandam, cuius in Seth, & Sem Noemi filio mentio fieri videtur Eccl. 49. *Seth & Sem apud homines gloriam adepti ſunt, & ſuper omnium animam in origine Adam*. gloria enim illa gloria eſt poteſtatis ſacræ, qua Seth ſicut & Sem, de quo poſteà, cæteris Adæ poſteris prælatus eſt. Vt cùm neuter temporali dominio præcelluerit, ſed ſacræ auctoritatis faſtigio: ille à patre ad ſacerdotij prærogatiuam deſtinatus in locum Abelis, qui excellenter ſacerdotio functus eſt teſtimonio Pauli ſcribentis ad Hebræos 11. *Fide plurimam hoſtiam Abel, quàm Cain obtulit Deo*: deſtinatum autem eum à patre fuiſſe in Abelis locum, inſinuat Scriptura in iis Euæ verbis, Geneſ. 3. *Poſuit mihi ſemen aliud pro Abel*

quem occidit Cain; quare à patre diligenter inſtitutus poſteros diuinam ſapientiam docuit, teſte Ioſepho lib. 1. Antiquitatum cap. 3. Eadem prærogatiua Enos ex verbis citatis Scripturæ, *quòd inuocare cœperit nomen Domini*, deducitur: neque enim verba iſta aliter interpretari poſſumus, quàm quod ipſe rerum diuinarum ſpecialem curam habuerit, & diuinum cultum ſingulariter amplificauerit, vt eius quodammodo primus auctor videri poſſet: quamuis alij ante ipſum, Deum verè & ſincerè coluiſſent. Vnde etiam factum fuerit, vt qui inter cæteros religioſiores deinceps fuerint, ab eo denominari fuerint Enoſcæi ſcilicet primùm dicti; ac deinde corruptè Eſſeni. Vide Bolducum lib. 1. Eccleſiæ ante legem cap. 10. Henoc verò teſtimonium perhibuit. Irænæus lib. 4. cap. 30. *Quòd placens Deo cùm eſſet homo Dei legatione ad Angelos fungebatur*, id eſt, ſacrâ poteſtate, quæ Dei legatio ab Apoſtolo dicitur ad Epheſios 6. & 2. Cor. 5.

A tempore quoque diluuij ad legem ſcriptam Noemum eodem ſacerdotali officio functum fuiſſe, ſimúlque boni patrisfamilias & Principis politici nemo in controuerſiam reuocat, cui ſucceſſit filius ipſius Sem tabernaculis locíſque ſacris à patre viuente præfectus, ideò Deus noſter, *Deus Sem* dicitur, & Chanaam filius Cham filij Noë *ſeruus eius futurus*, ſeu vt habetur in Hebræo, *ei & Deo ſeruiturus* ſcribitur, Geneſ. 9. ſcilicet ob ſolam ſacerdotij prærogatiuam Semo conuenientem: quo etiam loco ſumma votorum Noë pro Iaphet vno ex filiis ſuis hæc refertur, quæ poteſtatis ſacræ dignitatem Semo attributam fuiſſe oſtendit, *Dilatet*, inquit Noë, *Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem*, id eſt, in Eccleſia, cui Sem præſidebat. Creditur is à quibuſdam fuiſſe Melchiſedech, *Sacerdos Dei altiſſimi*, ab Apoſtolo ad Hebræos 7. prædicatus, qui benedixit Abrahæ, & ab eo primitias recepit, Gen. 14. id enim ex Hebræorum traditione, Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Geneſim, & epiſt. 146. ex Samaritanorum verò traditione; Epiphanius hæreſ. 55. affirmant; aſſentiuntúrque Iſidorus Hiſpalenſis in Chronico, Lyranus, Toſtatus, & alij in Geneſim.

Quam opinionem ſcio viris grauiſſimis & ſanctiſſimis non placuiſſe: ſed nec eam certiſſimis argumentis adſtrui, nec deſtrui poſſe cenſeo, cuius proinde diſcuſſione prætermiſſâ ad Heber filium Sem religionis curam potiſſimam puto perueniſſe, à quo populus à Deo ſelectus Hebræus dictus eſt: cui ſoli continuâ quadam ſerie ſibi ſuccedentes Patriarchæ dati ſunt, Abraham, Iſaac, Iacob, fidei cuſtodes, & rerum ſacrarum procuratores: huic autem Iacob Ruben primogenitum in ſacerdotij officio ſubſtiturum colligitur ex iis verbis Geneſeos 49. *Ruben primogenitus meus, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio.* Sed non diu tenuiſſe hunc locum colligunt aliqui ex ſequentibus verbis, *Effuſus es ſicut aqua non creſcens, quia aſcendiſti cubile patris tui*, &c. quorum & præcedentium ſenſus eſt, ſecundum Hieronymum in quæſtionibus Hebraicis in Geneſim, *Tu Ruben es primogenitus meus maior in liberis: & ſedebas iuxta ordinem natiuitatis tuæ, & hereditatem quæ primogenitis debebatur, ſacerdotium ſcilicet & regnum accipere debebas: hoc quippe in portando onere, & prævalido robore demonſtratur. Verum quia peccaſti, & quaſi aqua quæ vaſculo non tenetur, voluptatis effuſus es impetu, idcirco præcipio tibi, vt vltrà non pecces, ſiſque in fratrum numero, pœnam ex peccato luens, quod primogeniti ordinem perdidiſti.*

Quidam ad Ioſephum tranſlatam iſtam prærogatiuam fuiſſe putant, de qua anteà prædictum fuerat Geneſeos 17. *Incuruentur ante te filij matris tuæ*, & de quo eodem capite iſta prænuntiat Iacob, *filius accreſcens Ioſeph, filius accreſcens*, &c. Sicut enim decrementum Ruben prædicitur, ita accrementum Ioſeph, quæ duo coniuncta erant, quia ſacerdotij dignitatem vnus amittere, alter debebat recipere: aliter tamen alij interpretantur, vt hîc prædicatur ſcepttum temporale tribui Iuda, Pontificalis dignitas Leuiticæ ſuo tempore deferenda, vtraque poteſtate tribus Ruben priuanda.

Porrò in Gentibus per totum orbem diſperſis non eadem ſeries virorum publicam ſacrorum poteſtatem habentium: ſed quoniam, vt habetur Act. 14. *Deus in præteritis generationibus dimiſerat omnes Gentes ingredi vias ſuas*; ſicut vix vllâ aliâ lege fideles huc illuc ſparſi regebantur, quàm naturali, exceptis paucis quibuſdam fidei capitibus, quæ à traditione parentum obſcura acceperant, & fide tenebant, vt ex ſancto Paulo innoteſcit cap. 2. & 3. ad Romanos; ideò Gentes iſtæ publicâ quoque poteſtate ſacrâ deſtituebantur, ſolâ priuatâ quorumdam piorum parentum, & diuinæ

legis præceptorum auctoritate in diuini cultus veritate retenti; quæ cùm vix ſufficeret, ideò ad idola colenda gentium multitudo deſluebat.

Quartum, in eadem lege naturæ ordinarij ſacerdotes poteſtate ſacra præditi, & aliorum inſtitutioni præfecti, erant primogeniti cuiuſque familiæ, qui dominatum habebant inter fratres, Gen. 27. illis benedicebant, illos præcedebant, & maiori parte hereditatis donabantur cap. 24. & ſingulari veſte vtebantur, vt conſtat exemplo Eſaü citato cap. 27. illúdque ex traditione Hebraicâ tradit Hieronymus, *in traditionibus Hebraicis*, epiſt. 127. inſinuatque Auguſtinus in Pſalm. 46. colligiturque ex Scripturis: nam Leuitæ, Num. cap. vlt. *aſſumpti* dicuntur ad cultum Dei loco omnium primogenitorum Iſrael, quia nempe locum tenuerunt, quem primogeniti anteà in vnaquaque familia tenebant, ſacramque poteſtatem, quam illi exercebant, à Deo obtinuerunt. Ab Apoſtolo ad Hebræos 12. *Prophanus Eſau dicitur qui vendidit primogenita ſua*; hinc prophanus dicitur quaſi ſacrilegus, quòd ſacerdotij dignitatem minimè venalem tam vili pretio vendens, vilem ac prophanam arbitratus videatur, ex mente Auguſtini & Hieronymi locis citatis, nec non ſancti Thomæ in eum locum. De his autem primogenitis ſacrâ poteſtate ornatis ante legem latam ſermo eſſe videtur, Exodi 19. vbi dicitur, *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur.* Vnde apparet œconomicum imperium ac domeſticum cum ſacerdotio tunc temporis fuiſſe coniunctum: qui enim primogeniti fratribus ſuis œconomicè imperabant, iidē reſpectu illorum ſacrā poteſtatem exercebant, duplici imperio vtentes, œconomico, & ſacro.

Quintum, in Lege Moſaica ordinaria cœpit eſſe publica ſacrorum poteſtas in Leuitica tribu reſidens, vt conſtat ex Num. 3. *Ego tuli Leuitas à filiis Iſrael pro omni primogenito, qui aperit vuluam in filiis Iſrael*, & aliis paſſim tum hoc libro, tum lib. Leuitici: conueniebat ſiquidem vt ſtatim atque præſcriberentur certæ ceremoniæ ac determinatæ, quibus Deus coleretur, ac publici iuris ſacrificia eſſe inciperent, ſacerdotium quoq; publici iuris eſſet, & publica poteſtas inſtitueretur, quæ ſacrificiis præeſſet, dubia circa illa emergentia ſolueret, myſteria diuina pateſaceret, fideles colligeret, alios ad cœtum & cōmunicationem corporis admitteret, alios arceret. Non enim legitimum vllum corpus inſtitui poteſt, quin & admittendi, & recipiendi in ſuum cœtum poteſtatem habeat. Itaq; ſimul cum determinatione ſacrificiorum, & ritus quo Deus coleretur, cœpit ſacra poteſtas in publicum induci ſtatum; cœpit ordinaria poteſtas, quæ circa res diuinas verſaretur, & vindex eſſet legum diuinarum, quibus religioſus cultus continebatur. Hinc in Moſaica lege, ſicut & in lege gratiæ, excommunicationis vſus inductus fuit, quemadmodum notat Gregorius Nyſſenus, Oratione aduerſus eos qui caſtigationes ægrè ferunt, poſt medium iis verbis, μὴ ἐπισκοπικῆς αὐθαδείας εἶναι τὸν ἀφορισμὸν νομίσῃς· πατρῷος ὁ νόμος. παλαιὸς τῆς ἐκκλησίας κανὼν, ἀπὸ τοῦ νόμου ἀρξάμενος, καὶ κρατυνθεὶς ἐν τῇ χάριτι, *Ne ſegregationem arbitreris eſſe ab Epiſcoporum audacia profectam, paterna lex eſt, antiqua Eccleſiæ regula, quæ à lege traxit originem, & in gratia obtinuit.* Huius ſeparationis exempla ſunt, quòd Iudæi non coutenentur Samaritanis, Ioan. 4. Ideò enim Samaritanos ſpeciem excommunicatorum retuliſſe cenſuit Auguſtinus lib. poſt collationem contra Donatiſtas cap. 20. *Quod iuſſus eſt quidam Propheta, nec panem manducare, nec aquam bibere in Samaria, quò miſſus fuerat, vt corriperet eos qui vaccas conſtituerant adorandas, id in Eccleſia quotidie fieri* docens, *quando eos quos acriùs* Antiſtites *corripiunt, etiamſi in eorum poſſeſſione ſumus, nihil ibi apud eos contingimus, vt ſentiant, quantum eorum peccata doleamus.* Eiuſdem ſeparationis, ſeu excommunicationis apud Iudæos in Scripturis frequens fit mentio, 1. Eſdræ cap. 10. aduerſus eos, qui non venirent iuxta Principum conſilium intra triduum, Ioan. 9. his verbis, *Iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra ſynagogam fieret.* Quibus ſimilia ſunt iſta cap. 12. *Ex Principibus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è ſynagoga non eiicerentur*, & cap. 16. *abſque ſynagogis facient vos*: & Luc. 6. *Beati eritis cùm vos oderint homines & ſeparauerint vos*: quæ ſeparationis pœna inferenda Chriſtum credentibus à Iudæis prædicta fuerat ab Iſaia cap. 66. his verbis, *Fratres veſtri odientes vos, & abiicientes propter nomen meum.* Triplex autem ſecundum Eliam Theſbitem, excommunicationis ſpecies apud Iudæos: prima, quæ vocabatur *Nidui*, erat ſeparatio propter immunditiam ſeu ſpurcitiam legalem, quâ verbi gratiâ leproſi, & mulieres propter menſtrua aut recentem partum immundæ, eiiciebantur:

quæ in lege præſcripta, & ex Scripturis obſeruata colligitur: altera *Cherem*, quæ maledictionis quoddam genus, quod ad corpus ipſum penetrare credebatur. Tertia *Schamatha*, exterminatio, interfectio, & quidem in lege iſta carnali primùm vix vlli leguntur ſeparari ab hominum conſortio niſi propter lepram aut aliam legalem immunditiam: morte corporali ferè omnes, qui diuinam legem tranſgrediebantur, è populo Dei exterminabantur: nam & munditia animæ vix erat propria iſtius legis, *quæ ad perfectum nihil* ex Apoſtolo *adducebat*, pœniſque corporalibus rudior hic populus adigi debebat: vnde & in pœnam leuiorum peccatorum interfecti aliqui leguntur, verbi gratiâ lapidatus, qui ligna die Sabbati collegerat. Lex illa ſiquidem erat duriſſima & ſeueriſſima. Separationis cœpit vſus eſſe communior, cùm ius gladij ipſis ademptum eſt à Romanis, quo tempore cùm *non liceret* ipſis *occidere quemquam*, duplex pœnarum genus ipſis relictum: vnum domeſticum, & quaſi paternum ius, ſcilicet flagellationis, quemadmodum conſtare poteſt ex iis verbis Math. 10. *in Synagogis ſuis flagellabunt vos*; in quem locum notat Gloſſa interlinearis locum correctionis quam ſcilicet adhiberent Pontifices & Sacerdotes, ſynagogam fuiſſe, Math. 23. *Mitto ad vos Prophetas, & ex illis flagellabitis in Synagogis veſtris*, Marc. 13. *in Synagogis vapulabitis*, Act. 22. *Ego eram concludens in carcerem, & cædens per Synagogas eos qui credebant in te.* Loquitur ibi Paulus de ſeipſo in Chriſtianos ſæuiente, auctoritate ſummi Pontificis, à quo literas aduerſus credentes in Chriſtum ad omnes Synagogas acceperat, vt eadem hiſtoria Apoſtolica teſtatur cap. 9. & 22. Ex quibus locis poteſtatem etiam incarcerandi cum poteſtate flagellandi Pontificibus Iudaicis in cauſis Religionis conceſſam fuiſſe innoteſcit, poſtquam ius gladij ipſis ablatum fuiſſet. Alterum publicum ſed ſpiritale relictum pœnæ genus fuit, puta ſeparatio ab omnibus orationibus publicis & conuentibus ſacris, ſeu ab omnibus Synagogis, de templo ipſo Iudaico: nam Synagoga à qua eiiciebantur in Chriſtum credentes citatis Scripturæ locis, & congregationem fidelium Moſis legem profitentium, & loca ſacra in quibus ad orationem vel Scripturarum ſacrarum publicam interpretationem conueniebatur, ſignificare poteſt; ita vt tam à congregatione quàm a loco eiectos ipſos fuiſſe interpretari conueniat.

Sextum, in Moſaica lege etſi ſacrificia publici iuris eſſent ac determinata, quæ à publicis miniſtris Synagogæ publico populi totius nomine offerri deberent, tamen voluit Deus vt ſacrificium aliquod ex iis quæ in lege naturæ inſtituta fuerant, aliquod ſupereſſet quod domeſticum eſſet, & patrumfamilias diſpoſitioni aliquatenus committeretur: ſacrificium iſtud fuit agni Paſchalis, de quo Exodi 12. ſcribitur, *Tollat vnuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas*, &c. *immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam Paſchæ*, &c. Licet enim ex opinione Claudij de Sainctes repetitione primâ de Euchariſtia, Abulenſis quæſt. 44. in Exodum, Serrarij in Ioſue cap. 3. quæſt. 22. Lorini in Leuitici cap. 23. & aliorum, Sacerdotibus reſeruata credatur Agni Paſchalis iugulatio, adeò vt vnuſquiſque paterfamilias curare deberet, vt agnus Paſchalis, quem pro familia ſua ſelegerat, ad Sacerdotes mactandus deferretur; ideóque in eo loco in quo eſſet tabernaculum comedendus eſſet, vt conſtat ex capite 16. Deuteronomij: nihilominus penes patremfamilias, ſaltem eius præparationis, coctionis, & aſſationis cura præcipua erat, eiuſdemque inſpectioni commiſſum ac prouidentiæ, vt cætera ad eſum agni neceſſaria diſponeret, & ritus præſcripti in eius comeſtione ſeruarentur: item officium ipſius erat eiuſdem agni ſanguine ſuperliminaria domus ſuæ liniendi, vt colligitur ex capite citato Exodi; atque adeò imperfecta quædam ſacerdotalis poteſtas penes Iudæos relicta erat, œconomica duntaxat & domeſtica, cùm Agnus Paſchalis non in publico templo aut æde publica: ſed in priuata domo ab omnibus eiuſdem familiæ collectis comederetur.

Septimum, in eadem quoque Moſaica lege imperium quodammodo œconomicum, ſeu domeſticum, quod habebat ſummus Pontifex in Sacerdotes & Leuitas inferiores ex pluribus capitibus colligi poteſt: tum quòd res omnes templi, quæque eidem templo, aut ad miniſterium, aut ad victum ſacerdotum inferebantur, ſummi Pontificis prouidentiæ committerentur. Omnem ſiquidem templi ſuppellectilem, inſtrumentáque diuini cultus, vaſa aurea & argentea Leuitæ in templo, moderante ſummo Pontifice, ſinguli iuxta ordinem ſuum aſſeruabant, vt deſcribitur cap. 3. & 4. Num.

Digitized by Google

pecunia ad templi inſtaurationem debita in Pontificis tanquam patrisfamilias poteſtate erat, de qua ſcilicet cap. 3. citato dicitur, *dabiſque pecuniam Aaron, & filiis eius pretium eorum qui ſupra ſunt.*

Eandem pecuniam, iam votiuam quàm viritim per modum tributi, ſacerdotes iuxta ordinem ſuum à populo ſub præfectura ſummi Pontificis accipiebant, vt colligitur ex cap 12. lib. 4. Regum. Ioiadas poſteà ſacerdos ordinem iſtum monente Rege Ioas immutauit, *& ſumpſit*, inquit Scriptura loco citato, *Ioiadas gazophylacium vnum, & poſuit iuxta altare ad dextram ingredientium domum Domini*, &c. Quod etiam deſcribitur 2. Paralipomenon 32. vbi & præpoſiti magni ſacerdotis fit mentio; coram quo & præpoſitis regiis arca iſta reſerari ſoleret, vt ex ea pecunia ad ſarta tecta templi inſtauranda & reficienda prouidentiâ ſummi Pontificis impenderentur, & quod reliquum erat in ſacerdotes diuideretur: quod lucrum cùm ſpectarent quidam corruptæ conſcientiæ ſacerdotes ac Doctores Iudaici, qui magna ex parte erant ex Leuitica tribu, inordinato animi feruore oblationem quæ fiebat in vſum templi, cuius ſe participes eſſe ſperabant, honori parentum, & ſubſidio ipſis debito præferebant, Mathæi 15. & quod per aurum templi fieret iuramentum, ſanctius ac religioſius eſſe prædicabant, quam quod per ipſum templum, Math. 23. quemadmodum in iſta loca Scripturæ communiter obſeruarunt ſancti Patres. Oniæ quoque ſummi Pontificis & ſacerdotum cura, ne deprædationi ærarium Hieroſolymitanum pateret, neve depoſita in eo aſſeruata ab Heliodoro Regis Antiochi miniſtro auferrentur, ſatis indicat, ea omnia ſacerdotum cuſtodiæ, præſertim ſummi Pontificis curæ fuiſſe commiſſa.

Denique eandem domeſticam ſollicitudinem ac poteſtatem ſummi Pontificis circa decimas à Leuitis collectas cæteris ſacerdotibus diſtribuendas; hæc teſtimonia Scripturarum oſtendunt 2. Eſdræ 10. *Erit autem ſacerdos filius Aaron, cum Leuitis in decimis Leuitarum; & Leuitæ decimam partem decimæ ſuæ in domo Dei noſtri ad Gazophylacium in domo theſauri*, Num. 18. *dixit Aaron ſacerdoti*, Num. 18. *Locutus eſt Dominus ad Aaron, ecce dedi tibi cuſtodiam primitiarum mearum*, & alia paſſim.

Legatur & Ioſephus Antiquitatum Iudaicarum lib. 20. cap. 6. & 8. quibus ſummorum quorumdam Pontificum violentiam & abuſum conceſſæ poteſtatis circa decimarum ſacerdotibus debitarum diſtributionem, eum fuiſſe queritur, vt pauperiores ex inferioribus ſacerdotibus aliqui, alimentorum inopiâ, fame deficerent.

Ad perſonas quoque Leuitici generis in officio continendas poteſtatem quandam œconomicam, ſeu mauis principantem obſeruare poſſumus. Numerorum ſiquidem 3 & 4. capite, variæ Leuitarum familiæ recenſentur, ſingulíſque Princeps aliquis præficitur, omnibus ſcilicet ex vnaquaque familia ad ſacra miniſteria procuranda tanquam Dux aut Pædagogus præpoſitus, *Princeps autem Principum Leuitarum Eleazar filius Aaron ſacerdotis* aſſignatur eodem cap. 3. eadémque miniſteria *iubente Aaron*, executioni demandanda præſcribuntur cap. 4. Vetus etiam forma refertur 1. Paralip. cap. 24. ſecundum quam diſtincti erant Sacerdotes & Leuitæ in plures familias, quibus ſingulis Principes quidam & Duces aſſignati, qui omnes Eleazaro & Ithamar filiis Aaron ſuberant *ſub manu Aaron patris eorum*, id eſt, ſub diſpoſitione & gubernatione Aaronis ſummi Pontificis. Iuxta hunc veterem ordinem Dauid Leuitas ſimiliter & ſacerdotes diſtinxiſſe refertur eiuſdem libri capitibus ſequentibus duobus: ex capite verò 24. Hieremiæ patet, quanta eſſet ſupra ſacerdotes, & quoluis Dei miniſtros ſummi Pontificis poteſtas, vt eos etiam in carcerem conici iuberet ac puniri. Quæ omnia fuſiorem longe & vberiorem explicationem exigerent, alibi fortè à nobis tradendam. Sufficiat de ſummi Pontificis Iudaici, qui figura erat Epiſcopi in vnaquaque Diœceſi, poteſtate, ex Ioſepho iſta referre lib. 2. contra Appionem, *Sacerdotibus autem in commune quidem res præcipuas diſpenſare lex permittit: ſummo verò Pontifici aliorum ſacerdotum Principatum competenter iniungit.*

§. II.

Ex prædictis principiis oſtenditur, quòd poteſtas ſacra nouæ legis tam œconomica quàm publica eſſe debeat.

EX iis autem principiis colligitur, poteſtatem ſacram ſeu hierarchicam à Chriſto inſtitutam admitti debere, quæ & œconomici imperij particeps ſit, & publici; quæ vtrumque complectatur tam boni patrisfamilias quàm boni Principis ac Magiſtratus officium. Primò enim poteſtatis ſacræ eadem debet eſſe amplitudo, quæ iuris iſtius, quo Religionis officia continentur: nam cùm Religionis officia præſcribere debeat, quotuplex ius erit, quo fideles populi ad diuinum cultum adſtringantur, tot reſpectus ſacra poteſtas & denominationes ſubire poterit. Atqui duplex ius nos ad Religionis officia, diuinúmque cultum obligat; publicum, & priuatum, ſeu domeſticum: duplex ergo poteſtas ſacra in Eccleſia; vna publica, quæ Religionis cultum, quatenus communi lege præſcriptus eſt, fouet, communéſque leges, quibus fideles omnes obligantur, communes ritus, quibus inter ſe ad vnitatem corporis Eccleſiæ conflandam colligantur, tutatur, & renitentes communibus ſacrificio, precibus, ſuffragiis priuat, & à publicis conuentibus publicóque omni commercio orationis, conuictus ac colloquij ablegat: altera domeſtica, quæ Religionem, quatenus ad vniuſcuiuſque ſalutem ſpectat, priuatique iuris eſt, tuetur, quæ priuatam vniuſcuiuſque inſtructionem ſatagit, & carnalis patrisfamilias, cui nec doctrina aliquando ſufficiens, nec auctoritas conueniens præſto eſt, officium ſupplet.

Secundò, legis Euangelicæ ſacerdotium, tam Aaronis ſacerdotio, quod eſt legis Moſaicæ, quam Melchiſedech, quod eſt legis naturæ, in Scripturis comparatur: nam & figurabatur ſacerdotij noſtri gratia ſeu vnctio myſtica Spiritus ſancti, per vnctionem ſymbolicam Aaronis apud Dauidem Pſalm. 132. iis verbis, *Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron*; & vocatio noſtra ad ſacerdotium vocationi Aaron æquiparatur, ad Heb. 5. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*; & fusè Chriſtianum ſacerdotium cum Aaronico, ad Heb. 9. cap. tanquam exemplar cum exemplato, veritas cum vmbra confertur. Sed in lege Moſaica fuit poteſtas ſacrorum publica ordinaria: in lege verò naturæ poteſtas ſacra ordinaria fuit, œconomica & domeſtica ex prædictis: publica verò aliqua etiam fuit, ſed extraordinaria. Quare cùm poteſtas legis Euangelicæ, vt pote amplior, & longè perfectior, ſit ſumma & compendium illius vniuerſæ poteſtatis, quæ in vtraque lege à Deo conceſſa fuiſſe creditur, oportet quòd vtramque poteſtatem hierarchia nouæ legis complectatur, ac perfectiùs contineat: debétque hierarchica poteſtas in noua lege à Deo inſtituta reſpondere tam domeſtico imperio, quod patresfamilias ſeu primogeniti in vnaquaque familia circa ſacra habebant, tum etiam publico iſti principali imperio, quo ſacerdotes Aaronici in lege Moſaica donabantur.

Tertiò, quin etiam cùm ſacerdotium Aaronicum, quoad poteſtatem & gubernandi rationem expreſſior fuerit figura atque repræſentatio ſacerdotij Euangelici, quàm vllum aliud legis naturæ, in qua ſcilicet rudi duntaxat operâ, & primoribus coloribus Eccleſia deſignata fuerat, necdum corpus vllum Religionis nomine perfectum coaluerat; debet vtique ſacra ſeu Eccleſiaſtica poteſtas nouæ legis ex analogia cum poteſtate ſacerdotum legis Moſaicæ expendi: ita ſcilicet vt quidquid dignitatis habuit ſacerdotium veteris legis, quidquid poteſtatis hierarchica Moſaica, id totum ſacerdotio Euangelico, & hierarchiæ Eccleſiaſticæ à Chriſto conſtitutæ debeat meliori titulo attribui. Tantò enim melius ſortiti ſumus miniſterium, quantò & melioris teſtamenti ſub Chriſto mediatores ſumus, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt, vt colligere poſſumus ex Apoſtolo ad Heb. 8. à quo etiam argumentationem iſtam deſumere poſſumus ex 2. Cor. 3. quia *idoneos nos Chriſtus fecit miniſtros noui Teſtamenti, non literâ ſed Spiritu. Quòd ſi miniſtratio mortis literis deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere filij Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur: quomodo non magis miniſtratio Spiritus erit in gloria? nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt; multò magis abundat miniſtratio iuſtitiæ in gloria.* Ve-

rùm ex prædictis conſtat hierarchiam Moſaicam, ſeu Sacerdotum Moſaicorum poteſtatem, circa templum, res templi, reditus ſacerdotales diuinis vſibus aut Sacerdotum Leuitarumque alimentis conſecratos, Sacerdotum ac Leuitarum directionem, aliáque id genus, œconomicam fuiſſe; eandem circa legis diuinæ interpretationem, veræ fidei declarationem, errorum condemnationem, aliáque ſimilia publicam extitiſſe; & vtrumque munus, tum patrumfamilias, præceptorum ac dominorum; tum Iudicum & Magiſtratuum in aliis negotiis geſſiſſe. Igitur ne quid minus noſtro ſacerdotio, & hierarchiæ in noua lege, ex Chriſti inſtitutione conuenire dici poſſit, vtraque poteſtas ſacerdotibus nouæ legis tribuenda eſt.

In hoc duntaxat nouæ legis & antiquæ diſpar videtur eſſe ratio; quòd ſacrificium nouæ legis vnicum ſit, illúdque publicum, non vni duntaxat nationi commune, ſed toti orbi; de quo nempe Malach. 1. prædictum eſt, *Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus*: cuius tanta virtus atque efficacia eſt, vt omnes vbique fideles vniat atque conſtringat, quemadmodum docuit Apoſtolus 1. Corinth. 10. *Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus*; atque ideò nullum apud nos ſacrificium domeſticum, nulla domeſtica poteſtas ſacrificandi, nulla hierarchia niſi publica.

§. III.

Ex aliis vtraque poteſtas, domeſtica & publica, Eccleſiæ conuenire demonſtratur.

ALIA quoque principia generalia ſunt, ex quibus vtraque poteſtas gubernandi tam œconomica ſeu domeſtica quàm publica, ac politicæ ſimilis, Eccleſiæ conuenire demonſtrari poteſt.

Primum illud ſit quod Eccleſia non ſolùm in Scripturis ſacris, ciuitatis, verùm etiam domus & familiæ; nec ſolùm familiæ & domus, verùm etiam ciuitatis nomine donetur, *ciuitas Dei* dicitur *ciuitas Regis magni*, *ciuitas Domini virtutum*, Pſal. 45. Pſal. 86. & 100. *Ciuitas munita*, Pſal. 107. *ædificatur vt ciuitas*, Pſal. 121. *Ciuitas Dei viuentis*, ad Heb. 12. paſſim in Apocalypſi, *Ciuitas Dei*, *ciuitas magna*, *ciuitas ſancta de cælo deſcendens*, & alibi paſſim: *regnum cælorum vocatur*, Math. 13. & 20. Marc. 1. & 4. *regnum filij dilectionis ſuæ*, ad Coloſſ. 1. & ſimilibus pluribus elogiis exornatur, quæ nimirùm indicant Eccleſiam publicâ aliquâ auctoritate inſtar ciuitatis & regni gubernari. Dicitur quoque *domus Dei*, *domus Domini*, Pſal. 22. 23. 35. 54. & aliis pluribus: *domus Chriſti* in parabola Luc. 13. *Domus Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & fundamentum veritatis*, 1. ad Tim. 3. *ædificata ſupra firmam petram*, Math 7. *Super fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*, ad Epheſ. 2. *Magna domus in qua quædam vaſa ſunt ad honorem, quædam ad contumeliam*, 2. ad Tim. 2. aliis tandem epithetis inſignitur, quæ domeſticam eius gubernationem arguunt. Nec ſolùm Eccleſia aliqua ſingularis, verùm & vniuerſalis Eccleſia, propter iſtam gubernationis formam domus dicitur; quod eleganter oſtendit Ambroſius ſeu aliquis coætaneus in cap. 3. prioris ad Tim. iis verbis, *Cùm totus mundus Dei ſit, tamen domus eius Eccleſia dicitur, cuius hodie rector eſt Damaſus.*

Alterum, quod & domeſticas Eccleſias in priuatorum domibus collectas, in Scripturis ſacris nonnunquam legamus, verbi gratiâ ad Philippenſes 4. vbi hæc habentur, *Salutate fratres qui ſunt Laodiceæ, & Nympham, & quæ in domo eius eſt, Eccleſiam eorum*: & 1. Cor. 16. *cum domeſtica ſua Eccleſia.* Domeſtica autem Eccleſia minime diceretur, niſi hoc commune haberet cum familia ac domo, quòd imperio œconomico Paſtoris tanquam patrisfamilias curâ ac prouidentiâ regatur.

Tertium, quòd qui in Eccleſiam conſcribuntur, duplici iure ciuitatis & familiæ potiri dicantur, modóque nobis exhibeantur, tanquam in aliquam familiam adſciti, modò tanquam ciuitate donati: quod vtrumque euidenter conſtat ex cap. 2. ad Eph. vbi Apoſtolus Chriſtianæ fidei initiatos *ciues ſanctorum* vocat, *& domeſticos Dei*; quos aliquando hoſpites & aduenas fuiſſe oſtendit; hoſpites quidem, quia non erant anteà de domo Dei; aduenas autem, qui iure ciuitatis Eccleſiaſticæ minimè gaudebant.

Idem

Idem quoque Apoſtolus Chriſtianos, qui nobis vinculo fidei & gratiæ coniuncti ſunt, *domeſticos fidei* vocat, ad Galat. 6. Circa verò priorem locum Pauli ad Epheſios notat D. Thomas lectione 6. in dictum caput, collegium fidelium quandoque domum vocari, quandoque ciuitatem, propter imperium œconomicum & politicum quod in Eccleſia reperitur. Oeconomicum præſertim attendendum ratione rectoris, quia Eccleſiæ rector pater noſter eſt, Math. 6. *Pater noſter, qui es in cælis*: & Hierem. 3. *Patrem vocabis me*: politicum reperiri ratione actuum publicorum, in quibus fideles ſibi inuicem communicant; ad quorum explicationem adiungemus politicum, ſeu potiùs quaſi politicum imperium Eccleſiæ præſertim in eo animaduerti, quòd bona, quorum per Eccleſiæ ingreſſum participes reddimur, ſint maximè communia, quippe quæ iacturam nullam ſubdant, ex eo quòd à pluribus poſſideantur, ſed toti humano generi, ſine vlla ſui diminutione obtinenda proponantur: domeſticum verò maximè eſſe, quod & à Deo & à Paſtoribus Dei miniſtris domeſticâ curâ, & paternâ pietate maximè gubernetur.

Quartum; quia Paſtores Chriſtianorum aliquando Reges, Principes, Duces, Magiſtratus nuncupantur: aliquando verò Paſtores, œconomi, diſpenſatores, adminiſtratores; quibus duobus nominum generibus, priori quidem imperium œconomicum, poſteriori publicum ſeu quaſi politicum innuitur. Principes dici Eccleſiaſticos Præſules paſſim toto hoc opere demonſtrauimus. Reges quoque ipſos nuncupatos ex iis conſtat, quòd Arnobius in Pſalmum 137. Apoſtolos à Dauide pronuntiatos expoſuit, dum dixit, *Confiteantur tibi omnes Reges terræ*. Quòd Hieronymus in Pſal. 2. eoſdem exponat, de quibus idem Pſaltes regius ſcripſerat, *Et nunc Reges intelligite omnes, qui iudicatis terram*, id eſt, Eccleſiam: quod Baſilius in cap. 13. Iſaiæ, in iſto verſu Iſaiæ, *Vox Regum & Gentium congregatarum*, Regum nomine Eccleſiæ Præſules intelligendos eſſe demonſtret: quòd Ambroſius in Pſal. 118. expendens verba iſta Dauidis, *Loquebar de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum*, Reges Sacerdotes eſſe interpretetur, qui poteſtate regali flectere animos & demulcere poſſunt.

Reges autem vocantur propter monarchiam, ſeu vnius principatum, quamuis enim hierarchiam maluerint ſibi Pontifices vendicare quàm monarchiam, nec iiſdem paſſim quibus temporales Reges titulis ornari voluerint: tamen & monarchiam pro ſacro Principatu dictam legimus ab Hilario Papa epiſt. 7. Leontio Arelatenſi, iis verbis, *Miramur fraternitatem tuam ita legis Catholicæ immemorem eſſe, vt quæque iniqua, & contra noſtrorum Patrum ſtatuta in prouincia, quæ ad monarchiam tuam pertinet, ſi ipſe aut non vis, aut non potes, etiam nec nos ſilentij tui taciturnitate per nittas corrigere.*

Iudices etiam vocantur non ſolùm Epiſcopi, ſed & Presbyteri, & Diaconi, verbi gratiâ, ab Hieronymo in cap. 3. Micheæ: & Senatores ab eodem in cap. 3. Iſaiæ, & ab Ambroſio in cap. 1. ad Tim. & ab aliis paſſim eiuſmodi nominibus à Patribus donantur. Quin etiam Scriptura ſacra inter Paſtores & populos eandem differentiam adhibuit, Ezech. 33. quæ inter ſpeculatores ſeu Magiſtratus, & ſuperintendentes, atque vrbis incolas: paſſimque [illegible], Præpoſiti & Præſidentes à Patribus Clerici ſeu Paſtores nuncupantur. Ex alia verò parte Patres dictos fuiſſe Clericos ſuperiùs oſtendimus, citaríque poſſunt pro hoc Epiſcoporum & Clericorum elogio Origenes ad cap. 4. ad Rom. Athanaſius epiſt. ad ſolitariam vitam agentes; Hilarius Can. 14. in Math. Ambroſius in Pſal. 43. Chryſoſtomus hom. 23. in 11. ad Heb. & lib. 3. de ſacerdotio; Hieronymus epiſt. 1. 9. & 10. Auguſtinus in Pſal. 44. 86. & 94. Iuſtinianus ptout refertur in collatione Antonij Augnſtini, vbi de Epiſcopo, & alij paſſim. Quam Patris & liberorum cum Eccleſiaſtico Doctore & diſcipulo comparationem egregiè exponit Nyſſenus Orat. de reſurrectione, ſcribens de homine Chriſtiano, *Fœtus hic per fidem concipitur, & per Baptiſmi regenerationem in lucem editur, nutrix illius eſt Eccleſia; mamma pia doctrina, & inſtituta; cibus eſt panis cæleſtis; ætatis perfectio, ſublimis viuendi ratio.* Cur autem Patres dicuntur Eccleſiarũ proceres, niſi propter paternum imperium quod æmulantur? Alia eiuſmodi œconomici imperij nomina, quæ Clericis tribuuntur, prætermitto; ex Scripturis ſolùm in memoriam reuoco, inter Clericos, quibus animarum cura commiſſa eſt, & populos eorum fideicommiſſos

Pp

eandem analogiam colligi, quæ intercedit inter *paſtores & oues* paſſim: *diſpenſatores & familiam*, Math. 24. *operarios & meſſem*, Lucæ 10. *Architectos & lapides* in ædificium diſponendos, 1. Pet. 2. *ſeminatores & agrum*, Math. 13. *Agricolas & culturam*, 1. Corinth. 3 *Doctores & diſcipulorum ordines*, 1. Corinth. 12. Quæ omnia & ſimilia oſtendunt domeſticam poteſtatem & operam Eccleſiaſticis Paſtoribus in ſibi ſubditos conuenientem: atque adeò concludendum duplicem poteſtatem iiſdem Eccleſiæ Præſulibus competere: quâ duplici poteſtate exornati deſcribuntur Eccleſiaſt. 44. iis verbis, *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua.* (en paternæ poteſtatis & domeſticæ teſtimonium) *dominantes in poteſtatibus ſuis, homines magni virtute & prudentiâ ſuâ prediti, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum*: en poteſtatis publicæ egregium argumentum & encomium.

ARTICVLVS II.

Differentiæ quædam inter poteſtatem œconomicam & publicam traduntur.

NON poſſunt ea quæ hactenus diximus conſentaneè intelligi, niſi diſcrimen inter duplicem iſtam poteſtatem ſtatuatur, eam ſcilicet quæ dicitur œconomica & patrica: & illam quæ eſt publica, politicæ ſimilis: quæ vtraque Eccleſiæ conuenit: ſed poſterior Eccleſiaſtica in ſtrictiori ſignificato dicitur, quia ſacer eſt Eccleſiæ Principatus, politicam gubernationem referens, licèt ab ea in pluribus abſimilis, & Eccleſiæ maximè propria eſt, nec vllis niſi Eccleſiaſticis perſonis, Eccleſiaſticâ dignitate conſpicuis conuenit.

Hæc autem præcipua differentia inter vtramque iſtam poteſtatem intercedit: quòd publica de rebus totius Eccleſiæ communibus diſponat, vel eas ex officio publico moderando, ordinando, procurando, vel ad ipſas aliquos admittendo, aut reiiciendo: vt pote quæ in manu ſunt illius qui poteſtatem publicam habet, qui proinde eo titulo Chriſti miniſter, iudex & diſcretor populorum publicus, Eccleſiæ diſpenſator conſtitutus eſt. Oeconomica verò poteſtas, vt talis eſt, non verſatur circa adminiſtrationem bonorum iſtorum Eccleſiæ communium, vt ea vel ordinet vel diſponat, vel cuiquam ex officio publico aut exhibeat, aut deneget, neque miniſtros Chriſti, aut publico muneri Eccleſiaſticos præfectos habentes conſtituit.

Ex quo principio concluditur omnem hierarchicorum ordinum poteſtatem, Diaconorum, Presbyterorum & Epiſcoporum, quæ vulgò *Ordinis* poteſtas ſeu *Ordinationis* dicitur; de qua priori libro diſſeruimus, publicam eſſe, quippe quæ verſetur circa Sacramentorum ſeu ſacramentalium, quæ Sacramentorum naturam imitantur, diſtributionem, vel confectionem: Eadémque ratio eius iuriſdictionis quam ordini ſacro intextam atque implicatam diximus, quæ & ipſa publica eſt, ſicut & ſacri ordinis miniſterium ac functio publica, putà vice Chriſti, & publico Eccleſiæ nomine.

Difficultas igitur duplex præcipuè ſupereſt; vna circa poteſtatem inſtructionis ſeu catecheſeos, & inſtitutionis ſacræ: altera circa puniendi vel abſoluendi à pœna, alioſque actus qui punitioni vel abſolutioni præmittuntur, cuiuſmodi ſunt citatio, admiſſio accuſationis, examen teſtium, cognitio cauſæ, aliáque ad litis inſtructionem neceſſaria: eorum enim actuum duplex eſſe poteſt poteſtas, vna publica, altera œconomica, ſeu domeſtica.

Poteſtas circa fidelium ſacram inſtructionem & inſtitutionem domeſtica à publica diſtinguitur dupliciex cap. 1. quia publica ſeu quæ exercetur ex officio publico, cuiuſuis conditionis, ſtatus, ſexúſque ad inſtruendum & docendum admittit, cuiuſmodi eſt poteſtas Epiſcoporum & Parochorum: œconomica certæ tantùm conditionis perſonas, ſexus, ſtatus vel conditionis recipit: cuiuſmodi erat poteſtas Diaconiſſarum, quæ duntaxat ad inſtruendas fœminas extendebatur, ne nimia cum viris frequentia vel mali ſuſpicionem præberet, vel occaſionem,

vt innuit Clemens Alexandrinus lib. 3. ſtromatum pag. 448. editionis Pariſienſis, cuiuſmodi poteſtas Abbatiſſarum, quæ ad ſuas tantùm Moniales inſtruendas extenditur: poteſtas patrumfamilias, quæ eos ſolùm complectitur, qui ſuæ ſunt familiæ & domus, v. g. liberos, famulos aut ſeruos; & idem dicas de aliis qui publicam docendi prouinciam minimè ſuſcipiunt, quamuis domus ſuæ fidelem curam gerentes ſuorum domeſticorum per ſe vel per alios inſtruendorum onus impoſitum ſuis humeris gerant. Secundò, quia poteſtas omnis ſeu auctoritas, etiam ea quæ officium docendi & inſtruendi coniunctum habet, cum aliqua puniendi poteſtate debet eſſe coniuncta: nam, v. g. parentes in liberos, domini in ſeruos, magiſtri in diſcipulos ſuæ poteſtati commiſſos, quoſque ex officio docendos ſuſcipiunt, poteſtatem aliquam coercitiuam habere debent, maiorem vel minorem, putà vel obiurgationem, vel punitionem corporalem, vel indictionem mulctæ pecuniariæ ex conuentione ſoluendæ, vel exheredationem, vel priuationem boni alicuius publici, aut quid ſimile. Quare quæ poteſtas inſtructiua poteſtati coercitiuæ publicæ coniuncta erit, & coercitionem publicam in ſubditos exercere poterit, ea quoque publica cenſenda eſt: cui verò poteſtati tantùm œconomica coercitiua adnectetur, ſeu quæ domeſticam tantùm exercebit coercitionem, illa erit domeſtica & œconomica. Quocirca Epiſcopi, v.g. qui cenſuris Eccleſiaſticis, quæ ſunt publicæ pœnæ, quæ priuant nos bonis publicis totius Eccleſiæ, vel malè ſentientes, vel ſacram doctrinam addiſcere negligentes coercere poſſunt & in officio ſuo continere, publicam docendi poteſtatem quocunque titulo obtinent. Itidem & Parochi, qui nimirùm priuandi ſacrâ Communione poteſtatem habent, eos qui circa ſacram doctrinam, vel per errorem, vel per ignorantiam & negligentiam addiſcendi ſacra myſteria & Chriſtianæ Religionis officia labuntur; ſiue illam poteſtatē habeant, tanquam Legiſlatores, ſiue tanquam executores publicæ excommunicationis ab Epiſcopo latæ, qua de re iam non agimus; dummodo ex officio habeant, vt pote quibus ſacramentorum diſtribuendorum officium publicum commiſſum eſt, munuſq; iniunctum, vt dignos tantùm recipiāt, indignos verò arceant.

Poteſtas denique coercitiua, quæ & ipſa ad abſoluendum ſeſe extendit: eiuſdem enim eſt ſoluere cuius eſt ligare: nam iniquum eſſet iudicem condemnandi ſolam poteſtatem habere, ademptâ poteſtate abſoluendi: poteſtas, inquam, illa coercitiua dignoſcitur eſſe publica, ſi publicas pœnas infligere poſſit: domeſtica ſi domeſticas: pœna verò publica dicitur, tum quæ eſt priuatio boni publici, cuiuſmodi eſt exilium, quâ quis patriâ & ciuitate, quæ bona ſunt publica, priuatur: mors quæ nos & iis & cæteris omnibus priuat: tum quæ non ſolùm in detrimentum eius qui punitur, verùm etiam ipſius Reip. cedit, vt occiſio, vel mutilatio alicuius, quia nempe per occiſionem hominis, Reſpublica alicuius membri iacturam facit: per mutilationem inutile habet aliquod ſuum membrum, quod numerum tantùm ciuium deinceps augebit, & ad fruges conſumendas aptum erit, non ad laborem aut cæterorum defenſionem ac iuuamen: vnde hæc pœna non eſt ex genere ſuo œconomica, licèt Romanorū olim iure, & patribus in liberos, lege fin. & ibi Gloſſa 1. Cod. *de patria poteſtate*, & dominis in ſeruos concederetur; quæ poteſtas etiam reſpectu ſeruorum reſtricta fuit eadem lege. Tum denique quæ publicæ infamiæ coniuncta eſt, cuiuſmodi eſt flagellatio per iudicis ſententiam, quæ fit à carnifice. Domeſticæ verò pœnæ vocantur correptiones, obiurgationes, flagellationes, cæteræque id genus, quæ intra domeſticos parietes infliguntur, nullámq; infamiam publicam coniunctam habent, nullum toti Reip. detrimentum inferunt: cuiuſmodi ſunt vel priuati cuiuſdam, ac domeſtici boni priuatio, v.g. exheredatio liberorum à patre, vel corporalis quædā punitio, ſiue publica infamia: aliæ ſunt notæ quibus coercitiua poteſtas domeſtica à publica diſcerni ac dignoſci poteſt, eo loco explicādæ.

Prima igitur nota eſt, quòd aduerſus publicos peccatores poteſtas publica procedere poſſit, id eſt, aduerſus eos qui malè famati ſunt, vel teſtibus oculatis conuinci poſſunt, cùm iudex in ea inquirere ordinariè non poſſit quæ occulta ſunt, ac probari non poſſunt, vt cauetur edicto Iuſtiniani, *ad reprimendum*, *quando in læſæ maieſtatis crimine*, cap. *inquiſitionis*, & cap. *accedens*, de accuſationibus, Gloſſa *Appellatio*, in cap. *Licèt*, *de officio Ordinarij*, Canone *in cunctis*, vndecimâ, quæſtione 3.

Canone *Nullum ante*, 30. quæſtione 5. domeſtica verò poteſtas etiam in occulta crimina inquirit, & ſuæ familiæ hominem ad occulti criminis confeſſionem & expiationem nonnunquam compellit: imò iis præſertim cauendis & auerruncandis parentes maximè inuigilare debent.

Altera, poteſtas publica formam ordinémque iudiciorum religioſè ſeruare debet, ideóque tanquam præambula præire ſolent ea, quibus lis ſolemniter intentari ſolet apud iudicem, putà publici iudicis aditio, citatio, contumacia, excuſatio, poſtulatio, Procurator, Aduocatus, dilationes & feriæ, ſatiſdatio, libellus, exceptio, mutuæ petitiones, ſeu reconuentiones, ordo conuentionum, &c. tum iſta ſubſequi ad ſententiam obtinendam magis neceſſaria, putà litis conteſtatio, iuſiurandum, probationes, concluſio ſeu diſputatio, &c. Denique vltimo loco poſt ſententiam latam hæc adiungi adſcriptio ſententiæ à publico actuario, relatio in acta publica, denunciatio rei iudicatæ, executio eiuſdem per Officiales & Apparitores, diſpunctiones rationum impenſarum in litem, & alia id genus: quorum plurima ſaltem à domeſticis iudiciis abeſſe ſolent, eorúmque omnium ordinatio & diſpoſitio procul ab illis arcetur, in quibus bonæ fidei plus datur, quàm accuratæ iſti & exactæ iudiciorum diſpoſitioni.

Tertia nota, poteſtas domeſtica pœnas ſuas intra domeſticos parietes continet, ideóque domeſticam animaduerſionem nemo debet coram aliis propalare, vt paſſim morales Theologi docent: latere debet quod intra familiam geritur. Nec ſi domeſtica pœna nota ſit, infamiam certam per ſe inurit: quemadmodum oſtendit lex iſta Imperatoris Alexandri, *Inuentio*, quæ eſt 13. Cod. *Ex quibus cauſis infamia irrogatur*, iis verbis, *Ea quæ pater teſtamento ſuo filios increpans ſcripſit, infames quidem filios iure non faciunt: ſed apud bonos & graues opinionem eius qui patri diſplicuit, onerant.* Neque infames ſunt liberi, qui ex patris teſtamento publici iuris facto notati ſunt, ſed inquirendæ ſemper veritatis locus relinquitur, lege *Imperatores*, §. *Mulier*, ff. *de probatione*; & heredes etiam cum conuitiis inſtitui poſſunt, lege. 9. § 7. ff. *de heredibus inſtituendis*: etiam cum maledicto, lege 48. ff. eodem. E contrà verò poteſtas publica pœnam habet publicam, quam vulgare flagitioſum non eſt, neque iniuſtum. Vnde & damnatos à publico iudice *duntaxat iniuriæ perpetuum edictum infamat*, lege *non damnatos*, Codice *ex quibus cauſis infamia irrogetur*; ſtatímque pronuntiationem iudicis infamia conſequitur, lege *Decuriones*, ff. eodem, cap. *Cùm te, de re iudicata*, Canone *Euphemium*, §. *Hinc*, ſecundâ, quæſtione tertiâ, & alibi paſſim.

ARTICVLVS III.

Poteſtatem merè domeſticam ſeu œconomicam ad hierarchiam non ſufficere, ſed publicam requiri.

QVÆ hactenus docuimus oſtendunt qualis ſit Eccleſiaſtica poteſtas, quæ & iuriſdictio nonnunquam dici ſolet; eadémque nobis viam aperiunt ad quæſtionis anteà propoſitæ ſolutionem, vtrum nempe ſufficiat ad hierarchiam Eccleſiaſticam, ſeu ſacrum Principatum poteſtas aliqua merè domeſtica, quæ nullatenus ſit publica, nec poteſtati ciuili, ſeu politicæ comparari poſſit, ſed inferioris cuiuſdam & gradus ſit, & dignitatis.

Cui quæſtioni negatiuè reſpondemus, pro certo ſtatuentes poteſtatem, quæ nullatenus ſit publica, ſed merè domeſtica, præcisè hierarchicam non eſſe, nec ad hierarchiam ſufficere.

Primò, quia hierarchia vt ipſum nomen ſonat, *ſacer eſt Principatus*, ſed neque patrica aut alia œconomica poteſtas dici ſolet Principatus, neque paterfamilias, eo titulo quo paterfamilias eſt, Principis nomine donatur, vt ex communi loquendi vſu innoteſcit, quin immò Scriptura ſacra Principes duntaxat vocare ſolet, vel Reges, vel eos, qui regni ſunt proceres, v.g. Exod. 22. Eſth. 16. Iob 12. Pſ. 2. necnon

ſeptuageſimo-quinto in fine, & centeſimo-ſexto prope finem, itémque 112. 117. 145. Prouerbiorum decimo-ſexto, decimo-ſeptimo, 18. 28. 29. Eccleſiaſtici decimo; Eccleſiaſtæ nono; Iſaiæ primo, tertio, trigeſimo-ſecundo; Threnorum primo; Ezechielis vigeſimo-ſecundo, Oſeæ ſeptimo, Micheæ tertio, Ioannis 12. prioris ad Corinthios 2. ad Titum quarto, & alibi paſſim. Vnde & Gloſſa Clementina vnica, verbo *Regum, de Baptiſmo*, (quam ibi Cardinalis dicit eſſe ſingularem,) vocis iſtius, *Princeps*, varias ſignificationes referens, Principem ſumi pro patrefamilias non meminit: Sed, inquit, Deus dicitur *Princeps pacis*, Eſaiæ 9. *Deus Princeps, pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Interdum Angelus de ſe dicens, Ioſue 9. Ego ſum Princeps exercitus; interdum Papa, de conſecratione, diſtinctione 1. cap. Corpora; interdum Epiſcopi, de maioritate & obedientia, cap. Si quis. Vel alij iudices Eccleſiaſtici, 17. quæſtione quarta, Canone, definiuit, in fine. Imperator, de re iudicata, cap. Ad Apoſtolicam, in principio libri ſexti. Rex, de ſacra vnctione, capite vnico, verſu, Vnde in veteri; de accuſationibus, cap. Veniens; de electione, cap. Innotuit; de Baptiſmo, cap. Maiores, circa finem; 45. diſtinctione, Canone de Iudæis. Vel alius principatus populo, de maioritate & obedientia, Canone, Omnes. Exodi 22. Principi populi tui non maledices; vel loco, de Iudæis, capite Iudæi, & capite ſequenti, & capite, In nonnullis, in fine; de vſuris, capite quinto, & primo de Iudæis, capite primo in principio; de hæreticis, cap. Cùm ſecundum, in fine; de homicidio, cap. Pro humani, libro ſexto.* Ex qua Gloſſa ad propoſitum elicere poſſumus, nimirùm Principis nomen, quod ſupremo omnium Principi, & Angelo ordinis cuiuſque, vel hierarchiæ duci publicam poteſtatem quandam habenti conuenit, in terris nonniſi duobus generibus hominum communicari poſſe, putà iis, qui publicam vel Eccleſiaſticam habent poteſtatem, cuiuſmodi ſunt Papa, Epiſcopi, vel alij Iudices Eccleſiaſtici; vel mundanam & politicam, cuiuſmodi ſunt Imperator, Rex, vel alius principatum in populum exercens, vel loco alicui Præfectus, tanquam Marchio, Comes, aut Baro, quos ſcilicet nomine Principum in ampla ſignificatione ſumi notat: vel qui auguſtiori vel maiori poteſtate fruuntur, quæ regiæ dignitati comparari mereatur, quam ſtrictiorem Principis acceptionem eſſe obſeruat, ex Clementina citata, & Decretali *fundamenta, de electione.*

Hæc autem maximè conſentiunt iis, quæ de hierarchiæ nomine lib. 1. docuimus, nimirùm Hierarchas abſolutè & ſtrictè eos ſolùm dici, qui ſummo ſacerdotio funguntur, atque adeo ſimpliciter vocantur ſacri Principes, & Eccleſiæ Principes, putà pro Papa, & Epiſcopis, qui Imperatori, Regi, Principibus ſummam poteſtatem in populos & loca habentibus, licèt aliquando Imperatoribus & Regibus ſubordinatam, & iure feudi ſeu inueſtituræ ab iis dependentem, æquiparari ſolent. Largiùs Iudices omnes Eccleſiaſticos, qui officium iudicandi ordinarium ſuſceperunt, cuiuſmodi ſunt Archidiaconi, Officiales, Vicarij generales; & per analogiam quandam Parochi ipſi, qui in cauſis minoribus ſaltem de plano iudicandi habent poteſtatem, & in foro interno de cauſis ſpiritalibus propriè iudicant, habentes ligandi & ſoluendi ordinariam poteſtatem. Vnde tria notari poſſunt: 1. ſacri Principis elogium ſimpliciter, abſolutè & perfectiſſimè Epiſcopis tribui, qui nimirùm hierarchiæ ſunt capita, & omnem hierarchicæ functionis ſummam complectuntur, ab vno tamen ſummo Pontifice dependentem eique ſubordinatam.

Alterum, Presbyteros quoque, & Diaconos, quicumque vel in foro interiori vel exteriori ordinariam iudicandi poteſtatem inferioris ordinis habent, officiúmque iſtiuſmodi gerunt, eos quoque ſacros Principes & Hierarchas dici poſſe: ſed non adeo perfectè, ac illi qui ſummam habent in ſuo genere poteſtatem, & ſummi ſacerdotes à Patribus paſſim appellantur, putà ſacræ noſtræ Religionis Antiſtites & Epiſcopi, quemadmodum paſſim toto iſto opere docuimus & docebimus.

Tertium, quod ad probationem præſentis concluſionis propiùs accedit, Principem neminem ſiue in Scripturis ſacris, ſiue in iure Canonico vocari, atque adeo Eccleſiæ iudicio neminem pro ſacro Principe, & Hierarcha haberi, niſi qui ordinariam iudicandi vel in foro interno vel externo poteſtatem habet, qualem habent Epiſcopi in primo gradu conſtituti, Presbyteri, Parochi, & Vicarij generales, Epiſcopi Officiales, Archidiaconi, aliíque ſimilis dignitatis, qui publico Eccleſiæ nomine poteſtatem

aliquam, ac proinde publicam ſibi vendicant: non autem eos Hierarchas vel hierarchicos dici, ſeu ſacro Principatui inſeri, qui œconomicâ ſeu domeſticâ poteſtate potiuntur.

Quæ autem circa nomen Principis notauimus, eadem circa nomen Principatus notari poſſunt, ipſum nempe nunquam ſumi, niſi pro eminenti poteſtate publica, vel ſaltem pro publica inferioris conditionis; in Angelis Principatus nomen admittitur non pro qualibet poteſtate, ſed præcelſa & eximia, ad Rom. 8. ad Epheſ. 1. & 3. ad Coloſſ. 1. & 2. Iudæ verſ. 6. Principatus enim & Dominationes, inter eos Angelos qui ad exteriora mundi huius viſibilis negotia mittuntur, cæteris præcellunt beatis ſpiritibus, qui huius mundi adminiſtrationi præficiuntur ex communi Patrum ſententia. Nec Principatus, vbi hominibus applicatur, ſumitur vnquam niſi pro publica poteſtate, verbi gratiâ, Prouerb. 29. *Cum impij ſumpſerint Principatum gemet populus*, Eccleſ. 10. *Principatus ſenſati ſtabilis erit.* Quibus concordant varia loca Deuterom. 33. verſ. 21. Ioſue 11. verſ. 10. Iudic. 5. verſ. 11. Pſal. 138. verſ. 17. Iſaiæ 9. v. 6. 1. Mach. c. 7. verſ. 31. cap. 10. verſ. 52. cap. 11. verſ. 27. 2. Machab. cap. 4. verſ. 10. & 27. cap. 5. v. 7. cap. 9 verſ. 23. cap. 13. verſ. 3. Luc. 20. verſ. 20. Ex qua acceptione nominis Principatus concludi poteſt hierarchiam, quæ eſt ſacer Principatus, nunquam ſumi pro poteſtate publica, nec domeſticam ſeu œconomicam ad hierarchiam, id eſt, ſacrum Principatum ſufficere.

Confirmatur iſta Principis & Principatus acceptio ex iure ciuili; etenim paſſim Principes in iure ciuili dicuntur Imperatores, & qui ſummam rerum poteſtatem habent, ac Principatus pro ſummo imperio vſurpatur, vt toto titulo, ff. *de conſtitutionibus Principum*; & lege *Princeps*, ff. *de legibus*, §. *Sed & quod Principi*, Inſtitutionum, *de iure naturali*, & alibi paſſim. Conſentitque Theophylus in Inſtitutionibus: Principes etiam ciuitatis dicuntur Magiſtratus; eo enim ſenſu Principem ciuitatis interpretatur Modeſtinus in lege *Spadonem*, §. *Si ciuitatis Princeps*, ff. *de excuſatione tutorum*: paſſim verò illi *Principales* vocantur in iure, verbi gratiâ, lege 27. § penult. & lege vlt. §. *de pœnis*, lege 41. ff. *de liberorum cauſis*, lege 2. *ad filiorum*, Cod. *quando & quibus*, lege vnicâ in fine, Cod. *de lucratiua deſcriptione*, lege 33. & 40. Cod. *de cohortalibus*, lege 42. ff. *de Decurionibus*, lege 4. Cod. Theodoſiani, *de extraordinarijs muneribus*, & alibi paſſim. Quibus conſentiunt Tertullianus lib. ad Scapulam cap. 4. in fine iis verbis, *Quòd ipſa Carthago paſſura eſt decimanda à te, cum propinquos, cùm contubernales ſuos illic vnuſquiſque cognouerit, cùm viderit illic fortaſſe & tui ordinis viros & matronas, & Principales quaſque perſonas.* Firmicus lib. 5. Math. cap. 2. Iſidorus lib. 2. etymologiarum cap. 4. & alij paſſim. Quæ omnia prædictis maximè conſentiunt, nimirùm præſertim conuenire Epiſcopis, vt Principes ſacri ſeu Hierarchæ ſimpliciter ac ſine addito dicantur, Parochis verò & aliis inferioribus ſub Epiſcopi imperio ſacris Magiſtratibus, vt ſecundum quid *Hierarchæ* appellentur, ſeu ſacri Principes, conuenientiùs autem *hierarchici* aut *in ſacris Principales.* Iis verò qui nullum ſacrum Magiſtratum gerunt, nullum publicum officium, nullam publicam auctoritatem habent; ſed œconomicâ aliquâ poteſtate ac dignitate in ſacris fruuntur, eos nec Hierarchas nec hierarchicos, nec Principes nec Principales dici poſſe, nec ſacri Principatus participes, conſortéſque haberi, aut in hierarchia agentium ac Myſtarum locum propriè obtinere.

Huic affinis eſt ſecunda illa probatio, etenim eadem proportione ſeruatâ, ratio videtur eſſe hierarchiæ, quæ ciuilis ſeu politicæ poteſtatis: quippe cùm tanquam membra condiſtincta & oppoſita; ac proinde ſub eodem genere collocata, duæ iſtæ poteſtates à ſummis Pontificibus, Imperatoribus & Patribus à nobis initio huius libri prolatis referantur. Atqui nemo ciuilis, ſeu politicæ gubernationis particeps eſt, nemo tanquam Principalis aut Princeps in ciuitate, prouinciâ, vel regno cogitatur, niſi qui publicam aliquam habet poteſtatem: ſola patrisfamilias ſeu œconomica poteſtas neminem ad principalem ciuitatis dignitatem aut gradum promouet: ergo à pari nec poteſtas patrica aut deſpotica, ſeu quæuis alia œconomica quemquam ad hierarchicam dignitatem promouet, aut hierarchiam vel hierarchicam dignitatem conſtituit.

Tertia probatio. Poteſtas hierarchica ſacro ordini ex prædictis debet eſſe contex-

ta, & connaturaliter illigata: atqui poteſtas œconomica ſeu domeſtica etiam quatenus ſacra reſpicit pietatem ac diuinum cultum, non eſt ſacro ordini illigata vel connaturaliter connexa, quippe quæ non ordinatis conueniat, ac merè laicis tam viris, quàm fœminis. Antiquum enim præceptum eſt rationi conforme & naturæ conſentaneum, vt parentes, qui auctores ſunt natiuitatis, iidem quoque inſtitutionis ad pietatem & honeſtatem auctores ac doctores exiſtant. Atque adeò cura iſta parentibus à Deo commiſſa eſt Exodi 12. *Cuſtodi verbum iſtud legitimum tibi & filiis tuis in æternum: cùm introieritis terram, quam Dominus daturus eſt vobis, vt pollicitus eſt, obſeruabitis cæremonias iſtas: & cùm dixerint vobis filij veſtri, quæ eſt iſta religio, dicetis eis*, &c. & capite ſequenti verſ. 8. *Narrabiſque filio tuo in die illo dicens, hoc eſt quod fecit mihi Dominus, quando egreſſus ſum de Ægypto*, & verſ. 14. *Cúmque interrogauerit te filius tuus cras dicens, quid eſt hoc? reſpondebis ei, in manu forti eduxit nos Dominus*, &c. Deuter. 4. *Congrega ad me populum, vt audiant ſermones meos, & vt diſcant timere me omni tempore quo viuent in terra, doceántque filios*, & cap. ſequenti, verſ. 7. *Et narrabis ea filiis tuis, & meditaberis ſedens in domo tua*. Itémque verſ. 20. & 21. *Cum interrogauerit te filius tuus cras dicens, quid ſibi volunt teſtimonia hæc, dices ei, ſerui eramus Pharaonis*, &c. & verſ. 21. *Docete filios veſtros, vt illa meditentur*. Denique cap. 32. *Ponite corda veſtra ad omnia verba, quæ ego teſtificor vobis hodie, vt mandetis ea filiis veſtris cuſtodire, & facere, & complere vniuerſa quæ ſcripta ſunt legis huius*. Ioſue 4. verſ. 6 & 7. *Quando interrogauerint vos filij veſtri cras dicendo, quid ſibi volunt lapides iſti? reſpondebitis eis*, &c. quæ repetuntur eodem cap. v. 21 & 22. Pſal. 43. *Deus auribus noſtris*, &c. *Patres noſtri annuntiauerunt nobis*. & 77. *Quanta mandauit Patribus noſtris, nota facere ea filiis noſtris vt cognoſcat generatio altera*; Prouerb. 13. *Qui parcit virgæ ſuæ, odit filium ſuum, qui autem diligit illum, inſtanter erudit*: 23. *Audi patrem tuum, qui genuit te*: & 29. *Erudi filium tuum & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ*: Eſaiæ 38. *Pater filiis notam faciet veritatem tuam*: Ioëlis 1. *Super hoc filiis veſtris narrate, & filij veſtri filiis ſuis, & filij eorum generationi alteri*. Huiuſq; præceptum, ne ſolius veteris Teſtamenti dicatur, inculcatum legitur in nouo ad Eph. 6. *Et vos Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini*, ad Heb. 1. *Quis enim filius quem non corripit pater?* Item, *Deinde Patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos*, &c. Exempla quoque huius rei paſſim in Scripturis ſacris habentur, quibus paternum illud officium conſtat. Dominorum etiam erga ſeruos ſimilia officia præſcribuntur ad Epheſios 6. v. 9 & ad Coloſſ. 4. Iis aſſentiuntur Patres, Clemens Alexandrinus lib. 1. Pædagogi cap. 9. Ambroſius lib. 6. Hexameron cap. 4 Chryſoſtomus homil. 27. in epiſt. ad Rom. 5. in epiſt. ad Heb. & lib. 3. aduerſus vituperatores vitæ Monaſticæ, Auguſtinus lib. 19. de Ciuitate Dei, cap. 17. Iſidorus lib. 9. Originum, cap. 4. Saluianus lib. 1. contra auaritiam, & alij paſſim. Laicis ergo conuenit domeſtica educatio & inſtitutio liberorum, qui tamen propriè non habent locum in hierarchia, nec tanquam Principes ſacri, ſed vt ſubditi, & laici cogitantur: quod admittit quidem Chryſoſtomus hom. 29. in epiſt. ad Romanos in fine, & Paſtorem laicum agere poſſe ſuæ familiæ, domeſticumque eiuſdem eſſe poſſe Doctorem; vt tamen qui ſuæ familiæ Doctorem egerit illum non Principem, τὸν ἄρχοντα, ſed τὸν ἀρχόμενον, *ſubditum* appellet, quaſi hierarchizatum non hierarchizantem, ſic enim ibidem loquitur: ἔξεστι γὰρ καὶ ἀρχομένῳ ἐν μέρει εἶναι ποιμένα τῆς οἰκίας, τῶν φίλων, τῶν οἰκετῶν, τῆς γυναικὸς, τῶν παίδων, *Licet enim & ſubdito Paſtorem agere domus ſuæ, amicorum, domeſticorum, vxoris, liberorum*: in quibus verbis œconomicæ poteſtatis, vt ſe extendit ad diuinum cultum & ad pietatem edocendam, quæque Paſtoralis dici poſſit, ab hierarchica ſeu principante diſtinctionem animaduertis, quippe cùm bonum patremfamilias ἀρχόμενα: ſeu ſubditum Principi, non ἄρχοντα, ſeu Principem dicere debeas, cùm tamen τὸν ποιμένα τῆς οἰκίας, *familiæ Paſtorem* vocare queas.

Quarta, ordinibus hierarchicis initiandos diſtinxit ſanctus Paulus à bono patrefamilias, eó que optauit priùs bonos patresfamilias eſſe, quàm aut Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi crearentur: hanc enim legem ſtatuit circa Epiſcoporum (quo nomine primi & ſecundi ordinis ſacerdotes ipſum complecti conſentiunt Patres) creationem, *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſuæ domus bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate: ſi quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Ec-*

cleſiæ Dei diligentiam habebit? & omnino parem circa Diaconorum ordinationem cautionem adhibet, *Diaconos ſimiliter pudicos, qui filiis ſuis bene præſint, & ſuis domibus*. Si autem Apoſtoli verba, rationémque expendamus, reperiemus eius mentem fuiſſe, domeſticam curam Eccleſiaſticæ Præfecturæ ſeu ſacro Principatui, quem hierarchiam dicimus, oppoſuiſſe; & quidem ordinaſſe, vt rectè adminiſtratæ priuatæ familiæ gloria gradus ſit, & probatio ad maioris regiminis opus, & Eccleſiaſticæ Præfecturæ publicam functionem ac publicum officium, cui vt pote maiori & digniori muneri impar ſit, qui minori gerendo minùs idoneus repertus fuerit, iuxta illud Lucæ 13. *Qui in modico iniquus eſt, & in maiori iniquus erit*, vt notant in eum locum Bruno & Anſelmus. Sed præſtat audire Chryſoſtomum homil. 10. in priorem iſtam epiſtolam ad Timotheum, τοῦτο καὶ οἱ ἔξωθεν φασὶν, ὅτι ὁ οἰκονομικὸς, καὶ πολιτικὸς ἂν γένοιτο ταχέως, *Hoc & externæ ſapientiæ auctores aiunt, Et qui familiam ſuam adminiſtrauerit, res quoque publicæ conuenienter poſsit contrectare negotia*. Et paulò pòſt. εὐκολώτερον δὲ τῆς οἰκίας ἄρχειν· ὁ τοίνυν ταῦτα καλῶς οὐκ οἰκονομήσας, πῶς τὰ τῆς ἐκκλησίας οἰκονομῆσαι δυνήσεται. *Eſt autem longè facilius domum quàm Eccleſiam regere: qui igitur rem familiarem, vt dixi, diſpenſare congruè neſcit, is quo pacto Eccleſiæ præeſſe conuenienter poſſe putandus eſt?* Idem ſcripſit Oecumenius in eundem locum, domus adminiſtrationem gubernationi τῆς ἐκκλησίας καὶ λαοῦ, *Eccleſiæ & populi* opponens, vt hæc publica ſit, illa œconomica; hæc difficilior, illa facilior: ac proinde tum ex mente ſancti Pauli, tum ex iſtorum Patrum interpretatione colligitur hierarchiam, ad quam quis per ordinationem in Epiſcopum, Presbyterum, vel Diaconum promouetur, poteſtatem eſſe publicam, œconomicâ ſeu domeſticâ ſuperiorem atque difficiliorem.

Quinta, quia vt ſuperiùs oſtendimus, regiæ poteſtati, ac publicæ Magiſtratus politici, poteſtas hierarchica & Eccleſiaſtica comparatur; nec comparatur ſolùm, ſed ei iure paſſim præfertur à Patribus: atqui non benè regiæ, vel Magiſtratus ciuilis poteſtati compararetur poteſtas Eccleſiaſtica, quæ foret merè domeſtica, neque ei iure præferretur: nam certum eſt poteſtatem domeſticam inferioris ordinis eſſe ac dignitatis qualibet politicâ. Igitur poteſtas hierarchica debet eſſe publica, nec ſufficit quòd ſit merè domeſtica.

Confirmatur: nam omnis poteſtas œconomica debet alicui poteſtati ſubordinari: ſicut familia quæuis, & bonum familiæ ſubordinantur ciuitati & bono ciuitatis; quippe cùm nulla ſit familia, quæ non alicuius ciuitatis ſeu Reipublicæ membrum ſit.

Ex quo principio ſic argumentari licet, Poteſtas hierarchica Eccleſiæ, quæ publica eſſe negaretur, deberet ſubordinari alicui poteſtati publicæ vel mundanæ, vel ſacræ: non mundanæ, quia poteſtates ſacra, & mundana ſunt diuerſi ordinis ac diſparatæ ex prædictis; ac proinde vna alteri ſubordinari non poteſt: multò minùs Eccleſiaſtica mundanæ, quæ eâ nobilior eſt: non etiam ſacræ poteſt dici ſubordinari: iam enim duplex eſſet poteſtas hierarchica; vna merè domeſtica nullatenus publica, altera verò publica; vnde non vnius generis eſſet hierarchica poteſtas: ſatius autem eſt, vt quæ poteſtas Eccleſiæ merè eſt domeſtica, hæc negetur eſſe præcisè eo titulo hierarchica, & vnius generis conſtituatur hierarchica poteſtas, perfectior vel imperfectior; perfectior in Epiſcopis, imperfectior in Presbyteris & Diaconis; in vtriſque publica. Igitur poteſtas hierarchica omnis debet eſſe publica.

Sexta, notæ poteſtatis publicæ ſunt ex prædictis, miniſterium publicum, bonorum communium adminiſtratio & diſpenſatio, vel eorundem ſubſtractio, coercitio publica, omnis generis ſexus & conditionis admiſſio ad inſtructionem & perfectionem: atqui poteſtati hierarchicæ hæc omnia conueniunt. Primò enim miniſterium hierarchicum eſt publicum, & publica functio, ex quo ſcilicet commodum ad ſingulos, vniuerſóſque peruenit, quale munus publicum dicitur lege 239. §. *munus*, ff. *de verborum ſignificatione* publicum eſt, quia ad Eccleſiæ, vt eſt publica quædam ſocietas, adminiſtrationem pertinet, in qua poſiti ſunt primùm Apoſtoli, 2. Prophetæ 3. Doctores, id eſt, hierarchici viri, *ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei*. ad Eph. 4. publicum eſt, quia qui eo funguntur, *miniſtri ſunt Chriſti &*

diſpenſatores myſteriorum Dei, ex Apoſtolo 1. Corinthiorum 4. vt miniſtri Chriſti, eius quodammodo vicarij ſunt poteſtate maiori vel minori ſubordinatâ alteri vel ſuperiori præditi, eiuſdémque legati, iuxta illud eiuſdem Apoſtoli 2. Corinth. 5. *Pro Chriſto ergo legatione fungimur*, & ad Epheſ. 6. *Pro quo legatione fungor*; cuius rei ratio eſt, quia Chriſtus ex Dionyſio ſummus ipſe Hierarcha, in quem omnis hierarchia terminatur; cæteri poteſtate ab ipſo acceptâ, eiúſque nomine & virtute officiis hierarchicis incumbunt: atqui legatio pro Principe, & vicariatus Principis, procul dubio poteſtas publica eſt, vt patet ex cap. 1. & 2. *de officio legati*, quibus legatus & officium publicum, & dignitatem habere dicitur.

Secundò, bonorum publicorum adminiſtratio hierarchicis perſonis conceditur: conſtituuntur enim diſpenſatores myſteriorum Dei citato cap. 4. prioris ad Cor. myſteria autem Dei publica ſunt; conſtituuntur ex officio diſpenſatores & diſtributores tum ſacramentorum, tum diuini verbi, illiſque committuntur, vt ex Dionyſio alibi docuimus, ἱερουργίαι, καὶ ἱερολογίαι, *ſacrorum operationes & ſacri ſermones*: ſacra porrò & religioſa inter ea recenſentur, quæ maximè publica ſunt, lege 17. ff. *de verborum ſignificatione*.

Tertiò, coercitio hierarchiæ maximè propria eſt ſubſtractio cibi communis Euchariſtici, à cuius non ſolùm ſumptione, verùm etiam aſpectu arcebantur, qui vigorem animi ſufficientem & diſpoſitionem neceſſariam non haberent, vt docet Dionyſius cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ: eáque præcipua pœna & maxima ab Eccleſiaſtica poteſtate infligenda, quemadmodum inſinuat Tertullianus Apologetici cap 39. hęc autem pœna publica eſt, itaque & poteſtas hierarchica publica cenſeri debet.

Confirmatur: etenim ſi ordines omnes hierarchicos conſideramus, ſiue Epiſcoporum, ſiue Presbyterorum, ſiue Diaconorum, illis omnibus conuenit publicam adhibere cenſuram, non tantùm publicæ correptionis & obiurgationis, verùm etiam publicæ abſtentionis ſeu ſuſpenſionis à ſacris: de Epiſcopis res eſt certiſſima, quibus haud dubiè poteſtas excommunicandi conuenit: & Presbyteris quoque parochianis, & aliis, quibus officium iudicandi tribuitur, res non minùs eſt clara: priores enim quibus animarum cura committitur, debent ex officio cauere, ne ſancta dentur canibus, non margaritæ proiiciantur ante porcos: ac proinde proſpicere tenentur, ne quis indignè ſacram Euchariſtiam ſumat, & ad ſacram menſam accedat, atque adeò publicâ poteſtate arcendi indignos ab ea ſacrâ menſâ præditi haud dubiè eſſe debent: poſteriores verò iuriſdictionem ſuam tueri debent conuenientibus pœnis; ac proinde cùm excommunicatio ſit pœna iuriſdictioni ſpiritali tuendæ conueniens ac proportionata, & huius infligendæ debent habere poteſtatem. Diaconi quoque hierarchici, & Eccleſiaſticæ adminiſtrationi intenti, eadem poteſtate fruuntur, quod cùm pluribus probari poſſit, teſtimonia Dionyſij & Chryſoſtomi luculenter id demonſtrare videntur; Dionyſij quidem, qui Diaconorum hierarchicum miniſterium ideo καθαρτικὸν, & διακριτικὸν, *Purgatiuum & diſcretiuum* vocat cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, quòd eorum munus ſit immundos à ſacris arcere, eoſque à reliqua plebe fideli ſegregare: quod & olim in Eccleſia ſeruabatur, in qua ex vetuſto more (qui in liturgiis omnibus antiquis pręſcribitur, cuius meminit Chryſoſtomus homil. 51. & 60. ad populum Antiochenum, & 83. in Mathęum, atque aliâ *de non contemnenda Eccleſia & miniſteriis*; denique 17. ad Hebræos) Diaconi immundos à peracta Catechumenorum Miſſa, vbi ad ſacrificium veniretur, & *Sancta ſanctis* deberi proclamaſſent, ex officio abigebant. Sed præſtat ipſum Chryſoſtomum audire homil. pręſertim 83. citatâ in Mathæum, cuius verba homil. 60. ad populum Antiochenum, & homil. de non contemnenda Eccleſia ſimiliter exſcribuntur. Ibi enim quæ ſit Diaconi poteſtas circa immundos à ſacris abigendos disertè & expreſsè meminit; vbi enim neminem impium ad ſacram menſam accedere conteſtatus eſt, hæc ſubdit, ταῦτα πρὸς ὑμᾶς τοὺς μεταλαμβάνοντας λέγω, καὶ πρὸς ὑμᾶς τοὺς διακονουμένους. καὶ γὰρ ἀναγκαῖον καὶ πρὸς ὑμᾶς διαλεχθῆναι, ὥστε μετὰ πολλῆς τῆς σπουδῆς διανέμειν [ταῦτα] τὰ δῶρα. οὐ μικρὰ κόλασις ὑμῖν ἐστιν, εἰ συνειδότες τινὶ πονηρίαν συγχωρήσητε μετασχεῖν ταύτης τῆς τραπέζης, τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐκ τῶν χειρῶν

ἐκζητηθήσεται τῶν ὑμετέρων, κἂν στρατηγός τις ᾖ, κἂν ὕπαρχος, κἂν αὐτὸς ὁ τὸ διάδημα περικείμενος, ἀναξίως δὲ προσίῃ, κώλυσον. μείζονα ἐκείνου τὴν ἐξουσίαν ἔχεις, *Hæc tam ad vos qui communicatis, quàm ad vos qui miniſtratis, dicta eſſe volo. Oportet enim etiam eadem ad vos dicere, vt magno ſtudio & diligenti curà dona hæc diſtribuatis: non parua vobis imminet pœna, ſi quem aliquà improbitate teneri ſcientes, ei huius menſæ participationem permittatis. Sanguis enim eius ex manibus requiretur veſtris: ſi dux igitur quiſpiam, ſi Conſul ipſe, ſi quis diademate ornatus, indignè adeat: cohibe & coerce; maiorem tu illo habes poteſtatem.*

Quartò denique, poteſtati hierarchicæ, ſiue Epiſcopali, ſiue Presbyterali, ſiue Diaconali ſubduntur per ſe, & ſublatis priuilegiis quilibet ex fidelibus populis cuiuſlibet ſexus, conditionis, ſtatus. Ij enim & Epiſcopis ſuis & Parochis, & Archidiaconis parere coguntur ex lege, & ordine hierarchiæ Eccleſiaſticæ, quemadmodum & Eccleſiaſtici paſſim Canones, & ipſa conſuetudo inueterata demonſtrant; quod vltimum publicæ poteſtatis argumentum eſt. Nam è contrà nec patribusfamilias, nec magiſtris alicuius Scholæ, nec Abbatibus aut Præpoſitis regularibus cuiuſlibet ſtatus & conditionis Chriſtiani ſubduntur, nec ordinariè, niſi huius vel illius ſexus homines, quibus proinde poteſtas potiùs œconomica, quàm publica ex ſua inſtitutione conuenit.

Septima & vltima probatio, quia conſecratio ad officium poteſtatiſque paſtoralis ac hierarchicæ miniſterium publica eſt, nimirùm ſacra ipſa ordinatio, quæ cùm ſit ſacramentum à Chriſto inſtitutum, non poteſt non publica conſecratio haberi: eſt autem illa ſacra ordinatio, conſecratio quædam quâ ad hierarchica munia deſtinatur & conſecratur Epiſcopus, Parochus, & quicunque alius hierarchici gradus. Licet enim ex vſu Eccleſiæ præſentis ſeparata eſſe ſoleat iuriſdictionis ordinariæ collatio à ſacra ordinatione, & plurimi ante ſacram ordinationem ſuſceptam ad beneficium parochiale, cui cura animarum adnexa eſt, & poteſtas paſtoralis, aut aliud cui iuriſdictio alligata, verbi gratiâ, Archidiaconatum, eligi poſſint, licèt item multi quoque quotidie ordinentur ſine titulo Eccleſiaſtico, & regimine Paſtorali: nihilominùs certum eſt inſtitutioni Chriſti congruum eſſe, vt ordo iuriſdictioni, & iuriſdictio ordini alligata ſint, vt alibi docuimus: nec decere ordinationem eſſe inutilem aut otioſam, vel ipſam iuriſdictionem abſque ſacro ordine in ſubiecto minimè connaturali diu manere: ac proinde patet ex eadem Chriſti inſtitutione ad functiones Paſtoralis muneris ſeu hierarchicas ordinationem ſacram per ſe referri, potiùſque ad illas ex proprio officio & titulo obeundas, quàm alieno; quia delegata poteſtas in propriæ locum dumtaxat ſufficitur.

Sed & ipſa collatio muneris Curati vel Archidiaconi, vel alterius dignitatis euiſdem notæ, quæ fit ab Epiſcopo, & inter Eccleſiaſticos proceres hominem transferibit, haud dubiè & ipſa publica eſt, ad quam olim Cleri ac plebis ſuffragiis aſcendebatur, vt conſtat ex epiſt. Siricij, Can. 9. Carthag. III. Concilij Can. 22. Carthaginenſis item IV. Can. 22. Hieronymi teſtimonio epiſt. 4. ad Ruſticum, 85. ad Euagrium, & Iſidori apud Gratianum diſtinct. 63. Can. *Si in plebibus*, Ticinenſis Synodi Can. 4. & aliis: quæ ſolemnitas electionis vbi deſiit, non ceſſauit eſſe publica, quæ publico Pontificis elogio fieri ſemper debuit: igitur poteſtas, quæ per illam publicam deſtinationem accipitur, publica cenſenda eſt.

CAPVT III.

De conditione hierarchicæ poteſtatis, vt ſit neceſſaria ratione ſubditi, ſeu patientis.

ARTICVLVS I.

Obſeruationes aliquæ præmittuntur.

ALIÆ duæ ſunt conditiones hierarchicæ iuriſdictionis, vt videlicet & ordinaria ſit, & neceſſaria, id eſt non delegata, neque merè voluntaria. Quæ conditiones ex prædictis de neceſſitate iuriſdictionis ad perfectam hierarchiam conſtare omninò poſſunt: nihilominùs ad omnem nominum ambiguitatem, & ſententiarum confuſionem tollendam aliqua adiungemus.

Primùm, iuriſdictionem nos hîc ſumere pro auctoritate quauis de publico introducta, non autem pro ea quæ tantùm in foro contentioſo exercetur; eámque dici vel voluntariam, vel neceſſariam: neceſſariam autem dici poſſe vel ex parte ſuperioris, cui ex officio incumbit imperare, præcipere, ſoluere, ligare, aliáve iuriſdictionis munia exercere; vel ex parte ſubditi, qui non poteſt impunè ac ſine peccato ſuperioris imperium detrectare; vel ex parte actuum, qui coercitionem aliquam neceſſariò requirunt vel inuoluunt, cuiuſmodi ſunt actus iudiciorum, & cenſurarum ferendarum. Voluntariam quoque totidem titulis dici poſſe: primò enim voluntaria dici poteſt iuriſdictio, quam quis nullâ adſtrictus obligatione, non ex proprio proinde munere atque officio, ſed ex mera ac nullis adſtricta legibus voluntate exercet: ſecundò dici poteſt voluntaria eius iuriſdictio, cuius imperium detrectare aliquis poteſt, & directionem. Tertiò, voluntaria dici poteſt, quæ extenditur ad actus, qui nullâ indigent correctione, vel coercitionem nullam includunt, cuiuſmodi ſunt actus benedicendi, etiam publico nomine & officio, offerendi ſacrificium pro alia perſona, etiam ex munere publico: itémq; actus conſecrandi res vel perſonas aliquas. de iis omnibus ſpeciebus poteſtatis ordine diſſeremus.

ARTICVLVS II.

Voluntariam iuriſdictionem quæ extenditur ad actus nullam neceſſitatem inferentes patientibus, requiri ad Hierarchiam, & eo ſenſu dici poſſe hierarchicam.

DICENDVM primò, ad hierarchiam requiri poteſtatem iſtam voluntariæ iuriſdictionis, quæ in conſecrando, benedicendo, intercedendo, ac dirigendo, ſeu docendo conſiſtit; & quidem ordinis poteſtati inſerta eſt & illigata benedicendi, ſanctificandi, ac intercedendi poteſtas, quæ nullam coercitionem inuoluit: Natura ſacerdotij id fert, vt ſacerdos ex munere ſuo quicumque ordinatus eſt, populis benedicere per orationem, perſonas, réſque quodammodo ſanctificare ſaltem priuatâ, & ad vſum vel officia priuata tendente ſanctitate; pro laicis apud Deum ex officio publico intercedere poſſit.

Sacerdotes ex officio mediatores apud Deum pro populis eſſe conſtitutos ſæpiùs in præcedentibus probauimus. Ipſorum verò officio benedicendi poteſtatem inſitam, ac veluti innatam eſſe plura demonſtrant; ex quibus pauca iſta pro tempore in chartam effundimus. Num. 6. ſcribitur, *Locutúſque eſt Dominus ad Moy-*

Digitized by Google

ſem dicens, Loquere Aaron & filiis eius, ſic benedicetis Aaron & filiis eius, ſic benedicetis filiis Iſraël, benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te, &c. ſi ſtante *maledicto legis*, (quo nomine Moſaicæ Legis ſtatum appellat Apoſtolus ad Galatas 3.) benedicendi officium ſacerdotibus Deus proprium eſſe voluit, quantò magis Legis gratiæ miniſtri, per quam in hoc vocati ſumus, vt benedictionem hereditate poſſideamus, ſecundum ſancti Petri oraculum epiſt. 1. cap. 3. benedicendi poteſtatem habebunt? benedicendi exemplum Chriſtus ſacerdotibus paſſim in Euangelio præbuit, de quo ſcilicet prędictum erat in ipſo benedicendas omnes Gentes, de quo ſcriptum Act. 3. *Vobis primùm Deus ſuſcitans filium ſuum, miſit eum benedicentem vobis*. Hinc Clericalis ordo ab eo deriuatus, & participatio ſacerdotij ipſius in primo præſertim vel ſecundo, aut tertio conſiſtens, à Dionyſio paſſim τελεστικός, ſeu *conſecratorius, ſanctificatiuus, perfectiuus* vocatur; & τελετὰς modò *cæremonias*, modò *conſecrationes*, quæ à ſacris myſtis efficiantur, magnus ille hierarchiæ Doctor appellat: eodémque nomine communi tria iſta vocantur teſte Budæo, cæremonia, expiatio ſeu ſanctificatio, & ſacerdotium. Plato in Phœdone τελετὰς, *cæremonias*, Demoſthenes *ſacerdotia & ſacrificia*, Auguſtinus de ciuitate lib. 4. cap. 30. *ſacros ritus*, lib. 10. cap. 9. *conſecrationes*, eiuſdem lib. cap. 23. *maxima Solis & Lunæ ſacrificia* nominat: ſcilicet Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, qui omnes ſacerdotio fungi dicuntur à Patribus, ea conditio eſt, ratione ſuæ ordinationis, vt ſacras cæremonias procurent, ſacrificio diuino, vel vt perfectiores, vel vt miniſtri adlaborent, Sacramentorum adminiſtrationi pro ſuo quiſque captu inuigilent, & Chriſtiani hominis benedictioni, conſecrationi, atque initiationi efficiendæ deſtinentur; Diaconi præſertim diſponendo, Epiſcopi & Presbyteri perficiendo. Hinc tribus iſtis ordinibus in recitatione Horarum Canonicarum Eccleſiæ nomine permittitur ac præcipitur, vt illam ſolemnem recitent benedictionem, *Dominus vobiſcum*, antequam vllam Orationem exoluant, & poſtquam exoluerint. Hinc in omni ſacra Liturgia moris eſt, vt nomine publico totius Eccleſiæ quilibet Sacerdos celebrans ſæpiùs tum oblatis, tum populis benedicat, Diaconus verò quoties publicè miniſtrat, Euangelij recitationi prędictam benedictionem ſeu ſalutationem, *Dominus vobiſcum*, præmittat. In iiſdem quoque ſacris Liturgiis poſt ſacræ Euchariſtiæ perceptionem ſolemnis à Sacerdote benedictio datur, cuius meminere Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 8. cap. 15. & 58. Concilium Toletanum IV. cap. 17. & alij Eccleſiaſtici Scriptores, quâ non perceptâ populo ab Eccleſia diſcedere vetitum fuit in Concilio Agathenſi Can. 47. & Aurelianenſi I. Can. 26. Aurelianenſi III. Can. 28. cap. 27. & 177. ita tamen vt ſi Epiſcopus adſit, ad eum benedicere pertineat, quia ex Apoſtolo ad Heb. 7. *Sine vlla contradictione quod minus eſt, à meliore benedicitur*. Eôque modo conciliantur Agathenſis Synodi Patres cum Aurelianenſibus, ſiue Arelatenſibus. Agathenſes quidem Can. 44. *Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere Presbytero penitùs non licere* definiunt: alij, putà Arelatenſis 3. Synodi apud Burchardum lib. 3. Decretorum cap. 29. & Iuonem part. 3. cap. 34. vel Aurelianenſis I. ſub Symmacho, in editione Binij, tum Antiquis, Can. 28. itémque apud Gratianum Can. *Cùm ad celebrandas, de conſecratione*, diſtinct. 1. præcipiunt, *vt populus, vbi Epiſcopus non fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis*. Quare priores vel de benedictione quæ fieret in abſentia Epiſcopi, vel de ſolemni & publica, quæ altâ voce cantaretur, poſteriores de ea quæ fieret abſente Epiſcopo], & minùs ſolemnis eſſet, ſubmiſſáque voce proferretur, intelligendi ſunt. Vt vt ſit, vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo fuit, vt benedictio aliqua in Miſſæ ſacrificio ſupra populum à quolibet ſacerdote etiam ſecundi ordinis funderetur, qnemadmodum obſeruauit Micrologus *de Eccleſiaſticis obſeruationibus*, cap. 21. cui fauet Hieronymus, ſeu quiuis alius Auctor epiſtolæ ad Ruſticum ſub nomine Hieronymi, iis verbis, *Si Presbyter Chriſtum conſecrat, cùm in altario Dei Sacramenta benedicit, benedicere populo non debet, qui Chriſtum meruit conſecrare?* Quæ ratio optima eſt, vt connexionem iuridicæ iſtius benedictionis cum ordine ſacerdotali connaturalem oſtendamus; quam etiam oſtendunt Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 2. cap. 58. dum hanc diſciplinæ Eccleſiaſticæ legem pręfigunt, vt ſi Epiſcopus peregrinus è parœcia ad Eccleſiam ſuam

aduene-

aduenerit, Epiſcopus qui in parœcia ſua eſt, & Eccleſia eum ſeſſùm recipiat, & committat vt offerat, & roget vt concionem habeat, & rogando cogat vt benedictionem ſuper populum fundat: idémque faciat Presbyter compresbytero adueniente à parœcia. Et libro octauo capite vigeſimo octauo, quo loco Presbytero benedicendi auctoritas vindicatur, & ab Epiſcopo benedicendi facultatem accipere, aut à compresbytero, itemque compresbytero dare poſſe aſſeritur. Quod de Diaconis ſubditur, eos non benedicere neque dare benedictionem, de benedictione intrà miſſarum ſolemnia, vel reconciliatoria ac ſacramentali, vel ſolemni intelligendum eſt, alioquin & ipſos priuatim ſaltem minori & inferiori benedictione benedixiſſe populis, non dubium eſt.

Sed iam de Presbyteris agimus, quorum nullis ſaltem in iis Eccleſiis quibus addicti erant publicè etiam benedicendi facultas, ſicut nec ſacrificandi denegabatur. Vnde ſanctus Ephrem ſerm. de timore Dei. *Honora*, inquit, *Sacerdotem, atque Presbyteros, vt in te benedictio oris ipſorum perueniat*; & ſerm. de Sacerdotio, *honora ſacerdotem, vt in nouiſſimis benedictionem ab eo accipias, nam qui Sacerdotes dehonorauerit, neque benedictionem ab eo accipere in nouiſſimis promerebitur.* Similiter & Teleſphorus Papa referente Gratiano, 6. quæſtione 1. Canone *Sacerdotes*. Sacerdotibus deberi reuerentiam à laïcis affirmat, vel eo titulo, quod ab ipſis beuedictionem accipiant. Ob eamdem rationem S. Maria Ægyptiaca eius vitæ à Sophronio Hieroſolymitano conſcriptæ cap. 10. dixiſſe fertur ad Zoſimum ſibi in via occurrentem, *Abba Zoſima, tibi competit benedicere & orare: tu enim Presbyterij honore fultus es, & plurimis iam annis adſiſtis altari, & donis diuinitatis Chriſti ſecreta rimaris.* Hinc etiam iis qui ob crimina Presbyterali gradu mouerentur, ſeu dignitatis ſuæ diminutione plecterentur, benedicendi facultatem ademptam legimus: nam Baſilius epiſtolæ Canonicæ ad Amphilochium Can. 27. decernit Presbyterum, qui per ignorantiam nefariis nuptiis implicatus eſt, quo cum proinde benigniùs agendum cenſetur, vt cathedræ particeps remaneat, & cum aliis Presbyteris ſedeat; tamen hac veniâ contentum eſſe debere, ideóque vetat quominus aliis benedicat, quia benedictio ſanctificationis eſt communicatio, quam aliis communicare conſentaneum non eſt, qui in ſtatu & neceſſitate ſunt pœnitendi: ac tandem iis verbis concludit, *μήτε τοίνυν δημοσίᾳ, μήτε ἰδίᾳ εὐλογείτω, μήτε τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ κατανεμέτω ἑτέροις, μήτε τι ἄλλο λειτουργείτω. Nec ergo publicè nec priuatim benedicat, nec Chriſti corpus aliis impertiat, nec aliquod aliud ſacrum miniſterium obeat.*

Hunc autem Canonem renouauit Synodus Trullana Can. 3. & 26. Refert quoq; Theodorus Balſamon in interrogationibus quorumdam Monachorum, & reſponſionibus factis à Synodo Conſtantinopolitana habita à Nicolao Patriarcha eiuſdem vrbis Imperatore Alexio Comneno, reſponſione ad quęſt. 8. concluſum à Synodo, ſacerdotem, qui propter crimen depoſitus, vel qui ſacerdotium ſuâ ſponte depoſuit, cùm ſeipſum condemnaſſet, præfari illud non debere, *Benedictus Deus*, &c. quia in locum laicorum redactus eſt. Item in reſp. ad quæſt. 9. deciſum, vt ſacerdos, pro lapſus proportione, à benedictione alienus eſſet. Denique morem iſtum religioſum Eccleſiæ ſecutus S. Antonius, referente Athanaſio ipſius vitæ ſcriptore cap. 39. *Omnes Clericos vſque ad vltimum gradum ante ſe orare compellens, Epiſcopis quoque ac Presbyteris quaſi humilitatis diſcipulus ad benedicendum ſe caput ſubmittebat.* Ex quibus omnibus infertur poteſtati ordinis, vi cuius habent ſinguli Presbyteri, quibus liberè fungi ſacerdotio ſuo conceditur, vt ſacrum Chriſti corpus conficere poſſint (quod cùm potiſſimùm ſit ſacerdotij munus, nemini niſi ob peccatum vel defectum aliquem auſertur) adnexam eſſe benedicendi ac ſanctificandi tum res, tum ipſas perſonas poteſtatem: eámque poteſtatem magis ordinis videri, quàm iuriſdictionis, prout ordinis poteſtas à iuriſdictionis poteſtate diſtinguitur, vt expreſsè affirmat Turrecremata in Canonem *Denique*, diſtinctione vigeſimâ-primâ; tum quòd Presbyter quiuis in fine Miſſæ benedicat, Canone *Cùm ad celebrandas*, de conſecratione diſtinct. 1. tum quòd Epiſcopum electum necdum conſecratum ius ſolemniter benedicendi non habere colligant Canoniſtæ ex Can. *Miniſtrare*, 26. quæſt. 6. tum quòd benedictio etiam extra Diœceſim ab Epiſcopis dari poſſit. Legimus, verbi gratiâ, populorum, per quorum regiones tranſibat Theodoretus,

Epiſcopus, ad ipſum pro habenda benedictione concurrentium exemplum, Religioſæ hiſtoriæ ab ipſo ſcriptæ cap. 26. in Simeone Stylita; Leontij quoque Tripolis Lydiæ Epiſcopi cum Euſebia Conſtantij Imperatoris vxore pacta legimus apud Suidam *in Leontio*, eâ ſcilicet conditione ſe ad eam acceſſurum promittentis, ſi ſibi aduentanti caput manibus ſupponeret benedictionem petitura: atque id factum cum Conſtantinopoli ipſe verſaretur probabile eſt, vt hiſtoriæ ſeries oſtendit. Moris igitur erat tunc temporis, vt Epiſcopi extra Diœceſim ſuam benedictionem parentibus impertirentur.

Simile quoque exemplum refert Marcus Gazenſis Diaconus apud Baronium, ad annum 41. & apud Surium tom. 1. ſcilicet à ſanctiſſimis Epiſcopis Ioanne Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopo, & Porphyrio Gazenſi Epiſcopo Eudoxiam Imperatricem Conſtantinopoli benedictionem poſtulaſſe, & ab iis ex more recepiſſe. Sed hæc benedictionis priuatæ exempla ſunt, quam & Monachis ob vitæ ſanctitatem, & Religionis habitum petitam tum ex pluribus, tum ex iis venerabilis Bedæ verbis lib. 3. hiſtoriæ cap. 26. diſcere poſſumus: *In magna*, inquit, *erat veneratione tempore illo Religionis habitus, ita vt vbicumque Clericus aliquis, aut Monachus adueniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur, & iam ſi in itinere pergens inueniretur, accurrebant, & flexa ceruice vel manu ſignari, vel ore illius ſe benedici gaudebant; verbis quoque horum exhortatoriis diligenter auditum præbebant.*

Licèt autem benedictiones iſtæ tam Clericorum, quàm Monachorum priuatæ dici poſſent, quia extra ſolemnia Miſſarum, extra diuina officia fierent, tamen quæ à Monachis expetebantur, priuatæ eo etiam ſenſu dicebantur, quòd ob priuatam duntaxat ſanctitatem, quam populi ipſis ineſſe credebant, benedictiones ab ipſis expeterentur: quæ verò à Clericis, in honorem potiùs ſacerdotij & publici miniſterij expoſcebantur. Item, quòd poteſtas Clericorum, quâ ad benedicendum vtebantur, publica erat, ex eo benedicendi populis auctoritatem quandam aſſumebant, quòd benedicendi ac conſecrandi Corpus Chriſti poteſtatem accepiſſent; Monachi verò nullâ publicâ poteſtate fruebantur, ſed precibus ſuis apud Deum duntaxat agebant pro iis quibus benedicebant: nihilominùs non ſufficiebat Clericis iſta poteſtas, vt publicè in Eccleſia benedicere populis ſibi minimè ſubditis præſumerent, ſed iuriſdictione quadam opus erat, vt populis in ſacro conuentu benedicere auderent. Hinc præſente Epiſcopo Presbyteri à benedicendo abſtinebant, ex prædictis; vel ſi benedicerent, nonniſi obtentâ ab Epiſcopo veniâ benedicebant, quemadmodum de benedictione quæ datur à Presbytero Miſſam celebrante Rubricæ generales præſcribunt.

Hinc Epiſcopos in alienam Eccleſiam aduentantes, non ſuâ auctoritate benedictionem præſumpſiſſe, ſed rogatu Epiſcopi, ex Conſtitutionibus Apoſtolicis ſuperiùs citatis compertum eſt. Hinc ſine facultate ſeu iuriſdictione ab Epiſcopo accepta nec Miſſam celebrare, nec agapas celebrare, nec quidpiam ſacri muneris attingere Presbyteris vnquam licitum fuit, ex Can. 37. vel 38. Apoſtolorum, præcepto Petri apud Clementem lib. 2. Conſtitutionum, cap. 30. & 31. Clementis decreto epiſt. 1. Arelatenſis I. Synodi Can. 19. Laodicenæ Can. 57. Gangrenſis Can. 6. Toletanæ primæ Can. 20. Carthaginenſis ſecundi Can. 9. Innocentij primi reſponſo epiſt. ad Florentinum Tiburtinum; teſtimoniis Ignatij variis epiſtolis; Dionyſij cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ; Cypriani epiſt. 10. ad Clerum, & aliis paſſim: ergo nec in Miſſa etiam ipſis benedicere non obtentâ ab Epiſcopis veniâ licuit. Hinc vt Abbates publicè benedicere poſſint, rationem iuriſdictionis quâ inſigniuntur habendam ſtatuit Alexander IV. cap. *Abbates, de priuilegiis*, in ſexto, ſtatuens *vt Abbates quos Apoſtolica ſedes in exhibitione benedictionis ſuper populum ſpeciali priuilegio inſigniuit, in Eccleſiis quæ ad eos pertinent pleno iure, quando officia celebrant, poſſint poſt Miſſarum ſolemnia, & reſpectiuas, ac matutinas laudes, benedictionem ſolemnem ſuper populum largiri: alibi autem publicè, aut per vias, ciuitates, caſtra & villas, populis & plebibus benedictionem facere vel impertiri non valeant: niſi hoc eis expreſſo Apoſtolico priuilegio ſit conceſſum.*

Hinc non in fauorem ſolùm ordinis Epiſcopalis, ſed intuitu potiſſimùm iuriſdictionis, quam in pluribus caſibus retinent Epiſcopi circa exemptos in Diœce-

ſi ſua conſiſtentes, & à ſua poteſtate in aliis caſibus ſubductos, tam Archiepiſcopis in ſua prouincia, quàm Epiſcopis in Diœceſi, benedicendi populis, etiam in locis exemptis, poteſtas a Clemente V. in Concilio Viennenſi aſſeritur; eáque pars iuriſdictionis eſſe ſignificatur, quippe cùm iiſdem prohibeatur, ne *aliam* huius iuris prætextu, circa perſonas exemptas aut loca, *iuriſdictionem* exerceant. Aliam ſiquidem iuriſdictionem non vetaret prætextu conceſſionis benedicendi populis, niſi & illa conceſſio pars iuriſdictionis videretur; & ſanè niſi aliqualis ad benedicendum iuriſdictio requireretur, non reſtringeret Concilium Viennenſe gratiam quam concedit Metropolitanis ad loca ſuæ prouinciæ, & Epiſcopis ad loca ſuæ Diœceſeos. Lege Clementinam *Archiepiſcopo*, *de priuilegiis*. Ergo ex iis vltrò citróque diſcuſſis concludi poteſt, benedictionem priuatam non eſſe ſignum & argumentum certum ordinis aut iuriſdictionis: eam quæ fit publico Eccleſiæ nomine, ſiue palàm, ſiue publicè fiat, ordini ſtrictè illigatam eſſe: vt palam fiat in Eccleſia ordinis Presbyteratus eſſe, & iuriſdictionis, ſed communis & vulgaris: nulli ſiquidem Presbytero, niſi de gradu ſuo deiectus ſit, & extra Catholicam communionem, palam benedicere populo, in Eccleſia in quam admiſſus eſt, denegari debere; atque adeò iuriſdictionis partem aliquam ſingulis Presbyteris attribui ſolitam benedicendi facultatem videri: iuriſdictione ſiquidem opus fuiſſe, vt tam Miſſæ ſacrificium celebraretur, quàm benedictio publica ſuper populum funderetur, docuimus: ſed hæc iuriſdictio maximè communicabilis eſt, & nulli Presbytero, licèt non in omnibus locis, ſed in aliquo ſaltem, concedi non debet: vt autem nomine Eccleſiæ publico benedicere populis, ſicut & pro iis orare ac gratias agere priuatim & apud ſe Presbyter poſſit, merè ordinis eſt; nec iuriſdictionem habet vllam adnexam; & ideò omni Presbytero competit, & ex eo profluit quòd ſacrificandi habeat poteſtatem, ac proinde ex nomine publico benedicendi, niſi propter delictum ab ordinis ſui functionibus ſuſpendatur.

Vt tandem priuatim, nomine tamen publico, benedictionem ſuper aliquos fideles Sacerdos fundere poſſit, iuriſdictionem aliquam exinde inferri, ſed non eam quæ limites aſſignatos ſequitur, & territorium exigit, aut neceſſitatem parenti infert & coactionem, ſed eam quæ vim quandam ἐξουσίαν (vt loquitur Chryſoſtomus Orat. de S. Babyla, & lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. & alibi) & ſuperioris gradus eminentiam atque maieſtatem, & ex maieſtate ac dignitate imperandi quandam virtutem importat, quali ſenes in iuniores, viri graues & in dignitate conſtituti, in plebeios vti ſolent, quam ſuperiùs ab ordine ſacro inſeparabilem eſſe docuimus. Eadem iuriſdictio ſacris ordinibus, præſertim hierachicis, adnexa eſt reſpectu doctrinæ, ita vt tanquam Chriſti & Eccleſiæ miniſtri quoſuis ex plebe fideles ſine diſcrimine priuatim docere, quæ Chriſtianæ ſunt fidei & diſciplinæ, eoſdémque peccantes redarguere, & ne peccent monere, ſacerdotibus præſertim conueniat, vt lib. 3. oſtendimus; vt autem publicè doceant, moneant, arguant, alia iuriſdictio neceſſaria eſt, quæ limites habet, & territorium, quam requirunt Paulus ad Rom. 10. Concilium Cæſarauguſtanum ſub Damaſo cap. 7. ſanctus Leo epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum, & 63. ad Theodoretum: Vigilius epiſt. Ruſtico & Sebaſtiano, quæ lecta eſt collat. 7. quintæ Synodi: Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. Patres, cap. 3. & alij paſſim.

Epiſcopus, ad ipſum pro habenda benedictione concurrentium exemplum, Religioſæ hiſtoriæ ab ipſo ſcriptæ cap. 26. in Simeone Stylita; Leontij quoque Tripolis Lydiæ Epiſcopi cum Euſebia Conſtantij Imperatoris vxore pacta legimus apud Suidam *in Leontio*, eâ ſcilicet conditione ſe ad eam acceſſurum promittententis, ſi ſibi aduentanti caput manibus ſupponeret benedictionem petitura: atque id factum cum Conſtantinopoli ipſe verſaretur probabile eſt, vt hiſtoriæ ſeries oſtendit. Moris igitur erat tunc temporis, vt Epiſcopi extra Diœceſim ſuam benedictionem parentibus impertirentur.

Simile quoque exemplum refert Marcus Gazenſis Diaconus apud Baronium, ad annum 41. & apud Surium tom. 1. ſcilicet à ſanctiſſimis Epiſcopis Ioanne Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopo, & Porphyrio Gazenſi Epiſcopo Eudoxiam Imperatricem Conſtantinopoli benedictionem poſtulaſſe, & ab iis ex more recepiſſe. Sed hæc benedictionis priuatæ exempla ſunt, quam & Monachis ob vitæ ſanctitatem, & Religionis habitum petitam tum ex pluribus, tum ex iis venerabilis Bedæ verbis lib. 3. hiſtoriæ cap. 26. diſcere poſſumus: *In magna*, inquit, *erat veneratione tempore illo Religionis habitus, ita vt vbicumque Clericus aliquis, aut Monachus adueniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur, & tam ſi in itinere pergens inueniretur, accurrebant, & flexâ ceruice vel manu ſignari, vel ore illius ſe benedici gaudebant: verbis quoque horum exhortatoriis diligenter auditum præbebant.*

Licèt autem benedictiones iſtæ tam Clericorum, quàm Monachorum priuatæ dici poſſent, quia extra ſolemnia Miſſarum, extra diuina officia fierent, tamen quæ à Monachis expetebantur, priuatæ eo etiam ſenſu dicebantur, quòd ob priuatam duntaxat ſanctitatem, quam populi ipſis ineſſe credebant, benedictiones ab ipſis expeterentur: quæ verò à Clericis, in honorem potiùs ſacerdotij & publici miniſterij expoſcebantur. Item, quòd poteſtas Clericorum, quâ ad benedicendum vtebantur, publica erat, ex eo benedicendi populis auctoritatem quandam aſſumebant, quòd benedicendi ac conſecrandi Corpus Christi poteſtatem accepiſſent; Monachi verò nullâ publicâ poteſtate fruebantur, ſed precibus ſuis apud Deum duntaxat agebant pro iis quibus benedicebant: nihilominùs non ſufficiebat Clericis iſta poteſtas, vt publicè in Eccleſia benedicere populis ſibi minimè ſubditis præſumerent, ſed iuriſdictione quadam opus erat, vt populis in ſacro conuentu benedicere auderent. Hinc præſente Epiſcopo Presbyteri à benedicendo abſtinebant, ex prædictis; vel ſi benedicerent, nonniſi obtentâ ab Epiſcopo veniâ benedicebant, quemadmodum de benedictione quæ datur à Presbytero Miſſam celebrante Rubricæ generales præſcribunt.

Hinc Epiſcopos in alienam Eccleſiam aduentantes, non ſuâ auctoritate benedictionem præſumpſiſſe, ſed rogatu Epiſcopi, ex Conſtitutionibus Apoſtolicis ſuperiùs citatis compertum eſt. Hinc ſine facultate ſeu iuriſdictione ab Epiſcopo accepta nec Miſſam celebrare, nec agapas celebrare, nec quidpiam ſacri muneris attingere Presbyteris vnquam licitum fuit, ex Can. 37. vel 38. Apoſtolorum, præcepto Petri apud Clementem lib. 2. Conſtitutionum, cap. 30. & 31. Clementis decreto epiſt. 1. Arelatenſis I. Synodi Can. 19. Laodicenæ Can. 57. Gangrenſis Can. 6. Toletanæ primæ Can. 20. Carthaginenſis ſecundi Can. 9. Innocentij primi reſponſo epiſt. ad Florentinum Tiburtinum; teſtimoniis Ignatij variis epiſtolis; Dionyſij cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ; Cypriani epiſt. 10. ad Clerum, & aliis paſſim: ergo nec in Miſſa etiam ipſis benedicere non obtentâ ab Epiſcopis veniâ licuit. Hinc vt Abbates publicè benedicere poſſint, rationem iuriſdictionis quâ inſigniuntur habendam ſtatuit Alexander IV. cap. *Abbates*, *de priuilegiis*, in ſexto, ſtatuens *vt Abbates quos Apoſtolica ſedes in exhibitione benedictionis ſuper populum ſpeciali priuilegio inſigniuit, in Eccleſiis quæ ad eos pertinent pleno iure, quando officia celebrant, poſſint poſt Miſſarum ſolemnia, & reſpectiuas, ac matutinas laudes, benedictionem ſolemnem ſuper populum largiri: alibi autem publicè, aut per vias, ciuitates, caſtra & villas, populis & plebibus benedictionem facere vel impertiri non valeant: niſi hoc eis expreſſo Apoſtolico priuilegio ſit conceſſum.*

Hinc non in fauorem ſolùm ordinis Epiſcopalis, ſed intuitu potiſſimùm iuriſdictionis, quam in pluribus caſibus retinent Epiſcopi circa exemptos in Diœce-

ſi ſua conſiſtentes, & à ſua poteſtate in aliis caſibus ſubductos, tam Archiepiſcopis in ſua prouincia, quàm Epiſcopis in Diœceſi, benedicendi populis, etiam in locis exemptis, poteſtas a Clemente V. in Concilio Viennenſi aſſeritur; eáque pars iuriſdictionis eſſe ſignificarur, quippe cùm iiſdem prohibeatur, ne *aliam* huius iuris prætextu, circa perſonas exemptas aut loca, *iuriſdictionem* exerceant. Aliam ſiquidem iuriſdictionem non vetaret prætextu conceſſionis benedicendi populis, niſi & illa conceſſio pars iuriſdictionis videretur; & ſanè niſi aliqualis ad benedicendum iuriſdictio requirererur, non reſtringeret Concilium Viennenſe gratiam quam concedit Metropolitanis ad loca ſuæ prouinciæ, & Epiſcopis ad loca ſuæ Diœceſeos. Lege Clementinam *Archiepiſcopo*, *de priuilegiis*. Ergo ex iis vltrò citróque diſcuſſis concludi poteſt, benedictionem priuatam non eſſe ſignum & argumentum certum ordinis aut iuriſdictionis: eam quæ fit publico Eccleſiæ nomine, ſiue palàm, ſiue publicè fiat, ordini ſtrictè illigaram eſſe: vt palam fiat in Eccleſia ordinis Presbyteratus eſſe, & iuriſdictionis, ſed communis & vulgaris: nulli ſiquidem Presbytero, niſi de gradu ſuo deiectus ſit, & extra Catholicam communionem, palam benedicere populo, in Eccleſia in quam admiſſus eſt, denegari debere; atque adeò iuriſdictionis partem aliquam ſingulis Presbyteris attribui ſolitam benedicendi facultatem videri: iuriſdictione ſiquidem opus fuiſſe, vt tam Miſſæ ſacrificium celebraretur, quàm benedictio publica ſuper populum funderetur, docuimus: ſed hæc iuriſdictio maximè communicabilis eſt, & nulli Presbytero, licèt non in omnibus locis, ſed in aliquo ſaltem, concedi non debet: vt autem nomine Eccleſiæ publico benedicere populis, ſicur & pro iis orare ac gratias agere priuatim & apud ſe Presbyter poſſit, merè ordinis eſt; nec iuriſdictionem habet vllam adnexam; & ideò omni Presbytero competit, & ex eo profluit quòd ſacrificandi habeat poteſtarem, ac proinde ex nomine publico benedicendi, niſi propter delictum ab ordinis ſui functionibus ſuſpendatur.

Vt tandem priuatim, nomine tamen publico, benedictionem ſuper aliquos fideles Sacerdos fundere poſſit, iuriſdictionem aliquam exinde inferri, ſed non eam quæ limites aſſignatos ſequitur, & territorium exigit, aut neceſſitatem parenti infert & coactionem, ſed eam quæ vim quandam ἐξουσίας (vt loquitur Chryſoſtomus Orat. de S. Babyla, & lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. & alibi) & ſuperioris gradus eminentiam arque maieſtatem, & ex maieſtate ac dignitate imperandi quandam virtutem importat, quali ſenes in iuniores, viri graues & in dignitate conſtiruti, in plebeios vti ſolent, quam ſuperiùs ab ordine ſacro inſeparabilem eſſe docuimus. Eadem iuriſdictio ſacris ordinibus, præſertim hierachicis, adnexa eſt reſpectu doctrinæ, ita vt tanquam Chriſti & Eccleſiæ miniſtri quoſuis ex plebe fideles ſine diſcrimine priuatim docere, quæ Chriſtianæ ſunt fidei & diſciplinæ, eoſdémque peccantes redarguere, & ne peccenr monere, ſacerdotibus præſertim conueniat, vt lib. 3. oſtendimus; vt autem publicè doceant, moneant, arguant, alia iuriſdictio neceſſaria eſt, quæ limites habet, & territorium, quam requirunt Paulus ad Rom. 10. Concilium Cæſarauguſtanum ſub Damaſo cap. 7. ſanctus Leo epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum, & 63. ad Theodoretum: Vigilius epiſt. Ruſtico & Sebaſtiano, quæ lecta eſt collat. 7. quintæ Synodi: Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. Patres, cap. 3. & alij paſſim.

Epiſcopus, ad ipſum pro habenda benedictione concurrentium exemplum, Religioſæ hiſtoriæ ab ipſo ſcriptæ cap. 26. in Simeone Stylita; Leontij quoque Tripolis Lydiæ Epiſcopi cum Euſebia Conſtantij Imperatoris vxore pacta legimus apud Suidam *in Leontio*, eâ ſcilicet conditione ſe ad eam acceſſurum promittenrentis, ſi ſibi aduentanti caput manibus ſupponeret benedictionem petitura: atque id factum cum Conſtantinopoli ipſe verſaretur probabile eſt, vt hiſtoriæ ſeries oſtendit. Moris igitur erat tunc temporis, vt Epiſcopi extra Diœceſim ſuam benedictionem parentibus impertirentur.

Simile quoque exemplum refert Marcus Gazenſis Diaconus apud Baronium, ad annum 41. & apud Surium tom. 1. ſcilicet à ſanctiſſimis Epiſcopis Ioanne Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopo, & Porphyrio Gazenſi Epiſcopo Eudoxiam Imperatricem Conſtantinopoli benedictionem poſtulaſſe, & ab iis ex more recepiſſe. Sed hæc benedictionis priuatæ exempla ſunt, quam & Monachis ob vitæ ſanctitatem, & Religionis habitum petitam tum ex pluribus, tum ex iis venerabilis Bedæ verbis lib. 3. hiſtoriæ cap. 26. diſcere poſſumus: *In magna*, inquit, *erat veneratione tempore illo Religionis habitus, ita vt vbicumque Clericus aliquis, aut Monachus adueniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur, & tam ſi in itinere pergens inueniretur, accurrebant, & flexâ ceruice vel manu ſignari, vel ore illius ſe benedici gaudebant: verbis quoque horum exhortatoris diligenter auditum præbebant.*

Licèt autem benedictiones iſtæ tam Clericorum, quàm Monachorum priuatæ dici poſſent, quia extra ſolemnia Miſſarum, extra diuina officia fierent, tamen quæ à Monachis expetebantur, priuatæ eo etiam ſenſu dicebantur, quòd ob priuatam duntaxat ſanctitatem, quam populi ipſis ineſſe credebant, benedictiones ab ipſis expeterentur: quæ verò à Clericis, in honorem potiùs ſacerdotij & publici miniſterij expoſcebantur. Item, quòd poteſtas Clericorum, quâ ad benedicendum vtebantur, publica erat, ex eo benedicendi populis auctoritatem quandam aſſumebant, quòd benedicendi ac conſecrandi Corpus Chriſti poteſtatem accepiſſent; Monachi verò nullâ publicâ poteſtate fruebantur, ſed precibus ſuis apud Deum duntaxat agebant pro iis quibus benedicebant: nihilominùs non ſufficiebat Clericis iſta poteſtas, vt publicè in Eccleſia benedicere populis ſibi minimè ſubditis præſumerent, ſed iuriſdictione quadam opus erat, vt populis in ſacro conuentu benedicere auderent. Hinc præſente Epiſcopo Presbyteri à benedicendo abſtinebant, ex prædictis; vel ſi benedicerent, nonniſi obtentâ ab Epiſcopo veniâ benedicebant, quemadmodum de benedictione quæ datur à Presbytero Miſſam celebrante Rubricæ generales præſcribunt.

Hinc Epiſcopos in alienam Eccleſiam aduentantes, non ſuâ auctoritate benedictionem præſumpſiſſe, ſed rogatu Epiſcopi, ex Conſtitutionibus Apoſtolicis ſuperiùs citatis compertum eſt. Hinc ſine facultate ſeu iuriſdictione ab Epiſcopo accepta nec Miſſam celebrare, nec agapas celebrare, nec quidpiam ſacri muneris attingere Presbyteris vnquam licitum fuit, ex Can. 37. vel 38. Apoſtolorum, præcepto Petri apud Clementem lib. 2. Conſtitutionum, cap. 30. & 31. Clementis decreto epiſt. 1. Arelatenſis I. Synodi Can. 19. Laodicenæ Can. 57. Gangrenſis Can. 6. Toletanæ primæ Can. 20. Carthaginenſis ſecundi Can. 9. Innocentij primi reſponſo epiſt. ad Florentinum Tiburtinum; teſtimoniis Ignatij variis epiſtolis; Dionyſij cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ; Cypriani epiſt. 10. ad Clerum, & aliis paſſim: ergo nec in Miſſa etiam ipſis benedicere non obtentâ ab Epiſcopis veniâ licuit. Hinc vt Abbates publicè benedicere poſſint, rationem iuriſdictionis quâ inſigniuntur habendam ſtatuit Alexander IV. cap. *Abbates, de priuilegiis*, in ſexto, ſtatuens *vt Abbates quos Apoſtolica ſedes in exhibitione benedictionis ſuper populum ſpeciali priuilegio inſigniuit, in Eccleſiis quæ ad eos pertinent pleno iure, quando officia celebrant, poſſint poſt Miſſarum ſolemnia, & reſpectiuas, ac matutinas laudes, benedictionem ſolemnem ſuper populum largiri: alibi autem publicè, aut per vias, ciuitates, caſtra & villas, populis & plebibus benedictionem facere vel impertiri non valeant: niſi hoc eis expreſſo Apoſtolico priuilegio ſit conceſſum.*

Hinc non in fauorem ſolùm ordinis Epiſcopalis, ſed intuitu potiſſimùm iuriſdictionis, quam in pluribus caſibus retinent Epiſcopi circa exemptos in Diœce-

Digitized by Google

ſi ſua conſiſtentes, & à ſua poteſtate in aliis caſibus ſubductos, tam Archiepiſcopis in ſua prouincia, quàm Epiſcopis in Diœceſi, benedicendi populis, etiam in locis exemptis, poteſtas à Clemente V. in Concilio Viennenſi aſſeritur; eáque pars iuriſdictionis eſſe ſignificatur, quippe cùm iiſdem prohibeatur, ne *aliam* huius iuris prætextu, circa perſonas exemptas aut loca, *iuriſdictionem* exerceant. Aliam ſiquidem iuriſdictionem non vetaret prætextu conceſſionis benedicendi populis, niſi & illa conceſſio pars iuriſdictionis videretur; & ſanè niſi aliqualis ad benedicendum iuriſdictio requireretur, non reſtringeret Concilium Viennenſe gratiam quam concedit Metropolitanis ad loca ſuæ prouinciæ, & Epiſcopis ad loca ſuæ Diœceſeos. Lege Clementinam *Archiepiſcopo*, *de priuilegiis*. Ergo ex iis vltrò citróque diſcuſſis concludi poteſt, benedictionem priuatam non eſſe ſignum & argumentum certum ordinis aut iuriſdictionis: eam quæ fit publico Eccleſiæ nomine, ſiue palàm, ſiue publicè fiat, ordini ſtrictè illigatam eſſe: vt palam fiat in Eccleſia ordinis Presbyteratus eſſe, & iuriſdictionis, ſed communis & vulgaris: nulli ſiquidem Presbytero, niſi de gradu ſuo deiectus ſit, & extra Catholicam communionem, palam benedicere populo, in Eccleſia in quam admiſſus eſt, denegari debere; atque adeò iuriſdictionis partem aliquam ſingulis Presbyteris attribui ſolitam benedicendi facultatem videri: iuriſdictione ſiquidem opus fuiſſe, vt tam Miſſæ ſacrificium celebraretur, quàm benedictio publica ſuper populum funderetur, docuimus: ſed hæc iuriſdictio maximè communicabilis eſt, & nulli Presbytero, licèt non in omnibus locis, ſed in aliquo ſaltem, concedi non debet: vt autem nomine Eccleſiæ publico benedicere populis, ſicut & pro iis orare ac gratias agere priuatim & apud ſe Presbyter poſſit, merè ordinis eſt; nec iuriſdictionem habet vllam adnexam; & ideò omni Presbytero competit, & ex eo profluit quòd ſacrificandi habeat poteſtatem, ac proinde ex nomine publico benedicendi, niſi propter delictum ab ordinis ſui functionibus ſuſpendatur.

Vt tandem priuatim, nomine tamen publico, benedictionem ſuper aliquos fideles Sacerdos fundere poſſit, iuriſdictionem aliquam exinde inferri, ſed non eam quæ limites aſſignatos ſequitur, & territorium exigit, aut neceſſitatem parenti infert & coactionem, ſed eam quæ vim quandam ἐξουσίαν (vt loquitur Chryſoſtomus Orat. de S. Babyla, & lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. & alibi) & ſuperioris gradus eminentiam atque maieſtatem, & ex maieſtate ac dignitate imperandi quandam virtutem importat, quali ſenes in iuniores, viri graues & in dignitate conſtituti, in plebeios vti ſolent, quam ſuperiùs ab ordine ſacro inſeparabilem eſſe docuimus. Eadem iuriſdictio ſacris ordinibus, præſertim hierachicis, adnexa eſt reſpectu doctrinæ, ita vt tanquam Chriſti & Eccleſiæ miniſtri quoſuis ex plebe fideles ſine diſcrimine priuatim docere, quæ Chriſtianæ ſunt fidei & diſciplinæ, eoſdémque peccantes redarguere, & ne peccent monere, ſacerdotibus præſertim conueniat, vt lib. 3. oſtendimus; vt autem publicè doceant, moneant, arguant, alia iuriſdictio neceſſaria eſt, quæ limites habet, & territorium, quam requirunt Paulus ad Rom. 10. Concilium Cæſarauguſtanum ſub Damaſo cap. 7. ſanctus Leo epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum, & 63. ad Theodoretum: Vigilius epiſt. Ruſtico & Sebaſtiano, quæ lecta eſt collat. 7. quintæ Synodi: Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. Patres, cap. 3. & alij paſſim.

Epiſcopus, ad ipſum pro habenda benedictione concurrentium exemplum, Religioſæ hiſtoriæ ab ipſo ſcriptæ cap. 26. in Simeone Stylita; Leontij quoque Tripolis Lydiæ Epiſcopi cum Euſebia Conſtantij Imperatoris vxore pacta legimus apud Suidam *in Leontio*, eâ ſcilicet conditione ſe ad eam acceſſurum promittentis, ſi ſibi aduentanti caput manibus ſupponeret benedictionem petitura: atque id factum cum Conſtantinopoli ipſe verſaretur probabile eſt, vt hiſtoriæ ſeries oſtendit. Moris igitur erat tunc temporis, vt Epiſcopi extra Diœceſim ſuam benedictionem parentibus impertirentur.

Simile quoque exemplum refert Marcus Gazenſis Diaconus apud Baronium, ad annum 41. & apud Surium tom. 1. ſcilicet à ſanctiſſimis Epiſcopis Ioanne Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopo, & Porphyrio Gazenſi Epiſcopo Eudoxiam Imperatricem Conſtantinopoli benedictionem poſtulaſſe, & ab iis ex more recepiſſe. Sed hæc benedictionis priuatæ exempla ſunt, quam & Monachis ob vitæ ſanctitatem, & Religionis habitum petitam tum ex pluribus, tum ex iis venerabilis Bedæ verbis lib. 3. hiſtoriæ cap. 26. diſcere poſſumus: *In magna*, inquit, *erat veneratione tempore illo Religionis habitus, ita vt vbicumque Clericus aliquis, aut Monachus adueniret, gaudenter ab omnibus tanquam Dei famulus exciperetur, & iam ſi in itinere pergens inueniretur, accurrebant, & flexa ceruice vel manu ſignari, vel ore illius ſe benedici gaudebant; verbis quoque horum exhortatoriis diligenter auditum præbebant.*

Licèt autem benedictiones iſtæ tam Clericorum, quàm Monachorum priuatæ dici poſſent, quia extra ſolemnia Miſſarum, extra diuina officia fierent, tamen quæ à Monachis expetebantur, priuatæ eo etiam ſenſu dicebantur, quòd ob priuatam duntaxat ſanctitatem, quam populi ipſis ineſſe credebant, benedictiones ab ipſis expeterentur: quæ verò à Clericis, in honorem potiùs ſacerdotij & publici miniſterij expoſcebantur. Item, quòd poteſtas Clericorum, quâ ad benedicendum vtebantur, publica erat, ex eo benedicendi populis auctoritatem quandam aſſumebant, quòd benedicendi ac conſecrandi Corpus Chriſti poteſtatem accepiſſent; Monachi verò nullâ publicâ poteſtate fruebantur, ſed precibus ſuis apud Deum duntaxat agebant pro iis quibus benedicebant: nihilominùs non ſufficiebat Clericis iſta poteſtas, vt publicè in Eccleſia benedicere populis ſibi minimè ſubditis præſumerent, ſed iuriſdictione quadam opus erat, vt populis in ſacro conuentu benedicere auderent. Hinc præſente Epiſcopo Presbyteri à benedicendo abſtinebant, ex prædictis; vel ſi benedicerent, nonniſi obtentâ ab Epiſcopo veniâ benedicebant, quemadmodum de benedictione quæ datur à Presbytero Miſſam celebrante Rubricæ generales præſcribunt.

Hinc Epiſcopos in alienam Eccleſiam aduentantes, non ſuâ auctoritate benedictionem præſumpſiſſe, ſed rogatu Epiſcopi, ex Conſtitutionibus Apoſtolicis ſuperiùs citatis compertum eſt. Hinc ſine facultate ſeu iuriſdictione ab Epiſcopo accepta nec Miſſam celebrare, nec agapas celebrare, nec quidpiam ſacri muneris attingere Presbyteris vnquam licitum fuit, ex Can. 37. vel 38. Apoſtolorum, præcepto Petri apud Clementem lib. 2. Conſtitutionum, cap. 30. & 31. Clementis decreto epiſt. 1. Arelatenſis I. Synodi Can. 19. Laodicenæ Can. 57. Gangrenſis Can. 6. Toletanæ primæ Can. 20. Carthaginenſis ſecundi Can. 9. Innocentij primi reſponſo epiſt. ad Florentinum Tiburtinum; teſtimoniis Ignatij variis epiſtolis; Dionyſij cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ; Cypriani epiſt. 10. ad Clerum, & aliis paſſim: ergo nec in Miſſa etiam ipſis benedicere non obtentâ ab Epiſcopis veniâ licuit. Hinc vt Abbates publicè benedicere poſſint, rationem iuriſdictionis quâ inſigniuntur habendam ſtatuit Alexander IV. cap. *Abbates, de priuilegiis*, in ſexto, ſtatuens *vt Abbates quos Apoſtolica ſedes in exhibitione benedictionis ſuper populum ſpeciali priuilegio inſigniuit, in Eccleſiis quæ ad eos pertinent pleno iure, quando officia celebrant, poſſint poſt Miſſarum ſolemnia, & reſpectiuas, ac matutinas laudes, benedictionem ſolemnem ſuper populum largiri: alibi autem publicè, aut per vias, ciuitates, caſtra & villas, populis & plebibus benedictionem facere vel impertiri non valeant: niſi hoc eis expreſſo Apoſtolico priuilegio ſit conceſſum.*

Hinc non in fauorem ſolùm ordinis Epiſcopalis, ſed intuitu potiſſimùm iuriſdictionis, quam in pluribus caſibus retinent Epiſcopi circa exemptos in Diœce-

ſi ſua conſiſtentes, & à ſua poteſtate in aliis caſibus ſubductos, tam Archiepiſcopis in ſua prouincia, quàm Epiſcopis in Diœceſi, benedicendi populis, etiam in locis exemptis, poteſtas a Clemente V. in Concilio Viennenſi aſſeritur; eáque pars iuriſdictionis eſſe ſignificatur, quippe cùm iiſdem prohibeatur, ne *aliam* huius iuris prætextu, circa perſonas exempras aut loca, *iuriſdictionem* exerceant. Aliam ſiquidem iuriſdictionem non vetaret prætextu conceſſionis benedicendi populis, niſi & illa conceſſio pars iuriſdictionis videretur; & ſanè niſi aliqualis ad benedicendum iuriſdictio requireretur, non reſtringeret Concilium Viennenſe gratiam quam concedit Metropolitanis ad loca ſuæ prouinciæ, & Epiſcopis ad loca ſuæ Diœceſeos. Lege Clementinam *Archiepiſcopo, de priuilegiis.* Ergo ex iis vltrò citróque diſcuſſis concludi poteſt, benedictionem priuatam non eſſe ſignum & argumentum certum ordinis aut iuriſdictionis: eam quæ fit publico Eccleſiæ nomine, ſiue palàm, ſiue publicè fiat, ordini ſtrictè illigatam eſſe: vt palam fiat in Eccleſia ordinis Presbyteratus eſſe, & iuriſdictionis, ſed communis & vulgaris: nulli ſiquidem Presbytero, niſi de gradu ſuo deiectus ſit, & extra Catholicam communionem, palam benedicere populo, in Eccleſia in quam admiſſus eſt, denegari debere; atque adeò iuriſdictionis partem aliquam ſingulis Presbyteris attribui ſolitam benedicendi facultatem videri: iuriſdictione ſiquidem opus fuiſſe, vt tam Miſſæ ſacrificium celebraretur, quàm benedictio publica ſuper populum funderetur, docuimus: ſed hæc iuriſdictio maximè communicabilis eſt, & nulli Presbytero, licèt non in omnibus locis, ſed in aliquo ſaltem, concedi non debet: vt autem nomine Eccleſiæ publico benedicere populis, ſicut & pro iis orare ac gratias agere priuatim & apud ſe Presbyter poſſit, merè ordinis eſt; nec iuriſdictionem habet vllam adnexam; & ideò omni Presbytero competit, & ex eo profluit quòd ſacrificandi habeat poteſtatem, ac proinde ex nomine publico benedicendi, niſi propter delictum ab ordinis ſui functionibus ſuſpendatur.

Vt tandem priuatim, nomine tamen publico, benedictionem ſuper aliquos fideles Sacerdotes fundere poſſit, iuriſdictionem aliquam exinde inferri, ſed non eam quæ limites aſſignatos ſequitur, & territorium exigit, aut neceſſitatem parenti infert & coactionem, ſed eam quæ vim quandam ἐξουσίαν (vt loquitur Chryſoſtomus Orat. de S. Babyla, & lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. & alibi) & ſuperioris gradus eminentiam atque maieſtatem, & ex maieſtate ac dignitate imperandi quandam virtutem importat, quali ſenes in iuniores, viri graues & in dignitate conſtituti, in plebeios vti ſolent, quam ſuperiùs ab ordine ſacro inſeparabilem eſſe docuimus. Eadem iuriſdictio ſacris ordinibus, præſertim hierachicis, adnexa eſt reſpectu doctrinæ, ita vt tanquam Chriſti & Eccleſiæ miniſtri quoſuis ex plebe fideles ſine diſcrimine priuatim docere, quæ Chriſtianæ ſunt fidei & diſciplinæ, eoſdémque peccantes redarguere, & ne peccent monere, ſacerdotibus præſertim conueniat, vt lib. 3. oſtendimus; vt autem publicè doceant, moneant, arguant, alia iuriſdictio neceſſaria eſt, quæ limites habet, & territorium, quam requirunt Paulus ad Rom. 10. Concilium Cæſarauguſtanum ſub Damaſo cap. 7. ſanctus Leo epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum, & 63. ad Theodoretum: Vigilius epiſt. Ruſtico & Sebaſtiano, quæ lecta eſt collat. 7. quintæ Synodi: Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. Patres, cap. 3. & alij paſſim.

Digitized by Google

ſi ſua conſiſtentes, & à ſua poteſtate in aliis caſibus ſubductos, tam Archiepiſcopis in ſua prouincia, quàm Epiſcopis in Diœceſi, benedicendi populis, etiam in locis exemptis, poteſtas a Clemente V. in Concilio Viennenſi aſſeritur; eáque pars iuriſdictionis eſſe ſignificatur, quippe cùm iiſdem prohibeatur, ne *aliam* huius iuris prætextu, circa perſonas exemptas aut loca, *iuriſdictionem* exerceant. Aliam ſiquidem iuriſdictionem non vetaret prætextu conceſſionis benedicendi populis, niſi & illa conceſſio pars iuriſdictionis videretur; & ſanè niſi aliqualis ad benedicendum iuriſdictio requireretur, non reſtringeret Concilium Viennenſe gratiam quam concedit Metropolitanis ad loca ſuæ prouinciæ, & Epiſcopis ad loca ſuæ Diœceſeos. Lege Clementinam *Archiepiſcopo, de priuilegiis*. Ergo ex iis vltrò citróque diſcuſſis concludi poteſt, benedictionem priuatam non eſſe ſignum & argumentum certum ordinis aut iuriſdictionis: eam quæ fit publico Eccleſiæ nomine, ſiue palàm, ſiue publicè fiat, ordini ſtrictè illigatam eſſe: vt palam fiat in Eccleſia ordinis Presbyteratus eſſe, & iuriſdictionis, ſed communis & vulgaris: nulli ſiquidem Presbytero, niſi de gradu ſuo deiectus ſit, & extra Catholicam communionem, palam benedicere populo, in Eccleſia in quam admiſſus eſt, denegari debere; atque adeò iuriſdictionis partem aliquam ſingulis Presbyteris attribui ſolitam benedicendi facultatem videri: iuriſdictione ſiquidem opus fuiſſe, vt tam Miſſæ ſacrificium celebraretur, quàm benedictio publica ſuper populum funderetur, docuimus: ſed hæc iuriſdictio maximè communicabilis eſt, & nulli Presbytero, licèt non in omnibus locis, ſed in aliquo ſaltem, concedi non debet: vt autem nomine Eccleſiæ publico benedicere populis, ſicut & pro iis orare ac gratias agere priuatim & apud ſe Presbyter poſſit, merè ordinis eſt; nec iuriſdictionem habet vllam adnexam; & ideò omni Presbytero competit, & ex eo profluit quòd ſacrificandi habeat poteſtatem, ac proinde ex nomine publico benedicendi, niſi propter delictum ab ordinis ſui functionibus ſuſpendatur.

Vt tandem priuatim, nomine tamen publico, benedictionem ſuper aliquos fideles Sacerdos fundere poſſit, iuriſdictionem aliquam exinde inferri, ſed non eam quæ limites aſſignatos ſequitur, & territorium exigit, aut neceſſitatem parenti infert & coactionem, ſed eam quæ vim quandam ἐξουσίας (vt loquitur Chryſoſtomus Orat. de S. Babyla, & lib. 3. de Sacerdotio cap. 5. & alibi) & ſuperioris gradus eminentiam atque maieſtatem, & ex maieſtate ac dignitate imperandi quandam virtutem importat, quali ſenes in iuniores, viri graues & in dignitate conſtituti, in plebeios vti ſolent, quam ſuperiùs ab ordine ſacro inſeparabilem eſſe docuimus. Eadem iuriſdictio ſacris ordinibus, præſertim hierachicis, adnexa eſt reſpectu doctrinæ, ita vt tanquam Chriſti & Eccleſiæ miniſtri quoſuis ex plebe fideles ſine diſcrimine priuatim docere, quæ Chriſtianæ ſunt fidei & diſciplinæ, eoſdémque peccantes redarguere, & ne peccent monere, ſacerdotibus præſertim conueniat, vt lib. 3. oſtendimus; vt autem publicè doceant, moneant, arguant, alia iuriſdictio neceſſaria eſt, quæ limites habet, & territorium, quam requirunt Paulus ad Rom. 10. Concilium Cæſarauguſtanum ſub Damaſo cap. 7. ſanctus Leo epiſt. 62. ad Maximum Antiochenum, & 63. ad Theodoretum: Vigilius epiſt. Ruſtico & Sebaſtiano, quæ lecta eſt collat. 7. quintæ Synodi: Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. Patres, cap. 3. & alij paſſim.

ARTICVLVS III.

Iuriſdictionem quæ nullam patienti neceſsitatem inducit, non ſufficere ad perfectam Hierarchiam.

DICENDVM ſecundò, iuriſdictionem iſtam ad benedicendum docendúmque requiſitam, quam nec terminis quibuſdam ac limitibus regionum definitam eſſe, nec territorium importare docuimus, nec illam neceſſitatem inferre patienti: hanc, inquam, ad aliquem ſacro ordine inſignitum in hierarchia perfectè conſtituendum non ſufficere: primò enim ad perfectum in hierarchia locum obtinendum diximus duo requiri, ordinem & iuriſdictionem, ita vt ſcilicet iuriſdictio ſimul cum ordine perfectum principatum ſacrum componat: atque adeò ab ordine pars quædam diſtincta ſit, ipſíque adueniens: atqui iuriſdictio iſta, quæ nec territorium importat, nec quibuſdam limitibus conſtringitur, nec neceſſitate aliquâ patientem adſtringit, nec propriè iuriſdictio eſt; nec vt dos condiſtincta ab ordine intelligitur, quæ ſimul cum ordine ſacrum principatum perfectum efficiat: ſed ordinis quędam proprietas eſt, ipſaque potiùs tanquam condiſtincta à iuriſdictione concipitur, ex parte ordinis ſe tenens, vt barbarè quidem loquar, ſed populariter & dilucidè. Igitur ad perfectum in hierarchia locum iuriſdictio illa minimè ſufficit.

2. De principatu ſacro, & temporali ſeu mundano proportione ſeruatâ diſſerendũ eſt, vt pluries monuimus: atqui nemo perfectè dicitur Princeps temporalis, niſi aliquod habeat territoriũ & aſſignatos ſibi aliquos ſubditos, quibus parere neceſſarium ſit, nam Princeps, & ſubditi ac territoriũ correlata cenſentur, quorum vnum alterũ infert. Igitur ſacer Principatus, ſiue hierarchia ſine iuriſdictione prędicta haberi non poteſt. Confirmatur ex iis verbis Apoſtoli 1. Cor. 12. *Non poteſt autẽ oculus dicere manui, Opera tuâ non indigeo: aut iterùm caput pedibus, Non eſtis mihi neceſſarij: ſed multò magis quæ videntur membra corporis infirmiora, ea neceſſariora ſunt.* Quæ verba oſtendunt Principes in Eccleſia (nam de corpore Eccleſiæ hîc ſermo eſt) nõ eſſe ſine certis ſubditis, quibus vt pedibus innitatur ipſorum Principatus, in quem locum Ambroſius, *Maior gradu & dignitate non poteſt ſine illo eſſe, qui humilis eſt.* Et paulò pòſt, *Manifeſtum eſt, quia quamuis áliquis dignitate ſublimis ſit, ſi ſubiectus tamen defuerit, qui obſequiis ſuis illum faciat glorioſum, ipſa dignitas contemptibilis erit. Officium eſt per quod dignitas conſtat. Tale eſt, ſi Imperatori deſit exercitus: quamuis ergo ſit magnus Imperator, neceſſarium tamen habet exercitum.*

3. Propriè dicta iuriſdictio ad hierarchiam perfectam requiritur ex prędictis: atqui iuriſdictio quæ nullum habet territorium, nullam ditionem, nullóſq; aſſignatos ſubditos, propriè iuriſdictio non eſt, vt tum ex ſignificatione nominis vſitata conſtat, tum ex iſta quæ circumfertur apud Iuris Doctores, iuriſdictionis etymologia, vt nempe dicatur quaſi *iuris ditio*, id eſt ditio conceſſa à iure ſeu legitima, vt notat Gloſſa *mixtum*, & Gloſſa *iuriſdictione*, §. *nulla*, in Authenticam *de defenſoribus ciuitatis*. Igitur iuriſdictio perfectè hierarchica debet habere territorium, habere ditionem ſibi aſſignatam.

4. Quia iuriſdictio perfectè hierarchica ſubordinationem inuoluit, & varios gradus ratione amplitudinis, poteſtatis vel coarctationis, maioritatis, vt vocant, vel minoritatis, ſuperioritatis & inferioritatis: propter quam rationem à Concilio Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 4. vocatur *caſtrorum acies ordinata*; atqui iuriſdictio, quæ territorium nullum inuoluit, nec habet aſſignatos ſibi ſubditos, nullam talem ſubordinationem includit, nec gradus illos ſuperioritatis & inferioritatis, maioritatis & obedientiæ, qui ratione territorij, & ditionis amplioris petuntur. Papa ſiquidẽ, qui in culmine eſt hierarchiæ, totius Eccleſiaſtici Principatus centrum, ac principium vnitatis ſacerdotalis, ſpiritaliſq; Monarcha, terrã à Chriſtianis habitatã pro territorio haber, & ſupra omnes Chriſti fideles ſingulos ęquè ac vniuerſos iuriſdictionem ampliſſimã obtinet. Patriarchę, poſt eum maiores obtinent & ampliores iuriſdictionis ſuæ fines, quippe qui totum orbem partiti dici poſſint; Primates ſuper diuerſas prouincias cõſtituti Metropolitanis eminent; Metropolitani prouinciis præfecti præcellunt Epiſcopis. Hi qui regionẽ alicuius prouinciæ gubernandã ſuſceperunt, Presbyteris qui eis ſubiacent loco alicui & ciuitatis aut pagi præpoſiti: ſublatâ verò ditione & terri-

toriorum aſſignatione, inter omnes Epiſcopos nulla diuerſitas, nulla ſubordinatio ſeruaretur: quæ omnia rectè explicant Leo epiſt. 84. ad Anaſtaſium cap. 11. Gregorius Magnus lib. 28. Moralium cap. 6. & lib. 4. epiſt. 52. indictione 13. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 7. Originum cap. 12. Gregorius VII. lib. 6. ep ſt 35. & Bernardus lib. 3. de Conſideratione cap. 4. Petrus Damiani epiſt. 15. cap. 15. & alij plures. Igitur iuriſdictio quæ ad hierarchiam ſufficit, debet habere territorium & ditionem ſibi aſſignatam, non autem vagam & confuſam, ſine ſubditis certis, ſine populis, qui ſingularem habeant ad Principem ſeu Hierarcham relationem ſubiectionis.

Quintò, quia facultas agendi circa aliquem, non videtur ad hierarchiam ſufficere, niſi reſpectu iſtius actionis patiens ſit in poteſtate agentis, vt in voluntate agentis ſit circa ipſum agere, non in voluntate duntaxat patientis, vt circa illum agatur: nam hierarchia omnis principatum ſonat, & dominium quoddam: principatui ſubiectio ex aduerſo reſpondet, quæ in eo conſiſtit, vt patiens ſit in poteſtate agentis, & eius voluntati ſubdatur, quemadmodum lignum ſubditur artifici, vt circa ipſum agat, ſubditus ſeruus vel famulus domino, vt ad hæc vel illa opera ipſum ſuâ miſſione applicet; & idem dicas de cæteris.

Quod ex eo confirmatur, quia *priuatorum conſenſus iudicem non facit eum, qui nulli præeſt iudicio, nec quod is ſtatuit iudicatæ continet auctoritatem*, Lege 1. Cod. *de iuriſdictione omnium iudicum.*

Dominium quoque eſt poteſtas vtendi & abutendi pro libito, ac proinde qui pro ſuo libito circa aliquem agere nequit, ſed tantùm cùm alteri placet, ex ea facultate nullum dominatum, nullum principatum acquirit. Atqui iuriſdictio ſine aſſignatione certorum ſubditorum, ditionis ac territorij, videtur eſſe mera facultas agendi, abſque vlla ſubiectione patientis agenti, in cuius poteſtate ſitum ſit, vt circa ipſum agat atque operetur, ſed cum libera poteſtate patientis, vt agentis operationem circa ſe defugere poſſit, ſi velit. Igitur in ea iuriſdictione nulla principatus ſeu dominationis vllius vel leuiſſimæ apparent ſigna: ac proinde ad hierarchiam iſta iuriſdictio non ſufficit. Denique nullus principatus ſine imperandi auctoritate & præcipiendi; præceptum autem omne neceſſitatem habet, Can. *quod debetur*, 14. quæſt. 1. vbi voluntaria tantùm eſt ſubmiſſio, non autem vlla ditio vel ſubditi certi, nulla eſt parendi neceſſitas: ergo nec principatus vllus, proindeque nec hierarchia perfecta.

Dico tertiò, non ſufficere ad perfectam hierarchiam, Eccleſiaſticam iuriſdictionem quæ eſt abſque omni penitùs coercitione: in hierarchia quidem Angelica propriè dicta coercitio locum non habet, quæ peccabilitati duntaxat prouiſum remedium eſt: neceſſitas quidem Angelis inferioribus imponitur ſuperiorum Angelorum mandatis & iuſſionibus obſequendi, quia hanc diuinam eſſe legem reſciunt, cui refragari nec volunt nec poſſunt, quia in gratia & charitate confirmati ſunt. Cui veritati confirmandæ conſentanea ſunt verba iſta Bernardi libro 3. de Conſideratione cap. 4. *Niſi tu fortè Angelorum quempiam dicentem audiſti, nolo ſub Archangelis eſſe, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum, aliquem non ferentem ſubeſſe cuiquam niſi Deo.* Fœlix ergo iſta neceſſitas ſubiectionis in Angelis inferioribus reſpectu iuſſionum à ſuperioribus ipſis factarum, quæ ſuperiorum principatum confirmat: homines verò qui mutabilitate voluntatis ad malum etiam conuerti, & à recta lege ſibi præſcriptâ deflectere poſſunt, aliâ ratione ſubiecti ſuperioribus ſuis dicuntur: alia ipſis parendi neceſſitas imponitur, ea ſcilicet vt vel mandata ſuperiorum volentes impleant, vel ſi implere detrectauerint, nolentes etiam inuitique ad voluntatem ſuperiorum puniantur, in quo Dei principatum ſitum eſſe explicat Auguſtinus Enchiridij ad Laurentium capite centeſimo, his verbis, *Hæc ſunt magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates, & tam ſapienter exquiſita, vt cùm Angelica creatura peccaſſet, id eſt non quod ille, ſed quod voluit ipſa peccaſſet, etiam per eandem creaturæ voluntatem, quâ factum eſt quod creator noluit, impleret ipſe quod voluit, bene vtens & malis tanquam ſummè bonus, ad eorum damnationem, quos iuſtè prædeſtinauit ad pœnam; & ad eorum ſalutem, quos benignè prædeſtinauit ad gloriam.* Cuius principatus pro ſuo modulo rationem quandam &

ſpeciem exprimere oportet quicunque vel ſacro, vel mundano principatu donantur; vt ſcilicet aliquam vim coactiuam habeant, quam ſi non haberent, perfectè Principes nequaquam dici poſſent, nec vero imperio, nec verâ iuriſdictione præditi: *quia vera iuriſdictio ſine modica coercitione nulla eſt*, inquit Paulus Iuriſconſultus lib. 18. ad Plautinum, vt refertur lege fin. ff. *de officio cui mandata eſt iuriſdictio*; cui conſentit Innocentius III. cap. *Paſtoralis*, *de officio iudicis delegati. Iuriſdictio*, inquit, *illa nullius videretur eſſe momenti, ſi coercitionem aliquam non haberet*: & cap. *Ex literis*, eodem, *Huiuſmodi demandata iuriſdictio deluſoria videretur, ſi ſubdelegatus huiuſmodi coercitionem aliquam non haberet.* Quare nemo perfectè in hierarchia conſtitutus cenſeri poteſt, niſi aliquâ ſaltem modicâ coercendi auctoritate polleat: coercitio autem illa modica ſaltem in reprehendendis, arguendis, increpandíſque palam publicis, prout eorum delicti conditio exigit, peccatoribus ſita eſt, quam poteſtatem Paſtoribus omnibus, illos in perſona Timothei inſtruens, conuenire inſinuat Apoſtolus 2. ad Tim. 2. his verbis, *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*, & in perſona Titi, epiſt. ad eum cap. 1. *Increpa illos durè, vt ſani ſint in fide*, & cap. 2. *Argue cum omni imperio*: quibus ſimilia alia ſacræ Scripturæ teſtimonia ad hoc probandum adducit Cyprianus cùm collegis epiſt. 62. ad Pomponium. Lege Auguſtinum lib. de fide & operibus cap. 4. Chryſoſtomum hom. 9. in poſteriorem ad Timoth. Hilarium in Pſal. 138. Gregorium parte 2. Paſtoralis cap. 10. & alios paſſim.

Modica etiam coercitio eſt occulta denegatio abſolutionis ſacramentalis, quæ fit à Sacerdote iuſtas ob cauſas, quæ ligaminis nomine intelligitur, dum Sacerdoribus ſoluendi ac ligandi poreſtas conceſſa eſſe dicitur, id eſt peccata remittendi vel retinendi, vt duo iſta Scriptura ſacræ loca, Math. cap. 18. & Ioannis 20. inter ſe conferendo innoteſcit. Itaque quicunque poteſtatem hierarchicam in alium habet, hac ſalrem modicâ coercitione præditus eſſe debet: ſecùs enim ne quidem inter minores Eccleſiæ Principes & populorum Duces referri perfectè debet, licèt charactere inſignitus ſacerdotali, ad populis imperandum, ſi modò ab Eccefia ad hoc onus aſſumatur, conſecratus cenſeatur.

ARTICVLVS IV.

Non requiri, vt quis ſit in Hierarchia, quòd ſummam & omnibus numeris abſolutam iuriſdictionem coercitiuam habeat, ſed ſufficere aliquam gradui proportionatam.

DICENDVM tertiò, non tamen neceſſarium eſſe ad hoc vt aliquis in hierarchia perfecta locum aliquem & gradum obtineat, quòd omnem inobedientes coercendi poteſtatem Eccleſiaſticam poſſidear. Debent enim in hierarchia, ſicut & in quauis Repub. eſſe maiores, & minores Principes ſeu Magiſtratus: & cùm diuerſi ſint hierarchiæ ordines, ſicut & pœnarum Eccleſiaſticarum, ac iudiciorum diuerſi gradus, maiores pœnas, ſicut & maiores cauſas maioribus Magiſtratibus, minores minoribus committi æquum atque conſentaneum fuit. Cuius ordinationis exemplum habemus in Republica Iudaïca, in qua ſeptuaginta Seniores concilio maiori, quod Sanhedrin, ſeu συνέδριον vocabatur, præſidebant, & maiores cauſas iudicabant, Deut. 17. & Num. 11. & 2. Paralip. cap. 19. Minores verò iudices in ſingulis ciuitatibus conſtituti erant controuerſiis facilioribus & minoris momenti præfecti, Deut. 16. & lib. 2. Paralip. cap. 19.

Item in Republica Romana Magiſtratus omnes iudicium habebant, teſte Tullio lib. 3. de legibus, nullúſque erat Magiſtratus qui non in aliqua poteſtate eſſet, ſeu qui non imperium aliquod ſeu iuriſdictionem haberet, vt colligitur ex lege 205. *de verborum ſignificatione*: ſed pro diuerſa ratione imperij meri aut mixti, quorum mentio fit lege 3. ff. *de iuriſdictione omnium iudicum.* Duplicis generis erant Magiſtratus, alij maiores, qui noxios ciues mulctâ & vinculis coercendi pote-

ſtatem habebant, vt ait Cicero lib. 3. *de legibus*: alij minores, penes quos mixtum tantùm imperium erat: ſeu Magiſtratus alij vocationem, alij reprehenſionem, alij neutrum habebant, vt ait Varro apud Gellium. Similiter ergo vt inter Eccleſiaſticos Proceres, Principes, Magiſtratus ſeu poteſtatem Eccleſiaſticam habentes, vno verbo hierarchicos viros aliqui referantur, non requiritur ſuprema neque perfecta, aut omnibus ſuis numeris abſoluta iuriſdictio, ſed tantùm requiritur vt illam pro ſuo quiſque gradu obtineat & ordine. Epiſcopis quidem propria eſt iuriſdictio in vtroq; foro, adeò vt Epiſcopalis ordo mutilus videatur, & debitâ ſibi connaturali qualitate ac proprietate priuatus, niſi iuriſdictionem ſuperiorẽ qualibet in eadem Diœceſi habuerit tam vniuerſalem quàm particularem. Vniuerſalem quidem tam legiſlatiuam in legibus ferendis, & ſtatutis per omnes ſuæ Diœceſeos Eccleſias vigorem habituris, condendis & confirmandis, quàm ordinatiuam in creandis, inſtituendis ordinandiſque Paſtoribus atque Officialibus Eccleſiarum, miniſtriſque Euangelij & Sacramentorum approbandis. Particularem tam fori externi in iudiciis inſtruendis, ſententiis pronuntiandis, cenſuris atque Eccleſiaſticis pœnis inferendis poſitam, quàm fori interioris in peccatis dimittendis aut retinendis in ſacramento Pœnitentiæ ſitam. Etenim Epiſcopus eſt ſummus Sacerdos, & ita paſſim à Patribus nuncupatur, verbi gratiâ, à Tertulliano lib. de Baptiſmo cap. 17 ab Euſebio *Epiſcopis Tuſciæ & Campaniæ*, à Damaſo epiſt. ad Proſperum, ab Ambroſio lib. 3. *de Sacramentis*, c. 5. & epiſt. 44. à Gaudentio Brixiano, tract. *in die ordinationis ſuæ*, & tractatu ſequenti *in dedicatione baſilicæ*; ab Innocentio I. epiſt. 12. & 22. ab Hieronymo epiſt. *aduerſus Luciferianos*, & epiſt. 99. *ad Aſellam*, ab Auguſtino quæſtionum ex vtroque mixtim, quæſt. 10. à Fauſto in præfatione lib. 1. *de libero arbitrio*, & hom. *de vidua*; à Leone I. epiſt. 84. cap. 5. à Sidonio epiſt. 11. & 24. lib. 4. & 14. lib. 5. & in fine concionis, à Ruricio epiſt. 9. à Conciliis Taurinatenſi Can. 1. & Agathenſi Can. 6. aliiſque paſſim, imò & ab iiſdem Patribus Epiſcopi paſſim ſummi Pontifices, & ſummi Antiſtites dicuntur, verbi gratiâ, à Patribus Concilij Agathenſis Can. 35. & Concilij Hiſpalenſis II. Can. 7. Toletani VI. initio, Pontificibus Romanis Zoſimo epiſt. 1. & 5. Leone I. epiſt. 99. grauiſſimis aliis Patribus Paulino Nolano epiſt. 46. *ad Romanianum*, Sidonio epiſt. 11. lib. 4. decimâ-quartâ lib. 5. quintâ lib. 7. Ennodio Ticinenſi dictione 2. Montano Epiſcopo Toletano epiſt. ad Paleſtini territorij Presbyteros, Venantio Pictauienſi lib. 5. epigramm. 1. lib. 9. epiſt. 13. lib. 1, epiſt. 16. & aliis.

Dicuntur & ſummi Antiſtites à Siricio Papa epiſt. 1. cap. 15. Leone Magno epiſt 105. Pſeudo-Euſebio Emiſſeno ſermone de ſancto Maximo, Sidonio epiſt. 25. lib. 4. Venantio lib. 10. cap. 17. Aurelianenſi I. Concilio in Præfatione.

Non aliâ porrò ratione ſummi Pontifices, Antiſtites, Sacerdotes dicuntur Epiſcopi nec aliâ ratione Epiſcopatus ipſe ſummum Sacerdotium nuncupatur paſſim, niſi quia innata eſt, & ex Chriſti inſtitutione inſita, Epiſcopali dignitati iuriſdictio ſupra cæteros inferioris ordinis Sacerdotes, vt deſinat eſſe quodammodo Epiſcopus, ſuæque dignitatis detrimentum patiatur, ac de gradu ſuo deiiciatur, niſi in Presbyteros in ſecundo, & Diaconos in tertio ſacerdotio conſtitutos auctoritatem & iuriſdictionem habuerit. Quam rationem ſolidam eſſe & efficacem ſibi perſuadebit, qui nempe diuinum in inſtitutione Epiſcoporum conſilium perquiret; cur enim ſupra ordinem Presbyterorum, quibus excellentiſſimam poteſtatem Chriſtus contulit conſecrandi Corpus & Sanguinem, aliquem eminentiorem gradum conſecrationis & ordinationis inſtituit Epiſcopalem, niſi vt cæteris ille præeſſet, qui ad hunc apicem ſacerdotij conſcenderet? Tanta ſiquidem eſt poteſtas cuiuſlibet Presbyteri, in iis quæ ad diuini numinis cultum pertinent, & circa Corpus Chriſti verum exerceri poſſunt, vt nullum hæc poteſtas præciſè incrementum recipere, nec ad ſuperiorem vllum gradum proueħi poſſit: ſi quem ergo maiorem gradum ſublimitatis ſeu dignitatis excogitare poſſumus in Epiſcopatu, ſi quod poteſtatis incrementum, tota iſta dignitas, tota ſublimitas maior ampliórque poteſtas, & auctior debet circa Corpus Chriſti myſticum ſeu circa Eccleſiam verſari, ad eámque regendam gubernandámque

deſtinari. Ideóque Epiſcopalis ordo ſecundum id totum quod ſupra Presbyteralem continet, conſecratio eſt ad plebem fidelem, & inferiores ſacerdotes & miniſtros in officio continendos: ac proinde iuriſdictionem ex Chriſti inſtitutione neceſſariò poſtulat, eámque maiorem quàm quæ Presbyteris conueniat, ad quam ſcilicet ritè exercendam de maiori gratia Deus per Epiſcopatus ordinem prouidet; quem etiam voluit eſſe auguſtiorem ac ſanctiorem, vt maiori venerationi apud omnes haberetur, qui maiori in auctoritate & poteſtate foret conſtitutus.

Atque hinc patet Presbyteratus & Diaconatus ordinem non adeò neceſſariò iuriſdictionem propriè dictam inuoluere, vt mutilus ſit, vel ſuo fine principali priuatus vterque ordo, quamuis ab vtroque iuriſdictionis officia ſubtrahantur. Etenim finis principalis & potiſſimus tam Presbyteratus quàm Diaconatus, in quem vterque reſoluitur, eſt ſacræ Euchariſtiæ vel conſecratio, vel diſpenſatio, aut in ea diſpenſanda miniſterium, quam proinde Euchariſtiam Dionyſius cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ ἱεροτελεστικωτάτην, *Principem partem ſacerdotalis muneris*, necnon κεφάλαιον τῶν κατ' ἕκαστα τελουμένων, τὴν ἐπὶ τὸ ἓν τῆς τελεσθέντος ἱερουργούσης συναγωγήν, *ſummam eorum quæ in ſingulis ſacramentis peraguntur, complexionem omnis perficiendæ ſacerdotalis functionis:* & cap. 6. Eccleſiaſticæ hierarchiæ, ὀλέστης ἱεραρχικῆς μεθέξεως τὸ κεφάλαιον, *hierarchicæ perfectionis ſummam.* Quæ etiam Euchariſtia ſicut finis eſt vniuerſis fidelibus propoſitus, qui ideò regenerantur, & alia ſacramenta percipiunt, vt ad eius perceptionem perueniant, teſte eodem Dionyſio locis citatis, ita totius ſacerdotij & ordinum omnium inferiorum finis eſt, ad quem ſcilicet deſtinantur ex diuo Thoma, & aliis Theologis paſſim; ac proinde Diaconus qui ad miniſterium altaris admittitur, perfectè Diaconus; Presbyter qui ad eius conſecrationem, perfectè Presbyter cenſendus eſt, quamuis ad plebis regimen, & iuriſdictionis circa plebem exercendæ miniſterium nequaquam admittatur.

Quæ ratio confirmari poteſt, quia nempe tam Presbyterorum, quàm Diaconorum officia ſunt plurima, quæ ad diuinum cultum duntaxat referuntur, & tam Presbyterorum quàm Diaconorum ordini propria ſunt: in hac autem officiorum varietate debet Epiſcopus non omnibus omnia, ſed ſingulis ſingula pro vniuſcuiuſque captu diſtribuere. *Alius*, inquit Ambroſius lib. 1. *de officiis*, cap. 44. *diſtinguendæ lectioni aptior, alius Pſalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant ſpiritu ſollicitior, alius ſacrario opportunior habetur. Hæc omnia ſpectet ſacerdos, & quid cuique congruat id officij deputet.* Háncque officiorum diſtributionem pro ſingulorum captu faciendam ſignificat ſanctus Paulus 1. Corinth. 12. & ad Epheſ. 4. in qua diſtributione hoc notandum eſt, plura longè officia enumerari, quàm ſint ordines hierarchici, qui videlicet tres duntaxat referri poſſunt, nimirùm Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum: & quòd ex iſtis officiis aliqua, imò plura nullam præciſè iuriſdictionem coactiuam inuoluunt.

Quin etiam notandum, quod Chryſoſtomus in citatum caput 4. ad Epheſios homil. 14. obſeruat, Apoſtolos à Paulo primo loco numeratos fuiſſe, quòd omnia dona officiáque complecterentur: hanc ſiquidem rationem aſſignat πάντα γὰρ εἶχον οὗτοι, *hi enim habébant omnia:* quam veritatem fusè probat ſermone 50. *de vtilitate lectionis Scripturæ*, tomo 5. probationémque iis verbis concludit, ὅταν οὖν ἀκούσῃς, πρῶτον Ἀποστόλους, δεύτερον προφήτας, τρίτον ποιμένας, καὶ διδασκάλους, χαρίσματα ἰαμάτων, ἀντιλήψεις, κυβερνήσεις, γένη γλωσσῶν. μάθε, ὅτι πᾶσα ἡ χορηγία τῶν λοιπῶν χαρισμάτων, ὥσπερ ἐν κεφαλῇ, τῇ Ἀποστολῇ ἐναπόκειται· *Cùm igitur audis primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tertiò Paſtores ac Doctores, gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum: diſce reliquarum gratiarum copiam omnem tanquam in capite in Apoſtolatu reſidere.* Quod de Apoſtolis ſcribitur, ad Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores extendendum eſt, vt ſcilicet in iis omnium genera gratiarum ad vtilitatem proximi & ordinariam Eccleſiæ gubernationem neceſſaria deſiderentur, omniáque cæterorum ordinum officia in iis tanquam in capitibus Eccleſiarum concludantur. Quod ſignificat Ambroſiaſter in cap. 1. prioris ad Corinth. his verbis, *In Epiſcopo omnium ordinationum dignitas eſt, caput eſt enim cæterorum membrorum.* quæ comparatio Epiſcopi cum capite inſtituto valdè accommodata eſt;

nam cùm ſenſus aliqui per totum corpus diffundantur, alij in vnica capitis parte inſideant, omnes in capite includuntur: eóque modo per totum vel Eccleſiæ vel Cleri corpus aliquæ gratiæ ſeu miniſteria diffunduntur, aliqua ſingularia officia Epiſcoporum, Epiſcopi Officialibus tanquam ipſius partibus committuntur: ſolus ipſe omnia miniſteria in ſua poteſtate habet, & gratiarum omnium & donorum vſum neceſſarium exigit. Aliter idem auctor in eundem ſenſum in cap. 4. ad Epheſios, *In Epiſcopo omnes ordines ſunt, quia primus Sacerdos eſt, Princeps eſt Sacerdotum, & Propheta, & Euangeliſta, & cætera adimplenda officia Eccleſiæ in miniſterio fidelium.* In Presbyteris verò & Diaconis diffuſa eſſe & diſperſa ea munia quæ in Epiſcopo collecta ſunt, eodem loco oſtendit, dum ait, *Vbi omnia loca complexa eſt Eccleſia, conuenticula conſtituta ſunt, & rectores, & cætera officia in Eccleſiis ſunt ordinata, vt nullus de Clero auderet, qui ordinatus non eſſet, præſumere officium quod ſciret non ſibi creditum vel conceſſum; & cœpit alio ordine vel prouidentia gubernari Eccleſia, quia ſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res, & viliſſima videretur.* Vnde patet Epiſcopis neceſſariò iuriſdictionem ineſſe debere, eámque omnimodam: ſecùs ſtatum, dignitatémque ordinis Epiſcopalis violari; Presbyteros verò & Diaconos capaces quidem eſſe iuriſdictionis etiam ordinariæ recipiendæ, atque exercendæ, prout Epiſcopus eam ipſis communicarit; ſed ab omni iuriſdictionis exercitio arceri poſſe abſque Presbyteralis vel Diaconalis ordinis iniuria, & imminutione indecora.

Atque hæc, niſi fallor, vera & ſincera ratio eſt, ob quam tam in ſecundo quam in tertio Sacerdotio conſtituti, non nominibus iuriſdictionem ſignificantibus, ſed aliis dignitatem, miniſterium aut cooperationem quamcumque iis qui iuriſdictione præditi ſunt, inſigniti fuerint. Primi verò ordinis Sacerdotes nominibus Epiſcoporum, & aliis vocitati fuerint, quibus Principatus & iuriſdictio coactiua ſignificantur. Presbyteri ſiquidem dicti ſunt qui in ſecundo ſacerdotio conſtituti ſunt, dicti quoque iidem, ſed rariùs ſacerdotes; quod vtrumque nomen iuriſdictionem coercitiuam nequaquam ſignificat: ſed Presbyterorum nomen, quod idem eſt ac nomen ſeniorum, nomen eſt dignitatis; nam, vt ait Ambroſius in 1. ad Timoth. cap. 5. *Apud omnes vbique Gentes honorabilis eſt ſenectus: vnde & Synagoga, & poſteà Eccleſia ſeniores habuit, quorum ſine conſilio nihil agebatur in Eccleſia.* Et Iſidorus Originum lib. 7. *Presbyter*, inquit, *Græcè, Latinè ſenior interpretatur: non pro ætate vel decrepita ſenectute, ſed propter honorem vel dignitatem quam acceperunt, Presbyteri nominantur.* Dignitatem igitur & excellentiam gradus hoc nomine ſignificatam videmus: inſpectionem, correctionem, animaduerſionem ſignificatam non animaduertimus. Similiter nec Sacerdotis nomine coercitio, ſed beneficium quod nobis Presbyterorum operâ obuenit ſignificari obſeruare poſſumus: ſacerdotes enim dicuntur quaſi *ſacra dantes*, & cæleſtia nobis dona miniſtrantes, Deóque diuina & myſtica dona offerentes: Diaconi quoque à miniſterio quod exhibent, ſignificati leguntur; à miniſterio, inquam, quod ſi ſacrum fuerit, potiùs ad officia circa diuina altaria, quæ ab ipſis exhibentur in ſacris Synaxibus & Liturgiis, pertinet, quàm ad quidpiam aliud, quemadmodum explicant ipſum Ignatius, Antiochenus epiſt. ad Heronem Diaconum, & Ambroſius lib. 1. de Officiis, c. 41. & alij communiter; ſi prophanum, adminiſtratio potiùs eſt, & procuratio patrimonij Eccleſiaſtici, quàm quoduis aliud munus, vt ex eodem Ambroſio loco citato, ſanctis Leone & Maximo ſermonibus in Natali ſancti Laurentij colligere poſſumus.

Iidem alio nomine λειτουργοί, ab officio quod in ſacris exhibent, nominantur, Leuitæ verò ſeu *aſſumpti*, ab obligatione quam contrahunt, vt diuinis præ cæteris officiis vacent, vt fusè explicat Ambroſius prædicti libri primi cap. vltimo.

Primi verò ordinis Sacerdotes, primò quidem vocantur Epiſcopi, quod nomen gubernationem, aduigilationem & cuſtodiam ſonat. Quod vtique varij Patres non oſcitanter obſeruant; Cyrillus Alexandrinus in cap. 9. Oſeæ, σκοποὺς nominatos adnotat, τοὺς τῶν λαῶν προεστηκότας, ὑψοῦ τι ἠρμένους ἀξίᾳ τιμῶν, *Præſides populorum, & in ſublimi dignitatum gradu collocatos:* Auguſtinus in Pſal. 126. *Ideò altior locus poſitus eſt Epiſcopis, vt ipſi ſuperintendant, & tanquam cuſtodiant populum. Nam & Græcè quod*

dicitur Epiſcopus, hoc Latinè ſuperintentor interpretatur, quia ſuperintendit, quia deſuper videt. Ambroſius in Pſal. 77. *quid aliud interpretatur Epiſcopus niſi ſuperinſpector?* Eadem nominis Epiſcopi deriuatio, & ſignificatio placuit Damaſo epiſt. Proſpero Numidiæ, Sidonio epiſt. 1. lib. 6. & 7. lib. 9. Caſſidoro in Pſal. 108. Gregorio Magno lib. 11. epiſt. 42. Iſidoro Hiſpalenſi lib. 7. Originum cap. 12.

Quibus expreſſiùs fauent quòd Eccleſiaſtici 18. in Græco ὥρη ἐπισκόπης, *hora viſitationis* ſeu *caſtigationis* dicatur: quòd apud Heſichium ἐπισκοπὴ pro vltione: apud Syneſium ἐπισκοπὴ Θεοῦ, pro *Dei animaduerſione* ponatur.

Secundò iidem primi ordinis ſacerdotes à Græcis ἀρχιερεῖς, ἱεράρχαι, πρόεδροι, προεστῶτες appellantur, quaſi *Principes ſacerdotes, Principes ſacrorum & ſacerdotum, præpoſiti, & præſidentes.* Præpoſitos eoſdem nominant ex Latinis Tertullianus *de ieiuniis aduerſus Pſychicos*, cap. 14. Cyprianus epiſtolis 4. 10. 21. 51. 67. 69. 72. & alibi: Auguſtinus epiſt. 264. & concione in Pſal. 126. Sidonius epiſt 1. lib. 3. epiſt. 3. lib. 5. epiſt. 17. lib. 7. Ruſticus Diaconus aduerſus Acephalos *ſacerdotum Principes* vocat: ſanctus Leo epiſt. 86. *populi Principes*: Cyprianus epiſt. 55. Epiſcopatum *ſacerdotium princeps*: Leo Imperator initio Nouellarum conſtitutionum iſtius Imperatoris. Quæ omnia & ſimilia nomina oſtendunt eam fuiſſe Patrum & Chriſtianorum cuiuſcumque ætatis ſententiam, principatum, coercitionem, imperiúmque longè præſtantius atque potentius Epiſcopatui neceſſariò inſitum, atque ſtrictiſſimè illigatum eſſe; ita vt dimidiatus ſit Epiſcopus, qui ſolo ordine inſignitus, iuriſdictione coercitiuâ caruerit: quod vtique exploratum eſſe poteſt ei, qui apud Concilia & Patres animaduerterit illos, qui poſt ordinationem Epiſcopalem iuriſdictione propter crimina mulctati eſſent, vix Epiſcopos haberi, ſed tanquam laicos, ſi omnibus Clericalis ordinis functionibus priuati eſſent, exiſtimatos fuiſſe, vt conſtat ex Cypriano epiſtolis 67. 68. 69. Hilario lib. 3. contra Conſtantium, Auguſtino epiſt. 203. & aliis paſſim; tanquam Presbyteros, ſi officia Presbyterorum duntaxat retinerent, ex epiſtola Alexandrinæ Synodi apud Theodoretum lib. 1. cap. 9. Conciliis Ancyrano Can. 18. Trullano Can. 20. & Rhemenſi præſide Leone IX.

Hæc autem omnia eò tendunt, vt probentur hæc capita ad præſentis quæſtionis ſolutionem valdè neceſſaria: primum iuriſdictionem perfectam non requiri ad hoc, vt perfectè aliquis in hierarchia collocetur, ſed eam duntaxat deſiderari, quæ vnicuique hierarchico ordini ſeruatâ proportione reſpondeat; adeò vt Presbyter perfectè in hierarchia cenſendus ſit, ſi pro ſuo modulo & pro ſuo gradu aliquam iuriſdictionem habuerit, ac modicam ſaltem coercitionem.

Alterum, Epiſcopum omnimodam ex ſuo gradu, & omnibus ſuis numeris abſolutam Eccleſiaſticam poſtulare iuriſdictionem; ſine iuriſdictione dimidium Epiſcopum eſſe, ac vix Epiſcopum dicendum; cui modica & infima iuriſdictio relicta fuiſſet, eum quoq; pro Epiſcopo non ampliùs haberi, ſed ſolùm pro Presbytero.

Tertium, Presbyteros & Diaconos poſſe eſſe abſque omni omnino iuriſdictione coercitiua; illorum ordines cum iuriſdictione non neceſſariò eſſe colligatos: ac proinde in eo caſu non fore perfectè hierarchicos, ſed habitu ſolùm, in quantum iuriſdictionis ordini ſuo proportionatæ capaces ſunt, & ad eam exercendam conſecrantur, ſi quando ab Epiſcopo loci ordinario, vel ſummo Pontifice ſummo vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopo, ad illius miniſterium vocati & applicati fuerint.

Quartum denique, Presbyteros perfectè hierarchicos & Eccleſiæ Dei cum aliqua iuriſdictione præeſſe, & ſacramentis conficiendis ac diſtribuendis operam nauare: *His enim ſicut Epiſcopis diſpenſatio myſteriorum Dei commiſſa eſt: præſunt enim Eccleſiis Chriſti, & in confectione diuina Corporis & Sanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt: ſimiliter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi*, inquiunt Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Officiis cap. 7. & ex eo Concilij Aquiſgranenſis Patres ſub Ludouico Pio, lib. 1. cap. 8. & Triburienſis ſub Formoſo cap. 4. Ex quibus ſimul ſumptis tum probatio, tum illuſtratio propoſitionis allatæ deſumitur, non requiri ad obtinendum perfectè in hierarchia Eccleſiaſtica locum omnimodam iuriſdictionem Eccleſiaſticam coercitiuam, ſed ſolùm neceſſariam eſſe aliquam iuriſdictionem coercitiuam vniuſcuiuſque gradui officióque proportionatam ac reſpondentem.

CAPVT IIII.

De quarta conditione iuriſdictionis hierarchicæ, vt ſit neceſſaria ex parte agentis, ſeu vt ſit ordinaria, non delegata.

ARTICVLVS I.

Iuriſdictionem hierarchicam neceſſariam eſſe debere ex parte agenti.

§. I.

Omnis iuriſdictio hierarchica cum obligatione coniuncta eſt.

VLTIMA conditio iuriſdictionis hierarchicæ, eius ſcilicet quæ ad locum in hierarchia præbendum neceſſaria eſt ac ſufficiens, ea eſt, vt agens hierarchicum neceſſitate aliquâ officij ſui ſtabiliter ſibi ac permanenter conceſſi conſtringatur, ad functiones hierarchicas cum aliqua ſaltem iuriſdictione modicæ correctionis exercendas; adeò vt non ſufficiat habere facultatem meram illas pro libito exercendi, niſi & officium obligatióque permanens & ſtabilis agenti impoſita fuerint, vt eadem munia obeat. Si enim pro libito tantùm functiones hierarchicas aliquas exercere quis poteſt, nec teneatur, iam non ex officio publieo eas exercet., nec in officio publico conſtitutus eſt; nam & quod ex officio fit ex debito fit, & ex neceſſitate, & qui in officio publico conſtitutus eſt, ſuſcepti officij miniſterio cogitur ex lege deſeruire: ſicut enim officium vniuſcuiuſque hominis dicitur quod vnicuique congruit, & cui deeſſe ſine negligentia nequit: ita vniuſcuiuſque in officio publico conſtituti munia non voluntaria, ſed neceſſaria cenſentur; ſic officium pietatis dicitur, quòd à parentibus in liberos proficiſci debet, lege 2. ff. *de inofficioſo*; ſic officium Magiſtratus vel iudicis, quòd Magiſtratum vel iudicem conſtringit, lege 1. ff. *de iuriſdictione omnium iudicum*, lege 27. ff. *de verborum obligationibus*, & alibi paſſim in iure. Inde & Patres paſſim munia, quæ ex officio ſuſcepto, vel alicui impoſito exercentur, ex neceſſitate fieri dicunt, verbi gratiâ docendi munus neceſſarium ſacerdoti docent Ambroſius lib. 1. *de officiis*, cap. 1. *cùm iam effugere non poſſimus officium docendi, quod nobis effugientibus impoſuit ſacerdotij neceſſitudo*: Sidonius in concione, *Cogor debere cæteris docentis officium*; & alij paſſim.

Cuius rei euidens eſt ratio, quia *ſicut mandatum ſuſcipere cuilibet liberum eſt, ſuſceptum autem conſummandum eſt, aut quamprimùm renunciandum*: Ita licèt fortè officium publicum ſuſcipere liberum fuerit, eius tamen ſuſcepti functiones non omittere liberum non eſt, ſed neceſſariũ: atq; adeò & officia, dignitates, ac magiſtratus vocamus, quia gerentes magiſtratum vel dignitatem, adnexa dignitati & magiſtratui ſuſcepto munia non ſolùm peritè, verùm etiam grauiter & aſſiduè exequi tenentur. Dignitatem, inquam, & honorem *publicum officium* vocare receptum eſt, vt lege 4. §. 1. *de officio Proconſulis*, lege 12. §. penult. ff. *de iudiciis*, lege 6. *de capitis diminutione*, lege 2. ff. *de diuerſis regulis iuris*, & alibi ſæpè. Sed ſi dignitatem officio opponamus, & obligationem ad certas functiones, cum dignitate & honore, cuiuſmodi eſt hierarchicus gradus ſacérque Principatus, comparemus, verum eſt quod dixit Ambroſius in caput duodecimum prioris ad Corinthios, *officium eſt per quod dignitas conſtat*; verum eſt nullum principatum eſſe, nullum principatus honorem, cui non onus aliquod impactum ſit: vnde honorem recipiens, & onus recepiſſe intelligitur, capite *per tuas*, & ibi Gloſſâ, *de maioritate & obedientia*: ad quem perti-

dicitur Epiſcopus, hoc Latinè ſuperintentor interpretatur, quia ſuperintendit, quia deſuper videt. Ambroſius in Pſal. 77. *quid aliud interpretatur Epiſcopus niſi ſuperinſpector?* Eadem nominis Epiſcopi deriuatio, & ſignificatio placuit Damaſo epiſt. Proſpero Numidiæ, Sidonio epiſt. 1. lib. 6. & 7. lib. 9. Caſſidoro in Pſal. 108. Gregorio Magno lib. 11. epiſt. 42. Iſidoro Hiſpalenſi lib. 7. Originum cap. 12.

Quibus expreſſiùs fauent quòd Eccleſiaſtici 18. in Græco ὥρη ἐπισκόπης, *hora viſitationis* ſeu *caſtigationis* dicatur: quòd apud Heſichium ἐπισκοπὴ pro vltione: apud Syneſium ἐπισκοπὴ Θεοῦ, pro *Dei animaduerſione* ponatur.

Secundò iidem primi ordinis ſacerdotes à Græcis ἀρχιερεῖς, ἱεράρχαι, πρόεδροι, προεστῶτες appellantur, quaſi *Principes ſacerdotes, Principes ſacrorum & ſacerdotum, præpoſiti, & præſidentes.* Præpoſitos eoſdem nominant ex Latinis Tertullianus *de ieiuniis aduerſus Pſychicos*, cap. 14. Cyprianus epiſtolis 4. 10. 21. 51. 67. 69. 72. & alibi: Auguſtinus epiſt. 264. & concione in Pſal. 126. Sidonius epiſt 1. lib. 3. epiſt. 3. lib. 5. epiſt. 17. lib. 7. Ruſticus Diaconus aduerſus Acephalos *ſacerdotum Principes* vocat: ſanctus Leo epiſt. 86. *populi Principes*: Cyprianus epiſt. 55. Epiſcopatum *ſacerdotium princeps*: Leo Imperator initio Nouellarum conſtitutionum iſtius Imperatoris. Quæ omnia & ſimilia nomina oſtendunt eam fuiſſe Patrum & Chriſtianorum cuiuſcumque ætatis ſententiam, principatum, coercitionem, imperiúmque longè præſtantius atque potentius Epiſcopatui neceſſariò inſitum, atque ſtrictiſſimè illigatum eſſe; ita vt dimidiatus ſit Epiſcopus, qui ſolo ordine inſignitus, iuriſdictione coercitiuâ caruerit: quod vtique exploratum eſſe poteſt ei, qui apud Concilia & Patres animaduerterit illos, qui poſt ordinationem Epiſcopalem iuriſdictione propter crimina mulctati eſſent, vix Epiſcopos haberi, ſed tanquam laicos, ſi omnibus Clericalis ordinis functionibus priuati eſſent, exiſtimatos fuiſſe, vt conſtat ex Cypriano epiſtolis 67. 68. 69. Hilario lib. 3. contra Conſtantium, Auguſtino epiſt. 203. & aliis paſſim; tanquam Presbyteros, ſi officia Presbyterorum duntaxat retinerent, ex epiſtola Alexandrinæ Synodi apud Theodoretum lib. 1. cap. 9. Conciliis Ancyrano Can. 18. Trullano Can. 20. & Rhemenſi præſide Leone IX.

Hæc autem omnia eò tendunt, vt probentur hæc capita ad præſentis quæſtionis ſolutionem valdè neceſſaria: primum iuriſdictionem perfectam non requiri ad hoc, vt perfectè aliquis in hierarchia collocetur, ſed eam duntaxat deſiderari, quæ vnicuique hierarchico ordini ſeruatâ proportione reſpondeat; adeò vt Presbyter perfectè in hierarchia cenſendus ſit, ſi pro ſuo moduſo & pro ſuo gradu aliquam iuriſdictionem habuerit, ac modicam ſaltem coercitionem.

Alterum, Epiſcopum omnimodam ex ſuo gradu, & omnibus ſuis numeris abſolutam Eccleſiaſticam poſtulare iuriſdictionem; ſine iuriſdictione dimidium Epiſcopum eſſe, ac vix Epiſcopum dicendum; cui modica & infima iuriſdictio relicta fuiſſet, eum quoq; pro Epiſcopo non ampliùs haberi, ſed ſolùm pro Presbytero.

Tertium, Presbyteros & Diaconos poſſe eſſe abſque omni omni no iuriſdictione coercitiua; illorum ordines cum iuriſdictione non neceſſariò eſſe colligatos: ac proinde in eo caſu non fore perfectè hierarchicos, ſed habitu ſolùm, in quantum iuriſdictionis ordini ſuo proportionatæ capaces ſunt, & ad eam exercendam conſecrantur, ſi quando ab Epiſcopo loci ordinario, vel ſummo Pontifice ſummo vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopo, ad illius miniſterium vocati & applicati fuerint.

Quartum denique, Presbyteros perfectè hierarchicos & Eccleſiæ Dei cum aliqua iuriſdictione præeſſe, & ſacramentis conficiendis ac diſtribuendis operam nauare: *His enim ſicut Epiſcopis diſpenſatio myſteriorum Dei commiſſa eſt: præſunt enim Eccleſiis Chriſti, & in confectione diuina Corporis & Sanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt: ſimiliter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi*, inquiunt Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Officiis cap. 7. & ex eo Concilij Aquiſgranenſis Patres ſub Ludouico Pio, lib. 1. cap. 8. & Triburienſis ſub Formoſo cap. 4. Ex quibus ſimul ſumptis tum probatio, tum illuſtratio propoſitionis allatæ deſumitur, non requiri ad obtinendum perfectè in hierarchia Eccleſiaſtica locum omnimodam iuriſdictionem Eccleſiaſticam coercitiuam, ſed ſolùm neceſſariam eſſe aliquam iuriſdictionem coercitiuam vniuſcuiuſque gradui officióque proportionatam ac reſpondentem.

CAPVT IIII.

De quarta conditione iuriſdictionis hierarchicæ, vt ſit neceſſaria ex parte agentis, ſeu vt ſit ordinaria, non delegata.

ARTICVLVS I.

Iuriſdictionem hierarchicam neceſſariam eſſe debere ex parte agentis.

§. I.

Omnis iuriſdictio hierarchica cum obligatione coniuncta eſt.

VLTIMA conditio iuriſdictionis hierarchicæ, eius ſcilicet quæ ad locum in hierarchia præbendum neceſſaria eſt ac ſufficiens, ea eſt, vt agens hierarchicum neceſſitate aliquâ officij ſui ſtabiliter ſibi ac permanenter conceſſi conſtringatur, ad functiones hierarchicas cum aliqua ſaltem iuriſdictione modicæ correctionis exercendas; adeò vt non ſufficiat habere facultatem meram illas pro libito exercendi, niſi & officium obligatióque permanens & ſtabilis agenti impoſita fuerint, vt eadem munia obeat. Si enim pro libito tantùm functiones hierarchicas aliquas exercere quis poteſt, nec teneatur, iam non ex officio publieo eas exercet, nec in officio publico conſtitutus eſt; nam & quod ex officio fit ex debito fit, & ex neceſſitate, & qui in officio publico conſtitutus eſt, ſuſcepti officij miniſterio cogitur ex lege deſeruire: ſicut enim officium vniuſcuiuſque hominis dicitur quod vnicuique congruit, & cui deeſſe ſine negligentia nequit: ita vniuſcuiuſque in officio publico conſtituti munia non voluntaria, ſed neceſſaria cenſentur; ſic officium pietatis dicitur, quòd à parentibus in liberos proficiſci debet, lege 2. ff. *de inofficioſo*; ſic officium Magiſtratus vel iudicis, quòd Magiſtratum vel iudicem conſtringit, lege 1. ff. *de iuriſdictione omnium iudicum*, lege 27. ff. *de verborum obligationibus*, & alibi paſſim in iure. Inde & Patres paſſim munia, quæ ex officio ſuſcepto, vel alicui impoſito exercentur, ex neceſſitate fieri dicunt, verbi gratiâ docendi munus neceſſarium ſacerdoti docent Ambroſius lib. 1. *de officiis*, cap. 1. *cùm iam effugere non poſſimus officium docendi, quod nobis effugientibus impoſuit ſacerdotij neceſſitudo*: Sidonius in concione, *Cogor debere cæteris docentis officium*; & alij paſſim.

Cuius rei euidens eſt ratio, quia *ſicut mandatum ſuſcipere cuilibet liberum eſt, ſuſceptum autem conſummandum eſt, aut quamprimùm renunciandum*: Ita licèt fortè officium publicum ſuſcipere liberum fuerit, eius tamen ſuſcepti functiones non omittere liberum non eſt, ſed neceſſariũ: atq; adeò & officia, dignitates, ac magiſtratus vocamus, quia gerentes magiſtratum vel dignitatem, adnexa dignitati & magiſtratui ſuſcepto munia non ſolùm peritè, verùm etiam grauiter & aſſiduè exequi tenentur. Dignitatem, inquam, & honorem *publicum officium* vocare receptum eſt, vt lege 4. §. 1. *de officio Proconſulis*, lege 12. §. penult. ff. *de iudiciis*, lege 6. *de capitis diminutione*, lege 2. ff. *de diuerſis regulis iuris*, & alibi ſæpè. Sed ſi dignitatem officio opponamus, & obligationem ad certas functiones, cum dignitate & honore, cuiuſmodi eſt hierarchicus gradus ſacérque Principatus, comparemus, verum eſt quod dixit Ambroſius in caput duodecimum prioris ad Corinthios, *officium eſt per quod dignitas conſtat*; verum eſt nullum principatum eſſe, nullum principatus honorem, cui non onus aliquod impactum ſit: vnde honorem recipiens, & onus recepiſſe intelligitur, capite *per tuas*, & ibi Gloſſa, *de maioritate & obedientia*: ad quem perti-

dicitur Epiſcopus, hoc Latinè ſuperintentor interpretatur, quia ſuperintendit, quia deſuper videt. Ambroſius in Pſal. 77. *quid aliud interpretatur Epiſcopus niſi ſuperinſpector?* Eadem nominis Epiſcopi deriuatio, & ſignificatio placuit Damaſo epiſt. Proſpero Numidiæ, Sidonio epiſt. 1. lib. 6. & 7. lib. 9. Caſſidoro in Pſal. 108. Gregorio Magno lib. 11. epiſt. 42. Iſidoro Hiſpalenſi lib. 7. Originum cap. 12.

Quibus expreſſiùs fauent quòd Eccleſiaſtici 18. in Græco ὥρη ἐπισκόπης, *hora viſitationis* ſeu *caſtigationis* dicatur: quòd apud Heſichium ἐπισκοπὴ pro vltione: apud Syneſium ἐπισκοπὴ Θεοῦ, pro *Dei animaduerſione* ponatur.

Secundò iidem primi ordinis ſacerdotes à Græcis ἀρχιερεῖς, ἱεράρχαι, πρόεδροι, προεστῶτες appellantur, quaſi *Principes ſacerdotes, Principes ſacrorum & ſacerdotum, præpoſiti, & præſidentes.* Præpoſitos eoſdem nominant ex Latinis Tertullianus *de ieiuniis aduerſus Pſychicos*, cap. 14. Cyprianus epiſtolis 4. 10. 21. 51. 67. 69. 72. & alibi: Auguſtinus epiſt. 264. & concione in Pſal. 126. Sidonius epiſt 1. lib. 3. epiſt. 3. lib. 5. epiſt. 17. lib. 7. Ruſticus Diaconus aduerſus Acephalos *ſacerdotum Principes* vocat: ſanctus Leo epiſt. 86. *populi Principes*: Cyprianus epiſt. 55. Epiſcopatum *ſacerdotium princeps*: Leo Imperator initio Nouellarum conſtitutionum iſtius Imperatoris. Quæ omnia & ſimilia nomina oſtendunt eam fuiſſe Patrum & Chriſtianorum cuiuſcumque ætatis ſententiam, principatum, coercitionem, imperiúmque longè præſtantius atque potentius Epiſcopatui neceſſariò inſitum, atque ſtrictiſſimè illigatum eſſe; ita vt dimidiatus ſit Epiſcopus, qui ſolo ordine inſignitus, iuriſdictione coercitiuâ caruerit: quod vtique exploratum eſſe poteſt ei, qui apud Concilia & Patres animaduerterit illos, qui poſt ordinationem Epiſcopalem iuriſdictione propter crimina mulctati eſſent, vix Epiſcopos haberi, ſed tanquam laicos, ſi omnibus Clericalis ordinis functionibus priuati eſſent, exiſtimatos fuiſſe, vt conſtat ex Cypriano epiſtolis 67. 68. 69. Hilario lib. 3. contra Conſtantium, Auguſtino epiſt. 203. & aliis paſſim; tanquam Presbyteros, ſi officia Presbyterorum duntaxat retinerent, ex epiſtola Alexandrinæ Synodi apud Theodoretum lib. 1. cap. 9. Conciliis Ancyrano Can. 18. Trullano Can. 20. & Rhemenſi præſide Leone IX.

Hæc autem omnia eò tendunt, vt probentur hæc capita ad præſentis quæſtionis ſolutionem valdè neceſſaria: primum iuriſdictionem perfectam non requiri ad hoc, vt perfectè aliquis in hierarchia collocetur, ſed eam duntaxat deſiderari, quæ vnicuique hierarchico ordini ſeruatâ proportione reſpondeat; adeò vt Presbyter perfectè in hierarchia cenſendus ſit, ſi pro ſuo modulo & pro ſuo gradu aliquam iuriſdictionem habuerit, ac modicam ſaltem coercitionem.

Alterum, Epiſcopum omnimodam ex ſuo gradu, & omnibus ſuis numeris abſolutam Eccleſiaſticam poſtulare iuriſdictionem; ſine iuriſdictione dimidium Epiſcopum eſſe, ac vix Epiſcopum dicendum; cui modica & infima iuriſdictio relicta fuiſſet, eum quoq; pro Epiſcopo non ampliùs haberi, ſed ſolùm pro Presbytero.

Tertium, Presbyteros & Diaconos poſſe eſſe abſque omni omnino iuriſdictione coercitiua; illorum ordines cum iuriſdictione non neceſſariò eſſe colligatos: ac proinde in eo caſu non fore perfectè hierarchicos, ſed habitu ſolùm, in quantum iuriſdictionis ordini ſuo proportionatæ capaces ſunt, & ad eam exercendam conſecrantur, ſi quando ab Epiſcopo loci ordinario, vel ſummo Pontifice ſummo vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopo, ad illius miniſterium vocati & applicati fuerint.

Quartum denique, Presbyteros perfectè hierarchicos & Eccleſiæ Dei cum aliqua iuriſdictione præeſſe, & ſacramentis conficiendis ac diſtribuendis operam nauare: *His enim ſicut Epiſcopis diſpenſatio myſteriorum Dei commiſſa eſt: præſunt enim Eccleſiis Chriſti, & in confectione diuini Corporis & Sanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt: ſimiliter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi*, inquiunt Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Officiis cap. 7. & ex eo Concilij Aquiſgranenſis Patres ſub Ludouico Pio, lib. 1. cap. 8. & Triburienſis ſub Formoſo cap. 4. Ex quibus ſimul ſumptis tum probatio, tum illuſtratio propoſitionis allatæ deſumitur, non requiri ad obtinendum perfectè in hierarchia Eccleſiaſtica locum omnimodam iuriſdictionem Eccleſiaſticam coercitiuam, ſed ſolùm neceſſariam eſſe aliquam iuriſdictionem coercitiuam vniuſcuiuſque gradui officióque proportionatam ac reſpondentem.

Digitized by Google

CAPVT IIII.

De quarta conditione iuriſdictionis hierarchicæ, vt ſit neceſſaria ex parte agentis, ſeu vt ſit ordinaria, non delegata.

ARTICVLVS I.

Iuriſdictionem hierarchicam neceſſariam eſſe debere ex parte agentis.

§. I.

Omnis iuriſdictio hierarchica cum obligatione coniuncta eſt.

VLTIMA conditio iuriſdictionis hierarchicæ, eius ſcilicet quæ ad locum in hierarchia præbendum neceſſaria eſt ac ſufficiens, ea eſt, vt agens hierarchicum neceſſitate aliquâ officij ſui ſtabiliter ſibi ac permanenter conceſſi conſtringatur, ad functiones hierarchicas cum aliqua ſaltem iuriſdictione modicæ correctionis exercendas; adeò vt non ſufficiat habere facultatem meram illas pro libito exercendi, niſi & officium obligatióque permanens & ſtabilis agenti impoſita fuerint, vt eadem munia obeat. Si enim pro libito tantùm functiones hierarchicas aliquas exercere quis poteſt, nec teneatur, iam non ex officio publico eas exercet, nec in officio publico conſtitutus eſt; nam & quod ex officio fit ex debito fit, & ex neceſſitate, & qui in officio publico conſtitutus eſt, ſuſcepti officij miniſterio cogitur ex lege deſeruire: ſicut enim officium vniuſcuiuſque hominis dicitur quod vnicuique congruit, & cui deeſſe ſine negligentia nequit: ita vniuſcuiuſque in officio publico conſtituti munia non voluntaria, ſed neceſſaria cenſentur; ſic officium pietatis dicitur, quòd à parentibus in liberos proficiſci debet, lege 2. ff. *de inofficioſo*; ſic officium Magiſtratus vel iudicis, quòd Magiſtratum vel iudicem conſtringit, lege 1. ff. *de iuriſdictione omnium iudicum*, lege 27. ff. *de verborum obligationibus*, & alibi paſſim in iure. Inde & Patres paſſim munia, quæ ex officio ſuſcepto, vel alicui impoſito exercentur, ex neceſſitate fieri dicunt, verbi gratià docendi munus neceſſarium ſacerdoti docent Ambroſius lib. 1. *de officiis*, cap. 1. *cùm iam effugere non poſſimus officium docendi, quod nobis effugientibus impoſuit ſacerdotij neceſſitudo*: Sidonius in concione, *Cogor debere cæteris docentis officium*; & alij paſſim.

Cuius rei euidens eſt ratio, quia *ſicut mandatum ſuſcipere cuilibet liberum eſt, ſuſceptum autem conſummandum eſt, aut quamprimùm renunciandum*: Ita licèt fortè officium publicum ſuſcipere liberum fuerit, eius tamen ſuſcepti functiones non omittere liberum non eſt, ſed neceſſariũ: atq; adeò & officia, dignitates, ac magiſtratus vocamus, quia gerentes magiſtratum vel dignitatem, adnexa dignitati & magiſtratui ſuſcepto munia non ſolùm peritè, verùm etiam grauiter & aſſiduè exequi tenentur. Dignitatem, inquam, & honorem *publicum officium* vocare receptum eſt, vt lege 4. §. 1. *de officio Proconſulis*, lege 12. §. penult. ff. *de iudiciis*, lege 6. *de capitis diminutione*, lege 2. ff. *de diuerſis regulis iuris*, & alibi ſæpè. Sed ſi dignitatem officio opponamus, & obligationem ad certas functiones, cum dignitate & honore, cuiuſmodi eſt hierarchicus gradus ſacérque Principatus, comparemus, verum eſt quod dixit Ambroſius in caput duodecimum prioris ad Corinthios, *officium eſt per quod dignitas conſtat*; verum eſt nullum principatum eſſe, nullum principatus honorem, cui non onus aliquod impactum ſit: vnde honorem recipiens, & onus recepiſſe intelligitur, capite *per tuas*, & ibi Gloſſâ, *de maioritate & obedientia*: ad quem perti-

dicitur Epiſcopus, hoc Latinè ſuperintentor interpretatur, quia ſuperintendit, quia deſuper videt. Ambroſius in Pſal. 77. *quid aliud interpretatur Epiſcopus niſi ſuperinſpector?* Eadem nominis Epiſcopi deriuatio, & ſignificatio placuit Damaſo epiſt. Proſpero Numidiæ, Sidonio epiſt. 1. lib. 6. & 7. lib. 9. Caſſidoro in Pſal. 108. Gregorio Magno lib. 11. epiſt. 42. Iſidoro Hiſpalenſi lib. 7. Originum cap. 12.

Quibus expreſſiùs fauent quòd Eccleſiaſtici 18. in Græco ὥρη ἐπισκόπης, *hora viſitationis* ſeu *caſtigationis* dicatur: quòd apud Heſicbium ἐπισκοπὴ pro vltione: apud Syneſium ἐπισκοπὴ Θεοῦ, pro *Dei animaduerſione* ponatur.

Secundò iidem primi ordinis ſacerdotes à Græcis ἀρχιερεῖς, ἱεράρχαι, πρόεδροι, προεστῶτες appellantur, quaſi *Principes ſacerdotes, Principes ſacrorum & ſacerdotum, præpoſiti, & præſidentes.* Præpoſitos eoſdem nominant ex Latinis Tertullianus *de ieiuniis aduerſus Pſychicos*, cap. 14. Cyprianus epiſtolis 4. 10. 21. 51. 67. 69. 72. & alibi: Auguſtinus epiſt. 264. & concione in Pſal. 126. Sidonius epiſt 1. lib. 3. epiſt. 3. lib. 5. epiſt. 17. lib. 7. Ruſticus Diaconus aduerſus Acephalos *ſacerdotum Principes* vocat: ſanctus Leo epiſt. 86. *populi Principes*: Cyprianus epiſt. 55. Epiſcopatum *ſacerdotium princeps*: Leo Imperator initio Nouellarum conſtitutionum iſtius Imperatoris. Quæ omnia & ſimilia nomina oſtendunt eam fuiſſe Patrum & Chriſtianorum cuiuſcumque ætatis ſententiam, principatum, coercitionem, imperiúmque longè præſtantius atque potentius Epiſcopatui neceſſariò inſitum, atque ſtrictiſſimè illigatum eſſe; ita vt dimidiatus ſit Epiſcopus, qui ſolo ordine inſignitus, iuriſdictione coercitiuâ caruerit: quod vtique exploratum eſſe poteſt ei, qui apud Concilia & Patres animaduerterit illos, qui poſt ordinationem Epiſcopalem iuriſdictione propter crimina mulctati eſſent, vix Epiſcopos haberi, ſed tanquam laicos, ſi omnibus Clericalis ordinis functionibus priuati eſſent, exiſtimatos fuiſſe, vt conſtat ex Cypriano epiſtolis 67. 68. 69. Hilario lib. 3. contra Conſtantium, Auguſtino epiſt. 203. & aliis paſſim; tanquam Presbyteros, ſi officia Presbyterorum duntaxat retinerent, ex epiſtola Alexandrinæ Synodi apud Theodoretum lib. 1. cap. 9. Conciliis Ancyrano Can. 18. Trullano Can. 20. & Rhemenſi præſide Leone IX.

Hæc autem omnia eò tendunt, vt probentur hæc capita ad præſentis quæſtionis ſolutionem valdè neceſſaria: primum iuriſdictionem perfectam non requiri ad hoc, vt perfectè aliquis in hierarchia collocetur, ſed eam duntaxat deſiderari, quæ vnicuique hierarchico ordini ſeruatâ proportione reſpondeat; adeò vt Presbyter perfectè in hierarchia cenſendus ſit, ſi pro ſuo modulo & pro ſuo gradu aliquam iuriſdictionem babuerit, ac modicam ſaltem coercitionem.

Alterum, Epiſcopum omnimodam ex ſuo gradu, & omnibus ſuis numeris abſolutam Eccleſiaſticam poſtulare iuriſdictionem; ſine iuriſdictione dimidium Epiſcopum eſſe, ac vix Epiſcopum dicendum; cui modica & infima iuriſdictio relicta fuiſſet, eum quoq; pro Epiſcopo non ampliùs haberi, ſed ſolùm pro Presbytero.

Tertium, Presbyteros & Diaconos poſſe eſſe abſque omni omnino iuriſdictione coercitiua; illorum ordines cum iuriſdictione non neceſſariò eſſe colligatos: ac proinde in eo caſu non fore perfectè hierarchicos, ſed habitu ſolùm, in quantum iuriſdictionis ordini ſuo proportionatæ capaces ſunt, & ad eam exercendam conſecrantur, ſi quando ab Epiſcopo loci ordinario, vel ſummo Pontifice ſummo vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopo, ad illius miniſterium vocati & applicati fuerint.

Quartum denique, Presbyteros perfectè hierarchicos & Eccleſiæ Dei cum aliqua iuriſdictione præeſſe, & ſacramentis conficiendis ac diſtribuendis operam nauare: *His enim ſicut Epiſcopis diſpenſatio myſteriorum Dei commiſſa eſt: præſunt enim Eccleſiis Chriſti, & in confectione diuina Corporis & Sanguinis conſortes cum Epiſcopis ſunt: ſimiliter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi*, inquiunt Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de Officiis cap. 7. & ex eo Concilij Aquiſgranenſis Patres ſub Ludouico Pio, lib. 1. cap. 8. & Triburienſis ſub Formoſo cap. 4. Ex quibus ſimul ſumptis tum probatio, tum illuſtratio propoſitionis allatæ deſumitur, non requiri ad obtinendum perfectè in hierarchia Eccleſiaſtica locum omnimodam iuriſdictionem Eccleſiaſticam coercitiuam, ſed ſolùm neceſſariam eſſe aliquam iuriſdictionem coercitiuam vniuſcuiuſque gradui officióque proportionatam ac reſpondentem.

CAPVT IIII.

De quarta conditione iuriſdictionis hierarchicæ, vt ſit neceſſaria ex parte agentis, ſeu vt ſit ordinaria, non delegata.

ARTICVLVS I.

Iuriſdictionem hierarchicam neceſſariam eſſe debere ex parte agenti.

§. I.

Omnis iuriſdictio hierarchica cum obligatione coniuncta eſt.

VLTIMA conditio iuriſdictionis hierarchicæ, eius ſcilicet quæ ad locum in bierarchia præbendum neceſſaria eſt ac ſufficiens, ea eſt, vt agens hierarchicum neceſſitate aliquâ officij ſui ſtabiliter ſibi ac permanenter conceſſi conſtringatur, ad functiones hierarchicas cum aliqua ſaltem iuriſdictione modicæ correctionis exercendas; adeò vt non ſufficiat habere facultatem meram illas pro libito exercendi, niſi & officium obligatióque permanens & ſtabilis agenti impoſita fuerint, vt eadem munia obeat. Si enim pro libito tantùm functiones hierarchicas aliquas exercere quis poteſt, nec teneatur, iam non ex officio publieo eas exercet., nec in officio publico conſtitutus eſt; nam & quod ex officio fit ex debito fit, & ex neceſſitate, & qui in officio publico conſtitutus eſt, ſuſcepti officij miniſterio cogitur ex lege deſeruire: ſicut enim officium vniuſcuiuſque hominis dicitur quod vnicuique congruit, & cui deeſſe ſine negligentia nequit: ita vniuſcuiuſque in officio publico conſtituti munia non voluntaria, ſed neceſſaria cenſentur; ſic officium pietatis dicitur, quòd à parentibus in liberos proficiſci debet, lege 2. ff. *de inofficioſo*; ſic officium Magiſtratus vel iudicis, quòd Magiſtratum vel iudicem conſtringit, lege 1. ff. *de iuriſdictione omnium iudicum*, lege 27. ff. *de verborum obligationibus*, & alibi paſſim in iure. Inde & Patres paſſim munia, quæ ex officio ſuſcepto, vel alicui impoſito exercentur, ex neceſſitate fieri dicunt, verbi gratiâ docendi munus neceſſarium ſacerdoti docent Ambroſius lib. 1. *de officiis*, cap. 1. *cùm iam effugere non poſſimus officium docendi, quod nobis effugientibus impoſuit ſacerdotij neceſſitudo*: Sidonius in concione, *Cogor debere cæteris docentis officium*; & alij paſſim.

Cuius rei euidens eſt ratio, quia *ſicut mandatum ſuſcipere cuilibet liberum eſt, ſuſceptum autem conſummandum eſt, aut quamprimùm renunciandum*: Ita licèt fortè officium publicum ſuſcipere liberum fuerit, eius tamen ſuſcepti functiones non omittere liberum non eſt, ſed neceſſariũ: atq; adeò & officia, dignitates, ac magiſtratus vocamus, quia gerentes magiſtratum vel dignitatem, adnexa dignitati & magiſtratui ſuſcepto munia non ſolùm peritè, verùm etiam grauiter & aſſiduè exequi tenentur. Dignitatem, inquam, & honorem *publicum officium* vocare receptum eſt, vt lege 4. §. 1. *de officio Proconſulis*, lege 12. §. penult. ff. *de iudiciis*, lege 6. *de capitis diminutione*, lege 2. ff. *de diuerſis regulis iuris*, & alibi ſæpè. Sed ſi dignitatem officio opponamus, & obligationem ad certas functiones, cum dignitate & honore, cuiuſmodi eſt hierarchicus gradus ſacérque Principatus, comparemus, verum eſt quod dixit Ambroſius in caput duodecimum prioris ad Corinthios, *officium eſt per quod dignitas conſtat*; verum eſt nullum principatum eſſe, nullum principatus honorem, cui non onus aliquod impactum ſit: vnde honorem recipiens, & onus recepiſſe intelligitur, capite *per tuas*, & ibi Gloſſâ, *de maioritate & obedientia*: ad quem perti-

CAPVT IIII.

De quarta conditione iuriſdictionis hierarchicæ, vt ſit neceſſaria ex parte agentis, ſeu vt ſit ordinaria, non delegata.

ARTICVLVS I.

Iuriſdictionem hierarchicam neceſſariam eſſe debere ex parte agentis.

§. I.

Omnis iuriſdictio hierarchica cum obligatione coniuncta eſt.

VLTIMA conditio iuriſdictionis hierarchicæ, eius ſcilicet quæ ad locum in bierarchia præbendum neceſſaria eſt ac ſufficiens, ea eſt, vt agens hierarchicum neceſſitate aliquâ officij ſui ſtabiliter ſibi ac permanenter conceſſi conſtringatur, ad functiones hierarchicas cum aliqua ſaltem iuriſdictione modicæ correctionis exercendas; adeò vt non ſufficiat habere facultatem meram illas pro libito exercendi, niſi & officium obligatióque permanens & ſtabilis agenti impoſita fuerint, vt eadem munia obeat. Si enim pro libito tantùm functiones hierarchicas aliquas exercere quis poteſt, nec teneatur, iam non ex officio publieo eas exercet., nec in officio publico conſtitutus eſt; nam & quod ex officio fit ex debito fit, & ex neceſſitate, & qui in officio publico conſtitutus eſt, ſuſcepti officij miniſterio cogitur ex lege deſeruire: ſicut enim officium vniuſcuiuſque hominis dicitur quod vnicuique congruit, & cui deeſſe ſine negligentia nequit: ita vniuſcuiuſque in officio publico conſtituti munia non volunraria, ſed neceſſaria cenſentur; ſic officium pietatis dicitur, quòd à parentibus in liberos proficiſci debet, lege 2. ff. *de inofficioſo*; ſic officium Magiſtratus vel iudicis, quòd Magiſtratum vel iudicem conſtringit, lege 1. ff. *de iuriſdictione omnium iudicum*, lege 27. ff. *de verborum obligationibus*, & alibi paſſim in iure. Inde & Patres paſſim munia, quæ ex officio ſuſcepto, vel alicui impoſito exercentur, ex neceſſitate fieri dicunt, verbi gratiâ docendi munus neceſſarium ſacerdoti docent Ambroſius lib. 1. *de officiis*, cap. 1. *cùm iam effugere non poſſimus officium docendi, quod nobis effugientibus impoſuit ſacerdotij neceſſitudo*: Sidonius in concione, *Cogor debere cæteris docentis officium*; & alij paſſim.

Cuius rei euidens eſt ratio, quia *ſicut mandatum ſuſcipere cuilibet liberum eſt, ſuſceptum autem conſummandum eſt, aut quamprimùm renunciandum*: Ita licèt fortè officium publicum ſuſcipere liberum fuerit, eius tamen ſuſcepti functiones non omittere liberum non eſt, ſed neceſſariũ: atq; adeò & officia, dignitates, ac magiſtratus vocamus, quia gerentes magiſtratum vel dignitatem, adnexa dignitati & magiſtratui ſuſcepto munia non ſolùm peritè, verùm etiam grauiter & aſſiduè exequi tenentur. Dignitatem, inquam, & honorem *publicum officium* vocare receptum eſt, vt lege 4. §. 1. *de officio Proconſulis*, lege 12. §. penult. ff. *de iudiciis*, lege 6. *de capitis diminutione*, lege 2. ff. *de diuerſis regulis iuris*, & alibi ſæpè. Sed ſi dignitatem officio opponamus, & obligationem ad certas functiones, cum dignitate & honore, cuiuſmodi eſt hierarchicus gradus ſacérque Principatus, comparemus, verum eſt quod dixit Ambroſius in caput duodecimum prioris ad Corinthios, *officium eſt per quod dignitas conſtat*; verum eſt nullum principatum eſſe, nullum principatus honorem, cui non onus aliquod impactum ſit: vnde honorem recipiens, & onus recepiſſe intelligitur, capite *per tuas*, & ibi Gloſſã, *de maioritate & obedientia*: ad quem perti-

net honor, ad eum & onus ſpectat, vt oſtendit Gloſſa in Canone *Rationis*, diſtinctione 100.

Singulariter verò principatui ſacro neceſſariò onus & obligationem adnexam eſſe non mediocrem colliges ex Can. *Si Papa*, Can. *Ante omnia*, Can. *Multi ſacerdotes*, diſtinct. 40. Can. *Qui nec regimmis*, 2. quæſt. 7. Oritur verò hęc obligatio ex ſponſione, quam facit qui ad principatum ſacrum aſſumitur pro animabus illorum qui ipſi ſubiiciuntur: *Acceptio enim præſidentiæ*, inquit Climachus lib. de Paſtoris officio, *eſt animæ datio pro anima Chriſti in omnibus & per omnia*: & ratione iſtius obligationis principatus Eccleſiæ quædam eſt ſeruitus ex ſancto Paulo 1. Corinth. 9. Ideò enim ſeruum ſeipſum feciſſe ait Apoſtolus, quòd acceptando munus Apoſtolicum ſeſe ſtrictiſſimâ obligatione conſtrinxiſſet, quæ quædam ſeruitus eſſe videretur, eò quod ſibi neceſſitatem euangelizandi imponeret, *Neceſſitas*, inquit, *mihi incumbit*. Idem quoque 2. Corinth. 4. fideles quibus Euangelium annuntiabat, ita alloquitur, *Nos autem ſeruos veſtros per Ieſum*: faciátque præceptum Chriſti Principibus Eccleſiæ promulgatum, Luc. 17. *Cùm feceritis omnia quæ dicta ſunt vobis, dicite, Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.* Nec alia mens Patrum, aut diuerſa loquendi ratio: eleganter quidem Euſebius Cæſarienſis opuſculo, *de eo quod ait Dominus, non veni pacem mittere in terram.* Eccleſiæ magiſtros, ſponſos, ac Principes à Chriſto conſtitutos, ſeruos Eccleſiæ cui præſunt factos exemplo Chriſti oſtendit his potiſſimùm verbis, *Apparet autem quantum ſponſalitas ipſa emineat ab ea quæ in mundo eſt periculoſa, non enim iſtinc mulier adiuuat virum, ſed ſponſus ſponſam: non ſponſa ſeruit viro, ſed ſponſus ſeruit, & dicit, ego lubenter pro animabus veſtris erogabor, & memetipſum tradam. Et horum quis eſt dignus? ſi enim ille qui verè eſt ſponſus Dominus, & Deus Dei non nati vnigenitus filius, qui in figura Dei conſtitutus propter charitatem ſponſæ formam ſerui accepit: ſi Dominus in figura ſerui propter dilectionem ſponſæ: qui naturâ ſerui ſunt, quid putas, quam figuram debent aſſumere? ſuſtinet ſanè ſponſus quanta ad correctionem ſunt neceſſaria, & ornatum ſponſæ patitur, & labores & vigilias, & adinuentiones; vigilat vt reficiatur ſponſa, & laborat vt adornetur, & inuenit vt paſcatur.* Auguſtinus hanc ſibi obligationem impoſitam vt iis ex neceſſitate ſeruiret, quibus ex dignitate præeſſe videbatur, clarè teſtatur epiſtola 160. iis verbis, *Eccleſiæ vtilitatibus deſeruio, cui non tam præeſſe quàm prodeſſe deſidero*: & Chryſoſtomus fusè homil. 1. in epiſt. ad Titum, Epiſcopum docet, *non tam ad principandum quàm ad ſeruiendum innumeris dominis, qui contraria cupiunt ſemper & dicunt, conſtitui. Quot homines in populo ſunt, tot vinculis conſtringi, totque dominis ſubiici* docet homil. 41. in Mathæum. Gregorius lib. 9. epiſt. 38. *per Epiſcopatus onera*, inquit, *ſeruus ſum omnium factus.*

Ob eam cauſam omnes Eccleſiaſticos proceres ac Principes, ſeruos Eccleſiæ potiùs cenſendos quàm dominos aſſerunt Origenes homil. 6. in Iſaiam, Baſilius Orat. 21. Hieronymus epiſt. 2. ad Nepotianum, & 3. ad Heliodorum; & Iſidorus Hiſpalenſis lib. de ſummo bono cap. 2. Hinc quoque Gregorius Magnus epiſt. 54. lib. 4. indict. 14. & alibi paſſim ſe ſeruum appellat eorum quorum vtilitati conſuleret. Deſiderius Cadurcenſis Epiſcopus, vir magnæ auctoritatis & ſanctitatis, Sigiberto Regi ſcribens, itémque Dagoberto Regi, Dadoni Epiſcopo Nouiomenſi, Sulpicio Bituricenſi, aliiſque Epiſcopis, & in poteſtate ſæculari conſtitutis, *ſeruum ſe ſeruorum Dei* inſcribit, epiſtolis 50. 51. 56. 58. 62. inter epiſtolas Francorum Regum, Epiſcoporum, & aliorum corpori hiſtoriæ Franciæ typis Hanoniæ edito, tum Annalium Francorum tom. 1. operâ Andreæ Ducheſne ex variis coætaneis ſcriptoribus collecto Lutetiæ edito inſertas. Paulus quoque Papa primus epiſt. 10. Epiſcopis, Presbyteris, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, & exercitibus Francorum ſcriptâ, *ſeruum ſe ſeruorum Dei* nuncupat, tom. 1. Conciliorum antiquorum Galliæ. Denique ſanctus Leo ſerm. 2. *in die Aſſumptionis ſuæ*, Pontificatum vocat *ſpiritalem miniſterij ſeruitutem.*

Quocirca liquidò conſtat nulli ſacram præfecturam, nulli principatum ſacrum, ſeu ἱεραρχίας propriè & perfectè conuenire, niſi cui neceſſitas & obligatio impoſita fuerit ſacras functiones obeundi, & populi ſpiritalibus vtilitatibus conſulendi.

§. 2.

§. II.

Obligatio habentis iuriſdictionem hierarchicam, ſtata & permanens quomodo eſſe debeat.

NEQVE verò ad ſacrum illum principatum ſeu ſacram prçfecturam, & hierarchiam ſufficit obligatio naturâ ſuâ fluxa, temporaria atque momentanea, ſed neceſſaria eſt ſtabilis quædam & certa, quæ hominem ad aliquem gradum euehat: quippe cùm principatus ſacer ſeu hierarchia hominem in ſtatu quodam conſtituat, ſtabilémque ſuâ naturâ poteſtatem conferat, non autem merum ad tempus exercitium poteſtatis concedat. Hinc v. g. neque arbitri, neque qui delegati ſunt ad certas cauſas, dicuntur in dignitate conſtituti, licèt & officium habeant, cap. *vno delegatorum*, *de officio iudicis delegati*, & modicæ coercitionis poteſtatem, cap. *de literis*, & ibi Gloſſa, verbo, *ſi ſubdelegatus*, eodem titulo[1], & cap. *cùm Bertholdus*, *de re iudicata*, verbo, *alioquin*: item Can. *peruenit*, 11. quæſt. 1, lege 2. Cod. *de ſportulis*: lege 2. ff. *de officio eius cui mandata eſt iuriſdictio*: lege *defenſores*, Cod. *de defenſoribus ciuitatis*, & alibi paſſim. Imò licèt vbi ſuſceperint arbitrium & delegationem, cogi poſſint negotium terminare, vt notat Gloſſa, verbo *remittentem*, in cap. *Paſtoralis*, *de officio delegati*: & lege *Labeo*, §. 1. ff. *de arbitris*: Nihilominùs quia obligatio iſta momentanea tantùm eſt[1], ad tempus quo lis aliqua durat, videntúrque operam ſuam commodaſſe, non ſe iuri reddendo addixiſſe: ideò non dicitur arbiter iudex niſi impropriè, vt notat Gloſſa lege penult. Cod. *mandati*, nec habet merum vel mixtum imperium, ſicut iudex, teſte Gloſſa, *idem dicendum*; lege *non diſtinguemus*, §. *ſi arbiter*, ff. *de arbitris*: habetúrque inter priuatæ conditionis homines. Quin etiam iudex delegatus priuati conditionem non excedit, vt mox probabimus.

Probatiſſima autem huius rei ratio eſt, quia officium tantùm habent naturâ ſuâ momentaneum ac temporaneum, non autem ſtabile, licèt fortè delegatio vel arbitrium diu durate poſſint, atque adeò in ſtatu non ſunt, nec in dignitate: vnde à pari in hierarchia, quæ dignitatem habet adnexam, & ſtatum efficit permanentem, non cenſetur conſtitutus, qui non permanentem aliquam naturâ ſuâ obligationem contraxerit, quâ inferioribus ſuis ad functiones hierarchicas exhibendas obligentur.

ARTICVLVS II.

Iuriſdictionem hierarchicam debere eſſe ordinariam.

§. I.

Quid ſit iuriſdictio ordinaria, quid delegata.

NEQVE hçc conditio multùm diuerſa eſſe videtur ab ea, quam aliis verbis exprimunt, qui iuriſdictionem ordinariam ad hierarchiam requirunt; delegatam verò minimè ſufficere contendunt. Etenim ordinaria iuriſdictio propria iudicantis eſt, quam ſcilicet quis exercet in ſibi ſubditos, quibus ex officio inuigilare tenetur iure magiſtratus, quem gerit, ſeu dignitatis, quâ ornatur; ſiue eam habeat à lege, ſiue à Principe, ſiue à longæua conſuetudine. Lex quidem ordinariam iuriſdictionem radicalem tribuit, lege *quia*, *de iuriſdictione omnium iudicum*, §. *ad vrbem*, ff. *de officio præfecti vrbis*, Can. *omnes*, 22. diſtinct. Can. 1. cauſâ 17. quæſt. 6. cap. *duo*, *de officio iudicis ordinarij*. à lege iuriſdictionem habent, Papa in toto orbe, Can. *cuncta per mundum*, 1. & 2. Can. *nunc verò*, Can. *per principalem*, 9. quæſt. 3. habent Prælati in ſubditos ſuæ Dioeceſeos, cap. *non minùs*, *de immunitate Eccleſiarum*, & toto tit. *de officio Ordinarij* in ſexto, & alibi paſſim: habent Plebani, & alij inferiores Epiſcopis in ſibi ſubditam plebem cap. 2. & cap. *cùm ab Eccleſiarum prælatis*, *de officio Ordinarij*, Et iure quod medio æuo receptum eſt, habent Abbates & Priores in ſubditos ſibi Monachos, cap. *illorum*, *de ſententia excommunicationis*, cap. *cùm in Eccleſiis*, *de maioritate & obedientia*,

Datur etiam ordinaria iuriſdictio à Principe, verbi gratiâ à Papa vel ab Epiſcopo, ex generali mandato ad vniuerſitatem cauſarum, quo dignitas ſimul cum officio transfertur, & alicui locum Principis ſeu Prælati tenere, eiúſque vices obire permittitur: cuiuſmodi Vicarij ordinariam habere dicuntur poteſtatem licèt demandatam à ſuperiori, qualem Proconſules & Vicarij tum in Oriente, tùm in Occidente, de quibus in Notitia imperij, & in Iure ciuili frequens mentio: in iure verò Canonico Vicarij generales & Officiales Epiſcoporum, cap. *cum Epiſcopis, de officio Ordinarij*, in 6. & titulis *de officio Vicarij*, tum lib. 1. tum 6. Decretalium, & lib. 1. Clementinarum, ordinariam iuriſdictionem habere definiuntur. Ordinariam quoque iuriſdictionem diuturna conſuetudo interdum tribuit: à qua verbi gratiâ Capitula quædam in ſuos, & Eccleſiæ ſuæ deſeruientes iuriſdictionem obtinent ordinariam, cap. *cùm contingat, de foro competenti*: ſibi enim vt natiuam & non ſpecialiter mandatam (quoquo iure ad illos ipſa deuenerit) poteſtatem iſta corpora in ſuos proprio nomine exercent, ac proinde ordinariam habent.

Delegata verò iuriſdictio eſt, quæ vel ex ſpeciali mandato commiſſa, vel quam aliquis licèt generaliter, tamen non ſuo iure, ſed alieno alteri exercendam committit, lege 1. ff. *de officio eius cui mandata eſt iuriſdictio*, & toto tit. *de officio iudicis delegati*; ſeu delegata dicitur, cùm officium abſque dignitate, & gradu in aliquem tranſfertur, cùm ſcilicet ſuperior inferiori quidem permittit officio ſuo fungi, ſed non permittit ei perſonam ſuam repræſentare, locum tenere, ac maieſtatem tueri; quam diſtinctionem hauries à D. Thoma Supplementi tertiæ partis, quæſt. 8. art. 5. ad 3. vbi docet ſuperiorem Eccleſiaſticum duobus modis aliquem committere poſſe, *Aut ita quòd eum vice ſuâ conſtituat, ſicut Papa & Epiſcopus ſuos Pœnitentiarios conſtituunt, & quilibet eorum poteſt ea quæ ſunt iuriſdictionis ad ipſum pertinentis alteri committere: aut ita quòd eum adiutorem alterius inferioris conſtituat: quomodo Regulares aut à Papa, aut Epiſcopis in ſubſidium Parochorum mitti* docet: qui priori modo committuntur, illos principaliores cenſet inferioribus Prælatis, qui poſteriori inferiores ac minùs principales; quia nempe hi nudum habent miniſterium, non dignitatem ſuperioris ſibi communicatam; illi & miniſterium à ſuperioribus recipiunt, & dignitatis participationem: hi proinde non ordinariam poteſtatem in ſe habent aut illam exercent; hæc enim curam habet adnexam perſonarum, hæc ſubditos habet & territorium: ſed inferiorem quandam participant ſine cura vllius perſonæ ſine aſſignatione ſubditorum, ſine territorij exhibitione, ac proinde delegatam habent poteſtatem, ab ea quæ eſt Ordinarij diuerſam: illi ordinariam habent, non ſibi primitùs debitam, ſed ab eo cui debita eſt in ſe tranſmiſſam.

§. II.

Prima ratio, propter quam iuriſdictio hierarchica debeat eſſe ordinaria.

DELEGATAM autem iuriſdictionem non ſufficere, ſed ordinariam vel natiuam, vel cum dignitate & cura tranſmiſſam requiri, iiſdem ferè argumentis, quibus ſuperiùs vſi fuimus, oſtendi poteſt: hæc ſolùm eò loci adiungimus.

Primùm, quia hierarchia ſeu principatus ſacer, dignitas quædam eſt naturâ ſuâ permanens ac ſtabilis: è contrà verò iuriſdictio delegata dignitas non eſt naturâ ſuâ permanens ac ſtabilis: nam & re integrâ per mortem delegantis finitur cap. *Et vndique de officio delegati*, & cap. *tum ex literis de reſtitutione in integrum*: & per prolationem ſententiæ eiúſque executionem expirat cap. *in literis*, & cap. *quærenti, de officio delegati*.

Deinde inſtabilis eſt quoque & naturâ ſuâ fluxa iuriſdictio delegata, quia non datur ad actus moraliter continuos, ſed interruptos, putà ad illos omnes actus qui ad inſtituendam cauſam, diiudicandam, & executioni demandandam pertinent: qui omnes actus naturâ ſuâ interrupti ſunt, nec vel moraliter cohærent; nam & leges tempora quædam inter illos actus ſæpè neceſſaria definiunt, & cùm delegatio inter ea putetur quæ conditioni perſonæ adueniunt, non conditionem hominis ſtatúmque afficiunt, non cenſetur in delegatæ iuriſdictionis mini-

ſterio delegatus totus impendi. In quo à Vicario generali, verbi gratiâ, vel Officiali delegatus diſtinguitur, quòd cùm Vicarius generalis, & Officialis ad vniuerſitatem cauſarum deſtinentur, negotiúmque vnum alteri moraliter loquendo ſuccedat, ad actus continuos poteſtas eorum extendi cenſeatur: ac proinde ſtabilis & permanens, non fluxa & momentanea videatur. Vnde cùm hominis conditio & ſtatus cenſeri poſſit vicariatus Epiſcopi, aut officium iudicis Eccleſiaſtici; totum hominem hæc officia requirunt, atque adeò moraliter loquendo continua eſt vtriuſque commiſſæ poteſtatis functio, negotia agenda iugiter occurrunt, nec vnquam libera ab omni cura & ſollicitudine mens illius eſſe poteſt, qui hæc munia non perfunctoriè gerenda ſuſcepit: ſed perpetua in vtroque munere & aſſidua moraliter loquendo ſollicitudo eſſe debet, cùm è contrà delegatum non ſemper intentum negotia commiſſa diſtinere vel ſoleant vel debeant, ſed ipſi à curis vacare liceat, niſi vbi cauſſæ ſibi delegatæ dirimendæ actu vacat.

Denique inſtabilem delegati eſſe iuriſdictionem, inconſtantem, ac naturâ ſuâ momentaneam hæc ratio ſuadet: quia delegati iuriſdictio non cogitatur, tanquam verum & habitualeofficium, ſed tanquam influxus actualis ſuperioris ad executionem officij: quod indicat lex iſta Papiniani lib. 1. quæſtionum, quæ prima eſt tituli Digeſtorum, *de officio eius cui mandata eſt iuriſdictio: Qui mandatam iuriſdictionem ſuſcepit, proprium nihil habet, ſed & eius qui mandauit, iuriſdictione vtitur.* Reponit enim lex iſta iuriſdictionem delegatam in vſu & exercitio, non in aliqua dignitate vel poteſtate delegato inſidente, id eſt, non in officio per modum habitus, ſed in officij executione per modum actus: ac proinde in re naturâ ſuâ fluxâ & inſtabili, non autem in re permanente. In vſu quoque iuriſdictionem delegati ſitam eſſe oſtendit ratio Alexandri IV. quâ ſubdelegatum re integrâ reuocari poſſe docet, quòd *iuriſdictio, ex qua ipſa vſus non extitit, non cenſeatur in eum efficaciter tranſiuiſſe*, cap. *quamuis de officio delegati*, in ſexto.

Fauet D. Thomas, qui loquens de Regularibus Mendicantibus, quos conſtat, non ordinariam in ſæculares quibus prædicant, ſed tantùm delegatam habere iuriſdictionem, *Quando Papa*, inquit *aduerſus impugnantes religionem* cap. 4. *dat priuilegium alicui Religioſo, quòd poſſit prædicare, non propter hoc committit ei officium, ſed magis officij executionem.* Vnde de Monachis quoque ex delegatione Clericalia munia aſſumentibus ait Philippus Abbas Bonæ ſpei, cap. 108. 109. 110. 111. eos opera facere quæ Clericorum ſunt, Clericos tamen non eſſe, in alienam meſſem inferri, operámque duntaxat ſuam commodare, & viciſſim iuriſdictionem ipſis per modum tranſeuntis duntaxat mutuò dari, non permanenter inhærere; quia nempe eatenus ſubditos populos habent, quatenus circa illos laborant, prædicando, vel confeſſiones excipiendo, in ſubſidium propriorum Paſtorum: vbi verò ab opere deſiſtunt, nec ſubditos habent populos, nec in eos poteſtatem retinent, ideóque iuriſdictionem duntaxat per modum tranſeuntis habere videntur. Quæ ratio Vicariis generalibus & Officialibus Epiſcoporum applicari non poteſt, quibus extra prætorium & actuale miniſterium populi ſubditi ſunt & obnoxij, vt ſi hos errare contingat, illorum correctioni ſubdantur.

§. III.

Altera ratio, propter quam hierarchica iuriſdictio debeat eſſe ordinaria.

ALTERVM, quia delegata iuriſdictio dignitatem non tribuit, non ſupra priuatorum ſortem aliquem euehit, non in ſublimiori loco vel gradu aliquem conſtituit; atqui qui in hierarchia propriè dicta, ſeu hierarchia initiantium conſtituitur, plebeiorum hominum ſeu laicorum ſortem & conditionem excedit; ad ſublimiorem locum & gradum iis qui initiantur, prouehitur; principatum & dignitatem exinde conſequitur, vt ex iis quæ ſuperiùs dicta ſunt, abundè poteſt conſtare: igitur delegata iuriſdictio ad hierarchiam neminem promouet, aut vllum in hierarchia præciſè locum tribuit. Maior propoſitio iſtius argumenti pluribus auctoritatibus probatur.

Primò, Philippi Abbatis locis citatis, in quibus fusè Clericalem dignitatem, id eſt, hierarchicam Monachis, quantumcumque nonnunquam ad Clericales functiones ex commiſſione applicentur, ex profeſſo non conuenire contendit: & quidem notanda eius ratiocinatio cap. 121. iis verbis: *Denique ſi is qui agit quod eſt Clerici, Clericus eſt, nunquid non etiam qui agit quod eſt Monachi, Monachus eſt? qui agit quod eſt militis, miles eſt? ſi ita eſt, ordo rerum non mediocriter confundetur, nulla profeſſio diſtinguetur, quod quiſque dici debeat, non cognoſcetur: quia in omni profeſſione rarius admodum continetur, qui non aliquid quod eſt proprium profeſſionis alterius operetur*, &c. Hæc enim ratiocinatio oſtendit, non eum iudicem abſolutè & ſine addito cenſendum, qui iudex delegatus eſt; non Hierarcham aut Principem populi habendum, cui ſacri Principatus quædam officia committuntur; non magiſtratum ſpiritalem, cui aliqua pars officij ſpiritalis demandatur: ſicut nec in Republica temporali, ſtatu aut conditione iudices ſunt, Magiſtratus, Principes, quibus functiones aliquæ iis conuenientes delegantur: nec Monachi, Clerici ſtatu ſunt, qui Clericalia ex priuilegio ſeu commiſſione officia attrectant: nec milites ſunt, qui militarem ſtatum minimè profeſſi, militaribus tamen ſe ex occaſione expeditionibus ingerunt: nec vllus alicuius conditionis cenſetur, ex eo quòd functiones illius obeat, niſi ipſam profiteatur, obligationémque illius ſuſcipiat. Ex quibus ſimiliter licet concludere, delegatos, qui vel ex occaſione vel ex mera voluntate hierarchica & Eccleſiaſtica officia attingunt; obligationem autem hierarchicam, quæ eadem eſt cum Paſtorali non ſuſcipiunt, nec conditionem ineunt; dignitatem hierarchicam, ex eo quòd functionibus hierarchicis & Eccleſiaſticis deſeruiant, minimè aſſecutos eſſe.

Secundò, probatur auctoritate D. Thomæ 2. 2. quæſt. 188. art. 4. ad 1. apertè gradum hierarchizantis delegatam tantùm iuriſdictionem habentibus denegare, nec aliam quàm hierarchizati ſeu ſubditi, ex eo quòd quis delegatus ſit, conditionem attribuendam aſſerere, *Quòd*, inquit, *aliquis auctoritate Prælatorum* (id eſt, delegata) *prædicet, vel alia huiuſmodi faciat, non ſupergredi diſcipulatus vel ſubiectionis gradum, qui competit Religioſis*, id eſt, gradum ſubditi & hierarchizati. Cuius rei hanc rationem aſſignat, *Quòd ille qui operatur ex virtute alterius, agit per modum inſtrumenti: miniſter autem eſt ſicut inſtrumentum animatum, vt Philoſophus dicit 1. Politicorum cap. 3. ante medium.*

Quam conſecutionem S. Thomæ vt illuſtremus, notandum credimus inſtrumenta Phyſica duplicis eſſe generis; quędam habere ſe per modum potentiarum vel organum potentiarum: alia ſe habere per modum inſtrumentorum iuuantium potentiam, cuiuſmodi ſunt ſpecies viſibiles, aut per modum inſtrumentorum ſeparatorum, quæ habent virtutem putà ab ipſa potentia influxam, cuiuſmodi ſunt baculus, enſis, ſecuris. Et quidem inter ea hanc eſſe differentiam, quòd prioris generis inſtrumenta ab actione denominentur, ſicut & ipſæ cauſæ principales, & pręrogatiuas cauſæ principalis obtinent: ſic oculus, ſic viſus videre dicuntur; & quam habet homo ex eo quòd videat prærogatiuam, viſus & oculus, vt coniunguntur homini, eandem obtinent. E contrà verò poſterioris generis inſtrumentis neque actio cauſæ principalis tribuitur, neque dignitas ex actione reſultans; verbi gratiâ nec ſpecies viſibiles, neque lux quibus ad videndum iuuatur oculus, videre; neque penicillus ſcribere dicitur, neque dignitas ex viſione & ſcriptione conſurgens iis attribuitur.

Similiter in moralibus duo eſſe genera inſtrumentorum ſtatuo: quædam eſſe tanquam potentias & organa principalium agentium, cuiuſmodi ſunt Vicarij generales, Officiales, Archidiaconi, qui ſunt manus, lingua, oculus Epiſcopi, quibus ipſa Epiſcopalis poteſtas, vel tota vel ex parte communicatur: præcipuè verò duobus prioribus, quorum & Epiſcopi idem eſt tribunal, eadémq; poteſtas: Vicariorum generalium, in his quæ ſunt iuriſdictionis voluntariæ; Officialium, in his quæ ſunt iuriſdictionis contentioſæ; & ideò iuriſdictioni præeſſe dicuntur, ſicut Epiſcopus, ac cæteras iuriſdictionis Epiſcopalis prærogatiuas habent. Alia eſſe tanquam inſtrumenta ſeparata vel adiuuantia minores maioréſve Pręlatos, cuiuſmodi ſunt delegati omnes, ſiue illi, in quos ex ſpeciali mandato negotiorum aliquorum deciſio

transfertur, ſiue illi, qui vt coadiutores voluntarij parochis accedunt, verbi gratiâ, Religioſi, qui priuilegiati dicuntur, habéntque aliam ab ipſis Prælatis iuriſdictionem, ab iis ſcilicet influxam; vnde delegati nec iuriſdictioni præeſſe dicuntur c. p. 6. & Gloſſa *de officio iudicis delegati*, neq; tribunali præeſſe, lege 1 ff. *de iudiciis*, ſicut ij Paſtores & Magiſtratus, qui iuriſdictionẽ ordinariam habent: neque aliam iuriſdictionem habent, qualem vicarij Proconſulum & Paſtorum, vt ex citatis capite & lege colligitur: nec territorium habent, ſed illius ab ordinario vſum impetrare debent, vt notat Gloſſa in c. *Statuimus*, verbo, *Apoſtolica*, *de officio & poteſtate iudicis delegati*, ſexto. Vicarij autem generales ſunt delegati ad vniuerſitatem cauſarum, atque ideò iuriſdictionem ordinariam ex prædictis alicuius territorij vel loci habere dicuntur, vt notat Gloſſa ſecunda ad finem in lege, *Pomponius*, 36. ff. *de re iudicata*: quod & vſus loquendi quotidianus comprobat: nam & Vicarij generales & Officiales idem habere territorium quod Epiſcopus; Archidiaconi quoque partem Diœceſeos regendam aſſumpſiſſe, & gubernandam dicuntur. Non item delegati ad certas cauſas territorium vllum habere cenſentur, ſicut nec Religioſi priuilegiati, qui delegatâ iuriſdictione funguntur. Sed hæc licèt ex occaſione, fuſiùs tamen ad explicationem ſententiæ D. Thomæ pertracta ſunt.

Tertiò, probatur eadem propoſitio teſtimonio ſancti Bonauenturæ, lib. *de paupertate Chriſti*, vbi non vt dominos, id eſt, non vt Hierarchas aut Principes, aut curam habentes, ſed vt ex charitate ſeruientes, abſque obligatione vel iure, mendicantes delegari ad prædicandum & confeſſiones plebis audiendas aſſerit, *Nec ex hoc*, inquit, *Eccleſia proſtituitur, ſi Curatis Deus prouidet adiutorium adminiculantibus ſibi viris ſpiritualibus, non vt dominis vel curam habentibus, ſed potiùs velut ſeruis per charitatem Chriſti.* Hîc autem opponit Bonauentura, Regulares in ſubſidium Paſtorum inuitatos ad ſpiritualem animarum meſſem, Paſtoribus, quòd hi tanquam Domini ſeu Principes & Hierarchæ, illi tanquam ſubſeruientes Paſtoribus; hi tanquam curam habentes & obligatione conſtricti, illi tanquam liberi ab obligatione & ſolâ charitate ducti, animarum ſaluti operam nauent: ac proinde ſatis inſinuat nullam dignitatem, præfecturam, præſidentiam ex iuriſdictione delegata, qualis eſt Regularium, vel aliarum auxiliarium copiarum, prouenire.

Denique probatur variis vtriuſque Iuris textibus, nam qui tantùm habet iuriſdictionem delegatam, negatur iuriſdictioni præeſſe, cap. 1. & 6. citato *de officio delegati*; negatur tribunali præeſſe, & vt aliqui Codices continent, etiam *iudicio*, lege 1. ff. *de iudiciis*, & ibi Gloſſa, verbo, *prorogatio*; negatur præeſſe iudicio, lege *priuatorum*, Cod. *de iuriſdictione omnium iudicum.* Qui verò ordinariam habent, quam etiam vicarij in dignitate conſtituti habere dicuntur, hi dicuntur præeſſe tribunali, iudiciis, & iuriſdictioni: ac proinde eorum iuriſdictio prorogari & ampliari poteſt partium conſenſu, delegatorum verò non poteſt, niſi aliunde iuriſdictionem habeant, vt præter citata iura ſignificat lex 1. Cod. *de iuriſdictione omnium iudicum.* Cur ita? quia priuatorum conſenſus iudicem non facit, lege *priuatorum*, citatâ: ideóque vt modò partium conſenſu fiat aliquis cauſæ alterius, quàm quæ ſibi delegata eſt, iudex, debet charactere ac dignitate iudicis primùm inſignitus eſſe, quam habet qui ordinariâ poteſtate inſignitus eſt, non habet qui ſolùm eſt delegatus. Item, *priuatus* vocatur qui habet delegatam iuriſdictionem, lege fin. ff. *de officio eius cui mandata eſt iuriſdictio*: è contrà iudex ordinarius deſinit eſſe priuatus, etiam qui vicarius fuerit poteſtatis, & ad vniuerſitatem cauſarum deſignatus; non enim, vt ait ſanctus Auguſtinus in diſcuſſione quæſt. 46. *ex veteri teſtamento* (ſeu alius vetuſtus Auctor inter Opera Auguſtini tom. 4.) *priuatus poteſt agere vicem poteſtatis alicuius.* Ideò vicarij qui à Principe, vel Præfecto prætorio in prouincias mittebantur, dicuntur *tueri locum rectorum*, quia locum & gradum rectorum occupant, eorúmque dignitatem cum officio coniunctam ſibi retinent; quam vtique prærogatiuam delegatus non habet, ſed nudam facultatem, nudúmque miniſterium: igitur delegata iuriſdictio dignitatem non adfert, non principatum ſacrum aut prophanum ſecum adducit, non gradum tribuit, aut ſupra priuatorum ſortem delegatum euehit.

§. IV.

Tertia ratio, propter quam iuriſdictio hierarchica debeat eſſe ordinaria.

TERTIVM argumentum, quía iuriſdictio hierarchica, quæ in gradu hierarchico aliquem collocat, ſubordinationem aliquam inuoluit, ita nempe vt habentem iuriſdictionem, ſuperiorem conſtituat iis, in quos habet iuriſdictionem. Eſt enim hierarchia ordo ſuperiorum & inferiorum, vt docuimus & fusè probauimus lib. 1. atqui iuriſdictio delegata nullam huiuſmodi ſubordinationem inuoluit. Igitur iuriſdictio delegata propriè non eſt hierarchica, nec in gradu hierarchico aliquem conſtituit. Maior ex prædictis ſatis confirmata & probata videtur. Minor verò oſtenditur: licèt enim delegatus ſecundum quid ſuperior ſit eo cuius cauſa coram ipſo diſceptatur, Can. *Inferior.* & Can. *Denique.* diſtinct. 21. & clariùs cap. *Sanè quia, de officio delegati:* licèt etiam ad remouendam ſuſpicionem omnem à iudice, iuſta ſit exceptio aduerſus delegatum, quòd vni ex partibus litigantibus tanquam dominis ſubditus ſit, cap. *cauſam quæ.* eodem tit. & cap. *Accedens 2. vt lite non conteſtatà:* vel quòd iudex ſit ſuffraganeus aduerſarij, cap. *Accedens* 1. eodem tit. atque adeò cautum ſit, *Ne quis demceps conſeruatorem haberet eum qui ſub ipſius iuriſdictione, dominio vel diſtrictu Eccleſiaſtico vel temporaneo conſiſteret:* cap. fin. §. *nec aliquis* eodem in 6. Attamen certum eſt poſſe delegatum dignitate æqualem imò & inferiorem eſſe eo, ad cuius cauſam iudicandam & terminandam deſignatus eſt; nam ad cauſſam Epiſcopi, verbi gratiâ poteſt Abbas vel alius in dignitate conſtitutus nominari, vt & quotidiana Eccleſiæ praxis, & innumeri prope Canones oſtendunt; nec controuertitur quin delegari poſſit etiam inferior & ſubditus, dummodo pars aduerſa cuius intereſt non reclamet, vt notat Gloſſa, verbo *temporali*, in caput *finale*, citatum *de officio delegati*, in 6. Quamobrem delegata iuriſdictio nequaquam in ſuperiori aliquo gradu conſtituit habentem illam reſpectu eius, cuius cauſam terminandam ſuſcepit.

Confirmatur: nam abſurdum eſt Confeſſarium Papæ vel Epiſcopi, ſuperiori in hierarchia gradu collocare, quam collocemus aut ſummum Pontificem aut Epiſcopum; aut iudicem delegatum ad purgationem Papæ ex ipſius conſenſu, ſuperiorem Papâ in hierarchia ſtatuere. Nihilominus Confeſſarius ſummi Pontificis habet iuriſdictionem delegatam ab ipſo Papa, vt eius peccata audiat, eúmque non ſolùm abſoluat, ſed & *liget*, vt notat Gloſſa, verbo *terminandam*, in cap. *Sanè quia*, citatum. Idemque de Confeſſario Epiſcopi dicendum eſt. Quin etiam poteſt Papa mandare quibuſdam iuriſdictionem, vt ſeipſum coram illis purget, quod fecerunt Marcellinus Papa, Symmachus, Sixtus III. & alij, de quorum vltimo id refertur à Gratiano 2 quæſt. 5. Can. *mandaſtis*, ex epiſtola ipſius ad Orientales cap. 1. ex quo Canone inferunt Doctores ſuperiorem ab inferiori de prioris conſenſu iudicari poſſe: ac proinde inferre ex iis omnibus licet, vi iuriſdictionis delegatæ ſuperiorem in hierarchia locum minimè tribui ſupra illos, in quos ipſa exercetur.

Prætereà, iudex delegatus cum Ordinario loci officia ſæpè permixta habet: inter quos tamen nulla ſubordinatio ſtatui poteſt. Diſparata iſta ſunt officia, & collaterales quodammodo poteſtates, quæ ſibi mutuò imminent: nam Ordinarius quiuis delegare poteſt, & eſt ſuperior à ſe delegato quem conſtituit, ac re integrâ pro arbitrio reuocat: delegatus verò à ſuperiore eidem Ordinario imperat: ſed Ordinarius ab eodem ſuæ iuriſdictionis probationem inquirit, cap. *cùm in iure, de officio delegati*: & iudex ordinarius ſupplet deſidiam delegati, ſicut delegatus ſupplet Ordinarij, cap. *Significauit, de officio iudicis ordinarij*, cap. *Prudentiam, de officio delegati:* ac tales poteſtates collaterales quæ ſibi immineant, & ſe quandoque corrigant, in hierarchia Eccleſiaſtica nullæ reperiuntur; ſed à ſuperiori inferior duntaxat corrigitur, & à ſuperiori inferiori præcipitur: ac proinde alterutram ex iis duabus poteſtatibus ab hierarchia excludere oportet: ordinariæ verò ſedem ſuam aſſeruari debere indubitatum eſt: ac proinde delegatæ per ſe nullum locum tribuere neceſſum eſt.

Digitized by Google

§. V.

Vltima ratio, propter quam iuriſdictio hierarchica debeat eſſe ordinaria.

DENIQVE ſicut hierarchia perfecta nulla eſt ſine ordine ſacro, ita nec perfecta iuriſdictio hierarchica vlla eſt ſine deputatione & deſignatione ad ſacros Ordines, quæ fit per tonſuræ Clericalis collationem: ac proinde hierarchica iuriſdictio nemini conuenit niſi Clerico, eiſque qui mox promoueri debeat ad ordinem aliquem hierarchicum, cui ex inſtitutione Chriſti iuriſdictio hierarchica, ſeruatâ ordinis cum iuriſdictione, & iuriſdictionis cum ordine connexione, proportionata conueniat. Inſtituit enim Chriſtus diuerſos ordines hierarchicos, ſicut & diuerſos iuriſdictionum gradus, vt quò difficiliora & maiora iuriſdictionis negotia alicui committuntur, eò maiora gratiæ auxilia ordini ſuſcepto adnexa, qui iuriſdictione functurus eſt, reciperet; ac populo auguſtior atque ſanctior per maioris & ſublimioris ordinis ſuſceptionem appareret: atqui delegata iuriſdictio non habet adeò arctum cum ordine ſacro, & deſignatione ad ſacros Ordines coniugium.

Primò enim, cuiuis Clerico delegari poſſe Eccleſiaſticam iuriſdictionem indubitatum eſt; ordinariam verò nonniſi Diaconis, Presbyteris, Epiſcopis vel ordinatis vel mox ordinandis, vt innumeris ferè iuris teſtimoniis compertum, & exploratum habetur.

Secundò, licèt propter decentiam, & Canonum obſeruationem, nonniſi Clericis negotiorum Eccleſiaſticorum diiudicandorum, aut cenſurarum ferendarum poteſtas ab Epiſcopis demandari debeat, cap. *decernimus, de iudiciis*, & cap. *contingit, de arbitris*; nihilominùs delegatam iuriſdictionem ſpiritalem aliquando non laicis ſolùm, verùm etiam fœminis demandari patet exemplo Gregorij lib. 11. epiſt. 8. *Brunechildi Francorum Reginæ*, cui huiuſmodi iuriſdictionem commiſit, refertúrque à Gratiano 2. quæſt. 5. Can. *Mennam:* in quem locum Interpretes poſt Gloſſam delegari laico ſpirituale negotium colligunt; quod ipſum iidem Doctores inferunt ex epiſt. Gregorij VII. 45. Duci Sueciæ, & Duci Carentanorum, citatâ in fragmento epiſt. Vrbani II. ad *Præpoſitum ſancti Iuentij*, relato apud Gratianum §. *Verum*, poſt Can. *Præter*, diſtinct. 32. quâ ſcilicet epiſtolâ Gregorius VII. his Ducibus concedit, *Vt officium Simoniacorum & in fornicatione iacentium ſcienter nullo modo recipiant, & quantum poſſunt tales à ſacris miniſteriis prohibeant.* Quamuis enim hæc ad executionem Canonum promouendam dici potiùs videantur, quàm ad ſententiam ferendam aut cenſuram infligendam, tamen & Gloſſa, verbo *Duci*, & Doctores in iſtum Canonem ſententiam iſtam ad hoc trahunt, vt delegari iuriſdictionem ſuſpendendi Clericos, & excommunicandi iis verbis putent: quemadmodum ex Canone vlt. 10. quæſt. 3. quo Pelagius Creſconio illuſtri mandat, vt curet ne vel prandia enormia Epiſcopis viſitantibus parentur, vel ſumma pecuniæ Cathedratici nomine perſolui ſolita excedatur, Gloſſa in Can. *bene quidem*, verbo *laico*, diſtinct. 96. colligit laico delegari poſſe iuriſdictionem ſpiritalem; ita vt ex delegatione Papæ excommunicare poſſit, Licet *laico homini anathema in ordinem Eccleſiaſticum dictare*, Canon iſte, quem interpretatur, ex Synodi Romanæ tertiæ ſub Symmacho cap. 1. exſcriptus expreſsè prohibeat. Denique & Gloſſa, verbo *Presbyter*, in cap. *Canonica, de ſententia excommunicationis*, poteſtatem excommunicandi laicis, ſed non adeò facilè, neque paſſim concedi poſſe notat.

Sed vt vt ſit, ſiue laicus à Papa delegari poſſit, vt ſolus negotium ſpiritale aliquod terminet, Clericóſque ſuſpendat, aut aliquos excommunicet, quod non credo ſummum Pontificem niſi rariſſimè, & magnâ neceſſitate attentaſſe. Certè dubitari non poteſt, quin ex commiſſione laicus in negotio ſpiritali iudicis ordinarij Eccleſiaſtici aſſeſſor & conſultor eſſe poſſit. vt colligitur ex Can. *Hadrianus*, 1. diſtinct. 63. quo probatur vt laicus *ad contractandum & cooperandum muitetur ab Eccleſia.* Item ex Can. *Hadrianus*, 2. & Can. *In ſecundo*, quo Imperatori ius eli-

gendi Epiſcopos, & ſummum Pontificem, qui poſteà conſecrarentur ab Epiſcopis, penes quos iudicium adhuc maneret, conceditur. Idipſúmque aſſerit Gloſſa, verbo *non præſumant*, in cap. *decernimus*, *de iudiciis*, in quo cap. licèt vetentur ab Epiſcopis laici pro conſultoribus aſſumi, quippe cùm Eccleſiarum Prælatis omnibus præcipiatur, vt de negotiis Eccleſiaſticis maximè quæ ſpiritalia eſſe noſcuntur, laicorum iudicio non diſponant: tamen ex praxi recepta in Eccleſia, id interpretatur de auctoritate ordinaria, non de delegata.

Alij verò Doctores honeſtum id & decorum eſſe dicunt, vt laici Eccleſiaſticorum Prælatorum aſſeſſores non ſint, non autem neceſſarium; nam & compromiſſarios eligi poſſe in negotio ſpiritali, de conſenſu Prælati Eccleſiaſtici, deciſum eſt ab Alexandro III. epiſtolâ decretali Piſano Archiepiſcopo directâ, vt habetur cap. *per tuas*, *de arbitris*, his verbis. *Quòd autem à duobus laicis & vno Clerico dicitur eſſe prolatum, nequaquam obuiare videtur, cum auctoritate dicti Archiepiſcopi* (Genuenſis) *factum ſit, cui cauſa, de qua dicitur compromiſſum, fuerat delegata*. Eo, inquam, caſu in laicum tanquam arbitrum compromitti permittitur, ſi Clerico laicus adiungatur; ſecus enim in eum compromitti non liceret, definitione Concilij generalis Lateranenſis ſub eodem cap. 40. refertúrque cap. *contingit*, eodem; in quod legatur Gloſſa, verbo *ſpiritualibus*, ibidem. Ex quibus deducitur delegatam iuriſdictionem cum laico conuenire poſſit, hierarchicam non eſſe cenſendam.

§. VI.

Corollaria quædam ex præcedentibus concluſionibus inferuntur.

PORRÒ ò rationes iſtæ quas protulimus, valent ad illuſtranda ac probanda plurima, quæ ad hierarchæ doctrinam non mediocriter conducunt.

Primum, nec delegatos iudices ad certas cauſas, nec Regulares priuilegiatos ratione iuriſdictionis quam habent in laicos, tanquam ſubſidiarios Paſtorum, in hierarchia locum agentium ſeu initiantium præciſè obtinere: ſed ſi quis ipſis in hierarchia locus datur, hunc ratione ordinis quo præditi ſunt, putà ſi Epiſcopi, Presbyteri aut Diaconi conſecrati fuerint, ipſis eſſe tribuendum: ac proinde illos etiam qui ex ipſorum numero, ordine ſacro inſigniti ſunt, inadæquatè duntaxat, & ratione vnius ex potiſſimis dotibus, quæ eſt ordinatio, non ratione alterius, quæ eſt iuriſdictio, in hierarchia locum habere.

Alterum, illos qui habent oridinariam iuriſdictionem in ſe radicatam, ſuóque nomine non alieno eam exercent, optimo iure hierarchicum locum promereri; cuiuſmodi ſibi debitum in hierarchia locum ratione iuriſdictionis præ cæteris poſtulant Papa, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Curati, qui ſunt veri Paſtores animarum, & ſuo nomine, non tantùm vicario, animarum ſaluti inuigilant; iis enim omnes aſſignatæ conditiones cumulatiſſimè conueniunt.

Tertium, inter eos qui vicario nomine cum dignitate tamen, & ex officio iuriſdictionem ordinariam exercent, eos meliori iure hierarchiæ inferendos, qui vel à lege vel à conſuetudine iuriſdictionem habent quam exerceant, cuiuſmodi ſunt Archidiaconi, qui à lege aliquam iuriſdictionem habent, de quo toto titulo *de officio Archidiaconi*, lib. 1. Decretalium, habéntque ampliorem vel reſtrictiorem, prout conſuetudo & vſus fuerit, cap. fin. *de officio Archidiaconi*, & cap. *Romana*, *de appellationibus*, in ſexto. Ratio eſt, quia habent illi irreuocabilem dignitatem, atque adeò magis ſtabilem, minúſque fluxam; quia territorium ſpeciale ſibi vendicant, ratione cuius Diœceſis in Archidiaconatus, Archipresbyteratus, aliáſque ſectiones diuiditur, ſicut Archiepiſcopalis prouincia in Epiſcopales Diœceſes: quia tandem ſunt ſub Epiſcopis, atq; ab eorum ſententiis ſolet appellari ad Epiſcopum, ex cap. *Romana* citato; referunt ipſi Epiſcopo quæ egerunt: Presbyteri Curati illis ſubditi ſunt, & ad illos referunt quæ Epiſcopis renuntiari volunt, & viciſſim Epiſcopi per ipſorum manus, leges & conſtitutiones ſuas promulgant: quæ directa ſubordinatio ad hierarchiam, quam ordinem eſſe diximus, non parum conducit.

Digitized by Google

Quartum, poſt hos meliori iure adcenſentur, qui iuriſdictionem nonniſi coniunctim habent, exercéntque cum Epiſcopis, aliiſve Prælatis; cuiuſmodi ſunt Canonici adſeſſores Epiſcoporum, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſummi Pontificis Conſiliarij: minùs quidem illi hierarchiæ inſerendi, quàm Archidiaconi, aut alij Prælati inferiores Epiſcopis: quia territorium ſpeciale non habent, nec iuriſdictionem ſpecialem, ob quam ſingularem ordinem hierarchicum faciant; & cùm ſint collaterales potiùs quàm ſubordinati, aut alios ſibi ſubiicientes, ad ordinem hierarchicum minùs ſpectant.

Denique, minori titulo quàm cæteri Vicarij generales, & alij amouibiles ab Epiſcopo, ad hierarchiam pertinent: quia gradum vix faciunt ab Epiſcopo diſtinctum, & habent poteſtatem minùs ſtabilem, & parum differunt à delegatis, qui ad hierarchiam ex vi iuriſdictionis delegatæ nullum aditum habent.

SECTIO III.

DE DIVISIONE HIERARCHIÆ habitâ præſertim ratione iuriſdictionis.

CAPVT I.

Quædam circa diuiſionem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ in vniuerſum ſtatuuntur.

ALIQVA ſunt circa diuiſionem hierarchiæ Eccleſiaſticæ generatim obſeruanda, antequam eiuſdem diuiſio ratione iuriſdictionis inſtituatur.

Primùm, præmittendum hierarchiæ Eccleſiaſticæ diuiſionem magno ab ipſo Cellorio apparatu traditam ex iis, quæ hactenus diximus, corruere: nam ſubuerſa à nobis eſt noua iſta, quam in ſtrictiore ſignificato hierarchiam vocabat, & *chariſmatum* appellabat; oſtenſúmque *nec in chariſmatibus, nec ex chariſmatibus præcisè hierarchiam vllam, niſi æquiuocè & impropriè conſiſtere*: quod in ſua ipſe declaratione agnouit. Ordinis quoque atque iuriſdictionis dotes non duas efficere hierarchiæ ſpecies, ſed partes, quæ integram & perfectam hierarchiam conficiant, tanquam totum quoddam integrale & perfectum, ſuperiùs oſtendimus.

Quòd ſi cui tamen placeret duas ſpecies hierarchiæ conficere ex ordine & iuriſdictione, ſumendo hierarchiam pro imperfecta hierarchia, quam conſtat vel ordinis ſolùm vel iuriſdictionis eſſe poſſe; ordinis, verbi gratiâ, in Epiſcopo, Presbytero, Diacono conſecratis, nullámque ordinariam, & neceſſariam iuriſdictionem habentibus: iuriſdictionis in Parocho vel Epiſcopo electis, & iuriſdictionem habentibus, nondum tamen inauguratis & ordinatis, non pertinaciter renitemur. Eæ tamen ſpecies ita imperfectæ hierarchiæ ſpecies erunt, vt vtraque alterius ſocietatem ad ſui perfectionem impleret, vtraque perfectam hierarchiam conflatura ſit: ſicut enim materia & forma, & ſubſtantiæ corporeæ incompletæ ſpecies, & completæ ſubſtantiæ corporeæ, ſeu corporis naturalis partes integrantes dicuntur; ita hierarchiæ incompletæ, ſeu ſacri Principatus imperfecti ſpecies duæ dici poſſunt. Ordo propter conſecrationem, cui principatus eſt connaturalis;

Iuriſdictio propter principatum, cui ſanctitas ordinis connexa eſſe debet, vt connaturaliter exerceri poſſit. Ordo propter eminentiam & excellentiam auctoritatis eiuſdem ſanctitati, vt ſuperiùs docuimus, neceſſariò connexam, quæ duo ſacrum principatum imperfectum efficiunt. Iuriſdictio propter principatum ratione obiecti ſacrum, quem eſſentialiter includit, etſi deſit ſanctitas ſubiecti, ſine qua principatus ipſe ſacer eſt, ſed imperfectus. Eædem quoque dotes hierarchiæ perfectæ partes ſunt integrantes, quarum neutra ſine alterius conſortio perfectus ſacer eſt principatus. Non Ordo, cui ſi deſit iuriſdictio ordinaria atque neceſſaria, principatus eius imperfectus erit, deerit ſiquidem gradus ſtabilis & permanens, vim directiuam, aliàs ſæpè inutilem promouens ac perficiens, & ad maximam partem ordinis functionum legitimè, ac ex officio ordinario, & ſtatu exercendam neceſſaria. Non iuriſdictio, cui ſi deſit ordo, deeſt conſecratio perſonæ, quæ ad principatum perfectè ſacrum, ſeu perfectam hierarchiam requiritur.

Alterum, obſeruandum eſt, poſſe diuidi hierarchiam in ordines, vel propter aliquam eius partem eſſentialem diuerſam, vel propter aliquam functionem diuerſam, aut accidentia quædam adiuncta diuerſa diſtinctos. Accuratiorem verò & potiorem eſſe diuiſionem, quæ à parte eſſentiali diuerſa deſumitur, quàm quæ ex diuerſitate accidentium hierarchiæ petitur. Vnde quia tam ordo quàm iuriſdictio eſſentiales ſunt hierarchiæ partes, ideò congruentiùs hierarchiæ diuiſionem, vel ratione diuerſorum ordinum principantium, vel ratione ordinum iuriſdictionem habentium diuidi. Diuiſiones autem hierarchiæ minùs probari, quæ ex diuerſitate functionum diuerſarum petuntur, quæ licèt ordinariè ab ordine & iuriſdictione oriri debeant, tamen diuerſos ordines diuerſaſque iuriſdictiones non arguunt; atque adeò non probatam iri hierarchiæ diuiſionem in ordines Theologorum, Canoniſtarum, Euangeliſtarum, Prędicatorum, Catechiſtarum, &c. quia licèt functiones iſtæ docendi Theologiam, interpretandi ius Canonicum, Euangelium conſcribendi, vel annuntiandi, prædicandi populis Chriſtianis, doctrinæ Chriſtianæ elementa rudioribus exponendi, aliáque eiuſmodi hierarchiæ ſint, in quantum eos qui ex officio ordinario ipſis funguntur, ordine & iuriſdictione præditos eſſe ſupponunt: quia tamen nec ordinis, nec iuriſdictionis diuerſitatem arguunt, ideò ad diuerſos hierarchiæ ordines, conſtituendos minùs ſunt idonei.

CAPVT II.

Variæ diuiſiones hierarchiæ, ratione præſertim iuriſdictionis, traduntur.

PROBANTVR maximè ex iis diuiſiones hierarchiæ, quæ vel ab ordine principante, vel à iuriſdictione ordinaria atque neceſſaria deſumuntur. Tridentina Synodus ſeſſ. 18. de ſacramento ordinis Can. 6. ratione ordinis hierarchiam diuiſit, in Epiſcoporum, Presbyterorum & Miniſtrorum ordines, eos condemnans, qui hierarchiam diuinâ ordinatione inſtitutam negarent, *ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris conſtantem.* Eandem diuiſionem ſanctus Dionyſius cap. 5. Eccleſiaſticæ hierarchiæ; Maximus ibidem, Antiochus homil. 122. Theophylactus in cap. 19. Lucæ, & alij paſſim ſecuti ſunt, qui eorum ordinum diuerſitatem ex functionum quoque generibus diuerſis repetunt, vt ſcilicet Epiſcoporum ordo maximè ſit perfectiuus, Presbyterorum illuminatiuus, Miniſtrorum purgatiuus.

CAPVT III.

De diuiſione Hierarchiæ, ratione iuriſdictionis.

VISITATVM eſt apud Auctores, vt hierarchiam ratione alterius compartis hierarchiæ, putà ratione iuriſdictionis, hierarchiæ diuerſos ordines conſtituant; neque inter ſe omninò conſentiunt: nam v. g. Guillelmus Pariſienſis tractatu *de vniuerſo*, 2. partis principalis 1. part. cap. 167. cuius verba ſuprà protulimus; ratione iuriſdictionis tres hierarchias conſtituit tribus Angelicis hierarchiis, & nouem ordines nouem ordinibus reſpondentes. & quidem ſupra omnem hierarchiam ſtatuit Papam, qui cùm ſit vnicus, nec ordinem, nec hierarchiam conſtituit, ſed hierarchiæ omnis Princeps, eſt principium hierarchiæ diuiſionis, eiúſque vnitatis centrum.

Primam itaque hierarchiam ſtatuit Eminentiſſimorum Cardinalium, qui Papæ aſſident, ſicut primæ hierarchiæ Angeli Deo ſemper adſiſtunt; eorum tres ordines ſtatuit, Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, quos ratione iuriſdictionis etiam differentes ab ipſo poſitos nihil vetat: nam Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi Cardinales etiam iuriſdictione differunt. Nam verbi gratiâ Cardinalibus Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis, diuerſa ad gubernationem Eccleſiæ ſpectantia officia Concilium Baſileenſe conſentaneè diſtribuit, ſeſſ. 23. cap. *de numero & qualitate Cardinalium*, vt ſcilicet *Epiſcopi Cardinales indagare curent, quæ regiones hæreſibus, erroribus, ſuperſtitionibus nouis, aut veteribus infectæ ſint. Presbyteri, vbi mores & diuinorum mandatorum obſeruantia, ac Eccleſiaſtica diſciplina deficiant. Diaconi, qui Reges, & Principes ſeu populi bellis agitentur, vel agitari timeantur, & tanquam apes agmentoſæ, tam apud ſummum Pontificem, quàm inter ſeipſos diligenter ac accuratè negotia hæc ſancta promoueant, operam dantes, vt vbi neceſſarium fuerit, ſalubri remedio prouideatur.*

Sed, vt redeamus ad prædictam Guillelmi diuiſionem, ſecundam hierarchiam efficit ex Patriarchis ſeu Primatibus, Archiepiſcopis & Epiſcopis: Patriarchas ſeu Primates, in primo eius ordine inſtar Dominationum; Archiepiſcopos in ſecundo inſtar Virtutum, Epiſcopos inſtar Poteſtatum.

Denique tertiam hierarchiam conflat ex Archidiaconis tanquam Poteſtatibus, Archipresbyteris tanquam Virtutibus, Parochis, quos Presbyteros vocat, tanquam Angelis.

Aliâ diuiſione aliquantùm deflectit Ioannes Gerſon, de poteſtate Eccleſiaſtica, conſid. 9. *In quantum Papalem auctoritatem cum ſuis Cardinalibus imitari, primam hierarchiam Angelicam* aſſerit; *alteram mediam imitari aut Patriarchalem, Archiepiſcopalem & ſacerdotalem auctoritatem in habentibus ſubiectos ſibi, quod*, inquit, *dicitur propter Curatos, vel etiam propter ſolos titulares Epiſcopos carentes plebe. Vltimos* ſubdit *eſſe inſtar tertiæ hierarchiæ, qui hierarchizantur in Eccleſia*, (nam hierarchiam eò loci in ampliſſima ſignificatione accipit) *ſed non alios auctoritate hierarchizant: quemadmodum ſunt populi, & ſimplices Religioſi ſecundum Dionyſium.*

Idem Gerſon tract. de ſtatibus, hos ordines hierarchiæ recenſet, diuinâ ordinatione inſtitutos cuicumque propugnandos ac defendendos, *Papæ, Cardinalium, Epiſcoporum, ſeu Prælatorum & Curatorum.* Priuilegiatorum addit ſtatum extra hunc ordinem, *ad ſubleuamen eorum, qui hierarchicos in Eccleſia ſtatus habent.* Idem pariter ſermone habito in Eccleſia Cathedrali, in ſupplicatione generali habita auctoritate domini Epiſcopi Pariſienſis, 3. Dominicâ Quadrageſimæ anno 1409. hos ordines hierarchicos nominat, *Papæ, Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum Apoſtolis ſuccedentium, & Parochorum, qui ſeptuaginta diſcipulis ſuccedunt*, quos eſſentiales & permanentes hierarchiæ partes conſtituit, ideóque pro ipſis, ne quolibet priuilegio perturbentur, pugnandum contendit.

Poſſumus & eundem hierarchicum ordinem diuidere in gubernationes ſeu Paſtores ordinarios, & opitulationes, ſeu ordinariorum Paſtorum ordinarios quoque cum officio & dignitate adiutores. Ordinarios Paſtores in tres ordines ſubdiuidere poſſumus, putà in Papalem, qui conuenit Paſtori ſummo omnium Paſtorum diuinitùs conſtituto, Prælatorum maiorum ſeu Epiſcoporum, qui complectatur Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, ſimplices Epiſcopos, quos Epiſcoporum diuerſos ordines antiqua Eccleſiæ conſuetudo diſtinxit: & Prælatos minores ſeu Parochos. Opitulatores autem partiri licet in adiutores Papæ, Eminentiſſimos S. R. E. Cardinales, adiutores Prælatorum maiorum Archidiaconos, Archipresbyteros, Pœnitentiarios, Officiales, Theologales, Scholaſticos, imò & Canonicos omnes Epiſcoporum Adſeſſores, & Conſiliarios. Denique in adiutores Prælatorum minorum ſeu Parochorum minorum, putà Presbyteros Eccleſiæ parochiali ſub aliquo Rectore ſeu Parocho addictos.

Quòd ſi ab amplitudine hierarchiæ ratione iuriſdictionis ſpectatæ eximas eos ordines, qui vel adiutores duntaxat ſunt Prælatorum, atque ideò membra ſunt quodammodo hierarchicorum Paſtorum, & vnam cum ipſis iuriſdictionem habent, nec niſi coniunctim cum iis hierarchiæ adcenſentur. Si, inquam, illos excipias, ſolóſque ordinarios Paſtores diuinâ ordinatione inſtitutos, atque inter ſe diſtinctos in ea concipias, qui directum locum tenent, & inter quos directa ſubordinatio reperitur, tres tantùm reperiemus hierarchicos ordines, Papalem, Epiſcopalem, & inferiorum Paſtorum, quos Parochos ſeu Curatos communiter vocant. Ab hac quoque diuiſione eximi poterit Papalis ſtatus, qui cùm vnius tantùm ſit, Monarchia potiùs dicitur, quàm hierarchia: eóque ſenſu prædictus Ioannes Gerſon, de poteſtate Eccleſiæ, conſid. 12. *Dicamus*, inquit, *ſecundò iuxta probabilem valdè ſententiam, quòd de ſtatu hierarchico Eccleſiæ non ſunt propriè, niſi duo ſtatus, Prælatorum maiorum, videlicet qui ſucceſſerunt Apoſtolis, & ſunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, & ita ſurſum: & minorum, qui ſucceſſores ſunt ſeptuaginta diſcipulorum, & dicuntur Prælati ſecundi ordinis, dignitatis vel honoris, quales ſunt Curati, quibus ex ſtatu & ordinario iure conueniunt tres actus hierarchici, primariò, eſſentialiter, & immediatè à Chriſto, qui ſunt purgare per correctionem, illuminare per doctrinam & prædicationem, perficere per Sacramentorum adminiſtrationem.*

Priuilegiatorum verò ordines, qui ſcilicet ex priuilegio ſaluti proximi procurandæ operam nauant, etſi opitulatores atque auxiliatores maiorum minorúmque Prælatorum dici poſſint, nihilominùs ratione iuriſdictionis nullum in hierarchia locum habent. Nam ſuperiùs diximus eam ſolùm iuriſdictionem per ſe hierarchiæ aliquem inſerere, quæ & ordinaria ſit & neceſſaria: atqui iuriſdictio Regularium priuilegiatorum in populis, pro quorum ſalute procuranda per verbi Dei prædicationem, & Sacramentorum quorumdam adminiſtrationem mittuntur, neque ordinaria eſt cum officio, munere publico & dignitate coniuncta: neque neceſſaria eſt, ſeu neceſſariam iuriſdictionem coercitiuam voces, ſeu eam quæ obligationem ſecum inducit: nam iſtorum Regularium iuriſdictio ſponte ab iis ſuſcipitur, ſponte exercetur cùm ipſis lubet; & in quæ lubet ſponte defertur: & viciſſim in eo tantùm exercetur, qui ſponte & abſq; vlla obligatione ad ipſos pro Sacramentis ſuſcipiendis, pro verbo Dei audiendo accedunt. Ergo ratione iuriſdictionis per ſe & directè priuilegiatorum ordo hierarchicus non eſt, nec ſpeciale hierarchiæ membrum conſtituit. Incompletè igitur per me licet, Regulares priuilegiati ratione ordinis ſacri, putà Presbyteratus aut Diaconatus, in hierarchia conſtituantur: ratione verò iuriſdictionis extraordinariæ ex priuilegio ipſis conuenientis, nullum in ea locum habebunt. Qua de re alibi dicemus, quemadmodum & ſcripſimus olim fusè cap. 1. lib. vindiciarum cenſuræ Facultatis Pariſienſis.

Quartum denique notandum, diuiſiones hierarchiæ in varios ordines, ratione diuerſarum functionum hierarchicarum diuerſos, accidentales eſſe, quando iſtas functiones diuerſas, non ordinum diuerſitas aut iuriſdictionum facit, ſed chariſmatum diſtinctio, quorum aliqua in his functionibus magis, alia minùs elucent: ſecundum hunc diuidendi modum, alij ſtatuuntur in hierarchia Eccleſiaſtica ordines Prædicatorum, alij Confeſſariorum, alij Doctorum, alij pſallentium, alij aliquod

aliquod aliud donum ex Deo præſertim habentium, & cum vtilitate proximi, ex conſecratione ſeu ordinatione hierarchica, quæ non eſt alia ab ordinatione Epiſcopali, Presbyterali vel Diaconali, vel ex officio aliquo iuriſdictionem neceſſariam atque ordinariam habente. Quos omnes ordines accidentariò tantùm dicimus diuerſos in ratione hierarchiæ: eodem modo quo homines diuerſi ſunt accidentariò, prout in varia ſtudia ſcinduntur, & variis animi vel corporis dotibus ornantur, vel conſpurcantur: totáque hæc diuerſitas non tam ordines diuerſos, quàm diuerſa officia ſtatuit: de quibus ait Ambroſius lib. 1. de officiis cap. 44. *Alius diſtinguendæ lectioni aptior, alius Pſalmo gratior, alius exorciſandis qui malo laborant ſpiritu ſollicitior: alius ſacrario opportunior habetur. Hæc omnia ſpectet ſacerdos, & quid cuique congruat id officij deputet.* Imò nec ita iſta officia hierarchica ſunt, niſi in quantum ordini hierarchico, vel iuriſdictioni adnectuntur ex prædictis.

Secundum has explicationes intelligenda eſt tradita à Philone Carpathiorum Epiſcopo hierarchiæ diuiſio (ſi tamen de hierarchia vel minimùm cogitarit) in peroratione ſcilicet explicationis ſuæ in Cantica, dum ait, *Sunt autem comites ſponſi, vel amici ad ſacrum hoc veluti epithalamium aduocati, nouem ipſi Angelorum chori: ſponſæ verò totidem fidelium ordines, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Doctores, Pontifices, Presbyteri, Diacones, Subdiacones, Acolyti.* In qua partitione membrorum Eccleſiæ, mentio fit Patriarcharum, qui in lege naturæ iuriſdictione Eccleſiaſtica potiti ſunt; Prophetarum, qui in lege veteri extraordinariam iuriſdictionem habuerunt; Doctorum, qui munus in Eccleſia gerunt; Apoſtolorum, qui extraordinarium munus ad tempus geſſerunt; Pontificum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolytorum, quorum ratione ordinis præſertim differentia petenda eſt. Ac proinde nihil certi ſpectauit in hac diuiſione Philo, non ordinem, non iuriſdictionem, non gratias; non Eccleſiam in ſtatu legis, non in ſtatu ſolùm Moſaicæ, nec in ſtatu ſolùm legis naturæ. Sed varios inter ſe ordines commiſcuit, vt nouenarium numerum impleret: ſimilem apud Tertullianum enumerationem legimus lib. 2. de Corona militis cap. 8. iis verbis, *Quis Patriarches, Prophetes, Leuites, Sacerdos, Archon, ſeu iudex, vel poſteà Apoſtolus, Euangelizator, aut Epiſcopus legitur coronatus?*

Digitized by Google

SECTIO IV.

DE DEBITA MEMBRORVM HIERARCHICORVM ratione iuriſdictionis ſubordinatione, & eorumdem inter ſe comparatione.

CAPVT I.

Quænam Metropolitani circa Suffraganeos ſuos, & ipſis ſubditos exequi poſſunt.

ARTICVLVS I.

Obſeruationes quædam generales præmittuntur.

DIVISIONI hierarchiæ in varia membra ratione iuriſdictionis ſubnecti debet fuſior ſubordinationis iſtorum membrorum explicatio, in quibus hierarchicus ordo, & hierarchiæ pulchritudo præſertim conſiſtit. Ad cuius quæſtionis elucidationem ſtatim in limine diſtingui & diſcerni debent ea hierarchicæ diuiſionis membra, quæ diuino iure ſuperiora ſunt, & ea quæ humano tantùm & poſitiuo iure ſuperiorem locum obtinent. Hæc enim non omnia poſſunt circa infimi gradus perſonas, quæ poſſunt medij ordinis viri circa infimas; illa verò quæ diuino iure ſuperiorem locum obtinent, poſſunt omnia circa infimi ordinis viros, quæ medij ordinis prçſtare poſſent.

Patebit iſta regula ex diſcuſſione exactiori eorum omnium, quæ vel hi qui diuino iure, vel illi qui poſitiuo tantùm conſtituti ſunt, in ſibi ſubiectas perſonas, & in ſubditas ipſis, pro commiſſa ſibi auctoritate poſſunt. Ordior ab iis dignitatibus, quæ poſitiuo tantùm iure in Eccleſiam inductæ ſunt, cuiuſmodi ſunt Patriarchalis, Primatialis, & Metropolitica ſeu Archiepiſcopalis. Iis qui dignitatibus iſtis præditi ſunt dico, non licere in vniuerſa ampla Diœceſi, ſeu prouinciarum complexione, vel ſolida prouincia ſibi ſubdita, & circa perſonas ſubiectas Epiſcopis ſubditis ſuis ſeu Suffraganeis exercere, quæ Epiſcopi ipſi exercere poſſunt. Neq. enim illimitatã Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, ſed limitatam tantùm & reſtrictam poteſtatem habent; eam ſcilicer, quæ ipſis à iure vel à conſuetudine tribuitur: quam obſeruationem ante nos fecit, & lege ſuâ confirmauit Nicolaus Papa epiſt. *Radulpho Bituricenſium Archiepiſcopo*, apud Gratianum 9. q. 6. cap. *conqueſtus*, iis verbis, *Primates vel Patriarchas nihil priuilegij habere præ ceteris Epiſcopis, niſi quantum ſacri Canones concedunt, & priſca conſuetudo illis antiquitùs contulit, ac finimus.* Cuius Pontificis auctoritatem aduerſus nouas, vt prætendebat, Primatis Lugdunenſis molitiones vrget fortiter Iuo Carnotenſis Epiſcopus epiſt. 236. *Ioanni Lugdunenſi*, & aduerſus Manaſſæ Archiepiſcopi Rhemenſis commotionem ſeſe contra Sueſſionenſem Epiſcopum grauiùs efferentis, epiſtolâ 83. *Epiſcopis Rhemenſis prouinciæ*, citatum quoque Canonem, & alios intuens Innocentius tertius epiſtolâ decretali *Turonenſi Archiepiſcopo*, capite *Duo ſimul*, *de officio iudicis ordinarij*, tanquam minimè

Google

controuerſum retulit, *quòd ſit in Canonibus definitum, Primates, vel Patriarchas nihil iuris præ cæteris habere, niſi quantum ſacri Canones concedunt, vel priſca illis conſuetudo contulit ab antiquo: ita vt ſecundum Nicænas regulas, priuilegia ſuis ſeruentur Eccleſiis.* Sed de Archiepiſcopis ſeu Metropolitanis accuratiùs iam diſputandum eſt.

ARTICVLVS II.

Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani iuriſdictionem potiùs circa Suffraganeos eſſe, quàm circa ſubditos ipſorum: vbi variè de poteſtate Metropolitanorum in Suffraganeos, & Suffraganeorum circa Metropolitanos.

INSTITVTVM eſt ab Eccleſia vt Archiepiſcopi ſeu Metropolitani iuriſdictio potiùs circa Suffraganeos, quàm circa ſubditos Suffraganeorum ſuorum exerceretur. Ad Metropolitanum ſiquidem tanquam ad caput ſuum omnia, quæ totius prouinciæ bonum ſpectant, Suffraganeos referre debere cautum eſt Canone Apoſtolorum 34. aliàs 35. Aniceti epiſt. 1. Lucij epiſt. 1. Calixti epiſt. 2. poſt principium, Nicæno Canone 61. apud Iulium epiſt. 2. Can. 23. Antiocheni Concilij Can. 9. Martini Bracharenſis Can. 4. Hadriani cap. 23. & 43. eorum Capitulorum, quæ per Angeriamnum Metenſem Epiſcopum ad Gallos tranſmiſit. Item maiores & difficiliores cauſas, quas ipſi ſopire non potuiſſent, eos ad Metropolitanos reiicere cautum eſt decreto Concilij cuiuſdam ſub Bonifacio Moguntino habito, apud Baronium, ad annum 740. num. 6. & Nicolai ad conſulta Bulgarorum cap. 72. Ad eum ordinationes Epiſcoporum omnium ſuæ prouinciæ referebantur, Aniceti ad Epiſcopos Galliæ, Nicæni Concilij I. Can. 4. & 6. Laodiceni Can. 12. Antiocheni Can. 19. Conſtantinopolitani I. Can. 2. Carthaginenſis IV. Can. 1. Taurinatenſis Can. 1. Regienſis Can. 1. Chalcedonenſis Can. 25. & 28. Arelatenſis II. Can. 3. & 6. Tarraconenſis Can. 5. Collectionis Martini Bracharenſis Can. 4. Epaunenſis Conc. Can. 1. Aruernenſis Can. 2. Aurelian. IV. Can. 5. Tullenſis parte 2. Can. 8. Turonici ſecundi Can. 9. Pariſienſis ſecundi ſub Pelagio Can. 8. Toletani ſecundi Can. 20. Vernenſis Can. 17. Vormatienſis Can. 75. Toletani quarti Can. 18. Pictauienſis ſub Paſchali ſecundo Can. 1. Ambroſij de dignitate ſacerdotali cap. 5. & epiſt. 82. Innocentij primi epiſt. ad Victorium Rothomagenſem cap. 1. Leonis Magni epiſt. 8. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Can. 2. & 3. octuageſimâ-nonâ ad Epiſcopos Viennenſis prouinciæ cap. 2. nonageſimâ-ſecundâ ad Ruſticum Narbonenſem cap. 1. Hilarij epiſt. 1. ad Aſcanium, & alios Tarraconenſis prouinciæ cap. 1. Ioannis tertij epiſtolâ vnicâ in medio, Gregorij Magni lib. 6. indict. 15. epiſt. 14. & 29. Nicolai ad conſulta Bulgarorum cap. 73. Leonis tertij epiſt. 3. & 4. Alexandri ſecundi epiſt. 13. Alexandri tertij cap. *Suffraganeis, de electione*, Lucij tertij cap. *ſi Archiepiſcopus, de temporibus ordinationum*, Innocentij tertij cap. *quia ſedem, de officio Ordinarij*, & cap. *in tantum, de ſimonia*, Gregorij noni *de temporibus ordinationum*, capite *ne Epiſcopi*, & aliorum paſſim.

Ab eodem Metropolitano Epiſcopi & Clerici nonnunquam litteras commendatitias extra Diœceſim abituri, maximè verò ſi ad Imperatorem profecturi eſſent, ſumere cogebantur, Antiocheni Can. 2. Carthaginenſis II. Can. 28. Aquiſgranenſis Can. 77. & Capitularium Caroli libri primi cap. 10. Reuerentiam & obedientiam Metropolitano reddere eius Suffraganei cogebantur, Vernenſis ſub Pipino Canone 3. Meldenſis Canone 31. Tullenſis Canone nono, & epiſtolâ ad quoſdam Epiſcopos. Ritus & obſeruantias à Metropolitano præſcriptas ſeruare debebant, Leonis epiſtolæ quartæ capite primo, Epaunenſis Concilij Canone 27. Gerundenſis Can. 1. Bracharen. I. Can. 23. Toletani II. Can. 3. Gregorij VII. lib. 8. Regiſtri epiſt. 10. in principio. Ea propter & Paſcha Suffraganeis ſuis Metropolitani indicebant, Toletani IV. Can. 4. & Bracharenſis II. Can. 9. quorum teſtimonia

illuſtrari poſſunt auctoritate Nazianzeni epiſt. 53. & 54. Helladio, & Caſſiani in collationibus Patrum, itémque Ambroſij epiſt. 83. quâ Epiſcopis per Æmiliam conſtitutis tanquam Metropolitanus Paſcha indicit. Ad ipſum pro variis neceſſitatibus Eccleſiaſticis Epiſcopi recurrebant, vt habetur in Concilio Sueſſionenſi ſub Pipino. Indocti quoque Epiſcopi à Metropolitano edocebantur, Synodi Romanæ ſub Eugenio II. & Leone IV. Can. 4.

Metropolitani Iuris eſt Epiſcopos ad Concilium vocare, & ſi opus eſt, compellere, Apoſt. Can. 31. aliàs 38. Nicænæ I. Can. 5. Antiocheni Can. 20. Chalcedonenſis Can. 19. Arelatenſis II. Can. 18. Agathenſis Can. 35. Tarraconenſis Can. 13. Toletani II. Can. vlt. Toletani IV. Can. 5. Toletani II. Can. 1. & 5. Martini Bracharenſis Can. 1. Aurelianenſis II. Can. 2. Aurelianenſis III. Can. 1. Aurelian. IV. Can. 36. Aurelian. 5. Can. 38. Turonici II. Can. 1. Matiſcon. II. Can. 20. Epaunenſis Can. 1. Vaſionenſis Can. 29. Trullani Can. 8. Nicæni II. Can. 6. Eiuſdem eſt decreta Concilij redigere, Pariſienſis II. in cauſa Saphoraci Epiſcopi Canone vnico. Item Suffraganeos delinquentes in Concilio punire; eſt enim iudex ordinarius Suffraganeorum ſuorum, Clementis epiſt. 1. ſub medium, Anacleti IV. ante finem, Aniceti epiſt. 1. Hygini epiſt. 1. Callixti epiſt. 2. Lucij epiſt. vnica, Iulij I. Can. 23. Antiocheni Concilij Can. 9. & 14. Nicæni 54. apud Iulium epiſt. 2. Can. 27. Carthag. III. Can. 5. Toletani III. Can. 20. Aurelian. V. Can. 17. Matiſcon. II. Can. 9. Lugdun. Can. 1. Toletani VII. Can. 3. IX. cap. 1. XIII. Can. 12. XIV. Can. 8. Martini Bracharenſis Can. 13. & aliorum Conciliorum decretis. Quibus ſuffragantur Baſilius epiſt. 6. & Nazianzenus epiſt. 53. Baſilio, epiſt. Synodica Concilij Epheſini ad Celeſtinum Papam parte 3. Concilij, Gregorius lib. 2. indict. 2. epiſt. 9. lib. 4. epiſt. 56. & lib. 7. indict. 1. epiſt. 12. & indict. 2. eiuſdem lib. epiſt. 119, lib. 6. indict. 15. epiſt. 14. lib. 12. epiſt. 2. & 3. Bonifacius Moguntinus epiſt. 105. Cudberto, Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum cap. 72. & epiſt. ad Albinum relatâ, cap. *quorumdam*, diſtinct. 32. Nicolaus II. epiſt. 31. & ſeqq. vſque ad epiſt. 45. Hincmarus Remenſis paſſim, ſed præſertim Opuſc. 55. capitum, Frodoardus lib. 4. hiſtoriæ Remenſis cap. 1. in fine, Gregorius VII. lib. 1. epiſt. 73. Petrus Damiani lib. 2. epiſt. 3. & Opuſc. 17. de cœlibatu ſacerdotum cap. 2. in fine, Fulbertus Carnotenſis epiſt. 56. & 61. Iuo eiuſdem ciuitatis Epiſcopus epiſt. 244. Petrus Bleſenſis epiſt. 58. Bernardus epiſt. 42. Stephanus Tornacenſis epiſt. 101. Innocentius III. lib. 1. epiſt. 140. Honorius III. cap. *venerabilibus*, *de ſententia excommunicationis*; Innocentius IV. *de officio ordinarij*, cap. 1. §. finali in 6. & alij paſſim.

Ea tamen poteſtas Metropolitanorum in ſuos Suffraganeos valdè reſtricta fuit in Concilio Tridentino ſeſſ. 13. cap. 8. *de reformatione*, & ſeſſ. 24. cap. 2. & 5. decreti pariter de reformatione. Suffraganeo ad officium inepto alium in eius locum ſubrogari Metropolitanus procurabat, Concilij Valentin ſub Lothario Can. 7. in fine; negligentiam in Synodo reprehendebat eodem Can. 7. præſertim ſi circa ſacram doctrinam negligens eſſet, Concilij Toletani II. Can. 2. & Arelatenſis IV. aliàs V. Can. 3. Cautum quoque reperio in Concilio Meldenſi Can. 16. refertúrque 2. q. 3. *nemo Epiſcoporum*, ne quis Epiſcoporum quemquam anathemati ſubiiciat ſine conſcientia Archiepiſcopi, aut Coepiſcoporum: ſcilicet anathematis ſolemnis ritus præſcriptus erat, vt non ab vno, ſed à pluribus duntaxat Epiſcopis pronuntiari poſſet, nec ſine Archiepiſcopi ſententia in prouincia ipſius.

Denique Iudex totius prouinciæ dicitur Metropolitanus 9. quæſt. 3. Can. 1. & 2. & quilibet Epiſcopus Metropolitanâ lege dicitur ei ſubiectus cap. *Paſtoralis*, *de officio ordinarij*.

ARTICVLVS III.

De iis quæ poteſt Metropolitanus circa ſubditos Suffraganei.

§. I.

Per querelam aduerſus Suffraganeum, & appellationem ab eius ſententia, Metropolitanum iudicare de cauſis fidelium totius ſuæ prouinciæ.

HABET etiam in certis caſibus Metropolitanus iuriſdictionem etiam in ſubditos ſuorum Suffraganeorum, 1. cum querela aduerſus ipſum Epiſcopũ intentatur; tunc enim adiri debet Metropolitanus pro quæſtione inter ſubditum Epiſcopi, & Epiſcopum ipſum dirimenda, Sardicenſis Conc. Can. 14. ſeu in Græco 17. Carthag. 6. Can. 6. Africani II Can. 101. & epiſt. ad Bonifacium Latinâ. Aurelian. V. Can. 7. Toletani III. Can. 20. VII. Can. 3. IX. cap. 1. XIII. Can. 12. Synodi VIII. generalis Can. 26. & aliis paſſim. 2. cùm deuoluta eſt ad eum cauſa per appellationem, cui poteſtati Archiepiſcopi ſeu Metropolitani, præter citatos iamiam Canones, qui ſicut querelam aduerſus Epiſcopum ſuum ad Metropolitanum ſubdito deferre permittunt, ita ab illius ſententia ad huius tribunal appellare concedunt, præter citatos, inquam, Canones, noui iuris hæc decreta ex innumeris ſuffragantur, cap. 1. *de officio legati*, cap. *duo*, cap. *Paſtoralis, de officio Ordinarij*, cap. *dilectis*, cap. *cùm cauſam*, cap. *ſollicitudinem, de appellationibus*, cap. *per tuas, de ſententia excommunicationis*, & lib. 6. c. 1. *de foro competenti*, cap. *Romana, de appellationibus*, cap. *vt litigantes, de officio Ordinarij*, cap. *venerabilibus*, *de ſententia excommunicationis.* Neque ſolùm per ſeipſum aut Officialem ſuum iudicare poſſe Metropolitanum de ſententia Suffraganei, verùm etiam ad eam audiendam ac terminandam iudices delegare poſſe decernitur citatis cap. 1. *de officio Ordinarij*, & cap. *vt litigantes*, eodem in 6. Si tamen extra Diœceſim cauſam diiudicandam mandauerit, debet habere licentiam Epiſcopi, vt vel ipſe vel eius delegatus ibi ſedere poſſit pro tribunali, Gloſſâ 1. in cap. *vt litigantes, de officio Ordinarij*, in 6. quas iudiciorum tricas non hîc moror.

§. II.

Per negligentiam vel malitiam Suffraganei, quandonam eius auctoritas ad Metropolitanum deuoluatur.

3. SI negligens Suffraganeus fuerit, Metropolitano ſupplendi eius negligentiam cura atque auctoritas incumbit: ſic enim Nicæna II. Synodus Can. 11. Metropolitani officium eſſe ſtatuit, vt Epiſcopo negligente conſtituere œconomum, ipſe conſtituat: ſic Tolet. VIII. Can. 8 & XI. Can. 2. Suffr[a]ganeis omittentibus populum in diuina lege erudire, Metropolitanum inuigilare debere decernit, *qualiter neſcientia talium diuinæ legis eruditione imbuatur.* ſic in Beneficiis conferendis ſuffraganei negligentiam ſuppleri poſſe ſtatuit Innocentius III. cap. *licet*, & cap. finali, *de ſupplenda negligentia Prælatorum:* & negligente inferiore ius eligendi, ad ſuperiorem deuolui decernit in Concilio generali Lateran. c. 23. vt refertur cap. *pro defectu*, tit. *de electione*, & confirmationem præſentati propter eandem negligentiam inferioris ad ſuperiorem transferri ſcribit ep. 80. lib. 1. & 20. lib. 2. ſic Eccleſiâ Cathedrali vacante, ſi Capitulum in ſpiritalibus & temporalibus negligenter aut perperàm adminiſtret, vt poſſit Archiepiſcopus viſitatorem ſeu adminiſtratorem eidem Eccleſiæ deputare, concedit Bonifacius VIII. cap. fin. *de ſupplenda negligentia Prælatorum*, in 6. Quòd ſi negligentiam inferioris Metropolitanus ſupplet, & malitiam eius notoriam emendat; vnde negligentiam ac malitiã quoad hæc æquiparat Bonifacius citato cap. fin. & Innoc. IV. c. *venerabilibus*, citato, §. *ſane*, quo loco ſubditum Suffraganei pe-

tentem abſolutionem à ſententia excommunicationis manifeſtè iuſta, remittere ad ſuffraganeum excommunicatorem iubetur Metropolitanus, *Niſi excommunicator requiſitus, malitioſè illi abſolutionis beneficium deneget exhibere: Si verò conſtet,* ſubdit Pontifex, *huiuſmodi ſententiam eſſe iniuſtam, nequaquam remittendus eſt ad ſuum excommunicatorem excommunicatus: ſed debet ſine difficultate aliqua mox abſolui. Quòd ſi dubitetur, vtrùm iuſta ſit, vel iniuſta, ſuperior (niſi excommunicatori deferat) relaxare poteſt illam* (loquitur in eo caſu in quo Archiepiſcopus iudex eſt per appellationem, aut quia excommunicatus prætendit ſe iniuſtè excommunicatum, aut iniuſtè ſibi abſolutionem denegatam) *iuxta formam Eccleſiæ, quanquam honeſtiùs & conuenientiùs agat, ſi ei deferat in hoc caſu.* Iſta verò duo, quæ ex hoc capite protulimus, indicant, ſicut ob negligentiam ſuffraganei, multò magis ob eiuſdem malitiam nototiam iuriſdictionem ipſius ad Metropolitanum nonnunquam deuolui: quod & confirmatur in ſimili cauſa ex decreto Alexandri III. cap. *quâ fronte, de appellationibus*, quo Metropolitano permittitur, vt renuente Suffraganeo abſolutionem ab excommunicatione legitimè petenti ſaltem ad cautelam tribuere, ipſe poteſtate ſibi à iure traditâ vtatur, quemadmodum & Innocentius III. Epiſcopo Pariſienſi ſcribens optimè notauit, quòd *ſi notorium exiſteret, quòd mandatum Epiſcopi indiſcretum fuerat vel iniuſtum, cui non tenebatur ſubditus obedire, & per conſequentiam ei liqueat ſubditum illegitimè prouocaſſe, poſſe Archiepiſcopum auctoritate Metropolitanâ declarare ſubditum irrationabiliter extitiſſe anathematis mucrone percuſſum*, cap. *ſollicitudinem, de appellationibus.* ſcilicet penſanda eſt exceptio, quòd ſi mandatum Epiſcopi notoriè iniuſtum ſit & indiſcretum, de eo quantumcumque de appellatione iudicandi via Metropolitano præcludatur, cognoſcere tamen poſſit: non enim ſufficit tunc temporis notam eſſe Epiſcopalis ſententiæ iniuſtitiam, niſi & notoria ſit.

§. III.

Quomodo ad extirpandam inueteratam conſuetudinem in tota prouincia, Metropolitanus iudex euadat.

4. VBI etiam inueterata eſt conſuetudo extirpanda ab aliqua prouincia, ad Archiepiſcopum recurrendum eſt, qui vel Concilij auctoritate, vel ſibi commiſſâ Sedis Apoſtolicæ poteſtate nixus, fideles omnes totius prouinciæ ad prauam abolendam conſuetudinem inducat. Sic videmus Auguſtinum ad Aurelium Carthaginenſem Primatem Africæ recurriſſe, vt commeſſationes & ebrietates, quibus in honorem ſanctorum Martyrum turpiter indulgebatur, ab Eccleſiis Africanis tollerentur: Rationem verò conſilij ſui cur ad Aurelium confugerit, hanc tradit epiſt. 64. ad eum ſcripta his verbis, *Tanta peſtilentia eſt huius mali vt ſanari prorſus quantum mihi videtur, niſi Concilij auctoritate non poſſit, aut ſi ab vna Eccleſia inchoanda eſt medicina ſicut videtur audaciæ, mutare conari quod Carthaginenſis Eccleſia tenet, ſic magnæ impudentiæ eſt velle ſeruare, quæ Carthaginenſis Eccleſia correxit.* Atque hoc ſenſu, ni fallor, intelligendi ſunt plures Canones, quibus ad extirpandos quoſdam in prouinciis inolitos abuſus propter negligentiam Prælatorum ordinariorum, Archiepiſcopis in vniuerſa ſuâ prouincia auctoritas puniendi delinquentes à ſummo Pontifice traditur, cuius conceſſionis exempla hæc ſunt.

Alexander III. cap. *ad extirpandas, filiis Presbyterorum*, mandat, quatenus ſi qui filij Presbyterorum *prouinciæ* ipſius tenerent Eccleſias, quas Patres eorum adminiſtraſſent, illos *ab eiſdem Eccleſiis non differret amouere.* Idem Pontifex cùm in prouincia Cantuarienſi conſuetudo iſta contra Canones inueterata vigeret, vt Clerici beneficia reciperent ſine conſenſu Epiſcopi, vel Officialium ipſius, ac ſententiam excommunicationis aduerſus quoſuis beneficia taliter occupantes Archiepiſcopus pronuntiaſſet, ratam illam habuit, hanc rationem allegans, quòd *ex officio ipſi commiſſo tam iniquam conſuetudinem de prouincia* Archiepiſcopus *ſicut debebat radicitùs extirpare vellet:* ad quod bonum promouendum, &

ad Epiſcoporum vel negligentiam puniendam, vel auctoritatem confirmandam (quæ ratio mox à præcedentibus adiungetur, vel iure communi Archiepiſcopis poteſtas in ſubditos Suffraganeorum extendi in hoc caſu declaratur, vel ſpecialem à ſummo Pontifice poteſtatem accepit, cap. *ex frequentibus*, *de inſtitutionibus*. Quæ etiam ratio Innocentium III. induxit, vt Archiepiſcopo ſimiliter Cantuarienſi mandaret, quatenus *prauam illam conſuetudinem de ſua prouincia ſtuderet abolere, per quam pro Eccleſiarum inueſtitura Archidiaconi marcam argenti, minores vero Decani vaccam ſibi dari poſtulabant, vel certam ſolui pecuniæ quantitatem*. cap. *in tantum*, *de ſimonia*.

§. IV.

Crimen Clerici depoſitione dignum qua ratione Metropolitano olim reſeruatum.

5. VIDETVR etiam Presbyteri crimen depoſitione dignum olim Metropolitano commiſſum ſaltem in Eccleſia Africana, vt iudices Eccleſiaſticos daret, ita tamen vt potuiſſe videatur Epiſcopus eum à regimine Eccleſiæ amouere. Colligo ex Auguſtino epiſt. 226. ad Primatem Numidiæ, cuius officium in Africa idem erat quod Metropolitani in aliis prouinciis, ad hunc verò hæc ſcribit Auguſtinus, ex quibus obſeruatio noſtra, vt opinor, probari poteſt: *Ego certè Presbyterum, qui die ieiunij quo eiuſdem loci etiam Eccleſia ieiunabat, valefaciens ſuo collegæ eiuſdem loci Presbytero, apud famoſam mulierem nullum ſecum Clericum habens, remanere, & prandere, & cœnare auſus eſt, & in vna domo dormire, remouendum ab officio Presbyterij arbitratus ſum, timens ei deinceps Eccleſiam committere. Quod ſi fortè iudicibus Eccleſiaſticis aliud videtur, quia ſex Epiſcopis cauſam Presbyteri terminare concilio ſtatutum eſt, committat illi qui vult Eccleſiam ſuæ curæ commiſſam, ego talibus, fateor, quamlibet plebem committere timeo, præſertim quos nulla bona fama defendit, vt hoc eis poſſit ignoſci, ne ſi quid pernicioſius euenerit, languens imputem mihi.* Hinc Africanum Concilium Can. 138. epiſt. ad Celeſtinum, *Decreta Nicæna*, inquit, *ſiue inferioris gradus Clericos, ſiue ipſos Epiſcopos Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt.* Sed vide ne de appellatione vtrobique ſit ſermo.

§. V.

Quænam ob infirmitatem vel mortem Suffraganei ad Metropolitanum referantur.

6. NONNVNQVAM etiam propter infirmitatem Suffraganei iuriſdictionis exercitium ad Metropolitanum, de conſenſu tamen Epiſcopi, defertur: *Si Epiſcopus*, inquit Concilium Meldenſe Can. 47. *miniſterium Eccleſiaſticum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in Archiepiſcopi eiuſdem Eccleſiæ maneat ordinatione, qualiter debitum officium non remaneat.* Vicinorum aliquando Epiſcoporum opem imploratam fuiſſe ad ea quæ ſunt ordinis exequenda, cùm Epiſcopus infirmitate detentus iaceret, Presbyteris ex eadem Eccleſia ſelectis quæ ſunt iuriſdictionis ſatagentibus, conſtat ex Can. *Pontifices*. 7. quæſt. 1. in quo Eccleſiarum diuerſum fuiſſe morem conſtat.

Verùm antiquam fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam, quod ad Metropolitanam præſertim ſpectet, vt cùm Epiſcopus infirmitate grauatus officio ſuo fungi non poteſt, ipſe Eccleſiæ derelictæ conſulat, oſtendit expoſtulatio Gregorij Nazian. apud Theodorum Tyanenſem qui Anthimo ſucceſſerat, quo cùm pro Epiſcopatu Soſimorum, in cuius ditione eſſet, controuerſiam fuiſſe cum Baſilio Cæſarienſi conſtat ex ipſo Gregorio carmine de vita ſua, apud hunc ergo morbum cauſatus Nazianzenus, ob quem grex ſibi commiſſus indigna pateretur, vt pote qui nec viſitaretur nec paſceretur, & ab Apollinariſtis impetu facto in eum irruentibus in direptionem cederet, horum reprimendorum & curam, & auctoritatem penes illum eſſe aſſerit, & publicè conteſtatur Epiſcopo Eccleſiam indigere.

7. Epiſcopo quoque mortuo adminiſtrationis Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ rationem

Digitized by Google

tentem abſolutionem à ſententia excommunicationis manifeſtè iuſta, remittere ad ſuffraganeum excommunicatorem iubetur Metropolitanus, *Niſi excommunicator requiſitus, malitioſè illi abſolutionis beneficium deneget exhibere: Si verò conſtet,* ſubdit Pontifex, *huiuſmodi ſententiam eſſe iniuſtam, nequaquam remittendus eſt ad ſuum excommunicatorem excommunicatus: ſed debet ſine difficultate aliqua mox abſolui. Quòd ſi dubitetur, vtrùm iuſta ſit, vel iniuſta, ſuperior (niſi excommunicatori deferat) relaxare poteſt illam* (loquitur in eo caſu in quo Archiepiſcopus iudex eſt per appellationem, aut quia excommunicatus prætendit ſe iniuſtè excommunicatum, aut iniuſtè ſibi abſolutionem denegatam) *iuxta formam Eccleſiæ, quanquam honeſtiùs & conuenientiùs agat, ſi ei deferat in hoc caſu.* Iſta verò duo, quæ ex hoc capite protulimus, indicant, ſicut ob negligentiam ſuffraganei, multò magis ob eiuſdem malitiam notoriam iuriſdictionem ipſius ad Metropolitanum nonnunquam deuolui: quod & confirmatur in ſimili cauſa ex decreto Alexandri III. cap. *quâ fronte, de appellationibus*, quo Metropolitano permittitur, vt renuente Suffraganeo abſolutionem ab excommunicatione legitimè petenti ſaltem ad cautelam tribuere, ipſe poteſtate ſibi à iure traditâ vtatur, quemadmodum & Innocentius III. Epiſcopo Pariſienſi ſcribens optimè notauit, quòd *ſi notorium exiſteret, quòd mandatum Epiſcopi indiſcretum fuerat vel iniuſtum, cui non tenebatur ſubditus obedire, & per conſequentiam ei liqueat ſubditum illegitimè prouocaſſe, poſſe Archiepiſcopum auctoritate Metropolitanâ declarare ſubditum irrationabiliter extitiſſe anathematis mucrone percuſſum,* cap. *ſollicitudinem, de appellationibus.* ſcilicet penſanda eſt exceptio, quòd ſi mandatum Epiſcopi notoriè iniuſtum ſit & indiſcretum, de eo quantumcumque de appellatione iudicandi via Metropolitano præcludatur, cognoſcere tamen poſſit: non enim ſufficit tunc temporis notam eſſe Epiſcopalis ſententiæ iniuſtitiam, niſi & notoria ſit.

§. III.

Quomodo ad extirpandam inueteratam conſuetudinem in tota prouincia, Metropolitanus iudex euadat.

4. VBI etiam inueterata eſt conſuetudo extirpanda ab aliqua prouincia, ad Archiepiſcopum recurrendum eſt, qui vel Concilij auctoritate, vel ſibi commiſſâ Sedis Apoſtolicæ poteſtate nixus, fideles omnes totius prouinciæ ad prauam abolendam conſuetudinem inducat. Sic videmus Auguſtinum ad Aurelium Carthaginenſem Primatem Africæ recurriſſe, vt commeſſationes & ebrietates, quibus in honorem ſanctorum Martyrum turpiter indulgebatur, ab Eccleſiis Africanis tollerentur: Rationem verò conſilij ſui cur ad Aurelium confugerit, hanc tradit epiſt. 64. ad eum ſcripta his verbis, *Tanta peſtilentia eſt huius mali vt ſanari prorſus quantum mihi videtur, niſi Concilij auctoritate non poſſit, aut ſi ab vna Eccleſia inchoanda eſt medicina ſicut videtur audaciæ, mutare conari quod Carthaginenſis Eccleſia tenet, ſic magnæ impudentiæ eſt velle ſeruare, quæ Carthaginenſis Eccleſia correxit.* Atque hoc ſenſu, ni fallor, intelligendi ſunt plures Canones, quibus ad extirpandos quoſdam in prouinciis inolitos abuſus propter negligentiam Prælatorum ordinariorum, Archiepiſcopis in vniuerſa ſuâ prouincia auctoritas puniendi delinquentes à ſummo Pontifice traditur, cuius conceſſionis exempla hæc ſunt.

Alexander III. cap. *ad extirpandas, filiis Presbyterorum*, mandat, quatenus ſi qui filij Presbyterorum *prouinciæ* ipſius tenerent Eccleſias, quas Patres eorum adminiſtraſſent, illos *ab eiſdem Eccleſiis non differret amouere.* Idem Pontifex cùm in prouincia Cantuarienſi conſuetudo iſta contra Canones inueterata vigeret, vt Clerici beneficia reciperent ſine conſenſu Epiſcopi, vel Officialium ipſius, ac ſententiam excommunicationis aduerſus quoſuis beneficia taliter occupantes Archiepiſcopus pronuntiaſſet, ratam illam habuit, hanc rationem allegans, quòd *ex officio ipſi commiſſo tam iniquam conſuetudinem de prouincia* Archiepiſcopus *ſicut debebat radicitùs extirpare vellet:* ad quod bonum promouendum, &

ad Epiſcoporum vel negligentiam puniendam, vel auctoritatem confirmandam (quæ ratio mox à præcedentibus adiungetur, vel iure communi Archiepiſcopis poteſtas in ſubditos Suffraganeorum extendi in hoc caſu declaratur, vel ſpecialem à ſummo Pontifice poteſtatem accepit, cap. *ex frequentibus, de inſtitutionibus.* Quæ etiam ratio Innocentium III. induxit, vt Archiepiſcopo ſimiliter Cantuarienſi mandaret, quatenus *prauam illam conſuetudinem de ſua prouincia ſtuderet abolere, per quam pro Eccleſiarum inueſtitura Archidiaconi marcam argenti, minores vero Decani vaccam ſibi dari poſtulabant, vel certam ſolui pecuniæ quantitatem.* cap. *in tantum, de ſimonia.*

§. IV.

Crimen Clerici depoſitione dignum qua ratione Metropolitano olim reſeruatum.

5. VIDETVR etiam Presbyteri crimen depoſitione dignum olim Metropolitano commiſſum ſaltem in Eccleſia Africana, vt iudices Eccleſiaſticos daret, ita tamen vt potuiſſe videatur Epiſcopus eum à regimine Eccleſiæ amouere. Colligo ex Auguſtino epiſt. 226. ad Primatem Numidiæ, cuius officium in Africa idem erat quod Metropolitani in aliis prouinciis, ad hunc verò hæc ſcribit Auguſtinus, ex quibus obſeruatio noſtra, vt opinor, probari poteſt: *Ego certè Presbyterum, qui die ieiunij quo eiuſdem loci etiam Eccleſia ieiunabat, valefaciens ſuo collegæ eiuſdem loci Presbytero, apud famoſam mulierem nullum ſecum Clericum habens, remanere, & prandere, & cœnare auſus eſt, & in vna domo dormire, remouendum ab officio Presbyterij arbitratus ſum, timens ei deinceps Eccleſiam committere. Quod ſi fortè iudicibus Eccleſiaſticis aliud videtur, quia ſex Epiſcopis cauſam Presbyteri terminare concilio ſtatutum eſt, committat illi qui vult Eccleſiam ſuæ curæ commiſſam, ego talibus, fateor, quamlibet plebem committere timeo, præſertim quos nulla bona fama defendit, vt hoc eis poſſit ignoſci, ne ſi quid perniciosius euenerit, languens imputem mihi.* hinc Africanum Concilium Can. 138. epiſt. ad Celeſtinum, *Decreta Nicæna*, inquit, *ſiue inferioris gradus Clericos, ſiue ipſos Epiſcopos Metropolitanis apertiſſimè commiſerunt.* Sed vide ne de appellatione vtrobique ſit ſermo.

§. V.

Quænam ob infirmitatem vel mortem Suffraganei ad Metropolitanum referantur.

6. NONNVNQVAM etiam propter infirmitatem Suffraganei iuriſdictionis exercitium ad Metropolitanum, de conſenſu tamen Epiſcopi, defertur: *Si Epiſcopus*, inquit Concilium Meldenſe Can. 47. *miniſterium Eccleſiaſticum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in Archiepiſcopi eiuſdem Eccleſiæ maneat ordinatione, qualiter debitum officium non remaneat.* Vicinorum aliquando Epiſcoporum opem imploratam fuiſſe ad ea quæ ſunt ordinis exequenda, cùm Epiſcopus infirmitate detentus iaceret, Presbyteris ex eadem Eccleſia ſelectis quæ ſunt iuriſdictionis ſatagentibus, conſtat ex Can. *Pontifices.* 7. quæſt. 1. in quo Eccleſiarum diuerſum fuiſſe morem conſtat.

Verùm antiquam fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam, quod ad Metropolitanam præſertim ſpectet, vt cùm Epiſcopus infirmitate grauatus officio ſuo fungi non poteſt, ipſe Eccleſiæ derelictæ conſulat, oſtendit expoſtulatio Gregorij Nazian. apud Theodorum Tyanenſem qui Anthimo ſucceſſerat, quo cùm pro Epiſcopatu Soſimorum, in cuius ditione eſſet, controuerſiam fuiſſe cum Baſilio Cæſarienſi conſtat ex ipſo Gregorio carmine de vita ſua, apud hunc ergo morbum cauſatus Nazianzenus, ob quem grex ſibi commiſſus indigna pateretur, vt pote qui nec viſitaretur nec paſceretur, & ab Apollinariſtis impetu facto in eum irruentibus in direptionem cederet, horum reprimendorum & curam, & auctoritatem penes illum eſſe aſſerit, & publicè conteſtatur Epiſcopo Eccleſiam indigere.

7. Epiſcopo quoque mortuo adminiſtrationis Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ rationem

Digitized by Google

Sede vacante coram Metropolitano reddi ſolitam fuiſſe oſtendunt Regenſe Concilium Can. 5. & 6. Valentinum Hiſpaniæ Can. 2. & 3. Toletanum IX. Can. 9. Trullanum Can. 35. Troſleianum Can. 4. alia quoque præſtat pro indemnitate rerum Eccleſiæ, & electione futuri ſucceſſoris, quorum aliqua diſces ex Gregorio VII. lib. 7. poſt Epiſtolam 11. Hincmaro Remenſi epiſt. ad Carolum Caluum, cap. fin. *de ſupplenda negligentia Prælatorum*, in 6. Concilio Trident. ſeſſ. 24. cap. 18. & aliis.

§. VI.

De quibus Metropolitanus inter viſitandum cognoſcat, & quæ concedere vel agere poſſit, aliáque de iure viſitandi ipſi attributo.

8. ARCHIEPISCOPO in decurſu viſitationis nonnulla etiam in ſubditos Suffraganeorum ſuorum iuriſdictio attribuitur: ſic Eccleſiarum neceſſitatibus vrgentibus, Iuo Carnotenſis Epiſcopus epiſt. 182. Daimbertum Archiepiſcopum ſuum Senonenſem orat, vt Eccleſiam Carnotenſem viſitaret, quò de exceſſibus quorumdam Clericorum pleniùs inſtrueretur, eóſque corrigere poſſet: ſic Senonenſis Archiepiſcopus, *Cùm ex officij ſui debito Senonenſem prouinciam viſitaret*, vt loquitur Innocentius III. cap. *cum ex officij*, *de præſcriptionibus*. *in Diœceſi Pariſienſi aliquos procurationem ei ſoluere recuſantes excommunicauit*: quam ſententiam ſummus Pontifex confirmauit, *procurationem debitam* aſſerens, *quia qui ſpiritalia ſeminat, non eſt magnum ſi carnalia metat.* Sic Gregorius IX. confirmaturum ſe dixit excommunicationis ſententiam quam in eos ferret Beneuentanus Archiepiſcopus, qui ipſi viſitanti prouinciam ſuam procurationem ratione viſitationis debitam perſoluere nollent, cap. *cùm nuper*, *de cenſibus*. Sic Innocentius IV. formam viſitationis prouinciæ ab Archiepiſcopo faciendæ præſcribens cap. 1. *de cenſibus*, in 6. eum vult *non ſolùm erga maiorum, ſed etiam minorum Eccleſiarum, nec erga Clericorum tantùm, ſed etiam populorum viſitationem intentum eſſe, & ſi commode, & abſque difficultate accedere ad vnamquamque non poterit, de pluribus locis ad vnum congruum, Clericos & laicos conuocare*, ne in illis viſitatio *poſtponatur*, ipſi liceat; ſicque *per totam prouinciam vel eius partem viſitationis officium exercere*, eâ tamen conditione, *vt ex quo aliquam de ipſis Diœceſibus viſitare cœperit, non reuertatur causâ viſitationis ad illam, priuſquam omnes reliquæ ipſius prouinciæ Diœceſes, in toto vel in parte* (quas ſecurè viſitare poteſt) & *ſua denuò fuerint viſitatæ.* Exceptionem aliquam addit, niſi aliqua Diœceſis vel Eccleſia plus cæteris viſitatione indigeat, rogatu Diœceſani loci, vel conſilio & aſſenſu omnium vel maioris partis Epiſcoporum prouinciæ, aut iis ambitiosè renuentibus, habitâ à Sede Apoſtolica licentiâ. Tum decernit, vt poſtquam omnes prouinciæ ſuæ Diœceſes viſitauerit, poſſit viſitationem per eandem prouinciam iterare, *Priùs tamen Suffraganeorum ſuorum requiſito conſilio, etiam non ſecuto aſſenſu, & ipſius definitione ſuper hoc habitâ coram eis, quæ in ſcriptis redigatur.* Quæ ſit autem ipſius viſitantis Metropolitani iuriſdictio, oſtendit iis verbis, *Sane huiuſmodi impenſurus officium, propoſito verbo Dei, quærat de vita & moribus miniſtrantium Eccleſiis, & aliis locis piis, ac cæteris, quæ ad officium ipſum ſpectant, abſque coactione & exactione qualibet iuramenti, ad ipſorum emendationem per ſalubria monita, nunc leuia, nunc aſpera, iuxta datam ſibi à Deo prudentiam diligenter intendens. Quòd ſi de aliquibus orta fuerit infamia contra eos, ordinariis ipſorum, vt ſuper his ſolemniter inquirant, denuntiet, ſi viderit expedire. Notoria vero crimina, quæ examinibus non egeant, cùm ſuper his meritò notari poſſit negligentia eorumdem, libere corrigat, pœnam pro illis infligendo.* Quibus verbis circa crimina minimè notoria etiam denuntiata Metropolitani poteſtas reſtringitur, vt ſolâ monitione & increpatione vti poſſit: quæ etiam monendi ſubditos Suffraganeorum ſuorum, non autem citandi auctoritas Metropolitano tribuitur ab eodem Innocentio IV. ſi quæſtoribus fabricæ Metropolitanæ Eccleſiæ reſiſtere eos contigerit, cap. 1. *de pœnitentiis & remiſſionibus*, in 6. circa crimina verò notoria plena poteſtas & iuriſdictio coercitiua conceditur, quia in iis negligens fuiſſe Epiſcopus ſupponitur.

Cùm autem audis in criminibus notoriis Archiepiſcopum pœnam infligere

poſſe quis dubitet, illius eſſe iudicare de notorietate criminis, cùm ſit iudicis cognoſcere, an ſua ſit iuriſdictio. hæc de iuriſdictione fori contentioſi inter viſitandum: de voluntaria verò iuriſdictione eiuſdem hoc addo.

Primum, Indulgentias Metropolitano in prouincia ſua concedendi poteſtatem tribui ab eodem Innocentio IV. citato capite, dummodo non excedat ſtatutum Concilij generalis Lateranenſis cap. 62. quod refertur eodem titulo Decretalium Gregorij cap. *cùm ex eo*, ſed expreſſiùs ab Honorio III. cap. *noſtro*, *de pœnitentiis & remiſſionibus*, iis verbis, *Noſtro poſtulaſti certificari reſponſo, vtrùm per tuam prouinciam poſſis concedere remiſsionis literas generales. Nos igitur tuæ fraternitati breuiter reſpondemus quòd per prouinciam tuam libere potes huiuſmodi concedere litteras, ita tamen quod ſtatutum generalis Concilij non excedat.* Alterum, *poſſe etiam eundem Archiepiſcopum, dum viſitat, confeſsiones ſubditorum Suffraganeorum audire, ac abſoluere confitentes, & ipſis pœnitentias iniungere ſalutares*, vt expreſsè declarauit Bonifacius VIII. cap. finali *de cenſibus*, in 6.

Eſt etiam obſeruandum, cùm audis nonniſi notoria crimina Archiepiſcopo viſitanti punienda demandari, quòd in iis Suffraganeus negligens ſupponatur, non tamen inferre licere, nonniſi exiſtente negligentiâ Epiſcoporum Suffraganeorum viſitandi poteſtatem Archiepiſcopo fieri: nam non ita intelligendam eſſe prædicti Innocentij quarti conſtitutionem declarauit Bonifacius VIII. cap. finali citato *de cenſibus*, ſtatuens, *Archiepiſcopum poſſe ſecundum conſtitutionem fœlicis recordationis Innocentij IV. prædeceſſoris ſui ſuper hoc editam, ſuam prouinciam viſitare liberè, licet non ſint eius Suffraganei negligentes, & iterare viſitationem eandem ac procurationes à laicis recipere vſitatas conſuetudine, ſi quæ forſitan ab ipſis Suffraganeis vel ab aliis allegetur præmiſsis contraria, non obſtante.* Quæ conſtitutio contraria videtur ei quod notauit Gloſſa, verbo *Metropolitanus*, Canones nimirum citatos, putà Canonem *cùm ex officij*, *de præſcriptionibus*, & Can. *ſopitæ*, *de cenſibus*, qui poteſtatem faciunt Archiepiſcopo viſitandi ſuam prouinciam, intelligi in eo caſu, quando per negligentiam deuoluitur ius ad Metropolitanum, vel etiam per appellationem. Mouebatur autem Gloſſa auctoritate Canonis, quem interpretabatur qui ſtatuerat, vt *nullus Primas, nullus Metropolitanus, nullúſque reliquorum Epiſcoporum alterius adeat ciuitatem, aut ad poſſeſsionem accedat, quæ ad eum non pertinet, & alterius eſt parochiæ, niſi vocatus ab eo cuius iuris eſſe dignoſcitur, aut quidquam ibi diſponat vel ordinet, ſi ſui gradus honore potiri voluerit.* Moueri etiam poterat auctoritate VIII. Synodi ſub Hadriano II. actione 10. Can. 19. in editione Anaſtaſij Bibliothecarij, quo Canone ſuggillatur auaritia Metropolitanorum, qui ſub obtentu viſitationis proficiſcebantur ad Eccleſias Suffraganeorum ſuorum, & indebitas procurationes exigebant. Vniuerſim ſiquidem definit hæc Synodus, *Nullum Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum relinquere propriam Eccleſiam, & ſub occaſione quaſi viſitationis ad alias accedere, & poteſtate propria in inferiores abuti, & conſumere reditus, qui apud illos inueniuntur, ad Eccleſiaſticam diſpoſitionem & alimenta pauperum; & exceptâ hoſpitalitate quæ ex neceſſario tranſitu acceſſerit, iterum nihil aut exigere aut recipere ex iis quæ ſunt Eccleſiæ vel Suffraganei.* Nam videtur eâ definitione VIII. Synodus generalis ius viſitationis faciendæ, aut procurationis prætextu viſitationis exigendæ Metropolitanis omnino denegaſſe; & ſanè vtriuſque iuris iſtius in Metropolitanis prioris æui rara exempla ſunt, ſed ſi quando ad viſitationem prouinciæ eos acceſſiſſe legimus, vel à Suffraganeis illos inuitatos, vel à ſcandalo aliquo aut malo publico excitos, vel negligentiâ aut impotentiâ ſeu infirmitate Suffraganei inductos accurriſſe diſcimus. Vnde cùm Baſilius Piſidiam vſque perueniſſet, & vnà cum eiuſdem gentis Epiſcopis qui ſunt per Iſauriam, res Eccleſiæ ordinatas conſtitueret; cùm reuerſus eſſet Pontum, quòd Daſimonem turbaret Euſtatius, multos ad defectionem Catholicæ communionis ſollicitans; cùm inde Cæſaream vſque percurriſſet, ambitionis notam à quibuſdam ipſi inuſtæ non effugit, vt teſtatur epiſt. 172. iis verbis, ἡμεῖς δὲ ὠνομαζόμεθα ἐπιθυμίᾳ τῶν παρ' αὐτοῖς ἐπαίνων, καὶ ἄκλητοι εἰσωθίζεσθαι, *nos vero dicebamur laudem ambitioſe captantes, & famam ab iis inuocatos rebus ipſorum noſmetipſos ingeſſiſſe.* Eiuſdem autem, vt remedium aduerſus varias hæreſes Euſtathij, Marcelli, Apollinaris de nouo exur-

gentes proferret, varias excurſiones in plures ſuæ Metropoleos, ſeu potiùs ἐξαρχίας ciuitates, leges variis ipſius ad diuerſos datis epiſtolis, verbi gratiâ epiſt. 62. 187. 261. & 364. Nondum ſcilicet iudiciariæ formulæ in Eccleſiaſtico foro ita vigebant, vt æquitati præualerent: Eccleſiæ vtilitas ſumma lex erat. Ideóque Gratianus 9. quæſt. 3. vbi aliquos Canones protulit, quibus Metropolitæ in Suffraganeorum ſuorum præiudicium iuriſdictionem eorum ad ſe trahere vetabantur, in fine iſtius quæſtionis ſubiungit. *Sed aliud eſt quod ex temeritate aſſumitur præſumptionis, aliud quod ex neceſſitate geritur charitatis, cùm Suffraganei Archiepiſcoporum ſubditis ſuis ad malum fauere cœperint, atque circa eorum correctiones negligentes extiterint, tunc licet Metropolitanis præter illorum voluntatem, & ligandos damnare, & reconciliandos abſoluere: cùm verò Epiſcopi zelo diuinæ charitatis accenſi, bonos & verbo & exemplo ædificant, & malorum vitia asperâ increpatione redarguunt, abſque talium conſilio non licet Metropolitanis in eorum parochia aliquid agere vel diſponere. Vnde in fine Capituli Martini Papæ* (Martinum Papam pro Martino Bracharenſi nominat) *non ſimpliciter dictum eſt (nihil agat) ſed cum determinatione (nihil præſumptiuè aſſumat abſque eorum conſilio) vt vitium præſumptionis videatur improbatum, non officium charitatis: ſic & Apoſtolus, quia Corinthios vidit negligentes circa correctionem fornicatoris, ſuâ auctoritate illum damnauit. Ioannes verò, quia Epiſcopum Epheſiorum vidit paratum ad corrigenda vitia ſubditorum, ſine eius auctoritate illos corrigere noluit: ſed illum tantùm de eorum correctione admonuit.*

Solemnes tamen & ſtatas viſitationes cuiuſcumque prouinciæ fieri ſolitas tempore quo Concilium Africæ haberetur, túncque aliquos ſelectos Epiſcopos prouinciæ, & Primatem Africæ honoris atque obſequij gratiâ inuitari conſueuiſſe diſces ex Can. 19. Concilij Africani ſub Celeſtino & Bonifacio, qui habetur 52. in Codice Græcorum Canonum Eccleſiæ Africanæ, tom. 1. Conciliorum Binij, 56. apud Balſamonem, 57. apud Zonaram. Quin etiam Nicolaus I. epiſt. *Radulpho Bituricenſi Archiepiſcopo*, ſolùm Epiſcoporum conſenſum vel prouocationem ad Metropolitanum videtur cauſas legitimas ſtatuiſſe, ob quas cauſæ ſubditorum Suffraganeorum à Metropolitano iudicari poſſint: & fusè Iuo Carnotenſis epiſt. 83. *Epiſcopis Remenſis prouinciæ*, & 85. *Manaſſæ Remenſi Epiſcopo* contendit inuitis Epiſcopis prouinciæ Metropolitanum in Eccleſiis comprouincialium nihil poſſe.

Probabile eſt igitur non fuiſſe ſolitos Metropolitanos integræ alicuius Diœceſis Suffraganei ſui, niſi ob valdè grauem cauſam viſitationem aggredi; ſed duntaxat ad impendentia mala accurriſſe auxiliatrices manus porrecturos: poſteà verò, vt ordinariæ negligentiæ Suffraganeorum mederetur Eccleſia, nec tamen illos negligentiæ notaret, Metropolitanis integram viſitationem illam permiſiſſe, ita tamen temperatâ eorum auctoritate, vt & vtilis eſſe poſſet, & tamen Suffraganeorum Epiſcoporum auctoritati minimè præiudicaret, ſed eam corroboraret potiùs quàm infirmaret. Concilium Tridentinum eandem Metropolitanorum facultatem viſitandi Eccleſias ſuorum Suffraganeorum reſtrinxit ſeſſ. 27. *de reformatione*, ſtatuens, vt non poſſint illi prouincias ſuas viſitare, niſi cauſâ cognitâ & probatâ in Concilio Prouinciali.

§. VII.

Quid ſpecialiter in Monachos & Moniales poſſint Metropolitani.

9. MONASTERIORVM preſertim in Diœceſi Suffraganei viſitatio legitur olim Metropolitano demandata, quia & plurima erant ab Epiſcopi poteſtate exempta, quæ eius auctoritati ſuberant, & vbi inter Epiſcopum & Monaſterium etiam non exemptum orirentur controuerſiæ, propter appellationem aut querelam aduerſus Suffraganeum intentatam, res tota ad Metropolitam deferri ſolebat. Exempla viſitationis Monaſteriorum extra propriam Diœceſim in ſua prouincia à Metropolitano factæ, & procurationum eo titulo exactarum habemus cap. *ſopitæ, de cenſibus.* quo Lucius tertius Rauennati Archiepiſcopo ſcribens procurationes ipſi viſitanti aduerſus Monaſteria Bononienſia decernit, cum

Digitized by Google

per teſtes idoneos probaſſet procurationes iſtas ab aliis Monaſteriis ſuæ prouinciæ prædeceſſoribus ſuis ſine contradictione fuiſſe perſolutas; & cap. penult. *de arbitris*, quo Abbatiſſæ Iotrenſi ſcribens, ſtatuit vt cùm quæſtio olim ſuborta eſſet, inter Archiepiſcopum Senonenſem ex vna parte, & Monaſterium Iotrenſe ex alia, *Super eo quòd idem Archiepiſcopus aſſerebat, Monaſterium iſtud Metropolitico iure ſibi ſubeſſe*, procurationéſque ab eo pro viſitatione exigebat; cùm compromiſſum fuiſſet in Robertum ſancti Angeli Diaconum Cardinalem Sedis Apoſtolicæ Legatum, vt eius arbitrio, aut aliorum duorum ab eo deputatorum ſtaretur; ſtatuit, inquam, rata eſſe, & valida quæcunque ab iſtis mediatoribus iudicata erant, eáque auctoritate Apoſtolicâ confirmauit.

Denique Stephanus Tornacenſis epiſt. 77. ſub perſona Abbatis ſancti Bartholomæi Nouiomenſis ſcribens, apud Papam (Alexandrum III.) preces fundit pro Eccleſia Canonicorum Regularium ſancti Eurtij Aurelianenſis, & tribus aliis Abbatiis Clericorum, ſcilicet ſancti Petri virorum, ſancti Petri puellarum, & ſancti Auiti in eadem vrbe ſitis, vt à procurationibus, quas exigebat contra morem Archiepiſcopus Senonenſis, immunes declararentur: epiſt. verò 88. Archiepiſcopo Senonenſi, ipſum rogat, vt viſitationem Monaſterij de ſancto Cyrico (quod Diœceſis eſt Carnotenſis) ſi opus ſit, Epiſcopo Pariſienſi committat: quæ epiſtola oſtendit Metropolitanum non ſolùm per ſeipſum Monaſteria viſitaſſe, verùm etiam cùm expedire putaret, eorumdem viſitationem alicui ex Suffraganeis ſuis commiſiſſe. Vide mox citandam Concilij III. Sueſſionenſis Can. 3. ſanctionem, quam hanc etiam Metropolitani circa Monachos & Monachas ſingularem auctoritatem confirmat.

§. VIII.

Inuitati Metropolitani à Suffraganeis ad conſulendum & adiuuandum, in rebus præſertim arduis & momentoſis.

10. CASVS iſque ſæculis iſtis frequentior, quibus, nondum iure formulario vexatâ iuſtitiâ, plus æquitati indulgebatur quàm apicibus iuris: caſus, inquam, frequens, quo Metropolitani de ſubditis Suffraganeorum iudicabant, erat cum requirentibus aut conſentientibus Epiſcopis ipſis ad auctoritatem ipſorum confirmandam, legibúſque & ſententiis ab ipſis ſtatutis aut ſtatuendis vires addendas, & firmitatem adiungendam, Metropolitani aduocabantur, qui ſubditos Suffraganeorum in officio compeſcerent, & collapſam diſciplinam cui ipſi pares eſſe non poſſent, reſtituerent: cùm enim, vt legimus apud Tacitum, *Maieſtatis maior è longinquo reuerentia* eſſe ſoleat, & facilè plebi eorum dignitas vileſcat, quibus familiariter aſſueſcit: ſolebant Epiſcopi, vbi difficultas aliqua maior ſuperanda occurreret, Archiepiſcopos euocare, qui plebis reſiſtentiam frangerent, & grandioribus malis mederentur. Ideò enim conſtitutos Archiepiſcopos ſuper Epiſcopos in ciuitatibus primariis ordinatos teſtatur Concilium Sueſſ. ſub Childerico III. Can. 3. *Vt ad iudicia eorum de neceſſitate omni Eccleſiaſtica recurrant tam Epiſcopi, quàm alius populus; vt ordo Monachorum vel ancillarum Dei ſecundum regulam ſanctam ſtabilis permaneat.* Dicuntur ibi Metropolitani conſtituti, vt plura circa Monachos & Clericos decreta obſeruarentur, quia ſcilicet ipſorum erat inuigilare, vt quæ vnanimi conſenſu decreta eſſent, ab omnibus ſeruarentur, vrgendo ſcilicet Epiſcopos vt ea executioni demandare curarent; conſilio & auctoritate ipſos iuuando, ne fruſtrà executionem ſatagerent. Ideò enim Aſcanium Tarraconenſem Archiepiſcopum Hilarius Papa his verbis compellat epiſt. 3. in fine, *Tuæ ſollicitudinis eſt, frater chariſſime, omnia debita tibi auctoritate tueri, & illicitis non modò non præbere aſſenſum, ſed etiam cuncta quæ contra regulam facta repereris coercere.*

Eandem quam Concilium Sueſſionenſe rationem adducit conſtituendi Metropolitani profert Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum cap. 72. *Nam interim Epiſcopum habetote, & cùm incremento diuinæ gratiæ Chriſtianitas ibi fuerit dilatata, & Epiſcopi per ſingulas Eccleſias ordinati, tunc eligendus eſt inter eos vnus, qui ſi non Pa-*

triarcha, certè Archiepiſcopus appellandus ſit, ad quem omnes concurrant; & cuius conſilium in cauſis maioribus præſtolentur. Neque hæc de nouo aut à Nicolao I. aut à Concilio Sueſſionenſi, ſed ex antiqua Eccleſiæ traditione conſtitutum, cuius teſtis Leo I. epiſt. 59. *Theodoro Foroliuienſi*, quem iis verbis ſui officij admonet; *Sollicitudinis quidem tuæ is ordo eſſe debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitùs de eo quod quærendum videbatur eſſe conferres, ac ſi id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipſe neſciret, inſtrui vos pariter poſceretis, quia in cauſis, quæ ad generalem obſeruantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, nihil ſine Primatibus oportet inquiri.* Teſtis etiam Leone antiquior Antioch. Synodus Can. 9. quæ Metropolitanum ait, τ̄ φροντίδα ἀναδέχεϑ πάσης ἐπαρχίας, διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας, *Curam ſuſcipere totius prouinciæ, eo quòd in Metropolim vndequaque concurrant omnes, qui habent negotia.* Ideò eodem Canone præcipitur, vt honore cæteros Epiſcopos Metropolitanus præcedat, vt nihil Epiſcopus magni momenti ſine ipſo aggrediatur, quæ ad communem adminiſtrationem ſpectant: nam quæ propria ſunt ſuæ parochiæ, & ordinaria negotia, putà ordinationes Clericorum, & Eccleſiaſtica iudicia, ea in Epiſcopi libera poteſtate eſſe definiuit. Magni igitur momenti negotia, ardua & difficilia, vel quæ ad communem Eccleſiæ totius, ac prouinciæ vtilitatem vel pacem pertinebant, ea Epiſcopum agere, vel ſine Metropolitano aggredi Canones prohibebant: in iis adiutorem Metropolitanum Epiſcopo eſſe oportebat, etiamſi cognitio cauſæ ad Epiſcopum comprouincialem pertineret, verbi gratiâ cùm ageretur de depoſitione Abbatis, qui iudicio Epiſcopi reniteretur, cenſuit Epaunenſe Concilium rem ſatis magni momenti eſſe, vt Metropolitani auxilium imploretur, Can. 19. *Abbas, ſi in culpa reperiatur, aut fraude, aut innocentem ſe aſſerens ab Epiſcopo ſuo accipere noluerit ſucceſſorem, ad Metropolitani iudicium reducatur.* In cauſa quoque Abbatiſſæ, quæ ſine iudicio Epiſcopi è Monaſterio ſuo deiecta fuerit, Alexander II. iudicium totum rei ad Epiſcopum referri iuſſit, ſed Metropolitanum Epiſcopo adiutorem accedere voluit epiſt. 12. *Geruaſio Remenſi*, quæ refertur tom. 3. Bibliothecæ Patrum, *Admonuimus*, inquit, *confratrem noſtrum Elinandum Laudunenſem Epiſcopum, vt hanc cauſam diligenter diſcutiat, atque canonicè definiat. Ita tamen vt eadem Abbatiſſa, priuſquam diſcuſſio fiat, regimini ſuo ſicut Canones præcipiunt reſtituatur. Inuitamus igitur fraternitatem tuam, vt manum adiutorij tui ad hæc exequenda ſibi tribuas, & vt hoc negotium iuxta tenorem literarum noſtrarum, quas ſibi miſimus, determinetur, te adiutorem & cooperatorem adhibeas.* Aduerſus quoque inuaſores bonorum Eccleſiæ Iuo Carnotenſis Epiſcopus, Senonenſis Metropolitani opem implorauit variis epiſtolis Daimberto Archiepiſcopo Senonenſi miſſis, quarum vnâ quæ eſt 76. precatur, vt quam auctoritate Apoſtolicâ excommunicauerat Adoliciam Putacenſem dominam, & Hugonem filium eius, ipſe quoque excommunicaret, aut malè inuaſa reſtitui faceret, Aruernenſis Concilij decretum ad id proferens, quo iuſſum fuerat, vt pro iniuriis excommunicatum ab vno Epiſcopo, vicini Epiſcopi excommunicarent. Alterâ, quæ eſt 111. idipſum inſtantiùs efflagitat, colloquium ſe ipſius ardenter expetiiſſe præfatus; *Quod ergo*, inquit, *certâ ratione tunc diſtulimus, nunc præſentibus literis flexis genibus cordis poſtulamus, vt eum à nobis excommunicatum excommunicetis, & diuinum officium Meranuillæ & eius adiacentibus interdicatis, & Aurelianenſi Epiſcopo, vt idem faciat apud Puteacum præcipiatis.* In eodem negotio & ſummi Pontificis adhibitam auctoritatem, & literas ab eo ad Metropolitanum directas, quibus omnes comprouinciales excitarentur, ad inſurgendum in eos qui Eccleſiæ bona inuaderent, conſtat ex epiſtola ſequenti Fulconi Pariſienſis Eccleſiæ Decano. Quin etiam vbi reſipiſcentiam dicti Hugonis Puteacenſis eidem Daimberto Archiepiſcopo ſuo narrauit, eidem congratulaturus hæc ſcribit epiſt. 124. *Vnde gratias referimus, quantas poſſumus, veſtræ paternitati, quæ manum nobis in hac neceſſitate porrexit, & quâ debuit miſeratione condoluit. Rogamus etiam vt noſtri cauſâ de cætero non teneatis eum interdictum vel excommunicatum, neque ſuos, quandiu in ſponſione ſua perſeuerauerit, & prædictas exactiones non acceperit.* Idem ep. 125. *Gratias*, inquit, *referimus tuæ excellentiæ, quòd paternâ diligentiâ ſuper nos vigiletis.* Epiſt. 132. ſcribit de violato Monaſterio Carnotenſi à familia Comitiſſæ, in qua cauſa, ipſius & Eccleſiæ ſuæ conſilium expe-

ut,

tit, Epiſt. 134. ait ſe diſtuliſſe anathema in Guillelmum Comitiſſæ filium & alios complices fundere, donec paternitatis ipſius & comprouincialium ſententiam accepiſſet, *vt conſilio & auxilio multorum fretus, debitâ eos cenſurâ à funeſta conſpiratione reuocaret.* Epiſt. 162. in controuerſia quadam pro Eccleſiaſticorum bonorum conſeruatione, quam literis Apoſtolicis Metropolitano prẹſertim demandatam fuiſſe ait vt terminaretur, auxilium à Metropolitano efflagitans ab his verbis orditur, *Quoniam in quibuſdam negotiis aliqua dubia, vel difficilia occurrunt, debemus inuicem manus auxilij vel manus conſilij porrigere.* Quæ omnia oſtendunt vſitatum fuiſſe hoc ſæculo, vt in cauſis difficilioribus magiſque intricatis auxilium conſiliúmque comprouinciales Epiſcopi ſibi inuicem præberent, ſed à Metropolitano vtrumque prẹſertim expeterent; quemadmodum & vice verſâ in vſu poſitum erat, vt à comprouincialibus quos auctoritate plurimum valere ob pietatem & eruditionem ſciebant, Metropolitani conſilium auxiliúmque peterent, cuius rei fidem tum prædicta facere poſſunt, tum etiam eiuſdem Iuonis verba iſta epiſt. 200. ad nominatum Archiepiſcopum, vbi cùm ageretur de punienda cuiuſdam Prælati Eccleſiæ ſacrilega libidine, qui ſibi duo ſcorta publicè copulauerat, hæc ſcribit, *Quòd ſi per vos id perficere non ſufficit, adhibete vobiſcum duos aut tres ex Suffraganeis Epiſcopis, quorum conſilio & auxilio ſcandalum hoc ſedare ſtudeatis.*

Verùm hoc diſcrimen inter Metropolitanum & Suffraganeos ex prædictis notamus, quòd ex Suffraganeis, quos vellet Metropolitanus ſeligeret, quorum conſilio vteretur & auctoritate niteretur in rebus arduis; Suffraganei verò ad conſilium & auxilium à Metropolitano quærendum obligarentur, ipſéque Metropolitanus ex officio Suffraganeis opem ferre, & auctoritatem ſuam in negotiis Eccleſiæ difficilioribus impendere ex lege officij ſui teneretur; quod vtique præ cæteris docet Bonifacius Moguntinus epiſt. 110. Cubertho, iis præſertim verbis, *Vnuſquiſque Epiſcopus, ſi quid in ſua Diœceſi corrigere, vel emendare nequiuerit, itidem in Synodo coram Archiepiſcopo, & palam omnibus ad corrigendum inſinuet; eodem modo quo Romana Eccleſia nos ordinatos cum ſacramento conſtrinxit, vt ſi ſacerdotes vel plebes à lege Dei deuiaſſe viderim, & corrigere non potuerim, fideliter ſemper Sedi Apoſtolicæ & vicario ſancti Petri ad emendandum indicauerim: ſic enim, ni fallor, omnes Epiſcopi debent Metropolitano, & ipſe Romano Pontifici, ſi quid de corrigendis populis apud eos impoßibile eſt, notum facere, & ſic alieni fient à ſanguine animarum perditarum.*

Ob hanc cauſam Concilium generale Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 7. vt habetur cap. *irrefragabili*, §. *cæterum*, *de officio iudicis ordinarij*, ſi quid in Epiſcopum peccatur ab iis qui ſunt ipſius Diœceſis, ne impunitum illud ſit, aut propriam Epiſcopus iniuriam vlciſci velle videatur, Metropolitano mandat, vt etiam auctoritate Apoſtolicâ in facinoroſos animaduertat, *Cæterùm*, inquit, *ſi canonici abſque manifeſta & rationabili cauſa maximè in contemptum Epiſcopi ceſſauerint à diuinis: Epiſcopus ſi voluerit nihilominùs celebret in Eccleſia Cathedrali, & Metropolitanus ad querelam ipſius tanquam ſuper hoc delegatus à nobis, taliter eos per cenſuram Eccleſiaſticam cognitâ veritate caſtiget.*

§. IX.

Delegati ſæpè Metropolitani à Sede Apoſtolica ad cauſas aliquas fidelium totius prouinciæ audiendas ac definiendas.

11. CAVSA propter quam in Suffraganeorum ſubditos Metropolitanus iuriſdictionem exerceret, eſt delegatio ipſius ab Apoſtolica Sede, quam in negotiis totius prouinciæ ad Metropolitanum potiùs quàm ad alios cauſas remittere ſolitam exempla ſuperiùs allata demonſtrant.

Quibus addo Gregorij Magni prouidam & æquam iis caſibus diſpenſationem, dum ea quæ reprehendenda eſſent in quibuſdam Epiſcopis, ad Archiepiſcopum remiſit, ne ipſius honori detraheret, *Hæc*, inquit epiſt. 26. Ianuario Calaritano lib. 3. indict. 12. *omnia diligenter fraternitas veſtra inquirat, vt dum diligenter quilibet*

Digitized by Google

inquiſitus ordinatur, non celeriter poſt ordinationem deponatur; iſta autem quæ fraternitati veſtræ ſcripſimus, cunctis ſub vobis Epiſcopis innoteſcite: quia ego aliis ſcribere nolui, ne honorem veſtrum viderer imminuere. Addo & egregiam Bernardi ſententiam, qui grauiter tulit cauſam Virdunenſis, & Metenſis Eccleſiarum alteri quàm Metropolitano Treuirenſi dirimendam à ſummo Pontifice fuiſſe commiſſam, epiſt. 178. *Innocentio ſummo Pontifici*, quem iis verbis interpellat, *Quàm iuſtiùs honorificentiúſque, ſi veſtræ placuiſſet diſcretioni, homo maiori dignus honore, debito propriòque non priuaretur? Treuirenſem dico, quem & ab hoc & cæteris Diœceſis ſuæ terminandis negotiis, quaſi ſuſpectum ac minùs expertum non ſine multorum timentium Deum ſcandalo excluſiſtis.*

§. VLTIMVS.

Plures alij caſus enumerantur, propter quos ſubditi Suffraganeorum à Metropolitanis iudicantur.

VARII ſunt alij ſingulares caſus, in quibus Metropolitanus poteſt liberiùs iuriſdictionem ſuam explicare. Primò, ſi hæreſis per prouinciam graſſari incipiat; cùm enim negligentibus Epiſcopis loca ad ſuam Cathedram pertinentia in Catholicam vnitatem lucrari, alij qui eos conuenerint & commouerint, intra ſex menſes conuentionis ſuæ facere poſſint, ex decreto Concilij Mileuit. Can. 24. Africani Can. 88. quod Codici Canonum Africanorum Can. 122. inſeritur, vt ſcilicet vniuſcuiuſque zelus ad extirpandas hæreſes, etiam in aliena Diœceſi naſcentes excitetur: quantò magis Metropolitani in ſua prouincia auctoritas in eo caſu ampliabitur? Hinc notauimus Baſilium in ſua non ſolùm prouincia, verùm etiam in aliis prouinciis, quas ipſius Primatui ſubditas fuiſſe probabile eſt, occaſione variarum hæreſeωn exortarum, plurima cum auctoritate geſſiſſe, quæ pacatis fortaſſe Eccleſiæ rebus minimè ei permiſſa fuiſſent. Alypius quoque Cæſarienſis, Archiepiſcopi Thalaſſij (illius nempe qui in Synodis Conſtantinopolitana à Flauiano habitâ, Epheſina à Dioſcoro, & Chalcedonenſi nominatiſſimus fuit) in eadem Sede ſucceſſor, Lampetium à ſe furtiuè Presbyterum ordinatum, hæreſeos à Geruntio Presbytero, & Abbate Monachorum, in Glitis accuſatum damnauit, datâ commiſſione eiuſdem iudicandi Hormiſdæ Comanes in prouincia Ponti Polemoniaci poteſtate, cuius ſententiam ipſe confirmauit, vt refert Photius in Bibliotheca Cod. 52.

Ex quo exemplo diſces vel Metropolicâ vel Exarchicâ potiùs poteſtate vſum iſtum Cæſareæ Præſulem in prouinciis remotioribus ſibi ſubiectis, hæretici condemnandi auctoritatem tanquam ad ſe potiſſimùm ſpectantem nemine renitente arrogaſſe. Poſterioribus verò ſæculis, cap. *excommunicamus* (quod eſt Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. cap. 3.) §. *adiicimus*, *de hæreticis*, quæ opera ab Archiepiſcopis in prouincia, & Epiſcopis in propria Diœceſi viſitanda, tunc cùm hæreſeωn periculum ſollicitat, nauanda ſit, præſcriptum legimus: ita vt Epiſcopis Canonica vltio immineat ab Epiſcopali officio depoſitio, ſi in expurgando de ſua Diœceſi hæreticæ prauitatis fermento negligentes fuerint.

Secundò, Simoniæ vitium ſicut & hæreſim Eccleſia auerſata eſt, ideóq; Gregorius Ioanni Corinthiorum Epiſcopo pallium mittens, per totam Helladiam huius vitij extirpationem committit. Innocentius verò tertius cap. *dilectus*, 2. *de ſimonia*, Archiepiſcopo Cantuarienſi præcipit, vt illud flagitium per totam ſuam Diœceſim perſequatur, inſupérq; iniungat Epiſcopis ſuis, vt hanc formam ſuæ Diœceſes ſtudeant obſeruare, quam ipſe obſeruaturus erat.

Tertiò, ignorantia diuinæ legis per totam prouinciam à Metropolitanis præſertim fuganda eſt, vt prolatis Toletani XI. Can. 2. & Toletani VIII. Can. 8. Arelatenſis ſub Carolo Can. 8. docuimus.

Quartò, cautum à Leone I. epiſt. 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Can. 8. vt Metropolitanus impediat, quominùs alienum Clericum inuito Epiſcopo aliquis ſuſcipiat aut ſollicitet. *Itaque*, inquit, *ſi intra prouinciam res agatur, transfugam Clericum Metropolitanus redire compellet, ſi autem longiùs proceſſerit, Primatis auctoritate reuocabitur, vt nec cupiditati, nec ambitioni occaſio relinquatur.*

Digitized by Google

Quintò, aduerſus eos qui ex bonis morientis Epiſcopi aliquid celauerint, aut rapuerint, Metropolitanus procedere poterit ex Canone tertio Concilij Valentini Hiſpaniæ, Toletani noni cap. 7. & Troſleiani Canone 14. Nouo quoque iure ſtatutum eſt, vt mortuo Epiſcopo viſitatorem ad Eccleſiam vacantem deputet, ob Capituli negligentiam, cap. *Eccleſiæ*, *de ſupplenda negligentia Prælatorum*, in 6. & additione in cap. 1. *de Clerico ægrotante.*

Sextò, alienatio rerum Eccleſiaſticarum, ſine conſenſu Metropolitani, quantumuis ab Epiſcopis facta, nulla eſt, ex Canone 4. Concilij V. Carthaginenſis, Epaunenſis Can. 12. Pariſienſis ſub Ludouico & Lothario libri primi cap. 17. decretis Hilarij Papæ epiſtolâ ad Gallos, & Gregorij ſeptimi libri ſexti poſt epiſtolam quintam, Innocentij quatti cap. *dudum*, *de rebus Eccleſiæ non alienandis*, in ſexto. Cui caſui affinis eſt iſte quem ſtatuunt aliqui, putà quòd Collegium Eccleſiaſticum cum perſona Eccleſiaſtica de decimis tranſigere poſſit auctoritate Archiepiſcopi; quam opinionem tuentur verbis Alexandri tertij cap. 2. *de tranſactionibus*, *Statuimus*, inquit, *vt ſi ſuper decimis inter vos & aliquam perſonam Eccleſiaſticam de aſſenſu Epiſcopi vel Archiepiſcopi ſui compoſitio facta fuerit*, *rata & inconcuſſa perſiſtat.* Sed alij iis verbis Archiepiſcopo factam eſſe poteſtatem duntaxat putant confirmandi tranſactiones factas à Capitulis ſuæ Diœceſis, non autem ſuæ prouinciæ, niſi cùm per appellationem aut aliam rationem iudex in ea cauſa conſtitutus fuerit.

Septimò, quæſtuarios illegitimos per totam prouinciam compeſcendi auctoritatem habet Metropolitanus, laicos quidem excommunicandi, Clericos ſuſpendendi, ex conceſſione Innocentij III. Archiepiſcopo Lugdunenſi, cap. *tuarum*, *de priuilegiis*; quo etiam capite Presbyteros ſuſpenſos ab Epiſcopis ſuis, & per prædictos fratres hoſpitalarios ad officia temerè reſtitutos Archiepiſcopo mandat, vt *in eandem ſententiam ſuſpenſionis reducat.*

Octauò, poteſt in tota ſua prouincia crucem facere ſibi præferri, & populo benedicere tam priuatim quàm ſolemniter, Clementina *Archiepiſcopo*, *de priuilegiis.* Miſſas qnoque in iiſdem Eccleſiis prouinciæ ſuæ diebus ſolemnibus celebrare, & in iis vti pallio, cap. *cùm ſis*, *de auctoritate & vſu pallij*: aliáque, vt ſuprà notauimus, iuriſdictionis voluntariæ priuilegia aſſumere.

Nonò, diſpenſare potuerunt ad Epiſcopatum promouendos à quibuſdam irregularitatibus: cum bigamis & illegitimis diſpenſaſſe leges apud Syricium epiſt. 1. cap. 8. ſed non ſine causâ debuiſſe diſpenſare, quòd ibi reprehendit dictus ſummus Pontifex: item, vt Subdiaconus eligi poſſit, qui ſiue eiuſdem, vel ſummi Pontificis licentiâ minimè olim ſecundum Canones idoneus erat, qui ad Epiſcopatum eligeretur, Can. fin. diſtinct. 60. & cap. *à multis de ætate & qualitate ordinandorum.*

Decimò, poteſt & veteri iure opponentes ſe iuriſdictioni ſuæ Metropolitanus punire: nam vnuſquiſque iudex poteſt tueri iuriſdictionem ſuam, & contradicentes plectere, quòd adeò viſum eſt neceſſarium, vt etiam delegatis iudicibus iura hanc poteſtatem tribuerint, vt ſuprà oſtendimus: nouo verò iure ab Innocentio IV. inducto, & prærogatiua iſta confirmatur, & amplius aliquid adiungitur, vt ſcilicet non ſolùm turbantes iuriſdictionem ſuam, ſed & quamlibet ſuæ dignitati aut aliorum Metropolitanorum notoriam iniuriam inferentes puniat, vt notat Gloſſa, verbo, *punire*, in iſtud primum, *de pœnis*, in ſexto: ſed præſtat verba iſta capitis audire, *Licet autem*, inquit, *Remenſi Archiepiſcopo ſuam prouinciam viſitanti*, *eos qui tunc ſibi, vel ſuæ familiæ, aut alios, quos propter hoc per eandem prouinciam dirigit; & etiam quando Concilium conuocat, eos qui nuntiis ſuis, quos pro illo vel aliàs per prouinciam ipſam ſuà debità iuriſdictione vtendo tranſmittit, iniuriari præſumunt*, *ſi hac occaſione ſuà in his impediatur iuriſdictio*, *dummodo exiſtat notoria*, *propriâ auctoritate punire*, *niſi ampliùs*, *& de Remenſis Eccleſiæ conſuetudine competere dignoſcatur.* Id eſt, niſi conſuetudo vigeret, vt & quaſuis iniurias etiam occultas, quæ tamen probari iudicio poſſent, & alias iuriſdictionem non interuertentes poſſet vlciſci. Hæc ſecundum ius antiquum: ſed de nouo addit idem Pontifex, vt ad ſuas & aliorum Metropolitanorum iniurias in prouincia ſua ſibi vel aliis illatas, etiam quibus iuriſdictio ſua minimè tur-

baretur, vindicare poſſit. *Sibi etiam*, inquit, *& Metropolitanis aliis, in ſuis prouinciis, dum ſic in illis iuriſdictionem exercent, puniendi manifeſtas & notorias offenſas, tunc eiſdem illatas vel ſuis, (etiamſi exinde impediri iuriſdictionem huiuſmodi non contingat) libera ſit de noſtra ſpeciali conceſſione facultas.*

Nec miretur aliquis Archiepiſcopum in ſua cauſa quodammodo iudicem hoc priuilegio conſtitui, nam & quemuis iudicem ad tuendam ſuam iuriſdictionem, nec tam ſuam quàm Magiſtratus ſui, iudicem ſedere poſſe, nunquam abſurdum iudicatum, ſed neceſſarium viſum eſt: præſertim vbi notorium crimen eſt, nec tam diſcuſſionem quàm animaduerſionem præſentem poſtulat, ne violata dignitas, cui non ſatisfactum illicò fuerit, vileſcat. Hîc etiam non tam in propria cauſa quàm in cauſa ſuæ Eccleſiæ, & totius Archiepiſcopalis ordinis, cuius ipſi defenſio commiſſa eſt, iudicare Metropolitano conceditur, quod æquiſſimum eſt. Sic enim, verbi gratiâ 23. quæſt. 4. Can. *Guiliſarius*, probatur, quòd Siluerius Papa eos, qui vi ipſum detinuerant, & in carcerem coniecerant, adunato Epiſcoporum Concilio anathematizarit; Can. *Salonitanæ*, diſtinct. 63. probatur, quòd Gregorius aduerſus Maximum electum huius vrbis Antiſtitem, qui ipſo contempto atque deſpecto, ordinatus fuerat, exarſerit, eíque niſi ſatisfaceret, læſæ Pontificiæ dignitati, conſtrictionem Canonicam exerciturum ſe comminatus fuerit.

Vndecimò, ne leuiores alios cum faſtidio enumerem, Gloſſa in caput *Paſtoralis*, verbo, *exceptis quibuſdam, de officio Ordinarij*. Itémque Gloſſa in Can. *conqueſtus*, 9. quæſt. 3. ſingulares aliquos caſus prędictis adiungunt, in quibus Metropolitanus de ſubditis Suffraganeorum iudicare poteſt, vt cùm deuiat in diuinis officiis à conſuetudine Metropolitanæ Eccleſiæ, 12. diſtinct. Can. *de his*: ſi deliquit in ſua Diœceſi, Can. *placuit*, 6. quæſt. 3. ſi habet prædium in Diœceſi ſua, cap. vlt. *de foro competenti*: ſed duo iſti caſus prętogatiuam Metropolitani peculiarem non oſtendunt, ſed ad quemlibet alium Epiſcopum ampliari poſſent; ſi cauſa ad eum per appellationem deferatur, de quo ſuprà, cùm abſolutus ab Archiepiſcopo, vel propter negligentiam Ordinarij, vel aliam iuſtam, non vult parere Epiſcopo ſuo, cap. *ad reiiciendum, de officio Ordinarij*: ſi criminalis eſt cauſa inter Epiſcopum, & Clericum ſuum, illa debet ad Synodum deferri, cui præſidet Archiepiſcopus, 6. quæſt. 2. Can. 1. & aliis innumeris. Túncque proinde ſicut de Suffraganeo ſuo, ita de ſubdito iudicare poterit Archiepiſcopus: quem caſum etiam ampliabis ad laicum falſum crimen Epiſcopo intentantem, qui vt calumniator ab Archiepiſcopo plecti poterit: item ad Clericum ciuilem cauſam contra Epiſcopum ſuum habentem, ad quam ſcilicet iudicandam ex officio Metropolitanus adiri debet, qui ex Concilij prouincialis ſententia litem dirimat, vndecimâ cauſâ, quæſt. 1. Can. *ſi Clericus*, qui eſt Concilij Chalcedonenſis Canon 9. cuius tempore Concilia ſaltem ſemel ſingulis annis haberi ſolebant; vnde notat Gloſſa mutatâ iſtâ formâ in Conciliis iudicandi, non tamen mutatum eſſe morem, quòd Clericus in cauſa ciuili conqueſturus de ſuo Epiſcopo Metropolitanum adeat, qui, vt diximus, Ordinarius eſt iudex totius prouinciæ: non autem ſi Epiſcopus habeat ciuilem cauſam contra ſuum Clericum; Lex enim Canonica eo caſu præſcribit, vt ad arbitros cauſa deferatur, vt habetur citato Canone Concilij Chalcedonenſis: cuius rei hanc rationem profert, *quia Metropolitanus non eſt iudex Clerici, vnde ſub eo non debet conueniri: nec coram Epiſcopo conueniri debet, cùm non poſſit eſſe actor & iudex.* Ideóque ad arbitros referenda res eſt, poterítque Epiſcopus cogere Clericum vt arbitros deligat, vt in pari caſu definitum eſt cap. 2. *requiris, de appellationibus*, quemadmodum notat Gloſſa citata in Can. *ſi Clericus*. Taceo cæteros caſus citatis Gloſſis comprehenſos.

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Quæ præſertim non poſſit Metropolitanus in ſuos Suffraganeos.

CVM tot à nobis enumerati ſint caſus, in quibus in ſubditos Suffraganeorum ſuorum iuriſdictionem modò voluntariam, modò coercitiuam exercet Metropolitanus; nihilominùs vniuerſim verum eſt dicere non illum iudicem eſſe, aut Paſtorem immediatum omnium fidelium totius prouinciæ, nec indiſcriminatim poſſe omnia circa ſubditos Suffraganeorum ſuorum quæ poteſt ipſe Suffraganeus. Nicolaum I. Iuonem Carnotenſem, Innocentium III. ſuperiùs citauimus, affirmantes nec Metropolitanos, nec Primates indefinitè in fideles ſuæ prouinciæ, qui non ſunt ſuæ Diœceſeos, omnia poſſe quæ Diœceſani Epiſcopi poſſunt, ſed ea tantùm quæ Canonibus ipſis expreſsè permiſſa ſunt.

Primò igitur nec circa Suffraganeos Metropolitani omnimodam habent poteſtatem: nam nec eorum cauſas niſi in Synodo iudicare poſſunt, ex Concilij Nicæni Canone 14. apud Iulium epiſt. 2. Aniceti primâ, quæ refertur Can. *Si autem*, 9. quæſt. 3. Lucij primâ, Callixti ſecundâ, Hadriani capitulis per Angerramnum Metenſem miſſis, cap. 43. Capitularium Caroli lib. 7. cap. 493. nec Epiſcopos damnare inconſulto Romano Pontifice, ex epiſtola prima Iulij: quod quomodo intelligendum ſit nolo fuſiùs hoc loco explicare. Duo verò iſta habet etiam Damaſus epiſt. 3. Canone 2. neque diſpenſandi circa perſonas ordinandorum in Epiſcopos liberam habent poteſtatem, ſed vitio ipſis adſcribitur, ſi eos recipiant, quos Canones vetant, epiſtolâ primâ Syricij cap. 8. Canonéſque ſequi iubentur Arelatenſis ſecundæ Synodi Can. 37. & tertiæ Can. 2. nec quibus voluerint ordinandorum Epiſcoporum prærogatiuam delegare poſſunt, ſed ſi ipſi ordinationes facere aut voluerunt, aut non potuerunt, *Non is cui ceſſerunt, ſed is qui intra prouinciam antiquitate Epiſcopali cæteros præuenerit Sacerdotes, ordinandi ſibi vindicet poteſtatem*, inquit Leo epiſt. 89. *ad Epiſcopos per Viennenſem prouinciam conſtitutos*, cap. 4.

Secundò, plurima circa ſubiectos Suffraganeorum ipſis denegantur, quæcunque ſcilicet non eis expreſsè à iure conceduntur, vel diuturnâ conſuetudine ab ipſis præſcripta ſunt, Callixtus epiſt. 2. eis ordinandi & iudicandi in aliena Diœceſi poteſtatem adimit, refertur Canone *Nullus*, cauſâ 9. quæſt. 2. *Nullus Primas, nullus Metropolitanus, nullúſque reliquorum Epiſcoporum alterius adeat ciuitatem, aut ad poſſeſſionem accedat (quæ ad eum non pertinet, & alterius Epiſcopi eſt parochiæ) ſuper cuiuſquam diſpoſitione niſi vocatus ab eo, cuius iuris eſſe dignoſcitur, aut quidquam ibi diſponat vel ordinet, aut iudicet, ſi ſui gradus honore potiri voluerit; ſin aliter præſumpſerit, damnabitur, & non ſolùm illi, ſed cooperatores eiſque conſentientes, quia ſicut ordinatio, ita eis & iudicatio, & aliarum rerum diſpoſitio prohibetur.* Idem Papa eadem epiſtolâ, cuius fragmentum habetur eadem causâ quæſt. 3. Can. *Nullus Primas*, eadem confirmat, iiſque aliqua addit, *Nullus*, inquit, *Primas vel Metropolitanus Diœceſani Eccleſiam, vel parochiam, aut aliquem de eius parochia præſumat excommunicare, vel iudicare, vel aliquid agere abſque eius conſilio vel iudicio; ſed hoc obſeruet quod ab Apoſtolis ac Patribus & prædeceſſoribus noſtris eſt ſtatutum, & à nobis confirmatum, id eſt, ſi quis Metropolitanus Epiſcopus, niſi quod ad ſuam ſolummodo propriam parochiam pertinet, ſine conſilio & voluntate omnium comprouincialium Epiſcoporum extra aliquid agere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiacebit: & quod egerit, irritum habeatur & vacuum. Sed quidquid de prouincialium coepiſcoporum cauſis, earúmque Eccleſiarum, & Clericorum, atque ſæcularium neceſſitatibus agere, aut diſponere neceſſum fuerit, hoc communi conſenſu comprouincialium agatur Pontificum, nec aliquo damnationis faſtu, ſed humillimâ atque concordi adminiſtratione. Similiter & ipſi comprouinciales Epiſcopi cuncta cum eius conſilio (niſi quantum ad proprias parochias pertinet) agant iuxta ſanctorum conſtituta Patrum.*

Conformes ſunt iſtæ ſententiæ Apoſtolorum Canoni 34. ſecundum Dionyſij Exigui verſionem, 35. ſecundum Gentiani Herueti; Concilij Antiocheni Can. 9. Martini Bracharenſis Can. 4. Capitularium Caroli lib. 3. cap. 8. quibus locis diſtinguuntur duo genera negotiorum, quæ Epiſcopo occurrere poſſunt, quædam quæ ad propriam parochiam pertinent, & ordinariam ciuitatis, ac vicorum adiacentium gubernationem, cuiuſmodi ſunt ordinationes Clericorum, & iudicia ad forum ipſius pertinentia: alia ad communem prouinciæ ſtatum ſpectant, cuiuſmodi ſunt ordinationes Epiſcoporum, innouatio conſuetudinis circa officium diuinum, vel alia huiuſmodi: priora ita Epiſcoporũ poteſtati propria eſſe dicuntur, vt de iis Metropolitanum conſulere Suffraganei opus non habeant: poſteriora verò inconſulto Metropolitano aggredi prohibeantur. Quibus conſentaneè Calixtus Papa citatus ex epiſtola eius ſecunda, quæ ad Galliarum Epiſcopos ſcripta eſſe dicitur, Metropolitani poteſtati prioris generis negotia omninò adimit, ita vt illum puniat qui iſta in Diœceſi ſui Suffraganei, vel circa perſonas eidem ſubditas tentare præſumpſerit.

Nec alia eius prohibitionis ratio, quàm quæ in cauſa ſimili Gregorium Magnum lib. 9. epiſt. 32. Romano defenſori Siciliæ, induxit, vt hunc à ſe miſſum reprehenderet, quia Clericorum cauſas ad ſe trahens Epiſcopum ſuo honore fraudabat. *Nam*, inquit, *ſi ſua vnicuique Epiſcopo iuriſdictio non ſeruatur, quid aliud agitur, niſi vt per nos, per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri debuit, ordo confundatur?*

ARTICVLVS V.

Quæ præſertim non poſsit Metropolitanus circa ſubditos Suffraganeorum.

ARCHIEPISCOPI itaque poſiti ſunt ſupra Epiſcopos, vt ipſis immineant ac ſuperintendant, & eorum gubernationi inuigilent, non vt eam impediant, interuertant, aut ad ſe trahant: quibus proinde nullum iuriſdictionis exercitium committitur, niſi in iis caſibus qui ipſis à iure permittuntur. Citatur ad id probandum à Gratiano 9. quæſt. 3. Can. *Epiſcopo*, Beda in cap. 2. Apocalypſis, in hæc verba, *Angelo Epheſi ſcribe:* quaſi iſta notauerit: quibus ſimilia habet Gloſſa ordinaria: *Angelo, id eſt, Epiſcopo ſcribit, de manu cuius peccata ſubditorum requirit, & ſine cuius conſenſu ſubditos iudicare non præſumit ipſe Ioannes.*

Ex quo inferre licet, id quod Gratianus probandum ſuſceperat, in ſubditos Suffraganeorum, non debere quidquam attentare Metropolitanum: quandoquidem nec ipſe Ioannes Apoſtolus, Propheta & Euangeliſta, cui Aſia in ſortem ſpeciali iure contigerat, adeò ordinem hierarchicum reueritus fuerit, vt non crediderit ſibi populos eſſe increpandos, inconſultis Epiſcopis, ſed ad ipſos Epiſcopos, diuini Spiritus inſpiratione ſermonem direxerit, eos negligentiæ reprehendens, quòd ſubditos non correxerint, & ab iis rationem populorum ipſis creditorum expoſcens.

Euidentia ſunt in libris Decretalium paſſim teſtimonia, quæ hanc prohibitionem confirment. Luculentum Innocentij III. teſtimonium, qui ab Elienſi Epiſcopo inquiſitus, cap. *Paſtoralis, de off. iudicis ordinarij*, vtrùm *ſi aliqua cauſa fuerit ad Archiepiſcopum per appellationem delata, poſsit eandem iure ordinariæ poteſtatis Suffraganei ſui ſubdito delegare, vel animaduertere in eundem, ſi cauſam renuerit ſuſcipere delegatam*, eodem cap. reſpondet, *Quòd Archiepiſcopus ipſum ad ſuſcipiendam delegationem huiuſmodi compellere nequit inuitum, cùm in eum, exceptis quibuſdam articulis, nullam habeat poteſtatem, licèt Epiſcopus ſuus eidem ſit Metropolitana lege ſubiectus.* Celeſtinus III. cap. *ſicut vnire, de exceſsibus Prælatorum*, irritum & inane declarat, quòd Prior Grandenſis Monaſterium ſuum, quod in Epiſcopi alicuius Diœceſi ſitum erat, & de eius proinde aſſenſu ordinari debebat, ipſo irrequiſito Monaſterio alterius Diœceſis ſubieciſſet, *Non obſtante*, inquit, *aſſenſu vel confirmatione, quæ Metropolitanus interpoſuiſſe proponitur, cùm in Diœceſi ſui Suffraganei abſque ipſius aſſenſu,*

non debeat aliquid contra Canonicas Conſtitutiones attentare. Fusè Innocentius IV. cap. 1. *de foro competenti*, in 6. Archiepiſcoporum poteſtatem coarctat, *Nec appellationis articulo prætermiſſo, nec aliàs etiam cùm minimè appellatum extiterit, Archiepiſcopus, vel eius Officialis, de cauſis Clericorum tanquam iudices (licèt in ipſos iudeis Clerici de facto conſentiant) abſque Diœceſanorum ſuorum voluntate cognoſcant.* Ex quibus verbis infert Gloſſa verbo prætermiſſo, *Licet per appellationem ad Archiepiſcopum cauſa deuoluatur, & de ea cognoſcere poſſit, tamen de principali quæſtione cognoſcere non poſſe, niſi priùs de appellatione cognoſcat, etiam partibus conſentientibus, ſine voluntate Suffraganei: quia in hoc caſu perinde eſſet, ac ſi ſine voluntate Suffraganei, per ſimplicem querelam cognoſceret, quod non poteſt facere*, eodem lib. 1. *de officio Ordinarij.* Hoc autem ſic explicat, vt de appellatione ante ſententiam ſermo ſit: *Nam quando appellatur à ſententia, iudex appellationis ſtatim de principali cognoſcit.* Et ſanè apparet manifeſtè fraudem fieri Conſtitutioni, quæ vult Epiſcopis cauſæ ſubditi ſui cognitionem non ſubtrahi, ſi temerariâ appellatione ſententiæ ferendæ aditus ipſi præcluderetur: parem autem fraudem legi minimè fieri, nec Epiſcopi auctoritati iniuriam inferri, aut poſt ſententiam ab Epiſcopo latam, vbi ipſe officio ſuo functus eſt, ad ſuperiorem beneficio appellationis cauſæ diiudicatio deuoluitur.

Pergit Innocentius, *Neque Suffraganeorum Remenſis Eccleſiæ ſubditos ipſorum delegationem ſuſcipere, vel ſententias & præcepta exequi, aut in cauſis per appellationem deuolutis, ad eos teſtimonium, niſi aliud in his tribus de conſuetudine obtineant, perhibere compellant*: quibus verbis tria definiuntur.

Primum, non poſſe Metropolitanum cogere quemquam ex ſubditis Suffraganeorum, ipſius ſuſcipere delegationem, ſeu compellere ipſum, vt eius nomine iudicet: quod ipſum anteà definierat Innocentius III. cap. *Paſtoralis*, citato.

Alterum, nec cogere quemquam ipſius præcepta vel ſententias exequi, id eſt, compellere, vt ſententiam vel præceptum executioni curet demandari; ſicut enim non poteſt compellere quemquam, vt cauſæ cognitionem tanquam delegatus Metropolitani ſuſcipiat, ita nec vt executionem procuret; par enim vtriuſque eſt ratio.

Tertium denique, nec poſſe teſtes cogere, qui non fuerint ſuæ Diœceſis, ſed ſolùm prouinciæ, ad teſtimonium ferendum.

In quibus omnibus caſibus conſuetudinis exceptionem adducit, quæ cùm in huiuſmodi poſſit tribuere iuriſdictionem, cap. *cùm contingat, de foro competenti*, cap. 1. eodem titulo in 6. cap. 3. *conſuetudinis*, in ſexto, & aliis locis paſſim; poteſt & Metropolitani iuriſdictionem in cauſis ad ſe per appellationem deuolutis, in quas iam iuriſdictionem habet, ad ſubditos Suffraganeorum ampliare. Quòd ſi dicat aliquis, *Cui iuriſdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videri, ſine quibus iuriſdictio explicari non potuit*, lege 2. ff. *de iuriſdictione*: ac proinde Archiepiſcopo ad quem cauſæ cognitio per appellationem defertur, omnem illam iuriſdictionem conuenire debere, quæ ad iudicandum neceſſaria fuerit, ſcilicet vt & iudices, ſi opus ſit, delegare queat, & teſtes, quorum auditio neceſſaria eſt ad iudicandum, poſſit ad teſtimonium ferendum compellere.

Reſpondebitur, non adeò inefficacem eſſe, & inſufficientem Archiepiſcopi poteſtatem, quin poſſit ab iis difficultatibus ſe extricare, & negotium ad ſe per appellationem delatam per ſe terminare, aut vt terminetur procurare.

Primò enim, ſi opus ſit, cauſam in Diœceſibus, vnde fuit appellatum, delegare poteſt, vt notat Gloſſa, verbo, *nullam habeat*, in cap. *Paſtoralis, de officio Ordinarij*, *Et ille*, qui delegatus fuerit, *recipit iuriſdictionem, ſi vult illam recipere: poteſt partes compellere, vt conſentiant in aliquem vel aliquos; & poteſt mandare Epiſcopo, vt committat illum recipere commiſſionem*, quod facere poteſt Epiſcopus, licèt ſit appellatum ab eo argumento ex titulo *de foro competenti*, & *de officio delegati*, cap. *ſuſpicionis*, §. vlt. & *de appellationibus*, cap. *cum ſpeciali*: ſed hoc ex mox dicendis magis eluceſcet.

Quod diximus de cognitione cauſæ, fortiori ratione de ſententia à Metropolitano data executioni demandanda dici debet. Neque enim Suffraganeus Epiſcopi renuere poteſt, quin ſententiam à ſuperiore datam aut per ſeipſum execu-

tioni demandet, aut per alium demandari faciat. Denique teſtes, quos per ſeipſum non poteſt cogere Archiepiſcopus ad teſtimonium dicendum, per Suffraganeum ſuum poterit compellere, *Mandabit ſiquidem ſuffraganeo, vt ſubditos compellat ad teſtimonium ferendum in cauſa illa*, vt notat Gloſſa in citatum caput 1. *de foro competenti*, verbo, *ſuſcipere*. quem Canonem in cæteris iudiciis ſeruari notat, *Vt ſi de alia ciuitate petantur teſtes, iudex cauſæ ad iudicem loci mittat vt teſtes recipiat, & ad iudicem atteſtationes remittat*, Cod. *de fide inſtrumentorum*, lege *iudices*. Imò ſententia eſt Hoſtienſis in cap. 1. *de ſupplenda negligentia Prælatorum*, in ſexto. quòd ſi intra præſcriptum tempus neglexerit Suffraganeus mandato Metropolitani ſui parere, ius ad Suffraganei ſubditum cogendum propter negligentiam eius, ad Metropolitanum deuoluatur: ſed non placet Archidiacono hæc opinio: quorum oppoſitas ſententias tanquam probabiles refert Ioannes Andræas in citatum caput, cuius explicationem proſequimur.

Addit Innocentius IV. *Nec etiam Suffraganeorum ipſorum Officiales, aut Archidiaconos, & alios inferiores Prælatos Suffraganeis eiſdem ſubiectos, (dummodo eis aliud contraria conſuetudo non tribuat) nec ſubditos Suffraganeorum ipſorum ſuper ſalariis Aduocatorum & Procuratorum in cauſis quæ in Remenſi ventilantur curia, cogant querelantibus in ſua præſentia reſpondere. Contra gentes verò aliarum Diœceſium, ſuper contractibus initis in Remenſi Diœceſi, ab eiſdem (niſi inueniantur ibidem) trahere coram ſe non debent inuitos, licèt in poſſeſſionem bonorum quæ ibi habent, etiam cùm alibi copiam ſui faciunt, ſi eorum auctoritate citati comparere contemnant, poßint mißionem facere contra eos; vel ſi fortè malitioſè ſeipſos occultent, ne citatio perueniat ad eoſdem, decernere faciendam in poßeßionem bonorum, quæ in alia etiam Diœceſi obtinere noſcentur: ſed tunc loci Diœceſanus ad denuntiationem ipſorum facit huiuſmodi mißionem. Nec Clericos ſuos mittant ad Suffraganeorum ipſorum Diœceſes pro ineundis vel recognoſcendis contractibus contra ipſos. Nec eorumdem Suffraganeorum ſubditos compellant coram ſe huiuſmodi occaſione iuri ſtare: neque poteſt Archiepiſcopus ipſe in ſuorum Suffraganeorum Officiales & ſubditos (pro eo quod vocati ab ipſo nolunt querelantibus in ſua præſentia reſpondere) Eccleſiaſticam exercere cenſuram.*

Hæc verò tota Conſtitutio ſi attentè legitur, huic fundamento inniti videbitur, quòd Metropolitanus in Suffraganeos, non in ſubditos Suffraganeorum habeat ordinariam iuriſdictionem. Quæ propoſitio fundamentum eſt aliarum plurium Decretalium, puta ordinationum in eadem Conſtitutione contentarum, quæ per partes habentur variis capitulis eiuſdem lib. 6. cap. 1. *de ſupplenda negligentia Prælatorum*, cap. 1. *de officio Ordinarij*, cap. 1. *de officio Vicarij*, cap. 3. *de appellationibus*, cap. 7. *de cenſuris*, cap. 1. *de pœnis*, cap. 1. *de pœnitentiis & remißionibus*, cap. 5. *de ſententia excommunicationis*, quæ non ſine tædio, & faſtidio lectoris exſcribentur, dignæ verò ſunt quæ legantur, vt integram Archiepiſcoporum auctoritatis diſcurſionem habeamus, & quamplura ſint, quæ in ſua prouincia in ſubditos Suffraganeorum ſuorum nequeant, notum exploratúmque nobis ſit.

CAPVT II.

Quid Primates circa Metropolitanos & eorum ſubditos poſſint.

ARTICVLVS I.

De poteſtate Primatis Carthaginenſis, vbi plurima circa veteris Eccleſiæ, præſertim in Africa, Hierarchicam formam obſeruantur.

§. I.

Quædam de Primatibus generatim præmittuntur.

METROPOLITANIS ſubiungimus Primates, quos Græci ſæpiùs ἐξάρχους vocant, qui vniuerſæ Diœceſi ex multis prouinciis collectæ ſuperintendunt, & Metropolitanos aliquos ſub ſua poteſtate habent; non enim hîc de Primatibus, vel Exarchis loquimur, prout cum Metropolitanis confunduntur, quo ſenſu Exarchi vox ſumitur in Concilio Sardicenſi Can. 6. apud Euagrium lib. 4. hiſtoriæ cap. 11. & alios Græcos Patres. Sed apud Afros ſæpiùs Primates Numidiæ, Mauritaniæ vtriuſque, & aliarum prouinciarum, iidem qui alibi Metropolitani, eo ſolùm excepto, quòd ordinationis antiquitate, non vrbis dignitate, vt apud alias Chriſtiani orbis regiones, ad Primatus dignitatem aſcenderent. de iis lege Concilia Carthaginenſia paſſim, Auguſtinum, Optatum, & alios Africanos ſcriptores. Neque Exarchorum vel Primatum nominibus in alienis à noſtro inſtituto ſignificationibus vtimur, neque pro iis illos ſumimus, qui Metropolitæ conſtituti Primates dicti ſunt, quòd nullis aliis Primatibus ſubderentur, quamuis nec ipſi Metropolitis vllis imperitarent, imò nec imperatint vnquam, qualis apud nos Archiepiſcopus Rothomagenſis, qui Normaniæ Primatem ſe inſcribit, eoſdem ſuæ iuriſdictionis Primatialis, & Metropolitanæ terminos ſibi ipſi circumſcriptos faſſus. non denique Primates hoc nomine, qui cùm olim habuerint ſub ſe Metropolitas, nomen dignitatis retinuerunt, ſed inane & iuriſdictione caſſum, ſubtractis ab ipſorum poteſtate Metropolitanis ſubditis, cuiuſmodi ſunt in noſtra Gallia Bituricenſis, Viennenſis, Arelatenſis, Remenſis, Senonenſis, & alij; quamuis & inter illos quædam ſit differentia, cùm nempe eorum aliqui hanc honoris prerogatiuam retinuerint, vt non ſolum Officialem Metropolitanum, verùm etiam Primatialem habeant: ita vt à priori ad poſteriorem appelletur, quantumcumque ex vna prouincia cui Metropolitico iure præeſt, ad iudicem Primatialem appelletur, quòd etiamnum in ciuitate Bituricenſi ſeruatur: alij Primitialem iudicem non habeant, quin immò eorum aliqui etiam ſuperiorem Primatem recognoſcant, verbi gratiâ Senonenſis Lugdunenſem.

De iis, inquam, Primatum omnibus generibus altum hîc ſilentium: de iis duntaxat verba facio, qui Patriarchis minores, Metropolitis iuriſdictione ſuperiores extiterunt: quales olim plurimi, iam verò in toto Chriſtiano orbe vix vllus ſupereſt preter Lugdunenſem. Horum non vna neque eadem fuit auctoritas; quibuſdam amplior, aliis reſtrictior & anguſtior fuit: omnium verò ea fuit quæ vel ab inſtitutione primæua ipſis tributa, vel à iure confirmata fuiſſet, vel ab antiqua conſuetudine eiſdem obtigiſſet.

Probatio diuerſæ iſtius poteſtatis diuerſis Primatibus attributæ exemplis inno-

teſcere poterit. Accedamus ad explicationem Carthaginenſis, qui & peruetuſtus eſt, & inter cæteros celeberrimus.

§. II.

De antiquitate & amplitudine Primatus Eccleſiæ Carthaginenſis.

CARTHAGINENSIS ſanè Primas, qui omnium videtur fuiſſe antiquiſſimus, videtur & cæteris maiorem atque ampliorem habuiſſe poteſtatem, cùm enim longiùs à Patriarcha Occidentali Romano Pontifice abeſſet, & à reliquo ferè orbe vel mari vel deſertis regionibus diuiſus eſſet, æquum viſum eſt à prima Eccleſiæ Africanæ fundatione, vt maiori auctoritate in ſuos Africanos potiretur. Cuius auctoritatis teſtis eſt locupletiſſimus Cyprianus epiſt. 45. ad Cornelium his verbis: *Sed quoniam*, inquit, *latiùs fuſa eſt noſtra prouincia, habet etiam Numidiam, & Mauritanias duas ſibi cohærentes, ne in vrbe ſchiſma factum abſentium animos incertà opinione confunderet; placuit vt per Epiſcopos retentà à nobis rei veritate, & ad comprobandam ordinationem tuam factà auctoritate maiore, tum demùm ſcrupulo omni de ſingulorum pectoribus excuſſo per omnes omninò iſtic* (aliàs *in iſta prouincia*) *poſitos literæ fierent* (*ſicuti fiunt*) *vt te vniuerſi collegæ noſtri, & communicationem tuam, id eſt Catholicæ Eccleſiæ vnitatem pariter & characterem probarent firmiter ac tenerent: quod diuinitùs euenisse, & conſilium noſtrum prouidenter profeciſſe gaudemus. Sic enim nunc Epiſcopatus tùi, & veritas pariter & dignitas apertiſſimà luce, & manifeſtiſſimà & firmiſſimà comprobatione firmata eſt, vt ex reſcriptis collegarum noſtrorum, qui ad nos literas inde fecerunt, & ex relatione ac teſtimoniis Coepiſcoporum Pompeij ac Stephani, & Caldonij, & Fortunati, ordinationis tuæ, & origo neceſſaria, & ratio iuſta, & glorioſa quoque innocentia ab omnibus noſceretur. Quod vt ſimul cum cæteris collegis noſtris ſtabiliter, ac firmiter adminiſtremus, atque vt Catholicæ Eccleſiæ pacem concordiæ vnanimitate teneamus, perficiet diuina dignatio*, &c.

Ex iis enim verbis hæc diſcimus, 1. Carthaginenſem prouinciam Eccleſiaſticam, in quam Carthaginenſis Primatis ſollicitudo extendebatur, longè latéque diffuſam fuiſſe, cuius ſcilicet prouinciæ ſex erant, inquit, Sextus Rufus in dicatione Breuiarij rerum humanarum, putà Proconſularis, in qua ſita erat Carthago, Numidia Conſularis, Bizacena, Tripolitana prouincia, ac Mauritaniæ duæ Sitifenſis ac Cæſarienſis, quarum in Conciliis Africanis & apud Patres Africanos frequens fit mentio: Eccleſiaſticæ verò prouinciæ tempore Cypriani, ni fallor, tres tantùm diuiſæ erant, nimirùm prouincia quæ Carthaginenſi Epiſcopo Metropolitico iure ſuberat, Numidia & Mauritania, quæ vnica tunc videtur fuiſſe. Poſt Synodum Nicænam quintuplex videtur fuiſſe prouincia, Proconſularis ſeu Zeugitana, Numidia, Mauritania, Bizacena, & Tripolitana, quas numerat Auguſtinus in Pſalm. 36. addita eſt eiuſdem Auguſtini tempore Sitifenſis, ex Can. 7. editionis Græcæ Conciliorum Carthaginenſium, cuius meminit Ferrandus Diaconus in breuiatione Canonum, titulo 28. *vt Primatem proprium Mauritania Sitifenſis habeat. Vnde & Nuntius Epiſcopus primæ Sedis Mauritaniæ Sitifenſis vocatur*, Carthaginenſium Canonum Can. 86. in Græco, & Africani Concilij Can. 44. Latino. Cyprianus autem prædictâ epiſtolâ prouinciam ſuam diſtinguit à Numidia, & à Mauritania vtraque, quam vt vnam prouinciam Eccleſiaſticam coniungit, ita ſcilicet vt tres iſtæ prouinciæ totius Africæ Primatui Carthaginenſi ſubderentur, eorúmque terminis auctoritas clauderetur, quemadmodum & Conſtantinus quinquaginta circiter annis poſt Cypriani Martyrium, tres tantùm Africæ prouincias Eccleſiaſticas numerat, *Africam* ſimpliciter dictam Proconſularem, *Numidiam & Mauritaniam.*

Alterum notamus Primatem Carthaginenſem, vnitatis & communicationis Eccleſiaſticæ in Africa veluti centrum fuiſſe, atque aſſertorem, & vindicem conſtitutum, atque adeò ipſius curæ & diligentiæ fuiſſe, vt ſicut ad eum reliqui Epiſcopi pro Eccleſiaſticis negotiis conueniebant; ita ipſe eniteretur cum Romana cathedra (vnde vnitatem ſacerdotalem exortam ipſe fatetur epiſt. 55. Cornelio) communionem tenere: ac proinde de legitimi ſummi Pontificis electione

atque ordinatione ſollicitè inquireret, & collegas ſuos Africanos de vero Pontifice creato inſtrueret; viciſſimque collegæ ad eum pro vnitate iſta tuenda reſcriberent: quæ omnia ſigillatim iſtâ epiſtolâ deſcripta animaduertes, initio ſiquidem epiſtolæ cautum explicat in Epiſcoporum concilio, *vt in nullo Eccleſiarum iſtic conſiſtentium conſenſio diſcreparet*, ſeu vt eum Epiſcopi omnes Catholici legitimum Romanum Pontificem recognoſcerent, quem Carthaginenſis Primas recognoſceret: item ſe inquiſiuiſſe ſedulò, de legitimi Pontificis electione, quæ Nouatianorum fraudulentis artibus celabatur, Nouatnm ſcilicet Cornelio prælatum aſſerentibus. Denique & ſe Epiſcopos Romam ad veritatis indagationem miſiſſe, & ex Africa nauigantes adhortatum ſcribit, vt Romæ conſiſtentes vero ac legitimo Pontifici, non adulterino adhærerent, & Eccleſiæ Catholicæ radicem ac matricem agnoſcerent & tenerent: quibus cætera verba à nobis citata ſubiungit; quæ certè indicia ſunt Primatis Carthaginenſis curam & auctoritatem ſe ſe præſertim extendiſſe ad Catholicam vnitatem fouendam, & communionem cum Eccleſia Romana omnium matre ac matrice in Africa conſeruandam.

Conſentanea antem huic Eccleſiæ plurima habet epiſt. eiuſd. 41. & 42. *Cornelio*, & 52. *Antoniano*. Eiuſdem curæ & ſollicitudinis Primatis Carthag. indicium, atq; eiuſdem pariter poteſtatis & auctoritatis argumentum illud eſt, quod epiſt. 55. *Cornelio*, Epiſcoporum Africæ nomina ad Cornelium miſiſſe ſe ſcribat, nimirùm vt notum ipſi faceret qui Catholicæ eſſent communionis, quibus ſcribere, & à quibus literas accipere, & quibus communicare deberet, illos nempe qui ſecum, id eſt, cum Primate Carthaginenſi communione iungerentur: verba Cypriani digna ſunt quæ exſcribantur, ex quibus ſcilicet pleniùs diſcimus & Epiſcopos ſingulos Africanos in Carthaginenſis communione eſſe debuiſſe, ſicut & Carthaginenſis Primas in communione Romani Ponr. eſſe debuit, & ad relationem Primatis Carthag. Africanos Epiſcopos Romano Epiſc. innotuiſſe: nec communicatorias literas impetrare ſolitos, niſi de iis à Primate Carthaginenſi relatum optimè fuiſſet. *Nec tamen*, inquit, *de hoc tibi ſcripſeram, quando hæc omnia contemnuntur à nobis, & miſerim tibi proximè nomina Epiſcoporum iſtic conſtitutorum, qui integri & ſani in Eccleſia Catholica fratribus præſunt. Quod vtique ideò de omnium noſtrorum conſilio placuit ſcribere, vt erroris diluendi ac perſpiciendæ veritatis compendium fieret, & ſcires tu & collegæ noſtri quibus ſcribere, & literas mutuò à quibus vos accipere oporteret. Si quis autem præter hos quos epiſtola noſtra complexi ſumus, ſcribere vobis auderet, ſciretis eum vel ſacrificio, vel libello eſſe maculatum, vel vnum de hæreticis peruerſum ſcilicet & prophanum.*

Patet exinde quanta eſſet auctoritas Primatis Carthaginenſis, vt cùm extra communionem Romani Pontificis, & cæterorum Epiſcoporum, qui Romano tanquam vnitatis ſacerdotalis auctori cohærent, quiſquam *nec Epiſcopi poteſtatem poſſit habere, nec honorem*, vt pote ab Eccleſiæ vinculo atque à ſacerdotum collegio ſeparatus, vt idem Cyprianus epiſt. 52. ad Antonianum oſtendit, Primatis Carthaginenſis officium fuerit omnium Catholicæ communionis Epiſcoporum nomina ſcribere, eáque ad Pontificem Romanum mittere, vt ſciret ipſe quibus communionem ſuam dignitatis ſuſceptæ confirmatricem impertiretur, & quos pro Epiſcopis legitimis habiturus eſſet, eique Romanus Pontifex crederet. Eiuſdem quoque Primatis eſſet illorum tanquam ſpuriorum ac reiectorum nomina ex catalogo expungere, qui damnationem meruiſſent, & ab Epiſcopali gradu abiectionem.

Plura verò circa eandem epiſtolam in teſtimonium auctoritatis & veteris Eccleclesiaſticæ conſuetudinis notanda ſunt.

Primum, Feliciſſimum Epiſcopum Africanum à Cypriano & Coepiſcopis ipſius olim damnatum, Romam confugiſſe, vt Cornelij communionem impetraret, vi cuius ſedi Epiſcopali reſtitui ſperabat: ſed Cypriani iudicium, & Africanorum confirmaſſe Cornelium, eúmque ab Eccleſia eieciſſe: quemadmodum his verbis ſignificat Cyprianus, *Significaſti Feliciſſimum hoſtem Chriſti non nouum, ſed iam pridem ob crimina ſua plurima & grauiſſima abſtentum, & non tantùm mea, ſed plurimorum Coepiſcoporum ſententia damnatum* (ſuam dicit tanquam potiſſimam, vt pote Præſidis & Primatis, aliorum verò Epiſcoporum vt Conſiliariorum & Aſſeſſorum adiungit) quippe cùm vix aliquid magni momenti, multominùs depoſitionem

Epiſcopi Primas non conuocatis Coepiſcopis aggredi poſſet) *reiectum à te illic eſſe, & cùm veniſſet ſtipatus catervâ & factione deſperatorum, vigore pleno, quo Epiſcopos agere oportet, pulſum de Eccleſia eſſe.* ſcilicet quia plus relatio Primatis Carthaginenſis ex actis Concilij depoſitionem eius renunciantis, apud Cornelium valebat, quàm fautorum turba, & comparata ad factionem aſſeclarum multitudo, quæ quanta fuerit, vt Cornelium commouere potuerit, fuſiſſimè eadem epiſtola oſtendit.

Alterum, diſces partem Nouatiani Maximum Presbyterum à Nouatiano ad Africanos Legatum miſſum, atque à Cypriano reiectum, Pſeudoepiſcopum conſtituiſſe.

Tertium, *Priuatum veterem hæreticum, in Lambeſitana colonia ob multa & grauia delicta ante multos ferè annos, nonaginta Epiſcoporum ſententiâ condemnatum, antecesſorum etiam Cypriani & Cornelij, Fabiani & Donati* (quorum ſententias ſingulariter nominat tanquam ſingularis auctoritatis) *literis ſeuerißimis notatum.* Illum, inquam, cùm iterùm cauſam ſuam conuocante Concilium Cypriano, & præſidente retractari vellet, nec admiſſus eſſet (hoc enim verba iſta Cyprianicæ epiſtolæ ſignificant, *Qui cùm cauſam ſuam apud nos in Concilio, quod habuimus idibus Maiis, quæ proximè fuerunt, agere velle ſe diceret, nec admiſſus eſſet) Fortunatum ſibi Pſeudoepiſcopum Collegio ſuo feciſſe*, &c. adiutum autem illum narrat operâ Felicis cuiuſdam, quem ipſe extra Eccleſiam in hæreſi Pſeudoepiſcopum olim conſtituerat; Iouini & Maximi, qui ob nefaria ſacrificia & crimina in ſe prolatâ ſententiâ nouem Epiſcoporum condemnati, & iteratò quoque à pluribus cum Cypriano in Concilio anno priore abſtenti fuerant; his quoque quatuor adiunctum Repoſtum Saturnicenſem, qui non tantùm in perſecutione ceciderat, ſed & maximam partem plebis ſuæ ſacrilegâ perſuaſione deiecerat.

Quartum, à Cypriano Felicianum Acolythum cum Perſeo Epiſcopo miſſum, qui huius Feliciſſimi ordinationem Cornelio nuntiaret, inter *cætera quæ in notitiam ipſius perferenda hinc fuerant:* ſed iſtic dum Felicianus vel vento retardatur, vel accipiendis aliis epiſtolis detinebatur, à Feliciſſimo contrariâ, Catholicæ communioni factione properante, Cornelium præuentum fuiſſe veteri ſcilicet more, *Quo ita ſemper ſcelera feſtinant, quaſi contra innocentiam feſtinatione præualeant.* Cuius rei indignitatem poſteà deplorat his verbis. *Poſt iſta inſuper Pſeudoepiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram atque ad Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis & prophanis literas ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos (quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt) ad quos perfidia habere non poſsit acceſſum.*

Ex qua tota narratione hæc corollaria ſequuntur, quæ & Romani Pontificis hocce tempore, & Carthaginenſis Primatis tanquam Vicarij in Africa Sedis Apoſtolicæ, auctoritatem & prerogatiuam demonſtrent.

Primum, tanti momenti ad Epiſcopalis dignitatis firmitatem communionem cum Romano Pontifice iudicatam, vt hæretici & ſchiſmatici, & quidem illius partis, quæ Nouatiano adhærebat, homini, qui aduerſus Cornelium de Pontificatu contendebat, non crediderint tutam eſſe & firmam ordinationem à ſe factam, niſi Romani Pontificis, illiúſque qui legitimus vulgò habebatur, putà Cornelij, communicatorias literas impetraret.

Alterum, Epiſcopos in Africa damnatos, eoſdem poſteà Romæ variis artibus pro Catholicis recipi curaſſe, vt obtentâ à Romano Pontifice pace & communionis teſſerâ, pro Catholicis redeuntes haberentur.

Tertium, eos qui in Africa damnati eſſent, vt ſine ſpe vlla reſtitutionis forent, à Romano Pontifice non ſine cauſæ (vt probabile eſt) cognitione damnati ſolitos, & literis ipſius notari ad infamiam, & vltimam ac poſtremam damnationem conſueuiſſe.

Quartum, Primatem Carthaginenſem omnium Epiſcoporum in tota Africa nomina habuiſſe, & de ordinationibus ipſorum, an legitimæ vel illegitimæ forent, iudicaſſe.

Quintum, iudicium iſtud in Conciliis Epiſcoporum fieri ſolitum, ſed cum hac Primatis

Digitized by Google

Primatis Carthaginenſis prærogatiuâ multiplici, non ſolùm quòd Concilia conuocaret, ipſiſque præeſſet, verùm etiam quòd ad executionem ſententiæ, Concilij decretum ſummo Pontifici vel ordinationis admiſſæ vel reiectæ ſignificaret, catalogum Epiſcoporum apud ſe haberet, hunc ſummo Pontifici exhiberet: ſi quid aduerſus regulam Eccleſiaſticam in ordinationibus tentaretur, eidem cæteriſque, prout expedire videretur, Epiſcopis ſignificaret.

Sextum, Epiſcopos quoque ex tota Africa, ſi quid dignum depoſitione egiſſent, ab eodem Primate habitâ Synodo damnari debuiſſe; illúmque, decretúmque Concilij ſignificare, ſuis literis damnatum notare ſolitum fuiſſe, quod Donatum anteceſſorem ſuum feciſſe circa Priuatum Lambeſitanæ coloniæ Epiſcopum ſcribit ibi Cyprianus, eiúſque iudicium, vt pote & à ſe, & à Sede Apoſtolica confirmatum renouare ſe noluiſſe ſignificat, cùm tamen aliorum damnationes à quibuſdam Epiſcopis iam factas iterato tamen Concilio, cui ipſe præeſſet, causâ diſcuſsâ, confirmatas ibidem doceat. Neque id tantùm circa ſuæ prouinciæ ſpecialis, quæ proconſularis ſingulariter dicebatur Africæ, Epiſcopos à Primate Carthaginenſi geſtum oſtendunt, ſed circa Epiſcopos aliarum quoque prouinciarum; nam Priuatum Lambeſitanæ coloniæ Epiſcopum à prædeceſſore ſuo depoſitum in Numidia Epiſcopum fuiſſe conſtat; collocatur enim Lambæſa in Numidia à Ptolomæo in ſecunda Africæ tabula: & Maximum iſtum Presbyterum à Nouatianis Pſeudoepiſcopum creatum in Numidia ordinatum probabile eſt, quandoquidem ad eius creationem rumorem Nouatianos ſparſiſſe referat viginti-quinque Epiſcopos è Numidia conueniſſe. Illius tamen vitioſam ordinationem à ſe iudicatam, damnatam perſonam à prędeceſſore ſuo, & innocentiæ purgationem à ſe minimè admiſſam fuiſſe teſtatur.

§. II.

Quibus modis antiquitùs Primas Carthaginenſis de Epiſcopis Africanis aliarum prouinciarum iudicaret.

PRIMAS ergo Carthaginenſis de ordinationibus Epiſcoporum, ipſiſque Epiſcopis etiam in iis prouinciis, quæ Primatem ſuum auctoritate Metropoliticâ fungentem habebant, iudicabat variis modis, aliquando per appellationem, quomodo ipſum de Iouini & Maximi cauſa cognouiſſe probabile eſt, de quibus nempe hæc ſcribit, *Iouinus & Maximus comites cum Priuato aſſuerunt, ob nefanda ſacrificia & crimina in ſe prolatâ ſententiâ nouem Epiſcoporum collegarum noſtrorum condemnati*: en ſiquidem primum iudicium in prouincia haud dubiè factum abſque pręſentia Cypriani: ſed addit, *& iteratò à nobis in Concilio anno priore abſtenti*; en ſecundum iudicium, cui ipſe Cyprianus intererat, cui ſecundò videtur appellatio locum dediſſe.

Aliquando de iis iudicabat occaſione relationis ad ipſum neceſſariò faciendæ ad Eccleſiæ vnitatem tenendam; ſic enim verbi gratiâ de Maximi ordinatione, cùm ſibi tanquam ad Primatem ex more ſolito, & ex officio relatum fuiſſet, iudicauit Cyprianus, eámque illicò damnauit, & vt ſimiliter damnaret ſummus Pontifex, eámque reiiceret, ad Cornelium ſcripſit.

Quæ ratio de cauſis cognoſcendi tum ſummo Pontifici antiquitùs, tum Primatibus familiaris; nam ſicut ad Pontificem ſummum omnia grauiora negotia referebantur, cuius vel ſententia quęrebatur, vel rei iudicatæ confirmatio, vt patet ex epiſtola Hieronymi vndecima, Siricij epiſtola ad Himerium Tarraconenſem, epiſtolis Synodi Mileuitanæ, & Carthaginenſis ad Innocentium primum; eiuſdémque Innocentij literis reſponſoriis tam ad Concilium Mileuitanum, quàm ad Carthaginenſe, necnon ad Aurelium & Auguſtinum, quæ omnes habentur inter epiſtolas Auguſtini, eiuſdémque literis ad Victricium Rothomagenſem, Cyrilli Alexandrini ad Cęleſtinum parte 1. Concilij Epheſini cap. 14. Pelagij epiſtolâ ad Ioannem Conſtantinopolitanum, & Iuſtiniani lege ſeptimâ,

Vu

Codice *de ſumma Trinitate, & fide Catholica*, aliiſque paſſim. Ita & ad Primates grauiora omnia negotia referri mos erat, vt mox videbimus, imò & ad omnes in ſuperiori gradu Eccleſiaſtico conſtitutos, quatenus ab vno ſpiritu tota Eccleſia regeretur, nullâque in Eccleſiaſtico corpore diſſona ſententia, nulla diuerſitas communionis reperiretur: quod vnico Hieronymi teſtimonio probare mihi ſufficiet, qui epiſtolâ ſexageſimâ-primâ ad Ioannem Hieroſolymitanum aduerſus eum his verbis declamat, *Tu qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilij Canonibus vteris, reſponde mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum Paleſtinæ quid pertinet? Ni fallor hoc ibi decernitur, vt Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia: aut igitur ad Cæſarienſem Epiſcopum referre debueras, aut ſi procul iudicium expetendum erat, Antiochiam potiùs dirigendæ litteræ: maluiſti occupatis auribus moleſtiam facere* (Alexandrini Epiſcopi) *quàm debitum Metropolitano tuo honorem reddere.*

Mos autem iſte maximè ſolemnis, vbi de ordinationibus ageretur: nam cùm cuiuſuis Epiſcopatus nutaret, niſi cæterorum Epiſcoporum Catholicâ communione muniretur, vt Epiſcopus in ſua prouincia ordinatus eam promereri poſſet, narratio integra de ipſius ordinatione ad Primatem referri debebat, vt & ipſe illi communicaret, & ſubditarum ſibi prouinciarum Epiſcopis auctor eſſet, quatenus de nouo ordinatum reciperent, illique communicarent, ac de omnium ſententia ad Epiſcopum Romanum ſcriberetur, qui cauſam renouare poterat, & malè iudicatum à Primate reſcindere: quod in Cariliani cauſa mox videbimus. Sed iam vltra limites noſtros excurrere non placet, quandoquidem ex prædicta epiſtola videamus de ordinationibus in tota Africa factis ad Primatem prouinciæ referendi morem fuiſſe ſolemnem: & ipſum, iis quæ ſibi renuntiabantur, diſcuſſis, iudicaſſe cum Concilio, quos catalogo legitimorum Epiſcoporum inſcribere, quos expungere oporteret, de iiſque ad Romanum Pontificem accuratè ſcripſiſſe. Vnde patet omnium hocce tempore Epiſcoporum confirmandorum poteſtatem penes Carthaginenſem Epiſcopum fuiſſe: vtrùm verò ordinandorum poteſtatem haberet mox dicemus.

Denique iudicabat etiam de Epiſcopis Carthaginenſis Primas, litis poſtliminio, ſeu iudicio, vt vocant, inſtauratitio, cuius exemplum habemus in Priuato hæretico, qui iampridem in Concilio damnatus, & litteris encyclicis Donati Carthaginenſis Epiſcopi & Fabiani Romani Præſulis notatus, tamen iterùm in Concilio Carthaginenſi, cui præerat Cyprianus, ſupplicauit, vt cauſa ſua recognoſceretur, quod ipſum obtinere nequaquam potuit.

Simili, ni fallor, iudicio expoſcebat Fortunatianus Epiſcopus reſtitui: de quo hæc ſcribit epiſtolâ ſexageſimâ-quartâ *Epicteto fratri, & plebi Aſſuras conſiſtenti. Grauiter & dolenter motus ſum, fratres chariſſimi, quòd cognouerim Fortunatianum quondam apud vos Epiſcopum, poſt grauem lapſum ruinæ ſuæ pro integro nunc agere velle, & Epiſcopatum ſibi vendicare cœpiſſe.* Cuius conatibus quantâ auctoritate ipſe reſiſtat, oſtendit præcipuè ſub finem eiuſdem epiſtolæ iis verbis, *Quòd ſi Fortunatianus aut immemor ſui criminis per Diaboli cæcitatem, aut miniſter, & ſeruus Diaboli factus ad decipiendam fraternitatem, in hoc ſuo furore permanſerit, vos quantum poteſtis elaborate, & in hac caligine Diaboli ſæuientis, fratrum mentes ab errore reuocate: ne alienæ dementiæ facilè conſentiant, ne ſe deſperatorum delictis participes faciant, ſed teneant integræ ſalutis ſuæ tenorem, & integritatis conſeruatæ à ſe & cuſtoditæ perpetuum vigorem.* Et paulò pòſt, *Quòd ſi quis impatiens fuerit ad deprecandum Dominum, qui offenſus eſt, & nobis obtemperare noluerit, ſed deſperatos & perditos ſecutus fuerit, ſibi imputabit, cùm dies iudicij venerit. Quomodo eum deprecari in die illa Dominum poterit, qui & ante hoc Chriſtum, & nunc quoque Eccleſiam Chriſti negauit, & Epiſcopis ſanis, & integris, & viuentibus, non obtemperans comitem ſe & participem morientibus præbuit?* Verba illa ſunt hominis in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti, qui ſibi obtemperari velit, & eas pœnas minetur, *Quæ apud certos de Dei conſpectu, ſummùmque futuri iudicij præiudicium* Eccleſiaſticam eſſe cenſuram credentes, vim ſunt habituræ, vt innuit Tertullianus Apologetici capite trigeſimo-nono. Sed hoc exemplum non tam ἰξαρχίαν

in totam Africam Carthaginenſis Primatis probat, quàm Metropoliticum imperium in ſua Zeugitana prouincia; nam Aſſuras non longè ab Amædera ciuitate in Zeugitana prouincia ſtatuit Ptolomæus, & in notitia Epiſcoporum & ciuitatum Africæ, tempore regis Hunerij Peregrinus Epiſcopus Aſſuritanus inter Epiſcopos iſtius prouinciæ recenſetur.

§. III.

Quanta Primatis Carthaginenſis eſſet auctoritas, & vtrùm eius relationi fides denegari, ipſius ſententia reſcindi poſſet, ex Cypriano diſcutitur, cuius verba expenduntur.

OBITER autem verba iſta Cypriani, quæ habentur citatâ epiſt. 55. expendenda ſunt, *Quæ autem cauſa veniendi, & Pſeudoepiſcoporum contra Epiſcopos factum nuntiandi? aut enim placet quod illic fecerunt, & in ſuo ſcelere perſeuerant; aut ſi diſplicet, & recedunt, ſciant quò reuertantur; nam cùm ſtatutum ſit omnibus nobis, & æquum ſit pariter ac iuſtum, vt vniuſcuiuſque cauſa illic audiatur, vbi eſt crimen admiſſum: & ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat vnuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus: oportet itaque eos quibus præſumus, non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſuâ ſubdolâ & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſam ſuam vbi & accuſatores habere, & teſtes ſui criminis poſſint: niſi ſi paucis deſperatis & perditis minor videtur eſſe auctoritas Epiſcoporum in Africa conſtitutorum, qui iam de illo iudicauerunt, & eorum conſcientiam multis delictorum laqueis vinctam iudicij ſui nuper grauitate damnarunt. Iam eorum cauſa cognita eſt, iam de eis dicta ſententia eſt, nec cenſuræ congruit ſacerdotum mobilis atque inconſtantis animi leuitate reprehendi, cùm Dominus doceat & dicat, Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non. Si eorum qui de illis priore anno iudicauerunt numerus cum Presbyteris & Diaconis computetur, plures tunc affuerunt iudicio & cognitioni, quàm ſunt iidem iſti qui cum Fortunato nunc videntur eſſe coniuncti*, &c. Iis ſiquidem verbis Cyprianus tanti apud ſummum Pontificem debere eſſe relationem ſuam, vt pote Primatis, contendit, vt non facilè incertis rumoribus, & factioſorum quorumdam in contrarium renuntiationibus fides adhibenda ſit, ita vt propter iſta iudicium renouari præcipiatur.

Quæ proinde auctoritatem Primatis Carthaginenſis firmant: nec tamen Pontificis Romani abrogant, ſed prudentem ac maturam de priuatorum teſtimoniis deliberationem ipſi ineundam ſuadent, antequam publicæ fidei actis ac relationibus aliquid auctoritatis detrahatur; æquam pariter in ſuſcipiendis hominum querelis aduerſus publica iudicia, ac ſalutarem moderationem ipſi adhibendam conſulunt; quæ duo morati omnes ac cordati viri, ac benè erga Eccleſiam Catholicam affecti optima ac ſalutaria monita ſemper duxerunt: hàncque Cypriani mentem eſſe non ſolùm ex eo oſtenditur, quòd Martianum Arelatenſem Nouatianis partibus addictum, ab Epiſcopali poteſtate deiicere Romani Pontificis eſſe officij docuerit epiſt. 67. ad Stephanum; quódque damnatos ab Africanis Epiſcopis, Feliciſſimum à Cornelio, Priuatum à Fabiano iterùm damnatos, & vltimum Fabiani epiſtolis encyclicis notatum fuiſſe probauit dictâ epiſtolâ quinquageſimâ-quintâ: ad quid enim Romani Pontificis iudicio iterùm damnarentur, qui ab Africanis damnati eſſent, niſi eius ſententiâ potuiſſent abſolui? Verùm etiam quòd non ea proferat argumenta, quæ poteſtatem Romani Pontificis feriant, ſed quæ in hypotheſi de qua agebatur, æquitatem refutandæ iniquæ quorumdam relationis oſtendant.

Triplex ſiquidē argumentum proponere videtur. 1. iniquū eſſe, vt factioſi & notoriè ſcelerati homines iique numero pauci, & quorum magna pars iam damnata fuerat, vt vix ab vllis quibus noti erant, niſi ab inconſtantibus laudarentur, qui eos aliquando damnauerant: iniquum, inquam, eſſe vt ij aduerſus conſpirantem omnium Epiſcoporum Catholicæ communionis ſententiam audirentur, & tot Catholicorum

Epiſcoporum in ſententia permanentium, probitate & innocentiâ præcellentium iudiciis vel leuiter ſuâ relatione efficiant.

Alterum, eóque minùs id æquum eſſe, quando ex actis publicis teſtificationibúſque certis aliqui ex iis damnati eſſent, & ibi prouocarent, vbi nec teſtes aduerſus eos audiri, nec examinatio actuum tam commodè fieri poſſet: vnde iniquum videretur ibi purgationem eorùm admittere, vbi nec pro purgatione, nec pro accuſatione inſtrumenta ac teſtimonia præſtò eſſent.

Tertium, crimina Epiſcoporum vel notoria eſſe, vel occulta. Iudicium de notoriis à ſummo Pontifice poſt adeò celebre iudicium ſuperfluum eſſe, quandoquidem ſine forma iudicij facilè veritas ab ipſo criminis notorij iam publico & ſolemni iudicio damnati haberi ac reſciri poſſit. Occultorum autem criminum ab Epiſcopis commiſſorum iudicium Deo reſeruari: ac proinde perperàm in præſenti hypotheſi Romanum Pontificem Africanorum Epiſcoporum iudicia ad incudem iterùm reuocaturum.

Hanc autem mentem eſſe Cypriani, vt de occultis tantùm Epiſcoporum criminibus Dei iudicio reſeruandis intelligendus ſit, dum ait, *Singulis Paſtoribus portionem gregis eſſe adſcriptam, quam regat vnuſquiſque & gubernet rationem ſui actus Domino redditurus*, patet, quia ſi de quibuslibet criminibus intelligeretur, non ſolùm iudicium Romani Pontificis, quod inutile in caſu propoſito contendebat, verùm etiam ſuum atque Africanorum Epiſcoporum latum de priuato Epiſcopo & aliis iudicium ipſe hac ſententiâ euerteret. Solemnem, inquam, illum atque vſitatum morem iſto tempore fuiſſe, vt cùm occultum fuerit crimen, vel minùs euidens diſpenſandi ratio, ad Dei iudicium cauſa referretur, diſces ex epiſtola Cornelij ad Cyprianum, inter huius epiſtolas quadrageſima quinta, his verbis: *Quapropter Maximum Presbyterum locum ſuum agnoſcere iuſſimus, cæteros autem cum ingenti populi ſuffragio remiſimus. Omnia autem remiſimus Deo omnipotenti, in cuius poteſtate ſunt omnia reſeruata.* Quem iudicandi & loquendi morem imitatus Auguſtinus epiſt. 226. *Nam quæ negauit, Deo dimiſi; iudicibus, quæ occultare permiſſus non eſt.* Plura alia huius moris tum in Africana Eccleſia, tum in aliis ex Optato Mileuitano in cauſa Epiſcoporum Numidiæ, qui traditores fuerunt, & ſuo inuicem indicio ſepurgarunt in Concilio Cirtenſi; ex Ruffini hiſtoria in cauſa variorum Epiſcoporum accuſatorum coram aliis, de quibus hi iudicare nolunt; ex Gregorij Turonenſis hiſtoria in cauſa Nantini Comitis Engoliſmenſis excommunicati: ex Hieronymi commentariis in Hieremiam in cauſa Millenariorum: & Auiti Viennenſis epiſtola nomine totius Eccleſiæ Gallicanæ ſcripta *ad Senatores vrbis Romæ*, in cauſa Symmachi Papæ; & aliis luculentiſſimis teſtimoniis ſtudioſè, prudenter, atque eleganter collegit religioſiſſimus & noſtro ſæculo doctiſſimus Harlæus Archiepiſcopus Rothomagenſis lib. 1. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, quam ſplendidè nobis adornauit.

§. IV.

De poteſtate Primatis Carthaginenſis circa Epiſcoporum ordinationes.

PROBATVM eſt igitur vel vnicâ Cypriani epiſtolâ, Primatem Charthaginenſem de Epiſcoporum cauſis iudicaſſe, ipſúmque vnitatis Eccleſiaſticæ in Africa vindicem conſtitutum, ad quem Epiſcoporum omnium Africæ ordinationes referrentur, qui ad ſummum Pontificem de iiſdem referret.

Vtrùm autem ordinationes Epiſcoporum perficere tunc temporis potuerit in tota Africa, non liquet; certum eſt aliquas ipſo abſente ab Epiſcopis ſubditarum ſibi prouinciarum fuiſſe perfectas. Legantur priora iſta verba epiſtolâ quinquageſimâ tertiâ ad Fortunatum & ad alios ex Concilio Capſenſi. *Scripſiſtis mihi, fratres chariſſimi, quòd cùm in Capſenſi ciuitate propter ordinationem Epiſcopi eſſetis*, &c. Capſenſis autem iſta ciuitas in prouincia Bizacena ſita eſt, ſi credimus notitiæ Africæ à Sirmundo editæ, ſeu indiculo Epiſcorum Africano-

rum tempore Huneri Regis, in quo Vindemialis Capſenſis inter Epiſcopos prouinciæ Bizacenæ numeratur: quæ prouincia Bizacena, ex dictis ſuprà, tunc temporis videtur fuiſſe Africæ Proconſulatus, cuius non ſolùm Primas, ſed & Metropolitanus erat Carthaginenſis Epiſcopus: abſente igitur Cypriano, Epiſcopi iſtius prouinciæ ciuitati Capſenſi proximi pro ordinatione Epiſcopi conuenerant; nec aliter hoc tempore fieri poterat, quo per *vrbes ſingulas Epiſcopi conſtituti* ſolebant, teſte ipſo Cypriano epiſt. 52. *præſente plebe*, epiſt. 68. ordinari. Nam vnum Primatem ad vniuerſas vrbes Africæ pro ordinationibus ſingulorum Epiſcoporum, tempore præſertim perſecutionis proficiſci, res eſt ſupra fidem hominis. Quamobrem queritur Cyprianus citatâ epiſt. 55. Cornelio, Maximum ſe abſente, vel inconſulto ordinatum, nec hanc ordinationi eius exceptionem opponit. Concilium quoque Carthaginenſe III. Can. 39 manifeſtè oſtendit in Tripolitana prouincia Epiſcopos ab eiuſdem prouinciæ Epiſcopis ſolitos eſſe ordinari. Igitur non dubium eſt quin ordinationes Epiſcoporum à ſuis Primatibus, vel ab Epiſcopis vicinis in Africa tempore Cypriani, non à Primate Carthaginenſi fieri ſolerent.

Præſentiam quoque Primatis Africani poſterioribus temporibus neceſſariam minimè fuiſſe facilè conicio ex Concilio Cirtenſi, in quo cùm de Epiſcopo illius ciuitatis creando ageretur, Numidas Epiſcopos conueniſſe abſente Carthaginenſi Primate colligitur ex actis iſtius Concilij apud Auguſtinum lib. 3. contra Creſconium Grammaticum cap. 3. In quibus actis Secundus Tigiſitanus hæc prologuitur, *Probemus nos primò, & ſic poterimus hic ordinare Epiſcopum.* Tractabatur ergo de creando Epiſcopo Cirtenſi: Cirta autem celebris eſt & famoſa Numidiæ ciuitas; anteſignani iſtius Concilij in actis nominantur, Secundus Tigiſitanus, Donatus Maſculitanus, Martinus ab aquis Tibilitanis, aliàs ſcilicet Tibilitanus, Donatus Calamenſis, quos ex notitia citata Epiſcoporum Africæ patet ex prouincia Numidiæ fuiſſe; item & Victor à Ruſiccade, qui & ipſe ex Numidia; nam Ruſiccade maritima eſt Numidiæ ciuitas ex Ptolomæo & Plinio. Igitur ex Numidia Concilium celebratum, Primas ex Numidia erat; nam Secundum iſtum Primatem Numidiæ fuiſſe apud Auguſtinum in collatione diei tertij cap. 11. & 14. & alibi, non ſemel leges. Ordinatus eſt Epiſcopus Cirtenſis, abſente & inconſulto Epiſcopo Carhaginenſi: nam mortuus erat Menſurius, & vacabat Sedes Carthaginenſis, vel in locum Menſurij iam electus fuerat Cæcilianus, qui nec ipſis vt pote traditoribus communicabat, & quocum ipſis minimè conueniebar, vt pote quem ipſi poſteà damnauerint.

Poſterioribus quoque temporibus legimus plurimos ab aliis quàm ab Epiſcopo Carthaginenſi, putà à ſuis Primatibus ſeu Metropolitanis fuiſſe ordinatos, verbi gratiâ Auguſtinum à Megalio Calamenſi Primate Numidiæ, teſte Poſſidio in vita Auguſtini, Antonium Fuſſalenſem Epiſcopum à Primate item Numidiæ ad ordinationem peragendam *de longinquo vocato*, vt teſtatur Auguſtinus epiſtolâ ducenteſimâ ſexageſimâ primâ: plures Epiſcopos à Victore Bizacenæ prouinciæ Primate ordinatos, in vita ſancti Fulgentij capitibus decimo-ſexto, & decimo ſeptimo apud Surium 1. Ianuarij, & alios paſſim. Has tamen ordinationes non inconſulto Primate Carthaginenſi, ſaltem poſt Nicænum Concilium, fieri ſolitas probare non difficilè poſſumus, ex eo quòd in ordinatione Auguſtini conſenſum Carthaginenſis interueniſſe tradat Poſſidius in eius vita, referens Valerium Hipponenſem, *egiſſe ſecretis litteris apud Primatem Epiſcopum ſedis Carthaginenſis, allegantem imbecillitatem corporis ſui, ætatiſque grauitatem, & obſecrantem, vt Hipponenſi Eccleſiæ ordinaretur Epiſcopus, qui ſuæ Cathedræ non iam ſuccederet, ſed conſacerdos accederet Auguſtinus.*

Sed quia nouum iſtud exemplum ordinationis Epiſcopi in viuentis locum, & adiutorium, dici poſſet, ſummæ in Africa ſedis ſententiam requiſiuiſſe, nec idem de cæteris ordinationibus iudicium eſſe debere: ideò alia teſtimonia vrgenda.

Primum, Innocentij I. epiſt. 12. ad Aurelium, apud quem de indebitis ordinationibus expoſtulat, quaſi in ipſius poteſtate foret prauis vſibus cum auctoritate reſiſtere: ſed inſuper ex eadem epiſtola diſcimus Primatis Carthaginenſis officium fuiſſe decreta Sedis Apoſtolicæ promulgare, eáque vt executioni

demandentur, curare; cæterorum item Canonum obſeruantiam tueri, & contradicentes plectere: ſic enim epiſtolam concludit, *Frater chariſsime, hæc velim cuncta recitanda per omnes Africanas Eccleſias ſcripta dirigas, & iſtis connectas quas adiunximus literas præfectorum, vt conſilium de his, quæ iniquè laudantur, iudiciúmque, ſi quid tale probari poterit, fiat; vt præterita mala ſi doceantur admiſſa, dignâ ſeueritate coerceantur, & de cætero caueatur, ne Eccleſiæ ſanctitas per noſtram fatigatam negligentiam perdat priuilegia, quæ eſt per viros venerabiles conſequuta.* Sed efficaciora iſta ſunt: 1. Aurelij teſtificatio Can. 39. Concilij Carthaginenſis III. de aſſidua ſua opera in ordinandis Epiſcopis, quæ tanta eſſe non poſſet, niſi & aliarum prouinciarum Epiſcopos ipſe ordinare per ſeipſum conſueuiſſet, *Nam & in hac Eccleſia*, inquit, *ad quam dignata eſt ſanctitas veſtra conuenire* (id eſt in Carthaginenſi) *crebrò, ac pene per diem Dominicam ordinandos habemus, nunquidnam frequenter duodecim vel decem, vel multominùs adducere poſſunt Epiſcopos? ſed facile eſt mihi duos adiungere meæ paruitati vicinos Epiſcopos.*

Alterum eiuſdem Aurelij & aliorum ſententiæ in Concilio probatæ, ex quibus Canon 45. contextus eſt. *Aurelius Epiſcopus dixit, Sermonem meum admittite, fratres, contingit nonnunquam vt poſtulentur ab Eccleſiis, quæ præpoſitis egent vel Epiſcopis, vel Presbyteris; & tamen memor ſtatutorum id ſequor, vt conueniam Epiſcopum eius, atque ei inculcem, quòd eius Clericus à qualibet Eccleſia poſtuletur. Sed fortè in hodierno non reluctati ſunt, & ne quando contingat vt reluctentur, cùm fuerint à me in hac cauſa poſtulati, quem ſcitis multarum Eccleſiarum & ordinandorum cauſam ſuſtinere. Iuſtum eſt ergo, vt quemlibet conſacerdotem conueniam cum duobus è conſortio noſtro vel tribus teſtibus. Si verò indeuotus extiterit, quid cenſet charitas veſtra faciendum? Ego enim cunctarum Eccleſiarum dignatione Dei, vt ſcitis, fratres, dignitatem ſuſtineo. Numidius Epiſcopus dixit, Fuit ſemper hæc licentia huic ſedi, vnde vellet, & de cuius nomine fuiſſet conuentum, pro deſiderio cuiuſque Eccleſiæ ordinare Epiſcopum. Epigonius Epiſcopus dixit, Bonitas ſequeſtrat poſsibilitatem: Minùs enim præſumis, frater, & cùm te bonum ac clementem omnibus reddis, (habes enim hoc in arbitrio) ſatis eſt vt ſatisfiat perſonæ vniuſcuiuſque Epiſcopi in prima tantùm conuentione.*

Ex iis porrò verbis plurima ad Primatis Carrhaginis poteſtatem notatu digna expendenda ſunt. Primum, Primatem Carthaginenſem, vt loquitur Aurelius, *Multarum Eccleſiarum & ordinandorum cauſam ſuſtinuiſſe, ſeu cunctarum Eccleſiarum ſollicitudinem dignatione Dei ſuſtinuiſſe.*

Alterum ex teſtificatione Numidij, *fuiſſe ſemper hanc licentiam huic ſedi, vnde vellet, & decuius nomine fuiſſet conuentum pro deſiderio cuiuſque Eccleſiæ ordinare Epiſcopum:* id eſt, non nouum hoc eſt priuilegium, ſed antiquum, imò & coæuum Eccleſiæ Carthaginenſi, vt ipſius Antiſtes eum, de cuius ordinatione conuentus ac compellatus fuiſſet, ordinare Epiſcopum petenti Eccleſiæ poſſet.

Tertium, nullam cuiquam Epiſcopo Primatem Carthaginenſem irrogaſſe iniuriam, ſi aliquem ad Epiſcopatum nominatum, non dimittente eum proprio Epiſcopo, imò ſibi retinere volente, ac renitente promotioni ipſius, tamen promoueret, iuris ſui id fuiſſe, etſi Epiſcopus aliquis, vt poſteà adiungitur, vnum Presbyterum haberet: hunc ſiquidem Epiſcopatui neceſſarium aſſumere potuiſſe Carthaginenſem Primatem. Ex quibus diligenter notatis iſta colliguntur, 1. potuiſſe quamlibet Eccleſiam ex Africanis Epiſcopum à ſe electum Primati Carthaginenſi ad ordinationem offerre: alterum oblatum potuiſſe ab eodem Primate pro eius voluntate ordinari. Tertium, cùm ex aliena Eccleſia Clericus ad Epiſcopatum poſtularetur, vel proprij Epiſcopi conſenſu, vel Primatis Carthaginenſis auctoritate opus fuiſſe, vt ad Epiſcopalem dignitatem ordinaretur; morem autem fuiſſe in eo caſu ad Carthaginenſem Primatem recurrendi, qui vel Epiſcopo proprio Clerici ſui dimiſſionem perſuaderet, vel nolenti extorqueret; qui moderatiùs agerent perſuadere conatus, quod auctoritate obtinere poterat; ſed Concilium iudicaſſe ius iſtud Primati Carthaginenſi ab omni tempore ac inquiſitum, non de nouo collatum. Quartum denique videri eo tempore, quo prædictum Concilium habitum eſt (dicitur autem à Baronio anno Chriſti 424. celebratum,) imò etiam non paruo ante ipſius celebrationem tempore, prærogatiuam iſtam eiuſdem Primatis fuiſſe, vt nulla Epiſcopi per totam Africam ordi-

natio ipſo inconſulto legitima fieret; non enim aliàs affirmare potuiſſet Aurelius modò multarum, modò cunctarum Eccleſiarum cauſam ſuſtinere, id eſt, Africanarum omnium, quæ reſpectu Africæ *cunctæ* ſunt, reſpectu orbis Catholici *multæ*, & *ordinandorum*, eodem ſenſu *cunctorum*, & *multorum* curam ſe ſuſcepiſſe.

Illud autem priuilegium Carthaginenſi ciuitati à Wandalis ereptæ, Iuſtinianum Nouel. 131. cap. 4. & Agapetum Papam epiſt. 3. ad Reparatum reſtitui voluiſſe: Leonem quoque nonum eidem etiam, poſtquam à Saracenis deuaſtata fuiſſet, epiſt. *Petro, & Ioanni Epiſcopis in Africæ*, aduerſus Gummitani cuiuſdam Epiſcopi impetitionem aſſeruiſſe docuimus de ſacris ordiationibus, ſect. 5. cap. 4. art. 4. §. 5. num. 24.

§. V.

De grauioribus negotiis Primatem Carthaginenſem ab Epiſcopis Africanis fuiſſe conſultum, vbi de eius in Conciliis Africanis poteſtate.

NEQVE tantùm in ordinationibus, verùm etiam in relatione maiorum & difficiliorum cauſarum ad iudicium Primatis Carthaginenſis, & poteſtate quam habebat conuocandorum ex tota Africa ad Concilium Epiſcoporum, & in Concilio totius gentis præſidendi, ac decreta ad prouincias mittendi, & vbi occaſio vrgeret eaſdem inuiſendi, Primatis Carthaginenſis poteſtas elucet.

Moris fuiſſe vt maiora omnia & grauiora negotia ad Primatem Carthaginenſem referrentur, vt ea ipſe in Concilio diſcuteret, examinaret, iudicaret, patere poteſt ex variis epiſtolis Cypriani; nam verbi gratiâ, cùm Antonianus (quem vnum ex Epiſcopis Numidis fuiſſe ex titulo conſtat, ad quos cum collegis de baptizandis hæreticis ſcripſit epiſt. 70.) Nouatiani litteris motus de huius hæreſi, & de cauſa lapſorum inſtrui petiiſſet, ipſi ſcribens Cyprianus epiſt. 52. oſtendit cauſam iſtam à ſe Concilio multorum Epiſcoporum fuiſſe definitam, quam ſcilicet anteà, cùm perſecutionis feruor non permiſiſſet habere Concilium, definire minimè ſolus auſus fuerat, vt conſtat ex eiuſdem epiſt. 10. 12. 28. 32.

Idem à Fortunato & aliis ex Synodo Capſenſi, vt ex epiſt. 53. initio innoteſcit, conſultus vtrùm admittendi eſſent ad communionem lapſi quidam, qui multa tormenta perpeſſi, tandem carnis infirmitate fuiſſent ſuperati, priuatam ſuam ſententiam aperit dictâ epiſt. publicam, & authenticam cum Concilio pollicitus, ad quod ſcilicet conuocandum fuerat inuitatus, quemadmodum his verbis ipſe teſtatur, *Quoniam tamen ſcripſiſtis, vt cum pluribus collegis de hoc ipſo pleniſſime tractem, & res tanta exigit maius & impenſius de multorum collatione Concilium, & nunc omnes fere inter Paſchæ prima ſolemnia apud ſe cum fratribus demorantur: quando ſolemnitati celebrandæ apud ſuos ſatisfecerint, & ad me venire cœperint, tractabo cum cæteris plenius, vt de eo quod conſuluiſtis, figatur apud nos & reſcribatur vobis firma ſententia multorum ſacerdotum conſilio ponderata.*

Ad quam conſultationem ex Concilio Numidiæ ad ipſum relatam notare debemus, & Epiſcopos Africanos eâ ætate in Conciliis ſuarum prouinciarum congregari ſolitos, & difficiliora negotia, ſi quæ occurrerent per ſeipſos definire non auſos, ea ad Primatem Carthaginenſem retuliſſe, qui diuerſarum prouinciarum Concilio congregato ipſa terminaret: eáque Concilia ſæpè poſt Paſchatis feſtum, vt tum ex citatis verbis, tum ex aliis ſimilibus, epiſtolâ verbi gratiâ quadrageſimâ notari poteſt, fuiſſe celebrata; quin etiam ex ſequentibus epiſtolis ordo hierarchicus maximè elucet, quòd eadem quæ in Conciliis tum prouincialibus, tum nationali Africano fuiſſent definita, ſummo Pontifici referrentur, vt conſtat ex epiſt. 54. Synodi totius Africanæ *ad Cornelium*, in cauſa lapſorum, & 72. ſimiliter Synodicâ *de baptizandis hæreticis, ad Stephanum:* cuius initio ſatis oſtendit, quæ ab Africanis Epiſcopis fuiſſent concluſa, ea ad Sedem Apoſtolicam fuiſſe referenda, *Sed de eo*, inquit, *vel maxime tibi ſcribendum, & cum tua grauitate ac ſapientia conferendum fuit, quid magis pertineat, & ad ſacerdotalem auctoritatem, & ad Eccleſiæ Catholicæ vnitatem pariter ac dignitatem de diuinæ diſpoſitionis ordinatione venientem.*

Sed iis prætermiſſis, quæ noſtro iam inſtituto minùs congruere videntur, legimus eundem Cyprianum conſultum à Fido circa duplex caput, vtrique ex ſententia Concilij reſpondiſſe epiſt. 59. Et quidem in reſponſione ad primum caput ſuam ſimul ſententiam, & auctoritatem, & moderationem oſtendit, dum ſcribit, *Quæ res*, inquit, *nos ſatis mouit, receſſum eſſe à decreti noſtri auctoritate, vt ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu & conſcientia plebis, nulla infirmitate vrgente, & neceſſitate cogente pax ei concederetur: ſed librato apud nos conſilio ſatis fuit obiurgare Theraphium collegam noſtrum, quòd temerè hoc fecerit; inſtruxiſſe, ne quid tale de cætero faciat. Pacem tamen quandocumque à ſacerdote Dei ſemel datam non putauimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem ſibi conceſſam vſurpare permiſimus.* Auctoritas Primatis Carthag. in Concilio præſidentis elucet, quòd decreti ſui auctoritatem prædicet, quòd ab eius *auctoritate* receſſum fuiſſe dolere ſe ſcribat: quòd Epiſcopum eius violatorem obiurgatum à ſe teſtetur. Sed moderatio eiuſdem in eo apparet, quòd cùm pacem à Presbyteris vel Diaconis ante tempora præſcripta redditam, inanem, nullam, irritam ſæpè pronuntiaſſet epiſt. 10. 11. 12. 13. 14 & aliis, tamen pacem temerè & præproperè datam ab Epiſcopo reuocare non præſumat, ſed eam valere iubeat: vt videas longè maiorem eſſe Epiſcopi in ſuos Presbyteros ac Diaconos, quàm Primatis etiam ex Concilij nationalis ſententia definientis auctoritatem.

Ad Pomponium pariter ex ſententia Concilij *de virginibus*, quæ in eodem lectulo cum maſculis repertæ fuiſſent, reſpondet epiſt. 62. *Presbyteris, & Diaconibus, & plebi Furnis conſiſtentibus*; reſcribit epiſt. 66. *de Victore*, qui Fauſtinum Presbyterum tutorem nominauerat: ſed ad eius Metropoliticam dignitatem hæc cauſa meo iudicio pertinebat. De baptizandis hæreticis ſæpè conſultus à Iannario & Epiſcopis Numidis in Concilio congregatis; ipſe quoque de Concilij ſuæ prouinciæ ſententia reſcribit epiſt. 70. à Quinto iterùm rogatus quid in Concilio ipſe ſtatuiſſet, quid Agrippinus prædeceſſor ipſius, *cum cæteris Coepiſcopis ſuis, qui illo tempore in prouincia Africa, & Numidia Eccleſiam Domini gubernabant*, exponit epiſt. 71. A Iubaiano ſimiliter de ea quæſtione inquiſitus, fuſiùs reſpondet epiſt. 73. Quibus epiſtolis, quemadmodum & aliis, 72. *ad Stephanum*, quæ eſt Synodica, & 74. *ad Pompeium*, quæ eſt Agoniſtica, *contra epiſtolam Stephani*, Concilij ſemper Africani præſidem & vindicem agit.

§. VI.

Continuatio de poteſtate Primatis Carthaginenſis in Conciliis Africanis, vbi obiter de eiuſdem veneratione in tota Eccleſia Africana.

EXTANT etiam acta ſecundi Concilij Carthag. totius Africæ in hac quæſtione habiti, & quidem percelebris, *Cùm* ſcilicet *in vnum Carthagini conueniſſent, Kalendis Septembris, Epiſcopi plurimi ex prouincia Africa, Numidia, Mauritania*, (quæ ſolæ ex prædictis tres Eccleſiaſticæ prouinciæ erant Primati Carthaginenſi ſubditæ, ita vt ſcilicet Africa Zeuzitanam, Byzacenam, Tripolitanam comprehenderet:) cui Concilio occaſionem dediſſe videntur litteræ Iubaiani Epiſcopi ad Cyprianum, & Cypriani ad ipſum. Quantumuis autem ſtatim initio Concilij hæc verba habeantur, quæ prima fronte inter Epiſcopos ęqualitatem videntur arguere. *Neque enim quiſquam noſtrùm Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit: aut tyrannico quodam terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit, quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ arbitrium proprium; tàmque iudicari ab alio non poſſit, quàm nec ipſe poteſt alterum iudicare: ſed expectemus vniuerſi iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vnus & ſolus habet poteſtatem, & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro iudicandi.* Quæ verba duntaxat herilem dominatum excludunt ab Eccleſia, non ſacrum principatum; oſtendúntque neque ad libitum inſtituendi & deſtituendi Epiſcopos penes quemquam poteſtatem eſſe; neque *vllam nos auctoritatem deterrere debere à quærendo*, quod verum ſit. *Atque in his quæſtionibus quæ nondum eliquatiſſimà perſpectione diſcuſſæ ſunt*, vnicuique ſen-

tiendi liberum debere eſſe arbitrium, vt nec iudicare quemquam poſſit, nec ab alio iudicari: ſed iudicium Deo ſit remittendum, qui vniuſcuiuſq; animum inſpicit, quibus motiuis & rationibus inducatur; quâ diligentiâ, quo ſtudio inquirat: quemadmodum hæc verba interpretatur Auguſtinus lib. 3. *de Baptiſmo, contra Donatiſtas*, cap. 3. qui & conſilium Cypriani cur ea verba præmiſerit, fuiſſe oſtendit; quòd cum in ipſo ſtatim Concilij veſtibulo Iubaiani ad ſe, & ſuas ad Iubaianum literas legi iuſſiſſet, ne præiudicare cæterorum opinionibus videretur, non ſolùm ſingulis ſaluo iure communionis ſuæ, *adhuc verum quærere, ſed etiam diuerſum ſentire conceſſit*. In quo manſuetudinem ipſius & humilitatem demiratur Auguſtinus, additque, *Nouerat enim quantam ſacramenti profunditatem tunc omnis Eccleſia variâ diſputatione verſabat, liberúmque faciebat quærendi arbitrium, vt examinata veritas panderetur; neque enim mentiebatur, & ſimpliciores collegas ſuos in verbo capere cupiebat, vt cùm ſe diuerſum ſapere prodidiſſent, contra quam promiſerat, excommunicandos eſſe cenſeret.*

In quibus proinde verbis, prout ab Auguſtino in tota ſerie orationis optimè exponuntur, intueri poſſumus quanta inſederit omnium Epiſcoporum Africæ animis veneratio Carthaginenſis Primatis, vt timori & ſuſpicioni locus eſſet, ne manifeſtata ipſius ſententia præiudicium foret, quòd non liberè, non ſincerè ceteri in eam deſcenderent, ſed potiùs auctoritate proferentis vel imperio traherentur: quod vtique effectus ipſe probauit, quandoquidem in errorem Cypriani Africani omnes Patres pedibus manibúſque nullo dempto præcipites iuerint. E quibus proinde Concilij actis apparet, quanta cum auctoritate Primas Carthaginenſis propoſuerit definienda in Conciliis, concluſerit definita, & toti Concilio præſederit. Quæ ſecuta ſunt Concilium idem oſtendunt, nam epiſtolis ſequentibus ad Pompeium, & ad Firmilianum pro Concilij ſententia tanquam præſes adeò excanduit, vt excuſatione opus habuerit, quemadmodum Auguſtinus lib. 5. *de baptiſmo*, cap. 25. lib. 1. *contra Creſconium*, cap. 1. 2. & 3. & alibi non ſemel indicat.

Quanta verò eiuſdem ſedis fuerit reuerentia apud Africanos ex iis obiter notum facio. 1. ex querimonia Cypriani epiſt. 78. *ad Feliciſſimum*, in quem iis verbis inuehitur, *Cúmque poſt hæc omnia nec loci mei honore, nec veſtrâ auctoritate & præſentiâ fractus*, &c. Deinde ex narratione Optati, qui de Donato loquens lib. 2. & ſuperbiam eius interpretans, qui ſibi, quia *primus Epiſcoporum* ſuæ factionis, vt pote Carthaginenſis Epiſcopus erat, immenſum honorem à ſuis expetebat. *Deinde*, inquit, *cùm Epiſcopi Deo debeant famulari, tantùm de Epiſcopis exigit, vt eum non minori metu omnes venerarentur quàm Deum.* Denique ex ipſius Auguſtini & Alipij ſubmiſſione Aurelio, quem epiſt. 77. vt patrem colere teſtantur, eiúſque ſe filios profitentur, & nominatim Auguſtinus iis quæ ipſe iuſſerat, obediturum ſpondet.

Inſequentibus temporibus eadem poteſtas Carthaginenſis Primatis in conuocandis & habendis Conciliis generalibus totius Africæ apertiſſimè patet ex præfat. Concilij Carthag. ſub Iulio: ex qua conſtat *Gratum Epiſcopum Carthaginenſem vnà cum collegis ſuis conſediſſe*, præfatum fuiſſe vt præſidem, *ſecum res tractandas* eſſe prolocutum fuiſſe, & ita prudenter ac moderatè definiendum, *quòd nec Carthago vigorem legis infringat, nec tempore vnitatis aliquid duriſſimum ſtatuatur.* Eundem Gratum ſingula capita diſciplinæ vel propoſuiſſe, vel ab aliis propoſita concluſiſſe acta Concilij iſtius oſtendunt. Aurelium ſex aut ſeptem Carthaginenſibus Conciliis, & Mileuitano ſaltem vni ex duobus præſediſſe: Genedium Aurelij ſucceſſorem Carthaginenſi vulgò dicto ſecundo, reuerâ poſtremo, prædictorum Conciliorum acta fidem faciunt. In collatione Carthaginenſi cognitione 1. lecta iſta ſunt, *Mandatum factum in Eccleſia Carthaginenſi ab vniuerſo Concilio Epiſcoporum Catholicorum, præſidente Aurelio Epiſcopo Eccleſiæ Carthaginis, & Siluano Primate Numidiæ.*

Concilium aduerſus Pelagium coactum referens ſanctus Proſper, Aurelium ipſius ducem ſtatuit, carmine de ingratis:

An alium in finem poſſet procedere ſanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniúmque
Auguſtinus, &c.

His verò Conciliis Aurelius Carthaginenſis præſedit, & quidem tanta cum auctoritate, vt cùm electi fuiſſent iudices terni ex ſingulis quinque Africæ prouinciis, putà ex prouincia Carthaginenſi, ex prouincia Numidiæ, ex Bizacena, Mauritania, Sitifenſi & Tripolitana; electi fuerint, *Vt omnes cum ſancto ſene Aurelio vniuerſa cognoſcant, à quo petiit Concilium vt cunctis ſuis geſtis quæ confecta iam ſunt, ſuis epiſtolis ipſe ſubſcribat*, vt habetur Can. 17. Concilij Mileuitani ſecundi: in quo mendum eſſe ſuſpicor, vt cùm de Mauritanis agitur, *Sitifenſis* particula irrepſerit; cur enim Tingitanæ nulla eſſet mentio, à qua Sitifenſem poſteà auulſam fuiſſe certiſſimum eſt?

§. VII.

Solutio obiectionis aduerſus dignitatem Primatis Carthaginenſis.

SED vnde ergo, dicet aliquis, literis miſſis ab eodem Concilio Mileuitano, primus Siluanus ſenex, id eſt, Primas, ſecundus Valentinus, tertius Aurelius ſubſcribit: vnde Innocentius ad eoſdem reſponſoriam epiſtolam ſcribens, eundémque ordinem ſeruans, tertio tantùm loco Aurelium nominat? Facilis eſſet ſolutio, Aurelium in Concilio Mileuitano nominatum non eſſe eundem qui Primas eſſet Carthaginenſis, ſed alium in Numidia eiuſdem nominis; Concilium ſiquidem Mileuitanum non fuiſſe generale, ſed tantùm prouinciale, cui proinde præfuerit Siluanus Numidiæ Primas, mox interfuit Aurelius Carthaginenſis.

Sed huic reſponſioni obſtare videntur primò verba iſta præfationis Concilij Mileuitani, *Glorioſiſſimis Imperatoribus Arcadio & Honorio Auguſtis, viris clariſſimis Conſulibus, 6. Kalendas Septembris, in ciuitate Mileuitana, in ſecretario Baſilicæ, cùm Aurelius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginis in Concilio vniuerſali conſediſſet, adſtantibus Diaconibus, Aurelius Epiſcopus dixit: Quoniam Eccleſiæ ſanctæ vnum eſt corpus, omniúmque membrorum caput vnum factum eſt, volente Domino ac noſtram infirmitatem iuuante, vt hanc Eccleſiam conueniremus dilectionis & fraternitatis gratiâ inuitati: vnde quæſo charitatem veſtram, quia ita credendum eſt, quòd noſter acceſſus ad vos nec ſuperfluus, nec inſuauis eſt cunctis*, &c.

Quid enim ex iis verbis concludi poteſt, quàm præſidem Aurelium Concilij egiſſe, qui primus conſediſſe dicitur, qui caput vnum totius Africanæ Eccleſiæ Mileui collectæ iuuante Domino ſcribitur, qui tractanda in Concilio proponit; quòd enim inuitatus dicatur ad Concilium, non autem inuitaſſe, non præſentiam ipſius aut principatum deſtruit, ſed fraternam dilectionem quæ inferiores induxerit, vt ſuperiorem ad ſe ob imminentes neceſſitates vocarent; ſuperiorem, vt ab inferioribus inuitatus præſentiam ſuam non renueret, auxilium præſtaret, & eorum congregationi tum ſuâ præſentiâ, tum aliorum Epiſcoporum ex alienis prouinciis, quos vel ſecum adduxerat ad Concilium, vel conuocarat, honoraret.

Secundò, quòd Can. vlt. ex quibuſlibet prouinciis iudices ſelecti fuerint, qui cum Aurelio negotia omnia terminarent. Verùm ex alia parte Concilium iſtud Mileuitanum fuiſſe tantùm prouinciale firmant, Primò iſta epiſtolæ Synodalis Mileuitani Concilij ad Innocentium verba, propè finem: *Hæc ad ſanctitatem tuam de Concilio Numidiæ ſcripta direximus, imitantes Carthaginenſem Eccleſiam, & Carthaginenſis prouinciæ coepiſcopos noſtros, quos ad Sedem Apoſtolicam (quam beatus illuſtras) de hac cauſa ſcripſiſſe comperimus.* Nam Concilium Mileuitanum dicitur ibi duntaxat Concilium Numidiæ, Concilium Carthaginenſe duntaxat Carthaginenſis prouinciæ.

Tertiò, ſanctus Auguſtinus in geſtis Eccleſiaſticis, ſeu epiſt. 110. duo iſta Concilia Carthaginenſe & Mileuitanum II. quorum vtroque ſcribendi aduerſus Pelagium curam impoſitam ſibi teſtatur, *Concilia Numidiæ*, & *Carthaginis* vocans, innuere videtur, quòd prouinciæ Numidiæ Mileuitanum, Carthaginenſis alterum Concilium eſſet. Mileuitanum autem, licèt poſteriùs habitum, & inferioris ac ignobilioris prouinciæ priùs nominat, quia ſuæ prouinciæ Concilium erat, cuius lege magis ſe obligatum ſentiebat, quod vtique non eſſet, ſi aut Carthaginenſe

vniuerſale, Mileuitanum verò prouinciale, aut vtrumque æquè vniuerſale fuiſſet. Idem quoque Auguſtinus epiſt. 47. *Valentino*, de duobus iſtis Conciliis agens quæ ad Innocentium ſcripſerunt, primum *Carthaginenſis prouinciæ*, alterum *Numidiæ* vocat. Probant enim iſta duo Concilia fuiſſe tantùm prouincialia, vnum prouinciæ Carthaginenſis, alterum Numidiæ. Duæ autem obiectiones allatæ ſolui nequeunt, niſi fateamur collectionem iſtorum Conciliorum in pluribus peccaſſe.

Primò, quòd Concilium Mileuitanum primum cum ſecundo confuderit, & præfationem Mileuitani Concilij primi ſecundo affixerit, quod fatetur ipſe Baronius annn 402. num. 52. & 55. & anno 416. &c. Poteſtque probari ex Conſulatu quinto Arcadij & Honorij, qui incidit in annum 402. quo habitum eſt Concilium Mileuitanum primum; cùm è contrà ſecundum nonniſi anno 416. habitum fuerit. Vnde Concilium ad quod acceſſit Aurelius Carthag. quódque ipſo præſidente in Eccleſia Mileuit. habitum eſt, quod vniuerſale ex omnibus Africæ prouinciis collectum dici poteſt, fuit Concilium Mileuitanum primum, illud ipſum quod ad cauſas aliquas dirimendas ex quibuſlibet prouinciis Epiſcopos aliquos delegit, qui cum Aurelio Carthaginenſi cauſas definirent. Ex quo patet reſponſionem ad duo iſta, quibus ſolutio iſta impugnabatur, priùs allatam probandam eſſe, nempe non fuiſſe eundem Aurelium, qui Carthaginenſis Epiſcopus erat, cum eo qui in Synodali epiſtola Cnncilij Mileuitani tertio loco nominatur, ſed alium cognnminem; quod mirum non eſt, cùm in Concilio Carthaginenſi, verbi gratiâ aduerſus Pelagium, duo *Reſtituti*, duo *Victores*, duo *Cypriani*, duo *Iuuentij* nominati reperiantur.

Illum ergo Aurelium Epiſcopum Numidam fuiſſe eundem dicimus, qui Concilio prouinciæ Numidiæ in ciuitate Cirtenſi habito interfuit, & epiſtolæ Synodali eiuſdem Concilij tertio ſimiliter loco poſt eoſdem Siluanum & Valentinum ſubſcripſit, vt ex ipſa inter epiſtolas Auguſtini 152. conſtare poterit. Et ſanè ſi Aurelius Carthaginenſis ſimul cum Siluano ſubſcripſiſſet, primus vtique, & ante ipſum Siluanum ſubſcripſiſſet: quemadmodum in collatione cum Epiſcopis Bizacenæ prouinciæ circa quædam capita, priùs illum ſubſcripſiſſe quàm Muſonium Primatem prouinciæ Bizacenæ ex actis Conciliorum Carthaginenſium innoteſcit: quin etiam compertum habetur ex collatinne Carthaginenſi, actinne 1. eum ante Siluanum Primatem Numidiæ ſubſcripſiſſe, & in Concilio primo Mileuitano ante Xantippum Primatem eiuſdem prnuinciæ, quod vtique leges Can. 53. Concilij Africani.

Ad maiorem explicationem hæc addo, certum eſſe vtramque epiſtolam ad Innocentium I. tam Conc. Carthaginenſis, quàm Mileuitani per Iulium Epiſcopum Romam fuiſſe delatam, vt teſtatur Innocentius I. litteris ad Patres tum Carthaginenſes tum Mileuitanos: certum quoque per eundem Iulium quinque Epiſcopos Africæ inſigniores Aurelium, Alypium, Auguſtinum, Euodium & Poſſidium Innocentio ſcripſiſſe, vt ex epiſtola Innocentij ad eoſdem conſtat, quæ nonageſima-ſexta eſt inter epiſtolas Auguſtini: certum eſſe ipſas literas tam Carthaginenſis, quàm Mileuitani Concilij per iſtos Epiſcopos ſelectos ad Innocentium fuiſſe miſſas, vt eorum epiſtola ad Innocentium, quæ eſt nnnageſima-quinta inter epiſtolas Auguſtini, ſtatim initio oſtendit iis verbis, *De Conciliis duobus prouinciæ Carthaginenſis atque Numidiæ ad tuam Sanctitatem non paruo Epiſcoporum numero ſubſcriptas literas miſimus contra inimicos gratiæ Chriſti.* Certum denique Auguſtinum Carthaginenſi Concilio non interfuiſſe, ſed tantùm Mileuitano, vt verba iſta epiſtolæ ipſius nonageſimæ-quartæ ad Hilarium oſtendunt, *Iam enim cùm iſta ſcriberem cognoueramus in Eccleſia Carthaginenſi aduerſus eos* (Pelagium & Celeſtium) *Epiſcopalis Concilij fuiſſe conditum decretum per epiſtolam ſancto & venerabili Innocentio Papæ dirigendam: & nos de Concilio Numidiæ ad eundem Apoſtolicam Sedem iam ſimiliter ſcripſeramus.*

§. VIII.

Continuatio poteſtatis Carthaginenſis Primatis in Conciliis per totam Africam.

EX prædictis colligi poſſunt aliqua circa Primatis Carthaginenſis in Conciliis per totam Africam poteſtatem minimè contemnenda. 1. Carthaginenſem Primatem extra ſuam prouinciam illis præſidere potuiſſe, vt patet exemplo Concilij Mileuitani, cui Aurelius Primas Carthagineſis præfuit, cuius præſidentiæ & auctoritati non officit, quòd inuitatus ad ciuitatem Mileuitanam ad præſidendum acceſſiſſe dicatur: quin immò ex eo colligitur cùm in aliqua prouincia graues & momenroſæ quæſtiones ſuborirentur, cuiuſmodi erant cauſæ Epiſcoporum, quæ in Mileuitano primo tractandæ erant, inuitari ſolitum Primatem Carthaginenſem, & alios ex vicinis prouinciis, vel certè illos à Primate Carthaginenſi euocatos fuiſſe & cum eo acceſſiſſe.

Alterum, tantam fuiſſe eiuſdem Primatis prærogatiuam, vt cauſarum in Conciliis propoſitarum iudicium ſi protrahi oporteret, ne diutiùs Epiſcopi abeſſent à ſuis ciuitatibus, ad iudicandum ſeligerentur ex qualibet prouincia aliqui iudices, qui cum Primate Carthaginenſi ſententiam proferrent, quod actum eſt in Concilio Mileuitano I. vt ex eius Canone vlt. conſtat. Item tantam eius fuiſſe dignitatem, vt Concilium, cui Primas Carthaginenſis cum aliis intereſſet, vniuerſale totius Africæ cenſeretur.

Tertium, eiuſdem Primatis auctoritatem in eo quoque elucere, quòd literæ à duobus Conciliis ſcriptæ ad Innocentium primum ab Aurelio, vel quos ipſe elegerat, vel quos promotores damnationis Pelagianorum Synodi iſtæ duæ legerant, mitterentur: ſed probabiliùs ab Anrelio cùm delectus alicuius facti ab iſtis Synodis, nullum in ipſis ſuperſit veſtigium, quemadmodum Aurelij & aliorum nomine ſcriptæ epiſtolæ ad Innocentium, nonageſimæ-quintæ inter epiſtolas Auguſtini, priora verba declarant, *De Conciliis duobus prouinciæ Carthaginenſis, atque Numidiæ ad tuam ſanctitatem à non paruo Epiſcoporum numero ſubſcriptas literas miſimus contra inimicos gratiæ Chriſti.* Quòd Aurelium qui eas epiſtolas deferret Iulium Epiſcopum Romam miſiſſe probabile ſit, vt pote cùm eius miſſi meminerit Innocentius epiſtolis reſponſoriis. Concilia verò eiuſdem epiſtolis ſuis Synodicis non meminerint, quod indicium eſt nec Epiſcopos Numidas à Siluano congregatos auſos fuiſſe ſummo Pontifici ſcribere, niſi auctoritate Aurelij Carthaginenſis, ad quem literas ſuas miſerunt ad ſummum Pontificem dirigendas; quo ſcilicet medianre, vt diximus, ſummo Pontifici quodammodo communicabanr atque cohærebant, lege ſubordinationis hierarchicæ. Eoſdem quoque poteſtati Aurelij reliquiſſe, vt & literas ad ſummum Pontificem mitteret, & ex Epiſcopis aliquem qui eas deferret, deducere poſſumus, quemadmodum & legimus apud Cyprianum epiſt. 42. ad Cornelium, ipſum Romam miſiſſe duos ex collegis ſeu Epiſcopis, *Caldonium & Fortunatum, vt non tantùm perſuaſione literarum*, quas ipſe ſcripſerat, *ſed præſentiâ ſuâ & conſilio omnium* Romanorum *eniterentur quantum poſſent, & elaborarent, vt ad Catholicæ Eccleſiæ vnitatem ſciſſi corporis membra componerent, & Chriſtianæ charitatis vinculum copularent.*

Quartum, colligitur ex prędictis præter Concilia nationalia, quibus præerat Carthaginenſis Primas, habuiſſe ipſum aliquando Concilia varia in prouincia Carthaginenſi, cui Metropolitico iure præerat, cuiuſmodi fuerunt Concilia, quæ Cyprianus ſe habiturum pronunciat, ſiue cùm proferendum erat decretorium iudicium in cauſa Feliciſſimi, cùm Deus permiſiſſet, quem interim abſtinet, ſeu à diuinis ſuſpendit, quia perſecutio Concilij celebrationem non facilè permittebat, vt narrat epiſt. 38. ſiue cùm poſt damnatos quinque Presbyteros factionis Feliciſſimi, ad ea diſponenda & limanda omnia quæ agenda erant, Concilium expectandum ſcribit epiſt. 40. quale Concilium erat illud, cuius ſententiâ Geminius Victor in altari nominari poſt mortem prohibitus, & pro eius dormitione oblatio vetita, eo quòd Geminium Fauſtinum Presbyterum tutorem teſtamento nominaſſet:

naſſet: quam ſententiam denunciat à ſe & collegis latàm Cyprianus *Clero & plebi Furnitanorum*, epiſt. 66. quòd autem Clero & plebi hanc ſententiam per epiſtolam pronuntiet, non Epiſcopo Furnitano, Pamelius hanc rationem probabilem tradit, quòd ſedes tunc Epiſcopalis vacaret per obitum iſtius Geminij Victoris, quem credibile eſt eundem eſſe, qui inter Epiſcopos Africanos in Concilio Carthaginenſi ſub Cypriano quinquageſimus-nonus legitur dictus *Geminius à Furnis.* Denique quale Concilium illud fuerit, in quo abſente ipſo Cypriano, propter perſecutionis in eum ſingulariter concitatæ acerbitatem, paucis Epiſcopis collectis, quos Presbyteri & Diaconi Carthaginenſes collegerant Caius Didenſis Presbyter & Diaconus eius, *qui communicando cum lapſis, & offerendo oblationes eorum in prauis erroribus frequenter deprehenſi, & ſemel atque iterùm* ab Epiſcopis prouinciæ moniti, ne hoc facerent (vt à maioris auctoritatis viris adhibita monitio magis proficeret) *in præſumptione & audacia ſua* pertinaciter perſiſtentes à communione Eccleſiæ repulſi ſunt, vt oſtendit epiſtola eiuſdem 28.

Præter huiuſmodi quoque Concilia, alia in ſingulis prouinciis haberi ſolita, in Africà, à ſingulis Primatibus ſingularum prouinciarum, qui Metropolitico iure eas regebant, ad quæ conuocanda opus erat *tractoriâ* à Primate conſcriptâ, in qua ſingulorum Epiſcoporum nomina ordine antiquitatis, ſeu conſecrationis ſuæ conſcriberentur, etiam eorum prouinciis vicinis inſuper euocandi viſi fuiſſent, vt ſigillatim explicat Auguſtinus epiſt. 217. *Victorino Epiſcopo.* huiuſmodi Concilia prouincialia fuerunt, Mileuitanum II. Numidiæ, Adrumentinum prouinciæ Bizacenæ, ad quod Legati ab Aurelio miſſi ſunt, vt patet ex initio Conc. Africani, Tlenſe ſeu potiùs Teleptenſe, cui præfuit Donatianus Bizacenæ prouincæ Primas Epiſcopus Teleptenſis, in quo lecta fuit epiſtola Siricij ad Afros; Cirtenſe, & alia quæ iiſdem temporibus habita leguntur, tom. 1. Conciliorum, illúdque antiquum Cirtenſe occaſione ordinationis, cuius ſuprà meminimus, habitum à traditoribus tempore Cæciliani.

Vniuerſalia autem plurima referuntur, vt Carthaginenſia ſub Innocentio, Celeſtino & Zozimo, Mileuitanum I. Hipponenſe, *quod plenarium totius Africæ Concilium* dictum eſt à Poſſidio in vita Auguſtini cap. 7. & alia plurima. Solebant autem iſta Concilia poſt diem Paſchæ celebrari, vt colligitur ex epiſtola Cypriani 40. prope finem.

Quot autem ſaltem ſingulis prouinciis ad Concilia vniuerſalia Africana deberent accedere, leges definitum, Can. 2. Concilij Carthaginenſis III. his verbis: *Similiter placuit, vt propter cauſas Eccleſiaſticas, quæ ad perniciem plebium ſæpè veteraſcunt, ſingulis quibuſque annis Concilium conuocetur; ad quod omnes prouinciæ quæ primas ſedes habent, de Conciliis ſuis ternos legatos mittant, vt & minùs inuidioſi, minúſque hoſpitibus ſumptuoſi conuentus plena poſſit eſſe auctoritas. De Tripoli autem propter inopiam Epiſcoporum vnus Epiſcopus veniat.*

Congregata fuiſſe plenaria Concilia Africæ, vt plurimùm in vrbe Carthaginenſi eorum exempla oſtendunt, quæ ibi celebrata ſunt; & cùm cautum aliquando fuiſſet, vt modò Carthaginem, modò in aliquam ex ciuitatibus Numidiæ aut Bizacenæ prouinciæ, vel ſingulas ſuo ordine Epiſcopi à Primate Carthaginenſi vocarentur: id paulò pòſt reuocatum, & prout opportunitas ferret, Concilio celebrando locum, quem vellet indicere, conceſſum Epiſcopo Carthaginenſi, vt colliges ex Can. 61. Concilij Africani ſub Celeſtino & Bonifacio, ſeu ex capite 94. Codicis Conciliorum Carthaginenſium.

Ordinarius autem dies vniuerſalis Concilij indicendi erat vndecimus ante Kalendas Nouembris: ideóque ſingularum prouinciarum Primatibus prouidendum erat, ne hunc diem impedirent celebratione Concilij ſuæ prouinciæ, vt habetur Can. 7. Concilij V. Carthaginenſis, Synodus porro vniuerſalis Africæ duobus ſaltem menſibus antequam indiceretur, haberi ſolebat, vt oſtendunt literæ Capreoli Carthaginenſis actione primâ Synodi Epheſinæ.

Digitized by Google

§. IX.

Quædam ſparſim argumenta dignitatis Primatis Carthaginenſis ex dictis proferuntur.

HÆc verò omnia quæ auctoritatem Primatis Carthaginenſis circa Concilia Africæ demonſtrant, formam quoque hierarchicam quâ Africana Eccleſia gubernari ſolebat euidenter oſtendunt, aliáque auctoritatis prædicti Primatis argumenta ſubminiſtrant; vt quod in prouincias Africanas propriis ſubditas Primatibus Metropolitico iure accedere potuerit, & conuentibus Eccleſiaſticis, qui in iis haberentur præſederit: quòd Legatos in alias prouincias Africæ nonnunquam miſerit: quòd ex tota Africa ſi qui Legati mittendi, ſi quæ litteræ dirigendæ ad ſummum Pontificem, eius præſertim curæ & officij id fuerit: quòd Eccleſiaſticas cauſas tractare, eáſque definire ei maximè proprium extiterit. Quorum omnium exempla ſuperiùs habemus, ſed aliqua ad eorum explicationem vel confirmationem addenda ſunt.

§. X.

De iudiciaria poteſtate Primatis Carthaginenſis & iudiciis Africanis.

AC primùm recolendum eſt docuiſſe nos ſuperiùs Cypriani tempore cauſas Epiſcoporum ad Primatem Carthaginenſem non ſolùm per appellationem delatas fuiſſe, verùm etiam apud eum primo iudicio ventilari ac diſceptari potuiſſe: poſteriorum ſæculorum vſus hic fuit, vt primo iudicio cauſa Epiſcopi, vel extra Synodum, vel in Synodo agitaretur: extra Synodum vel ab electis iudicibus ab ipſis partibus, vel à vicinis Epiſcopis conuentis ab iis Clericis, qui de Epiſcopo conquerentur. Epiſcopis iudicatis à iudicibus ab ipſis electis appellare non licebat, Concilij Carthaginenſis III. Can. 10. Mileuitani Can. 24. Africani Can. 67. 88. & 89. Carthaginenſis Collectionis Græcæ Can. 15. 98 & 105. Primatis autem prouinciæ ſeu Epiſcopi primæ ſedis erat dare litteras, vt nullus Epiſcopus ei communicaret, qui decretis ab Epiſcopis electis iudicibus repugnaret, Carthaginenſis Collectionis Can. 123. & Mileuitani Can. 24. atque Africani Can. 89. Vicinos Epiſcopos, vt de Epiſcopis iudicent, oportet eſſe duodecim, ex Concilio Carthaginenſi primo Can. 11. Extra Synodum verò Epiſcopum iudicari extraordinarium erat, nec niſi neceſſitate vrgente, túncque temporis Primas prouinciæ duodecim iudices aſſignabat, quemadmodum ex Concilij Carthaginenſis II. Can. 10. & Carthaginenſis tertij Can. 7. deducitur, & in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ Can. 12. Primatis enim prouinciæ in cauſa Epiſcopi fuiſſe dare iudices colligitur ex Can. 122. Carthaginenſis Græcæ Collectionis, Mileuitani Concilij Can. 24. Latino, & Africani cap. 88.

Ad Synodos autem prouinciales, quibus Primates prouinciarum ſingularum præerant, & ad vniuerſalem totius Africæ, cui Primas Carthaginenſis, à vicinis Epiſcopis à Primate datis licebat appellare, vt ex Canone centeſimo-trigeſimo-octauo Collectionis Carthaginenſis, & epiſtolâ Concilij ſexti Carthaginenſis ad Celeſtinum Papam in fine colligitur.

Ordinaria via procedendi aduerſus Epiſcopos hæc erat, quæ iiſdem Canonibus præſcribitur, *Vt ad Primatem prouinciæ cauſam deferret accuſator, nec à communione ſuſpenderetur, cui crimen intenditur, niſi ad cauſam ſuam dicendam Primatis litteris euocatus minimè occurriſſet, hoc eſt intra ſpatium menſis, ex ea die quâ eum litteras accepiſſe conſtitiſſet. Quòd ſi aliquas veras neceſſitatis cauſas probauiſſet, quibus eum occurrere non potuiſſe manifeſtum eſſet, cauſæ ſuæ dicendæ intra integrum menſem integram haberet facultatem. Verùm poſt menſem ſecundum tandiu non communicaret, donec purgaretur.* Sed necdum cauſa dici poterat euicta, & contumacia probata, ex eo quòd contumax aliquis coram Primate prouinciæ cauſam dicere noluiſſet: niſi etiam in eadem contumacia coram Primate Carthag. permanſiſſet. Iiſdem ſiquidem Canonibus decre-

tum ſubiungitur, *Sin autem, nec ad Concilium vniuerſale anniuerſarium occurrere voluerit, vt vel ibi cauſa eius terminetur, ipſe in ſe damnationis ſuæ ſententiam dixiſſe iudicetur.* Quæ vtique verba demonſtrant cauſam terminatam minimè habitam fuiſſe, niſi reus contumax coram tribunali Primatis totius Africæ apparuiſſet, quia ad illud cauſam ſuam referre poterat, ideò & à Synodis prouincialibus damnato appellare licuit ex Canone 10. Concilij Carthaginenſis tertij, ex Concilij Mileuitani Can. 22. Carthaginenſis VI. Synodi epiſt. ad Celeſtinum, Can. 138. Collectionis Græcæ Synodorum Africanarum. Solebant autem Epiſcopi Africani à Primate Carthaginenſi in ius vocari, decreto Concilij totius Africæ ad Primatem prouinciæ miſſo, quatenus ſuis literis accuſatum Epiſcopum conueniret, *vt proximo vniuerſali Africano ſuam præſentiam non differat exhibere*, quod in cauſa Creſconij Villaregenſi Epiſcopo ſtatutum legitur in Concilio Africano Can. 44. ſeu Codicis Carthaginenſis Can. 77. mentio quoque Equitij in Concilio Carthaginenſi præſidente Aurelio damnati, cuius damnationi ipſe ſubſcripſit, in cuius locum miſſis in Concilio Epiſcopis alius ordinari iubetur Africani Concilij Canone trigeſimo-ſecundo & quadrageſimo-quinto. Alios plures omitto, qui vel ex Conciliis vel Africanis Scriptoribus proferri poſſent.

De Clericis addo, illorum quoque cauſas ad Primatem Carthaginenſem ex omni Africa per appellationem potuiſſe deferri. Etenim Clerici quidem inferiores Diaconis à ſolo Epiſcopo, id eſt, non conuocatis coepiſcopis atque collegis primo iudicio damnari poterant, Carthaginenſis tertiæ Synodi Canone 8. non tamen ſine Clericorum præſentia, ſine qua nec vllius cauſam audire poterat Epiſcopus, Carthaginenſis IV. Can. 22. Diaconos autem aut Presbyteros corripere, imò & excommunicare, & à ſua Diœceſi repellere quidem poteſt Epiſcopus ſine collegis, ſed conceſſâ conquerendi apud vicinos Epiſcopos Presbytero, qui à ſuo Epiſcopo correptus ſit, poteſtate, Carthaginenſis II. in editione Latina, cap. 6. in edit. Græco-Latina Can. 11. quibus adde epiſtolam Auguſtini 226. Ipſum verò perpetuâ degradatione punire non videtur ei licuiſſe, niſi adiunctis ſibi ſex Epiſcopis, ſi cauſa Presbyteri agatur, tribus, ſi cauſa Diaconi, & quidem in eo caſu quo Synodus haberi non poſſit: hoc enim definitum habetur in eadem ſecunda Synodo Carthaginenſi vulgò dicta ad ſuggeſtionem Felicis Epiſcopi, in additione Græco-Latina ex Codice Græco deſumpta Can. 12. Et quidem Carthaginenſis I. Synodus ſtatuit contumacem Presbyterum, id eſt, eum qui ſuo Epiſcopo morem minimè geſſerit, à ſex vicinis Epiſcopis, Diaconum à tribus arguendum, Can. 11. Carthaginenſis verò III. (quæ reuerà priùs habita eſt quàm ſecunda,) definit Can. 8. *vt ſi Presbyteri vel Diaconi fuerint accuſati, adiuncto ſibi ex vicinis locis numero collegarum, id eſt in Presbyteri nomine quinque; in Diaconi, duobus; Epiſcopi ipſorum cauſas diſcutiant.* Quem Canonem quoad numerum Epiſcoporum cum Can. Carthaginenſis I. facile eſt conciliare, ſed non cum Canone II. Synodi Carthaginenſis citato: nam dici poteſt ſtatutum in tertia Synodo, vt qui conqueritur de ſuo Epiſcopo, à ſex vicinis Epiſcopis, ſi ſit Presbyter; à tribus, ſi ſit Diaconus, audiatur: ſtatutum à Synodo I. Carthaginenſi, vt ſi primùm accuſetur apud proprium Epiſcopum Presbyter, ab Epiſcopo proprio acceſſitis quinque vicinis Epiſcopis eius cauſa definiatur: Diaconi verò ſimiliter apud proprium Epiſcopum accuſati, à duobus: ita vt diſpar ſit ratio Presbyteri, qui correptus iam fuerit à ſuo Epiſcopo, & ſe purgare iam contendit coram vicinis Epiſcopis; ac Presbyteri, qui accuſatus apud proprium Epiſcopum Canonico audiendus eſt iudicio. Priorem à ſex Epiſcopis audiri neceſſum fuiſſe, ex quorum numero ordinarius Epiſcopus eximendus erat, qui iam dixerat ſententiam: poſteriorem à ſex quoque Epiſcopis iudicari oportuiſſe; in quorum numero proprius Epiſcopus computandus erat. Quare Carthaginenſis II. editionem minùs fidelem eſſe probabilius eſt, quæ proprio Epiſcopo Presbyterum iudicanti ſex alios Epiſcopos adiungit, Diaconum iudicanti tres; minùs fidelem, inquam, illam eſſe editionem, quæ in pluribus reperitur corrupta, probabilius eſt quàm Carthaginenſem II. à Carthagineuſi III. quoad numerum iudicum diſſentire: quamuis nec diſſentire iſtas Synodos neceſſum ſit, quandoquidem variæ ſunt Canonum vtriuſq; Concilij lectiones, & alia quidem exemplaria quinque ad iudiciũ Presbyteri cum proprio Epiſcopo, alia

ſex requirant: ſimilitérque & in Diaconi iudicio alia duo, alia tres referunt, vt notant Correctores Romani ad Can. *Felix*, & Can. *Si autem*, 15. quæſt. 7. vſus autem videtur fuiſſe, vt proprius Epiſcopus qui corripuiſſet Presbyterum, aut Diaconum ſuum, illos deinceps non iudicaret: ſed à ſex vicinis Epiſcopis Presbyter, à tribus Diaconus iudicaretur: quemadmodum ex epiſt. 226. Auguſtini colligi poſſe videtur.

Sed obiter tantùm hæc à nobis obſeruantur: iſta verò inſtituto magis conſentiunt, quòd ad integram prouinciæ Synodum, cui præerat prouinciæ cuiuſque Africanæ Primas, recurrere Clerico damnato licuerit, ſecundum Can. 66. Concilij Carthaginenſis IV. *Clericus qui Epiſcopi circa ſe diſtrictionem iniuſtam putat, recurrat ad Synodum.* Item quòd in aliquo caſu Synodus primo iudicio cognoſcere potuerit iuxta Can. 29. eiuſdem Carthaginenſis IV. *Epiſcopus, ſi Clerico vel laico crimen impegerit, deducatur ad probationem in Synodum.* Denique quòd iudicatis à Primatibus prouinciarum in Synodo prouinciæ ſuæ Clericis licuerit ad Synodum Africanam vniuerſalem appellare, quemadmodum oſtendit Creſconius in Breuiario cap. 285. & expreſsè ſtatuit Mileuitana Synodus in vulgatis editionibus ſecunda, Can. 22. *Item placuit vt Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici in cauſis quas habuerint, ſi de iudiciis Epiſcoporum ſuorum queſti fuerint, vicini Epiſcopi eos audiant, & inter eos quidquid eſt finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum. Quòd ſi & ab eis prouocandum putauerint, non prouocent niſi ad Africana Concilia, vel ad Primates prouinciarum ſuarum. Ad tranſmarina autem qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communionem ſuſcipiatur.* Idem Canon habetur Canon 92. Concilij Africani, prçterquam quòd loco iſtorum verborum, *adhibiti ab eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum*, habetur, *adhibiti eis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum.* Quæ lectio graui difficultati occurrit, quomodo à iudicibus adhibitis ab ipſis reis de conſenſu Epiſcoporum ſuorum Canon appellare permittat, cùm ab electis ab ipſis partibus iudicibus, prçſertim verò reos Canones Africani ſuperiùs citati appellare vetent; nam iudices adhibiti ab ipſis reis ex conſenſu Epiſcoporum ſuorum, nónne iudices illi ſunt, qui communi conſenſu electi, ſeu κατὰ κοινὴν συναίνεσιν ἐπιλέγοντες dicuntur, collectione Græcâ Synodorum Africanarum Can. 123. atqui ab ipſis appellari prohibetur eodem Canone: quomodo ergo Canon 126. eiuſdem Collect. ab iis qui *ab ipſis reis* ex conſenſu *propriorum Epiſcoporum aſſumuntur* (οἱ παρ' αὐτῶν κατὰ συναίνεσιν τῶν ἰδίων αὐτῶν ἐπισκόπων προσλαμβανόμενοι) appellare permittit? huic difficultati occurrit ſuperior lectio, ſecundum quam Presbyteris & Diaconis, aliiſque inferioribus Clericis conceditur appellare à iudicibus, *eis adhibitis, id eſt aſſignatis ex conſenſu Epiſcoporum.*.

Verùm cùm hæc lectio Concilij Africani nec Græcæ Collectioni Canonum Africanorum, nec Concilij Mileuit. Canoni citato nec Interpretibus Græcis Zonaræ & Balſamoni, nec relato à Gratiano Canoni *Placuit*, 2. quæſt. 6. nec Interpretibus eius congruat; nec verborum ſignificationem adeò accuratam retineat: nam adhiberi alicui iudices, id eſt dari ſeu aſſignari minùs Latinè dicitur, quàm dicatur adhiberi ab aliquo iudex, à quo aſſumitur; & cùm facilè particula *ab* per iniuriam Librariorum à textu Conc. Africani eradi potuerit: ob has omnes cauſas accidit, vt alia quærenda ſit ſolutio; quæ certè alia mihi non occurrit, quàm vt electi iudices pro arbitris ſumantur inter duos litigantes de vtrorumq; conſenſu ita delecti, vt nullâ grauati ſint eligentes conditione, vt hos potiùs quàm illos eligere debeant, à quorum ſententia appellatio interdicatur: inter quos proinde referri non debẽt vicini Epiſcopi adhibiti de conſenſu Epiſcoporum ad audiendas conquerentium Presbyterorum cauſas: tum quia non eſt integra eos eligendi facultas, ſed neceſſariò debent adhiberi vicini Epiſcopi, non alij: tum quia non tanquam arbitri eliguntur de conſenſu litigantium; Epiſcopus enim cuius vel iudicium declinatur, vel de cuius iudicio querimonia mouetur, non eſt inſtar litigantis, ſed iudicis à quo prouocatur: conſenſus tamen eius expetitur, vt auctoritatem iudicatis tribuat: tum quia cùm ſolus Metropolitanus cum Synodo prouinciali ſit iudex Epiſcopo ſuperior, vt Epiſcopi vicini de ſententia alterius Epiſcopi iudicare poſſint, Epiſcopi, à quo appellatur, vel cuius iudicium declinatur, conſenſus intercedere debet.

Ab illis ergo vicinis Epiſcopis iudicantibus poterant Clerici appellare, vel ad Primatem ſuæ prouinciæ, ſeu integrum eiuſdẽ Concilium, vel ad Primatem Carthagi-

nenſem, ſeu totius Africæ plenarium Concilium: ſoláque tranſmarina in minoribus iſtis cauſis iudicia appellare prohibebatur, vt diſertè docet ſanctus Auguſtinus epiſt. 162. Presbyterorum, Diaconorum & cæterorum inferioris ordinis Clericorum conditionem aliam eſſe docens, quàm ſit Epiſcoporum; quòd hi cæterorum Epiſcoporum iudicio Eccleſiarum præſertim Apoſtolicarum cauſas ſuas reſeruare poſſent, illi minimè; ſed eorum cauſæ in Africa terminari deberent. Nunquam autem ipſis denegatum, vt ad Primatem Africæ totius, ac generalis totius gentis Concilium prouocare poſſent, videbis ex cauſa Apiarij in Concilio VI. Carthaginenſi diſcuſſa, & epiſtolis Africani Concilij, tum ad Bonifacium, tum ad Celeſtinum eius ſucceſſorem.

§. X.

De iure viſitationis penes Primatem Carthaginenſem.

ALTERVM obſeruandum eſt, Epiſcopum Carthaginenſem iure iſto Primatis, non ſolùm eam prouinciam, quæ Metropolitico iure ei ſubiecta erat, de qua nulla quæſtio eſſe poteſt; verùm etiam alias Africæ prouincias iure Exarchico viſitare potuiſſe.

Antiquum huius poteſtatis exemplum habemus apud Cyprianum epiſt. 57. ad Tibaritanos, cuius initio hæc habet, *Cogitaueram quidem, fratres chariſſimi, atque in votis habebam, ſi rerum ratio ac temporis conditio permitteret, ſecundum quod frequenter deſideraſtis, ipſe ad vos venire, & quantulacumque mediocritate exhortationis noſtræ præſens illic fraternitatem veſtram corroborare.* Conſtat enim Tibaritanam ſeu Thuburcenſem ciuitatem in Numidia ſitam fuiſſe ex Can. 76. Concilij Africani ſub Bonifacio & Celeſtino, ſeu cap. 100. Collectionis Græcæ: eadem ſcilicet illa ciuitas fuit, quæ Tiburſica ſeu Thuburnica apud Ptolomæum in Numidia, vel quæ Thuburſicubure apud Auguſtinum lib. 3. contra Petilianum cap. 34. Legitur & Simplicius Tibaritanus Epiſcopus inter Epiſcopos Numidas in notitia Epiſcoporum Africæ, tempore Hunerici Regis. Igitur Cyprianus qui Tibaritanæ plebis viſitandæ, ac pro ſuo paſtorali munere corroborandæ ſtudio flagrabat, viſitandarum extra propriam ſuam prouinciam plebium ius & facultatem habuiſſe certum eſt.

Sed euidentius illud in Concilio Africano rempore Bonifacij & Celeſtini Can. 19. quod vtique refertur Codicis Can. 52. *Honoratus & Vrbanus dixerunt, & illud nobis verbo mandatum eſt, vt quia conſtitutum eſt in Concilio Hipponenſi ſingulas debere prouincias tempore Concilij viſitandas eſſe; dignemini etiam (quod hoc anno ſecundum ordinem diſtuliſtis) vel alio anno Mauritaniam prouinciam viſitare. Aurelius Epiſcopus dixit, nunc de prouincia Mauritania (propterea quòd in finibus Africæ poſita ſit) nihil ſtatuimus, ſiquidem vicinæ ſunt Barbarico. Sed præſtet Deus, vt ex abundanti non pollicentes venire poſſimus ad veſtram prouinciam. Cogitare enim debetis, fratres, quia hoc ſibi & Tripolitani, & Arzugitani fratres potuerunt exigere, ſi ratio pateretur.* Ex iis enim diſcere poteris, & quanto feruore viſitationem ſui Primatis expeterent Africani Præſules, & quàm honorificum ducerent, ſi ad illorum Eccleſias viſitandas ipſe accederet.

Obſeruare etiam poteris viſitationem Eccleſiarum ſolitam fuiſſe plenariis Conciliis præmitti, vt ſi quæ forent emendatione digna, Primas ex viſitatione cognita habens, de ſalubri remedio in Concilio vniuerſali totius Africæ prouideret. Denique & in viſitandis prouinciis ordinem ſeruatum, vt quantum fieri poſſet, ſingulæ ſuo ordine perluſtrari, ac viſitari poſſent.

Digitized by Google

§. XI.

Aliæ honorificæ prærogatiuæ Primatis Carthaginenſis.

TERTIVM, quandoquidem Primates ad Eccleſiæ vniuerſalis vnitatem fouendam præſertim inſtituti erant, ideò ipſi Primates tum ad ſummum Pontificem, alióſque Apoſtolicarum & principalium ſedium Epiſcopos ſcribere omnium prouinciarum nomine, & viciſſim ab iis literas accipere ac legatos mittere ſolebant: atque ita maiorum Eccleſiarum ſocietas foueri conſueuerat. Quod cùm in cæteris Chriſtiani orbis prouinciis ſeruatum animaduertere poſſimus, in Africana, de qua hîc agimus, cuſtoditum, decretis exemplíſque quibuſdam probauimus. Cyprianum in cauſa lapſorum reſtituendorum ſacræ Communioni, vel ab ea excludendorum, litterarum & miſſorum quorumdam beneficio cum Clero Romano, ac Cornelio ſummo Pont. contuliſſe, literæ plurimæ vltrò citróq; datæ oſtendunt: cum eodem Cypriano Firmilianum Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum (cuius ſedis poteſtatem fuiſſe ampliſſimam inferiùs oſtendemus) & Cyprianum cum Firmiliano de Baptiſmo hæreticorum tractaſſe, Firmiliani pariter literæ demonſtrant. De ea quoque quæſtione Stephano ſcripſit Cyprianus, & quod decretum fuiſſet, literis etiam ſignificauit. Variis etiam de cauſis Cornelio, Lucio, Stephano idem reſcripſit: quin etiam literas ſemel atque iterùm à Fauſtino Lugdunenſi cæteríſque in eadem prouincia Epiſcopis idem ſanctus Præſul accepit, de Martiano Arelate conſiſtenti, quòd ſe Nouatiano coniunxiſſet, & à Catholicæ Eccleſiæ vnitate atque à corpore & ſacerdotij conſenſione deſciuiſſet: de qua reſcripſit ad Stephanum Papam, quatenus dirigerentur in prouinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem ab eo literæ, quibus abſente Martiano alius in locum eius ſubſtitueretur: lege epiſt. ipſius 67. Recepit & literas à Clero & plebibus in Hiſpania conſiſtentibus; quibus ſignificabant Baſilidem & Martialem libellis idololatriæ commaculatos, & nefandorum facinorum conſcientiâ vinctos, Epiſcopatum gerere, & ſacerdotium Dei adminiſtrare; petebántque ad hæc ſibi reſcribi, & iuſtam pariter ac neceſſariam ſollicitudinem vel ſolatio vel auxilio ſententiæ ipſius ſubleuari. Quibûs litteris grauitate ſententiarum & Epiſcopali vigore reſpondit Carthaginenſis pius Antiſtes, cuius epiſtolam leges ſexageſimam-octauam. Hæc ſcilicet erat antiqua conſuetudo, vt à principalium Eccleſiarum Epiſcopis auxilium ſolatiúmque & inſtructionem minores Eccleſiæ peterent, eſſéntque maiorum Eccleſiarum Præſules velut cardines, quibus ſocietas Eccleſiaſtica inniteretur.

Scribebat ideò Primas Carthaginenſis ad alios principalium Eccleſiarum Epiſcopos vel ſuo vel Epiſcoporum totius Africæ nomine, & ab iis litteras de iis quæ vniuerſalem eiuſdem Eccleſiæ ſtatum ſpectarent, recipiebat: ſic Aurelius Carthaginenſis cum quibuſdam aliis Epiſcopis priuatas literas ſcribit ad Innocentium de Pelagio, quibus Innocentium inſtrueret, non contentus Conciliorum Carthaginenſis & Mileuitani publicas miſiſſe; extat illa epiſtola Aurelij, & aliorum inter eas, quæ ſunt Auguſtini 95. quemadmodum & reſponſio Innocentij 96. Sic Aurelius ſolus cum Valentino Primate Numidiæ, cæterorum Epiſcoporum nomine non expreſſo, nominatur in fronte literarum à Concilio plenario Africæ datarum ad Bonifacium Romæ vrbis Epiſcopum, in fine Concilij Carthaginenſis VI. & Can. 105. Concilij Africani, ſeu 138. Græcæ collectionis. Sic ſoli Aurelio Carthaginenſi, quæ ſpectarent ad vniuerſum Africanæ Eccleſiæ ſtatum reſcripſit Innocentius epiſtolam vndecimam de ratione Paſchali, duodecimam aduerſus illicitas & illegitimas ordinationes. Sic ad Africanos reſcribens Zoſimus epiſtolam tertiam & quartam, *Aurelio & vniuerſis Epiſcopis per Africam conſiſtentibus* reſcribit, decimam ſimiliter *Aurelio & cæteris qui in Concilio Carthaginenſi adfuerunt*, dirigit. Sic delegatio Epiſcoporum pro collatione cum Donatiſtis ſolius Aurelij Carthaginenſis Primatis, & Siluani Primatis Numidiæ manu ſubſcripta legitur, eorúmque duntaxat nomina exprimuntur, quamuis cæterorum Epiſcoporum conſenſu, vt legitur lib. 1. collationis iſtius, peracta fuiſſet. Sic etiam Atticus Conſtantinopolita-

nus, & Cyrillus Alexandrinus ſolos Aurelium & Primates aliquos nominant, cæteros ſuis epiſtolis Epiſcopos generali nomine includunt: quod non ſeruauit Innocentius ad Patres Concilij Carthaginenſis & Concilij Mileuitani, quibus omnes ſigillatim nominat, qui & ſeipſos propriis nominibus nominarant. Nondum fortè lex iſta ſancita fuerat, quæ in Concilio Carthaginenſi quodam edita dicitur, habetúrque Can. 52. Concilij Africani, & 85. collectionis Græcæ, vt *ſi quæ literæ dictandæ in Concilio placuerint, venerandus Epiſcopus qui huic Sedi* (Carthaginenſi) *præſidet, omnium nomine dictare & ſubſcribere dignetur.* Neque tamen hoc ſtatutum obſtitiſſe credendum, quin aliqui & plures ſubſcriberent ex Epiſcopis, quemadmodum epiſtolæ prędictæ ad Bonifacium notantur *ſubſcripſiſſe, Alypius, Auguſtinus, Poſſidius, Marinus & cæteri Epiſcopi*, 217. Can. 119. Concilij Africani, & 134. Græci Codicis Synodorum African. Quin etiam in ipſo limine Synodi Africanæ ad Celeſtinum plures Epiſcopi ſimul cum Aurelio nominantur, aliorum tacito nomine. Sic denique Capreolus in Concilio Epheſino, omnium nomine Africanorum Epiſcoporum reſcribit: literas à Theodoſio Imperatore conuocatorias, licèt ad ſanctum Auguſtinum præcipuè deſtinatæ eſſent, non ratione alicuius dignitatis aut gradus, quibus cæteris præemineret Epiſcopis, ſed ob excellentem pietatis & doctrinæ famam, quæ per omnium ora volitabat, ipſe pro officio ſuo excepit, miſsiſque literis per vniuerſam Africam Synodum conuenienrem cogere voluit, ex qua coepiſcoporum ſuorum conſilio deſtinarentur Antiſtites ad generalem Synodum profecturi: quæ omnia officium Primatis Carthaginenſis oſtendunt hoc fuiſſe, vt & literas ad Concilium generale conuocatorias reciperet, & ad nationale Africæ Concilium Epiſcopos cogeret, & quos ad Concilium œcumenicum mittere oporteret, ipſe ex Concilij ſententia deligeret; ſi adeſſe Epiſcopi Africani non poſſent Concilio œcumenico, excuſatorias omnium Epiſcoporum Africæ literas ipſe ſolus ſcriberet.

Idem quoque Carthaginenſis Primas ex Concilij totius Africæ ſententia Legatos deligebat ad Imperatorem, quomodo ex ſententia Concilij Africani ſub Anaſtaſio Papa Legati miſſi ſunt ad Honorium pro immunitate Eccleſiarum, & in alia Synodo ſub Innocentio alij miſſi ſunt contra Donatiſtas in Africa tumultuantes. In alia ſub Innocentio item miſſi aduerſus eoſdem Donatiſtas pro defenſione rerum Eccleſiaſticarum. Legatio quoque in alia decreta aduerſus Paganos & hæreticos. mitto cæteras, nam ex iis omnes diſces.

Hinc etiam accidiſſe ſuſpicor, vt propter vrbis Carthaginenſis amplitudinem ac potentiam, Primas Carthaginenſis ſollicitus fuerit, quatenus & neceſſitatibus Eccleſiarum ſingularum Africanarum prouideret. Cuius rei exempla ſunt, quòd Cyprianus epiſt. 60. ad Epiſcopos Numidas mittere ſe ſcribat ſeſterciorum centum millia pro redemptione fratrum ex captiuitate Barbarorum, adſcriptis nominibus ſingulorum cùm fratrum & ſororum, tum collegarum qui aliquid contribuerant: quódque Conſtantinus Imperator apud Euſebium lib. 10. cap. 6. pecuniæ ſummam, quam per totam Africam ſanctiſſimæ Religionis Catholicæ miniſtris in communes ſumptus diuidendam miſit, eam Cæciliano Carthaginenſi numerari voluerit, vt iis diſtribueret, qui in epiſtola (Cordubenſi Epiſcopo) ad ipſum miſſa ſcripti erant, datâ eidem poteſtate vt maiorem, ſi opus eſſe crederet, ab Heraclida Cæſarianarum poſſeſſionum procuratore abſque vlla dubitatione confeſtim numerandam acciperet.

§. XII.

De poteſtate ſingulari Primatis Carthaginenſis circa Monachos.

Iis omnibus addo, quoniam Monachorum ea ſemper cura fuit, vt in diuerſis etiam Diœceſibus habitantes eadem inſtituta retinerent, ideóque ſicut Ægyptii in ſingulis Diœceſibus, præterquam quòd Epiſcopo proprio ſuberant, ſingulari tamen ratione Patriarchæ Alexandrino, à quo eorum viuendi genus probatum fuerit, ſubiiciebantur; ita & in Africa Monachorum quoque per varias prouincias diſper-

ſorum Primatem Carthaginenſem, cùm recens illorum inſtitutum eſſet, & Africanis ante Auguſtini tempora ignotum, vt innoteſcet ex lectione capitis 6. lib. 8. Confeſſionum eius, & ipſo Auguſtino auctore primùm in Africa admiſſum eſſet, vt innuit Poſſidius de vita Auguſtini cap. 3. 5. & 11. nec ei Aurelij vt in re maximi momenti approbatio defuiſſet; ideò & Aurelium in aliena Diœceſi Monachorum & Monaſteriorum curam geſſiſſe ſingularem colligere poſſumus ex epiſt. Auguſtini, cùm Presbyter adhuc eſſet ſexageſima-quarta, & ſeptuageſima-ſexta, cùm Epiſcopus fuiſſet ordinatus, ad eundem Carthaginenſem Præſulem. Statim ſiquidem initio epiſtolæ ſexageſimæ-quartæ gratulatur ſibi, quòd ea reſcripſerit quæ vtriuſque *ſtudio in Domino, Aurelij curæ Eccleſiaſticæ & præſtantiæ*, ſuæ verò *obſecundationi* congruere viſa fuiſſent. Secundò agit eidem gratias, quòd fratrem Alypium alieno, vt opinor, vel Clero vel Monaſterio adſcriptum in Hipponenſi cum Auguſtino manere permiſiſſet, *Et quòd*, inquit, *fratrem Alypium, in noſtra coniunctione manſiſſe, vt exemplo ſit fratribus curas mundi huius vitare cupientibus, beneuolentiſſimè accepiſti, ago gratias quas nullis verbis explicare poſſim*. Subdo & alia, ex quibus quàm obſtricti eſſent Hipponenſis Monaſterij fratres Aurelio Carthag. luculenter demonſtrari poteſt, *Omnis itaque fratrum cœtus, qui apud nos cœpit coaleſcere, tantâ prærogatiuâ tibi obſtrictus eſt, vt locis terrarum tantùm longè diſiunctis, ita nobis conſulueris tanquam præſentiſſimus ſpiritu*. Subiungit alia quæ eximiam eiuſdem in totam Africam auctoritatem oſtendunt, maximè ſupra Monachorum cœtum, *Quapropter precibus quantùm valemus, incumbimus, vt gregem tibi commiſſum tecum Dominus ſuſtinere dignetur, nec te vſpiam deſerere, ſed adeſſe adiutor in opportunitatibus, faciens cum Eccleſia ſua miſericordiam per ſacerdotium tuum, quale ſpirituales viri vt faciat, lachrymis eum gemitibúſque interpellant. Scias itaque, Domine beatiſsime, & pleniſſimâ charitate venerabilis, non deſperare nos, imò ſperare vehementer quòd Dominus & Deus noſter, per auctoritatem perſonæ quam geris, quam non carni, ſed ſpiritui tuo impoſitam eſſe confidimus, multas carnales fœditates & ægritudines quas Africana Eccleſia in multis patitur, in paucis gemit, conſiliorum grauitate & tuâ poſſit ſanare*. Epiſt. 76. quam conſacerdoti Aurelio ſcribit iam factus Epiſcopus, reſpondet ad ea quæ Donato & eius fratri ſcripſerat Aurelius, quos apparet ex ſerie totius epiſtolæ Monaſterij deſertores fuiſſe, & ad Clericatus gradum aliquem electos, adeóque Aurelium eâ, quâ Primatem Carthaginenſem præditum fuiſſe diximus, auctoritate vt ex qualibet Eccleſia Clericum ab Epiſcopo petere ac ſumere, & in aliam Eccleſiam transferre poſſet, illos ab Auguſtino in cuius Monaſterio fuerant, poſtulaſſe: huic autem petitioni nonniſi propter auctoritatem Aurelij annuit Auguſtinus, in contrariam partem ipſe propendens, vt ex iis ipſius verbis colligi poteſt, *nunc verò legi epiſtolam benignitatis tuæ de Donato & fratre eius, & quid reſpondendum diu fluctuaui*. Ratio quæ inducebat Auguſtinum, vt nonniſi ægrè petitioni Aurelij annueret, ea eſt, quòd deſertores Monaſteriorum Clericos fieri non probaret, nam verbis citatis hæc illicò ſubiungit, *Sed tamen etiam atque etiam cogitanti, quid ſit vtile ſaluti eorum, quibus in Chriſto ſeruimus, nihil mihi aliud occurrere potuit, niſi non eſſe iſtam viam dandam ſeruis Dei, vt ſe faciliùs putent eligi ad aliquid melius, ſi facti fuerint deteriores. Et ipſis enim facilis lapſus, & ordini Clericorum fit indigniſſima iniuria, ſi deſertores Monaſteriorum ad militiam eligantur*, &c. Prætexebant autem iſti ſe è Monaſterio exiiſſe, vt ſuæ patriæ hominibus vtiliores eſſent: prætextam hanc ab eis cauſam diſceſſus ſui diſces ex illis verbis: *Sed de iſtis, credo, arbitrata ſit beatitudo tua, noſtrâ voluntate, vt ſuis potiùs conregionalibus vtiles eſſent de Monaſterio receſſiſſe: ſed falſum eſt; ſponte abierunt, ſponte deſeruerunt, nobis, quantùm potuimus, pro eorum ſalute renitentibus*. Donati cauſam æquiorem eſſe ſubdit, *Et de Donato quidem, quia iam factum eſt, vt antequam de hac re aliquid in Concilio ſtatueremus, ordinaretur, ſi forte à ſuperbiæ peruerſitate correctus eſt, quod vult faciat prudentia tua*.

Quodnam illud ſit Concilij decretum, cuius ibi meminit Auguſtinus, an Diœceſani alicuius, quod repetendos illos deſertores Monaſteriorum ſtatuerit, an potiùs Concilij cuiuſdam Africani vniuerſalis aut prouincialis, quod in deſertores Monaſteriorum aliquid decreuerit, ante quod decretum iam Donatus ordinatus fuerit, ambigi poteſt. Certè videtur non inuitus trahi poſſe ad caſum de quo age-

batur, Concilij quinti Carthaginenſis Canon decimus-tertius, qui quadrageſimus-nonus in Concilio Africano refertur, & ſeptuageſimus-nonus in Codice Canonum; nam de alieno Monaſterio egreſſum prohibet aut ordinari, aut Monaſterij præfectum conſtitui, *Placuit, vt ſi quis de alterius Monaſterio repertum, vel ad Clericatum promouere voluerit, vel in ſuo Monaſterio maiorem Monaſterij conſtituere: Epiſcopus qui hocfecerit à cæterorum communione ſeiunctus ſuæ tantùm plebis communione contentus ſit: & ille neque Clericus, neque præpoſitus perſeueret.* Iniquiùs autem fert ordinationem fratris illius Donati, ſed tamen auctoritati & dignitati Aurelij contradicere non audet, ad quem hæc ſcribit, quibus epiſtolæ finem imponit. *De fratre verò eius* (Donati) *cuius vel maximè cauſâ de Monaſterio etiam ipſe Donatus abſceſſit, cùm intelligas quid ſentiam, neſcio quid reſpondeam. Contradicere tamen prudentiæ, honori, charitatique tuæ non audeo, & ſanè ſpero id te facturum, quod membris Eccleſiæ ſalubre perſpexeris.* Legis quantum honori ac dignitati Primatis Carthaginenſis detulerit Hipponenſis Epiſcopus in Numidia, quæ à prouincia à Carthaginenſi diſtincta erat, & Primatem prouinciæ proprium habebat. Legis ſicut Clericorum, ita & Monachorum tranſlationem, commodationem, ordinationem, etiam eorum, qui à propriis Epiſcopis minùs digni iudicati eſſent, Primati Carthaginenſi in prouincia ſibi Metropolitico iure minimè ſubdita conceſſam.

Iſta verò præcipua ſunt ex pluribus ſelectis Primatis Carthaginenſis per totam Africam priuilegia, quæ fuſiùs referre placuit, quia antiqua: & ex iis vetus quoque Eccleſiæ gubernandæ in Africa forma, atque hierarchica diſpoſitio & ſubordinatio nobis ad oculum innoteſcit.

ARTICVLVS II.

De Cæſarienſi Epiſcopo Primate totius Ponti Diœceſis.

§. I.

Quædam præmittuntur explicationi neceſſaria.

Is ſubnecto Primatum ſeu Exarchorum Diœceſeωn Orientalium explicationem, præſertim verò Epiſcopi Cæſarienſis, Ponticæ Diœceſeos Primatis: cuius auctoritatis præ cæteris illuſtriora ſunt teſtimonia, quæ & auctoritatem Primatum multùm illuſtrant, & varia circa antiquam Eccleſiæ gubernandæ formam obſeruatione digniſſima continent. Cui quidem tanquam neceſſarium fundamentum præmitto, Diœceſim vulgò dici collectionem multarum prouinciarum ſub vno aliquo Eccleſiaſtico Præſule, conſtat ex Can. 2. Conſtantinopolitani primi, 9. 14. 17. Synodi Chalcedonenſis, & aliis paſſim: Canone verò prædicto Conſtantinopolitani primi Concilij, quinque Diæceſes in Oriente numerari, Ægyptiacam, cui præerat Alexandrinus Patriarcha; Orientalem, quæ Antiocheno parebat; Aſiaticam, quæ Epheſino; Ponticam, quæ Cæſarienſi; Thracicam, quæ Heracleenſi ſuberat, antequam Conſtantinopolitano pareret. Quare Præfectus Diœceſi, ſeu ἔξαρχος τῆς διοικήσεως dictus eſt à Græcis, qui ſub ſua poteſtate habebat Diœceſim, ſiue Patriarcha foret, vt Alexandrinus & Antiochenus, ſiue minor Patriarchâ, vt Epheſinus, Heracleenſis, Cæſarienſis.

Vetus autem illa conſuetudo, vt Epheſinus, Cæſarienſis, & Heracleenſis Epiſcopi Primates eſſent ſub ſe Metropolitanos habentes, exemplis Synodum etiam Conſtantinopolitanam primam præcedentibus aperiri poſſet: quorum quidem prærogatiua circa ordinationes Epiſcoporum præſertim, & Synodalium conuocationem, in quibus & maioris momenti negotia diſcuterentur, & appellationes in cauſis grauioribus terminarentur, maximè elucet.

Verùm quoniam clariora ſunt ea quæ pro auctoritate Primatis Cæſarienſis proferuntur, illis explicandis immorabimur, & examinabimus, quæ Cæſarienſi

Epiſcopo iure Primatus ſeu ἐξαρχίας priuilegia conceſſit antiquitas, non ſolùm in Cappadocia prima, quam Metropolitico iure tempore Baſilij regebat; non ſolùm in vtraque Cappadocia, quam ante diuiſionem ciuilem Cappadociæ in primam, cuius Cæſarea eſſet Metropolis, & ſecundam, cuius Thyana (quæ diuiſio occaſio fuit diſſenſionum inter Baſilium Cęſarienſem Epiſcopum, & Anthymum Thyanenſem, quæ narrantur à Gregorio Nazianz. tum carmine de vita ſua, tum alibi non ſemel) Epiſcopo Cæſarienſi tanquam Metropolitano ſuberat: verùm etiam in tota Pontica Diœceſi, cui præter Cappadociam adcenſebatur Bithinia, cuius Metropolis erat Nicomedia; Pontus, in quo Neocæſarea & Amaſia celebriores ciuitates fuerunt; Armenia, in qua celebriores fuerunt Sebáſta & Melitena; Paphlagonia, in qua maioris nominis vrbes Gangra & Claudianopolis; denique Galatia, in qua cæteris præcellunt ciuitatibus iſtæ, Ancyrana & Peſſenuntis.

§. II.

Poteſtas Primatis Cæſarienſis circa ordinationes Epiſcoporum varijs exemplis ordinationum factarum à Baſilio.

PRIMÒ ſiquidem in iis prouinciis Epiſcoporum ordinationes aliquas confirmaſſe, aliquas infirmaſſe, aliquas perfeciſſe Cæſarienſem Metropolitanum hoc Exarchico iure ſubnixum, variis exemplis animaduertimus. Certè Baſilium, qui ad conſtituendum in ciuitate Iconij Piſidiæ Epiſcopum in locum Fauſtini demortui à tota prouincia euocatus, ægrè ſe induci paſſus eſt, vt accederet, eas ordinationes tanquam peregrinas (ταῖς ὑπερορίοις) auerſatus, quíque de iis ab Euſebio Samoſatenſi conſilium expetit epiſt. 8. hunc, inquam, Baſilium ad plures extra Cappadociam ordinationes modò ſuopte ingenio, modò inuitatum acceſſiſſe, illámque inuitationem tanquam ſibi debitam accepiſſe non ſemel legimus; nam conſtat ex epiſt. ipſius 183. ad ciues Satalanos, & 187. ad Terentium Comitem, Satalenſibus eum Epiſcopum ſuâ auctoritate dediſſe: verba poſterioris epiſtolæ, quæ id perſuadeant, hæc ſunt, ἐδεξάμην δὲ καὶ ψηφίσματα παρὰ τῆς ἐκκλησίας Σατάλων παρακλήσιν ἔχοντα δοθῆναι αὐτοῖς παρ' ἡμῶν ἐπίσκοπον, *Et ſuffragia quoque ab Eccleſia Satalorum accepi obſecrationem habentia, vt detur ipſis à nobis Epiſcopus.* Electionis his verbis fit mentio ab Eccleſia Satalorum, mentio item ordinationis à Præſule Cæſarienſi obtinendæ, quæ confirmaret electionem, per quam ſcilicet Satalenſibus Epiſcopus daretur: priori epiſt. integrâ fuſiori exaggeratione beneficium ipſis collatum extollit, quòd Epiſcopum ipſis dederit, quem & à ſe & à plebe ſua, & à tota cognatione ſua non potuit, niſi ęgerrimè dimittere. Quod autem obiicere poſſint aliqui Imperatoris mandato, (τῷ βασιλικῷ προστάγματι) ſibi Epiſcopi in Eccleſia Satalenſi conſtituendi curam impoſitam agnoſcere Baſilium epiſt. 187. citatâ, inuitatúmque ſe à ciuibus Satalanis; ac proinde non concludi ex ea ordinatione Cæſarienſis Antiſtitis in Armenia, quandoquidem vel inuitatu eorum, quibus Epiſcopus erat pręficiendus, vel auctoritate Imperatoris facta dici queat, non Exarchico iure: Hoc, inquam, non videtur multùm vrgere: nam quod ad inuitationem Satalenſium ſpectat, hæc non tribuit ius alicui ordinationes perficiendi: penes populos enim fuit olim electio: ordinatio verò Regulares ſemper habuit, & à Canonibus præfixos miniſtros: nec in populorum poteſtate fuit, quem vellent ad ordinationes peragendas vocare: imò nec Principibus atque Imperatoribus Eccleſia hanc poteſtatem vnquam attribuit, vt pro arbitrio ordinatores ac conſecratores Epiſcoporum deſtinarent: nec Baſilius regularum Eccleſiaſt. tenaciſſimus, Imperatoris mandato auctoritatem illam ineſſe credidiſſet, nec rogantibus ciuibus Satalanis tribuiſſet, quod toti prouinciæ ſub Iconienſi Metropoli conſtitutæ dubitauit concedere, vt nempe ad Amphilochij ſibi chariſſimi, (hunc enim iis temporibus ordinatum fuiſſe in locum Fauſtini Iconienſem Epiſcopum multis probari poſſet argumentis) ordinationem (quam peregrinam ideò vocauit, quia extra Primatiam ſuam eſſet peragenda) accederet. Nec ſi à Principis mandato auctoritatem iſtam ſibi vindicaſſet Baſilius, quandoquidem eodem mandato ſibi Theodotum Nicopolitanum adiutorem operis datum ſcripſit, auſus fuiſſet, eo refugiente & ab ipſo recedente, quemadmodum eadem epiſt. teſtatur, ordinationem

celebrare ſolus, quam cum alio agendam Imperator ſibi commiſiſſet: nec vlla ratio occurrere poteſt, ob quam Imperator Baſilium longè à ciuitate Satalorum diſſitum ordinatorem Epiſcopi Satalorum ſelegerit, niſi quia ius ei competere ordinationis peragendæ Eccleſiaſticis legibus eſſe ſciebat.

Atque vt hoc amplius illuſtretur, notandum eſt probabile eſſe hocce tempore Nicopolim Metropolim Armeniæ primæ fuiſſe, tum quòd epiſt. 194. Baſilius *tam ſanæ doctrinæ Metropolim* appellet: tum quòd à Theodoto Nicopolitano ſe ad Concilium prouinciæ vocatum ſcribat epiſt. 187. quod vtique indicium eſt eum prouinciæ fuiſſe Metropolitanum. Obſtant tamen ſubſcriptiones epiſtolæ Synodicæ Epiſcoporum Armeniæ primæ ad Leonem Imperatorem parte 3. Concilij Chalcedonenſis hoc ordine, *Ioannes Epiſcopus Sebaſtæ Metropolis*, &c. *Ioannes Epiſcopus Nicopolis, Gregorius Epiſcopus Sebaſtopolis.* Litem ego non dirimo, nam potuit alia eſſe Metropolis tempore Concilij Chalcedonenſis, alia tempore Baſilij mutatâ ciuili adminiſtratione, quæ tempore Iuſtiniani adhuc diuerſa fuit; qui quatuor Armeniis quatuor præfectos aſſignauit, Nouel. 31. & ſub Leontopoli, Theodoſiopolim, Satalam & Nicopolim conſtituit. Potuit & penes Theodotum cura prouinciæ tempore Baſilij reſidere, abſente Euſtathio Sebaſteno propter ſuſpicionem hæreſeos: atque ita quòd Theodotum Imperator pro ordinatione Epiſcopi Salatenſis adiutorem Baſilio dedit, dici poteſt vel tanquam Metropolitanum ad quem ordinatio proprio iure ſpectabat, vel tanquam proprium Suffraganeum ob ſuſpectam Euſtathij Sebaſteni Metropolitani fidem nondum purgati adiutorem ei conſtituiſſe, ad quem ius præcipuum ordinationis pertinebat, putà Baſilio totius Diœceſeos Primati: qui ideò quamuis Theodoti deſtitutus eſſet operâ, propter diffidentiam inter vtrumque occaſione Euſtatij Sebaſtheni exortam, cui communicauerat Baſilius, homini apud Catholicos tanquam prauæ doctrinæ diſſeminator malè audienti, ſibi commendatam potiùs ordinationem, quàm mandatam Exarchicâ poteſtate perfecit.

Eam verò ipſe ordinariam non delegatam in Armenia ordinationum poteſtatem luculenter eadem epiſtolâ indicat, dum oſtendit ſibi in animo fuiſſe ex parœcia Theodoti Nicopolitani viros aptos Pontificatui aſſumere, in qua religioſos, prudentes, & linguæ gentis peritos plurimos eſſe nouerat, quorum nomina ſibi cognita, tacere profitetur, propter hanc rationem, *Ne quid impedimenti naſceretur, quominùs alio ſaltem tempore Armeniæ prodeſſet*, ſcilicet alio tempore ex iis quos reticebat, oſtendit ſe in animo habuiſſe Epiſcopos in Armenia præficere: quod vtique non dixiſſet, niſi iure ordinario Epiſcoporum creationem in Armenia ad ſe ſpectare crediaiſſet.

Quibus proinde verbis etiam oſtendit, quod ius Primati Carthaginenſi diximus ſuprà conueniſſe, vt quia omnium Eccleſiarum Epiſcopos ordinare poterat, ex quacunque Eccleſia idoneos ad præſulatum Clericos aſſumere ipſi liceret, quâ poteſtate Aurelium nonniſi moderatè vſum, & ab Epiſcopis propriis illos petere potiùs quàm extorquere voluiſſe diximus; ita Cęſarienſi Primati eandem poteſtatem conueniſſe, ſed Baſilium moderatè vti ſibi propoſuiſſe; adeò vt renitente Theodoto, ac ſibi tunc temporis infenſo, aliquos ex eius Clero ad Satalenſem Epiſcopatum promouendos aſſumere noluerit: quæ moderatio eò temporis ei præſertim obſeruanda erat, tum propter dignitatem & exiſtimationem Theodoti Nicopolitani viri magni nominis, qui pro Eccleſia Catholica multos labores ſubierat, quem proinde vt patrem venerabatur, vt conſtat ex epiſtolis 193. & 261. tum propter temporis calamitatem, quia cùm iſto tempore Eccleſia in varias partes diſtraheretur ac dilaceraretur, vt ipſe variis epiſtolis deplorat, ſummo iure minimè illi vti conueniebat, ne iam ſibi ſubinfenſum Theodotum, alióſque ſibi ſubditos Epiſcopos exacerbaret, & in apertam diſſenſionem Eccleſiæ nociuam ſuſpiciones ac diffidentiæ iſtæ prorumperent.

Secundò, aliud exemplum occurrit circa Eccleſiam ipſam Nicopolitanam; cùm enim Eccleſia iſta magnæ exiſtimationis & auctoritatis, vt pote quam epiſt. 194. ciuibus Nicopolitanis ὡς μητρόπολιν τῆς ὀρθοδοξίας, *rectæ doctrinæ Metropolim* ſe venerari dixit Baſilius, poſt obitum Theodoti prædicti vacaſſet, hæreticorum fraude & violentiâ vicarij Thraciæ grauiter afflicta eſt, verberibus & probris ciuibus illatis, populatione ædium, deſolatione ciuitatis, totius patriæ ſubuerſione, perſecutione Ec-

cleſiæ, fugâ ſacerdotum, inſolentiâ luporum, ac diſperſione gregum, vt exponit ipſe Baſilius epiſt. 190. *Nicopolitanis*, quam infœlicitatem inuexit Presbyteri vnius aut alterius lapſus, qui ſe hæreticis addixerunt, quem deflet epiſt. 191. vnus autem ex iis nomine Fronto, cùm priùs veritatis patrocinium ſe ſuſcipere ſimulaſſet, tandem & fidem, & ſeipſum prodidit, proditioniſque mercedem ignominiæ nomen eſt adeptus; nam ad Epiſcopatus illius vrbis faſtigium per Euſtathianos euectus, communis totius Armeniæ execratio factus eſt, vt idem Baſilius ſcripſit epiſt. 10. *Gregorio Theologo*: quod & fuſiùs narrat tacito nomine Frontonis epiſt. 264. Euſebio Samoſateno; quâ epiſtolâ Nicopolitanum Epiſcopum ab Euſtathio Sebaſteno ordinatum, adnitente Vicario Thraciæ, qui Sebaſtæ ideò per aliquot dies ſederat, & Conciliabulum Galatarum, ac Ponticorum Epiſcoporum indixerat, in qua vrbe probabile eſt innitis Nicopolitanis datum fuiſſe Epiſcopum: cùm ergo ita ſe haberet Nicopolitana Eccleſia, & ab hæreticis turbata fuiſſet, eius curam ſuſcepit Baſilius, & prædicti Frontonis ordinationem irritam declarauit epiſt. 192. prope finem, iis verbis, quæ ipſius in ea prouincia auctoritatem manifeſtè indicant, οὐκ οἶδα ἐπίσκοπον μηδ' ἀριθμήσαιμι ἐν ἱερεῦσι Χριστοῦ τὸν παρὰ τῶν βεβήλων χειρῶν ἐπὶ καταλύσει τῆς πίστεως εἰς προστασίαν προβεβλημένον αὕτη ἐστὶν ἡ ἐμὴ κρίσις ὑμεῖς δὲ εἰ τινα ἔχετε μεθ' ἡμῶν μερίδα, ταῦτα ἡμῖν φρονήσετε δηλονότι. εἰ δὲ ἀφ' ἑαυτῶν βουλεύεσθε τῆς ἰδίας γνώμης ἕκαστος ἐστὶ κύριος ἡμεῖς ἀθῷοι ἀπὸ τοῦ αἵματος τούτου· *Non agnoſco Epiſcopum, nec Chriſti illum ſacerdotibus adnumerarem, qui à prophanis eſt manibus ad fidei deſtructionem Præſul electus, hæc mea eſt de illo ſententia. Vos, ſi quam nobiſcum partem habetis, eadem etiam nobiſcum ſentietis. Si verò veſtro ipſorum conſilio vtimini, ſuæ quiſque ſententiæ poteſtatem habet, nos inſontes erimus ab hoc ſanguine.*

Cùm ſe non agnoſcere dicit Epiſcopum Nicopolitanum intruſum, nec ſacerdotibus Chriſti adnumerare, ſui officij fuiſſe oſtendit, illius ordinationem probare vel improbare, & Epiſcoporum ſuæ Exarchiæ catalogum texere. Cùm addit inſontem ſe fore ab hoc ſanguine, ſi contra ipſius ſententiam intruſum & illegitimè ordinatum recipiant, ad ſe pertinuiſſe iſtius rei negotium oſtendit, & de eius manibus ſanguinem exquirendum, niſi ſpuriæ & adulterinę ordinationi obſtitiſſet. Denique cùm paulò pòſt addit ſe non diffidere Presbyteris Nicopolitanis, quin ipſius ſententiam ſequantur, ſed etiam ideò declarare ne communione illorum præripiantur. & vt norint, μηδὲ τῆς χειρὸς αὐτοῦ ἐπιβολὴν δεξαμένους μετὰ ταῦτα εἰρήνης γενομένης βιάζεσθαι ἑαυτοὺς ἐγκαταριθμεῖν τῷ ἱερατικῷ πληρώματι, *Nec eos qui ab ipſo* (intruſo) *ordinationem exceperint, redditâ pace debere contendere ordini ſacerdotali adnumerari*: oſtendit manifeſtè ſuam ſententiam redditâ Eccleſiæ pace, & compoſitis rebus Eccleſiaſticis iam turbatis valituram, ita vt qui communione ſociandus ſit Epiſcopo quem reiiciebat, non impunè ſit laturus, & ordinationes omnes ab ipſo perficiendæ, inanes & irritæ habendæ ſint.

Sed neque hîc ſtetit eiuſdem Baſilij auctoritas, ſed vlteriùs progreſſa eſt. Etenim ſatagente præſertim Poemenio Satalorum Epiſcopo à comprouincialibus Euphronius Coloniæ Epiſcopus, Nicopolim transferendus eligitur, cuius electionem Baſilius confirmat, Colonienſes Epiſcopum ſuum dimittere nolentes placat; Nicopolitanos cum iis conciliat, & vt hanc tranſlationem vtrique gratam habeant, auctor eſt, vt conſtabit ex eius epiſt. 193. 194. 292. Et quidem hanc vltimam epiſtolam ad Colonienſes ſcribens plurima habet obſeruatu digna.

1. Laudat ipſorum erga proprium Epiſcopum affectum, quòd ægrè ferrent illum à ſua ciuitate ad aliam transferri. 2. Diſpenſationi ab Epiſcopis factæ, & vt credibile eſt, non ſine diuino conſilio vt acquieſcant, monet. 3. Hortatur, ne litigare velint cum Eccleſia primariæ ciuitatis: res ſiquidem ipſorum procurari cum Eccleſiæ principali prouidetur. 4. Diſſuadet, ne ad Magiſtratus ſæculares interceſſuri accederent, *furorem hunc inſanum* vocat, peſtem & ſubuerſionem Eccleſiarum. 5. Suadet, vt Epiſcoporum ordinationem, ἐπὶ τὴν συμβουλὴν ἐν πατρικοῖς σπλάγχνοις προαγομένην, *Suggeſtionem ex paternis viſceribus profectam ſequantur.* Denique vt ſuam præſentiam expectent, plura quippe ſe præſente ſuggeſturum quàm abſens commonefacere poſſet.

Ex quibus hæc propoſito noſtro conſentanea deducere poſſumus, electionem quidem

dem Euphronii à comprouincialibus factam fuiſſe : diſpenſatione opus fuiſſe, vt Epiſcopus ex eadem Prouincia à minori Eccleſia ad maiorem tranſiret; diſpenſatum ab iis quibus *ſollicitudo Eccleſiarum Dei & cura* incumbebat, id eſt, Epiſcopis, quibus ſeipſum adcenſet Baſilius ; ſollicitudinem eiuſdem Baſili tanquam rei ad ſe pertinentis ; admonitionem ſuam Baſilium paternam dicere, quo titulo nequaquam eam inſigniret, niſi ſe patrem eorum agnouiſſet : præſentiam tandem ſuam tanquam ſuperioris exhibere in re iſta momentoſâ voluiſſe.

Sed notanda maximè iſta verba, quibus patet illum prædictæ translationi conſenſiſſe, eamque confirmaſſe : habentur illa epiſtolâ citatâ centeſimâ nonageſimâ quartâ *ciuibus Nicopolitanis*, ſtatim poſt commendationem eorum qui in ſede Nicopolitana ederant, *ὃν ἄξιον εἶναι τὸν ἀναφανέντα, καὶ ὑμεῖς ἐδοκιμάσατε, καὶ ἡμεῖς συνεθέμεθα, quibus dignum eſſe hunc præſentem & vos iudicaſtis, & nos conſenſimus.* Quo titulo verò conſenſus ſui, & indicii meminiſſet, ſi ordinatio Nicopolitani Epiſcopi ad eum nullo iure pertineret? cur ſe ordinationi Nicopolitanæ Eccleſiæ, tam ardenti ſtudio immiſcuiſſet vir magni quidem meriti, & virtutis, ſed cuius fides Nicopolitanis ſuſpecta recens fuerat, & cui cum Theodoto, cuius præclara apud illos erat memoria, non bene ſemper conuenerat, vt ipſe pluribus epiſtolis oſtendit?

Tertium exemplum eſt cuiuſdam Fauſti, qui à Papa miſſus ad Baſilium cum literis, quibus petebatur Epiſcopus ab ipſo electus, repulſam paſſus eſt, quòd iam Cyrillus quidam iuſtis ſuffragiis illius vrbis in Armenia à Meletio Epiſcopus ordinatus fuiſſet. Is vero ad Anthimum ſecundæ Cappadociæ Metropolitanum accedens ab ipſo ordinatus eſt, quod innoteſcit ex epiſtolis eiuſdem quinquageſima octaua *Meletio*, centeſima nonageſima quinta *Theodoto*, trecenteſima decima tertia *Pœmenio* datis : eâ enim quæ eſt ad Meletium notum ei facit quemadmodum *Anthimus Fauſtum* (*τὸν συνόντα τῷ Πάπᾳ*) *cum Papa agentem conſecrarit, neglectis iuſtis ſuffragijs venerandiſſimi fratris Cyrilli quem ipſe ordinauerat : itaut Armeniam ſeditionibus repleuerit.* Eâ quæ eſt ad Theodotum, hæc ſcribit, *γίνωσκε δὲ ὅτι Φαῦστος γράμματα ἔχων ἧκε πρὸς ἡμᾶς παρὰ τοῦ Πάπα, ἀξιοῦντα αὐτὸν γενέσθαι ἐπίσκοπον. ἐπεὶ δὲ ᾐτήσαμεν ἡμεῖς μαρτυρίαν τῆς σῆς εὐσεβείας, καὶ τῶν λοιπῶν ἐπισκόπων, καταφρονήσας ἡμῶν πρὸς Ἄνθιμον ᾤχετο, καὶ παρ' αὐτοῦ λαβὼν τὴν χειροτονίαν χωρὶς ἡμετέρας ἐπιμνήσεως ἐπανῆκε. Sciat autem veniſſe ad nos Fauſtum à Papa deferentem literas, quibus petebatur vt ordinaretur Epiſcopus ; cùm autem & reuerentiæ tuæ, & reliquorum Epiſcoporum teſtimonium poſceremus, contemptis nobis abiit ad Anthimum, & ordinatus ab illo ſine noſtra acceptâ admonitione ad ſuos reuerſus eſt.* Epiſtolâ denique trecenteſimâ decimâ tertiâ Poemenio multa ſcribit in hanc rem notatu digna.

Primùm rationem reddit, cur nullas Armenis ad ipſum venientibus & in patriam redeuntibus literas tradiderit : tum in Anthimum inuehitur, quòd conculcatis Eccleſiaſticæ ordinationis regulis Fauſtum ſuis manibus & auctoritate ordinarit, qui Epiſcoporum prouinciæ, cuius erat ipſe Poemenius, ſuffragiis nullis iuuabatur : ſe autem noluiſſe eum ordinare declarat, qui à comprouincialibus non fuiſſet electus : atque adeo Armenis qui ad ſe venerant noluiſſe reddere litteras ad Comprouinciales, nequidem ad ipſum Pœmenium, iſtius ordinationis indices. Nec Fauſtum ad communionem voluit admittere Baſilius, quin immo ipſi comminatus eſt, quòd niſi ipſam comprouincialium epiſtolam deferret, & eius communionem erat auerſaturus & procuraturus, vt & alii ſibi aliqua neceſſitudine coniuncti eius quoque communionem auerſarentur. Quòd ſi res curari poſſent, & medicina adferri, id eſt, ni fallor, ſi Cyrillo conciliari poſſet Fauſtus, iuſque ſuum illi cederet, & Comprouinciales Epiſcopi ratam haberent illius ordinationem : tunc demum rogat Poemenium, vt de moribus Fauſti, vtrum probati ſint inquirat, & teſtimonium ei reddat, & cæteros Comprouinciales ad hoc inducat, quatenus ſcilicet & ipſe electioni conſentire poſſet, & ſchiſmati quod exorturum præuidebat occurri. Quod ſi Armeni iſtum qui Fauſtum Epiſcopum receperant, ſolâ Anthimi communione contenti eſſent, nullâ ipſius nullâ, *τῆς ἑλληνικῆς*

ταύτης, *Eccleſiæ Cæſarienſis*, habitâ ratione, tanquam ineptos prorſus ad amicitiam eos iudicat. Iis vnicum addi poteſt, Cyrillum iſtum Epiſcopum Armeniæ, qui à Meletio ordinatus fuerat, de blaſphemia accuſatum fuiſſe, & ideo Satalenſibus inuiſum, ſed à Baſilio innocentem iudicatum, iiſdem reconciliatum fuiſſe, vt patet ex eiuſdem epiſtola centeſima octuageſima ſeptima *ad Terentium Comitem*.

Ex iſta autem tota narratione hæc deduco. Primum in electione Fauſti & Cyrilli in Epiſcopos contentionem fuiſſe; Fauſtum à Clero & populo, Cyrillum ab Epiſcopis Prouinciæ electum fuiſſe; Armenos enim ciuitatis populos legatos miſiſſe ad Baſilium, & acceſſiſſe legimus pro Fauſto deprecantes, Cyrillum verò ab illis blaſphemiæ accuſatum: in poſſeſſione fuiſſe Fauſtum, Cyrillum autem reiectum.

Alterum, cauſam iſtam ad Meletium Patriarcham Antiochenum à Cyrillo delatam fuiſſe, à Cyrillo ad ſummum Pontificem cauſam tranſlatam, vel per euocationem Papæ, vel per appellationem à ſententia Baſilii, vel aliquâ aliâ ratione nobis ignotâ. Quòd Cyrillus ad Meletium confugerit patet, quia ab ipſo ordinatus ſcribitur.

Meletium autem iſtum Antiochenum fuiſſe Patriarcham, iis rationibus moueor. Primò, quia cùm quinquageſimam ſextam, & quinquageſimam ſeptimam, & quinquageſimam nonam Baſilii Epiſtolas, ad Meletium Antiochenum datas explicent omnes, cur quinquageſima octaua, quæ *τῷ αὐτῷ*, ſeu *eidem* inſcribitur, alii Meletio quàm Antiocheno data fingeretur? Secundò, conſentiunt omnia Meletio Antiocheno quæ iis epiſtolis ſcribuntur: conſentit inſcriptio; Meletium enim iſtum ſimpliciter Epiſcopum nominat, ob dignitatem, quo nomine Antiochenum ſimiliter appellat Meletium, quem ſcilicet conuenit in ipſius agro, vt ad eum ſe purgaret de communicatione cum Euſtathio, cuius à Theodoto accuſabatur, epiſtolâ centeſimâ octuageſimâ ſeptimâ; vt ſcilicet pateat eundem illum eſſe Meletium ad quem iſtas literas ſcribit, cum eo cuius prædictâ epiſtolâ centeſimâ octuageſimâ ſeptimâ meminit, quem Antiochenum fuiſſe conſtat, tum ex eo quod apud eum voluerint Theodotus & Baſilius ſe purgare: tum quod Diodorum Presbyterum ſecum ille Meletius habuerit, quem Presbyterum epiſtolâ centeſimâ ſexageſimâ ſeptimâ nominauit.

Conſentiunt res in iſtis epiſtolis tractatæ. Etenim quinquageſimâ ſextâ epiſtolâ ſanctitatis ipſius cogitationem Baſilius calamitatum quibus affligebatur Eccleſia, lenimentum eſſe ſcribit, eamque euidentiorem factam ait commemoratione rerum ipſius, quæ omni ſapientiâ & gratiâ abundant: ab ipſo ſe ſalutarem doctrinam haurire, & ad præſens futurumque ſæculum commeatus accipere experit; quæ Antiocheno Meletio optimè conueniunt magnæ in Oriente exiſtimationis, vt ex ipſius encomio à Chryſoſtomo conſcripto, & Gregorii Nyſſeni oratione in funere eius habitâ, & Gregorii Nazianzeni commendatione carmine *de vita ſua* colligi poteſt.

Obſcuro verò aut ignoto alicui alii Meletio conuenire poſſe iſta minime videntur: quemadmodum nec quod Theophraſtum fratrem, ſeu Coepiſcopum miſerit, qui ſingula ſibi referret: hæc non cadunt in aliquem Epiſcopum Baſilio dignitate inferiorem, ſed tantum in ſuperioris gradus Antiſtitem, cuiuſmodi erat Antiochenus Patriarcha: epiſtolâ quinquageſimâ ſeptimâ ſimiliter Dorotheum à ſe retentum primùm ſignificat, vt *τῇ τιμιότητι*, *dignitati* ipſius omnia referret; tum à ſe dimiſſum, vt & ſanctitatem eius conueniret, & quid ſuggereret ipſe oſtenderet, *ſi quod cogitabat vtile & commodum videretur, ab integritate eius hoc ſtudij impenderetur, vt opere perficeretur.* Verba iſta nonniſi ad ſuperiorem dirigi potuerunt, non ad inferiorem. Decretum ſubdit vt Dorotheus Romam mittatur; quod Decretum ſi approbet, epiſtolas formare dignetur, & conſortes aliquos adſciſcere qui iiſdem ſubſcribant. Ad Meletium Antiochenum iſta pertinent, qui poſtea epiſtolæ datæ ad Coepiſcopos in Italia & Gallia 74. primus ſubſcribit cum Euſebio Samoſateno ſibi ſubdito etiam ante Baſilium magnæ dignitatis virum, vt appareat iſtum Meletium non Epiſcopum Baſilii throno ſubiectum eſſe. Epiſtola quinquageſimâ octauâ, de qua hîc diſputatur, ſtatim initio renuntiat ſibi ab Euſebio (Samoſateno) mandatum, vt Occidentalibus, de quibuſdam Eccleſiaſticis rebus ſcriberet, quæ tamen ab aliis poſtea conſentientibus ſubſcriberetur. Hæc eadem eſt epiſtola quam diximus à Meletio, Euſebio, Baſilio, & aliis tam Ponticæ

Diœceſeos, quàm aliarum Epiſcopis ſcriptam fuiſſe. Sanctæſimi Sympreſbyteri epiſtolâ quinquageſimâ octauâ meminit, quam miſiſſe videtur ad Euſebium, vt cùm eo colloqueretur, literaſque ipſe ſuſciperet ad Epiſcopos Occidentis deferendas. Epiſtolâ quinquageſimâ nonâ, de Apollinario ſcribit, & de Trinitatis myſterio, de quo etiam reſcribit ad Eccleſiam Antiochenam epiſtolâ ſequenti, vt appareat tum ex connexione iſtarum epiſtolarum, tum ex affinitate materiæ, non alium Meletium eſſe quàm Antiochenum, quod etiam colligitur, quia eadem epiſtolâ quinquageſimâ nonâ, rogat eundem Meletium, vt poſtquam epiſtolam ad Occidentales formauerit, dignetur tranſmittere, vt curet eam ab omnibus conſentientibus ſubſcribi, & ideo precatur vt charta locum habeat ſubſcriptionibus accommodum, quam coniungere poſſit ei quæ à fratre Sympreſbytero circumfertur. Quis poteſt alius eſſe Meletius, ad quem epiſtolam ab omnibus Orientalibus Epiſcopis ſubſcribendam, formandam ac corrigendam & ante cæteros ſubſcribendam mittat, quam Antiochenus Patriarcha qui toti Orienti præerat.

Ad Meletium ergo Antiochenum Patriarcham totius Orientis, ſiue per appellationem, ſiue alio modo cauſa ordinationis Epiſcopi in Armenia deferri potuit: potuit & ipſe cum tunc temporis pulſus à Valente ab Antiochena ciuitate in Armenia patria ſua exularet: teſtibus Chryſoſtomo oratione de ſancto Meletio, Theodoreto libro ſecundo, capite trigeſimo primo; Socrate libro ſecundo, capite quadrageſimo tertio; Sozomeno libro quarto, capite vigeſimo ſeptimo, ſeu ad Ponticam regionem tranſlatus fuiſſet, vt loquitur Epiphanius hæreſi ſeptuageſimâ tertiâ, & quem Baſilius Getaſis in agro ſuo conuenerat: potuit, inquam, per ſeipſum Cyrillum electum ab Epiſcopis in Armenia Præſulem conſeruare, poſtquam in eius gratiam cauſam iudicaſſet.

E contrà vero Fauſtus Latinus homo à Clero & populo electus, Romam omnium Eccleſiarum matrem confugit, & à Papa, id eſt, à Romano Pontifice, qui per excellentiam Papa, pater, & Patrum pater dicitur, mandatum pro ordinatione ſuſcipienda, ſiue iure, ſiue iniuria ſuſcepit. Potuit enim obrepi Romano Pontifici, potuit & Latini hominis electi à Clero & populo cauſa videri ipſi fauorabilior, quam hominis de blaſphemia accuſati, cui & populus ciuitatis ad quam eligeretur obſiſteret, imò & finitimi quidam, verbi gratia, Salatenſes communicare nollent, quemadmodum teſtatur Baſilius epiſtolâ citatâ centeſimâ octuageſimâ ſeptimâ.

Hunc ergo Papam cuius mandato ordinandus Fauſtus miſſus eſt ad Baſilium, Romanum Pontificem optimo iure interpretamur, tum ob nominis Papæ prærogatiuam ipſi conuenientem, tum ob auctoritatem ab ipſo Papa vſurpatam: quis enim alius auſus fuiſſet Latinus Epiſcopus de ordinationibus Armeniæ iudicare? quis præter Romanum Pontificem ex Italia hominem ad Baſilium auſus fuiſſet mittere cum literis quibus ab illo peteret, vt manus delatori ſuarum literarum imponeret? quis adeò ſtultus vt ordinationem promereriſe à Baſilio poſſe crederet priuato ſolummodo, cuiuſdam Epiſcopi teſtimonio nixus, non publico ſuperioris ſedis iudicio? fauet & illa non minimi momenti coniectura, quod epiſtolâ tam quinquageſimâ octauâ, qua ad Meletium, quàm 195. quâ ad Theodotum, de Fauſto iſta reſcribit, Sanctæſimum ſeu Sagetæſimum Preſbyterum mittat, qui illos de Eccleſiaſticis rebus inſtrueret. Hic autem Preſbyter ille idem eſt, qui epiſtolâ 199. ad Preſbyteros Antiochenos Epiſcoporum totius Occidentis charitatem & affectum ergà Orientales expoſiturus ſcribitur, ille proinde idem qui Romam petierat, ad quam ſcilicet vrbem proficiſcebantur, qui ab Orientalibus ad Occidentales nuntiaturi aliqua veniebant, vt colligitur ex epiſtolis quinquageſimâ-ſecundâ, & quinquageſimâ ſeptimâ eiuſdem Baſilij.

Vnde coniicitur non imprudenter, neque improbabiliter, non ſolùm iſtum Fauſtum litteris Papæ Romæ, quas ipſe deferebat, verùm etiam commendatione eiuſdem per Sagetæſimum Presbyterum ſubnixum auſum fuiſſe ſeſe ad Baſilium conferre, & ab eo adiudicaram ſibi dignitatem Epiſcopalem præ Cyrillo competitore ſperare.

Quòd verò Baſilius litteris iſtis ſummi Pontificis minimè paruerit ex eodem fonte profluxit, quo Meletio Antiocheno communicandum ipſe cenſuit, non Paulino, quamuis in Paulinum Romanus Pontifex inclinaret, non in Meletium, vt intueri licet ex ipſius Baſilii epiſtolis centeſimâ octuageſimâ ſecundâ, trecenteſimâ vigeſimâ primâ, trecenteſimâ quadrageſimâ nona, & aliis pluribus, puta quòd exiſtimaret ſanctus

Baſilius, *Occidentales, nec intelligere rerum Occidentalium veritatem, neque viam qua poſſint addiſcere, amplecti*: quod ipſe occaſione litterarum, quas ad eorum antesignanum, id eſt, Romanum Pontificem volebat ſcribere aſſerit in fine epiſtolæ decimæ, vnde non excipit Baſilius aduerſus iudicem, quod illegitimus foret, ſed aduerſus iudicium quod Canonibus contrarium exiſteret: cuius tamen hanc rationem haberi poſſe putat, vt, ſi fieri poſſit, de toto negotio ſit tranſigendum.

Iis ergo omnibus præſuppoſitis quæ ad iuriſdictionem Hierarchicam, tum Patriarchæ Antiocheni in Ponticam Diœceſim, tum etiam Romani Pontificis in terrum orbem iis temporibus agnitam oſtendunt.

Tertium adiungendum quod inſtituto noſtro magis congruit, nimirum, vt ex prædicta narratione Cæſareæ quoque Epiſcopi in Ponticam Diœceſim, cuius pars Armenia erat, auctoritatem Exarchicam colligamus, multa vero ex ea deduci poſſunt, non obſcura argumenta.

Primum, quia Romanus Pontifex regularum Eccleſiaſticarum non ignarus, Fauſtum Epiſcopum, cuius electionem probarat, ad Baſilium Cæſarienſem remittat ordinandum: non remitteret autem niſi illum in ea Prouincia ius ordinationum præcellens habuiſſe nouiſſet.

Secundum, Baſilium Primatis officium exercuiſſe, cùm à Fauſto electionis ſuæ decretum petijt, & examinauit, vtrum Metropolitani, & Epiſcoporum fuiſſet ſuffragiis electus: quæ ſuffragia vbi Fauſto deeſſe cognouit, eius electionem irritam declarauit, & è contra Cyrilli ordinationem probauit, eumque innocentem iudicauit.

Tertium, Anthimum Tyanenſem Metropolitanum putaſſe, negligente, ſeu nolente Cæſarienſi Antiſtite primæ Cappadociæ Metropolitano, exequi ſententiam ſummi Pontificis, illius ſedis prærogatiuam ad ſe deuolutam fuiſſe, quippe qui ſecundæ Cappadociæ Metropolitanus eſſet, eoque iure Fauſtum in Epiſcopum Armeniæ ordinaſſe, quod vtique nullo prætenſo iure potuiſſet Anthimus perficere niſi Cappadociæ primo Epiſcopo in Armeniam ius eſſe conſtitiſſet: quamuis enim plurima per vim attentaret Anthimus; ius tamen ſemper aliquod violentiæ prætendit: nam verbi gratiâ eum à Sazimorum poſſeſſione Gregorium Nazianzenum à Baſilio ordinatum vi deiecit, antiquam Tyanenſis Epiſcopi in vicum iſtum, prætenſam auctoritatem violentius, quam par eſſet defendit.

Quartum, nec Baſilius in ſui contemptum ordinationem factam iſtius Fauſti ab Anthimo, nec in præiudicium Eccleſiæ ſuæ interpretaretur, niſi hanc credidiſſet ſedis ſuæ prærogatiuam eſſe, vt illius Antiſtes Armeniæ Epiſcopum dare poſſet, qua Tyanenſis Eccleſiæ Præſul minime frueretur.

Quintum, quòd autem litteras ait ſe negaſſe Armenis ad comprouinciales, certum indicium eſt, ſuum tanquam Primatis officium fuiſſe, vt de iis quorum ordinationes probaret, ad Metropolitanum ipſorum, ac comprouinciales ſcriberet, vt ſcirent illos à ſe ordinatos, vel eorum ordinationem comprobatam, ac proinde quia Fauſti minimè probarat ordinationem, ſignificat nullas ſe per Armenos iſtos, qui Fauſtum commendaturi venerant, literas ad comprouinciales ſcripſiſſe.

Sextum, quod ſubſtractionem ſuæ communionis, & eorum qui ipſi neceſſitudine alligabantur, Fauſto comminatur, hoc ipſum oſtendit, & ſuâ communione Fauſtum indigentem, & alios Epiſcopos Prouinciæ ſibi obſtrictos tanquam inferiores ſuperiori illum credidiſſe.

Septimum, ſi tranſactione inter Fauſtum & Cyrillum duos contendentes negotium terminari poſſit, & Fauſto Epiſcopatus ſit relinquendus, aut ad alium Epiſcopatum ſit ipſe ex compoſitione transferendus in eo caſu inquiſitionem de vita, & moribus Fauſti ad ſe deferri cupit: quam vtique vt minus ad ſe ſpectantem non exigeret, niſi etiam Armeniæ tāquā totius Diœceſeos Pōticæ Primas adminiſtrationē ad ſe pertinere reſciret.

Octauum, Fauſtum illum ab Anthimo ordinatum, niſi ſibi & Eccleſiæ Cæſarienſi reconciliaretur, ſola communione Anthimi contentum eſſe debere docet, quibus verbis oſtendit, quantam ſuam eſſe auctoritatem crediderit, vt omnes iſtius Prouinciæ Epiſcopos in ſuam ſententiam tractura ſit, eique illos tantum communicaturos, qui ſibi & Eccleſiæ ſuæ communicarent.

Nonum argumentum eſt, quod diſſidentes à Cyrillo Alexandrino Salatenſes ipſe re-

conciliarit, & cùm antea apud illos tanquam blaſphemus malè audiret, acceptâ eius apud Baſilium purgatione eidem deinceps communicarint.

Nec iis obſtat, ordinatio eiuſdem Fauſti ab Anthimo, aut Cyrilli à Meletio: nam è contra Anthimum duntaxat Cæſarienſis Eccleſiæ prærogatiuâ nixum hanc ordinationem peregiſſe probabile eſt, quam nempè ad ſe per reiectionem Fauſti à Baſilio deuolutam prætenderit.

Meletium verò vtpotè Patriarcham totius Orientis, etiam Ponticæ Diœceſeos, iure, vt aiunt, præuentionis, aut euocationis ad ſe, cùm in iis partibus Præſul eſſet, ordinationem Cyrilli Epiſcopi Armeni ſibi vendicare potuiſſe non mihi dubium eſt; eodem ſcilicet iure quo alibi videbimus cautum, vt per appellationem à Metropolitanis, vel ad Primatem Diœceſeos, vel ad Patriarcham plura referri poſſent.

Quartum exemplum petitur ex Epiſtola 67. eiuſdem Baſilii *ad Eccleſiam Ancyræ* in Galatia ſitam, huiuſque ſaltem primæ Metropolim. Vbi enim Epiſcopi Ancyrani fuſiùs mortem defleuit, ſubrogationem alterius in eius locum ad ſe quoque ſpectare iis verbis indicat: πρὸς τίνα λοιπὸν τὰς φροντίδας τῶν ἐκκλησιῶν ὑπερθώμεθα; τίνα κοινωνὸν τῶν λυπηρῶν λάβωμεν; τίνα μέτοχον τῆς σωφροσύνης; *Cuinam deinceps Eccleſiarum curam imponemus? quem in rebus accipiemus conſortem? quem habebimus modeſtiæ ac temperantiæ diſpenſatorem?*

Quæ verba ſi accuratè pendantur, oſtendent curam Eccleſiarum Galatiæ Cæſarienſi Epiſcopo impoſitam fuiſſe, ipſius fuiſſe huius oneris partem in eũ transferre quẽ Metropolitanum crearet, illum conſortem & cooperatorem ſuum facere, quem in Metropolitica ſede ſtatueret: imprudenterque Baſilium, quis demortuo in Ancyrana ſede ſuccederet ſciſcitaturum, cuinam eſſet Eccleſiarum curam impoſiturus, ſi ad ipſius curam huius Prouinciæ Eccleſiæ non pertinerent, ſi inſtitutio iſtius Epiſcopi in eius poteſtate nullatenus ſita eſſet; temerè quæſiturum, quem eſſet conſortem muneris accepturus in Epiſcopali Ancyræ cathedra, ſi in iſta ciuitate & regione nihil eſſet, quod ad ipſius munus officiumque pertineret.

Huc refer epiſtolas eiuſdem Baſilii, ſexageſimam ſecundam conſolatoriam ad Eccleſiam Neocæſarienſem ob mortem ipſorum Præſulis, duas alias ſequentes, ſexageſimam tertiam ad Clericos Neocæſarienſes, ſexageſimam quartam ad Doctores eiuſdem Eccleſiæ, quibus ſeipſum apud illos purgat, eoſque errorum qui diſſeminarentur commonefacit: Nam indicant iſtæ epiſtolæ, tum Eccleſiæ viduæ curam geſſiſſe Baſilium, tum etiam ordinationis in locum Muſonij, ipſorum Antiſtitis. Quibus non obſtat, quòd Epiſtolâ ſexageſimâ quartâ, *Doctoribus Eccleſiæ Neocæſarienſis*, ſignificet ſuum ſeceſſum in locum Neocæſarienſi ciuitati proximum ſuſpectum ciuibus Neocæſarienſibus fuiſſe, eamque ipſorum ſuſpicionem auertere conatum, ſe ad eorum ciuitatem ſeditionibus turbatam accedere noluiſſe declaret. Suſpicio ſiquidem Neocæſarienſium fuit, ne Baſilius præſentiâ ſuâ electionis vellet libertatem interuertere: quæ ſuſpicio minus probabilis futura eſt, ſi nullam circa ordinationem habuiſſet poteſtatem.

Quòd ſuſpicionem iſtam impugnet Baſilius hoc ſolum oſtendit, non fuiſſe primati liberum ſuffragia & vota eligentium aut turbare, aut ſollicitare in alicuius gratiam: minùs vero ſibi expedire id viſum fuiſſe, in hoc rerum ſtatu, quo Eccleſiæ Neocæſarienſi ipſe inuiſus erat, odiique ſemina nondum extincta fuerant: ſed hoc non arguit confirmandi electionem nullam ei poteſtatem Exarchicam fuiſſe: maximè cum ibidem referat Baſilius, ſe olim ad ipſorum ciuitatem miſſis ad eum tanquam legatis primoribus ex plebe, populiſque circumfuſis aduentum ipſius expetentibus euocatum vt veniret, acquieſcere noluiſſe: Quare quòd vererentur Neocæſarienſes ne ſuâ præſentiâ Baſilius electionis libertatem turbaret, primatus eius indicium eſt: quòd Baſilius ab hac illos ſuſpicione liberet, eius moderationis argumentum eſt, non defectus auctoritatis.

Huc etiam refer epiſtolam eiuſdem Baſilii centeſimam octuageſimam quintam ad Eccleſiam Parnaſenam, in ſecunda Cappadocia ſitam, Tyanenſi Metropoli ſubditam, quâ illos hortatur, vt omni poſitâ mœſtitiâ, ſicut conuenit redeant, & ad neceſſariam Eccleſiæ curam exurgant, quo Deus & gregis ſuæ curam gereret, & paſtorem eis pro ſua ipſius voluntate largiretur, qui eos cum ſcientia paſcat. Hæc enim adhortatio probabilis coniecturæ loco eſſe poteſt, Cæſarienſem Præſulem

curam habuiſſe ordinationis Epiſcoporum in ea Prouincia & ad eum ſaltem electorum ordinatorumque à Metropolitano & comprouincialibus confirmationem ſpectaſſe.

§. III.

Eadem poteſtas Cæſarienſis Antiſtitis in Ordinationibus Epiſcoporum exarchica quibuſdam ſequentium temporum exemplis probatur.

SVccedunt prædictis alia prærogatiuæ Eccleſiæ Neocęſarienſis quoad ordinationes Epiſcoporum totius Ponticæ Diœceſeos in ſucceſſoribus Baſilij illuſtria exempla.

Ac primum vulgatum illud eſt, quòd legitur apud Sozomenum libri octaui capite 6. Helladius Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus, gratitudinis ergo quòd ille filio ſuo ſplendidè adminiſtrationem in Palatio interceſſor confecerat, Nicomedienſem in Bithynia Metropolitanum ordinaſſe: nulluſque legatur eius ordinationi oppoſuiſſe defectum poteſtatis in ordinante, quantumuis inſtitiſſet Ambroſius apud Nectarium, vt eum transfugam ſcilicet à ſe Clericum ſine ipſius conſenſu ordinatum ſacerdotio priuaret; inſtiterint poſtea alij apud Chryſoſtomum, vt eum tanquam per gratiam ordinatum exauctoraret: quod & ipſum perfecit Chryſoſtomus, Panſophium in eius locum ordinando, cuius ordinationem è contra plurimos criminatos fuiſſe refert ibidem Sozomenus, quaſi ordinationum conſuetudinem præter leges patrias inuertiſſet, quia nempe primus ex Conſtantinopolitanis in Ponticâ Diœceſi ordinationem Epiſcopi aggreſſus fuerat.

Quod euidens eſt argumentum, morem fuiſſe receptum, vt in Bithinia Ponticę Diœceſeos Prouincia Cæſarienſis Archiepiſcopus Metropolitanos ordinaret, eorumque conſtituendorum maximam auctoritatem haberet.

Denique & illud inſigne exemplum eiuſdem prærogatiuæ Cæſarienſis ſedis, quod nimirum refertur à Nicone Monacho, fragmento quodam quod habetur tomo tertio Bibliothecæ Patrum Pariſienſis, libri qui inſcribitur, *de peſſimorum Armenorum peſſima religione. Deinde*, inquit, *cùm magnus Gregorius qui fuit magnæ Armeniæ Epiſcopus, cauiſſet Armeniæ Epiſcopum à nullo eſſe alio ordinandum, quàm ab illius temporis Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopo, vbi ipſe quoque ordinatus eſt, & horrendæ execrationes & anathema in eos ſit intentatum, qui aliter faciunt, hæc quidem illi tranſgrediuntur; à Syriæ autem Amerano vniuerſalis eorum Epiſcopus ordinatur. Sin autem negant Magnum Gregorium hæc conſtituiſſe, oſtendant nobis eius ad filios conſtitutiones, & os eis obturabitur. Sin autem adhuc dubitauerint, dicant ſi poſſint, cum in eos anathematis ſententiam protulimus, quid ab eis factum nouimus. Quod ſi ex hoc loco Chriſma non ſuſceperit, nec qui apud eos Sacerdotes ordinati ſunt Sacerdotio digni ſunt. Quando enim vniuerſalis eorum Epiſcopus non ordinatur ex Canonibus, quomodo qui ab eo ordinantur fide digni habebuntur?*

Duæ ſiquidem ex iis verbis inſignes Eccleſiæ Cæſarienſis prærogatiuæ colliguntur: vna quod vniuerſalis Antiſtes magnæ Armenię (ſic enim Metropolitanũ ſuum vocãt) à Cæſarienſi Epiſcopo debuerit ordinari ab initio conuerſionis iſtius gentis ad fidem. Altera quod & chriſma à Cæſarienſi ciuitate Armeni petere debuerint, quemadmodum ex veteri coſuetudine ab Alexandria, qui ſunt iſtius Patriarchatus, à Conſtantinopoli, qui eiuſdem throno ſubduntur, Epiſcopi chriſma petere ſolent: quę pręrogatiuæ eo maiores ſunt, quòd illis ſtantibus extrà Ponticam Diœceſim Romani Imperij, Cæſarienſis Epiſcopi primatus extendi debeat, quandoquidem magna Armenia cuius conuerſio Magno Gregorio attribuitur, non ſolum extra Ponticam Diœceſim, verùm etiam extrà fines Imperij Romani fuerit.

Ad illius verò exempli illuſtrationem diſcendum eſt, quis ille Gregorius qui magnam Armeniam ad fidem conuertit, quis ille Nicon qui aduerſus Armenorum errores ſcripſit: nam ex iis argumento ex Niconis relatione deſumpto vis magna accedet, & Samuelis Petiti *Lectionum variarum* libro tertio, c. 3. exceptiones aduerſus illud concident.

Ille ergo Gregorius, quem Nicon non ſemel magnum appellat, & commendat plurimùm, qui Armeniam, vt vocant, magnam (quæ Cochlidis, & Iberiæ regiones complectitur, ſeu regnum, quod iam Mingreliæ dicitur, & alias adiacentes regiones) ad fidem Christianam perduxit, à Leontio Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo, qui Synodo Nicænæ interfuit, ordinatus Epiſcopus ſcribitur, tum in eius vita apud Metaphraſtem, & Surium trigeſimâ die Septembris, tum etiam in Menologiis Græcorum eodem die, quo eius ad Chriſtum ex hac vita migrationem colunt. Armeniam, quam ille in fide Chriſtiana docuit, tunc proprio Regi paruiſſe: anteà verò Parthis obediuiſſe tradit auctor vitæ ipſius ſancti Gregorij: ſanctum verò Gregorium ad quingentos Epiſcopatus erexiſſe.

Hunc verò Gregorium quis non videt, in gratim ſcilicet ſuſceptæ à Leontio Cæſarienſi Cappadociæ Epiſcopo ordinationis, voluiſſe, vt Catholicus Armeniæ, qui nimirùm tot Epiſcopos ſibi ſubditos habebat, non ab alio, quàm ab Epiſcopo Cæſarienſi ſacram manus impoſitionem ſuſciperet? Iure ergo Nicon Armenos reprehendit, quòd contra primam inſtitutionem Epiſcopatuum in Armenia, contra iuramentum, quod à tempore conuerſionis magnæ Armeniæ ſucceſſores omnes Gregorij emittebant, vt Cæſaream Cappadociæ tanquam matricem fidei ſuæ agnoſcentes, ab eius Epiſcopo ordinari ſe procurarent; ab alio tamen eius ſucceſſores, quàm à Cæſarienſi Antiſtite, putà à Syriæ Ametano ordinationem peterent, ordinationis regulas deſerentes ſicut & fidei vnitatem: Incaſſum verò illi Canonem Chalcedonenſis Concilij, qui à nobis aliquando explicabitur, in ſui excuſationem protuliſſent, quo ſcilicet Canone magnæ Armeniæ Epiſcopis à iuramento ſuo ſolutos, aut Epiſcopi Cæſarienſis poteſtate in alterius tranſlatos allegare non poterant: cùm omninò conſtet hoc Canone, ſi à Cæſarienſis Epiſcopi poteſtate fuiſſent abſoluti, Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubdendos fuiſſe, non Syriæ Ametano; huiúſque Canonis extra Imperium Romanum minimam auctoritatem fuiſſe ob rationes inferiùs proferendas.

Nicon autem iſte qui ſcripſit contra peſſimam Armenorum religionem, is videtur eſſe, qui teſte Curopalatâ anno nongenteſimo-primo, Chriſtianā Religionem in inſula Creta reſtituit, cuius tanquam ſanctitate celebris, tum Martyrologium Romanum, tum Menologia Græcorum meminerunt ſexto Kalendas Decembris. Debet autem Nicon iſte vixiſſe poſt annum nongenteſimum ſexageſimum, quandoquidem in epiſt. *ad Encleſtium, de iuſtâ excommunicatione*, citet ſententiam cuiuſdam Nicolai Conſtantinopolitani Patriarchæ: primus autem qui in throno Conſtantinopolitano huius nominis ſedit Myſticus cognominatus, ab anno octingenteſimo nonageſimo ad nonageſimum primùm ſedem tenuit, quo anno à Leone ſexto Imperatore Euthymius ſubrogatus eſt, vt ex Curopalata, & ſerie Græcè conſcripta Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum tradit Baronius anno nongenteſimo primo. Armenorum quoque hæreſis circa hæc tempora graſſabatur, cuius ante ſuum Pontificatum enatæ meminit Photius epiſtolâ encyclicâ aduerſus Eccleſiam Romanam apud Baronium, anno 863.

Ex veteri ergo traditione ſanctus iſte Monachus Nicon morem antiquum acceperat, vt ab Epiſcopo Cæſarienſi Catholicus Armenorum, ſeu Antiſtes ille, qui Armeniæ magnæ Præſulibus omnibus præerat, tanquam ſubditus Cæſarienſi in Cappadocia ſedi, ab eius Epiſcopo ordinaretur, quod vtique, ſicut & illud quod de Gregorio primo Armeniæ iſtius Præſule refertur, quòd à Leontio Cæſarienſi Metropolitano ordinatus fuerit, certiſſimum argumentum eſt prærogatiuæ Cæſarienſis Metropoleos Epiſcopi in ordinationibus non ſolùm Ponticæ Diœceſeos, verùm etiam extra Ponticam Diœceſim magnæ Armeniæ. Quòd enim Rex magnæ Armeniæ Teridates Gregorium, cuius operâ plurimi in Chriſtum crediderunt, ad Leontium tunc temporis Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum longè diſtantem miſerit, neglectis aliis vicinioribus paruæ Armeniæ, & aliarum prouinciarum Epiſcopis, vt narrat auctor vitæ eiuſdem Sancti, nulla alia ratio ſubeſſe potuit, quàm ipſius Cæſarienſis Eccleſiæ agnita iſto tempore, tum in minori Armenia, tum in aliis Ponticæ Diœceſeos prouinciis Exarchia, ac ſingularis circa ordinationes prærogatiua; quemadmodum; & circa hæc tempora, nonniſi ad celebriorum Eccleſiarum Præſules, verbi gratiâ,

Alexandrinum, Antiochenum, & alios populos de nouo conuerſos Paſtorum ſuorum ordinationem expetere ſolitos fuiſſe, nec ab inferioribus ſedibus Epiſcopos in exteras regiones, vel miſſos, vt iis præſiderent, ſecundum ordinariam legem, ex Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lectione diſcimus. Nec conſentaneum fuiſſet, vt ei Antiſtiti Gregorius magnæ Armeniæ Epiſcopus reliquos ſibi ſucceſſuros Epiſcopos ſubiiceret, ſi interiectæ inter magnam Armeniam & Cæſaream prouinciæ nullatenus obnoxiæ ſubditæ ve quoad ordinationem Cęſarienſi Præſuli fuiſſent.

§. IV.

Poteſtas Cæſarienſis Primatis in iudiciis Eccleſiaſticis.

SECVNDÒ, ſicut in ordinationibus Epiſcoporum, Cæſarienſis Metropolitani in tota Diœceſi Pontica prærogatiua ex prædictis elucet, ita eiuſdem Exarchica dignitas in damnandis, vel abſoluendis, ſiue primi, ſiue ſecundi ordinis Sacerdotibus, ſequentibus exemplis manifeſtè patebit.

Occurrit primò iſta, cuius ſuperiùs meminimus, Baſilij ſententia, quâ Cyrillum Armeniæ Epiſcopum exemit è reis, poſtquàm eius cauſam diſcuſſiſſet, & in crimen, de quo notatus fuerat, inquiſiuiſſet, quemadmodum oſtendunt iſta verba eiuſdem Baſilij epiſt. 187. *Terentio Comiti*: Ἐπιμελὲς δέ μοι τοῦτο ἐγένετο, καὶ τὴν προσενεχθεῖσαν βλασφημίαν τῷ ἀδελφῷ ἡμῶν Κυρίλλῳ τῷ ἐπισκόπῳ Ἀρμενίας ἀνερευνῆσαι, καὶ διὰ τὴν χάριτος τοῦ Θεοῦ, εὕρομεν αὐτὴν ψευδῶς κινηθεῖσαν ἐκ διαβολῆς τῶν μισούντων αὐτὸν, ὡς καὶ φανερῶς ὁμολόγηται ἐφ' ἡμῶν. *Et illud quoque mihi curæ fuit, vt in blaſphemiam fratri noſtro Cyrillo Epiſcopo Armeniæ obiectam inquirerem: & per gratiam Dei deprehendimus illam falsò ab inimicis illius eſſe motam, quam & manifeſtè coram nobis ſunt confeſſi.*

Quis non in iis verbis penes Baſilium veri & propriè dicti iudicis auctoritatẽ agnoſcat? quis non eum contradicente nemine iudicis officio defunctum deprehendet? at hîc agebatur cauſa Epiſcopi Armeniæ in Pontica Diœceſi ſitæ, quam Baſilius Epiſcopus Cappadox nullo alio iure, quàm Primatis, cognoſcere ac terminare potuit. Igitur vel eo exemplo Baſilij agnitam ἐξαρχίαν in Armenia, ac proinde & in reliquis Ponticæ Diœceſeos prouinciæ vicinioribus magiſque finitimis probare licet.

Occurrit ſecundò exemplum Euſtathij Sebaſteni in Armenia Epiſcopi, de quo duo ſcribuntur quæ Cæſarienſis Epiſcopi in iudiciis Eccleſiaſticis primatum oſtendunt. Primùm quòd ab Eulalio, ſeu Eulabio Cæſarienſi Epiſcopo patre ſuo depoſitus fuerit; hoc enim teſtantur Socrates lib. 2. cap. 33. & Sozomenus lib. 4, cap. 23. quorum fidem præſtare nolo, maximè cùm in ſerie Epiſcoporum Cæſareæ temporibus iſtis Eulalius nullus locum inueniat: vnde corrigendos putant aliqui textus Socratis & Sozomeni, vt à patre ſuo & Epiſcopo Cæſarienſi Euſthatius olim depoſitus legatur, vt ſenſus ſit, eum cùm Presbyteratu fungeretur, à patre ſuo Eulalio, ſeu Eulabio Armeniæ Epiſcopo depoſitum per ſententiam fuiſſe, quam Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus Exarchico iure confirmarit. Quòd ſi erraſſe vtrumque dicamus, ſicut & in pluribus circa damnationis iſtius Euſtathij narrationem, in quantum ante Euſebium Baſilij prædeceſſorem aliquem falſum Eulalium Cæſareæ Epiſcopum, vterque nominauit, & ab Eulalio Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo Euſtathium Cæſarienſis Eccleſiæ olim Presbyterum damnatum dixit; quem ſcilicet Baſilius epiſt. 74. ad Occidentales, in Arij ſchola inſtitutum, ad ſuos reuerſum, cùm videretur eadem ſentire cum Arrio, ac iam damnandus eſſet, ab Hermogene Cæſarienſi ordinatum fuiſſe, mox ad Euſebium Conſtantinopolitanum ſe contuliſſe, exinde pulſum, & ad patriam reuerſum fortuitò Epiſcopum creatum ſcribit: Si, inquam, Socratem & Sozomenum erraſſe ſentiamus, narratio iſta ad probandum primatum Cæſarienſis Epiſcopi ſupra Eccleſias Armeniæ nihil proficiet, niſi quòd iſta à Clero Cæſarienſi tranſlatio ad Epiſcopatum Sebaſtenum in aliena prouincia, indicium ſit coniunctionis iſtarum prouinciarum in vnam Diœceſim ſub vno aliquo Primate, qui Presbyterum alicuius Eccleſiæ ex vna prouincia ad Epiſcopatum Eccleſiæ in alia prouincia ſitæ transferre potuerit.

Alterum de Euſtathio Sebaſteno in Armenia Epiſcopo certum eſt, quòd cùm eius

in fide inconſtantiam detexiſſent Sebaſteni ad Baſilium eum detulerint, & Eccleſiaſticam ab eo procurationem poſtularunt, quod in eum inquirere ſe ex debito Eccleſiaſticæ ſollicitudinis ſibi iniunctæ Baſilius teſtetur, quod ab eo idem Baſilius fidei confeſſionem exegerit: & coram eo purgandus iſte ſteterit: quæ vtique euidentiora ſunt primatis Cæſarienſis quoad Eccleſiaſtica iudicia teſtimonia: ſingula iſta explicanda ſunt ac demonſtranda ipſis magni Baſilii verbis. Hic enim epiſtolâ octauâ ad Euſebium Samoſateuum hæc ſcribit, οἱ κατὰ Σεβάστειαν τὰ ἡμέτερα φρονοῦντες, Εὐσταθίου τὸ ὕπουλον τῆς κακοδοξίας ἕλκος ἀπογυμνώσαντες, ἀπαιτοῦσιν παρ' ἡμῶν ἐκκλησιαστικὴν αὐτῶν ἐπιμέλειαν. *Qui noſtram doctrinam profitentur Sebaſteni Euſtathij improbatæ vlcus retegentes purulentum, petunt à nobis quamdam Eccleſiaſticam procurationem.*

Quo iure, quo titulo Sebaſteni Catholici ad Baſilium confugerent, & ab eo Eccleſiaſticam, curam ac diligentiam, ſeu remedium ſanitati animarum (hæc enim omnia vox illa ἐπιμέλεια ſignificare poteſt, nam ἐπιμελοῦμαι idem eſt quod *negotium procuro*, & ἐπιμελητὴς *curator*, ſeu *procurator* dicitur, & quidem apud Perſas hoc nomine ſpecialiter dicebatur qui ſaucios in bello curabat) quo, inquam, iure duo iſta poſtulaſſe à Baſilio Sebaſteni Catholici dici poſſunt, ſi nullam ipſe in eos poteſtatem Eccleſiaſticam habuiſſe creditus fuiſſet? Idem Baſilius epiſtolâ ſeptuageſimâ ſeptimâ, expouit quomodo vocatus ad Concilium à Theodoreto Nicopolitano Epiſcopo, qui Euſtathium prauæ circa fidem ſententiæ accuſauerat, vocationi propter charitatem obtemperare voluerit: quomodo item in itinere Euſtathium Sebaſtenum conuenerit, eumque poſt diuturnum colloquium & longam vltrò citroque diſputationem ad ſibi conſentiendum induxerit: itaut ne in minimo quidem ab ipſo diſſidere deprehenderetur: neque id ſolum, ſed & ipſum Euſtathium impulerit, vt confeſſioni à ſe præſcriptæ ſubſcriberet: plura autem ſunt quæ Baſilium inquiſitionem iſtam ex auctoritate Exarchicâ, & ſuperiori eâ quâ fruebatur Theodorus, vel ſi Metropolitica dignitate præditus fuerit, aggreſſum fuiſſe demonſtrent.

Primum, quod Baſilius ex officio & muneris ſibi impoſiti neceſſitate ab Euſtathio quæſierit, vt ab eo ſcriptam fidei ſuæ confeſſionem acciperet: notanda ſiquidem eius verba epiſtolâ centeſimâ octuageſimâ ſeptimâ Terentio, ἐπὶ τούτοις ἔδει με καὶ ἔγγραφόν τινα παρὰ τοῦ ἀνδρὸς ὁμολογίαν λαβεῖν ὥστε καὶ τοῖς ἐναντιουμένοις αὐτῷ φανερὰν γενέσθαι τὴν συγκατάθεσιν, καὶ τοῖς λοιποῖς ἱκανὴν εἶναι τοῦ ἀνδρὸς τὴν προαίρεσιν τὴν ἀπόδειξιν. *Præterea oportebat me ſcriptam quandam ab eo viro confeſſionem accipere, quo & aduerſariis illius manifeſtaretur conſenſus, & reliquis ſufficienter viri huius propoſitum monſtraretur.*

Alterum quod initio profeſſionis eiuſdem fidei, quæ habetur inter Epiſtolas eiuſdem ſancti Doctoris ſeptuageſima octaua, ea præfatus ſit Baſilius, quæ nonniſi ſuperiori præditum poteſtate deceant: nã & ita ad vnitatem orthodoxorum tranſire volunt, eos qui & qui tunc primum ad veritatis doctrinam & inſtructionem aſſumi deſiderant, eam fidem quæ in Synodo Nicena collecta, docendos eſſe proloquitur, & vrgendos illos qui de fide ſuſpecti fuerint, ad iſtius fidei profeſſionem, vt vel emendent morbum quem in occulto habent, ac ſi profundius ipſum celauerint, ipſi quidem fraudis indicium portent: A quo autem aliqui docendi ſunt? à quo vrgendi? à quo detegendi, niſi à Superiori? Sed euidentius illud eſt, quod vbi ſubdolos iſtos operarios iniquitatis, qui profundius errorem celant, de ſua fraude à Deo ſcrutatore cordium iudicandos dixit, mox iſta verba ſubiungat: ἡμῖν δὲ τὴν ἀπολογίαν, κούφην ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως παρασκευάζουσιν, ὅτι ἀποκαλύψει ὁ κύριος τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους, καὶ φανερώσει τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν. *Nobis vero facilem in die iudicij parabunt defenſionem, quando reuelabit Dominus abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Hæc enim verba non præfaretur Baſilius, niſi ſui muneris eſſe crediſſet ab Euſtathio erroris ſui, vel condemnationem, vel confeſſionem exigere, eumque pro virili adigere, ad animi ſui ſenſa nudè detegenda; qui enim profitetur, quod ſi occultis fallaciis circumuentus plene ad detegendum virus intus latens non ſuffecerit, excuſationem coram Deo ſeſe habiturum ob nauatam prout potuit, operam, & adhibitam induſtriam, is vtique ſui muneris fuiſſe oſtendit eandem impendiſſe operam, & iſti confeſſioni præſcribendæ diligentiam collocaſſe.

Tertium pro auctoritate Baſilii in iſto toto negotio conficiendo argumentum ſumitur ex verbis ipſius Euſtathii, quibus confeſſioni à Baſilio præſcriptæ & ſibi oblatæ

ſubſcripſit. Ἐγὼ Εὐςάθιος ἐπίσκοπος σοὶ Βασιλείῳ ἀναγνοὺς ἐγνώρισα, καὶ συνῄνεσα τοῖς προγεγραμμένοις ἐπέγραψα δὲ συμπαρόντων μοι τῶν ἀδελφῶν. *Ego Euſtathius Epiſcopus tibi Baſilio legi, agnoui, & probaui hæc præſcripta. Subſcripſi autem cum his qui mihi aderant fratribus, &c.* Nam Baſilio legit, indici legit, præſcriptam ſibi à Baſilio confeſſionem, vt agnouiſſe & probaſſe conuinci poſſit, coram teſtibus ſubſcribit, in eoque poteſtatem præſcribendi ſibi dictam confeſſionem in Baſilio agnoſcit, & iudicium ſuperioris exequi ſe non obſcurè demonſtrat.

Quartum, denique ex circumſtantiis argumentum confici poteſt. Baſilius ſiquidem ad hanc cauſam iudicandam à Theodoto Metropolitano Nicopolitano ad Synodum vocatus eſt: cur autem ſingulariter vocatus? niſi quia huic cauſæ in qua agebatur de veritate fidei, & depoſitione Epiſcopi terminandæ imparem ſe eſſe credebat Theodotus? eo ſcilicet modò quo Primates Carthaginenſes in cauſis non diſſimilibus à Primatibus inferioribus aliquarum Prouinciarum vocatos, inuitatoſque ad Synodum docuimus: cùm eſſet vero inuitatus ad Synodum ad iſtius cauſæ diſceptationem Sebaſtam, in itinere auſus eſt huius cauſæ cognitionem ad ſe trahere quæ propediem in Concilio diſcutienda erat, eamque terminare coacto ad veræ fidei profeſſionem Euſtathio: quis hoc auſus fuiſſet præter Diœceſeos Primatē, Superiorem, vel ab ipſo Metropolitano poteſtatem habentem? Grauiter quidem & iniquo animo tulerunt, tum Theodotus vir probatæ fidei, & pietatis, Catholicorum in ea Prouincia anteſignanus ac facile Princeps, tum Armeni Præſules, ita rem compoſitam cum Euſtathio fuiſſe, & eum ad Baſilij communionem receptum fuiſſe, vt conſtat ex epiſtola Baſilii octuageſima ſecunda; & aliis. Cur hoc? quia ſciebant ipſius iudicium præiudicium eſſe; nec ſe Euſtathii communionem fugere debere à Baſilio probati, niſi & Baſilii communionem fugerent, à quo vtpote Diœceſeos Primate alienos eſſe ſe reformidabant, & ſchiſmatis cauſam ſeceſſionem iſtam fore metuebant. Euſtathium autem cuius cauteriatam conſcientiam, & ſubdolum animum penitius ipſi nouerant, quàm Baſilius qui poſtea ipſa & expertus & teſtatus eſt epiſtolâ ſeptuageſimâ quartâ *ad Occidentales Epiſcopos*, & ſeptuageſimâ nonâ ad eundem, epiſtolâ ducenteſimâ ſeptuageſimâ ſecundâ *Antiocho Presbytero*, in communionem recipere verebantur, ne Catholicæ fidei officerent. Nihilominus moti, ni fallor, auctoritate Baſilii Armeniæ Præſules à Theodoto conuocati, non auſi ſunt damnare Euſtathium, ſed re infecta reuerſi ſunt, vt teſtatur Baſilius epiſtolâ octuageſimâ ſecundâ *Patrophilo Epiſcopo*. Quòd autem poſtea in Baſilium inſurrexerint vanis quibuſdam rumoribus incitati, quaſi eadem cum Apollinario ſentiret, nec Catholicam per omnia fidem teneret, ob quam cauſam eius communionem deuitarunt, donec ſe Baſilius apud eos litteris purgaret, vt ex prædicta epiſtola octuageſima ſecunda, & centeſima octuageſima ſeptima, Terentio atque aliis conſtat: hoc vtique nequaquam auctoritatem Primatus Eccleſiæ Cæſarienſis labefactat: quandoquidem vbi religionis periculum imminet (quale reuera Theodotus, & alij Armeniæ Epiſcopi imminuere ſuſpicabantur) nulla ſit tanta auctoritas, cui non etiam inferiores reſiſtere poſſint. Potuit autem Baſilius veram fidei profeſſionem amplectentem decipi, ſicut & Liberius atque Occidentales decepti fuerant, illius Catholicam fidem profitentis communionem amplexi: quorum auctoritate moti quoque antea Ponticæ Diœceſis Epiſcopi, illum in Tyanenſi Concilio ad communionem quoque receperant, vt leges apud Baſilium epiſtolâ ſeptuageſimâ quartâ, & octuageſimâ ſecundâ. Decretum ſiquidem fuerat, vt & reliquos Epiſcopos, qui Arrianis fauerant, dummodò exterius errorem Arrij deteſtarentur, recipi tanquam fratres deberent, vt teſtantur Liberius ad Epiſcopos Italiæ in fragmento Hilarij, Athanaſius epiſtolâ ad Rufinianum, Baſilius epiſtolâ ſeptuageſimâ quintâ ad Neocæſarienſes; & Hieronymus Dialogo aduerſus Luciferianos capite ſeptimo.

Occurrit tertiò exemplum Lampetij, qui primus ex Meſſalianorum hæreſi furtim Sacerdotij dignitatem ſubripuit; hunc enim teſte Photio codice quinquageſimo ſecundo, Geruntius quoque Presbyter & Præfectus Monachorum in Giſtide apud Alypium Cæſareæ Cappadociæ Archiepiſcopum, qui Thalaſſio ſucceſſit viro magnæ auctoritatis, qui ſecundo Concilio Conſtantinopolitano aduerſus Eutichem, & ſecundo Epheſino ac Chalchedonenſi interfuerat, cuius Gerontij querelas vbi ſuſcepiſſet Alypius ad Hormiſam Comanes Epiſcopum, quæ de Lampe-

tio ſpargerentur excutienda miſit, qui hunc Lampetium partim teſtibus conuictum, partim ſuâ ipſius confeſſione reum, omnium calculis Sacerdotii dignitate ſubmouit, aſſentiente etiam Alypio Cęſarienſi, qui miſerum illum deceptus ipſe ordinarat Presbyterum. Circa quam narrationem tria notanda ſunt.

Primum, Hormiſam Comanes Epiſcopum fuiſſe Prouinciæ Ponti Polemoniaci Antiſtitem: Comana ſiquidem, ſeu Commana ciuitas, huic Prouinciæ adcenſebatur, teſte Iuſtiniano Nouellâ vigeſimâ octauâ, in Præfatione: vnde & Petrus Hormiſæ prædeceſſor inter Epiſcopos Ponti Polemoniaci ſtatim poſt Enippum Metropoleos Neocæſareæ ſubſcriptus reperitur *Epiſcopus Comanus* epiſtolæ Synodali ad Leonem Imperatorem.

Alterum, Lampetium iſtum licet ab Alypio Cæſarienſi ordinatum, tamen in Clero Cæſarienſi tunc temporis nequaquam fuiſſe, ſed nec vnquam fortè huic Clero adſcriptum fuiſſe, ſed Exarchicâ poteſtate à Cæſarienſi Epiſcopo alterius Eccleſiæ quàm ſuæ, & in alia forte Prouincia, quàm Cappadociæ primæ adſcriptum fuiſſe: neque enim de Clerico Cæſarienſi ad Cæſarienſem Epiſcopum ſcribere opus fuiſſet: neque Epiſcopum in Armenia ad litis inſtructionem delegare conueniſſet: probabile autem eſt, tum iſtum Lampetium, tum Gerontium tunc temporis in Armenia verſatos fuiſſe, in eadem ſcilicet Prouincia ex qua iudex ad litis inſtructionem ſelectus eſt, in qua Prouincia præſertim Meſſalianorum hæreſis graſſabatur, ibidem ſcilicet orta & primum damnata Synodi Gangrenſis in Armenia ſententia: ad quam extirpandam anteriori tempore & Letoium Armeniæ Præſulem (quem ſcilicet Theodoretus libro quarto, capite decimo hiſtoriæ Melitinenſem tradit) Flauianum interrogaſſe, & ad illum Synodicum de ipſis decretum atque ſententiam miſiſſe ſcribit ibidem Photius.

Tertium, accuſationis aduerſus Lampetium hæc capita fuiſſe, quod puellam vlnis amplexus, atque oſculatus fuiſſet: quod cum Diaconiſſa ſe peccaſſe faſſus eſſet, quod qui ſtatis horis pſallerent tanquam legi ſeruientes fœdè irriſiſſet, conuitiiſque inſectatus fuiſſet, atque alia nefaria perpetraſſet.

Quartum, quòd ſententiam ab Hormiſa Comano datam Alypius Cæſarienſis confirmarit, nam ſententiam ab Hormiſa Photius obtinuiſſe ſignificat, συμψήφου γενομένου, καὶ τοῦ Καισαρείας Ἀλυπίου. *Calculum etiam ſuum adiungente Alypio Cæſarienſi.* Ex quibus inferuntur iſtæ dignitatis Exarchicæ Cæſarienſis Primaris etiam poſt Concilium Chalcedonienſe, in iudiciis Eccleſiaſticis prærogatiuæ. Prima, quòd de Presbyteris Armenis etiam indicare poſſet, ſaltem poſt appellationem, non ſolùm vbi de fide, ſed etiam vbi de aliis criminibus accuſati fuiſſent, qualia erant amplexus inhoneſti, & turpis cum fœmina Deo ſacra conuentus, quæ Lampetio obiiciebantur. Imò & certis ſaltem caſibus primo iudicio apud Cæſarienſem Primatem accuſari eos potuiſſe. Ratio verò ob quam Lampetius iſte primo iudicio videatur conuentus apud Alypium Cæſarienſem ea probabilis eſt, quòd ab eodem fuiſſet Presbyter ordinatus: ordinantis ſiquidem dignitati conceſſum eſt, vt à Sacerdotio deponendus apud eum accuſaretur, à quo fuiſſet ordinatus.

Altera, quòd Epiſcopum extra ſuam Prouinciam in Armenia delegare Cæſarienſis Epiſcopus potuerit ad litem definiendam ac inſtruendam, eumque probabilius eſt, fuiſſe eum in cuius Diœceſi Lampetius ipſe verſabatur, puta Epiſcopum Comanum, qui acceptis Alypii literis ſtatim ad inſtructionem litis proceſſiſſe, & acceptis aliis ſe cum iudicibus communi ſuffragio Lampetium depoſuiſſe narratur.

Quarta, nec ſufficientem hanc ſententiam viſam fuiſſe, niſi & Alypii ſuffragio depoſitio Lampetii confirmaretur, atque adeo Photium ipſius conſenſus & ſuffragii quo Hormiſæ ſententia confirmaretur, mentionem feciſſe.

Digitized by Google

§ V.

De poteſtate Primatis Cæſarienſis circa Synodorum celebrationem.

TErtium priuilegium Epiſcopi Cæſarienſis circa Synodorum celebrationem manifeſtè patet ex duobus prioribus: cùm enim nunquam niſi habito minori ſaltem, minuſque numeroſo quorundam Epiſcoporum Concilio, aut ordinationes Epiſcoporum fieri, aut à Primatibus Eccleſiaſtica iudicia tractari ſolerent, eo ipſo quo Cæſarienſem Epiſcopum demonſtrauimus & Primatis iure Epiſcopos ordinaſſe, & iudicia ex tota Diœceſi Exarchica habuiſſe, Synodorum quoque conuocandorum eundem auctoritatem habuiſſe liquidò conſtat: nihilominus vt magis hęc eiuſdem prærogatiua illuſtretur, exempla ipſius aliqua adiungimus.

Primum Concilii Tyanenſis in Cappadocia ſecunda, cui præfuiſſe Euſebium Cæſarienſem ex eo conijcimus, quod cùm ipſe nouellus Epiſcopus foret, nullâ inſigni præ cæteris eruditione commendatus, quippe qui Iuliani anno ſecundo Neophytus conſtitutus fuiſſet, vt colligere poſſumus ex Gregorij Nazianzeni oratione *in funere patris*, Concilium autē Tyanenſe anno 2. Valentiniani & Valentis Imperatorum habitum fuerit, id eſt, quatuor circiter annis ab ordinatione Euſebii; apud Sozomenum tamen libro ſexto capite duodecimo, pluribus antiquioribus & inſignioribus Metropolitanis præponitur, primuſque agmen ducit ante Athanaſium Ancyræ, Pelagium Laodiceæ, Tenonem Tyri Paulum Emeſæ, Otreium Melitinæ, & Gregorium Nazianzenum Epiſcopos. Obiter autem hîc adnotare non incommodum erit, etiam Preſbyterorum querelas ac defenſiones, vel cum maiorum ſedium Epiſcopis, ad concilia ſeu modi relatas fuiſſe: nam cùm conſtet ex Gregorio Nazianzeno oratione *in laudem ſancti Baſilij*, huic ſancto viro cùm Preſbyter Cæſarienſis eſſet, malè cum Euſebio Cæſarienſi conueniſſe, conſtat etiam eumdem Concilio Tyanæ congregato (τῇ βουλῇ Τυάνων) cui præſidebat Euſebius, epiſtolam ſcripſiſſe ſeptuageſimam octauam, quâ pacem poſtulabat, quæ occaſionem dedit Concilio, vt Baſilium Euſebio reconciliaret, qui deinceps egregius Doctor eiuſdem Euſebij adiutor in adminiſtrando Epiſcopatu Cæſarienſi opportunus ac maximè commodus fuit: ſed hæc πάρεργα.

Alterum exemplum petitur ex epiſtola Baſilij octuageſima Pattophilo Epiſcopo. Narrat enim hac epiſtolâ quæ alibi fuſius explicuerat, puta quomodo à Theodoreto Nicopolitano inuitatus ad Concilium Armeniæ in itinere Euſtathium conueniſſet, & fidei ab eo ſecundùm [illegible]cenum Concilium confeſſionem atque expoſitionem exegiſſet, ac quomodo [illegible]a infenſus exinde Nicopolitano aliiſque Epiſcopis Armeniæ, qui penitius Euſtathium nouerant, euaſiſſet, Concilium iſtud diſſolutum fuerit: cui narrationi hanc ſubiungit quæ ipſius in Conciliis indicendis deſignandiſque poteſtatem oſtendunt. *Deſignatus eſt quoque*, inquit, *alteri Synodo locus, & tempus aliud, vt & per Prouinciam diſperſi fratres conuenire, vtrique inter ſe poſſent, & germana deinceps eſſet ac ſincera communio. Itaque nos quoque iuxta præſcriptum accurrimus, & qui nobiſcum erant fratres alij aderant, alij aduolabant, læti omnes atque alacres tanquam ad pacem aduolantes; & literæ à nobis ac tabellarij miſſi ſunt, qui nos adeſſe ſignificarent: locus enim ad ſuſceptionem conuenientium deſignatus noſter erat, ex altera verò parte nemo erat, qui vel procuraret, vel aduentum eorum qui expectabantur annuntiaret; & qui à nobis miſſi fuerant reuertebantur, plurimum triſtitiæ ac murmuris apud aduerſarios eſſe commemorantes: ob id quod noua quædam eſſet à nobis ad ipſos miſſa & exhibita fides; dicebanturque decreuiſſe prorſus, ne cui liceret ad nos ipſorum proficiſci Epiſcopo, venit autem quidam ab ipſis miſſus, & litteras adferens congreſſum recuſantes, & nullam facientes eorum de quibus inter nos conuenerat mentionem, &c.*

Ex qua narratione colligo propria omnia officia & priuilegia quæ præſidi futuro Concilij conuenire debent, luculenter explicari ac Baſilio tanquam debita ſignificari: nam qui ius in Concilio præſidendi, illudque conuocandi habebat, conueniebat cum ſibi ſubditis Epiſcopis, de loco & tempore Concilij, locumque ac diem indicebat.

Digitized by Google

indicebat. Hoc vtique præſtitiſſe Baſilium ex prædicta narratione conijci poteſt, nempe cùm Nicopolitanum Concilium diſſolutum fuiſſet, conueniſſe cum Armenis Epiſcopis aliiſque Ponticæ Diœceſeos, vt certo die in aliqua vrbe Cappadociæ primæ (quem locum ſuum ſingulariter dixit Baſilius, vt pote in ſua prouincia ſitum) Synodum celebrarent: eúmque diem locúmque celebrando Concilio indixiſſe. Solebant & Conciliorum Præſides ac Principes per litteras ac nuntios aduentum ſuum nuntiare, vt omnes parati eſſent, nec ipſe præſtolari aduentum aliorum cogeretur. Solebant & cæteri vel aduentum ſuum nuntiare, vel excuſatorias literas præmittere, ſi accedere aut omninò, aut ſtatuto die non poſſent, ne ipſe otioſus aut cum aliqua ſuæ dignitatis imminutione ſolus ad locum præfixum accedens, venientes opperiretur. Baſilius ſe aduentum ſuum ſeu profectionem Epiſcopis nuntiaſſe per literas ac tabellarios expreſsè teſtatur: ab aliis verò qui à ſe diſſidebant, literas de ipſorum profectione vel aduentu nuntióſque non accepiſſe ex antiquo & officioſo more queritur, propter conceptam de ipſius fide ſuſpicionem, malóſque ſparſos de ſe rumores. Solebant Principes ac Præſides Conciliorum magno cum comitatu Epiſcoporum ſuorum ad Concilium deduci: quo vtique comitatu Alexandrinum & Antiochenum Patriarchas ad Concilia Conſtantinopolitanum I. & Epheſinum vtrumque acceſſiſſe, ex Conciliorum iſtorum actis ſeu propriis, ſeu quaſi ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus referuntur, colligi poteſt. Igitur ex iſta narratione, & Primatus Epiſcopi Cæſarienſis in Conciliis Ponticæ Diœceſeos innoteſcit, & ſingulares quædam honoris prærogatiuæ huic Primatui adnexæ deprehenduntur.

Tertium, petitur ex epiſt. Baſilij 291. Ponticæ Diœceſis Epiſcopis, quâ eos rogat, vt ex more ſolito conueniant ad vrbem Cæſarienſem, in qua & circumadiacente territorio inſignes Martyres Eupſychius & Damas colebantur: notanda ſunt verba Baſilij, ἡ ἐκκλησία διὰ τῆς ἡμετέρας φωνῆς παρακαλοῦσα τὴν ἀρχαίαν ἀπολαβεῖν τῆς ἐπισκέψεως ὑμῶν συνήθειαν, ὡς οὖν ἐργασίας μεγάλης προσκειμένης ὑμῖν ἐν λαῷ ἐπιζητοῦντι τὴν παρ' ὑμῶν οἰκοδομήν, καὶ μισθῶν ἐν τῇ τιμῇ τῶν μαρτύρων ἀποκειμένων, δέξασθε ἡμῶν τὴν πρόσκλησιν, καὶ ἐπινεύσατε πρὸς τὴν χάριν μικροῦ πόνου μεγάλην ὑμῖν εὐεργεσίαν παρεχόμενοι. *Eccleſia vocis meæ miniſterio commonefacit, vt quo ſolebatis more antiquam renouetis conſuetudinem. Quocirca non aliter quàm magno incumbente vobis negotio apud illam plebem, quæ à vobis expectat ædificationem, & non aliter quàm ſpe mercedis repoſitæ propter Martyribus honorem habitum, ita noſtram ſuſcipite inuitationem, nec non annuite gratiam hancce mihi præſtandam, vt labore ſuſcepto non ſanè magno, magnum vobis beneficium emolumentúmque comparetis.* Neque verò aliena videatur à Concilij conuocatione Epiſcoporum ad Martyrum anniuerſarium diem celebrandum inuitatio. Etenim licèt illius conuocationis cauſam hanc prætendat Baſilius religionem erga SS. Martyres, nihilominùs & aliam huius conuocationis cauſam fuiſſe tractationem de iis quæ ad totius Diœceſis ac Eccleſiæ vtilitatem ſpectarent, ex iis collige, quæ idem Baſilius ſcribit tum Euſebio Samoſatorum Epiſcopo, tum Amphilochio Iconienſi: priorem ſiquidem ad eundem anniuerſarium diem inuitat epiſt. 256. his verbis, τοῦτο γοῦν, ἐὰν ᾖ δυνατόν, παρακαλοῦμεν ἐπὶ τὴν συνόδου γενέσθαι, ἣν δι' ἔτους ἄγομεν ἐπὶ τῇ μνήμῃ τοῦ μακαριωτάτου μάρτυρος Εὐψυχίου προσεγγιζούσῃ λοιπὸν κατὰ τὴν ἑβδόμην τοῦ σεπτεμβρίου μηνὸς ἡμέραν· καὶ γὰρ καὶ φροντίδος ἄξια ἡμῖν πρόκειται πράγματα περὶ ὧν δεόμεθα συνεργίας, εἴς τε κατάστασιν ἐπισκόπων, καὶ εἰς βουλὴν καὶ σκέψιν τῶν μελετωμένων κατ' ἡμῶν παρὰ τῆς χρηστότητος Γρηγορίου τοῦ Νυσσαέως, ὃς συνόδους συγκροτεῖ κατὰ τὴν Ἀγκύραν, καὶ οὐδένα τρόπον ἐπιβουλεύων ἡμῖν ἀφίησιν. *Obteſtamur, vt hoc ipſum, ſi ſit poſſibile, tum contingat, cùm in anniuerſariam memoriam beatiſſimi Eupſychij Synodi peraguntur, ad diem nempe iam in propinquo ſeptimum Septembris menſis: illa nobis impendent & circumſtant negotia, quæ tuam vehementer operam deſiderant, cùm Epiſcopos ordinando, tum etiam illa diligentiùs attentiúſque conſiderando, quæ contra nos excogitantur à bono illo viro Nyſſeno Gregorio, qui conuentus nunc Ancyræ peragit, & omni modo nobis inſidiatur.* Poſteriorem ſimiliter inuitat epiſtolâ 394. *vt adeſſe dignetur* in vrbe Cæſarienſi, quo illuſtrior reddatur conuentus, quem quotannis in honorem ſanctorum Martyrum conſuetudo obtinuit, vt cum ſuis, id eſt, Ponticis Epiſcopis Cæſarienſis Præſul peragerêt. Vt id fortiùs perſuadeat, ipſi proponit nullum eſſe, cuius præ-

ſentiam Epiſcopi (quos ſuos vocat , quia ſubditos habebat) tam effliɗim deſiderent ; præſtitutum ait Synodo diem eſſe quintum Septembris , quem rogat, vt anteuertat. Epiſt. quoque 397. eundem precatur, vt ad præfixum diem Concilio, memoriam Eupſychij martyris celebraturus veniat, nec ſolùm Lycaoniæ, cuius Metropolita erat , negotia procuret , verùm etiam negotia ſuæ curæ commiſſa.

Ex iis enim epiſtolis plura colligi poſſunt : primùm non meram epiſtolis iſtis inuitationem eſſe ad Cæſarienſem vrbem pro cultu martyris Eupſychij (quem duabus vltimis epiſtolis ſolùm memorat) & Damæ (quem priùs laudato Eupſychio adiungit) ſed cum illa inuitatione Synodi indictionem fuiſſe coniunɗam ; cuius conuocationis Synodi ab Epiſcopo Cæſarienſi fieri ſolitæ hæc ſigna ſunt. Primùm quòd epiſt. 256. *in anniuerſariam memoriam martyris Eupſychij Synodos* quoque quotannis *peragi* expreſsè teſtatur : ergo inuitatio iſta æquè eſt ad Synodum peragendam, & ad anniuerſariam memoriam martyrum coniunɗis precibus votiſque celebrandam.

Alterum , quòd duabus etiam poſtremis epiſtolis citatis non ſolùm ad Synodum & Epiſcoporum conuentum , amiciſſimos ſibi Euſebium Samoſatenum & Amphilochium Iconienſem , quorum primum vt patrem colebat , alterum vt filium diligebat, inuitet ; verùm etiam negotia , de quibus traɗandum eſſet, ſignificet : quod veram propriéque diɗam Synodum fuiſſe , verum Eccleſiaſticum Concilium , in quo Eccleſiaſtica negotia traɗarentur , apertè demonſtrat.

Tertium , ſi ad anniuerſarium diem Martyrum duntaxat religiosè colendum Epiſcopos inuitare voluiſſet Baſilius , eundem ſemper diem , qui anniuerſariâ celebritate in Martyrum honorem coleretur , conuentus præfixiſſet, putà ſeptimum diem Septembris , quem & Martyrologium Romanum , & Menologia Græcorum ſolemnem, ac ſacrum Eupſychij martyrio conſtituunt: at hunc diem in epiſtola quidem ad Euſebium præfixit Baſilius , ſed in epiſtola ad Amphilochium quintum Septembris. Igitur non videtur iſta mera fuiſſe inuitatio ad conuentum Eccleſiaſticum, quo dies ſacer ſanɗis Martyribus efficeretur celebrior, ſed ad Synodum habendam, qui proinde anticipari aliquando vel retardari debuit, prout negotiorum ratio atque occaſio poſtularet.

Religiosè tamen , & ex veteri more in diem ſanɗo Martyri Eupſychio ſacrum vel circiter, Synodus indici conſueuerat, vt ſimul & cælitibus veneratio,& hominibus ſub cura Paſtorali conſtitutis ſollicitudo impenderetur : vtque horum ſalus illorum precibus atque interceſſione procuranda oſtenderetur.

Vnde quemadmodum occaſione Encæniorum , ſeu Dedicationis alicuius templi, celebratas Synodos narrant, Tyriam Euſebius lib. 4. de vita Conſtantini cap. 41. Hieroſolymitanam Epiſcopi in ea Synodo congregati epiſtolâ ad Ægyptios, apud Athanaſium libro de Synodis ; Antiochenam ſub Iulio, Athanaſius & Hilarius libris de Synodis , Ancyranam à Baſilio Ancyrano coaɗam Sozomenus libri quarti capite decimo-tertio ; Arauſicanam ſecundam,& Arelatenſem quartam Epiſcopi congregari in præfatione iſtarum Synodorum ; ita ne quid Religioni deeſſet, in diem feſtum Synodorum celebrationem reiicere in more poſitum fuit : nam verbi gratiâ poſterioribus Baſilio temporibus Romani Pontifices Siricius , vt patet ex illius epiſt. 4. ad Epiſcopos Africanos, & Leo primus, vt conſtat ex literis Valentiniani tertij Imperatoris ad Theodoſium II. miſſis, quæ habentur inter præambulas Concilij Chalcedonenſis cap. 25. curarunt, vt & anniuerſaria ſanɗorum Apoſtolorum ſolemnitas Epiſcoporum frequenti conuentu celebris redderetur , & eorumdem maturâ deliberatione Eccleſiaſticâ negotia concluderentur. Eadem religioſa cura fuit maiorum noſtrorum in Galliis , vbi legimus à diuerſarum prouinciarum Epiſcopis ad celebritatem ſanɗi Martini anniuerſariam conuenientibus, Concilium Turonis, quod primum dicitur, habitum fuiſſe.

Quamobrem probabile eſt diem ſanɗo Eupſychio martyri, qui Cæſareæ præcipuâ religione colebatur, quotannis ſacrum , vel alios circiter dies Concilio totius Diœceſeos Ponticæ habendo præfigi ſolitos , vt Epiſcopos & deuotio erga SS. Martyres , & debiti Exarchicæ Sedi obſequij impendendi cura , & negotiorum

Eccleſiaſticorum terminandorum ſollicitudo attraherent. Et cùm plures Cæſareæ martyres inſignes fuerint, tamen Eupſychio præſertim ſacer dies ad habendum Concilium ſelectus eſt: tum quòd inter cæteros martyres maximè emineret, vt ſcribit Baſilius epiſtolâ citatâ *ad Epiſcopos Ponticæ Diœceſeos*: tum quòd & Baſilica habendo Concilio idonea ſub inuocatione iſtius martyris conſtructa haberetur: quod indicat epiſtola vigeſima-ſexta Gregorij Nazianzeni, quæ numeratur trigeſima-ſecunda inter epiſtolas Baſilij, in qua *Eupſychij martyris Synodus* vocatur, in qua de ſanctiſſima Trinitate Baſilius diſſeruiſſe refertur, ſiue quòd die ſacro ſancti Eupſychij habita fuiſſet, ſiue quòd in æde ſacra ſub inuocatione eiuſdem ſancti Eupſychij, ſiue potiùs vtraqne de cauſa; quemadmodum & Concilia quæ à Siricio & Leone Magno habita referuntur die natali ſanctorum Apoſtolorum, eadem in Eccleſia ſancti Petri habita narrantur epiſt. 4. Siricij, & variis epiſtolis præambulis Concilio Chalcedonenſi 25. 26. 27. 28. tum etiam quòd menſis September Conciliis habendis idoneus iudicaretur ſecundum Niceni I. ſententiam Can. 5. quod quidem Concilium ſingulis annis bis in vnaquaqne prouincia Synodum haberi præcepit, putà alteram ante Quadrageſimam, alteram tempore Autumni: tum quòd Concilia Romana, ad quæ Siculi ac proinde & alij Exarchicæ Romani Pontificis curæ ſubditi Antiſtites debebant conuenire, menſe Septembri, putà ad diem tertium Calendarum Octobris indici conſueuerint, teſte Leone epiſt. 4. ad Epiſcopos Siciliæ cap. 7. Quamobrem certâ, niſi fallor, coniecturâ dici poteſt, ob has ſimileſque rationes Concilium Epiſcoporum totius Ponticæ Diœceſis, menſe Septembri circa diem anniuerſarium paſſionis ſancti Eupſychij haberi ſolitum fuiſſe, à Primate totius Diœceſeos Cæſarienſi.

Quartum indicium atque argumentum ex prædictis epiſtolis petitum ad probandum non meram inuitationem ad celebritatem feſti, verùm etiam indictionem Concilij eſſe prædictam Epiſcoporum conuocationem, cuius fit mentio prædictis epiſtolis, illud eſt, qnia *Synodus* vocatur, ad quam inuitabat Baſilius epiſtolâ ducenteſimâ quinquageſimâ-ſextâ, & treçenteſimâ nonageſimâ-quartâ: necnon à Gregorio Nazianzeno epiſtolâ vigeſimâ-ſextâ citatâ *ad Baſilium*, Synodus ſancti Eupſychij; quia Eccleſiaſtica negotia in ea tractabantur, ex citatis epiſtolis Baſilij ducenteſimâ quinquageſimâ-ſextâ, & treçenteſimâ nonageſimâ-quartâ: de controuerſis iſto tempore capitibus à Primate Cæſarienſi diſſerebatur, ex epiſtola citata Nazianzeni: omnes totius Ponticæ Diœceſis Epiſcopi eadem generali epiſtolâ, quam tractoriam dicere poſſis, ad eam vocabantur, vt pote qui Cæſarienſi throno ſingulariter obnoxij eſſent, & generalem veniendi cauſam habebant. Si qui verò extra iſtam Diœceſim conuocabantur Epiſcopi tanquam neceſſarij & amici Primatis Cæſarienſis, hi ſpecialibus literis inuitabantur, quia vt ſingulares perſonæ, non vt ſocietatem aliquam aut corpus efficientes conuocabantur: in cuiuſmodi ſocietatem adunabantur omnes qui Ponticæ Diœceſis erant, licet diuerſarum prouinciarum Epiſcopi: vnde & illos quos vt amicos & familiares Primas Cęſarienſis vocabat, ab aliis qui eſſent Ponticæ Diœceſis, diſcriminat Baſilius prædictis epiſtolis; hos vt ex conſuetudine Cæſaream veniant hortatur, illos vt ipſis ſeſe adiungant & acceſſione ſuâ conuentum ordinarium illuſtriorem faciant: hanc enim differentiam, ſi attentè iſtæ epiſtolæ legantur, haud dubiè oſtendent.

Alteram etiam differentiam aſſignat, quia inuitans Euſebium Samoſatenum & Amphilochium, priuato ſuo nomine id facit, iiſque rationibus vtitur, quibus apud extraneos vti debebat: nam & maximam quâ ipſis deuinciebatur, neceſſitudinem proponit, & deſiderium Epiſcoporum ſuæ Diœceſeos, qui ardenter præſentiam Amphilochij expetebant, & neceſſitatem Eccleſiæ, cui operam vtilem conſiliis ſuis nauare poſſint, & inimicorum ſuorum deſtinata aduerſus ſeipſum conſilia, vt & communem erga Eccleſiam ipſorum charitatem, & priuatam erga ſeipſum dilectionem excitet, iiſque illos rationibus ad veniendum inducat. At Ponticæ Diœceſeos Epiſcopos non ſuo, ſed Eccleſiæ ſuæ nomine eos inuitat, imò commonefacit, vt ſcilicet ſedi ſuæ debitum obſequium exhibeant, conſue-

tudinem allegat, quæ vim legis habet; beneficium & emolumentum, quod ex iſto acceſſu ipſis continget, proponit, vt ſciant ſcilicet de omnibus Diœceſeos negotiis agendum, ſuáque æquè intereſſe ſinguli recognoſcant, ac ipſorum capitis; meminerintque & obſequij ſui atque obedientiæ fructus ipſos reportaturos ampliſſimos: quæ omnes rationes generales ſunt, eæque quibus ſuperior erga inferiores conuenientiſſimè vti poſſit.

Quamobrem licet verba quibus vtitur Baſilius valdè ſint gratioſa, valdè moderata, vt pote quæ preces & obſecrationem contineant, tamen Eccleſiaſtico Primati non indecora videntur: quin etiam rationes exhibent valdè congruas, vt Epiſcopos illos reuerentiæ & obſequij erga Cæſarienſem ſedem officiíque ſui & obligationis non obſcurè commonefaceret: eáque erat Baſilij demiſſio, manſuetudo, atque humanitas; vt verbis lenioribus vteretur, & ne dignitatis ſuæ intumeſceret claritate, mallet in iiſce conuocationibus cultum martyribus exhibendum prætexere, quàm celſitudinem ſuæ ſedis: quamuis quòd ad anniuerſarium Eupſychij potiùs aut aliorum Cęſarienſium martyrum, eorúmque memorias conueniretur, quàm ad aliorum per totam Ponticam Diœceſim celeberrimorum Martyrum memorias; hæc ratio fuerit, quòd cùm Cæſarea totius iſtius Diœceſeos vrbs primaria ac Metropolis fuerit, illius patronis peculiaris honor habitus ſit; non enim carebant reliquæ vrbes iſtius Diœceſis, Nicomedia verbi gratiâ tot Martyrum ferax, Sebaſtea, Neocæſarea, Nicopolis, & aliæ, Martyrum tumulis ac ſepulchris, quibus Religionis obſequia poſſent impendere; ſed hic honor Eccleſiæ matrici ſeruabatur, vt eius Martyribus impenſiùs faueretur. Huius autem humilitatis ac pietatis Baſilij, ſimúlque & veritatis propoſitionis noſtræ, quòd cum Martyrum pietate obſequium erga Primatem ſuum Epiſcopi Pontici vocati deberent coniungere, illuſtre exemplum exiſtit integrâ epiſt. eiuſdem 336. ad quemdam Epiſcopum ipſi haud dubiè ſubditum, quem iis verbis ad Synodum inuitat, quæ Latinè ita redduntur: *Non vocatus queritaris, & vocatus non accurris: apparet autem è ſecundis te priori prætextu inaniter vſum: nam vt eſt veroſimile, nec tunc vocatus adueniſſes: obtempera autem nunc vocantibus, nec denuò fias refractarius, ſed intellige culpam culpæ adiectam, & ſecundam hanc veroſimillimam reddere illam priorem accuſationem. Admonitum autem te volo, vt me reſpicias: quod ſi minùs feceris, tamen æquum eſſe, vt martyrum ne ſis contemptor, ad quorum memorias concelebrandas aduocaris. Da igitur in primis vtriſque hanc reſpectum: quòd ſi autem nolueris, illiſce, & mihi; noli tamen illis tanto dignioribus hanc gratiam denegare.*

Simile quippiam leges paſſim in epiſtolis ſummorum Pontificum, qui beatorum Petri & Pauli toties mentionem faciunt, dum ſibi obſequium aliquod à ſuis impendi petunt; vt ſcilicet quod dignitati ſuæ debitum erat, id illorum venerationi tribueretur.

§. VI.

Quædam obſeruantur circa Concilia in tota Diœceſi Pontica haberi ſolita.

ALTERVM ex prædictis epiſtolis colligi poteſt, quòd Synodi iſtæ, ad quas Primas Cæſarienſis omnes Ponticæ Diœceſeos Epiſcopos conuocabat, Cæſareæ haberi ſolerent, & quidem, vt ſuprà coniecimus, in æde ſancti Eupſychij: præter quas aliæ item in ſingulis prouinciis haberi conſueuerint, ad quas inuitabantur interdum illi Primates; cuiuſmodi fuit illud Concilium, quòd Nicopoli à Theodoro habitum diximus, ad quod inuitatus fuerat Baſilius: interdum verò abſentibus Primatibus habebantur, quale Concilium prouinciæ Ponti Polemoniaci refertur à Baſilio, à quo ſe ſubtraxerit Atarbius Epiſcopus, vt vocanti Baſilio pareret, teſte ipſo Baſilio epiſtolâ 364. eidem *Atarbio*: qualia plurima ſcilicet primæ & ſecundæ Cappadociæ prouinciæ, Ponti, Helleſponti, Galatiæ, Paphlagoniæ, Armeniæ primæ & ſecundæ, quæ habentur poſt Concilium Chalcedonenſe: item Ancyranum illud, quod Gregorij Nyſſeni

Digitized by Google

operâ collectum refertur epiſt. 256. quo loco fateor me non ſatis intelligere ſenſum Baſilij: nam quis credat (quod primâ fronte præſerunt) Gregorium Nyſſenum, quem Baſilij maiorem fratrem fuiſſe conſtat, eúmque eiuſdem cum fratre ſemper Catholicæ ſententiæ; quem mirè deprædicat Nazianzenus oratione habitâ cùm Sazimorum eſſet ordinatus Epiſcopus, quem Eccleſia inter cælites relatum colit: quis, inquam, credat, talem virum & tot neceſſitudinibus carnis ac ſpiritus Baſilio coniunctum, contra Baſilium dolos machinatum fuiſſe, & Concilium Ancyræ coëgiſſe? ex alia verò parte quis alius Gregorius Nyſſenus excogitari poteſt, præter Baſilij fratrem, qui à patria & Epiſcopatu Nyſſenus dictus, cuius mentio fieri prædictâ epiſtolâ dicatur? & quænam tanta alterius Gregorij Nyſſeni potuit eſſe auctoritas, vt aduerſus Baſilium Ancyræ in Galatia Nyſſenus ipſe, & Nyſſæ, quod eſt oppidum Ponti, incola ac ciuis, cogi Concilium procurare potuerit? Iſta tamen vel de ignoto quodam homine Gregorio dicto, eóque Nyſſeno, æmulo Baſilij atque inimico, qui aduerſus ipſum nullum non lapidem moueret, intelligenda ſunt; vel ironicòs de fratre Baſilij ad amicum Samoſatenum Epiſcopum ſcripta ſunt exponenda. Prouinciale etiam celebre Concilium Gangrenſe, ad quod tamen aliqui ex aliis prouinciis accerſiti creduntur. Tyanenſe verò totius Ponticæ Diœceſeos fuiſſe, illúdque ab Euſebio Cæſarienſi Cappadociæ Epiſcopo collectum probabilius eſt, cui ſcilicet ipſe præfuit.

Sed dubium aliquis mouere poteſt, quid de Iconienſi Concilio cenſeamus ex Cappadocia, Cilicia, Galatia, aliiſque proximis Orientalibus partibus collecto, cuius pars magna fuiſſe videtur Firmilianus, vt conſtat ex iſto epiſtolæ ab ipſo conſcriptæ ad Cyprianum exordio, *Accepimus per Rogatianum chariſſimum noſtrum Diaconum à vobis miſſum, litteras quas ad nos feciſti, frater chariſſime: & gratias propter hoc Domino maximas egimus, quòd contigerit, vt qui corpore ab inuicem ſeparamur, ſic ſpiritu adunemur, quaſi non vnam tantùm regionem tenentes, ſed in ipſa atque in eadem domo ſimul inhabitantes*, &c.

Quæ verba nobis inſinuant, vel tantæ auctoritatis fuiſſe Firmilianum, vt ad eum ſeorſim acta Concilij Africani mitteret Cyprianus, & de Baptiſmo hæreticorum ſuam ac finitimarum Eccleſiarum ſententiam inquireret: vel tantæ in Concilio Iconienſi dignitatis, vt ſcriptis ad vniuerſos Epiſcopos in Concilio Iconienſi congregatos, Cypriani nomine, totius Africani Concilij literis, & ipſe pariter Iconienſium Patrum nomine reſponderet. Probarent iſta Iconienſi enim Concilio præſidem interfuiſſe, niſi Iconium in Phrygia extra Ponticam Diœceſim eſſet, niſi Dionyſius Alexandrinus referens indignationem Stephani, quam exaggerat Firmilianus epiſtolâ citatâ ad Cyprianum aduerſus Patres iſtius Concilij, Helenum Tharſi in Cilicia Epiſcopum primo loco, Firmilianum ſecundo, deinde coniunctim omnes, qui erant ex Cilicia & Cappadocia, & Galatia Epiſcopos, & ex omnibus gentibus quæ erant finitimæ, nominaſset, apud Euſebium lib. 7. cap. 4. quo etiam capite Euſebij relatas idem Dionyſius, dum præcipuorum Epiſcoporum ſubſecutam concordiam explicat, Firmilianum non ſolùm poſt Helenum, verùm etiam poſt alios plures, qui Antiochenæ ſedi viciniores erant, eíque ſpeciali titulo addicti, nominat.

Vera ergo ea eſse ſententia videtur, Concilia Iconienſe & Synnadenſe eodem tempore habita, illud in Lycaonia, cuius Metropolis erat Iconium; hoc in Phrygia, cuius oppidum erat Synnada, à quo Synnadenſe Concilium denominatum eſt: ea, inquam, Concilia, quorum meminit Euſebius lib. 7. cap. 7. occaſione præſertim Cataphrygarum habita fuiſse, quorum Baptiſma in dubium vertebatur, & occaſione Baptiſmatis iſtorum hæreticorum (quod nullum eſse in Concilio Conſtantinopolitano I. Canone 7. poſteà declaratum eſt) de cæterorum hæreticorum Baptiſmate quæſtio proponebatur, vtrùm validum cenſeri deberet, quòd extra Eccleſiam collatum eſset: eadem collecta fuiſse ex Aſiana Diœceſi, putà ex prouinciis Piſidiæ, Lycaoniæ, Pamphiliæ, Lydiæ, Cariæ, Lyciæ, Phrygiæ, quæ proprios Metropolitanos habebant, inter quos Helenus Tharſi Epiſcopus, vtriuſque Ciliciæ Metropolita, maximo in honore habebatur, fortè quòd reliquis Metropolitis ſenior exiſteret, aut aliquâ perſonali præro-

ratiuâ præcelleret, vel Antiocheni Epiſcopi vicarius eſſet: tanto verò in honore eſt habitus, vt Dionyſius Alexandrinus epiſtolâ ad Cornelium Romanum, apud Euſebium lib. 6. cap. vlt. referat ſe ad Concilium Antiochenum aduerſus Nouatum, *Tum ab Heleno Ciliciæ Tharſenſis Epiſcopo aduocatum, tum à reliquis qui cum eo erant, nempe Firmiliano Cappadociæ Epiſcopo, & Theoctiſto Epiſcopo Cæſareæ Paleſtinæ:* quæ verba primariam penes Helenum auctoritatem fuiſſe indicant; quam etiam ex eo colligere licet, quòd in epiſtola Synodali Concilij Antiocheni ſecundi aduerſus Paulum Samoſatenum, apud eundem Euſebium lib. 7. cap. 24. in qua plurimorum Epiſcoporum nomina referuntur; primo loco Helenus iſte nominetur, referántque iſti Epiſcopi à ſe tum Dionyſium Alexandrinum Epiſcopum; tum Firmilianum Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum, homines beatos & fœlicis commemorationis, per litteras accerſitos eſſe, vt accederent; & quidem Firmilianum, qui bis Antiochiam venerat, & Paulum coram refutauerat, cùm ad Tarſos vſque perrexiſſet, & eius aduentus expectaretur, extremum diem obiiſſe: Ex iis enim colligi poteſt Helenum Tarſenſem, & alios Paleſtinæ Syriæ, aliarúmque prouinciarum Epiſcopos, poteſtatem conuocandi Concilium Antiochenum (cùm propter hæreſim Antiocheni Epiſcopi officium iſtud minimè ei conuenire poſſet,) vt viciniores ſibi vendicaſſe: Firmilianum autem Cæſarienſem, vt pote qui vel peculiarem Diœceſim regeret, vel remotior eſſet, ab illis vicinioribus Epiſcopis aduocatum fuiſſe.

Ideò igitur Helenum Tarſenſem primo loco nominatum dicimus, tum vbi de Concilio Iconienſi agebatur, tnm vbi de Antiocheno ſecundo; quod vtrumque Concilium præ cæteris, vt pote vicinior vel antiquior inter alios Metropolitanos Aſiaticos, procuraſſet, eúmque fuiſſe ſuſpicamur, qui Iconienſe Concilium ex Aſiaticis conflatum conuocarit; qui Firmilianum accerſierit, qui Aſiaticorum dux fuerit, quemadmodum ex aduerſo Firmilianus Cappadocum, & fortè aliorum Ponticæ Diœceſis, qui ad hoc Concilium conuenerunt, ductor dici potuit: quod indicat Euſebius lib. 7. cap. 4. citato, referens verba iſtâ Dionyſij Alexandrini ad Sixtum Romanæ vrbis Pontificem, ἐπεστάλκει μὲν οὖν πρότερον (Στέφανος) καὶ περὶ Ἑλένου καὶ περὶ Φιρμιλιανοῦ, καὶ πάντων τῶν τε ἀπὸ τῆς Κιλικίας, καὶ Καππαδοκίας, καὶ δηλονότι Γαλατίας, πάντων τῶν ἑξῆς ὁμορούντων ἐθνῶν, ὡς οὐδὲ ἐκείνοις κοινωνήσων διὰ τὴν αὐτὴν ταύτην αἰτίαν. *Scripſerat verò anteà (Stephanus) de Heleno, de Firmiliano, de omnibus Epiſcopis, qui erant à Cicilia, & Cappadocia, & Galatia, & omnibus gentibus quæ erant finitimæ, quòd neque cum illis quidem ob eam cauſam omninò communicare vellet.*

Duos ſiquidem duntaxat Epiſcopos nominat tanquam capita cæterorum, putà Helennm Tharſenſem, & Firmiliauum Cæſarienſem: cæteros qui Iconienſi Concilio, in quo Baptiſmus ab hæreticis collatus fuerat improbatus, in turba duntaxat recenſet, nullos eorum nominatim exprimit, non ipſum Nicomam Iconienſem Epiſcopum Lycaoniæ Metropolitanum, qui inter Epiſcopos qui interfuerunt Concilio vtrique Antiocheno aduerſus Samoſatenum, numerabatur ab Euſebio lib. 7. cap. 22. & 24. quem pariter Iconienſi Concilio aliquo anteà tempore habito interfuiſſe probabile eſt.

Quod autem iiſce locis Helenus primo ante Firmilianum loco numeretur, non alia ex cauſa factum reor, quàm quòd in Aſiatica Diœceſi Concilium iſtud celebraretur, & huius Diœceſeos facilè Princeps eſſet iſte Helenus, ſiue ob antiquitatem, ſiue ob aliam cauſam, ſiue etiam ob impoſitam ſibi iſtius Concilij conuocandi ab Antiocheno, qui tunc temporis Demetrianus vocabatur, Epiſcopo poteſtatem, cuius proinde vices geſſiſſe videtur. Nam & Demetrianum alióſque Orientalium ſedium Epiſcopos, Theoctiſtum Cæſareæ Paleſtinæ, Mozabanem Aſiæ, Maximum Tyri, Heliodorum Laodiceæ, huic etiam cauſæ ſe immiſcuiſſe ex eo innoteſcit, quòd Dionyſius referente Euſebio lib. 7. cap. 4. citato, Eccleſiarum concordiam tandem circa hæreticorum Baptiſma referens, & hos, & Helenum Tarſi, cunctáſque Ciliciæ Eccleſias, & Firmilianum, & totam Cappadociam ſummo animorum conſenſu cum Stephano Papa conſpiraſſe gratuletur, epiſtolâ Stephano Papa.

Digitized by Google

Vbi nota inter referendum iſtos illuſtres Epiſcopos, ſolos Helenum & Firmilianum ita ab ipſo nominatos, vt ipſorum mentioni, prouinciarum, quibus præerant, mentio coninngererur; quòd illas, niſi fallor, prouincias in ſuam ſententiam traxiſſent: quo etiam genere loquendi vſus eſt, epiſtolas prædicti Dionyſii recenſens cap. vlt. lib. 6. cæteros Epiſcopos, vrbium ſuarum, verbi gratiâ, Hieroſolymorum, Cæſareæ, Paleſtinæ, Laodiceæ Antiſtites vocans: Firmilianum autem Cappadociæ, Helenum Ciliciæ Tarſenſis Epiſcopum appellans, ſcilicet quòd ſuarum prouinciarum os & lingua eſſe viderentur.

Cæteroquin non ob cauſam conſtantem abſolutam ac perpetuam Firmiliano Cæſarienſi Helenum prælatum, ſed ob temporarias & reſtrictas probabile eſt; nam & ſedis dignirate, & iuriſdictionis amplitudine, & aliis ornamentis Tarſenſi præcellere, & maioris nominis Firmilianus quàm Helenus eſſe videbatur. Cuius rei argumentum eſt, quòd eos qui Concilio primo Antiocheno aduerſus Paulum interfuiſſent, numerans Euſebius lib. 7. cap. 22. *Inter hos qui maximè præſtare videbantur*, recenſeat *Firmilianum Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum, Gregorium & Athenodorum fratres; paſtores Eccleſiarum quæ ſunt in Ponto*, (loquitur de Gregorio Neocæſarienſi, quem θαυματύργον dixerunt, & Athenodoro fratre ſimiliter Epiſcopo, quem cui ciuitati præfuerit nullus hiſtoricorum refert) *Helenus præterea qui Tarſi rexit Eccleſiam.* Si quis tamen ex prædictis inferat, nondum Cæſareæ Antiſtirem in totam Ponticam Diœceſim ἐξαρχίαν tempore Firmiliani habuiſſe; ſed ſoli Cappadociæ præfuiſſe Cæſarienſem Epiſcopum; hanc ſolam proinde ipſi coniungi ab Euſebio, Pontum ab eo nequaquam adminiſtratum fuiſſe: ideóque Greogrium Neocæſarienſem, & Athenodorum fratres huius adminiſtrationis præfectos dici, quia reuerà Neocæſarienſis ciuitas vna ex Metropolitibus Ponti agnita eſt; Amaſea ſeu Amaſia, altera, cui poſt Phædinum præfuiſſe videtur Athenodorus: ac proinde cùm vterque tam Firmilianus quàm Helenus Metropolitæ duntaxat eſſent, Heleno antiquiori primum locum tributum fuiſſe. Si quis, inquam, iſtius ſit ſententiæ, huic ego non acriter repugnabo, maximè cùm legerim in vita ſancti Gregorij Thaumaturgi à Nyſſeno conſcripta, illum creatum Epiſcopum Neocæſarienſem ſolius Phædini Amaſenæ ciuitatis Epiſcopi voluntate, cùm nondum huic ciuitati Epiſcopus impoſitus videretur, vt pote quæ tota idololatriæ dedita eſſet, ſolúmque in ea ſeptemdecim Chriſtiani eſſent, cùm ad eam regendam aſſumptus eſt: Cæſarienſis autem Cappadociæ Epiſcopi confirmationem non legam. Eumdem verò poſteà Gregorium in Commanæ ciuitatis conſtituendo Epiſcopo, tanquam primas partes habuiſſe animaduertam, quæ ciuitas eſt Ponti Polemoniaci, cuius etiam eſt Neocæſarea.

Neque verò aberrabit, qui progreſſu temporis ordinem iſtum dignitatum, vbi commodiùs viſus eſt, ſtabilitum dixerit, adeò vt dubitent etiam aliqui, num præcedenti tempore ſub Victore in Ponto Metropolitanus aliquis fuerit conſtitutus, cùm eo tempore referat Euſebius Synodo prouinciæ Ponti, in qua de Paſchatis die diſputatum eſt, Palmam Epiſcopum ὡς ἀρχαιότατον præſediſſe, quòd *antiquiſſimus* eſſet, vel quòd *venerandus* maximè eſſet: quod vtrumque verbum Interpres poſuit lib. 5. hiſtoriæ cap. 22. Non tamen ineluctabilia ſunt iſta argumenta; ſed in iis quæ obſcura ſunt, è tenebris eruendis, diuinare licet.

Terrium ex prędictis inferri poteſt, in his Synodis, quæ à Primate Cæſarienſi habebantur, & Eccleſiaſtica negotia tractata fuiſſe, & Epiſcoporum ordinationes factas: quamuis enim non omnes Epiſcopi Ponticæ Diœceſis, in publicis iſtis Synodis ſolemniter ordinarentur, vt exemplis pluribus, quorum aliqua attigimus, exploratum habetur: nihilominùs aliquorum in hos celebres conuentus ordinationes reiici ſolitas fuiſſe conſtat ex epiſt. 256. citata: cùm enim ſolliciti eſſent quammaximè primorum iſtorum temporum Paſtores, vt Epiſcoporum ordinationes, quantùm fieri poſset, celebres eſsent: ideò ſi quis conuenrus Epiſcoporum celebris propediem immineret, ad eum Epiſcopi ordinationem reiici ęquiſſimum cenſebant: ſi è contrà diutiùs differendum eſset, malebant confeſtim Epiſcopum propter neceſſitatem Eccleſiæ conſtitui, quàm celebrem conuentum expectari. Vnde non dubitamus, quin ſingulis Metropolitanis Diœceſeos Ponticæ

Digitized by Google

Epiſcopos ſuæ prouinciæ ordinandi ius fuerit, ſicut & Primatis Cæſarienſis; controuerſias tamen in iiſdem electionibus terminare, & quos vellet è tota Diœceſi ordinare, Primati Cæſarienſi ex prędictis videtur conceſſum fuiſſe: quemadmodum de Primate Carthaginenſi ſuprà diximus: atque adeò credendum eſt Cæſarienſem Epiſcopum, vbi mora nociua non eſſet, quorumdam ordinationes, & intentatas de electionibus ſeu ordinationibus controuerſias ad Concilia totius Diæceſeos Ponticæ diſtuliſſe. Sic refert Nazianzenus Orat. 18. vocationem ſuam ad vrbem Metropolitanam Cæſarienſem; & concurſus Epiſcoporum ad eandem in ordinatione ſua meminit epiſt. 21. Baſilio.

§. VII.

Aliqua alia Cæſarienſis Primatis priuilegia.

HIs omnibus prærogatiuis Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi in tota Pontica Diœceſi, quæ & ipſius ἐξαρχίαι demonſtrant, & quænam eſſent antiqua Primatum priuilegia oſtendunt; ea nempe circa appellationes præſertim, Conciliorum conuocationem ac præſidentiam, & iudicia Eccleſiaſtica: aliqua adiungimus minoris momenti ac ponderis.

Primum, Primas Cæſarienſis decreta Conciliorum generalium per totam Ponticam Diœceſim Epiſcopis promulgabat: ſic enim verbi gratiâ apud Gelaſium Cizicenum legimus alterâ parte Actorum Concilij Nyſſeni cap. 27. num. 208. per Leontium Cæſareæ Cappadociæ Metropolitanum, qui eodem loco, τὸ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Κυρίου καλλώπισμα, *magnum Eccleſiæ Domini ornamentum* dicitur, decreta Nicæna Eccleſiis Cappadociæ, Galatiæ, Ponti, Dioſponti, Paphlagoniæ, Ponti Polemaici, Armeniæ paruæ & magnæ innotuiſſe.

Alterum, quòd Primas Cęſarienſis non ſolùm prouinciam ſuam, verùm etiam alias Ponticæ Diœceſis viſitaret, quod exemplis Baſilij conſtat, qui ſe ad viſitandam Eccleſiam Nicopolitanam à Theodoto accerſitum ſcribit epiſt. 187. ac Satalenſem ciuitatem viſitaſſe, & ibi Epiſcopos Armeniæ inter ſe conciliaſſe, & quæ illis conuenirent propoſuiſſe, ac rogaſſe, ὥστε ἀποθέσθαι τὴν συνήθη ἀδιαφορίαν, καὶ ἀναλαβεῖν τὴν γνησίαν αὐτοῦ κυρίου ὑπὲρ τῶν ἐκκλησιῶν σπουδήν, *Vt conſuetam incuriam abiiciant, & ſinceram Domini pro Eccleſiis ſollicitudinem in ſe ſuſcipiant*: quæ quidem verba ſunt ſuperioris erga inferiorem, quemadmodum & iſta quæ ſubdit, nimirùm, *exempla ſimul & illis propoſuiſſe de iis, quæ per negligentiam ſunt in Armenia geſta, quomodo ipſius eorum curam gerere conuenerit. Suffragia quoque ab Eccleſia Satalorum accepiſſe obſecrationem habentia, vt daretur ipſis Epiſcopus*: & alia quæ ſuperiùs protulimus. Quæ omnia viſitationem quandam, non qualem extranei aut familiares ineunt, ſed qualem iudices ad cauſæ cognitionem examinationémque vocati, ſententiam pronuntiantes, & correptiones adhibent, oculis legentium exhibent.

Idem ſimiliter Baſilius ad tumultus ſedandos Nicopolim excurrit, vt ipſe teſtatur epiſt. 364. Piſidiam quidem (Aſiaticæ non Ponticæ Diœceſeos) vſque ſe perueniſſe ſcribit epiſt. 272. ſed charitatis impulſu, non vt ex auctoritate ageret, quemadmodum ex prędictis intra Ponticam Diœceſim ipſius excurſionibus: vide quid de Piſidiæ peregrinatione ibi loquatur, Πολλὰς μὲν ἡμᾶς καὶ ἄλλας ἀποδημίας τῆς πατρίδος ἐπήγαγον. καὶ γὰρ μέχρι τῆς Πισιδίας διέβημεν, ὥστε μετὰ τῶν ἐκεῖ ἐπισκόπων τὰ κατὰ τοὺς ἐν τῇ Ἰσαυρίᾳ ἀδελφοὺς τυπῶσαι, *Sæpè quidem & alias peregrinati ſumus extra patriam, nam Piſidiam vſque peruenimus, vt vnà cum eiuſdem gentis Epiſcopis, fratribus, qui ſunt per Iſauriam, res ſuas ordinatas conſtitueremus*. Notandum ſiquidem eſt ita de iis loqui Baſilium, vt de extraneis & alterius gentis, & ipſorum negotia non ſua, ſed ipſorum dicere: vbi verò de profectione ſua in Pontum diſſerit, illorum negotia ſua eſſe demonſtrat, continenti ſerie hęc ſcribens, κἀκεῖθεν δὲ ἐπὶ τὸν Πόντον ἡμᾶς διεδέξατο ἀποδημία, ἱκανῶς τὸν Δασιμῶνα ταράξαντος τοῦ Εὐσταθίου, καὶ πολλοὺς ἀναπείσαντος τῆς ἐκεῖ ἀποσχισθῆναι τῆς ἐκκλησίας ἡμῶν. *Hinc reuerſi profecti ſumus in Pontum; quòd mirificè Daſimonem turbaret Euſtathius, & complures ibidem induxerat, vt à noſtræ ſecederent communione Eccleſiæ.* Sua ergo intereſſe hîc docet quæ agerentur in Ponto;

ſicque loquitur quaſi turbarum, quas excitaret Euſtathius, compreſſio ad ſe pertineret, & obſiſtere deberet, quominùs ab Eccleſiæ Cæſarienſis matris ac matricis communione ſubditæ Eccleſiæ deſciſcerent. Poſteà quidem ſuum non eſſe ait prouidere, vt hic vel ille eligeretur Neocæſarienſis Epiſcopus; hic verò ad ſe ſpectare ſignificat prouidere, vt nullus niſi ex communione ſua eligeretur.

Quartum priuilegium, quod Primas Cęſarienſis Epiſcopos Ponticæ Diœceſeos ad ſe euocare poſſet. Cuius inſigne eſt exemplum apud Baſilium epiſt. 364. vbi ſe Ararbium Epiſcopum ad ſe Nicopolim euocaſſe ſcribit, eúmque morem eius mandato gerentem de media Synodo, quæ in eius prouincia agebatur, cum omni feſtinatione profectum fuiſſe, vt ei occurreret, ſed caſu aliquo retardatum non acceſſiſſe; ideóque denuò occaſione innouaræ apud eum ſanæ doctrinæ, de qua à reuerendis quibuſdam fide dignis accuſabatur, nuntium ſe miſiſſe eidem renuntiat, *Ne grauatim vellet ferre ad ſe non adeò remotum proficiſci, & poſtquam fidem feciſſet his de rebus abundantiſſimam, ita ipſius dolores mitigare, & Eccleſias Chriſti conſolari dignaretur, quæ mirificè præſenti triſtitiâ affectæ erant, & moleſtè ferebant cùm illa quæ geſta, tum etiam quæ dicta ab eo dicebantur.*

Quintum, quòd iudicem delegare poſſet aliquem ex Epiſcopis ſibi ſubditis ad cognitionem alicuius cauſæ, qua de re ſuprà, exemplo Hoſmiſæ Commanæ Epiſcopi ab Alypio Cæſarienſi ad cauſam Lampetij cuiuſdam Presbyteri audiendam diximus.

Sextum, quòd nomine cęterorum Epiſcoporum ſuæ Ponticæ Diœceſis literas Primas Cæſarienſis ſcribere ſoleret: ſic Baſilius epiſtolam ſeptuageſimam *Galliæ & Italiæ Epiſcopis*, ſeptuageſimam-primam *Alexandrinis*, ſeptuageſimam-quartam *ad Occidentales Epiſcopos* ſcripſit pro communibus totius Ponticæ Diœceſeos negotiis; ſeptuageſimam verò ſeptimam *ad tranſmarinos*, notat ſe ſcripſiſſe quidem, *γνώμῃ δὲ πάντων τῶν ἐν Καππαδοκίᾳ ἀδελφῶν*, ſed *ex ſententia omnium Cappadociæ fratrum*, à quibus & ſe rogatum ait, ne quocumque viro tabellario vteretur, ſed virum mitteret, qui quęcumque per epiſtolam aſſecutus non eſſet, ſermone pro ſua prudentia diffuſiori exponeret.

Epiſtola verò ſeptuageſima-nona apud eundem legitur, ipſius quidem operâ conſcripta, ſed nomine variorum Epiſcoporum, inter quos primus eſt Meletius, ſcilicet Antiochenus, alter Euſebius, quem Samoſatenum exponimus, Samoſatorum ſcilicet ſeu Comagenæ Epiſcopus, Syriæ Euphratenſis Metropolitanus, qui ſumma cum veneratione apud Baſilium erat; tertius Baſilius: alij quoque ſuis locis inſeruntur, non ex Pontica ſolùm Diœceſi, ſed ex aliis quoque prouinciis tam Diœceſis Orientis, putà Pelagius Laodiceæ, cuius meminit Socrates lib. 3. cap. 25. Paulus Sidonis, Zeno Tyri, Ioannes Apamæorum, Vitus Carum, Abramius Batnorum, alius eiuſdem nominis Vrimenus, Sabinus Zeugmatenus, Barathus Paneados, Maris Dolicæ, Daphnus Derbæ. Ex quibus aliquos apud Baſilium leges epiſt. 311. 314. 315. 316. alios Synodo Antiochenæ ſubſcriptos reperies.

Septimum, quòd Monachorum in tota Diœceſi Pontica curam aliquam ſingularem haberet. Nam & Euſebius Cæſarienſis regulas Monaſticas probauit, quas Baſilius ſcripſerat, illáſque ipſis præſcripſit, teſte Nazianzeno Orat. in laudem Baſilij: hinc Baſilij epiſt. 73. ad Monachos à ſe diſſitos iis verbis inſcribitur, *τοῖς ὑφ᾽ ἑαυτὸν ἀσκηταῖς*, *Monachis ſuis, ſeu in poteſtate ſua conſtitutis*: præfatur ſingulari ſe iucunditate perfundi, ſi de illis aliquid audiat: nulla alia in re animi recreationem ſe percipere, quàm in ipſorum profectu, & abſoluta præceptorum Chriſti obſeruantia. Ideóque neceſſarium eſſe, vt per chariſſimos fratres, Dominíque timentes ipſos inuiſeret, ac literis ipſorum dilectionem alloqueretur. Huius rei gratiâ affirmat ſe miſiſſe ad eos religioſiſſimum ac dilectiſſimum ſibi fratrem ſuum, cooperatorémque in Euangelio Meletium Sympresbyterum, qui deſiderium ſuum, quo erga eos afficeretur, ſollicitudinémque ac curam animarum exponeret, ſéque pro ipſis noctes atque dies Dominum precari teſtatur. Mox fusè ipſis perſuadere conatur, ne malis rumoribus, qui aduerſum ſe aut alios ſpargerentur, fidem adhiberent: & tandem in fine epiſtolæ obſecrat, vt domi

maneant, honeſtéque viuant, opus Dominicum cum ſilentio perficientes. Epiſtolâ verò 195. refricat illis in memoriam quæ ipſis pręſens ſuggeſſiſſet, ad ipſorum verò conſolationem ait ſe miſiſſe fratrem ſuum τὸν ποθεινότατον, *expectatiſſimum, vt & alacres inſinuet, & notos faciat, tardos exſtimulet, & reluctantes ipſi deſignet*, &c. Epiſt. 133. ipſis gratulatur, quòd ab Arrianis, à quibus & fugati erant Epiſcopi, dura paſſi fuerint.

Quæ abundè ſufficiunt, vt oſtendamus Cæſarienſem Primatem Monachorum etiam extra propriam Diœceſim in Pontica præſertim regione degentium (in qua Rufinus lib. 2. cap. 9. illum antequam etiam Presbyter eſſet, Monaſteria virorum & fœminarum inſtituiſſe teſtatur, & ad Monaſticam vitam plurimos induxiſſe; ſicut etiam Sozomenus lib. 6. cap. 15. eundem ibidem cum Monachis vixiſſe refert) curam ſingularem geſſiſſe, ad eóſque viſitatores miſiſſe cùm aliqua neceſſaria cauſa appareret, qui eos ad virtutem accenderent, tepidóſque vel vitij gelu torpentes incenderent, ac vitioſos corrigerent.

§. VIII.

Alia in laudem Cęſarienſis Eccleſiæ cum ſolutione obiect.

HÆc porrò omnia Cæſarienſis Epiſcopi priuilegia dignitatem Eccleſiæ Cęſarienſis eiúſque ἐξαρχίας maximè illuſtrant, quam etiam notam faciunt præclara illa eidem à Gregorio Nazianzeno attributa elogia, tum Oratione 20. in laudem Baſilij, vbi eam τὴν περιφανῆ πόλιν, *illuſtrem ciuitatem*, τὴν οὐχ ἧττον λόγων μητρόπολιν, ἢ τῶν πόλεων ὧν ὑπέρκειται, καὶ καθ' ὧν ἔχει τὴν δυναστείαν, *non minùs literarum atque doctrinæ, quàm vrbium quibus præeſt Metropolim*: tum epiſt. 22. ad Cæſarienſes, dum ei maximè proſpiciendum monet, quia, inquit, μήτηρ σχεδὸν ἁπασῶν τῶν ἐκκλησιῶν ἦν τε ἀπ' ἀρχῆς, καὶ νῦν ἐστι, καὶ νομίζεται, *mater omnium ferè Eccleſiarum, & antiquitùs fuit, & nunc eſt atque cenſetur.* Mater illa antiquitùs fuiſſe dicitur, quia ab ea Euangelica doctrina propagata: mater tunc temporis & eſſe & cenſeri aſſeritur, quia ab ea regiminis & gubernationis regula tradebatur: dum verò omnium ferè Eccleſiarum mater dicitur, de omnibus Eccleſiis duntaxat Ponticæ Diœceſis intelligendus eſt Gregorius, quæ ſcilicet ab ea Euangelij ferè omnes doctrinam acceperant, non abſolutè de omnibus totius orbis Eccleſiis: quota enim pars Eccleſiarum totius orbis veritates Chriſtianas à Doctoribus à Cæſarienſi Præſule miſſis accepit? Subdit verò in illius commendationem, quòd in eam tota Reſpublica Chriſtiana oculos coniiceret, non modò propter fidei integritatem, iam olim omnibus prædicatam, ſed etiam ob concordiæ gratiam diuino haud dubiè beneficio ipſi conceſſam.

Notam eiuſdem Eccleſiæ prærogatiuam faciunt, quòd in Concilio Conſtantinopolitano primo, referente Sozomeno lib. 1. cap. nono, Diœceſis Ponticæ Eccleſiaſticæ hi limites ſtatui videantur, vt comprehendat Eccleſias omnes à Bithinia ad Armeniam vſque, eíque Helladius præfectus innuatur, quamuis duo alij additi probatæ fidei Epiſcopi Gregorius Nyſſenus, & Otreius Melitenſis, vt ſcilicet Catholici iudicarent, qui illis in tota iſta Diœceſi communicarent.

Denique quòd in Epheſino & Chalcedonenſi Cæſarienſes Epiſcopi cæteros Metropolitas ſemper præceſſerint: in actis Concilij Trullani Cæſarienſis Præſul inſcribatur, ὁ ἅγιος τῆς Καισαρέων Μητροπόλεως τῆς πρώτης τῶν Καππαδοκῶν ἐπαρχίας, καὶ ἔξαρχος τῆς Ποντικῆς διοικήσεως, *Epiſcopus Cæſareæ Metropolis primæ Cappadocum prouinciæ, & Exarchus Ponticæ Diœceſis.*

§. IX.

Solutio obiectionis aduerſus prædicta.

QVIBVS omnibus non obeſt Concilij Conſtantinopolitani Canon ſecundus, *Vt Epiſcopi ad Eccleſias, quæ ſunt extra ſuam Diœceſim ſubſque limites, non accedant, nec Eccleſias confundant: ſed ſecundum Canones, Alexandriæ quidem Epiſcopus Ægyptum ſolam regat: Orientis autem Epiſcopi Orientem ſolum adminiſtrent: ſeruatis priuilegiis & præeminentiis, quæ ſunt in Nicæni Concilij Canonibus Antiochenæ Eccleſiæ: & Aſianæ Diœceſeos Epiſcopi, quæ ſunt in ſola Aſiana adminiſtrent, & Thraciæ Epiſcopi Thraciam tantùm regant, & Ponticæ, Ponticam.*

Neque ex illo Canone inferri poteſt illud quod infert Samuel Petitus, variarum lectionum lib. 3. cap. 6. Ponticæ, Aſianæ, & Thraciæ Diœceſeos Metropolitanos pari omnes iure ac poteſtate fuiſſe, quia ſingularibus Diœceſibus iſtis plures Epiſcopos adſignat Concilium. Ægyptiacæ verò Diœceſi vnum præeſſe Alexandrinum Epiſcopum, & Orientali Antiochenum: quanquam enim Metropolitani plures Epiſcopi Orientis Diœceſim adminiſtrare dicantur, id fit, *φυλαττομένων τῶν ἐν τοῖς κατὰ Νίκαιαν πρεσβείων τῇ Ἀντιοχέων ἐκκλησίᾳ*, id eſt, *ſeruatis Antiochenæ Eccleſiæ priuilegiis, quæ ſunt in Nicæni Concilij Canonibus.*

E contrà verò ex eodem Canone argumentari poſſumus quinque Diœceſes in Imperio Orientis Eccleſiaſticas ibidem aſſignari, Ægyptiacam, Orientalem, Ponticam, Aſiaticam & Thracicam: quemadmodum autem plures prouinciæ ciuiles non dicuntur efficere vnam Diœceſim, niſi vni alicui pareant Præfecto prætorio, Proconſuli, aut alij dignitate aliquâ prædito, ita Eccleſiaſticas prouincias vnam non efficere Diœceſim, niſi ab vno Primate ſeu Exarcho regantur. Vetari autem videtur hoc Canone, ne limites ſuarum Diœceſeωn Epiſcopi excurrant, & nominatim vltra Ægyptum latè ſumptam Alexandrinus; quò Petri Alexandrini Epiſcopi, qui Conſtantinopoli Maximum Cynicum ordinauerat, temeritas compeſceretur; Antiocheno Patriarchæ, qui extra Diœceſim & Patriarchatum nihil mouerat, nominatim prohibetur nihil: nec illi iure prohiberi potuiſſet, vt ſolâ Diœceſi Orientali contentus, quæ Paleſtinas, Phœnices, Syrias, Cyprum, Cilicias, Oſrhoenam, Meſopotamiam, Iſauriam & Arabiam complectitur, nihil in Aſiana & Pontica Diœceſi aggrederetur: quandoquidem id iure Patriarchali ei liceret, vt alibi docebimus. Vetatur ergo, vt Orientis Epiſcopi ſiue Metropolitani, ſiue alij inferiores nihil extra Orientem agant, nec non vocati Conciliis interſint, nec ordinationibus alterius Diœceſis quàm Orientalis: idipſumque Aſianæ, & Ponticæ ac Thraciæ Diœceſeos Epiſcopis interdicitur. Ex quo non ſequitur iſtarum Diœceſeωn Epiſcopis nullum in ſingulis Diœceſibus præeſſe: nec tanti momenti eſt ſilentium iſtud, vt ex eo concludi poſſit, nullos Ponticæ, Aſiaticæ, Thracicæ Diœceſeos Primates fuiſſe; quippe cùm ea de re non ageretur, ſed tantùm vt firmaretur vetus iſta prohibitio, ne Epiſcopi extra proprias prouincias & Diœceſes ordinationibus Epiſcoporum & Conciliis, quæ ibidem haberentur, ſeſe vltrà interponerent, vel iis intereſſe præſumerent: quæ prohibitio ſupponit ordinationes Epiſcoporum non ſolùm vocatis Epiſcopis prouinciæ, ſed etiam vocatis interdum Epiſcopis Diœceſeos fieri conſueuiſſe ſupponit: item & Concilia non ſolùm prouinciarum, verùm etiam Diœceſeωn fieri conſueuiſſe, ad quæ Epiſcopi eiuſdem prouinciæ, ſi eſſent prouincialia, eiuſdem Diœceſeos, ſi totius Diœceſeos, iure ſuo accedere poſſent, duntaxátque ab Exarchicis Conciliis alterius Diœceſeos Epiſcopi non inuitati arcerentur: hæc autem duplex ſuppoſitio aliquem Exarchum ſeu Primatem in iis Diœceſibus fuiſſe arguit, qui Metropolitanos ſaltem in tota Diœceſi ordinandi, & Concilia ex tota Diœceſi conuocandi atque iudicandi haberet poteſtatem: atque adeo non opus fuiſſe Primates Diœceſeωn Aſianæ, Thraciæ, Ponticæ, Concilij Conſtantinopolitani citato Can. expreſsè nominari, de quibus non agebatur expreſsè, præſertim cùm eadem ſententiâ, quâ de iis ſiletur, tacitè ſaltem & conſequenter innuerentur ipſi.

Vt autem clariùs innoteſcat, quòd de Primarum iuribus ſtatuendis cītato Canone non ageretur: obſeruandum eſt nec eo Canone expreſsè ſtatui, quòd Alexandrinus Patriarcha Ægyptum, & Antiochenus Orientem regant. Sed ne Alexandrinus extra Ægyptum in aliis Imperij Romani regionibus, quæ ibidem enumerantur, quidquam tentaret: quemadmodum Alexandrinus Petrus Maximum ordinando in Conſtantinopolitanum, ſuæ poteſtatis limites prætergreſſus fuerat, & Eccleſiam turbarat: & quemadmodum poſteà Theophilus Alexandrinus ad deponendum Chryſoſtomum Conſtantinopolim veniens, & Dioſcorus turbas aduerſus Flauianum Conſtantinopolitanum excitans, eúmque deponens, & Anatolium in eius locum ordinans, limites ſibi præſcriptos prætergreſſi ſunt, & Eccleſiæ pacem turbarunt.

Statui item videtur, ne Orientales Epiſcopi extra limites Orientis diſcurrant, néve aliarum Diœceſeon Aſiaticæ, Ponticæ, Thraciæ, limites ſuos tranſiliant. Cur autem Alexandrinus & Antiochenus Patriarchæ nominantur, non autem Ponticæ Diœceſis Cæſarienſis Primas, aut alij aliarum Diœceſeon, duplex afferri poteſt ratio.

Prima generalis, altera ſpecialis: generalis illa Concilium Nicænum Can. 6. cuius ibidem mentionem facit Conſtantinopolitanum, Eccleſiarum antiqua priuilegia inconcuſſa ſeruari ſtatuens, trium duntaxat Patriarchalium ſedium, Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ expreſſam mentionem fecerat, cæterorum priuilegia generali duntaxat ſanctione perſtrinxerat: cuius veſtigiis inſiſtens Concilium Conſtantinopolitanum, turbationi mederi cupiens, quæ oritur ex iſtorum priuilegiorum violatione, dum præfixos ſibi fines Epiſcopi tranſiliunt, limites quidem Romano Epiſcopo, cuius ſcilicet poteſtas per totum orbem diffunditur, nullos præſcribere auſa eſt, ſed cæteris Imperij Orientalis Epiſcopis præfixit; Alexandrinæ tamen & Antiochenæ ſedium, vt pote inſigniorum, & Patriarchalium duntaxat expreſsè meminit, cæteras ſedes inſigniores innuit, non expreſſit.

Specialis autem cauſa hæc aſſignatur, Patriarcham ſcilicet Alexandrinum expreſsè nominatum fuiſſe, quia aduerſus eum Canon iſte ex profeſſo cuſus eſt, cuius temeritatem in ordinatione Maximi Cynici, quam Concilium irritam declarauit, compeſcere voluit; Antiochenæ ſedis expreſſam mentionem factam, quia cùm Canon iſte mortuo Antiochenæ ſedis Epiſcopo Meletio compoſitus fuerit, cùm de eius ſucceſſore controuerſia mota eſſet, aliis Paulinum, qui cum Meletio ſederat, retinendum; aliis eligendum in eius locum ſucceſſorem contendentibus, vt Nazianzeni teſtis oculati narratione, tum carmine *de vita ſua*, tum etiam carmine *de Epiſcopis* conſtat; interimque dum differtur electio, timeretur ne aut antiquitùs conſtituti Primates, aut alij in hoc Concilio deſignati communionis Catholicæ iudices apud Sozomenum lib. 7. cap. 9. quos tanquam Patriarchas creatos obiicit Nectarij ordinatoribus Nazianzenus carmine *de vita ſua*, de eius priuilegiis aliquid decerperent: huic periculo præcauere volens Synodus, expreſsè iurium & prærogatiuarum Antiochenæ ſedis meminit, quod periculum cùm nullum ſedibus Exarchicis huiuſmodi immineret, non opus fuit, vt earum Eccleſiarum iuribus expreſſo decreto conſuleret.

§. VLTIMVS.

Reſtrictam Cæſarienſis Epiſcopi in ſua Diœceſi Exarchica poteſtatem fuiſſe.

QVAMVIS autem tam religiosè ſancita, tam ſanctè obſeruata, quemadmodum notauimus, Cæſarienſis Primatis ſupra cæteras Ponticæ Diœceſis Eccleſias dignitas, auctoritáſque fuerit: nihilominùs reſtrictam fuiſſe Cæſarienſis Primatis poteſtatem circa populum vniuſcuiuſque Epiſcopi fidei creditum, nec ea renitentibus locorum Epiſcopis, paſſim circa populos præſtare potuiſſe, quæ muneris Epiſcopalis eſſent, aut Presbyteralis: nec Epiſcoporum in ſingulis prouinciis iura atque officia vſurpare potuiſſe, ex prædictis colligi, vt opinor, poteſt. Duo duntaxat ex Baſilij epiſtolis adiiciam.

Primum

Primum, quòd ipſe epiſtolâ 64. *Doctoribus Eccleſiæ Neocæſarienſis*, apud eos excuſare ſe coactus fuerit, quòd vacante per obitum Neocæſarienſi ſede, propè illorum vrbem acceſſiſſet, quo acceſſu ſuſpicionem auxerat, quaſi contrà vocationem electioni futuri Antiſtitis ſeipſum intrudere conatus eſſet: Similiter apud Euſebium Samoſatenum de eadem ſuſpicione concepta à Neocæſarienſibus conqueritur, quaſi ſeipſum ingerere non inuitatus ipſorum negotiis voluiſſet: ad quam inuidiam deuitandam negat ſe rebus turbatis ad ipſorum Eccleſiam voluiſſe accedere, res ſuas ſe illis relinquere; quæ profectò non iſti homini conuenirent, qui plenam in Eccleſia iſta vacante miniſteria omnia Sacerdotalia obeundi, & de electione futuri ſucceſſoris tractandi poteſtatem prætendiſset.

Alterum, quod idem Baſilius epiſt. 187. queratur ſe à Theodoto Nicopolitano ita neglectum fuiſse, vt cùm ad eius ciuitatem acceſsiſset, ipſum, *μητὲ εἰς ἑωθινὴν εὐχὴν, μήτε εἰς ἑσπερινὴν παραλαβεῖν*, *nec ad matutinas, nec ad veſpertinas preces aſſumere* ſuſtinuerit. Quibus verbis innuit officii Theodoti fuiſſe ipſum ad iſtas preces inuitare, aſsumere, ac ſecum ducere; altare & cathedram ex veteri more offerre: hoc & ciuilis & elegantis moris humanitatem, quæ erga peregrinos Epiſcopos impenderetur, poſtulaſse, & reuerentiam erga Primatem exegiſse: cæterum ſe, niſi aſsumptum ab Epiſcopo loci, licet ſibi Exarchico iure ſubdito, niſi inuitatum, ad ſynaxes iſtas colligendas, preceſque publicè in Eccleſia fundendas accedere non debuiſse, licet Primatem; aſsumi, inquam, eum debere ab Epiſcopo, qui Sacerdotalia officia in Epiſcopali ciuitate obiret.

ARTICVLVS III.

De Primatu Theſſalonicenſis Epiſcopi in Diœceſi Illyrici.

§. I.

Præmittuntur quædam de Illyrici ſtatu Politico, ad Eccleſiaſticam ſedis Theſſalonicenſis ἐξαρχίαν intelligendam neceſſaria.

THeſsalonicenſem Præſulem in plurium Prouinciarum Epiſcopos auctoritatem Exarchicam habuiſse, liquidò conſtat: quæ prouinciæ illi attributæ fuerint, explicat accuratiùs cæteris Nicolaus primus epiſtolâ ſecundâ ad Michaelem Imperatorem circa finem, his verbis. *Oportet enim veſtrum imperiale decus, quod in omnibus Eccleſiaſticis vtilitatibus vigere audiuimus, vt antiquum morem quem noſtra Eccleſia habuit, veſtris temporibus reſtaurare dignemini: quatenus vicem, quam noſtra ſedes per Epiſcopos veſtris in partibus conſtitutos habuit, videlicet Theſſalonicenſem, qui Romanæ ſedis per Epirum veterem, Epirumque nouam, atque Illyricum, Macedoniam, Theſſaliam, Achaiam, Daciam Ripenſem, Daciamque Mediterraneam Myſiam, Dardaniam, & Præualim, beato Petro Apoſtolorum Principi contradicere nullus præſumat.*

Adſtipulatur Antipater lib. 1. Anthologiæ, qui eam omnis Macedoniæ, cuius Vicarius in Notitia Imperii quinque Prouincias habebat in ſua poteſtate, Metropolim conſtituit.

Σοί με θρηϊκίης σκυληφόρε Θεσσαλονίκη,
Μήτηρ ἡ πάσης πέμψε Μακεδονίης

Id eſt, *tibi me Thraciæ ſpoliatrix Theſſalonice, mater omnis miſit Macedoniæ.* Item Ætius Epiſcopus in Concilio Sardicenſi, Canone decimo ſexto Græcæ editionis, & vigeſimo Latinæ; ibi enim famoſam fuiſſe Theſsalonicenſem ciuitatem, valdeque inſignem narrat; *non ignoratis*, inquit, *quanta, & qualis ſit Theſſalonicenſium ciuitas*; & propter hanc celebritatem ſubdit, *quia veniunt ad eam ſæpe ex aliis regionibus Presbyteri & Diaconi, & non ſunt contenti breui tempore morari: ſed aut reſident ibi; aut certè vix poſt longa ſpatia ad ſua redire coguntur.* Quid de iis decernendum ſit à Concilio petit?

Reſpondent Patres ſtandum eſſe Decretis prioribus, ſcilicet Canonibus decimo quarto, decimo quinto, decimo octauo, & decimo nono Latinæ editionis, quibus ab vna Eccleſia ad aliam Clericis migrare interdicitur, & Epiſcopis in aliena Diœceſi ac ciuitate niſi breui tempore morari non permittitur; quod enim de Epiſcopis ſtatuitur, hoc de Presbyteris & Diaconis ſimili ratione ſeruandum enuntiant.

Vnde patet Theſſalonicenſi Epiſcopo, qui nondum tunc temporis videtur fuiſſe primas, Preſbyteros & Diaconos alterius Parochiæ, quam ſuæ retinere non licuiſſe, quod obiter notamus. Ingentem autem & celebrem fuiſſe iam tum ſub Iulio Papa iſtam ciuitatem, quæ ex aliis regionibus Preſbyteros & Diaconos ad ſe euocaret.

Sed iis omnibus expreſſiùs Theodoretus, qui non ſolum omnis Macedoniæ, id eſt, omnium Prouinciarum Macedoniæ ſubiectarum, verumetiam Theſſaliæ, Achaiæ, & quamplurimis aliis populis quos moderatur Præfectus Prætorio Illyrici, præpoſitam ſcribit Theſſalonicam, lib. 5. hiſtoriæ cap. 17. iis verbis, Θεσσαλονίκη πόλις ἐστὶ μεγίστη καὶ πολυάνθρωπος, εἰς μὲν τὸ Μακεδόνων ἔθνος τελοῦσα, ἡγουμένη δὲ καὶ Θετταλίας, καὶ Ἀχαΐας, καὶ μέντοι καὶ ἄλλων παμπόλλων ἐθνῶν, ὅσα τῶν Ἰλλυριῶν τὸν ὕπαρχον ἡγούμενον ἔχει, *Theſſalonica vrbs eſt ampliſſima illa quidem, & multis hominibus frequentata, quæ tametſi Macedonum genti attributa ſit, præpoſita tamen eſt & Achaiæ, & Theſſaliæ, & aliorum plurimorum populorum ciuitatibus, quatenus habet apud ſe Præfectum Prætorio Illyrici illis dominantem.* Eæ autem Prouinciæ quæ Præfecto Prætorio Illyrici olim parebant, eædem ſunt, quæ à Nicolao primo Epiſcopo Theſſalonicenſi tanquam Vicario Sedis Apoſtolicæ paruiſſe dicuntur. Etenim ex diuiſione quidem Imperii facta ab Auguſto Cæſare, & renouata ab Hadriano Imperatore, Illyricum in ſeptemdecim Prouincias diuiſum eſt, teſte Sexto Ruffo, videlicet in duas Noricorum, duas Pannonicorum, Valeriam, Suauiam, Dalmatiam, Mæſiam, Dacias duas, & Macedoniam ſeptem continentem Prouincias, Macedoniam, Theſſaliam, Achaiã, Epyros duas, Præualitanam quæ Daciæ eſt attributa, & Cretam. Cùm autem Conſtantinus Imperator Præfectos Prætorio per totum Imperium conſtituere deliberaſſet, quatuor conſtituit, Præfectum Prætorio Italiæ, Præfectum Prætorio Galliarum, Pręfectum Prętorio Orientis, & Pręfectum Prætorio Illyrici, *huic Præfecto*, inquit Zozimus lib. 2. *Cõſtantinus Imperator Macedones attribuit, Theſſalos, Cretenſes, Græciam, & circumadiacentes inſulas, Epirum vtramque, Dacos, Triballos, & Pannonios, Valeriam vſque & Myſiam ſuperiorem. Itaque Illyrici factæ ſunt octodecim Prouinciæ*, ait Iornandes *de regnorum & temporum ſucceſſione. Noricæ duæ, Pannoniæ duæ, Valeriæ duæ, Sauia, Dalmatia, Mæſia ſuperior, Dardania, Daciæ duæ, Macedonia, Theſſalia, Achaia, Epirus, Præualis, Creta.*

Tunc temporis autem Præfecturæ Illyrici ſedes erat Sirmium Pannoniæ ciuitas, vt tradit Iuſtinianus Nouellâ 11. in eo tamẽ hallucinatus, quod vſque ad tẽpora Attilanæ irruptionis Præfecti Prætorio ſedem eam fuiſſe, & Eccleſiaſtica dignitate eam ciuitatem pręfulſiſſe referat.

Neque hæc per erectionem Theſſalonicenſis ſedis multum depreſſa eſt, ſed limites eius conſtricti, quæ enim totius Illyrici eas Prouincias continentis, quas enumerauimus Metropolis erat, ac dignitate præcipua, ciuitas eadem, poſt erectionem Theſſalonicę, inter eas ciuitates Illyrici quæ Imperio Occidentali reſiduæ fuerunt præcipua remanſit, ideoque etiam poſt diuiſionem Illyrici in Orientale & Occidentale, & attributa Eccleſiæ Theſſalonicenſi ſuprà Prouincias Illyrici Orientales, tam in ciuili quam in Eccleſiaſtica adminiſtratione præcipua dignitate, verũ eſt quod de Sirmienſi ciuitate ante iſtam diuiſionem ſcripſit Ammianus lib. 21. eam *vrbium matrem populoſam, & celebrem fuiſſe, cuius exemplum, vt ſidus ſalutare ſuſciperetur*; verum eſt, quod Herodianus lib. 7. in Maximino etiam ante iſtam diuiſionem ſubſcripſit illam fuiſſe *Maximam regionis*, puta Pannoniæ, verum etiam quod poſt illam, vt probabile eſt, factam diuiſionem, in Concilio Aquileienſi anno iuxta calculum Baronii trecenteſimo octuageſimo primo, dixit Auennius Sirmienſis, *Caput Illyrici* (Occidentalis ſcilicet) *nonniſi ciuitas Sirmienſis; ego igitur illius Epiſcopus ciuitatis ſum.*

Præfectura tamen Prætorio Illyrici Theſſalonicę non videtur affixa fuiſſe, antequam Illyricum in Orientale & Occidentale diuideretur, quod antea ſolidum vni Conſtanti, cum Italia, & Africa, & inſulis ceſſit, Conſtantio Imperio Orientali relicto, teſtibus Zozimo libro ſecundo, Pomponio Læto, & aliis: quod idem Solidum ceſſit Valentiniano, Occidentale Imperium ſibi retinenti, fratrique Valenti Orientale aſſignanti, teſtibus eodem Ammiano libro quarto, Theodoreto libro quarto, capite quarto, Sozomeno libro quarto, capite ſexto, & aliis. In diuiſione quoque Imperii Occidentalis inter Gratianum & Valentinianum, Illyricum integrum cum Italia & Africa Valentiniano 2. Gratiano Hiſpaniam, Galliã, & Britanniã obtigiſſe

teſtis eſt Zoſimus libro quarto. Diuiſio ergo Illyrici non præcedit adlectionem Theodoſij ad Imperium à Gratiano ſactam poſt Valentis mortem.

Theodoſium vero cum Imperio Orientali partem Illyrici regendam ſuſcepiſſe, & Theſſalonicam ſub ſua ditione habuiſſe cenſemus, primò quidem freti expreſſo teſtimonio Sozomeni libro ſeptimo, capite quarto, Gratianum ad paternam Imperij ſortem aduerſus Allemannos reuerſum ſcribētis, ἰλλυριοὺς καὶ τὰ πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα τῆς ἀρχῆς Θεοδοσίῳ ἐπιτρέψαντα, *cum prius Illyricos & Orientis Imperium Theodoſio commiſiſſet.* Quæ poſteriora verba partem ſaltem Illyrici, quæ in *Notitia Imperij Orientis* eidem adſcribitur, in ſortem Theodoſij ceſſiſſe, & Imperio Orientali tunc primum adnexam fuiſſe maniſeſtè demonſtrant: quod ipſum & ſequentia quæ ab eodem referuntur oſtendunt; nimirum & Barbaros Iſtrum incolentes, qui ſub Valente Illyricum adeò fœdè vaſtauerant, vt Ambroſius libro ſecundo *De Officijs*, capite decimo quinto, & Ammianus libro trigeſimo, *Illyrici vaſtitatem*, idemque Ammianus eodem libro, *Clades Illyrici ingemiſcendas* memorarint: Barbaros ſcilicet illos Gothos, Hunnos, & alios à Theodoſio deuictos fuiſſe: ipſumque Theodoſium firmatâ pace Theſſalonicam veniſſe refert, nimirum vt in partem ſuæ ditionis: freti item teſtimonio Theodoreti, tum libro quinto capite decimo quinto, quo loco vbi Valentinianum ſecundum à Maximo Imperatore pulſum in Illyricum profugiſſe retulit, mox narrat quomodo Theodoſius illum, καὶ τὸν μὲν οἰκείας καταλελοιπότα βασιλείας, ὡς δὲ τὴν αὐτοῦ προσγινόμενον, *Iam è proprio Imperio eiectum, & ad ſuam ditionem accedentem* conſpicatus, miſeratus fuerit, & ſalutaribus monitis ad paternam pietatem induxerit; quæ vtique aperte indicant Illyricum ad ditionem Theodoſii Imperatoris Orientis, non ad Valentiniani qui Occidenti Præfectus erat, ſpectaſſe: tum ex eiuſdem libri capite decimo ſeptimo, verbis ſuperius allatis, quæ Theſſalonicenſium ſtragi factæ iuſſu Theodoſii præmittuntur, ſatiſque innuunt iam tum populoſiſſimam vrbem Theſſalonicenſem fuiſſe, & Præfecti Prætorio Illyrici ſedem, cum ob lapidibus obrutos, & grauibus contumeliis vexatos in ſeditione populari magiſtratus, tot hominum millia cædi in ea iuſſa ſunt ab Imperatore bile accenſo: quæ rei geſtæ veritas cùm in dubium reuocari non poſſit, quam ſcilicet narrant Ambroſius epiſtolâ vigeſimâ octauâ veteris editionis, Paulinus in vita Ambroſii, Ruffinus libro ſecundo capite decimooctauo, & cæteri hiſtorici: noſtram quoque aſſertionem validè confirmat: Quo enim iure Theodoſius tantam cædem Theſſalonicenſium imperare potuiſſet, ſi Theſſalonica, non in ſua, ſed Valentiniani ſortitione fuiſſet? quodnam maius poteſtatis ſignum eſſe poteſt, quam tot millium hominum ad vnius nutum exterminatio? Eæque proinde auctoritates apud me maioris momenti ſunt, quam incertæ quædam coniecturæ ex incertis teſtimoniis petitæ, cuiuſmodi ſunt coniecturæ iſtæ. Prima, quòd ab ipſo Theodoreto libro quinto, capite decimo quinto, ſcribatur Theodoſio Gratianus eam Imperii partem conceſſiſſe, quam Valens rexerat, quod vtique verum fatemur, quia Imperium Orientale ei contraditum eſt. Sed non ſequitur illud ei ita traditum fuiſſe, vt nullatenus immutati eſſent illius fines: cùm conſtet parte Illyrici auctius fuiſſe Orientale Imperium, cum ipſi contraditum eſt.

Altera, quod Zoſimus libro quarto, Orientis & Thraciæ rebus Theodoſium Præfectum doceat: ſicut enim Zoſimus Thraciæ meminit, quæ Imperio Orientis haud dubiè adcenſebatur, in qua ſedes Imperii Orientis Conſtantinopolis, ita Illyricum Orientale ſub Orientis nomine comprehendere potuit: nihil enim aliud voluit, quàm Orientale Imperium ei traditum ſignificare, & Conſtantinopolim ad habitandum conceſſam: non autem ibi in limitibus Imperij Conſtantinopolitani definiendis laborauit.

Tertia, quod Probus Valentiniani ſecundi beneficio Præfecturâ Italiæ, & Africæ potiretur anno 383. vt colligitur ex lege 7. Codicis Theodoſiani, *Si per obreptionem reſcriptum fuerit impetratum*: ſed præterquam quod in legibus Imperatoriis innumera menda occurrunt, & ex illorum inſcriptionibus incerta argumenta ducantur: tum ſpeciatim Probum Præfectum Prætorio fuiſſe dicimus ſub Valente & Valentiniano fratribus ante Theodoſii creationem anno trecenteſimo ſexageſimo nono, vt ex Ammiano libro vigeſimo ſeptimo, & libro vigeſimo octano, & lege quinta Codicis Theodoſii, *de officiis rectorum Prouinciæ*, & lege quinta, *de metallis*, eodem, lege ſecunda, *de abolitionibus*, eodem, colligit Baronius ad annum ſupra citatum.

Ideoque parum nobis curæ eſt fuerintne tunc temporis eæ præfecturæ coniunctæ, vel diſiunctæ, quamuis diſiunctas crediderim ex inſtitutione Conſtanrini apud Zozimum libro ſecundo; quæ ratio mihi perſuadet Apodemium & Flauianum, quos & Illyrici & Italiæ Præfectos Prætorio ſub Imperio Theodoſii innnunt aliquæ leges, non duplicem præfecturam Prætorio geſſiſſe, ſed vnicam Italiæ, cuius ſedes erat vrbs Roma, cui Illyrici Occidentalis adminiſtratio coniuncta erat, vt notat doctiſſimus vir Pancirolus ſuis ad Notitiam Imperii notis.

Fixum ergo ratumque ſit, ſub initium Imperii Theodoſii Illyricum Orientale ab Occidentali diuiſum; eaſque Prouincias Orientali Imperio ſub adminiſtratione Præfecti Prætorio Illyrici, cuius ſedes erat Theſſalonica, ceſſiſſe, quas enumerat Notitia Imperii Occidentalis: eas verò Pręfecto Prætorio Italiæ attributas ſub adminiſtratione Vicarii Illyriæ, quas Notitia Imperii Occidentalis recenſet. Hæc autem in prædicta Notitia Prouinciarum vtriuſque Illyrici enumeratio eſt. Capite quidem vigeſimo tertio Imperii Orientalis, ſub Præfecto Prætorio Illyrici Diœceſes duæ ſtatuuntur, prima Macedonica ſex Prouincias comprehendens, Macedoniam, Cretam, Theſſaliam, Epirum veterem, Epirum nouam, cum parte Macedoniæ ſalutaris.

Altera, Dacica quinque Prouincias comprehendens, Daciam Mediterraneam, Daciam Ripenſem, Mœſiam primam, Dardaniam Præualitianam, & partem Macedoniæ ſalutaris, ita ſcilicet vt Proconſularis eſſet Achaia ſub ſuo Proconſule. Vicario autem Macedoniæ, Macedonia parua, & Creta Proconſulares, Theſſalia Epirus vetus, Epirus noua cum parte Macedoniæ ſalutaris, Præſidiales, parerent; à Vicario autem Daciæ regerentur, Dacia Mediterranea Conſularis, & Præſidiales reliquæ quatuor, Dacia Ripenſis, Mœſia prima Dardania Præualitiana, cum parte Macedoniæ ſalutaris.

Imperio vero Occidentali ſub poteſtate Præfecti Prætorio Italiæ in eadem Notitia Imperii Occidentalis capite quadrageſimo quinto attribuuntur ſub Vicario Illyrici Pannonia ſecunda, Sauia, Pannonia prima, Noricum Mediterraneum, Noricum Ripenſe, Dalmatia.

§. II.

Quando primum, & à quibus Pontificibus Theſſalonicenſis Primatus dignitas inſtituta ſit?

PОrro Theſſalonicenſi Antiſtiti ſacra ἐξαρχία à Nicolao primo attributa dicitur in eas duntaxat Prouincias Illyrici quæ ad Imperium Orientale ſpectabant, & Præfecto Illyrici parebant. Eæ verò Prouinciæ, quæ Imperio Occidentali adcenſebantur, & ſub Præfecti Prætorio Italiæ, ac Vicarii Illyrici adminiſtratione conſtitutæ fuerant, illæ nunquam Theſſalonicenſi Antiſtiti in ſacris paruiſſe leguntur.

Vnde non leuis coniectura ducitur, Primatus Theſſalonicenſis originem, qui eoſdem limites habet quos Præfectura Prætorio Illyriæ, poſt Imperii in Orientale & Occidentale ſimilemque Illyrici diuiſionem, non niſi factâ illâ diuiſione fuiſſe inſtitutum. Atque adeò potuiſſe inſtitui à Damaſo, qui ſedit poſt Theodoſii ſenioris adlectionem ad Imperium à Gratiano factam, & ipſius Gratiani mortem, ad quam vlciſcendam Theodoſius in Italiam proficiſcens Theſſalonicenſium cædem edidit, quo tempore Theſſalonica Illyrici Orientalis eſſe debuit.

Congruit teſtimonium Nicolai prædictâ epiſtolâ ad Michaelem Imperatorem, qui primum ex prædeceſſoribus ſuis cui Primatus iſtius inſtitutionem attribuit, Damaſum nominat: loquens enim Nicolaus de diſpoſitione iſtâ, iuxta quam in prædictis Prouinciis Sedis Apoſtolicæ vicem gerebat Theſſalonicenſis Epiſcopus, citatis ſuperius verbis iſta ſubiungit, *quæ anteceſſorum noſtrorum temporibus, ſcilicet Damaſi, Siricij, Innocentij, Bonifacij, Celeſtini, Sixti, Leonis, Hilarij, Simplicij, Felicis, atque Horſmiſdæ Sanctorum Pontificum, ſacris diſpoſitionibus augebatur, &c.*

Nec recentem hanc Vicariatus Apoſtolicæ Sedis inſtitutionem, ſed à ſuis prædeceſſoribus firmatam multò antè, indicat nobis S. Leo epiſtolâ 84. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem ſtatim initio, iis verbis. *Quanta fraternitati tuæ à beatiſſimi Apoſtoli auctoritate* [Sede] *ſint commiſſa, & qualia etiam noſtro tibi fauore ſint credita, ſi verâ ratione perſpiceres & iuſto examine ponderares, multum poſſemus de iniunctæ tibi ſollicitudinis deuotione gaudere. Quoniam ſicut prædeceſſores mei prædeceſſoribus tuis, ita ego etiam dilectionis priorum ſecutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui, vt curam quam vniuerſis Eccleſiis principaliter ex diuina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis effectus adiuuares; & longinquis ab Apoſtolica ſede Prouinciis præſentiam quodammodo noſtræ viſitationis impenderes: ſiquidem* [quia] *de continenti opportunoque proſpectu promptum tibi eſſet agnoſcere, quid in quibuſque rebus & tuo ſtudio componeres, vel noſtro iudicio reſeruares; nam cùm maiora negotia & difficiliores cauſarum exitus liberum tibi eſſet ſub noſtræ expectationis ſententia ſuſpendere: nec ratio tibi, nec neceſſitas fuit, in id quod menſuram tuam excederet, deuiandi, &c.*

Docent iſta non ſolum ante Leonem Primatum Theſſalonicenſem in Eccleſia agnitum fuiſſe, verùm etiam illum ab aliquo ex prædeceſſoribus Leonis inſtitutum, ab aliis ſicut & ab ipſo Leone fotum, ac continuatum fuiſſe: Illum vero Primatum, Vicariatum fuiſſe Sedis Apoſtolicæ, & delegationem qua Epiſcopi Theſſalonicenſes honorari conſueuerant: quòd confirmat ſanctus Leo cap. 2. his verbis. *Singularum Prouinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra fraternitatis tuæ cura prætenditur.*

§. III.

Leges generales Primati Theſſalonicenſi præfixæ.

INſuper verò regulæ ex iis deſumuntur ad quas officia, & munia eiuſdem Theſſalonicenſis Primatus intelligi poſſunt.

Prima ſiquidem regula ibi traditur, quod ſollicitudinis tantum pars quædam iſti Primati ab Apoſtolica ſede committeretur, non autem plenitudo poteſtatis: vnde diſcimus in Metropolitanos & Epiſcopos totius ſuæ Diœceſeos reſtrictam tantum illi, & limitatam poteſtatem conueniſſe, quantum ſcilicet Primatibus iura permittunt: quod eodem capite primo dictæ epiſtolæ luculentiùs & euidentiùs explicat ſanctus Leo, iis verbis: *Vices enim noſtras ita tuæ credimus charitati, vt in partem ſis vocatus ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* Vnde & paulò poſt ſubdit auferendam omnium ſcandalorum materiam, *præeminente quidem in illis Prouinciis Epiſcopatus Theſſalonicenſis faſtigio, ſed amputato totius vſurpationis exceſſu.*

Altera regula, neque ſummam ac ſupremam iſtius Primatis auctoritatem fuiſſe, neque ſolum per appellationem, quæ ab ipſo iudicata eſſent, permiſsâ à delegato ad delegantem appellatione, retractari potuiſſe, verumetiam maiores cauſas atque difficiliores Sedi Apoſtolicæ reſeruandas fuiſſe, vel non ſine eius conſcientia attingendas; quod in cauſa Attici Metropolitani Epiri veteris expreſsè affirmat Leo, cuius cauſam non ſolùm præcipitanter ab Anaſtaſio auditam reprehendit, verumetiam quod omnino ſine conſcientia Sedis Apoſtolicæ attigiſſet, vitio ducit; *Sed etiam*, inquit, *ſi quid graue intolerandumque geſſiſſet, noſtra erat expectanda cenſura, vt nihil prius ipſe decerneres, quam quid nobis placeret agnoſceres; vices enim noſtras ita tuæ credimus charitati, &c.* Atque in eo videtur Concilij Sardicenſis (quod in vrbe Sardicæ Thraciæ, in Illyrii, ac Myſiæ, ſeu Mœſiæ, confinio habitum eſt) ſententiam ſecutus ſanctus Leo. Etenim in Concilio Sardicenſi Canone quinto in Græca editione, ſeptimo in Latina, iunctis Canonibus tertio & quarto in vtraque editione, Romano Pontifici in retractandis Epiſcoporum cauſis, quid in vſu eſſet, vel iuris competeret declaratur: ſcilicet vt bis ad eum appellari poſſit, bis ipſe iudices dandi poteſtatem habeat, ſi ita viſum fuerit: denique peremptorium ſeu vltimum iudicium nemo præter ipſum ſummum Pontificem, vel Legatum quem à latere ſuo miſerit, ferre queat. Quâ ſanctione Legatus à latere ſummi Pontificis ideo eligitur, alius vero tanquam inſufficiens iudicatur, quia qui

à latere Papæ mittitur, voluntatem eius notam & perſpectam habere ſupponitur, è cuius latere mittitur cum indiculo, ſeu commonitorio ab ipſo ſummo Pontifice accepto, & plerâ ab ipſo habitâ inſtructione; hoc iure ſubnixus ſanctus Leo Epiſcopum Theſſalonicenſem vicarium ſuum conſtituens, qui Metropolitanos ipſos corrigere, & Epiſcoporum cauſas retractare poſſet, non tamen hac poteſtate vti paſſim voluit inconſultâ ipsâ Apoſtolicâ Sede: nec in iis procedendum cenſuit abſque ſpeciali reſcripto & commonitorio, cui ſcilicet generali ſæpius admonitione ſummam in iſtis rebus moderationem adhibendam ſanctus Leo præſcripſerat, vt ipſe dictâ epiſtolâ teſtatur, ſcribens, *Abundant enim apud te* [monimentorum] *monitorum ſcripta noſtrorum, quibus te de omnium actionum temperantiâ frequenter inſtruximus, vt commendatas tibi Chriſti Eccleſias, per exhortationem charitatis ad ſalubritatem obedientiæ prouocares.*

Atque hæc eſt tertia regula ad quam Primatis Theſſalonicenſis expendenda eſt poteſtas, vt manſuetâ potius adhortatione omnes ſibi commiſſos in officio contineret, quàm auſteritate & ſeueritate coercitionis præſertim erga Epiſcopos communiter vti deberet: mox ſiquidem allatis verbis hæc ſubiungit. *Quia etſi plerumque exiſtant inter negligentes, vel deſides fratres, quæ oporteat maiore* [auſteritate] *auctoritate curari, ſic tamen eſt adhibenda correctio, vt tamen ſemper ſit ſalua dilectio: & licet nonnunquam accidant, quæ in ſacerdotalibus ſint reprehendenda perſonis, plus tamen erga corrigenda agat beneuolentia, quàm ſeueritas, plus cohortatio quàm commotio, plus charitas quam poteſtas.*

Atque adeo Epiſcopi Theſſalonicenſis factum improbauit, qui vt Atticum veteris Epiri Metropolitanum ad ſe venire cogeret, adhibuerat *Illyrici præfecturam, & ſublimiſsimam inter mundanos apices poteſtatem in exhibitionem inſontis Antiſtitis* incitarat, vt miſsâ executione terribili, quæ omnia ſibi officia publica ad effectum præceptionis adiungeret, à ſacris Eccleſiæ adytis nullo vel falſo inſimulatus crimine extraheretur.

Haſque generaliter leges regulaſque præfixit ſanctus Leo, quibus poteſtatem Primatis Theſſalonicenſis moderaretur: quæ pariter nobis oſtendunt eandem poteſtatem minorem quam Cæſarienſis, vel Carthaginenſis Primatis fuiſse, vt ex illorum inter ſe collatione innoteſcere poterit. Aliqua vero ex citato capite primo prædictæ epiſtolæ iterum adiungere placet, quæ prædicta confirment, & Epiſcopi Theſſalonicenſis valde demiſſam Romano Pontifici ſubiectionem ad oculum demonſtrent.

Primum ſolebat Romanus Pontifex leges regulaſque adminiſtrationis ſuæ Theſſalonicenſi Primati tanquam Vicario ſuo præſcribere, *abundant enim apud te*, inquit Anaſtaſio, *monitorum ſcripta noſtrorum.* Item, *meipſum enim quodammodo in culpa ſentio, cum te à traditis tibi regulis immodicè deuiaſſe cognoſco: qui ſi tuæ exiſtimationis parum diligens eras, meæ ſaltem famæ parcere debueras, ne quæ tuo facta ſunt animo, noſtro viderentur geſta iudicio.* Ac ſubinde nullis interpoſitis. *Relegat fraternitas tua paginas tuas, omniaque ad tuos miſſa maiores Apoſtolicæ ſedis Præſulum ſcripta percurrat, & vel à me, vel à prædeceſſoribus noſtris, nihil inueniet ordinatum, quod à te cognoſcimus eſſe præſumptum.* Sanè verba iſta executorem potius Apoſtolicorum Decretorum, ſaltem in maioribus cauſis ac negotiis, demonſtrant fuiſse Theſsalonicenſem Apoſtolicæ ſedis Vicarium, quàm Primatem liberâ poteſtate præditum.

Alterum, licet Anaſtaſius tanquam alieni iuris inuaſor & temerarius præſumptor eadem, vt vidimus, epiſtolâ culpetur, non adeò tamen ſui oblitus muneris fuiſſe deprehenditur, quin ſuæ geſtionis illico per nuntios in eam rem allegatos rationem Romano Pontifici reddiderit; fit enim eodem capite mentio Diaconorum Theſſalonicenſis Epiſcopi, coram quibus adſtantibus Atticus conqueſtus eſt, vt querelis eius, ſi quid haberent quod opponerent, contra referre poſsent; fit mentio & litterarum eiuſdem Epiſcopi Theſsalonicenſis, *quas iidem Diaconi* detulerant, in quibus non ex toto rem, prout geſta fuerat, narratam reprehendit ſanctus Leo.

Tertium, refert idem ſummus Pontifex Atticum Theſsalonicam veniſse, conſenſumque ſuum ſcripturæ profeſſione etiam ſignaſse: laudat eius acceſſum Theſsalonicam vſque ad obedientiæ ſponſionem *: propriique arbitrii & ſpontaneæ deuotionis* fuiſse interpretatur, *quòd veniſſet*; quodque chartulam de obedientiæ ſponſione conſcripſiſſet: è contra vero in eiuſdem *chartulæ mentione ſignum proditum iniuriæ* affirmat. *Non enim* inquit, *neceſſarium fuerat, vt obligaretur ſcripto, qui obedientiam ſuam ipſe iam voluntarij*

aduentus probabat officio. Ex iis ergo diſcere poſsumus antiquum morem obedientiæ quam Metropolitano Primati Theſſalonicenſi Epiſcopi Diœceſeos adpromittere ſolebant, eiuſdemque ſponſionis veterem formam, quæ ab officii ſpontanea exhibitione, & honeſtatis lege non recederet: non inſtar ciuilis ſeu deſpoticæ obligationis aut ſolueretur, aut exigeretur.

§. III.

Leges ſpeciales Theſſalonicenſi Primati à Leone primo præſcriptæ.

HActenus generalia quædam capita ac principia, ex quibus Primatus Theſſalonicenſis, ſeu Vicariatus Sedis Apoſtolicæ Epiſcopo Theſſalonicenſi collatus illuſtrari poteſt, ex capite primo epiſtolæ magni Leonis ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem accepimus: iam ſpecialia eiuſdem Primatus officia, ac poteſtatis ei commiſſæ ſingularia capita ex ſequentibus ediſcimus. Confirmato ſiquidem capite ſecundo Metropolitanis ſingularum Prouinciarum Epiſcopis iure in ordinationibus, ſeu electionibus Epiſcoporum, *ſecundùm Sanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentiâ conſecratos*: Formâ etiam electionis & ordinationis Epiſcoporum præſcriptâ capitibus tertio, quarto, & quinto; hanc capite ſexto prærogatiuam Primatis Theſſalonicenſis refert, vt ante ordinationem de electione, & perſona Epiſcopi electi ad ipſum referretur à Metropolitano, quatenus electione ipſius confirmatâ ordinatio ritè celebraretur; verba ſiquidem Leonis hæc ſunt: *De perſona autem conſecrandi Epiſcopi, & de Cleri plebiſque conſenſu, Metropolitanus Epiſcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in Prouincia bene placuit, ſcire te faciat: vt ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet auctoritas. Quæ rectis diſpoſitionibus nihil moræ aut difficultatis debet adferre, ne gregibus Domini diu deſit cura paſtorum.* Idem iuris in electionibus Metropolitanorum habuiſſe ſubiungit, iis verbis. *Metropolitano verò defuncto, cùm in locum eius alius fuerit ſubrogandus, Prouinciales Epiſcopi ad ciuitatem Metropolitanam conuenire debebunt: vt omnium Clericorum atque omnium ciuium voluntate diſcuſſâ ex Presbyteris eiuſdem Eccleſiæ, vel Diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad notitiam tuam Prouinciales Epiſcopi referant, impleturi vota poſcentium, ſi quod ipſis placuit tibi quoque placuiſſe cognouerint: ſicut enim iuſtas electiones nullis dilationibus nolumus fatigari, ita nihil permittimus te ignorante permitti.* Quare electio tam Metropolitani quàm Epiſcoporum Prouinciæ à Clero & plebe ciuitatis fiebat. Metropolitanus electioni Epiſcopi præſidebat, Metropolitani electio & ordinatio ad Prouinciales Antiſtites: confirmatio ad Theſſalonicenſem Primatem ſpectabat: ordinatio Epiſcopi ad Metropolitanum, Metropolitani ad Epiſcopos Prouinciæ.

Alteram prærogatiuam Theſſalonicenſis Primatis, circa iudicia Eccleſiaſtica exponit capite ſeptimo, vt ſcilicet extraordinaria eius ſit cognitio maiorum tantum cauſarum, & maiorum vt plurimum perſonarum, id eſt, Epiſcoporum, quæ coram ipſo inſtrui iubentur, vt ſi ſopiri nequiuerint, ad ſummum Pontificem, vel ante ſententiæ lationem, vel ante executionem referantur: nam non ſatis patet, quodnam ex duobus iſtis membris ſtatuat, videturque tum huius capitis, tum capitis primi verbis ante allatis poſtremum magis congruere: iuri tamen communi antiquo primum magis conſentit. Tu verò, Lector, ex iis verbis Leonis iudicabis prout lubebit, melius fortaſſe iudicaturus, ſi poſteriores noſtras notas tuo iudicio non præuertas: verba Leonis hæc ſunt: *De Conciliis autem Epiſcopalibus non aliud indicimus, quam Sancti Patres ſalubriter ordinarunt: vt ſcilicet bini conuentus per annos ſingulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diuerſos Eccleſiæ Ordines naſci adſolent, iudicetur.* Quibus verbis adumbratam Conciliorum Prouincialium ſpeciem vides, quæ ſufficere cenſeretur ad diuerſorum Eccleſiæ Ordinum contentiones dirimendas, cùm è contra vix, niſi amicabili conſenſione, & communi omnium conſenſu accedente, Epiſcoporum cauſæ terminari poſſent: atque adeo ad Theſſalonicenſem Epiſcopum referrentur, qui ſi rem componere & ſopire nequiret, ad Sedem Apoſtolicam transferre debebat, vt ſequentia verba ſignificant. *At ſi forte inter ipſos qui præſunt, de maioribus (quod abſit) peccatis cauſa naſcatur, quæ Prouinciali*

Digitized by Google

nequeat examine definiri: fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit inſtruere, & , ſi coram poſitis partibus, nec tuo fuerit res ſopita iudicio, ad noſtram cognitionem quicquid illud eſt transferatur.

Capite octauo, tranſlationes Epiſcoporum à minori Eccleſia ad maiorem diſtrictè vetat Leo, & Theſſalonicenſi Epiſcopo, vt patet ex contextu, executionem legis à ſe latæ committit, vt *qui mediocritate ciuitatis ſuæ deſpectâ adminiſtrationem loci celebriorem ambierit, & ad maiorem ſe plebem quacumque occaſione tranſtulerit, non ſolum à cathedra quidem pellatur aliena, ſed & careat propriâ.*

Capite nono, poteſtatem Epiſcopi Theſſalonicenſis circa Clericum transfugam vigere voluit: itaut *transfugam Clericum ad ſuam Eccleſiam Metropolitanus redire compellat: ſi autem longius proceſſit, Epiſcopi Theſſalonicenſis præcepti auctoritate reuocetur.*

Capite decimo, quanta eius in euocandis ad Synodum Exarchicam Epiſcopis & poteſtas, & moderatio eſſe debeat, iis verbis conſtringit. *In euocandis ad te Epiſcopis moderatiſſimum te eſſe volumus, nè per maioris diligentiæ ſpeciem fraternis videaris gloriari iniuriis; vnde ſi cauſa aliqua maior extiterit, ob quam neceſſarium ſit fraternum aduocare conuentum, binos de ſingulis Prouinciis Epiſcopos, quos Metropolitani crediderint eſſe mittendos, ad fraternitatem tuam venire ſufficiat: itaut præſtituto tempore non vltrà quindecim dies qui conuenerint retardentur.*

Capite vltimo, videtur pronuntiandi ſententiam tantùm Primati Theſſalonicenſi permiſiſſe cùm Epiſcoporum concors eſſet ſententia; ſecus autem facultatem illam denegaſſe, & obligationem impoſuiſſe, cauſam ipſam copioſè & prudenter inſtructam ad ſummum Pontificem diiudicandam reiiciendi: quæ explicatio dubium capite 7. propoſitum reſoluit. Ita enim hoc poſtremo capite S. Leo. *Si autem in eo, quod cum fratribus tractandum definiendumque credideris, diuerſa eorum* (id eſt Epiſcoporum ex ſingulis Prouinciis euocatorum) *fuerit à tua voluntate ſententia: ad nos omnia ſub geſtorum teſtificatione referantur, vt remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat decernatur.*

§ IV.

Prærogatiua Theſſalonicenſis Præſulis in Conciliis generalibus.

POſterioribus temporibus quædam prædicti Primatus Theſſalonicenſis, ſeu Vicariatus Sedis Apoſtolicæ, veſtigia, eiuſdemque poteſtatis exempla illuſtria leguntur.

Et primo quidem loco obſeruandum eſt, Epiſcopo Theſſalonicenſi ob Vicariatum iſtum Sedis Apoſtolicæ, valde honorificum locum in Conciliis generalibus conceſſum fuiſſe, vt ſtatim poſt Patriarchas ſedere, ac ſubſcribere ſoleret ante Primates Orientis. In Concilio quidem Epheſino primo conſtat ſtatim initio actionis primæ, Flauianum Philippenſium Epiſcopum, Rufi Theſſalonicenſis Epiſcopi Legatum fuiſſe: atque adeò hic honor ei ibidem defertur, vt dum conſidentium Epiſcoporum nomina referuntur, poſt Cyrillum Alexandrinum, qui & Romani Epiſcopi locum obtinebat, ac Iuuenalem Hieroſolymorum, ac Memnonem Epheſiorum, nominetur iſte Flauianus, ſcilicet quòd Rufi Theſſalonicenſis eſſet Legatus: poſt eum verò Theodotus Ancyræ Galatiæ primæ Metropolitanus, ſubiectus proinde ſedi Cæſareæ Cappadociæ, nominatur; tum Firmus ipſe Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus. Sed nec iſte ordo per omnia ſeruatur eadem actione, vbi ſingulorum Epiſcoporum ſententiæ proferuntur, rogati à Cyrillo ſententiam hoc ordine loquuntur. Iuuenalis Hieroſolymorum, Firmus Cæſareæ Cappadociæ, Memnon Epheſinus, Theodotus Ancyræ, Flauianus Philippenſium Epiſcopus. Denique, & iterum ordo iſte inuertitur in fine actionis, vbi hoc ordine Neſtorij damnationi ſubſcribunt, Cyrillus Alexandriæ, Iuuenalis Hieroſolymorum, Flauianus Philippenſium, Firmus Cæſareæ Cappadociæ, Memnon Epheſiorum, Acacius Melitenæ, Theodotus Ancyræ, &c. Et hunc verum dignitatis inter Epiſcopos obſeruatæ ordinem eſſe facilè mihi perſuadeo: tum quòd in hac vltima Epiſcoporum recenſione nihil æquè reprehendendum ac in prima, in qua Theodotus Ancyranus Metropolitanus Galatiæ, quæ eſt Diœceſeos Ponticæ, præponitur Firmo Cæ-

Digitized by Google

ſareæ Cappadociæ Epiſcopo, qui Primas erat totius Ponticæ Diœceſeos, atque adeo & Galatiæ, ipſoque proinde Theodoto Ancyrano dignitate & auctoritate ſuperior. In ſecunda verò Firmus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, præfertur Memnoni Epheſino, qui & ipſe primas Aſiaticus dignitate Cæſarienſi non inferior, eo prior in Concilio nominandus quòd Epheſi Concilium haberetur, in qua ipſe ciuitatis Epiſcopi Metropolitani & Exarchi perſonam ſuſtinebat. Vnde actione ſecunda & ſequentibus tanquam Orthodoxorum Concilii Princeps cum Cyrillo vbique fere nominatur. Tum quòd potuit fieri, vt non accuratè acta Concilii in Epiſcopis nominandis ſeſſionis prærogatiuam obſeruarint, ſed ſedilium ritaur, verbi gratia, primus, & ſecundus, & tertius ſedentes in primo ſedili primi referantur, cùm tamen primus in ſecundo ſedens, potuerit eſſe dignior ſedente in primo ordine ſecundo; & ſic de cæteris ſeruatâ proportione: potuit etiam fieri, vt vnus alium propter ſedendi ordinem, aut aliam cauſam in loquendo præuerterit: quæ cauſæ in ſubſcriptionibus iſtis non occurrunt, vt propter dignitates interuerſus ordo dici potuerit: atque adeò ex ſubſcriptionibus dignitatis certius argumentum petatur. Tum quòd huic poſtremo ordini magis conſentiat ille, quem in ſubſcriptionibus actionis ſextæ videmus obſeruatum, & quidem non ſine honore Theſſalonicenſis Epiſcopi. Hoc ſiquidem ordine ſubſcribunt: Cyrillus Alexandrinus, Arcadius Epiſcopus & Legatus Sedis Apoſtolicæ, Iuuenalis Hieroſolymitanus, Proiectus Epiſcopus & Legatus Sedis Apoſtolicæ, Flauianus Epiſcopus Philippenſium, idem qui Rufi Theſſalonicenſis Legatus, Philippus preſbyter & Legatus Sedis Apoſtolicæ, Firmus Epiſcopus Cæſareæ, Memnon Epiſcopus Epheſi, Acacius Epiſcopus Melitinorum, & Theodotus Ancyræ, &c. Vbi vno dempto ſeruatur idem ordo qui actione prima: nam quòd qui Legati Sedis Apoſtolicæ actione ſecundâ aduenerant, maiorum Sedium Epiſcopis interſeruntur, illud ordinem actionis primæ non turbat: qui in eo tantum violatus videtur, quòd Firmus Cæſareæ Cappadociæ Memnoni Epheſino præmittatur: fortè quod Memnon in reorum numerum à Ioanne Antiocheno relatus eſſet, ſeu potius quòd ob dignitatem primatus in vtroque parem, ſeſe inuicem mutuo honore præuenirent, ac modò hic, modò ille prior ſubſcriberet. Sed Theſſalonicenſi Legato conſtans ante illos ſuus honor ſeruatur, eaque prærogatiua ipſi defertur, vt vni ex Legatis Sedis Apoſtolicæ, qui Preſbyteratus duntaxat dignitate præditus erat, præferretur: cuiuſmodi etiam honor ſedi Theſſalonicenſi delatus eſt in actis conciliabuli Orientalium, in quibus Epiſtola Imperatorum refertur ad Synodum miſſa cum inſcriptione, Celeſtino, & Rufo, atque aliis Epiſcopis poſt illos nominatis.

Sed illud ex eadem Epheſina Synodo dignitatis Theſſalonicenſis Epiſcopi, neutiquam prætermittendum, quòd citatâ actione primâ, vbi Flauianus Philippenſium Epiſcopus, epiſtolæ Celeſtini ſuo nomine ſe aſſentiri aſſeruit, hæc ſubdat. Συναινεῖν δὲ τούτοις διαβεβαιοῦμαι, καὶ τὸν ἁγιώτατον ἡμῶν πατέρα, Ῥοῦφον τῆς Θεσσαλονικέων μητροπόλεως. *His quoque Sanctiſſimum Patrem noſtrum Rufum, Theſſalonicenſem Metropolitanum ſubſcribere affirmo.*

Vbi notandum, Patrem ab Epiſcopo ciuitatis Philippenſis in Macedonia ſitæ ex capite decimo ſexto Actorum, vocari Rufum Theſſalonicenſem, eundemque Metropolitanum. Vnde conſtat Theſſalonicenſem Epiſcopum, tunc temporis Macedoniæ Metropolitanum fuiſſe. Verùm cùm mox ſubiungat, *Omnes quoque Illyrici Epiſcopos in ſuam ſententiam concedere*: apparet & Illyrici Primatem Theſſalonicenſem Epiſcopum fuiſſe: nam hæc cauſa ſola eſſe potuit, ob quam & ſuo nomine, & Epiſcoporum omnium Illyricæ Præfecturæ Theſſalonicenſi Epiſcopo ſubditorum aſſenſum præbere poſſet, quòd nempe Theſſalonicenſis vices gereret.

In Concilio Chalcedonenſi actione tertiâ, vbi ſubſcribitur damnationi Dioſcori, quæ vna res eſt, ob quam maxime Concilium habitum fuerat, poſt Romanæ Sedis Legatos, Anatolium Conſtantinopolitanum, & Maximum Antiochenum, *Quintillus Epiſcopus Heracleæ Macedoniæ gerens vicem Anaſtaſii Archiepiſcop: Theſſalonicenſis*, ſubſcribit. Idem ordo ſeruatus actionis ſextæ initio, & medio, & actionis ſeptimæ initio: item octauâ, & decimâ ſeptimâ ſeſſione, quamuis alibi in ſeſſionibus, & ſubſcriptionibus nominatus reperiatur poſt multos nulla maiori dignitate ornatos quàm Metropolitanorum, vt in iis ſubſcriptionibus multa turbata fuiſſe fateri neceſſum ſit. Sed conſtantiorem in iis

ordinem Theſſalonicenſis ſedis prærogatiuæ fuiſſe.

Eundem ordinem conſtantiſſimum obſeruare poteris initio collationum omnium ſeptem quintæ Synodi generalis Conſtantinopoli habitæ, quibus dum ordo Epiſcoporum in Concilio ſedentium refertur poſt Eutychium Conſtantinopolitanum Patriarcham, Apollinarium Alexandrinum Epiſcopos, locum tenentes tum Antiocheni, tum Hieroſolymitani Patriarcharum, Benignus quidam ſemper refertur Epiſcopus *Heracleæ* vicem gerens Theſſalonicenſis Epiſcopi. Sed dubium duntaxat circa illam ſubſcriptionem occurrit, quòd Quintillus iſte *Heracleæ Pelagoniæ* Epiſcopus dicatur: in quo mendum ineſſe oportet: neceſſum enim eſt eum Heracleę Macedoniæ Epiſcopum fuiſſe, cuius ſimiliter Epiſcopus erat Quintillus, qui in Epheſino primo vices gerebat Theſſalonicenſis: corruptè itaque Pelagoniæ Epiſcopus dicitur; niſi à Pella ciuitate Pelagoniam dictam Macedoniam velis, ſicut Alexandrum Macedonem apud Poetam *Pellæum iuuenem* dictum legimus. Sed hæc diuinatio eſt. Rectius ergo vetus verſio Latina Conciliorum *Pelagoniam* pro *Macedonia* interpretatur: eaque lectio videtur ſincerior, quàm alia quæ Paphlagoniam continet, vbi enim Paphlagonia Heracleæ? & quę neceſſitudo Epiſcopi Paphlagonis cum Theſſalonicenſi, vt huius vices ille gereret?

In ſexta Synodo quamuis ordo prę dictus non vbique deſcriptus legatur, tamen probabile eſt prętogatiuam Theſſalonicenſis Epiſcopi numquam interruptam fuiſſe. Prioribus ſeſſionibus eius mentio nulla, à quibus illum abſentem fuiſſe probabile eſt: initio vero actionum decimę, vndecimę, duodecimę, decimę tertię, decimę quartę, decimę quintę, decimę ſeptimæ, vbi deſcribitur ordo ſeſſionis Epiſcoporum, poſt patriarchas omnes, vel eorum locum tenentes: itemque poſt Epiſcopos locum tenentes Epiſcoporum qui interfuerant Concilio Romano, poſt procuratorem Archiepiſcopi Rauennatis, ante primates omnes Orientis Ioannes Theſſalonicenſis Epiſcopus recenſetur. Initio vero actionis decimę ſextę, & decimę octauę, ſtatim poſt patriarchas, & eorum locum tenentes, idem Theſſalonicenſis Epiſcopus nominatur, prior ante illos qui prius ipſo aliis actionibus fuerant nominati.

Quin etiam, quod maximè attendendum ſuperiùs docuimus, in ſubſcriptionibus Synodi ſtatim poſt quinque patriarchas, vel eorum Legatos, *Ioannes miſericordia Dei Theſſalonicenſis Epiſcopus*, addito inſuper hoc propter dignitatem Vicariatus Apoſtolicæ Sedis ei conceſſam elogio, *βικάριος τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου Ῥώμης, καὶ ληγάτος. Vicarius Apoſtolicæ Sedis & Legatus*, legitur ſubſcripſiſſe; quo etiam ordine epiſtolæ Synodali miſſæ ad Agathonem Papam ſubſcribit iis verbis: *Ἰωάννης ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος Θεσσαλονικέων πόλεως, ὑπὲρ ἐμαυτοῦ, καὶ τῆς ὑπ' ἐμὲ συνόδου ὑπεσημηνάμην, Ioannes miſericordia Dei Theſſalonicenſium ciuitatis Epiſcopus, pro me, & Synodo quæ ſub me eſt.*

Quod luculentum primatis argumentum, cui ſcilicet Synodus non vnius prouinciæ, ſed plurium ſubeſſet, cuius nomine in Concilio generali ſubſcriberet quaſi caput pro membris.

Quin etiam ad prærogatiuam Epiſcopi Theſſalonicenſis, hoc dignum obſeruatu, quòd in ſubſcriptionibus poſt Canones quiniſextæ Synodi, quemadmodum locus Sanctiſſimi papæ Romani in capite adnotatur, ita poſt ſubſcriptiones patriarcharum Conſtantinopoleos, Alexandriæ, Hieroſolymorum, Antiochiæ, quibus additur ſubſcriptio Ioannis Epiſcopi nouæ Iuſtinianopoleos (quam ciuitatem ex Theſſalonicenſis Diœceſis mutilatione accreuiſſe mox docebimus, paribus cum ea priuilegiis ornatam) locus Theſſalonicenſis Epiſcopi deſcribatur; tùm aliorum ſubſcriptiones, vel celebriorum Eccleſiarum præſulum loca adnotentur

Videtur itaque duraſse Vicariatus iſte ſedis Theſsalonicenſis, quandiu prouinciæ ad quas ipſius poteſtas extendebatur in patriarchica Romani pontificis poteſtate fuerunt: ſed iiſdem factione Imperatorum Iconomachorum à Romano patriarchatu cum pluribus aliis exceptis, & Conſtantinopolitano attributis, Vicariatus etiam iſte Romani pontificis ſedi Theſsalonicenſi olim conceſſus penitus abolitus eſt: ideoque in ſeptimæ Synodi actione 4. nonniſi poſt Cæſareæ Cappadociæ, Epheſi, & Conſtantiæ in Cypro Epiſcopos Theophilus Theſſalonicenſis ſubſcribit: initio quoque actionis ſeptimæ eiuſdem poſt plurimos alios ſeſſionis ordo refertur. Leo Sapiens in Notitia Epiſcopatuum throno Conſtãtinopolitano ſubiectorum, ſexdecim Metropolitas ante Theſsallonicenſem numerat. Andronicus ſenior 11. locũ illi tribuit, quē in Synodo 8. videtur tenuiſse.

In Conciliis ante Epheſinum generale nullus extraordinarius Theſſalonicenſi Metropolitano legitur locus attributus. In Concilio Niceno Epiſcoporum ratione Prouinciarum quarum erant Catalogus texitur, nec eorum proinde dignitas ex ſubſcriptionibus dignoſcitur: huic ſubſcripſit Alexander Theſſalonicenſis, cui adiunctus vnicus ex Prouincia Macedoniæ Budion Epiſcopus Thebanus: inter plurimos qui Sardicenſi ſub Iulio ſubſcripſerunt, poſt plures Metropolitanos, *Ætius a Macedonia, de Theſſalonica* reperitur ſubſcriptus: Conſtantinopolitano ſubſcripſerunt ſolum Imperii Orientalis Epiſcopi, nec ipſe Theſſalonicenſis Epiſcopus, nec ex tota Diœceſi ei attributa legitur vllus Epiſcoporum ſubſcripſiſſe: ſed eodem tempore quo illud habitum eſt, Romæ ſub Damaſo aliud Concilium habebatur, cui intererat Acholius Theſſalonicenſis, quem inter alios ſalutant Conſtantinopolitani Patres epiſtolâ Synodicâ apud Theodoretum lib, 5. cap. 9.

§. V.

Primatum Theſſalonicenſem nondum fuiſſe tempore Concilij Nicæni.

NEque vero Vicariatui iſti à temporibus Cõcilii Niceni ſtabiliendo per ſe ſolum ſufficit Gelaſii Cyziceni teſtimonium, Actorum Concilii Niceni parte 2. cap. 27. n. 208. *in Catalogo Sanctorum Epiſcoporum, per quos ſancta, magna, & vniuerſa Synodus Niceæ coacta miſit omnibus in toto orbe terrarum Eccleſiis Dei, quæ ab ipſis per Spiritum ſanctum in eo conſtituta ſunt.* In hoc, inquam, Catalogo reperitur, *Alexander Theſſalonicæ, per eos qui ſub ipſo cenſentur, Eccleſiis in Macedonia prima, & ſecunda, cum ijs quæ in Græcia, & Europa tota, in vtraque Scythia, & omnibus denique in Illyrico, Theſſalia, & Achaia.*

Quamuis enim prima fronte ex iis verbis inferri poſſe videatur Theſſalonicenſem Epiſcopum iam tùm tempore Concilii Nicæni, tanquam Vicarium ſedis Apoſtolicæ Prouincias iſtas rexiſſe, nimirum, Macedoniam primam, & ſecundam, Græciam, Europam totam Imperio Orientali ſubditam (quam aliqui Thraciam interpretantur) vtrãque Scythiã, & omnes denique in Illyrico, & Theſſalia, & Achaia Eccleſias. Attamẽ hic ſenſus & falſus eſt, &, ſi verus eſſet Vicariatui prædicto Sedis Apoſtolicæ Theſſalonicenſi Epiſcopo poſtea cõceſſo nõ omnino quadraret. Falſus, inquam, eſt hic ſenſus: neque enim vnquam Eccleſiis per totam Europam, aut Thraciam, aut Scythiam vniuerſam Theſſalonicenſis Epiſcopus legitur præfuiſſe, multominùs vero tam amplam poteſtatem ipſum habuiſſe credibile eſt: deinde quamuis ſenſus iſte verus ſupponeretur, non tamen prædicti Vicariatus aſſignatis à nobis limitibus congrueret. Etenim in Europam ſeu Thraciam Theſſalonicæ nullum vnquam ius fuit, ſed Heracleæ olim tribuebatur, teſte Procopio libro quarto de ædificiis Iuſtiniani, Ἡράκλεια δὲ ἡ πόλις, ἡ δὲ ἡ Πέρινθος, ᾗ πάλαι μὲν πρεσβεῖα τῆς Εὐρώπης ἐδίδοσαν, *Heraclea vrbs & Perinthus, cui olim primas Europæ partes attribuerunt.* Quæ verba explicant, quid Europæ nomine intelligatur, eã ſcilicet regionem, in qua ſita Conſtantinopolis, & cui Heraclea olim imperabat, in Notitia Imperii Orientalis capitibus centeſimo trigeſimo tertio, & centeſimo trigeſimo quarto, ſub Vicario Diœceſis Thracicarum prima, cum Thracia ſtrictè ſumpta, Hæmi monte, Rhodopa, Mæſia ſecunda, & Scythia: quare ſi Prouinciæ iſtæ Europæ, & Scythiæ, quæ Thracicæ Diœceſis erant, & Heracleenſi Metropolitæ ante Conſtantinopolitanæ ciuitatis ſublimationem ſubdebantur, in Concilio Niceno tanquam ſubditæ Theſſalonicenſi Epiſcopo referrentur, non tamen Vicariatus ſedis Apoſtolicæ Theſſalonicenſis, quem ad iſtas Prouincias minimè extenſum fuiſſe docuimus, inſtitutus ante tempora Concilii, ex eo eiuſdem teſtimonio concludi poſſet.

Secundò, eodem loco apud Gelaſium Protogeni Epiſcopo Sardicenſi qui ὁ θαυμάσιος *admirabilis* dicitur, Eccleſiis in Dacia, Calabria, Dardania, & Prouinciis finitimis Decreta Concilii Niceni mittendi onus imponitur, ac proinde pars aliqua Prouinciarum quæ Theſſalonicenſi Epiſcopo tanquam Vicario Sedis Apoſtolicæ obnoxiæ erant, Protogeni conceduntur, puta Dacia vtraque, & Dardania, aliæq; finitimæ Prouincæ, Mœſia, ni fallor, prima, Prçualitana, & pars Macedoniç ſalutaris, quç ſub Vicario Daciç olim cõſtituta erant: ac proinde, nec ſi in prædictas Prouincias, quibus Concilii Niceni Decreta mittẽdi Theſſal. Præſuli curã impoſitã narrat Gelaſ. ius auctoritatẽq; ordinariã ei

Digitized by Google

fuiſſe fateremur, tamen limites poteſtatis in Concilio Niceno Theſſalonicenſi Epiſcopo aſſignati, congruerent limitibus Vicariatus Sedis Apoſtolicæ, qui poſtea eidem conceſſus legitur: vnde neciam tum Vicariatus iſte agnitus exinde dici deberet.

Si ergo quæras quomodo prædictus Gelaſii locus intelligendus ſit.

Reſpondeo, quamuis iſtius auctoris, niſi vbi aliis conſentit, non magna ſoleat eſſe apud graues rerum æſtimatores fides, tamen citatum ipſius teſtimonium, vel ex ipſo titulo explicari poſſe, de auctoritate quadam extraordinaria celeberrimis Epiſcopis qui huic Concilio interfuerant, Decreta Nicena omnibus Eccleſiis mittendi, eaque nota faciendi: eodem modo quo in Conſtantinopolitano, apud Sozomenum libro ſeptimo, capite nono, delecti aliqui Epiſcopi, de quibus integra conſtabat fama, quòd Eccleſiis ſuis religioſè præeſſent, quibus qui communicarent ab omnibus Catholici haberentur.

Theſſalonicenſi igitur Epiſcopo ea cura demandata, vt tum per ſe, tum etiam διὰ τῶν ὑπ' αὐτὸν τελουμένων, *per eos qui ſub ipſo cenſentur*, non quidem per Europæ, Scythiæ, Theſſaliæ, Achaiæ Epiſcopos, ſed per Macedonas ſibi tanquam Metropolitano ſubditos Niceni Concilij Decretorum exemplaria Eccleſiis Europæ, Scythiæ, Theſſaliæ, Achaiæ tranſmitti curaret: quæ cura, quod extraordinarium officium à Vicariatu Sedis Apoſtolicæ, quo poſtea Theſſalonicenſis Eccleſia honorata eſt, diuerſa omnino eſse videntur.

§ VI.

A quibus ſummis Pontificibus primùm conſtituti fuerint Primates Theſſalonicenſes, quo conſilio, & cui vtilitati.

SI vera eſset inſcriptio Damaſi ad Paulinum Theſsalonicenſem, apud Theodoretum libro quinto capite vndecimo, ὁμολογία τῆς καθολικῆς πίστεως ἣν ὁ πάπας Δάμασος ἀπέστειλεν πρὸς ἐπίσκοπον Παυλῖνον ἐν τῇ Μακεδονίᾳ, ὃς ἐγένετο ἐν Θεσσαλονίκῃ. *Confeſſio fidei Catholicæ quam Damaſus Papa miſit ad Paulinum Epiſcopum Theſſalonicæ vrbis Macedoniæ*; Cùm hæc epiſtola circa illa tempora reperiatur ſcripta, quibus Theſsalonicenſis Vicariatus initium conſignauimus, probabiliter diceremus confeſſionem iſtam fidei aduerſus omnes hæreſes tunc temporis graſsantes Damaſum ad Epiſcopum Theſsalonicæ congruè ſcripſiſse, cùm eum ſuæ Sedis Vicarium creaturus eſset; cùm in Eccleſia ſolemnis iſte ritus fuerit, vt qui nouâ dignitate augerentur, fidei profeſſionem emitterent, ac libello fidei à Sede Apoſtolica miſso ſubſcriberent: & Vicarium Sedis Apoſtolicæ in Prouinciis tam amplis conſtitutum decuerit per litteras Apoſtolicæ Sedis inſtrui, de erroribus cauendis qui tunc temporis vigerent; & ſollicitudini Damaſi conuenientiſſimum viſum fuerit, vt cum ex partibus magis Occidentalibus connocaſset Concilium, in eoque errores Arrianorum adhuc vigentes, & Apollinaris, ac Timothei ipſius Diſcipuli de nouo pullulantes damnaſset, Orientalibuſque Epiſcopis damnationem iſtam ſignificaſset, iis literis quæ legi poſsunt apud Theodoretum libro quinto capite decimo; ſcriberet quoque ad eos, qui ſedi Theſsalonicenſi ſuberant, mediaſque inter Occidentales & Orientales ſedes tenerent.

Verùm rectè Baronius ad annum trecenteſimum nonageſimum quartum, hanc inſcriptionem, ac coniecturas refellit, tum quòd Latina omnia exemplaria epiſtolæ Damaſi ad Paulinum, Antiochenum hunc, non Theſsalonicenſem referant, quibus æqua ſaltem fides habenda videtur, vbi de epiſtola Latinè ſcripta agitur, quam cuiquam auctori Græco: tum quod Paulinus Teſsalonicenſis nullus hocce tempore: quinimmo inter Epiſcopos qui Romano Concilio tertio ſub Damaſo interfuerunt, in quo hæreſis Apollinariſtarum damnata eſt, ad quos ſcripſerunt Synodicam Concilii Conſtantinopolitani Patres, eodem tempore Acholius nominatur à Theodoreto lib. 5. c. 9. quem Acholium Theſsalonicenſi Eccleſiæ diu præfuiſse, eique Anyſium ſucceſsiſse diſces ex epiſtolis Ambroſii vigeſima ſecunda libro tertio, *Sacerdotibus & Clero Eccleſiæ Theſſalonicenſis*, poſt obitum Acholii, & vigeſima tertia *Anyſio* ipſius ſucceſsori.

Vnde

Vnde etiam diſces non fuiſſe opus, vt Damaſus confeſſionem fidei, Theſſalonicenſi Epiſcopo, & Epiſcopis qui ſub illius præfectura eſſent, mitterent; quandoquidem ex iſtis partibus ad Concilium Romanum Epiſcopi conuenienti numero conueniſſent, qui acta Concilij retulerant, & fidei definitiones in eo facto docere cæteros poterant. Orientalibus verò debuerant hæc decreta ſignificari, nec omitti Paulinus Antiochenus, cui Romanus Pontifex in Oriente communicabat, teſtibus Hieronymo *de Scriptoribus, in Paulino*: & Ruffino lib. 2. c. 21. Quamuis Orientales etiam Catholici ac boni, eo quòd plurimùm tum Meletio tum Flauiano fauerent, ei minùs æqui viderentur, vt ex literis Baſilij pluribus videre eſt 272. *Epiphanio*, & 349. *Terentio*, & aliis.

Itaque alia ratio occurrit temporis coniiciendi, quo vicariatus Sedis Apoſtolicæ Theſſalonicenſi Eccleſiæ attributus eſt: putà inſtitutum illum fuiſſe, nonniſi poſt præfecturam Illyrici Orientalis Theſſalonicæ affixam, cum Barbaris in eas partes Orientales irruentibus viſum eſt neceſſarium, non Sirmij ampliùs, ſed Theſſalonicæ præfectum Illyrici agere; quod initio Imperij Theodoſij factum ſuperiùs oſtendimus: atque adeò imperante Theodoſio Magno, à Damaſo hunc vicariatum inſtitutum fuiſſe dicendum eſt; & quidem adnitente & fauente, vt probabile eſt, Theodoſio, tum in gratiam ciuitatis Theſſalonicenſis, quam totius Illyrici Orientalis Metropolim conſtituerat; tum in gratiam ſancti Acholij Epiſcopi Theſſalonicenſis, à quo Theſſalonicæ ſalutaris Baptiſmi gratiam accepit, vt teſtantur Socrates libri ſeptimi capite quarto, & Sozomenus libri quinti cap. 6. circa quem locum Socratis eum aliqui tanquam lapſum emendare volunt; quòd in Illyrico Theſſalonicam conſtituere videatur, quæ ſit pars Macedoniæ: quæ correptio videtur eſſe inutilis, quandoquidem licèt in Macedonia ſita ſit, tamen quia pręfecturæ prætorio Illyrici Orientalis ſedes erat, rectè quoque in Illyrico ſita cenſeretur in lata & ampliſſima ſignificatione accepto.

Ac ne Damaſus perperàm egiſſe aut ambitioſè videatur, dum in Illyrico Orientali præfectum prætorio conſtituit: moueri certè ad ipſum inſtituendum potuit, tam exemplo Concilij Conſtantinopolitani (quod Canone ſecundo antiquas Diœceſes Aſianam, Ponticam, Thracicam confirmauit) vt nouam Illyrici Orientalis exigeret: quòd epiſtolâ ſuâ Synodali, cuius mentio apud Theodoretum, vt ſuperiùs notauimus, varias per prouincias Epiſcopos conſtituit, quos Catholici tanquam anteſignanos ſequerentur; quo facto viſus eſt, vt ait Nazianzenus carmine *de vita ſua*, nouos Patriarchas creare: tum ambitione Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quæ in Concilio Conſtantinopolitano primo emicuit, cuius Can. 3. ſibi maximum poſt Romanum Pontificem Conſtantinopolitanus Patriarcha honorem vendicauit; cuius vſurpationi reſiſtere volens Damaſus, vt propinquas Conſtantinopoli regiones Romano Patriarchatui iam à Conſtantinopolitano delibatas aſſereret, Vicarium Illyrici conſtituendum cenſuit; ac proinde facere ſibi viſus eſt Damaſus, ſi præſertim in tanta hęreſeωn, quæ Eccleſiam Dei tunc temporis infeſtabant, multitudine, de aliquo capite ſeu Primate prouideret, qui totius Illyricæ Diœceſis curam gereret: in iiſque Sedis Apoſtolicæ Vicarium conſtitueret, qui vſurpationibus Conſtantinopolitani Antiſtitis diligentiùs obſiſteret.

§. VII.

Quinam primi Theſſalonicenſes Primates, quid potuerint, quid egerint.

ET quidem Acholius hic primus fuiſſe videtur, qui nondum Vicarius Sedis Apoſtolicæ fuiſſe conſtitutus credi poteſt, cùm Synodicam ad Epiſcopos Occidentales cum Damaſo collectos, Orientales ſcriberent è Concilio Conſtantinopolitano; in ea ſiquidem Ambroſio Mediolanenſi, Brittoni, cuius Sedes mihi ignota, & Valeriano Aquileienſi Acholius poſtponitur.

Poſſet autem vicariatus iſtius dignitate ornatus probari hic ſanctus Acholius, ex geſtis ab eo Eccleſiaſticis negotiis, quibus impenſam operam adhibuiſſe ſignificant, quæ de eo S. Ambroſius eius ſucceſſori *Anyſio* ſcripſit lib. 3. epiſt. 23, *Vnde*

Bbb

fuiſſe fateremur, tamen limites poteſtatis in Concilio Niceno Theſſalonicenſi Epiſcopo aſſignati, congruerent limitibus Vicariatus Sedis Apoſtolicæ, qui poſtea eidem conceſſus legitur: vnde nec iam tum Vicariatus iſte agnitus exinde dici deberet.

Si ergo quæras quomodo prædictus Gelaſii locus intelligendus ſit.

Reſpondeo, quamuis iſtius auctoris, niſi vbi aliis conſentit, non magna ſoleat eſſe apud graues rerum æſtimatores fides, tamen citatum ipſius teſtimonium, vel ex ipſo titulo explicari poſſe, de auctoritate quadam extraordinaria celeberrimis Epiſcopis qui huic Concilio interfuerant, Decreta Nicena omnibus Eccleſiis mittendi, eaque nota faciendi: eodem modo quo in Conſtantinopolitano, apud Sozomenum libro ſeptimo, capite nono, delecti aliqui Epiſcopi, de quibus integra conſtabat fama, quod Eccleſiis ſuis religioſè præeſſent, quibus qui communicarent ab omnibus Catholici haberentur.

Theſſalonicenſi igitur Epiſcopo ea cura demandata, vt tum per ſe, tum etiam διὰ τῶν ὑπ' αὐτὸν τελούντων, *per eos qui ſub ipſo cenſentur*, non quidem per Europæ, Scythiæ, Theſſaliæ, Achaiæ Epiſcopos, ſed per Macedonas ſibi tanquam Metropolitano ſubditos Niceni Concilij Decretorum exemplaria Eccleſiis Europæ, Scythiæ, Theſſaliæ, Achaiæ tranſmitti curaret: quæ cura, quod extraordinarium officium à Vicariatu Sedis Apoſtolicæ, quo poſtea Theſſalonicenſis Eccleſia honorata eſt, diuerſa omnino eſse videntur.

§ VI.

A quibus ſummis Pontificibus primùm conſtituti fuerint Primates Theſſalonicenſes, quo conſilio, & cui vtilitati.

SI vera eſset inſcriptio Damaſi ad Paulinum Theſsalonicenſem, apud Theodoretum libro quinto capite vndecimo, ὁμολογία τῆς καθολικῆς πίστεως ἣν ὁ πάπας Δάμασος ἀπέστειλε πρὸς ἐπίσκοπον Παυλῖνον ἐν τῇ Μακεδονίᾳ, ὃς ἐγένετο ἐν Θεσσαλονίκῃ. *Confeſſio fidei Catholicæ quam Damaſus Papa miſit ad Paulinum Epiſcopum Theſſalonicæ vrbis Macedoniæ;* Cùm hæc epiſtola circa illa tempora reperiatur ſcripta, quibus Theſsalonicenſis Vicariatus initium conſignauimus, probabiliter diceremus confeſſionem iſtam fidei aduerſus omnes hæreſes tunc temporis graſsantes Damaſum ad Epiſcopum Theſsalonicæ congruè ſcripſiſse, cùm eum ſuæ Sedis Vicarium creaturus eſset; cùm in Eccleſia ſolemnis iſte ritus fuerit, vt qui nouâ dignitate augerentur, fidei profeſſionem emitterent, ac libello fidei à Sede Apoſtolica miſso ſubſcriberent: & Vicarium Sedis Apoſtolicæ in Prouinciis tam amplis conſtitutum decuerit per litteras Apoſtolicæ Sedis inſtrui, de erroribus cauendis qui tunc temporis vigerent; & ſollicitudini Damaſi conuenientiſſimum viſum fuerit, vt cum ex partibus magis Occidentalibus conuocaſset Concilium, in eoque errores Arrianorum adhuc vigentes, & Apollinaris, ac Timothei ipſius Diſcipuli de nouo pullulantes damnaſset, Orientalibuſque Epiſcopis damnationem iſtam ſignificaſset, iis literis quæ legi poſsunt apud Theodoretum libro quinto capite decimo; ſcriberet quoque ad eos, qui ſedi Theſsalonicenſi ſuberant, mediaſque inter Occidentales & Orientales ſedes tenerent.

Verùm rectè Baronius ad annum trecenteſimum nonageſimum quartum, hanc inſcriptionem, ac coniecturas refellit, tum quòd Latina omnia exemplaria epiſtolæ Damaſi ad Paulinum, Antiochenum hunc, non Theſsalonicenſem referant, quibus æqua ſaltem fides habenda videtur, vbi de epiſtola Latinè ſcripta agitur, quam cuiquam auctori Græco: tum quod Paulinus Teſsalonicenſis nullus hocce tempore: quinimmo inter Epiſcopos qui Romano Concilio tertio ſub Damaſo interfuerunt, in quo hæreſis Apollinariſtarum damnata eſt, ad quos ſcripſerunt Synodicam Concilii Conſtantinopolitani Patres, eodem tempore Acholius nominatur à Theodoreto lib. 5. c. 9. quem Acholium Theſsalonicenſi Eccleſiæ diu præfuiſse, eique Anyſium ſucceſſiſse diſces ex epiſtolis Ambroſii vigeſima ſecunda libro tertio, *Sacerdotibus & Clero Eccleſiæ Theſſalonicenſis*, poſt obitum Acholii, & vigeſima tertia *Anyſio* ipſius ſucceſsori.

Vnde

Digitized by Google

Vnde etiam diſces non fuiſſe opus, vt Damaſus confeſſionem fidei, Theſſalonicenſi Epiſcopo, & Epiſcopis qui ſub illius præfectura eſſent, mitterent; quandoquidem ex iſtis partibus ad Concilium Romanum Epiſcopi conuenienti numero conueniſſent, qui acta Concilij retulerant, & fidei definitiones in eo facto docere cæteros poterant. Orientalibus verò debuerant hæc decreta ſignificari, nec omitti Paulinus Antiochenus, cui Romanus Pontifex in Oriente communicabat, teſtibus Hieronymo *de Scriptoribus, in Paulino*: & Ruffino lib. 2. c. 21. Quamuis Orientales etiam Catholici ac boni, eo quòd plurimùm tum Meletio tum Flauiano fauerent, ei minùs æqui viderentur, vt ex literis Baſilij pluribus videre eſt 272. *Epiphanio*, & 349. *Terentio*, & aliis.

Itaque alia ratio occurrit temporis coniiciendi, quo vicariatus Sedis Apoſtolicæ Theſſalonicenſi Eccleſiæ attributus eſt: putà inſtitutum illum fuiſſe, nonniſi poſt præfecturam Illyrici Orientalis Theſſalonicæ affixam, cum Barbaris in eas partes Orientales irruentibus viſum eſt neceſſarium, non Sirmij ampliùs, ſed Theſſalonicæ præfectum Illyrici agere; quod initio Imperij Theodoſij factum ſuperiùs oſtendimus: atque adeò imperante Theodoſio Magno, à Damaſo hunc vicariatum inſtitutum fuiſſe dicendum eſt; & quidem adnitente & fauente, vt probabile eſt, Theodoſio, tum in gratiam ciuitatis Theſſalonicenſis, quam totius Illyrici Orientalis Metropolim conſtituerat; tum in gratiam ſancti Acholij Epiſcopi Theſſalonicenſis, à quo Theſſalonicæ ſalutaris Baptiſmi gratiam accepit, vt teſtantur Socrates libri ſeptimi capite quarto, & Sozomenus libri quinti cap. 6. circa quem locum Socratis eum aliqui tanquam lapſum emendare volunt; quòd in Illyrico Theſſalonicam conſtituere videatur, quæ ſit pars Macedoniæ: quæ correptio videtur eſſe inutilis, quandoquidem licèt in Macedonia ſita ſit, tamen quià præfecturæ prætorio Illyrici Orientalis ſedes erat, rectè quoque in Illyrico ſita cenſeretur in lata & ampliſſima ſignificatione accepto.

Ac ne Damaſus perperàm egiſſe aut ambitiosè videatur, dum in Illyrico Orientali præfectum prætorio conſtituit: moueri certè ad ipſum inſtituendum potuit, tam exemplo Concilij Conſtantinopolitani (quod Canone ſecundo antiquas Diœceſes Aſianam, Ponticam, Thracicam confirmauit) vt nouam Illyrici Orientalis exigeret: quòd epiſtolâ ſuâ Synodali, cuius mentio apud Theodoretum, vt ſuperiùs notauimus, varias per prouincias Epiſcopos conſtituit, quos Catholici tanquam anteſignanos ſequerentur; quo facto viſus eſt, vt ait Nazianzenus carmine *de vita ſua*, nouos Patriarchas creare: tum ambitione Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quæ in Concilio Conſtantinopolitano primo emicuit, cuius Can. 3. ſibi maximum poſt Romanum Pontificem Conſtantinopolitanus Patriarcha honorem vendicauit; cuius vſurpationi reſiſtere volens Damaſus, vt propinquas Conſtantinopoli regiones Romano Patriarchatui iam à Conſtantinopolitano delibatas aſſereret, Vicarium Illyrici conſtituendum cenſuit; ac proinde facere ſibi viſus eſt Damaſus, ſi præſertim in tanta hæreſeon, quæ Eccleſiam Dei tunc temporis infeſtabant, multitudine, de aliquo capite ſeu Primate prouideret, qui totius Illyricæ Diœceſis curam gereret: in iiſque Sedis Apoſtolicæ Vicarium conſtitueret, qui vſurpationibus Conſtantinopolitani Antiſtitis diligentiùs obſiſteret.

§. VII.

Quinam primi Theſſalonicenſes Primates, quid potuerint, quid egerint.

ET quidem Acholius hic primus fuiſſe videtur, qui nondum Vicarius Sedis Apoſtolicæ fuiſſe conſtitutus credi poteſt, cùm Synodicam ad Epiſcopos Occidentales cum Damaſo collectos, Orientales ſcriberent è Concilio Conſtantinopolitano; in ea ſiquidem Ambroſio Mediolanenſi, Brittoni, cuius Sedes mihi ignota, & Valeriano Aquileienſi Acholius poſtponitur.

Poſſet autem vicariatus iſtius dignitate ornatus probari hic ſanctus Acholius, ex geſtis ab eo Eccleſiaſticis negotiis, quibus impenſam operam adhibuiſſe ſignificant, quæ de eo S. Ambroſius eius ſucceſſori *Anyſio* ſcripſit lib. 3. epiſt. 23. *Vide*

imaginem illius, qui ſe ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſciens, raptum ad paradiſum viderat. Ita enim omnia percurrebat excurſu frequenti, Conſtantinopolim, Achaiam, Epirum, Italiam, vt iuniores non poſſent conſequi. Patet certè ex alia epiſtolâ præcedenti *ad Epiſcopos prouinciæ Theſſalonicenſis & Clericos huius Eccleſiæ*, eumdem Macedoniæ inuictum columen extitiſſe, in qua Theſſalonica ſita erat; in ea prouincia illum reſediſſe, ipſámque Metropolitico iure rexiſſe, & Gothis prouincias Illyrici deuaſtantibus populorum ſaluti inuigilaſſe. Ex dicta verò prouincia Macedoniæ ipſius in Achaiam & Epirum frequentes excurſiones oſtendunt, quàm aſſiduus in procurandis ſuæ Illyricæ Diœceſeos vtilitatibus fuerit, cuius prouincias viſitauit, & pro cuius temporali ſalute Conſtantinopolim ad Imperatorem, ſicut pro ſpirituali inſtructione ad Sedem Apoſtolicam properarit: quæ vicariatus Sedis Apoſtolicæ ab eo geſti non inanis coniectura eſt.

Huius labori ſicut & dignitati ſucceſſit Anyſius, cui ex ſententia Synodi Capuenſis, adiunctum fuiſſe Theophilum Alexandrinum, vt de cauſa Bonoſi de hæreſi accuſati iudicaret, colligimus ex epiſtola Ambroſij lib. 1. *Theophilo & Anyſio Epiſcopis.* Sed illum ordinarium Bonoſi iudicem Theſſalonicenſem Epiſcopum agnitum fuiſſe eadem epiſt. oſtendit Ambroſius, dum ait, *Sed cùm huiuſmodi fuerit Concilij Capuenſis iudicium, vt finitimi Bonoſo, atque eius accuſatoribus iudices tribuerentur; & præcipuè Macedones qui cum Epiſcopo Theſſalonicenſi de eius factis, vel cognoſcerent, aduertimus quòd nobis iudicandi forma competere non poſſet.*

Macedones ergo ad huius Bonoſi iudicium conuocari debuiſſe à Synodo Capuenſi, apud quam accuſatus fuerat, iudicatum eſt; Theſſalonicenſis Epiſcopi ius agnitum, vt ipſe Macedones Epiſcopos aduocaret ad iudicium, ipſiſque iudicantibus præeſſet: quia finitimi ipſi erant Bonoſo, qui intra Diœceſim Illyricæ præfecturæ Epiſcopus erat. Vices tamen ſuas iudicandi tam Theophilo Alexandrino, quàm Anyſio Theſſalonicenſi ibidem dicitur Synodus Capuenſis dediſſe, ſed differenter, quia prioris in cauſa fidei iudicium & conſilium exquirendum, poſterioris tribunal adeundum iudicauit. Vices, inquam, ſuas Theſſalonicenſi ordinario dediſſe dicitur, honoris causâ, quemadmodum Metropolitano tanquam ordinario iudici Canonicorum querelas aduerſus Suffraganeum audienti, Papa vices ſuas committit, cap. *irrefragabili, de officio Ordinarij*: & Vigilius epiſt. 4. *Aureliano Arelatenſi*, cauſam Prætextati Epiſcopi ei ſpeciatim committit, quamuis generalem delegationem, quam à Sede Apoſtolica obtinebat, ei ſuffecturam eadem fateatur. Quam explicationem noſtram confirmat Innocentij primi teſtimonium epiſt. 22. *ad Epiſcopos Macedoniæ* cap. 5. cauſæ iſtius definitionem non Theophilo Alexandrino maioris dignitatis Præſuli, ſed Anyſio Theſſalonicenſi tribuentis iis verbis: *Sed Anyſij quondam fratris noſtri, aliorúmque conſacerdotum ſumma deliberatio hæc fuit, vt quos Bonoſus ordinauerat, ne cum eodem remanerent, ac fieret non mediocre ſcandalum, ordinati reciperentur.*

Porrò quod Synodus Capuenſis conſtituit, hîc ſummus Pontifex, qui Synodo Capuenſi in eius ſpeciali Exarchia habitæ præfuit, conſtituiſſe dicitur: ac proinde non mirum eſt, quòd & vices ſuas primo Patriarcharum hæc Synodus, tum in eo negotio, tum in cauſa ſchiſmatis Eccleſiæ Antiochenæ inter Paulinum & Flauianum delegarit, & Anyſio Vicario Sedis Apoſtolicæ in iudicando Collegam maioris dignitatis alterius Patriarchatus, & Diœceſis adiunxerit: hæc enim omnia ſola ſumma Sedes aggredi potuit, cuius auctoritas Synodo Capuenſi præſidens hæc prudenti diſpenſatione concluſit.

Laudato verò Anyſio ſucceſſit Rufus, ad quem & alios Coepiſcopos ſe ſcripſiſſe teſtatur Innocentius primus pro recipiendis Clericis à Bonoſo ordinatis, epiſt. 21. *Martiano Epiſcopo Nareſitano*, aliàs *Naxitano*. Ad eundem Rufum & aliquos alios Macedoniæ Epiſcopos extat epiſtola 7. prædicti Innocentij de Bubalio & Tauriano damnatis à prouinciæ Epiſcopis, quorum ſententiam Sedes Apoſtolica retractari curauit. Extat etiam vigeſima-ſecunda, quæ eſt ad *Epiſcopos Macedoniæ*, ex qua colliguntur iſta, Rufum Theſſalonicenſem Epiſcopum Macedoniæ caput fuiſſe, Vitalem ipſius Archidiaconum ab ipſo & Epiſcopis Macedoniæ miſſum literas ad ſummum Pontificem detuliſſe, varias quæſtiones continentes, præſertim

circa eligendos ad ſacros Ordines : Doluiſſe Innocentium , quòd iam ab Apoſtolica Sede definita , iterùm in dubium verterentur , nouis ipſorum inquiſitionibus. Eundem Innocentium Photino Epiſcopo Macedoniæ ad Sedem Romanam delato, ab eáque damnato veniam indulſiſſe, eúmque in priſtinam dignitatem reſtituiſſe , excuſantibus eum Ruſo Theſſalonicenſi , ac cæteris Macedoniæ Epiſcopis , & ſanctæ Sedi ſubreptum affirmantibus. Denique Innocentium pro Euſtathio Diacono rogaſſè , vt ſimiliter cum ipſis in gratiam & pacem rediret non iuſtis aduerſum eum æmulationibus prohibitis ; nec expectarent vnquam quod Diaconi gratiâ expoliaretur.

Quæ capita epiſtolæ Innocentij oſtendunt hierarchici regiminis in iis prouinciis formam eam fuiſſe, quam ſuperiùs deſcripſimus , vt à ſumma Sede ex prouinciæ maximè penderent : ab ea quid æquum , quid canonicum eſſe expoſcerent : ad eam verò conſultaturos nuntios mitterent, & literas dirigerent, Theſſalonicenſes Epiſcopi hanc præcipuè illorum curam fuiſſe, vt quid agendum eſſet, ſummam Sedem conſulerent : adhibuiſſe & ipſos in Concilium Epiſcopos ſeu prouinciæ, ſeu Diœceſis ſuæ, ſeu partis Diœceſis, quæ magis eſſet ad manum, ac Vicario Macedoniæ parebat, ob quam ſcilicet cauſam Macedoniæ adcenſebantur , ac Macedoniæ Epiſcopi dicebantur. Maiores cauſas, qualis eſt depoſitio Epiſcopi, ad Romanam Sedem deuolui conſueuiſſe , vixque niſi expreſsâ delegatione Romani Pontificis (qualem in Synodo Capuenſi pro cauſa Bonoſi ſuprà animaduertimus) ab Epiſcopo Theſſalonicenſi, & aliis regionis prouinciis definiri conſueuiſſe : eoſdem tamen Epiſcopos qui litem inſtruxerant præcauere potuiſſe, ne Sedi Apoſtolicæ per facultatem aliquid obreperet , & ſi quid ſubreptum eſſet, oblato eidem libello ſupplici , emendari poſtulaſſe : nec, quod in alia cauſa ſcripſit Bernardus epiſt. 180. *Sedem Apoſtolicam piguiſſe reuocare , quod à ſe fortè deprehendiſſet , fraude elicitum , non veritate promeritum :* cuiuſmodi ſententiæ à prædeceſſoribus latæ , à ſe verò reuocatæ, egregiam iſtam rationem profert Innocentius citatâ epiſt. dum ait , *Tantis veſtris aſſertionibus vobiſque tam bonis , tam charis non dare conſenſum , omnibus rebus duris arbitramur.* Denique & cauſas minores , quæ in partibus Macedoniæ fuiſſent iudicatæ, per appellationem ad Sedem Apoſtolicam potuiſſe deuolui, verbi gratiâ cauſam Diaconi de hæreſi minimè accuſati: in iiſque ita ſe geſſiſſe ſummum Pontificem , vt ſi ſententiam retractandam videret , mallet de reuocanda , aut executione differenda ad Epiſcopos ſcribere, quàm pro ſua auctoritate, quam iniuſtam putaſſet, aduerſus ſecundi ordinis ſententiam reſcindere.

Huic autem Ruſo Theſſalonicenſi quemadmodum & Cyrillo Alexandrino, Ioanni Antiocheno , Cyrillo Hieroſolymitano , & Flauiano Philippenſi Archiepiſcopis varias literas ſcripſiſſe Celeſtinum Papam aduerſus Neſtorium teſtatur Liberatus Breuiarij cap. 5. ſcilicet mos erat , vt Principibus Diœceſeωn, iiſque qui vel dignitate Sedis, vel auctoritate inter cæteros eminerent, rerum quæ ad fidei vnitatem ſpectabant ; alij primarum ſedium Epiſcopi communicarent.

Ruſo ſucceſſit in Theſſalonicenſi ſede Anaſtaſius, cui præter citatam epiſt. 84. quam ſuperiùs explicuimus ; aliam vigeſimam-nonam ſcripſit ſanctus Leo ſtatim poſt Conciliabulum Epheſinum, ex more ſcilicet vſitato , vt Dioceſeωn capita de rebus grauioribus admonerentur. Quanto verò in honore eum haberet , & quanta in auctoritate ex iis diſce : *Multum* , inquit , *dilectioni tuæ congratulamur , quòd te ad illam Synodum ire cupientem , opportunis obſtaculis manus diuina detinuit , ne abſenturus proculdubio à tanto ſcelere indignis iniuriis ſubiaceres , & furori impio militibus quantum didicimus , armiſque ſuffulto contraire non poſſes.* Et paló pòſt , *Si quid igitur fraternitati tuæ de impiis conſtitutionibus fuerit ingeſtum , proteſtamur pariter , ac monemus , ne vel damnationem fratris inſontis* (Flauiani Conſtantinopolitani) *vel in receptione nefarij dogmatis* (Eutychiani) *conſenſum tui cordis immiſceas. Maior eſt enim qui in nobis eſt , quàm qui aduerſus nos , amittere potiùs quantum te ipſe naturæ noſtræ ſuſceptor , & glorificator adiuuerit , vt omnium fratrum noſtrorum corda confirmet.*

§. VIII.

Continuatio Primatus Theſſalonicenſis, ac turbatio propter adhæſiculum ſchiſmatis Acaciano.

POST Concilium Chalcedonenſe varias Synodos in Diœceſi Illyrica prouinciarum Theſſalonicenſi Epiſcopo ſubditarum pro confirmatione Catholicæ fidei habitas reperio: quarum epiſtolæ Synodicæ leguntur, part. 3. actorum Concilij *ad Leonem Imperatorem*, putà Epiſcoporum Dardaniæ, Metropolis Corinthi, veteris Epiri, & nouæ, ac tandem Cretæ: totius Diœceſis Illyricæ hoc ſeculo Synodi vel raræ vel nullæ. Quinimmò videntur paulò poſt iſta tempora, ij qui ſecuti ſunt Anaſtaſium Epiſcopi Theſſalonicenſes, Acacio Conſtantinopolitano, cuius doctrina non quidem vt hæretica damnata eſt, ſed communio prohibita propter ipſius cum hæreticis communionem, adhærentes, Romanis Pont. minus addicti fuiſse. Atque adeò obſcurior in prouinciis iſtius Diœceſeos, ipſorum vicariatus videtur extitiſse, ab ipſa Sede Apoſtolica reſponſa quęrentibus Catholicis Epiſcopis, & ad ipſos Romanis Pontificibus ſcribentibus.

Hinc Epiſcopi Dardaniæ ſcribunt Gelaſio: iiſdem reſpondet Gelaſius epiſt. 3. Dardaniæ & Illyrici Epiſcopis: iiſdem ſcribit vndecimam, & Theſſalonicenſem Epiſcopum, qui hæreticorum nomina damnare recuſauerat, Apoſtolicæ Sedis communione priuatum renuntiat. *Quapropter*, inquit, *cum* (Eccleſiæ Theſſalonicenſis Antiſtitem) *communionem Sedis Apoſtolicæ non recepiſſe manifeſtum eſt, quoniam niſi puris ſenſibus, & ab omni nefanda ſocietate liberis, beati Petri Apoſtoli nec poſſumus nec debemus Eccleſiæ præbere commercia. Propterea cautiùs agendum eſt cum præfato, ne Catholicis mentibus, vt fit, Apoſtolicæ Sedis reconciliatione ſubrepat: quam ſicut doloſis artibus fallere & circumuenire non præualet, ita ſub cuius non poteſt obtinere, auctoritatem quoque noſtram, quæ ad Dalmatiarum eſt directa Pontifices, etiam ad vos credimus dirigendam.* Idem epiſt. 13. *ad Epiſcopos Dardaniæ*, fuſiſſimè inuehitur aduerſus Acacium, & qui ipſi communicarunt.

Continuata ſub Horſmiſda eadem Theſſalonicenſis Epiſcopi cum Epiſcopis Conſtantinopolitanis Acacij nomen condemnare nolentibus conniuentia, quam Imperatorum impietas diù fouit. Continuata & orthodoxorum ab Epiſcopo Theſſalonicenſi ſeceſſio, cuius teſtimonium locuples ſubminiſtrat Ioannis Nicopolitani electi Epiſcopi epiſtola *ad Horſmiſdam* per Ruffinum Diaconum miſsa, quâ Alciſonis prædeceſsoris ſui exemplo ſe Romanæ fidei & communionis ſequacem profitetur, & qui à Theſſalonicenſi Epiſcopo, vt Vicario Sedis Apoſtolicæ, confirmari debuiſset, ipſo neglecto, ab ipſo Horſmiſda confirmationem petiit & inſtructionem. Ex qua epiſtola hęc maximè notanda ſunt, *Ad veſtras orationes concurro, vt iuxta conſuetudinem Apoſtolicæ Sedis veſtræ, quæ cunctarum Eccleſiarum curam habet, & Nicopolitanorum habere dignemini, ſecundum antiquam ſpiritualem diſpoſitionem veſtram petenti.* Et paulò pòſt, *Rogo autem pleniùs atque perfectiùs, quæ ſeruari oportet, commonete; & quibus abſtinere debeam, veſtris cuſtodibus literis intimate. Hoc enim facientes, ſanctiſſime, firmiores noſtræ Synodi* (id eſt, prouinciæ) *inuenietis Epiſcopos, & bonorum actuum Clerum, ac populum confirmabitis, tanquam familiarem vobis reddentes ſanctam Nicopolitanorum Eccleſiam*, &c. Teſtimonium etiam optimum exhibet nobis epiſtola 7. Horſmiſdæ, quâ ipſi reſpondet, ei de Catholica fide & obſeruantia Sedis Apoſtolicæ gratulatus, pollicitúſque ſe ipſi per indiculum ſignificaturum, quomodo redeuntes ab hæreſi eſsent recipiendi: adiungi poſsunt tum epiſt. Synodica Epiſcoporum veteris Epiri, quâ Ioannem prędictum Metropolitanum Nicopolitanum Epiſcopum à ſe ordinatum renuntiant, & eum commonitionibus ac doctrinis Sedis Apoſtolicæ communiri petunt: tùm epiſt. 8. eiuſdem Horſmiſdæ, quâ eiſdem quoque gratulatur, quòd Eutychetis errorum ſectatores damnent, & vt ab eis caueant hortatur: tum epiſtola nona eiuſdem Papæ, profeſſio fidei ab eodem miſsa, atque indiculus per Pulionem Subdiaconum directus: quibus conſtat Horſmiſdam hunc Subdiaconem Eccleſiæ Romanæ ex profeſso miſiſſe, vt quia Epiſcopi veteris Epiri omnia, quæ ipſi neceſſaria videbantur, ſuis literis nequaquam expreſſerant, curaret ipſe, vt tum Metropolitanos Nicopolitanus recens

electus profeſſioni fidei à Sede Apoſtolica miſſæ, tum etiam cæteri ab ipſo Metropolitano collecti Epiſcopi eidem ſubſcriberent. Sed maximè notandæ ſunt illæ epiſtolæ Horſmiſdæ Pontificis, quibus conſtat Ioannem iſtum Nicopolitanum à Dorotheo Theſſalon. inſidias maláque multa perpeſſum, quòd ab eo confirmationem ſuæ ordinationis minimè petere voluiſſet. Huiuſmodi ſunt epiſtolæ 17. & 18. *Ennodio & Peregrino Epiſcopis*, quibus cauſam iſtam inter Ioannem Nicopolitanum, & Dorotheum Theſſalonicenſem demandat; & quomodo cum Theſſalonicenſi excommunicato agendum ſit, ipſis præſcribit: decima-nona *ad Anaſtaſium Auguſtum*, quâ Ioannem Nicopolitanum ei commendat: vigeſima *ad Ioannem Nicopolitanum*, quâ æquo animo ærumnas pro fide ſuſtinendas perſuadet, & ideò prouinciales Epiſcopos ad fidei vnitatem ab eodem confirmandos: vigeſima-prima *ad eundem Ioannem* cum Synodo, ſimiliter exhortatoria: vigeſima-ſecunda *ad Dorotheum Theſſalonicenſem* increpatoria, quòd Ioannem Nicopolitanum eiúſque prouinciales Epiſcopos variis diſpendiis & concuſſionibus affligeret, eo prætextu, quòd prædictus Ioannes, poſtquam communionem Sedis Apoſtolicæ emeruit, ad Theſſalonicenſium Eccleſiam ordinationis ſuæ initia non direxit: quâ epiſtolâ non conſuetudini inolitæ, ſed vnitati Eccleſiæ conſultum ait, *Potuiſſet*, inquit, *neglectus ſic eſſe culpabilis, ſi vnum eſſet inter omnes myſterium charitatis: non igitur conſuetudo eſt neglecta, ſed vitata contagia.* Et paulò pòſt, *Quo pudore rogo priuilegia circa te illorum manere deſideras, quorum mandata non ſeruas?* Epiſt. 30. *ad Cæſarium Arelatenſem*, quâ ſignificat Epiſcopos Dardaniæ & Illyrici, ad Eccleſiæ Catholicæ communionem, à qua metu Anaſtaſij deſciuerant, rediiſſe. De pace etiam poſteà cum Epiſcopo Theſſalonicenſi acta, legi poſſunt exempla ſuggeſtionis duplicis Germani & Ioannis Epiſcopi, Felicis & Dioſcori Diaconi per Pulionem Diaconum, quâ ſe ſubſcripturum libello à ſummo Pontifice miſſo promiſit, & effecturum, vt Epiſcopi, qui in eius Diœceſi ſunt conſtituti, ſimiliter ſubſcriberent. Suggeſtio eorumdem Legatorum, Germani, Felicis, Dioſcori & Rolandi de Ioanne Nicopolitano occiſo à populo, in ſeditione, vt veriſimile erat, aduerſus eum à Dorotheo excitatâ. Epiſt. 63. *ad Legatos*, vt Dorotheo ab Epiſcopatu remoto, alium in eius locum ſubſtitui curent. Suggeſtio Legatorum, ex qua ſignificant Dorotheum Romam citatum Heracleam vſque perductum, atque inde demiſſum aufugiſſe, Indiculus, quo Theſſalonicenſium crimina narrantur. Relatio Dorothei Epiſcopi Theſſalonicenſis, quâ obiectum ſibi crimen refellit. Citatoriâ epiſt. 77. Horſmiſdæ, quâ Romam euocatur vt Catholicam doctrinam percipiat, & obiectum crimen purget. Variæ epiſtolæ eiuſdem Horſmiſdæ, quibus reſtitutionem petit orthodoxorum Epiſcoporum & Catholicorum Heliæ, Tomatis & Nicoſtrati, qui factione Dorothei tunc temporis à communione Romanæ Eccleſiæ auulſi depoſiti fuerant, quòd Romanæ Eccleſiæ ſemper communicaſſent. Nam ex iis omnibus diligenter atque accuratè perlectis inſtruimur de vicariatu Sedis Apoſtolicæ olim Eccleſiæ Theſſalonicenſi in Macedoniæ, Epiri vtriuſque, Dardaniæ Præualitanæ, Illyriæ Epiſcopos.

§. IX.

De ſubſtracta Primati Theſſalonicenſi Achaia, & origine Primatis Metropolis Corinthiorum.

SVBEST verò æqua dubitandi ratio, num Achaia iſtis temporibus, vel paulò antè, vel etiam paulò pòſt, vicario Theſſalonicenſi ſubſtracta fuerit: tum quia nullum ex omnibus quæ protulimus, ſupereſt veſtigium auctoritatis ipſius Vicarij Theſſalonicenſis in Epiſcopos Achaiæ: tum quia pallium poſterioribus temporibus Archiepiſcopo Corinthiorum (quæ ciuitas Achaiæ in ciuili adminiſtratione Metropolis fuit, in qua Proconſul degebat, teſte Pauſaniâ lib. 7.) à ſummo Pontifice datum legamus; ac conceſſio pallij ſignum erat αὐτοκεφαλίας, & independentiæ in ordinationibus, ita vt Metropolitanos, qui pallio inſignirentur, prioribus temporibus Primati alicui non legamus obnoxios eſſe conſueuiſſe, ſiue vt eorũ ordinatio à Primate confirmaretur, ſiue vt ad Synodũ Primatis deberent maiora negotia deferre: nec ſolebat pallium tunc temporis omnibus Metropolitanis mitti, ſed iis ſolùm

qui αὐτοκέφαλοι erant, tanquam ſingularis poteſtatis inſigne, vt colligitur ex iis, quòd cùm Iuſtinianus Imperator primam ſuam Iuſtinianam in Metropolim erexiſſet, & eam ab iſta Theſſalonicenſi ſede ſubſtraxiſſet, quibuſdam prouinciis attributis, vt mox dicemus Nouel. 131. cap. 2. Vigilius illius ciuitatis Epiſcopum pallio vti decreuerit, ſequentéſque Pontifices illud eiuſdem Epiſcopis miſerunt, vt leges apud Gregorium lib. 4. indict. 13. epiſt. 15. Item quòd Hadrianus primus epiſt. 9. ad Carolum magnum, eâ conditione priùs examinatâ, Metropolitano Bituricenſi pallium tradiderit, *Vt ſub nullius Archiepiſcopi iuriſdictione eſſe videretur.* Leo nonus epiſt. 4. ſolum in Africa Carthaginenſem Primatem pallium ab Apoſtolica ſede habere ſolere affirmat. Sed hæc nos fortè alibi fuſiùs.

Quare ſi probemus Archiepiſcopo Corinthiorum circa hæc tempora pallium ab Apoſtolica ſede conceſſum, probabile exinde argumentum eruemus, ſubtractæ iam tum Achaiæ à poteſtate Primatis Theſſalonicenſis eidem Corinthiorum Archiepiſcopo attributæ.

At verò ſanctus Gregorius Ioanni Epiſcopo Corinthiorum pallium non nouo exemplo, ſed ex antiquo more miſiſſe ſe teſtatur epiſt. 55. eidem indict. 13. lib. 4. iis verbis, *Pallium verò ſicut per epiſtolam veſtram, quam per Andræam fratrem, & coepiſcopum noſtrum ſuſcepimus, poſtulaſtis, direximus: quo ita vos vti neceſſe eſt, ſicut prædeceſſores veſtri vſi concedentibus noſtris prædeceſſoribus approbantur.* Igitur diu ante Gregorium colligimus, & pallio ornatum, & dignitate vicariatus Sedis Apoſtolicæ decoratum fuiſſe Corinthiorum Metropolitam; atque adeò à Vicarij Theſſalonicenſis curâ & auctoritate ſubductum.

Sed hæc conſecutio euidentior & manifeſtior erit, non ſolùm ſi iſtius epiſtolæ, verùm etiam & aliarum eiuſdem ſancti Gregorij ſenſum capiamus, verbáque expendamus. Apparebit enim & imminutam valdè fuiſſe poteſtatem vicariatus Corinthiorum Epiſcopo conceſſam; eam tamen aliqualem fuiſſe: nullam autem Theſſalonicenſi Epiſcopo in Achaia relictam. Ex epiſtola ſiquidem 51. conſtat, Secundino Epiſcopo cauſam Anaſtaſij Epiſcopi examinandam commiſſam fuiſſe, aſſumptis (vt ſecundum Canones interpretor) Epiſcopis ex ea prouincia, & eo numero quæ Canonibus præſcribuntur: & eundem Anaſtaſium fuiſſe depoſitum: æquitatem atque ſollicitudinem Secundini litteris Ioannis Corinthij ſummo Pontifici renuntiatam, eidémque Gregorium congratulatum fuiſſe; quæ duo Corinthiorum Epiſcopi ordinariam in hiſce cauſis, quæ maiores ſunt, auctoritatem arguunt: Neque enim aut Ioannes Corinthiorum Epiſcopus ſcripſiſſet in commendationem Secundini ſpecialiter delegati à S. Gregorio; neque Gregorius Ioanni congratulatus fuiſſet, niſi ordinaria poteſtas penes Ioannem reſediſſet.

Eam verò imminutam fuiſſe hæc delegatio Secundini, quacunque de cauſa facta fuerit, oſtendit: quin etiam reſeruatio arbitrio ipſius ſancti Gregorij cauſarum minorum, putà perſonarum in inferioribus ordinibus conſtitutorum, Pauli Diaconi, Euphemij & Thomæ ordinibus ſacris initiatorum, & Clematij Lectoris, qui de criminibus accuſati erant quæ ad fidem minimè ſpectabant, putà quòd Epiſcopi ſui accuſationem corruptè deſeruiſſent, & quidem eorum aliqui, eâ conditione, vt ad ſacros Ordines proueherentur: hæc etiam reiectio cauſæ minoris à delegato Sedis Apoſtolicæ in Achaia ad arbitrium & voluntatem ipſius ſanctiſſimi Romanæ Eccleſiæ Præſulis oſtendit, quàm ampla ſummi Pontificis in his partibus vigeret auctoritas; quàm anguſta & reſtricta ipſius Corinthiorum Epiſcopi in ſua prouincia poteſtas eſſet, independens tamen à Vicario Theſſalonicenſis Epiſcopi, cuius in earum omnium cauſarum diſcuſſione atque iudicio nulla omninò totâ iſtâ epiſt. mentio.

Ex epiſtola eiuſdem Gregorij 55. eiuſdem libri *Ioanni Corinthiorum Epiſcopo*, & 56. *vniuerſis Epiſcopis per Helladiam prouinciam conſtitutis*, vicariatus Corinthiorum Epiſcopi aliqua probabilia argumenta ſuppetunt: in cuius lectione hæc notanda ſunt.

Primùm de ordinatione Ioannis Corinthiorum Epiſcopi vniuerſos per Helladiam prouinciam Epiſcopos conſtitutos, ipſúmque etiam Ioannem ad ſummum Pontificem ſcripſiſſe per Andræam Epiſcopum, vnum ex comprouincialibus &

ſubditis Corinthiorum Eccleſiæ: alium autem ordinem ſeruari debuiſſe, ſi ipſe ſubditus manſiſſet Epiſcopo Theſſalonicenſi tanquam Sedis Apoſtolicæ Vicario: nam ſtante iſtâ ſubiectione, de eius ordinatione ab Epiſcopis prouinciæ ad Theſſalonicenſem Antiſtitem oportuiſſet ſcribi: & ipſe Theſſalonicenſis Epiſcopus Apoſtolicam ſedem de ea inſtruere ex officio debuiſſet, quemadmodum conſtat ex prædictis: nec Ioannes ipſe apud ipſam Sedem Apoſtolicam, ſed apud Vicarium Sedis Apoſtolicæ profeſſionem emiſiſſet, nec comprouinciales literis ſuis ipſum Papam adiiſſent: nec nuntium Epiſcopum miſiſſent, ſed Vicarium ſuum literis conueniſſent, cuius poſteà muneris & officij fuiſſet ad ſedem Apoſtolicam diligenter omnia referre.

Alterum, legationem Andreæ Epiſcopi Romam, & inquiſitionem in perſonam Ioannis Corinthiorum à Gregorio factam ſolemnes fuiſſe, vt ex eo conſtat, quòd prædictâ epiſt. 55. ſcribat Gregorius Andræam Epiſcopum tardè ſuſceptum, quòd Secundino Epiſcopo referente didiciſſet epiſtolas Ioannis Corinthiorum in Ioannis Lariſſæi Epiſcopi excuſatione finxiſſe: adeò vt niſi de ipſo Corinthiorum ordinato Præſule bona quæ audierat ſuaſiſſent, nullâ Andræam ratione ſuſcepiſſet.

Tertium, à ſancto Gregorio Ioannem Corinthiorum, & cæteros Epiſcopos Helladiæ à ſimoniæ crimine deterreri, ſed differenter: nam ſicut aliis Epiſcopis Helladiæ interdicit, ne gratiâ vel ſupplicatione Ordines conferant, vel hoc fieri patiantur; Ioanni verò non tantùm prohibet, ſicut cæteris, ne vel illo ſe ſcelere commaculet, vel quemquam ſub ſe commaculari ſinat: ſed prҿtereà præcipit, *vt tam immane peccatum de locis omnibus, quæ ſub ſe ſunt, ſollicitudinis ſuæ modis omnibus compeſcat inſtantiâ*: atque adeò obſeruare poteris, hunc criminis iſtius, etiam in Epiſcopos vindicem & vltorem conſtitui: eique mandari, vt compeſcat, & in locis omnibus ſub ſe conſtitutis compeſcat, & omni ſollicitudinis inſtantiâ compeſcat, ne crimen illud ſerpat: cùm cæteris duntaxat vetet ſummus Pontifex, ne vel iſtud crimen perpetrent, vel perpetrantibus conſentiant. Ex quo proinde diuerſo admonitionis genere Corinthiorum Epiſcopi poteſtas ordinaria longè amplior, longè efficacior, longè generalior quàm cæterorum Epiſcoporum ad oculum innoteſcere poteſt.

Quartum denique, Epiſcopis per Helladiam vniuerſis præcipi à ſancto Gregorio, vt eidem Ioanni Corinthiorum Epiſcopo ex antiquo more obediant, *Cui*, inquit epiſt. 56. *vos magnoperè conuenit obedire, præſertim cum hoc ſibi & antiquæ conſuetudinis ordo defendat, & bona eius, quibus teſtimonium perhibetis, inuitent.*

Denique citatis epiſtolis, ſi deliquerit aut ipſe Ioannes, aut Epiſcopi Helladiæ, & ſimoniæ fauerint, ſummum Pontificem Gregorium, non Theſſalonicenſis Epiſcopi diſtrictum iudicium, ſed ipſius ſedis Apoſtolicæ animaduerſionem comminari obſeruandum eſt.

Addimus auctoritatem Balſamonis, Scholiis in Trullanæ Synodi initium, qui tempore Trullanæ Synodi, quæ habita eſt ſub Iuſtiniano Rinotmeto Conſtantini Pogonati filio, Corinthiorum Epiſcopum Romani Pont. Legatum fuiſſe teſtatur hæc ſcribens, παρῆσαν Βασίλειός τις ἐπίσκοπος τῆς Γορτυνίων μητροπόλεως τῆς νήσου Χρήτης, καὶ τις ἐπίσκοπος Ῥαβέννης τὸν τόπον ὑπέχοντες πάσης τῆς συνόδου τῆς ἐκκλησίας Ῥώμης. Καὶ οὐ μόνον αὐτοὶ, ἀλλὰ καὶ οἱ τότε ὄντες λεγάτοι τοῦ Πάπα, ὁ Θεσσαλονίκης, ὁ Σαρδανείας, ὁ Ἡρακλείας Θρᾴκης, καὶ ὁ Κορίνθου, *Aderant Baſilius Gortynæ Cretæ inſulæ Metropolis Epiſcopus, & quidam Rauennæ Epiſcopus totius Synodi Romanæ Eccleſiæ vicem gerentes: & non ſolùm ipſi, ſed & qui tunc erant Papæ Legati, Theſſalonicenſis, Sardanenſis, Heracleenſis in Thracia, & Corinthius Epiſcopi.* Quinam autem eſſent illi Legati ſubdit, λεγάτοι δὲ εἰσιν οἱ ἐκ προσώπου λεγόμενοι, οἵτινες καὶ μερικὴν δικαιοδοσίαν ἔχουσι, καθὼς τοῦτο παρίσταται ἀπὸ τοῦ β'. τιτ. τοῦ ϛ'. βιβλίου τῶν βασιλικῶν· *Sunt autem Legati qui à facie dicuntur, qui etiam particularem habent iuriſdictionem, vt hoc oſtenditur ex ſecundo titulo libro quinto Baſilicon.*

Fateor Balſamonis iſtud teſtimonium infirmari poſſe, quòd multa vel illis verbis falſa, vel valdè dubia contineat: nam Sardanenſem & Gorthynæum in Creta Epiſcopos Romani Pontificis fuiſſe legatos nemo vnquam legit: legimus quidem Gorthynenſem, vt Synodi Romanæ Legatum, in ſexta Synodo ſubſcripſiſ-

ſe, longè pòſt ſummi Pontificis vicem tenentes, ſed quarto & quinto Concilio inter nullius nominis Metropolitas nominatum: nullibi verò eum vt Pontificis Legatum aut ſubſcriptum, aut agnitum legimus. Heracleenſis Thraciæ, antequam Conſtantinopolitanus eum ſibi ſubieciſſet, Thracicæ Diœceſis creditur Primas fuiſſe, & quidem ſub ſummo Pontifice tanquam Occidentis Patriarchâ, ſed Legatum Sedis Apoſtolicæ dictum eum non animaduertimus: multominùs eo ſenſu Legatum eum fuiſſe probabile eſt, vt ſe ſubditus Conſtantinopolitano Patriarchæ, Romano tamen ſiſtere deberet, eúmque repræſentare, quo ſenſu eum Legatum Romanæ Sedis fingit Balſamon.

Quæ diſputat ibidem vberiùs Balſamon aduerſus Romanum Pontificem, quòd ius ordinationis in prouinciis vrbi Conſtantinopolitanæ vicinis non habuerit: quòd Theſſalonicenſem Epiſcopum, aut alios in iſtis prouinciis ordinandi iure nunquam gauiſus ſit: Quòd Legati Papæ iſto iure caruerint, & Papæ eo ſenſu Legati dicti fuerint, quòd ipſi prętò eſſe, quando opus erat, deberent: quaſi verò Papæ præſtò eſſe aliqui Metropolitani debuerint, qui in alterius poteſtate fuerint, nec à Papa ordinari potuerint: delirantis hæc ſunt ſomnia & manifeſtam veritatem impugnantis mendacia. Falſi quoque ſuggillari deberet, quòd Papæ Legatos fuiſſe modò Athenarum, modò Corinthi, modò Cretæ, modò Patrarum, modò Rauennæ Epiſcopos aſſerat, quorum veſtigia legationis præterquam in Corinthiorum Epiſcopo nullibi proſtant. In notitia quidem Leonis ſapientis duo Peloponneſi Metropolitani ſtatuuntur, Corinthiacus & Patrenſis, Helladis duo, Athenienſis & Lariſſæus: illos omnes antiquitùs fuiſſe Corinthiorum Epiſcopo ſubditos, nec Peloponneſum duntaxat, in quo ſitam Corinthiorum ciuitatem conſtat, probabile maximè eſt. Refert eadem notitia plures alios Metropolitanos, Lacedemonium, Neopatrenſem, Thebanum, quos omnes in Achaia fuiſſe notiſſimum eſt. Quin etiam expreſsè thronos iſtos auulſos à Diœceſi Romana Theſſalonicenſem, Corinthium, Athenienſem, Patrenſem, & alios eadem Notitia Epiſcopatuum obſeruat. Sed vtrùm hæc antiquæ diſpoſitioni conſentiant, videbitur infrà.

Cæterùm, earum rerum innouationem præter ambitionem Patriarcharum Conſtantinopolitanorum, qui ſibi Diœceſes ac prouincias proximas ſubigere tentabant, Græcorum faſtum & leuitatem, qui multitudine thronorum delectabantur, & nouitatem etiam in ſacris cupiebant, cauſa alia eſſe potuit prouinciarum iſtarum deuaſtatio à Barbaris: nam teſtis eſt Paulus Diaconus, Martiano & Valentiniano tertio imperantibus, Attilam Hunnorum regem, cum Pannonias, Daciámque teneret, Macedoniam, Myſiam & Achaiam, cum vtriſque Thraciis deuaſtaſſe. Et quidem imperante Iuſtiniano, Achaiam in Barbarorum poteſtate fuiſſe, coniiciunt aliqui ex eo quòd Iuſtinianus in notitia Nouellæ octauæ, ſeu eiuſdem Nouellæ titulo tertio, omnes Orientis Magiſtratus recenſens, nullum aut Achaiæ, aut Græciæ Magiſtratum referat. Sed hæc coniectura leuis eſt: potuit enim Iuſtinianus ea referens, quæ quiſque Magiſtratus officiariis Palatij ſoluere deberet, omittere Achaiæ Proconſulem, vel ea de cauſa quòd ab ea penſitatione eximerentur, vel alia: Certè teſtimonio Agathiæ lib. 2. cap. 3. conſtat, tempore Iuſtiniani omnes quidem Græcos, pręter Peloponneſiacos, ab Hunnis fuiſſe infeſtatos, non autem ſubactos. Peloponneſum verò (in qua eſt Corinthus) fruſtrà oppugnatâ ab iis Thermopoli, in ditione Romanorum remanſiſſe: Proconſulem quoque aliquem Græciæ poſt Iuſtinianum fuiſſe ex prædictis patebit. In hac autem turbatione rerum Corinthiacus Epiſcopus emerſit, qui Achaiæ deuaſtatæ à Barbaris curam gereret, & æquum viſum eſt, vt ei intenderet: cùm ex longinquo conſulere diſſitis prouinciis, politicâ gubernatione turbatâ, Eccleſiaſtico Magiſtratui difficile videretur.

§. X.

De ſubductis varijs alijs prouincijs Theſſalonicenſi vicario, & Iuſtinianæ primæ Archiepiſcopo attributis.

HÆc ratio mouere potuit Vigilium, vt roganti Imperatori Iuſtiniano nominis ſui propagandi cupido concederet, vt ipſius patriam, quam Agathias Vedecinam, ſeu Bederinam anteà dictam, Procopius de ædificiis Iuſtiniani lib. 4. Taureſium, Nicephorus lib. 16. c. 37. & lib. 17. c. 28. Willelmus Tyrius lib. *de bello ſacro*, 20. cap. 4. Zonaras *in Baſilio Porphyrogenito*, Curopalata *de Officialibus Palatij*, *in Patriarchæ deſignatione*, & alij paſſim Acrida vocatam dicunt: ipſe verò Imperator de ſuo nomine Iuſtinianæam, & quidem primam appellauit, vicariatus Sedis Apoſtolicæ dignitate exornaret.

Hanc ſiquidem iſtius immutationis rationem prætexit Iuſtinianus Nouellâ Conſtitutione, quam Latinè edi curauit Cuiacius in fine Nouellarum Iuſtiniani, & vndecimam repoſuit Gothofredus: *Quia*, inquit, *bellicis ſudoribus inhærentes, non erat vtile Reipublicæ ad primam Macedoniam* (cuius Metropolis erat Theſſalonica). *poſt tot ſpatia tantiſque etiam difficultates venire: ideò neceſſarium nobis viſum eſt ipſam præfecturam ad ſuperiores partes trahere, vt iuxta eam prouinciæ conſtitutæ faciliùs ſentiant illius medicinam.*

Notandum verò illius initio Nouellæ conſtituere Iuſtinianum, vt Iuſtinianæ primæ Epiſcopus non ſolùm Metropolitanus, verùm etiam Archiepiſcopus conſtituatur: *Multis*, inquit, *& varijs modis noſtram patriam augere cupientes, in qua primò Deus præſtitit nobis ad hunc mundum, quem ipſe condidit, venire, & circa ſacerdotalem cenſuram eam volumus maximis incrementis ampliare, vt primæ Iuſtinianæ patriæ noſtræ pro tempore ſacroſanctus Antiſtes, non ſolùm Metropolitanus, ſed Archiepiſcopus fiat.* Quibus ſimilia paulò pôſt eadem Conſtitutione repetit.

Cui aſſentitur Nicephorus Gregorias lib. 2. tit. 2. Καὶ χρίεται βασιλικῶς παρὰ τῷ τηνικαῦτα τῆς τῆς Βουλγαρίας Ἀρχιεπισκόπου διαδήματι. πλείστοις τε γὰρ ἄλλοις αὐτὴν, ὁ βασιλεὺς ἐκ παλαιοῦ τετίμηκεν Ἰουστινιανὸς ἑαυτοῦ γενομένην πατρίδα, καὶ πρώτην ὠνόμασεν Ἰουστινιανὴν, καὶ δὴ καὶ αὐτὸν μισθοῖ ταύτην εἰς τὸ διηνεκὲς ἀτελείας προσεπιστάς· *Regio more à Bulgariæ Archiepiſcopo (Angelus Theodorus Theſſaliæ princeps) inungitur: nam olim Iuſtinianus Imperator eam prouinciam, è qua oriundus erat, cum alijs multis rebus ornarat: tum primam Iuſtinianæam appellauerat, tum etiam perpetuâ libertate donarat.* Idem quoque paulò pôſt, ſeu capite ſequenti, de Bulgariæ Archiepiſcopatu ex profeſſo diſſerens, narrat quomodo Bulgari regionem trans Iſtrum verſus Septentrionem, quam fluuius non exiguus ab incolis Bulga dictus interfluit, inhabitantes, Bulgarique exinde nominati, cùm à prima origine Scythæ eſſent; tandem patriâ cum vxoribus & liberis relictâ, quâ tempeſtate Iconomachiæ morbus pios infeſtabat, innumerabili multitudine Iſtrum traiecerint, & vtram que Myſiam peruagati, Macedoniam cum vlteriore Illyria occuparint, locíque vbertate illecti, illic conſederint, eámque vrbem pro regia habuerint, ἣν Ἀρχιεπισκόπῳ ὁ βασιλεὺς τετίμηκεν Ἰουστινιανὸς, καὶ πρώτην ὠνόμασεν, *quam Iuſtinianus Imperator Archiepiſcopatus honore, primæque Iuſtinianæ nomine nuncupauit.* Regionem autem ſubdit Bulgariam appellatam, & Iuſtinianam primam Metropolim primam Bulgariæ. Eadem habet Nicephorus locis ſuperiùs citatis. Pro huius autem Iuſtinianæ primæ Antiſtitis, & cæterorum in Bulgaria ordinatione grauis conteſtatio inter Adrianum & Nicolaum, alióſque ſummos Pontifices ex vna parte, ac Ignatium Conſtantinopolit. Patriarcham, & Photium in eandem Sedem intruſum poſteà emerſit, vt ex varijs epiſtolis Adriani & Nicolai, actis octauæ Synodi, vitâ Ignatij per Nicetam conſcriptâ, aliiſque colligi poteſt.

Sed hæc longè poſteà ſecuta ſunt: obſeruemus duntaxat eò loci primam Iuſtinianam dici à Iuſtiniano non ſolùm Metropolitanam, verùm etiam Archiepiſcopalem factam, id eſt Primatialem & Exarchicam; attributâ ei Diœceſi ex quibuſdam prouinciis à Sede Theſſalonicenſi auulſis, quod Iuſtiniani & Nicephori

Gregorij verbis oſtendimus. Circa quæ verba notamus Iuſtiniani à nuperis Græcis diuerſum loquendi morem. Etenim Iuſtinianus, cuius loquendi morem imitantur, Iſidorus Hiſpalenſis lib. 7. Originum cap. 12. Hadrianus I. epiſt. 9. ad Carolum Magnum, Balſamon meditatione 1. lib. 7. iuris Græco-Romani, Petrus Antiochenus epiſt. ad Dominicum Gradenſem tempore Gregorij VII. quæ extat in Codice manuſcripto Bibliothecæ regiæ, & alij paſſim. Archiepiſcopalem dignitatem Metropolitanâ maiorem ſtatuit. Metropolitam eum eſſe innuendo, cui prouincia ſubiaceret: Archiepiſcopum, cui non ſolùm ſicut Metropolitæ prouincia aliqua ſubdita eſſet, verùm cui prætereà Exarchico iure, quoad ordinationes præſertim & iudicia, aliqua Diœceſis ſeu prouinciarum complexio eſſet ſubiecta.

E contrà verò poſteriores Græci, vt videre eſt ex Notitia Eccleſiarum throno Conſtantinopolitano ſubiectarum, quæ Leoni Sapienti tribuitur, habetúrque libro 2. Nouellarum Imperatoriarum apud Leunclauium in corpore iuris Græco-Romani, ex Andronici Senioris Ectheſi, quæ à Notitia Leonis in pluribus differt; ex catalogo addito libro Codini *de officiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ*; ex ſanctione Anonymi cuiuſdam Patriarchæ Conſtantinopolitani, *de ſeſſionis ordine Metropolitanorum & Archiepiſcoporum*, lib. 3. iuris Græco-Romani, ſeu primo ſententiarum Synodalium, & aliis paſſim: poſteriores, inquam, Græci, Archiepiſcopum infra Metropolitam conſtituunt, vt Archiepiſcopus dicatur, qui ſine Suffraganeis nulli Metropolitano ſubditus, Patriarchæ ἀμέσως ſubiaceat: quæ vanitas Græcanica adhuc perſeuerat rebus ipſorum omninò peſſundatis.

Diœceſis autem ex mutilatione vicariatus Theſſalonicenſis, attributa eſt primæ Iuſtinianæ ab Imperatore prædicta Nouella 11. explicatur his verbis, ea quæ à nobis allata ſunt immediatè ſequentibus, *Et cæteræ prouinciæ ſub eius* (Archiepiſcopi Iuſtinianæ 1.) *ſint auctoritate, id eſt, tam ipſa Mediterranea Dacia, quàm Dacia Ripenſis, nec non Myſia ſecunda, Dardania, & Præualitana prouincia, & ſecunda Macedonia, & pars ſecundæ etiam Pannoniæ, quæ in Bacenſi eſt ciuitate.* Quam aſſignationem Diœceſis ac poteſtatis, quæ Iuſtinianæ 1. competere deberet ſupra iſtius Diœceſis Epiſcopos, paucis verbis complectitur Nouellæ 131. cap. 3. *Per tempus autem beatiſſimum primæ Iuſtinianæ noſtræ patriæ Archiepiſcopum habere ſemper ſub ſua iuriſdictione Epiſcopos prouinciarum Daciæ Mediterraneæ, & Daciæ Ripenſis, & Priualis, ſeu Præualitanæ* (Græcè Πρεβαλέως, non vt corruptè ſcribebatur Γεβαλέως, vt notat Cuiacius ad Nouellam 11.) *& Dardaniæ, & Myſiæ ſuperioris, atque Pannoniæ, & ab eo hos ordinari: ipſum verò à proprio ordinari Concilio, & in prouinciis ſibi ſubiectis locum obtinere eum Sedis Apoſtolicæ Romæ, ſecundum ea quæ definita ſunt à ſanctiſſimo Papa Vigilio.*

Clariùs iura iſta & prerogatiuas explicat citatâ Nouellâ 11. tam circa ordinationes, quàm circa iudicia Eccleſiaſtica: *Et ideò*, inquit Iuſtinianus Catelliano Archiepiſcopo primæ Iuſtinianæ, *tua beatitudo, & omnes præfatæ primæ Iuſtinianæ ſacroſancti Antiſtites, Archiepiſcopi habeant prærogatiuam & omnem licentiam, ſuam auctoritatem eis impertiri & eos ordinare, & in omnibus ſupradictis prouinciis primam habere dignitatem, ſummum ſacerdotium, ſummum faſtigium à tua ſede creentur, & ſolum Archiepiſcopum habeant nullâ communione ad eum Theſſalonicenſi Archiepiſcopo ſeruanda, ſed tu ipſe & omnes Iuſtinianæ primæ Antiſtites, ſint eius iudices & diſceptatores, quidquid oriatur inter eos diſcrimen, ipſi hoc dirimant, & finem eis imponant, & eos ordinent, nec ad alium quemdam eatur: ſed ſuum agnoſcant Archiepiſcopum omnes prædictæ prouinciæ, & eius ſentiant creationem: & vel per ſe, vel per ſuam auctoritatem, vel Clericos mittendos habeat omnem poteſtatem, omnémque ſacerdotalem cenſuram, & creationis licentiam.* Diſcimus autem ex iſtis verbis plurima, primùm à Theſſalonicenſi Archiepiſcopo prædictas prouincias auulſas ſine vllo ampliùs ad eum reſpectu, nullâ nequidem ei honoris prærogatiuâ ſeruatâ.

Alterum προεδρίας ſiquidem ſeu primæ ſeſſionis & proceſſionis ius in iſta Diœceſi attributum Iuſtinianæ primæ Præſuli, Theſſalonicenſi denegari.

Tertium, ordinandorum omnium non ſolùm Metropolitanorum, verùm etiam Epiſcoporum in tota Diœceſi facultatem ac licentiam ei concedi.

Quartum, etiam per ſuos Clericos mittendos creationis licentiam habere, id eſt, præſidendi electionibus Epiſcoporum, eáſque confirmandi.

Quintum, omnes controuerſias inter Epiſcopos, & cæteros Clericos dictarum prouinciarum enatas dirimendi ac diiudicandi poteſtatem ei permiſſam.

Sextum denique, neque in Synodo duntaxat cauſas iudicandi, ſicut antiquis Exarchis poteſtatem ei demandatam fuiſſe, neque tot conditionibus reſtrictam, quemadmodum Theſſalonicenſi Vicario: ſed longè liberiorem atque ampliorem, vt ſcilicet & ipſe, & eius diſceptatores ſeu iudices, cauſas ad ſe delatas dirimere poſſent, & tribus modis eas terminare, primò proprio iudicio à ſe prolato; ſecundò iudicibus eius auctoritate in ipſis partibus delegatis; tertiò, per Clericos à ſe tanquam ex ſuo latere mittendos: quod priuilegium eximium eſt ac ſingulare.

Huius autem iuriſdictionis, ſed anguſtioris, & reſtrictioris, & extraordinariæ exemplum habemus apud ſanctum Gregorium variis epiſtolis: primò enim lib. 2. indict. 11. epiſt. 6. *Ioanni Epiſcopo primæ Iuſtinianæ*, & ſeptimâ *Ioanni Epiſcopo Lariſſæo*; legimus Hadrianum Thebanum Epiſcopum apud Imperatorem à Ioanne & Coſma Diaconis, quorum vnum pro lubrico corporis; alterum pro fraudibus Eccleſiaſticarum rerum proprio officio depulerat, accuſatum fuiſſe, & ab Imperatore ad Ioannem Epiſcopum Lariſſæum reiectum, vt ſeruatâ iuris Canonúmque ſententiâ de vtraque cauſa cognoſceret, & quidem de pecuniariis firmam ferret iure ſententiam; de criminalibus verò ipſius Imperatoris Clementiæ habitâ ſubtiliùs examinatione ſuggereret.

Legimus Lariſſæum Epiſcopum in cauſis criminaliter aduerſus Hadrianum proceſſiſſe contra Canonum formam.

Primùm ſiquidem ei obiicit Gregorius, quòd malè famatorum Clericorum teſtimonium aduerſus Epiſcopum, à quo depoſiti fuerant, admiſiſſet. 2. quòd ob crimina Eccleſiaſtica non debitè probata eum condemnaſſet. 3. quòd ipſum Hadrianum, quantumcunque ſuſpendiſſet appellatione ſententiam, illum arctiſſimâ detruſum cuſtodiâ, libellum, in quo ſibi obiecta confiteretur, capitula coegerit porrigere, & in pecunario negotio, datæ aduerſum ipſum ſententiæ conſentire.

Legimus per homines Hadriani à Ioannis Lariſſæi ſententia prouocaſſe: libellum eius deputatis ab Imperatore Honorato Diacono Sedis Apoſtolicæ tunc temporis Apocriſario apud Imperatorem reſidenti, & Sebaſtiano glorioſo Antigrapho fuiſſe porrectum; cunctiſque ſubtiliter examinatis, à ſereniſſimis Imperatoribus ab omnibus iuſſionibus eum abſolutum fuiſse.

Legimus poſteà, *Machinationibus exquiſitis aliam* (de qua queritur Gregorius) *rurſus eſſe principalem iuſſionem elicitam, vt de cunctis ante factis Capitulis Ioannes primæ Iuſtinianæ Epiſcopus requirens ſubtiliter iudicaret*; in quo iudicio queritur idem ſanctiſſimus Pontifex plura contra Canones ac leges à prędicto Iuſtinianæ Epiſcopo fuiſſe commiſſa; vt quod à Demetrio Diacono & aliis perſonis, *crudeli atque doloroſa diſcuſſione* de Capitulis aduerſum Hadrianum prolatis inquiſierit. Quòd neglectis iis quæ prioribus iudiciis allata fuerant, machinationibus quibuſdam aduerſus prædictum Demetrium, in damnationem Epiſcopi, teſtes producti fuerint, qui cùm de illo, quod nec audiri fas eſt, teſtimonium dicentem ſe audiſſe perhiberent, contradiceréntque Demetrius ſe dixiſſe, *Aduerſus morem ſacerdotalem, ac diſciplinam canonicam deiectum honore ſuo Diaconum proconſuli prouinciæ tradiderit* Iuſtinianæus Epiſcopus; & cùm Demetrius multis laniatus verberibus aduerſus Epiſcopum ſuum forſan aliqua potuiſſet tormentorum neceſſitate mentiri, vſque ad finem negotij (nihil enim de quibus interrogabatur inuentus eſt fuiſſe confeſſus), tamen Epiſcopum Adrianum damnauerit.

Legimus iis pręſertim titulis refutatam Ioannis Iuſtinianæ primæ ſententiam; tum quòd appellatione ſuſpenſa eſſet; tum quòd contra Canones & iura proceſſiſſet: vbique etiam ſpecialiter obiectum fuiſſe notamus, quòd nec homines ſuos ſecundum cautionem Honorato Diacono Sedis Apoſtolicæ per reſponſales Eccleſiæ Iuſtinianæ expoſitam tranſmiſerit, qui ſui iudicij rationem reddere potuiſſet: *Quod factum*, inquit, ipſum ſcriptis alloquens Gregorius, *te vel de contumacia, vel de conſcientiæ trepidatione redarguit*.

Legimus Ioanni Lariſſæo obiecta iſta à Gregorio præter prædicta; primùm quòd *nullo iure pecuniariis in cauſis*, Hadrianum condemnaſſet. Alterum, quòd admonitionem ſanctæ memoriæ deceſſoris ſui, id eſt, Pelagij ſecundi, contempſiſſet, per quam *eum* (Hadrianum) *eiúſque Eccleſiam*, de illius (Lariſſæi Epiſcopi) iuriſdictione poteſtatis exemit: ob cuius legis tranſgreſſionem, ait eum promeritum fuiſſe *Dominici corporis communione priuari*: ſed benigniorem ait ſe in eum ſententiam protuliſſe, vt ſcilicet *ab eo* [Hadriano] *Eccleſiaque eius* (Thebana) *omnem ante habitæ ſuæ poteſtatem iuriſdictionis abſtineat*, *& ſecundum ſcripta deceſſoris ſui*, ſi qua cauſa vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria *aduerſus præfatum H. ʳiᵃnum conſacerdotem potuerit prouenire; vel per eos qui Sedis Apoſtolicæ ſunt vel fuerunt in vrbe regia reſponſales*, *ſi mediocris eſt quæſtio*, *cognoſcatur; vel Romam ad Apoſtolicam Sedem*, *ſi ardua eſt*, *deducatur*, *quatenus ſummi Pontificis audientiæ ſententiâ decidatur.* Itémque vt quęſtio quæuis de rebus ſacris eiuſdem Eccleſiæ, ſi quæ vertitur, *apud reſponſalem* Papæ *in vrbe regia ventiletur.*

Legimus aduerſus Ioannem primæ Iuſtinianæ à Gregorio beati Petri principis Apoſtolorum auctoritate pronuntiatum fuiſſe, vt caſſatis priùs, atque ad nihilum redactis prædictæ ſententiæ ipſius decretis, triginta dierum ſpatio ſacrâ communione priuatus, ab omnipotenti Deo noſtro tanti exceſſus veniam cum ſumma pœnitentia ac lacrymis exorare deberet.

Legimus denique & cauſam iſtam ad Corinthiorum Archiepiſcopum ab Imperatore directam fuiſse, directo, ni fallor, ad eum reſcripto, quo ſententiæ Lariſsæi Metropolitani executionem impediret, quam nimirùm appellatio ſuſpenderat. Hoc enim oſtendunt verba iſta Gregorij epiſt. 6. citatâ, *Et quidem de memorati Ioannis Epiſcopi Lariſſæi iudicio*, *quod fuerat appellatione ſuſpenſum*, *ſatis & puſſim rerum Domini ad Corinthi Epiſcopum miſſis iuſsionibus decreuerunt*: atque adeò illius reſcripti nulla, vt credo, fit mentio epiſt. ſequenti, quâ totius rei ſeries ordinatè narratur, quòd Corinthiorum Epiſcopus nullam cauſæ cognitionem principalem attigiſset, ſed tantùm in mandatis ab Imperatore habuiſset, vt executionem iudicij à Lariſsæo Metropolitano dati impediret, quatenus cauſa ipſa, vt coniicio, ad deputatos Honoratum Romanæ Eccleſiæ reſponſalem, & Sebaſtianum Antigraphum integra referretur: & quidem ordinatè geſſiſse Imperatorem, qui Ioanni Lariſsæo aliquid prohibere volens ad Epiſcopum Corinthiorum eius ſuperiorem reſcripſerit, cui Lariſsæus Epiſcopus vt Primati ſubditus (qua de re infrà) Hadriani verò Thebanorum Epiſcopi Metropolitanus extiterit: cuius rei indicium eſt, quòd eodem lib. epiſt. 38. indict. eadem 11. *vniuerſis Epiſcopis Corinthius*, id eſt, Corinthiacæ Diœceſis (nam eiuſdem ciuitatis & Eccleſiæ non erant plures Epiſcopi) reſcripſerit ſe gaudere quidem, quòd hi cùm contra Hadrianum coepiſcopum aliqua priùs dixiſsent, cum eodem Epiſcopo poſteà conueniſſent: attamen, quoniam ea quæ dicta erant, indiſcuſſa remanere non patiebatur, ad ea inueſtiganda ſignificat ſe aliquos direxiſse, ne ipſa vitia diſſimulare; eorum verò non ex charitate, ſed ex præmio comparata concordia videretur.

Sed vt hanc noſtram coniecturam confirmemus, quæ lucem aperit Gregorianæ narrationi, & deducendis ex ea corollariis; notandum eſt, dubitari poſse, num ille Hadrianus qui Thebarum Epiſcopus fuiſse refertur, Epiſcopus fuerit Thebarum in Græcia ſeu Hellade, an verò Thebarum in Theſsalia: duplicem enim Thebarum ciuitatem Epiſcopalem, vnam in Græcia, alteram in Theſsalia hiſce temporibus fuiſse reperiemus: quippe cùm legamus diuerſos Conciliis Epheſino I. & Chalcedonenſi diuerſis illis ciuitatibus præſidentes ſubſcripſiſse: Anyſium, qui ſe actione 1. Concilij Epheſini, *Epiſcopum ſanctæ Dei Eccleſiæ apud Thebas*, κατὰ τὴν Ἑλλάδα, id eſt, *Helladis*; & Dionem, qui Epiſcopum ſe Θηβῶν Θεσσαλίας, *Thebarum Theſſaliæ* inſcribit. Actione verò tertiâ, in qua Latinâ linguâ ſubſcriptiones referuntur, non Græcâ; iterùm prędictus Anyſius *Epiſcopus ciuitatis Thebarum Græciæ* ſubſcriptus habetur, *Dion Epiſcopus ciuitatis Thebarum*; ſine vllo addito. Thebarum autem Theſsaliæ Metropolitanus erat Lariſsæus: nam Lariſsa Theſsaliæ Metropolis, vt patet tum ex ſubſcriptione Vigilantij actione 6. Concilij Chalcedonenſis, vbi nominatur ἐπίσκοπος μητροπόλεως Λαρίσσης Θεσσαλίας, *Epiſcopus*

ſcopus

ſcopus Metropolis Lariſſæ in Theſſalia, ad diſtinctionem alterius Lariſſæ in Syria, cuius Epiſcopus Meletius ibidem refertur Legatus Metropolitani Apameæ Syriæ. Tum ex Notitia Adronici ſenioris Imperatoris, in qua Lariſſęus Antiſtes Exarchus dicitur ſecundæ Theſſaliæ, & totius Græciæ, tum ex Notitia Leonis Sapientis, in qua Lariſſæus ſecundæ quidem Helladis dicitur Metropolitanus, Theſſaliæ haud dubiè Epiſcopus, cui v. g. Demetriadis & Pharſalli ſubduntur Thebarum antem ciuitas Helladis ſeu Græciæ, quæ nominatiſſima eſt apud Auctores Gręcos; hæc non prouinciæ Theſſaliæ, neque Lariſſeno Metropolitano ſubdita erat, ſed prouinciæ Corinthiorum, vt ex eo conſtat, quòd Synodali epiſtolæ Epiſcoporum prouinciæ Corinthiacæ, quæ habetur tertiâ parte Concilij Chalcedonenſis ſubſcribebat Architimus Epiſcopus Thebarum.

Conſtat antem ex prędictis, Eccleſiam Thebarum, cuius Epiſcopus fuit Hadrianus, ſubditam fuiſſe ante Pelagium II. Gregorij prædeceſſorem, Epiſcopo Lariſſeno Theſſaliæ, & nonniſi à Pelagio II à poteſtate Lariſſeni Pręſulis exemptam, ſimul cum Hadriano eius Epiſcopo, de quo quæſtionem motam vidimus. Igitur concludendum eſt prædictum Hadrianum Thebanum Theſſaliæ, non Græciæ Antiſtitem fuiſſe; non prouinciæ Corinthiacæ, ſed Theſſaliæ ſecundæ, vel Theſſaliæ ſimpliciter (nondum enim fortè in duas prouincias diuiſa erat Theſſalia) Epiſcopum fuiſſe.

Nihilominùs probabiliter dici poſſe Theſſaliam, in qua ſita eſt Lariſſa, Corinthiorum Diœceſi ſubditam fuiſſe; & iudicata à Lariſſæo Metropolitano, ordinario iure tunc temporis vſitato, à Corinthi Præſule tanquam Archiepiſcopo ſeu Exarcho retractari potuiſſe: in hac enim, quæ tunc temporis erat, rerum turbatione, propter inuaſiones & deprædationes Barbarorum, Theſſaliam Achaiæ coniunctam, & Corinthiorum Epiſcopo adiunctam, quæ in hac cauſa narrantur, probabiliter perſuadent: ad quid enim ad Epiſcopum Corinthi reſcriptum Imperiale: (quod vtique non reprehendit Gregorius, qui tamen illud quod ad Epiſcopum Iuſtinianæ primæ directum fuerat, redarguit, tanquam iniuſtis machinationibus obtentum) ad quid, inquam, reſcriptum iſtud ad Epiſcopum Corinthi, vt Epiſcopum Lariſſæ ab executione ſuæ ſententiæ prohiberet, niſi ſuperior Corinthiacus fuiſſet? quiſnam item ille Proconſul, ad quem remiſit Ioannes Iuſtinianæ primæ Epiſcopus Demetrium Diaconum Thebarum, vt in eum inquireretur, niſi Proconſul Achaiæ? nulla enim prouincia ex iis quæ Præfecto Illyrici parebat, Proconſularis præter Achaiam. Quo autem iure ad Proconſulem Achaiæ remiſiſſet, inquiſiturum in Diaconum Thebanum priùs à ſe depoſitum, niſi Proconſuli Achaiæ Thebarum ciuitas in Theſſalia ſubdita fuiſſet? atque adeò nudatum priuilegio Clericali Diaconum ad Proconſulem iſtum tanquam ad ſuum deinceps iudicem reiicere voluit, conſentaneè legi Iuſtiniani Nou. 123. cap. 23. mox citando.

Cui etiam coniecturæ lucem addit, quod ex Notitia Leonis Sapientis proferri poteſt, Lariſsæum Metropolitanum in ea ſecundæ Helladis Metropolitanum dici: & in Notitia Andronici, Græciæ, ſicut & ſecundæ Theſsaliæ Exarchum: vnde coniici poteſt Græciæ ſeu Helladi adcenſitam fuiſſe Theſsaliam, in qua Thebæ, in qua Lariſsa: at ex prędictis patet tempore Gregorij Corinthium Peloponneſi ſeu Helladis primæ Metropolitanum, vniuerſæ Helladis tam primæ quàm ſecundæ, ſeu Græciæ totius Archiepiſcopum fuiſse: fauet etiam quòd Stephanus notet Theſsaliam Pelaſgiam olim dictam, ac Pelaſgia olim dicta Græcia, *& Gens Pelaſga* paſſim Græca dicta.

Quamobrem dicendum eſt in hac lite inſtruenda aduerſus Hadrianum Epiſcopum Thebarum in Theſsalia, qui iure communi ſubditus fuerat Lariſeno Theſsaliæ Metropolitano, plurima contra libertatem Eccleſiaſticam, contra leges Canoneſque attentata, & totam ferè iſtam cognitionem extraordinariam fuiſse.

Ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine edixerat Iuſtinianus Nouellâ 123. cap. 22. vt quæcunque cauſa Epiſcopo à quocunque quolibet titulo intentaretur, conueniretur ipſe apud Metropolitanum; & ſi quis iudicatus contradixiſset, ad beatiſſimum Archiepiſcopum & Patriarcham Diœceſeos illius referretur, & eam ipſe ſecundum Canones & leges terminaret: quinimmò & in cauſis Clericorum eadem Conſtitutione, capite vigeſimo-primo, ſtatuerat vt pro quacunque cauſa Clericus conueniri

deberet, apud ſuum Epiſcopum conueniretur: hoc verò contra priuilegia olim à Conſtantino & aliis Catholicis Imperatoribus Clericis conceſſa decreuerat, ſcilicet, vt ſi contradiceret aliquis Epiſcopi iudicio, locorum iudex cauſam examinaret, quæ ſi cum Epiſcopali conueniret, firmum eſſet quod iudicatum fuerat; ſi contraria eſſet, ab ea appellatio permitteretur: & ſi ex Imperiali iuſſione, aut iudiciali præcepto Epiſcopus iudicaret, appellatio ad imperium, aut ad eum qui tranſmiſiſſet negotium, referretur.

Item, ſi in cauſa pecuniaria Epiſcopus ſententiã differret, coram iudice laico res agi poſset, etiam aduerſus Clericum. In cauſa verò criminali (niſi Eccleſiaſticum foret crimen intentatum, in quo caſu nihil inſpiciendum laico iudici in Clericum edixit) vel Epiſcopum adiri vel iudicem laicum concedit, hoc ſtatuto, vt ſi primùm adiretur iudex Eccleſiaſticus, honore & gradu reum iudicatum ſpoliaret; ſpoliato iudex laicus conuenientem legibus vltionem inferret: ſi primùm adiretur laicus, non poſſet eius damnatio concludi, antequam acta ad Epiſcopum referrentur, quibus viſis ſi cum laico iudice in damnationem accuſati conſpiraret, ipſe Eccleſiaſticâ degradatione, laicus ſuperiori animaduerſione conuictum plecterent: ſi eum abſolueret, quem laicus iudex damnandum putaſſet, totum ad Imperatorem negotium referretur. Nihilominùs hunc ordinem à prædeceſſoribus ſtatutum, Mauricius, qui tertius à Iuſtiniano poſt Iuſtinum iuniorem, & Tiberium imperabat, tempore Gregorij, cùm cauſa pręſens diſceptaretur: hunc, inquam, ordinem peruertit atq; turbauit: cui rei occaſionem, vt opinor, dedit priuilegium exemptionis à ſui Metropolitani iuriſdictione Hadriano & eius Eccleſiæ conceſſum à Pelagio II. probabile enim eſt ob eam cauſam coram Lariſſæo Metropolitano noluiſſe conueniri, ſiue pro cauſa pecuniaria, ſiue pro criminali Hadrianum; adeóque iuſſiones Imperiales tanquam neceſſarias elicitas fuiſſe, vt cogeretur coram Lariſſæo Metropolitano ſe ſiſtere: à quo cùm appellaſſet, fortè etiam tanquam à iudice incompetente, & tamen Lariſſęus ſententiam tuliſſet, & executioni eam demandare aggrederetur, opus quoque fuit alio reſcripto Imperiali, quod Imperator Corinthiorum Archiepiſcopo direxit, quatenus ſibi ſubditum Metropolitanum æquitati ſatisfacere cogeret.

Cauſam videtur commiſiſſe Imperator Apocriſario Sedis Apoſt. quia exemptionem ab Apoſt. Sede allegabat Thebanus Epiſcopus, adiunxiſſe etiam videtur laicũ hominem Sebaſtianum Antigraphum, quamuis nulla (vt patet ex capitulis allatis à Gregorio prędictis epiſt.) alia quàm Eccleſiaſtica crimina obiicerentur: quod Canonibus proinde repugnabat; ſed inſolitæ litis ipſius intentatæ ab initio rationi conueniebat, vt quia principali iuſſione conuentus fuerat prædictus Hadrianus, & principis loco aliquis cauſam eius diſceptaret. Inſolitum etiam, vt Epiſcopi cauſa criminalis Apocriſario S. Sedis Apoſt. ſeu Reſponſali diiudicanda permitteretur: nam Apocriſarij, vt conſtat ex epiſt. 45. Gregorij *Phocæ Imp.* lib. 11. indict. 6. Diaconi eſſe ſolebant Rom. Eccleſiæ, ad hoc deſtinati, *vt cuncta quæ in his partibus*, à quibus mittebantur, *agerentur, inuento opportuno tempore valerent clementiæ Imperatoris ſuggerere.* Seu vt ait Hincmarus Opuſc. de inſtit. Carolomanni regis, & inſtit. Palatij num. 13. *Reſponſales tam Romanæ Sedis quàm aliarum ſedium in Palatio pro Eccleſiaſticis negotiis excubabant.* De quibus addit num. 14. aliquando per Epiſcopos, aliquando verò per Diaconos, Apoſtolicam Sedem hoc officio functam: eóque officio, quod ex vita ipſius conſcripta per Ioannem Diaconum confirmari poteſt, *beatum Gregorium in Diaconi ordine functum fuiſſe, & ex aliis præcipuis ſedibus per Diaconos id officium executioni demandatum.*

Conſtat autem Honoratum Reſponſalem Sedis Apoſtolicæ, cui cauſa ab Imperatore commiſſa fuerat, Diaconum tantùm Romanæ Eccleſiæ fuiſſe, teſtificatione Gregorij epiſt. 7. citatâ. Huiuſmodi autem Reſponſalibus minores tantùm cauſas committi voluit Gregorius eadem epiſt. ſub finem. Quare inſolitam omninò rationem procedendi aduerſus Hadrianum hactenus animaduertimus: nec minùs inſolitum erat, quòd ad Iuſtinianæ primæ Archiepiſcopum cauſa iterùm ab Imperatore delata fuerit, quam rurſus Imperatoris iuſſionem obtentam miratur Gregorius ſuprà, teſtatus ſe neſcire quibus machinationibus exquiſitis elicita fuerit.

Prætextum hunc fuiſſe ſuſpicor, quòd præfectura prætorij totius Illyrici; cui & Theſſalia, & variæ aliæ prouinciæ ſubdebantur, in vrbem Iuſtinianam primam tranſlata fuiſſet, vt teſtatur Iuſtinianus Nouel. 11. ſuperiùs laudatâ, atque adeò ſecutus Imperator ordinem ciuilium iudiciorum, ad Archiepiſcopum primæ Iuſtinianæ cauſam iſtam tranſtulerit, quæ ad eum minimè ſpectabat; quippe cùm ex Nouella Conſtitutione citata, Theſſalia nequaquam Iuſtinianæ primæ aſſignata fuiſſet, ſed ea duntaxat prouinciæ tam mediterranea Dacia, quàm Repenſis, Myſia ſecunda, Dardania & Prçualitana prouincia, & ſecunda Macedonia, & pars ſecundæ Pannoniæ: quæ prouinciæ cum Theſſalia minimam affinitatem habuiſſe noſcuntur. Quamobrem ex iis quæ ex laudatis & explicatis epiſtolis notauimus, hæc ad hierarchicam formam gubernandi, in iis prouinciis, quæ Iuſtinianæ primæ, & Corinthi Archiepiſcopo ſubdebantur tempore Gregorij Magni deſcribendam obſeruari poſſunt. Primùm extraordinariis Imperialibus iuſſionibus, & laicorum iudicum vſurpationibus Metropolitanorum, atque Archiepiſcoporum iis ſuperiorum iura turbata ac depreſſa fuiſſe.

2. Maioribus ſedibus extraordinariis cognitiones ab Imperatoribus reiici ſolitas fuiſſe; eúmque vt plurimùm curaſſe, vt in primo iudicio ordinarij iudices conuenirentur; in ſecundo quòd ad ſe per appellationem ex ſententia data vi reſcripti ſui quo delegaſſet, iudices minùs obſeruantes gradus Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, ad primarum ſedium Epiſcopos, vel earum Officiales cognitionem cauſarum reieciſſe.

3. Enatæ iuriſdictionis Apocriſariorum ſeu Reſponſalium Sedis Apoſtolicæ ad Imperatores miſſorum, ſeu Palatinorum exemplum in hac narratione Gregoriana adnotari poſſe.

4. Priuilegiis exemptionis iam tum à Sede Apoſtolica obtentis, quamuis minùs frequentibus, ſubſtractos Epiſcopos obſeruare licet.

5. Eccleſias iſtas exemptas Gregorianâ Conſtitutione non ſolùm à Metropolitanorum poteſtate, verùm etiam à Primatum videri ſubſtractas, ita vt quæcumque cauſa aduerſus Epiſcopum liberum priuilegio Apoſtolico redditum, vel fidei, vel criminis, vel pecuniaria poſſet euenire; ſi mediocris eſſet quæſtio à Reſponſalibus Romanæ Eccleſiæ in vrbe Conſtantinopolitana exiſtentibus cognoſceretur; ſi verò ardua eſſet, ad Sedem Apoſtolicam deduceretur: atque adeò Vicariorum Sedis Apoſtolicæ; ſiue Theſſalonicenſis, ſiue Corinthiorum, ſiue Iuſtinianæ primæ, iis priuilegiis debilitatam poteſtatem & auctoritatem imminutam.

6. Priuilegia huiuſmodi, tum odij & inuidentiæ (quorum exempla videmus in Metropolitano Lariſſeno, in Archiepiſcopo primæ Iuſtinianæ, in Corinthiacæ Diœceſeos Epiſcopis aduerſus Hadrianum Thebarum Epiſcopum prædictâ narratione) cauſas fuiſſe; tum recurſus ad laicos Magiſtratus, tum iiſdem anſam præbuiſſe Eccleſiaſticis ſe negotiis immiſcendi, refugientibus pluribus priuilegium exemptæ Eccleſiæ agnoſcere; concitatis exinde aduerſus exemptos æmulis, dum ſe confidunt ordinariorum, aliorúmque non exemptorum ſubſidio ac gratiâ adiuuandos, potentiores ad nocendum euaſuros, & promouentibus eas diſſenſiones laicis Magiſtratibus, & dum in ancipiti videtur eſſe iudicium, quiſnam adeundus ſit Eccleſiaſticus Magiſtratus, ad ſuum tribunal actores reóſque dubitantes quò ſe vertant, ſollicitantibus.

7. Eminere in iſta tota controuerſia perplexa Romani Pont. auctoritatem ſummam, quòd priuilegia Eccleſiis concederet, & eas à poteſtate ſuorum Metropolitanorum, ac Primatum liberaret; & in ſuam clientelam ac poteſtatē ſingulari iure reciperet: quòd Vicariorum à ſe conſtitutorum iura ampliaret ac coarctaret pro ſuâ voluntate; quòd principalibus iuſſionibus data iudicia tùm à Metropolitanis, tum à primarum ſedium Epiſcopis retractaret ac refigeret, ipſóſq; qui malè iudicauerant, pœnis Eccleſiaſticis plecteret, ac damnatum Epiſcopum Romam confugientem abſolueret. Tandémque quòd Romanæ Eccleſiæ Reſponſalis in ipſa vrbe regia Conſtantinopolitana, quæ poſt Romanum Pontificem primatum prætendebat, & cuius Antiſtes œcumenici ſeu vniuerſalis Epiſcopi elogium ſibi arrogabat; in illa tamen vrbe, quòd nulli alteri Reſponſali cuiuſquam ſedis conceſſum, quòd Reſponſali Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ aut alteri ab eo deputato, aut ab aliis maioribus

Eccleſiis, Romæ nunquam permiſſum legitur, iuriſdictionem in exemptæ Eccleſiæ, & in clientela Romano Pontifici poſitæ Epiſcopum ipſum exerceret, vidente ac tacente Conſtantinopolitano Epiſcopo.

Quæ obiter adnotare oportuit, quia hierarchicam iſtorum temporum gubernationem in iis regionibus Conſtantinopolitano throno proximis egregiè illuſtrant, nec tantam iudicare videntur primæ Iuſtinianæ Epiſcopi poteſtatem admiſſam fuiſſe, quantam Iuſtinianus exaggeraſſe videtur.

Eandem verò Iuſtinianæ primæ Archiepiſcopi nobis auctoritatem deſcribit idem Gregorius lib. 4. indict. 13. epiſt. 7. *vniuerſis Epiſcopis per Illyricum*, quâ literis ipſorum reſpondet, quibus per Maximianum Presbyterum, & Andræam Diaconum directis ſe communi ſuffragio, & Principis conſenſu Ioannem Iuſtinianæ primæ Epiſcopum elegiſſe ſcripſerant; & epiſt. 8. eidem Ioanni, quâ de vſu pallij, & cura Paſtorali diligenter exhibenda eum inſtruit. Ac ne quem nominis iſtius Ioannis æquiuocatio fallat, quandoquidem & ille quem ſuſpenſum à S. Gregorio in pœnam contemptorum Canonum & violatæ æquitatis in iudicando diximus; & iſte, cuius ordinationem S. Gregorium confirmaſſe his epiſtolis obſeruamus, Ioannes dictus legatur; non tamen eadem perſona vterque videtur fuiſſe, quandoquidem indictione vndecimâ, ſeu anno 592. circa menſem Octobrem vel Nouembrem ſuſpenſus videtur prior Ioannes Iuſtinianæ primæ Epiſcopus: poſterioris verò electi Iuſtinianæ primæ Epiſcopi confirmatio à Gregorio facta, indictione decimâ-tertiâ, ſeu anno quingenteſimo nonageſimo-quarto, circa menſem Octobrem contigiſſe debeat.

Iſtius verò ordinati Iuſtinianæ primæ Epiſcopi quanta poteſtas fuerit in Illyrici Epiſcopos, & quòd à Sede Apoſtolica flueret, eiuſque vicariatus eſſe exiſtimata ſit, ex iis epiſtolæ ſeptimæ verbis diſcere poteris, *Proinde iuxta poſtulationis veſtræ deſiderium, prædictum fratrem & coepiſcopum noſtrum, in eo in quo eſt ſacerdotij ordine conſtitutus, noſtri aſſenſus auctoritate firmamus, ratamque nos eius conſecrationem habere dirigentes pallium iudicamus: cui quoniam iuxta morem noſtras vices commiſimus peragendas: ideò fraternitatem veſtram neceſſariò præuidimus adhortandam, quatenus ei in his quæ ad ordinem Eccleſiaſticum, rectitudinémque pertinent diſciplinæ, ſiue in aliis, quibus Canonum decreta non obſtant, parere nullo modo differatis, vt charitatem veſtram ſincero cum iudicio elegiſſe exhibita valeat obedientia declarare.* Circa quæ hæc ſunt animaduertenda.

Primùm, epiſtolam iſtam dirigi vniuerſis Epiſcopis per Illyricum, non ad Daciæ mediterraneæ, aut Ripenſis, aut Dardaniæ, aut aliarum prouinciarum Epiſcopos, ad quas Diœceſis ipſius ex prędictis extendebatur. Deinde epiſt. 8. ſequenti ſcribi prędictum Ioannem *ſacerdotij totius Concilij vnito conſenſu* electum. Quæ vtique conciliari non poſſunt cum Iuſtiniani Conſtitutione 11. in qua à venerabili Concilio Metropolitanorum, quibus Archiepiſcopali dignitate eminebat: hîc autem ab Epiſcopis vniuerſis, abſque diſtinctione Epiſcoporum à Metropolitanis; & quidem ab Epiſcopis Illyrici, non autem vtriuſque Daciæ, vel Dardaniæ, aut aliarum prouinciarum, quas vt Archiepiſcopus regebat, dicitur ordinatus. verba Iuſtiniani hæc ſunt: *Quando autem piæ recordationis ſedis gubernatorem ab hac luce decedere contigerit, pro tempore Archiepiſcopum eius à venerabili ſuo Concilio Metropolitanorum ordinari ſancimus, quemadmodum decet Archiepiſcopum omnibus honoratum Eccleſiis prouehi, nullâ penitùs Theſſalonicenſi Epiſcopo, nec ad hoc, communione ſeruandâ.*

Conſentit autem Gregorio Iuſtiniani Conſtitutio Nouella 131. cap. 3. quo loco ait Iuſtinianus Epiſcopos prouinciarum Daciæ vtriuſque, Præualitanæ, Dardaniæ, Myſiæ ſuperioris, atque Pannoniæ ab Archiepiſcopo Iuſtinianæ primæ ordinari. *Ipſum verò à proprio ordinari Concilio.* Proprium enim Concilium Archiepiſcopi Iuſtinianæ primæ dicitur Concilium Epiſcoporum ſuæ prouinciæ, id eſt, Illyrici, aliàs Pannoniæ: nam Illyrici duplex eſt notio, prior, vt Illyricum comprehendat eas omnes prouincias quæ Illyrici olim dictæ ſunt, tam in Imperio Orientali ſub diſpoſitione Præfecti prętorio Illyrici, quæ olim in Eccleſiaſticis adminiſtrationibus Theſſalonicenſi Archiepiſcopo paruerunt, quam in Imperio Occidentali, ſub diſ-

ſitione Vicarij Illyrici, quarum vna erat Pannonia, quæ Illyricum ſingulariter aliquando dicta, in cuius complexu, putà in Pannonia ſecunda, ex Nouella 11. toties laudata, Iuſtiniana prima ſita erat, cuius Epiſcopi per vniuerſam Pannoniam conſtituti Concilium proprium Antiſtitis Iuſtinianæ primæ conſlauerunt, quibus Epiſcopis per vniuerſum Illyricum electoribus & ordinatoribus Ioannis primæ Iuſtinianæ ſcripſit ſanctus Gregorius epiſtolam 7. à nobis prolatam.

Quòd autem ea quæ Nouellâ Conſtitutione 11. à Iuſtiniano circa Iuſtinianæ primæ erectionem conſtituta erant, legimus emendata eiuſdem Conſtitutione 131. ratio eſſe potuit, quia Nouella 11. facta legitur ſub Conſulatu ſolius Beliſarij, nimirùm anno Chriſti 535. quo eodem anno Agapetus ſummus Pontifex rogatus iſta priuilegia Iuſtinianæ primæ Epiſcopo, quæ prædictâ Nouellâ 11. deſcribuntur, corroborare, Legatis ad quintam Synodum miſſis totum negotium tractandum commiſit, vt conſtat ex ipſius epiſt. 3. ad Iuſtinianum Imperatorem; atque interim Agapetum obire contigit, & Vigilium poſteà Imperatoris poſtulationi conſentire, additis vel detractis quibuſdam, prout æquum ipſe cenſuiſſet; Iuſtinianus ideò anno 541. Conſulatu Baſilij iunioris ſine collega, Nouellam 131. in lucem emiſit, in qua meminit confirmationis Vigilij Papæ, & quæ de ordinatione Antiſtitis primæ Iuſtinianæ à Metropolitanis totius Diœceſis ſuæ ſtatuerat, reuocauit, ac moderatiorem de auctoritate eiuſdem Iuſtinianæ primæ Archiepiſcopi ſanctionem edidit: quam ſolam, non autem priorem vndecimam (quæ ideò in antiquis editionibus inter Nouellas Iuſtiniani nullum locum habet) in vſu fuiſſe ex præcedentibus colligere licet: vt fruſtrà proinde hæreticus quidam obſeruet priuilegia Iuſtinianæ primæ Archiepiſcopo priùs conceſſa à Iuſtiniano, quam Vigilius ea approbarit: cui reſpondere in contrarium poſſumus, eodem tempore, quo Iuſtinianus de euehendo ad dignitatem Archiepiſcopi ſeu Exarchi Iuſtinianæ primæ Antiſtite cogitauit, ad Agapetum ſcripſiſſe: nec Agapetum putaſſe ſibi abſque iudicij forma concedenda, quæ rogaſſet Imperator: ſed ad Legatos ſuos rem totam remiſiſſe. Re autem infectâ, Vigilium eius ſucceſſorem, quibuſdam emendatis, quæ Canonibus Eccleſiæ, conſuetudini vel vtilitati minimè conſentire viſa fuiſſent, priuilegium primæ Iuſtinianæ Antiſtitis confirmaſſe: denique ea tantùm probata, & poſteriorum temporum vſu recepta, quæ Vigilius Papa approbaſſet.

Vnum etiam circa prædictam Conſtitutionem 11. obſeruari hîc poſſet: falli Iuſtinianum, dum Sirmium ſedem Præfecti prætorio Illyrici fuiſſe ſcribit, donec Attilanis temporibus eiuſdem locis deuaſtatis, Apennius Præfectus prætorio de Sirmitana ciuitate ad Theſſalonicenſem veniſſet profugus, eúmque ipſam præfecturam & ſacerdotalem honorem ſecutum: nam ex prædictis ſole clariùs patet, & Theſſalonicam ante Attilæ irruptionem Præfecti prætorio ſedem fuiſſe, & Vicarij Sedis Apoſtolicæ in Macedonia ac vicinis regionibus: atque adeò imprudenter iſta Iuſtiniano excidiſſe dicendum eſt, dum ſcilicet nimio ſtudio rationes inquirit, quibus patriam ſuam honoribus augendam, ſibique poteſtatem & æquitatem id faciendi non deeſſe perſuaderet.

Porrò ſequenti epiſtolâ Gregorius pallium mittens Ioanni Epiſcopo Iuſtinianæ primæ, vices ei Apoſtolicæ Sedis committit, ac duo præſertim illi commendat; vt & circa ſubiectos ſe placabilem exhibeat, vt rectitudinem ipſius diligere potius prouocentur, quàm timere: & ſi quos ad Clericatus ordinem, vel potiorem fortè gradum promoueat, non præmiis aut precibus, ſed meritis ordinationem illius perficiat.

Aliud autem exemplum auctoritatis & iuriſdictionis primæ Iuſtinianæ Antiſtitis legitur apud eumdem ſanctum Gregorium epiſt. 34. prædicto *Ioanni Epiſcopo eiuſdem vrbis*, lib. 10. indict. 5. necnon epiſt. ſeq. *Conſtantio Epiſcopo Scodritano Metropolitano*. Cùm enim Paulus Doclealinæ ciuitatis Epiſcopus in peccatum carnis lapſus fuiſſet, à Clericis ipſius accuſatus, atque inſuper conuictus, libello vera ea, de quibus accuſatus fuerat, confeſſus fuiſſet, dicitur per ſententiam Ioannis Iuſtinianæ primæ de ſuo gradu deiectus fuiſſe, & in eius locum alius nomine Nee-

meſion ordinatus, qui cùm Romam accedens conqueſtus fuiſſet, auxilio quorumdam ſæcularium iudicum adiutum Paulum more prędonis Eccleſiam ingreſſum, ablatiſque violenter rebus Eccleſiæ ab eo proiectum, ac ſummâ iniuriâ ad necem penè perductum plura reſcripſit Gregorius, quæ Iuſtinianæ primæ, & Metropolitanorum auctoritatem in Epiſcopos ſibi ſubditos depingunt. Primùm, exemplaria Scriptorum ad Iuſtinianæ primæ Archiepiſcopum mittenda, Metropolitano dirigit. Alterum, ſubtiliter eidem totius rei negotium diſcutiendum fuiſſe ſcribit.

Tertium, ſi quæ ipſe Iuſtinianæ primæ Epiſcopo executioni demandanda ſcripſerat, à ſe perfici poſſe animaduerteret, ei ipſe explere præcipit: ſin minùs, vt exemplaria dirigat ad Archiepiſcopum primæ Iuſtinianæ, qui maiori auctoritate præditus eadem exequi poſſit.

Quartum, Iuſtinianæ primæ Archiepiſcopo tantæ, quanta propoſita fuerat, nequitiæ prauitatem, nec diſſimulandam, nec leuiter attendendam: illum proinde de rei veritate ſtudioſè debere inquirere; re ita ſe habente, vt ei renuntiatum fuerat, prædictum Paulum facere eum oportere diſtrictâ executione compelli, vt quæcunque abſtulit; omni morâ vel excuſatione ceſſante reſtituat.

Quintum, addit ipſum, ſi quod ſuum vel proprium cum Eccleſiæ bonis permixtum haberet, vel à ſuo Metropolitano, vel ab ipſo Primate petere debuiſſe.

Denique, ſi poſt depoſitionem ſuam inuerecundè de Epiſcopatu loqui auſus fuerit, illum mandat à Ioanne Iuſtinianæ primæ Epiſcopo, Dominici corporis ac ſanguinis communione priuandum, & in Monaſterium vſque ad diem obitus ſui ad agendam pœnitentiam detrudendum.

Ex quibus & iſta inferre licet: Iuſtinianæ primæ Archiepiſcopo, conuictum Epiſcopum, & crimen confitentem deponere, aliúmque in eius locum ordinare licuiſſe: Epiſcopum in Diœceſi Iuſtinianæ primæ conſiſtentem, cùm Metropolitanus non ſatis virium haberet ad defenſionem, (quas ſibi vires deeſſe Scodritanus Metropolitanus faſſus fuerat, referente Neemeſione apud Gregorium citatâ epiſt. 34.) prætermiſſis tum eodem Metropolitano, tum Primate, ad Romanum Pontificem querelam ſuam deferre, illúmque iuſtis querimoniis mederi potuiſſe.

Romanum etiam Pontificem pro arbitrio inquiſitionem, & ſententiæ ſuæ executionem, vel ad Metropolitanum, vel ad Archiepiſcopum primæ Iuſtinianæ retuliſſe; & quidem ſi videretur maior auctoritas deſiderari, cui Metropolitana non ſufficeret, ad Archiepiſcopum ſeu Primatem reſcripta ſua dirigenda cenſuiſſe, qui maioris eſſe ſolebat apud proceres ſæculares & populos, tum exiſtimationis, tum dignitatis. Si verò executio reſcripti Pontificij plana, & facilis futura Metropolitano videretur, quantumuis ſe remedio adferendo ſine illo reſcripto imparem agnouiſſet, tunc ſummum Pontificem æquiùs cenſuiſſe executionem Apoſtolici reſcripti Metropolitano viciniori quàm remotiori Exarcho committere; quia & veritas vicinioribus meliùs conſtare præſumebatur, quemadmodum habetur cap. *quoſdam*, & cap. ſequenti *de præſumptionibus*: & promptiùs à vicinis quàm à remotioribus remedium adfuturum ſperabatur. Interim tamen hæc non abſolutam ſed reſtrictam, atque ab Apoſtolica Sede omninò dependentem Archiepiſcopi Iuſtinianæ primæ poteſtatem fuiſſe oſtendunt.

§. XI.

Miſcellanea quædam complectens.

VNVM addimus, nec adeò honorificum locum Archiepiſcopis Iuſtinianæ primæ, & Corinthi aſſignatum fuiſſe à Gregorio, quin etiam aliis Metropolitanis, verbi gratiâ Mediolanenſi, priorem interdum tribuerit, vt patet ex epiſtolis ipſius vndecima lib. 7. indict. 1. quæ dirigitur *Euſebio Theſſalonicenſi*, *Vrbico Dirachino*, *Conſtantio Mediolanenſi*, *Andreæ Nicopoli*, *Ioanni Corinthi*, *Ioanni primæ Iuſtinianæ*, *Ioanni Cretenſi*, *Ioanni Lariſſæo*, *Martiniano Rauennæ*, *Ioanni Calaritano Sar-*

dinæ, *& omnibus Epiſcopis Siciliæ*, & ex epiſt. 70. lib. 7. indict. 2. quæ ſcribitur *Euſebio Theſſalonicenſi*, *Vrbico Dirachino*, *Andreæ Nicopolitano*, *Ioanni Corinthio*, *Ioanni Iuſtinianæ primæ*, *Ioanni Cretenſi*, *Ioanni Lariſſæo*, *&* (Excoditano) *Scodritano*, *aliiſque compluribus Epiſcopis*, de ſuperbia Ioannis Epiſcopi Conſtantinopolitani: in quibus epiſtolis, Corinthiorum, & Iuſtinianæ primæ Primatibus, quoſdam Metropolitanos eâ dignitate minimè ornatos, priùs nominatos aduertimus.

Honorificum autem illud eſt, quòd Curopolata cap. 22. *de officiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ*, num. 14. eoſdem ritus qui obſeruantur in proclamatione ac deſignatione Patriarcharum, Conſtantinopolitani, Alexandrini, Antiocheni & Hieroſolymitani: eoſdem, inquam, omninò ſeruari teſtetur in electione & ordinatione Archiepiſcopi primæ Iuſtinianæ Achridis, & totius Bulgariæ. Quòd Balſamon *in Melete*, ſeu meditatione prima de Patriarcharum priuilegiis, hoc priuilegium procedendi cum lampade, quo Imperator Romanus & Imperatrix fruebantur, conceſſum fuiſſe Archiepiſcopis Bulgariæ & Cypri, & paucis quibuſdam Metropolitanis, & præter hos nulli quidem Eccleſiaſticæ perſonæ, & quidem in prouinciis & Diœceſibus ſibi ſubditis hoc conceſſum, Patriarchis autem etiam extra Diœceſim referat: vt leges lib. 7. iuris Græco-Romani.

Inſuper ad totius iſtius diſceptationis terminationem adnotandum, in Notitia Leonis Sapientis, & aliâ Notitiâ, quæ tribuitur Codino; & in Notitia Andronici Senioris inter thronos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſubditos numerari Theſſalonicenſem Epiſcopatum, cuius Epiſcopus ὑπέρτιμος, ſiue *ſuperhonoratus*, ἔξαρχος πάσης Θετταλίας, *totius Theſſaliæ Primas* dicitur, quamuis multis aliis, in omnibus aliis catalogis poſtponatur. Item conſtare Leonis Iſaurici decreto Imperatoris Iconomachi, in odium fidei Catholicæ fortiter à ſummis Pontificibus Gregorio ſecundo & tertio defenſæ, Illyrici prouincias, Siciliæ & Calabriæ Patriarchatui Romano ereptas, & Conſtantinopolitanæ ſedi attributas. Hinc in Notitia Leonis Sapientis, & cæteris poſterioribus Theſſalonicenſem & Corinthiorum Archiepiſcopos referri inter ſubditos Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & à Romana Sede auulſos, nominatim in Notitia Leonis Sapientis: non tamen legi in vlla ex iis Notitiis inter Eccleſias Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubditas Iuſtinianæam primam.

Deinde ex epiſtolis Gregorij 6. *Euſebio Theſſalonicenſi*, lib. 7. indict. 2. & ſexageſima nona eidem, lib. 9. indict. 4. conſtare Theſſalonicenſem Epiſcopum Romanæ Eccleſiæ tanquam Patriarchæ Occidentis ſubditum fuiſſe, iudiciáque ab eo prolata à Romano retractari & emendari, refigi, confirmari, infirmari conſueuiſſe. Denique Innocentium tertium precibus Calo-Ioannis Imperatoris Bulgarorum & Blachorum, Archiepiſcopi & Primatis Bulgariæ & Blachiæ in ciuitate Trinori conſiſtentem, dignitate exornaſſe, vt conſtat ex geſtis Innocentij III.

ARTICVLVS IV.

De Primatibus Galliarum: quorum occaſione, etiam de Metropolitanis Galliæ, & formâ hierarchicæ gubernationis octingentis præſertim prioribus annis à Chriſto nato.

§. I.

Quædam huic diſputationi præmittuntur.

PRÆDICTORVM Primatum explicationi, quæ antiquam nobis exhibet plurium orbis partium, tum in Imperio Orientali, tum in Occidentali gubernationis hierarchicæ formam; eámque non eandem omninò fuiſſe oſtendit, poſtlem Heracleenſis & Epheſini tractationem ſubiungere: ſed quia Primates iſti

minùs noti, iidémque Cæſarienſi Cappadociæ coniungi ſolent, & ad inſtar ipſius illos gubernaſſe Diœceſim ſuam probabile eſt, ideò ſingularem tractationem non merentur. Poſſem & accuratam de Primatibus Galliarum, Arelatenſi, Viennenſi, Narbonenſi in Gallia Narbonenſi, Bituricenſi & Burdegalenſi in Gallia Aquitanica, Lugdunenſi & Senonenſi in Gallia Celtica ſeu Lugdunenſi, Remenſi & Treuerenſi in Gallia Belgica diſceptationem, & ſingulorum iſtorum Patriarcharum iura ſiue vera, ſiue prætenſa inquirere.

Poſſem & in Hiſpaniis, Toletani, Hiſpalenſis, Bracharenſis Metropolitanorum pro Primatu Hiſpaniarum contentionibus me immiſcere; & aliorum in aliis regnis Epiſcoporum pro Primatu diſceptata iura referre: ex quibus omnibus ſolus Lugdunenſis Archipræſul iure iſto fruitur, vt ad Concilium ſuum plures Metropolitanos conuocare, & de ſententiis à pluribus Metropolitanis vel Officialibus prælatis per appellationem per ſe vel Officiales iudicare poſſit.

Verùm duo ſunt quæ nos ab accuratiori tractatione ſingulorum reuocant: primùm, quòd doctiſſimi viri iam de iſtis copiosè diſputauerunt, verbi gratiâ de Primatu Toletano Garſias Loayſa notis in decretum Gundemari regis, anno 548. tomo 2. Conciliorum Binij parte 2. cui diſputationi lucem aliquam adferunt quæ Garſias ſcripſit in Concilium Lucenſe ſub Ioanne Papa tertio, *de diuiſione prouinciarum Eccleſiaſticarum Hiſpaniæ*, ibidem. De Primatibus quoque Hiſpaniæ ſcripſit noſtrâ ætate vir doctiſſimus Ioannes Morinus Presbyter Congregationis Oratorij, Exercitationum Eccleſiaſticarum lib. 1. exercitatione 32. itémque eruditè & copiosè de Primatibus Galliarum, exercitatione 22. 23. 24. 25. 26. de Primatu Lugdunenſi, & cæteris Primatibus Galliarum fusè quoque & ſolidè diſputauit vir clariſſimus Petrus de Marca, opuſculo ea de re edito vice notarum ad Concilium Claromontanum. Alij ſimiliter in eadem ſe materia vtiliter exercuerunt: rem verò iam ab aliis confectam aggredi, & ab aliis adnotata retexere, nec vtile viſum eſt, nec ingenio noſtro adlubeſcit.

Alterum, quòd noſtrum præſenti tractatione inſtitutum non ſit diſquirere, quibus Eccleſiis, quando, quâ occaſione Primatus in aliquos Metropolitanos conceſſus ſit; verùm gubernationis Eccleſiaſticæ duntaxat formam generalem deſcribere, ac delineare; ad quam totis viribus in Gallia primis ſæculis diſcutiendam, ne in alienis ſcioli, in alienis peregrini eſſe videamur, hoc loco operam me non inutilem collocaturum credo.

Ad quem ſcopum mihi ſufficit relictis iis, quæ circa originem iſtorum Primatuum accuratiùs ventilari poſſunt, quæſtionibus, & Eccleſiarum inter ſe diuerſarum diſceptationibus intactis prætermiſſis, duo præſertim præſtare. Primùm, vt Metropoleon in Gallia antiquitatem oſtendam, à quibuſdam nouis & nouæ opinionis hominibus in dubium reuocatam. Alterum, vt quorumdam Metropolitanorum ſupra alios ius Exarchicum demonſtrem, aduerſus eoſdem: & in quibus ius iſtud ſitum fuerit, oſtendam.

§. II.

Metropolitanorum in Gallia antiquitas generatim probatur.

QVÒD ad primum attinet, innumera ſunt, quæ Metropolitanorum auctoritatem in Galliis ab antiquo more vigentem demonſtrant. Primùm, quòd Canon Apoſtolorum trigeſimus-tertius generalem legem ſanciat, quòd *Epiſcopos ſingularum gentium ſcire conueniat, quis inter eos primus habeatur, quem velut caput exiſtiment*: quem Canonem ſecundo ſaltem ſæculo ab Apoſtolorum ore, aut traditione acceptum haud dubiè Eccleſiæ omnes *cum fide Chriſtiana* ſuſceperunt. Nec Nicænos Canones in Gallia neglectos exiſtimare debemus, quos *totius mundi reuerentiâ conſecratos* affirmat Leo epiſtola 84. *ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem*, cap. 2. quos pariter nullâ cuiuſque nouâ vſurpatione temerari in Gallia prohibent Innocentius ſecundus *ad Victricium Rothomagenſem*, cap. 1. & 3. & epiſt. 34. *ad Epiſcopos Synodi Toloſanæ*, Zoſimus epiſtolis variis in gratiam Epiſcopi Arelatenſis,

Bonifacius epiſt. 3. *ad Hilarium Narbonenſem*, Celeſtinus epiſtolâ ſecundâ, Leo epiſtolâ octuageſimâ-nonâ *ad Epiſcopos Viennenſis prouinciæ*, capite ſecundo & quarto, & nonageſimâ-ſecundâ *Ruſtico Narbonenſi*, capite primo, & alij: quæ etiam ſtatuta Nicæna Concilium Arelatenſe II. Can. 6. & alia Gallicana Concilia citant, & tanquam legem inuiolabilem, in cauſa de qua agitur, amplectuntur. At in Nicæno Concilio Metropolitanorum iura & priuilegia ſancita ſunt Can. 4. & 6. nec noua hæc lex viſa Nicæno Concilio, ſed antiqua ἀρχαῖον ἔθος, *mos antiquus*, Can. 6. παράδοσις ἀρχαία, *vetus traditio*, Can. 7. Quin etiam diſceptationes iſtæ, quæ inter Viennenſem, Narbonenſem, & Arelatenſem enatæ ſunt de iure Metropolitico, oſtendunt, licèt de Eccleſiæ huius vel illius iure, vel amplitudine iuris diſceptaretur, tamen indubitatum in Gallia habitum, quòd ab aliquo Metropolitano vnaquæque prouincia regenda eſſet. Nec aliunde quàm ex prouinciarum diuiſionibus atque ſectionibus ortæ diſſenſiones, dum contra Eccleſiæ leges ab Innocentio primo epiſt. 18. Can. 2. Concilio Chalcedonenſi actione 6. in fine, & aliis ſancitas, ambitio Principum, fauore ac populorum aſſentatione ſubnixa, obtinere ſæpè conſueuit, vt ordinem prouinciarum ciuilem Eccleſiaſtica forma ſequeretur, fruſtrà conquerentibus antiquis poſſeſſoribus limites ſuos conuelli & iuriſdictionis ſuæ terminos contrahi; quemadmodum iam obſeruauimus contigiſſe, in diuiſione Cappadociæ in 1. & 2. ex qua inter Baſilium Cęſarienſem, & Anthymum Tyanenſem ortam grauiſſimam diſſenſionem, tum Baſilius variis epiſtolis, tum Nazianzenus carmine *de vita ſua* deſcribunt.

Alterum, quòd Concilia Gallicana etiam antiqua Metropolitanorum iura ſuis Canonibus ſanxerint, & temerarias quorumdam vſurpationes latis aduerſus pręſumptores quibuſdam nonnumquam pœnis compreſſerint, putà Regienſe in præfatione & Can. 4. Arelatenſe ſecundum Canonibus 5. 6. & 50. Agathenſe Can. 5. Epaonenſe Can. 1. 12. & 27. Aurelianenſe ſecundum Canonibus 1. 2. & 7. tertium Canonibus 3. & 4. quartum Canonibus 1. 5. & 37. quintum Canoni. 10. 17. 18. 23. Pariſienſe ſecundum in cauſa Saphoraci habitum in decreto, Pariſienſe tertium Canone 8. Pariſienſe quartum in conſtitutione Synodali *ad Ægidium Remenſem*, & in epiſtola *ad Sigébertum regem*, Pariſienſe quartum Canonibus 1. & 11. Aruernenſe ſecundum Canone vltimo, Turonenſe ſecundum Canone 1. & 9. Matiſconenſe primum Canone 6. ſecundum Can. 9.

§. III.

Exempla Metropolitanorum in Gallia ante Concilium Nicænum.

TERTIVM, quòd plurium Auctorum teſtimonio pateat, etiam ante Concilium Nicęnum, quoſdam in Gallia fuiſſe Metropolitanos: nam, verbi gratia, Lugdunenſem Epiſcopum prioribus ſæculis alias ſub ſe Eccleſias habuiſſe, quæ Epiſcopos ſuos haberent: ac proinde & ipſum Epiſcopis quibuſdam ſuperiorem pro Metropolitano agnitum fuiſſe, indicat Euſebius lib. 5. capite 22. dum varia Concilia diuerſarum prouinciarum de quæſtione circa tempus Paſchatis ſub Victore plurimùm agitata, habita docet, & inter cætera vnum numerat, τῶν κατὰ Γαλλίαν δὲ παροικιῶν, ἃς Εἰρηναῖος ἐπεσκόπει, *illarum Eccleſiarum, quas* (Irenæus Lugdunenſis nimirùm Metropolitanus) *regebat.* Cyprianus verò epiſt. 67. *Stephano*, tam Lugdunenſem quàm Arelatenſem ſuo tempore Metropolitanos fuiſſe, & Epiſcopos ſingulis ſubditos, ſingulares prouincias Eccleſiaſticas habuiſſe innuit, dum ait, *Fauſtinus collega noſter Lugdûni conſiſtens, frater chariſſime, ſemel atque iterùm mihi ſcripſit, ſignificans ea quæ etiam vobis ſcio nuntiata, tam ab eo quàm à cæteris Coëpiſcopis noſtris in eadem prouincia, quòd Martianus Arelate conſiſtens Nouatiano ſe coniunxerit.* Et paulò pòſt, *Dirigantur in prouinciam & ad plebem Arelate conſiſtentem à te literæ, quibus abſtento Martiano alias in locum eius ſubſtituatur: denique ſignifica planè nobis, quis in locum Martiani Arelate fuerit ſubſtitutus, vt ſciamus ad quem fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus.* Ex iis hæc collige:

Primùm Cyprianum Cartbaginenſem, & Fauſtinum Lugdunenſem; Stephanum Papam de Martiani Arelatenſis lapſu ſollicitè admonuiſſe; Fauſtinum Cypriano ſcripſiſſe, quia ſolebant maiorum ſedium Epiſcopi ſibi mutuò ſcribere, vt Eccleſiarum pacem atque vnitatem ſeruarent; & ſi quis ex maiorum ſedium Epiſcopis, ſeu ex Metropolitanis lapſus fuiſſet, tunc alij Metropolitani conſilio communicato & vnitis viribus reſiſtebant: ne vnius Metropolitani lapſus reliquorum ex prouincia ruinam ſecum adduceret, *Idcircò enim*, inquit Cyprianus, *copioſum corpus eſt ſacerdotium concordiæ mutuæ glutino, atque vnitatis vinculo copulatum, vt ſi quis ex collegio noſtrò hæreſim faceret, & gregem Chriſti lacerare & deuaſtare tentauerit; ſubueniant cæteri, & quaſi Paſtores vtiles & miſericordes oues Dominicas in gregem colligant.* Quare cùm Metropolitani ſuis Suffraganeis tanquam capita membris ſuis intenderent ſuperiori auctoritate, Metropolitani cæteri ſingulis eminebant tanquam partes eiuſdem corporis mutuâ charitate deuinctæ. Atque ſi quis Metropolitanus in errorem incidiſſet, ne haberet correctores quos habebat ſocios, illos epiſtolis ac legationibus in ſuas partes trahere, & in ſocietatem iniquitatis pellicere nitebantur. Vt ex eo patet, quòd eadem epiſtolâ Martianus ad Cyprianum Legatos miſiſſe narretur, optans ad communicationem ipſius admitti; & huic petitioni à Concilio plurimorum Sacerdotum hanc reſponſionem retuliſſe ſe foris eſſe cœpiſſe, nec poſſe à quoquam ipſorum ei communicari, qui Cornelio Romano Pontifici eiúſque ſucceſſoribus non communicaret. Hæc Metropolitanorum inter ſe, & cum Romana Sede, ad quam pro diſpoſitione Martiani ſcribit iſtâ epiſtolâ Cyprianus, huius temporis erat conſociatio atque confœderatio Eccleſiaſticæ vnitati vtilis.

Alterum colligitur ex eadem epiſtola, Epiſcoporum ſcilicet inter ſe ſub vno Metropolitano conſociationem fuiſſe, prouinciarum Eccleſiaſticarum iam tum factam fuiſſe diſtributionem, cuius Epiſcopi ad ordinationes præſertim Metropolitani conuenirent, & inter quos vnus cæteris emineret, ad quem cæteri Metropolitani ſcriberent, & cui communicando cæteris prouinciæ Epiſcopis communicare cenſerentur. Videmus prouinciarum Lugdunenſis & Arelatenſis mentionem hîc fieri; videmus, cùm multi aduerſum Martianum ſcriberent, ſolius Fauſtini tanquam capitis fieri mentionem: videmus ad depoſitionem Martiani Arelatenſis literas à ſummo Pontifice mittendas ſcribi, tum ad Clerum ac populum Arelatenſem, tum ad Epiſcopos totius prouinciæ Arelatenſis, vt ad Martiani depoſitionem, & alterius ordinationem conuenirent.

Videmus & à Cyptiano ſupponi ſtatim atque alius in Martiani locum ſubſtitutus foret, Stephano renuntiatum iri, à quo quis ille futurus eſſet ſignificari ſibi petit, vt ad fratres dirigere, & cui ſcribere debeat, reſcire ipſe poſſit. Nec tantopere Cyprianus optaſſet noſſe, quis Arelatenſis conſtitutus fuiſſet, cum quo pacem fouere, & ſocietatem, vt diximus, ſtrictiorem inire debuiſſet; non enim omnibus Epiſcopis totius orbis ſcribere, aut ad eos fratres dirigere Carthaginenſis Epiſcopus aut debebat, aut ſolebat, vt omnium nomina eum tenere oporteret.

Athanaſius Paulinum Epiſcopum Treuirorum in Gallia Metropolitanum appellat epiſt. *ad ſolitariam vitam agentes*, & Apologiâ *de fuga*. Idem Euphratis Epiſcopi Agrippinæ mentionem faciens, quo honore ciuitatis iſta potiretur, oſtendit his verbis, ἔστι δὲ καὶ αὕτη μητρόπολις τῆς ἄνω Γαλλίας, *Eſt* autem *iſta Metropolis ſuperioris Galliæ*, citatâ epiſtolâ *ad ſolitariam vitam agentes*.

§. IV.

Pro Metropolitano Arelatenſi teſtimo quædam.

PRo Arelatenſi Metropoli, cuius Epiſcopus alicui prouinciæ præeſſet, indubitata teſtimonia habentur ſummorum Pontificum Zoſimi, Bonifacij, Celeſtini, Leonis, Hilarij, Symmachi, & aliorum, pluribus ipſorum epiſtolis, necnon Conciliorum Taurinenſis, ſeu Taurinatenſis, & Arelatenſis ſecundi Canonibus citandis. Poſt epiſtolam ſancti Leonis Papæ 107. legitur epiſt. *Comprouincialium Epiſcoporum Metropolis Arelatenſis* ad ſanctiſſimum iſtum Pontificem, quâ epiſtolâ non ſolùm ius ipſius Metropoliticum in prouincia Viennenſi, verùm etiam Exarchicum tuentur per Gallias, qua de re infrà. Extat & epiſtola centeſimanona eiuſdem ſancti Leonis ad ipſos, quos *comprouinciales Epiſcopos Metropolis Arelatenſis* indigetat. Extat & eiuſdem centeſima-decima ad Rauennium Arelatenſem Archiepiſcopum, quâ epiſtolam ſuam dogmaticam de Incarnatione Verbi ad ipſum mittit, ad vniuerſos conſacerdotes dirigendam. Extat eiuſdem Leonis ad Epiſcopos per Arelatenſem prouinciam conſtitutos centeſima-ſexta, quâ Rauennij eorum Metropolitani electioni congratulans, non obſcurè ſignificat eum alicui prouinciæ præfuiſſe.

§. V.

De Lugdunenſi Metropoli.

SIDONIVS Apollinaris nobis ſuo tempore varios Metropolitanos deſcribit, Senonenſem, Bituricenſem, Lugdunenſem. Lugdunenſi teſtimonium præbet epiſt. 25. *Domnulo*, lib. 4. cuius ſtatim initio Patientis Lugdunenſis in ordinatione futuri Epiſcopi Cabilonenſis prærogatiuam oſtendit his verbis: *Nequeo differre quin grandis communione te gaudij feſtiuus impertiam, nimirum noſſe cupientem quid pater noſter in Chriſto pariter & Pontifex Patiens Cabilonum profectus more religionis, more conſtantiæ ſuæ fecerit. Cùm veniſſet in oppidum ſuprà ſcriptum, prouincialium ſacerdotum præuio partim, partim comitante collegio*, &c. Non potuit meliùs Patientem tanquam ducem totius prouinciæ deſcribere, quàm illum *patrem & Pontificem* nominando, & omnes comprouinciales nobis ob oculos proponendo, tanquam duci ſuo ſubditos, quoſdam ex ipſis tanquam ad miniſterium paratos ei comites: alios propter reuerentiam præuios, ad obſequium feſtinos, ad eum ſe celeriter ferentes locum, ad quem Metropolitanus eos conuocarat, & ipſius ibi præſtolantes aduentum; nullos autem pediſſequos, ſeu tardos, quia nullos negligentes.

Sed clariùs ſub finem epiſtolæ electionem Ioannis in Epiſcopum narrans, inſtigante Euphronio Auguſtodunenſi magni nominis & exiſtimationis, auctoritate & operâ Patientis, tanquam Metropolitani, aſſerentibus cæteris Coepiſcopis ab eo conuocatis, Metropolitani Lugdunenſis auctoritatem oſtendit, & Metropoliticam dignitatem. *Illius*, inquit, *nomine exulta, quem creauerunt Euphronius teſtimonio, manu Patiens, ambo iudicio. In quo fecit Euphronius, quod conueniret non ſeneclutis modò ſuæ, verùm etiam dignitatis longæuitati: fecit & Patiens vir quamlibet magnis, tamen par laudibus, quod ſatis decuit facere perſonam, quæ caput eſt ciuitatis noſtræ per ſacerdotium, prouinciæ verò veſtræ per ciuitatem.*

Quid illuſtrius his verbis, quibus & dignitas Patientis prędicatur, quòd prouinciæ ratione ciuitatis cui præerat, caput exiſteret; & officium dignitati adnexum explicatur, vt & prouinciales ad ordinationem comprouincialis conuocaret, & tumultuantem populum compeſceret, & ſuâ manu electum conſecraret, iudicióque præſertim ſuo & auctoritate rem totam componeret. Hinc Aurelianenſi tertio Concilio *Lupus Eccleſiæ Lugdunenſis Metropolitanus*, in ſubſcri-

ptione dicitur, Canoneſque cum ſuis Epiſcopis relegiſse & ſubſcripſiſse. Propter hanc etiam dignitatem ſedi Lugdunenſi conceſſam Nicetium eiuſdem vrbis Epiſcopum Gregorius Turonenſis lib. 5. cap. 20. *Patriarcham*, Florianus epiſt. 6. inter epiſtolas Francorum Regum, &c. *Archiepiſcopum*, in ipſius epiſtolæ inſcriptione nominauit, ſi tamen Nicetius ille Lugdunenſis eſt, non Treuirenſis, ei ferè coætaneus.

§. VI.

De Senonenſi Metropoli, & obiter de Bituricenſi.

SENONENSIS Metropolis teſtis idem Sidonius epiſt. 5. Agrœcio lib. 7. iis verbis, *Nec te quanquam Senoniæ caput es, inter hæc dubia ſubtraxeris intentionibus medendis Aquitanorum, quia minimum refert, quod nobis eſt in habitatione diuiſa prouincia, quando in religione cauſa coniungitur. Iis accedit quod de vrbibus Aquitanicæ primæ ſolum oppidum Aruernum Romanis reliquum partibus bella fecerunt. Quapropter in conſtituendo præfatæ ciuitatis Antiſtite prouinciarum collegarum deficimur numero, niſi reficiamur Metropolitanorum aſſenſu. De cætero quoad honoris veſtri ſpectat prærogatiuam, nullus à me hactenus nominatus*, &c.

Multa hîc diſces de honore Metropolitanis, etiam in aliena prouincia, exhiberi ſolito, quæ interprete non egent. Denique in concione coram populo Bituricenſi habita in electione Archiepiſcopi Bituricenſis, & Bituricenſi, & Senonenſi Metropolitanis luculentum exhibet teſtimonium, tum circa initium concionis, *Adiicitur huic impoſſibilitati pondus pudoris, quod mihi peculiariter paginæ decretalis oblatu Pontificis eligendi mandaſtis arbitrium, coram ſacroſancto & Pontificatu maximo Papa, qui cùm ſit ſuæ prouinciæ caput, & ego deque corámque Metropolitano verba facturus, & prouincialis & iunior*, &c. Et in fine, *Simplicius eſt quem prouinciæ noſtræ Metropolitanum, ciuitati veſtræ ſummum Sacerdotem fieri debere pronuntio.* Metropolitanos videtur ad Synodum pro componenda controuerſia inter Innocentium Gabalitanorum & Vrſicinum Cadurcinæ vrbis Epiſcopum vocatos ſcribere Gregòrius Turonenſis lib. 6. hiſtoriæ cap. 38. dum ait *coniunctum priorem cùm Metropolitanis cum ſuis prouincialibus apud Aruernam vrbem reſidentem, iudicium emanaſſe.*

Synodum autem iſtam à Sulpicio Bituricenſi capite ſequenti conuocatam narrant. Hunc Sulpicium, quia Metropolitanus erat, *Patriarcham* appellat Deſiderius Cadurcenſis epiſt. 59. inter prædictas epiſtolas in titulo: *primæ ſedis Antiſtitem* initio epiſtolæ vocitat, & dignitatem Metropolitani, ac prærogatiuam egregiè ibidem deſcribit his verbis, *Condecet primæ ſedis Antiſtitem, vt ſolers circa eum conſacerdotum exhibeatur ſollicitudo, vt dum viciſſim iura charitatis glutinantur, faciliùs Dei conſortio intereſſe mereantur: iuxta illud quod ſacratiſſimo eximij vatis ore pollicitus: Ego, inquit, inhabitabo in eis & inter illos ambulabo: necnon & Domini dictum, Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, & ego in medio eorum. Quapropter, Papa beatiſſime, veſtra ſit elaboratio, vt pertinacia, quæ plerumque inter fratres ſerpit, veſtro libramine radicitùs euellatur.* Hinc etiam Concilio Aurelianenſi I. Tetradius vt *Epiſcopus Eccleſiæ Bituricæ Metropolis* ſubſcripſit anno Chriſti 511. quemadmodum & Agathenſi anteà ſubſcripſerat, adnotatâ *Metropolis Bituricæ* mentione anno 506.

§. VII.

De Metropoli Rothomagenſi.

VICTRICIVM, ad quem extant præclaræ Paulini Nolani epiſt. 27. & 28. ex quibus enim Romam ad Apoſtolorum limina acceſſiſse diſcimus, prouinciæ Rothomagenſis Metropolitanum fuiſse docent Innocentij I. ad eum directæ literæ, nam *& eum honore ſacerdotij plurimùm pollere* ſcribit, & ad eum literas ad alios Epiſcopos ex officio mittendas dirigit, *Erit*, inquit, *dilectionis tuæ per plebes finitimas, & conſacerdotes noſtros, qui in illis regionibus proprus Eccleſiis præſident, regularum hunc librum, quaſi didaſcalicum, atque admonitorium, atque admonitorem ſedulò inſinuare.*

Vides

Vides ea quæ ſunt officij Metropolitani Victricio ab Innocentio commendata. Eóque magis eidem tanquam Metropolitano commiſſum, vt reliquos prouinciæ ſuæ Epiſcopos de iſtis regulis ab Apoſtolica Sede acceptis inſtrueret, tibi perſuadebis, quòd eadem, vt ſuprà inſinuauimus, epiſtolâ, nec ſine Metropolitano ordinandos prouinciales; nec cauſas, quæ in prouincia terminari poſſunt, niſi vocatis à Metropolitano prouinciæ Epiſcopis diiudicandas ſtatuat. Item, quòd ſequenti ad Exuperium Toloſanum ſcriptâ epiſtolâ, ſimiles ipſi inquirenti regulas ſcribat; ſed quia Metropolitanus non erat, ei nequaquam eaſdem reliquis ſuæ prouinciæ conſacerdotibus promulgandas edicat. Huc refer, quòd in Concilio Aurelianenſi I. Gildaredus ſe *Epiſcopum Eccleſiæ Rothomagenſis Metropolis* ſubſcribat.

§. VIII.

De Metropoli Remenſi.

REMENSES Præſules prouinciæ Metropolitanos diu ante ſe fuiſſe oſtendit, S. Remigius epiſt. 4. *Fulconi Epiſcopo Turonenſi*, inter relatas epiſtolas Francorum, quâ ipſorum iura peruaſa ac violata conqueritur iis verbis, *Fas ergo fuit, vt inlicitis ordinationibus tuis, à te crediderís occupandam loci Moſomagenſis Eccleſiam, quam Metropolitani vrbis Remorum, ſub ope Chriſti ſuâ ſemper ordinatione rexerunt.* Eiuſdem verò Remigij auctoritatem in erigendo de nouo Epiſcopatu Laudunenſi, Genebaudo Epiſcopo huic Eccleſiæ præficiendo, eodem damnando, ac demùm reſtituendo, referunt Sigebertus ad annum 500. Flodoardus lib. 1. cap. 14. & lib. 3. cap. 21. & alij plures recentiores Scriptores. Sed legendum ſancti Remigij integrum teſtamentum apud Flodoardum lib. 1. cap. 18. ex quo egregia auctoritatis Remenſis Metropolitani in tota ſua prouincia documenta haurientur. Quibus adde priuilegium Monaſterio ſancti Medardi à Gregorio primo conceſſum, cuiuſcunque auctoritatis ſit, in quo *Etherius Arelatenſis*, & *Flauius Remorum Archiepiſcopi* nominantur.

§. IX.

De Metropoli Burdegalenſi.

BVRDEGALENSIS ciuitatis Epiſcopum, (cuius vrbis gloriam deprædicant, Auſonius *de illuſtribus vrbibus*, cap. 13. & Paulinus epiſt. 4. Auſonio, ambo Burdegalenſes ciues) Metropolitanum ſuæ prouinciæ fuiſſe, Venantius Fortunatus lib. 1. Poematum cap. 15. *in laudem Leontij Burdegalenſis*; quem gradus honore ſuperiorem Epiſcopis Aquitaniæ ſecundæ commendat, ſicut & Burdegala cæteris eiuſdem prouinciæ ciuitatibus præcellit: hoc enim indicant verſus iſti,

Quantum inter reliquas caput hæc ſuperextulit vrbes,
Tantùm Pontifices vincis honore gradus.
Inferiora velut ſunt flumina cuncta Garumnâ,
Non aliter vobis ſubiacet omnis apex.

Hunc quoque Leontium non ſolùm in ſua Diœceſi, verùm & in tota prouincia, verbi gratiâ, in Sanctonenſi, ſuam magnificentiam erga ſacras ædes reparandas impendiſſe, canit ibidem Venantius: ſed eum auctoritatem ſuam Metropoliticam tutari voluiſſe aduerſus abuſum plùs nimirùm eò tempore inualeſcentem, vt nominati à Regibus Antiſtites, ſi abeſſet à curia Metropolitanus, ab aliis ex Regis præcepto conſecrarentur, diſces ex narratione Gregorij Turonenſis lib. 4. cap. 26. *Huius*, inquit, *Regis tempore apud vrbem Sanctonicam Leontius congregatis prouinciæ ſuæ Epiſcopis Emerium ab Epiſcopatu depulit, aſſerens non canonicè eum fuiſſe honoratum. Decretum enim Chlotarij Regis habuerat, vt abſque Metropolitani conſilio benediceretur, quia non erat præſens.* Qui & addit præualente Regis potentiâ perperàm ad Leontium attentaſſe, quinimmò cum ſuis prouincialibus, quòd id aduerſus Regis auctoritatem auſus eſſet, mulctatum fuiſſe. Quod arguit Metropolitanos iam ab

initio in Gallia inſtitutos, & Burdegalenſem hoc honore donatum, ſed regiâ poteſtate Metropolitanorum auctoritatem, inuitis Epiſcopis, & renitente Eccleſiâ, in quibuſdam mutilam & inutilem redditam fuiſſe. Adde in Concilio Aurelianenſi primo legi Cyprianum ita ſubſcripſiſſe, *Cyprianus Epiſcopus Eccleſiæ Burdegalæ Metropolis*; & in Agathenſi, *Cyprianus de Burdegala Metropoli.* In hoc ſtatim poſt Cæſarium, in illo primùm & ante omnes.

§. X.

De Metropoli Turonenſi.

TVRONENSEM ciuitatem ab antiquo Metropolim fuiſſe Adrianus II. teſtatur epiſt. 27. *ad Carolum Magnum:* huicque eiuſdem dignitati ſuffragatur Venantius Fortunatus pluribus *ad Gregorium Turonenſem* Carminibus lib. 4. quibus illum *culmen honoratum*, *Paſtorem Apoſtolicæ Sedis*, *culmen honoris*, aliiſque elogiis exornat quæ Metropolitanum decent.

Eandem indicat ſubſcriptio Licinij in Concilio Agathenſi vbi ſe Epiſcopum ſcribit *Eccleſiæ Turonicæ Metropolis.* Turonenſis quoque Eccleſiæ etiam in Aremoricam regionem poteſtatem oſtendunt verſus iſti Venantij Fortunati *ad Felicem Nanneticum, de Dedicatione Eccleſiæ ſuæ*, lib. 3. carm. 6.

Inter quos medios Martini ſede Sacerdos
Euphronius fulget Metropolita ſacer,
Lætius inde caput, quia ſunt ſua viſcera ſecum,
Eccleſiæ iuncto corpore creſcit honor.

Ex vetuſta traditione eiuſdem prærogatiuâ in Eccleſias etiam Aremoricas firmauit Synodus II. Can. 5. ſtatuens, *ne quis Britannum aut Romanum in Aremorico, ſine Metropolitani aut Comprouincialium voluntate vel literis, Epiſcopum ordinare præſumat.* Quam prærogatiuam ſimiliter à Britonibus ſæpiùs in controuerſiam aliis temporibus reuocatam ſummi Pontifices variis epiſtolis ſuis decretiſque aſſeruerunt.

Eandem Turonenſis ciuitatis prærogatiuam oſtendit Concilium Veneticum anno 455. in Paterni Epiſcopi Venetum in Aremorica ordinatione celebratum, in quo Perpetuus Turonenſis Archiepiſcopus, qui ad ordinationem Suffraganei venerat, Concilio præfuiſſe cum Suffraganeis legitur.

§. XI.

De Metropoli Ebredunenſi.

EBREDVNENSEM Epiſcopum Alpium prouinciæ Metropolitanum fuiſſe ab antiquo oſtendit epiſt. 8. Hilari Papæ *ad Leontium, Vrbanum & Victricium Epiſcopos*, quibus Ingenui, & Auxanij Epiſcoporum controuerſiam componendam delegar, in qua *Ingenuum Ebredunenſem Alpium maritimarum prouinciæ Metropolitani honore ſubnixum* dicit, eundémq; negat alteri ius Metropoliticum concedere potuiſſe; & ſi quam per obreptionem ipſe ceſſionem confirmaſſet, vt pote contra Canones, irritat, aſſerens ſe *nolle Eccleſiarum priuilegia, quæ ſemper ſunt ſeruanda, confundi: nec in alterius prouincia ſacerdotis alterum ius habere ſe permittere: quia per hoc non minùs in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quàm in iniuriam ipſius Domini proſilitur.* Quin etiam iis verbis in fauorem Ebredunenſis Eccleſiæ ita concludit, *habeat itaque Pontificium frater & Coepiſcopus noſter Ingenuus prouinciæ ſuæ, de cuius dudum ab Apoſtolica Sede eſt illicita ceſſione culpatus.* Nihilominùs ex aduerſo obiicitur Canon 2. Concilij Regenſis irritam Armentarij Ebredunenſis ordinationem declarantis, quòd ſine *comprouincialium literis, ſine Metropolitani* (Arelatenſis) *auctoritate* perfecta fuiſſet: in præfatione eiuſdem Concilij, ſeu vt repetitur Can. 2. quòd *nec expetitis Comprouincialium literis, Metropolitani quoque voluntate neglectâ*, Armentarius iſte fuiſſet Ebredunenſis Epiſcopus ordinatus. Exinde enim videtur primâ fronte colligi Ebredunenſem Antiſtitem non fuiſſe Metropolitanum, ſed Epiſcopum Suffraganeum Metropolitani Arelatenſis.

Verum cum hoc concilium ab Hilario Arelatenſi coactum fuerit, qui, vt infra videbimus, Viennenſem Prouinciam iure Metropolitico priuare ſtudebat, *Et ordinationes ſibi omnium per Gallias Eccleſiarum vendicans, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus in ſuum ius transferens dignitatem*, à ſancto Leone ideo meruit reprehēdi epiſtola octuageſima nona, *ad Epiſcopos per Viennenſem Prouinciam conſtitutos*, capite ſecundo; dici poteſt Metropolitanum Ebredunenſem iure fuiſſe, ſed per violentiam ad tempus Arelatenſi Metropolitano potentiori, abrogatâ etiam eius dignitate ſubiectū: de eo infra quædā notabuntur.

§. XII.

De *Metropoli Aquenſi.*

QVod ſpectat ad Aquenſis ciuitatis præſulem, dubium valde eſt, num Prouinciæ ſuæ Metropolitanus fuerit. Conſtat ex peruetuſtis Notitiis Prouinciarum Galliæ typis editis tomo primo Annalium Francorum, operâ *Andreæ du Cheſne*, quarum vna inſcribitur, *Notitia Prouinciarum & ciuitatum Galliæ*, quam primus in lucem dedit *Iacobus Sirmondus*, tomo primo Conciliorum Galliæ, & hæc doctioribus videtur tempore Honorii Imperatoris condita, cùm Gallias & ſeptem Prouincias diſtingui mos erat: altera inſcribitur, *capitulatio de nominibus Galliæ*, ex duobus peruetuſtis manuſcripis, qui aſſeruantur in Bibliotheca Thuana: tertia hoc titulo inſignitur, *nomina regionum & ciuitatum Galliæ*, ex aliis codicibus manuſcriptis eiuſdem Bibliothecæ Thuanæ: quarta eiuſdem fere inſcriptionis eſt, *nomina Prouinciarum vel ciuitatum regionis Galliæ*, ex codice viri clariſſimi *Philiberti du Sault*, Senatoris Burdegalenſis: quinta ſimiliter, *Nomina Prouinciarum, & ciuitatum Galliæ*, ex veteri membrana quæ exſtat in Bibliotheca viri clariſſimi, *Alexandri Petauij*, Senatoris Pariſienſis Pauli filij: ex iis inquam, Notitiis conſtat Prouinciæ Narbonenſis ſecundæ Metropolim fuiſſe Aquenſem ciuitatem, ſub quâ ex ciuitates recenſentur; Aptenſis, Reienſis, Foroiulienſis Vappenſis, ſeu Vapicēſis, Segeſteriorum, & Antipolitana: à quibus differt duntaxat illa, quæ à Ioſepho Scaligero in lucem edita eſt, quod Aquenſem Viennenſis tertiæ Metropolim faciat, quemadmodum & Iſidorus auctor collectionis epiſtolarum decretalium.

Qui vetuſtatem huius Metropolis Aquenſis tuentur, hoc argumento nituntur eam defendere: quia vnaquæque Prouincia ſuum habere debuit Metropolitanum: ac proinde cum Narbonenſis ſecunda, ſeu Viennenſis tertia diſtincta à cæteris Prouinciis fuerit, & eam ſuum Metropolitanum habere debuiſſe, ſicut reuera Iſidorus Aquenſem iſtius Prouinciæ Metropolitanum ab antiquo fuiſſe ſcripſit.

Cuius rei confirmatio accedit ex controuerſia, cuius ſupra obiter mentionem fecimus, inter Ingenuum Ebredunenſem, & Auxanium, cuius iudices ab Hilaro Papa conſtituti ſunt Leontius, vt probabile eſt, Arelatenſis, Veranus Lugdunenſis, vel potius Vencienſis Epiſcopus, Eucherii filius, Salonii frater, ex Martyrologio Eccleſiæ Vencienſis, & Victurus Antiſtes cuius Eccleſia ignoratur. Controuerſiæ ſiquidem ſumma hæc eſt, cùm ex decreto Leonis Papæ prędeceſſoris Hilari Epiſcopatus Cemelienſis cōiunctus fuiſſet Epiſcopatui Caſtri Nicæenſis, Iugenuus Ebredunenſis ſuo iure Epiſcopum vtrique loco vnum ordinare prætendebat: ac Auxanius in altero eorū locorū Epiſcopum ordinauerat tanquā in loco ad ſuam Prouinciam ſpectante, in altero Ingenuus Ebredunenſis: hic autem Auxanius debet eſſe Metropolitanus quidam, ad quē Prouincię ſuæ Epiſcopos ordinandi ius ſpectaret, aliàs nullo iure Epiſcopi ſeu Niceenſis ſeu Cemelienſis potuiſſet ordinationem prætendere: debuit etiam hic Metropolitanus his locis eſſe finitimus, & ab Arelatenſi diſtinctus, tum quod Auxanius Arelatenſis his temporibus poſterior, tum quod Leontius iſte Arelatenſis ipſe eſſe videtur, qui inter litigantes iudex à ſummo Pontifice datus fuit ad inquirendum in cuius Prouincia vterque locus ſitus eſſet, & ad ſatagendum vt ad vnius antiſtitis regimen prædicta loca reuerterētur, quę in duos diuidi non decebat ſacerdotes: nullus autem alius Metropolitanus fingi poteſt quàm Aquenſis his locis finitimus, & ab Arelatenſi diſtinctus. Igitur iſto tempore Aquenſis Metropolitanus erat, cui ius ordinandi in ſua Prouincia, id eſt Viennenſi tertia, ſeu Narbonenſi ſecunda competebat. Fauet etiam quod epiſtolâ ſeptimâ Hilarus Prouincias numerans quæ Arelatenſi Epiſcopo ſtrictius alligarentur, vt ad cōcilia ab ipſo indicēda accederent, ad *Epiſcopos* reſcribat, *Prouinciæ Viennenſis, Lugdunenſis, Narbonenſis primæ, ſecundæ, & Alpinæ*; at Narbonenſis ſecundæ nomine, nullam aliam intelligere potuit Prouinciam, quàm quæ Aquenſi Metropolitano ſubdita eſſet: igitur & hanc Pro-

Digitized by Google

uinciam Eccleſiaſticam agnouit Hilarius,& Aquenſem Metropolitanum iſtius Prouinciæ eſſe credidit: Præterea concilium Taurinenſe canone primo, contra Eccleſiaſticam legem & conſuetudinem iudicauit, quod Maſſilienſis in Prouincia Arelatẽſi, Metropoliticam in Narbonenſis ſecundæ Prouinciæ Eccleſiis auctoritatem vendicaret, eique ad vitam in aliquas duntaxat poteſtatem permiſit; ſupponit igitur ex canone Eccleſiaſtico,& lege debuiſſe ex eadem Prouincia eſſe aliquem Narbonenſis ſecundę Prouincię Metropolitanum. Aquenſem quidem non nominat: ſed quis alius ex iſta Prouincia toti Prouinciæ præpoſitus excogitari poteſt; quandoquidem Arelatenſis ex eadem fuerit, ex qua Maſſilienſis, ac proinde extra Narbonenſem ſecundam conſiſtens, eidem ex ratiocinatione Concilii Taurinenſis tanquam Metropolitanus prę eſſe nõ debuerit?

Econtra vero ex libello Symmacho Papæ oblato ab Ægidio Abbate, & Meſſiano notario ex parte Eccleſiæ Arelatenſis,& Symmachi reſponſo, ſeu epiſtolâ ipſius vndecimâ, patet Aquenſem Præſulem Arelatenſi Metropolitano ſubditum fuiſſe: libellus quidem oblatus Symmacho hæc habet: *Aquenſis etiã ciuitatis Epiſcopum ſanctitatis veſtræ moneri præcipite, vt dum à Metropolitano antiſtite Eccleſiæ Arelatenſis ad Synodale concilium fuerit euocatus, vel aliquâ ordinationis cauſâ eum ſibi poſtulet religio diuina neceſſarium, minimè venire fruſtretur, quatenus ea quæ longæuis ſæculis priſcorum ſanxit auctoritas, vobis præſulibus præſenti, futuræque ætati inuiolata ſeruentur,* Huic petitioni annuit Symmachus, atque ita præfatur: *Rationabile eſt, vt ſancta Arelatẽſis Eccleſia propriis priuilegijs perfruatur: & quod veſtutas præſtitit, & patrum auctoritas roborauit, noua non debet violare præſumptio, ſic tamen vt cæterarum eccleſiarum priu legia temporibus acquiſita non titubent.* Qua præfatione præmiſſâ quæ omnibus reſponſionis ipſius capitibus aptari debet, ſecundo petitionis articulo, circà Aquenſem Eccleſiam iis verbis reſponder. *Igitur, quemadmodum ſuprà diximus, per ſingulas Eccleſias beneficia quæ ſunt diu cuſtodita ſeruentur. Et, ſi iam Eccleſiæ Aquenſis Antiſtes, vel alius quilibet Metropolitano Pontifici iuxta canonum definitionem volatus obtemperare noluerit, nouerit ſubdendum ſe, quod non optamus, eccleſiaſticæ diſciplinæ.*

Ex iis ſiquidem verbis deduci poteſt ex veteri more Aquenſis ciuitatis Antiſtitem Metropolitano Arelatenſi ſubditum fuiſſe, eiuſque ſuffragaoeum cum cæteris Arelatenſis Prouinciæ ſuffraganeis, ſynodis & ordinationibus intereſſe debuiſſe, ac proinde Metropolitanum eum nequaquam extitiſſe ſaltem αὐτοκεφαλὸν, & ſui iuris.

Addi etiam poteſt, nequidem tempore Caroli Magni, videri eum Metropolitani dignitate inſignitum fuiſſe, quandoquidem ipſius ætate Metropolitanæ tantũ ciuitates viginti; & vna in toto eius imperio fuiſſe referantur, quibus ipſe ſuo teſtamẽto pecunias legauit, eæque numerẽtur, *Roma, Rauẽna, Mediolanum, Forum-Iulij, Gradus* in Italia, *Colonia, Moguntiacum, Iuuanum, quæ & Saltzburg, Treueris* in Germania, *Senones, Veſontium, Lugdunum, Rothomagus, Remis, Arelas, Vienna, Darantaſia,* ſeu Tharantaſia, *Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges in Francia,* vt legitur apud Eghinardum in vita Caroli prope finem. In qua quidem enumeratione, Aquenſem, ſicut & Auſcitanum Archiepiſcopos prætermiſſos obſeruare eſt.

Verùm conciliari poſſunt iſta, ſi dicamus Aquenſem Præſulem Metropolitanum ſuæ Prouinciæ Narbonenſis ſecundæ fuiſſe, eiuſque adminiſtrationem habuiſſe, quamuis αὐτοκεφαλὸς minime fuerit, ſed Arelatenſi in ordinatione ſua ſubiectus, & ad ſe ſiſtẽdum Conciliis ab Arelatenſi Metropolitano conuocandis obligatus fuerit: atque adeo Metropolitanum quidem fuiſſe, ſed imminutæ auctoritatis, ab Arelatenſi Metropolitano tanquam à Primate ſingulariter dependentem.

§. XIII.

De *Metropoli Tarentaſienſi.*

IDem de Tarentaſiæ Metropolitano dicendum. Quibuſdam nimirum videtur & hunc antiquitus Metropoliticum aliquod ius habuiſſe in ſua Prouincia quę *Alpiũ Graiarum* ſeu *Penninarum* dicitur, in qua duæ tantum ciuitates in Notitia à Patre Sirmondo edita numerantur, *ciuitas Centronum Taranthaſia, & ciuitas Vaſenſium Octodoro.* Ex quibus duabus duntaxat ciuitatibus conflabatur iſta prouincia, quæ non tantum in laterculo Imperii Prouinciæ ius habuiſſe videtur: verùm etiam in ordine Eccleſiaſtico: quandoquidẽ Hilarius Papa epiſtolam octauam à nobis iam laudatam diuerſarũ prouinciarũ Epiſcopis reſcribens, Prouinciæ quoque Alpinæ inter cæteras meminerit: vtraque porro ciuitas Epiſcopalis erat, Tarantaſia quidem Viennæ Metropoli attributa, decretis

tum Leonis, epiſtolâ centeſimâ nonâ ad *Epiſcopos Prouinciæ*, tum Symmachi, epiſtola decimâ ad Epiſcopos Galliæ, cuius ciuitatis Epiſcopi, Sãctus Epaonenſi concilio, Martianus Matiſconenſi primo, Baudometis Cabilonenſi ſubſcribunt; Octodorus autem & ipſa Epiſcopalis, cnius Epiſcopus concilio Aquileienſi ſubſcripſit.

Sed hoc vtique mirum eſt quod in diuiſione facta inter Arelatenſem, & Viennenſem Metropolitanos Octodorus nulli eorum legitur attributa, ſiue à Leone, ſiue à Symmacho, quamuis Tarentaſia Viennenſi attribueretur.

Ex quo anſam quidam arripuerunt, vt dicerent Tarentaſiæ Epiſcopum licet Viēnenſi Metropolitano ſubditum, tamen Octodorenſem ſub ſua poteſtate habuiſſe, vt eum ordinaret, illique prçeſſet. Sed quia nec concilium duorum eſſe debere viſum eſt, cùm nullum collegium niſi ex tribus ſaltem conſtet, vt notat Gloſſa verbo *in conuentuali*, in capnt *à nobis*, de iure Patronatus: nec ordinatio Epiſcopi niſi à tribns legitimè perfici poſſe ſecundùm canones credita eſt: ideo Tarantaſiæ Epiſcopũ Viennenſi attribui conſentanenm indicatũ eſt, licet ei Octodorēſis Epiſcopus ſubiaceret, vt canones ſeruarentur, qui in vnaquaque Prouincia aliquem Metropolitanum eſſe decernunt.

Quibuſdam tamen aliter viſæ ſunt iſtæ coniecturæ meræ diuinationes: maximè cùm in concilio Cabilonenſi ſub Clodouæo ſecnndo, in quo ſubſcribunt Metropolitani ante reliquos, Baudomeris Tarantaſienſis poſt plures inferiorum ſedium Epiſcopos ſubſcribat. Itemque & Matiſconenſi ſecundo, in quo & delatus honor Metropolitanis, miſſus tamen Martiani Epiſcopi à Tarentaſia inter miſſos Epiſcoporum inferiorum ſubſcriptus adnotetur: nihilominus priorem ſententiam amplectuntur Bullæ Pontificiæ ſen epiſtolæ Leonis tertii & Nicolai primi, quæ in antiquitatibus Viēnæ ciuitatis exſcribnntur, prior ſi quidem ita loquitur, *Et licet Tarantaſiæ Epiſcopus aliquibus oppidis videatur prælatus. Tamen Prouincia Alpium Graiarum ditioni Viennenſis Eccleſiæ ſubmiſſa, ſicuti à prædeceſſoribus noſtris confirmatũ eſt, manebit; nec debet Epiſcopus ſupradictæ Prouinciæ humilitatis viam in ſubditione maioris contemnere, cum conſtet eum gratia muneris aliquibus prælatum excellere.* Poſterior eadem tradit: vbi enim Tarantaſiam Viennenſi Epiſcopo ſubditam manere confirmauit, ſicut Leonis decreto ſtatutum fuerat, ſubdit: *neque tamen propterea Tarantaſienſis Eccleſiæ Pontifex ius ſibi collatum perdat. Quia nec hoc Viennenſis Archiepiſcopus Primas ipſius à noſtra auctoritate poſtulauit, vt in aliquibus oppidis ſibi commiſſis non ordinet, & ad ſe cùm opportunum viderit, non aduocet, ſed ſub iure Viennenſis Archiepiſcopi ita ſe poſitum ſemper ſciat, vt per diſpoſitionem ipſius omnia hæc agat, & ad ſynodum ipſius vocatus pariter cum ipſis ſibi conceſſis occurrat: & quantum ad generalem prouinciam attinet, nihil præter auctoritatem ipſius præſulis definire præſumat.*

Quamcumqne vero quis partem amplectatur, ſiue Aqnēſem Viennenſi, Octodorenſem vero Epiſcopum in eadem ciuili prouincia Alpium Graiarum ſeu Penninarũ Arelatenſi ſubditũ fuiſſe dicat, cùm inter vtrumque nobiliſſima prouincia diuiſa eſt à Leone, & deinde à Symmacho, in qua diuiſione, *Valentia, Tarantaſia, Geneua atque Gratianopolis Viennenſi Metropolitano ſubiici debere* dicuntur; reliquæ *vero ciuitates*, quæ in Prouincia Viennenſi ſeu Arelatenſi erant, Arelatenſi Epiſcopo adindicatę ſunt: ſiue quis Taraſtaſiam Metropolim fuiſſe Alpinæ Prouinciæ, in qua vnicũ ſecum habebat ſuffraganeũ Octodorenſem, obnoxiam proinde ipſam fuiſſe Viennę Metropoli, &, licet non ἀμούσως, ipſam etiam Octodorum, nihil aduerſus veterem Herarchicam Metropoleon in Gallia inſtitutionem & obſeruantiam inferri poteſt, ſed ſolnm non ſemper Prouinciarum ciuilium partitionem cum Eccleſiaſtica conueniſſe. Leonemque ac Symmachum, vt eorum verba indicãt, in diſtributione Epiſcopatuũ ſub alterutra Metropoli Viēnēſi aut Arelatēſi rationē potiùs viciniæ, & opportunitatis locorũ, quàm Prouinciarũ ciuilium habuiſſe.

Nihil ego definio, imo nec certi qnidquam definiri puto, quandoquidē vel ipſo tēpore Caroli Magni res iſta nondum plane eliquata videatur, de qua ſci icet dubitatum fuit in concilio Francofordienſi, vt patet ex canone octauo eiuſdem Concilii, *de altercatione*, inquiunt Patres, *Vrſionis Viennenſis Epiſcopi, & Elefanti Arelatenſis, lectæ ſunt epiſtolæ beati Gregorij, Zoſimi, Leonis & Symmachi, quæ definierunt, eo quod Viennenſis Eccleſia quatuor ſuffraganeas habere ſedes deberet, quibus illa quinta præemineret: & Arelatenſis Eccleſia nouem ſuffraganeas habere deberet, quibns ipſa præemineret. De Tarentaſia vero & Ebreduno ſiue Aquis legatio facta eſt ad Sedem Apoſtolicam: & quicquid per Pontificem Romanæ Eccleſiæ definitum fuerit, hoc teneatur.*

Poſtea conceſſiſſe Romanum Pontificem vt à iugo Eccleſię Viennenſis Tarantaſia ſoluta eſſet, & vt metropolitico iure in prouincia Alpina liberè frueretur, colligi poſſe videtur ex teſtamento Caroli Magni in quo inter Metropoles Eccleſiaſticas Tarantaſia numeratur. Obſtant tamen ea quæ ex bulla Leonis tertii & Nicolai primi retulimus, quæ Tarantaſiæ Epiſcopum ſubditum fuiſſe Viennenſi vt Primati ſuo oſtendunt: conſtat autem poſtea Epiſcopos eum ſuæ Prouinciæ vocare potuiſſe: conſtat eius ciuitatis Epiſcopum Teutramnum, cum ſuis Suffraganeis Auguſtenſi ſeu Auguſtæ prætorio Præſule, & Sedunenſi ad concilium vocatos à Ioanne octauo epiſtolâ centeſimâ: Concilijs vero Gallicanis quibuſdam, puta Matiſconenſi ſecundo ſub Clotario ſecundo, miſſum Honorij Sedunenſis Epiſcopi; Cabilonenſi ſub Clodouæo ſecundo, Protaſium Epiſcopum Sedunenſem legimus ſubſcripſiſſe: ſed hæc ex iis quæ de Arelatenſi & Viennenſi Metropolitanis dicentur magis eluceſcent.

§. XIV.

De diuiſione Galliarum ad ſequentium intelligentiam neceſſaria.

VT autem tum prædictis, tum etiam mox dicendis circa contentiones inter Arelatenſem, Viennenſem, & Narbonenſem Metropolitanos lux aliqua affulgeat; Obſeruare oportet primò, Galliam ab Auguſto in Narbonenſem, Aquitanicam, Lugdunenſem, & Belgicam diuiſam fuiſſe, teſtibus Strabone, Melâ, Plinio, Ptolomæo: in quatuordecim poſteà Prouincias diuiſam fuiſſe, quæ ſaltem ex parte ſubdiuiſio Galliarum antiqua eſſe debuit, quandoquidem in Concilio Arelatenſi primo Viennenſis Prouinciæ in ſubſcriptionibus mentionem factam legamus, vt pote à Narbonenſi iam diuerſæ, & in codice Theodoſiano, lege prima, titulo tertio, libro vndecimo Lugdunenſem primam Prouinciam, à Conſtantino dictam notemus, & ab Hilario libro de Synodis Germanicam primam, & ſecundam, Belgicam primam & ſecundam, Lugdunenſem, primam, & ſecundam, Aquitanicam, Nouempopulanam, & Narbonenſem nominatas.

Quin etiam ſi ad antiquiora tempora recurramus, Diocletiano regnante, Maximam Sequanorum à Lugdunenſi ſeparatam notamus ex inſcriptione veteri, apud Gruterum paginâ centeſimâ decimâ ſextâ numero ſeptimo: Marco Aurelio imperante Belgicas, & duas Germanias Prouincias diſtinctas fuiſſe ſub vno Procuratore rationum oſtendit inſcriptio apud eundem paginâ trecenteſimâ ſeptuageſimâ quintâ numero primo: Tiberii & Neronis Principatu, diuiſas à reliqua Belgia duas Germanias fuiſſe indicat Tacitus libro decimo tertio Annalium: quas duas Germanias, vnam ad ſuperiorem Rheni ripam, alteram ad inferiorem teſtatur idem auctor libro primo, & vtramque Prouinciæ dignitatem habuiſſe ſignificat libro quarto & libro ſexto: integram autem Lugdunenſem tempore Galbæ vnico Blæſo rectori paruiſſe, Solidam Narbonenſem Tito Vinio Proconſuli, teſtatur libro primo & ſecundo hiſtoriæ: vni quoque Aquilæ Aquitanicam ad regendum commiſſam ab Imperatore Veſpaſiano idem narrat in vita Agricolæ.

Ex quibus colliges quatuor Gallicas Prouincias ſubdiuiſas pro arbitrio Principum fuiſſe, quaſdam ſeriùs, quaſdam citiùs; probabile verò videri diuiſionem Galliæ tẽpore Valentiniani in quatuordecim Prouincias quas Sextus Rufus in Breuiario aſſignauit, ſub Hadriano & Antonino delineatam fuiſſe, quorum vterque plurima circa Imperii gubernationem innouauit. Diuiſio autem à Sexto Rufo præfecturæ Galliarum in octodecim Prouincias refertur: à quibus poſtquam quatuor Britannicas diſtraxeris, quatuordecim remanent intra Gallias Oceano, Rheno, Alpibus, Pireneis, Marique Mediterraneo concluſæ, puta Narbonenſis, Viennenſis, Alpes Maritimæ, Alpes Græcæ & Penninæ, Aquitanica prima, Aquitanica ſecunda, Nouem populana, Lugdunenſes duę, prima, & ſecunda, Maxima Sequanorum, Belgicæ duæ, Germaniæ duę, ſuperior & inferior: quæ poſtea diuiſio aucta eſt vſque ad ſeptemdecim quæ referuntur in Notitia Imperii, quæ ſcripta creditur circa tempora Theodoſii Iunioris, Narbonenſi ſcilicet duplici conſtitutâ, primâ, & ſecundâ, & Lugdunenſi in quatuor Prouincias diuiſâ; quam diuiſionem Conſtantino qui tribuunt non mihi videntur à vero abeſſe.

§ XV.

Origo diſſenſionis inter Arelatenſem, & Viennenſem Metropolitanos, de Iure Metropolitico.

SEcundo etiam obſeruandum in hac diuiſione, Narbonenſem, quæ tempore Auguſti vnica erat Prouincia, in quatuor diuiſam reperiri, puta in Viennenſem, Narbonenſem, Alpes Græcas, & Alpes Maritimas. Quam diuiſionem Narbonenſis Prouinciæ cauſam dediſſe coniicimus variis diſſenſionibus, quæ inter Narbonenſem, Viennenſem & Arelatenſem Epiſcopos de dignitate Metropolitica in totam Prouinciam emerſerunt. Narbonenſis ſiquidem, cuius ciuitas caput fuerat cæterarum, ſi quod ius habuit Metropoliticum in alias Prouincias à ſe auulſas, ægre tulit à ſe eripi: ſed maior inter Viennenſem, & Arelatenſem præſules diſſenſionis occaſio, cùm enim Viennenſis Prouincia tam Arelatenſem, quàm Viennenſem ciuitatem comprehenderet, & vnica in hac diuiſione eſſet, in duos ſcindi Metropolitanos minimè debere videbatur: Atque adeo in cæteros huius Prouinciæ Epiſcopos, Viennenſis & Arelatenſis, reliquis digniores, quibus exploratum erat, in vnaquaque Prouincia aliquem Metropolitanum eſſe debere, prærogatiuam iſtam ambiebant, ſingulique ad ſe trahere nitebantur. Viennenſis antiquâ dignitate & ſplendore certabat quæ Prouinciæ nomen dederant; ob quas etiam prærogatiuas, *vrbs Senatoria*, olim dicta teſtibus Pio primo epiſtolâ ad Iuſtum Viennenſem, & Adone Viennenſi in chronico; *Metropolis Allobrogum*, à Strabone libro quarto nuncupata; tantique nominis in Eccleſia Dei fuit, vt ad eam Aſiæ & Phrygiæ fideles ſcriberent, & Viennam Lugduno in ſalutatione præponerent, apud Euſebium lib. 5. hiſtor. cap. 1. aliàs 2. Arelas è contra Conſtantini beneficiis locupletata, à quo *Conſtantina* vocata eſt, ſua dignitate ſe tuebatur, quod ordinaria ſedes eſſet præfecti Prætorii, vt oſtendit notitia imperii, ob idque *Gallica Roma*, ab Auſonio, *de claris vrbibus* dicta fit, & ab Honorio conſtitutione ad Agricolam, *Metropolis*, ſine addito. Alias etiam ab antiquitate rationes petebat, quas Epiſcopi Metropoleos Arelatenſis referunt epiſtolâ *ad Leonem* Papam. Cæteris Epiſcopis Metropoleon in cæteris Prouinciis à Narbonenſi diuulſarum, ob ciuitatum ſuatum præ iſtis exilitatem, abunde ſatisfactum erat, ſi ſuam in Epiſcopos eiuſdem Prouinciæ retinerent auctoritatem: pręcipua inter illos duos, Arelatenſem, & Viennenſem dimicatio erat, tanto æquior ſingulis viſa, quod cùm vnicum eſſe debere Viennenſis Prouinciæ Metropolitanum videretur, nullus ex iis erat qui non iſtam ſibi prærogatiuam deberi iure merito crederet.

Sed antequam contentiones iſtas aggrediamur, ſcrupulum eximere debemus, vtrum ante iſtas ſubdiuiſiones Galliæ, vel ſaltem ante Conſtantinum quatuor tantum eſſent Metropolitani Galliarũ, ſicut quatuor tantũ partes à quibuſdã Galliarum, ſed falſò, fuiſſe creduntur, & vtrum vnicus eſſet in Prouincia Viennenſi Metropolitanus, antequam ſancti Leonis decreto contentio, inter vtrumque Epiſcopum Arelatenſem & Viennenſem diuiſione Prouinciæ ciuilis in duas Eccleſiaſticas ſopita eſſet.

§. XVI.

Ab antiquo tempore, & ante Conſtantinum plures in Gallia quàm quatuor fuiſſe Metropolitanos, in Galliis Narbonenſi, Aquitanica, Celtica, & Belgica.

EX Superioribus ni fallor elici poteſt, plures in Gallia etiam ab antiquo tempore fuiſſe Metropolitanos quàm Prouincias, quandiu quatuor Prouinciæ Galliarum vulgo habitæ ſunt.

Primo enim Galliam fatemur tres in partes diuiſam fuiſſe tempore Iulij, & in quatuor poſtea tempore Auguſti, qui Narbonenſem tribus præcedentibus adiunxit: ſed ſiue hæc diuiſio recepta poſtea fuerit, ſiue à poſterioribus temporibus immutata, qua de re infra, certè conſtat quod diu ante Conſtantinum Magnum non vnica iuriſdictio, aut modus gubernandi vnamquamque ex iis Prouinciis conſtringeret: quod

plures in vnaquaque ex iis Prouinciis ciuiles eſſent iuriſdictiones, pluresque Metropoles.

Et quidem ex commentariis Cæſaris diſcere potes, diuerſas ſuo tempore in Gallia iuriſdictiones fuiſſe, easque à Prouinciis Eccleſiaſticis, quæ poſtea inſtitutæ ſunt, non multum in pluribus diuerſas. Ammianus Marcellinus libro decimo quinto, non vna iuriſdictione Germaniam ſuperiorem & inferiorem quæ Belgicæ Galliæ adcenſebantur, & Belgicam, gubernatas fuiſſe docet: Domitiano imperante Lucium Antonium ſuperiorem Germaniam adminiſtraſſe narrat Suetonius in Domitiano: Emilius Macer vetus Iuriſconſultus ante Conſtantinum lege tertia, digeſtis *de officio Aſſeſſorum*, in exemplum Prouinciæ ſub duobus præſidibus conſtitutæ Germaniam adducit: Itinerarium Auguſti Antonini eaſdem fere Metropoles refert ſuo tempore politicas, quas habet Gallia Eccleſiaſticas, puta Viennam, Moguntiam, Treuiros, Remos, Lugdunum, Turonum, ciuitatem Senonum, Ebredunum, Tarentaſiam, Veſcontium, Bituricum, Burdegalam, Auſciorum & Aquenſium ciuitates atque Narbonam, ſed vtrum itinerarium iſtud ſit Antonini Imperatoris, vt præfert inſcriptio video, à doctis viris agitatum.

Quo eodem fere tempore, quo in Gallis per Euangelii prædicationem Eccleſiæ coaleſcere potuerunt, formaque gubernationis earum inſtitui, metropoles iam tum ciuiles eędem omnes vel fere omnes erant, quæ ex vetuſta traditione Galliarum Eccleſiaſticæ factæ creduntur: tantum abeſt vt quatuor tantum Metropoles generales eſſent Belgicæ, Lugdunenſis, Aquitanicæ, & Narbonenſis Prouinciarum: & quatuor duntaxat Metropolitani in tota Gallia inſtar quatuor præfectorum ciuilium admittendi videantur, cùm nec quatuor tantum præfectos ſeu præſides fuiſſe ciuiles probabile ſit, tunc cùm Euangelium in Galliis diſſeminari cæpit, & Eccleſiarum regendarum forma componi.

Secundo Metropolitanos Galliarum, de quibus ſupra egimus, vel ex eo probabile eſt potius conſtitutos cum Eccleſia naſcente quam poſterioribus temporibus, poſt Imperium Conſtantini; quod nimirum delectus ciuitatum, quas Metropolitanas factas poſtea animaduertimus, magis congruat temporibus Eccleſiæ naſcentis, quam Conſtantini: nam verbi gratia Senonum ciuitas tempore Iulij Cæſaris nobilis, tempore Antonini, cuius ætate vixit Ptolemæus, inter Prouinciales ciuitates inſignis teſte eodem Ptolemæo libro ſecundo capite octauo, tēpore Conſtātini, minoris vtique nominis & ſplendoris; quo tempore ſi metropolis aliqua conſtituta fuiſſet, Pariſienſis ei ciuitas prælata fuiſſet, quæ cum tempore Iulij Cęſaris præ Senonum & Carnutum ciuitatibus minoris nominis eſſet, vt colligitur ex libro ſexto *de bello gallico*; at tempore Conſtantini maioris dignitatis fuiſſe videtur, quandoquidem Iulianus Cæſar, Valentinianus, Gratianus Imperatores, in hac potius vrbe quàm in aliis conſediſſe videantur, ex teſtimoniis Ammiani libris decimo ſeptimo, & vigeſimo ſeptimo, Proſperi in Chronico ad annum trecenteſimum octuageſimum, ſeptimum & aliorum; Pariſiis quoque tempore Liberij ſub Iuliano Concilium habitum legamus apud Hilarium, fragmentorum libro ſecundo, qui ipſius ſplendor Chlodouęum primum induxit, vt in ea vrbe *cathedram regni conſtitueret*, vt loquitur Gregorius Tournenſis libro ſecundo hiſtorię capite trigeſimo octauo. Toloſam quoque, quam circa tempora Conſtantini Vrbem inſignem fuiſſe ex eo coniicies, quod ipſi ſoli ex Gallicis vrbibus, Auſonius cum Narbona & Burdigala inter celebriores totius orbis ciuitates locum dederit, cùm tamen à Conſtantino ipſam, aut aliquo poſteriore imperatore ad hæc vſque tempora nec ædificatam nec amplificatam legamus, Toloſam, inquam, cuius tempore Iulij Cęſaris nequaquam, vt inſignis ciuitatis ſit mentio, ſed bis duntaxat ab auctore *de bello gallico*, cum aliis in turba Toloſates numerantur, libro tertio capite ſexto, & libro ſeptimo capite ſecundo, Metropolim nonniſi ſerò fuiſſe ſcimus: quod indicium eſt ab initio prędicatæ fidei Metropoles in gallia, non autem poſt Conſtantinum fuiſſe erectas.

Denique traditio Eccleſiarum galliæ, à qua non facile boni viri recedunt, ea eſſe videtur, ab iis vrbibus quæ ab antiquo metropoles fuerunt ad alias fidem fuiſſe diſſeminatam, verbi gratia à Senonica, à Bituricenſi, à Lugdunenſi & aliis ad reliquas comprouinciales Euangelij lucem tranſmiſſam fuiſſe, ſeſe videlicet ad Metropoliticam vrbem inſignioribus Euangelij præconibus conferentibus, & reliquos ſibi in Euangelii prędi-

catione ſocios datos, ad alias eiuſdem Prouinciæ ciuitates mittentibus, aut ipſis ad illas excurrentibus, vbi primam ſedem cathedramque in Metropoli fixiſſent. Quam vtique traditionem euertunt qui Metropoles iſtas antiquas ab initio fixas & conſtitutas negant, eaſque tantum poſt amplificationem ciuilium Metropoleωn à Conſtantino factam coniiciunt.

§ XVII.

Singulariter diſputatur de Vienneſi, & Arelatenſi Epiſcopis, quinam eorum ab initio Metroplitanus fuiſſe videatur.

SIngulariter verò in Prouincia Viennenſi, tam Arelatenſem quàm Viennenſem præſules, neque vnum duntaxat eorum, Metropolitica dignitate, & auctoritate ornatos ab antiquo fuiſſe non difficile perſuadere poſſumus. Ac primum de Viennenſi id probamus, tum quod toti Prouinciæ nomen dederit, vt à ciuitate Viennæ diceretur Viennenſis (quod non ſolum liquet ex prædictis, verùm etiam ex ſubſcriptione Marini ipſius Arelatenſis, Oreſii Maſſilienſis, Veri Viennenſis & Daphni Vaſenſis qui ſe Prouinciæ Viennenſis ſubſcribunt, in concilio Arelatenſi primo; igitur, vel ſola Vienna Metropolis, vel vna ex Metropolibus fuit: tum quod Strabo, qui claruit temporibus Auguſti & Tiberii, libro quarto Viennam *Metropolim Allobrogum* nuncuparit; ac proinde cum iam iſto tempore fuerit ciuilis Metropolis, quis dubitet quin cùm ipſa fidem Catholicam recepiſſet, Eccleſiaſticæ quoque Metropolis dignitatem receperit? tum quod teſtetur Euſebius, libro quinto hiſtoriæ capite primo in Latino, ſecundo vero in Græco, eam fuiſſe prioribus temporibus Metropolim; nam de martyribus in Gallia paſſis loquens hæc habet, ἧς μητροπόλεις ἐπίσημοι καὶ παρὰ τὰς ἄλλας τῆς αὐτῆς διαφέρουσαι βεβόηνται Λύγδουνος καὶ Βίεννα, *cuius, Galliæ, Metropoles facile principes, & quæ præter cæteras omnium ſermone præſtare dicuntur, Lugdunum & Vienna*: tum quod antiquum Viennenſis Eccleſia ſplendorem habuerit, cui fidem perhibent literæ Aſiaticorum ad Viennenſem, & Lugdunenſem Eccleſiam, apud Euſebium citato libro quinto, pluribus capitibus, in quibus obſeruandum eſt Viennam, in inſcriptione Lugduno præferri. Perhibent & literæ diuerſorum Pontificum ad Epiſcopos Viennenſes, ex Archiuio Viennenſi erutæ, quas edidit Ioannes à Boſco Celeſtinus; *In antiquitatibus Viennæ ſanctæ & Senatoriæ*, quæ quidem ſua ſimplicitate, & rerum quæ in iis narrantur fideli cum aliis rerum temporum geſtis conuenientia, auctoritatem æquis rerum æſtimatoribus habere viſæ ſunt. Ex epiſtola tertia Pii Papæ, Viennã tanquã ſeminariũ fieri delectã colligere poſſumus: *de te autem*, inquit Pius, *ſuper beate, poſtquam ad Senatoriam vrbem perueniſti quid factum ſit, noſſe cupimus, & vt ſementem Euãgelii iam tum ſparſeris, audire multum deſideramus*, Epiſtolâ quartâ Iuſto eius ſucceſſori, quæ ordine prima eſſe debuit, eidem Iuſto Pius Papa gratulatur, quòd in locum Veri martyrio coronati apud Senatoriam vrbem Viennenſem à fratribus conſtitutus, & colobio Epiſcoporum veſtitus eſſet, quem hortatur vt officio ſuo dignè fungatur, quam congratulationem & exhortationem nonniſi maiorum ſedium Epiſcopis exhibere Romani Pontifices ſolebant. In epiſtola tertia Victoris *Deſiderio Viennenſe*, (potuit error circa nomen Deſiderii vel Victoris contigiſſe, ſi verum eſt quod narrat Ado Viennenſis, Deſiderium Viennenſem ſub Commodo tempore Eleutherii, antequam Victor ad Romanam Cathedram prouectus fuiſſet, obiiſſe: quã &c. quam chronologiam corrigit Ioannes à Boſco, & cum epiſtolæ titulo conciliat) in hac, inquam epiſtola hoc memorandum, quòd Presbyteris ſeu Epiſcopis Galliarum (nam eo adhuc tempore Presbyterorum nomen pro Epiſcopis promiſcue vſurpabatur) dies Paſchæ à Viennenſi Epiſcopo indici ſoleret, *Per tuam ergo fraternitatem*, inquit, *Presbyteris Galliarum literæ mittantur, vt obſeruent Paſcha, non cum Iudæis negatoribus Chriſti, ſed cum ſequacibus Apoſtolorum*. Scribitur & epiſtola alia Victoris *Fratri Paracodæ*, Epiſcopo Viennenſi, in qua & plures Eccleſias ſeu diœceſes Viennenſi Epiſcopo ſubditas non improbabiliter conüicies ex iis verbis: *Propterea, frater & collega in Domeno, doce per Eccleſias tibe commiſſas à decima quinta luna Paſcha agendum*, &c. Legitur & epiſtola Silueſtri, *vniuerſis Epiſcopis per Gallias, & per ſeptem Prouincias*, fidei vtique valde dubiæ, quippe cum iiſdem verbis à Zoſimo in gratiam Arelatenſis Epiſcopi aliæ ſcriptæ pro indubitatis ha-

beantur, quâ Silneſtri epiſtolâ conceditur Viennenſi Metropolitano, vt nulli Clericò ſine eius formata ad Sedem Apoſtolicam proficiſci liceret.

Ex iis itaque non improbabiliter colligitur, etiam ante Conſtantinum, à quo variæ circa Prouincias, & ciuile regimen, innonationes factæ ſunt; etiam ante Nicænū concilium, quod in vnaquaque Prouincia vni Metropolitano in pluribus parendum edixit; multo magis ante Leonis decretum Viennenſem Metropolim Eccleſiaſticam inſtitutam, atque agnitam. Arelatenſem quoque præſulem in eadem Prouincia Metropolitanum quarumdam Eccleſiarum iiſdem temporibus extitiſſe perſuadent iſta. Primum quòd Cyprianus epiſtolâ ſexageſimâ ſeptimâ citatâ Stephano Papę, Arelatenſem Prouinciam Eccleſiaſticam agnoſcat, ad quam literas dirigi cupit, quibus abſtento Martiano alius in locum eius ſubſtituatur, nec ad Viennenſem, aut alium ſcribi petit qui Prouinciam conuocet, qui iure ſuo Martianum plectat, qui alium in locum eius ſubſtituat; quia caput Prouinciæ erat Martianus, ac proinde ad omnes ex æquo prouinciales Epiſcopos literæ iſtæ dirigi debebantur, non ad aliquem Martiani Metropolitanum, & Prouinciç principem, qualem in vnaquaque Prouincia aliquem eſſe debere Canones Apoſtolici ſtatuerant: ac proinde ex ea Cypriani epiſtola valde probabiliter colligitur Martiannm Arelatenſem Metropolitanum Prouinciæ fuiſſe. Efficaciùs autem, nullum ipſo in ea Prouincia ſuperiorem extitiſſe; nam ad eum Fauſtinus, ad eum Cyprianus ſcripſiſſent literas, literas ad eum à Stephano dirigi aliquas Cyprianus ipſe expetiiſſet.

Alterum, quod ante Concilinm Nicænum, & ante immutationem, circa Imperii gubernationem factam à Conſtantino, quæ nonniſi vigeſimo quinto anno Imperii ipſius contigit. Bizantio in Conſtantinopolim commutato, ac prope de nouo ædificato, legamus anno Imperii eiuſdem nono ad ciuitatem Arelatenſem numeroſiſſimum conciliū conuocatum fuiſſe, eique Marinum Arelatenſem Epiſcopnm præfuiſſe, quandoquidem & primus in epiſtola Synodali nominetur, & in Breuiario epiſtolæ canonibus pręfixo *Marinus vel cœtus Epiſcoporum qui ordinati fuerunt*, Silueſtro ea ſignificare ſe teſtentur, quę communi conſilio decreuerant: quæ vtique non leuis coniectura eſt ipſum Metropoliticâ iam tum Arelatenſem Epiſcopum poteſtate ornatum fuiſſe.

Tertium, quòd tempore Conſtantii Imperatoris, Saturninus Arelatenſis Arrianus, tantæ auctoritatis fuerit, vt conuocatis tum in concilio Arelatenſi, tum in Biterrenſi Gallicanis Epiſcopis euicerit, vt ſanctiſſimi Pontifices plurimi in exilium miſſi fuerint, Paulinus Treuirenſis, Lucius Annæus Seneca Moguntinus, Hilarius Pictauienſis, quibus aliqui Rhodanium Tholoſanum adiungunt. De Saturnino Arelatenſi ſiquidem ita loquuntur, Seuerus libro ſecundo hiſtoriæ; *Gallias noſtras Saturninus Arelatenſis Epiſcopus homo impotens & factioſus premebat.* Hilarius contra Conſtantinm, *poſt ſanctorum virorum exilia, Paulini, Euſebij, Luciferi, Dionyſii, quinto ab hinc anno, à Saturnini & Vrſacij & Valentis communione mecum Gallicanis Epiſcopis ſeparaui. Quibus poſtea* (Gallicanis Epiſcopis) *per factionem eorum pſeudoapoſtolorum, ad Biterrenſem Synodum compulſis, cognitionem huius hæreſeos obtuli,* Et clarius libro de Synodis alloquens Epiſcopos Gallicanos, *voſque comparticipes exilij mei in quod me Saturninus ipſam conſcientiam ſuam veritus circumuento Imperatore detruſerat, expectatis enim ſanctæ & indemutabilis perſeuerantiæ glorioſum triumphum, non cedendo Saturnini minis, poteſtatibus, bellis.* Denique ſanctus Hieronymus libro de ſcriptoribus Ecccleſiaſticis, cui conſentiunt acta ſancti Maximi Moguntini apud Surium decima Nouembris, *Hilarius*, inquit, *vrbis Pictauorum Aquitanicæ Epiſcopus factione Saturnini Epiſcopi Arelatenſis de ſynodo Biterrenſi Phrygiæ relegatus.*

Sane licet impudentiâ, & Principis Arriani gratiâ Saturninus armaretur, tamen eum etiam auctoritate ſedis ſuæ ſubnixum tantum potuiſſe aduerſus Eccleſiam credibile eſt, vt & concilia ſeu in vrbe ſua, ſeu in finitima conuocari curaret, & ſe principem in iis gereret, nec vllo publico Catholicorum Epiſcoporum decreto damnaretur, quamuis ſingulorum conſpiratione ſeu conſenſu, à communione Eccleſiæ alienus iudicaretur.

Quartum, quia Zoſimus, infra, & Epiſcopi Metropoleos Arelatenſis ab ipſo Trophimo Apoſtolorum diſcipulo Arelatenſis Eccleſiæ primatum deriuant.

Digitized by Google

§. XVIII.

Narbonenſem Præſulem etiam ab antiquo Metropolitanum fuiſſe.

QVIN etiam iiſdem ferè rationibus, quibus Arelatenſem & Viennenſem Metropoles ab antiquo inſtitutas, Narbonenſem quoque confirmare poſſumns: quia ſcilicet Narbona Romanorum colonia, totius regionis à Quinto Fabio in prouinciam redactæ caput, teſte Plinio lib. 3. cap. 4. quartæ partis totius Galliæ, in diuiſione Auguſti Cæſaris, Metropolis ſeu primaria ciuitas, à qua tota iſta pronincia Narbonenſis dicta eſt, quæ denominatio ad tempora vſque Hilarij, vt conſtat ex lib. *de Synodis*, & deinceps, perſtitit; qnam Strabo lib. 4. dicit *maximum Romanorum emporium*; quæ vel ipſo tempore Apoſtolorum ad fidem veniſſe creditur, & Apoſtolicnm virum Sergium Paulum virum conſularem Antiſtitem habuiſſe refertur, ex antiqua Gallicarum & Hiſpanicarum Eccleſiarum traditione, cui fidem perhibent Gregorius Turonenſis lib. 1. cap. 30. Ado in Chronico, Flauius Dexter ad annum 66. Martyrologia omnia, Romanum, Adonis, Vſuardi, à quo & diſſeminata ad Hiſpaniam vſque Euangelij prædicatio, teſte Flauio Dextro, tum ad annum citatum, tum ad annum 76. cui Martyrologinm Vſuardi conſentit; aliſque paſſim recentiores Auctores ex vetuſta traditione.

Hæc enim omnia argumenta ſunt quæ in tanta Eccleſiaſticorum Scriptorum penuria, qui de noſtris Galliis aliquid dicant, haberi poſſunt potentiſſima, ad probandum quod intendimus, etiam ante tempora Conſtantini, ac Concilij Nicæni, & deinceps Narbonenſem Metropolitanum fuiſſe ſuæ proninciæ, eius ſaltem quæ Narbonenſis prima dicitur.

§. XIX.

Variæ obiectiones in contrarium proponuntur.

VNVM ſingulariter aduerſus iſta opponitur: Si Metropolitanorum iſtorum antiqua inſtitutio, ſi proninciarum ipſis ſubditarum limites præfixi: ſi Suffraganei in ipſis ferè Eccleſiæ naſcentis incunabulis certi aſſignati: vnde ergo in Concilio Taurinenſi ad poſtulationem prouinciarum Galliæ Sacerdotum, anno 397. congregato, auſus eſt *Proculus Maſſilienſis Epiſcopus ciuitatis, ſe tanquam Metropolitanum Eccleſiis, quæ in ſecunda prouincia Narbonenſi poſitæ videbantur, dicere, ſe præeſſe debere, atque per ſe ordinationes in memorata prouincia ſummorum fieri Sacerdotum?* Vnde & auſus eſt prætenſi iuris ſui rationes iſtas allegare, eaſdem Eccleſias vel ſnas parochias fuiſſe, vel Epiſcopos à ſe in iiſdem Eccleſiæ ordinatos? cùm *è diuerſo eiuſdem regionis Epiſcopi aliud deſenſarent, ac ſibi alterius prouinciæ Sacerdotem* (nam Maſſilia erat prouinciæ Viennenſis, cuius ſe Epiſcopos teſtantur *Oroſius Epiſcopus, & Nazarius Lector* de ciuitate Maſſilienſi Concilio Arelatenſi primo ſubſcribentes) *præeſſe non debere contenderent.* Vnde adeò intricatum viſum eſt hoc negotium Patribus iſtis, vt contemplatione pacis, Proculo, quandiu viueret, licèt alterius prouinciæ eſſet Epiſcopus, concedendum tamen putarent, vt eos in Narbonenſi ſecunda conſecraret Antiſtites, qui vel Eccleſiis ab ipſius parochia auulſis præeſſent, vel ipſius diſcipuli fuiſſent.

Vnde in eodem Concilio Can. ſequenti, qui ſecundus eſt, de altercatione inter Arelatenſem & Viennenſem ita iudicatum eſt, *Vt qui ex eis adprobauiſſet ſuam ciuitatem eſſe Metropolim, is totius prouinciæ*, (quam in diuiſione Galliarum in quatuordecim prouincias, Viennenſem dicatam fuiſſe ſuperiùs obſeruauimus) *honorem Primatus obtineret, & ipſe iuxta Canonum præceptum ordinationum haberet poteſtatem: vel certè hoc conſilio utiliore vterentur memoratarum vrbium Epiſcopi, vt vnuſquiſque viciniores ſibi intrà prouinciam vindicaret ciuitates, atque eius Eccleſias viſitaret, quas oppidis ſuis vicinas magis eſſe conſtitiſſet?* Quo titulo Zoſimus Papa epiſt. 5. tanquam antiquum, & à Trophimo Arelatenſi ad ſua tempora deriuatum Arelatenſis Eccleſiæ priuilegium ſe confirmare aſſerit, *vt præcipuam Metropolitanus Epiſcopus Arelatenſium ciuitatis in ordinandis Sacerdotibus teneat auctoritatem, Viennenſem, Narbonenſem primam, & Narbo-*

nenſem ſecundam prouincias ad Pontificium ſuum reuocet, ſi Viennenſis & Narbonenſis antiqui Metropolitani cenſeantur. Quid enim ſi vera ſunt ea, quæ aſſeruntur à Zoſimo, Metropolitanis Narbonenſi & Viennenſi reliquum erat? Quomodo fuit auſus Proculus Maſſilienſis Vrſum & Tuentium Epiſcopos ordinare, quod in præiudicium Arelatenſis Metropolis factum interpretatus eſt Zoſimus epiſt. 6. niſi quia nondum erectio iſta Metropoleωn confirmata fuerat, nondum diuturno vſu conualuerat? Quo iure non tantùm Proculum Maſſilienſem, verùm etiam Simplicium Viennenſem redarguit Zoſimus epiſt.7. illum *quòd in Synodo Taurinenſi, cùm longè aliud ageretur, in Apoſtolicæ Sedis iniuriam ſubripiendum putauit, vt ſibi Concilij illius emendicata præſtaret obreptio ordinandorum Sacerdotum, veluti Metropolitano in Narbonenſi ſecunda prouincia poteſtatem?* hunc, *quòd non diſſimili imprudentiâ poſtularet, vt ſibi quoque in Viennenſi prouincia creandorum Sacerdotum permitteretur arbitrium*. Nam nec impudens Viennenſis dici poteſt, ſi Eccleſias ſibi ab antiquo ſubiectas vendicauit, nec Arelatenſis de factis à Proculo Maſſilienſi in Narbonenſi ſecunda ordinationibus conqueri potuit, ſi ad Aquenſem Metropolitanum ordinatio Epiſcoporum iſtius prouinciæ pertinebat. Quo iure ipſe Zoſimus epiſt. 8. Hilarium Narbonenſem tanquam nouitatis amantem, & priſcæ conſuetudinis, quæ ab ipſo Trophimo initium duceret, violatorem reprehendit, quòd de ordinandis in prima Narbonenſi prouincia Epiſcopis, ad eum ſcripſiſſet: *Quia*, inquit, *ſatis conſtitit Arelatenſis prouinciæ Sacerdoti priſcâ id inſtitutione conceſſum, vt non ſolùm in prouincia Viennenſi, ſed etiam per duos Narbonenſes Epiſcopos faciat?* Quomodo idem Zoſimus epiſt. 9. Patroclum Arelatenſem admonet, vt Metropolitani *in ſe dignitatem atque perſonam etiam Apoſtolicæ Sedis auctoritate conſideret, in quem furtiuè locum pro indebita Synodo Proculus vſurpatum irrepſerat?* & epiſt. 11. & 12. Proculum pro continuatis ordinationibus illicitis à gradu deiicit? & Patroclo Arelatenſi mandat, vt alium eius loco ſubſtituat? hæc teſtimonia ſaltem Aquenſem Epiſcopum pro iiſce temporibus à Metropolitica adminiſtratione prouinciæ Narbonenſis ſecundæ arcendum oſtendunt: quandoquidem cùm eam prouinciám Proculus Maſſilienſis vſurpaſſet, in eam Arelatenſis conſuetudinis antiquæ iure reſtitutus fuerit.

Huc etiam referuntur ad demonſtrandam hanc incertitudinem & inconſtantiam prouinciæ cuiuſque prædictis Metropolitanis aſſignatæ, decreta Bonifacij epiſt. 5. *ad Hilarum Narbonenſem*, & Celeſtini *Epiſcopis per Viennenſem & Narbonenſem prouinciam conſtitutis*, cap. 4. qui ideò Zoſimo omninò refragantur, & antiquos prouinciarum & Narbonenſis limites conuelli vetant, & quidem prior ordinationem Lutubenſis Epiſcopi in Gallia Narbonenſi à Patroclo Arelatenſi factam reprehendit; poſterior vnumquemque ſuâ prouinciâ contentum eſſe iubet, nec vlli in Narbonenſi prima prouincia, quam Narbonenſi Præſuli ordinandi facultatem permiſſam inſinuat. Item Concilij Regenſis decretum, quo Hilarus Arelatenſis Armentarij Ebredunenſis abſque iuſſione ſua factam, quaſi illegitimam ob Metropolitani abſentiam damnari procurauit. Eiuſdem Hilari vſurpationes qui Chelidonum Veſantionum Epiſcopum in prouincia Maxima Sequanorum, & Proiectum in prouincia non ſua depoſuerat, atque adeò à Leone reprehenditur epiſt. 89. *ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis*, cap. 1. & 2. imò & damnatur, quòd eum ad iudicium vocatus Romam veniſſet, poſteà aufugerit; cui proinde adempta Metropolitani dignitas, ſuæque ciuitatis duntaxat Pontificium relictum: nec tantùm *Viennenſis prouinciæ, quam malè vſurpauerat, poteſtate priuatur*, verùm etiam ſuæ: quæ vtique ſe decernere ait Leo, *ne quid vlteriùs liceat nouitati, nec præſumptori locus vltrà iam pateat*, prouinciæ Viennenſis priuilegia caſſandi: cui Leonis epiſtolæ ſubnectitur Theodoſij & Valentiniani conſtitutio in eundem ſenſum aduerſus Hilarium.

Denique opponi poſſunt iis preces miſſæ ab Epiſcopis Metropolis Arelatenſis *ad Leonem Papam*, de renouando Eccleſiæ priuilegio, cùm poſt tranſitum Hilarij Rauennius ordinatus fuiſſet, quas preces eos obtuliſſe ſuſpicor duplici de cauſa: prima, quòd defuncto Hilario, qui ob contumaciam depoſitus fuerat dignitate, Rauennio verò electo, priſtinam Eccleſiæ Arelatenſis dignitatem reſtitui oportere putarent, eiecto Viennenſi. Altera, quòd de Vaſenſis Epiſcopi ordinatione ab Arelatenſi facta Viennenſis Metropolitanus conqueſtus fuiſſet, vt patet ex epiſt. Leonis re-

ſponſoria.

ſponſoria. Iis verò precibus ſeu libello ſupplici Epiſcopi Metropolis Arelatenſis Leoni exponunt, Viennenſem ciuitatem *ſibi tunc impudenter ac notabiliter primatus expoſcere indebitos; iure enim ac meritò*, inquiunt, *Arelatenſis vrbs ſemper apicem dignitatis obtinuit, quæ in S. Trophimo primitias noſtræ religionis prima ſuſcepit, ac poſteà intra Gallias; hoc quòd diuino munere fuerat conſecuta, ſtudio doctrinæ ſalutaris effudit. Cuius honoris obtentu Eccleſiam Arelatenſem omnes*, inquiunt, *prædeceſſores noſtri velut matrem debito honore coluerunt, tenentéſque traditionem totam ab hac ſibi ciuitatis ſede Epiſcopos poſtularunt, ab huius Eccleſiæ ſacerdote tam deceſſores noſtros, quàm nos ipſos conſtat in ſummum ſacerdotium, donante Domino, conſecratos.*

Addunt, per ſanctum Trophimum Arelatenſi Eccleſiæ intra Gallias ordinandi Pontificium conuenire, ſicut per B. Petrum Apoſtolorum Principem ſacroſancta Eccleſia Romana tenet ſupra omnes totius orbis prouincias Principatum. Citant Valentiniani & Honorij Impp. teſtimonium, qui matrem omnium Galliarum Arelatem appellant. Tandémque concludunt, quòd *non ſolùm prouinciæ Viennenſis ordinationem, ſed etiam trium prouinciarum* (Narbonenſem interpretor, Alpes Graïas & Alpes maritimas) *contemplatione ſancti Trophimi* (quòd auctoritate prædeceſſorum Leonis patefactum dicunt, id eſt, ex epiſtolis Zoſimi) *Arelatenſis Eccleſiæ ſacerdos ad ſollicitudinem ſemper ſuam curámque reuocauit.* Quæ de iure Metropolitico intelligenda ſunt, ſed & de iure eius Exarchico hæc ſubdunt: *Id etiam honoris dignitatiſque ei collocatum eſſe, vt non tantùm has prouincias poteſtate propriâ* (Metropoliticâ) *gubernaret, verùm etiam omnes Gallias ſibi Apoſtolicæ Sedis mandatâ* (hæc Exarchica eius poteſtas, eadem quæ vicaria) *ſub omni Eccleſiaſtica regula contineret.*

Denique, iudicium Leonis occaſione querimoniæ Viennenſis Epiſcopi, & ſupplicationis Epiſcoporum Metropoleos Arelatenſis, cuius vtique verba iſta penſanda ſunt. *Conſideratis allegationibus vtriuſque partis præſentium Clericorum, ſemper intra prouinciam veſtram, & Viennenſem & Arelatenſem ciuitates claras fuiſſe reperimus, vt quarundam cauſarum alternâ ratione, nunc illa in Eccleſiaſticis priuilegiis, nunc iſta præcelleret, cùm tamen commune ius quondam fuiſſe à gentibus proderetur. Vnde Viennenſem ciuitatem, quantùm ad Eccleſiaſticam iuſtitiam pertinet, inhonoratam penitùs eſſe non patimur: præſertim cùm de receptione priuilegij auctoritate iam noſtræ diſpoſitionis vtamur. Quam poteſtatem Hilaro Epiſcopo oblatam Viennenſi Epiſcopo credidimus deputandam. Qui ne repentè ſemetipſo factus videatur inferior, vicinis ſibi quatuor oppidis præſidebit, id eſt, Valentiæ, & Tarantaſiæ, & Geneuæ, & Gratianopoli, vt cum his ipſa Vienna ſit quinta, ad cuius Epiſcopum omnium prædictarum Eccleſiarum ſollicitudo pertineat: reliquæ verò ciuitates eiuſdem prouintiæ ſub Arelatenſis Antiſtitis auctoritate, & ordinatione conſiſtant, quem præ modeſtiæ ſuæ temperantia ita futurum credimus ſtudioſum charitatis & pacis, vt nequaquam ſibi credat ablatum, quod fratri videat eſſe conceſſum.*

Circa iſtud porrò iudicium (quod ab Hilaro poſteà Papa, variis epiſtolis vim ſuam obtinere ſupponitur, & à Symmacho confirmatum eſt, reſciſſis iis, quæ Anaſtaſius deceſſor in Viennenſi controuerſia innouarat, epiſt. 1. & 2.) tria obſeruanda ſunt. Primùm ex antiquis monimentis ab vtraque parte tam ab Eccleſia Arelatenſi, quàm Viennenſi prolatis conſtare ſibi Leonem emunctæ naris, & acerrimi iudicij Pontificem aſſerere, in prouincia Viennenſi alternis vicibus Arelatenſem & Viennenſem ciuitates claras fuiſſe: vnde coniicies nullam ex iis conſtanti lege vel conſuetudine Metropolim conſtitutam, nullos vtrique Metropoli certos limites præſcriptos fuiſſe: ſed modò Arelatenſis, modò Viennenſis Præſulis deſultoriam prærogatiuam fuiſſe: prouinciam certam ſine certa Metropoli, ſine certo capite, ſine certo Metropolitano extitiſſe. 2. Renuntiatum eidem S. Leoni à gentibus fuiſſe commune quondam vtrique ciuitati ius Metropoleos ciuilis in ea prouincia, ad cuius formam inferres, & commune ius Metropoleos Eccleſiaſticæ fuiſſe, ſiue priuilegiorum Metropoliticorum vnâ parte vni, alterâ parte alteri communicatâ, ſiue per vices Eccleſiaſtico Principatu eidem demandato. 3. Vtrique incommodo mederi volentem Leonem ſummum Pontificem, quaſi rem nouam ſtatuiſſe, vt ſingulis iſtis Metropolitanis viciniores aliquæ Eccleſiæ aſſignarentur, quas Metropoliticâ auctoritate regerent, Viennenſi quinque, Arelatenſi reliquæ.

Quæ tria capita oſtendunt ante Leonē, nec Arelatenſem nec Viennenſem Præſules

Digitized by Google

proprias habuiſſe Eccleſias quas regerent, ſed vel communiter rexiſſe, vel alternis vicibus, vel dimidiatâ quadam curâ, prouidentiâ & auctoritate; quorum quodlibet dicatur, ſequitur, neque hunc neque illum verè ac ſolidè Metropolitanum dici potuiſſe: neuter enim dici duntaxat poteſt Metropolitanus fuiſſe, niſi fuerit primarius Epiſcopus ſuæ prouinciæ, cæteriſque ſuperior conſtitutus, cum aſſignatione certorum Suffraganeorum quibus præſideat.

§. XX.

Cauſæ propter quas ignoti eſſe potuerunt, vel ſaltem incerti aliquo tempore Metropoleon Arelatenſis ac Viennenſis termini.

GRAVES vtique videntur eſſe dubitationes iſtæ, quæ tamen noſtram aſſertionem minimè conuellunt, nimirum tam Arelatenſem quàm Viennenſem & Narbonenſem Epiſcopos, ſingulos non ſolùm ante Conſtantinum & Nicænum Concilium, verùm etiam ſimul cum diſſeminata in his regionibus Chriſti fide, vel paulò pòſt, vbi commodè Metropoles erigi potuerunt, Metropolitanos extitiſſe. Multiplex enim cauſa contingere potuit, propter quam antiqui Metropoleon conſtituti termini lapſu temporis ignorari potuerunt, vel euelli: Prima, ſæuiſſimæ & atrociſſimæ perſecutiones, qualis præſertim fuit ea quæ à Diocletiano incœpta, à Maximano Herculio continuata deferbuit, quæ cùm Epiſcopos ſparſerit, Conciliorum celebrationem impedierit, ordinandorum Epiſcoporum (quia vix duo cum Metropolitano Epiſcopi conuenire poterant) facultatem liberam quibuslibet Epiſcopis obtinere non potuerit, (quod in minùs graui perſecutione vel vnico exemplô Euſebij Samoſateni, apud Theodoretum lib. 5. c. 4. per varias prouincias Epiſcopos in exilio ſuo ordinantis conſtare poteſt,) Metropoliticas prærogatiuas probabiliter interrumpere potuit, & terminos Metropoleon ignotos reddere, eoſdémque reuellere; Epiſcopis nempe ei ſe obnoxios profitentibus, à quo ordinationem ſuſcepiſſent, & quorum diſcipuli fuiſſent, vt exemplo Epiſcoporum à Proculo ordinatorum liquet, qui ſe beneficiarios Proculi agnoſcebant, nec ei obedientiam exigenti renitebantur. Altera non diſſimilis, ac perſecutioni atrociſſimæ ab Ethnicis Imperatoribus illatæ affinis ſucceſſit, nec minùs periculoſa ab hæreticis, quæ in Narbonenſi potiſſimùm Galliarum prouincia graſſata eſt, Saturnini Arelatenſis factione, qui ſi potens adeò fuit Palatino fauore ſubnixus ad euertendam religionem, non minùs potens audáxque fuiſſe credendus eſt ad amplificandam Eccleſiæ Arelatenſis auctoritatem: dum interim Epiſcopi orthodoxi, quibus ſufficiebat religionem defendere, & plures diſſimularent (quemadmodum eis obiicit Hilarius epiſt. ad Conſtantium) eiuſdem vſurpationes, cuiuſmodi eſt illa, quòd in Narbonenſi prima Biterris Concilium indixiſſe, eidémque præſediſſe referatur.

Tertia, Epiſcoporum ambitio, quam non mirum eſt, hæreticorum & Ethnicorum infeſtationibus repreſſam, redditâ Eccleſiæ pace, in manifeſtas diſſenſiones erupiſſe, refrigeſcente ſcilicet charitate, & Principatus mundano ſplendore illuſtrius emicante, ac terreſtres homines ad hoc faſtigium alliciente, qui quem dignitatis apicem ambitioſè obtinuerant, ambitioſè quoque promouere curarunt, reuulſis antiquis terminis & Canonicis inſtitutis.

Huc etiam referri poſſunt tum ciuilia in Imperio diſſidia: prima ſub Conſtantino, quæ Maximiano Herculio, Galerio Maximino, Maxentio, Licinio extinctis, ſopita ſunt: alia inter Conſtantini Magni filios, inter ſe contendentes, vel ſub Conſtantio rebus ſolo potito, Iuliano non planè aſſentiente Conſtantio, & ad Imperium contendente: tum ſequentibus temporibus, Eugenio, Maximo, Conſtantino tyrannis ad Imperium malis artibus peruenire adnitentibus: cuiuſmodi diſſenſiones pacem publicam turbant, & Eccleſiaſticam diſciplinam conuellere ſolent. Denique incrementa maiora Arelatenſis ciuitatis, quæ ſedes Præfecti prætorio facta, & Imperatorum quorumdam regia ciuitas, effecerunt, vt ipſa parem in eadem prouincia dedignata ſit habere Viennenſem ciuitatem.

Ob has ſimileſque rationes non ſolùm tranſiliri potuere Metropoleon antiqui

termini, verùm etiam contra æquitatem apertè ac manifeſtè inuadi. Nec abſurdum eſt dicere aliquos ſolâ audaciâ fretos, non timuiſſe innouationis notam, vt ambitioni ſatisfacerent ſuæ. Huius farinæ mihi videtur eſſe Proculus ipſe Maſſilienſis; cuius tempore noui quidam Epiſcopatus potuerunt creari, potuit & olim creatos cauſſare, eâque ratione ius ordinationis in iis ex conuentione prætendere, licèt Metropolitanus non eſſet, cùm legamus Auguſtinum, qui nec Primatus, nec Metropolitani ius in Africa prætendebat, Fuſſalenſis oppidi ab Hipponenſi Diœceſi ſubſtracti Antiſtitem ordinaſſe.

§. XIX.

De Proculi Maſſilienſis inuaſione diſſimulatâ à Concilio Taurinenſi, correctâ à Zoſimo, & de Maſſilienſis ciuitatis ordine inter Comprouinciales.

HVnc proinde Proculum Concilij Taurinenſis Patres tanquam amici arbitri delecti, ipſi quandiu viueret, *contemplatione pacis atque concordiæ*, in Eccleſiis ſecundæ Narbonenſis, quas vel ſuas parochias fuiſſe, vel in quibus ſuos ipſum diſcipulos ordinaſſe conſtaret: ipſi, inquam, non ciuitati eius deferendum cenſuerunt, vt tanquam pater filiis honore Primatus adſiſteret, & *quamuis vnitate prouinciæ minimè tenerentur, conſtringerentur tamen pietatis affectu*: quo iudicio ſeu arbitrio oſtendunt Patres, Eccleſiæ legem & conſuetudinem fuiſſe, vt in ſingulis prouinciis vnus ex corpore Epiſcoporum prouinciæ Metropolitanus eſſet, nec alterius prouinciæ Epiſcopus in alium inſiliret, aut Metropolitica iura inuaderet. Vnde non ſedi, ſed perſonæ honorem deferendum cenſent; imò nec de Maſſilienſi ſede quidquam examinari voluerunt, ſed liberè profeſſi ſunt, *Maſſilienſis ciuitatis magnitudinem ſe penitùs neſcire*. Zoſimus verò maiori & ordinariâ auctoritate tanquam iudex pronuntians epiſt. 6. factas à Maſſilienſi Proculo ordinationes Vrſi & Tuentij Epiſcoporũ illicitas & illegitimas declarauit, *& in Apoſtolicæ ſedis iniuriam* factum interpretatus eſt, quòd ab eo Concilio per obreptionem ordinandorum Epiſcoporum in Narbonenſi ſecunda prouincia Proculus emendicaſſet poteſtatem: epiſt. 7 aduerſus ipſum conſuetas ordinationes peragentem iuridicè proceſſit, ordinationes ab eo factas irritauit, ipſum ab Epiſcopatus ordine depoſuit epiſt. 9. 11. 12. atque ita Maſſilienſes Epiſcopos in ordinem redegit, qui deinceps inter prouinciales Epiſcopos Arelatenſi ſubiectos, quorum plurimi maioris nominis ciuitatibus præerant, Zoſimi decreto redacti, *iam non primi Comprouincialium cœperunt eſſe, ſed vltimi*, quemadmodum loquitur Sidonius lib. 7 epiſt. 7. *Græco Maſſilienſi Antiſtiti*, tempore Iulij Nepotis, quo captis Arelate & Maſſiliâ Aruernum à Gothis obſidebatur. Quo ſenſu primi olim Comprouincialium eſſent, facile eſt coniicere, tempore ſcilicet Proculi hanc dignitatem Eccleſiæ Maſſilienſi nonnullo tempore duraturam contigiſſe: ſed quo ſenſu vltimi effecti dicantur, non facile eſt diuinare; an quia inter Arelatenſis prouinciæ ciuitates Maſſilia minoris eſſet exiſtimationis? vix vtique hoc credi poteſt, quæ reliquis ferè ignotis ipſa in hiſtoria nominatiſſima eſt, & quæ prima inter Eccleſias iſtius prouinciæ, vel ſaltem non vltima Euangelium creditur recepiſſe: an quia in Notitiis prouinciæ Viennenſis citatis, Maſſilia vltima collocatur? ſed Arelas in iiſdem penultimo loco recenſetur, quæ Metropolis eſſe meruit, & ſupra Metropoles plures primatum habuit: eóque proinde titulo Maſſilia reiici tanquam vltima prouincialium debuiſſe minùs prudenter conicitur. Deinde nec is ſenſus Sidonij eſſe poteſt, nam in pœnam neglecti publici boni in conſiliis publicis ait Sidonius diuinâ prouidentiâ contigiſſe, vt vltimi Comprouincialium Maſſilienſes fierent: non autem Deus dici poteſt punire aliquam ciuitatem ob crimen non illi ciuitati proprium, ſed pluribus commune, eâque punire vindictâ, vt vltima in Notitia ciuili, vel inter ciuitates in Republica locum teneat.

Ego, ſi benè coniicio, rem ita interpretor. Primùm ſuppono à quinque prouinciis, tum à ſeptem Arelate conuentum haberi ſolitum pro negotiis politicis, ſecundum Petronij legem, & Honorij ac Theodoſij conſtitutionem ad Agricolam Præfectum Galliarum anno 418. 2. Reprehendiſſe Sidonium, quòd priuatis potiùs

vtilitatibus ſtuderent, qui ad hoc Concilium vocabantur, quàm publicis. 3. in pœnam neglectus iſtius permiſiſſe Deum inuaſionem prouinciarum iſtarum ab Euarige Gothorum rege, quæ iſto tempore contigit, in qua notant ſingulariter Iordanes in hiſtoria Gothorum, Caſſiodorus lib. 3. epiſt. 34. Iſidorus in Chronico, æra 503. Sigebertus in Chronico ad annum 471. Arelatum & Maſſiliam Galliæ ciuitates ab eo occupatas fuiſſe, reliquis ciuitatibus, vel certè aliis minoris nominis Arelatenſi Metropolitano ſubditis, in Romanorum poteſtate remanentibus, qui cum Arelatenſi ſuo Metropolitano obſequium, & auxilium exhibere non poſſent, Maſſilienſes vltimi ex comprouincialibus, & fortè ſoli Arelatenſi Metropolitano cooperaturi ſuperfuerant: quod Sidonius à Deo decretum ſcribit, vt ea ciuitas honore ſuo ſpoliaretur, quæ negligentes recepiſſet conſultores. A qua, vt quidem opinor, coniectura non recedet Lector, vbi Sidonij verba iſta acuratè legerit, *Venabilis ſit, quæſumus, apud aures veſtras veritatis aſperitas, cuius conuitij dolor inuidiam eripit. Parum in commune conſulitis, & cùm in Concilium conuenitis, non tam curæ publicis mederi periculis, quàm priuatis ſtudere fortunis: quod vtique ſæpe diuque facientes, iam non primi comprouincialium cœpiſtis eſſe, ſed vltimi. At quouſque poterunt durare præſtigiæ? non enim diutiùs ipſi maiores noſtri hoc nomine gloriabuntur, qui minores incipiunt non habere.* Ex iis porrò diſcimus & Maſſilienſem Epiſcopum Arelatenſis fuiſſe Suffraganeum, & anteà per aliquod tempus in Narbonenſi prouincia habuiſſe primatum, à quo exciderit, per ſententiam ſcilicet Zoſimi.

§. XXI.

Reſponſio in gratiam Aquenſis Metropolitani.

QVÒD autem de Proculo Maſſilienſi non Aquenſis, ſed Arelatenſis Epiſcopus conqueſtus fuerit, mirum vtique non eſt: quandoquidem eo tempore non ſolùm Arelatenſis vniuerſam prouinciam Viennenſem, verùm etiam & Narbonenſem primam appetierit, imò & à Zoſimo impetrarit, fruſtrà renitentibus qui potentiores erant, Viennenſi ac Narbonenſi Præſulibus, qui ciuitatum ſuarum gloriâ, ſplendore, potentiâ, atque auctoritate freti, Arelatenſi ſeſe Palatinâ poteſtate ſupra ipſos erigenti reſiſtere vix poterant, cùm interim Ebredunenſis & Aquenſis Metropolitani nullo mundano ciuitatum ſuarum faſtu potentes iniuriam pati ſatiùs ducerent quàm de illata queri.

§. XXII.

Zoſimo ab Arelatenſi Metropolitano obreptum, hancque obreptionem ab ipſo, & ſequentibus Pontificibus correctam.

VERVM Zoſimo obreptum fuiſſe oſtendunt tum Taurinenſis Concilij, tum Bonifacij, Celeſtini, Leonis decreta, quæ vnamquamque prouinciam ſuum habere debere Metropolitanum pronuntiant; & antiquam fuiſſe hanc conſuetudinem oſtendunt: tum etiam reuocatoria epiſtola Zoſimi, ſi tamen illa vera eſt, quæ ex Archiuio Eccleſiæ Viennenſis extracta libro inſeritur, cuius titulus eſt, *Antiquitates ſacræ & prophanæ Viennæ ſanctæ & ſenatoriæ*: inſcribitur autem hæc epiſtola *Simplicio Viennenſi*, & iis verbis concepta eſt, *Relatum nobis eſt qualiter in Taurinenſi Synodo cauſas tuæ Diœceſis proſecutus fueris, & licet Arelatenſi Epiſcopo antequam Legatus tuus veniſſet, propter reuerentiam ſancti Trophimi, ius & Pontificium ſuper tres prouincias* (Viennenſem, Narbonenſem primam & ſecundam) *habere ſcripſerimus: tamen ſi ita eſt, vt ſcripta tua nobis miſſa continent, interim vſque dum lucidiùs ventiletur, poteſtatem antiquam tibi manere permittimus, vt ſicut in Taurinenſi grauiſſimorum Epiſcoporum Synodo, pacis conſilio, viciniores tibi intra prouinciam ciuitates vendices, donec pleniùs rei ordinem charitas Apoſtolica proſequatur. Lazarum, indebitè Epiſcopum, criminatorem fratris, ordinatum ſcias noſtro iudicio eſſe damnatum. Data ſub die Calend. Octobris Honorio vndecimo & Conſtantio Conſulibus.*

Obſeruari ſiquidem ex iſta epiſtola poteſt, antiquam poteſtatem Viennenſis Archiepiſcopi eam fuiſſe, quæ ei in vicinos ſibi Epiſcopos à Synodo Taurinenſi conceſſa, ac poſteà à Leone confirmata eſt: obreptum Zoſimo fuiſſe ab Arelatenſis Epiſcopi Legato; quod fundamentum habet ab ipſis Zoſimi epiſtolis, quæ pro Arelatenſi Epiſcopo datæ omnium manu teruntur, in quibus ſcilicet abſque conteſtatione litis, & Viennenſi Præſule non audito, in gratiam Arelatenſis ad eius ſupplicationem fuiſſe pronuntiatum animaduertimus.

Nec difficile eſt ſibi perſuadere Patroclum Arelatenſem, qui litteras à Zoſimo impetrauit aduerſus Viennenſem, nulli fraudi dolóve peperciſſe, quo votis ſuis potiretur. Quippe refert Proſper in Chron. ad annum Chriſti 414. Herote viro ſancto, & B. Martini diſcipulo, à populo ipſius ciuitatis inſonte, & nullis inſimulationibus obnoxio, pulſo, *in eius locum ordinatum amicum & familiarem Conſtantis Magiſtri militum, cuius per ipſum gratia quærebatur:* quæ res inter Epiſcopos regionis illius, magnarum diſcordiarum cauſa fuit. Quin etiam in eodem Chronico à Pithæo edito, addit illum pretio ſacerdotia diſtribuiſſe. Infœliciter verò multis vulneribus laniatum refert ad annum 429.

Hoc tamen nixi Zoſimi decreto Arelatenſes Antiſtites non ſolùm in tres iſtas prouincias Viennenſem ſolidam, Narbonenſem primam & ſecundam manus iniecerunt, ac Metropolitica in iis omnia officia vſurparunt: verùm etiam, quia, vt mox dicemus, etiam in reliquas Galliarum prouincias ſaltem adiacentes vicariatum ſanctæ Sedis obtinuerant, & in prouincia Alpium maritimarum Epiſcopos ordinare, v. g. Ebredunenſem, & in Maxima Sequanorum Veſontionem deponere, aliúmque eius loco ſubrogare auſi ſunt: quam prauam atque ambitioſam decreti Zoſimi interpretationem, ſequentes Pontifices damnarunt, Bonifacius, Celeſtinus, Leo; quorum primus epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ, Maximi Valentinæ ciuitatis Epiſcopi in prouincia Eccleſiaſtica; ac proinde coram Metropolitano Viennenſi cauſam diſcuti iuſſit, & epiſt. 3. *ad Hilarium Narbonenſem*, grauiter tulit quòd Lutulenſis Eccleſiæ Antiſtes in Narbonenſi prima à Patroclo Arelat. contempto Metropolitano ordinatus Epiſcopus fuiſſet: quæ epiſtola ſupponit Narbonenſem Epiſcopum ſuo gradu & dignitate Metropoliticâ per ſententiam Zoſimi ſpoliatum minimè fuiſſe: ac proinde probabile eſt Zoſimum, ſicut ex tabulis Viennenſibus docuimus, quod per obreptionem Arelatenſi Eccleſiæ conceſſerat, ſuſpendiſſe, donec partibus vocatis & auditis, cauſa locupletiùs & pleniùs fuiſſet inſtructa.

Alter, epiſtolâ *ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis & Narbonenſis* Can. 4. ſententiam prædeceſſoris ſui Bonifacij confirmat, & ſtrictiùs obſeruari præcepit, *vt vnaquæque prouincia ſuo Metropolitano contenta ſit.*

Tertius duplicem ſententiam in hac cauſa pronuntiauit, vnam eremodicialem, cùm vocatus Hilarius Arelatenſis ad iudicium, & ſubodoratus ſe damnatum iri, Romam aufugiſſet, ob quod durè increpatus, & tanquam contumax damnatus eſt, ademptâ ei etiam in propria ſua prouincia poteſtate. Alteram poſt conteſtationem litis, auditis Viennenſis atque Arelatenſis Eccleſiæ Legatis, poſt electionem Rauennij Arelatenſis.

§. XXIII.

Diſcutitur primum decretum Leonis Papæ aduerſus Arelatenſem Metropolitam.

PRIOR ſententia continetur epiſtolâ 89. ad Epiſcopos per Viennenſem prouinciam conſtitutos, continétque varia capita damnationis Hilarij Arelatenſis.

Primò enim damnatur, quòd ordinationes ſibi omnium per Gallias Eccleſiarum vindicaret, & debitam Metropolitanis Sacerdotibus in ſuum ius transferret dignitatem: quo proinde capite confirmatur vetus Eccleſiæ conſuetudo in Concilio Nicæno firmata, vt vnaquæque prouincia ſuum habeat Metropolitanum, & vſurpatio Arelatenſis Epiſcopi in prouincia Alpium Penninarum, & in prouincia Maxima Sequanorum reprobatur.

Secundò, quòd iniuſtè Chelidonium Veſontionem damnaſſet, quem ſacerdotio deiecerat, quòd digamus fuiſſet: quod ſibi obiectum ordinationis legitimum impedimentum, *manifeſta teſtium reſponſione*, *ipſo etiam præſente* Hilario diluit Chelidonius. De incompetentia Arelatenſis Epiſcopi iudicatum non fuit, imò videntur hæc Leonis verba (*Manſiſſet namque in illum ſententia, ſi obiectorum veritas extitiſſet*) iudicate Arelatenſem Epiſcopum competentem iudicem fuiſſe Chelidonij; non tanquam Metropolitanum ipſius, ſed tanquam Vicarium Sedis Apoſtolicæ, cuius vicariatus in Gallias vniuerſas, vel ſaltem eas Galliarum prouincias, quæ Viennenſi erant vicinæ, extendebatur.

Tertiò, damnatus eſt, quòd Proiectum ob infirmitatem corporalem deponere voluerit, aliúmque in eius locum ordinare, quæ depoſitio Proiecti iniuſta & crudelis reprehenditur, ſucceſſoríſque in eius locum ordinatio vetatur: eâ etiam lege ſtatutâ, vt deinceps in locum decedentis Sacerdotis nemo præter Metropolitanum ordinationem ſucceſſoris præſumat: quâ conditione Vicariis Sedis Apoſt. non deponendi Epiſcopos, vbi cauſa rationabilis eſt, poteſtas adimitur, ſed in eorum locum alios ordinandi: quæ cura & ſollicitudo ad Metropolitanum ſingularum prouinciarum pertinere inſinuatur. Notandáque ſunt Leonis verba ad hunc ſcopum pertinentia: *Quid ſibi Hilarius quærit in aliena prouincia? & id quod nullus deceſſorum ipſius ante Patroclum habuit, cur vſurpat? cùm & ipſum quod Patroclo à Sede Apoſtolica temporaliter videbatur eſſe conceſſum, à Zoſimo poſtmodum ſit* (à Bonifacio & Celeſtino) *ſententiâ meliore ſublatum.* Hæc enim verba Ebredunenſi in Alpina, Aquenſi, in Narbonenſi prouincia Metropoliticam dignitatem confirmant, eámque non de nouo conceſſam, ſed antiquo more inolitam, ſolius Patrocli temeritate, & obtento per eum à Zoſimo decreto temporaneo interturbatam.

Quartò damnatus eſt; *quòd inſperatus neſcientibus ſuperueniſſet, & improuiſus abſceſſiſſet curſu celeri itinera multa conficiens, & per longinquas prouincias tantâ immaturitate diſcurrens, vt videretur gloriam de ſcurrili velocitate potiùs quàm de ſacerdotali moderatione captaſſe.*

Quintò, quòd militaris manus ipſum per prouincias ſequeretur, & armatis vteretur ad inuadendas Eccleſias quæ proprios Epiſcopos amiſiſſent: quòd ignotos Eccleſiis præficeret Epiſcopos, non expectatis ſubſcriptione Clericorum, honoratorum teſtimonio, ordinis conſenſu & plebis. Quibus omnibus præmiſſis ſtatuitur, vt ordinationem ſibi ſinguli Metropolitani ſuarum prouinciarum, cum his qui cæteros antiquitate præueniunt, reſtituto ſibi iure defendant. Item *vt ſuis vnaquæque prouincia ſit contenta Conciliis; nec vltrà Hilarius audeat conuentus indicere Synodales, & Sacerdotum Domini iudicio ſe interſerendo turbare, qui non tantùm nouerit ſe ab alieno iure depulſum, ſed etiam Viennenſis prouinciæ, quam malè vſurpauerat poteſtate priuatum.* Cui etiam *ſuæ tantùm ciuitatis ſacerdotium pro Sedis Apoſtolicæ pietate* Leo ſeruauit. Leontiúmque Epiſcopum, qui in tota prouincia antiquior erat, hac dignitate cohoneſtat, *vt præter eius conſenſum alterius prouinciæ*, ab Epiſcopis Viennenſis prouinciæ, *non indicatur Concilium, ita tamen, vt Metropolitanis priuilegij ſui dignitas ſeruetur.* Leontius autem iſte Foroiulienſis Epiſcopus erat in Gallia Narbonenſi ſecunda, quem Leo prædictâ epiſt. ideò cæteris præfert Epiſcopis, quia ætatis prærogatiua ac dignitatis diuturnitate cæteris ſuperior erat: *Et quoniam*, inquit Leo, *honoranda eſt ſemper antiquitas, fratrem & coepiſcopum noſtrum Leontium probabilem Sacerdotem, hac, ſi vobis placet, dignitate volumus decorari: vt præter eius conſenſum alterius prouinciæ non indicatur à veſtra ſanctitate Concilium, & à vobis omnibus quemadmodum vetuſtas eius & probitas exigit, honoretur.*

Monachum eum aliquando Lirinenſem fuiſſe refert prædictus Hilarius Arelatenſis in vita ſancti Honorati Monaſterij illius fundatoris, & Arelatenſis Epiſcopi ante ipſum Hilarium. Hic eſt, ad quem alióſque coepiſcopos ſcribit Bonifacius primus epiſt. 2. quæ inſcribitur *ad Epiſcopos Galliæ*, Celeſtinus I. epiſt. 8. *ad eoſdem:* alius proinde ab eo, qui eiuſdem nominis Leontius dictus, in cathedra Arelatenſi Rauennio ſucceſſit, cuius mentio epiſt. 10. & 11. Hilario Papæ; cui Hilarius Papa epiſt. 8. ſollicitudinem in congregandis fratribus delegaſſe ſe teſtatur Can. 1. quem Parochias Arelatenſis Eccleſiæ repetentem inducit à prædeceſſore

ſuo in alios tranſlatas, Can. 4. qui Concilio Arelatenſi contra Prædeſtinatianorum errorem præfuiſſe ſcribitur tempore Simplicij Papæ, cuius mentio in epiſtola Lucidi Presbyteri; qui nominatur à Fauſto lib. *de libero arbitrio*, & initio epiſtolæ *ad Leontium* ſcriptæ, quæ incipit, *Quod pro ſollicitudine:* & à Caſſiano præfat. primæ & nonæ collationis. Nam iis omnibus locis agitur de Leontio Arelatenſi non Foroiulienſi, vt quædam ex iis loca indicant: de aliis hæc generalis ratio concludit, quia Leontio Foroiulienſi ſucceſſit Theodorus, quemadmodum habetur in Concilio Arelatenſi tertio ſub Leone in cauſa Monaſterij Lirinenſis, quem Theodorum *Foroiulienſem Epiſcopum* nominat ſanctus Leo epiſt. 91. At verò Concilium, Arelatenſe contra errorem Prędeſtinatianorum, epiſtola Lucidi oblata Synodo, & cætera in hac materia à Fauſto Regienſi & Caſſiano diſputata ſequuntur obitum Leonis, ſub quo floruit ſucceſſor Leontij Foroiulienſis: ideóque Leontio Foroiulienſi non congruunt, ſed Arelatenſi.

Congruit autem Foroiulienſi, quòd iam ætate grandęuus & ordinatione foret, cùm Hilarius ſuâ dignitate ex parte exutus eſt, vt pote cùm hic Leontius tempore Bonifacij I. & Celeſtini floruerit. De quo autem intelligenda ſunt ea, quæ de Leontio ait Sidonius epiſt. 3. lib. 6. dum eum ait ſibi præferri, *ætate vitæ, tempore dignitatis, priuilegio loci, laude ſcientiæ, dono conſcientiæ*, diſputent alij: Ego de Arelatenſi interpretari malim, præſertim *ob priuilegium loci*, cui præſidebat, à Sidonio obſeruatum.

Porrò ex prædictis, quæ de prima ſententia in cauſa Arelatenſis Eccleſiæ aduerſus Hilarium dicta à ſancto Leone, retulimus, ad præſens inſtitutum duntaxat ea proferenda. Primum, legem iſtam, vt vnaquæque prouincia ſuum habeat Metropolitanum, hac ſententiâ inculcari. Alterum, Metropoliticam dignitatem ab Exarchica diſtingui: contra morem quidem Eccleſiæ indicari, quòd Metropolitanus in aliam prouinciam ſuam extendat auctoritatem; non eſſe contra morem, vt ſupra plurimas diuerſarum prouinciarum vnus Primas conſtituatur, qui auctoritatem habeat Epiſcoporum ex variis prouinciis in vnum cogendorum. 3. Contra morem aſſeri, quòd Hilarius prouinciam ſibi Viennenſem ſubiicere vellet. 4. Vicarium Sedis Apoſtolicæ immiſcere ſe potuiſſe in conuocandis Epiſcopis ad Concilinm, & Epiſcoporum cauſis definiendis; Metropolitæ verò officium in ordinandis Sacerdotibus indebitum ſibi vendicare, nequaquam debuiſſe. 5. In pœnam contumaciæ omni dignitate ſpoliatum Hilarium fuiſſe, ſolâ ſuæ ciuitatis ſeu Diœceſis poteſtate relictâ. 6. Viennenſi Archiepiſcopo eo tempore videri Metropolitæ officium in tota prouincia Viennenſi collatum: Vicarij verò Sedis Apoſtolicæ officium, quod maximè in conuocandis diuerſarum prouinciarum Epiſcopis ſitum erat, in Leontium tranſmiſſum. 7. Ex eo colligi non poſſe Leontium Foroiulienſem Epiſcopum ex Suffraganeis Arelatenſis Eccleſiæ fuiſſe: quin immò cùm toties ſtatuatur, vt vnaquæque prouincia ſuum habeat Metropolitanum, videri Leontium hac lege à prouincia Arelatenſi excluſum, proprio Metropolitano ſubditum fuiſſe. Inferri tantùm poſſe prouinciam Narbonenſem ſecundam Viennenſi, tam ei quæ parebat Metropolitano Arelatenſi, quàm quæ Viennenſis arctiori neceſſitudinis fœdere copulatam fuiſſe; atque ideò vbi opus foret iſtarum prouinciarum Epiſcopos ad Concilium conuocandi, auctoritatem iſtam, quandiu Hilarius Arelatenſis viueret, in eum transferri potuiſſe. Denique, ſententiam Leonis executioni fuiſſe demandatam, & Valentiniani III. Nouellâ Conſtitutione firmatam, eidémque modeſtiſſimè Hilarium virum alioqui ſanctiſſimum, & qui inter cælites referri meruit, paruiſſe; nec contra quidquam Leonis ſententiam hiſcere vel mutire voluiſſe, quantumuis eum nec ſanctitatis opinio, nec eloquentiæ ad perſuadendum idoneæ commendatio, nec cauſæ priuilegiis Apoſtolicis & vſu aſſerendæ probabilia argumenta deficerent.

§. XXIV.

Præambula qu:dam ad poſteriorem Leonis ſententiam, inter Arelatenſem & Viennenſem Metropolitanos, decretoriam examinantur.

POSTERIOR ſententia in iſta cauſa decretoria à ſancto Leone data eſt poſt obitum Hilarij, & electionem Rauennij ad cathedram Arelatenſem: tunc enim depreſſa ad tempus Arelatenſis Eccleſia, cuius Antiſtitis auctoritas intra ſuæ Diœceſis limites, in pœnam priuatæ temeritatis reſtricta fuerat, dignitati ſuæ reſtitui expetiit: comprouinciales Epiſcopi Metropoleos Arelatenſis legationem ad Leonem Papam inſtituerunt, pro recuperandis antiquis iuribus & priuilegiis Eccleſiæ Arelat. illud in primis depoſcentes, vt de more, quem antiquum prætendebant, prouincia ſolida Viennenſis eidem Eccleſiæ Arelatenſi ſubiiceretur. Comprouinciales illi Metropolis Arelatenſis iidem ſunt, quos anteà Arelatenſis Epiſcopus tanquam ſuos Suffraganeos ſe habere iactabat: additi & alij ex finitimis prouinciis tanquam ſuffragatores; nouemdecim ſiquidem numerantur in epiſtola decretali Leonis ad ipſos, eorúmque aliqui videntur Epiſcopi fuiſſe prouinciæ Alpium Maritimarum, verbi gratiâ, Ingenuus, quem probabile eſt eundem eſſe, qui Ebredunenſis Epiſcopus nominatur epiſt. 4. Hilari Papæ, Valerianus qui Cemelienſis Epiſcopus fuit, cuius ſcilicet extant homiliæ quædam ab aliquo tempore in lucem editæ, & à Theophilo Raynaudo ab erroris nota vindicatæ, qui & ipſe ex prouincia erat Alpium maritimarum. Vtrum autem omnes prouinciæ Viennenſis præter Viennenſem, qui contrariam legationem miſit, vt refertur prædictâ Leonis epiſtolâ 109. & præter Rauennium Arelatenſem, qui vel omnino ſcribere noluit, vel ſeparatim ad Leonem ſcripſit, nec preces ſuas eorum precibus miſcere æquum duxit, qui enixè ei fauebant, ne illi ſuâ ſupplicatione potiùs, quàm proprio arbitrio in eius gratiam ſcripſiſſe viderentur. Vtrum, inquam, omnes prouinciæ Viennenſis Antiſtites, quæ tredecim Epiſcopos continebat, ad Leonem, in gratiam Arelatenſis ſcripſerint, altioris eſt indagationis: ſcripſiſſe omnes coniicies, quia epiſtola ab iis miſſa ſtatim in limine, hæc præfert, *Preces miſſæ ab vniuerſis Epiſcopis Metropolis Arelatenſis ad S. Leonem Papam.* Item, quia ponamus omnes prouinciæ Viennenſis Epiſcopos ſcripſiſſe præter Arelatenſem & Viennenſem, vndecim huius prouinciæ reperientur, qui huic ſupplicationi ſcripſerunt, quibus ſi addas octo prouinciæ Alpium maritimarum, reperientur nouemdecim, totidem quot qui prædictum libellum ſupplicem obtulerunt, ex inſcriptione Leonis Papæ ad ipſos.

Ex altera verò parte obiicitur, quia vniuerſos prouinciæ Viennenſis Epiſcopos, in electione Rauennij Arelatenſis nominatos legimus duodecim, ad quos extat gratulatoria Leonis, epiſt. 105. quæ *ad Epiſcopos per Arelatenſem Galliæ prouinciam* inſcribitur, putà Conſtantinus, Audentius, Ruſticus, Auſpicius, Nicetas, Nectarius, Florus, Aſclepius, Iuſtus, Auguſtalis, Yuantius ſeu Hymnatius, & Chryſaphius: neque plures Viennenſis prouincia comprehendit quàm tredecim, atque adeò ad electionem vnius mortui, nonniſi duodecim conuenire potuerunt: nec alios quàm Comprouinciales ſe electioni alicuius immiſcere laudaſſet S. Leo, vt pote actum contra Canones ab eo ſæpiùs probatos; qui tamen S. Leo electionem Rauennij concordibus votis à totius prouinciæ Epiſcopis factam laudat epiſt. 106. nec qui ad electionem cum cæteris admiſſi fuiſſent extra prouinciam, ad Leonem ſuis nominibus auſi fuiſſent ſcribere, nec eos *Epiſcopos per Arelatenſem prouinciam conſtitutos* vocaſſet Leo, quo elogio eos exornat, niſi prouinciæ Arelatenſis fuiſſent, ſeu Viennenſis, quæ vnica erat ciuilis prouincia; atqui ex nominatis Epiſcopis qui interfuerunt electioni, & ordinationi Rauennij, eámque probarunt, & de ea ad Leonem retulerunt, aliqui libello ſupplici pro Eccleſia Arelatenſi minimè ſubſcripſerunt, putà Ruſticus, Auſpicius, Nicetas, Florus, Chryſaphius. De Auſpicio clara eſt ratio, cur non ſubſcripſerit, quia extremum

diem obierat; Auſpicius enim diu ante electionem Rauennij Epiſcopus erat Vaſenſis, vt patet ex titulo primi Concilij, quod habitum dicitur *in ciuitate Vaſenſi apud Auſpicium Epiſcopum Eccleſiæ Catholicæ*; interfuit autem Regienſi & Arauſicano primo Conciliis, quibus & ſubſcripſit, interfuit quoque ordinationi Rauennij: ſed poſt eam breui obiit, & in eius locum Fonteius Epiſcopus Vaſenſis ſeu Vaſionenſis ordinatus eſt, cuius meminit Sidonius epiſt. 4. lib. 7. de cuius ordinatione ab Arelatenſi peracta conqueſtus eſt Viennenſis Epiſcopus, vt patet ex epiſt. 106. quam iam præ manibus habemus, & Fonteius iſte vnus nominatur, inter eos qui Epiſcoporum Metropolis Arelatenſis nomine ſcripſerunt ad Leonem, vt ex initio epiſtolæ Leonis videre eſt.

Quamobrem ad Leonem in gratiam Arelatenſis Eccleſiæ ſcribere non potuit Auſpicius. De Niceta dici fortè poſſet eum quoque diem ſuum obiiſſe, antequam iſta epiſtola mitteretur, cuius ſcilicet nullibi poſteà fit mentio: ſed gratis hoc diceretur, & duos Epiſcopos electores Rauennij tam breui tempore obiiſſe, non eſt probabile. At verò de Floro & Chryſaphio id dici non poteſt, nam vtriuſque fit mentio epiſt. 51. Epiſcoporum Galliæ inter epiſtolas Leonis, & epiſt. 52. *eiuſdem ad Epiſcopos Galliæ, quæ eſt de damnatione hæreticorum*: quæ epiſtola cùm nonniſi anno Chriſti 454. miſſa fuerit; Pontificatus Leonis XIII. epiſt. verò 13. quâ componit Leo controuerſiam inter Viennenſem & Arelatenſem Præſules, non diu poſt electionem Rauennij ſcripta anno ſecundum eundem Baronium 449. procul dubio dicere non poſſumus eos omnes, qui ordinationi Rauennij interfuerant, ac Metropolis Arelatenſis eſſe debebant, ſubſcripſiſſe libello ſupplici in gratiam Eccleſiæ Arelatenſis. De Ruſtico verò aliud ſcio dici poſſe, nimirùm Ruſticum iſtum Narbonenſem Metropolitanum fuiſſe, eundem nempe qui epiſtolæ Synodicæ Epiſcoporum Galliæ, quâ Leonis ad Flauianum epiſtolam à ſe receptam renuntiant, primus ſubſcribit, primúſque etiam ante Rauennium à Leone nominatur epiſt. 94. quâ exemplaria Synodi Chalcedonenſis ipſis mittit. Poſt Rauennium verò ſtatim nominatur ante cæteros in Arelatenſi tertio Conciliò, ad quem cum hac inſcriptione, *ad Ruſticum Narbonenſem*, ſcribit idem ſanctus Leo epiſtolam 92. Sed duo obſtant quominùs id admittamus; primò, quia ad Narbonenſem Ruſticum electio & ordinatio Rauennij, vt pote alterius prouinciæ, non ſpectabat, nec probabile eſt Ruſticum vocatum fuiſſe, cùm adeſſent ſufficienti numero prouinciales, adeſſet Viennenſis, qui ſe Metropolitanum prætendebat; nec ſi interfuit Rauennij conſecrationi, eius fuiſſet de eadem ad ſummum Pontificem referre.

Secundò, quia non eſt probabile Ruſticum, qui tempore Leonis pro vero Metropolitano agnoſcebatur, ita vt Hilarius Arelatenſis reprehenſus grauiter à Leone fuerit, quòd in eius prouincia Epiſcopum ordinaſſet, aut Arelatenſis Metropolis Epiſcopos ad ordinationem Arelatenſis acceſſere voluiſſe; à quo cauendum erat, ne aliquam ex eo facto prærogatiuam ipſe aſſumeret: vel poſt aliquot prouinciales Epiſcopos Conſtantinum, & Audentium ſubſcribere voluiſſe: aut eo ordine poſt illos à Leone nominatum fuiſſe, quibus ſemper alibi in ordine præponitur.

Quocirca probabile eſt quatuor iſtos Epiſcopos, Ruſticum, Nicetam, Florum, Chryſaphium non ſubſcripſiſſe epiſtolæ ſcriptæ pro aſſerendis priuilegiis Eccleſiæ Arelatenſis, nec illos voluiſſe ſubſcribere, ſed fauiſſe Eccleſiæ Viennenſi, illarúmque ciuitatum Epiſcopos videri, putà Viennæ, & trium aliarum, quæ Viennenſi Metropoli adiudicatæ à Leone eidem anteà ex eadem prouincia ſubdebantur, putà Epiſcopos Valentiæ, Geneuæ & Gratianopolis. Nam Tharantaſiæ Epiſcopum, vt pote alienæ prouinciæ, duodecim iſtis Epiſcopis, qui Rauennij Arelatenſis electionem & ordinationem perfecerunt, eámque Pontifici renunciarunt, non adcenſendum puto, vt pote ex diuerſa prouincia; cui proinde nullum ius in electione & ordinatione Metropolitani prouinciæ Arelatenſis ſecundum Canones conueniebat, quamuis ob paucitatem Epiſcoporum in prouincia, ab vno ex Metropolitanis prouinciæ Viennenſis, putà à Viennenſi ordinari ſoleret; eos verò qui Metropoli Arelatenſi fauentes ſubſcriberent libello ſupplici ad ſanctum

Leonem porrecto, qui vſque ad 19. aſcendunt, non omnes ex prouincia Viennenſi fuiſſe facilè ex dictis coniicimus; ſed duntaxat ex illa prouincia fuiſſe octo, ſeptem ex iis qui electioni Rauennij interfuerint, octauum ſucceſſorem Auſpicij Vaſenſis Fonteium ab ipſo Rauennio ordinatum; ex prouincia Alpium maritimarum octo eſſe potuerunt, totidem ſcilicet quot prouincia iſta continebat, qui Concilij Regenſis decreto fuerant Arelatenſi Epiſcopo ſuppoſiti: quos proinde Arelatenſi potiùs quàm Viennenſi fauiſſe probabile eſt, licèt ipſius Arelatenſis extra prouinciam ſuam in ſeipſos vſurpationi fortè non conſentirent, vt pote qui ſcirent Arelatenſi Epiſcopo extra prouinciam nemini præter Patroclum, & quidem ad tempus, ordinandi licentiam fuiſſe conceſſam; nec ignorarent Metropolitanum ſuum nomine Ingenuum Ebredunenſem Antiſtitem, qui eidem porrecto libello ſubſcripſit, *ſemper honore Metropolitani in prouincia Alpium maritimarum ſubnixum fuiſſe*; quod poſteà teſtatus eſt Hilarus Papa epiſt. 4. quæ tamen verba, quia de iure explicari poſſunt, non de facto: & in fine eiuſdem epiſtolæ Ingenuum ait Papa Hilarus *dudum ab Apoſtolica Sede pro eius iuris illicita ceſſione culpatum*: probabile eſt & ipſum & cæteros eius Comprouinciales conſenſiſſe, vt in ipſorum prouincia Arelatenſis Metropolitica iura exerceret.

Accedere poterat & Tharantaſiæ Epiſcopus, ad quem perinde hoc erat, ſiue ab Arelatenſi, ſiue à Viennenſi ſacraretur: aliquis etiam ex prouincia Narbonenſi ſecunda Arelatenſi Metropoli Suffragator accedere potuit; nam & nomina quædam propria Epiſcoporum huic coniecturæ fauent: etenim inter eos Maximus recenſetur, idem, vel certè eiuſdem nominis cum Maximo Regenſi, qui Regenſi, Arauſicano I. & Arelatenſi II. Conciliis ſubſcripſit; cui in præfectura Monaſterij Lirinenſis, & Epiſcopatu Regienſi ſucceſſiſſe Fauſtum canit Sidonius Carmine 13. quem circa ea tempora Regienſem Epiſcopum fuiſſe teſtantur quoque Gennadius *de viris illuſtribus*, cap. 69. Fauſtus homil. *de ſancto Maximo*, inter Euſebio Emiſſeno falsò adſcriptas: Iſidorus *de viris illuſtribus*, cap. 16. & Dinamius Patricius, libello *de vita ſancti Maximi.* Recenſetur & Theodorus, idem quoque, vel certè eiuſdem nominis cum Theodoro Foroiulienſi, ab eo diuerſus, qui in Regenſi Concilio ſubſcripſit, & in Arauſicano primo; quippe cùm eius prædeceſſor Leontius poſt eorum Conciliorum celebrationem vixerit, dum & à Leone conceſſum eſt, vt ſine ipſius conſilio diuerſarum prouinciarum Synodi minimè celebrarentur; idem qui in Arelatenſi tertio nominatur poſt obitum Leontij, ad quem Theodorum Epiſcopum Foroiulienſem extat epiſtola 91. ſancti Leonis, de variis capitibus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cuius initio eum monet priùs ipſum cum Metropolitano ſuo conferre debuiſſe, quàm cum Apoſtolica Sede, de eo quod quærendum videbatur, conferret.

Et ſanè cùm tota controuerſia, quæ ad ſanctum Leonem iudicanda deferebatur, duo capita contineret: primum, cuinam in prouincia Viennenſi Epiſcopos ordinandi poteſtas conueniret: Alterum, vt Primatus eidem in totam Galliam, ſaltem eam quæ Romanorum olim prouincia fuerat, à Zoſimo collatus redderetur, *& quicquid Arelatenſis Eccleſia* (vt ipſi in libello ſupplici exponunt) *vel ab antiquitate ſuſcepit, vel poſteà auctoritate Sedis Apoſtolicæ vindicat, id omne ad ſuum Pontificium reuocare Sedis Apoſtolicæ auctoritas in perpetuum manſura præciperet.* Non mirum eſt, ſi conquiſiti fuerint non ſolùm ex prouincia Viennenſi, qui libello iſti ſupplici ſubſcriberent, omnéſque qui ex veteri more Arelatenſi Metropoli obnoxij fuiſſent, reuerà ſubſcripſerint; verùm etiam ad ſubſcribendum inuitati fuerint ex aliis prouinciis, quæ Vicariam Romanæ Sedis Arelatenſi Præſuli à Zoſimo collatam poteſtatem admiſerant, & ab Arelatenſi Epiſcopo, vt Sedis Apoſtolicæ Vicario ordinationis ſuæ confirmationem obtinuerant; & fortè quorum aliqui ab eiuſdem Antiſtite acceperant conſecrationem: quia Zoſimus reuerà per totam prouinciam Viennenſem & vtramque Narbonenſem ius ordinationis Epiſcoporum Arelatenſi Epiſcopo conceſſerat epiſt. 5. 7. & 8. quod ius in Narbonenſi ſecunda Hilarium præſertim exercuiſſe probabile eſt, quæ minori auctoritate defendebatur, in qua ſcilicet patiebatur Aquenſis Metropolitanus à Proculo Maſſilienſi varias ordinationes fieri: quam vſurpationem Taurinenſe

Concilium impunitam non ſolùm reliquerat, verùm etiam ad vitam Proculi prorogarat, vt ſuperiùs obſeruauimus: nihil, inquam, mirum, ſi in ea rerum turbatione aliqui ex iis ab Arelatenſi Præſule ordinari potuerint: quos proinde etiam eadem iura ab Arelatenſi Epiſcopo reſumi, etiam contra Canones, qui in ſingulis prouinciis ordinandi ſaltem poteſtatem Metropolitano relinquunt, contra Leonis decretum, qui in aliena prouincia ordinandi Epiſcopos Arelatenſi denegauit ex prædictis, prætenſis aduerſus Viennenſem Epiſcopum iuribus, & Exarchicis in diuerſis prouinciis prærogatiuis Arelatenſi confirmandis, conſenſiſſe probabile eſt; quippe cùm prædicto libello teſtentur *ab huius*, id eſt Arelatenſis, *Eccleſiæ ſacerdote tam ipſos quàm prædeceſſores ſuos fuiſſe in ſummum ſacerdotium conſecratos: Nec ſolùm prouinciæ Viennenſis ordinationem, ſed etiam trium prouinciarum* (id eſt, vtriuſque Narbonenſis, & Alpium maritimarum, *contemplatione ſancti Trophimi, Arelatenſis Eccleſiæ Sacerdotem ad ſollicitudinem ſemper, ſuámque curam reuocaſſe*: & præterea tanquam Vicarios Sedis Apoſtolicæ Gallias omnes ſub Eccleſiaſtica regula tenuiſſe. Quæ omnia vix explicari poſſunt ab Epiſcopis iſtarum prouinciarum probata, niſi qui Arelatenſem ſibi Metropolitanum præfici conſenſiſſent. Atque hæc ſunt veluti præludia ſententiæ Leonis, ex quibus illuſtrantur iſta quæ ſuperiùs docuimus.

Primùm, Viennenſem totam prouinciam ſibi vendicare voluiſſe Metropolitanos Arelatenſes, maximè ex decreto Zoſimi, & conſuetudine.

Alterum, conſuetudinem iſtam conſtantem & claram non fuiſſe, aliquos ſemper ipſi reluctatos.

Tertium, iſto tamen tempore Arelatenſis Epiſcopi iura clariora fuiſſe, & eum in antiqua poſſeſſione fuiſſe etiam ante Zoſimum, vt in tribus iſtis prouinciis Metropolitæ officio fungeretur; neque enim probabile eſt tot ſanctiſſimos viros, qui huic epiſtolæ ſubſcripſerunt, in iis quæ ſuam patrúmque memoriam non excedebant, tam turpiter mentiri voluiſſe.

Quartum, libellum ſupplicem oblatum Leoni ab Epiſcopis Metropolis Arelatenſis ſubſcriptum fuiſſe, non ab Epiſcopis prouinciæ Viennenſis, quorum aliqui, qui ſe Viennenſi ſubditos meminerant, vel ſubiici optabant propter viciniam, ſubſcribere eidem noluerunt; non ab Epiſcopis vniuerſis finitimarum prouinciarum: quia fortè nulla erat prouincia, cuius omnes Epiſcopi ſubſcripſeriut: ſed ab Epiſcopis Metropolis Arelatenſis, iis ſcilicet qui ſe ſub Arelatenſi Metropoli eſſe conſentirent; & ab aliis vicinarum prouinciarum, quibus Arelatenſis Præſulis cauſa placuiſſet.

Quintum, ex Narbonenſi prima prouincia nullum videri huic libello ſupplici ſubſcripſiſſe, cuius ſcilicet Metropolitanus, vrbis ſuæ potentiâ, antiquitate, & dignitate fultus incrementis Arelatenſis Eccleſiæ ſemper obſtiterat, qua etiam in cauſa, decreto Bonifacij epiſt. 5. *ad Hilarium Narbonenſem*, & Cæleſtini epiſt. *ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis & Narbonenſis*, Can. 4. ſuperior euaſerat.

Sextum, in aliis prouinciis finitimis, quæ eiuſdem olim prouinciæ nomine venerant, & politicæ neceſſitudinis variis inter ſe vinculis connexæ erant, ius quoque Metropoliticum, & Exarchicum Arelatenſem Epiſcopum prętendiſſe, in prouinciis Alpium maritimarum, ex ſententia Concilij Regenſis; Alpium Græcarum ſeu Penninarum, ex vſu quo Tharantaſienſes ordinari ſolebant ab Epiſcopo prouinciæ Viennenſis, quo ſe ſuperiores Arelatenſes prætendebant; & iure viciniæ cum neceſſitate coniuncto, quæ ex duorum tantùm in hac prouincia Epiſcoporum creatione naſcebatur, ob quam ad vicinum Metropolitanum confugere neceſſarium videbatur: denique in Narbonenſi ſecunda, quam Taurinenſe Concilium Arelatenſi reſtituendam inſinuauerat.

Nihilominùs ſignum vſurpationis Arelatenſis Epiſcopi illud apparere, quòd iſtarum paouinciarum Epiſcopi non adeò ſtrictè cum Arelatenſi coniuncti eſſent, ac Prouinciales cum Metropolitanis ſuis, eò quòd diuerſarum eſſent prouinciarum; Octodorenſem Epiſcopum in Alpium Penninarum prouincia ad Arelatenſem reſpexiſſe non legi, ſed Tharentaſienſi in ordinatione potiùs paruiſſe, qui aſſumptis aliis Epiſcopis quos vellet, eum ordinaret; tam Alpium maritimarum quàm

Narbonenſis ſecundæ prouinciarum Epiſcopos ab electione Epiſcopi Arelatenſis excluſos fuiſſe, à quo tamen ordinationem ſuſcipere, plurimi ex iſta prouincia non ægrè ferrent: atque adeò ab honoribus prouinciæ Arelatenſis excluſos, oneribus verò obſtrictos fuiſſe.

Septimum denique, iudicium Leonis nullum aliud directè ex iis capitibus attigiſſe, præterquàm contentionis, quæ inter Viennenſem & Arelatenſem prouincias vertebatur; quia quoad cætera præcedentibus decretis, quibus in alia prouincia Arelatenſem aliquid tentaſſe reprehenderat, iſtam quæſtionem fuiſſe exiſtimabat.

§. XXVI.

Sententia Leonis circa prædictam controuerſiam diſcutitur.

SED præſtat Leonem tandem controuerſiam iſtam definientem audire prædictâ epiſt. 109. quibuſdam notis, quæ in animum reuocent ea, quæ toties obſeruauimus, *Lectis dilectionis veſtræ literis, quas ad nos filij noſtri Petronius Presbyter, & Regulus Diaconus detulerunt, quàm beneuolum fratri & coepiſcopo noſtro Rauennio impendatis affectum euidenter agnouimus. Siquidem poſtulatis, vt id quod deceſſor ipſius merito nimiæ præſumptionis amiſerat, reformetur.* En prima neceſſitas ferendæ ſententiæ prolata, ſupplicatio variorum Epiſcoporum, qui electo in Arelatenſem Epiſcopum Rauennio, priuilegia, quibus ob contumaciam ſpoliatus fuerat Hilarius Arelatenſis, Rauennio ſucceſſori reſtitui petierunt, ne pœna priuati criminis publicum Arelatenſi Eccleſiæ præiudicium inferret.

Circa quam duo notabis, & Leonis ſententiam aduerſus Hilarium inefficacem non fuiſſe comminationem, ſed executioni demandatam tanquam iudicis legitimi ſententiam; & æquè potentem creditum, vt priuilegia Metropolitana atque Exarchica reſtitueret, quam vt auferret, ab auctoritate Sedis Apoſtolicæ eorum iurium conceſſionem vel ademptionem pendere ſibi iſtius ætatis homines perſuaſiſſe; nec perpetuam viſam priuilegiorum iacturam, quam ob vnius Antiſtitis ſui temeritatem benè merita Eccleſia perpeſſa fuiſſet.

Altera neceſſitas exprimitur, querimonia Eccleſiæ Viennenſis de ordinatione Vaſenſis ſeu Vaſionenſis Epiſcopi in prouincia Viennenſi, cui ciuitati præfectus fuerat Epiſcopus ab Arelatenſi, qui ciuitati iſti vicinior erat quàm Viennenſis: quæ querimonia oſtendit, vel Viennenſem Epiſcopum quoſlibet prouinciæ Viennenſis Epiſcopos ordinandi poteſtatem ſibi debitam prætendiſſe, ſolúmque ſe totius prouinciæ Metropolitanum exiſtere: vel ſaltem Rauennium nondum à Sede Apoſtolica obtentâ declaratione, hanc poteſtatem ſibi vendicare non debuiſſe, quæ mutilato Hilario Arelatenſi ad Epiſcopum Viennenſem deuenerat, temereque proinde Epiſcopum Vaſenſem, antequam ſiue vera ſiue falſa Arelatenſis Eccleſiæ priuilegia renouarentur, ordinationem à Rauennio fuiſſe tentatam.

Hanc ſecundam neceſſitatem ſibi impoſitam iudicandi ita explicat S. Leo: *Sed petitionem fraternitatis veſtræ Viennenſis Epiſcopus miſſis literis & Legatis, ſuâ ſuggeſtione præuenerat, conquerens Arelatenſem Epiſcopum ordinationem ſibi Vaſenſis Antiſtitis vſurpaſſe.* Quænam in iudicando ſeruauerit, ſequentibus verbis indicat, tuitionem antiqui moris, ſtudium fouendæ inter celebres dictas duas Eccleſias pacis, commodum ſubditarum Eccleſiarum, *Cùm itaque nobis ita & paternarum reuerentia ſanctionum, & omnium veſtrûm ſeruanda ſit gratia, vt in Eccleſiarum priuilegiis nihil patiamur excidi: conſequens fuit vt ad conſeruandam inter Viennenſem & Arelatenſem prouincias pacem, adhiberetur moderatio: quæ nec antiquitatis vſum, nec deſideria veſtra negligeret.* Faceſſant igitur qui Leonis iudicium innouationem in conſtituendis vtrique prouinciæ terminis, abrogationem antiqui moris, iuxta quem omnes Eccleſiæ inter ſe pares eſſent: nam hoc verba præcedentia & ſubſequentia excludunt: *Conſideratis allegationibus vtriuſque partis præſentium Clericorum, ita ſemper intra prouinciam veſtram, & Viennenſem, & Arelatenſem ciuitates claras fuiſſe reperimus, vt quarumdem cauſarum alternâ ratione, nunc illa in Eccleſiaſticis priuilegiis, nunc iſta præcelleret, cùm tamen eiſdem commune ius quondam fuiſſe à gentibus proderetur.*

§. XXVII.

§. XXVII.

Vtrùm Arelatenſis & Viennenſis Præſules, aut ſimul aut alternis vicibus prouinciam Viennenſem tanquam Metropolitani regerent ante Leonis ſententiam.

CVRSIM hæc pertranſeunda non ſunt, Lector, ſed diligenter notanda, non quidem, vt iis verbis, aut alternam regendæ & gubernandæ prouinciæ Viennenſis rationem ab Eccleſia diſpoſitam aut approbatam intelligas, vel vt communi poteſtate totam iſtam prouinciam à duarum iſtarum ciuitatum Præſulibus, tanquam ab vno Metropolitano communi conſilio adminiſtratam ex Eccleſiæ ordinatione interpreteris: vtrumque ſiquidem à Chriſti inſtitutione, ab Eccleſiæ mente diſſidet, ſiue vt alternis vicibus duo aliqui Præſules eandem prouinciam adminiſtrent, ſintque Pontifices & ſummi Sacerdotes in aliqua prouincia vnius anni vel plurium, quemadmodum apud Iudęos, *Cùm Deus inſtituiſſet ſummum Sacerdotem, cui mortuo vnus ſuccederet: per ambitiones & contentiones inter Iudæos poſteà conſtitutum, vt plures eſſent, & per annos ſingulos vicibus miniſtrarent*, notat Auguſtinus tractatu 49. in Ioannem; quod etiam contra diuinam diſpoſitionem, iam ferè deletis legis Moſaicæ inſtitutis, à Deo permiſſum refert Euſebius lib. 1. hiſtoriæ capite 10. ſiue etiam vt plures ſimul eandem Eccleſiam regerent: vtrumque ſiquidem Monarchicum (quæ ſola in Eccleſia ordinaria gubernationis forma agnita eſt) regimen euertit; quam & vocem Monarchiæ, & rem voce ipsâ ſignificatam in prouincia Arelatenſi admittit Hilarus Leonis ſucceſſor epiſt. 7. ad Leontium Arelatenſ. vbi eum illa quæ à Patrum inſtitutione abhorrent cauere præcipit, *ne committantur in prouincia quæ ad Monarchiam eius pertinebant.* Et certè vnitas Eccleſiæ, & cuiuſlibet Eccleſiaſtici cætus expoſcit, vt licet multi in commune conſulant, vnus tamen cæteris emineat, qui Chriſtum caput noſtrum referat, vnum animatum Paſtorem, vnum ſponſum, vnum caput Eccleſiæ, ne plurium in eadem poteſtate, ſiue ſimultanea, ſiue alterna conſtitutorum æmulatione pax Eccleſiæ turbetur; quæ ab vno ſtatuta fuerint, ab alio reſcindantur, & diſſenſio inter ſubditos oriatur, vno ſe Cephæ, alter ſe Apollo, vel Pauli eſſe gloriante: quo vtrique malo ſanctiſſima Eccleſiæ incunabula minimè caruerunt.

Aliud ergo ſanctus Leo quàm iſtas Eccleſiaſticæ Monarchiæ peſtes, aut alternorum in vna prouincia vices imperantium, aut communes regentium faſces cogitauit: id verò narrat, quod ex monumentis ab vtraque parte, tum ab Eccleſia Viennenſi, tum ab Arelatenſi prolatis compertum habuerat: non conſilio ſcilicet & deſtinato factum fuiſſe, ſed rerum euentu contigiſſe, vt modò Viennenſis, modò Arelatenſis Eccleſiaſticis priuilegiis alteri præemineret. De Exarchicis potiùs, aut aliis prærogatiuis quàm de Metropoliticis loquitur: ſed ponamus etiam de Metropoliticis fuiſſe locutum: hoc nequaquam iis præiudicat, quæ à nobis ſtatuta ſunt, putà antiquam eſſe tam Viennenſis quàm Arelatenſis Metropoliticam dignitatem, ſiue vtriuſque ciuitatis Epiſcopos dicas in eadem prouincia Viennenſi Metropolitanos fuiſſe, diſtinctos habentes Suffraganeos ante Leonem; quod longè probabilius arbitramur, quemadmodum & in eadem olim Narbonenſi quæ in Viennenſem & alias poſteà ſecta eſt diuerſas ciuiles prouincias, diuerſos Metropolitanos ab initio fuiſſe ſuprà docuimus: ſed vtriuſque Præſulis ambitione conuulſos iſtos terminos fuiſſe; vt tempore Leonis ignorari potuerint, quo ſcilicet ab vtroque ſeorſim adminiſtratæ ſolidæ prouinciæ Viennenſis, modò ab vno, modò ab altero exempla poterant ex vera rerum geſtarum narratione allegari: ſiue vnum in ſolida prouincia Viennenſi fuiſſe dicas Metropolitanum; ſed qui modò Viennenſis, modò Arelatenſis fuerit, prout inclinati meritis & dignitate vtriuſque vrbis, modò huius, modò illius, Pontifices Romani ſtatuiſſent. Hoc duntaxat ex vtrouis ſequi poterit, obſcura fuiſſe vtriuſque ciuitatis iura, ſiue illa iniuſtæ ab alterutro iſtarum ciuitatum Præſule diuerſis temporibus contigerint vſurpationes; ſiue diuerſa vtrique Ec-

cleſiæ modò huic, modò illi conceſſa priuilegia, obſcura reddiderunt: Ea verò ſanctum Leonem ſuo inuiolabili decreto perfeciſſe, non quidem mero ſuæ voluntatis arbitrio, ſed antiqui moris habitâ ratione. Atque adeò ſequitur in vnaquaque prouincia Eccleſiaſtica vnum ſemper Metropolitanum extitiſſe, nec nudum Metropolitani nomen ante Leonem fuiſſe, ſed cum poteſtate & dignitate antiquum, & Eccleſiæ ipſi coæuum; quod vtique ſolùm intendimus. Quòd ſi diuerſis temporibus dicas modò Arelatenſi in totam prouinciam Viennenſem Metropoliticam dignitatem ab aliquo ſummorum Pontificum confirmatam fuiſſe, vt certè confirmauit eam Zoſimus: ab aliis Viennenſi attributam fuiſſe, & penes vnum eorum ante ſanctum Leonem auctoritatem iſtam in totam prouinciam ſemper reſediſſe: hoc ſenſu facilè interpretaberis quod dixit ſanctus Leo, *eiſdem commune ius quondam fuiſſe à Gentibus prædicari*, quia commune ius dici poteſt eis fuiſſe, quibus communia iuſto titulo poſſidendi alicuius priuilegij ſuppetunt inſtrumenta: ius enim pro titulo iuſtæ poſſeſſionis non rarò vſurpatur, atque adeò cùm ambæ partes iuſtum poſſeſſionis ſuæ titulum oſtendunt, commune ius habere dici poſſunt, ſed iſta verba ſancti Leonis de ciuili non Eccleſiaſtico iure ſatius eſt interpretari, vt ſignificare voluerit quòd cùm in Eccleſiaſticis priuilegiis, quæ communiter poſſideri non poſſunt, modò vna ciuitas, modò altera pręcelluiſſe Eccleſiaſticis tabulis ex allegationibus Clericorum vtriuſque Eccleſiæ probaretur; nihilominùs Gentium teſtimonio commune ius dignitatis ciuilis vtraque ciuitas quondam habuiſſe prædicaretur, antequam Arelatenſis ob prætoriam præfecturam, aliáque ciuilia ornamenta, ſupra Viennenſem caput efferret: Ex quibus ſummus Pontifex maximam vtriuſque ciuitatis dignitatis claritudinem, ac penè ęqualitatem confirmauit, quatenus æquitatem ſententiæ ſuæ mox ferendæ demonſtraret, quam iis verbis ſubiungit. *Vnde Viennenſem ciuitatem quantum ad Eccleſiaſticam iuſtitiam pertinet:* quam particulam *(Eccleſiaſticam)* addit, quia de ciuili dignitate verbis antecedentibus locutus fuerat, *inhonoratam penitùs eſſe non patimur, præſertim cùm de receptione priuilegij, auctoritate iam noſtræ diſpoſitionis vtatur, quam poteſtatem Hilario Epiſcopo ablatam, Viennenſi Epiſcopo meliùs quàm in aliis credimus, credidimus deputandam, qui ne repentè ſemetipſo factus videatur inferior, vicinis ſibi quatuor oppidis præſidebit, id eſt, Valentiæ, & Tharantaſiæ, Geneuæ, & Gratianopoli, vt cum eis Vienna ſit coniuncta, ad cuius Epiſcopum omnium ſollicitudo Eccleſiarum pertineat. Reliquæ verò eiuſdem prouinciæ* (nota ad ciuitates duntaxat prouinciæ Viennenſis, non Alpium maritimarum, non Narbonenſis ſecundæ Metropoliticam Arelatenſis Epiſcopi dignitatem extendi hoc Leonis decreto) *ſub Arelatenſis Antiſtitis auctoritate & ordinatione conſiſtant, quem pro modeſtiæ ſuæ temperantia, ita futurum credimus ſtudioſum charitatis & pacis, vt nequaquam ſibi credat ablatum quod fratri videat eſſe conceſſum. Data 3. Nonis Maij Valentiniano Auguſto ſeptimò, & Abieno quintò Conſulibus.*

§. XXVIII.

Obſeruata poſterioribus temporibus prædicta ſententia ſancti Leonis.

HÆc verò ordinatio ſancti Leonis poſteà à Symmacho Papa confirmata, inuiolata perſtitit, nec ampliùs aut Viennenſis Arelatenſi, aut Arelatenſis Viennenſi, dicam pro integra prouincia Viennenſi ſibi vendicanda intentauit, ſi quid alteruter in alterius iura peccauit: illicò à ſummo Pontifice correctum & emendatum eſt. Sic reprehenſus S. Mamertus Viennenſis, & per Veranum Epiſcopum monendus decernitur epiſt. 6. Hilari Papæ, quòd Deenſibus Epiſcopum ordinaſſet, cuius ordinatio ad Leontium Arelatenſem declaratur ſpectare, ad quem reiicitur, vt eius arbitrio confirmetur tum iſtâ epiſtolâ, tum ſequenti.

Quamobrem Leonis decreto duos iſtos in vnica ciuili prouincia, qui toties inter ſe de Metropoli digladiati fuerant, Viennenſem & Arelatenſem Metropolitanos inuiolabili lege confirmatos deinceps in Gallia agnoſcere debemus, nec

de Arelatenſis auctoritate Metropolitica dubium vllum deinceps animaduertimus, quem Exarchicâ prætereà ſcimus dignitate auctum.

§. XXIX.

De Confirmatis Metropoli Ebredunenſi & Aquenſi.

DECRETVM Leonis occaſio fuit, vt quæ in dubium reuocata fuerat Metropolitica dignitas Eccleſiæ Ebredunenſis in prouincia Alpium maritimarum, reſtrictâ à Leone Metropoli Arelatenſi intra partem prouinciæ Viennenſis, & toties præcepto iſto à ſummis Pontificibus firmato, ne quis in alienam prouinciam ex Epiſcopis inſiliret, tandem clarior, & ab vſurpatorum præſumptionibus tutior reddita, Hilari Papæ ſucceſſoris ſancti Leonis decreto firmata fuerit ac munita iis verbis, quæ ſaltem ſignificant eum, qui tunc ſedebat Metropolitanus Ebredunenſis, Ingenuum nomine, quem inter Suffragatores Eccleſiæ Arelatenſis aduerſus Viennenſem ſuperiùs nominatum obſeruauimus, ab iſto iure nunquam omninò fuiſſe deiectum, vt ſuprà explicuimus.

Deinceps etiam Narbonenſis ſecundæ Metropolitanus Aquenſis videtur agnitus fuiſſe, ſicut Alpium maritimarum Ebredunenſis, quamuis non diffiteamur quin variis temporibus ab adminiſtratione ſuæ prouinciæ potentiorum ambitione prohibiti fuerint, adeò vt monuerimus ſuprà in Concilio Francofordienſi de ipſis dubitatum, & ad ſummum Pontificem relatum fuiſſe.

§. XXX.

De variis immutationibus circa Metropolim Viennenſem.

DEINCEPS in veteri prouincia Arelatenſi duo Metropolitani, cum aſſignatione certorum Suffraganeorum omnibus manifeſti, Viennenſis & Arelatenſis, ſed clarior Arelatenſis, cui, vt mox dicemus, Exarchica poteſtas variis temporibus confirmata eſt. Viennenſis tamen Metropolitæ non obſcura eo tempore in dictos Suffraganeos auctoritas, repreſſa ab Hilaro Papa epiſtolâ vndecimâ, & 12. reprehendente quòd ſanctus Mamertus Deenſibus Epiſcopum conſecraſſet, ad Arelatenſem Metropolim pertinente, renouatâ contentione per ſubreptionem Viennenſis, ampliatâ ab Anaſtaſio, ſed ad antiquum mox vſum, & Leonis decretum reuocatâ à Symmacho, vt patet ex huius epiſt. 1. & 2. *ad Æonium Arelatenſem*, nouis tamen incrementis ſubinde auctâ, additis ei tribus iſtis Epiſcopatibus Deenſi, ſeu Dienſi, Maurianenſi & Viuarienſi, qui etiamnum ipſi ſubduntur, ſed Valentino Dienſis adiunctus: Gunthramnus Rex, referente Sergio Papâ, eo diplomate, quod ex tabulario Eccleſiæ Viennenſis collectum inſeruit Antiquitatibus Viennæ Ioannes à Boſco) *Eccleſiam Maurianenſem per conſenſum Apoſtolicæ Sedis, cum omnibus pagis ſuis ſubiectam iure perenni ſanctæ Viennenſi fecit Eccleſiæ.* Ante illud tempus ignoti in hiſtoria noſtra Maurianenſes Epiſcopi: ab eo verò tempore in Synodo Matiſconenſi prima habita anno vigeſimo-primo dicti Gunthramni regis, legitur Hiconius *Epiſcopus Mauriennatis*, qui cum cæteris Epiſcopis ſubſcribit, quemadmodum & Matiſconenſi ſecundo, anno regni eiuſdem Gunthramni vigeſimo-quarto; legitur quoque Leborius ſubſcriptus Concilio Cabilonenſi, habito anno ſexto Clodouæi ſecundi, atque alij deinceps.

Viuarium tranſlata ſedes eſt Epiſcoporum Elinenſium, ſeu Helinorum, aut Eliocurum, deletâ, vt dicitur, à Wandalis Albâ Auguſtâ, quam *Aubenas* interpretatur Scaliger, in qua Epiſcopi ſedem ſuam habebant: Albenſis Epiſcopi Venantij mentio in ſubſcriptionibus Concilij Epaonenſis, habiti anno 517. eiuſdem cum nuncupatione Viuarienſis Epiſcopi fit mentio in ſubſcriptionibus Aruernenſis habiti anno quingenteſimo trigeſimo-quinto. In Concilio verò Aurelian. V. in iiſdem ſubſcriptionibus mentio Melanij Epiſcopi Albenſis, vt vtroque

Fff ij

nomine, & ab antiqua quam incolebant ciuitate, & à noua nuncupatos fuiſſe *pa-varium* pro & confirmat ſuprà laudatum Sergij Papæ diploma, in qua *Alba Vi-teat*, quod vnica ciuitate nominatur.

Albenſium porrò ciuitatẽ inter 13. ciuitates prouinciæ Viennenſis, antiquæ omnes Notitiæ Galliarum complectuntur; ac proinde vnam fuiſſe ex iis ciuitatibus, quæ Arelatenſi Metropoli adiudicatæ fuerunt à Leone & Symmacho, indubitatum eſt. Quâ ergo ratione in poteſtatem Viennenſis venerit diſces ex Antiquitatibus *Viennæ ſanctæ & Senatoriæ*. Referunt ſiquidem Nicolai I. epiſtolam Adoni Viennenſi, quæ incipit *decretum perpetuum*, in qua ſub poteſtate Viennenſis Eccleſiæ *Albam Viuarium* collocat, quemadmodum & Deenſem ciuitatem, non ademptâ ei in Tarantaſienſem Epiſcopum poteſtate, quem vt Primas potiùs ordinet quàm vt Metropolitanus, neque ab altiori principio hanc innouationem petendam credo, quippe cùm Adrianus I. epiſt. *ad Bertericum Viennenſem*, in prædictis Antiquitatibus citatâ, eas ciuitates habere Viennenſem Metropolim ſanxerit, quas beatiſſimus Leo poſt Chalcedonenſem Synodum ſingulis Metropolitis diſtinxit. Sed hæc parerga. Si plura cupis antiquorum Auctorum teſtimonia, quibus Metropoliticam Viennenſis Eccleſiæ dignitatem probes, lege epiſtolam Auiti octuageſimam-ſecundam ad Horſmiſdam, quâ mentionem faciens eorum quos prouinciæ nomine Romam miſerat, *eam ait Eccleſiæ ad ſe pertinenti, ab vniuerſis deceſſoribus ipſius* (vnus enim ille Zoſimus pro nullo eſt, imò & eſſe pro nullo debet, ſi veræ ſunt eius literæ reuocatoriæ, quas ſuprà ex Archiuio Viennenſi retulimus) *& Apoſtolicâ Sede commiſſam*: lege etiam Horſmiſdæ epiſtolam ſequentem inter illius opera, quæ inſcribitur *Auito Epiſcopo, & vniuerſis Epiſcopis prouinciæ Viennenſis ſub tua Diœceſi conſiſtentibus*. Lege & ipſius Auiti epiſtolam trigeſimam ſextam, *viro illuſtri Senario*, & octuageſimam *Quintiano Epiſcopo*, quâ Synodum in parochia Epaonenſi indicit, quo in loco habitum quidem Concilium ipſo præſidente legimus, ſed à multis aliis Metropolitanis & Epiſcopis frequentatum, in quo ſingulari quidem modo ipſe, & Viuentiolus Eccleſiæ Lugdunenſis ſubſcribunt: ipſe enim *conſuetudines*, inquit, noſtras, id eſt, ſacerdotum prouinciæ Viennenſis, *relegi & ſubſcripſi*. Lugdunenſis ſimiliter *prouincialibus meis conſtitutiones noſtras relegi & ſubſcripſi*; cæteri Epiſcopi non Metropolitani relegiſſe tantùm & ſubſcripſiſſe ſe teſtantur. Innumera eiuſdem dignitatis poſteriora ſunt monumenta: ſed hæc vel ad nauſeam ſufficiunt.

§. XXXI.

De Metropoli Narbonenſi.

NARBONENSIS Metropolitani ex prædictis amplam notitiam habemus: ſi quid enim controuerſiæ circa iſtum Metropolitanum eſſe poteſt, id totum adeò innixum eſt controuerſiis inter Viennenſem & Arelatenſem ſubortis, vt ex illarum ſolutione eliquatum videatur.

Itaque iuxta principia ſuperiùs poſita, cùm in celebrioribus ciuitatibus Metropolitanos conſtituendi conſuetudo ab Apoſtolorum tempore viguerit, ſufficit Narbonæ ciuitatis celebritas, vt eam Metropolim Eccleſiaſticam fuiſſe conſtitutam putemus. Metropolim ciuilem ampliſſimæ prouinciæ eam fuiſſe, atque adeò ab eo prouinciam Galliæ maximam, quam Bracchatam dicebant, Narbonenſem appellatam fuiſſe teſtantur omnes; ideò Feſtus Auienus Poemate, quod inſcribitur *Ora maritima*, eam regni caput fuiſſe teſtatur iis verbis:

—— atque Narbo ciuitas
Erat ferocis regni maximum caput.

Similiter Auſonius Carmine de claris ciuitatibus,

—— nomine cuius
Fuſa per immenſum quondam prouincia regnum
Obtinuit multos dominandi iure colonos.

His conſentiens Pomponius Mela libro ſecundo, *Sed anteſtat*, inquit, *omnes Ata-*

Decumanorúmque colonia : vnde olim his terris auxilium fuit, nunc & nomen, & decus eſt Martius Narbo. hanc Martialis *pulcherrimam*, Prudentius in hymnis *ſpecioſam*, & his poſterior Theodulphus *decoram* vocant. Sidonius nullo nobis ornamento carentem ciuitatem deſcribit Carmine 23. miſſi ad eam olim à Romanis Prætores, qui toti prouinciæ ius dicerent, lege ſecundâ, digeſtis *de origine iuris*, cui annuit Cicero Oratione *pro Fonteio* : diuiſâ in quatuor partes ab Auguſto Galliâ, qui quartæ parti Narbonenſi præeſſet Proconſul, Narbonæ morabatur, teſte Auſonio ſuprà. Poſteà Præſidem habuit, qui prouinciæ præeſſet, vt habetur Notitiæ Imperij Occidentis capite quadrageſimo-octauo. Huius dignitatis politicæ non dubium eſt in conſtituendis Eccleſiaſticis præpoſitis rationem habuiſſe, qui primùm Chriſtianam fidem in ea prouincia diſſeminarunt, primámque Eccleſiaſtici Principatus ſedem ibi fixerunt, vbi ciuilis primaria ſedes, & Metropolis erat: atque adeò conſtans traditio eſt Eccleſiarum iſtius prouinciæ, Sergium Paulum, eum quem Proconſulem à ſancto Paulo ad fidem Catholicam conuerſum Acta Apoſtolica prædicant, Narbonam miſſum fuiſſe ad Euangelij prædicationem, & Eccleſiæ iſtius fundationem, primum illius futurum Antiſtitem. Cui traditioni aſſentiuntur Martyrologium Romanum die 21. Martij *Narbonæ in Gallia natalis beati Pauli Epiſcopi Apoſtolorum diſcipuli, quem tradunt fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem, qui à beato Paulo Apoſtolo baptizatus, & cùm in Hiſpaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem Epiſcopali dignitate donatus eſt.* Martyrologia Vſuardi & Adonis, in quibuſdam diſcrepantia, ſed in re ipſa conuenientia, vetus Auctor vitæ tum S. Genulphi, tum S. Theodardi, Flauius Dexter in Chronico ad annum 66. num. 1. Metaphraſtes in vita Pauli, & ad annum 76. num. 1. Ado in Chronico, Ordericus Vitalis lib. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, Anſelmus in cap. 16. epiſtolæ ad Romanos; ad quam illuſtris ſancti Pauli Narbonenſis Epiſcopi ab ipſis Apoſtolis creationem alludit Prudentius Hymno 4.

Surgit & Paulo pretioſa Narbo.

Quem Paulum Archiepiſcopum fuiſſe non ſolùm Narbonenſis primæ, verùm etiam ſecundæ ſuſpicor; tum quòd nondum iſtæ prouinciæ diuiſæ eſſent; tum quod Narbonenſis ſecundæ adminiſtrationem tot Metropolitas Narbonenſem, Arelatenſem, Viennenſem, & inferioris etiam iis notæ Maſſilienſem Epiſcopum ſibi tam facilè vſurpaſſe crediderim, quòd ab initio Metropolitanum ex propria prouincia non habuerit: ſi enim aſſueta fuiſſet ex ſuarum ciuitatum numero habere Metropolitanum, non facilè hanc dignitatem exuiſſet. Imò, nec dubito quin cùm ſanctiſſimus iſte Pręſul Paulus Narbonenſis variis in Hiſpania populis fidem intulerit, vt teſtatur Flauius Dexter, multos quoque ibidem Epiſcopos conſtituerit, quemadmodum & Auenionenſibus in prouincia Viennenſi Rufum Preſbyterum Epiſcopum dediſſe acta vitæ ipſius referunt. Sed cùm de nouo religio plantaretur, extra ordinem Apoſtolicis iſtis viris multa ob neceſſitatem ſingulis indiſcriminatim licebant, quæ ad ſucceſſores, quia extra ordinem facta, nondum conſtitutis hierarchicis Eccleſiæ gradibus, minimè tranſmiſerunt, vt oſtendit Ambroſius in caput quartum *ad Epheſios.*

Hanc Metropoliticam auctoritatem pacificè Narbonenſem Epiſcopum in ſua ſaltem Narbonenſi prima prouincia tenuiſſe, donec Epiſcoporum Arelatenſis ciuitatis ſęcularibus titulis auctâ ambitione, non ſolùm omnium prouinciarum, quæ Narbonenſis olim membra fuerant, verùm etiam finitimarum iura peruaſa ſunt: hinc enim accidit, quemadmodum expoſuimus, vt Narbonenſis 1. & 2. ordinationes Epiſcoporum Arelatenſi attribuerit Zoſimus epiſt. 5. *ad Epiſcopos Galliæ* : & Narbonenſi interdixerit; ac prętermiſſam veri fidem in relationibus de ordinandis in Narbonenſi prima Romam miſſis queratur epiſt. 8. *ad Hilarium Narbonenſem*; in quibus ipſe deceptus fuit Zoſimus, dum nimium credulus Arelatenſis Eccleſiæ miſſis aures præbet & aſſenſum. Atque adeò ipſo meliùs inſtructus Bonifacius eaſdem ordinationes cęteráque Metropolitica iura in Narbonenſi prima Hilario Narbonenſi reſtituit epiſt. 5. ad ipſum ſcripta, quâ Patroclum Arelatenſem de ordinato ab Eccleſiæ Lutubenſis Epiſcopo reprehendit.

Cuius ſententiam confirmat Celeſtinus epiſtolâ *ad Epiſcopos prouinciæ Vien-*

nenſis & Narbonenſis, cap. 4. & laudat ſanctus Leo epiſt. *ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis*, cap. 2. vbi quam prætendebant Arelatenſes Epiſcopi prærogatiuam ordinationum in Narbonenſi prima, & aliis, nulli niſi Patroclo Arelatenſi, &.quidem ad tempus conceſſam, ac ſententiâ meliore ſublatam dixit, vt ſuprà obſeruauimus.

Vnde ab eo tempore Narbonenſem Epiſcopum in prouincia Narbonenſi prima, iuribus Metropoliticis ſine vlla moleſtia perfunctum fuiſſe agnoſcimus. Et ſanè ex epiſtola Leonis nonageſima-prima ad Rusticum Narbonenſem colligere poſſumus Antiſtitem Narbonenſem iis gauiſum fuiſſe, tum quòd de iudicio in ipſa præfatione ab eo daro loquatur, *cum Epiſcoporum honoratorúmque examine*: ad nullum autem ſpectaſſe videtur Epiſcopos ad iudicium vocare, & cum iis iudicare; ita vt iudicandi poteſtas penes eum ſpecialiter reſidere cenſeatur, quàm ad Metropolitanum. Tum quòd varias Romano Pontifici quæſtiones detulerit, & inter eas primam, quæ erat de ordine ſeruando in electionibus & conſecrationibus Epiſcoporum, qui ordo ad Metropolitanum præſertim pertinebat, cuius muneris erat illum ſtudioſè procurare, fortitérque tueri. Tum quòd nec Leo Papa illum cum Metropolitano ſuo priùs debuiſſe conferre admoneat, quemadmodum admonuit Theodorum Foroiulienſem. Idem ex epiſt. 8. Hilari Papæ, *ad Epiſcopos diuerſarum prouinciarum Galliæ*, clariùs innoteſcit. In ea enim Hermes Narbonenſis, ob illegitimum ipſius à Bituricenſi cathedra ad Narbonenſem aſcenſum, hâc pœnâ plectitur, Can. 4. vt ordinandorum Epiſcoporum careret poteſtate: illa verò Conſtantio Vceticenſi, qui inter Suffraganeos antiquior erat, vel eo mortuo alteri antiquiori Comprouinciali conueniret, ea tamen conditione vt rediret ad Hermæ ſucceſſores iſta, vt pote Eccleſiæ Narbonenſi debita auctoritas. *Ei*, inquit, *qui nunc Eccleſiæ Narbonenſi præſidere permittitur, ordinandorum Epiſcoporum, ob hæc quæ prauè facta ſunt, ſuſtulimus poteſtatem, quam ita ad fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Conſtantium Vceticæ Eccleſiæ Antiſtitem, qui æuo honoris Primas eſſe dicitur, pertinere cenſuimus, vt, ſi ſuperſtite Herme Epiſcopo defunctus fuerit, illum hæc cura reſpiciat, quem reppererit ſacerdotalis ordo Primatem: Herme autem Epiſcopo deficiente, faciendorum mos Antiſtitum Narbonenſi mox reddatur Eccleſiæ, quam non ciuitas, ſed cauſa præſumptionis amiſit.* Clarè enim hæc verba teſtantur morem fuiſſe, vt ciuitatis Narbonenſes Antiſtites tanquam Metropolitani, ſuæ prouinciæ ordinarent Sacerdotes. Eadem conſuetudo ſequentibus temporibus continuata perſeuerauit, cuius ne plura exempla proferam, ſufficient iſta: quòd Concilio Agathenſi diuerſarum prouinciarum, in quo ſuus ordo Metropolitis præſentibus ſeruatus eſt, vtante Epiſcopos omnes ſubſcriberent, & hic ordo ſeruatus ſit, vt inter Presbyteros, qui abſentium Epiſcoporum locum referrent; primus ſubſcriberet Anilius Presbyter miſſus à Caprario Epiſcopo Narbonenſi: quamuis enim Archiepiſcopus aut Metropolitanus non nominetur ibi Caprarius, nec Narbona Metropolis, ſed ſolo Epiſcopi nomine honoretur, quo ſolo ſe cæteris præſidens Cæſarius Arelatenſis glorìatur, tamen prærogatiua iſta ſubſcribendi ſatis honorem Metropoliticum demonſtrat.

Sed obſcurius iſtud: hoc verò eiuſdem dignitatis clarius & euidentius argumentum, quòd Migetius Epiſcopus Narbonenſis, Concilio III. Toletano his verbis ſubſcripſit, *Migetius in Chriſti nomine Metropolitanus Epiſcopus Galliæ prouinciæ.* Quòd idem Antiſtes Concilium ſuæ prouinciæ congregarit, eique præfuerit, æra 627. quod Concilium Narbonenſe dicitur, & inter Gallicana refertur.

Cætera ſubſequentium temporum non moror: ſolùm adnoto quædam circa eius poteſtatem & auctoritatem innouata fuiſſe, propter immutationem circa ſtatum eius ciuitatis politicum: cùm enim Narbonenſis prouincia à Gothis occupata tota fuiſſet præter Toloſam, quæ in poteſtatem Francorum venit ſub Clodouæo primo, deuicto Rege Alarico, & in eorum poteſtate manſit, reliquis ciuitatibus in Gothorum poteſtatem redactis, vt teſtantur Francorum Annales, eadem quoque à poteſtate Metropolitani Narbonenſis ſubducta eſt, & Bituricenſi attributa tanquam viciniori Primati. Itaque Toloſanus Antiſtes Gallicis Conciliis ſubſcriptus, cæteri Narbonenſis primæ prouinciæ Antiſtes Hiſpanicis, quandiu

Hiſpaniæ ſub imperio Gothorum fuerunt, adcenſiti leguntur: eáque etiam occaſione Bituricenſem Archiepiſcopum in Clericos prouinciæ Narbonenſis auctoritatem prætendiſſe & exercuiſſe, Sigebodus Archiepiſcopus Narbonenſis conqueſtus legitur apud Nicolaum I. vt patet ex epiſt. eiuſdem Nicolai *Radulpho Bituricenſi*, relata apud Gratianum, Can. *conqueſtus*, 11. quæſt. 3.

Similem quoque ob cauſam, quandiu Tarraconenſis ciuitas occupata fuit à Mauris, Barcinonenſem, Vrgelitanum, Girundenſem & Oſſunenſem Epiſcopos à Narbonenſi ordinatos ac confirmatos, eiuſdémque Conciliis interfuiſſe, & iuſſionibus obtemperaſſe legimus; quemadmodum Elnenſem Epiſcopatum Narbonenſi ſubditum, tranſlatum Perpinianum, & Archiepiſcopatui Narbonenſi ſubſtractum, ac Tarraconenſi attributum, ad preces Regum Hiſpaniæ, ex lectione hiſtoriarum diſcimus.

Iam verò à quibuſdam annis hos habet Narbonenſis Archiepiſcopus Suffraganeos, Carcaſſonenſem, Biterrenſem, Agathenſem, Lutenenſem ſeu Lodeuenſem, Montiſpeſſulani, olim Magalonenſem, cuius ſedes, Paulo III. approbante, Montempeſſulum eſt tranſlata, Vceticenſem, & nouarum ciuitatum à Ioanne XXII. erectarum S. Pontij Tomerarium, atque Alectenſis ciuitatis Epiſcopos.

Eadem quoque ciuitas Narbonenſis parte ſuæ prouinciæ mutilata eſt, erectâ in Archiepiſcopalem Toloſanâ, & pluribus ciuitatibus ei attributis, quæ Epiſcopales factæ ſunt à Ioanne XXII. vt patet ex pluribus eiuſdem Extrauagantibus relatis inter communes.

Innouatio quoque in eadem Narbonenſi Metropoli hæc notari poteſt, quòd primùm Arelatenſi tanquam Vicario Sedis Apoſtolicæ paruerit, vt mox dicemus; poſteà quandiu fuit ſub Gothis, Archiepiſcopo Toletano tanquam Primati ſubdita fuerit, cuius iuſſione ad varia Concilia Toletana leguntur ipſius Præſules conueniſſe; poſteà reſtituto Francorum regno, fortitudine Caroli Martelli, Pipini, & Caroli Magni, qui Saracenos & Gothos è Gallia penitùs expulerunt, ab omni iugo libera & immunis fuit, licèt à Bituricenſi, vt diximus, Archiepiſcopo expetita, tanquam ad ſuam Exarchiam pertinens: de quorum iuribus nihil impræſentiarum dicimus, ſolúmque obſeruamus diu hanc quæſtionem agitatam fuiſſe, quippe quæ à Gregorio IX. dicatur terminata, ſicut notatur in antiquitatibus Septimaniæ ſeu Languedochiæ, vt vocant, Gallicè conſcriptis à Guillelmo Catello lib. 5. ſtatim initio.

§. XXXII.

De Auſciorum Metropoli.

AVSCIORVM, an verò Eluſatium ciuitas initio propagatæ Chriſtianæ fidei fuerit Nouemopulaniæ Metropolis Eccleſiaſtica dubitari poteſt; nam & Itinerarium Antonini, & Notitiæ aliquæ ciuitatum & regionum Galliæ peruetuſtæ, quarum vna ex Codicibus manuſcriptis Bibliothecæ Thuanæ, altera ex Codice Philiberti Duſault, tertia ex veteri membrana, quæ extat in Bibliotheca Alexandri Perauij: quæ omnes præmittuntur hiſtoriæ Francorum collectæ operâ Andreæ Ducheſne, tomo 1. ciuitatem Anſciorum Metropolim Nouempopulaniæ, Eluſam, ſiue Eloſam, aut Eluſaticam inter ciuitates eiuſdem prouinciæ vltimo loco recenſent. E contrà verò Notitiæ duæ veteres ibidem relatæ; vna, quæ Honorij Auguſti temporibus condita videtur Sirmundo, tomo 1. Conciliorum; altera, quæ ex peruetuſtis manuſcriptis Codicibus Bibliothecæ Thuanæ eruitur, ciuitatem Eluſatium Metropolim eiuſdem prouinciæ, ciuitatem verò Auſciorum poſtremam collocant. Ammianus Marcellinus lib. 15. *Nouempopulos*, inquit, *Auſci commendant, & Oſata*; ac ſi Nouempopulaniæ ex primariæ ciuitates eſſent. Eluſæ uerò meminit Claudianus lib. 1. aduerſus Ruffinum, eámque Elyſam vocat.

Inuadit muros Elyſæ notiſſima dudum
Tecta petens.

Diuerſa illa ab Eluſione in Gallia Narbonenſi, de qua Paulinus epiſt. 6. ad Seue-

rum ſub finem, *Iter quantum ſit, & puer vnanimitatis tuæ renuntiabit, qui nos de Eluſione, octauâ, ve aſſeruit, luce peruenit; tam breuis enim & facilis via eſt, vt nec in Pyrenæo ardua ſit, qui Narbonenſi ad Hiſpanias agger.*

De hac Eluſione ſeu ciuitate Eluſa corrigendum eſt quod de Eluſa legitur in vulgatis editionibus, apud Ammianum lib. 15. *in Narbonenſi eſt Eluſa, eſt Narbona, & Toloſa:* nam cæteri Geographi Eluſam, de qua agimus, conſtantiſſimè in Nouempopulania prouincia Aquitaniæ conſtituunt, non in Narbonenſi, in qua Eluſio, quæ ſita erat inter Toloſam & Narbonam, quemadmodum oſtendit Itinerarium Burdegalenſe Hieroſolymam, à Pithoeo editum, *Ciuitas Toloſæ L. VII. Eluſione M. IX. vicus Hebromago M. X. ciuitas Narbonæ M. XV.* à Sidonio lib. 7. *Papæ Baſilio, Heluſani, Vaſates, Conuenæ, Auſcenſes,* inter ciuitates numerantur, quarum ſacerdotes morte truncati, nec vllis deinceps in eorum locum ſuffectis, prohibentibus Regibus Arrianis Gothis, latum ſpiritalis ruinæ limitem ſecum trahebant. Nec dubium quin tam Eluſatium, quàm Auſciorum ciuitates ſicut in Politico, ita & in Eccleſiaſtico ſtatu diuerſæ, cùm eodem tempore diuerſos vtrique ciuitati Epiſcopos præfectos legamus; nam verbi gratiâ, Agathenſi Synodo, *Clarus Epiſcopus de ciuitate Eluſa Metropoli*, ſubſcribit: itémque *Nicetius Epiſcopus de Auſcis*: Aurelianenſi primo, *Leontius Epiſcopus Eluſanæ Eccleſiæ Metropolis* inter Metropolitanos; inter Epiſcopos idem, qui ſuprà, *Nicetius Epiſcopus Eccleſiæ Auſcienſis*; Aurelianenſi ſecundo, *Aſpaſius Epiſcopus Eloſenſis*, & *Proculeianus Epiſcopus Auſcenſis:* Aurelianenſi quarto, *Aſpaſius* ſecundo loco ſtatim poſt Burdegalenſem, ante Metropolitanos Rothomagenſem & Turonicum: poſt plures verò Epiſcopos laudatus *Proculeianus Epiſcopus ciuitatis Auſcenſis*; Aurelianenſi quinto idem Aſpaſius, & Proculeianus, hic inter Epiſcopos, ille inter Metropolitanos ante Senonenſem; Matiſconenſi ſecundo, anno 585. poſt Metropolitanos, & Syagrium Eduorum Epiſcopum, cui à ſancto Gregorio pallium tranſmiſſum fuerat, ſubſcribit, *Fauſtus Epiſcopus Eccleſiæ Auſciorum:* deinde cum Presbyteris Epiſcoporum, qui videntur locum ſuorum Epiſcoporum tenuiſſe, poſt Presbyteros ab Epiſcoporum inferiorum ſedium miſſis ſubſcribit Miſſus *Laban Epiſcopi ab Eluſa.* Duo autem iſti Epiſcopi eodem anno mortui ſunt, teſte Gregorio Turonenſi lib. 8. cap. 2. de Eluſano hæc habet initio capitis, *Laban Heloſenſis Epiſcopus hoc anno obiit, cui Deſiderius ex laico ſucceſſit*· de Auſcenſi ſimiliter in fine eiuſdem capitis, *in locum Fauſti Auſcenſis Epiſcopi Fabius Epiſcopus eſt ſubrogatus.*

Denique, in Synodo Remenſi, quam celebraſſe dicitur Sonnatius Archiepiſcopus Remenſis, cum aliis quadraginta Epiſcopis, refertur à Flodoardo lib. 11. hiſtoriæ Remenſis cap. 5. *Senocus Eloſanenſis*, ſtatim poſt alios Metropolitanos ante cæteros Epiſcopos; poſt Epiſcopos verò fere omnes *Audericus Auſcenſis.* Quæ ſubſcriptiones duo probant: primum, falſum eſſe quod ex vetuſtis quibuſdam membranis aliqui proferunt, Eluſâ ciuitate Metropoli Nouempopulaniæ à Wandalis deletâ, ſedem Epiſcopalem, ac Metropolitanam, quæ in ea vrbe fixa erat, fuiſſe ad Auſciorum ciuitatem tranſlatam, eámque ex non Epiſcopali euaſiſſe Epiſcopalem & Metropolitanam; quorum neutrum verum eſſe poteſt, quippe cùm & ciuitates Epiſcopales ambæ extiterint, non vna alterius ruinæ ſucceſſerit: & Metropolitana Eluſa nominetur, etiam poſt Wandalorum in Gallias irruptionem, quæ breuiſſima fuit, contigitque temporibus Arcadij & Honorij, quinto ſæculo inchoato, vt colligere licet ex Hieronymo epiſt. 10. ad Ageruchiam, Rutilio Numantiano, carmine quo ſuum iter Piſas vſque deſcribit, Caſſiodoro in Chronico, & aliis; diu verò poſt illud tempus Eluſa Metropolis legitur.

Quamobrem quidquid ſit de dignitate politica iſtarum ciuitatum Auſciorum, & Eluſatenſium, ex iis ſubſcriptionibus deducitur, Eluſam initio fuiſſe Metropolim Eccleſiaſticam Nouempopulaniæ, cuius Epiſcopus Mamertinus ſubſcripſit Arelatenſi I. tempore Conſtantini Imp. habito, poſteà Auſciorum ciuitatem, cùm Epiſcopalis foret, Metropolitanam euaſiſſe; an paulò ante tempora Matiſconenſis II. Concilij; an verò poſt tempora Remenſis citati ſub Sonnatio, mihi non liquet: Claudius Robertus in catalogo Archiepiſcoporum Auſcenſium, ſtatim poſt Senocum, qui adfuit Concilio Remenſi, S. Ceracium, & alios numerat Archiepiſcopos Auſcenſes.

§. XXXIII.

De Metropoli Veſontionenſi.

VESONTIONEM prouinciæ dictæ *Maximæ Sequanorum* fuiſſe Metropolim, veteres omnes Notitiæ indicant. Conſtat prouinciam iſtam à Lugdunenſi prouincia auulſam, ideò in Notitia prouinciarũ Galliæ à Ioſepho Scaligero tradita, Lugdunenſis quinta vocitatur: à quo tempore prouincia iſta conſtituta fuerit, & à quo dicta Maxima Sequanorum fuerit, controuertitur. Pancirolus Commentariis in Notitiam Imperij Occidentalis, hanc prouinciam ſicut & Maximam Cęſarienſem in Britannia à Clemente Maximo tyranno denominatas, quemadmodũ & Arcadiam in Ægypto ab Arcadio, & Valeriã in Illyrico à Valeria Diocletiani filia, vtramque ſc. tam Maximam Sequanorum in Gallia, quàm Maximam Cæſarienſem in Britannia à Maximo tyranno proprias prouincias effectas, quæ aliis anteà cõfuſæ eſſent, & Maximas ab eodem appellatas, qui per quinquennium in Gallia & Britannia imperauit, & à Theodoſio tandem profligatus eſt. Verum refellitur hæc opinio, tum quòd quædam Notitiæ Galliarum, ex iis quæ citauimus, videntur ipſo Maximo priores fuiſſe; tum quòd ipſo Diocletiani principatu, diu ante Maximi tyrannidem, Maximæ Sequanorum fiat mentio apud Gruterum pag. 166. num. 7. in veteri inſcriptione *Aurelio Proculo V. C. prou. Max. Seq.* Maximæ quoque Sequanorum Sextus Rufus in Breuiario rerum Romanarum Valentiniano primo oblato, antequam fortè Maximus naſceretur, certè multo tempore antequam imperaret, Maximam Sequanorum tanquam prouinciam à cæteris diuerſam nominauit, cuius etiam mentionem fecit Itinerarium Antonij Auguſti.

Antiqua igitur huius prouinciæ à cæteris ſeparatio, ac proinde cùm in vnaquaque prouincia ſecundum Canonicas Conſtitutiones aliquis Metropolitanus deberet conſtitui, & in Maxima Sequanorum aliquem fuiſſe conſtitutum, dubitare non debemus, & quidem Epiſcopum illius ciuitatis, quæ primaria eſſet, nobilitate præcipua, & auctoritate ciuili principalis: at in prouincia Maxima Sequanorum longè cæteris ſemper præcelluit Veſontio, ita vt cæterorum oppidorum, quæ ipſi in Notitiis vetuſtis ſubduntur, obſcura apud antiquos Auctores Notitia, & vix in hunc diem memoria ſeruata ſit. Ammianus Marcellinus lib. 15. *apud Sequanos*, inquit, *vidimus & Rauracos cæteris potiores oppidis multis.* Tacitus 20. Annalium *Sequanos ciuitatem*, Cęſar lib. 1. de Bello Gallico *ciuitatem Sequanorum*, antonomaſticè Veſontionem nominant; idem *maximum & munitiſſimum Sequanorum oppidum* appellat. Atque adeò ſequitur Sequanorum prouinciæ Metropolim Veſontionem ab iis qui primum Euangelium ipſis annuntiarunt ſeligi debuiſſe.

Accedit antiquitas propagationis fidei apud Veſontionem, vt mater Chriſtianæ Religionis & matrix Eccleſia dici mereretur. Si enim credimus Veſontiorum antiquæ traditioni, ipſis ſanctus Linus à ſancto Paulo miſſus Euangelium annuntiauit: is, inquam, Linus, qui poſteà à ſancto Petro Coepiſcopus delectus eſt. Ab eius Pontificatu ſeries Pontificum Veſuntinorum valdè obſcura eſt ad vſque ſanctum Euſebium à Melchiade Papa miſſum & ordinatum Præſulem, à quo tempore varij deinde diuerſis temporibus huic Eccleſiæ præfuiſſe narrantur, qui in veteribus, vt vocant, legendis ſeu actis Archiepiſcoporum nominibus donantur, quæ legere poteris apud Chiſfletium parte 2. *ciuitatis Veſontij)* notiores cæteris ſunt Paucharius, in Concilio Agrippinenſi nominatus; Claudius in Epaonenſi; Vrbicus in Aurelianenſi V. & Aruernienſi II. Tetradius in Lugdunenſi II. Silueſter in Pariſienſi IV. Matiſconenſi I. & II. Donatus in Remenſi ſub Sonnacio, & in Cabilonenſi habito tempore Clodouæi II. in quibus tamen omnibus Conciliis præterquam in duobus poſterioribus (in quibus poſt cæteros Metropolitanos nominatus eſt; & quidem in Remenſi ante Auguſtodunenſem Epiſcopum, cuius ſingularis aliquando fuit prærogatiua, ob pallium Syagrio Auguſtodunenſi miſſum:) in cæteris, inquam, nullus honorificentior ei locus datus eſt quàm cæteris minorum ciuitatum Epiſcopis, imò & Suffraganeis aliquando ſuis in ſubſcriptione poſthabitus eſt.

Quæ obſeruatio non obeſt, quominùs eum Metropolitanum fuiſſe agnoſcamus, vt poſteà dicetur, quamuis minoris dignitatis fuiſſe videri poſſit: nam fortuitò factum dici non poteſt, vt in tot Conciliis, etiam in quibus Metropolitanorum prærogatiua in ſubſcribendo ſeruata eſt, ipſe quodammodo neglectus videatur; cuius rei ratio alia eſſe non poteſt præter illam, quòd minoris dignitatis Metropolitanus fuerit; Lugdunenſi fortè, cui ſemper ferè conſociatus eſt; Arelatenſi, aut alteri Metropolitano; quoad confirmationem Epiſcopalis ordinationis, & Conciliorum celebrationem obnoxius: licet enim Epiſcopis aliquando permixti Metropolitani legantur; tamen Veſontionem prioribus temporibus nunquam legi Metropolitanis inſertum, ſed ſolùm Epiſcopis permixtum: hoc vtique loco potentis coniecturæ eſſe poteſt, eum fuiſſe imminutæ inter Metropolitanos dignitatis ſicut & Aquenſem.

Hoc ipſum etiam ea ratio perſuadet, quòd in Chelidonium Veſontium Epiſcopum Hilarius Arelatenſis ſententiam ferre faciliùs præſumpſerit, quàm in alios aliarum prouinciarum Epiſcopos; quòd aſſeruerit ſanctus Leo epiſt. 89. ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis cap. 1. *manſuram in eum ſententiam, ſi obiectorum veritas extitiſſet, ſeu conſtitiſſet.* Quod tandem Chelidonius non oppoſuerit ſe priùs à Prouincialibus ſuis debuiſſe iudicari, quàm Arelatenſis etiam vt Vicarius Sedis Apoſtolicæ eius cauſam diſcuteret.

Quam ſuſpicionem auget, quòd Epaonenſis Synodus in prouincia Sequanorum habita credatur. Epaona ſiquidem dicitur eſſe vicus Diœceſis Lauſanenſis ad Lacum Lemanum, vt coniicit Chiffletius parte 5. cap. 38. tamen locus iſte delectus ad Concilium ab Auito Viennenſi, vt patet ex tractoria ipſius epiſtola ad Concilium quæ eſt octuageſima, cui etiam Concilio ipſe præfuit, adiuncto ſibi Lugdunenſi Metropolitano, præſente Claudio Epiſcopo Biſantino, cuius nomen abſque honoris prærogatiua inter Epiſcopos receoſetur. Quod ſi verum eſt, dependentiam certè Veſontienſis Epiſcopi à Viennenſi illud oſtendit, quemadmodum Aquenſis ſuprà ab Arelatenſi oſtendimus.

Sed hæc coniectura valdè dubia eſt; Sirmundus ad hanc epiſtolam Epaonam diuinatur eſſe, quæ Æona dicta eſt ſuper Rhodanum, vbi ſanctus Firmatus Turonibus relictis conſederit. hic verò locus potuit eſſe Viennenſis Diœceſis. Denique vltima ratio eſt, quòd per octingentos & ampliùs annos nulla legatur Synodus, quæ à Veſontienſi Antiſtite conuocata dici poſſit: nam ſola Epaonenſis putari poteſt, & in prouincia Sequanorum habita, quam Auitum Viennenſem congregaſſe monuimus.

Sed de dignitatis Metropoliticæ perfectione, quam αὐτοκεφαλίαν dicunt, Biſantini Archiepiſcopi iam non diſputamus, nobis ſufficiat eum Metropolitanum fuiſſe demonſtrare: Primò, quia ex Celeſtino, Bonifacio, & Leone vnaquæque prouincia ſuum debuit habere Metropolitanum.

Secundò, quia ex Nouella Conſtitutione Valentiniani III. cùm epiſtolâ decretali Leonis aduerſus Hilarium Arelatenſem miſſa in Galliam, dicitur Hilarius, qui Proiectum & Chelidonium in aliena prouincia damnauerat, aliquos Epiſcopos, qui alij ab iis non ſunt, *incompetenter remouiſſe*; ſcilicet quia Chelidonius à ſuæ prouinciæ Epiſcopis, vel ſaltem iis non vocatis, non debebat à quoquam, ne quidem à Primate damnari, quia prouinciæ Metropolitanus erat.

Tertiò, quia ſaltem poſterioribus temporibus eum Metropolitanum fuiſſe indubitatis teſtimoniis liquet, putà quia in teſtamento Caroli Magni inter Metropoles Galliæ Veſontio recenſetur ex prædictis; quia Bernoinus *Veſontionis Archiepiſcopus* dicitur lib. 2. Capitularium cap. 25. in epiſtola Synodali ad Wenlonem, quæ habetur in Concilio apud Saponarias, Arduicus Veſontiorum Metropolitanus cum cæteris inſcribitur; & Pontigonenſi Concilio ſub Carolo Caluo, permixtus quidem Epiſcopis, & à cæteris Metropolitanis, qui priori loco ſubſcripſerant, Theodoricus cum hoc hooris titulo, & ipſe ſubſcriptus legitur, vt *Veſontiorum Eccleſiæ Archiepiſcopus* diceretur: Concilio tandem Trenochiano anno 944. *Archiepiſcopi duo* interfuiſſe ſcribuntur, Lugdunenſis & Veſontienſis, cum Epiſcopis quinque, Lauſanenſi, Eduenſi, Cabilonenſi, Matiſconenſi, & Gratianopolitano.

Porrò tam ex veteribus Notitiis Galliarum, quàm in Conciliis, in quibus prouinciæ iſtius Epiſcopi aliqui ſubſcribunt, apparet alios Veſuntionum Epiſcopo Suffraganeos fuiſſe, quàm qui iam ipſi ſubdantur. Iam enim ſub ipſius poteſtate ſunt Baſilæa, Lauſanna, Bellicium ciuitates Epiſcopales, olim eæ ipſi ſuppoſitæ creduntur, quæ in veteribus Notitiis Galliarum referuntur: ſed ex quibus tres tantùm fore Epiſcopales erant: prima ciuitas *Equeſtrium*, ſeu Niuidunum, aliàs Noiodunus, quod oppidum vulgò *Nyon* dicitur, vbi olim Epiſcopi morabantur, qui nunc Bellicij, cuius ciuitatis vetus inſcriptio meminit relata à Chiffletio primâ parte cap. 5. Altera ciuitas *Eluiciorum Aenticus*, in veteri Notitia tomo 1. Conciliorum Sirmundi, Heluetiorum Auenticum, in antiquo Lapide apud Chiffletium eadem quæ Lauſanna, ſi credimus Notitiæ ex Bibliotheca Alexandri Petauij, ſeu vicus qui iam dicitur *Auenches*, ditionis Friburgenſium, ſi credimus Chiffletio, à qua diruta tranſlata eſt Lauſannam ſedes Epiſcopalis. Tertia ciuitas Baſileenſium ſeu Baſilæa, nota etiam Ammiano lib. 3. olim, inquit Chiffletius, colonia Raurica Epiſcoporum Baſileenſium ſeu Rauracenſium ſedes: ſed in Notitiis tribus Gallicæ hiſtoriæ præfixis, à Rauricorum ciuitate diuerſa ſtatuitur, quæ in aliis duabus videtur confuſa, in quibus ſcilicet colonia Raurica prætermittitur, cuius mentio in veteri inſcriptione apud Chiffletium tanquam coloniæ celebris, quæ eodem tempore quo Lugdunum à Munatio Planco deducta fuerit. Quarta caſtrum Vindonenſe dicitur, ſeu Vindocinenſe in aliis, olim celebre, Tacito notum lib. 4. hiſtoriæ, & Antonino in Itinerario, quod iam (ſi credimus Renano lib. 3. *rerum Germanicarum*) vulgò Windiſch prope Arolæ Ruſſæque amnium confluentes, ex Philippo Cluuerio lib. 2. Germaniæ antiquæ cap. 4. Quinta caſtrum *Ebrodunenſe*, ſeu Ebredunenſe, vicus qui Chiffletio *Yuerdun* dicitur, in finibus Heluetiorum, non procul ab oppido Póntarlier, de quo Cluuerius lib. 4. cap. 8. Sexta *Argentarienſe*, ſeu Argentoratũ, quod Rhenanus lib. citato putat eſſe *Argentuariam*, quæ hodie Horburgum. Septima caſtrum *Rauracenſe*, quod ab aliis prætermittitur, ait Chiffletius nunc dici *Augſth*, nec longè diſtare à Baſilæa, ob quam cauſam Baſilæam credo olim coloniam Rauricam ab eo dictam. Octaua *Portus Lucini* à Chiffletio, qui iam *Port de Lene*, ad Lucinum fluuium, vbi martyrio coronatus creditur ſanctus Valerius Archidiaconus Lingonenſis; quæ ciuitas in veteribus Notitiis variè ſcribitur *Portus Abucini*, ſeu *Portus Bicini*, *Portus Vbicini*, *Pontus Abicina*. Sententia Chiffletij eſt in hac prouincia tres tantùm fuiſſe ciuitates Epiſcopales pręter Biſontium Metropolim, eas quæ in Notitiis ciuitatum nomine inſigniuntur, putà Baſilæa, olim, inquit, dicta colonia Raurica, & Baſileenſis Epiſcopus ab ea dictus Rauricorum ſeu Rauracenſis; *Auenticum*, cuius ſedes Lauſannam tranſlata: & Niuiduni, ſeu ciuitas Equeſtrium, cuius Cathedra Bellicium tranſlata: cæteras verò vrbes quæ in Notitiis numerantur, caſtra fuiſſe ad tuitionem prouinciæ, non ciuitates Epiſcopales.

Certè Agrippinenſi Conc. intererat Iuſtinianus Rauricorum Epiſcopus, vt ex ipſius præfar. conſtat, anno 346. videtur ciuitas iſta ab Alemannis diruta, & ex eius ruinis excitata Baſilæa, cuius tempore Valentiniani Senioris meminit, vt iam dixi; Ammianus anno 374. & ab eo tempore videtur tranſlata Baſilæam Epiſcopalis ſedes; quamuis in Conciliis Gallicanis Baſileenſium Epiſcoporum mentio ſeriùs legatur, nimirùm in epiſtola Synodali Concilij apud Saponarias *Fredeberti Baſileenſis*, qui interfuit cum ſuo Metropolitano Veſontienſi Arduico, & *Wichardi* in Concilio Eugelenheicinenſi, & aliis ſubinde temporibus, ſed nec Rauracenſis à tempore Concilij Agrippinenſis vlli leguntur. Coloniæ quoque Equeſtris ſeu Noiodunenſis nullus, ſed Bellicenſis plurimi, antiquis etiam Conciliis ſubſcripti reperiuntur; Pariſienſi anno 555. & Lugdunenſi II. anno 567. Vincentius, Matiſconenſi II. anno 585. Felix: Cabilonenſi anno 850. Florentius. Diutiùs ſtetit Auentica ciuitas, quippe cùm ipſius Epiſcopus Marius Matiſconenſi II. ſubſcripſiſſe legatur, à cuius tempore ad tempus celebrationis Concilij Cabilonenſis, deletam ipſam fuiſſe, & tranſlatam ſedem Lauſannam oportuit, quandoquidem Cabilonenſi Arricus Epiſcopus Lauſanenſis ſubſcripſiſſe obſeruetur.

Quod autem habet Chifflerius, tres tantùm illas Epiſcopales ciuitates ſubditas Veſontiorum Metropoli, in prouincia Maxima Sequanorum; Quod ad caſtrum Vindoniſſenſe ſpectat, contrarium eſt iis quæ ipſe tradit parte 2. cap. 18. ex manuſcriptis Codicibus antiquis colligi Epiſcopum Vindoniſſenſem Epaonenſi Concilio II. cum Vrbico Veſontienſi, & vtriuſque prædeceſſores Claudium Veſontienſem, & Boulcum Vindoniſſenſem priori interfuiſſe.

Certè tom. 1. Conciliorum Sirmundi, Epaonenſi Bubulcus Epiſcopus *ciuitatis Vindoniſſe*, Aruernienſi II. Gramatius eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, Aurelianenſi item IV. ſed *Vindonenſis* Epiſcopus, idémq; Aurelianenſi V. *Eccleſia Vindonenſis* appellatus, ſubſcripti reperiuntur. Notàtque Claudius Robertus in ſerie Conſtantienſium Epiſcoporum, eorum Epiſcopalem ſedem, quæ iam Conſtantia ad Renum dicitur, olim Vindoniſſam fuiſſe, quâ deletâ ſedem tranſlatam in aliam prouinciam Germanicam primam Moguntino Archiepiſcopo paruiſſe, & veterem Vindoniſſam Epiſcopalem ciuitatem à Veſontienſi Metropoli fuiſſe ſubductam.

§. XXXIV.

De Metropolibus Moguntina & Colonienſi.

GERMANIÆ primæ in Notitia Imperij, aliiſq; Notitiis variis Galliarum, Metropolis eſt Moguntia celebris apud antiquos Auctores, Tacitum lib. 4. hiſt. Ptolemæum lib. 2. cap. 9. Ammianum lib. 15. Athanaſium Apolog. 2. Hieronymum ad Gerontium; Vopiſcum in Aureliano & Probo, & alios: ſed eam Metropolim fuiſſe, ſtante Romano Imperio, nullis antiquorum Scriptorum teſtimoniis comprobare poſſumus: quin immò ante ſanctum Bonifacium, qui Moguntiacam Eccleſiam plurimùm extulit, eam ſolùm Epiſcopalem fuiſſe Nicolaus Serrarius in ſua Moguntia opinatur, quod mihi probabilius videtur, quàm eam primùm Metropolim fuiſſe, deinde ab ea dignitate excidiſſe, ac rurſum Metropolim à Zacharia Papa factam fuiſſe. Conſtat autem à Zacharia ſummo Pontifice ius Metropoliticum Bonifacio Moguntino fuiſſe collatum, vt & Bonifacij & Zachariæ Papæ epiſtolæ vltrò citróque datæ indicant, teſtantúrque Wilabaldus diſcipulus ſancti Bonifacij lib. 1. vitæ ipſius cap. 37. apud Surium 5. Iunij, Hincmarus Remenſis epiſt. 6. cap. 19. & alij paſſim.

Prædictæ verò Serrarij & aliorum ſententiæ accedimus, eámque ita explicamus, vt quamuis ciuiles prouinciæ Germaniæ in Galliis duæ fuerint; Germania prima, cuius Moguntia Metropolis conſtituitur in omnibus Notitiis, eique attribuuntur ciuitates Argentoratenſium, Nemetum, & Vangionum; & Germania ſecunda, cuius Metropolis dicitur Colonia Agrippinenſium, vnica ciuitas Tungrorum: mos Eccleſiaſticus tulerit, vt Germania Gallicana vnica fuerit indiuiſa prouincia, cuius Metropolis fuerit Colonia Agrippinenſis, cui reliquæ ciuitates allatæ paruerunt: cui ſententiæ fauent iſtæ coniecturæ.

Prima, quòd cùm Euphratas Colonienſis in hęreſim incidiſſet, ſi Moguntinus Metropolitanus extitiſſet, eius vtique fuiſſet Concilio Agrippinenſi præſidere, vt pote prouinciæ proximæ & Germaniæ, ac neceſſitudinis vinculo cum altera magis deuinctæ, cum qua vnam olim effeciſſet, vt de Belgicis duabus notat Hincmarus epiſtolâ ad Nicolaum, apud Frodoardum lib. 3. hiſtoriæ cap. 23. Solebant ſiquidem proximi Metropolitani, ſi quis alterius prouinciæ in hęreſim incidiſſet, cæteros monere, & Concilia congregare.

His autem optimè conſentiunt quæ in Conc. Agrippinenſi aduerſus Euphratam ciuitatis, ſeu Coloniæ Agrippinæ Epiſcopum coacto legimus; ipſi nimirùm Maximinum Treuirorum Epiſcopum præfuiſſe, operâ & conſilio variorum tum Metropolitanorum, tum Epiſcoporum adiutum, *Conſentientibus autem & mandantibus mortuo Epiſcopo Moguntiacenſium*, & aliis, qui ibidem nominantur Epiſcopis. Indicant enim iſta auctoritatem præſidendi in Concilio tanti momenti, in quo de depoſitione Metropolitani agebatur, ac proinde diuerſarum prouinciarum Epiſcopos conuocari oportebat, non à paucis Epiſcopis tantæ auctoritatis Præſulem damnari:

damnari: præſidem fuiſſe proximum Metropolitanum Belgicæ primæ, à qua Germanicæ prouinciæ annlſæ fuerant: Moguntiacum verò Epiſcopum tanquam Suffraganeum prouinciæ Germaniæ ſub Agrippinenſi Epiſcopo conſtitutum primum inter eos numerari, qui abſentes Concilium fieri conſenſerint & mandarint.

Altera, quòd in Concilio Remenſi habito anno 630. Lupoaldus Moguntinus nonniſi inter poſtremos Epiſcopos referatur, cùm inter primos Modoardus Trenirenſis, & Cunebertus Colonienſis recenſeantur.

Tertia, quòd Venantius Fortunarus lib. 9. Carm. 9. Sidonium Moguntiacum ſummoperè laudans, illius duntaxat vigilantiam, & cæteras optimas dotes, quas in ſuæ plebis adminiſtratione demonſtrabat, commendet, nulla in eo deprædicet, quæ ad eius ſupra Epiſcopos prærogatiuam, aut ad optimam prouinciæ alicuius adminiſtrationem referri poſſint, quod in alijs Metropolitanis quos commendat omittere non ſolet. Verſus enim iſte quem vir clariſſimus *à Marca*, ad hanc Metropoliticam dignitatẽ innuendam refert, *Iura ſacerdotum ſacro moderamine ſeruans.* aliter legitur tum lib. 8. cap. 9. tomo 8. Bibliothecæ Patrum, tum tomo 1. Analium Francorum, vtrobique enim lectio hæc habetur, *Iura ſacerdotij*, non autem *iura ſacerdotum:* at ex hac lectione nihil omninò habetur, quod ad Archiepiſcopum quodammodo ſingulariter referri potiùs quàm ad Epiſcopum debeat: omnes enim iura ſacerdotij ſeruare, & tueri dici poſſunt.

Alia verò lectio cum hac eundem poteſt habere ſenſum cum priori; ſed & alium minùs commodum Archiepiſcopis proprium, quod æquâ lance ſacerdotibus, id eſt Epiſcopis iura diſtribueret: quem ſenſum nullatenus intendiſſe videtur Fortunatus.

Quarta, quòd Othlonus Presbyter vitæ Bonifacij ſcriptor cap. 44. referat, *decreuiſſe eoſdem Principes* (Carolomanum & Pipinum) *Eccleſiam Moguntiacenſem, quæ priùs alteri ſubiecta erat, Metropolim omnium in Germania poſitarum Eccleſiarum efficere, mòxque legatione facta illud à Præſule Apoſtolico impetrauiſſe.*

Dicere Othlonum qui ſcripſerit anno 1080. falſum fuiſſe, durius mihi videtur quàm negare ſinceritatem tabularum donationis à Bilechilde ſanctimoniali collatæ in Eccleſiam ſub inuocatione beatæ Mariæ, quam Moguntiæ erigi curauit, in qua aſſerit ipſa agros quoſdam emiſſe ab auunculo ſuo Sigeberto Archiepiſcopo Moguntino, quem Sigebertum Moguntinum Præſulem catalogus Epiſcoporum Moguntiæ à Nicolao Serrario in lucem editus, nullum habet, vt iure ſuſpicari potuerit lib. 2. Moguntiacarum rerum cap. 32. in ea donatione erratum fuiſſe, cùm & in temporis annotatione erratum obſeruet, quandoquidem inſtrumentum iſtud hanc donationem à Notario exceptam contineat, Clodouæo II. regnante, anno Chriſti 635. cùm tamen regnauerit duntaxar Clodouæus II. ab anno Chriſti 644. quo pater ipſius Dagobertus Auſtraſiam ſeniori Sigeberto dedit, Neuſtriam verò additâ Burgundiâ Clodouæo II. minori, vt notant Aimoinus & Gregorij Appendix ad annum 600. quo etiam anno in amentiam incidiſſe dicitur à Sigeberto in Chron. ſeu ab anno 665. quo Dagobertus diem extremum clauſit. Clodouæus autem primus vitâ ceſſit anno 514. vt notant Aimoinus in hiſt. Ado in Chron. & alij; atque adeò in Clodouæi aut primi aut ſecundi principatum annus Chriſti 635. incidere non potuit. Quòd ſi hic error obrepere potuit huic inſtrumento, quidni & Archiepiſcopi nomen his ſæculis non adeò vſitatum ſequentibus potuit irrepere? proindeque longè maior Othlonij auctoritas, quàm iſtius de falſitate conuictæ donationis.

Quinta coniectura, quòd eadem videatur inſtituta ratio in reparando ſtatu hierarchico in Germania ſimul cum Religione Chriſtiana collapſo, quæ anteà inita fuit in eodem ſtatu conſtituendo. Atqui Francorum Reges, Zacharias Papa, dum de hierarchico ſtatu in vtraq; Germanica prouincia Galliarum collapſo reſtituendi cogitarunt, non duas Metropoles Eccleſiaſticas vtriuſque prouinciæ putauerunt eſſe erigendas, ſed vnicum: locum quidem Metropolis elegerant Coloniam Agrippinam, vt patet ex epiſt. 8. Zachariæ ad Bonifacium, antiquum ſcilicet ſequentes ordinem, ſed poſteà mutato conſilio Moguntiam locum oportuniorem eſſe exiſtimarunt, quam Coloniam (quam vtique Moguntiam Sigebertus præfert Coloniæ in Chronico ad annum milleſimum ſeptuageſimum quartum:) vnum autem toti Germaniæ

Digitized by Google

Gallicæ Metropolitanum præfici Bonifacium Moguntinum, eique tot ciuitates & eaſdem, vnâ exceptâ, quæ antiquis Notitiis vtriuſque prouinciæ Germanicæ aſſignantur, ſubiici voluerunt, vt decreti Zachariæ, quod habetur epiſt. 14. ad Bonifacium tomo 1. Conciliorum Galliæ, verba indicant, *Et idcircò beati Petri Apoſtoli auctoritate ſancimus, Vt ſupradicta Eccleſia Moguntina perpetuis temporibus tibi & ſucceſſoribus tuis, in Metropolim ſit confirmata, habens ſub ſe has quinque ciuitates, id eſt Tungris Coloniam, Wormatiam, Spiraciam, & Trectis, & omnes Germaniæ gentes quas tua fraternitas per ſuam prædicationem Chriſti lumen, agnoſcere fecit.* Eædem, inquam, ciuitates, quæ in vtriuſque Germaniæ prouinciis enumerantur, vni Moguntiæ Metropoli ſubiiciuntur à Zacharia Papa: nam in Notitiis Galliæ veteribus ſub Metropoli Moguntiacenſium prçter ciuitatem Argentoratenſium, quam iam Strasburgum vocant, in cuius locum Trectis ſeu Traiectum Diœceſis anteà Colonienſis, vt pote ad Frizios conuertendos commodiorem, vt notat epiſt. 97. Bonifacij Moguntini, & iſto tempore ampliorem Zacharias conſtituit, ciuitates numerantur Nemetum ac Wangionum, quæ eadem ſunt cum Spira, ſeu Spiracia ac Wamacia, ſeu Wormacia, quas Bonifacio Moguntino & ſucceſſoribus eius Zacharias Papa ſubiecit, & cùm duæ tantùm eſſent ciuitates Germaniæ ſecundæ Colonia Agrippina Metropolis & ciuitas Tungrorum, vtramque item ſub Moguntino Archiepiſcopo conſtituit. Vnde hoc? niſi quia ſicut olim vnica erat Metropolis totius Germaniæ prouinciæ in duas poſteà diſtributa, nimirùm Colonia Agrippina; nam de ea dubitare non licet, vt mox probauimus, ita & vnicam credidit Zacharias conſtituendam Metropolim Germaniæ Moguntiam, neque enim Canonum Eccleſiaſticorum nanùs reuerentem credere debemus Zachariam Pontificem, quàm prædeceſſores fuerint; atque adeò ſi contra Canones Nicænos pugnare non credidit, quòd vnius prouinciæ in duas poſteà partes diuiſæ vnum Metropolitanum præficeret, nec contra Canones Nicænos pugnaſſe eos credendum eſt, qui vnicum Metropolitanum eiuſdem prouinciæ Germanicæ olim vnicæ, poſteà duplicis, Colonienſem ſcilicet, ſeu Agrippinenſem antiquitùs eſſe voluerant.

Sexta, quia ſcribit Athanaſius *ad ſolitariam vitam agentes*, Euphratam Epiſcopum Coloniæ Agrippinæ μητροπόλεως τῆς ἄνω Γαλλίας, *ſuperioris Galliæ Metropolis.* Sed ſuperioris Galliæ Metropolis Colonia dici nequit, niſi ſaltem ciuitates Moguntiacenſium, Argentoratenſium, Nemetum, Wangionum comprehenderit; nam prouincia, cuius Metropolis erat Colonia Agrippina, ab Athanaſio ſuperior dicitur vel reſpectu vniuerſæ Galliæ, vel totius Galliæ Belgicæ, à qua olim Germanicæ prouinciæ diuulſæ, ita vt tota Gallia, vel tota Gallia Belgica Metropoli Coloniæ inferiores cenſeantur: vel duplicis Germanicæ prouinciæ rationem non habuerit, & eam cuius Metropolis erat Colonia Agrippina inferiorem, cui Moguntia præerat, inferiorem crediderit. Si primum intellexiſſe dicatur, Athanaſius, abſurdum eſt eum adeò arctis limitibus Galliam ſuperiorem conſtringere voluiſſe, vt eam tantùm prouinciam denotaret, quæ in Notitiis Galliarum ſub Metropoli Agrippinenſi deſcribitur, cuius vna tantùm cum ipſa Metropoli ciuitas fuit Tungrorum: oportet ergo ex eius menre prouinciam iſtam, cuius Metropolitanus erat Euphratas, ampliorem fuiſſe, ac comprehendiſſe ſaltem Germaniam primam cum ſecunda, vt ſuperior Gallia dici potuerit. Si vltimum dicatur intellexiſſe, turpiter hallucinatus eſſet S. Athanaſius; quandoquidem omnes fatebuntur ciuitates Germaniæ primæ, Moguntiam, Argentoratum, Spiram & Wormatiam ſuperiores eſſe Coloniâ Agrippinâ & Tungris ciuitatibus Germaniæ ſecundæ, quin immò priorum duntaxat habitâ ratione Galliam ſuperiorem dici poſſe prouinciam, cuius Metropolis erat Colonia Agrippina; iis verò ab illa prouincia ſubductis, nullam amplius rationem eſſe, cur ea prouincia ſuperior dici poſſet Gallia, cùm potiùs inferior dici potuerit, vnde Itinerarium Antonini Moguntiam, Germaniæ ſuperioris, Agrippinam Germaniæ inferioris Metropolim conſtituit. Igitur has ciuitates quæ ſunt Germaniæ primæ ſub Agrippinenſi Epiſcopo fuiſſe ex Athanaſio concludendum eſt. Commodior aduerſariis ſenſus eſt, vt ad Galliam Belgicam, in qua moratus fuerat, reſpexiſſe dicatur Athanaſius, & Galliam Belgicam, quæ in

Google

duas partes diuiſa fuit, Germanicam, & Belgicam conſideraſſe, ſuperiorémque Galliam vocaſſe, quæ Germanica eſſet, & illius ſuperioris Galliæ Metropolitam pronuntiaſſe Euphratam Coloniæ Agrippinæ Epiſcopum, quemadmodum Paulinum Treuirenſem Galliarum Metropolitanum dixit eadem epiſtolâ, quòd eſſet Galliæ Belgicæ Metropolitanus, fortè tunc vnicus, nondum Belgicâ prouinciâ in duos Metropolitanos diuiſâ, fortè non ſimpliciter vnicus, ſed vnicus Athanaſio notus, qui anteriorem Galliam minimè peruaſerat.

Sed nec iſte ſenſus vim noſtri argumenti retundit; nam non eadem ratione prouinciarum Galliarum Metropolim Treuirorum ciuitatem neceſſum eſt interpretari, vt totius Galliæ Belgicæ fuerit Metropolis, ſicut Coloniam Agrippinam, vt ſuperioris Galliæ dicatur Metropolis, ita exponere neceſſum eſt, vt totius Germaniæ Metropolis habeatur. Etenim illa Galliarum Metropolis dici poteſt, quæ vna eſt ex Galliarum, vel Galliæ prouinciæ Metropolibus, prout Galliarum Metropoles, vel Galliæ Belgicæ opponuntur Germanicis prouinciis, quæ tamen Galliarum præfecturæ adcenſebantur, & ipsâ Galliâ latiùs ſumptâ comprehendebantur. Hæc verò nec ſuperioris Galliæ ſimpliciter, nec ſuperioris Galliæ Belgicæ dici poteſt Metropolis, ſi ſolam antiquam Diœceſim Moguntiacam ac Tungrorum comprehenderet, cùm Tungrorum Diœceſis tota Belgica prima inferior, Belgicæ ſecundæ multis partibus ſuperior cenſeri non poſſit.

Septima, quia ſi Moguntia Eccleſiaſtica fuit Metropolis prouinciæ Germaniæ, totius Germaniæ primæ ſeparatæ à Germania ſecunda, habuítque illas omnes ſub ſe ciuitates, quæ in Notitiis antiquis illi attribuuntur. quænam demùm aſſignabuntur Coloniæ Metropoli Agrippinæ? an vnica ſolùm quæ in Notitia exprimetur Tungrorum ciuitas ei ſubdita dicetur? & Eccleſiaſtica prouincia illa vocabitur, in qua vnus tantùm Suffraganeus Metropolitani? Certè abhorret hoc ab Eccleſiaſtica lege, vt ſuperiùs docuimus, dum Alpium Graiarum & Penninarum mentionem faceremus.

Igitur longè probabilius eſt, ideò Eccleſiam in conſtituendis Metropolitanis iſtarum prouinciarum, ciuilem rerum ordinem ſecutam non fuiſſe, ſecundum quem tot Metropoles Eccleſiaſticæ ac prouinciæ conſtitui ſolebant, quot erant Metropoles ciuiles, ac prouinciæ; quia deerat in prouincia Germaniæ primæ ſufficiens Epiſcoporum, & ciuitatum Epiſcopalium numerus quot ad Eccleſiaſticam prouinciam requirebantur; ideóque ex duabus ciuilibus vnicam effeciſſe Eccleſiaſticam prouinciam, cuius Metropolis eſſet Colonia Agrippina, quia opportunior & commodior tunc temporis erat, cui tot ciuitates ſubderentur, ex vtraque prouincia, quot ad complendam integram prouinciam deſiderari ſolerent. Atque ex iis ſequitur Coloniam Agrippinam metropolim ab antiquo tempore fuiſſe, & quidem totius prouinciæ Germaniæ tam primæ quàm ſecundæ, quemadmodum teſtatur Athanaſius illam ſuo tempore *Galliæ ſuperioris* metropolim fuiſſe.

Prouinciæ autem iſtæ, ſicut & Belgica, miſerè poſteà à barbaris gentibus ſunt deuaſtatæ. Primò quidem, initio Imperij Honorij & Arcadij, quo *Moguntiacum deletum, Ambianos, Attrebatas, Morinos, Tornacum, Nemetum, & Argentoratum translatos in Germaniam* deflet Hieronymus epiſtolâ ad Ageruchiam; tum variis temporibus à Saxonibus, Francis & Alamannis, quas ab iis calamitates illatas deplorat Saluianus lib. 4. de prouidentia Dei, & lib. 5. quo Agrippinam Coloniam hoſtibus plenam, Treuirorum ciuitatem deuaſtatam queritur, idem captam eam à Barbaris in epiſtolis teſtatur. Eaſdem quoque deuaſtationes ab iiſdem populis ex Alexandri Seueri hiſtoria deſcribit Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſtoriæ cap. 9. In has prouincias primùm commoratos Francos, & ab iis captas Agrippinam, & Treuirorum ciuitates, cùm adhuc idololatræ eſſent, refert vetus hiſtoria S. Remigij à Gregorio Turon. citata, liber hiſtoricus qui geſta Francorum dicitur c. 7. & 8. Francis ad fidem Catholicam conuerſis aliquandiu quieuiſſe, ſed Francorum Regum primæ familiæ ſocordiâ atq; ignauiâ debilitato Francorum Imperio, & ciuilibus bellis attrito, à Saxonibus, Friziis, Alamannis Gentilibus in eas irrumpentibus deuaſtatas fuiſſe ex Annalibus diſcere poſſumus, donec Caroli Martelli, Pipini, &

Caroli Magni victoriis aſſertæ iſtæ prouinciæ, & deuictis finitimis hoſtibus, tutâ ſecuráque pace gauiſæ ſunt.

Atque hinc factum eſt, vt Barbarorum inuaſionibus atque direptionibus afflictæ, & bellis ciuilibus attritæ iſtæ prouinciæ, Religionis Chriſtianæ diſpendium maximum, & omnis ferè diſciplinæ iacturam paſſæ fuerint, vt ex epiſtolis variis, ac vita ſancti Bonifacij Moguntini colligere poſſumus.

Ac proinde non mirum eſt Metropolean dignitatem aliquo ante Zachariam tempore in iis prouinciis viluiſſe, & Metropolitanorum ſeu Archiepiſcoporum vigilantiam ac curam deſiiſſe: non quidem in toto Francorum regno, ſed in ea parte regni, quam primò Franci inhabitarunt, putà in Germanicis & Belgica prima prouinciis; nam cùm Franci idololatræ eſſent, & feritate Barbari, eos omnes ſtatim ad fidem fuiſſe conuerſos, ac barbariem exuiſſe credibile non eſt; atque adeò eam partem regni, in qua Galli habitabant, qui iam à multo tempore fidem receperant, iſtis temporibus longè ſincerioris pietatis fuiſſe, diſciplinæ quoque & religionis Chriſtianæ obſeruantiores ex hiſtoria animaduertimus: illam verò partem quam primùm Franci inhabitauerant, quæ Germanicis ac Belgicis prouinciis continetur, ſeriùs ad fidem Chriſtianam perueniſſe diſcimus, tum ex Paulini Nolani epiſtola ad Victricium, quæ eſt vigeſima-octaua, Morinorum terram ſuo tempore à ſancto Victricio Rothomagenſi fidem audiuiſſe, *& remotiſſimum Neruici littoris tractum, quem tenui antehac ſpiritu fides veritatis afflauerat*, eius prædicatione clariùs affulſiſſe, aſſerentis: tum ex hiſtoricorum Francicorum, & ſcriptorum vitarum Sanctorum teſtimoniis, qui Flandriam per ſanctum Eligium, Francos Orientales per ſanctum Kilanum, atque Hollandos Germanos, Friʒones, per Willebrordum & Sunibertum ſeptimo ſæculo ad fidem perductos teſtantur. Hanc ergo regni Gallici partem diu Metropolitanorum curâ caruiſſe non mirum eſt, in qua Religio Chriſtiana ferè proſtrata, conculcata diſciplina, confuſa propter frequentes Barbarorum irruptiones & inuaſiones ciuilis ſtatus adminiſtratio.

De ea ergo regni Gallici parte quæ Francorum vocabatur, loquitur Bonifacius Moguntinus, dum hæc ſcribit epiſt. 1. ad Zachariam cap. 2. tomo 1. Conciliorum Galliæ, *Notum ſimiliter ſit paternitati veſtræ, quòd Carolomannus Francorum Dux me accerſitum ad ſe rogauit in parte regni Francorum, quæ in ſua eſt poteſtate, Synodum incipere congregare: & promiſit ſe de Eccleſiaſtica religione, quæ iam longo tempore, id eſt, non minùs quàm per ſexaginta vel ſeptuaginta annos calcata & diſſipata fuit, aliquid corrigere & emendare velle. Quapropter ſi hoc, Deo inſpirante, veraciter implere voluerit, conſilium & præceptum ſanctæ veſtræ auctoritatis, id eſt, Apoſtolicæ Sedis habere & ſapere debeo. Franci enim, vt ſeniores dicunt, pluſquam per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Eccleſiæ Canonica iura alicubi fundabant, vel renouabant. Modò autem maxima ex parte per ciuitates Epiſcopales ſedes traditæ ſunt laicis cupidis ad poſſidendum, vel adulteratis Clericis ſcortatoribus & publicanis ſæculariter ad perfruendum.*

§. XXXV.

Quo ſenſu ſub finem regni Merouingiorum Metropoleon diſtinctio in Francia obſoleuiſſe dicatur.

SI quis ex iis verbis Metropolitanorum è tota Gallia vel ad tempus exterminationem colligere voluerit, fallitur, quandoquidem ſolius prouinciæ Francicæ mentio iis verbis continetur, id eſt, prouinciæ, in qua Franci primùm morati fuerant: nec de aliis Synodi Sueſſionenſis ſub Zacharia habitæ Can. 3. & epiſtolis Zachariæ 4. & 5. ad Bonifacium tomo 1. Conciliorum Galliæ, Metropolitanis conſtituendis creandiſque, de nouo ſtatutum quidquam legitur, quam de tribus Grimone Rothomagi, Abele Remis, Artberto Senonibus, quos quidem non earum ciuitatum Epiſcopos fuiſſe interpretatur Melanus, *in Indiculo Sanctorum Belgij*, paginâ ſeptimâ, quaſi Epiſcopi earum ciuitatum pro-

prij fuerint, iiſque Metropolitanis Eccleſiis regendis adſcripti; ſed quod in iis Metropolibus Archiepiſcopi titulares fuerint ad infidelium conuerſionem deſtinati, interimque ipſas Carhedras gubernantes, quæ idoneis Paſtoribus deſtituebantur: quod & verba ipſa epiſtolæ quintæ Zachariæ demonſtrant, & narratio Hincmari epiſtolâ ſextâ capite decimo-nono confirmat. verba Zachariæ hæc ſunt, *Nobis indicaſti, quod & Concilium, adiuuante Deo, & Carolomanno præbente conſenſum, & conteſtante factum: & qualiter falſos Sacerdotes qui diuinum digni non erant attrectare miniſterium, à diuino munere ſuſpendiſti: & quia tres Archiepiſcopos per ſingulas Metropoles ordinaſſes, reſeraſti, id eſt, Grimonem in ciuitate quæ dicitur Rodomas; ſecundum verò Abelem, in ciuitate quæ dicitur Remorum: tertium quoque Artbertum in ciuitate quæ dicitur Sennis.*

Norandum ſiquidem *per Metropoles ordinatos*, tres illos Archiepiſcopos dici, non trium illarum primariarum Eccleſiarum Epiſcopos conſtitutos: notandum & tres falſos Sacerdotes à ſacro munere ſuſpenſos dici illis illos fortè ciuiratibus, præfectos, quibus ad explendum miniſterium in locum ſuſpenſorum alios ſubſtituere oportebat: notandum denique in Codice epiſtolarum Bonifacij, qui habetur tomo primo Auctuarij Bibliothecæ Patrum, editionis Pariſienſis epiſtolâ centeſimâ quadrageſimâ-quintâ, loco iſtius vocis *reſeraſti*, haberi *reſeruaſti*: quod niſi erratum haberetur, ſignificaret hac particulâ iſtos tres Epiſcopos, quos per per ſingulas Metropoles miniſterium indignorum vel non idoneorum expleturos ordinauerat Bonifacius, ad fidelium connerſionem fuiſſe referuatos; quæ lectio, fateor, ſenſum imperfectum habet, niſi particula *quos*, huic periodo inſeratur: ſed nec ſenſum habet accuratum integra periodus, ſi vox *reſeraſti* retinearur, vt ex eius lectione conſtabit.

Hincmari verò narratio loco à nobis citato explicationem Molani illuſtrat ac confirmat. Refert enim conſentaneè epiſtolæ ſuperiori Bonifacij ad Zachariam Hincmarus, *tempore Caroli Principis* (Martelli dicti) *quando propter diſcordiam & diſſenſionem de principatu inter eum & Raganfredum, & frequentia ac ciuilia, imò pluſquam ciuilia, quia inteſtina & parricidialia bella, in Germanicis, & Belgicis, ac Gallicanis prouinciis omnis religio Chriſtianitatis fuit abolita, ita vt Epiſcopis in paucis locis reſiduis, Epiſcopia laicis donata, & rebus diuiſa fuerunt, adeò vt Milo quidam Tonſurà Clericus Epiſcopia Remorum, ac Treuirorum vſurpans inſimul, permultos annos peſſumdederit, & multi iam maximè in Orientalibus regionibus idola adorarent, & ſine Baptiſmo manerent, Gregorius à primo ſecundus, ſed & tertius Gregorius, Winfrid cognomento, Bonifacium Legatum Apoſtolicæ Sedis ad reformandam Chriſtianitatis religionem primo Presbyterum, poſteà verò Epiſcopum ordinatum direxerunt.* Exinde ſiquidem ſuſpicari iure poſſumus, & Remorum, & Rothomagi, & Senonum ciuitatibus pręfectos eo tempore laicales homines eſſe potuiſſe, ad officia ſua exercenda inhabiles, quorum vice per illas tres Metropoles ordinarir tres Epiſcopos ad conuerſionem infidelium deſtinatos, qui interim Coepiſcoporum in his prouinciis munere fungerentur.

Milonem iſtum Zacharias commonendum, vt à lædenda Eccleſia deſiſteret, Bonifacio ſcribit epiſt. 13. anno Chriſti ſeptingenteſimo quinquageſimo-primo, cùm iam pallia miſiſſet tribus Epiſcopis prædictis, in quorum conſtitutione factas à Francorum Principibus promiſſiones non expletas ſibi à Bonifacio renuntiatum refert; quia, vt credo, Eccleſiæ reditus laicalibus iſtis Epiſcopis relicti ſunt, quod Remis factum narrat Frodoardus, etiam poſt reditum Rigoberti ab exilio, quem ſpoliatum Epiſcopum bonis refert permanſiſſe vſque ad mortem: quo rempore Abelem noſtrum conſtitutum fuiſſe, cùm adeſſet legitimus Epiſcopus nequaquam crediderim: ſed vel ante reditum Rigoberti tanquam Coepiſcopum, vel poſt eius obitum, Milone adhuc Eccleſiam Remenſem opprimente, quo mortuo plenam & liberam eius adminiſtrarionem habuerit. Igitur viuente Milone, nec tamen ab Epiſcopali Sede deiecto, Abel iſte Coepiſcopus Miloni datus fuerat, ad officia Epiſcopalia inhabili, palliúmque, quod anno Chriſti 743. ad eum miſſum eſt, ei non Archiepiſcopo Remenſi, ſed Coepiſcopo miſſum fuit: atque hinc orta eorum ſententia quam refellit Frodoardus libro ſecundo hiſto-

riæ Remenſis cap. 16. quod Coepiſcopus tantùm fuerit, non Epiſcopus; mortuo ſiquidem ſancto Rigoberto, cui expulſo Carolus Martellus Milonem iſtum ſuppoſuerat, electus fuit Abel in proprium Remorum Epiſcopum, qui fuerat anteà Coepiſcopus, quemadmodum oſtendit prædicto capite Frodoardus; ſed inſufficienter probat ex ea quam de pallio ad eum miſſo ſcripſit Zacharias, epiſt. Bonifacio Moguntino. Eum autem Abelem in Epiſcopali munere permanere non potuiſſe, eóque expulſo Eccleſiam Remenſem ſine Epiſcopo fuiſſe, ac bona ipſius laicis iterùm diuiſa teſtatur Hadrianus epiſt. *ad Tulpinum:* ſcilicet ea erat huius ſæculi prauitas, ea diſciplinæ proſtratio, ac religionis negligentia, vt mirum videri non poſſit, ſi de eo tempore loquens prædictâ epiſtolâ Adrianus referat *alios Epiſcopos de ipſa Remenſi Diœceſi diuerſo modo fuiſſe diuiſas, & aliquos ex magna parte ſine Epiſcopis conſiſtentes: & ad alios Metropolitanos, Epiſcopos & Clericos ordinationes aliquando accepiſſe, & refugia indebita habuiſſe*; Cui proinde malo mederi volens Sueſſionenſis Synodus anno 744. legitimos Epiſcopos ciuitatibus ordinauit, iiſque ab Apoſtolica Sede recepto pallio Archiepiſcopis dari ſolito, vt honoratiores eſſent, Abelem in Remenſi prouincia, Ardobertum in Senonenſi conſtituit, ne extra prouinciam aut iudicia, aut ordinationes indebitè quærerentur. *Idcircò*, inquit Pipinus, *conſtituimus per conſilium Sacerdotum & Optimatum, & ordinauimus per ciuitates legitimos Epiſcopos; & idcircò conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopos Abelem & Ardobertum, vt ad iudicia eorum de Eccleſiaſticis neceſſitatibus recurrant tam Epiſcopi quàm alius populus*, &c.

Priuatæ porrò eæ erant quarumdam prouinciarum calamitates, non à multo tempore, nec per omnem Galliam diſperſæ, quæque in ea Metropoliticæ auctoritatis continuationem, non tam interrumpebant, quàm interturbabant. Ideóque citata epiſtola Adriani, dum ad alios Metropolitanos Epiſcopos Remenſis prouinciæ confugiſſe ait, alios in Gallia Metropolitanos agnitos fuiſſe oſtendit. Dum item priuilegia Metropolis Remenſis, qualia antiquitùs fuerant, confirmat, antiquam nec notabiliter interruptam eam poſſeſſionem ſignificat.

Denique dum ſanctum Rigobertum, cui ſucceſſit ſanctus Abel, Archiepiſcopum vocat; & in prouincia Remenſi Archiepiſcopalem dignitatem agnitam iugiter fuiſſe inſinuat: licèt hominum malitiâ ac negligentiâ violata & conculcata à quibuſdam prauis hominibus fuerit, & Archiepiſcopi ſuas obire functiones impediti nonnunquam fuerint.

Idem dicendum de Eccleſia Rothomagenſi & Senonenſi, quam vtramque Ionas Fontauellenſis *in vita ſancti Wulfranni*, cap. 2. circa iſta tempora, *matrem ciuitatum* appellat, & Wulfrannum Archiepiſcopum Senonenſem vocat, quem electum dicit Senonenſium Pontificem tempore Regum Lotharij & Theodorici, ante tempora Concilij Sueſſionenſis, quod habitum eſt ſub Childerico III. Rege anno 744. cùm tamen obierit Wulfrannus anno 720. teſtimonio eiuſdem Ionæ Fontauellenſis coætanei ipſius. Sanctus quoque Ausbertus paulò ante iſta tempora, vt teſtatur Angradus Monachus vitæ ipſius apud Surium 9. Februarij cap. 15. *Eligentibus ciuibus præfatæ Rothomagenſis vrbis Metropoleos*, Pontifex dicitur conſecratus, à quo & Concilium Rothomagi conuocatum & celebratum refert anno 13. Regis Theodorici, id eſt 682. & ſubſcriptionis Concilio formam iſtam profert, *Ausbertus Archiepiſcopus Rothomagenſis huic Concilio præfui & ſubſcripſi*, capit. 18. & 19. eiúſque demortui corpori dum Fontauellam deferretur, *Comprouinciales vrbis Rothomagenſis Epiſcopos occurriſſe* teſtatur cap. 28. circa annum, vt vult Baronius, 695. Ac proinde patet nec Metropolitanorum Epiſcoporum, nec Comprouincialium diſtinctionem, nec Conciliorum celebrationem in Gallia Occidentali, etiam in prouinciis Senonenſi & Rothomagenſi, quibus à Zacharia de Archiepiſcopis prouiſum eſt, tanto tempore deſiiſſe, quanto in Gallia Orientali aſſeruit Zacharias, imò nec vllo tempore diſtinctionem Metropolitanorum & Archiepiſcoporum in iis prouinciis defuiſſe, ſed officia Principum tyrannide impedita atque interuerſa aliquandiu extitiſſe.

Fuſiùs iſta explicare debuimus, ne quod aſſeruit vir doctus, *ab anno Chriſti 70. vſque ad annum 743. Gallias Archiepiſcopis caruiſſe*, aliquis ſibi perſuaderet deceptus

teſtimonio Zachariæ, quod de ſola Francia Orientali, putà de Germanicis prouinciis, & Belgica prima videtur intelligendum. Sed quamuis id contra rei veritatem concederemus, non haberent oſores hierarchici ſtatus vllum exinde argumentum, quo Metropoleon Eccleſiaſticarum neceſſitatem eleuare poſſent, cùm id tyrannide Potentum factum fuerit, & ex illa Metropolitanorum & Conciliorum intermiſſione, & Eccleſiarum depopulationem, & diſciplinæ ſubuerſionem, & Religionis Chriſtianæ diſpendia ſecuta videamus.

§. XXXVI.

Aliqua de Metropoli Moguntina, ac Colonienſi adduntur.

REDEAMVS ad Eccleſiam Moguntinam, quam à Zacharia Papa contra Principum Galliæ Metropolim duarum Germanicarum prouinciarum factam vidimus, depreſsâ Coloniâ Agrippinâ, quam olim vel ipſo S. Athanaſij tempore Metropolim ſuperioris Galliæ, id eſt, Germanicarum prouinciarum eiuſdem teſtimonio didicimus: nam diu poſteà temporis iniuriâ ad communem Epiſcopatum, ciuitatum ſortem per aliquot annos redactam, prolato verò Zachariæ decreto Moguntiæ ſubiectam diximus. In qua ſubiectione diu non manſit, quippe cùm in teſtamento Caroli apud Eginhardum, Colonia, & Moguntiacum tanquam diſtinctæ Metropoles Eccleſiaſticæ numerentur. Hoc ita factum ſuſpicor, fundatis ſub Carolo vltra Renum, Monaſtiterenſi, Mindenſi, & Oſnabrugenſi Eccleſiis, quemadmodum refert Krantius lib. 1. Metropolis cap. 2. 5. & 9. viſa eſt Coloniæ Metropolitica dignitas antiqua reſtituenda Epiſcopatibus iſtis, necnon Vltraiectino ſeu Traiectino ipſi attributis, & Strasburgenſi, ſeu Argentoratenſi Moguntiæ eidem reſtituto, qui Zachariæ decreto ſupreſſus fuerat, adeò vt ſeries Argentoratenſium Epiſcoporum non diuturno tempore interrupta fuerit; deinceps verò hos Suffraganeos habuit, donec à Paulo IV. Vltraiectanus Archiepiſcopatus erectus eſt: & quinque cum eo noui Epiſcopatus Midelburgi in Zelandia, Hazlenij in Holandia, Dauentriæ in Tranſiſellana ſeu *Ouenſel*, & Groninghæ in Frizia Orientali, & Leonardiæ in Frizia Occidentali, quæ omnes regiones Colonienſi Archiepiſcopo, deinde Moguntino, tempore Bonifacij earum regionum Doctoris præcipui, ac demùm Colonienſi paruiſſe videntur, maiori ſaltem ex parte, potiùs quàm Remenſi.

§. XXXVII.

De Metropoli Treuirenſi.

TREVIRORVM ciuitas in Gallia Belgica ſita, *vrbs Galliarum potentiſſima, & excellentiſſima*, Saluiano lib. 6. *clariſſima*, lege Gratiani ad Antoninum Præfectum prætorio Galliarum, quæ habetur C. Theodoſ. tit. *de Profeſſoribus & Medicis: domicilium Principum*, Ammiano lib. 15. in qua proinde Palatium fuiſſe notatur ab Ambroſio epiſt. 27. veteris editionis, nouæ 56. cui alij paſſim Auctores nobilitatis & opulentiæ primas inter cæteras ciuitates Gallicanas attribuunt, ab Athanaſio tum epiſt. *ad ſolitariam vitam agentes*, tum etiam Apolog. *de fuga*, Metropolis Eccleſiaſtica fuiſſe dicitur ſuo tempore, quo nempe ciuitatis illius Antiſtitem Paulinum virum ſanctiſſimum, Galliarum Metropoleos Epiſcopum appellat. In Notitiis Galliarum omnibus primæ Belgicæ Metropolis vocatur, ſub eâque ciuitates Mediomatricum, id eſt Mettis; Leucorum, id eſt Tullum; & Verdunenſium, aliàs Virdunum, contineri dicuntur.

Maximinus Treuirorum Epiſcopus Concilio Agrippinenſi aduerſus Euphratam Colonienſem anno 346. prædit, *iuxta poſtulatum fratrum*, id eſt, vt interpretor, ad petitionem Epiſcoporum prouinciæ, qui proximum Metropolitanum Treuirenſem ad ſubſidium laborantis prouinciæ in capite ſuo, quod hæreſi infectum deprehenſum fuerat, aduocauerant. Nicetius in Concilio Aurelianenſi V. inter

Digitized by Google

Metropolitanos ſubſcribit. Nicetium *Archiepiſcopum* vocat Florianus epiſt. 6. inter *epiſtolas virorum illuſtrium* Francorum Annalibus inſertas, in ipſa inſcriptione, ad quam eius Archiepiſcopalem dignitatem alludit Florianus epiſt. 5. iis verbis, *Benedicitur vna Trinitas Deus noſter, qui vos Pontificalibus meritis, Pontificali locauit in vertice:* quæ verba ad Nicetium Galliæ Epiſcopum, ſiue Lugdunenſem, ſiue Treuirenſem, neuter enim deſignatur, & vterque eodem ferè tempore vixit, haud dubiè referuntur. Treuirenſi autem Nicetio, illa haud dubiè diriguntur à Fortunato lib. 3. Carmine 11.

Splendor, apex fidei, venerabile mente Niceti,
Totius orbis amor, Pontificúmque caput.

De Magnerico quoque Nicetij in eadem Cathedra ſucceſſore idem canit Fortunatus cap. 13.

Culmen honorificum, patrum pater, Archiſacerdos,
Pontificale decus, proficiente gradu, &c.

Quæ quidem Fortunati carmina vtrumque prouinciæ ſuæ Treuirenſem Archiepiſcopum, Metropolitanum agnitum fuiſſe demonſtrant: huius Eccleſiæ dignitatem Metropoliticam fuſiùs probare inutile eſt, quandoquidem à nemine in dubium reuocatur.

§. XXXVIII.

De Metropoli Toloſana.

TOLOSAM vrbem antiquiſſimam, & celeberrimam fuiſſe nemini dubium eſt. Nota fuit Cæſari lib. 8. cap. 5. Suetonio *in Vitellio:* Iuſtino lib. 32. Straboni lib. 4. Plinio lib. 3. cap. 4. & lib. 4. cap. 19. Melæ lib. 2. cap. 5. Gellio lib. 3. cap. 9. Ptolemæo lib. 2. cap. 10. & aliis antiquis.

Regni Gothici in Gallia ſedes fuit, vt colliges ex Iornandis *de rebus Gothicis*, cap. 3. Gregorij Turon. lib. 2. c. 27. 33. & 37. collect. hiſt. l. 3. c. 10. tom. 2. antiquarum lectionum apud Caniſium, & in geſtis Francorum prope finem, auctore Roricone Monacho. Deuictis Gothis, cùm ex teſtamento Dagoberti regnum Aquitanicum Ariberto vni ex eius filiis ceſſiſſet, & ipſa iſtius regni ſedes fuit, *in geſtis Dagoberti*, cap. 16. & in *Chronico* Fredegarij Scholaſtici cap. 56.

Celebratur maximè ab Auſonio lib. *de claris ciuitatibus:* In Notitiis Galliæ Narbonenſis ciuitas Toloſatum prima ponitur ſub Narbona Metropoli: ab ea ſubducta eſt, quandiu Gothi Narbonam aliáſque ciuitates tenuerunt, Franci verò Toloſam: eo ſiquidem tempore Bituricenſi, vt ſuprà obſeruauimus, adiuncta eſt Archiepiſcopatui, non ad Metropolitanam dignitatem euecta; quos enim habuiſſet Suffraganeos? non pro ciuitate ſe geſſiſſet Epiſcopali ab omni Metropolitano independente, & cuiuſlibet prouinciæ ſocietate ſeparata: hoc enim Canones vetabant, & Eccleſiæ illo tempore gubernandæ ratio ſolitudinem iſtam, & eiuſmodi αὐτοκεφαλίαν minimè ferebat. Quare deceptus eſt Papyrius Maſſonus errore, qui vulgatis editionibus Concilij Aurelianenſis I. irrepſerat, vt ei inter primos *Leontius Epiſcopus Toloſanæ Metropolis*, ſubſcriptus vitioſè legeretur, cùm ex correctis Cod. Sirmundus *Leontium Eluſanæ Metropolis* reſtituerit; quo tamen errore deceptus, Toloſam hocce tempore Metropolim fuiſſe ſibi perſuaſit vir doctus: qui error ex iis quæ diximus, ſufficienter refelli poteſt.

Ad cuius tamen refutationem adiungo in Concilio Agathenſi paulò antè Aurelianenſe habito; nam hoc anno Chriſti 511. illud anno 506. celebratum cenſetur: in Agathenſi, inquam, Eluſam Metropolim fuiſſe, non Toloſam: ei ſiquidem *Clarum Epiſcopum de ciuitate Eluſa Metropoli:* Heraclianum verò *Epiſcopum Toloſanæ ciuitatis*, abſque alia additione ſubſcripſiſſe. Concilio Matiſconenſi ſecundo poſt iſta tempora diu habitó, miſſum *Magnulfi Epiſcopi Toloſani* inter miſſos ab Epiſcopis ſecundi gradus, anno 585. Concilio Remenſi ſub Dagoberto *Willegiſelum* Toloſanum, anno 630. inter vltimos ferè ſubſcripſiſſe: ſub Carolo Magno inter Metropolitanos Toloſanos non referri: quin immò conſtare eum, Narbo-

nâ ac reliquis ciuitatibus Imperij Gothici per Pipinum & Carolum Magnum ad poteſtatem Galliarum redactis, iſtam Eccleſiam ad Narbonenſem Metropolim, vt ramum ad truncum ſuum proprio arbitrio rediiſſe, ſub quo manſit ſequentibus temporibus, vt conſtat ex Chronico Monachi ſancti Mariani Antiſſiodorenſis ex *deſcriptione Galliarum* à Geruaſio Tilleberienſi Othoni IV. Romanorum Imperatori dicata, *ex Notitia Epiſcopatuum Galliæ*, ex Codice manuſcripto hiſtoriæ *Monaſterij ſancti Dionyſij*, quæ deſinit in morte Philippi III. non eſt autem probabile Toloſam, ſi Metropolitana dignitate potita fuiſſet, tam facile reliquis ſæculis eam exuiſſe, & alteri Metropolitæ paruiſſe.

Paruit autem ipſa Metropolitano Narbonenſi, donec à Ioanne XXII. vt patet ex eius Extrauaganti *Saluator*, & ſequentibus, *de præbendis*, inter communes, attributis eis *Epiſcopatibus ſeptem*, *& Monaſteriis detractis de diuerſis*, *partim ſingulis de ſingulis*, *partim ſingulis de pluribus*, vt loquitur Scaliger, ſcilicet vno Apamiarum à Bonifacio VIII. anno 1296. iam erecto, teſtibus Nangio & Bernardo Guidone Epiſcopo Luteuenſi *in Chronico*, & reliquis à Ioanne VIII. erectis, nimirùm Mirapienſi, Montis Albani, Vaurenſi, Riuenſi, Lomberienſi, & ſancti Papuli.

§. XXXIX.

De Metropoli Auenionenſi.

AVENIONENSIS ciuitas antiquis nota, Plinio lib. 3. cap. 4. Ptolomæo lib. 2. cap. 10. Melæ lib. 2. cap. 5. Straboni lib. 4. & aliis Comitatus Venitiæ acquiſiti à Clemente VI. caput, Romanorum Pontificum aliquando domicilium, non ſedes, à Sixto IV. in Epiſcopalem erecta, mutilatâ Arelatenſi prouinciâ, non ſolùm ex ſubſtractione nouæ iſtius Metropolis, verùm etiam Epiſcopatuum Cabellinorum ſeu Cabellionis Canarum Coloniæ, & Vaſenſium ſeu Vaſionenſis Vocontiorum, qui in Notitiis antiquis Galliæ in prouincia Viennenſi, Arelatenſi Metropolitano ſubditi fuiſſe referuntur, & Carpentoratenſi, & illo quidem Arelatenſi ſubdito, ſed minùs antiquo, quàm ſint prædicti, ideóque in quibuſdam Notitiis prætermiſſo, in aliis verò memorato, cuius ciuitatis Epiſcopus Iulianus Epaunenſi Concilio ſubſcripſit.

§. XL.

De Metropoli Pariſienſi.

PARISIENSIS populoſiſſima totius Europæ ciuitas, Regum Galliæ à tempore Clodouæi ſedes, de cuius antiquitate, magnitudine & potentia, vt pote vrbis notiſſimæ fruſtrà loqueremur, à Gregorio XV. noſtrâ ætate, inſtante Rege Ludouico XIII. anno 1622. à Senonenſi auulſa cum ciuitatibus Carnotenſi, Aurelianenſi, & Meldenſi, in Metropolitanam erecta eſt. In qua ciuitate etiamnum ſedet qui primus Archiepiſcopus Pariſienſium creatus eſt, vir nobilitate generis, & animi dotibus conſpicuus Franciſcus Gondius.

§. XLI.

De Cameracenſi, & Machlinienſi Metropolibus.

DENIQVE Cameracenſis & Machlinienſis Archiepiſcopatus in Germanica ſecunda, & Belgica ſecunda prouinciis, inſtituti ſunt anno 1559. à Paulo IV. inſtante Carolo V. Romanorum Imperatore, & duorum priorum erectione Remenſi, ex vltimi creatione Colonienſi præſertim Archiepiſcopatibus mutilatis. Cameracenſi hi Suffraganei attributi Attrebatenſis, & Audomaropolitanus in Arteſia, Namurcenſis ad Moſam fluuium, Tornacenſis apud Neruios ad Scaldim. Machlinienſi aſſignati Antuerpienſis in Brabantia ad Scaldim fluuium, Brugen-

Digitized by Google

ſis, Gandenſis ad Scaldim, & Yprenſis in Flandria, Ruremundenſis in Gueldria ad Moſam, & Siluiducenſis in Brabantia. De Vltraiectano ſuprà locuti fuimus.

§. XLII.

Concluſio totius iſtius tractationis de Metropolibus Galliarum.

CÆTERVM abſolutâ longâ iſtâ tractatione de Metropolitis omnibus in Gallia tam antiquis quàm de nouo inſtitutis, quam Eccleſiaſticarum rerum Gallicarum notitia expoſcebat; iam ad id quod præſertim probandum intenderamus, reuertimur, vt ex ea tota atque integra narratione conſtare demonſtremus in Galliis antiquam & religioni coæuam Metropolitanorum auctoritatem. Licèt enim de quibuſdam Metropolibus Galliarum dubium ſit, vtrùm adeò ſint antiquæ, vt Conſtantini ætatem, & Nicænos Canones vetuſtate ſuperent, tamen ad ſuſceptam diſputationem id nihil attinet: quandoquidem plures vel pauciores olim fuerintne in Galliis Eccleſiaſticæ prouinciæ, plures vel pauciores Metropoles quàm iam ſint, nihil ad veritatem noſtræ propoſitionis probandam vel infirmandam facit. Conſtat ſemper quamlibet prouinciam Eccleſiaſticam à ſuo Metropolitano fuiſſe gubernatam, quoquo nomine nominaretur, Archiepiſcopi vel Metropolitani parum refert (quanquam & Archiepiſcopi, & Archiſacerdotis nomina in Galliis inaudita minimè fuiſſe ex prędictis pateat, & Archiepiſcopi nomen in Matiſconenſi I. Conc. Can. 6. prolatum reperias) dummodo rem ipſam Archiepiſcoporum nomine deſignatam, dignitatem ipſam & poteſtatem teneamus.

At prioribus iſtis ſæculis Metropolitanorum, qui vulgò nominabantur, auctoritatem nihilo inferiorem, imò multò maiorem in iudiciis Eccleſiaſticis, etiam aduerſus Epiſcopos, in ordinationibus Epiſcoporum, in Conciliorum celebrationibus, in reprehenſionibus Suffraganeorum, ſi quid peccaſſent, quàm quæ hactenus exerceatur, animaduertimus; vt tum ex Canonibus Conciliorum Gallicanorum citatis, tum ex pluribus hiſtoriæ Gallicanæ exemplis patet.

Igitur falsò & temerè ex noſtri ſæculi Nouatoribus aliqui prioribus quinque ſæculis & ampliùs aſſerere audent Metropolitanos in Gallia quales iam ſunt, nullos fuiſſe, dignitatem iſtam ignotam & neglectam videri: quæ prioribus ſæculis, ſaltem à Nicæni Concilij tempore notiùs & clariùs, ante Nicænum etiam ſaltem obſcuriùs effulgeat.

Alia quoquę nobis eſt cum iiſdem Nouatoribus concertatio, quæ huic loco nobis propria eſt. Irrident enim Vicariatum Sedis Apoſtolicæ ſiue Arelatenſi Eccleſiæ, ſiue aliis collatum: exinde prouinciæ vnius ſupra aliam prerogatiuam, vnius Metropolitani ſupra alium auctoritatem per nouem priora ſæcula, tanquam figmenta & fabulas habent: ſcilicet in medio die cæcutiunt, remque notiſſimam & manifeſtiſſimam intueri nolunt.

Arelatenſi Eccleſiæ conceſſum à multis ſummis Pontificibus, & in Galliis receptum priuilegium, vt variis prouinciis earúmque Metropolitanis emineret, quia locum ſummi Pontificis teneret, iam ex parte teſtati ſumus: ſed hoc loco iterùm idipſum repetere atque inculcare debemus, expreſſioribúſque teſtimoniis confirmare.

§. XLIII.

Origo Arelatenſis Primatus in Galliis, quæ, & quàm iuſta.

HVIVS Primatus origo, à dignitate politica ciuitatis Arelatenſis initium duxit; ex eo enim quòd Præfecti pretorio Galliarum ſedes eſſet, ambiuit & in Galliis Eccleſiaſticum Primatum, & ex eo quòd diuerſarum prouinciarum Magiſtratus ad Concilium conuenirent, occaſionem ſumpſit Patroclus Arelatenſis cęteris ardentior, & Palatino fauore ſubnixus, vt & Primatum in quibuſdam ſaltem Galliæ prouinciis ad conuocanda Concilia obtineret.

Neque ideò poteſtatem iſtam Exarchicam ſuper diuerſas prouincias, quam & in Africa, & in Oriente à tanto tempore Eccleſia receperat, & in Concilio Nicæno probauerat, vituperare debemus, quòd ei Imperij ciuilis forma occaſionem præbuerit, licèt enim iniquum ſit ciuilis Imperij formæ Eccleſiaſticam adminiſtrationem ita diſtringere, vt hæc illam neceſſariò ſequi debeat, quod damnauit Papa Gelaſius epiſt. 13. *ad Epiſcopos Dardaniæ*, & ante eum Chalcedonenſes Patres Can. 12. atque Innocentius I. epiſt. 18. cap. 2. nihilominùs quia vtilitatis populorum in erigendis, quæ prouinciæ vnius, ſiue plurium ſimul collectarum quas Diœceſes vocabant, habenda eſt ratio, & facilior eſt earum ciuitatum aditio pro Eccleſiaſticis negotiis, ad quas pro temporalibus conuenitur ex Can. 9. Concilij Antiocheni, & in amplioribus ciuitatibus, in quibus Presbyterorum numerus maior ordinari ſolebat, doctiores atque ſapientiores facilius eſt reperire, qui difficiliorum quæſtionum nodos ſoluere poſſint; ideò prudenter & conſultò à ſummis Pontificibus actum eſt, vt nonniſi maioribus & populoſioribus ciuitatibus Eccleſiaſticæ auctoritatis priuilegia concederentur, quod egregiè explicat ſanctus Leo epiſt. 84. *ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem*, prope finem, *magnâ diſpoſitione prouiſum eſt ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis prouinciis ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia: & rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti, ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri Sedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret, & nihil vnquam à ſuo capite diſſideret.* Hoc igitur conſilio Primas Arelatenſis in Gallia inſtitutus eſt, cuius Primatus à conceſſione Zoſimi videtur ſumpſiſſe initium. Quod vt explicetur commodiùs, quædam prætermittenda exiſtimo circa titulum ipſum, & inſcriptionem epiſtolæ 5. Zoſimi, de priuilegiis Eccleſiæ Arelatenſis, quæ dirigitur *vniuerſis Epiſcopis per Gallias, & ſeptem prouincias conſtitutis*, cuius inſcriptionis explicatio lucem ſequentibus adfert.

§. XLIV.

De Galliis, & quinque vel ſeptem prouinciis quædam notatu digna præmittuntur.

NOTANDVM ergo Galliam Narbonenſem antiquam à Cæſare Gallia vniuerſa deuicta fuiſſet, à Quinto Fabio in prouinciam redactam, & deductâ Narbonem coloniâ, Narbonenſem appellatam fuiſſe, vt teſtatur Velleius Paterculus & Eutropius in hiſtoria Romana. Quin etiam ab Auguſto Cæſare tres Galliæ partes, quæ à Iulio Cæſare deuictæ fuerant, Legatis ſuis ad regendum datas, Narbonenſem verò Senatoris arbitrio relictam. Ob has itaque cauſas contigit, vt reliqua Gallia à Narbonenſi diuerſa ſimpliciter *Gallia* diceretur: ipſa verò *prouincia* (quod nomen etiamnum aliqua eius pars retinuit) ſeu *quinque prouinciæ* vocaretur: hæc enim prouincia Romana in quinque diuiſa eſt, putà Narbonenſem primam, Narbonenſem ſecundam, Viennenſem, Alpes maritimas, & Alpes Graias ſeu Penninas, quas quinque prouinciæ Narbonenſis nomine contineri his verſibus oſtendit Auſonius libro *de claris ciuitatibus, in Narbona*;

Inſinuant quà ſe Sequanis Allobroges oris,
Excludúntque Italos Alpina cacumina fines,
Quà Pyreneis niuibus dirimuntur Iberi,
Quà rapitur præceps Rhodanus genitore Lemano:
Interiúſque premunt Aquitanica rura Cebennæ
Vſque in Tecto-ſagas primæuo nomine Belcas,
Totum Narbo fecit.

Hoc certè ambitu terrarum quem deſcribit Auſonius quinque illas prouincias, quas enumerauimus, contineri certum eſt, quibus Galliæ aliquando opponebantur: eóque ſenſu Ammianus Marcellinus lib. 15. à confluenti Araris & Rhodani Galliarum initium duxit, *Qui locus*, inquit, *exordium eſt Galliarum, exinde non millenis paſſibus, ſed leucis itinera metiuntur, quia Gallicum non Romanorum morem in diſtantiis iis locorum numerandis ſequebantur.* Quare dum Gallias, & quinque prouincias legis, quinque prouinciarum nomine Narbonenſis prædictas prouincias debes

intelligere. Ita ergo interpretari conuenit quòd Epiſcopi Valentinæ Synodi epiſt. ad vniuerſos Epiſcopos Galliarum, *dilectiſſimis fratribus per Gallias, & quinque prouincias conſtitutis Epiſcopis* ſcribunt; quod habet Maximinns Imperator epiſt. *ad Siricium*, in Agricij Presbyteri cauſa, quam Synodo Galliarum ſe permiſſurum ſcribit iis verbis, *Cæterùm de Agricio, quem indebitè ad Presbyterij gradum conſcendiſſe commemoras, quid Religioni Catholicæ poſſum præſtare reuerentiùs, quàm vt de hoc ipſo, cuiuſmodi eſſe videatur, Catholici iudicent Sacerdotes? quorum conuentum ex opportunitate omnium, vel qui intra Gallias, vel qui intra quinque prouincias commorantur, in qua elegerint vrbe conſtitutam, vt iiſdem reſidentibus, & cognoſcentibus quid habeat conſuetudo, quid legis ſit, iudicetur.* Quod Synodus Taurinenſis rationem reddere volens controuerſiarum inter Proculum Maſſilienſem, Viennenſem & Arelatenſem Præſules, quæ omnes intra Narbonenſem prouinciam exortæ ad Synodum iſtam relatæ fuerant, ab iis verbis exordiatur epiſtolam Synodicam, *Synodus quæ conuenit in vrbe Taurinacenſium die* 10. *Calendas Octobris, fratribus dilectiſſimis per Gallias, & quinque prouincias conſtitutis.*

Omitto Symmachi lib. 4. epiſt. 30. habitationem in vrbe Treuirenſi opponi habitationi in *quinque prouinciis*: à Philaſtrio hæreſi quinquageſimâ *quinque prouincias* Hiſpanicis: in Notitia Imperij Occidentis rationales rei priuatæ alios per Gallias, alios per Hiſpanias, alios per Britannias, alios per quinque prouincias. Reperio & Galliis ſeptem prouincias nonnunqnam opponi; nam verbi gratiâ Zoſimus epiſtolam quintam, *de priuilegiis Eccleſiæ Arelatenſis* ſcribit, *vniuerſis Epiſcopis per Gallias & ſeptem prouincias conſtitutis*: epiſtolam ſextam Viſo & Tuennio à Proculo Maſſilienſi, in Eccleſiæ Arelatenſis *præiudicium*, illicitè ordinatis ſcribit: *Aurelio & vniuerſis Epiſcopis per Africam conſtitutis; vniuerſis Epiſcopis per Gallias & ſeptem prouincias conſtitutis; vniuerſis per Hiſpaniam conſtitutis, à pari.* Bonifacius epiſtolam ſecundam de Maximo Valentinæ ciuitatis Epiſcopo variis criminibus accuſato, cuius in Synodo prouinciæ cauſam diſcuti mandat, *Patroclo Arelatenſi*, & aliis nominatim dirigit, *& cæteris Epiſcopis per Gallias & ſeptem prouincias conſtitutis.*

Quænam ſint illæ ſeptem prouinciæ à mnltis agitatur; quidam omnes Galliæ prouincias numero ſeptem contineri cenſent, quia ſcilicet reperiuntur ſeptem, ſi ſingulæ eiuſdem nominis duntaxat admittantur, Germanica, Belgica, Lugdunenſis, Aquitania, Narbonenſis, Viennenſis, Alpina; Maxima enim Sequanorum ſub Lngdunenſi olim continebatur, à qua poſteà detracta eſt: quòd ſi hanc addere placeret, tunc Viennenſem ſub Narbonenſi poſſes comprehendere, quippe quæ & ipſa Narbonenſis prouincia dicatur: verùm ſi ſeptem prouinciarum nomine Galliæ vniuerſæ comprehenduntur, cur Galliæ ſeptem prouinciis opponi videntur? cur alij videntur Epiſcopi Galliarum, alij ſeptem prouinciarum numerari, ad quos epiſtolæ iſtæ dirigantur? Scio dici poſſe ſeptem prouincias non opponi his epiſtolis Gallicanis, ſed eo numero Gallicanas explicari, quemadmodum in Notitia *Flaminia & Picenum Annonarium* legitur, cùm ſit eadem vtraque prouincia; eique explicationi probabilitatis ex eo aliquid accedere: quòd in Notitia Vicarius Galliarum *ſeptem prouinciarum* dicatur capite ſexageſimo-octauo; quamuis mendum ibi contigiſſe aliqui ſuſpicentur, quòd ſepremdecim ibidem ſtatim nominentur, ſex Conſulares, & vndecim Præſidiales: item quòd Ioannes octauus in ſeptem pronincias galliam diuiſam putet: ſed hæc quadrare prædictis Pontificum epiſtolis vix ſuſpicor, tum quòd duriuſculum illud ſit, quòd gallia & ſeptem prouinciæ pro vno ſumantur, quæ particulâ coniunctiuâ diſtinguuntur: tum quòd nulla ratio eſſe videtur, cur in epiſtola præſertim ſexta Zoſimi explicationis cauſâ addatur *ſeptem prouinciæ*, cùm ad Hiſpaniæ & Africæ explicationem numerus prouinciarum ſimiliter non adiungatur: tum quòd ad Honorij & Theodoſij Auguſtorum Conſtitutionem anno quadringenteſimo decimo-octauo, *ad virum illuſtrem Agricolam Præfectum pretorio galliarum*, tàm Zoſimus quàm Bonifacius alluſiſſe videantur: quâ ſcilicet ſeptem prouinciarum ſit mentio, quæ Arelatem conuenire ſolebant, ab eo tempore quo id Petronius Prefectus Galliarum ſtatuerat, *quod interpolatum vel*

deſidia

deſidiâ tyrannorum, vel iniuriâ temporum, reparari decernunt. Nam ex lectione iſtius Conſtitutionis patebit: primò, non omnes omninò Galliarum prouincias ad hoc Concilium Arelate haberi ſolitum acceſſiſſe, ſed ſolùm aliquas: aliàs *ad potiores prouincias*, quidquid decernendum erat, non diceretur deferendum; nec ea ratio proferretur, *quia parem neceſſe eſt inter abſentes æquitatis formam iuſtitiæ ſeruari.*

Secundò, eas deſignari prouincias, quæ decurſu Rhodani, & Thirreni maris recurſu Arelatenſem vrbem petere poſſint.

Tertiò, aliquas ex iis dici viciniores, alias remotiores: remotiores numerari Aquitaniam ſecundam, & Nouempopulaniam, *quæ prouinciæ longiùs conſtitutæ* dicuntur; cùm tamen ſi de vniuerſis Galliæ prouinciis ſermo ſit, ab Arelatenſi vrbe longiùs multò Belgicæ & Germanicæ prouinciæ diſtent, imò & Lugdunenſis prouinciæ ciuitates plures.

Si ergo diuinare mihi licet in re obſcura, ſeptem prouinciæ quæ Arelatem conuenire iubentur ab Honorio & Theodoſio, quemadmodum olim conueniebant ex diſpoſitione Petronij, exiſtimo quinque eſſe prouincias prędictas Galliæ Narbonenſis, cui Aquitanica ſecunda, & Nouempopulania adderentur, à quibus per Garumnam Toloſam vſque iter erat, à Toloſa iter Arelatem vſque, idem quod ab Arelate in Hiſpanias vſitatum erat.

Hanc opinionem probabiliorem eſſe iudico, quàm ea quæ fuit Hincmari Remenſis epiſt. 6. cap. 17. in antiquis Hincmari editionibus; & Auctuarij Bibliothecæ Patrum tom. 2. epiſt. verò 43. *ad Epiſcopos de iure Metropolitanorum, cùm de Auſegiſi primatu ageretur*, cap. 18. tom. 2. ipſius Operum, in nouis editionibus, qui ſeptem illas prouincias quæ Conſtitutione Honorij & Theodoſij Arelatem conuenire ſolebant, eas eſſe ſcribit, Viennenſem, Lugdunenſem, Narbonenſem primam & ſecundam, & Alpinam & Nouempopulanam, & ſecundam Aquitanicam: Ex qua Conſtitutione, vt mox notabimus, tum ex epiſtolis Sedis Romanæ Pontificum, Primatus Arelatenſis originem non immeritò repetit idem Hincmarus, ſed in eo falſus videri poteſt: tum quòd Alpinam vnicam ſtatuat, quæ eo tempore duplex, vt ex Notitiis antiquis Galliarum, & aliis colligere eſt, quibus conſtat Alpium duplicem prouinciam tempore Honorij fuiſſe, *Alpium maritimarum* vnam, *Græcarum* ſeu *Penninarum* alteram. Tum quòd Lugdunenſem inter ſeptem iſtas prouincias referat, quæ tamen propriè dictis Gallicanis prouinciis ſemper adnumerata fuit, imò ipſa maximè propriè dicta Gallia ſemper habita eſt, vt ex iis teſtimoniis perſpicuum eſt, Rufi in Breuiario, *Sunt in Gallia, cum Aquitania & Britannis, prouinciæ octodecim:* Sulpitij lib. 2. *Sed in noſtris, id eſt Aquitanis, Gallis & Britannis indecens viſum eſt:* Auſonij in Arelate,

——— *populos alios & mœnia ditat*
Gallia, quis fruitur, gremiòque Aquitania lato.

Rationem videtur proferre optimam Strabo lib. 4. obſeruans τελέως ἐξηλλαγμένους οὐ τῇ γλώττῃ μόνον, ἀλλὰ τοῖς σώμασιν ἐμφερεῖς Ἴβηροι μᾶλλον ἢ Γαλάταις, *Aquitanos ab aliis Gallis planè differentes non lingua modò, ſed & corporibus Hiſpanis quàm Gallis ſimiliores:* quæ eadem iiſdem ferè verbis repetit eodem libro: quod quidem de populis Aquitaniæ ſecundæ, & Nouempopulaniæ verum, non de populis Aquitaniæ primæ, niſi aliquos excipias, experientia comprobat. Quare quod Aquitania ſecunda, & Nouempopulania quæ & ipſa ab Aquitania diuulſa eſt, Gallis ſtrictè ſumptis opponi poſſit, allata, niſi fallor, teſtimonia manifeſtè demonſtrant.

§. XLV.

De priuilegiis Eccleſiæ Arelatenſi curâ Patrocli illius Epiſcopi à Zoſimo Papa conceſſis.

HANC prærogatiuam Arelatenſis ciuitatis, vt pro totius Galliæ negotiis in conuentu ſeptem prouinciarum ea in ciuitate habito conſultatio quotannis iniretur, ad Eccleſiaſtica negotia ampliare conatus eſt Patroclus Arelatenſis, ac fauore Conſtantij mariti Placidiæ ſororis Honorij Imperatoris fultus Romam ad Zoſimum perrexit; & ab eo priuilegium duplex obtinere ſategit, putà vt quinque prouinciarum Metropolita eſſet, & ex ſeptem prouinciis Epiſcopos conuocare poſſet, pro totius Galliæ vtilitate publica: eóque titulo, atque aliis reliquis Galliæ prouinciis emineret; atque ita eodem iure potiretur in Galliis, quo Præfectus prætorio Galliarum in iiſdem fruebatur, cuius erat ſeptem prouinciarum conuentum cogere, & totius Galliæ publicis vtilitatibus conſulere. Hæc mens Patrocli Arelatenſis; hæc Rauennij ipſius ſucceſſoris; hæc Epiſcoporum Metropolis Arelatenſis epiſtola ad Leonem, vt tum ex prædictis, tum ex mox dicendis innoteſcet.

Ad iſta priuilegia obtinenda cùm ſciret Patroclus ſibi ſummi Pontificis auctoritatem eſſe neceſſariam, ad Zoſimum Innocentij primi ſucceſſorem recurrit, virum quidem ſanctum, ſed (quòd bonarum ſæpè mentium vitium eſt) cui à præſentibus ſæpiùs obreptum vidimus, verbi gratiâ à Celeſtio & Pelagio, qui dolosè apud eum ſe Catholicos eſſe mentiti ſunt, viróſque ſanctiſſimos Lazarum & Herotem Arelatenſem tanquam calumniatores infamarunt: vt patet ex epiſtolis Zoſimi *ad Aurelium Carthaginenſem, & Epiſcopos Africanos*, Auguſtini teſtimoniis libro *de peccato originali*, cap. 6. 7. & 8. *contra epiſtolam Pelagij*, lib. 2. cap. 3. Proſperi *aduerſus Collatorem, & in Chronico*. Cui & obreptum legimus ab Apiario Preſbytero Africano, qui cũ ab Africanis Epiſcopis damnatus fuiſſet, Romam veniens Zoſimo impoſuit, ab eóque impetrauit reſtitutionis mandatum, vt ex epiſtolis ea de causâ ab Africanis datis *ad Bonifacium*; deinde *ad Celeſtinum*, innoteſcit in Conciliorum Carthaginenſium collectione Can. 101. & 105. Zoſimus autem Imperatoris non aſſenſu ſolùm, ſed voluntate inductus, atque antiqui moris à Trophimo Arelatenſi deriuati falſis allegationibus perſuaſus (quippe cùm, vt ſuprà vidimus, mos iſte in fauorem Arelatenſis non continuus, ſed interpolatus, non omnia priuilegia quæ prætendebat Arelatenſis, ſed quædam duntaxat temporum neceſſitate, diuerſis occaſionibus conceſſa complectebatur) ius Metropoliticum Arelatenſis Eccleſiæ ad quinque prouincias extendit, Exarchicum in vniuerſas Gallias: eâ tamen, ni fallor, conditione, quam Synodus Arelatenſis ſecunda expreſſiſſe mihi videtur, vt à ſeptem prouinciis conuentus haberetur, in quo maiores omnes cauſæ ex tota Gallia diſceptarentur. Sed de Metropolitico iure ei conceſſo diſputauimus, de Exarchico iam agamus.

§. XLVI.

De priuilegio Patroclo Arelatenſi conceſſo, vt Epiſcopis longiùs abeuntibus literas daret, ſine quibus proficiſci eis non liceret.

PRIMVM, quod à Concilio Carthaginenſi tertio Can. 28. Primatibus Africanarum prouinciarum conceſſum fuerat, vt *Epiſcopi trans mare non proficiſcerentur, niſi conſulto primæ Sedis Epiſcopo ſuæ cuiuſque prouinciæ, vt ab eo præcipuè ſumere poſſent formatam.* Hoc Arelatenſi Primati à Zoſimo epiſtolâ primâ indultum eſt, vt *ſi quis ex qualibet Galliarum parte ſub quolibet Eccleſiaſtico gradu ad ſummum Pontificem Romam venire contenderet, vel alio terrarum ire diſponeret, non aliter proficiſceretur, niſi Metropolitani Arelatenſis Epiſcopi formatas acceperit, quibus ſacerdotium ſuum, vel locum Eccleſiaſticum quem habet, ſcriptorum eius ad-*

ſtipulatione perdoceat, &c. epiſtolâ quintâ *ad vniuerſos Epiſcopos per Gallias & ſeptem prouincias.*

Hoc à Zoſimo cautum fuiſſe à Nouatoribus reprehendi non poteſt: quandoquidem vtilitas eius maxima fuerit, ne βαλαντίωσι Epiſcopi, vt loquitur Syneſius *ad Theophilum Alexandrinum*, in Eccleſiæ præiudicium admitterentur, quales iſto tempore fuiſſe, vel iſtud Syneſij teſtimonium, qui paulò ante Zoſimum floruit, oſtendere poteſt.

Videtur tamen hoc priuilegium perſonale fuiſſe, non locale; Patroclo, non Eccleſiæ Arelatenſi adhæſiſſe: vt verba iſta quæ paulò pòſt addit Zoſimus, videntur indicare, *hoc autem priuilegium formatarum ſancto Patroclo fratri, & Coepiſcopo noſtro meritorum eius ſpeciali contemplatione conceſſimus.* Quæ verba id maximè oſtendunt, ſi cum cæteris quæ Eccleſiæ Arelatenſi, & quibuſlibet Arelatenſibus Epiſcopis priuilegia concedit, expendantur: de his enim aliter quàm de iſto priuilegio loquitur, vt ſcilicet non perſonæ, ſed Eccleſiæ Arelatenſi conceſſa intelligantur.

§. XLVII.

Alia duo Eccleſiæ Arelatenſi à Zoſimo conceſſa.

DVo ergo Eccleſiæ Arelatenſi concedit Zoſimus, quæ ad Exarchiam iſtius ciuitatis Antiſtitis ſtabiliendam plurimùm valuerunt: primùm, vt eam Eccleſiam etiam extra ſuas parochias retineat, quam antiquitùs poſſederit: quæ quidem conſtitutio æqua videri potuit, vt pote quæ nullum nouum ius tribuat, ſed antiquum ſeruet; ambitioni tamen & vſurpationi anſam præbere potuit, vt Arelatenſis Metropolita aliquas ſibi parochias de nouo vſurpatas ficto poſſeſſionis antiquæ titulo prætenderet. Alterum, in quo Primatus ſeu Vicariorum Sedis Apoſtolicæ poteſtas præſertim conſiſtit, vt quemadmodum exemplo Theſſalonicenſis, Corinthij, & Iuſtinianæ primæ docuimus ſuprà, concedit Zoſimus, vt maiores cauſæ quæ in prouinciis terminari non poſſent ad notitiam Arelatenſis referrentur, eáſque ipſe dirimeret, niſi tanti momenti forent, vt ad Apoſtolicam Sedem referri deberent.

Vtrumque complectitur Zoſimus in fine prædictæ epiſtolæ, his verbis: *Sanè quoniam Metropolitanæ vrbi vetus priuilegium minimè derogandum eſt, ad quam primùm ex hac ſede Trophimus ſummus Antiſtes, ex cuius fonte totæ Galliæ fidei riuulos acceperunt, directus eſt; idcircò quaſcunque parochias in quibuſlibet territoriis, etiam extra parochias ſuas, vt antiquitùs habuit, intemerata auctoritate poſſideat. Ad cuius notitiam, ſi quid illic negotiorum emerſerit, referri cenſuimus, niſi magnitudo cauſæ etiam noſtrum requirat examen.*

Duo hîc præſertim ſuggillant Nouatores noſtri; Zoſimi ambitionem per fas & nefas primatum affectantis; & eiuſdem imprudentiam, Arelatenſis Eccleſiæ nouæ dignitati erigendæ antiquum, ſed caducum fundamentum ſubſtruentis; Trophimi ab Apoſtolica Sede miſſi prędicationem in Gallias. Prima criminatio commentitiæ culpæ malitioſa obiectio eſt: non enim Zoſimus ſe ingeſſiſſe reperietur, vt dominationem oſtentaret: ſed rogatus à Patroclo, commendatione Imperatoris, Conſtantio Conſule adnitente, Eccleſiæ Arelatenſi prærogatiuam contuliſſe refertur: ac proinde conceſſio iſta non affectatæ à Zoſimo poteſtatis, ſed agnitæ ab Imperatore, & à Gallis Pontificis Romani auctoritatis certum argumentum eſt.

Quòd Trophimum Arelatenſem allegarit Zoſimus, illiúſque dignitatis ſpecioſo titulo priuilegium Arelatenſi Eccleſiæ conceſſum exornauerit, pietatis eius teſtimonium eſt, & prudentiæ in conceſſione gratiarum, Apoſtolicarum Eccleſiarum rationem habentis; non quòd Apoſtolicas omnes Eccleſias primariâ poteſtate decorandas cenſuerit, ſed quòd eam quæ Apoſtolica non eſſet, aliis Apoſtolicis prępferre iniquum exiſtimauerit. Ac proinde cùm ageretur de primatu Eccleſiæ Arelat. confirmando ſupra varias Eccleſias Apoſtolicas, Narbonam, quæ Sergium Paulum,

Viennam, quæ Creſcentem Apoſtolorum diſcipulos; Maſſiliam, quæ Lazarum, aquas Sextias, quæ Maximinum Chriſti diſcipulos habuere; & cæteras quæ varios Apoſtolorum diſcipulos pro auctoribus ſuis habuiſſe gloriantur; Trophimi quoque primi Epiſcopi Arelatenſis mentionem facit, qui & ipſe Pauli diſcipulus fuit, cuius mentio Actorum 20. & 21. & 2. Corinthiorum cap. 4. quem Arelate Chriſti fidem prædicaſſe teſtantur Martyrologium Romanum, Bedæ, Adonis, cuius etiam mentionem faciunt Ado in Chronico, Dorotheus in Synopſi, & alij complures; eúmque fortè plus cæteris laboraſſe in Galliis, & ad interiores Gallias alios miſiſſe probabile eſt, cùm è contrà Sergius Paulus in Hiſpaniis Euangelium diſſeminaſſe à nobis anteà dictus ſit, Creſcens in Galatiam rediiſſe à Romano Martyrologio referatur; alij vel morte aſſumpti fuerint, vel Spartæ quam nacti fuerant adornandæ duntaxat incubuerint. Ob idque ſingularem quandam prærogatiuam Eccleſiam Arelat. potiùs quàm aliam Eccleſiam decere prudenter Zoſimus exiſtimare potuit. Huiuſmodi ſiquidem Eccleſias tanquam *matrices & originales fidei* præſertim honorandas, atque conſulendas cenſet, cæteráſque tanquam *ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum* ipſis poſtponit Tertullianus cap. 20. 21. & 22. quamuis vnam omnes Eccleſiam efficiant.

Patebit autem ex cæteris in eadem materia epiſtolis Zoſimi, 7. præſertim & 8. crediſiſſe Zoſimum antiquam ſe conſuetudinem ſequi, nec in aliquo à more vſitato, in Metropolitico præſertim iure Arelatenſis Eccleſiæ ſtatuendo deflexiſſe.

§. XLVIII.

Confirmatum ſubinde Arelatenſis Eccleſiæ Primatum à variis Pontificibus.

ATQVE adeò intentioni Zoſimi, licèt non decreto conſentiunt ſequentes Pontifices, dum ſubtiliùs indagatâ veritate Metropoliticum ius Arelatenſis Eccleſiæ reſtringunt, & ad certam prouinciam determinant. Neque aut Bonifacius, aut Celeſtinus, aut Leo Exarchicæ poteſtati Arelatenſis Metropolitani à Zoſimo conceſſæ præiudicarunt, ſed ſolum Zoſimi decretum corrigunt, quòd ex ignorantiâ facti prodierat circa limites Metropolis Arelatenſis vltra morem antiquum proferendis: at circa Exarchicum Arelatenſis Eccleſiæ priuilegium nihil mutarunt.

Hinc Maximum Valentinæ ciuitatis Epiſcopum, qui varia crimina *teſte totâ prouinciâ* perpetraſſe aſſerebatur, *ac prouinciali delegatâ cognitione* iudicium euitaſſe, Bonifacius ad prouinciam venire compellendum epiſt. 2. decreuit: nec tamen ſolius prouinciæ decreto iudicari voluiſſe videtur, ſed maximè à Patroclo Arelatenſi, quem primum in epiſtola Synodica nominat, & ab aliis Gallis Epiſcopis ab ipſo conuocatis, ac deinde Romam referri voluit quid iudicatum ab iis eſſet, vt finis epiſtolæ arguit: *Quidquid autem veſtra charitas de hac cauſa dixerit decernendum, cùm ad nos relatum fuerit, noſtro vt condecet, neceſſe eſt auctoritate firmetur*, quia maiores cauſæ nonniſi à ſumma Sede vltimo & peremptorio iudici, poterant terminari.

Hinc Theodoſius iunior & Valentinianus III. Auguſti reſcripto, *ad Armaſium Præfectum prætorio Galliarum*, quod habetur lege quadrageſimâ-ſeptimâ Cod. Theodoſiani *de Epiſcopis, Eccleſ. & Cler.* priuilegia Eccleſiarum, & Clericorum immunitates reſtituere volentes, quas Epiſcopali audientiæ reſeruari, non temporalium poteſtatum arbitrio ſubdi decernunt, Epiſcoporum cauſas, ad Patrocli Arelatenſis tanquam Primatis cognitionem referunt, anno 425. mortuo iam Zoſimo, his verbis, *Diuerſos verò Epiſcopos nefarium Pelagiani & Celeſtini dogmatis errorem ſequentes per Patroclum ſacroſanctæ legis Antiſtitem præcipimus conueniri; quos quia confidimus emendari, niſi intra viginti dies ex conuentionis tempore, intra quos deliberandi tribuimus facultatem, errata correxerint, ſeſeque Catholicæ fidei reddiderint, Gallicanis regionibus expelli, atque in eorum loco ſacerdotium fidelius ſubrogari.*

Hinc Celeſtinus epiſtolâ *ad diuerſos Epiſcopos per Viennenſem, & Narbonenſem prouinciam conſtitutos*, capite tertio, ad inquirendum in quendam Danielem no-

mine, qui ex Orientalibus partibus turpi fugâ damnationi ſubductus, in Galliis Epiſcopus factus dicebatur, Arelatenſi ſe Epiſcopo reſcripſiſſe teſtatur. *Miſſa*, inquit, *ad Arelatenſem Epiſcopum per Fortunatum Subdiaconum noſtrum, vt ad iudicium Epiſcopale deſtinaretur, epiſtola*; colligis enim Arelatenſis Epiſcopi fuiſſe deſtinationem ad Epiſcopale iudicium procurare.

§. XLIX.

De primatu Hilarij Arelatenſis in Galliis plura.

HINC ab Hilario Arelatenſi, qui Patroclo ſucceſſit, Concilium Regenſe anno Chriſti 439. Xiſti Papæ octauo, Arauſicanum primum anno Chriſti 441. Leonis Papæ ſecundo, ex variis prouinciis ab Epiſcopo Arelatenſi Hilario habita ſunt Concilia.

Hinc eundem Hilarium Arelat. tanquam Primatem varios excurſus in Gallias feciſſe, corrigentem quæ emendanda videbantur, & Concilia conuocantem aduerſus Epiſcopos ad ſe delatos, refert auctor eidem coætaneus, qui creditur eſſe Honoratus Maſſilienſis, quem Gennadius item Maſſilienſis *de viris illuſtribus*, cap. 99. vitam Hilarij conſcripſiſſe teſtatur. Ex hac autem vita qualis habetur in Chronologia Sanctorum Lirinenſium, hæc præſenti inſtituto conſentanea excerpuntur, quæ correctiora proferuntur à Sirmundo, tomo 1. Conciliorum Galliæ, ſed in quibuſdam locis contractiora, *In excurſibus autem quis vt dignum eſt explicabit, quantum eius præſentia profectum contulerit ciuitatibus Gallicanis? ſanctum Germanum ſæpiùs expectando, cum quo ſacerdotum miniſtrorúmque vitam, necnon profectus, exceſſúſque tractabat.*

Legis Gallicanas prouincias à ſancto Hilario Arelatenſi perluſtratas; in eâque viſitatione Cenſoriam virgulam in quoſlibet è Clero ab eodem adhibitam fuiſſe; tantùm ſcilicet ſuæ Sedis auctoritatem efferebat, vt cùm in Occidente Primates ad audiendas cauſas ad ſe delatas, quæ in prouinciis terminari non potuerint, maioréſque ad Sedem Apoſtolicam referendas, non ad perluſtrandas prouincias, neque ad cognoſcendas primo iudicio cauſas inſtituti eſſent, Hilarius auctoritate Exarchicâ ſubnixus, bono quidem zelo, ſed non ad legum Eccleſiaſticarum regulam temperato per prouincias diſcurreret, Cenſorem vbique in Galliis ageret, & primo etiam iudicio cauſas ad ſe ſacerdotum diſcutiendas traheret.

Quod de Germano Hilarij in iis excurſionibus adiutore ſcribitur, conſentit cum eo, quod Conſtantius Presbyter Lugdunenſis (cui libros ſuos Sidonius Apollinaris dedicat) *vitæ ſancti Germani Antiſſiodorenſis*, Epiſcopo Patienti Lugdunenſi oblatæ lib. 1. cap. 43. ſcribit, Arelatenſem eum ciuitatem profectum, & ab Hilario honorificè ſuſceptum: quem ſubinde cap. 35, *multa peragraſſe* enarrat. Scilicet credibile eſt pro Eccleſiaſticis negotiis ad Hilarium Arelatem vſque, in qua vrbe Præfectum prætorio Auxiliarem nomine cap. 34. narrat reſediſſe, profectum fuiſſe, & eidem poſteà in peragendis prouinciis adiutorem.

Quæ omnia Arelatenſis Epiſcopi Primatum in Galliis agnitum iſto tempore, ac lubenter ſuſceptum fuiſſe demonſtrant. Narrat ſubinde idem Auctor vitæ ſancti Hilarij Arelatenſis latam aduerſus Chelidonium Veſontionum in prouincia Maxima Sequanorum ab eodem Hilario ſententiam, quæ indignationis ſancti Leonis aduerſus Hilarium Arelatenſem cauſa fuit, *Vbi*, inquit, *eius Hilarij aduentus innotuit, flammata ad vtroſque* (Hilarium & Germanum) *nobilium & mediocrium ſtudia conuolarunt, adſtruentes Chelidonium interruptam ſuo adhibuiſſe conſortio, quòd Apoſtolicæ Sedis auctoritas, & Canonum ſtatuta prohibent; ſimul ingerentes ſæculi adminiſtratione perfunctum capitali aliquos condemnaſſe ſententia: tantæ rei nouitate permoti teſtes imperant præparari. Conueniunt ex aliis locis probatiſſimi Sacerdotes, res omni ratione prudentiaque diſcutitur, accuſatio teſtimoniis confirmatur, adhibetur vera, ſimpléxque definitio, vt quem Scripturarum regulæ remouebant, voluntate propriâ ſe remouere deberet. Ille vrbem credidit expetendam, ibique ſe iniuſte ri-*

Digitized by Google

gore adſtruit condemnatum. Quòd vbi comperit vir beatus, pedibus iter aggrediens, Romam ſine equo, ſine ſaginario feſtinus intrauit, Apoſtolorum Martyrumque occurſu peracto, beato Leoni Papæ illicò ſe præſentat, cum reuerentia impendens obſequium, & cum humilitate depoſcens, vt Eccleſiarum ſtatum more ſolito ordinaret, adſtruens aliquos apud Galliam meritò excepiſſe ſententiam., & in vrbe ſacris altaribus intereſſe. Rogat atque conſtringit, vt ſi ſuggeſtionem ſuam libenter excepit, ſecretò iubeat emendari: ſe ad officia non ad cauſam veniſſe proteſtandi ordine, non accuſandi, quæ ſunt acta ſuggerere: porrò autem ſi aliud velit non futurum eſſe moleſtum. Paulò pòſt verò ſubdit, *Quòd in diſcrimine vitæ poſitus, communioni eius, quem cum tantis viris damnauerat, coniungi nullatenus acquieuerit; quòd cuſtodibus appoſitis hyemis rigore ſæuiente, quos ratione non flexerat, crediderit relinquendos in ciuitatis receſſu, licèt corporali infirmitate fractus.* Hanc eius contumaciam, vt par erat, grauiter tulit ſanctus Leo, & aduerſus ſanctum Hilarium exacerbatus, ipſum ob plura capita damnauit, quòd fines poteſtatis ſuæ exceſſiſſet: quòd Chelidonium iniuſtè damnaſſet; quòd turpi fugâ ſe iudicio ſubduxiſſet; nec Sedis Apoſtolicæ ſententiam patienter expectaſſet.

Taceo enim quæ de peruaſis Metropolitico iure prouinciis alienis in cauſa Proiecti inſeruit epiſtolâ octuageſimâ-nonâ *ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis*; quæ iſta omnia capita complectitur, & quidem in præfatione hæc habet, quæ exceſſum poteſtatis in Hilario carpunt, *Hilarius Eccleſiarum ſtatum & concordiam ſacerdotum nouis præſumptionibus turbaturus exceſſit, ita ſuæ vos cupiens ſubdere poteſtati, vt ſe beato Petro Apoſtolo non patiatur eſſe ſubiectum,* (hæc obiter aduerſus ipſius contumaciam torquet) *ordinationes ſibi, omnium per Gallias Eccleſiarum vendicans, & debitam Metropolitanis ſacerdotibus in ſuum ius transferens dignitatem.* Optimè ſanè, ſi enim Primatibus liceret, & prouincias perluſtrare, & ordinationes Epiſcoporum in ſingulis prouinciis peragere, & primo iudicio cauſas emergentes diſceptare, atque dirimere, quid demùm Metropolitanis in ſua prouincia agendum ſupereſſet? ſic vices ſuas ſummi Pontifices quibuſdam nonnumquam Epiſcopis commiſerunt, vt Metropolitanorum iura integra, ſarta tecta ſeruari voluerint: atque adeò ſi grauiter excurſus iſtos in prouincias aliis Metropolitanis ſubditas, & ordinationes in iis factas, ac cauſas diſcuſſas tulit ſanctus Leo, non faſtus aut ſuperbiæ exinde accuſandus eſt, qui alienæ inuiderit poteſtati, ſed æquitatis & moderationis, qui non paſſus fuerit ſuæ Sedis Vicarios in Metropolitanorum iudicium ſua iura extendere, ſed tantùm vt ſupra Metropolitanos illi tanquam vigiles & cuſtodes viuere permitterentur, neque tamen Metropolitanis Epiſcopi, neque Epiſcopis Presbyteri, & inferioris ordinis Clerici ſubducerentur.

Iſtorum hominum obiectionem præueniens ſanctus Leo prædictâ epiſtolâ, prope finem, *Certi ſitis*, inquit, *non tam noſtro quàm veſtro honori proficere, quod talia ſtatuiſſe cognoſcimur: non enim nobis ordinationes veſtrarum prouinciarum defendimus (quod poteſt forſitan ad deprauandos veſtræ ſanctitatis animos Hilarius pro ſuo more mentiri) ſed vobis per noſtram ſollicitudinem vindicamus, ne quid vlteriùs liceat nouitati, nec præſumptioni locus vltrà pateat priuilegia veſtra caſſandi.*

Quid ergo Nouatores hæc ſiniſtrè interpretantur, æquiori titulo ſuperbiæ & tyrannidi Romani Pontificis deputaturi, ſi Hilario Metropolitarum iura inuadenti ſanctus Leo conſenſiſſet? nam & grauiter ferunt Epiſcoporum ſententias temporalis poteſtatis aduocato ſubſidio duriùs executioni demandari; nec patienter ferunt eumdem Leonem cap. 3. eiuſdem epiſtolæ Hilario ſuccenſere, *quòd militaris manus per prouincias ſequeretur ſacerdotem, & armati præſidis præſumptione ſuffulto, ad inuadendas per tumultum famulari Eccleſias, quæ proprios amiſerint Sacerdotes.* Electiones à Clero & plebe vrgent peragendas: cur ergo aduerſus Leonem indignantur, qui eodem Canone turbatas ab Hilario electiones Clero plebique reſtitui, ſicut & ordinationes Metropolitanis iuſto decreto conſtituit? Quantò æquiùs boni ac temperati viri, vel de iis, *vel tantorum virorum præſertim iam ad ſupernam gratiam vocatorum, nec in narratione audent iudicia ventilare*, quod viſum eſt Scriptori vitæ ſancti Hilarij Arelatenſis; vel vtriuſque conſilia ita interpretan-

tur, vt quod bono animo & aduerſus vitia auſtero atque inflexo fecerit Hilarius, prætermiſſis Canonibus, Leo eorumdem vindex & aſſertor Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cùm ab illis inordinatis iudiciis in poſterum Eccleſiæ malo exemplo futuris ruinæ plus timeri, quàm præſenti vitiorum vltione vtilitatis accedere præſentiret, in Hilarium ſapienter vindicarit.

Quin etiam ex iis diſces quàm diuerſa Primatum ac Metropolitanorum fuerit auctoritas; Ordinationes Epiſcoporum Primatibus renuntiari, non ab iis perfici, per appellationem à Metropolitanis ad Primates accedi, ſed primo iudicio Epiſcoporum cauſas à Metropolitanis debere iudicari; quod & præſenti epiſtolâ Leo indicat, & fuſiùs epiſt. *ad Anaſtaſium Theſſalon.* exponit. Chelidonium etiam iniuſtè damnatum Can. 1. cauſatur S. Leo, & Hilarij contumaciam arguit iis verbis, *Quæ igitur apud nos in cauſa Chelidonij Epiſcopi geſta confecta ſunt, & quæ Hilarius dixerit, dum eodem præſente ſupradicto Epiſcopo audiretur, inditus chartis rerum ordo demonſtrat, vbi poſtquam Hilarius rationabile, quod in ſanctorum concilio ſacerdotum reſpondere poſſet, non habuit, ad ea ſe occulta cordis ipſius tranſtulerunt, quæ nullus laicorum dicere, nullus ſacerdotum poſſet audire. Doluimus fateor, fratres, & hunc mentis eius tumorem medelis patientiæ noſtræ, curare tentauimus. Nolebamus enim ea illi exacerbare vulnera, quæ ſuæ animæ inſolentibus ſubinde ſermonibus inferebat, & quem ſuſceperamus vt fratrem, delinire magis, quamuis ipſe ſuis reſponſionibus innodaret, quàm contriſtare noſtris interlocutionibus nitebamur. Abſolutus Chelidonius Epiſcopus, quoniam ſe iniuſtè ſacerdotio fuiſſe deiectum monſeſtà teſtium reſponſione ipſo etiam præſente monſtrauerat: itavt quod Hilarius nobiſcum reſidens poſſet opponere, non haberet. Quod nos quidem ſeruantes legalia conſtituta ſollicitiùs volumus cuſtodiri, non ſolùm circa ſacerdotes, ſed circa Clericos quoque minoris officij, ne ad ſacràm militiam hi permittantur accedere, quibus ſit tale coniugium, vt contra Apoſtolicam diſciplinam non vnius tantùm vxoris viri fuiſſe monſtrentur; ſed ſicut eos, quos factum ſuum non poteſt excuſare, aut non admittendos, aut ſi admiſſi fuerint decernimus remouendos; ita quibus hoc falſo obiicitur, habitâ neceſſe eſt examinatione purgemus, & ſuum officium perdere non ſinamus: Manſiſſet namque in illum prolata ſententia, ſi obiectorum veritas extitiſſet. Redditus itaque eſt Eccleſiæ ſuæ, & huic, quam amittere non debuit dignitati, Coepiſcopus noſter Chelidonius, ſicut geſtorum ſeries, & poſt decurſam cognitionem ſententia, quæ à nobis eſt prolata, teſtatur.*

§. L.

De ſententia ſancti Leonis aduerſus ſanctum Hilarium Arelatenſem.

CVM nihil ſit in tota narratione ſancti Leonis, nihil in narratione Scriptoris vitæ ſancti Hilarij, quòd non poteſtatem Pontificis Romani, & ab Hilario, & à Chelidonio, & à Gallis omnibus agnitam oſtendat; repugnantiam iſtorum Scriptorum aduerſarij oſtentant; Chelidonium rectè damnatum ab Hilario, malè abſolutum à Leone clamitant: Hilarij contumaciam, denegationem Primatus Romani Pont. interpretantur. Vtrumque malè, nam & Hilarij ſanctitati, quam viri graues teſtantur, cui & ipſe Leo teſtimonium perhibuit, dum epiſt. 106. Epiſcopis prouinciæ Viennenſis de electione Rauennij gratulatus, *ſanctæ memoriæ virum Hilarium* appellat, opponimus ſanctitatem Leonis toto orbe venerabilis, & ſanctitatem Chelidonij, quem Eccleſia Bizuntina inter cælites relatum colit: nec inſolitum putamus, quòd inter ſanctos & iudiciorum diuerſitas, & animorum etiam diſſenſio aliquando reperiatur, quæ charitatem non lædat; vel ſi charitatem lædat, quæ diutiùs minimè perſeueret: nam verbi gratiâ, quos Theophilus damnarat, Ammonium Epiſcopum, Euſebium, & Euthymium vulgò dictos fratres longos, quorum damnationi aſſenſus videtur Epiphanius, eoſdem Chryſoſtomus malè damnatos cenſuit, & apud ſe recepit, vt fusè recitat Sozomenus lib. 8. c. 12. & tribus ſeqq. In aliis quoq; non minoris momenti differunt, vt etiam duo priores Chryſoſtomum in exilium eiici procuratint; & tamen ij omnes ſancti viri, & magnæ in Eccleſia auctoritatis. Nihil ergo præiudicat Hilarij &

Digitized by Google

Leonis ſanctitati, quòd circa cauſam Chelidonij diuerſa ſenſerint, maximè cùm hæc cauſa à teſtium fide & relatione dependeret, fierique potuerit, vt ex incerto rumore certa de Chelidonio depoſitione digna Hilario & Gallicanis cum eo Epiſcopis congregatis nuntiarent populi, quorum odio vel imperu miteſcente, incerta teſtimonia certioribus coram Leone teſtimoniis ſuccubuerint.

Rem ita factam conijcit Chiffletius parte 2. *ciuitatis Veſontij*, *in Chelidonio*, cuius coniectatio probabilitate non caret. Nimirùm ex lectionibus in Eccleſia Biſuntina recitari ſolitis, refert brachium ſancti Stephani à Theodoſio iuniore Veſontium ſeu Chryſopolim miſſum fuiſſe: ex eo verò cùm fruſta aliqua decerpere vellet Chelidonius (quem Celidonium vocat) quæ Epiſcopis diuinâ reuelatione ad iſtam tranſlationem vocatis diſtribuerit, fluxiſſe ex eo ſanguinem recentiſſimum, vt quantus ex corpore viuo manare ſolet, qui Epiſcopis præſentibus diſtributus fuerit.

Conijcit autem Chiffletius populum rem adeò inſolentem vindictam diuinam interpretatum fuiſſe, ratum Epiſcopum ſuum occulto aliquo ſcelere teneri, ob quod ſanguis ex brachio S. Stephani, dum ab eo tractaretur, tantâ copiâ diffluxerit, eúmque ad Hilarium Arelatenſem in iis partibus tunc temporis verſantem, bigamiæ & vſurpati iudicij in cauſa ſanguinis magis tumultu quodam, quàm certa rei cognitione detuliſſe. Nam & Scriptor vitæ ſancti Hilarij, licèt eidem valdè faueat, tamen Chelidonium coitione quadam inflammatæ multitudinis accuſatum fuiſſe innuit: & quidem quòd reus de iis accuſatus ſit, quibus populus commoueri non ſolet, putà de bigamia & conſultatione in cauſa ſanguinis, vt ſuperſtitione quadam concitatos populorum animos aduerſus Archipræſulem ſuum tanto ardore conſpiraſſe neceſſum ſit, cùm nulla tam vehementis impetus cauſa referri poſſit. Relegantur verba ſuperiùs allata quæ accuſationis vehementiam Chelidonio intentatæ, & animorum in populis concitationem exprimunt, *Flammata ad vtroſque nobilium & mediocrium ſtudia conuolarunt, aſtruentes Chelidonium internuptam ſuo adhibuiſſe conſortio*, &c.

Certè apud prudentes rerum æſtimatores teſtimonia inflammatæ plebis, quibus iudicium ab Hilario & Epiſcopis Gallicanis latum innixum fuit, plus odij vel ſuperſtitionis habere videbuntur, quàm veritatis continere, qui ardor vbi efferbuit, & ſinceriora coram ſancto Leone fuiſſe teſtimonia, & rei veritatem clariùs effulſiſſe quis non credat? maximè cùm detectam innocentiam Chelidonij ante eius obitum fuiſſe oporteat, vt à populis Bizuntinis tanquam vnus ex cælitibus poſt mortem coli meruerit: quis enim ſibi perſuadeat eum pro cælite habitum fuiſſe, qui illegitimè ordinatus, per fraudes & mendacia reſtitutus in dignitate malè parta, malè conſeruata ad obitum vſque perſeueraſſe creditus fuerit?

E contrà verò Hilarium virum ſanctum falli potuiſſe humanum eſt: eumdem obſtinatiùs à ſe latam ſententiam defendiſſe credibile eſt, quòd eam populorum tam vnanimis conſenſio extorſiſſet; quòd prodigia diuina ipſi fauiſſe viderentur, quòd eidem tot viros ſanctos ſubſcripſiſſe ſciret: & hoc certè erratum humanum eſt. Sed diuini viri modeſtiam hæc commendant, quod totum ſe, vt loquitur vitæ ipſius Scriptor, ad placandum tunc animum ſancti Leonis, *inclinatâ humilitate conuerterit*, *miſſo primitùs ſancto Rauennio tunc Presbytero*, *poſtmodum proprio ſucceſſore*, *deinde ſancto Nectario ſanctóque Conſtantio præcipuis ſacerdotibus miſſis*. Deinde quòd à ſancto Leone Exarchicâ & Metropoliticâ dignitate mulctatus, vir eloquens, magnæque apud omnes exiſtimationis, ne hiſcere quidem auſus fuerit, & ſilentio ſi quam habuerit indignationem concoxerit.

Eum ergo qui pertinaciùs agere potuiſſet aduerſus Leonem, ſicut Cyprianus egit aduerſus Stephanum, & tamen modeſto ac quieto ſilentio acquieuerit, inter ſanctos etiam à Romanis relatum fuiſſe, ſicut & Cyprianum, non videtur abſurdum, quia ſicut Cyprianus, teſte S. Auguſtino epiſt. 48. *ad Viuantium Donatiſtam*, *ſi quid in illo emendandum fuit*, *purgauit falce paſſionis*. Ita Hilarius ſi quid pertinaciùs aduerſus Leonem egit, iacturæ dignitatis humiliter ac conſtanter toleratæ verecundiâ, & charitatis ad vſque vitæ finem pro Dei honore exæſtuantis igne expiauit.

Digitized by Google

Neque tamen Hilarius Primatum ſummi Pontificis denegaſſe viſus eſt, qui in facto, in quo credidit Leonem ſummum Pontificem decipi, contumacior, primæ Sedis reuerentiam nunquam exuit, nec ſummi Pontificis auctoritatem negauit, quem præſens adiit, vt apud eum ſe purgaret, à quo etiam cum humilitate popoſciſſe inquit vitæ ipſius Scriptor, *vt Eccleſiarum ſtatum more ſolito ordinaret:* rogaſſe vt ſi ſuggeſtionem Chelidonij libenter exciperet, *ſecretò iuberet emendari*, ſignificaſſe ſe ad officia non ad cauſam veniſſe, proteſtandi ordine non accuſandi *quæ ſunt acta ſuggerere: porro autem ſi aliud velit, ſe non futurum eſſe moleſtum.*

Non ſunt hæc verba hominis primatum ſummi Pontificis inficiantis, ſed rei à ſe iudicatæ inuidiam declinare volentis: quem enim *Eccleſiarum ſtatum ordinare*; quem poſſe iubere quòd malè geſta emendarentur; cui licere ſuggeſtionem, ſeu prouocationem aduerſus latam ſententiam excipere, vel refutare; quem denique fatetur acta ac iudicata reſcindere, nónne Primatem agnoſcit? in quo ergo peccauit Hilarius, vt tam acrem à Leone reprehenſionem meruerit, *vt beatiſſimi Petri reuerentiam verbis arrogantioribus minuere* culpetur; *cui quiſquis Principatum æſtimat denegandum, illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem?* &c. Ex eo certè quòd *communioni eius quem cum tantis viris damnauerat, coniungi nullatenus acquieuiſſet*. Hæc ſunt verba arrogantiora, quibus ſancti Petri viſus eſt Leoni minuere dignitatem, ac ſi non illius ſedes communionis Eccleſiaſticæ centrum eſſet, non illa Eccleſia vnde *vnitas ſacerdotalis* exoritur.

Mens tamen ſancti Hilarij hæc proferentis non ea fuit, vt hanc Romanæ Petri Sedis dignitatem negaret, ſed quòd Leonem deceptum in facto fuiſſe crederet, atque adeò nollet Chelidonio, quem illegitimè putabat ordinatum, communicare, licet ei, ſed ex errore, vt ſibi perſuadebat, & ex ignorantia in facto, Petri ſedes communicaret. Accedebat & Leoni grauis querimoniæ occaſio aduerſus Hilarium, eius præcipitatus & improuiſus è Romana vrbe diſceſſus, cuius turpitudinem exaggerat Leo prædictæ epiſtolæ Can. 2. *Ille*, inquit, *inſperatus neſcientibus ſuperuenit, & improuiſus abceſſit, curſu, vt didicimus, celeri itinera multa conficiens, & per longinquas prouincias tantâ immaturitate diſcurrens, vt videatur gloriam de ſcurrili velocitate potiùs quàm de ſacerdotali moderatione captaſſe. Hæc enim directarum ad nos ciuium verba ſunt litterarum, antè abſceſſit quàm eum veniſſe noſſemus, non eſt hoc redire, ſed fugere; nec ſalubritatem impendere diligentiæ Paſtoralis, ſed vim inferre latronis & furis.*

Sed hæc parerga quibuſdam videbuntur, quamuis ad eluenda quædam aduerſus ter maximum Pontificem Leonem coniecta conuitia, & ad refutandas friuolas obiectiones, quibus Catholicorum ex iis factis Romani Pontificis ſummam auctoritatem colligentium probationes eleuare conantur Nouatores, non inutilia videantur.

§. LI.

Ex iis quæ de Hilario dicta ſunt, Primatus Arelatenſis Epiſcopi colligitur.

SED ad Arelatenſis Primatus expoſitionem redeo, quam epiſtolis Zoſimi ſuperiùs allatis ſubnixam ad illud faſtigium euexit Hilarius Arelatenſis, vt Metropolitarum abſumens dignitatem tanquam inuidioſa, & Canonibus Eccleſiaſticis contraria Hilario in totum adimenda, ab Arelatenſi Eccleſia omninò tollenda Leoni viſa fuerit. Patet enim ex prędictis Hilarium Arelatenſem, quod proprium eſt Metropolitanorum, nullâ nouâ naſcente hæreſi, aut maiori causâ prouocante, ſed ordinariis neceſſitatibus inuitantibus, viſitandarum prouinciarum Galliæ munus tanquam ordinarium aſſumpſiſſe: patet enim Epiſcoporum cauſas vbi luberet, diſcuſſiſſe, terminaſſe, & alios in eorum locum ordinaſſe, quod Vicarij Sedis Apoſtolicæ minimè efficere audebant, relictâ ex Concilio Sardicenſi liberâ prouocandi ad ſummam Sedem poteſtate; nec appellatione pendente aliquo in locum damnati ordinari permiſſo; quin immò in eiuſmodi cauſis maioribus Sedi Apoſtolicæ quod iudicaſſent referre, non ſententiam præproperè exequi ſolebant, quod ipſum Zoſimus Arelatenſi Epiſcopo, eâ, quæ eius ἐξαρχίαν confirmauerat, epiſtolâ inculcauit verbis illis, quæ ipſam epiſtolam claudunt, ad Are-

Digitized by Google

latenſis Præſulis notitiam, ſi quid in Galliis negotiorum emergeret, referri decernens, *niſi magnitudo cauſæ*, inquiebat ille, *etiam noſtrum requirat examen*: ac proinde conditionibus à Zoſimo adhibitis Hilarium repugnantem reprehendens Leo, non conceſſum à Zoſimo priuilegium euertere, ſed prædeceſſoris ſententiam confirmaſſe cenſendus eſt.

Quin etiam in aliena Diœceſi Presbyteros ordinare auſum Hilarium, cùm Chelidonium è ſua ſede deturbaſset, ex peruetuſto Codice Monaſterij Iurenſis (quod nunc à ſancto Claudio vulgus appellat) in quo ab Anonymo ſanctorum Romani & Lupicini vita fideliter ſcribitur, refert Chiffletius, cuius Auctoris verba, quia inſtituto noſtro valdè conſentanea ſunt, & à nobis iam dicta confirmant, placet attexere, *Audita namque memoratorum* (Romani & Lupicini) *fama ſanctus Hilarius Arelatenſis, miſſis in cauſa Clericis, beatiſsimum Romanum ſibi haud longè à Veſontienſi vrbe fecit occurrere, cuius incitamentum, vitámque digniſsima prædicatione ſuſtollens, impoſito honore Presbyterij ad Monaſterium honorificè repedare permiſit. Siquidem antedictus Hilarius venerabilem Chelidonium ſupradictæ Metropolis Patriarcham Patricio Præfectorióque fultus fauore, indebitam ſibi per Gallias vendicans Monarchiam, à Sede Epiſcopali nulla exiſtente ratione deiecerat. Ob quod in audientia beatiſsimi Papæ Leonis Romæ male geſsiſſe conuictus, reſtituto quoque in Epiſcopatu Celidonio, Apoſtolicà auctoritate ob vſurpationem illicitam regulariter eſt increpatus.* Horum ſanctorum Lupicini & Romani, prçter Adonem & Vſuardum in Martyrologio, mentionem faciunt Gregorius Turonenſis in vitis ſanctorum Patrum capite primo, & Scriptor vitæ ſancti Eugendi apud Surium 1. Ianuarij; & qui Auctores non iſta quidem, ſed conſentientia loquuntur.

Quamuis autem hunc poteſtatis exceſsum reprehenderit ſanctus Leo, nihilominùs, vel hac ipsâ epiſtolâ Arelatenſis Eccleſiæ Exarchiam non improbaſse viſus, ſi intra ſnos ſe limites continuiſset. Primò enim de ſententia lata aduerſus Chelidonium hæc ſcripſit capite illo, *manſiſſet namque in illum prolata ſententia, ſi obiectionum veritas extitiſſet*: quæ verba non videtur ſcripturus, ſi nullam in Arelatenſi Primate anctoritatem iuriſdictionémque in Chelidonium agnouiſset, quia omni modo nulla eſt ſententia, nec omninò manſura, quæ à non habente poteſtatem profertur. Quare ſi Chelidonium Metropolitanum ſuæ ſubditum Exarchiæ ob verum crimen & impedimentum Canonicum ritè probandum Hilarius damnaſset, eins ſe ſententiam confirmaturum teſtatus Leo, ſententiæ ferendæ in Galliæ Metropolitanos in Arelatenſi Præſule auctoritatem agnouit.

Adde non reprehendiſse ſanctum Leonem in Hilario, quòd de Epiſcopis iudicium aſsumeret, ſed quòd indebito more in iudiciis procederet, veritate minùs diſcuſsâ, nec excuſationibus reorum ſufficienter auditis, non ſeruatâ Epiſcopalis audientiæ formâ, ſed militari mann ad imperij executionem accitâ. Quòd prouocationi non detuliſſet, aut ad Apoſtolicam Sedem maiorem cauſam minimè retuliſset, & in locum depoſiti Epiſcopi, non expectato Cleri plebiſque conſenſu, alium ſubſtituiſset, atque ita & Sedi Apoſtolicæ debitum honorem, & Metropolitanis ſna iura præriperet: vno verbo exceſsum poteſtatis damnat, non poteſtatem improbat in dinerſis Galliarum prouinciis Exarchicam. Quin etiam, vt oſtendat ſe eum, vel ſimilem ei qui in Arelatenſi vrbe fieri ſolebat, Epiſcoporum è diuerſis prouinciis conuentum, qui Exarchicam Arelatenſis Metropolitani indicabat dignitatem, nolle interrumpere, ademptam Hilario illius conuocandi, poteſtatem in Leontium Epiſcopum antiquitate venerabilem transfert.

In quo Exarchica iura à Metropolitanis apertè diſtinguit: nam Metropolitica iura quandiu viueret Hilarius ei adempta Viennenſi Epiſcopo conceſsa à Leone fuiſse docet eius epiſtola 109. ad Epiſcopos Metropolis Arelatenſis, vt ſuprà notauimus: Exarchica verò, cuiuſmodi erat priuilegium, Epiſcopos ex aliena prouincia conuocandi, penes Arelatenſis prouinciæ Epiſcopos, ſed non ſine conſenſu ac conſilio Leontij Epiſcopi Foroiulienſis in Narbonenſi ſecunda prouincia, vt ſuperiùs explicuimus; probántque iſta verba S. Leonis epiſt. præſenti 89. cap. 6. prope finem, *Leontium probabilem ſacerdotem, hac, ſi vobis placet, dignitate volumus decorari, vt præter eius conſenſum alterius prouinciæ non indicatur à veſtra ſanctitate Concilium,*

& à vobis omnibus quemadmodum vetuſtas eius, & probitas exigit honoretur, Metropolitanis priuilegij ſui dignitate ſeruatâ.

Hoc quod explicuimus Leonis iudiciũ Theodoſius & Valentinianus Imperatores reſcripto *ad Ætium magiſtrum vtriuſque militiæ, & Patricium*, executioni demandari iuſſerunt; quod aduerſarij carpunt tanquam à Leone dictatum & ſuggeſtum, non ex iſtius temporis fide, aut propriâ Imperatorum ſcientiâ conſcriptum. Scilicet fungi omnes, & ſtipites, quibus Leo imponebat; impudens Leo, qui inauditam ac minimè creditam eo tempore Romanæ Sedis auctoritatem ambiens, Imperatorum nomine prætenſiones ſuas propalare auſus eſt; ſtupidi omnes, aut meticuloſi Galliarum Epiſcopi, qui nouis vſurpationibus non reſtiterunt: formidoloſus ipſe Hilarius, vir intrepidi animi & inflexæ conſtantiæ, ac rigidæ auſteritatis, qui machinationes Leonis in Eccleſiæ perniciem ad ſui excuſationem valituras non detexit; oculatiores noſtri hæretici Epiſcopis totius orbis, quorum iſto tempore plures ſanctiſſimi & doctiſſimi florebant, qui quam malis artibus & conſiliis Romanæ, ſi Deo ita placet, vrbis tyrannidem Leo adſtruere conabatur, ab illius ſæculi Antiſtibus non detectam, ſoli ipſi poſt multum tandem temporis acutiùs perſpexerunt. Apage has futilitates, & nænias.

Repreſſa ergo Hilarij Arelatenſis ambitioſa vſurpatio, ſed non Arelatenſis Eccleſiæ priuilegium ſublatum eſt: neque incerta noſtra diuinatio videbitur, ſi dicamus legationem Germani Antiſſiodorenſis, Hilarij amiciſſimi, & Lupi Tricaſſini in Britanniam aduerſus Pelagianam hæreſim inualeſcentem, quam Conſtantius Preſbyter à Synodo numeroſâ Epiſcoporum Gallicanorum decretam ſcribit lib. 1. cap. 19. Hilarij Arelatenſis conſilio, & Eccleſiæ Arelatenſis Epiſcopos diuerſarum prouinciarum conuocantis auctoritate fuiſſe procuratam; vt ſicut ab Herote Arelatenſi primùm Pelagiana hæreſis damnata in Galliis, & à Patroclo eiuſdem Sedis Epiſcopo iuſſionibus Imperatoriis in eius patronos Epiſcopos inſurgente proſcripta fuit, ita Hilarij conſilio (qui Auguſtini Pelagianæ hæreſeos debellatoris dicitur à quibuſdam diſcipulus fuiſſe, idémque eſſe qui ad eum ſcripſit de variis circa hanc de gratia doctrinam quæſtionibus, & ad quem ac Proſperum ſcripſit Auguſtinus, & admirandos illos libros *de prædeſtinatione ſanctorum, & bono perſeuerantiæ* conſcripſit) in Britannia profligata dicatur; miſſuſque dicatur qui ei coniunctiſſimus fuit Germanus Antiſſidorenſis: ideòque Concilij iſtius Gallicani locus & conuocatio minimè referantur, quòd conſueto more ad Arelatenſem ciuitatem in conuentu Epiſcoporum ſeptem prouinciarum, cui & alij totius Galliæ intereſſe poterant, habitum fuerit.

§. LII.

Probatur eadem Exarchica poteſtas Arelatenſis Præſulis ex epiſtolis ſcriptis ab Epiſcopis Gallis ad Leonem poſt obitum Hilarij, & epiſtolis quibuſdam Leonis.

HANC Conciliorum in Arelatenſi ciuitate celebrationem fieri conſuetam, & Exarchiam in eadem Eccleſia vigere ſolitam, Rauennio in defuncti Hilarij locum ordinato teſtantur Epiſcopi variarum prouinciarum epiſtolâ ad Leonem, quam ſuperiùs examinauimus, *Atque ad hanc*, inquiunt, *ex omnibus ciuitatibus multarum vtilitatum cauſa concurritur, & plane ita ſibi erga priuilegia memoratæ vel Eccleſiæ, vel ciuitatis, diuina, vt credimus, diſpenſatione omnia conſenſerunt, vt ſemper ſicut Eccleſia Arelatenſis intra Gallias primatum in ſacerdotio, antiquitatis merito, ita etiam ciuitas ipſa principatum in ſæculo opportunitatis gratiâ poſſederit. Vnde factum eſt vt non ſolùm prouinciæ Viennenſis ordinationem, ſed etiam trium prouinciarum, contemplatione ſancti Trophimi, ſicut & ſanctorum prædeceſſorum veſtrorum patefactum ſibi teſtatur auctoritas, Arelatenſis Eccleſiæ ſacerdos ad ſollicitudinem ſemper ſuam curámque reuocarit; cui id etiam honoris dignitatiſque collatum eſt, vt non tantùm has prouincias poteſtate propria gubernaret, verùm etiam omnes Gallias ſibi Apoſtolicæ Sedis vice mandata ſub omni Eccleſiaſtica regula contineret.*

Digitized by Google

Ex qua vtique narratione duo diſcimus: primum, non ſolùm Arelatenſem Metropolitanum quinque prouinciarum prædictarum (nam Alpium Penninarum prouinciam duobus tantùm Epiſcopis conſtantem cum Viennenſi, cui attributa eſt, confundunt iſti Antiſtites) hiſce temporibus agnitum fuiſſe, verùm etiam totius Galliæ Primatem.

Alterum, ἐξαρχίαν iſtam (quod rectè notauerat Pater Morinus, atque adeò de iſto, & præcedenti capite malè à Nouatore quodam reprehenſus) Sedis Apoſtolicæ legationem ac vicariam poteſtatem fuiſſe exiſtimatam. Quamuis autem ſanctus Leo epiſt. 105. prædictæ Epiſcoporum ſupplicationi reſpondens, apertè nihil dicat, quo Exarchia Arelatenſis Eccleſiæ adſtrui poſſit, ſed ſolùm controuerſiam inter Viennenſem & Arelatenſem Metropolitanos de finibus vtriuſque prouinciæ dirimat, ratio eſt, quia iam poteſtatem Exarchicam Rauennij videbatur confirmaſſe, epiſt. 90. quâ ſcilicet vt exceſſum eiuſdem poteſtatis caueret, præmonuiſſe viſus eſt, dum ait, *Ametur humilitas, cui ſemper debetur vt creſcat, Eccleſiaſticarum legum non ignara eſt dilectio tua, vt intra earum regulas atque menſuras omnia poteſtatis tuæ iura contineas*, &c. Vnde & priori quadam epiſtolâ videtur officia illius Primatus Rauennio demandaſſe, dum epiſt. 107. Petronianum quemdam vagum, & ſemper erronem, quem certâ Clericorum Eccleſiæ Arelatenſis ſuggeſtione didicerat, per *Gallias* ſe Romanæ Eccleſiæ Diaconum iactitaſſe, & ſub huius honoris obtentu diuerſas eius prouincias Eccleſiæ circuire, ab eo coerceri iubet, vt admonitis Epiſcopis eius mendacium detegat, ac ipſum *ab omnium Eccleſiarum communione expellat*. Idémque poſteà Primatus eiuſdem Eccleſiæ oſtenditur, quòd in epiſtola Synodica Epiſcoporum Galliæ ad Leonem, de eius ad Flauianum epiſtola, Rauennius primus nominetur; quòd in epiſt. 52. eiuſdem Leonis *ad Epiſcopos Galliæ*, aduerſus Eutichetis & Dioſcori hæreſes, primus itidem nominetur, licèt omnium poſtremus videatur conſecratus: quod tamen non fuiſſe in aliqua Leonis epiſtola ſeruatum, quâ exemplar damnationis Dioſcori in Concilio Chalcedonenſi mittit, non mirabitur qui ſequentia leget. At illud Primatus Arelatenſis certius teſtimonium, quòd ſanctus Leo de ſolemnitate Paſchali ad ſolum Rauennium Arelatenſem epiſtolam mittat, huiúſque diei celebritatem per eum cæteris Galliarum Epiſcopis indici velit, *Cuius*, inquit, *notitiam per dilectionem quoque tuam, frater chariſſime, omnibus volumus declarari, vt quorum in fide eſt vna confeſſio, ſit etiam in hac feſtiuitate vna deuotio.*

Certè ſicut fuit Romani Pontificis, quia maiores Diœceſes tenebat, de ſolemnitate Paſchali literas ad omnes dirigere, & ad eum ſancti Paſchæ diei aliorúmque declaratio propter præcellentiſſimam poteſtatem ſpectat, ex epiſtola Synodica & Can. 1. Concilij Arelatenſis primi: ita & indictum à ſummo Pontifice diem Paſchatis aliis ſignificare per prouincias Primatum fuit, vt exemplo Carthaginenſis Primatus ex Hipponenſis Concilij Can. 1. ſuperiùs oſtendimus. Atque ideò vel hoc argumento confirmata à ſancto Leone Arelatenſis Antiſtitis Exarchia apparet, quòd per eum diem Paſchæ ab Apoſtolica Sede indictum omnibus Galliarum Epiſcopis voluerit declarari.

§. LIII.

Probatur Primatus eiuſdem Eccleſiæ ex Synodo Arelatenſi ſecunda.

SED clariùs adhuc poſſeſſionem iſtam Primatus in Arelatenſi Epiſcopo reſidentem probat Canon 18. Synodi II. Arelatenſis, cuius certum tempus ignoratur, ſed videtur Sirmundo in Præſulatum Rauennij Arelatenſis incidiſſe, ab eóque celebrata fuiſſe, Canon autem iſte hæc habet, *Ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium Synodus conuocanda, ad quam vrbem ex omnibus mundi partibus, præcipue Gallicanis ſub ſancti Marini tempore legimus celebratum fuiſſe Concilium atque conuentum: ſi quis commonitus infirmitatis cauſa defuerit, perſonam vice ſua dirigat.* Canon 19. adiungit, *Vt ſi quis autem adeſſe neglexerit, aut cœtum fratrum, antequam Concilium diſſoluatur, crediderit deſerendum, alienatum ſe à fratrum communione cognoſcat: nec eum recipi liceat, niſi in ſequenti Synodo fuerit abſolutus.* Quin etiam Canon vltimus, quanta decretorum iſtiuſmodi Synodi eſſet auctoritas, explicat iis verbis, *Hoc etiã placuit cuſtodiri, vt nihil contra*

magnam

magnam Synodum Metropolitani ſibi æſtiment vindicandum. Licet enim magnæ Synodi nomine Nicænam intellexerit canon ſextus, ex qua certum canonem citabat, tamen quia indefinitè Arelatenſem ſecundam decreuiſſe Nicænæ Synodi decretis obediendum eſſe videretur ridiculum, quippe cum de eius auctoritate hocce tempore non dubitaretur: nec eſſet porior ratio cur potius Metropolitanis prohiberet aliquid tentare contra Nicenæ Synodi decreta, quam Sardicenſis, vel Epheſinæ, vel Chalcedonenſis Synodorum in Gallia receptos canones: Ideo videtur Arelatenſis ſecunda Synodus ſicut præcedentibus canonibus neceſſitatem conueniendi ad Concilium ab Arelatenſi primate indictum iis qui conuocati fuerant declaraſſe: ita hoc vltimo canone decretorū ab iſto magno & plenario conuentu Galliarum vim & obligationem voluiſſe adſtruere, prohibendo, nè Metropolitani in Conciliis ſuis prouincialibus contra maiorum Conciliorum decreta quidquam ſtatuerent, vel eis aliqua ratione non deferrent. Magnam autem Synodum vocat, quæ ex ſeptem prouinciis Galliarum pro totius Galliæ adminiſtratione celebraretur, & ad quam ex reliquis prouinciis cæteri conuenire poterant imò & debebant quicumque ab Arelatenſi Primate fuiſſet commonitus, vt habet canon decimus octauus; magnam, inquam, vocare eodem ſenſu quo plenariam Auguſtinus non ſemel, & concilia Africanorum ſub Bonifacio & Celeſtino canone ſexageſimo ſecundo vocarunt, quæ ex tota Africa pro cauſa communi colligeretur.

Quod ſi rariora Conciliorum ab Arelatenſi Primate conuocatorum exempla ſuperſunt, velim cogites, nec omnia quæ acta ſunt ſcripta eſſe; nec Galliarum ab eo tempore calamitates ab Hunnis, Vandalis, Gothis, aliiſque populis illatæ, quas deflet Saluianus lib. 4. 5. 6. & 7. *de prouidentia*, & epiſtolâ *ſancto Epiſcopo Salonio*, referunt Sidonius carmine 5. & 7. auctor vitæ S. Lupi Tricaſſiorum Epiſcopi, Caſſiodorus & Idatius in Chronico, atque alii paſſim, permiſiſſe frequentem Synodorum celebrationem.

§. LIV.

De eadem poteſtate ex epiſtolis Hilari.

QVæ cauſa fuit vt Hilarus Papa Leonis ſucceſſor, non quidem ex omnibus prouinciis Eccleſiæ Gallicanæ, aut ex ſeptem, ſed *ex quibus poſſet*, quotannis Arelatenſi Epiſcopo pro communibus Eccleſiæ Gallicanæ vtilitatibus Concilium conuocandi poteſtatem confirmet epiſtola octaua, *Epiſcopis prouinciæ Viennenſis, Lugdunenſis, Narbonenſis primæ & ſecundæ, & Alpium Penninarum*; Aquitanicas prouincias quibus adcenſebatur Nouempopulania, hic non memorat, quæ Gothis datæ fuerant teſte Sidonio epiſtolâ primâ libro tertio, Gregorio Turonenſi libro octauo capite trigeſimo; & aliis, & à quibus Catholicæ communionis Epiſcopi in iis degentes miſerè hocce tempore vexabantur, adeout magna Epiſcoporum pars abiis expulſa eſſet, teſtibus iiſdem Sidonio libro ſeptimo epiſtolâ ſextâ *Baſilio*, & epiſtola ſequenti *Græco*, Gregorio Turonenſi libro ſecundo hiſtoriæ capite vigeſimo quinto. Belgicas etiam & Germanicas tacet, & à Francis deuaſtatas, & nimium diſſitas, vt, diuiſis inter Francos, Burgundiones, Romanos & Gothos Galliis tuto conuenire cum Arelatenſi præſule poſſent.

Hanc ergo temporum difficultatem proſpiciens Hilarus prudenter de iſtorum Conciliorum celebratione ita ſtatuit canone ſecundo. *Per annos itaque ſingulos ex prouinciis, quibus potuerit congregari, habeatur Epiſcopale Concilium, itaut opportunis locis atque temporibus ſecundùm diſpoſitionem fratris & coepiſcopi noſtri Leontii*, (Rauennii in Arelatenſi Synodo ſucceſſoris) *cui ſollicitudinem in congregandis fratribus delegauimus, Metropolitanis per literas eius admonitis celebretur, vt ſi quid vſquam vel in ordinandis Epiſcopis, vel presbyteris, aut cuilibet loco clericis faciendis, contra præcepta Apoſtolica reperitur admiſſum, aut in eorum conuerſatione quippiam reprobatur, communi omnium auctoritate reſecetur. In ea præcipue celebritate conueniatur, quæ præſidente Chriſto Domino, & veneranda ſit ſanctis & formidanda peruerſis. Nec cuiquam licebit a regulis euagari, quas ſibi iuxta canonum definitionem vnita fraternitas in commune præfixerit: cum immenente quotannis examine ita ſinguli actus ſuos dirigent vt his diſcuſſio iudicij optari magis debeat, quam timeri: In dirimendis ſane grauioribus cauſis, & quæ illic non potuerint terminari, Apoſtolicæ Sedis ſententia conſulatur.*

Duo in iis verbis capita notabis: Primum, conceſſam Arelatenſi Metropolitano ſaltem in prouinciis, ad quarum Epiſcopos ſcribit Hilarus, veram Primatis auctoritatem quæ ſe ad Conciliorum celebrationem, leges in iis ferendas, ordinationes Epiſ-

Digitized by Google

coporum,& quorumlibet aliorum è clero confirmandas vel infirmandas,malos Epiſcoporum & cæterorum clericorum mores corrigendos, abuſus emendandos, Apoſtolicæ Sedis præceptorum tranſgreſſores puniendos extenderet.

Alterum, hanc poteſtatem à Sede Apoſtolica delegatam declarari, ac proinde Vicarium Sedis Apoſtolicę Primatem Arelatenſem conſtitui. Quid iis clarius? quid euidentius ad ea confirmanda quæ nouatoribus ſuperius diſplicuiſſe docuimus?

Tertium, eiuſdem Arelatenſis priuilegium à Zoſimo olim ipſi collatum cum aliqua immutatione ab Hilaro confirmatum eſt canone tertio, *Illud etiam non poſſumus præterire, quod ſollicitudine diligentiore curandum ſit, nè propter Metropolitanorum ſuorum literas, aliqui ad quamlibet prouinciam audeant proficiſci, quod etiam in omni genere officii clericalis per ſingulas debet Eccleſias cuſtodiri: quibus è contrario hac ratione proſpicimus, vt ſi hoc impetrare per aliquam non meruerint ſimulatem, cum duobus Metropolitanis prouinciarum quæ congruæ ſunt, Arelatenſis Epiſcopus cuncta diſcutiens pro cauſæ qualitate obſeruanda conſtituat, nec in iniuriam alterius alienum clericum ſuſcipi præter teſtimonium propriis antiſtitis ſecundùm canonum ſtatuta præcipiet*, &c. Denique idem Hilarus Papa canone primo epiſtolæ citatæ manifeſtè Arelatenſis Primatum in Narbonenſem primam prouinciam oſtendit: nam executionem ſententiæ aduerſus Hermem Narbonenſem Metropolitanum quaſi digniti ipſius debitam ei committit. *Vnde*, inquit, *veſtræ fraternitatis ſincera dilectio ſollicitudinem paſtoralis curæ in ſuis Sedibus partita nobiſcum, commiſſarum ſibi Eccleſiarum diligentiam vigilanter exerceat, & eorum, taliter quæ in Narbonenſi prouincia emerſere, meminerit, vt deteſtetur factum potius, quàm ſumat exemplum.*

Colligis ex iis verbis ſollicitudinem paſtoralis curæ vel in omnibus vel pluribus Galliarum prouinciis Arelatenſem primatem cum Summo Pontifice communem habuiſſe, commiſſas illi Eccleſias: in eo munere exercendo poteſtatis exceſſum prohibitum, vſum commendatum ſecundùm regulas canoneſque Eccleſiaſticos, itaut in alienam meſſem manus non iniiciat, ſed vnumquemque ſuo muneri incumbere ſollicitè procuret, canones non tranſgrediatur, aut violari permittat, ſed omni ſtudio obſeruare ſatagat. Eidem quoque Leontio adiunctis Verano & Victario Epiſcopis cauſæ cognitionem controuerſæ, quæ inter Auxanium de Cemelenenſi ciuitate & Niceenſi Caſtro delegat epiſtola quarta, & eorũ locorum eundem Epiſcopum eſſe ſtatuit, examinandum autem relinquit, vtrum ad Aquenſis, aut ad Ebredunenſis Epiſcopi ordinationem pertineret, vt ſupra explicuimus: quæ omnia intento noſtro optimè collimant.

Præterea, cauſam Mamerti Viennenſis, licet in ea Arelatenſis Eccleſiæ res agi videretur, cuius iura Metropolitica Mamertus ordinando Deenſibus Epiſcopum temeraſſe arguebatur, Leontij tamen examini in conuentu exarchico quotannis ſolito celebrari dirimendam commiſit idem Hilarus Papa epiſtola nonâ ad Leontium Arelatenſem, iis verbis, *Atque ideo memor ſollicitudinis, quam dilectioni tuæ ſcis eſſe commiſſam, quicquid nunc ad notitiam noſtram breui inſinuatione delatum eſt, in conuentu Synodali qui ſecundum ſtatuta noſtra annis ſingulis te ſibi præſidente eſt congregandus, diſcutere quæ ſunt acta debebis, & à prædicto rationem facti ſui ſub vniuerſo cœtu fraternitatis exigere: ac deinde omnium literis noſtræ intimare notitiæ, vt quod ſancto Spiritu dictante eſt faciendum, ad comprimendum conatus illicitos ordinemus.*

Denique epiſtola decima *Epiſcopis prouinciæ Viennenſis, Lugdunenſis, Narbonenſis primæ, & ſecundæ, Alpinæ Epiſcopis*, quæ ſolæ prouinciæ mihi videntur iſto tempore vel Arelatenſis Epiſcopi adminiſtrationi relictæ; vel quod probabilius exiſtimo, ad conuentum annuum Arelatis antea fieri ſolitum ſeptem prouinciarum, inter quas Aquitanica ſecunda, & Nouempopulania numerabantur, conuocari iuſſæ, ab Hilaro Lugdunenſibus in locum Aquitanicæ ſecundæ & Nouempopulaniæ ob rationes allatas ſubrogatis; epiſtolâ, inquam ad iſtos Epiſcopos miſſa eidem Arelatenſi poteſtatem annuas iſtas Synodos congregandi confirmat, & obligationem eaſdem frequentandi conſtringit, hæc ſcribens, *Vnde omnia, quæ à nobis ſunt per fratres & coepiſcopos noſtros Fauſtum & Auxanium definita roborantes, congregationes annuas, ordinante fratre & coepiſcopo noſtro Leontio, admonitis Metropolitanis, quod ſæpe dicendum eſt, iis locis celebrare dignemini, ad quæ conueniendi nulla ſit cuiquam commeatuum difficultas, cui diligentiæ etiam prouiſio adhibenda eſt, vt opportunitas quemadmodum locorum, ita conſtituatur temporum, vt inexcuſabilior, quiſquis tam neceſſarium & ſalubre conſtitutum noſtrum negligendum putaret, appareat.*

Digitized by Google

§. LV.

Exempla Primatus Arelatenſis circa tempus Hilari Papæ, & quorundam ſequentium Summorum Pontificum.

TANTA conuentus iſtius qui ab Arelatenſi præſule indicebatur, ac cogebatur, erat auctoritas, vt ſi quæ in Galliis maiores, vel de fide, vel de moribus controuerſiæ orirentur, ad illum eo tempore referrentur. Hinc Leontio Arelatenſi Epiſcopo ad condemnandum Prędeſtinatorum errorem Concilia vnum Arelate, alterum Lugduni congregata memorantur circa annum quadringenteſimum ſeptuageſimum quintum, Simplicii Papæ, & Eurici Vviſigothorum in Gallia Regis temporibus; vt teſtatur Fauſtus Regienſis in præfatione librorum *de Gratia & libero arbitrio*, quos prædicto Leontio dicauit.

Eiuſdem Arelatenſis Primatus indicium eſt, quòd Gelaſius Papa & ſui Epiſcopatus primordia Aeonio Arelatenſi ſignificat, ac per eum cæteris Epiſcopis Galliarum indicari voluerit epiſtolâ duodecimâ ad eum directâ; quâ etiam mutuæ communionis inter Sedem Apoſtolicam & Arelatenſem Gallos Epiſcopos vult commonefieri; *Quatenus*, inquit, *& vigere apud nos alterna viſcera gratiæ fratres & coepiſcopi noſtri per Gallias conſtituti charitate tua vigilante cognoſcant*: Scilicet quia ſicut Romana Eccleſia totius communionis Sacerdotalis vniuerſo orbe centrum habebatur, ita in Gallia propter Vicariatum Sedis Apoſtolicæ Arelatenſi Eccleſiæ collatum communio quoque cum Arelatenſi Epiſcopo, communionis eiuſdem indicium erat.

§. LVI.

Ex perturbatione Galliarum ſubſecuta exaltatio Eccleſiæ Viennenſis.

SED huiuſmodi conuentum impediuit Galliarum integra perturbatio, & in varia regna partitio circa annum Chriſti quingenteſimũ quintum, vt patet ex epiſtola Auiti Viennẽſis nomine *omnium Galliæ Epiſcoporũ*, qui cum ſimul ex more conuenire non poſſent Sanctiſſimũ virum & maximæ auctoritatis, & ſingularis eloquentiæ rogauerunt, vt cæterorum nomine Gallicanorum querimoniam de Synodo Romana aduerſus Symmachum Papam ad vrbis Senatores deferret; verba Auiti hæc notanda ſunt ex eius epiſtolâ trigeſima prima *Fauſto & Symmacho Senatoribus. Velimus, quod fatendum eſt, vel eò ſecuritatis accedere, vt quæ in cauſa communi ſupplicari oporteret, amplitudo veſtra congregatorum Galliæ Sacerdotum relatione cognoſceret: ſed quoniam huius quoque nos voti non potes reddit prouincia præfixis regionum determinata limitibus: quamprimum ſupplici prece poſco, ne celeberrimo ordini veſtro pagina hæc aliquod moueat quaſi ab vno dictata faſtidium: quoniam à cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipſum non minus per mandata, quàm per literas oneratus, quæcumque à vobis omnes ambimus, vnus ſuggerenda ſuſcepi.*

Quod prouinciam Auitus præfixis regnorum determinatam limitibus ſcribit, id de Galliis, de prouincia Romana ſeu Narbonenſi Gallia, de prouincia Viennenſi eo tempore verum erat, quo ſcilicet Vviſigothi Arelate Sedem habentes Aquitaniis, & Nouempopulaniæ ac parti Galliæ Narbonenſis imperabant; Franci regnante Clodouæo iam facto Chriſtiano Lugdunenſes prouincias Belgicis & Germanicis adiunxerant, & deuicto Gundebaldo Burgundionum Rege, qui Viennæ ſedem Imperij habebat, eam tantum Burgundiaci regni partem Sigiſmundo reliquerant, quæ vltra Ararim erat.

Quare nihil mirum eſt ſi Galliarum Epiſcopi, iique, vt credo, qui maximè propriè Galliarum dicebantur, ad differentiam Epiſcoporum ſeptem prouinciarum quæ iam à Gothis magna ex parte poſſidebantur, ſub Chriſtianis Principibus Clodouæo ac Sigiſmundo liberiorem ſcribendi habentes poteſtatem, cum Arelate conuenire non poſſent, vixq; Arelatenſi Epiſcopo ob differentiam Principũ etiam per literas cõmunicare poſſent, Auito Viennenſi inſignis auctoritatis viro, & qui poſt Arelatenſem inter Epiſcopos ſeptem prouinciarũ ſedis dignitate præcellebat, itaut etiam cum Arelatenſi Viennenſis contenderit, huic inquã in mandatis dederint, vt omniũ nomine in cauſa Eccle-

ſiæ, Romanis Senatoribus literas ſcriberet; eundemque vt Primatem reueriti fuerint, quem honorem ab Epiſcopo Romano in regno Burgundionum conſequutum ſuſpicor, quippe qui epiſtolâ octuageſimâ ſe duriùs increpatum à Romano Pontifice ſcribat, quod Concilia celebrare differret; qui pariter eadem epiſtola Synodum Epaonenſem diuerſarum prouinciarum ſe indixiſſe teſtatur: qui alia quoque Primatus officia geſſiſſe legitur: Nam epiſtolâ octuageſimâ ſeptima *Horſmiſdæ* de conuerſione prouinciarum Dardaniæ & Illyrici gratulatur, petens vt de ſucceſſu legationis Conſtantinopolim miſſæ certior fiat; viciſſim eius ſtudium Horſmiſda laudat epiſtolâ decimâ, quod de ſtatu Eccleſię orientalis inſtrui voluerit, de legatione ipſius ad eum facta gratias agit, ac de græcorum ſchiſmate eũ inſtruit: idem in Concilio Epaonenſi ex variis prouinciis à ſe conuocato præſidet, vt ex ipſius proœmio, & ſubſcriptionibus liquet. Eandem ob cauſam in regno Francorum Conciliis aliis præſediſſe leguntur, Aurelianenſi primo à Clodouæo indicto Burdegalenſis Metropolitanus Cyprianus, Lugdunenſi primo Viuentiolus Lugdunenſis, Aurelianenſi ſecundo, & Aruernenſi Honoratus Bituricenſis, Aurelianenſi tertio Lupus Lugdunenſis, quia cum nullus in iis Conciliis primas intereſſet, antiquiori vel digniori Metropolitano priuilegium præſidendi dari potuit.

§. LVII.

Primatus Arelatenſis circa eadem tempora in regno Gothico vſque ad Hiſpanias extenſus.

AT circa eadem ferme tempora in prouinciis, quæ gothis parebant, primatum ſuum Arelatenſis præſul exercebat, vt ex eo patet, quod Agathenſi Concilio anno quingenteſimo ſexto ex prouinciis ſubditis Alarico Regi, Narbonenſibus, Aquitanica ſecũda, Nouempopulaniâ parte Aquitanicæ primæ, Viennenſis, & Alpium Maritimarũ Cæſarius Arelatenſis præfuerit. Cui etiam Conc. Turonenſis præſul per legatos interfuit, vt ex ſubſcriptionibus innoteſcit. Quod in Carpentoratenſi ſimiliter, Arelatenſi quarto, Arauſicano ſecundo & Vaſenſi ſecundo, idem Cæſarius Arelatenſis præſidem egerit: quod è ſententia Synodi Carpentoratenſis Agroecium Epiſcopum Antipoletanum Cæſarius ob illegitimam ordinationem per annum à Miſſarum celebratiône ſuſpenderit, vt idem habetur in epiſtola Synodica Concilii.

Eiuſdem quoque Eccleſiæ prærogatiuam iſto tempore confirmauit Symmachus Papa, petente quidem Cæſario per libellum ſupplicem Symmacho Papæ oblatum ab Ægidio Abbate, & Meſſiano notario, *vt quam hactenus habuerat auctoritatem Eccleſia Arelatenſis, auctoritate* ſingulari Symmachus firmaret; nominatimque vt Aquenſis Epiſcopus dum à Metropolitano antiſtite Eccleſiæ Arelatenſis ad Synodale Concil. fuiſſet euocatus, *vel aliqua ordinationis cauſa dum ſibi poſtularet religio diuina neceſſarium, minime venire fruſtraretur.* Reſpondit autem Symmachus ad prædictum Cæſarium, *rationabile eſſe, vt ſancta Arelatenſis Eccleſia propriis priuilegiis perfruatur & quod vetuſtas præſtitit, & Patrum auctoritas roborauit, noua non violaret præſumptio.*

Aliis tamen, ni fallor, limitibus quam antiquis eius exarchiam circumſcribit, cum enim antea Arelatenſi cum Hiſpaniis nihil commune foret, vniuerſas autem gallias ſuâ curâ ac ſollicitudine complecteretur, mutatâ politicâ galliarum & Hiſpaniarum ſorte, Arelatenſem in iis prouinciis Hiſpaniarum & galliarũ quibus Vviſigothi imperabant, Vicarium ſuum ac primatum inſtituit, iis verbis, *Manentibus ſiquidem iis quæ Patrum conſtituta ſingulis Eccleſiis conceſſerunt, decernimus vt circa ea quæ tam in Galliis, quàm in Hiſpaniæ prouinciis de cauſa religionis emerſerunt ſolertia tuæ fraternitatis inuigilet: &, ſi ratio popoſcerit, præſentiam Sacerdotum, ſeruata conſuetudine vnuſquiſque tuæ dilectionis admonitus auctoritate conueniat, & ſi Dei adiutorio controuerſia incidens amputari potuerit, ipſius hoc meritis applicemus: alioquin exiſtentis negotij qualitas ad Sedem Apoſtolicam te referente perueniat, vt cunctis ordine ſuo peractis, vnde inimicus bonitatis ſibi blandiatur locum inuenire non poſſit.*

Legitur in vita Cæſarii ab eius diſcipulo Cypriano conſcripta libro primo cap. 20. quòd cùm Cæſarius Arelatenſis Romam veniſſet, *ipſe etiam Pontifex Symmachus præclarâ eius meritorum dignitate permotus, non ſolum veriſſimè dignitate Metropolitani*

præditum voluit, ſed etiam ſpeciali quodam priuilegio pallij vſum & permiſit, ei diaconos eius perinde vt Romanæ Eccleſiæ diaconos dalmaticis vti voluit.

Pallium autem tunc tantum iis concedi mos erat Metropolitanis, qui ſummi Pontificis vicem gererent, quomodo Cyrillus Alexandrinus pallio donatus eſt, quod in Concilio Epheſino legatus Celeſtini fuiſſet.

Eidem quoque conſulenti Cæſario Apoſtolicam ſedem circa varias quæſtiones, circa abuſus in *Gallica prouincia*, vt loquitur Auitus, ideſt in prouincia Romana Galliarum quæ Gothis tunc temporis parebat, quam ſua ſollicitudine & cura tanquam primas complectebatur, reſpondet Symmachus epiſtolâ quintâ; de ordinatione Sacerdotum, ſeu de laicis ad Sacerdotium ante probationem non promouendis reſcribit Felix quartus; Bonifacius ſecundam epiſtolam ad eum ſcribit, quâ ipſius rogatu ſignificat ſe confirmaſſe ea, quæ Synodo Arauſicanâ ſecundâ fuerant conſtituta, & ſperare per miniſterium ipſius fraternitatis & doctrinam, Pelagiani erroris reliquias, quas Sacerdotes quidam fouebant, tollendas eſſe: Ioannes ſecundus executionem ſuæ ſententiæ aduerſus Contumelioſum Epiſcopum Regenſem in Narbonenſi ſecunda ei committit, & canones quibus ad iudicandum vtatur, mittit. Cauſæ eiuſdem Contumelioſi, *cum cognitionis iteratæ beneficium* impetraſſet, *veſtigationem ac diſcuſſionem* eidem Cæſario mittit Agapetus epiſtola ſeptima. Cui etiam conſtitutionem *de prædiis Eccleſiæ nullo titulo alienandis*, ſeu epiſtolam ſextam dirigit.

§. LVIII.

Primatus eiuſdem Arelatenſis Eccleſiæ poſt deuictos à Francis Vviſigothos, & Arelatem Francis deditam.

DEVICTOS poſtea legimus, & debellatos à Childeberto Rege & Clothario Vviſigothos, occiſo in Hiſpaniis eorum Rege Amalarico; occupatam Vaſconiam & omnem regionem, quæ cis Pyrenæos Vviſigothorum erat, exceptis paucis ciuitatibus Hiſpaniæ vicinioribus quas retinuerunt Vviſigothi, & exceptâ prouinciâ quæ Oſtrogothorum erat, quam tamen paulo poſt Theodatus Francis reliquit, & Iuſtinianus eiſdem confirmauit. Ab eo tempore & Arelas, & Maſſilia in poteſtatem Theodeberti vnius ex Francorum Regibus venerunt, vt leges apud Procopium libro ſecundo, & tertio Gregorium Turonenſem & alios: ab eo vero tempore in eius regno lego Arelatenſem Epiſcopum ſe pro Primate geſſiſſe, cuius rei teſtimonium eſt quod Vigilius cùm aduerſus Siluerium pro Pontifice ſe gereret, Cæſario Arelatenſi prouinciam mandarit, vt pœnitentiæ modum imponendæ ei, qui fratris ſui vxorem ſibi matrimonio copulauerat, ipſe præſcriberet; *quia*, inquit, *modus pœnitentiæ præſentium potius Sacerdotum inſpectioni committitur, vt iuxta compunctionis meritum, veniæ quoque poſſit indulgeri remedium.* Ideo vero Cæſario Arelatenſi potius quam alteri hoc miniſterium demandaſſe duntaxat dici poteſt, quod in regno Theodeberti præcipuum gereret ſacerdotium.

Sed efficaciùs, continuatum in Regno Childeberti Eccleſiæ Arelatenſis exarchiæ priuilegium oſtendunt literæ Vigilii ad Auxanium Arelatenſem Cæſarii ſucceſſorem, cui petenti vſum pallii cum legationis Apoſtolicæ prærogatiua conceſſit. Epiſtola quidem prima hanc ei gratiam promittit, ſed obtento prius Iuſtiniani Imperatoris conſenſu concedendam, cui hoc deferre voluit, *vt honorem fidei eum ſeruaſſe cum competenti reuerentiâ iudicaretur.* Scilicet obſtrictus erat, Vigilius Iuſtiniano cuius opera ad ſummum Pontificatum aſcenderat & auidiſſimus honoris erat Imperator ille, ac ſuſpecta iſto tempore erant omnia: proindeque non mirum eſt ſi Vigilius hoc honoris teſtimonio gratificari Imperatori voluerit, vt in legato ſuo conſtituendo conſenſum eius exquireret. Epiſtola vero ſecunda vices illi ſuas in Galliâ ei delegat, pallium concedit, rogat vt pro Imperatore Deum oret, & inter ipſum, & Childebertum pacem fouere ſtudeat: *Sicut*, inquit, *nos pro tuæ Charitatis affectu, & pro glorioſiſſimi filii noſtri Regis Childeberti Chriſtiana deuotione mandatis, vices noſtras libentiſſima voluntate contulimus; ita fraternitatem tuam conuenit Deo placitis operibus tantæ ſedis auctoritate dignâ conuerſatione vti, &c.* Childeberti autem regnum per Lugdunenſem prouinciam & Narbonenſem

Digitized by Google

extendebatur, ſedes regni eius erat Pariſiorum ciuitas, Burgundiam regno ſuo adiecerat: prouinciam cum Theodeberto fratris eius Theodotici filio deuicerat. Itaque hunc totum Galliæ tractum Arelatenſi Auxanio, à Vigilio ſubditum, tanquam Sedis Apoſtolicæ Vicario non dubium eſt, Aurelianenſe vero & Auſtraſiæ regnum, ac Sueſſionenſe ei minime paruiſſe. Quod autem ex illa Vigilii epiſtola ſuſpicari poſſumus, ex alia ſequenti *ad Epiſcopos Galliæ* certius colligimus, *Dilectiſſimis*, inquit, *fratribus vniuerſis Epiſcopis prouinciarum per Gallias, qui ſub regno vel poteſtate glorioſiſſimi filij noſtri Childeberti Regis Francorum conſtituti ſunt, ſed & his qui ex antiquâ conſuetudine ab Arelatenſi conſecrati ſunt vel conſecrantur Epiſcopo Vigilius. Auxanio fratri & coepiſcopo noſtro Arelatenſis ciuitatis antiſtiti vices noſtras charitas veſtra nos dediſſe cognoſcat, vt ſi aliqua, quod abſit, fortaſſis emerſerit contentio, congregatis ſibi fratribus & coepiſcopis noſtris cauſas canonicâ, & Apoſtolicâ auctoritate diſcutiens Deo placitâ auctoritate definiat. Cauſas vero ſi quæ (quas Dominus auferat) in fidei cauſa contigerint, aut emerſerit fortaſſe negotium, quod pro magnitudine ſui Apoſtolicæ Sedis magis iudicio debeat terminari, ad noſtram diſcuſſa veritate perferat ſine dilatione notitiam. Et quia neceſſe eſt, vt aptis Deo propitiante temporibus Arelatenſis Epiſcopus noſtris vicibus fungatur, quoties iudicauerit expedire, vt pro facienda conſolatione communi Epiſcoporum debeant congregari perſonæ, nullus inobediens eius forte mandatis ſit. Quod ſi fuerit, à congregatione ſuſpendatur, niſi aut corporalis infirmitas, aut iuſtæ cauſæ eum excuſatio venire prohibeat, ita tamen vt ſi ſe, quominus occurrat rationabili poteſt exceptione defendere, ad Synodum pro ſuo Presbyteri aut diaconi dirigat loco perſonam, quatenus quæ à noſtro vicario congregatis fratribus definita fuerint, terminata, ad eius qui abſens eſt per ſuos deducta notitiam; ſincera & inuiolabili ſtabilitate ſeruentur.*

Duplicis generis Epiſcopos Arelatenſi Primati ſubiicit Summus Pontifex, puta eos qui de regno eſſent Childeberti, & eos qui ab ipſo ſolerent conſecrari, ij ſcilicet qui in prouincia eſſet conſtituti, quæ Theodeberto ex parte ſaltem ſubdebatur. Cum autem tam exactè ij deſcribantur, qui ſub Arelatenſis Primatis poteſtate eſſent, profecto ſignum eſt eos Galliarum Epiſcopos qui extrà regnum Childeberti & prouinciam eſſent, eidem obnoxios non fuiſſe.

Ex quo etiam obſeruabis fines exarchiæ Arelatenſis magis mutabiles fuiſſe, Metropolis certas, ac definitas. Ad eiuſdem vero vicariatus Arelatenſis Eccleſiæ prærogatiuam facit, quod cùm Vigilius cauſam Prætextati Epiſcopi, qui Teredium diaconum ex laico, ante probationem conuenientem ordinauerat, cauſam Auxanio delegaſſet epiſtolâ quartâ, eam tamen generali delegatione ſubnixam potuiſſe definire aſſerat, iis verbis. *Licet fraternitati veſtræ Apoſtolicæ ſedis vicibus attributis, quas directa auctoritate commiſimus, generaliter emergentium cauſarum ſit diſcutiendarum licentia.*

Poſt obitum vero Auxanij ſuas Aureliano vices delegat idem Vigilius epiſtola quinta, ſed vt ſupra in regno Childeberti, *adminiſtrationem*, inquit, *vicum noſtrarum fraternitati veſtræ animo libenti committimus, & credimus charitatis veſtræ officio actibus Deo placitis diligenter vniuerſa compleri, quando & ſummi Sacerdotii conſortio vos dignos diuina eſſe gratia iudicauit, & glorioſiſſimi Childeberti Francorum Regis Chriſtiana, & Deo placita in perhibendo vobis teſtimonio voluntas acceſſit. Quapropter vices noſtras veſtræ charitati hac auctoritate committimus, vt vniuerſa quæ deceſſorum noſtrorum vel canonum ſtatuta ſanxerunt, Deo congruis operibus faciendo atque ſeruando, & noſtrum & prædicti glorioſi regis iudicium circa charitatem tuam rectum fuiſſe poſſis oſtendere.* Quinam autem fines futuri ſint poteſtatis ipſius circa res fidei, tum circa res diſciplinæ, & circa maiores ac minores cauſas, eoſdem ibidem præſcribit quos citatis ſuperius ſuperioribus prædeceſſorum ipſius epiſtolis obſeruauimus: vnum addit quod addiderat Zoſimus de formatis literis ab Arelatenſi primate accipiendis, vbi enim ſignificauit obedientiam ipſi ab Epiſcopis in regno Childeberti conſtitutis exhibendam eſſe. mox iſta ſubdit, *illud pari eis auctoritate ſignauimus, ne quis ſine formata tuæ fraternitatis ad longiora loca audeat proficiſci: ſed vt conſuetudinem illam debeant cuſtodire, quam conſtat ſemper noſtræ ſedis habuiſſe vicarium, & à vobis formatam poſtulent, ſi cauſarum ſuarum neceſſitate compulſi, ad longiora itinera feſtinare diſponunt*: tum pallij vſum ei concedit. Eadem autem iſta omnia complectitur epiſtolâ ſequenti *ad Epiſcopos Galliarum.* Illudque adiungit, quod in cæteris conceſſionibus legitur, vt conuocandorum Epiſcoporum ex toto regno Childeberti habeat auctoritatem, *& quia*, inquit, *omnino neceſſe eſt, vt pro diuerſis cum fratribus Deo iuuante*

Google

tractandis, ſtatutis aptiſque temporibus, Epiſcoporum ſynodum debeat congregare: idcirco præſenti auctoritate cenſemus, vt nullus vbi, aut quando conſtituerit ſe audeat excuſare, exceptâ infirmitatis cauſa, quam humana non poteſt euitare fragilitas, aut certè quem dignæ excuſationis ratio fecerit non venire: ſed ſi iuſta cauſa illum ad ſynodum fecerit non venire, pro ſe aut presbyterum aut diaconum deſtinare non differat, quatenus quæ fuerint inſtituta per eos poßit agnoſcere, & definita complere. Nihilominus cum prioribus tēporibus Primas Arelatenſis emergentes cauſas in Concilio ſeptem prouinciarum, ac deinde quinque, certe in ampliſſimo & numeroſiſſimo Concilio deberet ventilare, & iudicare. Aureliano prædictis verbis cōgregandi quidem Concilii neceſſitas impoſita oſtenditur ad definitionem cauſarum maioris momenti, ſed non Concilii vniuerſalis totius ſuæ exarchiæ, ſed amplioris vel minus ampli, prout ipſe ſpectatâ rei de qua agendum eſſet qualitate iudicaret. Hoc enim expreſſis iſtis verbis epiſtola quinta Vigilius *ad Aurelianum*, oſtendit, *adhibitis tibi fratribus, & coepiſcopis ſecundùm qualitatem negotij numero competente cauſam canonica & Apoſtolica auctoritate diſcutiens, ea ſententia definies, quæ & deceſſorum noſtrorum conueniat ſtatutis, & Deo æquitatem in omnibus diligenti ſit greta.* Vnde exiſtimo potuiſſe Aurelianū, presbyterum accerſitis tribus Epiſcopis, Epiſcopum cum duodecim, aut accerſitis ternis ex ſingulis prouinciis, vt in Africanis Eccleſiis ſeruabatur, vel certe finitimis, ſecundùm antiquos aliorum Conciliorum canones, etiam depoſitionis ſententiâ plectere: nec vniuerſalis Concilii ad iſtiuſmodi ſententias ferendas, celebrandi neceſſitatem ipſi impoſitam fuiſſe: quæ remiſſio iuſta & æqua videtur, eâ ratione à Mileuitano Concilio canone 27. prolatâ, ne Epiſcopi ob iſtas cauſas nimium fatigarentur, & à ſuis Eccleſiis frequentiùs abeſſe cogerentur.

§. LIX.

Quibuſdam obiectionibus occurritur.

ATQVE hanc poteſtatem congregandorum Conciliorum Arelatenſi Primati in parte maxima Galliarum conuenientem cùm optime ſtabilitam videamus, non eſt quod aliquis eam impugnet eo argumento, quòd in Conciliis quæ temporibus iſtis ac ſequentibus habita ſunt, nec conuocationis Arelatenſis Primatis factam mentionem obſeruemus, nec Arelatenſem primo loco ſemper ipſis ſubſcriptum, ſed aliquando poſt quoſdam alios Metropolitanos legamus. Nam verbi gratia, Aurelianenſi quinto Aurelianus, cuius iam meminimus, poſt Epiſcopum Eccleſiæ Lugdunenſis, cui nomen erat Sacerdos, ſubſcripſiſſe animaduertimus, Aruernenſi ſecundo Arelatenſem omnino defuiſſe videmus, præfuiſſe autem Heſychium Viennenſem Metropolitanum; à Pariſienſi tertio abfuiſſe Arelatenſem præſulem, præfuiſſe Probianum Bituricenſem, ſaltem primum ſubſcripſiſſe, ſicut Lugdunēſi ſecundo Philippum Epiſcopum Viennenſem, Turonico ſecundo Euphronium Turonenſem; Pariſienſi quarto eundem Philippum; ſecundo verò loco Sapandum Arelatenſem, quamuis in epiſtola ſynodica primus Sapandus ante cæteros ſubſcribat; Matiſconenſi primo Priſcum Lugdunenſem, Lugdunenſi tertio & Matiſconenſi ſecundo eundem Priſcum, abſente Arelatenſi Sapando, qui ad poſteriorem legatos miſit: vixque niſi tres Synodos reperias, quibus Arelatenſes Epiſcopi primi ſubſcripſerint, puta Arelatenſem tertiam, & Pariſienſem ſecundam, & Valentinam tertiam. Et quidem Arelatenſis prædictæ, quæ inſcribitur habita ſub Sapando, præfatio nihil de conuocatione à regibus facta, vt in pluribus aliis continet, ſed de cura Pontificis, cuius ſit Eccleſiis ſibi commiſſis aggregatis Epiſcopis prouidere. Pariſienſis ad inuitationem quoque Regis habita dicitur, ſed in ea Saffaraci Epiſcopi cauſa tractata eſt, & ipſe in Monaſterium pœnitentiæ cauſa relegatus eſt. In Valentina denique confirmantur quæcumque à Guntheramno Rege, ipſiuſque vxore filiabus in diuerſas Eccleſias, vel loca pia collata fuerant.

Non, inquam, iſta obiectio valere poteſt aduerſus firmatam tot illuſtribus ſummorum Pontificum decretis ad Regum Franciæ ſupplicationem obtentis, quorum aliqua retulimus, alia deinceps referemus, quibus auctoritas iſta ſolide confirmatur: Nam nec Epiſcopi Arelatenſes, nec Galliarum Reges poteſtatem iſtam à Summo Pontifice in gratiam Arelatenſium præſulum obtinere curaſſent; nec Summus Pontifex illam prærogatiuam

gatiuam Epiſcoporum galliæ commendaſſet nihil vtique obtinenti profecturam; nec Epiſcopi Galliarum ſummorum Pontificum conceſſioni tam facile acquieuiſſent, ſi contrario Galliarum vſu nulla primatis Arelatenſis præ aliis Epiſcopis Conciliorum in ſua exarchia conuocandorum & celebrandorum ſingularis fuiſſet auctoritas.

Quid ergo ad allata exempla reſpondebimus, niſi & ſubſcriptionum minimam eſſe auctoritatem, vt poſtea dicemus, & Conciliorum in Gallia duo iſto tempore probabiliter videri fuiſſe genera, quædam ad canones relegendos & diſciplinam Eccleſiæ ſalutaribus legibus muniendam, Regum vt plurimum inuitatione, & hortatu fuiſſe conuocata, aliquando etiam eadem vel ex occaſione quadam habita, vt Turonenſe ſecundum, & Pariſienſe tertium, & quartum, vel mutuis Epiſcoporum, ſeu Metropolitanorum inuitationibus, vt Lugdunenſe ſecundum: atque in iis nullam Arelatenſis primatis ſingularem auctoritatem viſam fuiſſe: alia vero ab Arelatenſi congregata fuiſſe quacumque de cauſa, cuiuſmodi Concil. eſt Arelatenſe quintum: alia ab eo congregata non fuiſſe, ſed in eo cauſas aliquas ventilatas, quæ ad primatis cognitionem pertinerent, cuiuſmodi ſunt Epiſcoporum diſſenſiones de finibus prouinciarum, eorumque cauſæ criminales, quale fuit Concilium Pariſienſe ſecundum. In prioribus Conciliis parem omnium Metropolitanorum prærogatiuam fuiſſe, ab iiſque proinde Arelatenſi Epiſcopo abeſſe licuiſſe, præſertim ſi extra ſuam exarchiam haberentur, quomodo verbi gratia habitum eſt Aruernenſe ſecundū, in regno Theodebaldi Regis non Childeberti, & alia in regno Guntheramni non Childeberti: in poſterioris autem generis Conciliis prærogatiuam Arelatenſis Epiſcopi ſeruatam, vt vel ea conuocaret, vel ſi conuocata eſſent, in ea parte Concilii præſideret, in qua res ſui fori tractaretur. Quæ cauſa fuiſſe dici poteſt cur Pariſienſis Concilii quarti ex occaſione celebrati, vt præfatio indicat, conſtitutioni Philippus Viennenſis primo loco, ſecundo Sapaudus: epiſtolæ vero ſynodicæ ad Sigebertum Regem in cauſa Promoti, qui in Caſtro Dunenſi Parochiæ Carnotenæ renitente Pappolo Carnotenſi fuerat ordinatus, Sapaudus primo loco, Philippus ſecundo ſubſcribant.

§. LX.

Continuatio probationum primatus Arelatenſis ſub Vigilio, & Pelagio 2.

CÆTERVM iſtis quoque temporibus Arelatenſis Eccleſiæ ſupra plurimas alias, propter Apoſtolicæ Sedis delegationem, variis aliis longe potentioribus teſtimoniis innoteſcit; etenim Epiſcopus Romanus Vigilius ex vrbe Conſtantinopolitana ſcribens, quæ egiſſet Arelatenſi Epiſcopo renuntiat epiſtolâ ſeptimâ, mandatque vt & Epiſcopis ſignificet; Childeberto Regi ſuggerat nihil à ſe aduerſus Concilia generalia, Romanorumque Pontificum decreta fuiſſe admiſſum; & vt ad Regem Gothorum ſcribat, nè quid in Eccleſia Romana turbari ſinat. Niſi enim Arelatenſis Epiſcopus ſpecialiter Apoſtolicæ ſedis Vicarius fuiſſet in galliis, nulla ratio fuiſſet, cur ad eum longius à Childeberto diſtantem, potius quàm ad alios Epiſcopos Metropolitanos pro fidei ſollicitudine, & Romanæ Eccleſiæ vtilitatibus ſcripſiſſet.

Hanc rationem adducit Vigilius iis verbis, *Fraternitas ergo tua, quem Apoſtolicæ Sedis per nos conſtat eſſe vicarium, vniuerſis Epiſcopis innoteſcat, vt nullis aut falſis ſcriptis, aut mendacibus verbis, aut nuntiis qualibet ratione turbentur*, &c. & in fine epiſtolæ, *feſtina ergo frater chariſſime, vt in ſanctæ fidei ſinceritate perſiſtens, Eccleſiarum pacem, quæ vel à Deo per meritum Sacerdotij tibi commiſſa eſt, vel à nobis per Apoſtolicam auctoritatem vicaria poteſtate mandatur competenti ſollicitudine, Deo propitiante, cuſtodias, & vicarium te ſedis Apoſtolicæ dignis Deo manifeſtes operibus.*

Apparet etiam ex epiſtola prima, & ſecunda Pelagii primi ad Sapaudum Arelatenſem, ea quæ ſummus Pontifex Eccleſiaſtica negotia in Galliis tractaret, operâ & interuentu Arelatenſis Epiſcopi, dataque illi communicatione, & ab eo viciſſim recepta tractaſſe. Cui proinde & Hominembonum ſubdiaconum Romanæ Eccleſiæ commendat epiſtola octaua; vices quoque illi ſuas in vniuerſa gallia delegat, palliique vſum impertitur epiſtolâ ſextâ ſcriptâ poſt conſulatum Baſilii anno decimo quinto, ideſt

Chriſti quingenteſimo quinquageſimo ſexto. In qua hoc moneo, videri ampliorem Sapaudo ab eo tempore datam poteſtatem non reſtrictam ad regnum Childeberti, ſed in vniuerſam Galliam extenſam, vt ex iis epiſtolæ clauſulis innoteſcit, *Maiorum noſtrorum operante Dei miſericordia cupientes inhærere veſtigiis, & eorum actus diuino iuuamine in omnibus imitari, charitati tuæ per vniuerſam Galliam Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, cui diuina gratia præſidemus, vices iniungimus*: & paulo poſt, *Hinc eſt quod & nos fraternitati tuæ huiuſmodi curas iniungimus, vt Sedis noſtræ Vicarius inſtitutus adinſtar noſtrum in Galliarum partibus primi Sacerdotis locum obtineas, & quicquid ad gubernationem & diſpenſationem Eccleſiaſtici ſtatus gerendum eſt, ſeruatis Patrum regulis, & Sedis Apoſtolicæ conſtitutis, diuini iudicij conſideratione diſpenſes*. Ac ſubinde, *ſciturus quoque omnibus Eccleſiaſtici gradus hominibus; nullam haberi licentiam ſine formata tuæ charitatis ex quacumque Galliarum parte longiores petere regiones*, &c. Hinc in prędicta conceſſione, nec Childeberti nec alterius ex Francorũ regibus habetur mentio, quod ad ipſorum petitionem prærogatiua iſta ſit conceſſa ſeu formata fuerit. Ex epiſtola tamen ſeptima ſequenti apparet ad ſupplicationem Childeberti fuiſſe hanc gratiam factam, ſed tamen vniuerſæ Galliæ eundem primatem conſtitutem fuiſſe, vel ex eadem epiſtola colligitur, quæ verba iſta complectitur, *Poſtulamus vt ita eum atque Eccleſiam eius gratia excellentiæ veſtræ tueatur, ac foueat, ne quem per vices noſtras augeri propitiante Deo poſtulaſtis, in aliqua parte cuiquam Gallicanorum Sacerdotum, vel cuiuſlibet ordinis Eccleſiaſtici perſonæ, quod non oportet, contemptibilis habeatur*.

Et ſane eo tempore tota fere Gallia ſaltem ſtrictè ſumpta erat Childeberti: cuius regno, mortuo Clodoueo regnum Aurelianenſe ex parte acceſſerat, & ad ipſum Clothario aduerſus rebellantes Saxones profecto, & Chramno nepote à Patre deficiente pars etiam regni Clotharii defecerat.

Atque adeò ſi Gallias prædicta epiſtola in ſtrictiori ſignificato ſumi dicas, vt à Germanicis prouinciis & Belgicis, atque etiam forte Aquitanicis diſtinguitur, non pertinacius reluctabor. Sed hac de re infra.

Inſignis etiam eſt pro Arelatenſis Eccleſiæ ſupra cæteras Galliarum Eccleſias prærogatiua, quod ſcribit idem Pelagius ad Childebertum Regem epiſtolâ vndecimâ, *Miramur quia quantum nobis præſentium portitorum ſuggeſtio patefecit, paſſi eſtis ſubripi vobis Sapaudum fratrem, & coepiſcopum noſtrum ciuitatis Arelatenſis antiſtitem, cuius Eccleſia in regionibus Gallicanis Primatus priuilegio, & Sedis Apoſtolicæ vicibus decoratur, vt ad petitionem Epiſcopi ab ipſo ordinati, in iudicium ſequentis ciuitatis Epiſcopi, quod nulla Eccleſiaſticâ lege vel ratione conceditur, iudicandum iuberetis occurrere: vt ipſo de conculcato loci ſui præiudicio conquerente, illum qui vſurpauit neceſſe ſit de illicita præſumptione culpari*.

§. LXI.

Primatus Arelatenſis Eccleſiæ probatus à Gregorio in aliquam regni Gallici partem.

POST Pelagium primum alioſque ſubſequentes Pontifices qui Sedem Romanam tenuerunt Gregorius, Magnus priuilegium Arelatenſis Eccleſię confirmauit in regno alterius Childeberti, qui Sigeberti Auſtraſiæ Regis filius, idemque Rex Auſtraſiæ fuit. Ad huius enim Childeberti Regis petitionem, in ipſius regno exarchicam Virgilio Arelatenſi poteſtatem largitur, motus antiquo more, iuxtà quem Arelatenſes antiſtites Sedis Apoſtolicæ legatione ornari ſolebant, & meritis Virgilii: vbi enim in charitatis commendationem aliqua præfatus eſt, mox iſta ſubiungit libro quarto epiſtola quinquageſima *Virgilio*, *Hac itaque virtute, frater chariſſime plenum te eſſe reperio, ſicut mihi dete, & hi qui ex Gallicanis partibus veniunt, & epiſtolæ tuæ ad me directæ verba teſtantur. Quod vero in eis, iuxtà antiquum morem vſum pallij, & vices Sedis Apoſtolicæ poſtulaſti, abſit, ne aut tranſitoriæ poteſtatis culmen, aut exterioris cultus ornamentum, in vicibus noſtris, ac pallio quæſiſſe te ſuſpicer. Sed quia cunctis liquet, vnde in Galliarum regionibus fides ſancta prodierit, cùm priſcam conſuetudinem Sedis Apoſtolicæ fraternitas veſtra repetit, quid aliud quàm bona ſoboles ad ſinum matris Eccleſiæ recurrit? libenter ergo poſtulata concedimus, ne aut vobis quidquam de debito honore ſubtrahere, aut præcellentiſſimi filii noſtri Childeberti Regis petitionem contempſiſſe videamur. Sed iam nunc ſtudio maiori res indiget, vt cùm honor creſcit, etiam ſolicitudo*

proficiat , & erga cæterorum cuſtodiam vigilantia excreſcat.

Tum declamare pergit aduerſus tam Simoniacas quàm laicorum otdinationes; quę mala in Galliarum & Germaniæ partibus inualeſcere , ac graſſari ſe accepiſſe teſtatut. Atque hæc in ordinatione peccata ait ipſum apud Regem debere procurare, vt è regno ſuo funditus expellat, ac tandem ita concludit : *Itaque fraternitati veſtræ vices noſtras in Eccleſiis quæ in regno ſunt præcellentiſſimi filij noſtri Childeberti iuxtà antiquum morem , Deo auctore , committimus ; ſingulis ſiquidem Metropolitis ſecundum priſcam conſuetudinem proprio honore ſeruato : pallium quoque tranſmiſimus quo fraternitas tua intrà Eccleſiam ad ſola Miſſarum ſolemnia vtatur : ſicubi autem longius Epiſcoporum quiſquampergere forte voluerit , ſine tuæ ſanctitatis auctoritate , ei ad alia loca tranſire non liceat. Si qua vera inquiſitio de fide , vel fortaſſe aliarum rerum inter Epiſcopos cauſa emerſerit quæ diſcerni difficilius poſſit, collectis duodecim Epiſcopis ventiletur , atque decidatur. Si autem decidi nequiuerit, diſcuſſa veritate ad noſtrum iudicium referatur.* Epiſtola data dicitur die quinta Iunii indictione decima quarta , ideſt anno quingenteſimo nonageſimo quinto , quo quidem anno ex filiis Clotharii primi Charibertus ſine liberis obierat, Chilpericus relicto iuniore Clothario in poteſtate Guntheramni patrui ſatis functus fuerat , ac proinde Childeberti regnum Auſtraſiæ finibus , quod à patre obtinuerat , & parte regni Pariſiorum , quæ poſt obitum Chariberti obtigerat concludebatur. Idemque proinde legationis Apoſtolicæ præſulis Arelatenſis limites fuere , quæ regni ipſius : priuilegia vero iſta erant Arelatenſis Epiſcopi , eadem quæ ſuperius prolata ſunt toties, nimirum formatas Epiſcopis longius profecturis concedere ; accitis duodecim Epiſcopis de maioribus cauſis , quæ ſcilicet eſſent de fide vel inter Epiſcopos verterentut , cognoſcere , eaſque vel dirimere, vel ſi difficiliores eſſent ventilare , atque inſtruere , vt à Romano Pontifice deciderentur : denique conſuetudinibus paruis obſiſtere, & apud Reges pto illarum extirpatione inſtanter agere. In quibus capitibns cum tota Apoſtolica legationis Arelatenſis præſulis poteſtas à Gregorio magno collocetur , nec minores cauſæ deinceps ad eum pertinniſſe videntur , nec Conciliorum ex tota ſua exarchia vt plurimum conuocandorum plena poteſtas ipſi conceditur ; nec vt opinor iis præſidendi , quæ ab eo conuocata non eſſent , prærogatiua attribnitur : ſed duntaxat ad cauſarum quæ ſui ſori eſſent cognitionem , ac definitionem duodecim Epiſcoporum eligendorum ipſi licentia conceſſa : ac proinde non mireris ſi Gregorii Magni tempore priorem locum aliis Metropolitanis , quam Arelatenſi datum legimus , vt ſupra obſeruatum eſt. Legitur & epiſtola eiuſdem ſancti Gregorii *ad Epiſcopos Galliarum , qui ſub regno Childeberti* erant , in quâ Hierarchici ordinis vtilitas , ac dignitas Angelicæ Hierarchiæ exemplo illuſtratur , & prædicta Arelatenſis præſulis priuilegia inculcantur , commendatâ ipſis obediendi neceſſitate, ſi quando *pro facienda collatione* occaſione cauſarum ad eum pertinentium ab eo conuocati fuerint, nullnmque *communi congregationi* abeſſe debere inculcatur, quin immo & infirmos preſbyterum aut diaconum mittere debere ſtatuitur quatenus, *quæ à prædicto Sedis Apoſtolicæ Vicario , Deo auxiliante fuerint definita , ad eum qui abſens eſt per ipſum quem miſerit , fida relatione perueniant , vt inconcuſſa firmitate ſeruentur , & nullius ea quæ conſtituerit audeat occaſionis excuſatio violare.*

Extat etiam eiuſdem ſancti Gregorii ad Childebertum epiſtola , quæ eſt quinquageſima tertia libri quarti , quâ & Sedis Apoſtolicæ vices Virgilio Arelatenſi ſecundum antiquum morem & pallii vſum ſecundum excellentię ipſius deſiderium conceſſa ſignificat , eumque obnixè obteſtatur vt Virgilio in iis quæ ipſi corrigenda circà diſciplinam mandauerat executioni demandandis opem ferret.

Vnum etiam ex libro quinto epiſtolâ quinquageſimâ tertiâ *Virgilio Arelatenſi* notare poſſumus , quod in præcedentibus epiſtolis à nobis minime obſeruatum eſt , Arelatenſem ſcilicet præſulem eius etiam patrimonii quod habebat Sedes Apoſtolica in Galliis curam aliquam geſſiſſe, etenim ea legimns prædictâ epiſtolâ , quę huius rei certam fidem faciunt , *quia igitur patrimoniolum ipſum per annos plurimos prædeceſſor veſter tenuit , & collectas apud ſe penſiones ſeruauit , fraternitas veſtra cuius ſint , vel cui erogentur conſideret , atque eas animæ ſuæ reſpectu ſupra ſcripto filio noſtro Candido Presbytero nobis reſtituat dirigendas.* Quibus ſimilia ſcribit eiuſdem libri epiſtolâ quinquageſimâ Protaſio Aquenſi.

§. LXII.

Imminutus Arelatenſis Primatus ſub Gregorio, cuius Imminutionis cauſæ deteguntur.

VALDE tamen imminutum reperio Primatum Eccleſiæ Arelatenſis ſub Pontificatu Gregotii duplici de cauſa; prima quidem eſt Legatio Apoſtolica ab eodem Gregorio ad ſupplicationem Brunichildæ Reginæ matris iuniorum Theodorici Burgundiæ, & Theodeberti Auſtraſiæ Regum, Syagrio Auguſtodunenſi conceſſa, cui & Conciliorum cogendorum poteſtas facta, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ vindicandæ ſollicitudo commiſſa eſt. Ex qua etiam accidit, vt maiorum Sedium Metropolitani paria quoque priuilegia ſibi vindicarent, ægrè ſcilicet Epiſcopo nulla antiqua conſuetudine ſubnixo in alios primatum quendam exercenti ſubeſſe ferentes.

Altera, extraneorum quoque quorumdam ab vrbe Roma miſſio, ad eaſdem diſciplinæ canonicæ laxatæ ruinas reparandas. Cum enim hæc officia eſſent Arelatenſis Epiſcopi tanquam Sedis Apoſtolicæ Vicarii, communicari aliis non potuerunt, quin ipſius & auctoritas minor, & dignitas vilior fieret.

Syagrio Auguſtodunenſi huiuſmodi legationem fuiſſe commiſſam fidem faciunt variæ eiuſdem Gregorii epiſtolæ, tum ad ipſum Syagrium, tum ad diuerſos miſſæ; epiſtola ſiquidem quinta libro ſeptimo, *Ad Brunechildim Reginam Francorum*, hæc ſcribit, *Susceptis itaque epiſtolis veſtris, valde nobis excellentiæ veſtræ ſtudium placuiſſe ſignamus, atque fratri & coepiſcopo noſtro Syagrio pallium dirigere ſecundùm poſtulationem veſtram voluimus, propter quod & Sereniſſimi Domini Imperatoris, quantum nobis diaconus noſter, qui apud eum reſponſa Eccleſiæ faciebat, innotuit, prona voluntas eſt, & concedi hoc omnino deſiderat.* Quibus ea ſubdit quæ ad commendationem Syagrii faciunt, & antiquum morem, vt nonniſi ſollicitè petentibus pallium concederetur: ob quam cauſam ſe quidem pallium Candido Preſbytero miſiſſe ſignificat, vt Syagrio petenti concederet. Sed & eo tempore Cyriacum Abbatem Monaſterii ſui pro Eccleſiaſticis negotiis mittit, vt conſtat ex epiſtolâ centeſimâ nonâ *ad Serenum Maſſilienſem*, indictione ſecundâ, libro ſeptimò.

Ad Syagrium vero (quem primo loco nominat) *Ætherium Lugdunenſem, Virgilium Arelatenſem, & Deſiderium Viennenſem Epiſcopos* coniunctim ſcribit epiſtolam centeſimam decimam, indictione ſecunda eiuſdem libri, contra Simoniacos & Neophytorum ordinationes, contra clericorum cum mulieribus contubernia, atque vt Synodi quotannis fiant, quarum conuocandarum præcipuam curam, atque auctoritatem Syagrio tribuit, adiuncto prædicto Cyriaco Abbate, quem ab vrbe Roma in Gallias miſerat. Ita enim ſcribit prædictâ epiſtolâ, *De his itaque, quæ ſuperiùs dicta ſunt prædictam fraternitatem veſtram auctore Deo, volumus Synodum congregare, vtque in ea Reuerendiſſimo fratre noſtro Syagrio coepiſcopo, & dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco Abbate mediantibus, omnia quæ ſanctis canonibus, ſicut prædiximus, ſunt aduerſa, diſtrictè ſub anathematis interpoſitione damnentur*, &c. Et paulò poſt. *De quibus cunctis Reuerendiſſimus frater noſter Syagrius Epiſcopus cum omni Synodo, dilectiſſimo filio noſtro Cyriaco Abbate remeante, nobis quæ acta ſunt ſtudeat renuntiare, vt ſubtiliter agnoſcentes, quid & cum qua cautela ſubtiliter ſit decretum; omnipotenti Deo de vita veſtra ac moribus gratias inceſſabiliter perſoluamus.*

Circa quæ verba nota, alio modo loqui Gregorium, alio modo prædeceſſores ipſius, dum Arelatenſibus primatibus poteſtatem circa Conciliorum celebratione largiebantur, Hi ſiquidem non ſe conuocare Concilium per Arelatenſes Epiſcopos dicebant, ſed Arelatenſibus Epiſcopis, vt conuocarent ſuo nomine, poteſtatem faciebant. Gregorius vero ait, *ſe velle Synodum congregare*, ſed mediantibus fratre Syagrio Auguſtodunenſi, & filio Cyriaco Abbate, eaque omnia quæ in Concilio diſcutienda erant præſcribit; &, quæ Vicarii Apoſtolici præcipuæ erant partes, eadem concluſa ad ſe referri per illos, maxime autem per Abbatem illum ab vrbe Roma miſſum, & è monaſterio ſuo, præcipit.

Ex quibus apparet extraordinariam illis legationem fuiſſe mandatam, præcipuoſque Metropolitanos ipſis adiuuas ex officio ſuo Metropolitico fuiſſe; ideoque Virgilio Arelatenſi præ cæteris nullam prærogatiuam in iſta Synodo attributam: atque

ideo poſt Syagrium & Ætherium Lugdunenſem in huius epiſtolæ inſcriptione nominatum fuiſſe.

Hinc idem Summus Ponrifex einſdem libri indictione ſecundâ epiſtolâ centeſimâ vndecimâ, Aregio Epiſcopo Vapincenſi in galliis mandat, *vt interſit in ea Synodo, quam contra Simoniacam hæreſim per fratrem & coepiſcopum Syagrium decreuerat congregari.* Sequenti pariter epiſtola *ad Syagrium* Epiſcopum Auguſtodunenſem, pallium ei petenti concedit, *ea tamen conditione, ſi prius per Synodi definitionem emendare promiſiſſet quæ corrigenda mandauerat: itemque vt Metropolitæ ſuo per omnia honore ſeruato, Eccleſia ciuitatis Auguſtodunæ, cui omnipotens Deus præeſſe illum voluit, poſt Lugdunenſem Eccleſiam eſſe debeat & hunc ſibi locum ac ordinem ex Apoſtolicæ auctoritatis indulgentia vindicare: cæteros verò Epiſcopos ſecundum ordinationis ſuæ tempus ſiue ad conſidendum in concilio, ſiue ad ſubſcribendum, ſiue in qualibet alia re ſua attendere loca decernit, & ſuorum ſibi prærogatiuam ordinum vindicare.* Ita ſiquidem legationem Syagrii gregorius extraordinariam eſſe voluit, ac perſonalem, vt tamen Metropolitani officio ac dignitati minimè præiudicaret; & tamen Eccleſiæ Auguſtodunenſi primæ inter ſuffraganeas Eccleſias Sedis, ſeu vt græci loquuntur πρώτης καθέδρας, ſeu πρώτου θρόνου honor exinde acquireretur.

Cæterum eadem epiſtola Synodi conuocandæ præcipuam penes ipſum Syagrium auctoritatem reſidere vult gregorius, quemadmodum iis verbis teſtatur, *Curam præterea congregādæ Synodi, quam vobis atque fratribus noſtris pro illicitarum rerum prohibitione fiendam ſcripſimus, veſtræ ſpecialiter ſollicitudini noueritis incumbere. Vnde quia præcellentiſſimos filios noſtros Francorū Reges magnam vobis nouimus dilectionem impendere, omni vos ſtudio omniq; agere annīſu neceſſe eſt, vt quod de Synodo congreganda mandauimus, fraternitatis diligentia compleatur; atque omnia illic, quæ pro animarum ſalute ſcripſimus, compleantur.* Brunechildi quoque Reginæ eadem ſcribit epiſtolâ 113. eiuſdem libri indictione ſecundâ; nam Synodum quidem præſenre Cyriaco Abbate fieri ſe mandaſſe, ſed auctoritate & curâ Syagrii Epiſcopi ſignificat, *Curam vero,* inquir, *& ſollicitudinem eiuſdem Synodi, quam fiendam decreuimus, fratri coepiſcopoque noſtro Syagrio, quem veſtrum proprium nouimus, ſpecialiter delegare curauimus, quem petimus, vt & ſupplicantem libenter audire, & ope iuuare dignemini.*

Quinetiam & cauſarum cognitionem atque executionem ſuarum ſententiarum eidem Syagrio committit: nam & eidem mandar, vr Mænatem, ac Theodorum Epiſcopos in Italiam redire compellat epiſtola 117. indictione ſecunda libri ſeptimi citati. Virgilium quoque Arelatenſem, ſimulque Syagrium obiurgat epiſtola 118. eodem libro quod Syagriam monaſticam vitam etiam muratis veſtibus amplexam non defenderint, quo minus marito violenter ſociaretur. Epiſtola ſequenti Syagrio mandar, vt parochias in Francorum regno conſtitutas Veſicino Epiſcopo ſubtractas, in iis conſtituto alio nouo antiſtite, eo tempore quo detinebarur captiuus, reſtituendas curarer.

Multa autem ſunt quæ Syagrio ad hanc dignitatem viam pararunt, eius in Epiſcopali ordine antiquitas, egregiæ animi dotes, apud Reginam Brunechildem ſumma gratia, nota etiam Iuſtiniano Imperatori eiuſdem merita; quibus adde & Virgilii Arelatenſis conſenſum facile eum emereri potuiſſe, quippe cùm, vt referr gregorius Turonenſis libro nono hiſtoriæ, capite vigeſimo tertio, vacante per Licinii obitum Eccleſia Arelatenſi, *Virgilius Abbas Auguſtodunenſis opitulante Syagrio Epiſcopo ſubſtitutus ſit in eius locum.*

Illud autem priuilegium cum Syagrio Auguſtodunenſi extinctum eſt, nec alius ex ſucceſſoribus ipſius eodem priuilegio aut donatus, aut vſus reperitur. Non dubium tamen eſt, qnin prinilegium iſtud poteſtatem Arelatenſis primatus valde depreſſerit, iis quæ ipſius eſſent auctoritatis in alium non Metropolitica dignitate ſublimem, ſed inter ſuffraganeos Eccleſiæ Lugdunenſis eidem ſubditum tranſlatis.

Depreſſa etiam eadem Metropolitani Arelatenſis auctoritas, ex eo quod ad referenda ea, quæ in Conciliis galliarum gererentur, non ſufficere Arelatenſis Epiſcopi fidem, ac diligentiam ratus videatur gregorius, cùm Cyriacum Abbatem ex ſuo monaſterio ſibi fidum in gallias deſtinanit, quo præſente voluit Synodum congregari, vt ex citatis pro Syagrii auctoritate epiſtolis conſtat, quibus adiungas velim epiſtolam centeſimam decimam quartam, libri ſeptimi, indictione ſecunda *ad Theodoricum &*

Theodebertum

Digitized by Google

Theodebertum Reges Francorum, quæ nullam aliam conditionem Synodo celebrandæ aduerſus Simoniacos apponit, quam vt *præſente dilectiſſimo filio ſuo Cyriaco Abbate fieret.* Neque vero ex mero arbitrio, neque ex dominandi voluntate Gegorius priſco more immutato aliquem ex vrbe Roma mittere voluit, ſed rogatus, & ad ſuaſionem ipſorum Gallorum, qui diſciplinæ Eccleſiaſticæ melius conſultum crediderunt, ſi à Pontifice Romano extraneus aliquis mitteretur, qui ſingula in Concilio agitata non ſolum renuntiaret, verùm etiam ſingulorum zelum circa diſciplinam Eccleſiaſticam ex viſu, ſeu inſpectione referret: cuius rei argumentum eſt, quod vt id faceret, poſteà ſe rogatum quam maximè teſtetur idem ſanctus Gregorius libro vndecimo epiſtola ad Brunechildem Reginam, cuius nec ſinceritas patitur vt mentiri voluerit, nec prudentia, vt apud Reginam oculatiſſimam ea ſcriberet, de quibus falſitatis illico redargui poſſet. Sic ergo loquitur Gregorius, *Præfati autem viri magnifici filii noſtri* (Burgoaldus & Varmacaricarius Legati prædictæ Reginæ) *dato capitulari inter cætera petierunt quod ſibi ex veſtra perhibuere iuſſione mandatum, vt talis debeat à nobis in Galliis perſona tranſmitti, quæ facta Synodo cuncta quæ contra ſacratiſſimos canones perpetrantur, omnipotenti Deo auctore poſſit corrigere. In qua re gloriæ veſtræ curam cognouimus, quam de vita animæ & de regni veſtri ſoliidtate cogitatis.*

Cùm ergo extranei ad inſpectionem diſciplinæ in Galliis mitterentur qui Conciliorum geſta Summo Pontifici referrent, dum in Epiſcopos Gallos ab Arelatenſi diuerſos Synodorum celebrandarum, & iudiciorum Eccleſiaſticorum iura & auctoritas tranſmitterentur, quis dubitat quin ex eo Primatus Arelatenſis vigor ac dignitas plurimum decrementi acceperint?

§. LXIII.

Remanſit ſub Gregorio Arelatenſis Primatus, licet debilitatus.

NON tamen huiuſmodi delegationibus ſublata omnino Virgilio poteſtas, quæ cum pallii datione ei tam ſolemniter à S. Greg. conceſſa fuerat: ſicut enim ſine pœnitentia ſunt dona Dei, ita & ſine pœnitentia fuiſſe priuilegium Virgilio conceſſum antiqui moris & exempli credibile eſt; non enim abſque leuitate reuocatur beneficium, quod cum iuſta cauſa datum eſt, niſi iuſta ipſius reuocandi cauſa, & quodammodo neceſſaria occurrat, quæ in propoſito caſu nulla legitur, quando quidem nulla Virgilii offenſa referatur, quæ iſtam reuocationem prouocarit. Deinde eo priuilegio vſum Virgilium etiam poſt conceſſam extraordinariam Syagrio Auguſtodunenſi legationem, hæc non ſeorſim omnia, ſaltem ſimul ſumpta vniuerſa demonſtrant.

Quod Gregorius Virgilio Arelatenſi ſcribens epiſtolam quinquageſimam tertiam libro quinto, eum *Metropolitanum Galliæ* appellet: quod libro nono epiſtolâ quadrageſimâ nonâ ad eundem Virgilium ſcribat, vt de Synodo ad eradicandam ſimoniam inſiſtat, & caueat, nè Serenus Maſſilienſis Epiſcopus Preſbyterum mali nominis familiarem habeat: quod libro nono epiſtolâ ſexageſimâ tertiâ Auguſtinum & ſocios ei commendet, eique præcipiat, vt ſi quid circa Sacerdotum, vel aliorum culpas intulerit, quæ emendanda ſunt ſubtili inueſtigatione cum eo perquirat, *vt ad aliorum emendationem ex vindicta culpabilem feriat, & innocentem falſa opinio non affligat.* Denique quod diu poſt legationem prædictam Syagrii, ad Auguſtini varias quæſtiones reſpondens Gregor. epiſt. 31. lib. 12. indict. 7. *Reſponſione ad interrogationem nonam*, in Galliarum Epiſcopos penes Arelatenſem Epiſcopum poteſtatem ineſſe teſtetur iis verbis, *In Galliarum Epiſcopos nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis prædeceſſorum meorum temporibus pallium Arelatenſis Epiſcopus accepit, quem nos priuare auctoritate percepta minime debemus: ſi igitur contingat vt fraternitas tua ad Galliarum prouincias tranſeat, cum eodem Arelatenſi Epiſcopo debet agere, quatenus ſi quæ ſint in Epiſcopis vitia, corrigantur; qui ſi forte in diſciplinæ vigore tepidus exiſtat, tuæ fraternitatis zelo accendendus eſt. Cui etiam epiſtolas fecimus, vt cum tuæ ſanctitatis præſentia in Gallias fuerit, & ipſe tota mente ſubueniat.* Et paulo poſt. *Quicquid vero ex auctoritate agendum eſt, cum prædicto Arelatenſi Epiſcopo agatur, nè prætermitti poſſit quod antiqua Patrum inſtitutio inuenit*, &c.

Atque hinc, licet ad diuerſos Epiſcopos pro adiuuando Auguſtino Anglorum Epiſcopo varias epiſtolas miſerit Gregorius, verbi gratia quinquageſimam ſecundam lib. 5.

Digitized by Google

Palladio de Sanctonis, & Pelagio de Turonis, & Sereno de Maſſilia, 54. eiuſdem libri, *Deſiderio Viennenſi, & Syagrio Auguſtodunenſi*. Item 52. lib. 9. in commendationem Monachorum, quos ad Auguſtinum mittebat, ſcripſerit ad varios Galliarum Epiſcopos, *Serenum Maſſiliæ, Lupum Cabiloni, Aegilium Metis, Simplicium Pariſiis, Melantium Rothomagenſem & Licinum Epiſcopos Francorum*, nihilominus vnius Arelatenſis Epiſcopi meminit venerabilis Beda, cui Auguſtinum Gregorius commendarit lib. 1. hiſtor. cap. 24. ab eoque illum ordinatum iuxtà quod à S. Gregorio acceperat, refert cap. 27. eiuſdem libri. In eo tamen deceptus quòd Æherium Arelatenſem Epiſcopum nominarit, cuius nomini nullius eo tempore Arelatenſis Epiſcopus, ſed Lugdunenſis, & certe Virgilio in commendationem Auguſtini à Gregorio ſcriptam legimus epiſtolam 53. lib. 5. nullam autem Ætherio: meminit & literarum Arelatenſi Epiſcopo in gratiam Auguſtini miſſarum Beda capitibus 27. & 28. quæ omnes apud Gregorium leguntur Virgilio Arelatenſi inſcriptæ.

Leguntur & deinceps apud eundem Bedam ab Epiſcopo Theodoro in Angliam à Vitaliano Papa deſtinato literæ commendatitiæ ad Ioannem Arelatenſem Epiſcopum directæ anno 668. lib. 4. cap. 1.

§ LXIV.

Aliorum Metropolitanorum pro Primatu obtinendo tempore Gregorij conatus.

VERUM legationes prædictæ aliis quàm ſedis Arelatenſis præſulibus à Summo Pontifice in eodem regno in quo Primatum ſuum Arelatenſis exercebat conceſſæ in eo lethale vulnus videntur Arelatenſi primatui ſeu Sedis Apoſtolicæ Vicariatui inflixiſſe, quòd cæteri maioris dignitatis Metropolitani, vbi aliis legationem Sedis Apoſtolicæ concedi animaduerterunt, etiam ſuffraganeis ſuis iis parere dedignati, Vicariatum iſtum aut certe αὐτοκεφαλίας ſeu independentiam videntur expetiiſſe, & antiqua priuilegia ſibi olim conceſſa, vel comminiſci vel obſoleta in lucem educere cœperint. Nam eo tempore antiqua quædam priuilegia obtendit Ætherius Lugdunenſis Metropolitanus, quæ alleganti, hæc duntaxat reſpondiſſe legitur Gregorius epiſtolâ 50. libro 9. *De eo verò quod Eccleſiæ veſtræ ex antiqua conſuetudine depoſcitis, requiri in ſcrinio fecimus & nihil inuentum eſt, vnde nobis epiſtolas, quas vos dicitis habere, tranſmittite, vt ex eis quid concedendum ſit, colligamus.* Similiter & Deſiderius Viennenſis, pallium prædeceſſoribus ſuis olim conceſſum & prærogatiuas pallii conceſſioni adnexas videtur expetiiſſe ex epiſt. eiuſdem Gregorii centeſimæ decimæ ſextæ indictione ſecunda lib. 7. verbis iſtis, *inquit autem* (Ioannes Regionarius) *à veſtra ſibi relatum dilectione, quod Eccleſiæ veſtræ quædam olim priuilegia ab Apoſtolica Sede conceſſa ſunt, atque vſum pallii eius Sacerdotes antiquitus habuiſſe. Quod quia vobis magnopere poſcitis reformari, in Eccleſiæ noſtræ ſcrinio requiri fecimus, & nihil inueniri potuit. Sed quoniam quantò ſtudioſius iſta cupitis adipiſci, tantò vos arbitramur eſſe ſollicitos in requirendis chartis Eccleſiæ veſtræ vigilantius curam impendite. & ſi qua exinde ſcripta inueniri potuerint quæ nos valeant informare, hinc curæ veſtræ ſit tranſmittere.*

Hinc etiam factum, vt cùm moris eſſet, quod Metropolitani ipſi atque Epiſcopi in iis quæ ardua & difficilia viderentur Vicarium Sedis Apoſtolicæ conſulerent antequam Summo Pontifici difficultates enaſcentes proponerent iuxta præceptum ſancti Leonis ad Theodorum Foroiulienſem, id neglexiſſe videntur ab eo tempore celebriores ſaltem Metropolitani, à quibus quæſtiones directò ad Gregorium aliquas miſſas legimus in reſponſionibus ipſius Gregorii, cuiuſmodi eſt miſſa quæſtio ab Ætherio Lugdunenſi, qua ratione Epiſcopo prouidendum ſit, cum Epiſcopus ex capitis infirmitate, officio fungi non poteſt, cui reſpondet Summus Pontifex epiſtolâ ſeptimâ libro vndecimo.

§. LXV.

Alia ratio Primatus Arelatenſis neglecti à tempore Gregorij.

ADDE & aliam rationem, Regum ſcilicet in Eccleſiaſticis negotiis inualeſcentem in dies auctoritatem: ad quos proinde de grauioribus negotiis ſcribebant Summi Pontifices, vt pauca ſupereſſent quæ à Primate tractari deberent: quorum etiam iuſſionibus ordinationes nonnunquam, vt alibi docuimus, turbatas leges: & quorum voluntati cum non auderent Primates obſiſtere, ad ordinationes vel confirmandas, vel infirmandas cœpit Primatum auctoritas parum valere. In iudiciis Eccleſiaſticis eadem vis à Principibus adhibita Primatum iudicia interuertit. Et ne ſuperiora tempora reuoluamus, legimus apud Fredegarium in appendice ad Gregorium Turonenſem, in Synodo Cabilonenſi anno Gregor. 140. Chriſti ſexcenteſimo tertio, Deſiderium Viennenſem Epiſcopatu deiectum, *& inſtigante Aridio Lugdunenſi Epiſcopo, & Brunnechilde ſubrogatum eſſe loco ipſius Sacerdotali officio Domnolum: Deſiderium vero in inſulam quandam exilio retruſum*: quem anno ſequenti ſcribit *Theodoricum conſilio Aridii Epiſcopi Lugdunenſis & perſuaſione Brunnechildis auiæ ſanctum virum de exilio egreſſum lapidari præcepiſſe.*

§. LXVI.

Extincti poſt Gregorium Primatus Arelatenſis argumenta.

ATQVE hinc ſuſpicor factum, vt Primatus Arelatenſis deinceps vix aliqua veſtigia appareant. Neque enim in Concilio Pariſienſi quinto, anno ſexcenteſimo decimo quinto, neque in Remenſi anno ſexcenteſimo trigeſimo, neque in Cabilonenſi anno ſexcenteſimo primo, diuerſarum prouinciarum Conciliis ſeptimo ſæculo habitis, vlla mentio Arelatenſis præſulis; ſed Remenſi Sonnacius Remenſis, Cabilonenſi Caudericus Lugdunenſis præſedit, Pariſienſi quis præſederit incertum eſt, cui ſeptuaginta nouem Epiſcopi ſubſcripſiſſe leguntur, nullius adhibito nomine. Quin immo Concilium Cabilonenſe citatum ex duabus prouinciis collectum Theodoſium Arelatenſem ab officio ſuſpendit, eamque in eum ſententiam auſum eſt pronuntiare, *Propterea ſalutantes beatitudinem veſtram honorificè, iudicamus, vt vſque ad aliam Synodum, de Arelatenſi ſede vbi vos conſtat Pontificalem cathedram tenuiſſe, debeatis omnimodis abſtinere, & de facultate ipſius Eccleſiæ nihil ad veſtram dominationem, donec in audientia ante fratres conueniatis, penitus præſumatis.* Quod ſi primatus ſeu Vicariatus Apoſtolicus præſulis Arelatenſis iſto tempore viguiſſet, non auſi eſſent Epiſcopi dignitate & gradu inferiores in eum ſententiam ferre, dati ſcilicet prioris æui exemplo, quo Sapaudum Arelatenſem ab Epiſcopis Gallicanis damnari propter ſuæ legationis eminentiam grauiter tulit Vigilius ex prædictis.

Octauo ſæculo cùm legatio Bonifacio Moguntino in Gallias decreta fuiſſet Zachariæ præcepto, Arelatenſis præſulis nulla facta eſt mentio. Eodem ſæculo in Concilio Narbonenſi habito anno ſexcenteſimo octuageſimo octauo, poſt Danielem Epiſcopum Narbonenſem Eliphantus Arelatenſis ſedit. Adeoque depreſſa eſt Arelatenſis Eccleſiæ gloria, vt ſopitam tot ſæculis litem Vrſio Viennenſis Epiſcopus in Concilio Francofordienſi ipſi intentarit.

Iis ergo ſæculis exiſtimo denegatam Arelatenſi Eccleſiæ Vicariatus Apoſtolici dignitatem Regibus ad ſe maiora negotia trahentibus, Summis Pontificibus à Longobardis & exarchis vexatis oculos præcipue in id intendentibus, vt ab hæreſi Monothelitarum tum ab Iconomachorum erroribus Eccleſiam purgarent, & Orientis Imperio miſere vexato ſuccurrerent, ac deinde ſe à Longobardis Arrianis defenderent.

Deniq; diſciplina in Galliâ tum Regum diſſenſionibus, tum ignauiâ omnino collapſa cui cauſæ Vicariatus Arelatenſis deſitionem videtur attribuere Hincmarus Remenſis, qui ad Gregor. vſque illũ primatum deduxit, neç Vicariatum Apoſtolicum niſi in per-

ſona Bonifacii Moguntini reſtitutum memorauit epiſtolâ ſcilicet quadrageſimâ quartâ ad *Epiſcopos, de iure Metropolitanorum*, *cum de Primatu Auſegiſi ageretur*, capite vigeſimo. *Poſtea vero*, inquit, *tempore beati Gregorii Virgilius Arelatenſis Epiſcopus petente Childeberto Rege in regno ipſius, ſicut prædeceſſores illius in præfatis prouinciis habuerant, hanc delegationem eodem beato Gregorio, committente ſuſcepit. Denique tempore Caroli Martelli Principis, quando propter diſcordiam & contentionem de principatu inter eum & Ragaufredum, & frequentia, & ciuilia, imo pluſquam ciuilia, quia inteſtina & parricidalia, bella, in Germanicis, & Belgicis ac Gallicanis prouinciis omnis religio Chriſtianitatis pene fuit abolita, itavt Epiſcopis in paucis locis reſiduis, Epiſcopis laicis donata, & rebus diuiſa fuerint Gregorius à primo ſecundus, ſed & tertius Gregorius Vuinfrid cognomento Bonifacium Legatum Apoſtolicæ Sedis ad reformandam Chriſtianitatis religionem primò presbyterum, poſtea vero Epiſcopum ordinatum direxerunt: cui per annos viginti quinque in eadem prædicatione ſine Cardinali ſede laborante præfatorum ſucceſſor Zacharias Papa Metropolitæ priuilegia (epiſtola decima quarta) & Primatus (epiſtola octaua)* per totam Galliam conceſſit.

§. LXVII.

Variarum Eccleſiarum & Epiſcoporum Primatus obiter enumerantur, & ſuſcitatus à Ioanne octauo Primatus Arelatenſis oſtenditur.

NON hic agito quæſtionem de Vicariatu ſancto Remigio ab Hotſmiſda Papa in Belgicis, & aliis quibuſdam Gallicanis prouinciis conceſſo, *Manente*, vt loquitur Hincmarus epiſtola citata cap. 19. *priuilegio Arelatenſi Eccleſiæ, in ſibi antiquitus delegatis prouinciis*, cuius etiam meminit Adrianus I. epiſtolâ ad Zilpinum Archiepiſcopum Remenſem, citatâ ſuperius ex Frodoardo, aliique meminere.

Neque etiam de Primatu Drogoni Metenſi conceſſo à Sergio Papa, quem *faſtu regiæ proſapiæ*, ad hanc dignitatem ſubuectum, vt Ciſalpinis regionibus pæficeretur, ait Hincmarus epiſt. cit. cap. 31.

Cæteras quoque ſequentium ſæculorum innouationes prætermitto. Nam Angeſiſo venerabili Senonenſi Archipræſuli rogante Carolo Caluo Imperatore conceſſum referam à Ioanne octauo. *Suam vicem tenere, & Primatum Galliæ & Germaniæ collatum in euocanda Synodo & definienda canonice, ſi quæ inſurrexerint neceſſaria, vt & qualibet grauiora adnotitiam ipſius referret, quod & ſucceſſoribus ſuis in propria vrbe Senonica* conceſſum narrat Synodus Pontigone habita, apud Odoramnum Monachum: qui & ait Synodum iſtam *promotioni Auſegiſi conſenſiſſe, eamque vnanimi deuotione laudaſſe*, cum è contra Epiſcopos in Synodo omnes excepto vnico Frothario Burdegalenſi, *Nonniſi ſeruato ſingulis Metropolitanis iure priuilegii ſecundùm canones, & iuxta decreta Sedis Romanæ Pontificum, ex eiſdem ſacris canonibus promulgata*, induci potuiſſe, vt eidem acquieſcerent, referant acta eiuſdem Concilii, apud Aimoinum libro quinto cap. 31. ad quod vlt. perſuadendum prædicta epiſt. Hincmari ſcripta plurimum valet, vt ex ipſius lectione conſtat.

Non fuſius proſequor confirmatũ ſub eodem Carolo Caluo Imperatore à Ioanne 8. epiſt. 93. Arelatenſi Archiepiſcopo (quem Roſtagnum ex aliis eiuſdem Papæ epiſtolis dictum liquet) Vicariatum Sedis Apoſtolicæ, *iuxta antiquum* (vt ipſe loquitur) *morem, ſingulis quidem Metropolitis ſecundum priſcam conſuetudinem honore proprio ſeruato*, quam clauſulam in confirmatione Arelatenſis adhibet in Auſegiſi Senonenſis Vicariatu prætermiſſam, vt conſtat ex epiſtola eiuſdem Ioannis relata tomo primo Conciliorum Galliæ forte quod eam adhibendam cenſuiſſent Epiſcopi Galliarum duobus antea annis Auſegiſi Primatus literæ Concilio Pontigonenſi oblatæ fuiſſent: nec niſi adhibitâ iſta exceptione illas admittere voluerint vt mox docuimus, atque adeo ipſam Ioannes octauus expreſsè adhibendam cenſuerit vt omnis reluctandi occaſio Galliarum Epiſcopis præcluderetur.

Cæterum eędem facultates vtrique conceduntur in Synodis conuocandis & aliis per Gallias & Germanias, negotiis Eccleſiaſticis exercendis, vt vice Papæ fungatur: ad quem majora negotia & difficiliora referre vterque iubetur. Vnum addltur in conceſ-

Digitized by Google

ſione Vicariatus Sedis Apoſtolicæ Arelatenſi præſuli, *vt nulli Epiſcoporum longius ſine eius auctoritate peregre proficiſci, & ad alia loca tranſire liceret.*

Quâ etiam epiſtolâ nonageſimâ tertia Ioannis octaui notare potuiſſemus Papam grauiter reprehendere, quòd *Metropolitæ antequam pallium à Sede Apoſtolica percipiant, conſecrationem facere præſumant*; quod & prædeceſſores ſuos & ſe interdicere canonico decreto monet: non vtique Metropolitis interdicere ibi videtur pallii vſum, etiamſi ab aliquo Primate dependerent, ſed eiſdem concedere, ante cuius ſcilicet obtentionem ab Apoſtolica Sede facultatem eorum vult ſuſpenſam eſſe; ſed vetus, vt opinor, illa conſuetudo fuit, vt Metropolitæ maioris nominis ac liberioris poteſtatis, qui ſibi ius exarchicum olim conceſſum prætendebant à Summis Pontificibus, cuiuſmodi, vt credo, erant Lugdunenſis, Viennenſis, Bituricenſis, & alii, pallio vterentur: nec enim incredibile eſt ipſos in eius iuris ſe poſſeſſionem miſiſſe, quod maioribus ſuis ac ipſorum prædeceſſoribus Pontificiis diplomatibus conceſſum perſuadere volebant.

Omitto & eodem fere tempore in Synodo Cabilonenſi ſecunda habita anno octingenteſimo nonageſimo quarto Aurelianum, *Primatem omnium* Galliarum nuncupatum; à Nicolao quarto, epiſtolâ ſcripta anno octingenteſimo ſexageſimo quarto, ad Rodulphum Bituricenſem, illum Archiepiſcopum, Primatem, & Patriarcham nuncupari: qua epiſtola Sigebodus Narbonenſis fatetur ad Patriarcham Bituricenſem à clericis ſuæ prouinciæ appellari potuiſſe, quamuis in clericos & in loca Eccleſiæ Narbonenſis neget quidquam ei licere; Nicolaum quoque eadem epiſtola hanc ſententiam tanquam certum principium ſtatuere, Primates vel Patriarchas nihil priuilegii habere præ ceteris Epiſcopis, niſi quantum ſacri Canones concedunt, & priſca conſuetudo illis antiquitus contulit.

Hæc inquam omnia omitto, quæ variarum contentionum ſeminaria fuerunt, dum diuerſi iſti Metropolitani de finibus ſuæ exarchiæ, vel obedientia ſibi debita vel inter ſe, vel cum aliis Metropolitanis contenderunt.

Quæ omnia legi poſſunt fuſius explicata à Reuerendo Patre Morino, & clariſſimo viro Præſide de Marca, libris à nobis initio huius diſputationis citatis. Varias enim diſſenſiones attingere noſtrum non eſt, quæ ex publicatione epiſtolarum decretalium Summorum Pontificum prodiiſſe videntur, in quibus vbi notarunt primatum Sedium Metropolitani, cautum puta in epiſtolis Anacleti, & aliorum Summorum Pontificum, in maioribus ciuitatibus ſupra Metropolitanos quoſdam eſſe primates conſtituendos, ſtudiô quodam primatus incenſi, in priora ſæcula oculos reuoluentes quæcumque ad ſuæ Eccleſiæ dignitatem reperire potuerunt, colligentes, ſibi primatus exinde dignitatem debitam contenderunt, & à Summis Pontificibus reſcripta, ſiue per gratiam, ſiue per obreptionem obtinere enixi ſunt, adeout immortales fere ex eo lites generatæ fuerunt, præſertim inter Archiepiſcopos Lugdunenſem & Senonenſem in Gallia Belgica, Bituricenſem & Burdegalenſem in Aquitanica, Arelatenſem & Viennenſem in Narbonenſi, Treuirenſem & Remenſem in Belgica, Colonienſem & Moguntinum in Germanica, quæ omnia accurate proſequi non eſt noſtri inſtituti.

Noſter autem ſcopus ac finis fuit antiquum Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ordinem in Galliis proponere, ab vno capite Summo Pontifice dependentem, cuius Sedis Vicarios primum auctoritatis locum habuiſſe in euocandis Conciliis, cauſis maioribus vltimo iudicio terminandis, vel ad Sedem Apoſtolicam referendis, Summorum Pontificum decretis propalandis, illiſque in arduis rebus conſulendis, diſceſſuriſque longius Epiſcopis formatis literis tribuendis; reſeruato Metropolitanorum iure circa ordinationes Epiſcoporum ſuæ prouinciæ, iudicia Eccleſiaſtica, Conciliorum prouincialium celebrationem.

§. LXVIII.

Non ſolas perſonas, ſed Eccleſiam quoque Arelatenſem Vicariatus Sedis Apoſtolicæ, ſeu Primatus Arelatenſibus præſulibus conceſſus affecit.

QVi Hierarchico ordini quædam ab aduerſariis opponuntur quæ facile ex prædictis dilui poſſunt.

Primùm opponitur, dignitatem iſtam & auctoritatem Arelatenſium præſulum per-

ſonis ipſorum non Eccleſiis videri adnexam fuiſſe, totieſque de nouo conceſſam legationem qua exornati leguntur, quoties noui præſules eligerentur, quod, inquiunt, ex tot allegatis à nobis Summorum Pontificum conceſſionibus colligi probabiliter poteſt, ex iis maximè quæ meritis delatam hanc dignitatem teſtantur, cuiuſmodi plurimæ legi poſſunt: atque adeò non fuiſſe hunc exarchicum ordinem conſtantem, ſed ex occaſione inductum.

Verùm parum vtique refert, ſiue perſonis ob meritum iſte Vicariatus delatus fuerit, ſiue Eccleſiæ Arelatenſis antiquitati, aut nobilitati; dummodo enim conſtet de forma regiminis Hierarchici quæ multis ſæculis durauerit, conſtans illa dici poteſt quoquo modo ad eam perueniretur, ſiue per merita, ſiue per adſcriptionem certæ Eccleſiæ: ſicut non deſiit Africanæ Eccleſiæ Hierarchia conſtans haberi, quamuis Carthaginenſis Epiſcopus eo ipſo quo Carthaginenſi Eccleſiæ præpoſitus eſſet, in totam Africam primatum obtineret, Numidiæ verò, Bizacenæ, & aliarum prouinciarum Primates ordinationis antiquitate euaderent.

Præterea, falſum eſt merè perſonale fuiſſe Arelatenſium præſulum priuilegium, eorum duntaxat meritorum intuitu, non Eccleſiæ Arelatenſis conceſſum: merita quidem probabantur antequam pallium illis & Vicariatus Sedis Apoſtolicæ cuiquam ipſorum concederetur, ne indignus ad hoc munus aſſumeretur, & perſonæ quidem integritas, atque induſtria tanquam conditio à Summo Pontifice conferendæ prærogatiuæ, non autem tanquam cauſa eius concedendæ, ſpectabatur; ſed ipſa intuitu Arelatenſis Eccleſiæ, vt pote nobiliſſimæ, opportuniſſimæ, & ab Apoſtolorum temporibus per Trophimum fundatæ conferebatur, vt expreſſe aſſerunt Zoſimus & Symmachus ſupra; nec non Epiſcopi Metropolis Arelatenſis epiſtolâ ad Leonem, aſſerunt & Synodi ſecundæ Arelatenſis Patres, qui Arelatenſis Epiſcopi priuilegium eſſe affirmant Synodorum conuocandarum auctoritatem; aſſerunt denique omnes ſuperius citati Summi Pontifices qui priſcam conſuetudinem, & antiquum morem iuxta quem ſolebant Arelatenſes præſules Vicarii Sedis Apoſtolicæ conſtitui ſe ſequutos affirmant.

§. LXIX.

Secundæ obiectioni reſpondetur, & de vſu Primatus Arelatenſis diſſeritur.

ALTERVM opponitur pauca legi Vicariatus iſtius Sedis Apoſtolicæ Arelatenſibus præſulibus conceſſi miniſteria, quin immo & in Conciliis & iudiciis Eccleſiaſticis ordinem iſtum ſæpius violatum animaduerti, vt ab aliis quàm Arelatenſibus præſulibus & Epiſcopi iudicarentur, & Concilia haberentur. Reſpondeo ſatis multa à nobis allata eſſe poteſtatis exarchicæ ab iis exercitæ argumenta, nec omnia ſcripta eſſe quæ illi exercuerint, anomala & irregularia diligentius ab hiſtoricis notari, quàm ordinaria, & quæ ex communi lege perficiuntur, quemadmodum & eclypſeos & terræ motus & inundationes ſcribi ſolent, ſileri verò quæ ex lege ordinaria circa ſtellas & aſtra, maria, terram contingunt. Quare nec annui conuentus omnes, qui ab Arelatenſi præſule fieri ſolebant, ſicut nec prouinciales Synodi quæ bis in anno ſecundùm canones congregari iubebantur, quas non dubium eſt numero fuiſſe infinitas, ſcriptores Eccleſiaſtici memorarunt; nec iudicia omnia, quibus præfuerunt præſules Arelatenſes adnotata fuiſſe omnia certiſſimum eſt: quemadmodum nec iam iudicia aut curiarum Eccleſiaſticarum aut ſecularium omnia chartis mandari ſolent.

Concilia verò quæ principum iuſſione extra ordinem collecta ſunt ab hiſtoricis ſtudioſius notantur, quia vt plurimum ob extraordinarias cauſas, & extraordinariò habita ſunt.

Non mirum eſt, ſi ſtante Vicariatu Sedis Apoſtolicæ Arelatenſi præſuli conceſſo, nonnunquam legamus in Galliis ab aliis quàm Arelatenſibus præſulibus Concilia habita, & iudicia Epiſcoporum inſtructa, nam regno Galliarum in varias partes diſtracto à Francis, Gothis, Burgundionibus, Romanis, poſteaque in varios Francorum Reges diuiſo, non potuit Arelatenſis, vni duntaxat parti vt plurimum præfectus, toti Galliæ præeſſe, in quam non habebat poteſtatem, nec ſi habuiſſet, plurimum ei fuiſſet dele- tum à Principibus infenſis iis quibuſcum Galliam partiebantur, qui proinde vix vnquam

Digitized by Google

induci potuiſſent, vt in ſuo regno conſiſtentes Epiſcopi præſulis Arelatenſis in regno æmuli Principis conſtituti imperio, iudicioque ſubderentur.

Adde multa à Principibus auctoritate facta legi, non ex canone, quæ omnia canonicam aliquam poteſtatem non probant ignotam, aut minime admiſſam fuiſſe, ſed aliquando prætermiſſam.

§. LXX.

An priuilegia quæ Eccleſiæ Arelatenſi ſunt conceſſa, aliis communicata fuerint. Vbi de origine Primatus Lugdunenſis quædam.

TERTIVM opponitur, quæ nos dicimus Arelatenſem præſulem tanquam Vicarium Sedis Apoſtolicæ habuiſſe priuilegia, deferendi pallii, & Concilia conuocandi, ea alios Galliarum præſules, quos Vicarios Sedis Apoſtol. non fuiſſe conſtitutos cõſtat, ſibi tanquam ſuo iure debita nemine contradicente, probantibus Galliarum Epiſcopis, atq; ipſo Arelatenſi præſule nequaquam diſſentiente vſurpaſſe. Etenim eo ipſo tempore quo Vicariatum Sedis Apoſtolicæ per vniuerſam Galliam Sapaudũ Arelatenſem a Pelagio primo conſecutum, illum exercere oportuit, reperimus præſules Lugdunenſes eadem omnia cum ipſo priuilegia habuiſſe; nam eodem Sapaudo in viuis agente, & Arelate ſedente reperimus Concil. Lugdunenſe habitum ſub Ioanne tertio Pelagii ſucceſſore anno 567. cui licet primus ſubſcribat Philippus Viennenſis, tamen ipſum à S. Nicetio conuocatum fuiſſe probabile eſt. Legimus Salonium Ebredunenſem & Sagittarium Vapinenſem Epiſcopos damnatos, indictâ Synodo Lugdunenſi *coniunctis Epiſcopis*, vt ait Greg. Turonenſ. lib. 5. hiſtoriæ cap. 20. *cum Patriarcha Nicetio beato.*

Ex quo teſtimonio colligis & Nicetium Patriarcham, ſeu primatem fuiſſe, & Metropolitani vnius, atque Epiſcopi extra prouinciam conſtitutorum, Ebredunenſis ſcilicet in Alpium maritimarum prouincia, & Vapincenſis præſulis in Narbonenſi ſecunda iudicem fuiſſe & Concilio Epiſcoporum præſediſſe.

Deinde & Priſcum Lugdunenſem Nicetii ſucceſſorem vſum pallii habuiſſe colliges ex Matiſconenſi primo habito anno 591 cuius ſcilicet canone 6. ſtatuitur, *vt Archiepiſcopus ſine pallio Miſſas dicere non præſumat.* Qui canon vel de omnibus Metropolitanis intelligitur, vel ſingulariter de prouinciæ illius Metropolitano, in qua habebatur Concil. & qui primus Concilio ſubſcripſit, puta de Priſco Eccleſiæ Lugdunenſis præſule: non poteſt autem probabiliter intelligi de Sapaudo Arelatenſi, alterius prouinciæ Metropolitano, qui ab iſto Concilio aberat.

In quem etiam canonem nota Archiepiſcopi nomen Lugdunenſi attributum eo canone; quod nomen in Conciliis Gallicanis antea ignotũ, iuxta vſitatam iſtis temporibus ſignificationem, primatem Metropolitanis ſuperiorem ſignificare poteſt, quemadmodũ ex Iuſtiniano, & Iſidoro Hiſpalenſi qui circa iſta tẽpora vixerunt ſuperius probauimus.

Duobus poſtea annis à prædicto Priſco habetur Lugdunenſe tertium Concilium, itemque Matiſconenſe ſecundum, cuius præfatio manifeſtè oſtendit Priſcum præſidem Concilii egiſſe: nam ſtatim initio hæc habentur. *Præſidentibus Priſco, Euantio, Prætextato, Bertechranno, Artemio, Sulpitio, Metropolitanis Epiſcopis, cum omnibus Sacerdotibus eorum. Priſcus Epiſcopus Patriarcha* (nota Patriarcham illum vocari, id eſt, Primatem) *dixit: Gratias agimus Domino Deo noſtro, fratres & conſacerdotes mei, qui nos hac die congregans, alterna nos fecit ſublimitate gaudere.* Cæteri Metropolitani dixerunt: *Gaudemus, frater ſanctiſſime, quòd omnes Epiſcopi, qui in regno glorioſi Domini Guntramni Regis Epiſcopali honore funguntur, in vno ſe conſpiciunt coadunati Concilio*, &c.

Quin imò eiuſdem Concilii canone vltimo, idem Primatus Lugdunenſis fortius confirmatur, quo ſcilicet neceſſitate Concilii totius regni tertio quoque anno celebrandi ſtabilitâ: *Et hoc*, inquiunt Patres, *adimplere ſollicitudinis ſit Lugdunenſis Epiſcopi, unà cum diſpoſitione magnifici Principis noſtri prius definientis locum mediterraneum, ad quem omnes Epiſcopi ſine labore alacres congregentur. Et ſi aliquis eorum contumax fuerit, aut excuſationem falſæ neceſſitatis, cur non interſit, inuenerit, & poſtea publicatum fuerit quod inepta erat eius excuſatio, vſque ad Concilium vniuerſales, à communione, & à charitate fraterna maneat alienus.* Lugdunenſis igitur Metropolitanus eadem habuit priuilegia, & fortè ampliora quàm Arelatenſis.

Quis autem dicere audeat Lugdunenſem præſulem Vicarium Sedis Apoſtolicæ conſtitutum iſto tempore? Vbi illa priuilegia? vbi Vicariatus Lugdunenſis Metropolitani pro iſto tẽpore vllum veſtigium apparet? profecto, ſi quæ iſto tempore à Summo Pontifice Lugdunenſi præſuli priuilegia conceſſa extitiſſent, reperta illa fuiſſent tempore Gregorii I. in ſcriniis Romanæ Eccleſiæ, tunc cũ Ætherius Eccleſiæ ſuæ concedendas aliqua ex antiqua cõſuetudine depoſcebat, quorũ in ſcrinio Romanæ Eccleſiæ inuentũ nihil reſpondit Greg. lib. 9. epiſtola 50. epiſtolaſq; proinde ipſas, quas ſe dicebat habere, tranſmitti poſtulat: quas tranſmiſſas non fuiſſe ex eo colligitur, quod nec Gregorius, nec ſucceſſores ipſius quidquam in fauorem Eccleſiæ Lugdunenſis poſtea conſtituiſſe leguntur; tranſmiſiſſet autem eas Ætherius, ſi ipſas habuiſſet germanas, atque expreſſas prærogatiuæ Eccleſiæ ſuæ iudices. Igitur non eſt probabile Vicariatum Sedis Apoſtolicæ Lugdunenſi præſuli collatum, aut Primatum ei à Sede Apoſtolica eo tempore conceſſum, quo tamen iiſdem priuilegiis liberè fruebatur quibus Arelatenſes inſigniri ſolent: ac proinde ſequitur minimam iſtius Vicariatus à Gallis habitam fuiſſe rationem.

Huic obiectioni oppono, ſi adeò exiliter Vicariatum Sedis Apoſtolicæ æſtimabant Galli, cur ergo tanto ſtudio Epiſcopi Vicariatum Sedis Apoſtolicæ procurabant? cur Reges pro eo ad Summum Pontificem ſollicitè ſcribebant? cur eo præſertim tempore quo Romani Pontifices ſub Gothorum, Longobardorum, Imperatorum Græcorum, Exarchorum ab iis miſſorum poteſtate erant, quibuſcum & cum Francorum Regibus apertæ aliquando inimicitiæ, fere ſemper latentes ſimultates intercedebant; non dico expetiiſſent, ſed vel permiſiſſent à Summis Pontificibus aliquem nominari inter Epiſcopos Galliæ Sedis Apoſtolicæ Vicarium, qui & Concilia conuocaret, & alia in regno ipſorum auctoritatis ac iuriſdictionis officia exerceret, ipſumque Summum Pontificem, cui pro regni ſui quiete diffidere poterant, de omnibus Eccleſiaſticis negotiis moneret? quomodo præſertim patiebantur, vel differri expetitam Vicarii nominationem à Summo Pontifice donec conſentiret Græcus Imperator, quod fecit Vigilius? vel commendatum ſibi ab Imperatore dici illum cui vices ſuas conferret Pontifex, quod teſtatus in electione Syagrii Gregorius? quomodo inquam id patiebantur Francorum Reges, qui eidem Imperatori irati ſunt, quod Francicus appellari voluiſſet, niſi ſciuiſſent poteſtatem iſtam ita à Summo Pontifice pendere, vt ab alio legitime dari, aut confirmari non poſſet?

Quid ergo dicemus de Lugdunenſibus præſulibus, Nicetio, verbi gratia, & Priſco, qui Patriarchæ ac Primates dicti ſunt, & pallio inſigniti ſunt, Concilia conuocarunt, & conuocandi ordinariam curam ac ſollicitudinem ſibi à Gallicanis Epiſcopis demandatam ſuſceperunt? Illos ego pronuntio Vicarios Sedis Apoſtolicæ expreſſa Summorum Pontificum voluntate conſtitutos, nec efficaciter probari, nec improbari: probabile eſſe quod creati aliquando fuerint, neque ſi id negaretur, ideo ſequi eorum auctoritatem non à Summo Pontifice dependiſſe cuius tacito ſaltem conſenſu firmatam fuiſſe oporteret, vt legitima ac canonica cenſeri poſſet.

Quid verò impedit quominus dicamus Sapaudo primum in Gallias vniuerſas, vel certè in maximam Galliarum partem, etiam in Lugdunenſes prouincias Vicariatum Sedis Apoſtolicæ fuiſſe collatum? quia vt notauimus ſupra, ad ſupplicationem Childeberti Regis à Pelagio nominatus fuerat eo tempore quo Childebertus præter regnum Pariſiorum, quod ſibi inter filios Clodouæi contigerat, ac partem regni Aurelianenſis quam mortuo Clodemiro cum fratribus diuiſit, Burgundiæ partem quã cum Clothario, Burgundionibus ſubactis, prouinciæ, quam cum eodem Clothario & Theodeberto fratris Theodorici filio, Gothis è Gallia eiectis, obtinuerat, inſuper regni Clotharii maximam partem, ad ſe deficiente Chramno eiuſdem Clotharii filio, ſuam fecerat: potuit & eundem in eaſdem prouincias Galliæ Vicariatum exercere quandiu ſolus Clotharius, fratribus, nepotibuſque ſuperſtes Monarchia Galliarum potitus eſt? quo toto tempore nullum alium apparet Vicarium Sedis Apoſtolicæ ſe geſſiſſe, ac primatus ornamenta, dignitatem, poteſtatem habuiſſe, præter Arelatenſem Sapaudum, qui & Arelatenſi quinto, & Pariſienſi ſecundo ſub Pelagio primo præſedit; & de quo Pelagius conqueſtus eſt, quod alterius in Gallia iudicium ſubire coactus eſſet. Tunc primum Lugdunenſis Epiſcopus poteſt dici exarchica dignitate ornatus, cum diuiſum in quatuor liberos Clotharii Galliarum imperium fuit, & Charibertus Pariſiis, Guntheramnus in

quum A.

Burgundiæ, Chilpericus Sueſſione, Sigebertus in Auſtraſia imperarũt. Tunc enim apparet Arelatenſem præſulem non in omnibus iſtis prouinciis primatum ſuum exercere permiſſum, apparet in regno Guntramni Lugdunenſem auctoritate cæteris ſuperiorem ab eo tempore habitum. Lugdunenſe ſecundum Concilium Regis Guntramni iuſſu & in ipſius regno celebratum anno 567. vt fert ipſius Conc. inſcriptio. Primus quidem illi ſubſcripſit Philippus Viennenſis, ſecundus Nicetius, forte quod extraneum Metropolitam antiquiorem ordinatione honorare voluerit.

At ipſum anteſignanum Concilii fuiſſe liquet ex citatis verbis Gregorii Turonenſis lib. 5. cap. 20. Lugdunenſe quoque tertium, Matiſconenſe primum & ſecundum, quibus Priſcus Lugdunenſis præſedit, habita conſtat in regno Guntramni.

Igitur probabile eſt Lugdunenſem Epiſcopum cui tantâ conſenſione cæteri Metropolitani regni Guntramni ſe ſubiiciunt: cuius poteſtati ad Conciliorum euocationem ſancitæ in Concilio Matiſconenſi ſecundo Miſſus Sapaudi Epiſcopi Arelatenſis, qui cum cæteris legitur ſubſcripſiſſe, minime interceſſit, poteſtatem iſtam non vſurpatione, neque extraordinariâ aliquâ ratione conſecutum fuiſſe, ſed eadem quâ ex priſco more, Arelatenſis Primas, ſeu Sedis Apoſtolicæ Vicarius ab antiquo agnitus fuerat.

§. LXX.

Duo in Gallia Vicarij Sedis Apoſtolicæ tempore S. Gregorij, Arelatenſis & Auguſtodunenſis, vbi de origine Primatus Lugdunenſis aliqua adduntur prædictis.

RESTRICTAM ergo tunc temporis poteſtatem Arelatenſis primatis fuiſſe probabile eſt, vt ſe ad Auſtraſiæ regnum & ſuffraganeos extenderet. Lugdunenſis verò regno Burgundiæ prouideret.

Quam diuiſionem ſecutum S. Gregorium in Vigilii, & Syagrii Vicariorum Sedis Apoſtolicæ conſtitutione collige: quia Vigilius in regno Childeberti ſecundi creatus eſt, Apoſt. Sedis Vicarius: qui quidem Childebertus ſolum habebat Auſtraſiæ regnũ quod poſt obitum Sigeberti Patris hæreditario iure acceperat, ac Syagrius poſt obitum Guntramni pallium à Gregorio recepit, regnantibus iunioribus Theodorico, & Theodeberto Francorum Regibus, hic quidem Metis & in Auſtraſia, ille verò Aureliæ & in Burgundia, adminiſtrationem vero regni habente Brunechilde Regina: ac proinde deduci poteſt penes Arelatenſem præſulem in regno Auſtraſiæ Vicariatu Sedis Apoſtolicæ remanente, ad Syagrium Auguſtodunenſem Vicariatum in Burgundia conceſſum fuiſſe.

Tantaque fuit Summi Pontificis auctoritas, vt nec Priſcus Lugdunenſis Suffraganei ſui, nec alii Metropolitæ Epiſcopi ſecundi gradus ſublimationi pertinaciter reſtiterint: ſed eorum aliqui modeſtè duntaxat de priuilegiis Eccleſiarum ſuarum, ſi quæ vel expreſſiora, vel minus expreſſa haberent, Summum Pontificem commonefecerint.

Ac proinde nè mendacii apud Summam Sedem Etherium Lugdunenſem coarguere neceſſum ſit, oportet vt aliquis Pontificias literas apud ſe habuerit, quarum prætextu ſuæ Eccleſiæ priuilegia apud ſanctum Gregorium proſecutus fuerit. Eæ, ni fallor, erant, literæ Victoris, quibus Irenæo ad conuocandum Concilium ex vniuerſa Gallia aduerſus Quartadecimanos poteſtatem faciebat; literæ Ioannis III. vel Benedicti primi vel Pelagii ſecundi aut aliquorum ex iis tribus Nicetio primum, quibus tum Priſco Lugdunenſi præſules vices ſuas in Burgundia committerent, quæ tamen epiſtolæ potuerunt fortuito caſu ab Archiuis Romanæ Eccleſiæ abeſſe, vel Gregorio viſæ ſunt ad perſonas duntaxat iſtorum præſulum referri, non Eccleſiæ Lugdunenſis priuilegium vllum complecti: ac proinde viſum eſt ipſi Syagrio Auguſtodunenſi abſque iniuria Lugdunenſis ſedis vices ſuas potuiſſe committi: viſum eſt Etherio Lugdunenſi eandem prærogatiuam iuſtè denegari potuiſſe.

Et quidem huic ſententiæ ita explicatæ, quam nec leuiter quidem aduerſariorum coniectutæ conuellunt, probabilitatis aliquid ex poſteriorum ſæculorum fide accedit. Graues enim, nec aſpernandæ auctoritatis ſcriptores crediderunt priſco more conceſſam Lugdunenſis Eccleſiæ præſulibus legationem fulciri.

Siquidem S. Odilo Cluniacenſis Abbas in vita ſancti Maioli circa annum 1046

ante Gregorii decretum in gratiam Lugdunenſis Sedis, in eius tamen commendationem eam appellat, *vrbem Philoſophiæ nutricem, & matrem, quæ totius Galliæ ex antiquo more, & Eccleſiaſtico iure non immeritò retineret arcem.* Nondum eo tempore Gregorius ſeptimus Eccleſiæ Lugdunenſi primatum adiudicarat, cum tamen ex priſco more ius iſtius primatus habere viſa eſt ſanctiſſimo Abbati Odiloni, non alia ſane ratione, niſi quia credidit à Summis Pontificibus legationem Sedis Apoſtolicæ ipſius præſulibus aliquando fuiſſe conceſſam.

Idem perſuaſum Gregorio ſeptimo, qui confirmationi Lugdunenſis Primatus, antiqua à prædeceſſoribus ſuis eidem ſedi priuilegia conceſſa exornandæ prætexit, lib.6. epiſt.34. *Gebuino Lugdunenſi. Antiqua Sanctorum Patrum, quibus licet indigni, & longè meritis impares in adminiſtratione huius ſedis ſuccedimus, veſtigia in quantum diuina vel dignatio permittit, imitari deſiderantes, ius, quod vnicuique Eccleſiarum pro merito & dignitate ſui ipſi contulerunt, & nos ex eorum ſucceſſionis conſideratione, dare illæſum & immutabile conſeruare, & munimine decretorum noſtrorum ad perpetuam ſtabilitatem corroborare. Quapropter, quia, dilectiſſime in Chriſto frater Gebuine, poſtulaſti à nobis quatenus dignitatem ab anteceſſoribus noſtris conceſſam Eccleſiæ, cui, Deo auctore, præeſſe dignoſceris confirmaremus, & quæque ſua ab infeſtatione hoſtili Apoſtolicæ Sedis defenſione tueremur inclinati precibus tuis confirmamus primatum ſuper quatuor prouincias Lugdunenſi Eccleſiæ tuæ, &c.* ſimilia ſcribit epiſtolâ trigeſimâ quintâ *Epiſcopis Rothomagenſi, Turonenſi, Senonenſi*, ipſos ad parendum Lugdunenſi Primati exhortans, & officii ſui comone faciens. Eadem de antiquitate Primatus Lugdunenſis ex vulgato rumore acceperat Guilelmus Brito, quem in Philippeide exponit,

Et Lugdunenſis quo Gallia tota ſolebat,
Vt fama eſt, Primate regi.

Non eſt enim probabile rumorem iſtum & grauium virorum ſententiam omni penitus fundamento deſtitui, aut Gregorium VII. Pontificem ſapientiſſimum in hac cauſa iudicem ſedentem, neglecto Leotherico Senonenſi magnæ exiſtimationis præſule qui tunc temporis Senonenſem Eccleſiam adminiſtrabat, & in poſſeſſione primatus meliori iure eſſe videbatur, Gebuinum Lugdunenſem minoris præ illo nominis præferre voluiſſe ex incertis quibuſdam rumoribus, niſi Pontificias quaſdam ſuorum prædeceſſorum epiſtolas, quarum mentionem facit, vidiſſet atque examinaſſet, ex quibus præſulem Lugdunenſem prioribus temporibus poſſeſſionem Primatus in aliquas Galliarum prouincias olim habuiſſe ipſi conſtitiſſet.

Atque adeo concludo probabilius eſſe & Nicetium illum, & Priſcum Lugdunenſes præſules, quorum auctoritatis ſupra diuerſas prouincias Galliæ inſignia documenta ſuperſunt, Summorum Pontificum voluntate Vicarios Sedis Apoſt. conſtitutos fuiſſe, & ab iis pallii vſum impetraſſe quem aliàs nullum legimus, niſi Summi Pontificis conceſſione ſibi quemquam in toto occidente vendicare præſumpſiſſe, & quem eodem fere tempore à Summis Pontificibus ambitum legimus.

§. LXXII.

Nec Primatis, nec aliam ſuperiorem Epiſcopis dignitatem in Eccleſia eſſe poſſe, ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ.

NEQVE vnquam auctoritatis Eccleſiaſticæ iuſtus titulus viſus eſt, ea quæ ab inferioribus ceſſio impetraretur. Sicut enim in Hierarchia celeſti poteſtas omnis, atque illuminatio à ſuperioribus ad inferiora defluit, nulla verò ab inferioribus ad ſuperiora conſcendit, vt docet Dionyſius paſſim libro de cœleſti Hierarchiâ; ita in Hierarchiâ Eccleſiaſticâ poteſtas omnis quæ in inferioribus locum habet, à Deo interuentu ſuperiorum deſcendit, nulla ab inferioribus ad ſuperiora refluit. Sicut enim inquit Propheta regius Pſalmo 132. *Vnguentum quod deſcendit ex capite in barbam, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius*, ſic gratiæ Eccleſiæ conceſſæ, ac ſpiritualia Eccleſiæ conceſſa chariſmata à capite ad barbam, à barba per totum veſtimentum, ad oram vſque defluunt, id eſt, vt interpretatur Auguſt. lib.2. contra literas Petiliani cap.104. à Chriſto ad eos qui in Eccleſia ſunt eminentiores, & fortiores, putà ad Apoſtolos, & qui cum eis erant præpoſitos atque doctores, ab iis ad illos qui cor vnum habent & ani-

Digitized by Google

mam vnam & perfecti fideles in Eccleſia vocantur, ſeu congruentius à Chriſto ad Apoſtolos & eorum ſucceſſores in excelſiori gradu poſitos, & poteſtate maiori ornatos atque adeo barbæ, & quidem barbæ Aaron, id eſt, Sacerdotalis fortitudinis viros, ab iis verò ad vltimum vſque in Eccleſia, ſiue clericum, ſiue fidelem, qui in ora veſtimenti Chriſti, id eſt, vltimo Eccleſiæ, quæ Chriſti veſtis eſt, inconſutilis ordine, ſeu gradu.

Hoc ſiquidem intereſt inter politicam poteſtatem & ſpiritualem, ſeu Eccleſiaſticam, quod poteſtatem temporalem inferiores, eligendo ſupra ſe & conſtituendo principem vnum vel plures, de nouo inſtituere, & electo, ſeu electis conferre potuerunt: ideoque de Rege loquens Imperator Iuſtinianus Inſtitutionum, *de iure naturali* §. *ſed & quod*, rectè dixit, *populus ei & in eum omne imperium ſuum & poteſtatem concedit*: at verò poteſtatem aliquam Eccleſiaſticam de nouo inſtituere, & ſupra ſe ducem aliquem vitæ ſpiritalis, & Eccleſiæ moderatorem creare, nulli inferiori licet nulli licuit: ſed ſuperioris poteſtatis hoc opus eſt.

Cuius diſcriminis duplex eſt ratio; prima, quia poteſtas temporalis cùm ſit naturalis ordinis non ſupergreditur poteſtatem humanam, quominus diuerſi homines in vnum collecti ſibi aliquem præficere poſſint, quem in ſeipſos poteſtatem tẽporalem maiorem, vel minorem habere conſentiant, & de ſuperiori ſibi prouideant, qui pacem temporalem ipſis per media naturalia procurare teneantur, & cui viciſſim obedientiam exhibeant; Deus quidem, vt verum fatear, hanc poteſtatem complere debet, quia cùm ipſe ſit ſolus Dominus vitæ & necis, ſolius ipſius eſt Principibus vel Magiſtratibus in populo ita electis ius iſtud vitæ neciſque concedere: quod agnoſcens Apoſtolus ad Romanos 13. principem non fruſtra gladium portaſſe aſſerit, *quia Dei miniſter eſt.*

Sed hæc extra rem: nam, quia poteſtas iſta officia habet mere naturalia, & finem naturalem, populus eam ſibi poteſtatẽ deligere, deſignare, definire potuit. E contra verò quia poteſtas omnis ſpiritalis, eſt ſupernaturalis, & ſacra, & eius officia cuiuſlibet creaturæ poteſtatem exſuperant, finiſq; eſt ſupernaturalis, pura vnio cum Deo, & aſſimilatio, cum ipſo per gratiam, ac conſecutio vitæ æternæ, ideò nullam poteſtatem Eccleſiaſticam inſtituere de nouo poſſunt qui in gradu ſubiectionis conſiſtunt, nullumque ſupra ſe conſtituere ſibi poſſunt quacumque poteſtate præditum: ſi quam enim habent poteſtatem, habent illam in ſubiectos, vt eos regant, non habent in ſeipſos; vt ſe aliis ſubiiciant, quam quibus Deus illos regendos commiſit; quantumcumque Sacerdotali poteſtate præditi ſint; ea quidem in commiſſos ſibi greges vti poſſunt, ſed vt ſibi aliquem præficiant, non maiori auctoritate pollent, quàm ipſi populi. Altera ratio, ideò populi poteſtatem temporalem de nouo creare, & ſibi principem conſtituere poſſunt, quia naſcuntur omnes liberi, ac ſui iuris, ideoque facultatem habent populi, antequam illam à ſe abdicauerint, vt poteſtatem quam in ſeipſis habent, in alios transferant: E contrà nemo Chriſtianus ſui iuris eſt, ſed omnes quotquot in vnum corpus religionis Chriſtianæ coïre volunt, Chriſti efficiuntur ſerui, cuius ſanguine redempti ſunt, propter quod dicebat Apoſt. 1. ad Cor. cap. 6. *Non eſtis veſtri, empti enim pretio magno*, & capite 7. *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum.* Quare nullus ſibi præpoſitum creare poteſt, aut ſupra ſe in ordine ad Chriſtianam militiam quemquam conſtituere, ſed ſi qua noua poteſtas in Eccleſia oriatur, ab iis emanet neceſſum eſt, qui conſtituti ſunt à Chriſto, & qui partem ſuæ ſollicitudinis ac poteſtatis in plures transferre cùm poſſint, nouos ea ratione conſtituere ſacros magiſtratus, nouas creare dignitates in Eccleſia poſſunt: quomodo Summus Pontifex, qui à Chriſto paſcendus oues & agnos Epiſcopos, & cæteris Epiſcopis ſubditos poteſtatẽ accepit, poteſt ſuę poteſtatis maiori, vel minori factâ communicatione, etiã ſupra Epiſcopos aliquos creare ampliori præditos dignitate, Patriarchas, Primates, Metropolitanos; Epiſcopi ſimiliter, qui & Summi Sacerdotes, Cleri, populiq; rectores à Deo conſtituti ſunt, in quorum poteſtate Clerus populuſq; conſtitutus eſt, poſſunt ſub ſe Vicarios generales, Officiales Archipreſbyteros, Archidiaconos conſtituere, ipſi vero Preſbyteri, Diaconi tales præficere ſibi non poſſunt, licet ad eorum aliquos eligendos admiſſi olim fuerint, vt lubentius eis parerent quos ſibi imperaturos elegerant: ſed inſtitutio & poteſtatis collatio à nullo vnquam niſi ab Epiſcopo, aut eo ſuperiori ferri potuit. Similiter eſto forte Metropolitanos eligere potuerint prouinciales Epiſcopi, & Metropolitani Primates (quod vix accidiſſe legimus) tamen ius conſtituendi Primates non habent, neque vt ſe Primatibus quibuſdam pro arbitrio ſubii-

ciant; neque poteſtatem habent, vt certa ſibi conditione præpoſitum, verbi gratia, huius vel illius ſedis antiſtitem ſibi poſſint creare, ſed hoc contra Hierarchicam ordinationem eſt, & Dei inſtitutionem, qui ſtatuit vt poteſtas omnis à Chriſto vel iis qui qui à Chriſto conſtituti eſſent, in Eccleſia inſtitueretur, & à ſuperioribus in inferiores tranſmitteretur, non è contra. Quæ ratio hoc exemplo illuſtrari poteſt. Etenim quoniam à tempore Moſis ad tempus Saulis, Deus tanquam Rex ſummus & immediatus Dominus Iſraelitis vnicus præerat, cuius oraculis, & bella, & alia politica negotia ſuſcipiebantur, vel deferebantur, iudiceſq; & ſaluatores rebus ipſorum male ſe habentibus à Deo ipſo legebantur, atque excitabantur, vt populum in ſuam priſtinam libertatem aſſererent, quaſi ipſius miniſtri atque Vicarii, vt iure dixerit Ioſephus libro ſecundo contra Appionem, Deum apud Iſraelitas non tam Monarchiam quam Theocratiam principio inſtituiſſe. Ideo, inquiunt Theodoretus & Procopius in libri 1. Regum caput octauum, Deus peccatum Iſraelitarum petentium ſibi Regem dari in eo maximè repoſuit, quod Deum ſibi Regem remanere nollent. *Non enim*, inquit Deus ad Samuelem, *te abiecerunt, ſed me, nè regnem ſuper eos.* Similiter cum Eccleſiæ principatus ſit potius θεοκρατία, quàm Monarchia, quippe cum Eccleſiæ Principes teſte Apoſtolo haberi debeant, vt *miniſtri Chriſti & diſpenſatores myſteriorum Dei*, & ſummus Eccleſiæ Chriſtus Sacerdos & Princeps, qui cum Eccleſia ſe futurum promiſit, vſque ad conſummationem ſæculi, reliqui, quacumque poteſtate præditi ſint, Vicarii eius, non ſucceſſores cenſeri debeant, ideo ſibi Regem vel Principem nemini in Eccleſia conſtituere licet: ſolius eſt Chriſti, vel eorum qui vices ipſius gerunt & locum tenent, iudices, & Reipublicæ Chriſtianæ in vna vel pluribus prouinciis adminiſtratores ſtatuere; quem ordinem à Deo conſtitutum ſi quis tranſgrediatur, hanc iure increpationem audire merebitur, non illos, Summum Pontificem, non alios Chriſti Vicarios abieciſſe, ſed ipſum Chriſtũ, qui ſibi ipſis Sacerdotem vel directorem conſtituere velint, & ſupra ſe aliquem ſpiritualis vitæ uctorem, quocumque titulo nominetur, conſtitue e.

Quamobrem meritò Leo Papa epiſt. 89. *ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis*, cap. 5. eum carpit qui ſui honoris & prærogatiuæ Eccleſiæ ſuæ vel tantillum alteri concedit; *Quod ſi quis*, inquit, *negligens Apoſtolicas ſanctiones, plus gratiæ tribuens perſonali, ſui honoris deſertor eſſe voluerit, priuilegium ſuum in alium transferre poſſe ſe credens, non is cui ceſſerit, ſed is qui intra prouinciam antiquitate Epiſcopali cæteros præuenit Sacerdotes, ordinandi ſibi vindicet poteſtatem.* Quam ſanctionem tanquã æquitati conſentaneam laudat Hilarus Papa epiſt. 8. *ad Leontium, Veranum*, & *Victurum Epiſcopos*, negans licere Metropolitano alterius prouinciæ Sacerdoti ius quodcumque ſuum, in qua alter nullum ius habet, concedere, *Noluimus namque*, ait Hilarus, *Eccleſiarum priuilegia quæ ſemper ſunt ſeruanda, confundi, nec in alterius prouincia Sacerdotis alterum ius habere permittimus: quia per hoc minus in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quàm in iniuriam ipſius Domini proſilitur, cuius expectatio fructus noſtri, non in latitudine regionum, ſed in acquiſitione ponitur animarum. Habeat itaque Pontificium frater & coepiſcopus noſter Ingenuus prouinciæ ſuæ, de cuius dudum ab Apoſtolica Sede eſt illicita ceſſione culpatus.* In ſimili quoque cauſa Leo Papa Maximum Antiochenũ admonuit, ne ſibi Conſtantinopolitanum Epiſcopum præferri ſineret, & iuribus ſuis vel minimum concederet epiſt. 62. Scilicet aduerſus Deum peccatur ingratitudinis vitio, ſi diuinorum beneficiorum conceſſam adminiſtrationem alteri aliquis abiiciat, & ſe ea oſtendit indignum qui de ſuſcepta prærogatiua aliquid remittit: atque adeo ſicut Eſau vendens ſua primogenita fratri ſuo Iacob, & primogenituræ iuri renuntians, in Deũ ingratus dicitur à Chryſoſt. hom. 50. in Geneſim, ita & eodem crimine notatur quiſquis de ſuæ Eccleſiæ prærogatiua aliquid cedit. Quamobrem concludi optimo iure poteſt, neque licuiſſe Epiſcopis Galliarum Primatem aliquem ſuo duntaxat arbitrio ſibi eligere, neque ratam eſſe poteſtatem quam in ipſum tranſmittendam curaſſent: ſi quem proinde legamus in Gallia Primatis dignitatis exornatum, eum Sedis Apoſtolicæ beneficio hanc dignitatem adeptum, ac legationis veluti & Vicariatus Sedis Apoſtolicæ hoc munus eſſe agnoſcere debemus: eoſq; qui hac prærogatiua potiti ſunt, vel expreſſo, vel tacito Summi Pontificis conſenſu, non in plenitudinem poteſtatis, ſed in partem ſollicitudinis vocatos, ea miniſteria obire potuiſſe, quæ ex Pontificis expreſſa licentia, vel ex canone, vel ex conſuetudine legitima, & approbata obeunda, conceſſa fuerint.

§. LXXIII.

§. LXXIII.

Modeſtam ſed non ideo inefficacem Primatum auctoritatem fuiſſe.

QVARTVM opponitur, in Conciliis Galliæ omnium conſenſu peragi omnia conſueuiſſe, id teſtatur Synodicum Arelatenſis primi, & Breuiarium epiſtolæ ipſius initio præfixum, & Synodicæ literæ Valentini I. quæ loco ſunt præfationis, & præfationes Concilij Regenſis, Andegauenſis, Epaonenſis, Arelatenſis V. & Pariſienſis II. Canone vltimo, Cabilonenſis anno 690. Canone 1. Metropolitanos ac Primates & ſuo & alieno comprouincialium ſuorum ac coepiſcoporum nomine Conciliorum decretis ſubſcripſiſſe, verbi gratiâ Hilarium Arelatenſem Regenſi, Cæſarium Arelatenſem Agathenſi, Lupum Lugdunenſem, & Pantagathum Viennenſem Aurelianenſi III. Auitum Viennenſem, & Vincentiolum Lugdunenſem Epaonenſi, Aurelianenſi IV. Leontium Burdegalenſem, alióſque in aliis Conciliis, qui omnes ſe cum ſuis conſacerdotibus, vel comprouincialibus relegiſſe, probaſſe Concilij acta teſtantur. Item Metropolitanos ac Primates Concilia conuocantes non ex imperio, ſed precibus agere ſolitos: nam verbi gratiâ Rauennius epiſtolâ generali conuocatoriâ ad Concilium Arelat. III. in cauſa Fauſti Lirinenſis Abbatis, & Epiſcoporum, *Rogamus ergo*, inquit, *vt ſanctitas tua ſe vſque Arelate fatigare dignetur, quatenus tantum malum quod dilatione plus creſcit, beatitudinis veſtræ præſentiâ terminetur*, &c. Quàm ſubmiſsè verò & honorificè idem eâ quæ ad Ruſticum Narbonenſem, ipſum ſalutat, eáque verba ſubiungit, *Ac præcipuè beatitudo veſtra, vt adſit primùm deprecamur, quia grauior infirmitas neceſſariò medicos peritiſſimos inquirit.* Nec minùs demiſsè Auitus Viennenſis epiſtolâ tractoriâ ad Synodum Epaonenſem, *Supplicat per me, ſi dignamini, Eccleſia Viennenſis, poſcit intermiſſæ conſuetudinis rediuiua ſalubritas, quod infrequentatum torpuit, excitari, vt conſtitutis prioribus ſub communis præſentiæ opportunitate tractatis, noſtris ſimul nobiſque, prout ordo collocutionis inuenerit, vel inſinuemus vetera, vel ſi neceſſe eſt, etiam noſtra iungamus. Idcirco cunctos ſimul poſcimus, fratres, vt Deo fauente*, 8. *Iduum Septembrium in parochia Epaonenſi adeſſe dignemini*, &c.

Denique, in ipſo Concilio cùm quid proponerent, modeſtè atque humiliter de ſe ſenſiſſe: nam verbi gratiâ Auitus in dicta Synodo Epaonenſi præfatus non principatum oſtentat, ſed & obſequij ſeruitutem affectat ſtatim in principio, *Quòd præcipientibus tantis dominis meis miniſterium proferendi ſermonis aſſumo, facio hoc non tam præſumptionis auſu, quàm ſubiectionis obſequio, dum exequi & implere contendit non audaciâ temeritatem, ſed obedientia iuſſionem, ſimúlque tanto maior obtemperantis apparebit humilitas, quanto minor comprobatur facultas, maiórque profectò præcipientium reuerentia prodetur, quando obedienti nulla poſſibilitatis fiducia ſuffragatur.*

Reſpondeo nihil ex iis legitimè concludi poſſe, niſi eximiam moderationem SS. Præſulum cum ſingulari auctoritate coniunctam: non Metropolitanorum, non Primatum ex iis auctoritatem infringi: multò minùs totam in ſingulis Diœceſibus, quas parochias tunc vocabant, penes Presbyterorum Collegium auctoritatem reſidere, nullâ ſingulari poteſtate in Epiſcopo reſidente, quæ non in ſingulis Preſbyteris eſſet æqualis. Nam neque Metropolitanorum aut Primatum æqua conditio eſt, ſi ad comprouinciales Epiſcopos comparentur, quæ Epiſcoporum cum Preſbyteris collatorum eſt: quemadmodum & hoc primo de hierarchia volumine, & ſequenti *de Epiſcopis & Parochis* oſtendemus. Nam Metropolitani & Primates eiuſdem ordinis cum Epiſcopis, quibuſdam duntaxat priuilegiis ſupra eos efferuntur, quia vel voluntas ſuperioris qui eos conſtituit, vel lex vel conſuetudo induxit; in reliquis, cum coepiſcopis æqualem nanciſcuntur conditionem, & pari dignitate fruuntur: at Epiſcopi ſuperioris ordinis ac gradus iure diuino Presbyteris prælati, diuerſæ vtique cum iis conditionis ſunt, vt quamuis ſine Presbyterorum conſilio multa agere prohibeantur, ne temerè & imprudenter ſe gerant, tamen totam rei licèt communi conſilio geſtæ auctoritatem impendunt, & totius iuriſdictionis exterioris coactiuæ fontes atque origines videntur: ſi quid eius in aliis inferioribus reperiatur, ab ipſis fluit atque dimanat, vt inſinuauimus pluties, & iterùm docebimus.

Quare quantumcunq; Metropolitani ac Primates nihil præ ceteris coepiſcopis & collegis ſingulare haberent, tamen ad Epiſcoporum & Preſbyterorum æqualitatem inducendam, iſta trahi minimè deberent. Verùm falſum quoque illud eſt; nec ex allatis iſta omnimoda æqualitas Primatum & Metropolitanorum cum Epiſcopis eiuſdem ampliſſimæ Diœceſis ſeu prouinciæ poteſt induci. Quantumcunque enim communi conſenſu maiora omnia negotia à Metropolitanis ac Primatibus Gallicanis gererentur, quod non in Galliis ſolùm, ſed vbique per vniuerſam Eccleſiam locum habebat, vt ex iis quæ de Metropolitanorum & Primatum per varias orbis Chriſtiani prouincias conſtitutorum auctoritate diximus, apertè colligi poteſt: Nihilominùs & illorum non minima erat prærogatiua, tum in Conciliis conuocandis, citandiſq; actoribus & reis, tum in proponendis iis quæ in iiſdem diſcutienda eſſent, tum in iiſdem executioni demandandis, & ſi viſum eſſet tanquam re non ſatis exploratâ ad ſummum Pontificem referendis: vnde & ſi quid malè aliquo in Concilio geſtum eſſet, videmus ſummos Pontifices in Primates vel Metropolitanos Conciliorum Præſides duntaxat animaduertiſſe, illiſque ſuccenſuiſſe, vt exemplo Leonis aduerſus Hilarium Arelatenſem in gratiam Proiecti, ac Chelidonij vindicantis, aliiſque pluribus, quorum aliqua ex prædictis innoteſcunt, diſcere poſſumus.

Quòd & ſuo & comprouincialium ſuorum & conſacerdotum nomine decreta Conciliorum relegant, iiſdémque ſubſcribant Metropolitani ac Primates; hoc tantùm abeſt, vt eorum poteſtatem eleuet, cùm potiùs oſtendat: nam aliorum nomine nemo ſubſcribit, niſi quorum ſuperior eſt, cuiuſmodi ſunt tutores & curatores qui pupillorum nomine ſubſcribunt, vel ptocuratores: Metropolitani verò non procuratorio nomine, aut inſtrumento fulti, pro ſuis prouincialibus, neque Primates cum condiœceſanis Epiſcopis ſubſcribunt: igitur oportet vt eatenus pro iis ſubſcribant, quatenus illorum perſonas vt membra ſua ipſi tanquam capita repræſentant, quomodo ſanctus Petrus à multis Patribus Apoſtolorum omnium nomine Chriſti interrogationi reſpondiſſe ſcribitur, vt os Apoſtolorum ipſorúmque vertex ac coryphæus.

Quòd modeſtis verbis ac demiſſionem plurimam ſignificantibus vſi ſint Metropolitani ac Primates Gallicani, in eo vſitatam, & à Baſilio Cæſar. & Aurelio Charthag. fotmam euocandorum Epiſcoporum à nobis ſuperiùs delineatam expreſſerunt, non de poteſtate aliquid remittentes, ſed de ſupercilio & faſtu poteſtatis ac dignitatis mundanæ. Certè Deus ipſe peccatorem ad ſe blandis ſæpè & dilectionem ſonantibus verbis inuitat, videtúrque conſenſum noſtrum petere, non imperare; cuiuſmodi inuitationibus plenæ ſunt Scripturæ ſacræ, præſertim in Cantico Canticorum, neque tamen ideò de dominio ſuo quidquam aut remittit aut cedit, ſed eò fortiùs animam ligat, quò ſuauiùs imperat.

Quare licèt ſubmiſſiùs, & reuerenter Epiſcopos ſibi ſubditos compellant Gallicani Primates ac Metropolitani; tamen quòd eorum mens illa fuerit, vt eos præcepto ad exhibendam Concilio præſentiam conſtringerent, oſtendunt Conciliorum Gallicanorum Canones Arelatenſis II. 18. & 19. Epaonenſis 1. Aurelianenſis II. 1. Turonenſis II. 1. Aurelianenſis V. 18. Matiſconenſis II. 20. & alij ſuperiùs citati: oſtendunt & epiſtolæ Pontificum ad Epiſcopos directæ, quotieſcunque ferè pallium Primati Gallicano mittebant: ea enim omnia docent non impunè tuliſſe Epiſcopos, qui ad Synodum euocati per iniuriam abeſſent. Certè ea ipſa tractoria Aucti Viennenſis quæ in obiectione profertur, non videtur ita Epiſcopos ad Synodum euocare, vt liberum ipſis relinquat eidem non intereſſe: nam & neceſſitatis vinculum agnoſcit, dum ait, *Supplicamus ergo, & quæſumus, teſtamur, obteſtamur, ne quem à diſpoſitione tam ſancta obex vllus excuſationis abducat; ne quem à tali charitatis vinculo nexus temporaneæ neceſſitatis impediat: ſed ſi fortè, quod Deus auertat, tanta cuicumque acerbitas corporeæ infirmitatis ingruerit, vt ſpiritale deſiderium carnali vincatur incommodo, duos Presbyteros magnæ ac probabilis vitæ. mandati inſtructione firmatos fratribus pro ſe præſentare procuret*, &c.

Supplicatio iſta tam ſollicita, tam vehemens, tam inſtanter facta, licèt ſupplicationis verba contineat, plus eſt aliquid qnàm ſupplicatio: abſoluta iſta impoſita neceſſitas aut præſentiæ exhibendæ, aut mittendi pro ſe Preſbyteros, quam impo-

nit; præcepti vim vtique habet. Quin etiam & ſtatim initio ita præfatur, vt rem non conſilij, ſed præcepti proponere ſe manifeſtè oſtendat. *Diu eſt*, inquit, *quod rem valde neceſſariam & non ſine diuina inſpiratione à Patribus inſtitutam, aut obliuione, aut occupatione deſerimus. Sed rumpenda ſunt interdum vincula neceſſitatum, vt aliquando impleri poſſint à præceptore conuictus. Ergo quos bis per annum à Sacerdotibus fieri ſeniorum cura decreuerat; ſi benè perpenditis, vtinam vel ſingula poſt biennia faceremus. Nam & venerabilis Papæ vrbis nobis hanc negligentiam ſuccenſentis mordacia mihi nonnunquam ſcripta perlata ſunt. Vnde ſupplicat*, &c.

Quid iſta? niſi vt Canonum auctoritate & ſummi Pont. iuſſione ſuam ad Concilium conuocandum, ipſorum ad parendum obligationem perſuadeat? Denique licèt Auitus ſe ad obtemperandum Patribus Concilij Epaonenſis proloeutum teſtetur, tamen & ſibi aliunde putà à Romano Pontifice, cuius prædicta epiſtola fecit mentionem, obligationem impoſitam ſibi in citato quoque proœmio teſtatur, tum citatis in obiectione verbis iſta ſubiungit: *Sic Dominus meus mediocritatis meæ, eò ampliùs honorauit imperitiam, quò minùs poteſt ornare doctrinam*: & ſibi ergo vt proloqueretur imperatum dicit ab Epiſcopis, non qui præſidem ipſum elegerint, ſed qui ad obeundum impoſitum munus præſidentiæ adhortati fuerint: ſummus verò Pontifex, qui Apoſtolicâ legatione perſonam ipſius honorauerat, vi cuius Concilio præerat, & ad conuocandum Concilium etiam mordacibus ac minatoriis verbis impulerat, vt ex epiſt. citata conijcitur, auctoritatem quoq; dederat & poteſtatem. Quare tantùm abeſt vt ex iis quæ in obiectione proferuntur, aut Metropolitanorum aut Primatum Gallicanorum auctoritas vel leuiter concutiatur; cùm potiùs ſtabiliatur.

§. LXXIV.

Obiectio proponitur petita ex ſubſcriptionibus Conciliorum.

QVINTVM denique (nam leuiora prætermitto) opponitur, Metropolitanorum & Primatum prærogatiuas leuiter in Galliis habitas fuiſſe, quandoquidem ex Conciliorum ſubſcriptionibus notari hæc poſſint, nec Metropolitanos ſuis Suffraganeis, nec Metropolitanos certæ prouinciæ, qui Primates haberi vellent, aliis Metropolitanis, qui Primatis dignitatem minimè affectabant; nec antiquiores minùs antiquis conſtanter, & certâ lege in ſubſcriptionibus vel nominationibus prælatos fuiſſe: ſcilicet, quia Gallia & ſanctam ſimplicitatem fouebat, & Præſulum omnium inter ſe æqualitatem, hoc argumento ſe toto corde amplecti demonſtrabat; nec vnius Epiſcopi ſupra alium maiorem eſſe gradum, aut ampliorem auctoritatem, vel potentiorem dominatum hac ratione profitebatur, dum modò hos, modò illos abſque delectu priores vel poſteriores nominabat.

Primùm, quòd Suffraganei aliquando ſuis Metropolitanis prælati ſint, oſtendimus: nam in Concilio Arelat. I. Oroſius Maſſilienſis ante Marinum Arelatenſem, & Verum Viennenſem, Rheticius Auguſtodunenſis ante Vocium Lugdunenſem, Genialis Diaconus de ciuitate Gabalum ante Orientalem Burdigalenſem, eóſque omnes ſubſequitur Agroetius Epiſcopus de ciuitate Treuirorum. In epiſtola Synodali directa Silueſtro alius ordo ſeruatur, ſed non magis accuratiùs, nam licèt Marinus Arelatenſis, & Agroecius Treuerenſis priores cæteris nominentur, tertio tamen loco nominatus reperitur Natalis quidam, qui in ſubſcriptionibus Presbyter de ciuitate Viſolenſium eſſe dicitur: ſequuntur Theodorus Aquileienſis Epiſcopus, Proterius Capuenſis, Vocius Lugdunenſis, Verus Viennenſis, Probatius Presbyter Tarraconenſis ante Cæcilianum Carthaginenſem Primatem: tum Fauſtinus Arauſicorum, Gregorius Presbyter Portuenſis, Reticius Auguſtodunenſis ante Imbetanſium Epiſcopum Remorum, Meroclem Mediolanenſem, & alios celebres Metropolitas, quibus inſeruntur Presbyteri atque Epiſcopi minorum ciuitatum, vt liqueat non ambitiosè celebriorum ciuitatum Epiſcopos nominatos, ſed tumultuariè ſine delectu; vel ſi delectus habitus ſit, aut doctrinæ ac diſciplinæ, aliarúmq; dotum, aut famæ habitâ ratione, alios aliis priores prælatos. In Concilio Agripp. poſt Maximũ Treuir. Valentinus ab Arelate, cæteris quidem præponitur in actis Concilij, ſed mox

Donatianus Cabillonorum, Seuerinus Senonum, aliique Epiſcopi præſentes inferiorum ſedium Diſcolio Remorum; & inter conſentientes Epiſcopos abſentes, alij qui Euſebio Rothomagenſium præferuntur dignitate vrbium longè minores, quin etiam ordine prædicto ſententiam præſentes ferunt, nullâ proinde habitâ ratione maiorum ſedium vel minorum. In Concilio Valentino I. epiſtolæ Synodicæ, *tum ad vniuerſos Galliarum Epiſcopos*, tum *ad Clerum & plebem Eccleſiæ Foroiul.* obſeruare poteris Fœgadium, aliàs Phœbadium Agennenſem Epiſcopum omnes præcedere etiam celebriores Metropolitanos, Florentem Viennenſem, cuius videtur eſſe Suffraganeus, Britonem Treuerenſem, Iuſtum Lugdunenſem & alios ſimiliter; & Rhodanium Toloſanum, qui Metropoliticâ dignitate minimè ornatus erat, Concordio præponi Arelatenſi Metropolitano; in ſubſcriptionibus alium ordinem ſeruari, nam Florentium Epiſcopum Eccleſiæ Viennenſis priorem ſubſcribere, Brittonem & Concordium inter poſtremos. In Concilio Cæſaraug. eidem Fregadio primum locum tribui, etiam ante Delphinum Burdegalenſem quem ipſe Metropolitam agnoſcebat. In Concilio Aquileienſi ſtatim initio cùm enumerantur Epiſcopi, Valerianus Aquileienſis, & Ambroſius Mediolanenſis in Italia Metropolitani primi referuntur, tum Epiſcopi Bononienſis & Vercelienſis, poſt hos Amenius Epiſcopus Sirmienſis prouinciæ Illyrici, qui haud dubiè Metropolitanus, ſi verum eſt quòd de Sirmienſis Eccleſiæ eo tempore prærogatiuâ ſcribit Iuſtinianus Nouell. 11. ſi Canones Nicæni obſeruati, vt ſingulæ prouinciæ ſuos habeant Metropolitanos. Deinde Epiſcopi Placentinus, Tridentinus & Brixianus; ſequuntur legati Gallorum Epiſcopi, Arauſicanus, Octodurenſis, Gratianopolitanus, Nicæenſis, inſeruntur aliqui alij Epiſcopi, quibus ſubditur Proculus Epiſcopus Maſſilienſis, & ipſe Gallorum Legatus, & poſt aliquos Iuſtus Epiſcopus Lugdunenſis, & ipſe Legatus Gallorum poſt cæteros Galliarum Epiſcopos nominatus, qui licèt celebrioris ciuitatis Epiſcopus eſſet, poſt Conſtantium Arauſicorum rogatus ſententiam dixit, vt primæ partes inferioris ſedis Epiſcopo ante Lugdunenſem datæ appareant. In Concilio Arauſicano, Eucherius Lugdunenſis poſt Conſtantinum Vapincenſem, Auſpicium Vaſionenſem, & Maximum Regienſem ſubſcribit. In epiſtola Salonij, Geretij & Verani ad Leonem Papam; & reſponſoriâ Leonis ad ipſos, Veranus Lugdun. poſt Salonium & Geretium Viennenſis Suffraganeos nominantur. Similiter in epiſtola Leonis Bituricenſis, Victurij Cœnomanenſis, & Euſtochij Turonenſis, Victurius Euſtochio ſuo Metropolitano præfertur. Ac, ne prolixiores ſimus, Epiſcopos inferioris ſedis Metropolitanis quibuſdam ordine ſubſcriptionis præpoſitos fuiſſe obſeruare poſſumus in Conciliis Turonenſi I. Aurelianenſi II. Aruernienſi I. Pariſienſi II. Pariſienſi III. Remenſi ſub Sonnatio, Pariſienſi VII. Turonenſi IV. Pontigonenſi, Trecenſi, Mantalenſi, Ingilenheimenſi; epiſtolis, 6. Hilari Papæ, Fauſti Regenſis ad Lucidum, & in reſponſoria Lucidi Preſbyteri ad Fauſtum, Gregorij 52. lib. 5. & 110. lib. 7. necnon 52. lib. 9. In priuilegiis quæ Monaſterio ſancti Dionyſij à ſancto Landerico Pariſ. Epiſcopo, Corbeienſi à Bertefrido Ambianenſi Epiſcopo, Solemniacenſi à Concilio Sueſſionenſi III. indulta ſunt: denique in charta immunitatis à Clodouæo II. conceſſæ prædicto Monaſterio ſancti Dionyſij.

Alterum, quòd Metropolitanis vnius prouinciæ ſupra alios diuerſarum prouinciarum nulla prærogatiua dignitatis in Galliis conſtanter conceſſa fuerit, nullum priuilegium honoris religiosè attributum ſit, innumeris quoque exemplis conſtat: nam licet in Conciliis Andegauenſi, Arelatenſi III. Agathenſi, Epaonenſi, Aurelianenſi II. Aruernenſi II. Pariſienſi II. aliiſq; deinceps, Metropolitani cæteris Epiſcopis præferantur, vno fortè aut altero excepto, qui Epiſcopis minorum ſedium videntur poſtpoſiti: inter Metropolitanos tamen non videtur aliquis ordo perpetuus ſtabiliſq; ſeruatus, vt Primatibus ſupra cæteros primus locus deferretur, quippe cum diuerſis Conciliis ex Epiſcopis diuerſarum prouinciarum collectis, quibus proinde diuerſi Metropolitani intererant, non earumdem ſedium, ſed diuerſarum præſediſſe legamus: verbi gratiâ Agathenſi Cæſarium Arelatenſem, Aurelianenſi primo, Cyprianum Burdegalenſem, Epaonenſi Auitum Viennenſem, Aurelianenſi tertio Lupum Lugdunenſem, quarto Leontium Burdegalenſem, quinto Sacerdotem Lugdunenſem, Aruernenſi II. Heſychium Viennenſem, Pariſienſi II. Sapaudum Are-

latenſem, Pariſienſi tertio Prabianum Bituricenſem, ſecundo Lugdunenſi Philippum Viennenſem, primo & ſecundo Matiſconenſibus, ac tertio Lugdunenſi Priſcum Lugdunenſem, Valentino ſecundo Sapaudum Arelatenſem, Remenſi Sonnacium Remenſem, Cabilonenſi ſub Clodouæo II. Caudericum Lugdunenſem, Concilio apud Theodonis villam, Drogonem Epiſcopum Metenſem Legatum Sedis Apoſtolicæ; Concilio Pariſienſi, Metenſi, Trecenſi, Hincmarum Remenſem; Valentino, Lingonenſi, Tullenſi apud Saponarias, & Sueſſionenſi III. Remigium Lugdunenſem, Tullenſi II. apud Tuſiacum, Arduicum Viſontinum; Mantalenſi Ottraninun Archiepiſcopum Vienuenſem; Cabilonenſi & Valentino Aurelianum Lugdunenſem; Concilio III. Cabilonenſi Auſterium Lugdunenſem; Troſleiano Heriuæum Remenſ. Ingilenheimenſi Wafridū Colonienſem legimus primo loco ſubſcripſiſſe.

Tertium, quòd nec Gallica ſimplicitas tulerit, vt ſeruata tam religioſè ab Africanis ordinationis prærogatiua inter Metropolitanos & Epiſcopos pari dignitate præditos cuſtodiretur, patet; quòd & in eodem interdum Concilio, & in diuerſis qui priori loco nominatus eſt, poſteriori nominetur: atque adeò cùm nemo antiquitatis ordinatione prior & poſterior eodem eſſe potuerit, oportet vt in iſtis nominandis neglecta iſta prærogatiua fuerit.

In eodem Concilio modò priùs, modò poſteriùs alio aliquem nominatum fuiſſe, ad oculum innoteſcet, ſi Concilij Valentini I. epiſtolas Synodicas, & præfationem cum ſubſcriptionibus contuleris: nam in epiſtolis Synodicis, & in præfatione, non niſi tertium poſt Fregadium & Eumerium; in ſubſcriptionibus verò primum locum tenet Florentius Viennenſis; idémque de aliis, putà Æmiliano, Brittone, Iuſto, quorum vix vllus eumdem vbique locum habet, vt ad oculum intueri licebit.

In Concilio quoque Aruernenſi I. alio ordine in ſubſcriptionibus, alio in epiſtola ad Theodebertum Regem Epiſcopi enumerantur. In Concilio Pariſienſi IV. alius ordo apparet in epiſt. ad Ægidium Remenſem, alius in titulo, alius in ſubſcriptionibus epiſtolæ Synodicæ ad Sigebertum: in epiſtolis Lucidi ad Fauſtum, & Fauſti ad Lucidum immutatus omninò & inuerſus ordo notari poteſt.

Comparentur ſimiliter inter ſe Concilium Reginenſe, Arauſicanum I. epiſtola Synodica Epiſcoporum Galliæ *ad Leonem* Papam de epiſt. ipſius *ad Flauianum*, epiſt. 106. Leonis reſponſoria, quâ gratulatur ipſis ob Catholicam fidem, 109. de controuerſia *inter Arelatenſem & Viennenſem Metropolitanos*, & 52. quâ mittit exemplar Chalcedonenſis Synodi, multos notare poteris ex iis qui in vno Concilio, aut epiſtola vna nominantur, modò priores, modò poſteriores iiſdem legi, quibus anteà prælati erant: quod in Conciliis quoque Arelatenſi IV. Carpentoratenſi, Vaſenſi, quorum vnum non diu poſt aliud habitum eſt. Item in Conciliis II. III. IV. & V. Aurelianenſibus, Aruernenſi II. Pariſienſi II. inter ſe collatis. Similitérque in Concilio Pariſienſi III. & Turonenſi II. inter ſe comparatis, nec non in Conciliis Matiſconenſi I. Valentino II. & Matiſconenſi II. circa eadem ferè tempora habitis: denique in Conciliis etiam poſterioribus elucet, nam in Conciliis Bellouacenſi anni 846. Meldenſi 845. in villa Sparnaco 846. Turonenſi IV. anni 849. Sueſſionenſi 853. Vermerienſi 853. apud Saponarias 859. Tuſiacenſi anni 860. Sueſſionenſi III. anni 860. aliiſque poſterioribus non idem ordo Epiſcoporum & Metropolitanorum ſeruatur, ſed modò vnus alteri, modò alter eidem præponitur: imò nec idem Concilium conſtantem eundem ordinem retinet, quòd in vltimo nominatis Conciliis, Sueſſionenſi duplici, Vermerienſi, Tullenſi apud Saponarias, & Tuſiacenſi animaduertes.

§. LXXV.

Quædam exceptiones aduerſus ſubſcriptionum diuerſitatem.

Verum nullum apud me ponderis hoc argumentum habet: 1. quia in nominibus propriis & eorum certo inter ſe ordine collocando facilè à Scriptoribus, Exſcriptoribus, Typographis errari potuit, qui error vbi ſemel admiſſus eſt, quia ex proprio ingenio emendari non potuit, ideò correcta exemplaria Conciliorum hac in parte reperire difficillimum eſt.

2. Quia non ſemper Epiſcopi iu ſubſcribendo dignitatis ordinem ſeruarunt, ſed aliquaodo vnuſquiſque poſt Præſidem ſuum ſubſcripſit, prour ſedebat, vel prout deferebatur exemplar ad ſubſcribeodum, adeò vr modò ad eosomues qui ex vno latere ſedebant, tum ad eos qui ex alio latere deferretur; modò in eo deferendo aliqua alia ratio opportunitatis ſpectaretur non honoris. Orieotales Epiſcopi maiorem rationem hoooris in iis habuerunt quàm Occideotales, io Coocilliis tamen georalibus in Oriente habitis non potuit ordo iſte tam conſtanter ſeruari quin aliquando violatus reperiatur: vnde & ſubſcriptiones noo ſemper cum enumerationis initio ſeſſionum factæ concordant, nec in diuerſis ſeſſiooibus eiuſdem Coocilij idem ordo ſemper ſeruatur, vr curioſè illud inueſtiganti innoteſcet.

Tertiò, potuit & hæc differeotia ob aliam tertiam rationem coutingere, quod nempe eadem lineâ duo aut tres Epiſcopi ſubſcriberent, non adeò moroſè ſpectato ordine ſuo, ſed vnus ioferior, alius ſuperior. Vode exſcriptoribus liberum fuit vnum alij præponere prour in varia exemplaria incideruot; nec qui exemplaria iſta correxerunt, ſubtiliter in vero ordine retioeudo laborarunt, rem iſtam parùm momentoſam æſtimantes.

Quartò, qui acta Coucilij ſcripſerunt, ordinem aliqoando ſubſcriptiooum ſeruauerunr, aliquando mutarunt. Qui ordinem ſubſcriptiooum ſeruauerunt, oon tam ſcriptionis quàm ſcripturæ habentes rationem; potuerunr enim qui priùs ſubſcripſerunt ſecundo ordioe recenſere, vel tertio, quòd inferior alus videretur, vel quia iu medio lineæ ſubſcriperar: nam & hic quibuſdam prior, quibuſdam ſequenti ordine viſus eſt uumerandus: hioc & euumerariooum in diuerſis Conciliis diuerſitas, & in dioerſis eiuſdem Concilij ſubſcriptionibus. Qui ordinem ſubſcriptiooum nou ſeruauerunt, illos prout ſedebant aliquando in chartam referentes, diuerſum à ſubſcriptiouibus ordioem nouuunquam tenuerunt: hinc enatæ enormes diſcrepantiæ.

§. LXXVI.

Subſcribendi prærogatiua non ſemper auctoritatis argumentum, nec obſequij excluſionem inferre viſa.

QVINTÒ, nec obſtat auctoritati hierarchicæ Primatum & Metropolitaoorum, ſi Metropolitauos vel poſt ſuos Suffraganeos ſubſcribere vel nomioari legamus: nam verbi gratiâ non dubium eſt, quio in Italia Dionyſius Mediolaneoſis Epiſcopus Metropolitanus magoæ auctoritatis fuerir, quem nempe Athaoaſius epiſt. ad ſolitariam viram agentes, Metropolitanum Italiæ appellauit: apud quem & Preſbyteros Romanæ Eccleſiæ in Concilio Mediolanenſi ſub Conſtante habito præſidentes Vrſacius è Myſia, Valeus è Pannonia libellum pœnirenriæ obtulerunt, vt colligere licet ex epiſtola Synodali ſanctorum Patrum, qui ex parte Catholica adfuerunt Concilio Ariminenſi apud Athanaſium libro *de Synodis:* quem tantæ auctoritatis fuiſſe credibile eſt, quantam in Auxeotio ad Eccleſiæ perniciem, in Ambroſio ad eiuſdem reſtaurationem ſequeus ætas quæ ipſos alterum alteri ſuccedentes vidit, teſtari poreſt. Nihilominus Euſebium Vercelleoſem fingeotem ſe ob ſenium velle priorem locum in ſubſcriprione damoationi Athanaſij ſibi rribui præ ſuo Metropolitaoo Arriani demirati uou ſunt, uec petitionem vt inſolitam & contra morem ſuſpectam habueruot. Rem uarrar ſanctus Ambroſius, ſeu potiùs ſanctus Maximus Taurinenſis ſermone *in natali ſancti Euſebij habito ad populum*, ſeu coocione 69. iuter Ambroſianas iis verbis: *Illud autem tacendum omninò non arbitror, quòd cùm Arrianorum deteſtanda perfidia totam cum vniuerſo mundo Italiam perturbaſſet, atque eiuſdem peſtilentiæ Sacerdotes ſimplicitate ſancti Dionyſij Martyris captiuaſſent, ita vt ſubſcriptionis eius vinculum retinerent, quà illud è manibus eorum ſapientiâ liberauit. Sic enim ait ſanctus Paulus, Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem: ita Euſebius hæreticis hæreticum* (propter coudemnationem Athanaſij) *ſe eſſe mentitus eſt, vt de hæreſi filium liberaret: dixit enim eorum ſe conſentire perfidiæ, hoc ſibi placere quod illis, ſed quod ſibi filium Dionyſium in ſubſcribendo præpo-*

Digitized by Google

nerent, grauiter ſe moueri, Vos enim, inquit, qui dicitis filium Dei Patri Deo æqualem eſſe non poſſe, cur mihi filium prætuliſtis? Quâ illi ratione permoti ſtatim ſancti Dionyſij chirographum deleuerunt, priorem locum deſcribendi beato Euſebio deferentes. Quos ille increpans & irridens, ait, Neque ego me veſtris ſceleribus polluo, neque filium meum vobiſcum participare permitto,

Hæc liberiùs dicentem grauiſſimum ſenem nemo coarguit, oeque ipſius ſe ſubſcripturum promittentis, dummodo prior ſibi locus deferretur, ſuſpectam fidem vllus credidit; quod vtique argomeotum eſt, oon ioſolitum fuiſſe, vt aliquando Metropolitani ſuam vtique retinentes auctoritatem ac poteſtatem, ſenioribus tameo Epiſcopis, qui conſummatam in bono opere longæuam vitam duxiſſent, honoris causâ primum locum ſubſcribeodi relinquerent, vel ad ſedendum aote ſe inuitarent. Quamuis non dubium eſt quin ſummo iure & ſedendi & ſubſcribendi prærogatioam ſibi retinere poſſent: nam & ſecuti Arriani Dionyſium Mediolaoeoſem primùm conuenerant, & ab eo chirographum in damnationem Athanaſij fraude elicueraot: in quo Arrianis conſentiens, videri poterat factus Arrianus: & eundem morem ſecutus Dionyſius, teſte Hilario ad Conſtantium, cùm in Coocilio Mediolanenſi, *Euſebius cōmentus, vt in Athanaſium ſubſcriberet, dixiſſet, de ſacerdotali fide priùs oportuiſſe conſtare, compertos ſibi quoſdam de iis qui adeſſent hæretica labe pollutos: expoſitámque fidem apud Nicæam poſuiſſet in medio, ſpondens omnia quæ poſtularent eſſe facturum, ſi pro fidei profeſſione ſcripſiſſent, ille, inquam, Dionyſius Mediolanenſis chartam primus accepit, & profiteri ſcribendo cœpit.*

Quamuis ergo & primi ſubſcriberent, & primo loco Metropolitani, tameo honoris causâ abſque ſuæ immutatioue dignitatis atque poteſtatis, alteri locum ſibi debitum concedere potuerunt: & ſi quæ occaſio occurreret, non multum ſolliciti fuiſſe dici poſſunt, quinam primo loco ſubſcripſiſſe videri poſſent, quioam primo loco nominati referrentur.

Negligi iſta poſſunt abſque ceſſione dignitatis vel auctoritatis ſibi collatæ. Et ſanè negare non poſſunt aduerſarij quin ſaltem poſt octiogentos annos editis epiſtolis decretalibus antiquorum ſummorum Pootificum, & ex parte Capitularibus Regum ooſtrorum inſertis atque vſu receptis, in quibus Metropolitanorum ac Primatum poteſtas commeodatur ſæpiſſimè, & inculcatur, à quo etiam tempore Archiepiſcopi paſſim Metropolitani dici cœperunt, & Archiſacerdotes, & Principes Sacerdotum; non, inquam, dubiom eſt quin in Gallia oon ſolùm cum ſollicitudine, verùm etiam cum auctoritate & iuriſdictione Metropolitani ſaltem agniti fuerint: his tamen temporibus legimus & aliquos Metropolitanos poſt Suffraganeos quoſdam ſubſcribere minimè renuiſſe: nam verbi gratiâ in coofirmatiooe priuilegij Monaſterio Corbeienſi coocesſi; in Synodo Pariſienſi anno 845. Hincmarus Metropolitaous Remenſis primo loco, Herpuinus Syluanectenſis ſecundo, Guntbaldus Metropolitanus Rothomageoſis tertio, tùm quarto, quinto, ſexto & ſeptimo Laudunenſis, Sueſſionenſis, Cameraceoſis, Bellouacenſis Epiſcopi, quos ſequitur Wenilo Metropolitanus Senonenſis: in confirmatione quoque priuilegij Monaſterio Solemniacenſi conceſſi à Synodo Sueſſiooica anni 866. poſt Rothardum Sueſſionicæ vrbis Epiſcopum, qui quarto loco ſubſcripſerat, tres Metropolitani ſubſcripſerunt, Weoilo Rothomageoſis, Herardus Turooenſis, & Egil Senooenſis: quibus & alia ſimilia exempla proſtant. Igitur ex primo vel ſecundo ſubſcriptionis loco, nec Metropolitanorum, nec Primatum poteſtatis immutatio, colligi poteſt.

Confirmatur, etenim non illud Galliæ proprium eſt, vt antiquitatis reuerentiâ Metropolitani, licèt de ſua auctoritate ac poteſtate nihil remitterent, primum in charta ſubſcriptionis locum alicui ex ſuis etiam Suffraganeis deferant: nam verbi gratiâ Taurinenſem Epiſcopum cooſtat Mediolanenſi Metropolitaoo ſubditum, patétque ex epiſtolis Ambroſij, ex geſtis Simpliciani & Venerij, quaota Mediolanenſis Metropolitani eſſet auctoritas. Nec dubium eſt quin primus ſubſcriptionis locus ei deberetur, vt ex ſubſcriptionibus Concilio Aquileienſi, aliiſque innoteſcit; &, vt cooueniectiora rei proponendæ exempla quæramus, legimus epiſtolam Euſebij Mediolanenſis, quàm ex Concilij quidem ſententia, ſed ſuo

nomine ſcribit ad Leonem Papam, quæ habetur poſt epiſt. 51. ſancti Leonis inter eius epiſtolas; in ea ſiquidem auctoritatem eius notabis, quòd nomine ſuo ſcribat, Suffraganei ſolùm dictata ab eo & ſcriptæ epiſtolæ ſubſcribant: inter Suffraganeos vnum notabis Maximum Eccleſiæ Taurinatis Epiſcopum poſt aliquos ex Suffraganeis, ipſúmque Metropolitam Euſebium ſubſcribentem. Idem tamen Maximus in Concilio Romano ſub Hilaro Papa Leonis ſucceſſore ante quadraginta-quatuor Epiſcopos, qui Synodo interfuerunt, primo loco poſt Pontificem nominatur & loquitur; poſt quem à Pontifice ſecundus Ingenuus Ebredunenſis Alpium maritimarum Metropolitanus ipſius Hilari Papæ iudicio, imò etiam ante Metropolitanum ſuum Mediolanenſem, qui etiam à quibuſdam huic Concilio interfuiſſe putatur, quemadmodum notat Baronius ad annum 465. ſi tamen vera eius obſeruatio eſt.

In Synodis verò ſub Symmacho poſteà habitis contrarium obſeruatur, cæteríſque Laurentius Mediolanenſis, & Petrus Ranennas priorem locum habent, Taurinatis Eccleſiæ Epiſcopus ſuo cum Epiſcopis inferiorum ſedium loco ſubſcribit. Quare etiam in iis locis, in quibus religioſiùs hic ordo ſeruatus eſt, nihilominùs ſeruatis iuribus Metropolitanorum, ac priuilegiis auctoritatis & poteſtatis, deferri aliquando perſonali alicuius Epiſcopi dignitati potuit, vt primus ei ſubſcribendi locus, & loquendi in Concilio primæ partes deferrentur: quemadmodum in Comitiis Cleri Gallicani, etiamnum ſeruatur vt in cæteris Metropolitanis antiquióribus dignitate ſeruatâ, alij tamen ad præſidendi officium ætate ac dignitate inferiores deligantur.

§. LXXVII.

Rationes proferuntur cur Epiſcopi ante Metropolitanos aliquando nominati, & ſubſcripti reperiantur.

ATQVE hæc vniuerſim de ſubſcriptione & nominatione Epiſcoporum dicta ſint, iam ad ſingula capita deſcendamus. Primum ergo, quòd Epiſcopi Suffraganei etiam ante quoſdam Metropolitanos in Conciliis ſubſcripti etiam aliquando reperiuntur, variæ cauſæ referri poſſunt.

Prima, quòd per prouincias in quibuſdam Conciliis Epiſcopi ſubſcriberent: quæ cauſa eſt cur in Arelatenſi primo & Aquileienſi Epiſcopi ante Metropolitanos ſubſcripti reperiantur: nam in Arelatenſi primo Concilio, quia Epiſcopi per prouincias ſubſcribunt; ideò Pandus Epiſcopus ciuitatis Arpienſium, qui ſolus ex prouincia Apuliæ aduenerat, ſubſcribit ante Theodorum Aquileienſem Metropolitanum ex prouincia Dalmatiæ; Oroſius Maſſilienſis, Narbonenſis ſecundæ prouinciæ ante Marinum Arelatenſem Viennenſis prouinciæ; quòd Genialis Diaconus Gabalitanorum ex prouincia Aquitanica prima Agroecium Burdegalenſem ex Aquitanica ſecunda, alióſque ex Galliis Metropolitanos diuerſarum prouinciarum, & aliqui Epiſcopi & Presbyteri Hiſpaniæ inferiorum ſedium Preſbyterum Tarraconenſis Metropolitani miſſum præcedant.

Quæ etiam cauſa eſt, ob quam in Aquileienſi, in quo præcipui Metropolitani Ambroſius Galliæ Ciſalpinæ, ſeu Italiæ ſtrictè ſumptæ, & Aquileienſis Dalmatiæ primi ſubſcribunt; Mediolanenſis, quia maioris auctoritatis pluréſq; Suffraganeos ſecum adduxerat; Aquileienſis, quia in ſua ciuitate Concilium habebatur: qui ex Galliis adnenerant, per prouincias ſubſcripſiſſe; & quidem qui ex ſeptem prouinciis deſtinati erant, ij primi nominantur ante Legatos Galliarum propriè dictarum, quæ remotiores erant. Atque adeò Iuſtus Lugdunenſis nonniſi poſt multos Epiſcopos inferiorum ſedium: & ex ſeptem prouinciis primi quoque nominentur Alpium maritimarum Epiſcopi, qui viciniores erant Galliæ Ciſalpinæ, tum Narbonenſis ſecundæ. Quæ ratio nominandorum Epiſcoporum nullum dignitati Metropoliticæ præiudicium infert.

Altera ratio occurrit, quòd nonnunquam quibuſdam Epiſcopis magni nominis & venerandæ ſenectutis, tanquam Promotoribus Concilij locus primus in

quibuſdam deferatur, quomodo Fœgadio ſeu Phœbadio Agennenſi, quo nomine appellatur in inſcriptione libri, quem *aduerſus Arrianos* compoſuit, lib. 4. Bibliothecæ Patrum, ab Hieronymo verò in ſcriptoribus Eccleſiaſticis Soebadius, à Sophronio Σοιβάδιος, qui teſte eodem Hieronymo ad decrepitam vſque ætatem peruenit, propter ætatem & ſapientiam probatam in Synodicis epiſtolis prærogatiua iſta defertur, vt primo loco nominetur, quamuis ad auctoritatem ſuam retinendam Florentius Metropolitanus primo loco ſubſcribat: ſic & in quibuſdam Conciliis Oſij Cordubenſis, & Euſebij Vercellenſis nomina hac occaſione reor eſſe priori loco vel inter priores conſcripta; & in quibuſdam epiſtolis Africanæ Eccleſiæ, Auguſtini, qui ſingulariter ad Epheſinum Concilium legitur euocatus nomen præ cæteris appoſitum: quòd hi magnæ auctoritatis viri eſſent, qui ſuâ auctoritate poſſe præſcribere viderentur.

§. LXXVIII.

Rationes proferuntur, ob quas diuerſis Galliæ Conciliis diuerſarum ſedium Metropolitani ſubſcripſerint.

QVOD ad 2. caput attinet, variæ rationes pariter occurrunt propter quas modò vnus Metropolitanus, modò alter Conciliis diuerſis Galliæ præfuiſſe legantur. Nam & Arelatenſis Metropolitani Exarchiæ non iidem ſemper fuere limites, ſed ſub Romano Imp. in vniuerſas Gallias, tum ſub Gothis, intra eorum regni fines: deinde ſub Francis in aliqua parte Galliarum modò ampliori, modò anguſtiori, prout in varias partes diuisâ Galliâ, contingebat, vt eius qui Arelatenſi ciuitati dominabatur, Imperij fines magis vel minùs protenderentur; tum ad tempus deſiiſſe videtur ob perturbatam Eccleſiaſticam diſciplinam ſub finem Monarchiæ Merouingiorum, cui ſucceſſit Bonifacij Moguntini in Gallis Apoſtolica legatio, & Metropolitanorum αὐτοκεφαλία, donec Drogoni Metenſi faſtu regiæ proſapiæ ſubuecto, Ludouici ſcilicet Pij fratri, à Sergio Papa ſecundo, tempore Lotharij Imperatoris prælatio in Ciſalpinis prouinciis conceſſa, quæ renuentium Epiſcoporum interceſſione, & ſingulari eius, cui indulta illa fuerat, moderatione nolentis ſcandalum fratribus & conſacerdotibus generare, aut ſchiſma in Eccleſiam introducere, effectu caruit, ſi credimus Hincmaro Remenſi epiſt. 44. ſuperiùs citatâ num. 30. cuius hac in re ſuſpectum teſtimonium; quippe hac epiſtolâ totus in eo ſit, vt Anſegiſi Primatum à Ioanne octauo collatum minimè recipiendum perſuaderet: ſuſpectum, inquam, eſt, cùm conſtet in Concilio Vernenſi ſecundo Can. 11. receptionem eius ad maiorem conuentum reiectam: interim tamen commiſſam illi legationem Epiſcopi ſe maximè probare declarent; cùm exploratum ſit illum Concilio apud Theodonis villam prædediſſe, & decreto Lotharij pro reſtitutione Ebbonis Remenſis ante Archiepiſcopos, Moguntinum, Treuirenſem, & alios, ſubſcripſiſſe: certum denique habeatur ex epiſtola Caroli Calui ad Nicolaum Papam, quâ pro Aduentio intercedit, illum à Sede Apoſtolica etiam honore pallij decoratum fuiſſe, qui honor nonniſi Sedis Apoſtolicæ vicariis concedebatur.

Succeſſit collatus Anſegiſo Primatus à Ioanne octauo, cui Odorannus Monachus, & Chronicum Antiſſiodorenſe neminem dicunt reſtitiſſe. Aimonius lib. 5. cap. 33. è contrà reſtitiſſe dicunt omnes præter vnum; ipſúmque non abſolutè, ſed conditionatè, *ſaluo iure Metropolitanorum* admiſſum refert; cuius Primatus indicia aliqui referunt etiam in ſucceſſoribus. Ego rem iſtam non attingo: ſed improbabile iudico, adeò leuem atque immemorem ſui fuiſſe Ioannem octauum, vt conceſſæ legationis non meminerit anno 878. quo epiſtolam ſcribens Metropolitanis quinque Galliarum, Hincmarum Remenſem illi præponit, eodémque anno in Concilio Trecenſi poſt ſe & alios ex Italia Præſules, nullâ habitâ ratione Anſegiſi præſentis, Hincmarum ſedere, Gallorum Epiſcoporum nomine orare, & primum ſubſcribere permiſerit.

Quæ vtique inſinuata ſuperiùs à nobis confirmant Legationem ſcilicet Sedis

Digitized by Google

Apoſtolicæ potiùs eſſe auctoritatis & ſollicitudinis ſimul, quàm honoris priuilegium; Papam Metropolitanos ſalutando iuxta ſuæ ordinationis tempus non credidiſſe ſuo vicario inferre iniuriam, dummodo penes eum integra vicarij Sedis Apoſtolicæ cura & poteſtas remaneret: in Concilio ipſum ſedentem vicario nullum locum dediſſe; ſed in ordine ſuo illum reliquiſſe, quia reuerà vicario opus non erat, cùm ipſe per ſe præſens eſſet, & legationis munus Papâ præſente ſuſpenſum iure videri poterat.

Sed hæc obiter: pergamus in ipſa reſponſione noſtra, addamúſque paulò pòſt Anſegiſo collatum Primatum, confirmatum ab eodem Ioanne octauo Roſtagno Arelatenſi, vt ſuperiùs notauimus, quem Nicolaus Papa epiſt. 10. Appendicis quodammodo adpromiſerat anno 864. pollicitus, ſi Arelatenſis Præſul Apoſtolicæ Sedi adhærendo errores contrarios refellere pergeret, *Eccleſiam ei creditam Papæ ſollicitudine, & vigilantiâ, auctore Deo, per eum ampliùs augmentandam.* Hanc verò legationem Arelatenſi decretam puto ob diſtractum Burgundiæ regnum à reliqua Gallia, cui Burgundiæ regno Arelatenſis præſul, ideò ex antiquo more tanquam vicarius Sedis Apoſtolicæ præpoſitus eſt. Ex qua proinde diſpoſitione Ioannes octauus nec Arelatenſi Epiſcopo ſpem Primatus ademit, vicarium ſuum in Gallicis & Germanicis prouinciis conſtituendo Senonenſem, nec præiudicium Senonenſi intulit, in Arelatenſi regno ab illis prouinciis diuulſo Senonenſem conſtituendo Primatem.

Iis omnibus ſi addas, Viennenſem ac Lugdunenſem Metropolitanos, vt notauimus, aliquo tempore Sedis Apoſtolicæ vicarios fuiſſe: Bituricenſem Primatum poſteà obtinuiſſe: Metropolitanos in iis prouinciis in quibus nullus eſſet Primas, liberè iure præſidendi Conciliis potitos fuiſſe, & antiquiorem præſediſſe, vel eum qui in ſua eſſet prouincia, vel cui alij concederent. Si, inquam, hæc omnia ſimul iungas, reperies ſufficientiſſimam rationem, ob quam Conciliis Gallicanis, modò huius ſedis, modò alterius Metropolitani præſederint.

Illuſtrant verò hanc rationum collectionem ea quæ nos in ſerie ipſa narrationis de Galliarum gubernatione hierarchica paſſim adnotauimus.

§. LXXIX.

Diſtinctio Conciliorum profertur, ratione cuius diuerſi vt plurimùm præſidebant.

NOTARI etiam volumus diſtinctionem à nobis ſuperiùs inſinuatam Conciliorum, quæ à Primatibus conuocarentur, quæ à Regibus, quæ ab Epiſcopis mutuâ imitatione nemine iuridicè conuocante: quæ ab vno Metropolitano cum Epiſcopis ſuæ prouinciæ, quibus alij vel ex inuitatione ſe adiungerent, vel fortuitò intereſſent. Nam Conciliis, quæ à Primatibus conuocabantur, ipſi Primates ſemper præſidebant, nec licebat ea habere, niſi vbi ipſe Primas deſignaſſet & conueniſſet. Conciliis quæ à Regibus conuocabantur, aliquando Metropolitanus præſidebat is cui rex curam negotij quod tractari volebat, commiſerat, nec Canonum ſemper cura Regibus fuit, vt huic negotij procuratio demandaretur, cui ex Canone debebatur; ſæpè gratioſis & potentibus in curia negotium committebatur ab eorum ſollicitudine alienum: vocabantur & Epiſcopi aliquando à Regibus propter negotia magna ex parte politica, & ex occaſione Eccleſiaſtica tractabant, quod Pipini, Caroli Magni, Ludouici Pij tempore præſertim factitatum: in iis Comitiis nulla videtur Primatum in ſedendo prærogatiua, & ſubſcribendo: quin etiam raro nominati aut ſubſcripti reperiuntur; antiquitati credo delatum prærogatiuæ honorem, quemadmodum Hincmarus deferendum docuit epiſt. cit. num. 15. & 16. quo vltimo loco docet inter Metropolitanos, *ſicut & inter reliquos Epiſcopos hanc conditionem ſeruari, vt qui priùs fuerit ordinatus, prior habeatur.* Si quæ Concilia mutua Epiſcoporum inuitatione fierent, niſi in iis tractarentur quæ ad Primatis curam pertinerent, Primatum etiam probabile eſt prærogatiuam ſedendi & ſubſcribendi non accuratè ſeruatam, vt ſuperiùs notauimus, quia cùm Sedis Apoſtolicæ vicariorum perſonam non ſuſtine-

rent, æquâ ferè conditione cum cęteris cenſebantur. Denique cùm Metropolitanus aliquis auctoritate ſuâ prouinciam conuocabat, aut adunabat, ſi quis Epiſcopus Metropolitanus alterius prouinciæ ad illud Concilium ſeu vocatus, ſeu ſponte accedebat, eorum quæ iuriſdictionis erant primæ ſemper partes Metropolitano ſeruari debebant: quæ honoris erant, ſibi Mettopolitanus ſummo iure retinere poterat, ſed & poterat aliquando extraneo concedere. Vtriuſq; exemplum animaduertimus in Conciliis, Andegauenſi anno 433. & Turonico I. anno 461. Vtrumque enim in prouincia Turonica habitum eſt, & ab Epiſcopis Turonicæ prouinciæ auctoritate Metropolitani Turonenſis: primùm occaſione ordinationis Thalaſij Epiſcopi Andegauenſis, ad quod non dubium eſt, quin Mettopolitani fuerit ſuos vocare comprouinciales: alterum occaſione feſtiuitatis ſancti Martini, in quem diem Concilij celebrationem fortè indixerat Mettopolitanus, certè ſiue moderato conſilio, ſeu extemporaneâ deliberatione ſuæ prouinciæ Epiſcopos collegerat. Vtrique Leo Bituricenſis Epiſcopus Metropolitanâ dignitate exornatus interfuit, ſed in Andegauenſi prior nominatur in Concilij celebratione, cedente ſcilicet Euſtochio Metropolitano Turonenſi, qui ſedit poſt Bricium ante Perpetuum, teſte Gregorio Turonenſi lib. 2. cap. 31. aliàs vltimo. In poſteriori priores ſubſcribunt Perpetuus, & Victorinus Cœnomanicæ vrbis Epiſcopus antiquitate cæteris porior, tum idem ante cæteros eiuſdem prouinciæ. Prædicta verò moderatio, & vrbanus agendi modus cum extraneis in eodem Euſtochio ſingularis elucet, cuius nimirùm legitur epiſtola ad Epiſcopos prouinciæ tertiæ, ſeu Lugdunenſis ſeu Aquitanicæ: in qua Leo priori loco, tum Victorinus (quem Cœnomanenſem Epiſcopum ex ſubſcriptionibus Concilij Turonici primi eſſe edocti ſumus,) Euſtochius verò vltimo ſubſcribunt. Probabile eſt ſcilicet Turonis epiſtolam iſtam ſcriptam fuiſſe, & Euſtochium extraneis Epiſcopis, etiam Suffraganeo apud ſe honorem deferre voluiſſe.

Quod non abſurdum iudicabit ille, qui antiqui Eccleſiæ moris non ignarus nouerit, aduentantibus Epiſcopis ad prædicationem populorum cathedram, ad ſacrificandum altare offerri ab aliis conſueuiſſe, vt liquet ex Conſtitut. Apoſtolicis lib. 2. cap. 58. quo loco morem iſtum commendant, & ad benedicendum ſaltem populo extraneum Epiſcopum non ſolùm inuitari, ſed etiam cogi volunt, liquet ex Aurelianenſi primo Concilio Can. 20. Carthaginenſi IV. Can. 33. Euſebio lib. 5. hiſtoriæ cap. 24. Athanaſio tam Apologiâ primâ quàm ſecundâ, Hieronymo epiſt. 60. *ad Pammachium*, Chryſoſtomo homil. 3. *de verbis Iſaiæ*, in fine; Cyrillo Alexandrino homil. 3. *de Incarnatione*; Auguſtino ſerm. 1. *in feſto vnius Confeſſoris*; Sidonio epiſt. 3. lib. 9. Fauſto Regenſi homil. *de vidua quæ duo æra miſit in Gazophylacium*, & aliis paſſim.

§. LXXX.

Quomodo diuerſis Conciliis iidem aliis modò priores, modò poſteriores ſubſcripſiſſe legantur.

EÆ autem rationes quas protulimus ſatisfacere poſſunt dubiis circa 3. caput, quomodo nempe non habitâ ratione antiquioris ordinationis eoſdem, in eodem Concilio in diuerſis ipſius actis, vel in diuerſis modò priores, modò poſteriores nominatos fuiſſe, aut ſubſcriptos contigerit. Pręter ea quæ actorum fidem tam in ſubſcriptionibus quàm in nominationibus imminuunt; contingere hanc diuerſitatem potuiſſe dicimus, ſiue ex eo quòd qui Primas fuit vnius prouinciæ, & in ea primum locum obtinuit, in alia prouincia ad Concilium proficiſcens eius Primati ſubiiciatur, & Mettopolitanis antiquioribus cedat, quibus in ſua Diœceſi ſuperior erat.

Mettopolitani quoque priores aliquando ſubſcribunt, quia ſunt in ſua prouincia; aliquando poſteriores, ob eandem rationem, prout vel prærogatiuam honoris retinere; vel ei cedere in gratiam extraneorum placet: prout item diuerſa Conciliorum eſt ratio, & diuerſus ſubſcribendi modus, nam in quibuſdam per pro-

uincias ſubſcribunt, aliis ſinguli antiquitatis ordine, nullâ habitâ Primatus ratione; in aliis Primatis dignitas penſatur, eique deſertur, in aliis minimè; prout denique rerum quæ tractantur in Conciliis diuerſa eſt ratio: nam in quibuſdam Metropolitanus aliquis ſolam Metropolitani perſonam induit, in aliis etiam vt Primatem ſe gerit, & prout diuerſam perſonam ſuſtinet, primo, ſecundo vel alio loco ſubſcribit, primo vel inferiori loco nominatur: nec id videri debere incommodum oſtendit Syagrij exemplum, quem nominatum legimus epiſt. 110. indictione 2. lib. 7. Regiſtri Gregorij, ante Ætherium Lugdunenſem, Virgilium Arelatenſem, Deſiderium Viennenſem, quia de Synodo agebatur, cui vt Sedis Apoſtolicæ vicarius debebat ſubſcribere. Qui tamen vt Auguſtodunenſis Epiſcopi perſonam ſuſtineret, Lugdunenſi in omnibus inferior, cuius ſcilicet Lugdunenſis per omnia locum & honorem ſeruari voluit Gregorius epiſt. 114. eiuſdem libri.

§. LXXXI.

Concluſio totius iſtius diſputationis.

HÆc autem omnia explicare, & exemplis illuſtrare velle fuſioris eſſet narrationis & ingrati laboris: plus certè apud me valent expreſſa Scriptorum omni exceptione maiorum teſtimonia: ex quibus vtique conſtat regularem hunc ordinem inter Epiſcopos & Metropolitanos, qui nullâ præ cæteris aliis dignitate ornarentur, & ſeruari debuiſſe, & ſeruatum fuiſſe, vt qui antiquiores eſſent, honoris prærogatiuas obtinerent: plus, inquam, valent quàm ſubſcriptiones, aut nominationes quædam, ex quibus id ordinariè non fuiſſe ſeruatum (extraordinariè enim non fuiſſe ob cauſas aſſignatas fatemur) aliqui inferre nituntur, quibus, vt iam dixi, nihil incertius.

Legimus disertè Hincmarum Remenſem coram Metropolitanis & Epiſcopis, à quibus ſi quid falſi & contra morem adduxiſſet, continuò reprehendi potuiſſet, regularem hunc Galliarum morem & proferentem, & Gregorij teſtimoniis comprobantem, tum epiſtolâ citatâ *de Metropolitanis*, cap. 15. tum opuſculo quinquaginta-quinque capitum contra Hincmarum Laudunenſem, cap. 17. Legimus & aperta Gregorij teſtimonia tum epiſt. 114. lib. 7. indict. 2. vbi Auguſtodunenſi quidem Epiſcopo præter ius pallij, & prærogatiuam vicariatus Apoſtolici Syagrio conceſſi indulget, vt ante cæteros prouinciales locum ordinemque ſibi vendicaret, quæ indulgentia oſtendit certum quendam inter ipſos ordinem fuiſſe regulariter ſeruatum: eum nempe quem verbis ſequentibus denotat: *cæteros verò Epiſcopos ſecundum ordinationis ſuæ tempus, ſiue ad conſidendum in Concilio, ſiue ad ſubſcribendum, vel in qualibet alia re ſua attendere loca decernimus.* tum epiſt. 15. lib. 12. indict. 7. in qua inter Metropolitanos Anglicæ hierarchiæ hunc ordinem ſeruari præcipit, *vt ipſe prior habeatur, qui priùs fuit ordinatus:* quam legem ad Galliam quoque pertinere Hincmarus Opuſculo cit. contendit, nec immeritò: cùm iiſdem legibus eæ nationes viuerent, & ad Gallicanæ præſertim Eccleſiæ vicinæ exemplum Anglicana formata fuerit. Legimus & eundem ordinem ab Hilaro Papa, & Leone I. Gallis anteà præſcriptum: hic enim epiſt. 89. *ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis* cap. vlt. æquum eſſe ſcribit, *Nec vlli de fratribus fieri iniuriam, ſi his qui ſacerdotij vetuſtate præcedunt, pro ſuæ ætatis merito in ſuis prouinciis, à ſacerdotibus cæteris deferatur:* ille verò epiſt. 8. *ad diuerſos prouinciarum Galliarum Epiſcopos*, Can. 1. Conſtantium Viennenſem æuo honoris Primatem, alióſque qui eo defuncto antiquiores fuerint, Primates appellat, ad quos ſuſpenſi Metropolitani poteſtas deuoluatur.

Legimus in anteriori Regenſi Concilio Can. 3. huius moris obſeruati veſtigia iſta manifeſtè apparere; quòd hæc pœna Armentario intruſo inter cæteras imponatur, *Ne vlli Epiſcoporum vel ſuccedente ætate aſſumpto, in rudimentis ſuis huic in aliquo, quaſi pro ætatis reuerentia, cedere liceat.* Si enim non viguiſſet iſte mos in Galliis, vt iuniores Epiſcopi ſenioribus, & recens aſſumpti, antiquitùs promotis honorem deferrent, & velut in rudimentis, ſeu, vt vocant, Nouitiatu conſtituti, ſe erga illos

vt pote

vt pote ranquam præceptores ſuos gererent; ſed Epiſcopi omnes nullo ſeruato ordine ſederent ac ſubſcriberent; non vrique pœna iſta Armentario imponeretur, ne quis ad Epiſcopatum poſt eum aſſumprus, ætatis & ordinationis rationem habens, locum honorificentiorem ei cederet.

Legimus denique rantam ætatis & antiquitatis prærogatiuam inter Epiſcopos Gallicanos habiram fuiſſe, vt *Pater Patrum, & Epiſcopus Epiſcoporum* Lupus Trecenſis, ob iſtam maximè prærogatiuam, à Sidonio dici meruerir epiſt. 1. lib. 6. Idémque Lupus & Auſpicius (ſiue ille Vaſenſis ſir, qui Concilio Vaſenſi & Arauſicano I. ſubſcripſit; ſiue Tullenſis, ad quem legitur epiſtola eiuſdem Sidonij 10. lib. 7. & cuius ad *Arbogaſtem Comitem* epiſtola refertur à venerabili Beda) ob eam cauſam *inclyti Galliarum Patres, & Protomyſtæ* dicantur, epiſt. 17. lib. 4. Denique Lupus ab eodem Sidonio ep. 13. l. 7. *Facilè Princeps Gallicanorum Pontificum* dictus ſit. Hæc, inquam, omnia aliáqne plura maioris apud me ſunt momenti, quàm ſubſcriptiones Epiſcoporum in Conciliis, in quibus colligendis neceſſariò errari debuiſſe diximus, aut nominationes eorumdem in actis Conciliorum, quæ ex ſubſcriptionibus, vel acceptæ, vel reſtitutæ, & emendatæ iiſdem erroribus fœdatæ ſunt.

Ac proinde concludendum quantuncumque dignitaris & honoris ordo prior, vel poſterior non neceſſariæ iuriſdictionis maiorem vel minorem prærogatiuam inferat; & aliquando auctoritate potiori, ac maiori prædiri locum ſuperiorem ſiue ex conceſſione, ſiue ex alia cauſa obrinuerint. Nihilominùs tria certa eſſe debere: primum, Metropolitanos Primates in ſua Exarchia, & intra limites ſui Vicariatus, cùm hoc officio fungerentur, regulariter cæteris Metropolitanis fuiſſe prælatos, tam vt honorificentiori loco ſederent, quàm vt priùs ſubſcriberent.

Alterum, Metropolitanis quoque eundem regulariter honorem delatum fuiſſe præ Epiſcopis prouincialibus. Tertium, inter Metropolitanos & Epiſcopos ordinem præſertim antiquitatis ſeu ordinationis regulariter quoque ſeruatum fuiſſe. Quod intelligo præſertim de iis Metropolitanis maioribus, qui ius ordinationis plenum & integrum habebãr: ita vt & ab Epiſcopis prouincialibus crearentur, & illos ipſi crearent, arque ordinarent abſque vlla neceſſaria confirmatione Primatis, ſeu ſuperioris Metropolitani: nam minores Metropolitani etiam anriquiores poſt maiores ſubſcribebant ac nominari ſolebant: minores aurem fuerunt Tarenthaſienſis Viennenſi ſubditus, vnicum habens olim Suffraganeum Octodurenſem; Aquenſis, ni fallor, qui Arelatenſi ſpeciali iure obnoxius fuiſſe videtur; & fortè Ebredunenſis atque Bizanrinus, nam nec vllus Veſonriorum Epiſcopus, ſiue in epiſtolis ſummorum Pontificum, ſiue in Conciliis Metropolitanus, vel Archiepiſcopus nominatur ante Arduicum, anno 813. in Concilio apud Saponaras: ſimiliter nec Ebredunenſis (ſi excipias epiſtolam quartam Hilari Papæ, in qua Alpium maritimarum prouinciæ Metropolitanus Ingenuus appellatur) niſi ad remotiora tempora aliquo ex titulis inſignitus reperitur; nullus Aquenſis eodem titulo honoratus ante Robertum, cui Ioannes octauus hunc titulum dedit anno 878. epiſtolâ nonageſima octauâ, & centeſimâ nonageſimâ-primâ, quem in Concilio Nannetenſi anni 879. paulò pòſt aſſumpſit; nullum Concilium legirur, cui eorum aliquis præſederit octingentis & ampliùs annis: ideò de Aquenſi & Tarentaſienſi, & Ebredunenſi, vtrùm Metropolitani haberi deberent, Concilium Francofordienſe, anno ſeptingenteſimo nonageſimo-quarto, dubitauit, & ea de re ſcribendum ad ſummum Ponrificem cenſuir, Can. 8. hi ergo Metropolitani minores, ne ſemel quidem prioribus octo vel nouem ſæculis ante aliquem ex reliquis Galliæ Metropolitanis nominantur aut ſubſcribunt; quin immò ſæpiùs inter Epiſcopos, nullâ Metropoliticâ dignitate ornatos, & quidem interdum inter poſtremos: nam verbi gratiâ Agrippinenſi Pancharius, Claudius Epaonenſi, Vrbicus Aurelianenſi, Tetradius Lugdunenſi II. Syluester Pariſienſi IV. Matiſconenſi I. & II. Veſontini Epiſcopi, ſeu eorum miſſi, nonniſi poſt aliquot inferiores Epiſcopos ſubſcribunt. In Renienſi verò anni 630. & in Cabilonenſi anni 650 Donatus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus poſt omnes Metropolitanos ante alios Epiſcopos ſubſcriptus reperitur. Similiter Ebredunenſes omnes Epiſcopi, quotquot Gallicanis Conciliis prioribus ſæculis interfuiſſe leguntur, Catulinus Epaonenſi, Gallicanus Aurelianenſi IV. & V. Salonius

Pariſienſi IV. Emeritus Matiſconenſi II. Ætherius Cabilonenſi tempore Clodo-uæi II. vel eorum miſſi, nonniſi poſt aliquot Epiſcopos inferiorum ſedium, nequidem ſtatim poſt reliquos Metropolitanos, aut eorum miſſos ſubſcripti obſeruantur. Quod ipſum adnotabis circa Aquenſes Præſules Maximum in Aurelianenſi IV. Auolum in Aurelianenſi V. Aruernenſi II. & Arelatenſi V. Pientium in Matiſconenſi II. Et quidem ſi vnus aut alter ex Metropolitanis iſtarum ſedium à reliquorum numero excluderetur, fortuitò id factum eſſe oporteret, aut aliquam aliam cauſam quàm quòd inferioris notæ eſſent aliis Metropolitanis; ſed cùm tam conſtanter ab eorum numero excludantur, vel poſt reliquos reiiciantur, neque fortuitò, neque aliam ob cauſam id fieri potuit quàm quòd Metropolitanorum auctoritatem, ac dignitatem imminutam haberent, nec eiuſdem cum reliquis dignitatis atque excellentiæ cenſerentur.

Certiſſimum autem eſt, tam Metropolitanorum quàm Primatum in Galliis non nuda eſſe nomina, ſed eos non ſolùm ſollicitudinem cæteris maiorem, verùm etiam auctoritatem ampliorem, ac poteſtatem habuiſſe, & quaſcunque Nouatores tenebras offundant, earum dignitatum innouationes ac determinationes ſingulis ſæculis à Romano Pontifice dependiſſe.

CAPVT III.

De Patriarcharum poteſtate in Primates, Metropolitanos, Epiſcopos.

ARTICVLVS I.

De Patriarcharum inſtitutione & poteſtate generatim.

§. I.

De varia acceptione nominis Patriarchæ.

DIFFVSA eſt, & ampliſſima de Patriarchis tractatio, ſi accuratè eam integram proſequi vellemus: ſed quoniam explicationi ſummi Pont. valdè cohæret, quam, Deo dante, in lucem aliquando emittere volumus; ideò parciùs hoc loco de Patriarchis diſputabimus, quædam in eum locum reſeruantes, quæ arctiorem cum ea diſputatione affinitatem habere videntur, de Patriarcharum nomine, tum inſtitutione & poteſtate fuſiùs & copioſius diſputaturi. Nomen Patriarchæ æquiuocum eſſe poteſt: primò enim antiqui iſti Patres, per quos populus Dei creuit & edoctus eſt in lege tam naturæ, quàm Moſaicâ, Patriarchæ dicti ſunt 1. Paralipomenon 8. Tobiæ 6. Act. 2. & 7. ad Heb. 7. & à Patribus communiter.

2. A Iudæis quoque vocati Patriarchæ poſt Chriſtum, ſectæ Primotes, ab Origene apud Hieronymum Apolog. aduerſus Ruffinum, Epiphanio, & aliis infrà citandis, qui Patriarchæ videri volebant, ex tribu Iuda, teſte Origene lib. 4. περὶ ἀρχῶν cap. 1. Cyrillo Hieroſolymitano, catecheſi 12. Theodoreto & aliis; quibus quidem Patriarchis vbique tributa pendebant, lege vlt. Cod. *Theodoſiani, de Iudæis*, ſeu ex reſcripto Theodoſij & Valentiniani, *ad Ioannem Comitem ſacrarum largitionum*, & Epiphanio lib. 1. in hæreſi Ebionitarum, Palladio *de vita Chryſoſtomi*, ad quod tributum pendendum mittebant eos quos Apoſtolos vocabant; & lege 14. & 18. Codicis Theodoſij, eodem Epiphanio loco citato, Iuliano epiſtolâ *ad Iudæos*, & Aymone libri primi ſacræ hiſtoriæ capite quinto, de huiuſmodi Patriarchis dictum reor, quod habet Adrianus Imperator epiſtolâ quadam relatâ apud Flauium Vopiſcum, *in Saturnino*, vbi turpes in Chriſtianos & Iudæos congerit calumnias: *Ipſe ille Patriarcha cùm Ægyptum venerit, ab aliis Serapidem adorare, ab aliis cogitur*

Chriſtum. Improbabilitet enim de Patriarcha Alexandrino Chriſti ſectatore hæc dici poſſunt: nam cùm duo de Patriarcha hîc referantur, vnum quòd aduena eſſet Ægypti, nec ſedem haberet vbi figeret, ſed huc ſe aliquando transfertet. Alterum, quòd Chriſtum adorare, vel Serapidem cogeretur. Neutrum Chriſtiano Alexandriæ Patriarchæ planè conueniebat: nam nec Chriſtum adorare cogi dici potuit Alexandrinus, qui ſponte ſequeretur; nec Ægyptum aliquoties accedere; qui ibi aſſiduus morabatur. Vtrumque autem dici poteſt de Iudæorum Paariarcha, nam cum Tiberiade morari ſoleret, Ægyptum aduentare poterat: Patriarcham autem Iudæorum Tiberiade in Palæſtina verſari ſolitum docent Hieronymus in caput 3. Iſaiæ, & Epiphanius ſuprà, qui Patriarcharum Iudæorum Hillelis & Iudæ meminere Tiberiadenſium. Imperatores quoque Theodoſius & Valentinianus lege vlt. Codicis Theodoſiani citatâ Patriarcharum mentionem faciunt, *Qui in vtriuſque Palæſtinæ Synodis damnantur, vel in aliis prouinciis degunt*, id eſt in Babylone, ſi credimus Rabiniſtis, aut etiam in aliis Occidentis prouinciis, quippe cùm Palæſtinos Patriarchas lex citata Codicis Theodoſiani Occidentalibus opponat. Poterant & dici ab aliis cogi vt Chriſtum, ab aliis vt Serapidem adorarent, quia à Chriſtianis & paganis haud dubiè ſollicitabantur ab iis vt Serapidem, ab illis vt Chriſtum colerent. Sed hæc obitet.

Tertiò, extra Eccleſiam quoque Patriarchæ dicti, qui apud Montaniſtas primum locum Religionis tenebant, & in apice ſacerdotij collocati erant, vt videas honorificum in quauis ſecta Patriarchæ nomen fuiſſe. Huius autem apud Montaniſtas nomenclaturæ teſtis eſt S. Hieronymus epiſt. 54. *ad Marcellam aduerſus Montanum*, iis verbis, *Apud nos Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent, apud eos Epiſcopus tertius eſt, habent enim primos de Pepuza Phrygiæ Patriarchas, ſecundos quos appellant Cenones: atque ita in tertium, id eſt pene vltimum locum Epiſcopi eneluuntur.*

Quam ſententiam trahere non debemus ad hierarchicum ordinem peruertendum, quaſi Montani imitatio ſit, quòd in Eccleſia Catholica Patriarchæ & Archiepiſcopi ſecundarum ſedium Epiſcopis præcellant: nam hoc intereſt inter Eccleſiæ Catholicæ hietarchicum ordinem, & Montani, quòd qui ſupra Epiſcopos à Montano ſtatuebantur, Epiſcopi non eſſent, nec Epiſcopalem ordinationem haberent: apud Catholicos verò & Patriarchæ & Metropolitani ſint Epiſcopi nobiliorum quidem ſedium, auctoritatis diffuſioris, & principalioris poteſtatis; ſed eiuſdem ordinis, & earumdem functionum: ideóque non vileſcat apud nos Epiſcoporum ordo quaſi in tertium locum reiectus, ſed in diuerſis gradibus vniformis poteſtas Epiſcopalis reſplendeſcit.

Montani amentiam imitatus eſt Glycerius quidam Eccleſiæ Veneſanæ Diaconus, quem reprehendit Baſilius epiſt. 412. quòd cùm virginum cœtum partim vi, partim ſuaſione collegiſſet, ſe & Patriarcham vocauit, & τὴν φόλλιν ſeu veſtem Patriarchæ induerit, quem abuſum cùm reprehendat Baſilius, miror quo pacto ex eo loco Patriarchæ dignitatem in Eccleſia receptam inficiari Nouaror aliquis conetur. Scilicet & Patriarchas apud Gentiles dixit Herodotus, qui apud Ægyptios primum in ſacris locum tenebant.

Patriarchæ alio ſenſu dicebantur Metropolitani maioris dignitatis, præcipuè ſi Primates eſſent, eo ſenſu Nicetium Lugdunenſem ſuprà à Gregorio Turonenſi lib. 5. cap. 20. & Priſcum eiuſdem Sedis Præſules à Concilio Matiſconenſi II. dictos Patriarchas, id eſt, Primates explicuimus. Similiter Socrates lib. 5. cap. 8. phraſim Nazianzeni, tum Carmine *de vita ſuâ*, tum Orat. *de Epiſcopis*, in Concilio Conſtantinopolitano, Patriarchas conſtitutos narrauit eos, quos in exemplum Catholicæ communionis Imperator propoſuerit, illis Eccleſias tradi volens, qui eorum communioni ſociarentur, Patriarchatus quoque vocauit Diœceſes Ægypti, Orientis, Ponticam, Aſiaticam, Thracicam, quibus regendis capita Diœceſeon aſſignat Ægypto Timotheum Alexandrinum, Orienti Meletium Antiochenum, Ponticæ Diœceſi Helladium Cæſar. Thraciæ Nectarium, Aſiaticæ nullum Primatem, ſed Epiſcopos maioris nominis; iis adiutores & Conſiliarios, vel locum tenentes adhibet aliquos Metropolitanos & Epiſcopum inferioris ſedis, vnicum Gregorium Nyſſenum, Metropolitanos autem iſtos nominat Amphilochiū Iconij in Lycaonia, Opti-

mum Antiochiæ in Piſidia, Gregorium Melitinæ in Armenia 2. Diodorum Tharſi Ciliciæ, & Pelagium Laodiceæ in Phrygia Pacatiana: ſtatuitque vt nullus eorum aut quiſquam alius limites ſuæ Diœceſis excedat, quamuis ſuperiori tempore nonnunquam perſecutionis acerbitas illos prætergredi coëgiſſet; atque adeò Patriarchas, quos intra ſuos limites contineri voluit, & Patriarchatus, quos certos eſſe & definitos iuſſit Concilium Conſtantinopolitanum apud Socratem, non ſolos propriè dictos Patriarchas, verùm quoſlibet etiam Diœceſeωn Primates vocauit; Patriarchatus quoque non Diœceſes ſolùm illas, quæ ſub propriè dictorum Patriarcharum eſſent immediatâ poteſtate, verùm etiam ſub Primatum cura, cuiuſmodi erat Pontica, imò & olim Epheſina ac Thracica, quas Conſtantinopolitanus Patriarcha inuadere conatus eſt, ac conſtitutione Conſtantinopolitani Concilij vſurpationem ſuam confirmare tentauit.

Nazianzenus patrem ſuum, licèt ſecundæ ſedis Epiſcopum agnoſceret, Cæſarienſi ſubditum, tamen Orat. 20. τὸν νέον Ἀβραάμ, τὸν πατριάρχην ἡμέτερον, *Nouum Abraham, & Patriarcham noſtrum*, eò quòd antiquitate Primas eſſet, nuncupauit; quo ſimiliter elogio eum indigetat Orat. 41. de eodem hæc verba proſeferens, ταῦτα μὲν οὖν ὑμῖν ὁ σεμνὸς Ἀβραὰμ οὗτος, ὁ πατριάρχης, ἡ τιμία κεφαλή· *Atque hæc vobis offert venerandus hic Abraham, Patriarcha ille, & auguſtum caput.* Idem Orat. eadem 32. in præſentia centum quinquaginta Epiſcoporum habitâ, Patriarchas vocat Epiſcopos ætate venerandos: alludens enim, vt opinor, ad Euſebium Samoſatenum ab Arriana fœmina occiſum, Epiſcopum canitie & antiquitate venerandum, hæc habet, ἢ πρεσβυτέρων ἐπισκόπων, οἰκειότερον δὲ πατριαρχῶν εἰπεῖν σφαγὰς δημοσίας, *An non Epiſcoporum, aut, vt aptiore verbo vtar, Patriarcharum cædes.* Quibus teſtimoniis patet Patriarchas ſingulariter vocatos Epiſcopos ætate prouectiores & ſenectute venerabiles.

Sed & iuniores Epiſcopos promiſcuè & indiſcriminatim ob dignitatem Epiſcopalem vocatos Patriarchas leges apud Nyſſenum Oratione *de magno Epiſcopo*, vbi omnes Orientales Epiſcopos, qui ad Concilium Conſtantinopolitanum venerant, Patriarchas vocat, filios Meletij Antiocheni, quem Iacobum appellat. Concilium Chalcedonenſe actione ſecundâ, ſingularium Diœceſeωn Primates & capita Patriarcharum nomine exornat. Euagrius libri tertij capite ſexto, ius Patriarchicum, id eſt Exarchicum, & primatiale, vt vocamus, Epheſino Epiſcopo reſtitutum ſcribens à Timotheo Æluro, cùm illud Synodus Chalcedonenſis ſuſtuliſſet, ſatis oſtendit ſe Primatis & Patriarchæ nomen promiſcuè ſumere. Quin etiam ſignificationem iſtam Patriarchæ amplexus eſt, dum libri 4. cap. 4. ait Seuerum Patriarchis omnium Diœceſeωn ſcripſiſſe, eo proinde omnes Epiſcopos qui Diœceſi ſeu collectioni plurium prouinciarum præeſſent, ſignificans.

Primarem Carthaginenſem Arrianum Cyrolam Victor Vticenſis libro ſecundo *de perſecutione Wandalorum* vocatum ab iis *Patriarcham* indicat. Athalaricus Rex Gothorum libro nono apud Caſſiodorum epiſt. 15. de Primatum & Metropolitanorum Eccleſiæ Romanæ in ſua ditione conſiſtentium electione loquens, *Quod etiam*, inquit, *ad vniuerſos Patriarchas atque Metropolitanas Eccleſias volumus pertinere:* & paulò pòſt, *Alios verò Patriarchas* (id eſt Metropolitanos infra Romanum Pontificem) *quando in comitatu noſtro de eorum ordinatione tractatur, in ſupradictis conditionibus atque perſonis intra duo millia ſolidorum volumus expendere.*, quos paulò pòſt alloquens, *Vos autem*, ait, *qui Patriarcharum honore reliquis præſidetis Eccleſiis:* quibus opponens ſummum Pontificem, *Apoſtolicæ eum Præſulem Eccleſiæ, & Patriarcharum Epiſcopum* vocat, ſcilicet quòd ſuperiori non ſolùm Metropolitanis ſuæ ditionis ac Primatibus, ſed & cæteris, quacumque dignitate fulgerent, Apoſtolicæ κατ' ἐξοχὴν cathedræ præſidentiâ præficeretur. Hunc, inquam, ideò Patriarcharum Epiſcopum dixit, non quidem (vt ex heterodoxis aliquis explicuit) quòd Patriarchico iure frueretur; nam & violenta per ſe iſta explicatio eſt, vt Patriarcharum Epiſcopus idem ſit quod Epiſcopus Patriarcha; & violentior reperietur, ſi Athalarici verbis aptetur, qui Papam totâ epiſtolâ à reliquis diſcriminat ac ſeiungit Metropolitanis, illúmque Apoſtolicæ cathedræ Præſulem, & Patriarcharum Epiſcopum ſingulariter, reliquos verò Metropolitanos, ac Pri-

mates Patriarchas appellat. Concilium Conſtantinopolitanum anno 516. celebratum actione 5. Patriarchæ nomen, quod ſolis Patriarchis maioribus cæteris actionibus, religioſè ſeruauerat, iiſque frequenter dederat, ſemel Epiphanio Tyri Metropolitano attribuit. Paulus Diaconus *de geſtis Longobardorum*, lib. 2. cap. 12. Honoratum Mediolanenſem Archiepiſcopum, Paulinum verò Aquileienſem Patriarcham vocat: ex quo conijcit Baronius ad annum 570. ab Epiſcopis Venetiarum, Iſtriæ & Liguriæ, quos conſtat ex epiſtola Pelagij tertia & quinta, iſto tempore in ſchiſmate fuiſſe, Paulinum Aquileienſem, qui inter Epiſcopos partis iſtius præeminebat, pro Primate agnitum Patriarcham dictum fuiſſe. Quæ coniectura eâ potiſſimùm ratione videtur niti, quòd inter reliquos Italiæ & adiacentium prouinciarum Metropolitanos hic ſolus, & qui ab eo prognati ſunt, Gradarum ac Venetiarum Patriarchæ dicti ſequentibus ſæculis reperiantur. Quam appellationem approbat in Patriarcha Veneto Gregorius VII. lib. 2. cap. 39. & eum quodammodo maioribus æquat.

Sed vt vt ſit, Deſiderius Cadurcenſis, qui floruit tempore Regis Francorum Sigeberti epiſt. 12. ad Sulpitium Bituricenſem Epiſcopum, quem in corpore epiſtolæ *primæ ſedis Antiſtitem* appellat, eundem in titulo *Patriarcham* indigetat. Concilium Conſtantinopolitanum contra Anthimum actione 5. Epiphanium Tyri Metropolitam Patriarchæ nomine exornat. Nicolaus I. epiſt. *Radulpho Bituricenſi*, relatâ Can. *Conqueſtus*, 9. quæſt. 3. Primatem Bituricenſem etiam Patriarcham nuncupauit, & ad conſulta Bulgarorum cap. 72. & 73. ſiue Patriarcham, id eſt, Primatem, ſiue Archiepiſcopum ipſis ordinari concedit. Tres quoque duntaxat ordines Epiſcoporum conſtituunt idem Nicolaus epiſt. 4. quam *Patriarchis, Metropolitanis, & reliquis Epiſcopis* inſcribit; Hincmarus lib. quinquaginta-quinque capitum cap. 17. Anonymus auctor de hierarchia ſubcęleſti lib. 1. cap. 17. lib. 2. cap. 6. qui etiam Primatem pro Patriarcha confundit, & in diuerſis nationibus Patriarchas aliquos eſſe ſupponit lib. 4. cap. 17.

§. II.

Acceptionem communem Patriarchæ pluribus Epiſcopis eorum æqualem dignitatem non oſtendere.

HANC verò Patriarchæ appellationem præmiſimus ei quæ in Eccleſia poſteà recepta fuit, & fuſiùs explicuimus, quòd ex ea nominis Patriarchæ communicatione Primatibus, Metropolitanis, Epiſcopis ætate & antiquitate venerandis, imò & cæteris quibuſcumque Epiſcopis, dignitatis quoque æqualitatem inferre aliqui velint. Sed conſecutionis iſtius futilitas ex iis apparet, tum quòd per ſe, & in cæteris eiuſmodi conſecutio abſurda, & innumeris propè exemplis fallax, atque erronea deprehendatur, quandoquidem nominum variæ ſignificationes eſſe poſſint; aliæque latiores, aliæque ſtrictiores; ideóque ſi ex æquiuocatione nominum rerum ſignificatarum identitas colligatur, neceſſum ſit confuſionem rerum omnium induci: tum quòd etiam illud obſeruari queat, omnium ferè magiſtratuum & dignitatum nomina, excellentiam quandam ſignificare, ſeu prærogatiuam; quæ cum pluribus communis ſit, ideò nomen hanc excellentiam ſignificans, pluribus ſolet primum attribui, tum ex vſu iis peculiariter proprium fieri, quibus maximè conuenit. Quod in nominibus Conſulum, Prætorum, Præſidum, Ducum, Presbyterorum, Epiſcoporum notari poteſt: illúdque circa nomen Patriarchæ accidit, quòd Patrum principem ſignificat. Vnde & Epiſcopis, quorum ordinem Epiphanius aduerſus Arrianos, *Patrum generatorem*, id eſt, Presbyterorum appellat, attribui poterit. Sed iis maximè qui propter antiquitatem vel auctoritatem non ſolùm Presbyteris minoris gregis Patribus præſident, verùm etiam qui propter antiquitatem & Epiſcopos plurimos ordinarunt, & Epiſcopales doctrinâ fecerunt, vel propter iuriſdictionem eminentiorem Epiſcopis præfecti ſunt, cuiuſmodi ſunt omnes Metropolitani, vel qui Metropolitanis ſuperiores fuerunt, quales ſunt Primates, vel

Digitized by Google

tandem qui & Primatibus ipſis ſuperiorem ac digniorem locum obtinent, cuiuſmodi ſunt ij, qui Patriarchæ vocantur: nam poſteriores illi omnes non ſolùm Patriarchæ dicti ſunt, quòd Principes eſſent Patrum ſeu Presbyterorum, ſed quòd Principum eſſent Patres, id eſt, Epiſcoporum, vt explicat Rabanus *de inſtitutione Clericorum* cap. 5. quare cùm Principes propriè in ciuili regimine dici non ſoleant Marchiones, Comites, & alij qui vicum, oppidum, ſeu ciuitatem atque adiacentem regionem in poteſtate habent, niſi alicui prouinciæ imperent; in Eccleſiaſtica quoque hierarchia principatus iis ſingulariter adiudicatur, qui prouinciam adminiſtrant; & qui iis eminent in celſiori gradu, Primates ſeu Principum Patres & Patriarchæ ſingulariter nominati ſunt. Tum quòd antiquitas ſimplicioribus titulis contenta, nec gradus ſublimitatem exterioribus ornamentis propalare geſtiens; imò nec neceſſarium ducens eo tempore titulos prætendere dignitati, quo ei ſinceriùs parebatur, & ſub perſecutoribus Eccleſia degens perſuaſionem non vim adhibere poterat: tunc, inquam, dignitatum Eccleſiaſticarum tituli omnes ferè erant communes, atque adeò non mirum eſt & Patriarcharum nomen aliis quoque quàm Patriarchicâ exornatis dignitate fuiſſe commune, ita tamen vt ſecundæ ſedis Epiſcopis, niſi aliis ætate ſaltem, & antiquitate præcellerent, rariſſimè; iis verò qui vel auctoritate vel antiquitate præſtarent, frequentiùs tribueretur: vbi verò titulorum diſtinctio cœpit eſſe in vſu, ſiue ex ambitione profecta, ſiue ex religioſa inferiorum obſeruatione nata, vel propagata, ſiue Eccleſiæ iudicio confirmata, quæ aliam, approbante Auguſtino epiſt. 48. *ad Vincentium*, diuerſam pro diuerſitate temporum in pluribus rationem eſſe prudenter iudicauit, tunc Patriarchas, vt mox oſtendemus, eos frequentiùs nuncupauit, qui in culmine ſacerdotij inter Epiſcopos omnes longè præcellerent; adeóque apparet Patriarchæ appellationem, dignitate per nomen ſignificatâ, poſteriorem fuiſſe: ex vſu tamen ſingulariter quibuſdam conueniſſe, quòd cæteris maiores illi ac dignitate potiores vulgò cenſerentur. Tum denique quòd etiam poſterioribus ſæculis, quo Patriarcharum dignitas ſupra cæteros totius Eccleſiæ Epiſcopos conſtanter agnita erat, tamen aliquando illud tributum Primatibus quibuſdam, etiam à ſummis Pontificibus obſeruari poſſit, vt immeritò ex ea nominum communicatione prioribus ſæculis Epiſcoporum omnium æqualitatem inferre poſſimus, cum poſterioribus iis ſæculis eandem communicationem vocis receptam videamus, quibus poteſtatum diſcretio ſole clariùs reſplendeſcit.

Non igitur priores iſtæ vocis Patriarchæ acceptiones præiudicant vltimæ præſentis inſtituti, iuxta quam tres primùm Patriarchæ celſiori præ cæteris Epiſcopis gradu habiti ſunt, Romanus, qui & ipſe totius Eccleſiæ caput, Alexandrinus & Antiochenus, quibus additi poſteà duo, Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus.

§. III.

Patriarchæ nomen oſtenditur ſingulariter quibuſdam tantùm excellentioribus Patriarchis attributum.

HOc ſenſu Patriarchæ nomen ſumpſerunt Palladius Hellenopolitanus Epiſcopus, *in vita Chryſoſtomi*, dum Patriarchæ nomen Theophilo Alexandrino attribuit, in quem inuehens Patriarcham illum Ægyptiorum vocat, eúmque imitari tradit Patriarchæ Iudæorum conſuetudinem Archiſynagogorum dignitatis pretio mercantis, ac ſubinde mutantis pecuniæ corradendæ causâ. Socrates lib. 7. cap. 31, Neſtorium Conſtantinopolitanum Præſulem *Patriarcham*, Theodoſius ſecundus, inter epiſtolas præambulas Concilij Chalcedonenſis, epiſtolas Valantiniano tertio & Placidiæ cap. 29. & 30. Leonem Romanæ vrbis Epiſcopum, *reuerendiſſimùm Patriarcham* appellant. Orientis Epiſcopi in Concilio Chalcedonenſi actione 1. cùm in damnatione Dioſcori Leonis Papæ mentionem audirent, exclamare referuntur apud Euagrium lib. 2. cap. 18. Λέοντος πολλὰ τὰ ἔτη, τῷ Πατριάρχου πολλὰ τὰ ἔτη, *Leoni multos annos, Patriarchæ multos annos*: Vbi nota

Leonem ſimpliciter ſine addito Patriarcham dictum, quòd ſit Patriarcha Patriarcharum, quòd ſine vlla reſtrictione loci vbique Patriarcha agnoſceretur à Patribus. Actione 3. eiuſdem Concilij leguntur varij libelli Theodori Diaconi, Iſchyrionis Diaconi, Athanaſij Presbyteri, Sophronij Chriſtiani, id eſt, laici fidelis, qui omnes, *Oecumenico Archiepiſcopo, & Patriarchæ magnæ vrbis Romæ Leoni inſcribuntur*. Marcianus Imperator epiſt. *ad Monachos Hieroſolymitanos*, cap. 32. ſeu eorum quæ acta ſunt poſt Concilium, ſeu partis tertiæ cap. 9. Leonem Patriarcham indigetat. Synodus Mœſiæ II. epiſtolâ Synodicâ ad Leonem Imperatorem cap. 32. eiuſdem tertiæ partis, Anatolium Patriarcham nuncupauit. Theodoretus in collectione ſeu ſynagoga Canonum ad maiores Patriarchas, videtur Patriarchæ ſignificationem reſtringere; nam primo titulo, qui eſt *de honore Patriarcharum*, ſecundum Canones, Niceni primi Canonem ſextum, Conſtantinopolitani primi Canonem ſecundum & tertium, & Epheſini Canonem vltimum profert; qui Canones, licèt obiter aliqua de Metropolitanorum iuribus & Primatum Ponticæ, & Aſianæ prouinciæ contineant, tamen de maiorum Patriarcharum prærogatiuis ex profeſſo conſcripti ſunt. Zeno Imperator Acacium Conſtantinopolitanum, reſcripto ad Sebaſtianum Præfectum prætorio, quod habetur lege *decernimus*, Cod. *de ſacroſanctis Eccleſiis*, Acacium Conſtantinopolitanum *beatiſſimum ac ſanctiſſimum Epiſcopum & Patriarcham* appellat: quin etiam eadem lege, *Patriarchicum ius*, quo ſcilicet Conſtantinopolitanum ex parte mulctauerat Baſilius, ademptis ei quibuſdam Eccleſiis, vt referunt Suidas, verbo *βασιλίσκος*, Euagrius lib. 2. cap. 3. Theodorus Lector lib. 2. Nicephorus, Zonaras, & alij; Zeno reſtitui mandat, & tyranni, vt vocat, acta reſcindit; Calendionem, Antiochenum, & Flauianum ſimiliter Antiochenum, Liberatus Breuiarij cap. 18. & Marcellinus Comes in Chronico eodem nomine indigetant: Anaſtaſius Imperator epiſt. 1. ad Horſmiſdam, Abbates & Monachi Syriæ, Iuſtinus item Imperator, Concilium Conſtantinopolitanum ſub eodem Pontifice, epiſt. ad eum Synodicâ, inter epiſtolas Hormiſdæ, Pontificem illum *Patriarcham* indigetant: Quin etiam idem Concilium & Ioannem, & Epiphanium Conſtantinopolitanos Antiſtites eodem titulo inſigniunt, Epiphanius verò epiſt. 1. ad Hormiſdam, quâ de ſua eum electione certiorem facit, prædeceſſorem ſuum Ioannem *Archiepiſcopum & Patriarcham* vocitat; epiſt. verò 2. ſeu relatione ad eandem Romanam & Conſtantinopolitanam *Patriarchales ſedes*, *Dum*, inquit, *vna vtraque ſit Eccleſia, proculdubio & bona quæ per vigilantiam eueniunt, communis exinde laudis vtriuſque Patriarchalibus ſedibus rimatur*. Et ſanè notandum eſt quòd circa hæc tempora ſcribens Auitus Viennenſis cum variis Prȩſulibus ſcribens; nullum eorum alio quàm Epiſcopi nomine vocet, Papæ nomen, quòd eiuſdem apud eum ſignificationis videtur eſſe, cum voce Patriarchæ ſolis Patriarchis adaptet. Nam epiſt. 7. ſcribit *Papæ Conſtantinopolitano*, 23. *Papæ Hieroſolymitano*, 87. *Hormiſdæ Papæ*, abſque additione aut reſtrictione loci vel ciuitatis; quia per totam Eccleſiam Papa eſt & Princeps. Iuſtinianus Conſtantinopolitanus Epiphanium prædictum *regiæ vrbis Archiepiſcopum, & Patriarcham œcumenicum* appellat: (quo ſenſu autem œcumenici Patriarchæ dicerentur infrà explicabimus) lege *Cognoſcere*, C. *de ſumma Trinitate*, Nouellâ 3. 5. & 7. ſtatim initio ſingularum. Idem verò *Archiepiſcopum fœlicis huius ciuitatis*, id eſt, Conſtantinopolitanæ, *& Patriarcham*, qui Epiſcopali cum poteſtate eidem præerat, nominat: lege 42. § *ab hac autem*, Codice *de Epiſcopis, & Clericis*, ſicut etiam lege ſequenti, *Archiepiſcopum Conſtantinopolitanum & Patriarcham* ſcribit: Itémque Nouel. 3. cap. 2. *Archiepiſcopum & Patriarcham regiæ ciuitatis*. Quibus vel ſimilibus titulis Mennam Conſtantinopolitanum Antiſtitem exornat, Nouel. Conſtit. 42. 57. 58. 59. 67. 79. 83. & 123. Anthimum quoque eiuſdem ſedis, Nouel. 16. ſtatim initio, Conſtantinopolitanos quoſcumque indefinitè Præſules, Nouel. 3. cap. 2. & 3. Nouel. 9. cap. 1. Nouel. 59. cap. 4. Nouel. 120. cap. 5. Nou. 123. cap. 25. & 28. Nou. 133 cap. 4. Nou. 141. & 142. Alexandrinum quemuis Antiſtitem edicto 13. cap. 16. Petrum Hieroſolymitanum, Nou. 7. & 46. *Patriarchalem* Antiochiæ *thronum*, cui inſidebat Seuerus, Nou. 42. cap. 1. Patriarcharum etiam indefinitè meminit pluribus in locis. Et quidem aliquando vi-

detur Primates cuiuſlibet Diœceſis complecti, qui in Oriente ipſius ſaltem tempore, vel nulli erant à Patriarchis maioribus diſtincti, vel certè maioribus parebant, vt proinde cùm de Patriarchis ſit ſermo, de maioribus loca ipſius ferè omnia intelligi poſſint. Atque adeò, vt cætera omittam, cùm Nou. 6. cap. 2. 3 & 8. de Patriarchis eſt ſermo, videntur maiores tantùm Patriarchæ intelligi; tum quòd de iis verba fiant, qui habebant Conſtantinopoli Apocriſarios ſeu Reſponſales, vt habetur cap. 3. at Patriarchas maiores habuiſſe Reſponſales legimus: Cæſarienſem Primatem, Epheſiorum, vel Heracleenſem, aut alium quemuis Diœceſis Primatem huiuſmodi Reſponſales habuiſſe nullibi legimus: tum quia in epilogo eiuſdem Nouellæ, qui dirigitur ad vnum ex Patriarchis, putà ad Conſtantinopolitanum, habetur quòd eiuſdem exemplaria mittenda ſint Patriarchis Alexandrino, Theopolitano, ideſt, Antiocheno, & Hieroſolymitano: quibus etiam mittendam ſuam Nouellam 67. in epilogo videtur tranſmitti voluiſſe, eam indefinitè ad cæteros *Patriarchas* mitti iubens: nam illa indefinitè loquens per priorem definitè loquentem exponenda eſt. Clariùs quoque Nouella 109. vniuerſæ Eccleſiæ pacem deſcribit, cùm *in ea concorditer ſanctiſſimi Epiſcopi, & totius orbis terrarum Patriarchæ, & Heſperiæ, & Romæ, & huius regiæ ciuitatis, id eſt, Conſtantinopolis, & Alexandriæ, & Theopoleos, & Hieroſolymorum, & omnes qui ſub eis conſtituti ſunt ſanctiſſimi Epiſcopi Apoſtolicam prædicant fidem, atque traditionem.*

Quibus verbis & Patriarchæ nuncupationem ad quinque Patriarchas reducit, non ad plures extendit, & omnes Epiſcopos duplicis generis ſtatuit; quoſdam Occidentales ſub Romano Epiſcopo, qui & Romæ & Heſperiæ, id eſt, Occidentis dicitur Patriarcha, eodem ſcilicet ſenſu quo apud Theodoretum lib. 5. cap. 23. Epiſcopi οἱ τῆς ἑσπέρας, dicuntur Occidentales, & apud Socratem lib. 2. cap. 29. ἑσπέριοι; alios Orientales ſubditos alicui ex iis quatuor Patriarchis, Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Hieroſolymitano; niſi fortè ſincerior videatur lectio editionis Scringerianæ, quæ Patriarcham Romanum ea Nou. ἑσπερίας Ῥώμης, *Occidentalis Romæ*, ad differentiam Conſtantinopoleos, quæ noua & Orientalis Roma, dictum exhibet, cui cæteros quatuor Patriarchas adiungit, quorum quinque ditio totius orbis Epiſcopos complectatur.

Ex qua vtraque lectione ſequitur totum orbem Chriſtianum in quinque iſtos Patriarchatus diuiſum, & Patriarchæ nomen pro ſolis iſtis quinque hîc ſumi. Quo proinde etiam ſenſu intelligi debet, dum Nou. 115. cap. 4. ait, *Eos non eſſe Catholicæ fidei, nec in ſacroſancta Eccleſia communicare, in quo omnes beatiſſimi Patriarchæ, vnâ conſpiratione & concordi rectiſſimam fidem prædicant, quicunque ab iis diſſidet, aut cum iis communionem non habet.* Idem cap. 3. nominatim tres quinque Patriarchas à cæteris diſcretos enumerans, ſenioris Romæ, Conſtantinopoleæ, & Alexandriæ, & Theopoleos, & Hieroſolymorum.

Poſterioribus etiam ſæculis infinita prope licet proferre teſtimonia Conciliorum & Patrum, in quibus Patriarchæ vocantur non ſolùm maiores, verùm etiam Primates omnes cuiuſcumque Diœceſis, quamuis & ad maiores Patriarchas iſtius vocis ſignificationem ſępè reſtrictam legamus: ſic enim verbi gratiâ Gregorius ad quatuor Patriarchas coniunctim ſcribit, ſuam eis ad Pontificatum promotionem ſignificans lib. 1. epiſt. 24. quatuor tantùm Patriarchas, vt cæteris excellentiores Epiſcopis recenſet lib. 2. epiſt. 37. *Quod ſi quilibet ex quatuor Patriarchis*, inquit, *feciſſet, ſine grauiſſimo ſcandalo tanta contumacia tranſire nullo modo potuiſſet*; nec minùs apertè lib. 7. epiſt. 5. *ſed ita illos errores labes imbibit, vt ignorantiæ ſuæ credentes, vniuerſam Eccleſiam, atque omnes quatuor Patriarchas non ratione, ſed malitioſà mente tantùm refugiant.* Quatuor, inquam, admiſit duntaxat Patriarchas, quia ſe ab illorum numero, quamuis eſſet Patriarcha, exemit; quia ſupra cæteros Patriarchas non ſolùm dignitate, ſed & auctoritate emineret: Iſidorus Hiſpalenſis lib. 7. Originum cap. 12. Patriarchas ab Archiepiſcopis ſeu Primatibus, & à Metropolitanis diſcernit, cuius verba notanda ſunt ad hanc differentiam explicandam, *Ordo*, inquit, *Epiſcoporum quadripartitus eſt, in Patriarchis, Archiepiſcopis, Metropolitanis & Epiſcopis. Patriacha, Græcâ linguâ ſummus Pater interpretatur, quia primùm, id eſt, Apoſtolicum retinet locum; & ideò quia ſummo honore fungitur, tali no-*

Digitized by Google

mine cenſetur ſicut Romanus, Antiochenus & Alexandrinus. Archiepiſcopus Græcè dicitur ſummus Epiſcoporum: tenet enim vicem Apoſtolicam, & præſidet tam Metropolitanis quàm Epiſcopis cæteris. Metropolitani autem à menſura ciuitatum vocantur: ſingulis enim prouinciis præeminent, quorum auctoritati & doctrinæ cæteri ſacerdotes ſubiecti ſunt, ſine quibus nihil reliquos Epiſcopos agere licet.

Deinceps in Conciliis paſſim ſoli quinque Patriarchalium ſedium maiorum Epiſcopi dici ſoliti ſunt patriarchæ, reliquis nonniſi rariſſimè hoc nomen tributum eſt, vt eorum recenſione innoteſcet. Sed vel Exarchi vel primates dicti ſunt reliqui, qui præter patriarchas iſtos Diœceſim ſub poteſtate habebant.

In epiſtolis verò Decretalibus ſummorum pontificum priorum temporum, quæ in vulgus editæ ſunt circa tempora Caroli Magni, hæc vox notior adhuc eſſe cœpit; quia multa de patriarchis & primatibus in iis paſſim habentur, ita quidem, vt qui Diœceſibus præſident, id eſt pluribus ſimul prouinciis, vel primates, vel patriarchæ dicendi moneantur, prout ciuitatum dignitas, & vſus loquendi exigeret; hoc enim epiſtolæ iſtæ non ſemel innuunt atque ſignificant.

Octaua Synodus generalis ſub Hadriano II. Can. 17. & 21. quinque ſolùm patriarchas eo ſenſu agnoſcit, in quorum laudem & commendationem ſingularem Metrophanes Metropolitanus Smyrnæ actione 6. copioſè diſſerit. Quatuor patriarchales ſedes infra Romanam recenſet Conſtantinus in edicto Donationis apud Balſamonem tit. 8. cap. 1. Nomocanonis Photij. Fusè idem Balſamon de quinque patriarchis in *Melote*. Lege & Nicolaum I. epiſt. ad Michaelem Imperatorem, poſt medium, & ad conſulta Bulgarorum cap. 95. Walfridum Strabum, *de rebus Eccleſiaſticis*, cap. 31. Petrum Damiani epiſt. 15. cap. 15. Rupertum lib. 1. *de diuinis Officiis*, cap. 27. Innocentium III. in Concilio generali cap. 5. Honorium Auguſtodunenſem *in gemma animæ*, cap. 181. Hugonem à ſancto Victore *eruditionis Theologicæ* lib. 1. cap. 41; & alios paſſim.

Porrò maiores illi patriarchæ Archiepiſcopi interdum dicuntur, vt innumeris locis conſtare poteſt, quia reuerà maior dignitas minorem continet, & patriarchas Archiepiſcopos eſſe conſtat, ſed inter Archiepiſcopos maioris gradus; & Archiepiſcopi atque patriarchæ grammatica ſignificatio eadem eſt. Illúdque etiam notandum, Romanum pontificem papam ſæpiùs dictum legi quàm vllum alium ex patriarchis; imò Gregorium VII. decreto ea de re edito titulum iſtum pontifici Romano proprium eſſe voluiſſe. Conſtantinopolitanum, qui primatum ſaltem *honoris* in Orientales Eccleſias ſibi arrogauit, patriarcham œcumenicum appellatum: Antiochenum patriarchæ nomine ſæpiùs indigetatum, quàm cæteros: Archiepiſcopi nomine Alexandrinos præſules præſertim gloriatos, vt docet Balſamon in Meditatione *de Patriarchis*.

ARTICVLVS II.

De prædictione Patriarchalium Sedium omnium ab Iſaia.

OLIM autem tres tantùm maiores erant patriarchæ, Romanus, qui & aliis duobus erat ſuperior, Alexandrinus, & Antiochenus, quibus additi ſunt Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus: qui omnes diuinitùs ab Iſaia præuiſi, & prædicti videntur 66. capite, vbi cùm vellet Iſaias Eccleſiæ per vniuerſas gentes diffuſionem & diſperſionem oſtendere, quatuor meminit prouinciarum, Africæ, in qua ſita Alexandria, Lydiæ, non quidem Aſiæ minoris, vt mox dicemus, ſed alterius quam *ſagittiferam* appellat, purà Syriæ, in qua regione ſita eſt ciuitas Antiochena, Italiæ, in qua Roma, Græciæ, in qua Conſtantinopolis; quibus regionibus, quæ Gentilium erant, Hieroſolymorum ſubdit mentionem, in qua Eccleſia orta, & quæ myſticè cæleſtem Eccleſiam deſignat, in qua militans noſtra Eccleſia, ſuperatis huius ſæculi viciſſitudinibus adunabitur: verba Iſaiæ hæc ſunt in verſione vulgata: *Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis qui ſaluati fuerint,*

ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tenentes ſagittam, in Italiam, & Græciam in inſulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annuntiabunt gloriam meam Gentibus, & adducent omnes fratres veſtros de cunctis Gentibus donum Domino, in equis & in quadrigis, & in lecticis & in mulis, & in carrucis ad montem ſanctum meum in Ieruſalem.

Neque verò ſine myſterio eas potiùs regiones; quàm alias deſignauit Propheta, quæ Patriarcharum ſedes fuerunt. Diuino conſilio id effectum ſuſpicari debemus, vt cùm vellet vniuerſitatem Gentium ad Eccleſiam, quæ Hieroſolymis primùm collecta eſt, ſub Chriſti nomine colligendam oſtendere, eas regiones Gentium memorarit, in quibus Patriarchales ſedes erant futuræ, à quibus præſertim Euangelij diſſeminatio facienda erat.

Primum ergo nominat *Africam*, cuius primaria ciuitas erat Alexandrina, vt ex hiſtoriographis innoteſcit: nam Orientalis Africæ Metropolis erat ſcilicet Ægypti, Lybiæ Pentapolis, ex Concilij Nicæni ſexto capite: imò & in Æthiopiam: atque alias Africæ regiones, poteſtatem Eccleſiaſticam obtinebat, ex Canone Arabico 36. Concilij Nicæni, cui adſtipulatur mos vetus, quem etiamnum obſeruant Æthiopes, vt ab Alexandrino Patriarcha ſuum petant Antiſtitem.

Secundò, nominat *Lydiam*, non quidem eam, quæ eſt in Aſia minori, quia hæc tempore Iſaiæ non Lydia, ſed Mœonia vocabatur, vt teſtantur Herodotus, Plinius, Strabo, Euſthatius ex Homero, qui ſi credimus Euſebio in Chronico, multo tempore floruit antequam Iſaias prophetaret: nam centum ante Olympiadem 1. annis, Homerum in Græcia floruiſſe notat teſtimoniis Appollodori Grammatici, Euphorbij hiſtorici, Cornelij Nepotis, ſcilicet regnante apud Latinos Agrippâ: in Iuda verò Ioram, poſt quem non multis annis regnarunt, Ochoſias filius Ioram, Ioas filius Ochoſiæ, Amaſias filius Ioas, & Oſias, cuius regni initio Iſaias prophetare cœpiſſe videtur ex cap. 1. Iſaiæ: atque adeò eius prophetiæ initium ab Euſebio quibuſdam ante Olympiadem primam annis adnotatur: vt non integro ſæculo Homerum Iſaiam præceſſiſſe oporteat, & Iſaiam Heſiodi coætaneum fuiſſe colligi poſſit. Lydia ergo iſta ſeu regio *Lud*, vt habetur apud Septuaginta Interpretes, & in Hebræo, apud Procopium, Hieronymum, & alios Patres, Commentariis in caput iſtud Iſaiæ, videtur illa intelligenda, in qua vrbs *Melothi* ſita, quam Septuaginta Interpretes Iudith cap. 2. *Lud* appellarunt, ab vno ex filiis Sem, qui *Lud* nominabatur, Gen. 10. vrbs autem iſta dicitur fuiſſe opinatiſſima, id eſt, celeberrima: ac diruta fuiſſe à Nabuchodonoſore ex Aſſyria veniente, cùm pertranſiſſet fines Aſſyriorum, *& tranſiſſet montes magnos Ange, qui ſunt à ſiniſtro Ciliciæ*, eiúſque excidium cum deprædatione filiorum Tharſis coniungitur; & filiorum qui erant *contra faciem deſerti, & ad Auſtrum terræ Cellon*, prædicto cap. 2. poſt quæ ſubditur legatio ad Magiſtrum militiæ Nabuchodonoſoris regis miſſa à Regibus & Principibus Syriæ, & Meſopotamiæ & Syriæ Sobal, & Lybiæ atque Ciliciæ, cap. 3. In qua enumeratione erratum aliqui ſuſpicantur, atque ideò quidam *Lyciæ*, quidam *Lydiæ* vocem, loco *Lybiæ* ſufficiendam exiſtimant: quomodo enim, inquiunt, Lybia ab Holoferno adeò diſſita perterrefacta Legatos miſiſſe credi poteſt? quomodo Legatos ipſa miſiſſet, cùm Ægyptus, cui ipſa cohærebat, longè propior non mitteret?

Ego ſanè Lydiam eo ſenſu quo dixi intelligendam puto ipſam Cœleſyriam, quæ ab vrbe *Lud*, *Ludia* denominaretur. *Lud* autem Antiochenam ciuitatem dictam reor, quæ famoſiſſima & celeberrima, cui omnia optimè conueniunt, quæ *Melothi* in præſenti deſcriptione tribuuntur; quâ exciſâ non dubium eſt quin Orientis populi enumerati, ac inter eos Cœleſyriæ ſeu Syriæ Cœles, cuius Antiochia Metropolis erat, Legatos miſiſſe credendi ſunt, ſimul cum populis finitimis, putà Syriæ Comagenæ ſeu Euphratenſis, Syriæ ſalutaris, & Ciliciæ ac Meſopotamiæ, qui initio huius capitis tertij enumerati ſunt: ita vt Ludij ſiue Lydij iidem in ea enumeratione ſint, cùm Syriam Cœlem, ſeu Cœleſyriam habitantibus. Accedit confirmatio ex eo quòd tum iſto cap. Iſaiæ 66. tum cap. 46. Hieremiæ, Lydij iſti ſeu Ludij ſagittiferi ſeu ſagittandi periti dicuntur. Syri autem ſa-

gittis armabantur; Lydij verò Aſiæ minoris populi Græco more, vt teſtatur Herodotus in Polymnia. Et ſanè, qui cap. 46. Ieremiæ Lydij nominantur, debent fuiſſe Ægyptiis finitimi, qui ſimul cum illis contra Aſſyrios armarentur: & in exercitu Regis Ægypti Nechao conuenirent, vt ex textu colligitur; ij autem non potuerunt eſſe Lydij Aſiæ minoris populi, qui longè diſſiti ab Ægyptiis erant, nec cum Ægyptiis aduerſus Aſſyrios coiuiſſe leguntur. Eadem ratio oſtendit nec iſtos Lydios, de quibus prophetat Ezechiel cap. 34. qui cum Lybiis & Æthiopibus in defenſionem Ægyptiorum armarentur, non alios fuiſſe quàm Cœleſyrios, dictos Lydios olim Ludſos (teſte Ioſepho Antiquitatum lib. 1. cap. 6.) à *Lud* filio Sem totius gentis auctore, & Antiochiæ conſtructore, vel aliquo ex eius filiis, qui nomen Patris vrbi impoſuerit.

Vnde conſtat Patriarchatum Antiochenum per *Lydiam ſagittiferam* rectè intelligi potuiſſe; ac proinde videri Patriarchas omnes eò loci enumerari, qui Gentes ad Euangelij lucem conuerſas colligerent, illúdque ſignum Eccleſiaſticæ vnitatis eò loci ab Iſaia aſſignari.

ARTICVLVS III.

De inſtitutione & origine trium vetuſtiſſimarum ſedium Patriarchalium, Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ.

§. I.

Sanctum Petrum trium priorum Patriarchalium ſedium fuiſſe auctorem.

TRES autem ex prædictis olim duntaxat fuerunt Patriarchæ maiores, nimirùm Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus, quorum Patriarchalium ſedium ſanctus Petrus auctor agnoſcendus eſt, vt & Romanorum Pontificum, & Conciliorum, & diuerſorum ex diuerſis Gentibus magnorum Auctorum teſtimoniis conſtat.

Neque reſpuenda eſt Romanorum Pontificum, præſertim veterum & ſanctorum auctoritas, quos aut voluiſſe mentiri, aut auſos fuiſſe in omnium oculis conſtitutos falſa proferre, credibile non eſt. Ij porrò à ſancto Petro trium Patriarchalium prædictarum ſedium fundationem, & erectionem repetunt. Anacleti Epiſtolam tertiam ſileo, quæ ſaltem ab octingentis ſæculis fidem in Eccleſia meruit obtinere, in qua tres illæ ſedes enumerantur, Romana, Alexandrina & Antiochena, tanquam à diuo Petro auctoritatem habentes, & *Petri nomine honorabiles.* Sed quia epiſtola dubiæ videtur eſſe fidei, ideò malim aliorum Pontificum teſtimoniis vti.

Primus ergo à me teſtis deligetur Innocentius Pontifex magnæ ſanctitatis & auctoritatis, à multis ſanctis Patribus, Hieronymo, Auguſtino, & aliis valdè laudatus, hic vtique epiſt. 18. *ad Alexandrum Epiſcopum Antiochenum*, à ſancto Petro ſuam illum ſumpſiſſe dignitatem teſtatur cap. 1. *Reuoluentes itaque auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vna omnium per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, quæ cenſuit de Antiochena Eccleſia cunctis fidelibus ne dixerim Sacerdotibus eſſe neceſſarium cuſtodire; quæ ſuper Diœceſim ſuam prædictam Eccleſiam, non ſuper aliquam prouinciam recognoſcimus conſtitutam. Vnde aduertimus, non tam pro ciuitatis magnificentia hoc eidem attributum; quàm quòd prima primi Apoſtoli Sedes eſſe monſtretur; vbi & nomen accepit Religio Chriſtiana, & quæ conuentum Apoſtolicum apud ſe fieri celeberrimum meruit, quæ vrbis Romæ Sedi non cederet, niſi quòd illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe conſummatúmque gaudet.*

Alter locupletiſſimus teſtis huius traditionis erit ſanctus Leo epiſt. 53. *ad Anatolium. Noli*, inquit, *Alexandrinæ ſedis eius, quam per ſanctum Marcum Euange-*

liſtam beati Petri diſcipulum meruit, pereat dignitatis; nec Dioſcoro impietatis ſuæ pertinaciâ corruente ſplendor tantæ Eccleſiæ tenebris obſcuretur alienis: Antiochena quoque Eccleſia, in qua, primùm, prædicante beato Apoſtolo Petro, Chriſtianum nomen exortum eſt, in paternæ conſtitutionis ordine perſeueret, & in gradu tertio collocata, numquam ſe fiat inferior.

Quibus verbis ſicut iure Antiochenæ ſedis dignitatem à Petro repetit, quòd ab ipſo fundata fuerit; quod ipſum docuerat ſermone primo *de ſanctis Petro & Paulo*; ita Alexandrinæ maiorem dignitatem videtur deriuare ab eodem ſancto Petro, cuius nomine per ſanctum Marcum Euangeliſtam Petri diſcipulum fundata ſit: ſecus enim Antiochenam vtique ſedem Alexandrinæ debuiſſet præferre, quandoquidem diſcipuli thronus Magiſtri throno inferior eſſe debeat, niſi diſcipulus Magiſtri locum teneat, & ad hoc à præceptore miſſus ſit, vt in eius perſona ſua dignitas honoretur, & Magiſter ſibi adſcribi velit reuerentiam ſedis, quam per diſcipulum occupat; quod dicere voluit Leo prædictâ epiſtolâ, quemadmodum & epiſt. 81. *ad Dioſcorum Alexandrinum*, ſtatim initio, vbi Alexandrinam Eccleſiam tanquam Marci diſcipuli ſancti Petri ſedem commendat. Explicat id accuratiùs ſanctus Gregorius Pontifex omni titulo Magnus, variis epiſtolis, quarum prima ſcripta eſt *Eulogio Epiſcopo Alexandrino*, éſtque ſexageſima libri quinti, indict. 14. *In huius ergo* (charitatis) *radice, cùm, frater chariſſime, teneamur, nihil poterit regionum vendicare longinquitas; quippe quia longè à nobis non ſumus; qui vnum ſumus. Hanc autem eſſe nobis cum cæteris fratribus communem ſemper optamus. Eſt tamen aliquid, quòd nos ergà Alexandrinam Eccleſiam quadam peculiaritate conſtringit, & in eius amore proniores exiſtere ſpeciali quodammodo lege compellit. Nam ſicut omnibus liquet, quòd beatus Euangeliſta Marcus à ſancto Petro Apoſtolo magiſtro ſuo Alexandriam ſit tranſmiſſus: ſic huius nos magiſtri & diſcipuli vnitate conſtringimur, vt & ego ſedi diſcipuli præſidere videar propter magiſtrum, & vos ſedi magiſtri propter diſcipulum.*

Altera *ad eumdem Eulogium* dirigitur, éſtque trigeſima-ſeptima libri ſexti, indict. 15. quæ & Gregorij Magni continet & Eulogij teſtimonium, quorum vterque à diuo Petro ſedis Alexandrinæ dignitatem deſumit. Statim enim in ipſius epiſtolæ limine hæc habentur: *Suauiſſima mihi ſanctitas veſtra multa in epiſtolis ſuis de ſancti Petri Apoſtolorum Principis cathedra locuta eſt, dicens, quod ipſe in ea nunc vſque in ſucceſſoribus ſuis ſedeat. Et quidem indignum me eſſe non ſolùm in honore præſidentium, ſed etiam in numero ſtantium agnoſco. Sed cuncta quæ dicta ſunt, in eo libenter accepi, quod ille mihi de Petri cathedra locutus eſt, qui Petri cathedram tenet: & cùm me ſpecialis honor nullo modo delectat, valdè tamen lætatus ſum, quia vos ſanctiſſimi, quod mihi impendiſtis, mihi dediſtis: quis enim neſciat ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam*, &c. Ac paulò pòſt, *Itaque cùm multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu ſola Apoſtolorum Principis ſedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius eſt. Ipſe enim ſublimauit ſedem, in qua etiam quieſcere, & præſentem vitam finire dignatus eſt: ipſe decorauit ſedem, in quam Euangeliſtam diſcipulum miſit: ipſe firmauit ſedem, in qua ſeptem annis quamuis diſceſſurus ſedit. Cùm ergo vnius atque vna ſit ſedes, cui ex auctoritate diuina tres nunc Epiſcopi præſident; quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo: ſed quid de me boni creditis, hoc veſtris meritis imputate; quia in illo vnum ſumus, qui ait vt omnes vnum ſint, ſicut & tu, pater, in me, & ego in te, vt & ipſe in nobis vnum ſit.*

Mira certè vnitatis trium Patriarchalium ſedium explicatio, vt omnes vna ſedes Petri eſſe dicantur, quibus tamen tres præſideant; quam confirmauit idem beatiſſimus Gregorius epiſtolâ vndecimâ, libro vndecimo, indictione ſextâ, Alexandrinam ſedem, & Eulogij Alexandrini Pręſulis, & ſuam eſſe aſſeuerauit. Quam ſimilem loquendi rationem vſurpauerat anteà Simplicius epiſtolâ decimâ ad Zenonem Imperatorem, eandem Eccleſiam Alexandrinam *beati Petri & Euangeliſtæ Marci ſedem* appellans; ſcilicet quia Petri nomine eam fundauit Marcus. Quæ vtique ſedium vnitas aliâ ratione intelligi non poteſt, niſi quomodo analoga vnum ſunt, quia ab eadem forma denominantur, quæ intrinſecè in vno analogatorum eſt, extrinſecè per denominationem, atque participationem

ticipationem eiuſdem formæ inæqualem & in aliis reperitur; quo ſcilicet modo & ſanum dicitur animal, & deambulatio ſana, & alia quæ ſanitatis indicia ſunt, cauſæ, effectus, ſana, vt explicant Philoſophi, quorum expoſitio præſenti Gregorianæ aſſertioni aptanda eſt; vt ſcilicet quia Principatus Petri in Romana Eccleſia tanquam in fonte reſidentis communicatione quadam & effluxu cæteris ſedibus præcellunt Alexandrina ſedes, & Antiochena, & ipſæ Petri ſedes dicantur, & eo priuilegio cæteris ſuperiores cenſeantur: ſeu, vt exemplis vtar conuenientioribus, eadem auctoritas trium iſtarum ſedium cenſeatur eodem modo, quo eadem eſt Epiſcopi & Vicarij ſedes, poteſtas, iuriſdictio; eadem præceptoris & diſcipuli doctrina; eadem aqua fontis & riuuli; lux eadem Solis & Lunæ.

Horum loquendi morem imitatus Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum c. 92. *Veraciter illi habendi ſunt Patriarchæ, qui ſedes Apoſtolicas per ſucceſſiones Pontificum obtinent, id eſt, qui præſunt Eccleſiis, quas Apoſtoli inſtituiſſe probantur, Romanam videlicet, Alexandrinam, & Antiochenam Eccleſiam: Romanam, quam ſancti Principes Apoſtolorum Petrus & Paulus, & prædicatione ſuâ inſtituerunt, & pro Chriſti amore fuſo proprio ſanguine ſacrauerunt. Alexandrinam, quam Euangeliſta Marcus diſcipulus, & de Baptiſmate Petri filius, à Petro miſſus inſtituit, & domino Chriſto cruore dicauit. Antiochenam, in qua conuentu magno ſanctorum facto, primùm fideles dicti ſunt Chriſtiani, & quam beatus Petrus, priuſquam Romam veniret, per annos aliquot gubernauit. Conſtantinopolitanus autem & Hieroſolymitanus Antiſtites licèt dicantur Patriarchæ, non tantæ tamen auctoritatis quantæ ſuperiores exiſtunt. Nam Conſtantinopolitanam Eccleſiam, nec Apoſtolorum quiſquam inſtituit; nec Nicæna Synodus, quæ cunctis Synodis celebrior, & venerabilior eſt, eius mentionem aliquam fecit, ſed ſolùm quia Conſtantinopolis noua Roma dicta eſt, fauore potiùs Principum, quàm ratione Patriarcha eius Pontifex appellatus eſt. Hieroſolymitanus autem Præſul, licèt & ipſe Patriarcha dicatur, & ſecundum antiquam conſuetudinem ac Nicænam Synodum honorandus ſit, ſaluâ tamen Metropoli propriâ dignitate; ſed & in eadem ſancta, & magna Synodo nequaquam Hieroſolymitanus, ſed Heliæ Epiſcopus dicitur. Nam vera Hieruſalem tantùm in cælis eſt*, &c.

Indigent quædam ex iis mica ſolis; nam quod ſcribit, *Veraciter illos habendos eſſe Patriarchas, qui ſedes Apoſtolicas, per ſucceſſiones Pontificum obtinent*: non hoc ſenſu intelligendum eſt, quaſi quæcunque Eccleſiæ ab Apoſtolis originem habuerunt, eæ Patriarchales cenſeri debeant. Etenim longè plures Eccleſias Apoſtolicas eſſe patet, quàm Patriarchales; nam, vt ſcribit Tertullianus lib. de præſcript. cap. 20. *Statim poſt Chriſti aſcenſionem Apoſtoli, primo per Iudæam conteſtatâ fide in Ieſum Chriſtum, & Eccleſiis inſtitutis, dehinc in orbem profecti eandem doctrinam eiuſdem fidei nationibus promulgauerunt: & proinde Eccleſias apud vnamquamque ciuitatem condiderunt, à quibus traducem fidei, & ſemina doctrinæ cæteræ exinde Eccleſiæ mutuantur, vt Eccleſiæ fiant. Ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ putantur, & ſoboles Apoſtolicarum.* & cap. 36. *Age iam qui voles curioſitatem meliùs exercere, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur ſonantes vocem & repræſentantes faciem vniuſcuiuſque: proxime eſt tibi Achaia, habes Corinthum; ſi non longe es à Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam tendere, habes Epheſum; ſi autem Italiæ adiaces, habes Romam*: Non tamen aut Corinthiaca, aut Philippenſis, aut Theſſalonicenſis, aut Epheſina Eccleſia ad Nicolai mentem Apoſtolicæ fuerunt: quin & ipſa Hieroſolymitana, de qua quæſtio ab eo mouetur, ab Apoſtolo Iacobo, & aliis cum eo Apoſtolis primùm eſt gubernata: imò à Chriſto ipſo Apoſtolorum magiſtro fundata eſt; quam tamen ibi negat eſſe Patriarchalem; quin & ipſa Conſtantinopolis Eccleſia, quæ olim Bizantij, ſi credimus Nicephoro Calixto lib. 2. hiſt. c. 39. & lib. 8. c. 6. & Nicephoro Conſtantinopolitano in Chronico, ab Andræa per Euangelij prædicationem, & Stachis Epiſcopi ordinationem fundata eſt; ſi verò credimus Agapeto epiſt. *ad Petrum*, de Menna à ſe ipſo Conſtantinopolitano ordinato, quæ recitata fuit quintæ Synodi actione 2. illa ipſa Eccleſia à Petro Apoſtolorum Principe Epiſcopum ſuſcepit.

Non igitur ea mens Nicolai I. vt eas omnes Eccleſias Patriarchales eſſe aſſerat, quæcumque ſunt Apoſtolicæ; ſed, vt illas Patriarchales eſſe velit, quæ ab Apoſtolis Patrarchales inſtitutæ ſunt. Voluit enim conditionem Patriarchalium Eccleſiarum, Romanæ, Alexandrinæ & Antiochenæ meliorem oſtendere, quàm Conſtantinopolitanæ & Hieroſolymitanæ: quia priores non nouo quodam iure vel priuilegio, ſed per ſucceſſiones Pontificum ab ipſis Apoſtolis ius Patriarchicum impetrarunt; duæ verò aliæ nouâ Eccleſiæ conceſſione ius iſtud prætenderant, non à maioribus qui illud ab Apoſtolis accepiſſent & hereditaſſent.

Quod autem Petro in Patriarchalium ſedium inſtitutione & Apoſtolos coniunxerit, non mirum eſt, quandoquidem nemini dubium videri poſſit, quin Petrus qui, vt Diaconos primos inſtitueret, Apoſtolorum & diſcipulorum Concilium legitur, & ſententiam ſecutus Act. 6. prærogatiuam quoque futuram Alexandrinæ ſaltem & Antiochenæ (nam Romanam Sedem ab ipſo Chriſto inſtitutam credimus) ſedium non niſi Apoſtolorum conſilio definierit.

Ideóque non peruicaciter aduerſus iſtum ordinem diſputandum eſt, quaſi conuenientius fuerit Antiochenam, in qua Petrus per ſeipſum ſedit, ſecundum locum habere præ Alexandrina, quæ ab Euangeliſta Petri diſcipulo fundata eſt. Nam ita Petro, ita Apoſtolis placuit, quibus Hieroſolymitanam Eccleſiam ab ipſo Chriſto fundatam placuerat, & iis Eccleſiis minorem, & Cæſarienſi Epiſcopo iuriſdictione inferiorem eſſe. Nec ad Petri præſidentiam eleuandam iuuat, quòd quæ à Petro per ſeipſum fundata eſt Eccleſia, alteri cederet, quam diſcipulus eius fundauerat. Sicut enim Romanam Eccleſiam poſteriùs à ſe fundatam Antiochenæ dignitate præcellere Petrus voluit, ita adoptatam à ſe Alexandrinam, & à Marco diſcipulo ſuo progenitam, Antiochenâ ſpiritali ſuâ ſobole, dignitate potiorem eſſe decreuit, vt Chriſti exemplum ſequeretur, qui maiora per diſcipulos ſuos miracula facienda promiſit, quam ipſe in carne mortali feciſſet, Ioan. 14. cap.

Nullâ ergo exceptione eludi poteſt quod hactenus videmus docuiſſe ſummos Pontifices, tres initio Patriarchales ſedes, Romanam, Antiochenam, & Alexandrinam antiquitùs agnitas, nec tam vrbium nobilitate quàm Petri ſeſſione, vel adoptione ad hunc apicem faſtigiúmque Eccleſiaſticæ dignitatis euectas. Et quidem huic pariter traditioni adſtipulantur Concilia duo, Romanum IV. ſub Damaſo, prout refertur ex collectione Creſconiana apud Baronium ad annum 381. num 19. & iiſdem verbis Concilium Romanum ſub Gelaſio à ſeptuaginta ſex Epiſcopis, *de libris Canonicis & Apocryphis:* quo vtroque vbi Romana Eccleſia, & Synodicis conſtitutis, & Euangelicâ voce Domini, cæteris Eccleſiis prælata dicta eſt, hæc ſubduntur de ea, & duabus aliis Patriarchalibus ſedibus, Alexandrina & Antiochena. *Eſt ergo prima Apoſtoli ſedes Romana Eccleſia non habens maculam, neque rugam, nec aliquid huiuſmodi; ſecunda autem ſedes apud Alexandriam beati Petri nomine à Marco eius diſcipulo & Euangeliſta conſecrata, eſt. Ipſeque à Petro Apoſtolo in Ægyptum directus, verbum veritatis prædicauit, & glorioſum conſummauit martyrium. Tertia verò ſedes apud Antiochiam eiuſdem beatiſſimi Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilior, eo quod illic priuſquam Romam veniſſet, habitauit; & illic primùm nomen Chriſtianorum nouellæ Gentis exortum eſt.*

Adſtipulatur quoque Chryſoſtomus homiliâ in beatum Ignatium 42. tomi 1. quâ ſcilicet Epiſcopatus Antiocheni ex amplitudine ciuitatis, maximè verò, ex eo quòd in ea ciuitate Petrus ſederit, dignitatem repetit, & hanc poſteriorem rationem aſſignat, cur vniuerſalis poteſtatis quam habuit quodammodo particeps effecta fuerit: hoc enim ſibi verba iſta videntur ſonare, καὶ ἄλλως δὲ πολὺς ἦν τῆς πόλεως ταύτης τῷ Θεῷ λόγος, ὡς καὶ διὰ τῶν ἔργων αὐτῶν ἐδήλωσε. τὸν γοῦν τῆς οἰκουμένης ἐπιστάτην ἁπάσης Πέτρον, ᾧ τὰς κλεῖς ἐνεχείρισε τῶν οὐρανῶν, ᾧ πάντα ἄγειν καὶ φέρειν ἐπέτρεψε, πολὺν ἐνταῦθα χρόνον ἐνδιατρίψαι ἐκέλευσεν. οὕτως αὐτῷ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης ἡ πόλις ἀντίῤῥοπος ἡ ἡμετέρα. *Quamquam & præcipua Deo huiuſce ciuitatis cura fuit, id quod & reipsâ plane declarauit. Siquidem toti orbi terrarum, eum quem præfecit Petrum, cui claues cælorum dedit, cuius arbitrio & poteſtati cuncta permiſit, hunc ibi longo tempore iuſſit commorari. Quamobrem vniuerſo orbi ex altera parte reſpondet ciuitas noſtra.*

Hæc Chryſoſtomus de Antiochenæ Eccleſiæ celſitudine, & præſtantia ac digni-

tate Patriarchali propter Petrum ibidem ſedentem. Cui etiam conſentit Theodoretus epiſt. 86. *Flauiano Conſtantinopolitano*, Antiochenæ ſimiliter Eccleſiæ dignitatem, καὶ αὐτοκεφαλίας aduerſus Dioſcori Alexandrini temerariam præſumptionem ex beati Petri ſeſſione in Cathedra Antiochena defendens. Vbi enim ex Concilij Nicæni, & Conſtantinopolitani Canonibus oſtendit Alexandriæ Epiſcopum Ægypti tantummodo res adminiſtrare, & ſuas ſingulas Diœceſes; hæc ſubdit, ἀλλὰ τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον τὰ τῆς Αἰγύπτου μόνα διοικεῖν, καὶ ἑκάστην διοίκησιν τὰ οἰκεῖα, ὁ δὲ τούτοις ἐμμένειν τοῖς ὅροις οὐ βούλεται, ἀλλ' ἄνω καὶ κάτω τὸν τοῦ μακαρείου Μάρκου τὸν θρόνον περιβάλλεται. καὶ ταῦτα σαφῶς εἰδὼς, ὡς τοῦ μεγάλου Πέτρου τὸν θρόνον ἡ Ἀντιοχέων μεγαλόπολις ἔχει, ὃς καὶ τοῦ μακαρείου Μάρκου διδάσκαλος ἦν, καὶ τοῦ χοροῦ τῶν Ἀποστόλων πρῶτος, καὶ κορυφαῖος. ἀλλ' ἡμεῖς τοῦ θρόνου τὸ ὕψος ἐπιστάμεθα, ἑαυτοὺς δὲ γινώσκομεν καὶ μετροῦμεν: *Hic verò Dioſcorus Alexandrinus, legibus iſtis acquieſcere non vult, ſed ſurſum ac deorſum beati Marci ſedem oſtendit, idque cùm liquido intelligat, magnam ciuitatem Antiochenam magni Petri ſedem habere qui beati Marci magiſter erat, chorique Apoſtolorum Princeps ac coryphæus. Verùm nos ſedis ſublimitatem nouimus; nos ipſos vero, & cognoſcimus & metimur.* Similiter Maximus Antiochenus in Concilio Chalcedonenſi actione 7. Antiochenam ſedem commendare volens illam τὸν θρόνον Ἀντιοχέων μεγαλοπόλεως τοῦ τοῦ ἁγίου Πέτρου, *ſedem magnæ ciuitatis Antiochiæ ſancti Petri* appellauit: inutiliter ſanè, niſi à ſancto Petro commendationem & auctoritatem accepiſſe ſedem ſuam crediſſet.

Accedit Syneſius, qui epiſt. 66. Theophilo Alexandrino, αὐθεντίαν τῆς εὐαγγελικῆς διαδοχῆς, *auctoritatem Euangelicæ ſucceſſionis* appellat eam, quâ ille cæteris Epiſcopis Ægyptiacæ Diœceſeos ſuperior, propoſitas ab eo quæſtiones iuridicè ſoluere poterat. Ac proinde non à magnitudine ciuitatis Alexandrinæ, ſed à ſucceſſione Epiſcoporum, Marco Euangeliſtæ prærogatiuas illius ſedis repetit. Cur autem de ſerie Pontificum deducta à Marco Euangeliſta tantoperè gloriaretur Eccleſia Alexandrina, aut eo titulo commendaretur à pleriſque, verbi gratiâ ab Alypio Preſbytero epiſt. *ad Cyrillum*, actione 6. Concilij Epheſini; ab Ægyptiis Epiſcopis, & Clericis, epiſt. *ad Leonem Auguſtum* ſcriptâ poſt Proterij necem; ab Epiſcopis prouinciæ Ponti epiſt. *ad eundem*, parte 3. Concilij Chalcedonenſis; à Simplicio Papa epiſt. 4. & 10. *ad Leonem Imperatorem*; à Felice III. epiſt. 2. *ad eundem*, à Liberato *in Breuiario*, cap. 25. & ab aliis paſſim, ſi ſolius Marci Euangeliſtæ, non etiam Petri Apoſtolorum Principis in eius fundatione nomen & auctoritas intercederent.

Certè titulo ſucceſſionis à Marco duntaxat deductæ omnibus Eccleſiis Apoſtolicis ſedes Alexandrina inferior fuiſſet, atque adeò & Æthiopum Eccleſiis, quæ ſe ſemper Alexandrinæ ſubmiſerunt cedere debuiſſet: nam Æthiopes Thomæ prædicatione fidei nitore dealbatos Chryſoſtomus ait hom. de duodecim Apoſtolis, Andræam ad eoſdem perrexiſſe Sophronius de Scriptoribus Eccleſiaſticis, & Dorothæus in Synopſi teſtantur, Mathiam eoſdem inuiſiſſe idem Sophronius, Nicephorus lib. 2. cap. 40. & alij.

Quare dum Marci ſucceſſionem Eccleſia Alexandrina iactat, non ſolius Marci perſonâ, meritis ac dignitate gloriatur, ſed & Petri ſibi nomen & auctoritatem arrogat, non eo duntaxat titulo, quòd eius diſcipulus fuiſſet, quam plures ex citatis prærogatiuam efferunt, ſed quòd à Petro miſſus eſſet, vt eius nomine Alexandrinam Eccleſiam fundaret. Etenim innumeræ ſunt Eccleſiæ quæ à diſcipulis Petri fundatæ ſunt, nec tamen eo nomine tantùm gloriatæ ſunt, quantùm ſeſe Alexandrinâ Marci ſucceſſione extulit, Rauennatem verbi gratiâ Apollinaris, Arelatenſem Trophimus, Viennenſem Creſcens, Remenſem Sixtus, Catalaunenſem Memmius, Senonenſem Sabinianus, Bituricenſem Vrſinus, Aruernenſem Auſtromonius, Sanctonenſem Eutropius, Treuirenſem Maternus, & alias Eccleſias alij, omnes diſcipuli Petri, & à Petro miſſi erexerunt, imò & Petrus ipſe plures Eccleſias, præter Romanam & Antiochenam, fundauit, teſtibus Sophronio Hieroſolymitano *de laboribus & peregrinationibus Petri*, Bibliothecæ ſanctorum Patrum tomo 7 Hugone Heretriano *de hæreſibus* lib. 3. cap. 37. quarum nulla ſe Alexandrinæ æquare præſumpſit; ſcilicet quia non eis Apoſt. poteſtatis partem Petrus ipſis communicauerat, nec ad Patriarchatum euexerat, ſicut Alexandrinam, quæ ideò Marci qui à Petro miſſus eſt, vt & Alexandrinus eſſet Epiſcopus,

& vices Petri per plures prouincias gereret, eóque titulo ampliorem in tota Ægyptiaca Diœceſi, aliiſque finirimis prouinciis poreſtatem exerceret.

Quæ cùm ex prædictis pateant, & iſtis auctoritatibus illuſtrari poſſunt: primò, Hieronymi epiſt. 68. ad Theophilum Alexandrinum ſcribentis, *Sed tu ſcito nihil nobis eſſe antiquius quàm Chriſti iura ſeruare, nec Patrum transferre terminos, ſempérque meminiſſe Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam, cuius ſe eſſe participem Alexandrina Eccleſia gloriatur.* Quid enim ſibi volunt iſta de Alexandrina Eccleſia ad Alexandrinum ſcripta Præſulem, quòd ſe fidei Romanæ Apoſtolico ore laudatæ participem eſſe Alexandrina gloriarerur; an verò nihil aliud iſta verba ſonant quàm illam gloriari de conſenſu Romanæ Eccleſiæ ſecum aduerſus Origeniſtarum errorem conſpirantis? eos qui ita Hieronymum explicant, aut Hieronymi verba non capere, aut Hieronymum ſibi, Theophilo, Epiphanio & Apoſtolo contradicere neceſſarium eſt: ſibi quidem, Theophilo, & Epiphanio, quia necdum cùm hęc ſcriberet, Theophilum aut Hieronymum factam Origenis à Romanæ Eccleſiæ Anaſtaſij Pontificis damnarionem nouiſſe ex epiſtolis ſequenribus, tum ipſius 71. *eidem Theophilo*, tum Theophili epiſt. 72. ad eundem Hieronymum colligi non obſcurè poteſt; tantúmque abeſt, vt Eccleſia Alexandrina, ſi de iſta fidei Catholicæ declaratione, quæ ab vtraque Eccleſia aduerſus Origeniſtas prodiit, ſermo eſſet, de Romanæ Eccleſiæ fide Apoſtolico ore laudara gloriari dici poſſet, vt potiùs in hoc ſingulari negotio aliquid haberet quo ſe Romanæ Eccleſiæ præferret; quandoquidem ſcribat Hieronymus epiſt. 71. *Romam, & totam Italiam* Theophili *poſt Chriſtum epiſtolis* ab hoc errore *liberatam.*

Quid ergo verba iſta ſignificant, niſi Alexandrinam Eccleſiam, non ſolùm hîc & nunc, ſed paſſim, ſed vbique, ſed ſemper gloriatam fuiſſe ſe participem eſſe Romanæ fidei Apoſtolico ore laudatæ, & quidem duplici titulo: primo, quòd à Marco Petri diſcipulo ab vrbe Roma, cùm Euangelium ſuum ſcripſiſſet (nam id teſtantur Epiphanius hæreſi 51. num. 6. & Hieronymus *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, in Marco*,) in Ægyptum directo Euangelium accepiſſe.

Secundo, quòd conſtantiæ illius in fide, cuius perpetuitatem Paulus agnouiſſe videtur, dum fidem laudanit Romanorum, (vt innuunt Cyprianus epiſt. 55. *Cornelio*, Preſbyteri & Diaconi Romæ conſiſtentes, epiſt. 31. inter epiſtolas Cypriani, Theodoretus epiſt. 113. *ad Leonem Papam*, Epiſcopi Tarraconenſis prouinciæ ad Hilarum, Taraſius Conſtantinopolitanus actione 2. VII. Synodi poſt lectam epiſtolam Adriani, & alij:) illius, inquam, conſtantiæ particeps effici debuerit, vt auctoritatem rerineret; adeóque ſicut docendi ſublimiorem gradum per Petrum aſſecuta fuerat, directo ad eam Marco diſcipulo, qui Romanæ Sedis dignitatem communicaret, & magiſterij principalem thronum in ea conſtitueret: ſic ab eo dotem ad docendum requiſitam fidei firmitatem, quam Romanæ Eccleſiæ Chriſtus promiſit, ſe obtinere gloriata ſit, ſine qua nimirùm dote perit cuiuſque Eccleſiæ dignitas, auctoritas euaneſcit, exiſtimatio noxia eſt.

Hoc verò ſenſu intellecta verba Hieronymi, ſatis, ni fallor, apertè confirmant, quod nos ſuperiùs docuimus, purà Alexandrinam Eccleſiam & auctoritatis & fidei prærogatiuas non ſe duntaxat à Marco Euangeliſta accepiſſe gloriari, verùm etiam à Petro à quo edoctus Marcus deſtinatúſque in Ægyptum, non ſolùm vt eſſet Alexandrinæ ciuitatis Epiſcopus, verùm etiam vt Petri in tota Diœceſi Ægyptiaca Vicarius cæteris eo nomine Epiſcopis ſuperior, Romanæ Eccleſiæ Principatus communicarionem quandam haberet, & gratiarum quoque neceſſariarum participationem. Eóque duplici ſenſu Hieronymus, qui in alia fidei controuerſia epiſt. 58. *ad Damaſum*, clamitaſſe iſta ſe profiretur, *Quiſquis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt:* & epiſtolâ præcedenti ad eundem, *Ideò mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſeo conferendam.* & iterùm, *Ego nullum primum niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, prophanus eſt*, &c. Ille, inquam, Hieronymus ſimiliter Theophilo ſcribens, & ſe excuſans, quòd contra Canones Paulinianum fratrem ab Epiphanio ordinari petiiſſet, quódque Ioanni Hieroſolymitano non communicaret, hanc rationem

protulit, quòd nihil antiquius duceret, quàm Chriſti fidem diuino iure firmatam ſeruare, & in religione à Chriſto accepta nihil innouare, & præ ea Eccleſiaſticos Canones minoris pretij duceret: communionem ſe & fidem Romanæ Eccleſiæ Apoſtolico ore laudatam perpetuò ſeruaturum, atque adeò & Alexandrinæ Eccleſiæ communionem, fidemque magno ſemper in pretio habiturum, quòd eadem eſſet vtriuſque Eccleſiæ traditio, eadem à magiſtro & diſcipulo accepta doctrina; ſimilis vtriuſque cathedræ ad fidem exponendam gratia: quod iis verbis explicat ſanctus Leo epiſtolâ octuageſimâ-primâ *ad Dioſcorum*, *Cùm beatiſſimus Petrus Apoſtolorum à Domino acceperit principatum, & Romana Eccleſia in eius permaneat inſtitutis, nefas eſt credere quod ſanctus diſcipulus eius Marcus aliis regulis traditionum ſuarum decreta firmauerit, cùm ſine dubio de eodem fonte gratiæ vnus Spiritus fuerit diſcipuli & magiſtri*, &c. Commuoionem quoque ſe Alexandrinæ Eccleſiæ magni ſemper habiturum ſe demonſtrat Hieronymus, qui Romanæ Eccleſiæ communionem magnifaceret, cuius communioni qui adhæret, & Vicariis eius ſedibus, qualis ratione Patriarchatus erat Alexandrina, adhærere deberet. Hæc mens Hieronymi, qui cùm hanc epiſtolam ſcriberet, nec Romani Pontificis ſententiam, vt docuimus, nec Theophili exploratam omninò haberet, cuius ſcilicet patieotiam circa Origeniſtas reuerenter ſuggillat in fine eiuſdem epiſtolæ iis verbis: *Super nefaria hæreſi, quòd multam patientiam geris, & putas Eccleſiæ viſceribus incubantes tuà poſſe corrigi lenitate, multis ſanctis diſplicet, ne dum paucorum pœnitentiam præſtolaris, nutrias audaciam perditorum, & factio robuſtior fiat.*

Quamobrem prædicta verba quæ ex ipſo protulimus, perſonas aut Theophili Alexandrini, aut Anaſtaſij Romani non tangunt, ſed ad vtriuſque cathedræ Romanæ & Alexandrinæ conſociationem, quarum vna primaria eſſet, altera dignitatis eius, auctoritatis & gratiarum particeps foret, pertinere deberent.

Secundò, eandem quoque conſociationem vtriuſque cathedræ, quæ eodem ſpiritu ducatur, & eadem auctoritate prædita ſit, ita vt primaria ſit Romana, & ſuperior; Alexandrina verò eiuſdem auctoritatis pro ſuo modulo particeps, & inferior, oſtendit idem Hieronymus epiſtolâ ſeptuageſimâ-octauâ *Pammachio & Marcellæ*, vbi poſt exaggeratam de Origenis hæreſi in Ægypto, in qua plurimùm valuerat, Theophili victoriam, qui hæreſim iſtam *& auctoritate, & eloquentiâ* proſtrauerat, tantò maiorem, quantò de eius taciturnitate anteà conualuerat, vt hæretici iſti conſenſum eius meotirentur, vt tam ex prædicta epiſtola, quàm ex ſeptuageſima ad Theophilum innoteſcit, ſubiungit iſta verba, *Prædicationem quoque cathedræ Marci Euangeliſtæ, cathedra Petri Apoſtoli ſuâ prædicatione confirmet.*

Confirmandi enim ea quæ ab Alexandrina Marci ſede inchoata fuerant, poteſtatem tribuit Romanæ cathedræ Hieronymus, vt quemadmodum inferiorum tribunalium ſententiæ à ſuperioribus confirmantur, ita Alexandrinæ Eccleſiæ ſententia validis rationibus à Theophilo propugnata, indigeret confirmatione Anaſtaſij Papæ Romani, de qua ſe aliquid inaudiuiſſe etiam gratulatur, dum ſubdit, *Quanquam celebri ſermone vulgatum ſit beatum quoque Papam Anaſtaſium, eodem feruore, quia eodem ſpiritu eſt, latitantes in foueis ſuis hæreticos perſecutum, eiuſque literæ doceant damnatum in Occidente, quod in Oriente damnatum eſt.* Nec præiudicat Anaſtaſij ſuperiori auctoritati, quòd poſterior in damnanda hæreſi Origeniſtarum Theophilo fuerit, ſicut nec Innocentij auctoritati præiudicatur, quòd Africanorum Patrum ſententiam eius damnatio ſecuta ſit; quam vtique maioris momenti eſſe credentes Africani, ideò in ſuæ confirmationem ſententiæ expetere ſe ſignificant, literis ex Concilio Carthaginenſi & Mileuitano datis. Quin immò mos eſt Romani Pontificis, vt quia eius vltimum iudicium eſt, à quo prouocari non licet, ſeriùs quoque feratur, & diſcuſsâ per præcedentes Synodos traditione, quemadmodum ex Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lectione conſtabit.

Veram ergo confirmationem à Sede Romana damnationis à ſe factæ errorum Origenis expetiit Theophilus, nec ſuam ſententiam valituram credidit, niſi Romani Pontificis auctoritate firmaretur; ſicut nec Cyrillus Alexandrinus ſuam aduerſus Neſtorium futuram ratam damnationem iudicauit, niſi Celeſtini maioris

Digitized by Google

dignitatis ſententiâ corroboraretur: atque adeò ſicut ad Celeſtinum Cyrillus factam à ſe damnationem retulit, & confirmationem petiit, ita & ad Anaſtaſium Theophilus ſcripſiſſe, ſuæ ſententiæ confirmationem petiiſſe, tum ex prædicta epiſtola colliges, tum ex ſeptuageſima-prima, quam Hieronymus ſcripſit *ad Theophilum*, in qua epiſtolam eius Synodicam Romam perlatam ſignificat. Et certè maioris auctoritatis ſententiam Anaſtaſij illum putaſſe, quàm Theophili, conicies ex Apologiæ aduerſus Ruffinum lib. 3. c. 5. vbi refellit iactantiam Ruffini Apologiam ſuam ſcribentis ab omnibus Epiſcopis Italiæ fuiſſe ſuſceptam, *Et tamen miror*, inquit, *quomodo probauerit Italia quod Roma contempſit, Epiſcopi ſuſceperint, quòd ſedes Apoſtolica condemnauit.* Vbi enim vnquam talia de Theophili iudicio dixit? vbi in Eccleſiæ Alexandrinæ commendationem vnquam ea ab Hieronymo ſcripta reperies, quæ in commendationem Romanæ ab eodem ſcribuntur lib. 1. *Fidem ſuam, quam vocat, eámne quà Romana pollet Eccleſia? an illam quæ in Origenis voluminibus continetur? ſi Romanam reſponderit; ergo Catholici ſumus.*

Sed hæc parerga, quæ tamen Nouatorum ori obturando, quominùs Anaſtaſij iudicio Theophili ſententiam præferre deinceps audeant, videntur ſufficere. Iis adde, quòd & ipſa Alexandrina ſedes Apoſtolica dicatur ab Athanaſio Apolog. 2. & in Concilio Conſtantinopolitano ſub Agapeto & Menna, actione 2. eo maximè ſenſu, quòd licèt à Marco Euangeliſta inter Apoſtolos minimè relato condita ſit, tamen auctoritate beati Petri Apoſtoli ad dignitatem Patriarchalem euecta fuerit.

Quare meritò Benedictus ſecundus, Extrauaganti *Sancta Romana*, de electione inter communes: *Sancta*, inquit, *Romana Eccleſia, diſponente Domino, ſuper omnes alias poteſtatis ordinariæ obtinet principatum à Deo, vtpote mater vniuerſorum Chriſti fidelium, & magiſtra quatuor Patriarchales ſedes inſtituit.*

§. II.

Quorum rationem habuerit ſanctus Petrus in inſtituendis tribus Patriarchalibus ſedibus, Romana, Alexandrina, & Antiochena.

CONSTANTI itaque & indubitatâ traditione trium Patriarchalium ſedium inſtitutio ſancto Petro tribuenda eſt tanquam præcipuo auctori, quamuis Apoſtolorum conſilio vſum eum fuiſſe in erigendis Patriarchalibus ſedibus non dubium ſit, quemadmodum ſuperiùs docuimus. Nec quæ in contrarium ab aduerſariis fidei Catholicæ obiiciuntur, aliud probant quàm ſanctum Petrum & Apoſtolos in iis vrbibus eligendis, & quas ad Patriarchalem dignitatem eueherent, mundanæ earum ciuitatum claritatis, ſeu potiùs opportunitatis ciuitatum rationem habuiſſe, quod vtique minimè diffitemur.

Primò enim, non ſolùm temporibus perſecutionis, ſed & futuræ Eccleſiaſticæ paci conſulendum Apoſtoli cenſebant, & quidem in magnis ac populoſis ciuitatibus, faciliùs latebant Patriarchæ, eorúmque neceſſarij aſſeſſores, conſiliarij, cooperarij, qui debebant eſſe plurimi doctrinâ & eruditione præcipui, vt quià Patriarcha, vt pote à maioris dignitatis Paſtore in dubiis reſponſa quærerent, ſolidiora, & maiori eruditione referta oracula acciperent.

In iis igitur ciuitatibus, in quibus valdè copioſus erat ciuium numerus, facilius erat latere Eccleſiaſtici ordinis viros, quàm in iis vrbibus, in quibus minor eſt populorum frequentia; adeóque nullus alteri ignotus, omnes ſibi inuicem noti ciues: hinc perſecutionis tempore extorres multos Epiſcopos, & propter fidem Catholicam exulantes Roma recipiebat, vt patet ex epiſt. Cleri Romani *ad Cyprianum* 31. inter Cyprianicas, quâ aſſerunt Preſbyteri & Diaconi Romæ conſiſtentes, Synodum ſe Epiſcoporum conuocaſſe: tum ex vicinis quibuſdam Epiſcopis, tum *ex iis quos ex aliis prouinciis longè poſitos perſecutionis iſtius ardor eiecerat*: hincq; fit vt Romæ, Carthagini, & in aliis populoſioribus ciuitatibus etiam in medio perſecutionis æſtu habita Concilia legamus. In ſequentia quoque reddendæ Eccleſiaſticæ pacis

tempora mentis oculos coniicientes, exiſtimarunt commodum eſſe, vt in iis vrbibus maioris auctoritatis Præſules morarentur, in quibus præſto eſſe poſſet Imperatoris, vel Præfecti ſæcularis auctoritas, quæ ſalubriter conſtituta ab Eccleſia aduerſus proteruos tueretur, & pœnarum metu pertinaces in Eccleſiæ obſequio contineret: vt qui maioris in Eccleſia auctoritatis eſſent, ij potentibus ſecundum ſeculum præſtò eſſent, prouidentes ne hæreſes ſerpant, ne diſciplina labaſcat, ne praui mores inducantur, ne poteſtas ſæcularis quidquam aduerſus Eccleſiaſticam moliatur.

Secundò, quia egent maiores ſedes Collegio Preſbyterorum & Diaconorum ampliori, non ſolùm ad externam maieſtatem, quæ & ipſis ad conciliandam ſacræ poteſtatis reuerentiam idonea eſt, verùm etiam ad conſultationes arduas & cauſarum tum fidei, tum diſciplinæ intricatiores nexus ſoluendos. Ideò ex hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lectione, & epiſtolis Dionyſij Alexandrini, Cypriani, Baſilij, Chryſoſtomi, ac cæterorum SS. Patrum conſtat, in Eccleſiis illis maioribus plures Presbyteros ac Diaconos olim fuiſſe, tanquam Senatum Patriarcharum ac Primatum. Non poteſt autem ampliſſimus eſſe Presbyterorum ac Diaconorum numerus, niſi in maioribus ciuitatibus, vbi doctorum virorum conuentus: nam exiles fluuij magnos piſces non alunt. Ideoque prudenter Apoſtoli Patriarchales ſedes nonniſi in maioribus totius orbis ciuitatibus conſtituendas eſſe duxerunt.

Tertiò, populorum quoque commodum in ea Patriarchalium ſedium erectione ſpectarant, ſicut enim Antiochenæ Synodi Patres Can. 9. Metropolitanos, nonniſi in primariis ciuitatibus conſtituendos putarunt, quoniam ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας, *in Metropolim vndequaque concurrunt omnes qui habent negotia*. Ita & Patriarchas ob eandem rationem non niſi in ampliſſimis conſtitui oportuit: ita enim fit vt populis commodum ſit, quòd Eccleſiaſtica dignitas in iis conſtituatur locis, quæ ſęculari dignitate præfulgent, quia ſimul poſſunt & mundanis ciuitatibus ſeruire, & Eccleſiaſticis vtilitatibus conſulere.

Quartò, Patriarchas in celebrioribus quoque ciuitatibus conſtituendos voluerunt, ad conuenientiorem & faciliorem Euangelij propagationem: nam & Euangelij clarior & diſtinctior notitia in Patriarchalibus ciuitatibus ſperabatur, ad quam doctiores & ſapientiores operarij à Patriarchis acciti confluerent. Ideò in totius Imperij primariis ciuitatibus Patriarchales ſedes, & ſcholæ Chriſtianæ doctrinæ, quibus ipſi præeſſent, erectæ, vt *lux veritatis* (quemadmodum paucis mutatis ait S. Leo ſer. 1. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli (*quæ in omnium Gentium reuelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet. Cuius enim nationis homines* in his tunc vrbibus *non eſſent*, in quibus tres primæ Patriarchales ſedes poſitæ, *aut quæ vſquam Gentes ignorarent, quod Roma*, quod Alexandria, quod Antiochia *didiciſſet*. Quin etiam mittendorum in exteras prouincias prædicationis cauſa delectus facilior, & quæ pro viatico neceſſaria ſunt adiumenta certiora.

Quare rectè Clemens Romanus epiſt. 1. Anacletus epiſt. 2. & 3. Anicetus epiſt. vnicâ, ſiue illæ veræ ſint, ſiue ſuppoſititiæ, in Primatibus & Patriarchis conſtituendis vrbium claritatem Apoſtolos ſpectaſſe referunt; nec nos abnuimus; ſed eam immediatam cauſam dignitatis Patriarchalis eſſe negamus, quòd nec per ſomnium iſtis Pontificibus, aut iis, qui eorum nomine epiſtolas iſtas ediderunt, vnquam in mentem venit; imò nec Chalcedonenſes in addititio Canone, quem Romana Sedes reprobauit, dum prærogatiuam Romanæ Sedi tributam fuiſſe, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, in *quòd vrbs iſta imperaret*, ſolam hanc & immediatam cauſam, aut Primatus in totam Eccleſiam; aut poteſtatis Patriarchalis in vniuerſum Occidentem eſſe putauerunt: religioſiores illi & reuerentiores fuerunt Apoſtolicæ Sedis, qui & Petrum per Leonem locutum in Synodo acclamantes, Leonis dignitatem ſucceſſione à Petro Apoſtolo firmatam oſtenderunt; qui patienter tulerunt Paſchaſinum Lilybetanum Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis Legatum, Leonis nomine in Dioſcorum pronuntiare ſententiam, *Vnà cum ter beatiſſimo, & omni laude digno beato Petro Apoſtolo, qui eſt petra & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ fidei fundamentum*, actione tertiâ eiuſdem Synodi, qui in epiſtola Synodica ad Leonem Papam, Leonem eſſe profitentur, αὐτὸν τῷ τῆς ἀμπέλου τὴν

φυλακὴν παρὰ τοῦ Σωτῆρος ἐπιτεταγμένον, *illum cui vineæ cuſtodia à Saluatore commiſſa eſt*; qui eadem epiſtolâ & Apoſtolicam illam ſedem, & Apoſtolico radio coruſcantem aiunt, quem ſcilicet in alias diffundat, ſuæ impertiens dignitatis priuilegia; atque adeò & à diuino iure, & Apoſtolica ſucceſſione ipſius excellentiam repetunt; quâ eadem fide imbutus Valentinianus Imperator, Nouellâ Conſtitutione, non ſoli vrbis Romæ poteſtati, ſed & Petri meritis principaliùs Romanæ Eccleſiæ auctoritatem attribuit: *Quum*, inquit, *Sedis Apoſtolicæ Primatum, qui Princeps eſt Epiſcopalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, ſacræ etiam Synodi firmarit auctoritas.*

Sed hac grauiori diſcuſſione in alium locum reiectâ, dicimus vnam ex rationibus, quæ Petrum Apoſtolum mouerunt, vt tres prędictas ſedes Patriarchales ſtatueret, Romanam, Alexandrinam & Antiochenam, vrbium illarum potentiam, & amplitudinem fuiſſe: Etenim tunc temporis in Imperio Romano tres iſtæ celeberrimæ & potentiſſimæ vrbes fuerunt. Hegeſippus de excidio vrbis Hieroſolymitanæ lib. 3. cap. 5. tres, de quibus agimus, ciuitates verè regias, & in toto Imperio Romano primarias fuiſſe teſtatur, vbi de Antiochena ciuitate hæc loquitur, *Vrbs tertio loco antè, ex omnibus quæ in orbe Romano ſunt ciuitatibus æſtimata, nunc quarto, poſtquam Conſtantinopolis excreuit ciuitas Bizantiorum, Perſarum quondam caput expulſorum. Prima enim Roma, ſecunda Alexandria, tertia Antiochia, quarta Conſtantinopolis.* Atque vt de Roma taceam, quæ tunc orbis miraculum, & domina, Alexandriam populoſiſſimam & potentiſſimam tunc temporis fuiſſe teſtantur paſſim auctores, Adrianus Imperator in epiſtola ad Seruianum, *Ciuitas opulenta, diues, fœcunda, digna quæ pro ſua profunditate & magnitudine totius Ægypti teneat principatum.* Theodoretus lib. 1. cap. 2. Ἀλεξάνδρεια πόλις ἐστὶ μεγίστη, καὶ πολυάνθρωπος, οὐκ Αἰγυπτίων μόνον, ἀλλὰ καὶ Θηβαίων, καὶ Λιβύων τῶν πρὸς Αἴγυπτον τὴν ἡγεμονίαν πεπιστευμένη, *Alexandria vrbs eſt ampliſſima, & maxima hominum multitudine frequentata, quæ non Ægyptiorum ſolùm, verùm etiam & Thebæorum, & Libyorum, qui Ægypto vicini ſunt, obtinet Principatum:* Pæanius interpres Eutropij, τῆς Αἰγύπτου πάσης μητέρα, *totius Ægypti matrem* Alexandriam appellat: Dion Chryſoſtomus hom. 32. vni eam Romæ ceſſiſſe ſignificat, adeò vt *& earum, quæ ſub Sole, ſecunda* eſſet, δευτέρα τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον, vt ipſe loquitur, quam propterea Stephanus πόλιν κατ' ἐξοχὴν, tantæ ſcilicet dignitatis, vt ius ciuitatis Alexandrinæ non minore ambitu ſoleret expeti, quàm Romanæ: teſtis Plinius *ad Traianum*, de ſuo quodam Iatralipta, cui iam Romanam ciuitatem impetrauerat, *Admonitus ſum à peritioribus debuiſſe me ante Alexandrinam ciuitatem impetrare, deinde Romanam, quoniam eſſet Ægyptius:* cui reſpondet Traianus, *Ciuitatem Alexandrinam ſecundum inſtitutionem Principum non temere dare propoſui. Sed cùm Iatraliptæ tuo iam Romanam ciuitatem impetraueris, hanc quoque petitioni tuæ negare non ſuſtineo.* Hinc & Alexandrinam Eccleſiam, *verticem omnium Eccleſiarum Ægypti* appellat Euſebius, & quod in vrbibus Patriarchalibus deligendis obſeruatum diximus, vt ab iis ſe faciliùs Religio Chriſtiana diffunderet, id è contrario malo euentu in ea accidiſſe docuit, quòd Arrianiſmi virus in ea vrbe primum propinatum in alias orbis prouincias facilè peruaſit. Sic enim loquitur vir Arrianæ ſectæ addictus lib. 2. *de vita Conſtantini*, cap. 60. de ſchiſmate Alexandri & Alexandrini Præſulis, & Arrij Preſbyteri diſcordia loquens, καὶ ταῦτα ὡς ἀπὸ μικροῦ σπινθῆρος μέγα πῦρ ἐξεκαίετο, ἄκρας μὲν ἀπὸ κορυφῆς ἀρξάμενον τῆς Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίας, διαδραμὸν δὲ τὴν σύμπασαν Αἴγυπτόν τε, καὶ Λιβύην, τήν τ' ἐπέκεινα Θηβαΐδα, ἤδη δὲ καὶ τὰς λοιπὰς ἐπενέμετο ἐπαρχίας τε καὶ πόλεις. *Deinde ab exigua ſcintilla ingens incendium excitatur, quod quidem ab Eccleſia Alexandrina tanquam à capite exorſum, omnem Ægyptum, Libyam, & Thebaidam deinceps peragrauit, Iam verò per reliquas prouincias & ciuitates eo vſque diffudit ſeſe*, &c. Diſtinguit ibi Euſebius Ægypti, Libyæ, & Thebaidos prouincias, quæ Diœceſis erant Ægyptiacæ, & Alexandrino Præſuli ſubdebantur, earum τὴν κορυφὴν ſeu verticem Alexandrinam Eccleſiam agnoſcit, & ab ea tanquam à capite contentiones enatas Alexandriæ diffuſas ſcribit; ab iis verò prouinciis, & in reliquas orbis regiones malum iſtud irrepſiſſe conqueritur: itaque non verticem omnium Eccleſiarum τὴν κορυφὴν ἁπασῶν ἐκκλησιῶν, Alexandr. Eccleſiam abſolutè pronuntiat, ſed tantùm earum quæ in Ægypto, Libya & Thebaide eſſent. Falſum quoq; eſt de Alexandrino æquè ac de Rom. Præſule dictum fuiſſe à Patribus, quòd vniuerſæ

Eccleſiæ ſollicitudinem gereret, quamuis Gregorius Nazianzenus Oratione 21. in laudem Athanaſij iſta ſcripſerit, τὴν τῷ λαῷ προεδρίαν πιστεύεται, ταυτὸν δὲ εἰπεῖν τῆς οἰκουμένης πάσης ἐπιστασίαν, *Alexandrino populo, quod idem eſt ac ſi dixiſſem, vniuerſo terrarum orbi præficitur*, quæ per exaggerationem dicta ſunt, ad oſtendendam ciuitatis & Diœceſeos Alexandrinæ magnitudinem, & præfecturæ illius vrbis momentum ac pondus, ex qua benè vel malè geſtâ totius Eccleſiæ vtilitas vel detrimentum naſceretur. Alioquin notus & Athanaſio, & Nazianzeno Nicænus Canon, quo Alexandrinæ Eccleſiæ limites ſtatuuntur, quos tranſire ipſi non liceat, vt notat Theodoretus epiſt. 86 quin & Conſtantinopolitanum Concilium, cui intererat Nazianzenus, clariùs expoſuit.

Sed hæc obiter dicta ſint, Antiochenæ ſimiliter ciuitatis eo tempore, quo Euangelij lux ei affulſit, magnitudinem & ſplendorem iſta demonſtrant, quòd olim dicta fuit ἡ μητρόπολις τῆς ἕω, ἡ μεγίστη τῆς ἕω, *Orientis Metropolis, maxima ciuitatum Orientis*, paſſim à Chryſoſtomo, à quo homil. 3. ad populum Antiochenum dicitur, τῆς ἀνατολῆς ἁπάσης κεφαλὴ, καὶ μήτηρ, *totius Orientis caput & mater:* homil. 5. ad eundem populum, τῶν ἐν τῇ ἕω κειμένων κεφαλὴ καὶ μήτηρ, *eorum qui Orientem incolunt, caput & mater:* à Strabone lib. 16. βασίλειον ἵδρυτο τοῖς ἄρχουσι τῆς χώρας, *Regia erat regionis Principibus:* ſcilicet quia vigente Imperio Seleucidarum Orientis Aſiatici caput fuit, & eo à Romanis in prouinciam redacto, ſedes eorum qui Romani populi nomine Syriam adminiſtrarent: ab Ammiano lib. 22. *Orientis pulcher apex:* à Zoſymo lib. 1. τῆς ἑώας πάσης μητρόπολις, *totius Orientis Metropolis:* à Theodoreto epiſt. 83. *Dioſcoro*, multas hominum myriadas dicitur ipſius tempore continuiſſe.

In iis ergo populoſiſſimis & totius orbis Romani ciuitatibus celeberrimis ac clariſſimis, placuit Apoſtolis tres Patriarchales ſedes conſtituere, Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam; quas ſi addidero cum Honorio in Gemma animæ lib. 1. cap. 187. & Hugone Victorino eruditionis Theologicæ lib. 1. cap. 42. totius orbis partibus, Europæ, Africæ & Aſiæ, quantum opportunitas regionum patiebatur, tres iſtas ſedes reſpondiſſe modo alibi explicando, non verebor iuſtæ reprehenſionis notam. Sed hanc quæſtionem commodiùs tractabo, ſi quando de ſummo Pontifice, Deo dante, ſim tractaturus; nunc enim ſingulorum Patriarchatuum limites explicare non fert animus.

Omitto & aliquas myſticas trium iſtorum Patriarcharum ſignificationes, ſcilicet, vt per Abrahamum, Iſaac & Iacob præfigurati fuerint; vt ſanctiſſimæ Trinitatis perſonas aliquâ ratione repræſentarint, eiuſdem Petri ſedis, cum aliqua tamen inæqualitate (quæ in Trinitate nulla reperitur) ſucceſſores, quorum trium Præſulum vnam ſedem eſſe ex Gregorio Magno ſuperiùs docuimus: quæ Trinitatis repræſentatio cùm in omnibus Præſulibus locum habeat, teſte Symmacho epiſt. 1. *ad Æonium Arelatenſem*, cuius verba refert Carolus Caluus epiſtolâ *ad Adrianum ſecundum*, & aliâ *ad Ioannem octauum*, *Ad Trinitatis inſtar, cui vna eſt & indiuidua poteſtas, vnum eſt per diuerſos Antiſtites ſacerdotium*; multò tamen in Patriarchis luculentiùs reſplendeſcit, qui ad vnitatem magis accedunt, & Romanæ Sedis dignitati cæteris ſuperiori ſtrictiùs conſociantur, & in quibus tribus Petrus ſedit, vt explicat Walafridus Strabo *de rebus Eccleſiaſticis*, cap. 31. cui aſſentitur Hincmarus Remenſis bis verbis Opuſculo quinquaginta-quinque Capitum, cap. 16. *Cùm multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen Principatu ſola Apoſtolorum Principis ſedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius eſt.*

§. III.

Solutio quarumdam obiectionum contra primam iſtarum Patriarchalium ſedium inſtitutionem.

LEVIS duntaxat obiectio in contrarium proponitur, antiquæ iſtæ & Eccleſiæ
primordiis coæuæ ſedium Patriarchalium erectioni repugnare, quod Nicęnum
Concilium, nonniſi vnius prouinciæ, putà Cœleſyriæ Patriarchani fuiſſe Antio-
chenum inſinuet; nec aliam Can. 6. Antiochenæ Eccleſiæ prærogatiuam agnoſcat
aut confirmet.

Primò, quia verba Concilij hæc ſunt, ὁμοίως δὲ καὶ κτ᾽ τὴν Ἀντιόχειαν ἐν ταῖς ἄλ-
λαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις· *Similiter autem & apud Antio-
chiam, cæteraſque prouincias, ſuis priuilegia ſeruentur Eccleſiis*; coniungit enim Conci-
lium Antiochiam cum Metropolibus aliis, vt ipſius in ſuam prouinciam, & aliis in
ſuam priuilegia ſeruentur; quem ſenſum & comparationem inuertunt, qui Eccle-
ſiæ Antiochenæ, in aliquam Diœceſim ſeu prouinciarum complexionem, & cæte-
rarum Metropoleωn priuilegiis Nicænam Synodum dicunt hoc Canone conſuluiſ-
ſe: quandoquidem Diœceſim ipſi cum prouincia comparare coguntur, quæ ine-
pta comparatio foret.

Secundò, quia ſi tunc vllius prouinciæ, præterquam ſuæ, Patriarcha Antio-
chenus præeſſe debuit, maxime Palæſtinæ: nam Syriæ, quæ olim vna prouincia
tempore Conſtantij in tres prouincias diuiſa eſt, Phœnicem, Palæſtinam, & Cœ-
lem: porrò Can. 7. nullum ius Antiochiæ in Palæſtinam attribuit Nicænum Con-
cilium, ſed eam Cæſarienſi Metropoli ſubiicit, cum quo Cæſarienſi pro Metropo-
litico iure cum Acacio Cyrillus Hieroſolymitanus poſteà contendit, teſte Sozo-
meno lib. 4. cap. 24.

Tertiò, quia Nicæna Synodus Metropolitanarum ſolummodo ſedium meminit,
nec Diœceſes tantùm agnouit, ſed ſolùm prouincias & Metropoles. Vnde infe-
runt Patriarchæ Antiocheni inſtitutionem, imò & cuiuſuis alterius Concilio Ni-
cæno poſteriorem eſſe.

Leuia omninò argumenta iſta ſunt, præ iis quæ ſuperiùs protulimus, & quæ
pro reſponſione proferemus. Primò enim quòd Concilium Nicęnum tres Patriar-
chales ſedes Can. 6. agnouerit, præter Græcos Canonum interpretes, v. g. Zona-
ram, Balſamonem, & alios; id reſtatur vetus Canonum collectio, quæ inſcribi-
tur Συναγωγή, cuius auctor creditur Theodoretus, Photius in Nomocanone cap. 5.
Nicolaus I. *ad conſulta Bulgarorum*, cap. 92. & epiſt. *ad Michaelem Imperatorem*, poſt
medium, & medij æui innumeri Scriptores, quibus adiungendi ſunt illi antiqui ſum-
mi Pontifices, qui ſe erectioni Parriarchæ Conſtantinopolitani, & eius priuilegio
oppoſuerunt Leo variis epiſtolis, 53. *ad Anatolium*, 54. *ad Marcianum Auguſtum*, 55.
ad Pulcheriam, 62. *ad Maximum Antiochenum*, Gelaſius epiſt. 13. *ad Epiſcopos Darda-
niæ*, & alij.

Secundò, Antiochenum Præſulem à Nicæno Concilio ſupra Diœceſim conſtitu-
tum aſſerunt Innocentius I clariſſimè, cuius ideò auctoritatem temerè negant no-
ui homines, quaſi Nicæni Concilij ſenſum & iſtius ſæculi diſciplinam meliùs per-
ſpectam habeant, quàm Pontifex maximi ingenij & iudicij, qui à parentibus, &
præceptoribus ſuis Eccleſiæ praxim tempore Nicæni Concilij accipere potuerat,
& ex Romanis ſcriniis eruere. Is autem epiſt. 18. *ad Alexandrum*, hæc habet, *Re-
uoluentes auctoritatem Nicænæ Synodi, quæ vna omnium per orbem terrarum explicat men-
tem ſacerdotum, quæ cenſuit de Antiochena Eccleſia cunctis fidelibus, quam ſuper Diœce-
ſim ſuam prædictam Eccleſiam, non ſuper aliquam prouinciam recognoſcimus conſtitutam.*
Leo epiſtolâ citatâ *ad Maximum Antiochenum*, Orientales Eccleſias Antiochenæ ſe-
di obnoxias Nicæno Concilio ſtatuens, *Neque*, inquit, *vllo modo ſinas in Orientali-
bus Eccleſiis maximéque in his, quas Antiochenæ ſedi ſacratiſſimorum Patrum Nicæni Ca-
nones deputauere, ab improbis hæreticis Euangelio inſultari.* Theodoretus, qui ſe Eccleſiæ
Antioch. Suffraganeum, & in ea Eccleſia diu moratum teſtatur epiſt. 83. *Dioſcoro*, &
aliis paſſim, is vtique & Antiochenam ſedem Diœceſim paſſim habuiſſe docet, non

Digitized by Google

vnam duntaxat prouinciam cui præſideret; quod præſertim oſtendit epiſt. 86. *Flauiano Conſtantinopolitano*, quâ Antiochenæ ciuitatis ampliſſimam præfecturam confirmatam à Nicæna Synodo, & Conſtantinopolitana prima aſſerit his verbis, ἐν ἐκείνῃ γὰρ τῇ βασιλευούσῃ πόλει συνελθόντες οἱ μακάριοι πατέρες, συμφώνως τοῖς ἐν Νικαίᾳ συναθροισθεῖσι τὰς διοικήσεις διέκριναν, καὶ ἑκάστῃ διοικήσει τὰ ἑαυτῆς ἀπένειμαν, ἄντικρυς ἀπαγορεύσαντες, ἐξ ἑκατέρας τινὰς διοικήσεως ἑτέρᾳ μὴ ἐπιέναι. ἀλλὰ τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον τὰ τῆς Αἰγύπτου μόνα διοικεῖν, καὶ ἑκάστην διοίκησιν τὰ οἰκεῖα, *In illa quippe regia vrbe congregati, beati Patres, cum iis qui apud Nicæam conuenerant conſpirantes Diœceſes diſtinxerunt, & ſua vnicuique Diœceſi aſſignarunt, apertè interdicentes, ex altera quaſquam Diœceſi alteram inuadere. Sed Alexandriæ Epiſcopum Ægypti tantummodo res adminiſtrare, & ſua ſingulas Diœceſes.* Vnde infert Dioſcoro non licuiſſe in Antiochenam Diœceſim inuadere. Ac proinde à Nicæno Concilio Antiochenam Diœceſim agnitam aliquam fuiſſe, ſicut & Antiochenam, & vtramque à Concilio Nicæno firmatam iudicat Theodoretus. Quin etiam Primatum Antiochenæ Eccleſiæ ſuper Orientales; ac proinde non vnius tantùm prouinciæ Cœleſyriæ Principatum firmaſſe docent Patres Conſtantinopolitani I. Concilij, quinquaginta ſex annis habiti poſt Nicænum, ſic enim ipſi loquuntur, Can. 2. τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ἐπιέναι μηδὲ συγχέειν τὰς ἐκκλησίας, ἀλλὰ κατὰ τοὺς κανόνας, τὸν μὲν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον τὰ ἐν Αἰγύπτῳ μόνον οἰκονομεῖν, τοὺς δὲ τῆς Ἀνατολῆς ἐπισκόπους τὴν Ἀνατολὴν μόνην διοικεῖν. φυλαττομένων τῶν ἐν τοῖς κανόσι τοῖς κατὰ Νίκαιαν πρεσβείων τῇ Ἀντιοχέων ἐκκλησίᾳ. *Epiſcopi ad Eccleſias quæ ſunt extra ſuam Diœceſim, ſuóſque limites, nec accedant, nec Eccleſias confundant, ſed ſecundum Canones Alexandriæ quidem Epiſcopus Ægyptum ſolùm regat: Orientis autem Epiſcopi Orientem ſolùm adminiſtrent, ſeruatis priuilegiis ac prærogatiuis, quæ ſunt in Nicæni Concilij Canonibus, Antiochenæ Eccleſiæ.* Duarum his verbis Diœceſeωn mentionem factam meminimus, intra quam Epiſcopi ſe continere debeant ſecundum anteriores Canones Conſtantinopolitano I. Concilio, an Nicænos, an verò adhuc anteriores & Apoſtolicâ traditione acceptos? de poſterioribus videtur loqui Concilium Conſtantinopolitanum I. quia Nicænos mox nominat, qui priuilegia Antiochenæ Eccleſiæ ſupra Orientalem Diœceſim confirmarint. Ergo Diœceſes ante Nicænum Concilium inſtitutæ, & à Nicæno Antiochenus ſuper Diœceſim Primatus ſingulariter ſtabilitus eſt, ſi credimus Concilij Conſtantinopolitani Patribus. Ij autem meliùs Nicænos Canones, & vigentem eodem ſæculo diſciplinam, cuius oculati teſtes erant, & quorum aliqui Nicæno Concilio intereſſe potuerant; meliùs, inquam, nouerunt, quàm poſt quatuordecim ſæcula quiquam ex diuinatione coniicere poſſint.

Denique in Chalcedonenſi Concilio actione 16. in præiudicium Nicænorum Canonum geſtum eſſe opponunt Legati Sedis Apoſtolicæ, quòd noua Diœceſis Conſtantinopolitano Patriarchæ ex antiquarum in Nicæno confirmatarum mutilatione, vel vſurpatione aſſignaretur. Ibidem quoque quòd Conſtantinopolitani Patres de Diœceſibus Ægyptiaca, Orientali, Aſiatica, & Pontica ſub Præſulibus Alexandrino, Antiocheno, Epheſino & Cæſarienſi ſtatuerant, ſecundum Canones Nicænos ſtatutum exponitur. Conſtat autem in Conſtantinopolitano I. Antiochienſem Epiſcopum Diœceſem habere debere; ergo & Nicæno Concilio Antiochenum ſupra Diœceſim conſtitutum, & Diœceſes tempore Nicæni Concilij aliquas iam tum extitiſſe, eâſque à Nicæni Concilij Patribus agnitas, & ab iis probatas, tam Legati Sedis Apoſt. quàm Concilij Patres actione iſtâ 16. putauerunt.

Tot inuictis teſtimoniis & omni exceptione maioribus auctoritatibus, quibus Nicæni Canonis 6. & 7. ſenſus exponitur, & diſciplina Eccleſiæ atque hierarchica gubernandi ratio, quæ tempore Concilij Nicæni vigebat, exponitur, quænam opponi poſſunt niſi friuola & puerilia? Primùm enim, quòd obiicitur Antiocheni Præſulis poteſtatem, & Metropolitanorum in ſuis prouinciis auctoritatem eodem Canone coniungi; atque exinde elicitur nonniſi Metropoliticam Antiocheni Præſulis poteſtatem illo Can. tractari, nullius momenti eſt: quandoquidem cùm Alexandrini in Ægyptũ, Lybiam & Pentapolim, quæ diuerſæ erant prouinciæ, auctoritati Antiocheni poteſtas ibi compararetur verbis iſtis, *Similiter & in Antiochia, & in aliis prouinciis ſua priuilegia Eccleſiis ſeruentur:* verbum enim *ſimiliter* relatiuum eſt, &

ſi aliquam comparationem continet, eam proculdubio cum antecedentibus, non autem cum conſequentibus habere conuenientiùs indicatur: itaque ſi comparationem in his verbis quærimus, Antiocheni ſaltem cum Alexandrino in illis tepere debemus: Sed ex ipſo Canone apparet Alexandrinum non vni duntaxat prouinciæ, ſed pluribus præfectum fuiſſe; tres enim ſaltem enumerantur, Ægyptus, Lybia, & Pentapolis, in quas ſacrum ipſius imperium à Concilio Nicæno confirmatur, & ex diſſenſione inter Alexandrinos Patriarchas & Meletium relatâ ab Athanaſio Apolog. 2. & ab Epiphanio hæreſi *68.* & *69.* cuius fit mentio epiſtolâ Concilij Nicæni apud Socratem lib. 1. cap. *6.* quæ occaſionem dedit Concilio Nicæno condendi Canonem de Eccleſiæ Alexandrinæ & Antiochenæ priuilegiis, patet hunc Canonem iura Exarchica, non Metropolitica Alexandrinæ, & Antiochenæ Eccleſiæ tueri: nam contentio inter Præſulem Alexandrinum & Meletium erat de iure Exarchico non Metropolitico; nam Meletius iſte ab Epiphanio hæreſi *69.* n. *6.* dicitur Archiepiſcopus fuiſſe in Lyco ciuitate Ægypti, ſubiectus tamen Alexandro Præſuli Alexandrino.

Quòd autem & in aliis proninciis Eccleſiarum iura Concilium Nicænum ſeruanda ſubiungat, generalis eſt decernendi, & pronunciandi ratio, quæ non potiùs Metropolitico iuri, quàm Exarchico conſulit, ſed generatim in omnibus prouinciis, ſiue pluribus collectis, quæ vnam Diœceſim complent (cuiuſmodi erant Ponticæ, & Aſianæ Diœceſeos prouinciæ, ex quibus ſuprà Ponticam Diœceſim Nicæno Concilio anteriorem eſſe demonſtrauimus) ſiue ſingulis ſeorſim ſpectatis, priuilegia Eccleſiarum quæ in vſu fuerant, ſeruanda Concilium Nicænum præcepiſſe dicendum eſt: ac proinde tam Primatum, quàm Metropolitanorum ex citato Canone Nicæno iura inuiolata, & illibata decerni concludendum eſt.

Ea verò quæ hoc Canone contractiùs ſanxit Nicænum Coneilinm, fuſiùs ſcripſiſſe, & tunc temporis explicuiſſe probabile eſt: nam & Canones Arabici eiuſdem Concilij ab Alphonſo Piſano, & Franciſco Turriano in lucem editi, qui breui in lucem emitti promittuntur, libello *de Concilij Nicæni Canonibus, auctore Abrahamo Echellenſi*, fuſius nobis Antiochenæ Diœceſeos amplitudinem & poteſtatem exponunt; & Nicæni Concilij interpres optima diſciplina poſteriorum temporum, quæ Antiochenum Præſulem in Orientis pluribus prouinciis pro Primate ſe geſſiſſe, & ab iis agnitum fuiſſe demonſtrat.

Alterum, quod nobis obiicitur, Palæſtinam non fuiſſe ſubditam Antiocheno Patriarchæ, falſum eſt, & Hieronymi auctoritati epiſt. 60. *ad Pammachium*, cap. 5. apertè contrarium; nam Ioannem Hieroſolymitanum reprehendens quòd de hæreſi ſuſpectus, & accuſatus in Oriente apud Theophilum Alexandrinum ſe purgaret. *Tu*, inquit, *qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilij Canonibus vteris, & alienos Clericos, & cum ſuis Epiſcopis commorantes tibi niteris vſurpare: reſponde mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? ni fallor, hoc ibi decernitur, vt Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia: aut igitur ad Cæſarienſem Epiſcopum referre debueras: cui ſpretâ communione tuâ communicare nos noueras: aut ſi procul expetendum iudicium erat, Antiochiam potiùs literæ dirigendæ.*

Duos igitur ſupra Palæſtinam vniuerſam, & Palæſtinos ſingulos Epiſcopos Hieronymus etiam ex definitione Concilij Nicæni Eccleſiaſticos Præſules ibi ſtatuit, ad quos cauſæ in Palæſtina ortæ, & cum Epiſcopis controuerſæ deferri deberent; Cæſarea totius Paleſtinæ Metropolis, & Antiochia totius Orientis primaria ciuitas, quæ ideò latæ ſumpto nomine μητροπόλεως dici poſſet Palæſtinæ Metropolis, quamuis ſtrictè ſumpto non poſſit, prout ſcilicet μητρόπολις dicitur, quæ vni tantùm prouinciæ non Diœceſi ſuperponitur, quo ſenſu Cæſarea Metropolis erat Palæſtinæ; ſed alio ſenſn Antiochia Metropolis totius Orientis Diœceſis, in qua Palæſtina continebatur, quæ duo ſicut in politica gubernatione ſibi non repugnant, ita nec in Eccleſiaſtica.

Tertium quoq; quod nobis opponitur, falſum eſt, nimirùm Metropoleωn tantùm Concilium Nicænum mentionem feciſſe; niſi Metropolim ſumas pro primaria ciuitate tam Diœceſeos, quàm prouinciæ vnius: falſum eſt Diœceſes nullas tempore Concilij Nicæni agnitas fuiſſe, nam & Ponticam ſuprà anteriorem Concilio Nicæno, &

Digitized by Google

no, & Alexandrinam iamiam anteriorem apertè oſtendimus, & fuſiùs forte id alio loco demonſtrabimus. Ex iſta autem refutatione confirmatur præcedens noſtra aſſertio, nimirum ſedium Patriarchalium erectionem Conc. Nicæno priorem fuiſſe, & Apoſtolicę inſtitutionis. Priorem fuiſſe Conc. Nicæno manifeſte oſtenditur: nam Alexandrini præſulis in Ægyptum, Libyam & Pentapolim pòteſtatem exarchicã antiqui moris eſſe præfatur. Idem Concil. Epiſcopo Romano idem priuilegium conſuetum eſſe aſſerit, ſimiliter & Antiocheni; nihil ergo de nouo Conc. Nicænum ſtatuit, ſed antiquum morem confirmat, antiquam verò & peruetuſtam fuiſſe neceſſum eſt eam diſciplinam, quam ipſa Synodus Nicæna vetuſtam fuiſſe agnoſcit. Accedere eam oportet ad Apoſtolica tempora conſuetudinem quæ tempore Nicæni pro antiqua habebatur; imò & Apoſtolicam eam fuiſſe neceſſum eſt, quæ à tota Eccleſia recepta, nec in Conciliis poſterioribus inſtituta, nonniſi ab ipſis tradita & commendata, ſicut & plura, alia, rectiſſimè creditur, ſecundùm regulam Aug. lib. 2. de Baptiſmo cap. 7. lib. 4. cap 24. & lib. 5. cap. 23. & alibi. Quomodo enim totus orbis in hanc ſententiam tam faciè deſcendiſſet, vt has præſertim ſedes venerandas ſibi crederet, quomodo inferiorum ſedium Epiſcopi, nemine reclamante, tam facile ad obediendum conſueuiſſent, præſertim nullâ principis temporalis iuſſione vrgente, nullo Concil. vniuerſalis decreto pręcipiente, nullâ ſummi cuiuſquam Pontificis Sanctione prolata impellente. Certè tumultus in Eccleſia fuiſſe ex lectione diſcimus, cùm ſibi in Palæſtinam Iuuenalis Hieroſolymitanus, in diœceſim Thracicam, Aſianam & Ponticam, Conſtantinopolitanus nouam vendicare voluerunt auctoritatem; ſchiſma quoque Meletianorum exortum eſt cùm Meletius Alexandrino præſuli poteſtatem ordinandorum Epiſcoporum præripere auſus eſt: & credimus, nullo renitente in tam vaſtis diœceſibus Alexandrinum, & Anthiochenum Patriarcham ſola vſurpatione potuiſſe ſibi poteſtatem acquirere?

ARTICVLVS IV.

De addito de nouo Patriarcha Conſtantinopolitano.

§. I.

Occaſio Patriarchatus Conſtantinopolitani erigendi.

QVo pacto vero Hieroſolymorum & Conſtantinopolis antiſtites, tribus prædictis antiquis Patriarchis adiuncti fuerint, explicandum eſt.

A Conſtantinopolitano aggrediar, cuius dignitatis occaſionem dedit, quod Romana colonia, eſſet deductis in vrbem Bizantium ex vrbe Roma non ſolum ex infima plebe, ſed ex primoribus ciuitatis Romanæ; quod iura & priuilegia omnia vrbis Romæ in eam collata ſint, quòd nouæ Romæ nomen ſortita ſit, quod ſedes Imperii delecta fuerit. Coloniam eam Romanam vocat Plato orat. 1. de rebus Peloponeſiacis, ſed Coloniam ex Italica Roma illuſtrem, τ̃ λαμπρὰν ἀπὸ τ̃ ἐν Ἰταλίᾳ Ῥώμης ἀποικίαν. Rem fuſiùs explicat Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini cap. 47. & 48. Zoſimus lib. 2. Sozomen. lib. 2. cap. 2. & alii, notaruntque poſteriores duo à nobis laudati, antiquæ Romę Senatores Imperatorem ab vrbe Roma ſecutos & Conſtãtinopolim profectos fuiſſe, & Senatoribus eiuſdem vrbis eoſdem honores attributos qui veteris Romæ forent. Ideoque Libanius oratione *de Seditione* Conſtantinum Magnum ait Senatui Romano Senatum nouæ Romæ oppoſuiſſe, τὸν τ᾽ ἀντιθέντα τῇ Ῥωμαίων Βελῇ τὴν νέαν. Vide & legem lib. I. codice *de priuilegiis vrbis Conſtantinopolitanæ*, & Claudianũ *de bello Gildoniano*. Sed & leges ſanxiſſe Conſtantinum, vt Conſtantinopolis noua Roma diceretur, teſtatur Socrates lib. 1. cap. 22. paſſim itaque hoc nomine appellarnt tum in Conciliis, tum apud auctores prophanos. Ad hanc nuncupationem alludit Sophoclis interpres in Electa, τὸ παλαιὸν ἐνίοτε μὲν πρὸς ἕτερον λέγεται νέον, ὡς παλαιὰ Ῥώμη λέγεται πρὸς τὴν νέαν, *Vetus quandoque alterius ratione dicitur, vt vetus Roma ratione noua.* Eandem nuncupationem ad laudem, & commendationem Conſtantinopolis, trahit Cyrus Monachus.

Sed hæc miſſa facimus, notamuſque duntaxat ob hanc nouæ Romæ, cum veteri priuilegiorum participationem, *ciuitatem Romano Imperio ſociam* dici ab Auguſtino libro quinto de ciuitate, capite vigeſimo primo: & veterem cum noua συμβασιλεύειν dixiſſe

Themiſtium oratione 4. Quare cum audis eam *totius orbis Metropolim* ὅλου τοῦ κόσμου μητρόπολιν dici à Chryſ. hom 4. in verba Iſaiæ; *Vidi Dominũ*, *primam ciuitatum* vocari à Monachis Orientalibus epiſt. *ad Agapetum*: πρωτόπολιν à Manaſſe in Chronico, & ab aliis ſimilibus elogiis exornari, nihil eorum eo ſenſu interpretari conuenit, quaſi adempta veteris Romæ dignitas in nouam tranſierit, ſolumque nomen antiquæ Romæ remanſerit, ſed è contra communicata veteris Romæ dignitas ei toti Imperio Romano fuerit. *Fortunata ſatis Roma partita triumphos*, vt canit Sidonius Panegyrico 2. ſine quod in partitione Imperii, vt Conſtãtinopolis Orienti præfuerit, ſicut Roma Occidenti: ob quam ſcilicet cauſam Nazianz. orat. de laudib. Baſil. *ciuitatem Orienti præſidẽtem* eam indigetat. Et ſane de auctoritate cũ veteri Româ Conſtantinopolis contendebat, quæ ſaltem aliqua ratione inferiorẽ ſe debebat agnoſcere. De vrbis pulchritudine nihil dico, qua Suidas ipſe veterem Romam nouæ præcelluiſſe fatetur. De dignitate, quæ ex principatu politico ipſi accedebat diſputo, veteremq; dico primam ordine fuiſſe, cui tamen noua vel ſubeſſe, vel cedere dedignaretur, quod indicat Nazianz. orat. 23. qua Conſtantinop. his verbis alloquitur ὑμεῖς ἡ μεγάλη πόλις, οἱ πρῶτοι μετὰ τὴν πρώτην εὐθέως ἢ μηδὲ τοῦτο παραχωροῦντες, *vos magnæ vrbis ciues qui ſtatim poſt primam eſtis, aut ne id quidem conceditis*. Certè nouæ vel eo titulo veteri Romæ cedere debuit, quod hæc mater, illa filia, teſtibus Auguſt. citato, Manaſſe in politicis, Conſtante Heraclii nepote apud Zonaram, qui etiã dixit conſentaneè rei de qua agitur *plus honoris deberi matribus quã filiabus*: quod hæc illius Metropolis, quod vt ait Themiſtius orat. 6. illa colonia ſit, vt probauimus: ac notũ illud Thucydidis ἀποικία πάσχουσα τιμᾷ τὴν εὖ μητρόπολιν *colonia beneficiis affecta Metropolim colit*. Hæc Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ciuilis dignitas quæ gradus fuit ad Eccleſiaſticam dignitatẽ fauentibus regię vrbis exaltationi principibus, & opportunitate ciuitatis, ac ſplendore non ſolum ab ædificiorum magnitudine, verum etiam à doctorum virorum in hanc vrbem concurſu petito inuitantibus, hæc inquam dignitas politica gradus fuit ad exaltationem Eccleſiaſticam, quam conſecutus eſt Conſtantinopolitanus Patriarcha, vt cum Heracleenſis Metropolis ſuffraganeus eſſet, vt teſtatur Gelaſius epiſt. 6. ad Epiſcopos Dardaniæ ante medium, & Theodorus Balſamon ad canonem 3. Conc. Conſtantinopolitani primi, Codinus *de officiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ*, cap. 20. Glycas Annal. parte 3. non longè à principio, Nicephorus Gregoras lib. 6. cap. 1. qui omnes Græci eius rei iudicium proferunt, quod ab Heracleenſi antiſtite ſoleret Conſtantinopolitanus ideo ordinari etiam ſuis temporibus: cùm ergo eſſet ſuffraganeus primum Metropolita, vt poſtea dicemus deinde Patriarcha factus & auctoritatem, ſupra varias diœceſes Thracicam, Aſiaticam, Ponticam, conſecutus fuit.

§. II.

Diſcutiuntur rationes quibus probatur origo Metropoliticæ dignitatis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſtatim ab eo tempore fuiſſe quo regia ciuitas Conſtantinopolis facta eſt.

QVANDONAM autem Eccleſia Conſtantinopolitana Metropolitana eſſe cœperit non adeo euidens eſt. Quidã ſtatim ſub Conſtantini Magni Principatu, alii à Conſtantinopolitano Concilio factam fuiſſe Eccleſiaſticam Metropolim dicunt. Quod ſtatim atque regia ciuitas facta fuerit Ecceleſia Conſtantioopolitana quæ Heracleenſi ſubdita erat in Metropolitanã erecta ſit, probatur 1. quia hoc iure potitum fuiſſe Metrophanem qui tunc temporis Eccleſiæ Biſantinæ præerat, aſſerit Balſamon in meditato, ſeu reſponſo de Patriarcharum priuilegiis; 2. probatur, ex ordinationibus Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum. Nam ſi Conſtantinopolitanus poſt Conſtantinum Magnum Heracleenſis Metropolitani ſuffraganeus fuiſſet, non ab aliis eius ordinatio attentata fuiſſet, ſed Heracleenſi ipſius Metropolitano relicta; neq; ex priuilegio ad Heracleenſem Epiſcopum ordinatio ipſius pertinere dicta fuiſſet. At vtrumq; ſtatim ab vrbe Conſtantinopoli condita compertum eſt in vſu fuiſſe, vt & alii maiorum ſedium Epiſcopi ipſius ordinationem ambirent, & nonniſi ex priuilegio Heracleenſis eius olim Metropolitanis ius ordinationis retineret.

Primùm, conſtat ex Socrate qui lib. 4. cap. 13. Euagrium ab Orthodoxis electum ab Euſtathio Antiocheno ordinatum ſcribit, ex Greg. Nazianzeno qui carmine de vita ſua & Maximum Cynicum à Petro Alexandrino ordinatũ, & ſe à Meletio & aliis Epiſ-

copis Orientalibus vocatis à Theodoſio in thronum deductum teſtatur: ad quid autem opus erat Concilio Epiſcoporum, vt Gregorius in ſede Conſtantinopolitana collocaretur? niſi quia tunc temporis Heracleenſis Epiſcopus erat hæreticus, cuius ideo in Synodo Conſtantinopolitana nulla mentio: indicium ergo eſt ſub Heracleenſi tunc temporis fuiſſe Conſtantinopolim.

Alterum liquet ex teſtimonio Philoſtorgii lib. 19. cap. 10. qui Demophilum notans à Theodoro Heracleæ Epiſcopo ordinatum fuiſſe, rationem addit, quod haberet ille, ſeu ius, ſeu priuilegium (*τὸ προνόμιον*) huius Sacerdotalis officii, quem interpretatur Sozomen. lib. 3. cap. 3. non quidem ius habuiſſe Heracleenſem antiſtitem ordinãdi Conſtantinopolitanum tanquam eius Metropolitanum, ſed tanquam finitimum, quod ius etiam Nicomedienſi competere dixit, *οἷς ὡς γείτοσιν ἡ χειροτονία διέφερε; quibus tanquam finitimis ordinatio competebat*; Atque adeo refert Pauli electionem, qui Alexandro ſucceſſori Metrophanis, & in Concilio Niceno ſpectatiſſimo præſuli ſuffectus eſt à Catholicis, electionem ab Arrianis Macedonianis in dubium reuocatam, quod præter ſententiam Euſebii Epiſcopi Nicomediæ & Theodori Heracleæ vrbis Thraciæ Epiſcopi facta fuiſſet. Ex quo teſtimonio inſuper deducitur tempore Pauli Conſtantinopolitani Heracleenſem antiſtitem vt vicinum Metropolitanum Conſtantinopoli non tanquam eiuſdem Metropolitanum proferri, & non aliud ius in ordinatione antiſtitis illius vrbis tribui, quàm Nicomedienſi, qui alterius vrbis & Diœceſis erat.

Synodos verò plurimas ab Epiſcopis Conſtantinopolitanis habitas paſſim legimus quas Epiſcopi qui Metropolitica poteſtate aucti non fuiſſent habere non potuerũt. Nullis ipſos prouincialibus Synodis, in quibus Heracleenſis Metropolitanus præſideret interfuiſſe legimus. Vnde ſignũ eſt illos ſub Heracleenſi Metropolita ab eo tempore quo regiæ ciuitatis antiſtites effecti ſunt, minimè conſtitutos fuiſſe.

Adde quod in conteſtatione Alexandri Conſtantinopolitani cum Arrio, vt reciperetur in Eccleſiæ communione, vel ab ea eiiceretur, quam deſcribit Athanaſius oratione prima aduerſus Arrianos, & epiſt. ad Serapionem, nullã Heracleenſis Metropolitani pro Catholicorum partibus, aut Arrianis partibus mentionem factam legamus: ſed Euſebii Nicomedienſis Bithinicæ Metropolitani vicini Conſtãtinopolitanæ ciuitati: at in controuerſia tanti momenti pro Catholicis, vel contra Catholicos videtur Metropolitanus fuiſſe aduocandus, ſi alicui Metropolitano Conſtantinopolitanus tunc tẽpore obnoxius fuiſset. Qui tamen nonniſi poſt Conc. Conſtantinopolitanũ Metropolim Eccleſiaſticã factam fuiſſe Conſtantinopolim defendunt, primo auctoritatem Balſamonis negant recentiores auctores, eã eſſe debere vt eius vnico teſtimonio nullis certis coniecturis fundato credatur. Secundò confuſo Eccleſiæ ſtatu per Arrianos dicunt fieri potuiſſe, vt à maioribus ſedibus Epiſcopi Conſtãtinopolitani crearentur; Paulum ab Euſtathio Antiocheno ordinatum grauiter tuliſſe Imperatorem Conſtantium, ipſoſq; hac prætextu Arrianos illum depoſuiſse: Maximum à Petro Alexandrino ordinatum reprehendiſse Conſtantinopolitani Concilii Patres tanquam contra canones peractum, atque adeo vetuiſſe, ne extra Diœceſim propriam Epiſcoporum quiſquã diſcurreret, & Thracicos Epiſcopos, à Thracicis Ponticos à Ponticis, Aſianos ab Aſianis ſtatuiſſe ordinandos.

Cæterum Greg. Nazianz. in Conſtantinopolitana Synodo in eadem ſede firmatum, quod, ſicut ſedes Conſtantinopolitana eo tempore quo Conſtantinopolim ipſe venerat, nullum habebat Epiſcopum Catholicæ cõmunionis, ideoque ad eam laborantem ab Epiſcopis aliarum prouinciarum miſſus eſt, vt tum ipſe teſtatur carmine *de vita ſuâ*, tum Ruffin. lib. 2. cap. 9. ita ob eãdem rationem quod in tota prouincia nulli eſſent Catholicæ cõmunionis Epiſcopi (nam & nullij Synodo Conſtantinopolitanæ ſubſcripſiſſe reperiuntur, ſiue ex Thracia, ſiue ex Europa prouincia) Theodoſio Imperatori placuiſſe Synodum conuocari, ad eum in throno Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ conſtituendum. Ex iis proinde exemplis contra regulam factis nihil inferri poſſe reſpondent, quia & neceſſitati nulla lex imponitur, & qui in vno regulam tranſgreſſus eſt in pluribus eãdem violare potuit. Philoſtorgium addere poſſunt notare tempore Valentis *τὸ προνόμιον*, ius & prærogatiuam fuiſſe Heracleenſis antiſtitis vt crearet Conſtantinopolitanũ, ius autem iſtud ſuo tempore, id eſt, poſt Synodũ Conſtantinopolitanam, non amplius viguiſſe videri potius inſinuare iis verbis, *ἐδόκει γὰρ τὸ προνόμιον οὗτος ἔχειν τῆς τοιαύτης ἱερουργικῆς ἐπιγνώμας: videbatur enim ius iſtud is* (Heracleenſis) *habere huiuſce Sacerdotalis officii.*

Cur autem iſta mutatio contigiſſet, niſi quia erecta in Metropolim Conſtantinopoli, ſi Heracleenſis iſtam prærogatiuam retinuit, vt variis occaſionibus, retinuiſſe videtur, non adeo ſtricto iure retinuit, quin ſæpe negligeretur, quia ſis iugo libera ſui iuris eſſe cœpit; atque adeo quamuis honoris cauſa id daretur Heracleenſi, nempe ab Heracleencleenſi, ſub cuius poteſtate olim fuerat, tamen & alios accerſere poterat ad ordinationem ſui antiſtitis. Sozomenus ita Heracleenſem vicinum Epiſcopum Conſtantinopolitano ſtatuit, vt non neget Metropolitanum, adiungitque ei Nicomedienſem, ex alia Diœceſi puta Aſiana conſiſtentem qui ideo ſecundum canones non videtur neceſſario ad Conſtãtinopolitani antiſtitis ordinationem vocarus. Quod ad Synodos ſpectat, nullas fere ab erectione Conſtantinopolis, vſque ad Synodũ Oecumenicam Conſtantinopolitanam, leges, niſi ab Impeatorribus collectas ex Epiſcopis diuerſarum prouinciarum, quibus quis præeſſet vix nobis conſtat, in iiſq; vt plurimum aduerſus Antiſtites ipſos Conſtantinopolitanos, vt aduerſus Paulum, & Euagrium orthodoxos, Macedonium & Demophilum hæreticos. Alia ratio quæ ſubiungitur nullius eſt momenti quia cum in eo tumultu qui excitatũs eſt ab Euſebio Nicomedienſi in fauorem Arrii vi omnia gererentur, & plurimæ rationes occurrere potuerint, cur huic non ſe immiſceret Heracleenſis antiſtes, non poteſt ex eius aut abſentia aut ſilentio quidquam in eius præindicium colligi.

§. III.

Diſcutiuntur rationes quibus decreto Concilij Conſtantinopolitani primi origo Metropoliticæ dignitatis Conſtantinopoleos adſcribitur.

NITVNTVR autem iis rationibus qui contrariam ſententiam defendunt, puta quod non niſi poſt Synodum Conſtantinopolitanam primam cœperint illius ſedis Epiſcopi eſſe Metropolitani. Prima, quia Gregor. Nazianz. orat. *de Epiſcopis* habita in Synodo Conſtantinopolitana videtur Eccleſiam Conſtantinopolitanam negare *principem Eccleſiam, principem locum*; id autem licet exarchicam dignitatem ei minime tunc temporis conueniſſe oſtendit, poſſet etiam de Metropolitica intelligi.

Altera quia in epiſtola Synodica Concilii Conſtantinopolitani, Conc. apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. cùm Flauianus ab Epiſcopis Diœceſeos, & prouinciæ referatur ordinatus, Nectarius nonniſi ſuffragiis omnium clericorum ac totius ciuitatis approbatione electus dicitur, cum tamen ſolerent Metropolitani ab omnibus prouinciæ Epiſcopis etiam eligi. Sed hæc ratio minimè probat, quia nimis probat: probaret etiam inter cæteras prouinciales Eccleſias alicuius prouinciæ Cõſtantinopolitanam non fuiſſe numeratam: nam ſicut Metropolitani ab omnibus prouinciæ Epiſcopis, ita Suffraganei à Metropolitanis & comprouincialibus eligebantur. Itaque quia præſente Concil. electus fuit Nectarius à quo ipſius approbata eſt nominatio, Epiſcoporum mentionem nullam factam fuiſſe probabile eſt, maximè ſi verum eſt, quod ſupra coniecimus, totius illius prouinciæ Epiſcopos hæreſi infectos fuiſse.

Tertia, quia Socrates lib. 5. cap. 8. ſcripſit ex decreto Conc. Conſtantinopolitani Nectario τὴν Θρᾴκην forte obtigiſse. Ac vox iſta potiùs Thraciam, quæ prouincia eſt, τῆς διοικήσεως Θρᾳκικῆς, videtur ſignificare. Igitur auctoritate Socratis conficitur Thraciam fuiſse tunc primum Conſtantinopolitano Epiſcopo aſſignatam pro prouincia Eccleſiaſtica quam Metropolitico iure gubernaret: atque adeo non videtur ante iſtud decretum pro Metropolitano agnitus fuiſse. Sed iſta probatio omniũ videtur eſse maximè friuola, tum quod ἡ Θρᾴκη, ſeu Θρᾳκία, pro Thraciæ prouincia apud auctores cõmunius vſurpatur, ἡ Θρᾴκη pro Diœceſi; tum quod apud Socratem pro Diœceſi videatur manifeſte intelligenda: ita refert Socrates Diœceſes in Conſtãtinopolitano Concil. fuiſſe diſtributas: mox ſubdit τὴν Θρᾴκην Nectario obtigiſse: quis ergo non videt de Thracica Diœceſi ſermonem eſse qui Nectario obtigerit? tum quia & ex ipſæ Diœceſes quæ à Socrate dicuntur à Conc. Conſtantinopolitano aſſignatæ, antea non tunc primum aſſignatæ ſunt, quaſi antea in eorum poteſtate non eſsent, quibus à Concilio non deſtinantur: nam Ægypti Diœceſim Timotheo Alexandriæ Epiſcopo tributam fuiſſe, Ponti Diœceſis Patriarchatum Helladio Cæſareæ Cappadociæ antiſtiti obtigiſse ait, cum tamen certum ſit vtramque iſtarum Diœceſeon antea Synodum Conſtantinopolitanam in poſſeſſione fuiſse.

§. IV.

Iudicium de origine Metropolitanæ dignitatis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, & diuiſione prouinciæ ſubditæ in duas, quarum vnam regeret Conſtantinopolitanus, alteram Heracleenſis.

INCERTVM ergo eſt, quantum ego aſſequi poſſum, num Conſtantinopolitanus Epiſcopus ante Synodum Conſtantinopolitanam Metropolitanus fuerit alicuius prouinciæ Eccleſiaſticæ.

Probabilius mihi videtur Metropolitanum illum fuiſſe iam fere ab initio mutationis Bizantii in Conſtantinopolim & regiam ciuitatem. Quòd ſaltem à Synodo Conſtantinopolitana, illius ſedis Epiſcopus Metropolitanus fuerit, ex iis quæ pro eius exarchica poteſtate proferentur manifeſtè patebit. Nam Epiſcopum ſubditum Heracleenſi Metropolitano ea auſum etiam in Heracleenſem Antiſtitem, & in eius diœceſim, quæ infra referemus; Synodoſque celebraſſe, & ordinationes tam latè perfeciſſe quis credat?

Id verò accuratius diſcutiendum eſt vtrum poſt, collatam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Metropoliticam dignitatem Heracleenſi ſuus honor manſerit ſuaque dignitas ſaltem Metropolitica Manſiſſe verò penes Heracleenſem hunc honorem probatur 1. quòd in Conciliis inter primos Metropolitanos ſubſcribat & nominetur. Concilio quidem Chalcedonenſi per procuratorem ſuum Lucianum, Conciliis 5. & 6. per ſeipſum inter primos Metropolitanos ſubſcribit, inter primos in ordine Epiſcoporum refertur. 2. quòd expreſſe nominetur Metropolitanus: nam in Concil. Chalcedonenſi actione 6. Lucianus Epiſcopus Byziæ inſcribit ſe *vicem agentem Cyriaci Metropolitani*, & actione 16. inter ſubſcriptiones Epiſcoporum primarum ſedium habetur iſta, *Cyriacus Epiſcopus Heracleæ Metropolis, per Lucianum Epiſcopum Byziæ definiens ſubſcripſi.* Sic etiam in epiſtola encyclica Gennadii, *Ioannes Epiſcopus Metropolis Heracleæ*, ſubſcriptus reperitur, 3. Quia Metropoliticæ ſaltem auctoritatis Heracleenſis Antiſtitis indicium eſt, & ſubiectionis Epiſcopi iſtius Byziæ, quod vicem agere voluerit Cyriaci Heracleenſis, non enim Epiſcopus niſi ſui Metropolitani aut primatis vicem egiſſe legitur. Quartò, quod Synodo ad Quercum in ſuburbio Conſtantinopolis aduerſus Chryſoſtomum habitæ, apud Photium codice quinquageſimo nono. *Ad quam incentores ſeu prouocatores cæterorum acceſſerunt*, (ſic enim verba iſta vertidebent, ἐν ᾗ ὑπῆρχον κατάρχοντες) Theophilus Alexandrinus, Acacius Berrhœæ, Antiochus Ptolemaïdis, Seuerinus Gabalorum, & Cyrinus Chalcedonis Epiſcopi, aderantq; plurimi Metropolitani; primum locum tanquam Metropolitano vicinitor, cui olim ſubiecta fuerat Conſtantinopolis, vel cui adhuc ſubiectum eſſe prætendebat, Theophilus Alexandrinus Patriarcha ceſſerit, & Synodo præfuiſſe Heracleenſis Antiſtes expreſsè obſeruetur, καὶ πρῶτος τῆς συνόδου Παῦλος ὁ Ἡρακλείας ἠξίωσεν ἅπαντας ἀποφήνασθαι, καὶ ἀπεφήναντο τὴν τοῦ ἁγίου, ὡς ἔδοξεν ἑαυτοῖς καθαίρεσιν, ἀρξαμένου Γυμνασίου ἐπισκόπου καὶ πληρώσαντος Θεοφίλου τοῦ Ἀλεξανδρείας. *Itaq; Synodi præſes Paulus Heracleæ Epiſcopus, omnes ſententiam dicere voluit, ſtatutumq; vt ipſis viſum, beatum virum ſede pellendum, incipiente Gymnaſio Epiſcopo, & finiente Theophilo Alexandrino.* Quintò, quòd non tantum Heracleæ Epiſcopus Metropolitanus dictus ſit, ſed cuius prouinciæ Metropolitanus fuit, in Conciliis legatur; nam in Concilio ſub Agapeto & Menna, Actionibus 1. 2. & 4. *Conſtantinus Heracleanus Metropolitanus Europæ* nominatur, eoque cum elogio ſubſcribit actione 4. eiuſdem Concil. ſed expreſſius illud eſt, quod inter epiſtolas varias quæ leguntur poſt Concil. Chalcedon. parte ſcilicet 3. cap. 27. legatur epiſt. Synodica Epiſcoporum Europæ cuius inſcriptio, hæc eſt, *Protectori Pio, Auguſto Leoni, Ioannes, Reuerendiſſimus Heracleæ, Theophronius Epiſcopus Aphrodiſiadis, Theotecnus Epiſcopus Cyclenſis, & Babulas Epiſcopus nouæ Theodoſiopoleos Europæ veſtræ.* Quæ inſcriptio oſtendit in Concilio Epiſcoporum prouinciæ Europæ, quæ vna eſt ex prouinciis diœceſis Thracicæ, præſediſſe Epiſcopum Heracleæ, eoſque qui cum eo ſubſcribunt, fuiſſe ipſius Suffraganeos; quibus adiungendum crederem Lucianum Byzenſem, eum ſcilicet qui vices agebat Heracleenſis Epiſcopi in Concilio Chalcedon. niſi

ipſe cap. 38. tertiæ partis einſdem Concilii ſe Metropolitannm inſcripſiſſet epiſtola ad Leonem Imperatorem. Præterea in Notitia Leonis Sapientie numerantur ſeptemdecim ſedes Epiſcopales ſub Metropolitano Heracleenſi: nunc vero quinque tantum ei ſubditas ſupereſſe notat Martinus Cruſius lib. 4. Turco Grçciæ annotatione ad epiſt. 8. Hieremiæ Patriarcbæ.

Cum ergo Europæ prouincia ante Conſtantinnm non ſolùm eſſet Diœceſis Tbracicæ, verùm etiam prouinciæ, ob quam rationem à Sozomeno libro 3. capite 3. *Heraclea Thraciæ* vocatur, & in quinta Synodo paſſim *Heracleæ Thraciæ Megetius* nuncupatur, ſicque ipſe ſubſcriptus reperitur collatione octauâ; ſi quæ prouincia videtur Conſtantinopolitano Epiſcopo aſſignata, eam oon fuiſſe Europam, in qua Conſtantinopolis ſita eſt, quæ nempe manebat ſub Metropolitica Heracleenſis Antiſtitis poteſtate, ſed Thracicæ prouinciæ aliquam partem, quandoquidem ex epiſtola Synodica proninciæ Thraciæ tertia parte Concilii Chalcedonenſis cap. 29. & Notitia Leonis Sapientis conſtet Philippopolim prouinciæ Thraciæ Metropolim fuiſſe.

Chalcedonenſis vero Concilii Patres canone 28. qua parte barbaricarum Eccleſiarum Epiſcopos, quos Conſtantinopolitanum canone 2. ſecnndùm Patrum morem ordinari debitè ſtatuerat, ab Epiſcopo Conſtaotinopolitano ordinari decreuerunt, ius Metropoliticum Conſtantioopolitaoi Epiſcopi videntur ad eas prouincias extendere voluiſſe: niſi forte adinſtar Eccleſiæ Romanæ, ad quam intra fines ſuæ exarchiæ Epiſcopi aliquarum prouiociarum licet ſuos Metropolitanos haberent, pro recipienda ordinatione accedere cooſueuerant (vt à nobis probatum eſt libro *de ſacris ordinationibus & electionibus* parte 2. vbi de miniſtro ordinationis legitimo à nobis diſputatum fuit.) Similiter Conſtantinopolitanus prætenderit ſibi tanquam Primati licuiſſe aliquarum prouinciarum, puta barbaricarum Epiſcopos quamuis propriis Metropolitanis ſubiectos Conſtantioopolim accerſere, ibidemque illos ordinare. Theodorus quidem Balſamon in cap. 2. Conſtantinopolitani Concilii, 28. Chalcedonenſis, & 6. Sardicenſi, Barbaricarum prouinciarum Epiſcopos, quoad ordinationem Conſtantinopolitano ſubiectos air, qnod propriis Metropolitanis carerent, ſed tempore Leonis Sapientis eos Metropolitanis ſubditos fuiſſe, conſtat ex eiuſdem Notitia. Adde etiam poſterioribns temporibus Heraclecnſem antiſtitem manſiſſe Metropolitanum, vt ex Notitiis Leonis, & Androoici Senioris, ſententiis Synodicis Ioannis Xiphilini duabus lib. 3. iuris Græco Romani, aliiſque innoteſcit.

Cæterùm dum attentius apnd me reuoluo, nullum apud probatos auctores, nullum in Notitiis Leonis Sapientis, aut Andronici Imperatoris, aut ea quæ apud Codinum refertur, Suffraganeum Epiſcopum Conſtaotinopolitanæ Eccleſiæ legi: ſpeciatim verò dum Epiſcopos omnes Conſtantinopolitano throno ſubditos, aut Metropolitanos, aut ſub Metropolitanis, aut Arcbiepiſcopos (qui præſunt vrbibus non quidem intra prouinciam Conſtantinopolitanam, ſed intra limites & fines diuerſarum prouinciarum, quamuis ab eorum Metropolitaoorum poteſtate exemptis) dictos lego: Subit animnm meum hæc cogitatio, num forte Metropolitica dignitas ei collata fuerit olim, abſque aſſignatione certarum ſedium eidem ſubditarum. Si enim habuit aliquando, cùm primum Metropolita creatus eſt, certos ſnffraganeos, qnomodo ab ipſius poteſtate, poſtea ſubſtracti ſunt, & ad Heracleenſem Metropolitam redierunt, ant ſub alterius Metropolitani ſacro principatu conſtituti fuerunt? Hancque meam coniecturam firmant Heracleenſis tanquam Metropolitani auctoritas agnita in ipſis ſuburbiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in Synodo ad Quercum, apud Photium ſupra: verba Gregor. Nazianz. quæ Principem Eccleſiam fuiſſe eius tempore Eccleſiam Conſtantinopolitanam innuere videbantur; verba Patrum Concilii Conſtantinopolitani, apud Theodoretum ſupra, quibus electionem Nectarii in Epiſcopum Conſtantinopolitanum, cleri duntaxat Conſtantinopolitani, & ciuium ſuffragiis ac votis factam referunt nullam Epiſcoporum prouinciæ mentionem facientes, quorum in electione Flauiani Epiſcopi Antiocheni memioerunt.

Altum de Synodis prouiocialibus à Conſtantinopolitano Antiſte habitis vbique ſilentinm; nam ſi quæ Syoodi ab eo habitæ referuntur, à conuocatis Metropolitanis vt plurimum celebratæ leguntur, quibus, ſi qui Epiſcopi adfuerint, non ex finitimis duntaxat Eccleſiis Conſtantinopolitanæ vocati iſti fuerunt, ſed ex diuerſis prouinciis.

Digitized by Google

Denique forma eligendi Patriarchæ Conſtantinopolitani, quæ ab initio ad hodierna vſque tempora, non ab Epiſcopis certæ prouinciæ, ſed vel à clero duntaxat Conſtantinopolitano, vel à Metropolitanis vicinis legitur celebrata. Quæ omnia Epiſcopum Conſtantinopolis, iuribus & priuilegiis Metropolitanorum gauiſum fuiſſe perſuadent: nunquam tamen certæ prouinciæ Metropolitanum, cum aſſignatione certorum Suffraganeorum fuiſſe: hæc vtique probabiliora ſunt, quam quæ de partitione prouinciæ Heracleenſi Metropolitano ſubditæ, & vna parte ſedium aſſignata Conſtantinopolitano, altera vero Heracleenſi relicta cogitari poſſunt. Atque hactenus de Metropolitica dignitate Patriarchica Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, iam ad exarchicam, ſeu Patriarchicam diſcutiendam redeundum eſt.

§. V.

Canone tertio Concilij Conſtantinopolitani Epiſcopum Conſtantinopoleos, exarchicâ, ſeu Patriarchica dignitate auctum fuiſſe.

PRIMA exarchicæ, ſeu Patriarchicæ dignitatis, qua poſtea perfruitus eſt Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ antiſtes, ieciſſe videtur Concilium Conſtantinopolitanum canone 3. aliàs 5. qui Concilio 2. Oecumenico in iſta vrbe regia habito tribui ſolet, cuius hæc verba referuntur, τὸν μὲν τοι Κωνςαντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην. *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habeat priores honoris partes poſt Romanum Epiſcopum, eo quod ipſa ſit noua Roma.*

Canonem iſtum contendit Baronius, vel ſuppoſititium eſſe, vel certe addititium, ab iis ſcilicet conditum qui poſt diſceſſum Theophili Alexandrini atque Ægyptiorum Conſtantinopoli remanſiſſent, & Imperatori atque Nectario denouo ab iis electo gratificari vellent: cui quidem in hac parte lubens aſſentior, nam ſuppoſititium aut confictum fuiſſe mihi non facile perſuadeo: primò, quia hunc canonem Conſtantinopolitani primi Concilii, vt verum agnouerunt Socrates lib. 5. cap. 8 & Sozomen. lib. 7. cap 9. eundem ſuis collectionibus inſeruerunt Dionyſius Exiguus, & Iſidorus Mercator, Ferrandus Diaconus Carthaginenſis, & auctor veteris Codicis Eccleſiæ Romanæ. Secundò, quia eiuſdem canonis mentio eſt actione 15. Concilii Chalcedonenſis canone 28. actione vero 16. eiuſdem Concilii à clericis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in medium profertur, nec à Legatis Apoſtolicis falſitatis arguitur. Tertiò, quia neque Leo, neque Gelaſius, neque Gregorius primi huius nominis Pontifices, qui aduerſus primatum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ acriùs inuecti ſunt, hunc canonem tanquam ſuppoſititium reiecerunt. Quartò, quia Eccleſia Romana, quæ canones Concilii Conſtantinopolitani non recepit, teſte Gregor. lib. 6. indictione 15. epiſtola 31. ea ſolum ratione ad illos reiiciendos mora videtur, quod inter eos hunc canonem inſertum viderent. Quintò, quia Nectarius, Chryſoſtomus & alii Conſtantinopolitani Patriarchæ poſt Concil. Conſtantinopolitanum primum, vt mox dicemus, ſuam in varias prouincias auctoritatem exarchicam exercuerunt, quam vtique minime probabile eſt eos exercuiſſe præſertim Chryſoſtomum virum ſanctiſſimum, & qui Epiphanio obiecit ordinationes in Eccleſia Diœceſis non ſuæ peractas; & Nectarium qui ab omnibus moderatiſſimus deſcribitur, niſi aliquo canone & Eccleſiaſtica lege fulti fuiſſent, nec probabile eſt Orientalium nullum huic eorum vſurpationi, & innouationi ſeſe oppoſuiſſe, niſi in aliquo Concilio Patriarchæ Conſtantinopolitani poteſtati conſenſiſſent.

§. VI.

Canonem iſtum tertium non fuiſſe factum ab Oecumenico Concilio.

ADDITITIVM autem eſſe hunc canonem, & poſt diſſolutionem Concilii, ac diſceſſum Theophili cæterorumque Ægyptiorum, ab Epiſcopis finitimis vrbi Conſtantinopolitanæ, tum Thraciæ Diœceſis, tum Orientalibus quibuſdam qui impen-

ſiùs Conſtantinopolitano fauebant antiſtiti; quorum caput Euagrius Antiochenus in locum Meletii defuncti electus aduerſus Paulinum, cùm non alia ratione in ſede ſua conſiſtere ſe poſſe crederet, quàm Imperatoris auctoritate, ac fauore, Summo Pontifice Damaſo & Occidentalibus atque Ægyptiis Paulino fauentibus, ideo probabiliter creditur cum ſequacibus ſuis omni ratione contendiſſe vt ſibi Conſtantinopolitani antiſtitis eiuſque cleri gratiam promereretur, quatenus illorum apud Imperatorem fauore atque auctoritate ſubnixus Paulino reſiſtere poſſet.

§ VII.

Hiſtoria Concilii Conſtantinopolitani primi.

VT autem hæc aliaque id genus ad hunc canonem infirmandum oculis legentium ſubiiciamus, non alio nobis teſte opus eſt quàm Gregorio Nazianzeno, qui oculatus teſtis plus vtique fidei meretur quam inſequentium temporum hiſtorici, qui quæ non viderant ex relationibus non adeo certis, & vt plurimum ſine delectu tradiderunt. Tradit ergo Gregorius carmine *de vita ſua*, conuocatos ad ſui electionem Orientales Epiſcopos maximo numero, eoſq; cum Meletio Antiocheno conueniſſe ex omnibus Orientalibus prouinciis, præterquam ex diœceſi Ægyptiaca, ſeque ab iis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ antiſtitem electum, & in eo throno confirmatum fuiſſe, eiecto Maximo à Petro Alexandrino & Ægyptiis Epiſcopis ordinato.

Confirmato Gregorio, de religione agi cæptum, & hæretici condemnati: cui ſcilicet condemnationi ſubſcripſit Meletius, qui paulò poſt mortuus refertur, de electione in cuius locum magna contentione diſputatum eſt: nam cum Meletio ſedebat Paulinus à Lucifero Calaritano ex decreto Synodi Alexandrinæ, cui vel præfuerat, vel interfuerat magnus Athanaſius in Orientem miſſus, conſtitutus, vt hiſtoriæ Eccleſiæ lectio docet. Paulino itaque Occidentales & Ægypti fauebant, Orientales Meletio: vterque fidei Catholicæ præſul, multa pro Catholica fide tuenda paſſus fuerat. Auctor itaque Gregorius fuit, vt ad pacem inter Eccleſias conciliandam in locum Meletii nullus eligeretur, vacua Paulino iam ſeni cathedra Antiochena relinquerentur: iuuenes hanc ſententiam reſpuunt, & magno impetu vrgentes ſeniores ac prudentiores in ſuam opinionem trahunt; concluſum itaque alium in Meletii locum eligendum eſſe; Quam concluſionem ab Orientalibus factam Gregorius grauiter ferens è Synodo factionibus agitata non ſine indignatione pedem retulit, & ex Epiſcopali domo in priuatam confugit; quo tempore ad pacem in Antiochena Eccleſia procurandam aciti Macedones, & Ægyptii ſerius adueniunt & acriter decertant cum Orientalibus; nam Macedones vtpote inter Occidentales ſub Romano Patriarcha, vt ſuperiùs docuimus, atque Ægyptii Paulino aduerſus Meletium ſemper fauerant, vtraque pars aduerſus Gregorium incurrit. Ægyptii quidem, quòd ipſis diſpliceret conſtitutum ab Orientalibus in throno Conſtantinopolitano, ipſis nondum præſentibus Gregorium, & depoſitum Maximum à Petro Alexandrino ordinatum: Orientales verò, quod eis Gregorius Meletii partes, ac proinde Orientalium cauſam deſeruiſſe viſus fuiſſet, & in Paulini qui ipſis ingratiſſimus erat, gratiam declamaſſet. Hinc turbæ & tumultus clanculum ab vtraque factione, aduerſus Gregorium, quæ eum renuntiandum ſedi ſuæ inuitarunt: cui facilis cætus aſſenſit. Quos eorum conſiliorum puduit, pœnituitque Eccleſiæ præſules illicò, vbi hanc deliberationem fixam animaduerterunt, è Concilio aufugere, nec alium in ipſius throno inſidentem conſpicerent. Quibus adcenſeri ni fallor debent amiciſſimi Gregorio ac maximè familiares, Amphilochius Iconienſis, Gregorius Niſſenus, Petrus germanus eius Epiſcopus Sebaſtenus, Helladius Cæſarienſis Antiſtites, & alii Cappadoces, nec non Oſtreius Melitenus, Eulogius Edeſſenus, Britannio Scytha, & alii magni nominis viri Gregorii virtutum admiratione capti, & ei neceſſitudine maiori, quæ inter bonos eſſe ſolet, conſtricti: diſceſſit & ipſe Gregorius cum à Theodoſio abeundi poteſtatem impetraſſet. Hæc omnia Gregorius carmine de vita ſua. Eo verò in Orientales partes abeunte Nectarium ordinatum ſcimus, Timotheum atque Ægyptios nequidem ordinationi Nectarii adfuiſſe probabile eſt,

tum quod ad pacem Eccleſiæ Antiochenæ vocatũ re infecta abiiſſe probabile ſit; tum quod excluſum ſe ab ordinatione ipſius eo canone quem mox referemus in Concilio aduerſus Alexandrinum præſulem edito grauatè tuliſſe probabile ſit: tum quod primas partes in electione Nectarii Flauiano tribuat Sozomenus lib. 7. cap. 8. quod non conceſſiſſet Timotheus. Sed vtrum narratio Sozomeni vera ſit, mihi dubium eſt, nam de electione Flauiani ante ſubrogationem Nectarii nihil Nazianzenus carmine *de vita ſua*: nihil oratione *de Epiſcopis*, & Flauianum ab Epiſcopis prouinciæ, & Diœceſis Orientalibus ſuffragante ipſa Eccleſia Antiochena electum teſtatur epiſtola Concilii Synodica apud Theodoretum libro 5. capite 9. quod tam cito fieri non potuit, vt Nectarii ordinationem mox in ipſa vrbe ſubſecutam Flauiani ordinatio præcederet.

Deinde & ea ratio adiungi poteſt, quod Flauiani in Concilio nec ſubſcriptio habeatur, nec ipſe inter Epiſcopos inſigniores de quibus infra numeretur. Itaque hunc poſt Nectarii ordinationem ordinatum fuiſſe longe probabilius eſt. Denique & in ea integra narratione Sozomeni reperiuntur alia quæ veritati minus videntur eſſe conſentanea. Quæ omnia ſequenti anno quo canonem de Primatu Conſtantinopolitano editum defendimus à ſe in Conc. priore habito referunt Epiſcopi Orientales per epiſtolum qua ſe apud Damaſum & alios Occidentales, Ambroſium Brittonem, Valerianum, Acholium Anemium, Baſiliumque & cæteros excuſant, quod Romam vocati venire non potuerunt, ad quam tres Epiſcopos ex ſuo cœtu deſtinant. Hac enim epiſtola quæ legitur apud Theodoretum libro 5. capite 9. tria renuntiant primum, ſe Eunomianorum, Arrianorum, ac Macedonianorum hæreſes condemnaſſe. Alterum, Concilii Niceni legem ratam eſſe iuſſiſſe, καθ᾽ ἑκάστην ἐπαρχίαν τοὺς τῆς ἐπαρχίας, καὶ ὑπὲρ ἐκεῖνοι βούλοιντο σὺν αὐτοῖς τοῖς ὁμόροις πρὸς τὸ συμφέρον ποιεῖσθαι τὰς χειροτονίας, *vt videlicet ſingularum prouinciarum antiſtites, vna cum finitimis (modò ipſis ita viſum fuerit) Epiſcopis miniſtros ad Eccleſiarum commodum in ſuis prouinciis ordinet.* Quæ conſtitutio conſentit cum canone 2. Concilii Conſtantinopolitani quo aduerſus Alexandrini, vt credibile eſt, Patriarchæ præſumptionem nominatæ ſex Diœceſes Ægyptiaca, Orientalis, Aſiana, Pontica, Thracica, extra quas ſingularum iſtarum Diœceſeon Epiſcopis diſcurrere vetitum fuit, limiteſque ſuos tranſilire; prouinciarum quoque iure firmata & adminiſtrandarum barbararum nationum mos antiquus ſeruari iuſſus. Tertium referunt, Flauianum in locum Meletii ab Orientalibus electum, Nectarium totius cleri populique Conſtantinopolitani ſuffragiis præſente Imperatore Theodoſio, Cyrillum Hieroſolymitanum iam à plur.bus annis ciuitatis iſtius præſulem ordinatum, & multa ab Arrianis perpeſſum (cuius Epiſcopatus initia titubabant ob ordinationem ab Arrianis ſuſceptam teſte Hieronymo in Chronico, & varium in fide ac communione animum teſte Ruffino libro 1. hiſtoriæ cap. 23. in ſuis ſedibus confirmatos.

§. VII.

Variæ rationes, quibus conſtat canonem tertium Concilii Conſtantinopolitani ab Oecumenico non fuiſſe editum.

HÆc quæ à nobis memorata ſunt, duntaxat à ſe geſta referunt priori anno quo habitum eſt verum Concil. Conſtantinopolitanum, quod œcumenicum dicitur, ad quod ſcilicet ex Occidentalibus aliqui ex Ægypto, & Oriente plures conuenerant, quodque à Summo Pontifice, (in iis ſaltem quæ ad fidem ſpectant) confirmatum fuiſſe refert Photius libello de ſeptem Synodis, hæc inquam, duntaxat referunt Epiſcopi, qui ſequenti anno Conſtantinopolim conuenerunt. De primo verò loco, poſt Romanum, Conſtantinopolitano Patriarchæ attributo ne verbum quidem illi de quo tamen ſi quid concluſum ab iis fuiſſet hoc priore anno, aliquid haud dubiè Damaſo & Occidentalibus, ſicut & de cæteris capitibus retuliſſent. Et hoc primum argumentum quo oſtendimus decretum iſtud ab integro œcumenico Concilio Conſtantinopolitano editum minime fuiſſe.

Alterum, quia non eſt probabile Timotheum Alexandrinum cum Ægyptiis ſuis, qui iniquo animo tulerat non expectato ſuo aduentu Gregorium in throno Conſtantinopolitano confirmatum fuiſſe, tam patienter laturum ſibi Conſtantinopolitanum

Patriarcham præferri, & ipſi perpetua conſtitutione primos honores ante Alexandrinum decerul.

Tertium, nec Gregorius Nazianzenus *de vita ſua*, aliiſque locis, quibus quæ geſta ſunt, in eo Concilio deſcribit, mentionem vllam facit iſtius canonis à Synodo conditi, aut turbarum quæ haud dubie ex iſtius promulgatione naſci debebant, ſi Timotheus cum Ægyptiis Synodo adhuc interfuiſſet.

Quartum oratione vero *de Epiſcopis*, quam ſcripſit poſt diſceſſum ſuum, videatur eorũ mentionem facere, ea ad eos apoſtropho directa qua ipſorũ Conc. reprehendit. *Valete inſolentes eſtote, Patriarchatus per ſortes inter vos diſtribuite, magnus hic vobis mundus cedat, de locis aliis in alia migrate, hos deiicite, illos attollite. Nimirum hæc iucunda vobis ſunt, pergite.* Licet enim poſſint etiam hæc verba accipi de iſta Epiſcoporum deſignatione quam fecerat Theodoſius Imperator reſcripto, *ad Auxanium proconſulem Aſiæ*, quæ refertur lege quinta, codice Theodoſij, *de fide Catholica*, ſcilicet vt Eccleſiæ traderentur iis qui communicarent Nectario Conſtantinopolitano, & Timotheo intra Ægyptum; qui in Orientis partibus Pelagio Epiſcopo Laodicenſi, & Diodoro Epiſcopo Tharſenſi; qui in Aſia Amphilochio Iconienſi, & Optimo Epiſcopo Antiochiæ Piſidiæ, qui in Pontica Diœceſi Helladio Epiſcopo Cæſarienſi & Oſtreio Meliteno, & Gregorio Epiſcopo Niſſeno, Bretannio, alias Terentio Epiſcopo Scythiæ, & Marmario, ſeu Martyrio Epiſcopo Marciopolitano. Quam quidem deſignationem Sozom. lib. 7. cap. 9. in omnibus conſentientem legi Theodoſij à Concilio factam refert; & Socrates lib. 5. cap. 8. in quibuſdam diſcrepantem narrat, & Patriarchatus ſortitionem non ita commode appellat. In qua ſortitione Nectario Conſtantinopolim, & Thraciam obtigiſſe ait. Tamen rectius omnino verba Nazianzeni de Patriarchatuum finibus nouis, & nouo inter Patriarchas ordine ſtabilito videntur intelligi. In eo ſiquidem quã Theodoſius excogitauit Epiſcoporum deſignatione, & quam Concilium confirmauit, Diœceſeon antiqui limites nequaquam concuſſi erant, nec vlli deiiciebantur aut deprimebantur Epiſcopi, quod ab Epiſcopis factum narrat Gregorius poſt ſuum diſceſſum.

Quintum, hanc etiam deſignationem quam & à Theodoſio, tertio Calendas Auguſti anni 38. factam legimus, patet poſt Nectarii electionem factam fuiſſe, cùm Nectarius eos quibus communicandum eſſet, numeretur.

Videmus autem in ea deſignatione Nectario nullam diœceſim aſſignari, nec Epiſcopos aut clericos vllius ſpeciatim diœceſeos ad habendam communicationem cum Nectario adſtringi: nam Sozomenus qui diſtinctius res iſtas narrauit, conſtitutum dixit, illos Orthodoxos exiſtimatos qui communicarent Nectario Conſtantinopoli *τοὺς κοινωνοῦντας Νεκταρίῳ ἐν Κωνσταντινουπόλει*, quibus verbis communicatio cum Nectario intra Conſtantinopolim reſtringitur. In aliis verò diœceſibus, communicationis Catholicæ iudices referuntur, in Ægypto Timotheus Alexandrinus, in Oriente Pelagius Laodicenſis & Diodorus Tharſenſis, in Aſiatica diœceſi, Amphilochius Epiſcopus Iconienſis & Optimus Antiochiæ Piſidiæ, in Pontica diœceſi Helladius Cæſarienſis, Otreius Melitinenſis, & Gregorius Niſſenus, in Thracia denique & Scythia Terentius Rimorum, & Martyrius Epiſcopus Marciopolitanus.

Ex qua narratione patet numerari in Orientali orbe Romani imperij quinque diœceſes, Ægyptiacam, Orientalem, Epheſinam, Ponticam, Thracicam: in ſingulis diœceſibus nominari aliquos eiuſdem diœceſibus antiſtites, quibuſcum in iiſdem diœceſibus communicantes Catholici haberentur; nec prætermitti debuiſſe primates illius diœceſis, ſine graui aliqua cauſa; ideoque in diœceſi Ægyptiaca Timotheum Alexandrinum nominatum fuiſſe, & quidem ſolum in honorem Patriarchatus: in Pontica nominatum Helladium Cæſarienſem Primatem eiuſdem diœceſeos, ſed ei additos viros pietate & conditione præſtantes; in tribus diœceſibus capita diœceſeon prætermitti, in Orientali Antiochenum Patriarcham, in Aſiana Epheſinum, in Thracica Heracleenſem ob ſpeciales rationes: nam cùm hic canon conditus eſt nullus erat Antiochenus præſul electus, cui Orientales communicarent, ſed decretum fuerat in locum Meletij aliquem eligendum reiecto Paulino, necdum Flauianus electus fuerat, vt ſuperiùs probauimus: Epheſina Eccleſia, vel ab Arrianis tegebatur, vel Antonio quodam nullius nominis homine, aduerſus quem Euſebius quidam Valentinopolitanus Epiſcopus varia accuſationis capita intentauit, vt colliges ex Palladio capit. 13. & 14. dialogo

Digitized by Google

quo res à Chryſoſtomo geſtæ enarrantur, maximè ex iſtis verbis Epheſinorum ad Ioannem Nectarii ſucceſſorem, quibus ab eo Epiſcopum ſibi dari petunt, *Quoniam*, inquiunt, *priori tempore confuſè & contra iura & ſtatuta Patrum gubernati ſumus, oramus venerationem tuam, vt deſcendas, & formam aliquam Epheſinæ imponas Eccleſiæ diutiſſimè afflictæ, hinc Arrianis inſtantibus, inde noſtris auaritiæ cupiditatique inſtantibus*, capite decimo quarto.

Prius illud tempus & quidem diuturnum quo ſe vel ab Arrianis, vel ab auaris & ſimoniacis, (nam Antonium de hoc crimine accuſatum fuiſse capite 13. præcedenti leges) contra iura & ſtatuta Patrum ordinatis concurrit haud dubie cum tempore Concilii Conſtantinopolitani: ac proinde nihil mirum ſi Epheſini Primatis in Aſiana diœceſi nulla mentio facta fuerit. Heracleenſem præſulem eodem tempore hæreſi Arriana infectum fuiſse probabile eſt: nam & ea Eccleſia præſules à multo tempore habuit Arrianos, ſeu Semiarrianos, verbi gratia Theodorum, ſeu Dorotheum nominatiſſimum inter Arrianos damnatū in Sardicenſi Concilio, vt legitur in epiſtola Synodica eiuſdem Concilii apud Athanaſium Apologia 2. de quo varia leguntur apud Socratem lib. 4. cap. 5. lib. 5. cap. 12, lib. 7. cap. 6. Sozom. lib. 6. cap. 37 & lib. 7. capite 3. Philoſtorgium lib. 8. cap. 17. lib. 9. cap. 16. lib. 10. cap. 1. Theodoretum lib. 2. cap. 1. hic autem cùm nonemdecim ſupra centum annos vixiſſet, obiit Conſtantinopoli conſulatu Honorii ſeptimo Theodoſij Auguſti altero. Item Hypatianum in eadem cathedra Heracleenſi ſediſſe liquet, qui à Synodo Seleuciana ad Valentinianum Imperatorem legatus: de quo vide Sozomen. libro 6. cap. 7. Epiphanium hæreſi ſeptuageſimâ tertiâ. In Thracia hæreſim viguiſſe narrat Ambroſius libro 2. de fide *ad Gratianum Auguſtum*, cap. vltimo circa finem. Vnde prædicto Concilio Conſtantinopolitano nullus Heracleenſis antiſtes ſubſcripſit, quin etiam nullus ex Thracia, ſed tantùm ex Scythia tres qui Thraciæ diœceſi adcenſebantur, ex quibus vnus, puta Terentius Tomorum in hoc decreto Conſtantinopolitani Concilii numeratus eſt, cui adiunctus Martyrius Martianopolitanus, ex Myſia Thraciæ finitima.

Ex his proinde tam Theodoſii reſcripto dato tertio Calendas Auguſti, quàm Concilij Conſtantinopolitani decreto, quod ſtatim ad gratificandum Imperatori datum fuiſſe probabile eſt, cùm nondum Conſtantinopolitanum Concilium diſſolutum eſſet, quod teſte Socrate libro 5. cap. 8. menſe Maio incepit ad Auguſti menſem protractum fuiſſe ex rebus in Concilio geſtis colligere poſſumus.

Ex iis inquam tam Theodoſii reſcripto, quàm Concilii decreto prout à Sozomeno refertur, congruentius legi Theodoſii quàm à Socrate, licet inferre quinque diœceſes in Oriente nondū ambitione Conſtantinopolitani Antiſtitis confuſas fuiſſe, nec Ponticam & Aſianam Conſtantinopolitano paruiſse, imo nec Thracicam: nam ſi Thracicam Diœceſim ſub Conſtantinopolitano poſitam agnouiſsent, Theodoſius Imperator, & Concilii Conſtantinopolitani Patres apud Sozomenum, ſicut Epiſcopo omnes in Ægypto Timotheo Alexandrino Patriarchæ, omnes Ponticæ diœceſeos Helladio Cæſarienſi Primati communicare iuſserunt, ita omnes in Thracia ſaltem Nectario communicare iuſſiſsent. At è contra Nectarium Theodoſius nominat ſtatim initio ſuæ legis, Epiſcopos Thraciæ diœceſeos in fine, nec illos Nectario tanquam Primati coniungit, Socrates clarius Epiſcopos, & clericos pro Catholicis non habendos in Eccleſia Conſtantinopolitana ſcribit, qui non adhærerent Nectario, in Thracia vero & Scythia non habendos Catholicos, qui non communicarent Terentio Tomorum, & Martyrio Martiopolitano Epiſcopis, quibus verbis communionem Nectarii Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ limitibus concludit, non ad Thracicam diœceſim eius poteſtatem extendit.

§. VIII.

Aliqui Socratis errores notantur circa hiſtoriam Concilii Conſtantinopolitani.

SOCRATES rem aliter narrat lib. 5. cap. 8. ait enim diſpartitis prouinciis, qui erant in Concilio Conſtantinopolitano Patres, *Patriarchas conſtituiſſe, & decreuiſſe vt nullus Epiſcopus relicta ſua diœceſi ad exteras Eccleſias demigraret, cum antea propter perſecutionis tempeſtates illud facere cuiquam liberum eſſet. Nectario igitur amplam illam ciuitatem Conſtantinopolim & totam Thraciam obueniſſe: Ponticæ autem diœceſis Patriarchatum Helladio Cæſareæ Cappadociæ poſt Baſilium Epiſcopo, Gregorio Niſſæ (quæ etiam eſt vrbs Cappadociæ) fratri Baſilio, & Otreio Melitinæ, quæ eſt in Armenia, contigiſſe. Patriarchatum autem Aſianum Amphilochium Epiſcopum Iconij, & Optimum Antiochiæ Piſidiæ ſortitò cepiſſe; Aegypti diœceſim Timotheo Alexandriæ Epiſcopo tributam. Eccleſiarum denique verſus Orientem diœceſim eoſdem Epiſcopos qui ante, Pelagium ſcilicet Epiſcopum Laodiceæ, & Diodorum Tarſi, honoris prærogatiua Eccleſiæ Antiochiæ reſeruata, quam Meletio tunc præſenti tribuerunt.* In hac narratione plurima falſa eſſe videntur.

Primum, quod Patriarchatus diuiſos, ſeu diœceſes conſtitutas dicat, cùm diu ante Concilium Conſtantinopolitanum diœceſes iſtæ in vſu eſſent. Theodoſiumque, vt ex ipſius lege innoteſcit, & Concilium iuxta Theodoſii legem nihil aliud ex Socrate ſtatuiſſe demonſtrauimus, quàm vt in ſingulis diœceſibus diuturna conſuetudine iamreceptis, quibuſdam Epiſcopis communicandum eſſet ab eo qui Catholicus haberi vellet, quorum aſſignandorum neceſſitatem induxerat hæreſis, quæ per illas diœceſes graſſabatur, & aliquos ex ipſis primatibus diœceſeon infecerat, vt oſtendimus.

Alterum, Nectario Thracicam diœceſim attributam fuiſſe, quod Theodoſii legi & Sozomeni narrationi contrarium eſt.

Tertium, quod Socrates, vt Nectarium Thracicæ diœceſis Primatem pari cum maioribus Patriarchis honore donatum oſtenderet, ſicut Timotheum Alexandriæ in Ægypto vnicum, ita & Nectarium in Thracia ſolum nominarit: atque adeo nominatos à Theodoſio & Sozomeno duos Epiſcopos Terentium Tomorum, & Martyrium Marciopolitanum expunxerit.

Quartum, quod in vnica diœceſi plures Patriarchas, ſeu Primates enumeret, quos conſtat Primates non fuiſſe, ſed vni Primati ſubditos: nam verbi gratia Gregorium Niſſenum Epiſcopum Cappadociæ, Otreium Melitinæ Metropolitanum in Armenia fuiſſe conſtat ſubditos Helladio Cæſarienſi, quos tamen honoris cauſa Helladio adiungit Concilium, vt probarentur Catholici, qui ipſis communicarent: & vt ipſi extraordinariam quandam curam reformandæ collapſæ diſciplinæ gererent: quæ pariter prærogatiuæ, Amphilochio Iconii Ciliciæ, & Optimo Antiochiæ Piſidiæ Metropolitanis conceſſæ ſunt, qui nunquam diœceſeos Exarchi vel Primates fuerant, licet ob Epheſini Epiſcopi hæreſim, vel malum odorem, inſpectionem diœceſeos Aſiaticæ commiſsam habere potuerint.

Quintum denique, quòd Meletium tempore iſtius decreti viuentem fuiſſe ſcribat, quem mortuum fuiſſe cùm hæc agerentur demonſtrauimus Nazianzeni teſtimonio, cuius teſtificatione conſtat Meletium obiiſſe antequam aut ipſe recederet, aut Nectarius ordinaretur. Ideoque fieri non poteſt vt inter viuos fuerit cum Nectario Conſtantinopolitano iam ordinato Epiſcopo Patriarchatus Thracicæ decerneretur.

Quod proinde cùm certiſſimum ſit, miror quomodo Meletium tam Græci in Menologio, quàm Latini in Martyrologio obiiſſe dicant duodecimo Februarii, nam quomodo Concilium quod, menſe Maio inchoatum fuit, tanto tempore ad Februarium vſque ad Meletii mortem protrahi potuit, cùm Nazianzenus non multo poſt inceptum Concilium Meletium obiiſſe narret?

Quem nodum vix ſoluere poſsumus, niſi forte dicamus, cùm conſtet ex Gregorio Nazianzeno corpus eius Antiochiam reductum, diem eius natalem ab Orientalibus, deinde ab Occidentalibus (qui quo die Antiochiæ eius feſtus dies agatur, notarunt)

faſtis

faſtis hunc adſcriptum fuiſſe, qui fuit depoſitionis corporis ipſius apud Antiochiam, quo ſcilicet ab Orientalibus è Concilio redeuntibus Antiochiam delatum peruenit.

Quòd præterea obiicitur Meletium Conſtantinopolitano Concilio ſubſcripſiſſe faci'è ſoluitur, quia decretis eius ſubſcripſit, quæ ante eius obitum ſtatim initio Concilii edita ſunt, & occaſionem dederunt Theodoſio tertio calendas Auguſti in fauorem Catholicorum prædictæ legis promulgandæ.

Cæterum falſus eſt Socrates, quod ea quæ in Conc. anno 381. ſunt ſtatuta, ab iis quæ anno ſequenti ſtatuta fuere non diſcreuerit, quia nimirum eidem Concilio propter breuem temporis moram inter vtrumque in eadem vrbe habito vniuerſa tributa ſunt, ea præſertim ratione quò l Concilium anno 381. habitum tumultuariè ſolutum fuerit, Ægyptiis & Macedonibus indignantibus in locum Meletii Flauianum conſtitutum fuiſſe: Ægyptiis grauiter ferentibus depoſitum ante aduentum ipſorum Maximum, & repreſſam canone prædicto eorum remeritatem quòd vltra diœceſis ſuæ limites excurrerant, & ordinationes perfeciſſent: quod ſui iuris eſſe prætendebant, ex Orientalibus ſimiliter qui laudatiores erant & maioris nominis, ægrè ferentibus Gregorium Magni nominis & exiſtimationis virum, ac de Eccleſia optime meritum depoſitum fuiſſe, atque adeo à Concilio diſcedentibus ne alium in eius throno ſedentem viderent, vt ſupra oſtendimus, quorum indignatio haud dubie accreuit, vbi idiotam, & Catechumenum in locum Theologi electum reſtierunt: quæ cauſa fuit, vt dilabentibus, & ex Concilio recedentibus pleriſque nullam niſi ſubſequenti anno ad Damaſum & Occidentales epiſtolam ſcriberent.

§. IX.

Canonem tertium Concilij Conſtantinopolitani in conuentu paucorum Epiſcoporum factum anno ſequenti Concilium Oecumenicum, in quo & alia quædam geſta narrantur.

CANONEM porrò tertium, quo primatus Epiſcopi Conſtantinopolitani decretus eſt nonniſi ſubſequenti prædicto anno, qui eſt 382. editum fuiſſe ex iis diſcimus, quorum primùm illud eſt, quia ex epiſtola Synodali ad Theodoſium Imperatorem de rebus in Synodo geſtis quæ nonniſi abſoluta Synodo ſcripta eſt conſtat canones Concilii Conſtatinop. poſtremam fuiſſe totius Concilii operam, qui etiam ordo reliquis Conciliis ſeruatus eſt, adeo vt etiam poſt plures annos à celebratione quintæ & ſextæ Synodi Epiſcopi conuocati fuerint, vt canones earum Synodorum nomine ederent, quod contigit in iſto Concilio Conſtantinopolitano primo, in quo cùm iam editus fuiſſet canon primus de diœceſeon limitibus ſeruandis, additi ſunt aliqui ſub eiuſdem nomine anno ſequenti.

Alterum, quia conſtat ex Theodoreto libro 5. hiſtoriæ, cap. 8. ſtatim poſt Nectarij ordinationem, canones aliquos pro recta Eccleſiæ adminiſtratione conditos, eos quos, epiſtola Synodica capite 9. ab eodem relata patres explicarunt; putà, vt tam vetus Eccleſiæ lex circa ordinationes, quàm Nicæna deciſio renouarentur, & iuxta vtramque ſingularum prouinciarum antiſtites vna cùm finitimis, ſi ipſis viſum eſſet, Epiſcopum in ſuis ipſorum prouinciis ordinarent: denique poſt Nicenæ fidei confirmationem ſingulos ad domum ſuam reuertiſſe, nec niſi ſequenti æſtate, ad eandem vrbem regreſſos, ad Occidentales ſcripſiſſe, quæ priori anno egiſſent. Atque adeo tùm de priuilegiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in Concilio Conſtantinopolitano anno 381. ex Theodoreto nihil tractatum, ſequiturque proinde nonniſi poſteriori anno de illis actum fuiſſe.

Tertiò, quia diſcimus ex Hieronymo epiſtolâ vigeſimâ ſeptimâ ad Euſtochium, & ſexageſimâ primâ ad Pammachium, necnon ex Synodicis Concilii Conſtantinopolitani literis, quarum ſupra mentionem fecimus, ob quaſdam Eccleſiarum diſſenſiones, puta ob continuatum in Eccleſia Antiochena

ſchiſma per electionem Flauiani in locum Meletii, Romam tam Orientis quàm Occidentis Epiſcopos, ex inuitatione Damaſi, & imperialibus literis conuocatos fuiſſe, ex Orientalibus Paulinum, & Epiphanium Salaminæ in Cypro Epiſcopum qui Paulino communicabat cum Cypriis, & Ægyptiis Romam veniſſe, ſed Orientales Conſtantinopolim ſubſtitiſſe, ex qua vrbe excuſatorias literas miſerunt, & ibidem Concilium habuerunt, cui nec Ægyptii interfuerunt, quia fauebant Paulino aduerſus Flauianum; nec Macedones propter eandem cauſam, ideoque eorum anteſignanus Aſcholius, ſeu Acholius Theſſalonicenſis, qui à Socrate lib. 5. cap. 8. dicitur Conſtantinopolitano primo interfuiſſe, Romano intererat, quippequi cum Damaſo, & aliis Occidentalibus reperiatur nominatus in inſcriptione literarum ab iis, qui Conſtantinopoli conuenerant, directarum ad eos qui Romæ congregati erant, apud Theodoretum ſupra. Soli Orientales Flauiano fauentes, qui diſſidii tollendi cauſa Romam fuerant euocati, cum aliis quibuſdem finitimis vrbis Conſtantinopolitanæ Epiſcopis qui Romæ Flauiani cauſam defendere auſi minimè fuiſſent, Conſtantinopoli ſubſtiterunt, iique, vt Nectarium hominem canonum ignarum, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, demulcerent, atque in ſuas partes traherent, eum Concilii præſidem elegerunt, Patriarcham inſtituerunt, & primum poſt Romanum ei locum dederunt. Et ſane ſi adfuiſſent Timotheus, Flauianus, aliique celebriorum Eccleſiarum epiſcopi, id non omiſiſſent clerici Conſtantinopolitani in Concilio Chalcedonenſi referre, non omiſiſſet Anatolius, ad ſui excuſationem; qui tamen apud Leonem epiſtolâ quinqragesimâ ſextà, nonniſi quorumdam Epiſcoporum ſubſcriptionem iactat. Atque illud ipſum ita ſe habere vt diximus, confirmare poſſumus tum ex Conc. Chalcedonenſis ſermone proſphonetico, ſeu allocutione Conc. *ad Marcianum*, tertia parte Concilii capite 1. tum ex actione decima ſexta eiuſdem. In proſphonetico quidem de Concilii Nicæni primi, & Conſtantinopolitani primi Patribus, Chalcedonenſes verba facientes, *illis Oſium ad proferendam ſententiam ducem fuiſſe, horum autem Nectarium cum Gregorio tenuiſſe principatum affirmant*, his verbis, ὧν μὲν ἦρχε τῆς γνώμης, τῷ δὲ Νεκτάριος σὺν Γρηγορίῳ τὴν ἡγεμονίαν ἦγετο. Gregorium & Nectarium ſimul Concilio Conſtantinopolitano non præfuiſſe certiſſimum eſt, quandoquidem Gregorius ex vrbe Conſtantinopoli diſceſſerit antequam Nectarius ordinaretur, vt ſuprà vidimus; nec adeſſe acquieuerit anno ſequenti quo Concilium Conſtantinopoli renouatum eſt, quamuis vt intereſſet Theodoſii nomine ſcriptis præfectorum literis accerſeretur, vt ipſe ſcribit epiſtola quinquageſima quinta *Procopio*; Imò cùm iteratis literis imo & edicto Imperatoris inſtantius vocaretur, in ſententia perſtiterit, nec induci potuit vt veniret, ſed ſe apud Olimpium præfectum Cappadociæ excuſarit epiſt. 76.

Duæ, ergo hic diſtinguendæ ſunt Concilii partes, vna cui Nectarius, altera cui Gregorius præfuerit. Gregorius autem ſenectute venerabilis, & infinitis pro Eccleſia exantlatis laboribus glorioſus in priori parte Concilii doctrinæ & ſanctitatis opinione facile princeps fuit, quamuis auctoritatem præſidendi, nec ipſe ſibi vnquam arrogarit, nec vllus ei attribuerit, neque ipſi hanc prærogatiuam appetenti, aut Meletius Antiochenus quem honorabat vt patrem, aut Timotheus Alexandrinus ei ceſſiſſent. Secundæ parti Concilii Nectarius non doctrinæ qua carebat, non ſanctitatis, quæ vel nulla erat, vel nondum probata, cùm ex Catechumeno Epiſcopus electus uiſſet, & in iuuentute non adeo inculpatè vixiſſet ex Sozomeno libro ſeptimo capite decimo: ſed ſolius auctoritatis præſidentiam ex ſedis prærogatiua profectam habere potuit.

Cui auctoritati atteſtatur codex canonnm Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ oblatus in Concilio Chalcedonenſi actione decima ſexta, ex quo lectum eſt decretum Conciliorum quo de prærogatiua Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſtatuebatur cum iſto titulo ei præfixo Τὰ δὲ ὥρισαν οἱ ἐν Κωνσταντινουπόλει χάριτι θεοῦ συνελθόντες ἑκατὸν πεντήκοντα ἐπίσκοποι ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν κατὰ κλῆσιν, τοῦ θεοφιλεστάτου Βασιλέως Θεοδοσίου Νεκταρίου ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως. *Hæc conſtituerunt Epiſcopi qui in Conſtantinopolim Dei gratia conuenerunt ex diuerſis prouinciis ſecundùm euocationem Dei amantiſſimi principis Theodoſii ſub Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano.*

Iniſto verò decreto primum habetur anathema aduerſus Eunomianos, Arrianos, Eudoxianos, Semiarrianos, Pneumatomachos, Sabellianos, Marcioniſtas, Photinianos,

& Apollinariſtas, quas omnes hæreſes damnatas in vtraque parte Concilii exiſtimo, in priori quidem, quia eas omnes perſtringit epiſtola Synodica, qua Patres Conſtantinopoli collecti anno 382. priori anno decreta referunt. In poſteriori verò quia & Nectarius aduerſus iſtas hæreſes dimicaſſe dicitur, in proſphonetico citato, & mittentes iſtam epiſtolam Synodicam oportuit eos decretum fidei comprobaſſe.

Secundò repetitur canon in priori Concilii parte editus de non tranſiliendis diœceſeon Orientalium terminis, quem canonem Concilio ſub Nectario inſeruit: quia cum totum Concilium pro vno haberent, & Nectarius vni parti præfuiſſet quæcumque in eo geſta ſunt Concilio ſub Nectario habito tribuerunt: in editionibus tamen vulgatis Concilii à titulo, ſeu inſcriptione verba iſta, ἐπὶ Νεκταρίου ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως *ſub Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano*, expunguntur, quæ propria fuere Codici Eccleſiæ Conſtantinopolis.

Tertiò, de primatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ duo ſtatuta referuntur, vnum de prouinciis in barbaris gentibus per Conſtantinopolitanum antiſtitem gubernandis: alterum de primo loco poſt Romanum Epiſcopum Conſtantinopolitano defendendo. In hoc quoque Concilio ſtatutum exiſtimo quod ex Socrate retulimus libro 5. cap. 8. Nectario amplam illam Conſtantinopoleos ciuitatem, & totam Thraciam ſorte obueniſſe, Quod ipſe in prima parte Concilii decretum, ſicut & προεδρίας, Conſtantinopolitano antiſtiti ante reliquos Orientales conceſſam falſo aſſerit, ea quæ in vna Conc. parte geſta ſunt, cum iis quæ in alia acta ſunt, confundens, & permiſcens præter rei veritatem; quæ confuſio etiam reperitur in ſubſcriptionibus Concilii. Etenim Nectarius primus omnium ſubſcriptus reperitur extra ordinem abſque mentione prouinciæ cuius caput & primas eſſet conſtitutus; Gregorius non tanquam Conſtantinopolitanus antiſtes, ſed tanquam Eccleſiæ Nazianzenæ Epiſcopus ſubſcribit, inter Epiſcopos Cappadociæ. Subſcribunt Meletius, & Timotheus Alexandrinus ſinguli cum Epiſcopis ſuæ prouinciæ, vel diœceſeos, quæ quidem docent confuſa Epiſcoporum qui priori & poſteriori Concilio interfuerunt nomina: nam Gregorius Nazianzenus diſceſſit ex vrbe ante ordinationem Nectarii cum iam Meletius obiiſſet, atque ſimul iſti ſubſcribere non potuerunt. Nec Gregorius qui ſe nunquam Epiſcopum Eccleſiæ Nazianz. fuiſſe, ſed ſolum patri coadiutorem adſtitiſſe conteſtatus eſt, qui ſtatim initio Conc. in throno Conſtantinop. firmatus eſt, potuit ſe Eccleſiæ Nazianz. Epiſcopum inſcribere, ſed Conſtantinopolitanę. Hæc autem turbatio accidit, ex eo quod Conſtantinopolitani clerici apud quos exemplaria Conc. ſeruabãtur, ſubſcriptiones iſtas turbarint, nè acta duorum Conciliorum diſtinguerent; & quæ poſterius in gratiam Conſtantinopolitani geſta fuerant, in priori Concilio quod œcumenicum habitum, & à Damaſo probatum magni in Eccleſia nominis erat, geſta videri volebant, & vt maiorem auctoritatis obtinerent: & vt executioni demandata viderentur, ſi Nectarius princeps Concilii primum locum ante Meletium & Timotheum Alexandrinum occupaſſe crederetur.

X.

Summa eorum, quæ de Conſtantinopolitano Concilio dicta ſunt, & exceptionis aduerſus prædictum canonem confirmatio.

VT ergò totam hanc diſputationem paucis contrahamus, conſtat Conſtantinopolitanum Concilium anno trecenteſimo octuageſimo primo habitum, cum Orientales ſoli adeſſent, Gregorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum confirmaſſe; cùm aduenìſſent Ægyptii & Macedones hæreſes damnaſſe eo tempore graſſantes, ac fidem Nicænam roboraſſe: Meletium huic damnationi, & Gregorium ſubſcripſiſſe: eo mortuo de pace Eccleſiæ Antiochenæ tractatum, Gregorium Theologum auctorem fuiſſe vt in locum Meletii nullus ordinaretur, ſed fineretur Paulinus Eccleſiam Antiochenam adminiſtrare; diſplicuiſſe hoc Concilium Orientalibus: decretum, vt in Meletii locum alius eligeretur, contrarium fruſtra adnitentibus Ægyptiis Macedonibus, Gregorio obtinuiſſe: Gregorio hanc deliberationem adeo ingratam fuiſſe, vt Eccleſiæ ſuæ renuntiandi conſilium caperet, eoque à Patribus approbato Nectarium

ordinatum fuiſſe, probis quibuſque ſpectaculum hoc refugientibus, & è Concilio dilabentibus Ægyptiis, etiam diſcedentibus. Et ita Concil. prioris anni diſſolutum fuiſſe, nihilque actum videri poſt Nectarii ordinationem, niſi forte quod Flauiani electio probata, ac Nectarii, Cyrillus Hieroſolymitanus in ſua ſede confirmatus, ac ſtatutum, vt ſinguli in ſua prouincia Epiſcopi ordinarentur à prouincialibus, acciris, ſi viſum fuiſſet finitimis, & vt diœceſeon limites ſeruarentur, quæ vtrum ante vel poſt ordinationem Nectarii ſtatuta fuerint, incertum eſt. Hæc duntaxat renuntiata fuerunt Theodoſio Imperatori epiſtola Synodali ad Imperatorem quæ habetur poſt acta Concilii Conſtantinopolitani, tomo 1. Conciliorum Binii, de iis ſolum relatum fuiſſe, epiſtola Synodica ad Damaſum & Occidentales cæteros apud Theodoretum ſuperiùs non ſemel citatâ, iàm notauimus: neque de priuilegio Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ conceſſo quidquam Occidentalibus quorum caput erat Damaſus, ſcriptum fuiſſe. Concludimus igitur Damaſum, qui teſte Photio libello *de ſeptem Synodis*, Conſtantinopolitanam primam approbauit, cuius congregandæ auctor fuerat, (vt indicant Patres Synodi ſextæ actione decima) non approbaſſe canones qui ſequenti anno editi ſunt ab Epiſcopis Conſtantinopolim conuenientibus abſq; inuitatione Damaſi, quos è contra Romam euocarat, paſſim tamen illi canones cum aliis duobus priori anno ſtatutis permixti ſunt, quamuis inter ſe non conſentiant. Atque adeò Lucentium Sedis Apoſtolicæ Legatum in Concilio Chalcedonenſi iure merito dicimus, actione decima ſexta, eiuſdem Concilii affirmare potuiſſe decreta Conſtantinopolitani Concilii, quæ 150. nomine proferebãtur *τὰ νῦν μνημονευθέντα, μὴ ἐμφερόμενα δὲ ἐν τοῖς συνοδικοῖς κανόσι, nunc memorata non relata eſſe in Synodicis canonibus*, iure merito Gregorium Magnum negaſſe libri ſexti epiſtola 31. *Eulogio Alexandrino* canones iſtos à Romano Pontifice probatos fuiſſe, *Romana*, inquit, *Eccleſia eoſdem canones, vel geſta Synodi illius* (geſta etiam improbata dicit, quia electionem Flauiani à Synodo probatam videtur Romana ſequentis anni improbaſſe; Paulino in ſua ſede confirmato,) *hactenus non habet, nec accipit, in hoc autem Synodum accepit, quod eſt per eam* contrà Macedonium definitum.

Cui non obſtat quòd prædicti canones in collectione canonum à Dionyſio exiguo Romæ facta, & in Breuiario à Ferrando Diacono in Africa, quorum vterque ante tempora Gregor. floruit; hic tempore Symmachi Papæ initio ſexti ſæculi: ille tempore Ioannis Papæ quinto ſæculo ipſo iam inchoato, quippe quem anno 527. Cyclum Paſchalem ſcripſiſſe apparet, cùm Gregorius nonniſi ſub finem iſtius ſæculi ſederit.

Non inquam hoc repugnat, quippe cùm non tantam diligentiam auctores iſti adhibuerint in ſecernendis canonibus probatis ab improbatis: nam verbi gratia Antiochenos canones vterque refert, quorum aliqui in Sardicenſi Concilio reprobari fuerunt; & contrarios ac pugnantes nonnumquam canones ſuæ collectioni inſerunt: Ideoque propter auctoritatem Concilii Conſtantinopolitani editos illius nomine canones abſque delectu Conciliorum canonibus inſeruerunt, quamuis nulli probati fuiſſent, aliqui etiam improbati: ij nempe qui in Concilii Conſtantinopolitani poſteriori parte conditi fuerant. Quod Romanæ Eccleſiæ iudicium quam æquum fuerit, vel ex eo patet, quòd canones Concilii Conſtantinopolitani primi decreta eius ac geſta ſibi inuicem pugnent: ex quo etiam colligitur non ab iiſdem, neque in eadem parte Concilii fuiſſe omnes canones compoſitos, nec omnia decreta quæ Concilio Conſtantinopolitano tribuuntur, in eadem parte Concilii aut ab iiſdem fuiſſe edita, ſed à diuerſis, & diuerſis temporibus.

§. XII.

Pugnare geſta & decreta Concilii Conſtantinopolitani œcumenici, cum geſtis & decretis à poſteriori conuentu in eadem ciuitate in gratiam ſedis Conſtantinopolitanæ.

PVGNARE inter ſe vtriuſque Conc. decreta ac canones oſtendo: nam ex iis, quæ acta ſunt & decreta in priori Concilio Conſtantinopolitano nec pro primo Patriarcha, nec pro Patriarcha aut primate vllius diœceſis, nequidem Thracicæ, Conſtantinopolitanum habitum fuiſſe colligi poteſt. Primò, quia canone ſecundo Concilij inter

Orientales diœceſes Eccleſiaſticas Ægyptiaca prima nominatur, cui præeſſe dicitur Alexandriæ Epiſcopus, ſecunda Orientalis, cui Antiochenus, tertia Aſiatica, quarta Pontica, quinta & vltima Thracica: ſed ſi Conſtantinopolitanus in Thracia, & primas Thraciæ diœceſis primum inter Patriarchas locum tenuiſſet, prima diœceſis in Imperio Orientali fuiſſet Thracica.

Secundò, idem Concilium canone ſecundo citato in fine ſtatuit, Eccleſias Dei quæ ſunt in Barbaricis gentibus conſtitutæ, regi atque adminiſtrari oportere ſecundùm conſuetudinem quæ à Patribus obtinuiſſe dignoſcitur. Nihil innouandum ſcilicet ſtatuens, circa ipſarum gubernationem ac regimen: quare cùm ante tempora iſtius Concilii non à Conſtantinopolitano, ſed ab Heracleenſi antiſtite regerentur atque adminiſtrarentur tanquam ab exarcho diœceſeos Thraciæ, cuius partem Scythiam fuiſſe teſtantur Sixtus Rufus in Breuiario, Tripartita hiſtoria libro 1. capitibus 4. & 5. & Notitia Imperii Orientalis capitibus centeſimo trigeſimo ſecundo, & centeſimo trigeſimo quarto: ſequitur ex decreto Concilii Conſtantinopolitani ſub eiuſdem exarchica cura relictas fuiſſe barbaricas gentes, ſaltem Scyticas: ac proinde ne Thraciæ quidem integræ diœceſeos eum primatem eſſe placuiſſe patribus Concil. Conſtantinopolitani primi, in ea priori parte quæ ſola Concilium œcumenicum dici poteſt.

Tertiò ex Theodoſij lege quæ tertia eſt codicis Theodoſiani titulo *de Fide Catholica*, cui congruit decretum Concilii apud Sozomenum libro ſeptimo, capite nono, in ſingulis diœceſibus nominati ſunt aliqui Epiſcopi, quibus cæteri communicare deberent: nec, vt docuimus, primates diœceſeos, niſi vel propter obitum, vel propter hæreſim, aut malum de iis rumorem inter eos negligi debuerunt, quamuis adiungi ad reſtaurationem Eccleſiarum potuerint aliqui tanquam conſiliarii primatibus infra maiores Patriarchas: etenim iſtud priuilegium lege iſta tam Theodoſij, quàm Concilii conceſſum, dicitur à Gregorio Niſſeno epiſtola ad Flauianum, fuiſſe *cura emendationis publicæ* ἡ φροντὶς τῆς τῶν κοινῶν διορθώσεως, quæ cura primati intra ſuam diœceſim abſque ipſius culpa denegari non debuit, & ad alios inferiores transferri. Atqui prædictâ lege Imperatoris, ac Concilii pro Thracica diœceſi Nectarius nequaquam eſt nominatus, ſed tantum pro Eccleſia Conſtantinopolitana: nam vt refert Socrates, eos Epiſcopos Imperator Catholicos habendos decernit, qui Conſtantinopoli cum Nectario communicarent, & in aliis diœceſibus cum Epiſcopis ibidem nominatis, quarum vltimam nominat Thracicam, in qua Scythiæque vrbibus communicandum edicit cum Terentio Tomorum, & Martyrio Marcionopolis: quorum vterque erat diœceſeos Thracicæ, hic Mœſiæ quæ ſub Vicario erat Thraciæ diœceſis, illiuſque primaria vrbs erat Marcianopolis, à ſorore Traiani Imperatoris denominata; Tomorum vero ciuitas in Scythia fuit Epiſcopalis, cuius Epiſcopi, Bretannio vigeſima quinta Ianuarii, idem forte qui corruptè apud Socratem Terentius dicitur, in reſcripto verò Theodoſii Bretamnio; vigeſima verò die Aprilis Theotimus Martyrologio Romano inter ſanctos inſeruntur.

Quare ex Socratis narratione, & Theodoſii lege in Concilio Conſtantinopolitano probata communicatio Conſtantinopolitano Epiſcopo extra vrbem Conſtantinopolitanam & regionem adiacentem, vel adiunctam prouinciam non extendebatur, ideoque nec poteſtas ipſius amplior à Theodoſio exiſtimabatur.

Quartò, in epiſtola Synodica Epiſcoporum qui Conſtantinopoli ſecundò conuenerant, quâ res narrantur in Conſtantinopolitano Concilio priori anno geſtæ, aliter de Nectarii electione in Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & Flauiani in Antiochenum loquuntur Patres, hunc communi quidem omnium conſenſu præſente Theodoſio Imperatore, totius denique cleri, totiuſque ciuitatis ſuffragiis ſe Epiſcopum conſtituiſſe referunt. Flauianum verò Epiſcopos illius prouinciæ, & dioeceſeos Orientalis in vnum conuenientes totâ illâ Eccleſiâ, vti poſtulat canon, ſuffragante, & velut vno ore virum illum honorificè collaudante, Epiſcopum ordinaſſe; quæ differentia notanda: nam cùm Patriarchæ ſolerent non ſolùm ab Epiſcopis ſuæ prouinciæ, verùm etiam dioeceſeos ordinari, in Flauiani dioeceſeos Orientalis Patriarchæ ordinatione meminerunt Epiſcoporum tam prouinciæ, quàm dioeceſeos, quorum nulla mentio in ordinatione Nectarii, quamuis ſi Patriarcha Thraciæ dioeceſis fuiſſet, referri aliqui potuiſſent iſtius dioeceſeos Epiſcopi, qui ſubſcripti referuntur, puta Gerontius

Tomenſis, quem alibi Terentium, ſeu Britannionem nominatum diximus, Ætherius Tetionitanus, Sebaſtianus Anchialenſis, & ex Myſia Martyrius Martianopolis, quem Marmarium ſupra prædicta lege Theodoſij in quibuſdam exemplaribus nominatum diximus: illi, inquam, cum intereſſent Concilio, abſentibus prouinciæ Thraciæ ſtrictè ſumptæ, & Europæ Epiſcopis, qui vel vocati venire renuerant culpabili negligentia, vel neglecti fuerant propter hæreſim, præ ermitti non debuerant, ad quos ordinatio ſpectaſſet, ſi Thracicæ diœceſeos primas Nectarius in Conſtantinopolitanum electus agnitus fuiſſet.

E contrario verò in Concilio Epiſcoporum, quod anno 382. habitum eſt ab Epiſcopis Romam vocatis, ſed Conſtantinopoli ſubſiſtentibus, primatem ſaltem Thracicæ diœceſeos Conſtantinopolitanum agnitum fuiſſe, & primum locum inter Patriarchas ei tunc primùm attributum fuiſse patet primò, quia Socrates lib. 5. cap. 8. licet in eo fallatur quòd quæ in hoc poſteriori conuentu acta ſunt, ea priori attribuat, tamen nequaquam mentitus videtur, dum amplam illam ciuitatem Conſtantinopolim & totam Thraciam obueniſſe Nectario ſcribit ex decreto Concilii Conſtantinopolitani.

Secundò Nectarius, vt docuimus ex proſphonetico ad Marcianum, & codice canonum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ actione 16. prçfuit huic ſecundo conuentui Epiſcoporum, ac primum locum tenuit, abſentibus quidem Patriarchis, vt videtur, ſed plurimis ex diuerſis diœceſibus conuocatis, in quo principatum quendam iam ſibi videtur vſurpaſſe.

Tertiò, canon iſte qui primum locum Conſtantinopolitano Patriarchæ tribuit, inter canones Concilii Conſtantinopolitani tertius legitur: non eſt autem ille conditus à conuentu Epiſcoporum anni 381. ergo à conuentu anni 382. qui etiam nomine Concilii Conſtantinopolitani œcumenici ſecundi, tanquam vnius & eiuſdem cum eo inſignitur, cum reuera œcumenicus non fuerit ſecundus iſte conuentus, ſed ex ſolis Orientalibus conflatus fuiſſet, nec à Romano Pontifice probatus fuerit, nec eius acta à Romana Eccleſia pro legitimis admiſſa.

§. XII.

Quænam in conuentu Conſtantinopolitano in gratiam illius ſedis Antiſtitum decreta ſint.

PROBABILE etiam eſt in eo poſteriori conuentu ſub nomine Concilii Conſtantinopolitani primi, ſeu œcumenici ſecundi, ſtatutâ prærogatiuâ Conſtantinopolitani antiſtitis, vt eſſet Thracicæ diœceſis Patriarcha quæ diœceſis inter omnes diœceſes Patriarchæ Orientales minus populoſa, minuſque celebris erat, comprehendebatq; teſtibus Sexto Rufo in Breuiario, Ammiano lib. 26. Caſſiod. lib. 10. hiſt. tripartitæ cap. 4. & aliis, duas conſulares prouincias, puta Europam ſtrictè ſumptam in qua erant Conſtantinopolis, & eius arces ac præſidia, ciuitates duæ Heraclea ſeu Perinthus, & Agri: Thraciam ſtrictè ſumptam quam Philippolis, Berrœa & Eumolpuiſetus ampliſſimæ ciuitates exornabant; præſidiales vero quatuor Hemimontum, in qua Hadrianopolis, quæ olim dicta Vſcudania & Anchialos ciuitates magnæ: Rhodopam, ſeu Rhodopem, quæ Maximianopolim habebat, Matoneam, & Aruum: Mæſiam ſecundam, ſeu inferiorem, vbi Martianopolis, Doroſtorus, Nicopolis, & Odyſſus ciuitates: denique Scythiam, in qua oppida celebriora Dionyſiopolis, Zami, & Calatis, ciuitaſque Tomorum: prærogatiua, inquam, iſtâ Patriarchæ Conſtantinop. tributa, vt eſset exarchus totius diœceſeos Thracicæ, & Patriarcha, ſecundum habens poſt Romanum honoris locum inter omnes Patriarchas, additum exiſtimo vt extraordinariam haberet Nectarius earum diœceſeon inſpectionem, quarum capita hæreſi tenebantur, cuiuſmodi ſuſpicor fuiſse Aſiaticam, cuius Epheſinum antiſtitem iſto tempore Arrianum fuiſse ex Palladii dialogo nuper citato probabiliter deduco: neque enim adhuc Antoninum hominem mali nominis ad eam catherram ſuſpicor aſcendiſse, ante quem Palladius Epheſinam Eccleſiam ab hæreticis poſseſsam docet. Eamque delegationem exiſtimo occaſionem dediſse Patriarchæ Conſtantinopolitano, vt in Aſiaticam, deinde etiam in Ponticam diœceſim principatum inuaderet: Nam & viſum æquum eſt primo inter Patriar-

Digitized by Google

chas Orientales, minimam ex omnibus diœceſibus Orientalibus non ſufficere, ſed alias eius principatui eſſe adiungendas, &, cum ad præfectum vrbis Conſtantinopolitanæ ex reſcripto Conſtantii Imperatoris lege *ſi apud*, Codice *de appellationibus*, liceret à duobus Ponticæ diœceſis rectoribus, id eſt, Bithyniæ & Paphlagoniæ, & totidem Aſianæ, id eſt, Lydiæ & Phrygiæ ſalutaris, & duobus proconſulibus, Aſiæ Helleſponti, & inſularum, quemadmodum & à tribus prouinciis Thracicæ, Europæ, Rhodopes, & Hemimonti appellare, facile inducti ſunt Aſiatici, & quidam ex Ponticis, vt ad thronum Conſtantinopolitanum pro Eccleſiaſticis negotiis concurrerent, ad cuius ciuitatis tribunalia pro ciuilibus confluebant.

§. XIII.

Ante canonem Concilii Conſtantinopolitani, *antiſtitem nullius ciuitatis non fuiſſe illius diœceſis Primatem, ſeu Patriarcham.*

SED ante Conſtantinopolitanum iſtum priorem conuentum, ex iis quæ diximus patet, nequidem Thracicam diœceſim ſub poteſtate Conſtantinopolitani antiſtitis fuiſſe, nec principalem ſeu exarchicam cathedram illius fuiſſe.

Primò, quia Gregorius Nazianz. oratione de Epiſcopis, quæ latina tantum habetur tomo 2. ipſius operum, in fine, principem Eccleſiam, id eſt, Exarchicam, aut Patriarchalem non fuiſſe Conſtantinopolitanam iis verbis inſinuauit, *nouit hoc fœlix vrbs Roma* (Conſtantinopolim Romam vocat, quemadmodum & carmine *de vita ſua*, duas Romas appellat tam ipſam quàm antiquam Romam) *& inprimis patriciis orti familiis ciues, qui me fortè aliquo etiam in pretio habebant: apud quos vel parum gloriæ conſequi maius quoddam eſt, quàm apud cæteros loco plane principe rebus in omnibus eſſe, tantopere cunctis aliis præſtant.* Ibi enim Sacerdotii functionem in vrbe Conſtantinopoli comparat cum eadem functione in aliis amplis & primariis ciuitatibus, ita ſcilicet, vt quamuis locum Principem Conſtantinopoli antiſtites non ſortiantur quem in quibuſdam primariis ciuitatibus habent Epiſcopi, verbi gratia Alexandriæ & Antiochiæ, in quibus locum plane principem obtinent: Tamen hoc abundè compenſari videatur auctoritate, gratiâ, & commendatione, quæ prædictus Conſtantinopoleos Epiſcopus officio ſuo ritè perfungens apud optimates, nobiles, & Patritios conſequitur; quæ à pluribus etiam loco plane principi, ſeu cathedræ Patriarchali præferuntur. Hic ſane videtur eſſe verborum iſtorum ſenſus, ea mens Gregorii, ac proinde ex iis verbis infertur ante Nectarii electionem in locum Gregorii, & ante conuentum poſteriorum Epiſcoporum Conſtantinopoli habitum, regiæ iſtius ciuitatis præſulem nec Primatem, nec Patriarcham fuiſſe, nec in loco plane principe, ſeu in Cathedra ſediſſe, quæ principatum, ſeu apicem Hierarchicæ dignitatis obtineret.

Poſſunt & iſta verba Gregorii loco ſolutionis proferri vulgatæ obiectioni, quòd ante Conſtantinopolitanum Concilium tanto in pretio habitus fuerit Epiſcopus Conſtantinopolitanus, vt & ampliſſimarum prouinciarum Metropolitani, & primates & Patriarchæ ad eam Eccleſiam obtinendã anhelarint, nec ſe degradari exiſtimarint ſi ab Eccleſiis principalioribus ad eam promouerentur: nam verbi gratia, ex vrbe Nicomedienſi tranſlatum Conſtantinopolim Euſebium docent Athanaſius paſſim, Theodoret. lib. 1. cap. 19. Socrates lib. 2. cap. 5. Sozomenus lib. 3. cap. 4. Philoſtorgius lib. 2. cap. 10. & alii plures. Demophilum à Berrhœa Philoſtorgius lib. 9 capite 8. & quod notabilius eſt, Eudoxius ante Demophilum ex Antiocheno Epiſcopo Conſtantinopolitanus factus eſt, teſtibus Philoſtorgio lib. 4 cap. 12. & lib. 5. cap. 1. Theodoreto lib. 2. cap. 24. & 27. Socrates lib. 2. cap. 33. Sozomeno lib. 4. cap. 12. & aliis: & poſteà Theodorus, ſeu Dorotheus cum ex Heracleenſi in Antiochenam cathedram inſiluiſſet, ex Antiochena in Conſtantinopolitanam inuolauit, teſte Socrate libro 5. cap. 12. Sed illud notandum quod Eudoxius à Socrate ab Antiochena ad Conſtantinopolitanam ſe promoueri paſſus dicitur ἐν δευτέρῳ τὸν Ἀντιοχείας θέμενος θρόνον τῆς Κωνσταντινουπόλεως, *ſedem Anthiochiæ Conſtantinopolis ſede poſteriorem ducens.* Quæ vtique ſententia non ita explicanda eſt quaſi tunc temporis Conſtantinopolitana Eccleſia iuriſdictione Hierarchica æqualis aut ſuperior Antiochena foret, ſed quod potentia ſæculari. Conſtantinopolitanus pro-

§. XVI.

Examinantur exempla vſurpationum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſub Ioanne Chryſoſtomo.

Efficacius eſt Chryſoſtomi qui Nectario ſucceſſir, exemplum; Ipſe prædictum Gerontium Nicomedienſem depoſuit, ſexdecim Epiſcopos in Aſia exauctorauit, ſi Theophilo ei illud obiicienti creditur apud Palladium ſupra, ſi eidem Palladio ſex, ſi Sozomeno cap. ſexto citato libri 8. tredecim. In qua tota actione quædam obſeruanda ſunt à Palladio relata laudato ſuperius dialogo, quæ Conſtantinopolitani antiſtitis auctoritatem ampliorem manifeſtius oſtendunt.

Primum, quod Eccleſiaſticarum neceſſitatum gratia Aſiatici Epiſcopi Conſtantinopolim conuenerint cum aliis Epiſcopis, ex Scythia Theotimo, ex Thracia Ammone Ægyptio, ex Galatia Arabiano Metropolitis omnibus ac ſenibus, qui viginti duorum implebant numerum: nam ex ea prima obſeruatione diſces ex tribus iſtis diœceſibus Aſiatica Thracica, & Pontica (nam Galatia Ponticæ diœceſeos erat) pro Eccleſiaſticis neceſſitatibus Epiſcopos Conſtantinopolim conueniſse.

Alternm quod huic Synodo Ioannes Chryſoſtomus præfuerit.

Tertium, quòd in hac Synodo, trium diœceſeon non ſtata neque ordinaria, ſed extraordinaria, ex iis conflata, quos Eccleſiæ variæ neceſſitates, Conſtantinopolim aduocaſſent, Euſebius Valentinopolitanus Epiſcopus Ioanni libellum obtulerit aduerſus Antoninū Epiſcopnm Epheſi varia capita accuſationum continentem, & enixè poſtulaſſe, vt cauſam iſtam diiudicaret, Antoninum conuentum eius iudicium non declinaſſe: Ioannem in Aſiam ſe paratum ire profeſſum, vt teſtes audiret: diſſuaſum ipſi ne impendente tumultu propter Barbarum Gainam exorto ciuitatem dimitteret: tres itaque Epiſcopos Syncletium Metropolitanum, Heſychium Opalienſem Epiſcopum, & ipſummet Palladium Helenopolitanum ad audiendos teſtes miſiſſe. Quæ quidem omnia oſtendunt Conſtantinopolitanum antiſtitem tunc temporis pro legitimo, & competenti iudice in Aſiatica diœceſi agnitum fuiſſe, idemque priuilegium quod in Concilio Sardicenſi Romano Pontifici attributum fuerat, vt ipſe vel per ſeipſum, vel per delegatos à ſe iudices cauſas ad ſe delatas inſtrueret, Conſtantinopolitanum ſimili modo ſibi vendicaſse.

Quartum, quòd per hanc temporis moram mortuo Antonino continuò ex Aſia partim à clero ciuitatis Epheſinæ, partim ab Epiſcopis decretum ad Ioannem venerit, omnibus pauendo, cum iuramento orantibus, vt periclitanti Eccleſiæ opem ferret: quod ipſum argumento eſt Exarchicam eius poteſtatem in primare Aſianæ diœceſeos ordinando, & ab Epheſino clero, cuius maxime id intererat, & ab Epiſcopis diœceſeos agnitam fuiſse ac probatam.

Quintum denique, quò in Aſiam pergens congregatis Lydiæ, & Aſiæ & Cariæ Epiſcopis, quorum complures maximè ex Phrygia concurriſſe dicuntur; vt oris illius facundia, & ſuauitate fruerentur, multos ipſe Epiſcopos ab Antonino iam mortuo ordinatos conuictos, quod per pretium ordinati fuiſſent, depoſuerit, & alios in eorum locum ordiarit, quemadmodum & in locum Antonini diaconum ipſius Heraclidem ab eodem ordinatum referunt Socrates lib. 6. cap. 10. & Sozomen. lib. 8. cap. 6.

Quibus obſeruationibus probari fateor Conſtantinopolitaneos antiſtites iam tum de poteſtate ſibi in iſtas diœceſes cogitaſse, & id vulgari rumore ſparſum fuiſse, ſed nondum planè id conſtitiſse, nec iuris ordinarii fuiſse, aliæ in narratione eiuſdem iudicii à Palladio, & aliis factâ obſeruationes demonſtrant.

Prima, quod Gerontii depoſitioni, & Paraſophii ordinationi factæ à Chryſoſtomo obſtiterint Nicomedienſes, & hunc cum metu & odio receperint, illum cum luctu ac lamentatione dimiſerint, & tam qui exauctorati erant, quam illorum amici Ioannem accuſarint, quod *innouandarum rerum cupidus primus auctor extitiſſe in Eccleſiis, & ordinationum conſuetudinem præter leges patrias inuertiſſet*, inquit Sozomenus libro 8. cap. 6. Nondum ergo certi, & conſtantis iuris erat principatus Conſtantinopolitani præſulis in Aſiaticam diœceſim.

Digitized by Google

Altera, quod pro Eccleſiaſticis neceſſitatibus Epiſcopi iſti conueniſſe dici poſſint Conſtantinopolim non acciri à Conſtantinopolitano tanquam Primate, ſed ſinguli ſua ſponte concurrerint ad quærendum remedium laboranti Eccleſiæ; non ab Epiſcopo Conſtantinopolitano, tanquam à ſuo ordinario Paſtore, & Patriarcha, ſed tanquam à regiæ ciuitatis Epiſcopo, qui apud Imperatorem & Palatinos proceres gratia & auctoritate pollebat, & vt conſilio Epiſcoporum diuerſarum prouinciarum, quos varia negotia huc euocabant, res ſuas agere poſſent: hoc enim duntaxat tota ſeries narrationis apud Palladium, & alios euincit: ac proinde ordinaria poteſtas Patriarchica Conſtantinopolitani antiſtitis in iſtas prouincias, Aſiaticam, Ponticam & Thracicam ex ipſa colligi nequit.

Tertia, quòd Ioannes delationem Euſebii aduerſus Antoninum varia capita continentem Eccleſiæ valde pernicioſa, & quod ordinationes Epiſcoporum pretio facere ſoleret, nonniſi ægrè & horrendis ſacramentis adiuratus, ac rumore aduerſus Antoninum palam coram populo ab eodem Antonino concitato excitus ſuſceperit: ſeſe primò arbitrum egerit; Paulum Heracleenſem qui Antonino fauere videbatur, hortatus vt accuſatorem cum reo in amicitiam copularet: at vero ſi ſe auctoritate Exarchica ordinaria præditum certo ſciuiſſet, non cunctari debebat, quominus circa hæc capita quæ Eccleſiæ perniciem inferebant, ſtatim inquireret. Itaque probabile eſt Ioannem nonniſi vt periclitanti finitimæ Eccleſiæ mederetur, ſibi tanta conſenſione delatam inquiſitionem vſurpaſſe: quippe qui ſciret Eccleſiæ ſalutem ſupremam legem eſſe, & extra territorium varias ordinationes peractas Eccleſiæ neceſſitate ingruente, meminiſſet.

Quarta, quòd Ioannes ob illud ipſum à Theophilo Alexandrino incuſatus ſit, quaſi dominãdi libidine: inquiſitionem iſtam in Aſiaticos aggreſſus fuiſſet, vt ex Palladio docuimus: at non eſt dominandi libido, vbi iuſta poteſtas exercetur: quod item inter capita contenta in libello aduerſus Iſaacium prolato, aduerſus Ioannem vndecimũ illud fuerit, ὅτι ἐπιβαίνῃ ἀλλοτρίαις ἐπαρχίαις, ϗ χειροτονεῖ ἐπισκόπους, *quod aliorum inuadat prouincias, ordinetque ibidem epiſcopos*, vt habetur apud Photium in Bibliotheca codice 59. quæ verba referuntur ad iſtam Ioannis in Aſiam profectionem, & depoſitiones atque ordinationes Epiſcoporum in ea peractas, in quibus nullam legitimam poteſtatem habere viſus eſt Ioannes eiuſdem accuſatoribus Epiſcopis, ac proinde nondum certi iuris erat Conſtantinopolitani in iis prouinciis Patriarchica, ſeu Exarchica auctoritas.

Quinta, quod ordinati à Chryſoſtomo in Aſia, depoſiti poſtea fuerint, teſte Palladio citato: quod arguit creditum ipſos à non habente poteſtatem ordinatos fuiſſe.

Sexta, quod Epheſinus clerus & populus ad Ioannem pro ordinatione Epiſcopi recurrerit, non tanquam ad ordinarium Primatem, aut Patriarcham ſuum, ſed tanquam ad vicinum Epiſcopum magnæ auctoritatis & pietatis, cuiuſmodi vicinos acerſere, cum Eccleſiæ ſtatus periclitaretur, ſemper licitum viſum eſt: atque adeo omnibus pauendo cum iuramento orantibus narrat Palladius Ioannem Epheſum pro ordinatione Epiſcopi in locum Antonini euocatum fuiſſe. At verò apud Patriarcham ordinarium qui ex officio debuiſſet ordinationem peragere, tam inſtanti ſupplicatione, quæ pauendis cum iuramentis fuerit, opus non fuiſſet.

Septima, Ioannem proinde qui ad ſe tanquam ad extraordinarium remedium concurſum noſset, ſibi licitum credidiſse, quod tanto ardore ab iis, quorum intererat, in tanta Eccleſiæ neceſſitate petebatur, exequi; neque ex eo ordinarium Patriarchatum in iis prouinciis ſtabilire voluiſſe colligi.

Octaua, plures ad Ioannem in Aſia concurriſse ſanctitate potius, & eloquentia eius attractos, quàm auctoritate, vt textus Palladii indicat.

Denique illud etiam argumentum eſt, Exarchicam, ſeu Patriatchicam poteſtatem Patriarchæ Conſtantinopolitani nulla certa lege adhuc firmatam fuiſse, cùm nulla ad iudicandas iſtas cauſas certa Synodus adhuc aſſignata eſset: cùm enim Patriarchæ, Primates, Metropolitani non iudicarent Epiſcopos niſi de ſententia alicuius Synodi; habebant ipſi ſuam Synodum, quam pro iudiciis Epiſcoporum, de quibus, vel iure præuentionis, vt vocant, vel per appellationem iudicabant, conuocarent, ſi enim iure præuentionis Epiſcopum iudicarent, in prouincia cauſam ſolebant inſtruere, & ad eam accedere; ſi per appellationem, cum propria Synodo ac-

citis quibuſdam finitimis, aut ex eadem prouincia, ex qua reus eſſet, iudicium reparare conſueuerant: at non ita ſe geſſiſſe Ioannem Chryſoſtomum reperies, ſed in Synodo Conſtantinopolitana Epiſcoporum diuerſarum prouinciarum ſine vlla conuocatione fortuito conuenientium iudicium iſtud aggreſſus eſt, cuiuſmodi Synodus extraordinaria erat, & (vt vocant acta Synodi habitæ ſub Flauiano aduerſus Eutychetem) ἐνδημοῦσα σύνοδος, non autem συναθροισθεῖσα, ſeu συναχθεῖσα. Vnde Eutyches occaſionem ſumpſit iſtam Synodum, quæ illum damnauerat, recuſandi: nam in libello fidei pſeudo-Epheſino Concilio porrecto, queritur ſe ab iis Epiſcopis damnatum, qni in vrbe morabātur *ἰδίων ἕνεκα αἰτιῶν, ob priuatas cauſas*: cuius tamen Synodi vſus in cauſa præſertim fidei quæ communis eſt omnium, innumera exempla ſunt, & recens Synodi Conſtantinopolitanæ exemplum allegari poterat in cauſa Meſſalianitarum in Pamphylia exorientium à Siſinnio Conſtantinopolitano damnatorum, quæ damnatio probata fuerat in Concilio Epheſino primo actione ſeptimâ. Sed in iudiciis Epiſcoporum nondum probatus erat mos iſte Conciliorum conuocandorum, quandoquidem vnumquemque Epiſcopum in ſua prouincia iudicari, vel apud Primatem diœceſeos à finitimis aut prouinciæ ſuæ Epiſcopis, vel ex ſingulis prouinciis iudicibus electis, vt in Africa, leges Eccleſiaſticæ dictarent, nec probatus fuit, niſi in Concil. Chalcedonenſi actione decima, moſque iſte inductus neceſſitate quadam videtur, quòd qui Conſtantinopolitano antiſtiti ſe propter excellentiam vrbis ſubiici non ægrè ferebant, pati tamen non poſſent Thracicæ, verbi gratia, diœceſeos Epiſcopos de Aſiaticis, vel Ponticis iudicare, illumque ex eorum conſilio rem dirimere: idcoque Conſtantinopolitani antiſtites, vt vſurpationem ſuam tuerentur, cogebantur extraordinario Concilio vti Epiſcoporum, qui in vrbem Conſtantinopolitanam pro diuerſis negotiis morarentur, ex ſingulis diœceſibus, & prouinciis.

§. XVI.

Exempla vſurpationum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſub Attico.

QVARTVM exemplum proferri ſolet Attici Conſtantinopolitani, qui in locum Arſacii breui extincti conſtitutus eſt, viuente adhuc Chryſoſtomo, & poſt eius obitum ſedit. Hic enim Siluanum Philoſophum Philippopolis donauit Epiſcopatu in Thracia, in qua prouincia cùm frigus tolerare non poſſet, & ſolutionem ab Epiſcopatu iſto expeteret, Troadibus venientibus Conſtantinopolim quæſitum Epiſcopum, Troadis Epiſcopus in Phrygia ab eodem Attico deſignatus atque ordinatus eſt, teſtimonio Sozomeni libro ſeptimo capite trigeſimo ſexto, & Nicephori libro decimo quarto capite 39.

Quod exemplum probat non ſolùm in Thracica, verùm etiam in Aſiatica diœceſi iam tum auctoritate potitum fuiſſe Conſtantinopolitanum antiſtitem, hancque ipſius poteſtatem confirmat lex ab eodem Attico à Theodoſio inuidiæ obtenta, quæ ei in totam Aſiaticam diœceſim iura ordinationis ſaltem Metropolitanorum videtur confirmaſſe: nam mortuo Cyzicenorum Epiſcopo cum Siſinnius Attici ſucceſſor Proclum Cyzici Epiſcopum deſignaſſet, refert Socrates libro 7. capite 28. Cyzicenos illius ad vrbem aduentum anteuertiſſe, & Dalmatium Monachum Epiſcopum ordinaſſe, quod ab illis factum neglecta illa lege, quæ *iubebat, ne quis Epiſcopus deſignaretur abſque ſententia, & auctoritate Epiſcopi Conſtantinopolitani*: quam legem dixerant in gratiam ſolius Attici factam nihil iuris in eius ſucceſſores tranſmiſiſſe, quæ narratio indicat aliqua lege Attico poteſtatem ordinandi Metropolitani Cyziceni in diœceſi Aſiatica prouinciæ Helleſponti attributam fuiſſe. Sed & alia lex ab Imperatore Theodoſio in gratiam Conſtantinopolitani antiſtitis legitur extorta, qua in Illyricum quoque poteſtatem ſuam extendere conatus eſt Atticus, habetur 46. codice Theodoſiano, *de Epiſcopis* lib. 16. & 6 codice Iuſtiniani *de Sacroſanctis Eccleſiis iis verbis concepta, omni innouatione ceſſante vetuſtatem, & canones priſtinos Eccleſiaſticos, qui vſque nunc tenuerunt etiam per omnes Illyrici prouincias ſeruari præcipimus, vt ſi quid dubietatis emerſerit, id oporteat non abſque ſcientia viri Reuerendiſſimi Sacroſanctæ legis antiſtitis, Eccleſiæ vrbis Conſtantinopolitanæ queſtione quæ Romæ veteris prærogatiua lætatur, conuentui Sacerdotali, ſanctoque iudicio reſeruari.*

Lex

Lex autem iſta alia videtur ab ea quam in gratiam Attici perſonalem Cyziceni cauſabantur, nam in hac poſteriori Aſiaticæ Diœceſis, vel Helleſponti, in qua vrbs Cyzicenorum ſita erat, nulla fit mentio, nec Atticus Conſtantinopolitanus nominatur, adeóque priuilegium in Illyricum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ non Attici perſonæ collatum, nullo iudicio dici potuiſſet: quin immò ratio quæ prætexitur, quòd Eccleſia Conſtantinopolitana Romæ veteris prærogatiuâ lætetur, communis cùm ſic, & Eccleſiam Conſtantinopolitanam reſpiciat, non cuiuſquam in ea ſedentis perſonam; ex ea lege potiùs ſequitur, creſcente audaciâ Atticum non contentum poteſtate in Diœceſes, Thracicam, Ponticam & Aſiaticam, & in Illyricum, quòd eſſet pars Orientalis Imperij, Patriarchatus Conſtantinopolitani limites proferre conatum, cùm antè in prædictis Diœceſibus ſacro Principatu poti retur.

Probant ſanè iſta, quæ à nobis proferuntur, in diuerſas Diœceſes Orientalis Imperij Atticum inuolaſſe, Imperiali præſertim poteſtate fretum, & elicitis per ſubreptionem reſcriptis: *Sed has omnes Pragmaticas ſanctiones, quæ contra Canones Eccleſiaſticos interuentu gratiæ, vel ambitionis elicitæ ſunt robore ſuo & firmitate vacuatas ceſſare* præcipiunt Imperatores Valentinianus & Martianus *ad Palladium Præfectum prætorio*, lege *priuilegia*, Cod. *de ſacroſanctis Eccleſiis*.

Certè citatam mox legem fraude & dolo elicitam nemo eſt, qui non videat; primò, quòd ſupponat vetuſtâ conſuetudine & Canonibus Eccleſiaſticis quæ in vſu haberentur Illyrici prouincias ſub poteſtate Conſtantinopolitani Antiſtitis fuiſſe, quas à Romano Pontifice tanquam Patriarcha Occidentis ſpecialiter gubernatas & Theſſalonicenſi Vicario Sedis Apoſtolicæ ante tempora Valentiniani & Martiani, eóque ipſo tempore, ad oculum ſuperiùs probauimus. Canones autem Eccleſiaſticos, quibus poteſtas Conſtantinopolitani Præſulis ad Illyrici prouincias extenderetur, nonniſi mendaciter allegare potuit Atticus: quandoquidem præcedentes Conciliorum Canones de Illyrici prouinciis omninò ſilerent, nec eas vnquam Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubiecerint.

Secundò, quòd mendaciter quoque ſupponat Conſtantinopolim veteris Romæ priuilegiis lætari, quod nullum Concilium ante Chalcedonenſe decreuerat; ſed ex Can. 3. Concilij Conſtantinopolitani nomine edito, inſulsè colligere Conſtantinopolitani voluerunt. Quòd ſi fraudibus manifeſtis reſcriptum obtinere conatus eſt Atticus, quo reſtrictis Romani Patriarchatus limitibus latiùs in totius Illyrici prouinciis dominaretur, leges in iis prouinciis circa res controuerſas dictando, & maiorum ſeu dubiarum cauſarum in iis exortarum cognitionem ad ſe trahendo inſtar Romani Pontificis; procul dubio & alia reſcripta fraudulenta elicuiſſe, in re magis probabili facilè perſuadebitur, vt ſibi Aſiaticas prouincias, eas præſertim quæ Præfecto vrbis Conſtantinopolitanæ obnoxiæ erant, ſubiugaret.

Sed ſicut lis iſta circa Illyrici prouincias effectu caruit, ita & aliarum circa Aſiaticam Diœceſim, certam atque indubitatam in iudiciis Eccleſiaſticis normam ac regulam minimè fuiſſe cenſemus, nihílque aliud ex iis concludi poſſe, quam iſtam quandiu Atticus vixit, qui gratus erat Theodoſio iuniori legem, non quidem in tota Diœceſi Aſiatica, ſed in prædictis Aſiaticæ Diœceſeos prouinciis, quarum tantùm à Conſtantinopolitano vſurpatarum exempla proferuntur, viguiſſe, inuitis vt plurimùm Epiſcopis & populis, vt apparet ex renitentia Cyzicenorum vbi commodè potuerunt. Nam refert Socrates legem prolatam fuiſſe, quæ iuberet, *Ne quis Epiſcopus deſignaretur, abſque ſententia & auctoritate Epiſcopi Conſtantinopolitani.* At Concilium Chalcedonenſe non de omnibus Epiſcopis id approbauit, ſed ſolùm de Metropolitanis.

§. XVIII.

Varia exempla earumdem vſurpationum diſcutiuntur.

QVINTÒ, proferuntur exempla plurima actione 11. Chalcedonenſis Concilij, ordinatorum à Patriarchis Conſtantinopolitanis. Philippus Presbyter Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in locum Heraclidis à Ioanne ordinati Mennonem Conſtantinopoli ordinatum dixit. Ætius Archidiaconus Conſtantinopolis Caſtinum in eadem vrbe ordinatum adiecit, Heraclidem & alios cum voluntate Archiepiſcopi eiuſdem vrbis; Baſilium ſimiliter, & beatæ memoriæ Proclum ordinaſſe, cui ordinationi, & Theodoſius Imperator & Cyrillus Alexandrinus conſenſerunt.

Verùm duo circa hæc notanda ſunt: primùm non videri hæc omnia certa eſſe, quæ ab illis Clericis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ alumnis, ac nimium eius prærogatiuis fauentibus proferuntur. Primò, quia neque Baſſianus, neque Stephanus, qui duo de Epiſcopatu diſceptabant, Conſtantinopoli, vel à Conſtantinopolitano Patriarcha referuntur ordinati, ſed Baſſianum ab Olympio Theodoſiopolis & Epiſcopis ordinatum Epheſi, ab Imperatore in throno confirmatum, eiúſque interuentu Proclo Conſtantinopolitano reconciliatum, à quo & Synodicas ipſum recepiſſe graue ad eius cauſam momentum dixit; qui pro ipſo orauit Lucianus Epiſcopus Byziæ; ſed Synodi aduerſus eum ſententia præualuit, quòd à Leone per literas depoſitus, ab Alexandrino damnatus, à Flauiano Conſtantinopolitano expulſus, ab Antiocheno fuiſſet reiectus. Stephanum quoque Epheſi conſecratum referunt eadem acta à quadraginta Epiſcopis Aſianis ordinatum in locum Baſſiani. Neque hoc obiectum vlli ex duobus, quòd inconſulto Conſtantinopolitano Antiſtite ordinati fuiſſent; neque de confirmato Epiſcopatu Stephani à Conſtantinopolitano Antiſtite vlla ibi mentio.

Secundò, Diogenes Epiſcopus Cyzici, ſi ſtemus Latinæ verſioni, teſtatus eſt conſuetudinem tuliſſe, vt in prouincia Epheſini Epiſcopi ordinarentur; in gratiam tamen Conſtantinopolitani addere viſus eſt, conuenientiùs ſibi videri hoc innouari; quandoquidem tumultus & ſeditiones à plebeiis hominibus excitari ſoleant, dum eorum Epiſcopus ordinatur: ſed correctior & planior videtur eſſe textus Græcus, τὸ ἔθος ὧδε ἔχει, *conſuetudo hic habet*, ſupple vt hic, id eſt Conſtantinopoli ordinetur Epheſinus: congruunt enim quæ ſubdit de euitandis periculis, ſi Epheſinus Conſtantinopoli ordinaretur. Sed falſum protuliſſe putamus Diogenem, vt Conſtantinopolitanis gratificaretur: certum eſt enim conſuetudinem iſtam, vel nullam vel non antiquam fuiſſe; quare qui eum dicentem excepit Leontius Epiſcopus Magneſiæ, teſtatus eſt à S. Timotheo vſque ad ſuum tempus 27. Epiſcopos factos omnes in Epheſo fuiſſe ordinatos, ſolum Baſſianum ſeu potiùs Baſilium violenter Conſtantinopoli fuiſſe ordinatum, vnde ſeditiones exortæ ſunt: contradixerunt quidem Clerici Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, & alios nominarunt Conſtantinopoli ordinatos, ſed eorum cum tumultu excepta narratio eſt, clamantibus Epiſcopis vt Canones obtinerent, atque ita ſeſſio iſta diſſoluta.

Tertiò, quia cùm vrgeretur in eadem actione, vt in locum iſtorum duorum tertius in Concilio ordinaretur, rem iſtam tanquam inſolitam exhorruerunt Aſiani Epiſcopi, & proſtrati ante ſanctiſſimam Synodum dixerunt, *Miſeremini noſtri, nos ſupplicamus ſancto Concilio, vt miſereatur filiorum noſtrorum, ne fortè propter nos, & propter peccata noſtra moriantur, vt nobis condonetur: nam ſi*, inquiunt, *Baſſiano ſucceſſorem ſuadeat aliquis hic ordinari, & filij noſtri moriuntur, & ciuitas deperit.*

Quartò, quia cùm cauſa iſta de ordinatione Epiſcopatus Eccleſiæ Epheſinæ in actionem ſequentem reiecta fuiſſet, deponendos quidem Baſſianum & Stephanum concluſum eſt, & alium in eorum locum ſubrogandum: ſed vtrùm Epheſi an Conſtantinopoli ordinatio illa perageretur, indeciſum remanſit.

Alterum notandum, ſi ponamus vera eſſe exempla à Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Clericis prolata, non ſequi tamen in Diœceſi Aſiatica poteſtatem iſtam Conſtantinopolitanum Epiſcopum nemine renitente habuiſſe: cùm è contra

videamus huic iuri tanquam nouo Epheſinos reclamaſſe; ac proinde, nondum conſtantis iuris vſurpationem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ fuiſſe, neque ſequi in tota Aſiatica Diœceſi hoc ius ſibi arrogaſſe, ſed exempla tantùm earum prouinciarum Aſiaticæ Diœceſis à Conſtantinopolitano Antiſtite vſurpatarum occurrere, à quarum indicibus ad Præfectum vrbis Conſtantinopolis appellabatur, putà Aſiæ ſtrictè ſumptæ, ſeu proconſularis, cuius Metropolis erat Epheſus; Helleſponti, cuius Cyzicũ; & Phrygiæ ſalutaris, in qua Troas ciuitas ſita erat: quæ prouinciæ lege citatâ Conſtantij, *Si apud*, Cod. *de appellationibus*, inter eas comprehendebantur, à quarum rectoribus ad Præfectum vrbis regiæ appellari poterat. At ex Piſidia, Lycaonia, Phrygia Pacatiana, Lycia, Caria, exempla nulla ibi occurrunt; in quibus prouinciis ad dictum Præfectum vrbis minimè appellabatur. Sicut nec in prouinciis Ponticæ Diœceſis, præter Bithyniam, & fortè Paphlagoniam, quæ prouinciæ ſubiacebant prædicto Præfecto vrbis, ordinationes vllas à Conſtantinopol. Antiſtite ſaltem ante Attici tempora factas legimus; nam quòd Ioannes Epiſcop. aliquot in Aſiatica Diœceſi depoſuerit, & ordinarit, quorũ aliqui, teſte Sozomeno, eſſent ex Lycia, incertum eſt; quandoquidem Palladius teſtis oculatus ſex tantùm depoſitos fuiſſe aſſerat: & incertum etiam eſt, vtrùm id auctoritate Patriarchicâ id præſumpſerit, an auctoritate Epiſcoporum Aſiæ, qui conueniſſe referuntur, & Ioannem accerſiuiſſe. Quin etiam cùm pauca exempla, ſiue in his, ſiue in iſtis prouinciis iſtarum ordinationum appareant, indicium eſt vſurpationes iſtas fuiſſe Conſtantinopolitanorum Antiſtitum, non ius commune aut conſuetudinem receptam ac probatam.

§. XIX.

Exempla vſurpationum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſub prædicto Attico.

SEXTVM exemplum eſt iudicium prædicti Attici in cauſa Epiſcopatus Synadorum vrbis Phrygiæ Pacatianæ, diſceptata inter Theodoſium & Agapetum, datum ab Attico Conſtantin. cuius fit mentio apud Socrat. lib 7. cap. 3. Cui duo opponi poſſunt, Atticum potuiſſe prætextu legis obtentæ ab Imperatoribus, cuius ſuprà meminimus, huic etiam cauſæ ſeſe immiſcere, ſed non exinde ſequi agnitam ipſius poteſtatem Patriarchicam in iſtis prouinciis, maximè cùm neque Theophilum, neque Agapetum duos iſtos contendentes ab Attico fuiſſe ordinatos legamus; neque Attici Conſtantinopolitani conſenſum expetitum, vt neglecto Theodoſio Agapetus, Eccleſiam Synadenſem teneret; quod arguit, non eũ in more poſitum fuiſſe, vt ſine illius conſenſu Metropolitanorum nullus (nam Metropolis Phrygiæ Pacatianæ erat Synadorum ciuitas) in tota Aſiatica Diœceſi creari poſſet. Quod etiam confirmatur, quia neque Atticus hunc ſuæ poteſtatis neglectum vltus eſt, quin immò Agapetum manere debere iudicauit. Alterum, nec Attici ſententiam tam iudicis videri, quàm arbitri; neque enim aut cauſam inſtructam, aut Agapetum citatum, aut ſecundum formam iudiciariam ſententiam datam animaduertimus: ſed hæc omnia prætermiſſa, ſimplicem querimoniam Theodoſij Attico delatam, quæ apud non iudicem deferri poterat, & apud Atticum deponi, æquè vt Imperatoris auctoritatem ſollicitaret, ac vt ſententiam definitiuam redderet: Atticum rogaſſe Theodoſium, vt abiſta impetitione Agapeti deſiſteret, Agapeto ſcripſiſſe, vt Epiſcopatum retineret, certiorem ſcilicet eum faciendo de voluntate Theodoſij conſilio eius acquieſcentis. Quod ex integra rei narratione apud Socratem liquidò conſtabit, cuius initia paucioribus conſtringimus. Theodoſius non tam fidei zelo quàm lucri cupiditate incenſus, Macedonianos, quorum plurimi erant in vrbe Synadorum, perſecutus eſt, maximè verò Agapetum eorum Epiſcopum: ſed cum viris primariis ciuitatis Synadenſis ſatis virium eſſe non crederet ad ſupplicium de Macedonianis ſumendum, Conſtant. venit, vt mandatũ præfecti Prouinciæ obtineret. Interim dum curationi iſti Conſtantinopoli incumbit, Agapetus depoſito errore ad Eccleſiam Catholicam rediit, ſuiſq; perſuadet, vt redeant; quo facto ab omnibus pro Epiſcopo admiſſus cathedram Epiſcopalem Eccleſiæ Catholicæ capeſſit inſcio Theodoſio, qui vbi rediit cum Præfecti mandato, quod

expetierat, & ab omnibus expulſus eſt: atque adeò, vt ait Socrates, *Grauiter ſuum ſtatum coram Attico deplorare, ſe inique Epiſcopatu deiectum docere cœpit. Atticus autem vt intellexerat rem fœliciter ad Eccleſiæ Catholicæ commodum cecidiſſe, verbis Theodoſium lenire, ſuadere, vti genus vitæ & vacuum à moleſtiis conſectaretur, communémque omnium vtilitatem ſuis ſiue priuatis commodis anteferret: ſcribit propterea Agapeto, vt Epiſcopatum teneat, nihilque moleſtiæ ex offenſo Theodoſij animo ſuſpicetur euenturum.*

Nihil in hac Theodoſij epiſtola ad Agapetum notari poteſt, quo iudicem ipſum in hac cauſa ſediſſe colligi queat: nam verba iſta, ἰχέτω τῆς ἐπισκοπῆς, *vt Epiſcopatum retineat:* quo ſenſu ſcripſerit ex ſequentibus innoteſcit, ſcilicet quia Theodoſius eo erat animo vt aduerſus eum nihil deinceps tentaret. Igitur exemplum iſtud inutile eſt, nam Exarchicam Conſtantinopolitani Antiſtitis in Phrygia Pacatiana exploratam auctoritatem probat.

§. XX.

Exemplum vſurpationis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſub Chryſoſtomo, Proclo, Flauiano, diſcutitur.

SEPTIMVM exemplum petitur ex conteſtatione inter Metropolitanos, Nicænum, & Nicomedienſem in Bithynia Ponticæ Diœceſeos prouincia, cui ſcilicet ex duobus Eccleſia Baſilinopoleos tanquam Metropolitæ ſubiaceret, & à quo Epiſcopus ipſis præfici & ordinari deberet, quæ refertur actione 13. Concilij Chalcedonenſis: vterque ſiquidem pro tuitione ſui iuris reſcripta Pontificum Conſtantinopolitanorum Ioannis Chryſoſtomi, & Procli profert, quibus conſtat vtrumque in eam Eccleſiam Patriarchicam exercuiſſe poteſtatem. Conſtat & Patriarcham, qui tunc ſedebat cùm lis iſta mota eſt, quem Flauianum fuiſſe puto, ab iiſdem agnitum & ſuſceptum fuiſſe. Primò enim Anaſtaſius teſtatur *ſe obtuliſſe libellos Archiepiſcopo, qui fuit, rogantem eum, vt vocaret Dominum Eunomium, & vtriuſque iura audiret: ad vtrumque illum litteras dediſſe, ſcribentem ambobus, ac dicentem, Nullus veſtrùm introducat nouitatem, ſed conſiſtite in rebus antiquis: ego enim noui quomodo debeam Metropoles honorare:* quas literas apud ſe habere dixit Anaſtaſius, paratúmque oſtendere ſubdit; itaque venientibus Baſilinopolitanis Clericis, & aduerſus Epiſcopum ſuum illum interpellantibus, cuſtodientem ſe mandata Archiepiſcopi dixiſſe: *Non vos ſuſcipio, ſed abite ad Archiepiſcopum, & ſi mihi iuſſerit, audiam:* illos verò adiiſſe Nicomedienſem, qui confeſtim *miſerit Conſtantinopolim* (vt ſeries narrationis indicat) *præſentans Epiſcopum Baſilinopolis:* cui verò præſentaret, niſi Conſtantinopolitano Patriarchæ? atque adeò ſicut in facto Anaſtaſij obtemperantis animaduertimus ſubmiſſi Metropolitani Patriarchæ Conſtantinopolitano haud dubia indicia; ita in facto Eunomij conſenſum eiuſdem Patriarchæ expetitum ad ordinandum Epiſcopum Bithyniæ, quod neceſſarium contendit Ætius Archidiaconus Conſtantinopoleos, eadem actione 2. Probat idem Anaſtaſius Eccleſiæ ſuæ priuilegium in adminiſtranda Eccleſia Baſilinopolitana, ex præiudicio Ioannis Chryſoſtomi, cuius literas producit ad Nicænum Epiſcopum, ei mandantes, *vt iret & emendaret Eccleſiam prædictam, tanquam ſibimet competentem.* Quæ litteræ Patriarchæ Conſtantinopolitani in Eccleſias Nicænam Metropolitanam, & ſubditam ipſi Baſilinopolitanam antiquum ius à tempore Chryſoſtomi oſtendunt. Addit idem Anaſtaſius *habere ſe litteras ad beatæ memoriæ Proclum:* eas, ni fallor, quibus de ordinato à ſe Epiſcopo Baſilinopoleos Nicænus ad Patriarcham Conſtantinopolitanum referret; & hoc quoque eiuſdem Patriarchæ poteſtatis argumentum eſt.

Denique Eunomius Nicomedienſis conqueſtus eſt, Baſilinopoleos Clericos ſibi ſubiectos à Nicæno perperàm excommunicatos, *teſtémque* vocauit *ſanctiſſimum magnæ Conſtantinopoleos Archiepiſcopum, qui ſuſcepit eos, & reddidit eis communionem*; quod vtique factum non allegaret, niſi præiudicium ſuæ cauſæ maximum eſſe putaret, & Patriarchæ Conſtantinopolis auctoritatem in prouincia Bithyniæ agnitam receptámque ſupponeret.

Quatuor ex hac narratione obſeruo: vnum, quod negari non poteſt, vſurpata à Conſtantinopolitanis Patriarchis in Bithynia prouincia, quæ licèt Ponticæ Diœceſeos eſſet, in ciuilibus tamen à Præfecto vrbis Conſtantinopolitanæ pendebat, Patriarchica iura.

Alterum, nec ordinaria ſolùm iura, ſed inſolita quoque, & quæ ab eodem Concilio Chalcedonenſi poſteà improbata ſunt, priuilegia affectata, putà vt *ſanctiſſima Conſtantinopolitana ſedes aut ordinationem ipſa faciat in Baſilinopoli, cum reliquis* Eccleſiis Epiſcopalibus Bithyniæ, *aut eam promittat fieri:* quod ex litteris variis ſe probaturum ſpondet Ætius Archidiaconus Conſtantinopolis; quo poſito priuilegio conciderent omnia iura Metropolitica; atque adeò denegatum illi fuit, actione 16. & Metropolitanorum duntaxat ordinandorum facultas ei conceſſa: vnde patet ambitionem Clericorum Conſtantinopolitanorum & Patriarcharum vlteriùs ſemper tendere voluiſſe, nullóſque limites fuiſſe, quos non tranſilire conarentur, & ſibi ex vſurpationibus ius quæſiuiſſe.

Tertium, contra Canones iudicaſse Conſtantinopolitanos Epiſcopos, qui Nicæno ius aliquod Metropoliticum conceſserant, iudicatúmque in Concilio honorem duntaxat, non officium Metropoliticum Nicæno Metropolitano conuenire.

Quartum, non eſse certum, quòd Eunomius Nicomedienſis, in cuius gratiam iudicatum eſt in hac cauſa, conſenſum expetierit Conſtantinopolitani Antiſtitis, pro ordinando Epiſcopo Baſilinopoleos; nam quòd miſiſse dicatur, & præſentaſse Epiſcopum, commodiùs vtique de miſſione & præſentatione Eccleſiæ Baſilinopolitanæ intelligitur, quàm de miſſione ad Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui iam tum ipſi ſicut Nicæno Epiſcopo ſcripſerat, ne quid innouaretur, néve aliquid lite pendente ab vtrouis ordinaretur: proindéque nequaquam viſum Eunomio, aut Patribus Chalcedonenſibus, qui ei ordinationis iura adiudicarunt, Patriarchicham auctoritatem Conſtantinopolitani, quam poſteà in Pontica & Aſianâ Diœceſi lato Canone ſtatuerunt, adeò fuiſse certi & conſtantis iuris, vt Eunomius ſententiæ eiuſdem vrbis Epiſcopi ſtare debuiſset.

§. XXI.

Exempla vſurpationis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſub Flauiano.

OCTAVVM maioris poteſtatis exemplum Patriarchæ Conſtantinopolitani, eſt intentata apud Flauianum Conſtantinopolitanum accuſatio Ibæ Edeſſeni in Syria, quæ Orientalis cùm eſset Diœceſis, Antiocheno Patriarchæ parebat. In quam ideo cauſam, licèt primo Clerici Edeſſenæ ciuitatis ad Domnum Antiochenum retuliſsent, tamen mutato conſilio ad Flauianum primo iudicio eandem cognoſcendam detulerunt. Ex quo exemplo elucet, quòd eandem quam Rom. Pontifex ſibi, approbantibus Conciliis Sardiceno, & Romano ex vniuerſa Italia collecto ſub Damaſo anno 378. (quod vtique reſcripto Gratiani Imp. publicato à Sirmundo poſt Appendicem Cod. Theodoſ. confirmatum eſt) vendicabat auctoritatem; vt vel cauſam ſibi retineret, vel iudices in partibus ad eam audiendam delegaret: eandem, inquam, ſibi arrogarit Flauianus, cognitione cauſæ tribus Metropolitis demandatâ, nempe Photio Tyri, Euſtathio Berythi, & Vranio Himerorum, qui in Synodo Berytenſi, cuius acta Chalcedone relecta ſunt actione 10. iudicium ſuſceperunt. Flauianum autem tres illos Metropolitanos delegaſse ad audiendam Ibæ cauſam, in libello Samuelis, & aliorum Preſbyterorum Edeſsæ oblato Photio, aliiſq; Epiſcopis iudicibus, quo proteſtantur ſe paratos adeſse ſuum negotium proſequi aduerſus Ibam: *Sanctiſſimo*, inquiunt, *noſtro Archiepiſcopo Flauiano pariter decernente, & cum piiſſimo noſtro Principe diſponente*, καὶ τοῦ ἁγιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου Φλαβιανοῦ συμψηφισαμένου τῷ εὐσεβεστάτῳ καὶ φιλοχρίστῳ ἡμῶν βασιλεῖ, καὶ τυπώσαντος. Circa quæ verba duo obſerua: vnum, Clericos Edeſsenos Flauianum Archiepiſcopum vocare: quòd nullâ aliâ ratione ab iis dictum intelligi poteſt, niſi poteſtatem aliquam in eos ordinariam habere Patriarcham Conſtantinopolitanum agnouiſſe credantur. Alterum, eoſdem Clericos & delegationis factæ à Flauiano, & reſcripti Imperatoris, quo illa munirentur, mentionem feciſse.

Digitized by Google

Clarior etiam eiuſdem delegationis mentio in actis Synodi Berytenſis relatâ actione citatâ Concilij Chalcedonenſis, *Adeuntibus*, inquit Eulogius Diaconus Conſtantinopolitanus, *reuerendiſſimis Clericis Samuele*, &c. *Deo amantiſſimum Archiepiſcopum noſtrum Flauianum in ſanctiſſima Eccleſia regiæ Conſtantinopolis nouæ Romæ*, ἐδοκίμασεν ἡ αὐτοῦ ἁγιότης τὴν ὑμετέραν θεοσέβειαν ἀκοῦσαι τῆς ὑποθέσεως, καὶ περὶ τούτου γράμματα ἐκόμισα, καὶ ἀποδέδωκα τῇ ὑμετέρᾳ ἁγιωσύνῃ, *Approbauit eius ſanctitas veſtram religioſitatem audire negotium, & de hoc literas detuli, & dedi ſanctitati veſtræ.* Eadem obſeruare poteris, quæ priùs circa libellum ſupplicem Samuelis & aliorum obſeruauimus, quibus addere potes Conſtantinopolitanum Patriarcham delegationis literas ſeu mandata per Diaconum Eccleſiæ ſuæ miſiſſe, qui ea diſceptatoribus à ſe nuncupatis traderet; nec abnuiſſe Orientis Metropolitanos Patriarchæ Antiocheno ſubditos à Conſtantinopolitano iudicandi de Epiſcopo Diœceſis Orientis auctoritatem impetrare, quam vtique refutaſſent, niſi auctoritatis ipſius ſupra cæteros in Oriente Patriarchas Orientalium animis inſediſſet opinio, vt ipſe Patriarcha Conſtantinopolitanus, æquis cum Romano priuilegiis donatus, ſicut hic ex toto orbe, ita ex toto Oriente cauſas Epiſcoporum euocare, & quibus vellet iudicibus, inquirendi & iudicandi prouinciam poſſet committere.

Verùm huic conſecutioni plurima opponuntur, quæ ex integra rei geſtæ narratione colliguntur; putà extraordinariam hanc fuiſſe cognitionem ab Imperatore decretam Flauiani conſilio potiùs quàm iuſſu; Flauianum etiam dici poſſe à Romano Pontifice huic cauſæ prouidendi curam & auctoritatem, omniáque exequendi quæ ipſi neceſſaria viderentur accepiſſe, quia cauſa ex maioribus erat, in qua & de Epiſcopi, & de cauſa fidei agebatur, nec Domno Antiocheno, cuius facta à Concilio Pſeudo-Epheſino depoſitio in Chalcedonenſi probata eſt, ea fides habebatur, quæ Flauiano Conſtantinopolitano, qui pro fide Catholica à Dioſcoro indigna paſſus, Chriſti Martyr occubuit; ordinariam viam procedendi fuiſſe, vt coram Antiocheno cauſa Ibæ ageretur: ideò conuentum primò fuiſſe Ibam coram Domno: excommunicatos ex accuſatoribus Ibæ duos, qui Conſtantinopolim petiiſſent, non placuiſſe proinde Antiocheno Patriarchæ, nec probatum recurſum ad Patriarcham Conſtantinopolitanum: neque ſi hoc ſibi ius cauſarum ex alio Patriarchatu euocandarum vſurpauit ille, pacificè eo potitum fuiſſe, ſed propter Imperatorium reſcriptum ei fuiſſe delatum, nec Epiſcopos cauſæ diſceptatores conſtitutos à Flauiano, eius in tota litis diſceptatione mentionem feciſſe, ſed tantùm Imperatorij mandati; imò nec omninò ſententiam ferre voluiſſe, ſed ſequeſtros pacis & amicos arbitros ſe geſſiſſe; ac proinde non videri Patriarchæ Conſtantinopolitani præſumptæ auctoritati acquieuiſſe.

Ad eorum autem probationem hæc addo, Ibæ Edeſſenæ Eccleſiæ Epiſcopi acta relata actione 9. Concilij Chalcedonenſis referre hanc Photij Tyri, & Euſtathij Berythij Metropolitanorum interlocutionem, ex qua innoteſcit quâ auctoritate inducti fuerint ad cauſam Ibæ audiendam, *Magnificentiſſimus, & glorioſiſſimus Tribunus, & Notarius Damaſcius aduenens in Phœnicum prouinciam, pias litteras nobis dedit, per omnia piiſſimi, & amatoris Chriſti Imperatoris noſtri, quæ iuberent auditores nos eſſe cum religioſiſſimo Vranio Epiſcopo ciuitatis Himeriæ, Capitulorum eorum quæ mouentur aduerſus amantiſſimum Ibam Edeſſenæ ciuitatis Epiſcopum, à Samuele, & Cyro, & Mara, & Eulogio reuerendiſſimis; & formam quæ nobis videretur iuſtiſſimam proferre. his ergo quæ piè ſancita ſunt ſatisfacientes, audientiam propoſuimus*, &c.

Non ergo tam ſpectandum eſt, quod Samuel & alij Clerici Edeſſeni, qui iudicium Antiocheni Patriarchæ declinarent, in cauſa dicant, vt litis à ſe procuratam tranſlationem excuſarent, quàm quod poſteà ſecutum ſit: nec tam attendendum quid Eulogius Diaconus Conſtantinopolitanus Eccleſiæ ſuæ impenſiùs fauens dixerit, quàm quod iudices conſtituti dicant, qui Imperatorium duntaxat non Flauiani mandatum leguntur allegaſſe, cuius etiam in actis Synodi Berytenſis, actione 10. paſſim fit mentio, vt ex illorum proceſſu, non eos Flauiani prætenſis iuribus acquieuiſſe, ſed Imperatoribus obtemperaſſe deduci tantùm poſſit. Notanda ex iiſdem actis quæ iidem iudices interlocuti referuntur. *Cùm illi accuſatores certa quædam dixiſſent, & multa mota fuiſſent, quæ in actis inſerta ſunt: nos audien-*

tium ordinem ad modicum relinquentes, & ad ſanctarum Eccleſiarum communem vtilitatem reſpicientes, pro iudicibus pacis mediatores eis partibus noſmetipſos effecimus.

Delegatum à ſuperiori exequi neceſſum eſt prouinciam quam ſuſcepit, videmus autem iſtos Epiſcopos, omiſſo iudicandi officio, amicabilem operam Ibæ cum Clericis ſuis reconciliando impendiſſe, & in ea quam dictant, tranſlatione, Flauiani aut Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ non meminiſſe, ſed tantùm Domni, & ipſius Eccleſiæ Antiochenæ, cuius ſcilicet morem in œconomio conſtituendo Ibas ſe ſequuturum, & ſine cuius Domni nutu ac ſententia nihil vnquam aduerſus Clericos à quibus accuſatus fuerat acturum promittit: atque ideò non videtur ex iis actis quidquam elici, quo prædicta Patriarchæ Conſtantinopolitani prætentio ab Orientalibus probari poſſe videatur.

Fuſiùs autem in actis Synodi Berytenſis habitæ in cauſa Ibæ Edeſſeni, relectis actione 10. Chalcedonenſis Concilij refertur, quomodo Damaſcius prædictus Tribunus & Notarius Palatij miſſus ab Imperatore fuerit, vt Ibam, Ioannem & Danielem Epiſcopos, de hæreſi accuſatos ad Synodum Berytenſem deduceret coram iudicibus reſponſuros, & eos non ſponte, ſed vi coram iudicibus iſtis delegatis adfuiſſe cauſam dicturos; ſtatímque initio petiiſſe iudices, vt commonitorium Imperatoris oſtenderetur, quatenus per omnia intentionem piiſſimi Imperatoris ſequerentur, προλάμπειν γὰρ ὀφείλει τῆς δὲ τῆς πράξεως, *Præfulgere enim debet huic rei gerendæ*, inquierunt illi; quibus verbis oſtendunt eâ ſe auctoritate munitos deinceps acturos. Eulogius quidem Diaconus Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ mentionem ingerit & mandati Flauiani, à iudicibus non rogatus, nec vllum ea de re reſponſum refert. In actis quoque Concilij Tyrij Imperatoris reſcriptum inſertum eſt, Flauiani autem mandatum neutiquam, quia ſcilicet Flauiano ſe Orientales ſubmittere nolebant, nec eius poteſtatem agnoſcere.

Narratur in iiſdem actis, poſtulatum à iudicibus, vt referret Ibas quid Antiochiæ in hac cauſa actum eſſet; relatum ab eo fuiſſe accuſatores ipſius excommunicatos, antequam iudicio ſe ſiſterent Eccleſiaſtico, à Domno Antiocheno; de eius conſenſu abſolutos fuiſſe ſub hac defintione, vt qui cauſam deſereret, Eccleſiaſticæ ſubiaceret diſciplinæ: accuſatoribus quoque ſuis Ibas obiecit, quòd iudicium Antiochenæ ſedis declinarint; contra quas proinde hæc verba torquet, Δῆλοι τοίνυν εἰσὶν ἀπολειφθέντες, καὶ τῆς ἀκοινωνησίας, καὶ τοῦ ἀποστολικοῦ τούτου θρόνου καταφρονήσαντες, καὶ ἑαυτοὺς ὑποβαλόντες, τῷ μείζονι τῆς καθαιρέσεως ἐπιτιμίῳ. *Manifeſti igitur ſunt deſertores, & excommunicationem, & Apoſtolicum hunc thronum contemnentes, & ſemetipſos ſubiicientes maiori damnationis ſupplicio.*

Non ſunt illa verba hominis probantis recurſum iſtum ſiue ad Imperatorem, ſiue ad Patriarcham Conſtantinopolitanum; in eo ſaltem caſu, in quo inchoata erat lis coram Domno Antiocheno, quam deſerere nemo ſine piaculo potuit, ne quidem vt ad maius tribunal confugeret: ac proinde ſi quid Flauianus alioqui vir ſanctiſſimus, in hac cauſa aduerſus Patriarchæ Antiocheni iura præſumpſit, bono quidem animo id feciſſe dicendus eſt, ſed non habuiſſe adſtipulatores Orientis Epiſcopos exinde coniicitur.

Quin etiam hoc notandum videtur, in Concilio Tyrio retractata, quæ fuerant à Synodo Berytenſi acta: nam actione 10. Concilij Chalcedonenſis citatâ, poſt multa de Iba narrata, & interlocutionem plurium, legi iubentur quæ in Concilio Tyrio acta ſunt in eius cauſa, & in iis quæ in Tyrio ſunt geſta, inſerta videntur ea quæ in Synodo Berytenſi à diſceptatoribus ſeu recuperatoribus prædictis diſceptata fuerant; ac tandem iis omnibus ſubſcribunt, Domnus Antiochenus, Simeonius Epiſcopus, & alij celebriores Epiſcopi ex Oriente; vt appareat integrum iudicium Orientales ſibi minimè ademptum credidiſſe, quantumuis iudices à Patriarcha Conſtantinopolitano & Imperatore ad eam cauſam audiendam commiſſi fuiſſent, eámq; extraordinariam cognitionem à ſæculari poteſtate manantem, ordinariam Eccleſiaſticam non impediuiſſe: quod ipſum in cauſa Cæciliani videre poteris obſeruatum.

Quin etiam ex libello Samuelis, & aliorum Preſbyterorum Eccleſiæ Edeſſenæ, qui his actis ſubiungitur, deduci poſſet Romani Pontificis auctoritate Fla-

Qqq iiij

Digitized by Google

uiano huius cauſæ procurationem demandatam : nam & Occidentale Concilium adiiſse ſe Clerici iſti teſtantur, & Imperatori ſupplicaſse, ἀκολούθως, καὶ κατὰ κανόνας, ταῖς συνόδοις προσελθόντες, τοῦτο μὲν τῇ ἀνατολικῇ, τοῦτο δὲ δυτικῇ, ἐδέησεν ἡμᾶς καὶ τῷ εὐσεβεστάτῳ, καὶ φιλοχρίστῳ ἡμῶν βασιλεῖ περὶ τούτων προσελθεῖν· *Conſequenter & ſecundum Canones, adeuntes tam Concilium Orientale, quàm Occidentale, oportuit nos & piiſſimam atque Chriſtianiſſimum Principem noſtrum pro his deprecari.* Nam per Occidentale Concilium, illud cui Romanus Epiſcopus præſideret, intelligi debere. duo ſunt quæ perſuadent :

Primum, quòd Occidentalium Præſes vbique dicatur Romanus Pontifex ; & vbique Occcidentales dicuntur, qui vel in eius Patriarchatu, vel in Imperio Occidentali degunt: & nunquam Conſtantinopolitanus Patriarcha dicatut Occidentalium Primas ; nunquam eius Concilium dicatur Occidentale.

Alterum, quòd nullo Canone probari poſſit, pro Epiſcopi cauſa, maximè ex Patriarchatu Antiocheno, adeundum eſſe Conſtantinopolitanum Antiſtitem, aut eius Synodum ; quin immò, à Synodo Conſtantinopolitana id vetitum erat, quæ Thracicos tantùm Epiſcopos, ea tantùm quæ ſunt Thracicæ Diœceſeos ; Ponticos, quæ erant Ponticæ ; Orientales, quæ ſunt Orientis adminiſtrare iuſſit: id verò in Concilio Sardicenſi de Epiſcopo prouocante ad Sedem Romanam cautum ſit, vt liber acceſſus ei pateret. Quamobrem, cùm ex iis verbis innoteſcat Synodum Occidentalem conſultam fuiſſe, & Imperatoris ſubſecutum reſcriptum, ac mandatum Flauiani, probabiliter coniicimus, quod in hac cauſa ab Imperatore & Flauiano actum eſt, id de mandato Romani Pontificis Occidentali Synodo præſidentis factum fuiſſe ; atque adeò Domnum Antiochenum, qui ad vrbem Conſtantinopolim diſcedentes accuſatores Ibæ excommunicatos declarauerat, non improbaſſe tamen diſceptatores à Flauiano & Imperatore nominatos, quòd legitimâ Romani Pontificis auctoritate iſta eis cura fuiſset demandata. Quæ ſolutio optima eſt, niſi fortè potiùs credamus tacuiſse Flauianum, hanc ei à Romano Pontifice impoſitam operam, ne Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ prætenſis iuribus præiudicaret, & vt exinde amplificandæ ſuæ poteſtatis occaſione vteretur, atque adeò in iſtius actis nullam ſententiæ Romani Pontificis fieri mentionem. Vt vt ſit, ex iis videas ſaltem conſtantis iuris non fuiſse illam prætenſam Contantinopolitani Antiſtitis prærogatiuam, qui ſibi in cæteris Orientis Patriarchatibus ius aliquod quæreret ; quo iure ipſum non liberè potitum, etiam poſt Concilium Chalcedonenſe, mox dicemus.

§. XXII.

Cætera exempla eiuſdem vſurpationis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſub Proclo, & Anatolio ante Concilium Chalcedonenſe, expenduntur.

ALIA minoris momenti exempla occurrunt: Nonum quidem, quòd actione I. Concilij Conſtantinopolitani aduerſus Eutychetem, cuius acta Chalcedonis Concilij actione I. relecta ſunt, mentio fit recitatæ relationis directæ à Florentio beatiſſimo Epiſcopo Sardium Metropolis prouinciæ Lydorum, aduerſus ſub eo conſtitutos reuerendiſſimos Epiſcopos, Ioannem, & Coſſinium, præſentibus etiam Clericis his qui eaſdem relationes detulerunt, & datâ formâ de aliquibus quæ lecta ſunt.

Verùm iſtud exemplum nihil videtur vrgere, tum quòd ad quem hæc relatio miſſa ſit, quid circa eam actum fuerit, ibidem non referatur: tum quòd Græcus textus relationem iſtam non ſignificet à Florentio aduerſus Suffraganeos ſuos, ſed à Florentio & duobus eius Suffraganeis miſſam : verba enim Græca in vulgatis Codicibus hæc habentur : καὶ ἀναγινωσκομένης ἀναφορᾶς σταλείσης παρὰ Φλωρεντίου τοῦ θεοσεβεστάτου ἐπισκόπου τῆς Σαρδιανῶν μητροπόλεως τῆς ἐπαρχίας Λυδῶν, καὶ τῶν ὑπ' αὐτῷ τελούντων θεοσεβεστάτων ἐπισκόπων Ἰωάννου καὶ Κοσσινίου. Et ſanè lectio iſta longè conuenientior eſt quàm præcedens, cùm enim tota Synodus ſit aduerſus Eutychen, & actione iſtâ primâ narretur accuſatio aduerſus illum facta ab Euſebio Dorylæi

Epiſcopo, congruit vt relatio, cuius mentio præmittitur, ſtatim initio actionis facta putetur à Metropolitano Sardium, & duobus ex eius Suffraganeis circa Eutycheris prauam doctrinam, de qua per litteras & Clericos ex profeſſo miſſos ad Concilium renuntiarunt; quòd poreſtatem Flauiani in Aſiana Diœceſi non magis iudicat, quàm Cypriani auctoritatem in Galliis, quòd ad Stephanum de Martiani Arelatenſis lapſu epiſtolam ſcripſerit.

Decimum quoque exemplum eſt, iudicium latum in Synodo Conſtantinopolitana, circa diuiſionem inter Photium Tyri ex vetuſta conſuetudine Metropolitanum, & Euſtathium Berythi ex noua Pragmatica Imperiali in Metropolim erectæ, cuius acta referuntur actione 4. Concilij Chalcedonenſis: ex quibus conſtat controuerſiam iſtam in Synodo Conſtantinopolitana iudicatam fuiſſe: & Synodi decretum ab Anatolio ſubſcriptum ad Maximum Antiochenum delatum eſſe, qui tunc præſens in vrbe aderat, quamuis deliberationi Concilij non interfuiſſet, nec auſum fuiſſe Maximum, quin ipſum ſuâ ſubſcriptione firmaret: nam rogatus à iudicibus Maximus, vtrùm adfuiſſet Synodo cùm in fauorem Berytenſis fuiſſet pronuntiatum, reſpondit ſe Conſtantinopoli adfuiſſe, Concilio verò cùm iſta agerentur, non interfuiſſe; chartam ſibi ab Anatolio ſubſcriptam delatam, eique ſe illum ſecutum ſubſcripſiſſe. Præterea hoc in eadem cauſa norandum eſt, Anatolium, cùm Photius contra decretum Synodi in vrbibus Berytenſi nouæ Metropoli aſſignatis Epiſcopos ordinaſſet, illos depoſuiſſe, ac Photium excommunicaſſe, minatum etiam illi excommunicationem, niſi legem à ſe in Concilio præſcriptam ſeruaret, nec Orientales aduerſus Anatolium tanquam iudicem incompetentem excepiſſe, ſed aduerſus Concilium, quòd ex Epiſcopis, qui Conſtantinopoli fortuitò reperirentur, non autem ex Epiſcopis ſolemni ritu conuocatis collectum fuiſſet. Inde enim infertur, vel concedente ipſo Maximo Patriarchâ Antiocheno, Anatolium de his cauſis iudicaſſe, quæ in Oriente Patriarchæ iſti ſubdito emergebant, & Anatolium excommunicandi ac deponendi etiam Epiſcopos ſibi auctoritarem ante Concilij Chalcedonenſis definitionem ſibi vendicaſſe.

Verùm aduerſus illud exemplum excipi iſta poſſunt. Primùm, ſi ius Conſtantinopolitani Patriarchæ conſtans fuiſſet, Euſtathius Epiſcopus Berytenſis, in cuius fauorem deciſum fuerar, Anatolij potiùs Conſtantinopolitani, ad auctoritarem ſententiæ conciliandam meminiſse debuiſset, quàm Maximi Antiocheni: contrarium autem ex iis quæ prędictâ actione 14. referuntur, innoteſcit: nam Euſtathius Concilij pro ſe lati ſententiam allegans, hæc habet: *Concilium reuerendiſſimorum Epiſcoporum factum eſt Conſtantinopoli, ac data eſt definitio, cui etiam Maximus reuerendiſſimus Epiſcopus Antiochiæ ſubſcripſit.*

Alterum, videtur & Euſtathius ex profeſso voluiſse à ſe amoliri inuidiam iſtius iudicij, cùm negat à ſe procuratum fuiſse, & calumniam ſibi à Photio illatam putauit, quòd eum iſtius cauſæ inſtitorem deſcripſiſset, quam inuidiam à ſe nequaquam auertere viſus eſt propter formam eius extraordinariam.

Tertium, probabile eſse Anatolium chartam, in qua ſententia à ſecum Synodo lata ſcripra erat, ad Maximum miſiſse, vt rei definiræ auctoritatem adderet, qui ſciret ſuam in Orientis Diœceſi nequaquam pro conſtanti ſententiam futuram.

Quartum, à Maximo Antiocheno vel per obreptionem obtentum, vt chartæ ſubſcriberet, vel metu ipſum adactum ad ſubſcribendum; ſi enim Photius ad ſubſctibendum Synodico metu excommunicationis adactus eſt, vt ipſe ſtatim initio ſuæ cauſæ præfatur; non potuit Maximus, cui cum Domno Antiocheno pro Epiſcopatu erat controuerſia, depoſitionis metu adigi vt eidem Synodico ſubſcriberet?

Quintum, ſententiam ab Anatolio, & Concilio datam, iniquam, & contra Canones datam iudicatam fuiſse; ac proinde præſumi poſse, potuiſse eos in forma iudicij peccaſse, qui contra æquitatem iudicaſsenr.

Sextum, Photium Epiſcopum Tyri ſententiæ non acquieuiſse, ſed reuerſum Epiſcopos etiam in iis ciuitatibus ordinaſse, quæ ſententiâ Synodi Conſtantinopolitanæ Berytenſi tanquam Metropolitano ſubditæ fuerant.

Septimum, excommunicationem prolatam aduerſus Photium contumacem, appendicem ſententiæ latæ à Synodo Conſtantinopolitana exiſtimatam fuiſſe: cùm enim vnuſquiſque iudex poſſit tueri ſuam ſententiam pœnali aliquo iudicio, eo ipſo quo Anatolius cum Synodo Conſtantinopolitana de diuiſione prouinciæ Phœniciæ primæ ſententiam tulerat, quaſi conſectarium iudicio lato credidit ad ſe pertinere, renitentem eiuſdem executioni Photium excommunicationis ſententiâ plectere.

Octauum, iudices in Concilio deſignatos propoſuiſſe hæc agitanda tanquam dubia; vtrùm Anatolio licuerit abſentem Photium excommunicatione plectere; vtrùm ei licuerit excommunicationis pœnâ intentatæ iubere certas ipſi Eccleſias in prouincia auferri: denique, vtrùm Synodum appellare oporteat conuentum Epiſcoporum, qui in vrbe regia diuerſabantur: igitur auctoritas Anatolij non erat certi & conſtantis iuris apud iudices.

Nonum denique, Anatolium, cùm ſciret auctoritatem, quam in Orientis Diœceſi affectabat, valdè nutare, huic innouationi videri ſummi Pontificis Leonis auctoritatem quacumque ratione prętendiſſe, & prætextu legis alicuius à Leone datæ, aut ſibi negotij cuiuſdam, vel aliquam affinitatem cum præpoſita quæſtione habentis commendari vſurpationem ſuam honeſtaſſe.

Fundamentum huius coniecturæ habemus in iſtis verbis Euſtathij, ὥσπερ καὶ νῦν ὀλίγων συνελθόντων ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐπέμφθη ἡ ἐπιστολὴ τοῦ ὁσιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου Λέοντος τοῖς ἁπανταχοῦ μητροπολίταις, καὶ ὑπεγράφη. οὕτω καὶ τότε τὰ δόξαντα τοῖς παροῦσιν ὁσιωτάτοις ἐπισκόποις προσηνέχθη, καὶ ὑπεγράφη. *Quemadmodum & nunc, cùm pauci Conſtantinopoli conueniſſent, miſſa eſt epiſtola almi Archiepiſcopi Leonis, iis qui vbique eſſent Metropolitis, & ſubſcripta eſt; ſic tunc quæ viſa erant præſentibus ſanctiſsimis Epiſcopis, allata ſunt, & ſubſcripta.* Niſi enim epiſtola Leonis ad rem de qua agebatur trahi potuiſſet, ad quid eius facta eſt mentio? ſed in iis tamen obſcuris vim facere potiſſimùm nolo.

Vndecimum exemplum petitur ex literis Pattocli Conſtantinopolitani ad Domnum Antiochenum in cauſa Athanaſij Perrheni Epiſcopi, quæ leguntur actione 14. Concilij Chalcedonenſis. Sed hæc probatio omninò nulla eſt, quia literæ iſtæ ſunt tantùm commendatitiæ in gratiam Athanaſij Perrhenorum Epiſcopi, quem ſimiliter Cyrillus Alexandrinus aliis literis, quæ ibidem proferuntur, commendauerat, vt Domnus ei aduerſus Clericos ſuos, à quibus duriſſima quæque ſe paſſum querebatur, ſuccurreret; quæ è contra oſtendunt Domnum Epiſcopi iſtius ordinarium iudicem fuiſſe, non Cyrillum Alexandrinum, non Proclum Conſtantinopolitanum; qui ideò pro eo precibus agunt, cui cum auctoritate ſuccurrere non poſſunt. Duodecimum exemplum ſaltem pro adſtruenda honoris prærogatiua Patriarchæ Conſtantinopolitani præ reliquis Patriarchis, iam ante Synodum Chalcedonenſem receptâ ac probata, illuſtre habetur actione primâ Synodi Chalcedonenſis: vbi enim acta pſeudo-Epheſinæ Synodi legerentur, & quo in ea loco primatum ſedium Epiſcopi ſediſſent, recitatum fuiſſet, ac Flauianum quinto loco ſediſſe ex lectione appareret, clamauiſſe Orientales referuntur, Flauianum vt damnatum in Synodum ingreſſum fuiſſe, & in hæc ſcilicet verba prorupiſſe, Φλαυιανὸς ἐν τῷ ἰδίῳ τόπῳ διὰ τί οὐκ ἐκαθίσθη; τὸν Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον διὰ τί πέμπτον ἔταξαν; *Flauianus proprio loco quare non ſedit? Conſtantinopolitanum Epiſcopum quare quintum poſuerunt?* Quin etiam hunc receptum morem eſſe, vt poſt Romanum Pontificem primus ſederet Conſtantinopolitanus, Sedis Apoſtolicæ Legati conſenſiſſe videntur. Ibidem enim Paſchaſinus Epiſcopus Lilybæi vnus ex Legatis ſanctiſſimi Leonis, dixiſſe refertur, ἴδε ἡμεῖς, Θεοῦ θέλοντος, κύριον τὸν Ἀνατόλιον πρῶτον ἔχομεν, οὗτοι πέμπτον ἔταξαν τὸν μακάριον Φλαυιανόν. *Ecce nos, Deo volente dominum Anatolium primum habemus, hi quintum poſuerunt, beatum Flauianum.* Quòd ait primum Anatolium in Concilio Chalcedonenſi locum tenuiſſe, hoc intelligitur non de loco ſimpliciter primo, ſed de primo poſt Legatos ſummi Pontificis, & primo inter Patriarchas qui Concilio intererant, ante Dioſcorum ſcilicet Alexandriæ, Domnum Antiochiæ, & Iuuenalem Hieroſolymorum; quem ordinem ipſum tenuiſſe acta Concilij vbique oſtendunt, vt ſcilicet à

Legatis Leonis præcederetur, & cæteros Patriarchas Orientales præcederet.

Nec diffitemur, quin tunc temporis diuturnâ poſſeſſione primum honoris locum ſibi, vt ipſe allegabat, à Patribus Concilij Conſtantinopolitani delatum Patriarcha Conſtantinopolis præſcriptum teneret, non refragantibus Romanis Pontificibus, dummodo in aliena cæterorum iura Patriarcharum minimè inuolaret, eóſque ſibi non ſolùm poſtponi procuraret, verùm etiam ſubiici tentaret; iis enim præſertim vſurpationibus, quæ & præſcriptum à Concilio Nicæno ordinem euertebant, & Conſtantinopolitani ſecundi germanum Canonem, quo Patriarcharum & Primatum ambitio certis limitibus ſtatutis (quos tranſgredi nefas eſſet) reprimitur, nunquam conſentiebant: illúdque eſt potiſſimùm quòd ſanctus Leo aliique Pontifices negant ante Synodum Chalcedonenſem poſſeſſum à Conſtantinopolitanis Antiſtitibus fuiſse: nihilominùs nec adeò conſtantem iſtam Patriarchæ Conſtantinopolitani fuiſse prærogatiuam, vt ſummo iure illi deberetur, hæc arguunt, quòd Flauianus non legatur conqueſtus aduerſus Dioſcorum, quòd in quintum locum reiectus eſset; quòd nulli obiecerunt Dioſcoro, quòd ipſe cùm eſset tertiæ ſedis Epiſcopus, iudicaſset Flauianum ſecundæ ſedis Epiſcopum; quemadmodum obiectum eſt, quòd Leonem primæ ſedis Epiſcopum excommunicare auſus eſset, quòd ipſi non licebat.

Decimum tertium argumentum, quo aliqui nituntur probare Patriarchæ Conſtantinopolitani ante Synodum Chalcedonenſem eandem receptâ conſuetudine approbatam auctoritatem fuiſse, cui in Synodo Chalcedonenſi Leonis Legati obſtiterint, Leóque ipſe poſteà, & alij ſummi Pontifices refragati fuerint, petitur à teſtimonio Eleutherij Conſtantinopolitani, qui rogatus ſententiam circa Canonem in gratiam Patriarchæ Conſtantinopolitani editum in Concilio Chalcedonenſi, ita opinatus refertur actione 16. *Sciens quia & per Canones, & per conſuetudinem præcedentem habet hæc iura Conſtantinopolitana ſedes, cum voluptate ſubſcripſi:* ἐπιςάμενος ὡς καὶ ἐκ τῶν κανόνων, καὶ ἐκ τῆς προλαβούσης συνηθείας, ἔχει τὰ δίκαια ταῦτα ὁ Κωνςαντινουπόλεως θρόνος, μεθ' ἡδονῆς ὑπέγραψα. Conſuetudinem Eleutherius impensè fauens exaltationi ſedis Conſtantinopolitanæ, cuius ciuitati proxima eſt Chalcedon, vocat quorumdam Patriarcharum Conſtantinopolitanorum vſurpationes, cuiuſmodi omnes ferè illæ ſunt quæ à nobis ſunt relatæ, quamuis illis omnibus contradictum videamus. Neque ex iis poſseſſionem pacificam deducere poſsumus, ſed ex quibuſdam precariam, ex aliis violentam.

Quare atteſtationi Eleutherij oppono teſtimonium Leonis ſummi Pontificis, cui pro antiqua conſuetudine quæ in Eccleſia obtinuerat, & Nicænorum Canonum obſeruatione pugnanti, fides maior debetur. Ille ergo epiſt. 55. *Pulcheriæ Auguſtæ*, ambitum Anatolij notans, innouationis eum arguit, contrariam eorum Primatum, quorum iura ad ſe transferre vellet Conſtantinopolitanus, conſuetudinem opponit, Flauianum immediatum prædeceſsorem Anatolij priuilegia iſta expetiiſse inſinuat; Conſtantinopolitani Concilij Canonem, eo nempe ſenſu quo factioſi illi qui in Concilio Chacedonenſi ardentiùs & ambitioſiùs Conſtantinopolitanæ ſedis exaltationi fauebant, illum interpretabantur, vt ſcilicet Conſtantinopolitanus non ſolùm ordine, verùm etiam iuriſdictione primus eſset ſupra cæteros Patriarchas Orientis, ſicut Romanus Pontifex ſupra omnes primus eſt: hunc, inquam, Canonem eo ſenſu explicatum negat acceptum, aut conſuetudine vllâ approbatum fuiſse. *Superbum*, inquit, *nimis eſt & immoderatum, vltra fines proprios tendere, & antiquitate calcatâ alienum ius velle præripere, atque vt vnius creſcat dignitas, tot Metropolitanorum impugnare Primatus, quietiſque prouinciis, & olim ſanctæ Synodi moderatione diſpoſitis bellum nouæ perturbationis inferre: atque vt venerabilium Patrum decreta ſoluantur, quorumdam Epiſcoporum proferre conſenſum, cui tot annorum ſeries negauit effectum. Nam ſexageſimus ferè annus eſſe iactatur, quâ ſe prædictus Epiſcopus æſtimat adiuuari, fruſtrà cupiens id ſibi prodeſſe, quod etiamſi quiſquam auſus eſt velle, nullus tamen potuit obtinere: agnoſcat cui ſucceſſit viro, & repulſo omni ſpiritu elationis Flauiani modeſtiam, Flauiani humilitatem, quæ illum vſque ad Confeſſoris gloriam prouexit, imitetur; cuius ſi velit ſplendere virtutibus, laudabilis erit, & in omni loco plurimùm dilectionis acquiret, non ambiendo humana, ſed promerendo diuina.*

Inſinuare nobis videtur Leo ſancti Flauiani humilitatem, qui in Concilio Pſeudo-Epheſino V. loco contentus fuit, nec legitur pertinaciter primum locum ambiiſſe, quin nec vel verbulo contradixiſſe, quòd in iſtum poſt cæteros Patriarchas locum reiiceretur.

Opponi etiam poteſt ratiocinatio Lucentij Sedis Apoſtolicæ Legati, Concilij Chalcedonenſis prædictâ actione 16. hoc enim aduerſus Sedis Conſtantinopolitanæ fautores, Canones Concilij Conſtantinop. allegantes, quibus ab octoginta annis vel circiter priuilegia Sedis iſtius amplificata, ac ſancita tuebantur: hoc, inquam, illos vrgebat argumento. εἰ τοίνυν ἐν τοῖς χρόνοις τούτοις τῷ βενεφικίῳ ἐχρήσαντο, τί νῦν ζητοῦσιν ὃ μὴ κατὰ κανόνας ἐχρήσαντο· *Si ergo his temporibus hoc beneficio vſi ſunt, quid nunc requirunt? ſi nunquam vſi ſunt, quid nunc requirunt, quo non ſecundum Canones vſi ſunt?* quam ratiocinationem non eludunt, qui alia opponunt etiam in gratiam Romanæ Sedis priuilegia in Conciliis quibuſdam, verbi gratiâ in Sardicenſi, licèt diuturno vſu comprobata, tamen decretis editis non inutiliter confirmata fuiſſe; nec obtentam à Conciliis iſtorum priuilegiorum confirmationem, aut tanquam præiudicium aduerſus ipſorum antiquitatem, aut tanquam nouitati quæſitum patrocinium interpretari licere. Etenim diuerſa omninò eorum eſt ratio, & præſentis Conſtantinopolitanorum conatus; nam quandocumque antiqua priuilegia quorumdam præſumptione violata ſunt, eorum non tam confirmatio à Conciliis petita, quàm aduerſus violatores vltio adhibita: verbi gratiâ, quia Meletius Lycopolitanus Metropolitanus in Ægypto Alexandrini Epiſcopi poteſtatem circa ordinationes Epiſcoporum in dubium reuocanerat, per totam Ægyptum, Lybiam & Pentapolim, iure Concilium Nicænum poteſtatem Alexandrini Epiſcopi; &, ex occaſione, aliorum lato Canone definiuit. Quia Patriarchæ Alexandrini extra Ægyptum ordinationes peregerant, & alij ſimiliter Epiſcopi extra Diœceſim excurrerant: hanc vel ambitionem, vel Canonum neceſſariam tranſgreſſionem, quæ propter perſecutionem Arrianorum contigerat, iure latâ lege ne in exemplum traheretur, coercuit Conſtantinopolitanum primum. Quia Arriani, appellationi Athanaſij Alexandrini, Marcelli, Pauli, & aliorum ab ipſis iniuſtè damnatorum ad Sedem Apoſtolicam non ſatis detulerant, nec ſententiæ reſtitutionis ipſorum acquieuerant; ideò Sardicenſe Concilium appellationes ad Romanam Sedem Canonibus ſuis firmauit. In quibus & ſimilibus exemplis apparet priuilegia non ambitiosè à Conciliis quæſita, ſed aduerſus improbitatem violatorum defenſa: at nulla ratio vrgebat Conſtantinopolitanos ad Concilium Chalcedonenſe accedendi, & ab eo expetendi ſuorum priuilegiorum confirmationem; non depreſſa antiqua eorum iura fuerant, ſed in dies aucta, non quidquam iis lapſu temporis detractum, ſed potiùs additum; ideóq; non aliam ob cauſam à Concilio Chalcedonenſi ſuorum priuilegiorum confirmationem poſtulabant, niſi vt quod contra Canones, ſine Canonum auctoritate præſumebant, aut vſurpauerant, accedente Concilij Chalcedonenſis approbatione, Canonum auctoritate poſſidere, non iniuſtâ vſurpatione conſequi viderentur: petebant à Concilio iuſtæ poſſeſſionis tabulas, atque anctoritatis nouationem, quod ambitionis argumentum eſt: cùm è contra abſque ambitione petitum olim reperiamus, vt Conciliorum ſententiâ vetera iura Eccleſiarum recognita confirmarentur, non vt cauſæ laboranti noua ſubſidia, nouarum fabricatione literarum quærerentur, ſed vt impetita à temerariis poſſeſſio firmaretur.

§. XXIII.

Prima exceptio aduerſus decretum Concilij Chalcedonenſis in gratiam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

QVIBVS verò artibus à Concilio Chalcedonenſi noua priuilegia obtinere conati fuerint Conſtantinopolitani, hîc deſcribendum eſt. Plura ſubdolè ab iis factitata, & contra formam in Conciliis vſitatam, ad extorquendum ampliſſimum priuilegium, quo Concilium Chalcedonenſe Patriarchas Conſtantinopolitanos donauit, notarunt Eminentiſſ. Cardinalis Perronius in reſponſione ad Iacobum Brittaniæ

niæ Regem lib. 2. cap. 34. & Illuſtriſſimus Coëffetæus Epiſcopus Maſſilienſis in diſcuſſione cap. 4. lib. 4. Spalatenſis; quæ totidem ſunt aduerſus Chalcedonenſem exceptiones, quas aliqui ex Nouatoribus magno labore conantur eludere, ſed inutili, vt ex defenſione noſtra innoteſcet.

Prima igitur exceptio eſt, quòd contra morem Conciliorum, decretum quo prærogatiua Conſtantinopolitani Patriarchæ ſtatuitur, nec ab iis qui Concilio præerant, Legatis ſcilicet Apoſtolicæ Sedis, nec ab vllo Epiſcoporum propoſitum, vel in deliberationem miſſum ſit, ſed à Clericis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, in quos proinde totius negotij inuidiam conijcit Anatolius, referente Leone epiſt. 71. iis verbis, *Illam culpam, quam de augenda poteſtate, vt aſſeris, adhortatione contraxeras, efficaciùs atque ſinceriùs tua cheritas diluiſſet, ſi quod tentari ſine tua voluntate non potuit, non ad ſola Clericorum conſilia tranſtuliſſes, quia ſicut in mala ſuaſione delinquitur, ita & in mala conſenſione peccatur.* Occaſionem Concilio de priuilegio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſtatuendi dedit Aſianorum Epiſcoporum reclamatio, quominus Conſtantinopoli eorum Epiſcopus ordinaretur, cui reclamationi aſſenſiſſe videtur Synodus; nam actione 11. quâ iſta narrantur, hæc referuntur à iudicibus propoſita, λεγέτω ἡ ἁγία σύνοδος, ποῦ βούλονται οἱ κανόνες τὸν τῆς κατ' Ἔφεσον ἁγιωτάτης ἐκκλησίας χειροτονηθῆναι ἐπίσκοπον, *Dicat ſancta Synodus, vbi volunt Canones Epiſcopum Epheſinæ ſanctiſſimæ Eccleſiæ ordinari:* ſubditur, οἱ εὐλαβέστατοι ἐπίσκοποι εἶπον, ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ, *reuerendiſſimi Epiſcopi clamauerunt, in prouincia.* Quinam autem Epiſcopi clamauerunt, ſecundum Canones in prouincia debere creari Epiſcopum? ij vtique qui rogati ſunt à iudicibus vt dicerent ſententiam, purà Epiſcopi totius Synodi. Diogenes Epiſcopus Cyzici, ſi Græcum textum ſequamur, videtur Conſtantinopolitanis gratificatus; ſi Latinum, morem ab illis prolatum videtur inficiatus: quem diſertè negauit Leontius Epiſcopus Magneſiæ, à ſancto Timotheo contrariæ conſuetudinis inſtitutum deriuans, vt nempe Epiſcopus Epheſi ordinaretur, nec vnquam interruptum affirmans, niſi per vnius Baſſiani (ſeu potiùs Baſilij) ordinationem, ex qua tumultus & turbæ quis aduerſus iſta vel mutire auſus eſt Epiſcopus? quid Anatolius ipſe ad hæc repoſuit? Ea tamen magni momenti erant, cùm prætenſam Patriarchæ Conſtantinopolitani auctoritatem & Canonibus, & conſuetudini repugnare oſtenderent. Soli Clerici Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ obluctati ſunt, Philippus Preſbyter, & Ætius Archidiaconus, qui conſuetudinem in fauorem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ allegarunt, eóque temeritatis progreſſi ſunt, vt clamantibus Epiſcopis, οἱ κανόνες κρατείτωσαν, *Canones obtineant*; quâ voce ſatis ſignificabant nolle ſe de conſuetudine inquirere; ſufficere Canonum auctoritatem, quæ ſiue veram ſiue falſam conſuetudinis allegationem perimat: Ab hoc itaque vſurpationis præſidio deturbati Clerici Conſtantinopolitani, non minori impudentiâ clamaſſe dicuntur, τὰ τῶν πατέρων τῶν ρν'. κρατείτω· τὰ προνόμια Κωνσταντινουπόλεως μὴ ἀπόληται. ἡ χειροτονία κατὰ τὸ ἔθος ἐκ τοῦ ὧδε Ἀρχιεπισκόπου γένηται, *Ea quæ ſanctorum Patrum centum quinquaginta ſunt, teneant, priuilegia Conſtantinopolis ne depereant.* Centum quinquaginta Patrum decretum allegant, quod poſt eorum ex vrbe Conſtantinopolitana diſceſſum, ipſorum nomine à paucioribus editum eſt, quòd intentioni ipſorum per omnia minimè congruebat: hoc, inquam, decretum quinam proferunt? Clerici Conſtantinopolitani, ſilentibus Epiſcopis: nec proferunt ſolùm, ſed immodeſtè & proteruè coram Epiſcopis cum clamoribus & ſtrepitu obtrudunt: hæccine Conciliaris rerum proponendarum forma eſt? vbi tunc vigor ille Epiſcopalis, qui actione 1. eiuſdem Concilij obſeruatur, & alibi recitatur, vt tumultuantibus quibuſdam Presbyteris ſilentium imponeretur, Conciliúmq; Epiſcoporum diceretur? atenim ex eorum clamoribus occaſionem ſumunt iudices quæſtionis deciſionem in alium diem reijciendi, craſtinâ die ſequenti redeunt ad Concilium Epiſcopi, modeſtè ſinguli vota dicunt, duos ſe pro Epheſinis Epiſcopis gerentes deponunt, de mota præcedenti die controuerſia, circa priuilegia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ab huius vrbis Clericis ne verbulum quidem dicunt, vt patet ex tota actione 12. vnde hoc? niſi quia hanc in Concilio quæſtionē proponi grauiter ferebant, quam ſuggerebat ambitio, quæ ſuppeditabat ſciſſuræ materiam: actione 13. & 14. ſeqq. aliæ quæſtiones ab Epiſcopis ſolutæ, & finis impoſitus, altum de iſta quæſtione ſilentium. Sequuta eſt actio 15. in

qua tandem ad Clericorum Conſtantinopolitanorum inſtantiam priuilegia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ firmata ſunt.

§. XXIV.

Secunda exceptio aduerſus decretum Concilij Chalcedonenſis, in gratiam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

ALTERA exceptio aduerſus prædictum decretum, eſt quòd poſt ſolutum conſeſſum, diſceſſum plurium ex Patribus, iudicum qui intereſſe Concilio ſolebant, ipſorúmque Legatorum ſummi Pontificis, decreta ſunt ea quæ in fauorem ſuum Conſtantinopolitani edita prętendunt: teſtis huius rei Liberatus in Breuiario cap. 13. his verbis, *Poſt diſceſſum Iudicum, & Senatorum, & Legatorum Sedis Apoſtolicæ regulæ conſtitutæ ſunt Eccleſiaſticæ, & quædam priuilegia deputata Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, vſurpante ſibi hoc Anatolio eiuſdem vrbis Epiſcopo, occaſione acceptà ex Dioſcori damnatione.* Teſtes ipſi Legati Sedis Apoſtolicæ, dum ſequenti actione 16. apud Iudices de obreptione iſta conqueruntur his verbis, *Heſternà die poſtquàm poteſtas veſtra ſurrexit, & humilitas noſtra veſtigia veſtra ſequuta eſt, quædam geſta dicuntur, quæ nos & præter Canones Eccleſiaſticos, & diſciplinam æſtimamus effecta.* Nec id abnuunt, quin immò ſuâ reſponſione confirmant Iudices, dicentes, *Si quæ geſta poſt noſtrum diſceſſum facta ſunt, relegantur.* Quod & factum eſt, & oblatâ *ſcedâ ab Ætio Archidiacono Conſtantinopolitano, Beroſianus Secretarius diuini Concilij legit*, &c.

Vnicum noto à Beroſiano Canonem, qui 28. ſcribitur, lectum fuiſſe, fraudulento conſilio, vt nonus & decimus-ſeptimus quomodo iacent probati videantur, qui ſcilicet, licèt ex toto non videantur cuſi in gratiam Conſtantinop. Antiſtitum, tamen vnum vterque Canon continet, quod ambiguo ſenſu conceptum, & prauo intellectum ſupra omnes Patriarchas Patriarcharum Conſtantinopolis auctoritatem extollit, & ex omnibus Diœceſibus (quo nomine comprehenduntur Ægyptiaca, Orientalis, Pontica, Aſiatica, Thracica in Conſtantinopolitano Concilio enumeratæ) vel ad Primatem Diœceſeos, vel ad Sedem Conſtantinopolitanam à ſententia Metropolitani appellari, ac Metropolitano crimen intentari permittit. Quæ lex idipſum continet, quòd Canon 28. & à Leone Magno æquè impetitur, & huic vſurpationi æquè reſiſtere debuerunt Legati Sedis Apoſt. vt certè reſtitiſſe innuit Leo iis quas citabimus epiſtolis, ac Canoni 28. quia eo ipſo quo ex omnibus Diœceſibus, etiam Ægyptiaca, (quod nunquam factum fuerat) ad Sedem Conſtantinop. deſerto Primate proprio appellare liceret, & ad eam Sedem quemlibet Metropolitanum deferre, Conſtantinopolitana Sedes non ſolùm in Aſiatica, Pontica & Thracica Diœceſibus, verùm etiam in Orientali & Ægyptiaca ſupra Patriarchas, Antiochenum & Alexandrinum non ſolùm primum honoris locum, verùm (quòd vtique maius eſt) etiam ſupremam iudicandi poteſtatem, ac deponendi Metropolitanos auctoritatem, & illorum ſententias retractandi vendicabit: quam poteſtatem Metropolitanorum quoque ordinandorum poteſtas conſequitur: nihil autem aliud ex can. 28. colligitur: quin immò non adeò expreſsè poteſtas iudicandi de Metropolitanis cuiuſcumque Diœceſis, & appellationes admittendi ab eorum ſententiis, omiſſo Diœceſeos Primate, eo Can. continetur, ac in prædictis Can. 9 & 17. quæ tamen poteſtas Primatum ac reliquorum Patriarcharum præ cęteris auctoritatem infringit, ac neceſſitatem tollit. Itaque cùm non legamus prædictis Can. 9. & 17. Legatos Sedis Apoſt. diſſenſiſſe; vel prædicti Canones 9. & 17. ſimul cum Can. 28. poſt eorum diſceſſum additi ſunt, vel ſaltem particulæ iſtæ additæ, quæ liberam de Metropolitanis conquerendi apud Sedem Conſtantinopolitanam, aut apud Primatem Diœceſeos optionem relinquunt.

Fauétque Liberatus verbis ſuperiùs citatis, quibus non vnum Canonem, ſed plures poſt diſceſſum Legatorum additos innuit, dum *regulas conſtitutas* eſſe *Eccleſiaſticas, & quædam priuilegia deputata Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ* ſcribit. Poſſet etiam dici hos Canones 9. & 17. in Concilio nunquam editos fuiſſe, ſed additione iſtarum particularum falſatos. Hic enim adſtipulatorem habet Gregorium Magnum lib. 4. indict. 14. epiſt. 14. Narſi Comiti, iis verbis; *Sicut Synodus Chalcedonenſis in vno loco ab Eccleſia*

Digitized by Google

Conſtantinopolitana falſata eſt, ſic aliquid in Epheſina Synodo factum eſt. Hæc tamen vltima expoſitio mihi potiùs arridet, tum quòd in editionibus Dionyſij exigui, & Creſconij hoc priuilegium Patriarchæ Conſtantinopolitani Can. 9. & 17. contentum, Concilij Chalcedonenſis Canonibus inſertum ſit; tum maximè quòd in Synagoga Canonum, cuius auctor dicitur Theodoretus, qui eidem Concilio interfuit, inſertum habeatur, titulo 15. εἰ δὲ μητροπολίτης ἀντίδικος εἴη, παρὰ τῷ ἐξάρχῳ διοικήσεως, ἢ τῷ τῆς βασιλευούσης αὐτὸν ἐπισκόπῳ δικαζέσθω· *Quòd ſi Metropolitanus ſit qui accuſatur, coram Primate Diœceſeos, aut regiæ ciuitatis Epiſcopo ipſum iudicari.*

§. XXV.

Tertia exceptio confirmatur.

TERTIA exceptio eſt, quia priuilegia iſta, quæ Patriarchatui Conſtantinopolitano à Concilio Chalcedonenſi attribura ſunt, abſentibus à Concilio tum Ægyptiis, tum Epiſcopis Illyrici Orientalis, Macedoniæ, Achaiæ, ac inſulæ Cretæ, qui Theſſalonicenſi Primati ſubiacebant, & Patriarchatui Romano ſubditi erant, ac Concilij Chalcedonenſis prioribus ſeſſionibus adfuerant, data ſunt, præſentibus duntaxat Orientalibus, qui vel ex Diœceſi Orientis ſtrictè ſumpti, vel ex Pontica, vel ex Aſiana Diœceſi erant (cuius vltimæ Diœceſis primaria Eccleſia, quæ Exarchicâ poteſtate hactenus fruebatur, viduata erat Epiſcopo per depoſitionem duorum in Concilio factam) & quibuſdam ex Thracia Diœceſi, præſentibus tantùm ex aliis Diœceſibus vno fortè vel altero: nam ij ſoli loquuntur, ſoli ſubſcribunt: vnde duo ſequuntur. 1. neque à plenario, neque œcumenico Concilio iſta concluſa eſſe; Concilij generalis vim Canones iſtos non habere, niſi in quantum ab Eccleſiis Occidentalibus, atque Ægyptiacis poſteà probati ſunt. Quod ſanè corollarium ſaltem iſtorum Canonum auctoritatem minuit, neque minuit ſolùm ſed infringit: etenim quis putet magni momenti eſſe, quæ in aliquo Concilio, renitente tota Eccleſia Occidentali, definita fuerint, maximè ſi ad vniuerſalem Eccleſiæ gubernationem pertineant? At Patriarcharum creatio, & vnius ſupra quatuor alios exaltatio ad Eccleſiæ vniuerſalis gubernationẽ atq; vnitatem valdè ſpectant. Ideóq; hæc ab vna duntaxat Eccleſiæ parte concludi minimè potuerant. Nec valet iſta reſponſio, ab iis deliberata iſta fuiſſe atque concluſa, quorum maximè intererant.

Primò, ſiquidem Epiſcoporum Ægyptiacæ Diœceſeos maximè intererat, ne decreta iſta reciperentur: tum quòd in illa Diœceſi Conſtantin. Patriarcha nondum quidquam tentauerat ex iis, quæ decretis iſtis ipſi videbantur attribui; Orientis prouincias delibauerat, ſed ab eius vſurpatione Ægyptiaca Diœceſis intacta remanſerat: tum quòd Alexandrino Patriarchæ primus locus poſt Romanum debebatur, in quem locum Conſtantinopolitanus ſe intrudi nitebatur. Ij autem ſuâ vel alienâ culpâ (nihil enim refert) aberant à Concilio, quorum proinde voluntate priuilegia iſta collata Patriarchæ Conſtantinopolitano in Ægyptios dici non poteſt: Quam autem poteſtatem habebant Orientales Epiſcopi ex Diœceſibus Orientis ſtrictè ſumpti, Aſiatica vel Pontica? quod mandatum Thraciæ Diœceſis Epiſcopi, vt Ægyptios nouæ & inuſitatæ, & nunquam ab iis receptæ poteſtati Patriarchæ Conſtantinopolitani ſubiicerent? nouæ, inquam, & inuſitatæ apud ipſos: nam nullum exemplum vſurpatæ ab illo poteſtatis iudicandi de controuerſiis Epiſcoporum Ægyptiacæ Diœceſeos, eóſque deponendi aut damnandi, vllibi legitur. Magis addicti erant Ægyptij Patriarchæ Alexandrino, quàm vt ad Comſtantinopolitanam Sedem eo neglecto controuerſias ſuas deferrent, neque vnquam huic poteſtati Antiſtitis Conſtantinopolitani conſenſerant: Nam falſum eſt ex prædictis, Timotheum Alexandrinum Concilij Conſtantinopolirani Canoni, quem in ſuam gratiam allegabant Conſtantinopolitani, vnquam ſubſcripſiſſe. Falſum eſt quoque Canonibus Concilij Conſtantinopolitani ea priuilegia conceſſa Sedi Conſtantinopolitanæ, quæ Chalcedonenſi tributa ſunt; quin immò cùm Aſiaticæ prouinciæ adminiſtrationem ſolis Aſiaticis, Thraciæ, Thracicis; Ponticæ, Ponticis; Orientis, Orientalibus; Ægyptiacæ, Ægyptiis demandet: repugnat Chalcedonen-

ſibus, qui Metropolitanos omnes trium Diœceſeωn Conſtantinopolitano Patriarchæ attribuunt; qui ex ex omnibus iſtis prouinciis ad eam Sedem appellandi priuilegium firmare viſi ſunt.

Secundò, nec eorum duntaxat quorum intereſt, in aliqua noua Eccleſiaſtica poteſtate inſtituenda iudicium requiritur; non enim, vt ſuperiùs probauimus, in vniuſcuiuſque poteſtate & arbitrio ſitum eſt, vt cui voluerit, ſe in Eccleſia ſubiiciat: quare quamuis iſtarum omnium Diœceſeωn, quibus his decretis quodammodo præficiebatur Conſtantinopolitanus Antiſtes, Epiſcopi conſenſiſſent, non ideò tamen legitimam ſuper eos poteſtatem accepiſſet, niſi ſuperiori quadam ſummi Pontificis ſeu vniuerſalis Eccleſiæ conſenſione poteſtas iſta roborata fuiſſet, & ab ea dimanaſſet.

Tertiò, multò minùs poterant Orientales quidam Epiſcopi, adiunctis ſibi ex Thracia Diœceſi Epiſcopis, eam poteſtatem conuellere Alexandrini, verbi gratiâ, Epiſcopi, quam Concilium Nicænum œcumenicum ſtatuerat: & conſtitutam ab vniuerſali Concilio etiam in ſuis Diœceſibus regendi formam aliâ ſuperinductâ labefactare: nec Epiſcoporum paucarum Diœceſeωn factio ad euertendum illum Eccleſiæ ſtatum valere poterat, quem vniuerſalis Concilij, & à tota Eccleſia recepti Nicæni Canones ſtatuerant.

Sequitur ſecundò, priuilegia per fraudem ab Anatolio videri quæſita. Primùm, quòd eam occaſionem captarit proponendi iſtud negotium, cùm depoſito Dioſcoro Alexandrino abeſſent Ægyptij, quos non conſenſuros præuidebat: nam inuſitatæ iſti præſumptioni eos conſenſuros dicere omninò paradoxum eſt: allegare iam ab iis probata omnia, quorum in Concilio Chalcedonenſi confirmatio petebatur, falſiſſimum eſt: dicere Timotheum Conſtantinopolitano Canoni in gratiam Sedis Conſtantinopolitanæ ſubſcripſiſſe, à veritate alienum eſt: Theophilum Nectario primum locum in Concilio, quod Conſtantinopoli habitum eſt, ceſſiſſe, incertum eſt: & quamuis Epiſcopo in ſua Diœceſi exiſtenti honoris locum ceſſiſſet, eundem tamen priuilegia illa quæ in Chalcedonenſi Synodo Sedi Conſtantinopolitanæ delata ſunt, approbaturum nullatenus probabile eſt: qui enim Ioanni Chryſoſtomo obiecit, quòd in Aſia alios Epiſcopos depoſuiſſet, alios ordinaſſet, teſte Palladio in Dialogo de rebus geſtis Chryſoſtomi, probaſſet ille Aſiaticam Diœceſim Conſtantinopolitano, cum Pontica & Thracica addici? probaſſet ab Ægyptiaca ſibi ſubdita Diœceſi ad Sedem appellari Conſtantinopolitanam, qui eundem Ioannem Chryſoſtomum Sedis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ in ius vocare ac damnare auſus eſt? conſenſiſſet Sedis Conſtantinopolitanæ Epiſcopum non ſolùm primum, ſed Principem cæterorum Patriarcharum Orientalium fieri, qui de Conſtantinopolitano Epiſcopo iudicauit?

Falſum eſt quoque Cyrillum Alexandrinum priuilegiis Conſtantinopolitanæ Sedis, cuiuſmodi à Concilio Chalcedonenſi poſteà probata ſunt, vnquam acquieuiſſe: nec probabile eſt ipſum huiuſmodi probaturum fuiſſe, qui Attico Conſtantinopolitano conſulenti, vt nomen Chryſoſtomi in ſacra Dyptica referret, quod ipſe facere ab Alexandro Antiocheno, & Imperatore perſuaſus fuerat, recuſauit, teſte Nicephoro lib. 14. hiſtoriæ cap. 26. & 27. qui eundem Atticum admonuit, illum eâ actione *Ægyptum, regionem etiam Auguſtalem, & Arcadiam, & Thebaidem, & Libyam, & Pentapolim, & tot Eccleſias*, quæ ſcilicet ipſius ſacro Principatui ſubdebantur, *dolore afficere*; quem Atticus epiſtolâ ad illum ſcriptâ, quæ habetur apud Nicephorum lib. 14. cap. 26. *patrem ſuum* appellat; qui Neſtorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum in Synodo Alexandrina damnauit, & aduerſus eum ad Iuuenalem Hieroſolymitanum, ad Acacium Berroënſem, ad Ioannem Antiochenum ſcripſit, Synodóq; Epheſinæ aduerſus Neſtorium præfuit, ac tandem eundem depoſuit; aduerſus quem furens Neſtorius, nihil tamen in Ægyptiaca Diœceſi mouere potuit. Certè oſtendunt iſta nec Cyrillum ſe inferiorem Neſtorio crediđiſſe, neque in Ægyptiaca Diœceſi Neſtorium quidquam ſibi licere credidiſſe, neque priuilegia Sedis Conſtantinopolitanæ, qualia in Synodo Chalcedonenſi cuſa ſunt, in Ægyptiaca Diœceſi audita fuiſſe.

Neque Cyrillum Maximianus vt inferiorem credidit, cuius electionem fieri

Cyrillus mandauit, vt conſtat ex actis Concilij Epheſini ex Codice Antonij Auguſtioi; cui Maximianus vt debellatori hæreſeos ac triumphatori ſtatim congratulatorias literas ſcripſit, quibus illum vt conſultor ac director eſſe velit, precatur, vt habetur in actis Epheſini Concilij editionis Peltaoæ tom. 2. cap. 24. & inter epiſtolas Cyrilli epiſt. 24. permiſiſſet Cyrillus ad Patriarcham Conſtantinopolitanum ſe neglecto quemquam Ægyptiacæ Diœceſeos aliquem prouocare, à cuius tempore refert Socrates lib. 7. cap. 7. Epiſcopum Alexandrinum non ſolùm ὑπὲρ τ ἱερατικῆς τάξεως καταδυναστεύειν, *ſupra ſacrum ordinem dominari:* verùm etiam τῶν πραγμάτων τὴν ἀρχὴν, *rerum ſeu facultatum primatum* accepiſſe?

Quòd ſi idem Cyrillus Iuuenalis Hieroſolymorum Epiſcopi, Paleſtinam ſibi in Concilio Epheſino conantis ſubiicere, *ambitionem perhorreſcens ſcriptis ſuis* Romano Pontifici, *quid prædicta cupiditas auſa eſſet, indicauit, & ſollicitâ prece multùm popoſcit, vt nullis illicitis conatibus præbeatur aſſenſus*, inquit ſanctus Leo epiſt. 62. *Maximo Antiocheno:* ſi, inquam, conatibus pro amplificanda dignitate Sedis Hieroſolymitatæ nihil ad ſe ſpectantibus obſtitit Pręſul iſte Alexandrinus, nihil pręter antiquum morem & Nicæna decreta cuiquam licere putans, quantò ardentiùs Conſtantinopolitano Patriarchæ reſtitiſſet, tot Diœceſes, nullo alio iure quàm commodi ſui ad ſe trahenti, primùm Alexandrino Antiſtiti locum præripienti, & ſibi obnoxios Metropolitanos Ægyptiacæ Diœceſeos facere volenti, vt ſibi liceret ſententias ipſorum reſcindere, atque de eorum criminibus cognoſcere poſtulanti.

Denique Dioſcorum Alexandrinum, quem Theodoretus epiſtolâ 86. *Flauiano Epiſcopo Conſtantinopolitano*, ſibi infenſum fuiſſe teſtatur, ex quo Synodicis ſub beato Proclo factis aſſenſiſſet, atque ab eo ſe ob id grauiter increpatum ſcribit, quaſi & Antiochenorum & Alexandrinorum iura prodidiſſet; hunc ſcilicet conſenſiſſe vnquam Patriarchæ Conſtantinopolitani prætenſis iuribus ac priuilegiis credimus, aut conſenſurum fuiſſe, ſi in Concilio Chalcedonenſi ſuffragium habuiſſet? qui nempe Flauiani Conſtantinopoli iudicium egit, qui in Concilio pſeudo-Epheſino præſidens, Flauianum in quintum locum reiecit: neque omninò Ægyptij conſenſiſſent Conſtantinopolitani Epiſcopi conatibus, qui nec ſubſcribere epiſtolæ Synodicæ ſancti Leonis, neque Concilij definitioni de fide voluerunt, niſi anteà Patriarcham haberent, quem in ſubſcribendo ducem ſequerentur; neque alibi quàm Alexandriæ illum eligendum ſibi crediderunt.

Quare non inanis coniectura aut incerta diuinatio eſt, Anatolium ex præparato callidóque conſilio commodam occaſionem ſibi captaſſe, vt Principatum ſuum decreto Concilij ſtabiliri procuraret, cùm vidiſſet Dioſcorum Alexandrinum de ſede depoſitum, Ægyptios à Concilij ingreſſu ſuſpenſos, quòd nollent abſque Alexandrini Pręſulis à ſe conſtituti aſſenſu quidquam magni momenti aggredi, vel ipſis Synodicis conſultationibus ſubſcribere. Maximum Antiochenum, à quo ordinationem ſuſceperat, teſte Leone epiſt. 53. obnoxium ſibi habebat, tantóque magis Domno Antiocheno adhuc viuente in pſeudo-Epheſino Concilio depoſito, Epiſcopatus eius primordia nutabant. Iuuenalem Hieroſolymorum noua quæque Sedi ſuæ priuilegia obtinere ſatagentem ſibi fauentem habebat: Metropolitanos Diœceſeωn Aſianæ & Ponticæ hac ratione demereri ſatagebat, quòd eorum ordinatione Coeſtantinopolitano Patriarchæ vendicatâ, iudicio quoque iure, vt aiunt, præuentionis tum de ipſorum perſonis, tum de eorumdem ſententiis ad eundem Patriarcham tranſlato, à Primatis ſui iugo liberiores euadere videbantur: iis tamen melioribus conditionibus fretus, expectauit tum Iudicum, tum Legatorum, tum Illyricæ Diœceſis Epiſcoporum diſceſſum, vt ſua priuilegia obtruderet, & à Concilio confirmationem eorum ſubriperet, ne fortè vllus eſſet qui eorum promulgarioni obluctaretur; quibus artibus obtenta priuilegia quantæ auctoritatis eſſe debeant, & vtrùm œcumenici Concilij nomine cenſeri poſſint, prudens Lector iudicabit.

§. XXVI.

Quarta exceptio proponitur & probatur.

QVARTA exceptio, quòd non liberè ſubſcriptum decretum iſtud in gratiam Conſtantinopolitanæ Sedis videatur: cuius rei duplex probatio proferri poteſt: prima, quòd actione 11. Concilij, cùm tractaretur hæc quæſtio, vtrùm Epheſinus Epiſcopus Conſtantinopoli à Conſtantinopolitano Epiſcopo ordinari deberet, an verò Epheſi à Metropolitanis Diœceſeos, vel ab eis qui in prouincia erant, Suffraganeis; Epiſcopi vnâ voce clamaſſe referuntur in actis, ſecundum Canones Epheſinum in prouincia eſſe ordinandum: nihilominùs paucis pòſt diebus, non ſolùm illud ipſum, vt Epheſinus Epiſcopus ab Eccleſia Conſtantinopolitana ordinaretur, actione 15. & 16. concluſum eſt, verùm etiam vt omnes Ponticæ, Aſianæ, Thracicæ Diœceſeon Metropolitani, & qui inter Barbaros degunt, in eadem Eccleſia, ſi hoc luberet Patriarchæ Conſtantinopolitano, ordinarentur, itémque vt Primatum in iis Diœceſibus iudicio, per appellationem ad Patriarcham Conſtantinopolitanum cognitio omnium ſententiarum à Metropolitanis prolatarum, & querimoniarum aduerſus Metropolitanos etiam ex alio Patriarchatu contra Canones ſubtrahi poſſet: vnde illa tanta voluntatum immutatio intra tam paucos dies oriri potuit, niſi à violentia à Clericis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ illata, qui Imperatorum, & aliorum Officialium Imperatoris gratiâ, auctoritate, poteſtate ſubnixi, quibuſdam præmia, aliis minas intentabant, vt ciuitatem quæ poteſtatis temporalis faſtigium tenebat, ad apicem dignitatis Eccleſiaſticæ aliarum Eccleſiãrum depreſſione ſublimarent?

Altera, quòd Legati Sedis Apoſtolicæ actione 16. de violenta ſubſcriptione proteſtati fuerint. Nam Lucentius Sedis Apoſtolicæ Legatus, (quemadmodum habet verſio Latina, quæ hac in parte ſincerior videtur; verba verò Græca corrupta eſſe probabile eſt) dixiſſe refertur, *Primò gloria veſtra perpendat, quâ circumuentione cum ſanctis Epiſcopis geſtum ſit, vt non conſcriptis Canonibus, quorum mentionem fecerunt, ſubſcribere ſint coacti:* quæ verba malè interpretatur aliquis ex Nouatoribus in hunc ſenſum, quaſi dicere velit Lucentius, vt tam iudices quàm Patres inquirant quâ fraude Conſtantinopolitani vſi fuerint, ne fortè Canonibus non conſcriptis ſubſcribere coacti fuerint: at hunc ſenſum nullatenus ferunt iſta verba, ſed potiùs alium omninò diuerſum, vt ſcilicet non inquirant quaſi dubium, ſed potiùs quaſi certum crimen perpendant, & apud ſe magnitudinem fraudis attendant, quâ ſcilicet erga Epiſcopos vſi fuerint, vt nondum conſcriptis Canonibus ſubſcribere eos coegerint, vt liberum eis eſſet quod vellent chartæ inſcribere, quò Sedis Conſtantinopolitanæ dignitatem amplificarent. Certè non auſi fuiſſent Legati, niſi vel certis indiciis, vel ſaltem ex publicis rumoribus accepta in medium iſta proferre: nec eorum accuſationem eluit editus Epiſcoporum clamor, quos acta vociferatos ferunt, neminem ad ſubſcribendum fuiſſe coactum: ſi enim tantùm potuere Conſtantinopolitanorum prehenſariones aut minæ, vt inuitos cogerent ad ſubſcribendum, magis potentes eſſe debuerunt vt eoſdem ad reſtificandum quod liberè conſenſiſſent, compellerent: nam antequam ſubſcripſiſſent, potuiſſent ſine nota infamiæ, licèt fortè non ſine offenſa Conſtantinopolitanorum, ipſiúſque Imperatoris ac Palatinorum, nolle ſubſcribere; ſed vbi ſemel ſubſcripſiſſent, diſſentire iam non erat in eorum poteſtate, niſi & grauiùs illos lædere; nec ſolùm ignauiæ, verùm etiam proditionis infamiam contrahere voluiſſent. Itaque vociferatio iſta, quia impactæ priùs violentiæ neceſſarius effectus eſt, nullius ponderis atque auctoritatis eſſe poteſt.

Quòd autem nullus ex Illyricæ Diœceſis Epiſcopis, quibus Conſtantinopolitanæ vrbis vicinia emolumento vel diſpendio eſſe poterant, cùm è contra Roma in prædam & direptionem Barbarorum eodem tempore expoſita, nullum aut terrorem incutere deſertoribus, aut præmium largiri defenſoribus poſſe videretur: nulli, inquam, ex iſtis actionibus intereſſe voluerint, indicium eſt illos ſolius

diſciplinæ ſtudio, & reuerentiæ antiqui moris in officio retentos, quominus vel prehenſationibus Conſtantinopolitanorum inducerentur, vel minis flecterentur; non ſatis illos animi habuiſſe, vt reſiſterent, ſatis habuiſſe vt non cederent.

§. XXVII.

Quinta exceptio ſtatuitur.

QVINTA exceptio, ac malæ fidei argumentum eſt, quòd iidem Clerici Conſtantinopolitani verba Concilij Conſtantinopolitani citantes falſauerint, ſuáſque gloſſas & interpretationes pro Canone centum quinquaginta Epiſcoporum obtruſerint. Non queror centum quinquaginta Patres, qui in œcumenico Concilio Conſtantinopoli habito conuenerunt, prolatos ab illis tanquam auctores Canonis illius, qui in conuentu pauciorum, vel certè non eiuſdem nominis, nec eiuſdem dignitatis, neque ex tot prouinciis collectorum Epiſcoporum, in gratiam Conſtantinopolitanæ Sedis editus eſt; quamuis & priorum auctoritas ad inducendos Chalcedonenſes Patres multùm valuerit, vt ſe decipi paterentur: ſed queror Canonem illum tertium, quo in conuentu quodam Conſtantinopolitano ſub Nectario, nihil aliud definitum eſt, quàm Conſtantinopolitanæ ciuitatis Epiſcopum habere oportere *Primatus honorem* poſt Romanum Epiſcopum, propterea quòd eſſet noua Roma, ab illis referri, quaſi Canon vigeſimus-octauus ab illis conſcriptus, iſtius tantùm ſit renouatio vel gemina expoſitio, non nouæ differentis legis præſcriptio; *Definitiones*, inquiunt, *ſanctorum Patrum ſequentes vbique, & regulam, quæ nunc electa eſt centum quinquaginta Dei amantiſſimorum Epiſcoporum, qui congregati ſunt piæ memoriæ Imperatore Magno Theodoſio, in regia ciuitate Conſtantinopoli noua Româ, cognoſcentes, & nos eadem definimus* (τὰ αὐτὰ καὶ ἡμεῖς ὁρίζομεν) *de priuilegiis eiuſdem Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ nouæ Romæ. Etenim Sedi ſenioris Romæ propter imperium ciuitatis illius Patres æqualia priuilegia tribuerunt, rationabiliter iudicantes Imperio, & Senatu vrbem ornatam, æquis ſenioris Romæ priuilegiis fruentem, & in Eccleſiaſticis ſicut illam maieſtatem habere negotiis, & ſecundam poſt illam exiſtere.*

Certè alia hîc decernunt Chalcedonenſes Patres, alia Conſtantinopolitani decreuerunt, atque adeò minùs ſincerè agunt, dum eadem ſe decernere dicunt quæ illi ſtatuiſſent. Patres quidem Conſtantinopolitani Can. 3. in gratiam Epiſcopi regiæ ciuitatis decreuerant, Conſtantinopolitanum Epiſcopum habere priores honoris partes poſt Romanum Pontificem, eò quòd ſit ipſa noua Roma: at quàm iſtum Canonem exaggerant, & de nouo amplificant, ſeu potiùs corrumpunt Clerici Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ oblato Canone iſto à Patribus Chalcedonenſibus approbando: etenim in priori Canone Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſola τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, ſeu *honoris prærogatiuæ* Conſtantinopolitano deferuntur: non ipſi iuriſdictio amplior, non poteſtas auctior decernitur: honoris primæ partes, ſeu prærogatiua ſedendi, procedendi, ſubſcribendi, loquendi ante cæteros, quàm προεδρίαν vocant, in priori Concilio Epiſcopo Conſtantinopolitano conceduntur: in poſteriori verò non iam τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, *priuilegia honoris*, primæ poſt Romanum Pont. honoris partes, ſed abſolutè ac ſimpliciter τὰ πρεσβεῖα, *priuilegia ſingularia, prærogatiuæ* in omnibus decernuntur; nimirùm vt Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ſicut & Romanus, in Eccleſiaſticis cauſis magnificetur; vt quemadmodum à Metropolitanis licet ad ſummum Pontificem appellare in minoribus etiam cauſis, ita & ad Conſtantinopolitanum prouocare liceat: ea enim eſt exaltatio Sedis Conſtantinopolitanæ in iudiciis Eccleſiaſticis, cuius meminit Canon vigeſimus-octauus, quam expreſſiùs declarauerunt Canon nonus & decimus-ſeptimus ab iiſdem Clericis Conſtantinopolitanis Synodo Chalcedonenſi ſuggeſti: Deinde Concilij Conſtantinopolitani Canone 28. priores honoris partes μετὰ τὸν τῆς Ῥώμης ἐπίσκοπον, *poſt Romanum Epiſcopum* Conſtatinopolitano Patriarchæ tribuuntur; at æqualia Chalcedonenſi cum Romano priuilegia ſtatuun-

tur: quaſi verò idem ſit eaſdem poſt Romanum Epiſcopum partes honoris habere, & τὰ ἴσα πρεσβεῖα, *æqualia* tum honoris, tum auctoritatis *priuilegia* vtrique tribuere; & æquum exiſtimare τὴν βασιλείᾳ, καὶ συγκλήτῳ τιμηθεῖσαν πόλιν, καὶ τῶν ἴσων ἀπολαύουσαν πρεσβείων τῇ πρεσβυτέρᾳ Ῥώμῃ, καὶ ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, ὡς ἐκείνην, μεγαλύνεσθαι πράγμασι, δευτέραν μετ' ἐκείνην ὑπάρχουσαν, *Vrbem quæ & Imperio & Senatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſsima regina Roma priuilegiis fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis, non ſecus ac illam extolli ac magnifieri, ſecundam poſt illam exiſtentem.*

Certè iſta duo omninò diuerſa ſunt ac diſparata, vt quæ ciuitas omninò poſt aliam honoris priuilegia habere decernitur, vi illius decreti in Eccleſiaſticis iudiciis ſimilia, ſeu æqualia priuilegia cum ea habere debere dicatur: neque enim verbi gratiâ, quia Eduenſi Epiſcopo poſt Lugdunenſem primas honoris partes inter Suffraganeos à Gregorio Magno habere conceditur, ipſe in Eccleſiaſticis iudiciis eadem cum Lugdunenſi (cui Metropolitica iura ſarta tecta eſſe debere ſtatuuntur, nec Eduenſi communicantur) habere debere vi illius prærogatiuæ creditur. Vnde nec eadem illa ſunt, quæ Conſtantinopolitani ſtatuerunt, cum iis quæ Chalcedonenſes in gratiam Sedis Conſtantinopolitanæ decreuere: nec ex eo quod illi Conſtantinopolitanæ Sedi tribuerunt, cætera quæ Chalcedonenſes addiderunt, conſecutione neceſſariâ aut probabili deducuntur; nec ratio quam Conſtantinopolitani addiderunt in gratiam Conſtantinopolis, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην, *eo quòd ſit ipſa noua Roma*, ad hoc trahenda eſt, vt æqualitatem priuilegiorum in Eccleſiaſticis iudiciis, & adminiſtrationibus eâ ratione ſe inducere voluiſſe teſtati ſint. Non enim dubium eſt, quin induci potuerint Patres Concilij Conſtantinopolitani, vt honoris priuilegia, eáque ſola Sedi Conſtantinop. deferrent, eâ ratione quòd eſſet vrbs regia, Romanorum colonia, Senatu ornata ſicut vetus Roma, vno verbo, quòd eſſet noua Roma; ſed non ideò ſequitur paria omninò in Eccleſiaſticis priuilegia ab iis conceſſa fuiſſe: ſatis magnum priuilegium erat, quòd primas honoris partes poſt Romanum Pontificem Conſtantinop. Antiſtiti propter denominationem nouæ Romæ, & æqualitatem in adminiſtratione politica cum veteri Roma, ſuo Canone conferrent: quid extendimus priuilegium honoris, cuius expreſsè meminerunt, ad priuilegium auctoritatis, cuius nullam mentionem fecere? priuilegia iſta, quæ in aliarum Eccleſiarum depreſſionem tendunt, & contra Canones militant, non ſunt vltra propriam terminorum ſignificationem extendenda; nam v. g. dum Concilij Nicæni Patres Can. 6. & 7. τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, *priuilegia honoris*, ſeu τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, *conſequentiam honoris* Hieroſolymitano detulere, eâ certè ratione moti, quòd omnium Eccleſiarum prima ab ipſo Chriſto fundata, Chriſtiq; ſanguine cæmentata fuiſſet, (quæ ratio iis qui humanis argumentis, & in ſpeciem probabilibus ea quæ ſunt traditionis expiſcari vellent, ſufficiens videretur, vt non ſolùm honoris conſequentiam, verùm etiam iuriſdictionis & auctoritatis prærogatiuam ipſi acquireret.) Nicæni tamen Patres ex vſu antiquo rem metientes, ſolam honoris prærogatiuam Hieroſolymitano deferre voluerunt, nec Metropoli Cæſarienſi in aliquo præiudicare voluerunt ea honoris priuilegia, quæ Hieroſolymorum Antiſtiti aſſerebant. Similiter licèt rationem iſtam, quòd Conſtantinopolis noua Roma foret, ij qui humana ſapiunt, ad æqualitatem priuilegiorum omnium inducendam cum Roma veteri, imò fortè ad ipſam antiquæ Romæ præferendam, eo præſertim tempore, quo alterius dignitas & auctoritas ſeneſcebat, valere ſibi perſuadere poſſent; aliud tamen Conſtantinopolitani Patres voluerunt, qui diſertè ſolam honoris prærogatiuam ſe Conſtantinopolitanæ Sedi deferre ſcripſerunt, de auctoritate nihil ſcripſerunt; nec omnimodam honoris prærogatiuam atque æqualem, ſed ſecundum poſt Romanum Pont. ei locum tribuerunt, non vt primo ſecundus ſit ſimilis, ſed longo ab eo dignitatis interuallo abeſſet, à cuius ſcilicet Sede conceſſæ prærogatiuæ confirmationem petierunt, vt ſuprà docuimus.

Denique, ſi quis, verbi gratiâ, diceret honoris priuilegia in Galliis poſt Romanum Pontificem Arelatenſis ciuitatis Epiſcopo delata fuiſſe à Zoſimo Papa, eò quòd *Gallula Roma Arelas* videretur, vt loquitur Auſonius, non ideò tamen ſequeretur eum paria, & æqualia priuilegia Arelatenſis ciui-

tatis Præſuli omnia, nequidem in Galliis tribuere, quæ Romano Pontifici conuenirent: Igitur nec quia dixerunt Conſtantinopolitani Patres ſe prærogatiuam honoris Antiſtiti Conſtantinopolitanæ Sedis concedi velle, quòd eſſet noua Roma, ſequitur æqualia Conſtantinopolitano Antiſtiti cum Romano priuilegia concedere. Sed rimas quærit ambitio quibus ſubintrare poſſit, & iura omnia deſtruere.

Verùm hoc vtique minùs indulgendum eſt, quòd ſub eodem nomine Patrum Conſtantinopolitanorum ea Sedis Conſtantinopolitanæ Epiſcopo concedunt Chalcedonenſes, quæ Conſtantinopolitanis Canonibus directè repugnant; etenim iam citatis iſta eodem Canone 28. ſubiungunt, καὶ ὥστε τοὺς τῆς Ποντικῆς, καὶ τῆς Ἀσιανῆς, καὶ τῆς Θρακικῆς διοικήσεως μητροπολίτας μόνους, ἔτι δὲ καὶ τοὺς ἐν τοῖς βαρβαρικοῖς ἐπισκόπους τῶν προειρημένων διοικήσεων χειροτονεῖσθαι ὑπὸ τοῦ προειρημένου ἁγιωτάτου θρόνου τῆς κατὰ Κωνσταντινούπολιν ἁγιωτάτης ἐκκλησίας. δηλαδὴ ἑκάστου μητροπολίτου τῶν προειρημένων διοικήσεων μετὰ τῶν τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπων χειροτονοῦντος τοὺς τῆς ἐπαρχίας ἐπισκόπους, καθὼς τοῖς θείοις κανόσι διηγόρευται. χειροτονεῖσθαι δὲ, καθὼς εἴρηται, τοὺς μητροπολίτας τῶν προειρημένων διοικήσεων παρὰ τοῦ Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, ψηφισμάτων συμφώνων κατὰ τὸ ἔθος γινομένων, καὶ ἐπ' αὐτὸν ἀναφερομένων. *Vt & Ponticæ, & Aſianæ, & Thracicæ Diœceſis Metropolitani ſoli; prætereà & Epiſcopi prædictarum diœceſeωn, quæ ſunt inter Barbaros, à prædicto throno ſanctiſſimæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ordinentur, vnoquoque ſcilicet prædictarum Diœceſeωn Metropolitano cum Epiſcopis ordinante ſuæ regionis Epiſcopis, quemadmodum diuinis Canonibus eſt traditum. Ordinari autem, ſicut dictum eſt, prædictarum Diœceſeωn Metropolitanos à Conſtantinopolitano Archiepiſcopo, conuenientibus de more factis electionibus, & ad ipſum relatis.* Quis non videt Conſtitutionem iſtam contrariam eſſe iis, quæ in Concilio Conſtantinopolitano Can. 2. ſtatuuntur, vt Aſianæ Diœceſeos Epiſcopi quæ ſunt in ſola Aſiana adminiſtrent, & Thracicæ tantùm Epiſcopi Thracicam tantùm regant, & Ponticæ Ponticam. Eo enim Canone interdictum videtur Conſtantinopolitano Epiſcopo, qui Thracicæ erat Diœceſis, ne in Aſiana & Pontica quidquam adminiſtret, multò magis ne ordinationes Metropolitanorum tanquam ſibi proprias & debitas vendicaret.

§. XXVIII.

Sexta exceptio confirmatur.

SEXTA exceptio, quòd non videatur liberum fuiſſe Epiſcopis reluctari Clericorum Conſtantinopolitanorum ſtudiis, niſi & Imperatorum, & Senatorum, & ciuium vrbis Conſtantinopolitanæ (quæ adeò propinqua eſt Chalcedonenſi ciuitati, vt illius hæc ſuburbium eſſe videatur) odium ſe incurſuros putarent; è contra gratiam illis facturos crederent, ſi poſtulatis annuerent. Huius autem rei probatio petitur ex relatione Concilij ad Leonem: cùm enim priuilegia Conſtantinopolitanæ Sedis à ſe conceſſa referant, ſtudio gratificandi Imperatoribus, Senatui, & toti ciuitati Conſtantinopolitanæ, neceſſum eſt illis perſuaſum fuiſſe, & rem gratam ſe facturos poſtulatis Conſtantinopolitanorum annuendo, & ingratam renuendo; nam cuius petitionis conceſſio multùm placet, haud dubiè eiuſdem refutatio diſplicet. Nec refert per quos illis voluntas Imperatoris, Senatus, ciuium manifeſtata fuerit, ſiue per Clericos Conſtantinopolitanos, ſiue, quod probabilius eſt, per iudices ab Imperatore delegatos, per quos ſicut horum omnium vota ac deſideria declarari commodius erat: ita certior eorum relationi adhibebatur fides. Sed vt vt ſit, qui voluntatem Imperatoris, Senatus, ciuium Conſtantinopolitanorum nouerant, vereri poterant tumultum popularem, odium Imperatoris, Senatus inuidiam, ſi renuiſſent poſtulata facere; è contra iis omnibus ſe gratificari putabant amplificatione poteſtatis Patriarchæ Conſtantinopolitani; ſicut autem metus, ita & adulatio multorum mentes corrumpit, vacuos autem non omnino illos fuiſſe metus, atque adulationis verba ipſorum

Digitized by Google

oſtendunt prædictâ epiſtolâ, ἡμεῖς γὰρ θεραπεύοντες τούς τε εὐσεβεστάτους καὶ φιλοχρίστους βασιλέας, ἐπὶ τούτῳ ἡδομένους, τήν τε λαμπροτάτην σύγκλητον, καὶ πᾶσαν ὡς εἰπεῖν τὴν βασιλεύουσαν, εὔκαιρον ἐνομίσαμεν τὴν ἐπ' αὐτῇ περὶ τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου βεβαιῶσαι τῆς τιμῆς: *Nos curantes tam piiſsimos, & Chriſti amicos Imperatores, qui ſuper hoc delectantur, quàm clariſſimum Senatum, & totam (ſicut dicere conuenit) Imperij ciuitatem, opportunum credidimus eſſe, honoris eius confirmationem ab vniuerſali Concilio confirmari.* Et paulò poſt huius decreti à Leone confirmationem petentes hanc rationem ſubiungunt, οὕτω γὰρ εὐσεβεῖς θεραπευθήσονται, *Atque ita religioſiſsimis Imperatoribus ſatisfactum erit.* Ex quibus patet quantùm altè inſideret mentibus Patrum Chalcedonenſium deſiderium gratificandi Imperatoribus, vt illud Leoni ſemel atque iterùm inculcarent. Quin etiam ex iiſdem probabiliter colligitur, quod anteà probauimus, verum eſſe, noua ſcilicet priuilegia à Conſtantinopolitanis tentata, & extorta fuiſſe: non enim vt antiqua pacificè poſſeſſa grata ratáque haberentur, tanto ſtudio Imperatores, Senatus, populus Conſtantinopolitanus, ſatagere oportuiſſet; neque tam diligenter, támque ardenter promouendo negotio Clerici Conſtantinopolitani inſtitiſſent.

§. XXIX.

Septima exceptio profertur.

SEPTIMA, quòd partium ſtudio abductus Euſebius Dorylæi, officij rationem minùs habuerit, quippe qui retulerit ſancto Leoni placiturum, quòd in gratiam Conſtantinopolitanæ Sedis priuilegium cudebatur; ſibi notam Leonis voluntatem ex colloquio, quod cum ipſo Romæ habuiſſet: hoc enim ipſe teſtatur actione 16. dum ſuæ voluntariæ ſubſcriptionis rationem hanc aſſignat, ἐπειδὴ καὶ τὸν κανόνα τοῦτον τῷ ἁγιωτάτῳ Πάπᾳ ἐν Ῥώμῃ ἐγὼ ἀνέγνων, παρόντων τῶν κληρικῶν Κωνσταντινουπόλεως, καὶ ἀπεδέξατο αὐτόν· *Quoniam & hanc regulam ſanctiſsimo Papæ in vrbe Roma ego relegi, præſentibus Clericis Conſtantinopolitanis, & illam ſuſcepit:* Quantùm verò iſtius viri alioqui ob plurimos pro fide exanthlatos labores aduerſus Eutychetem & Dioſcorum, ac patienter à Dioſcoro latam damnationem, (quorum mentiò actione 1. Concilij Chalcedonenſis; & apud Euagrium lib. 2. hiſtoriæ cap. 4.) magnæ in Eccleſia exiſtimationis, & ipſi ſancto Leoni valdè accepti, quem ſcilicet commendat epiſt. 40. cap. 4. quantùm, inquam, iſtius viri teſtimonium apud Concilij patres auctoritatis fuerit, qui vt ambitioni Conſtantinopolitanorum ſatisfacerent, honeſtas ſibi excuſationes ſuppetere geſtiebant, ex eo colligi poteſt, quòd ad illius teſtimonium prædicta Synodica epiſtola alludere videatur iis verbis ſecundum Latinam editionem, *Et velut hæc à tua ſanctitate fuerint inchoata, eò quòd fouere ſemper ſtudeas, roborauimus, præſumentes dum nouerimus, quia quidquid rectitudinis à filiis fit ad patres recurrit.* Videntur enim prioribus verbis, quibus Græcus textus ſimiliter conſonat, καὶ ὡς ἐκ τῆς σῆς ὁσιότητος ταύτην ἐναρχθεῖσαν, innuere Chalcedonenſes Patres negotium iſtud prouectionis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ à Leone inchoatum fuiſſe, ſéque illud duntaxat proſequi. Quomodo autem inchoatum à Leone, niſi quia Canonem illum quem ediderant, iam cuſum, iam fabricatum à Clericis Conſtantinopolitanis, tanquam Concilio Calcedonenſi offerendus eſſet, placuiſſe Leoni renuntiatum ipſis fuerat? A quo autem renuntiatum conijcere poſſumus, niſi ab Euſebio Dorylæi Epiſcopo, qui in actis Concilij id expreſsè teſtatur. Ex quibus obiter collige:

Primum, quanti ponderis viſus Leonis conſenſus ad Primatum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ firmandum, vt eum Clerici Conſtantinopolitani priùs obtinere curauerint, quàm ſuas petitiones ad Concilium deferrent, vt auctoritatem Leonis excuſationem ſui conſenſus Euſebius Dorylæi Epiſcopus prætenderit; vt Patres eandem rationem honeſtandi decreti ſui protulerint.

Alterum, non videri in more poſita, & communiter recepta Conſtantinopolita-

næ Sedis priuilegia ante Synodum Chalcedonenſem, quæ Patres inchoata dicunt Leonis aſſenſu, & ſuo decreto concluſa, abſoluta omninò futura iudicant, ſi eiuſdem Leonis Canonicâ confirmatione Canon de ipſis editus corroboraretur. Hæc ergo præſumpta Leonis voluntas cùm Patres ad conſentiendum prærogatiuæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ induxerit, iuſta exceptio aduerſus decretum eſſe poteſt: quandoquidem ementitum illum fuiſſe conſenſum ex pluribus appareat, 1. ex renitentia Legatorum ſancti Leonis prædicto decreto: 2. ex Commonitorio ipſis dato ac mandato à Leone eis præſcripto, 3. ex variis epiſtolis S. Leonis. Commonitorium autem Leonis iis verbis expreſſum erat, *Sanctorum Patrum conſtitutionem prolatam, nullâ patiamini temeritate violari, ſeruantes omnimodis perſonæ noſtræ in vobis, quos vice noſtrâ tranſmiſimus, dignitatem; ac ſi qui fortè ciuitatum ſuarum ſplendore confiſi aliquod ſibi tentauerint vſurpare, hoc quâ dignum eſt conſtantiâ retundatis.* Quod mandatum lectum eſt actione 16. Concilij Chalcedonenſis: huius autem mentionem facit ſanctus Leo epiſt. 53. *ad Anatolium*, & 62. *ad Maximum Antiochenum.* Renitentia verò ipſius Leonis apparet tum ex citatis epiſtolis, tum aliis *ad Martianum, & Pulcheriam*, & alios aduerſus Canonem iſtum conſcriptis: ex iis, inquam, innoteſcit Leonem nullatenus huic Canoni conſenſiſſe: ac proinde Euſebij Dorylæi allegationem falſam fuiſſe; eámq; renitentiam ſi Patres Concilij Chalcedonenſis exploratam tenuiſſent, probabile eſt ipſorum aliquos non adeò facilè inducendos fuiſſe, vt ſubſcriptioni Canoni conſentirent. Vnde & illa exceptio Canonem mediocriter infirmat, ſiue interim verum ſit, quòd tot teſtimoniis probatur eſſe falſum, Leonem conſenſiſſe; ſiue verum ſit, quòd aliqui, vt Euſebium ab aperta liberent impoſtura, diuinarunt ſine fundamento, eundem Leonem, cùm ei Canon, non qualis editus eſt in Chalcedonenſi, ſed qualis in Conſtantinopolitano legeretur, non apertè contradixiſſe; eóque ſilentio probatum iſtum Canonem Euſebium Dorylæi Epiſcopum credidiſſe, atque adeò & Chalcedonenſem placiturum credidiſſe: quibus tamen diuinationibus Euſebium excuſare non poſſunt, quin ſtudio partium abreptus ſit; quandoquidem nec Leonem in tam graui negotio ſententiam ſuam abſque matura deliberatione exprimere decebat; nec Conſtantinopolitani Canonis ac Chalcedonenſis eadem erat ſententia; vt ex approbatione prioris, poſterioris approbatio inferri poſſet. Sed & coniicere poſſumus ſanctum Pontificem, qui nec Conſtantinopolitanum Canonem probabat, tamen pro bono pacis taciturum, ſi in eo Canone Conſtantinopolitani conſtitiſſent, ac ſola priuilegia honoris Epiſcopo ſuo deferri petiiſſent, quæ ſcilicet ſtatim initio Concilij Legati Sedis Apoſtolicæ Anatolio deferri minimè contradixerunt: ſed vbi ab iis vidit conculcari omninò Concilij Nicæni canones, imò & Conſtantinopolitani violari, dum in Eccleſiaſticis iudiciis æqualia Romanæ, & Conſtantinopolitanæ Sedis priuilegia ſibi dari Conſtantinopolitani procurarunt, ita vt ius præuentionis, vt vocant, ac prouocationis in omnibus cauſis, & quibuſlibet Diœceſibus Orientalibus, etiam Patriarchis, Alexandrino & Antiocheno ſubditis, ac Metropolitanorum omnium Diœceſeωn, Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ, Barbaricarúmque nationum ordinationem depopoſcerint; tunc acquieſcere non potuit temerariæ præſumptioni Romanus Pontifex Canonum aſſertor, & priuilegiorum ſingularum Eccleſiarum vindex, quin pro iis læſis inſurgeret, ac proinde ſi fortè ſilentio ambitionem Clericorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ initio excepit, ne contradictione ſuâ cupiditatem illorum irritaret; prudenter egit, qui prouidẽs quid acturi illi eſſent, quid aggreſſuri Legatis ſuis in mandatis dederit, vt ambitioſis conatibus reſiſterent. Interimque veritatis limites tranſiliit Euſebius Dorylæi, dum in Concilio aſſeruit Leoni Chalcedonenſem canonem placiturum, quæ tamen Patribus iam Conſtantinopolitanorum importunâ ſollicitatione permotis, & Imperatoris atque illuſtrium Senatorum precibus flexis; minisque etiam deterritis facilè perſuaderi potuerunt, vt illos ad ſubſcribendum inducerent, difficiliùs vtique ad illam perducendos, ſi Leonis decretis reſtiturum certò crediḋiſſent.

Digitized by Google

§. XXX.

Octaua exceptio exponitur.

OCTAVA exceptio, quòd renitentibus Legatis, ac ſuam intercesſionem nomine Pontificis actis inſeri petentibus, Canon cuſus fuerit. Legimus eorum in actis intercesſionem actione 16. nam & die præcedenti cùm Canon primò lectus fuiſſet, horâ minùs competenti, ſcilicet poſt egresſum glorioſisſimorum iudicum, refert Ætius Legatos Sedis Apoſtolicæ à Conſtantinopolitanis rogatos vt communicarent in iis quæ in gratiam Eccleſiæ ſuæ proponenda Concilio haberent; illos verò refutaſſe, dicentes, ἐντολὰς μὴ εἰληφέναι τοιαύτας, *talia ſe non ſuſcepiſſe mandata.* Deinde, poſtridie quoque cùm rem in deliberationem iterùm mitti Legati voluiſſent, poſtulante Ætio, Bonifacius Legatus Sedis Apoſtolicæ mandata, quæ in ſcriptis à Leone ipſe & collega acceperant, expoſuit, vt innouationibus aduerſus Canones Nicænos obſiſteret. Denique in fine *Lucentius reuerendisſimus Epiſcopus, Sedis Apoſtolicæ Vicarius dixit: Sedes Apoſtolica nobis præſentibus humiliari non debet: & ideò quæcumque in præiudicium Canonum vel regularum heſternâ die geſta ſunt, nobis abſentibus, ſublimitatem veſtram petimus, vt circumduci iubeatis: ſin aliàs, contradictio noſtra his geſtis inhæreat, vt nouerimus quid Apoſtolico viro vniuerſalis Eccleſiæ Papæ referre debeamus, vt ipſe aut de ſuæ Sedis iniuria, aut de Canonum euerſione posſit ferre ſententiam.*

Vnde & de hac contradictione Legatorum queruntur Patres, qui Chalcedone in Concilio remanſerant, dum iſta geſta ſunt; eandem verò commendat & laudat ſanctus Leo epiſtolâ citatâ *ad Anatolium*; ac proinde renitente per Legatos Apoſtolicâ Sede, præter cuius ſententiam regulas Eccleſiis ſancire vetus Eccleſiæ regula prohibebat, cuius meminere Socrates libri ſecundi hiſtoriæ capite 8. Sozomenus lib. 3. cap. 9. nullo item ex Occidentalibus Epiſcopis conſentiente, nec vniuerſalis Synodi Canon, nec legitimè conditus dici potuit, maximè aduerſus Nicæni generalis Concilij conſtitutionem.

§. XXXI.

Nona exceptio explicatur.

NONA exceptio eſt, irritatio eiuſdem Canonis à Romano Pontifice Leone, quam iis verbis expresſit epiſtolâ quinquageſimâ tertiâ *ad Pulcheriam. Conſenſiones Epiſcoporum ſanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes vnitâ nobiſcum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri Apoſtoli generali prorſus definitione caſſamus.* Cuius etiam meminit Gelaſius, Opuſculo *de Anathematis vinculo, Quod*, inquit, *firmauit in Synodo Sedes Apoſtolica, hoc robur obtinuit; quod refutauit, habere non potuit firmitatem: & ſola reſcindit quod præter ordinem Congregatio Synodica putauerat vſurpandum, non promulgatrix iteratæ ſententiæ, ſed cum Apoſtolica Sede veteris executrix.*

Quin etiam egregiè ſtatim initio eiuſdem Opuſculi obiectionibus, quas Nouatores noſtri refricarunt, reſpondet: *Ne fortè*, ait, *quod ſolent, dicant, quòd ſi Synodus Chalcedonenſis admittitur, omnia conſtare debeant: aut enim ex toto admitti eam oportere, aut ſi ex parte repudiabilis eſt, firmam ex toto conſtare non poſſe: cognoſcant igitur illud ſecundum Scripturas ſanctas, traditionémque maiorum, ſecundum Canones reguláſque Eccleſiæ pro fide communi, & veritate Catholica & Apoſtolica, pro qua hanc fieri Sedes Apoſtolica delegauit, factámque firmauit, à tota Eccleſia indubitanter admitti: alia autem, quæ per incompetentem præſumptionem illic prolata ſunt, vel potiùs ventilata, quæ Sedes Apoſtolica gerenda nullatenus delegauit, mox à Vicariis Sedis Apoſtolicæ contradicta, manifeſtum eſt quæ Sedes Apoſtolica, etiam petente Marciano Principe nullatenus approbauit; quæ Præſul Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ tunc Anatolius,*

tolius nec ſe præſumpſiſſe profeſſus eſt, & in Apoſtolicæ Sedis antiſtitis non negauit poſita poteſtate: quæ ideò, ſicut dictum eſt, Sedes Apoſtolica non recepit, quia quæ priuilegiis vniuerſalis Eccleſiæ contraria probantur, nulla ratione ſuſtinet. Certè præter rationem generalem quam ſupra protulimus, nimirum vetuſtam traditionem obſtare, quominus Eccleſiis abſque ſententia Summi Pontificis decreta ſanciantur, quæ ad communem Eccleſiarum ſtatum, atque adminiſtrationem pertineant, duæ aliæ rationes obſiſtunt, quominus renitente Romano Pontifice Patriarchatus Conſtantinopolitanus iis priuilegiis donari potuerit quibus Chalcedonenſibus Canonibus donatus eſt.

Prima, quia cùm Epiſcopi omnes, ſolo Summus Pontifice excepto, attento diuino ſolo iure inter ſe pares ſint, ſoluſque Summo Pontifex à Chriſto poteſtatem in omnes Eccleſias obtinuerit & paſcendarum ſimul ouium, atque agnorum, Epiſcoporum & ſubditorum Epiſcopis, tam Clericorum quam Laicorum officium in Petro receperit; ideò vt ex verbis Chriſti Ioannis 20. plures paſſim Patres inferunt, Epiſcoporum poteſtas ſuper alios Epiſcopos, pars quædam eſſe debet Apoſtolicæ illius poteſtatis ac ſollicitudinis, quæ in omnem terrarum orbem diffunditur, ac quædam plenitudinis poteſtatis in Summo Pontifice reſidentis particula eſſe videtur à Petri Cathedra, atque Eccleſia principali deſumpta, vnde vt loquitur Cyprianus epiſt. 55. Cornelio, *Vnitas Sacerdotalis exorta eſt*: ac proinde poteſtatis Patriarchicæ inſtrumentum, quo vel ſe latiùs diffunderet, vel magnificentiùs Epiſcopis efferret, acquirere Patriarcha Conſtantinopolitanus non potuit, niſi ex illius conſenſu, qui ſolus habuit à Chriſto poteſtatem ampliſſimam & cuius plenitudinis poteſtatis participes eſſe debent, quicumque ſuper alios Epiſcopos, aut intenſiorem, aut diffuſiorem poteſtatem ſortiuntur. Neque id latuit Chalcedonenſes Patres quorũ nullus petenti Lucentio, Sedis Apoſtolicæ Legato interceſſionem ſuam Concilii actis inſeri, vt noſſet quid Apoſtolico Leoni Papæ referret, *ἵνα αὐτὸς ἢ περὶ τῆς οἰκείας τοῦ θρόνου ὕβρεως, ἢ περὶ τῆς ἀνατροπῆς τῶν κανόνων δυνηθῇ ἀποφήνασθαι, vt ipſe, de ſuæ Sedis iniuria, aut de Canonum euerſione poſſit ferre ſententiam*, nullus inquam ei reſtitit, nullus tanquam temerarium dictum iſtud redarguit, aut allegatis Romani Pontificis iuribus ſeſe oppoſuit: ſed vnus duntaxat Sebaſtæ Epiſcopus retulit omnes in ſententia iudicum permanere, & iudices hoc vnum repoſuerunt, ea quæ interlocuti fuerant, totam Synodum approbaſſe, ſine contradictione abiit illud dictum, quo de Concilii ſententia Leonem iudicaturum Legati minabantur. Nec ſolum non contradixerunt Concilii Patres, ſed acquieuiſſe viſi ſunt, collati priuilegii ab eodem Leone confirmationem expoſtulantes, nec expoſtulantes ſolum, verum etiam beneficium illud Romanæ Sedis eſſe debere recognoſcentes, ac præmium operæ in defenſionem fidei egregiæ à Conſtantinopolitana Sede Romanorum Eccleſiæ collaborantis grauiter ac ſtrenuè impenſæ: illudque conſilium Legatorũ Sedis Apoſtolicæ qui decreto vehementer reſtiterant, ita interpretantur quaſi ægrè ferrent dignitatis Conſtantinopolitanæ ſedis beneficium aliis quam Romanæ Sedis antiſtiti attribui, cui debebatur, cuperentque ſicut fidei, ita & bonæ ordinationis Romano Pontifici effectum deputari. Vnde excuſant ſe, quod Canonem iſtum condiderint multiplici ratione, & quòd vrgerent Imperatoris, Illuſtriſſimi Senatus, & ciuium vota quibus gratificari congruum eſſe duxerint; & quod ab ipſius ſanctitate negotium iſtud inchoatum fuiſſe accepiſſent quod ſupra explicuimus, & quòd nihil aliud egerint, quam roborare eius Eccleſiæ dignitatem, quam ſemper Romana Sedes fouerit; ac tandem quod quæ ipſi fecerant id Romano Pontifici attribui poſſit, quandoquidem quicquid rectitudinis fit à filiis, ad patres recurrit facientes hoc ſibi proprium. Quæ omnes rationes oſtendunt Patres Chalcedonenſes crediſſe exaltationem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſuper varias diœceſes opus eſſe Romano Pontifici proprium: nec vllum regulariter ipſum aggredi debuiſſe quàm eundem Romanum Pontificem, ſine cuius proinde conſenſu perfici nequaquam potuerit.

Hæc omnia diſces ex relatione Patrum Chalcedonen. ad Leonem, cuius verba notanda ſunt, quæ Patriarchicam omnem & Exarchicam Eccleſiæ poteſtatem participationem eſſe poteſtatis illius, quæ pleniſſimè reſidet in Romano Pontifice, nobis demonſtrãt *πεπεισμένοι ὡς τῆς ἀποστολικῆς παρ' ὑμῖν κρατούσης ἀκτῖνος, καὶ ἐπὶ τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐκκλησίας συνήθως κηδόμενοι, ἣ πολλάκις ταύτην ἡπλώσατε, διὰ τὸ ἄφθονον ὑπάρχειν ὑμῖν τὴν τῶν οἰκείων ἀγαθῶν*

πρὸς τοὺς γνησίους μεταδιδόναι. *Confidentes quia lucente apud vos Apoſtolico radio, & vſque ad Conſtantinopolitanorum Eccleſiam conſuetè gubernando, illum ſpargentes, hunc ſæpius expanditis, eo quod abſque inuidia conſueueritis veſtrorum bonorum participatione ditare domeſticos,* ſeu (quod congruentius eſt Græco textui) *ſincera charitate coniunctos,* aiunt ſe confidere iſti Patres priuilegiorum Conſtantinopolitanæ Sedis à Romano Pontifice confirmationem obtenturos: quam confirmationem, ſeu conceſſionem priuilegiorum vocant, *Apoſtolici radii expanſionem ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam & participationem boni, quo abſque inuidia domeſticos*, id eſt, *Vicarios ſuos & charitate ſtrictiori coniunctos*, nimirum de Apoſtolica ſede bene meritos, atque eandem aliquo ſenſu ſedem cum ipſis habentes, modo ſuperiùs explicato (quo nempe eadem dicitur eſſe delegati & delegantis cathedra) Romani Pontifices exornare atque locupletare ſoleant.

Altera ratio, quia Romani Pontificis eſt canones Synodorum generalium fouere, executioni mandare, & nè quorumcumque temeraria præſumptione euertantur, obſiſtere. Nicæni vero canones Alexandrinum Epiſcopum primum Patriarcham poſt Romanum coſtituerant, Primatem eum Ægypti, Lybiæ, Pontapolis conſtituerant: cum plena poteſtate, quæ à nulla humanæ inſtitutionis auctoritate penderet: Antiochiæ in Oriente ſimilia priuilegia contulerant, ac ſecundum poſt Romanum eius ciuitatis Epiſcopum eſſe voluerant, hunc ordinem Chalcedonenſes canones turbabant, qui Conſtantinopolitanum primum à Romano, Alexandrinum, iam non primum, ſed ſecundum, Anthiochenum iam non ſecundum, ſed tertium eſſe voluerant, & auctoritatem ſeu αὐτοκεφαλίας Patriarcharum iſtorum à Nicæno ſtatutam euertebant, quippe qui ita exponi poterant, & à Conſtantinopolitanis eò trahebantur, vt ius præuentionis adipiſcendæ, & prouocationum excipiendarum Patriarchæ Conſtantinopolitano in Ægyptiaca, & Orientali diœceſibus in præiudicium Alexandrini & Antiocheni Patriarchæ conferrent. Itaque, vt innuit Gelaſius ſuperius citatus, Romani Pontificis intererat ne Concilii Nicæni haud dubie vniuerſalis conſtitutio in Eccleſia recepta nouis canonibus à Concilio minime plenario editis abrogaretur, & quod tam Orientalium quàm Occidentalium omnium conſenſu receptum, ac concordi voluntate ſtatutum fuerat, abſentibus Ægyptiis, renitentibus Occidentalibus omnibus, ab Orientalibus quibuſdam prehenſationibus, dolis, ac mundanæ poteſtatis imperiis ad conſentiendùm inductis refigeretur. Hanc rationem fortiter vrget S. Leo epiſt. 53. *ad Anatolium. Doleo etiam in hoc dilectionem tuam eſſe prolapſam, vt ſanctiſſimas Nicænorum Canonum conſtitutiones conareris infringere, tanquam opportunè ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecundi honoris priuilegium ſedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena Eccleſia proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit, vt his locis iuri tuo ſubditis, omnes Metropolitani Epiſcopi proprio honore priuentur. Quibus auditis, & nunquam ante tentatis, ita præueniris exceſſibus, vt ſanctam Synodum ad extinguendam ſolum hæreſim, & confirmationem Fidei Catholicæ ſtudio Chriſtianiſſimi Principis congregatam, in occaſionem ambitus trahas, & vt conniuentiam ſuam tibi det, impellas: tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicænorum Canonum per Spiritum vere ſanctum ordinata conditio in aliqua vnquam ſit parte ſolubilis. Nulla ſibi de multiplicatione cogregationis Synodalia Concilia blandiantur neque trecentis illis decem atque octo Epiſcopis quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum vel comparare ſe audeat, vel præferre, cum tanta diuinitus priuilegio Nicæna ſit Synodus conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures Eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitus auctoritate ſit vacuum, quicquid ab illorum conſtitutione fuerit diuerſum. Nimis ergo hæc improba, nimis praua ſunt quæ ſacratiſſimis canonibus inueniuntur eſſe contraria. In totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit elatio, vt fratres in fidei tantummodo negotio conuocatos, & definitione eius cauſæ, quæ erat curanda, perfunctos, ad conſentiendum ſibi aut deprauando traduceret, aut terrendo compelleret. Inde enim fratres noſtri ab Apoſtolica Sede directi, qui vice mea Synodo præſidebant, probabiliter atque conſtanter illicitis auſibus obſtiterunt, apertè reclamantes, nè contra inſtituta Nicæni Concilii, præſumptio reprobæ nouitatis aſſurgeret.* Et paulò poſt, *Sancti illi & venerabiles Patres, qui in vrbe Nicæna ſacrilego Arrio cum ſua impietate damnato manſuras vſque in finem mundi leges Eccleſiaſticorum Canonum condiderunt, & apud nos, & in toto orbe terrarum in ſuis conſtitutionibus viuunt, & ſi quid vſquam aliter quàm illi ſtatuerunt, præſumitur, ſine cunctatione caſſatur: vt quæ*

ad perpetuam vtilitatem inſtituta ſunt, nulla commutatione varientur, nec ad priuatum trahantur commodum, quæ ad bonum ſunt commune præfixa, & manentibus terminis, quos conſtituerunt Patres, nemo in ius tendat alienum, ſed intra fines proprios atque legitimos, prout quis valuerit, in latitudine ſe charitatis exerceat, &c. Quo loco S. Leo omnia fere rationum momenta, quibus prædictum Chalcedonenſe decretum infirmare conati fuimus, nobis ſuggerit: ſed illud maximè de auctoritate Nicænorum Canonum vrget, quod aduerſus ea quæ ſalubriter & prudenter, vt pote Spiritu ſancto dictante, ab eo Conc. conſtituta fuerint, præualere non debeant decreta cuiuſcumque Concilii, ea maximè, quæ quorumdam ambitione extorta fuerint: legem à Nicæno Concilio ſancitam, & Eccleſiæ conſenſu probatam æternitati conſecratam fuiſſe, ac tanquam diuinam, immutabilis decreti quandam rationem obtinuiſſe, nullaque proinde noua conſtitutione eſſe mutandam, habere hanc prærogatiuam Nicæni Concil. conſtitutionem quod publicæ vtilitati procurandæ conſcripta fuerit; Chalcedonenſem, quod priuato cōmodo, & ſplendori vnius Eccleſiæ: legem autem, quæ publico conſulit bono, nullâ cuiuſcumque auctoritatis præceptione, quæ priuato duntaxat ſtudeat, euerti poſſe: legis cuiuſque innouationem nouitate ſua perturbare, atque adeò niſi maxima vtilitate hanc perturbationem compenſet, antiquæ cedere oportere. Quam perturbationem Eccleſiarum vt attendat Anatolius, poſtea illum orat eadem epiſtola, vt accuratè conſideret quo ſe crimine cōſtringat, qui tot Eccleſiis, tot ſacerdotibus ſcandalum inferre non metuat. His Anatolium rationibus conuincit Leo ex auctoritate Nicæni Concilii petitis, ſed ne monitorem potiùs quā iudicem alicui forte agere videatur: tum eadem epiſtola, tum clatius ſequenti ad Martianum Auguſtum ſui muneris eſſe affirmat, vt vindicem Canonum agat, nec patiatur Nicænorum Canonum in quoquam auctoritatem violari, & vt turbationem ex eorum violatione exurgentem auertat; *Priuilegia*, inquit, *Eccleſiarum SS. Patrum Canonibus inſtituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis nulla poſſunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari, in quo opere auxiliante Chriſto fideliter exequendo neceſſe eſt me perſeuerantem exhibere famulatum, quoniam diſpenſatio mihi credita eſt, & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum, quæ in Nicæna Synodo ad totius Eccleſiæ regimen, Spiritu Dei inſtrumento, ſunt conditæ, me, (quod abſit) conueniente violentur, vt maior ſit apud me vnius fratris voluntas, quam vniuerſæ domus Domini communis vtilitas.* Eadem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ priuilegia, vt contraria Nicænis Canonibus inſectatur idem ſanctiſſimus Pontifex epiſt. 55. *ad Pulcheriam*, & 59. *ad Martianum*, & 61. *ad Iuuenalem Hieroſolymorum*, & 62. *ad Martianum Antiochenum*, & 63. *ad Theodoretum Cyri*, cuius Pontificis auctoritas apud cordatos plus poterit quàm nouorum hominum contradictio.

Qui vero conciliare Chalcedonenſes canones cum Nicænis conantur, operam perdunt, nam ſatis euidenter ex prædictis inter vtriuſq; Concilii ſtatutum repugnantia apparet, quæ maior vtique eluceſcet ſi conſideremus Nicænum Canonem de Primatibus, Patriarchis, atque diœceſibus Orientis, quem pauciſſimis verbis concluſum habemus, fuſiùs ab ipſis Nicænis Patribus explicatum fuiſſe, vt conſtat ex actis Nicæni Concilii apud Gelaſium, ex Canonibus Arabicis eiuſdem Concilii, ex conſentientibus Neſtorianorum, Eutychianorum, atque aliarum differentium ſectarum hominum teſtimoniis, qui limites cuique diœceſi Orientali à Nicæno præſcriptos affirmant, & poteſtatem Patriarchis aſſignatam ſtatuunt, quod vtrumque Chalcedonenſis Synodus euertit. Et ſane meliori nos iure Nicænis Canonibus contrarium eſſe Chalcedonenſem defendimus, quia explicationi ab ipſo Concilio Nicæno, cuius fidem faciunt plurimi, Chalcedonenſe decretum repugnat: quam aduerſarii noſtri Chalcedonenſi Conſtantinopolitani renouationem eſſe contendant; quia licet Conſtantinopolitani, nec verbis nec ſenſui congruat, imo potiùs ab eo diſſentiat, tamen quia poſterioris æui vſu ita explicatum volunt, ideo Chalcedonenſem Synodum eius tantum declarationem edidiſſe aſſerunt.

§. XXXII.

Decima exceptio probatur.

DECIMA exceptio aduerſus eundem canonem, quòd Anatolius tanquam iniuſtam, ac minus honeſtam iſtius canonis curationem à ſe amoliri conatus ſit, & in clericos ſuos transferre, conceſſis per illum priuilegiis ceſſerit. Martianus etiam Imperator ab eius executione procuranda deſtiterit, atque adeò quandiu ipſe vixit, effectu caruerit. Id primò de Martiano teſtatur ſanctus Leo epiſtolâ 59. *ad ipſum Martianum Auguſtum*, qua poſtquam conqueſtus eſt de Anatolio quòd literas ad ipſum ſcriptas, quibus factam à Synodo Chalcedonenſi eorum damnationem approbare ſe, & quæ in gratiam Conſtantinopolitanæ ſedis tentata fuerant improbare ſignificabat, non euulgaſſet, ne vnum propalando aliud quoque manifeſtaret, quæ diſſimulatio Anatolii malam quidem eius fidem, ſed tamen Romanæ Sedis auctoritatem indicat; quam tantam agnouerit Anatolius, vt is ſi ipſius agnoſceretur diſſenſus, ea ſe obtinere diffideret quæ Concilii aſſenſu impetrauerat. Poſtquam igitur de illa literarum ſuarum ſuppreſſione conqueſtus eſt, eidem Martiano Auguſto gratulatur, quod conceſſi à Chalcedonenſi Concilio priuilegii executionem vrgeri noluerit, iis verbis: *Mihi autem multum fiduciæ, Deo per vos operante, collatum eſt, quòd probaſſe vos obſeruantiam meam de cuſtodia canonum paternorum pietatis veſtræ affatibus indicaſtis: & meritò geminatur gaudium meum, cum vobis religioſiſſimis placere cognoſco, vt & fides Nicæna ſuam teneat firmitatem, & priuilegia Eccleſiarum illibata permaneant.*

Ridiculum enim eſt illud effugium, quo aduerſarii teſtimonii illius vim eludere conantur, quaſi verò Martianus Imperator, apud quem ſe excuſauerat Leo quòd priuilegium Eccleſiæ Conſtantinopolit. probare non poſſet, quia canonibus Nicænis aduerſabatur, interceſſeratq; quominus extortum à Patribus Chalcedonenſibus executioni demandaretur, generali reſponſione duntaxat vſus fuerit, placere ſibi quod Leo cānonum obſeruantiæ ſtudioſus eſſet, quodque priuilegia Eccleſiarum ſarta tecta ſeruarentur, nec reſponſionem iſtam generalem hypotheſi, de qua agebatur applicari voluerit; cum è contra pateat ſingula reſponſionis Martiani capita tam excuſationi Leonis quàm eius ſupplicationi applicari debuiſſe: ita vt & excuſationem, quam proferebat Leo, quòd canonem Chalcedonenſem confirmare noluiſſet, quia antiquis canonibus contrarius erat, ſe non tantum admittere Imperator reſponderit; verùm etiam refutati ab eodem iſtius canonis cauſam, puta ſtudium obſeruandorum canonum antiquorum & eiuſdem interceſſioni, nè decretum illud Chalcedonenſe obſeruaretur, quia per ipſum priuilegia Eccleſiarum turbabantur, annuerit decernēs, vt priuilegia Eccleſiarum illibata permaneant. Quid enim timuiſſet Imperator ſincerè Leoni ſuam patefacere voluntatem? an probabile eſt, cum Leone diſſimulare voluiſſe Imperatorem? annon potiùs credibile eſt Imperatorem niſi iuſtam Leonis, & excuſationem & interceſſionem putaſſet, indignaturum fuiſſe, quod eius deſiderio minimè Leo ſatisfeciſſet, quod non iuxta ipſius vota decretum Chalcedonnenſe ſuo aſſenſu roboraſſet? igitur verba iſta Martiani, quæ Leoni per nuntium ipſius Iulianū Coenſem, vt ſeries epiſtolæ oſtendit, indicata fuerant, ob quæ Imperatori gratias agit, cui minime auſus fuiſſet gratulari niſi excuſationem ille ſuam ſuſcepiſſet, & ipſius poſtulatis, quę ad eum vt ambitioni Conſtantinop. reſiſteret, direxerat epiſt. 54. aſſenſiſſet. Confer quæ ſcripſit Leo, epiſt. iſtâ 54. Martiano Imperatori, cum iis quæ Martianus reſpondiſſe refertur ad prædictæ epiſt. duo allata capita, & reperies Martianum & excuſationem Leonis admiſiſſe, cur refutaſſet decretum Chalcedonenſe, quia Canonum ipſe vindex & aſſertor tuta conſcientiâ ea approbare non poterat, quæ antiqua Eccleſiæ ſtatuta peruerterent: & eiuſdem ſupplicationem admiſiſſe, *Qua precatus fuerat, & ſedula ſuggeſtione Martianum obſecrauerat, vt auſus improbos vnitati Chriſtianæ pacique contrarios ab omni pietatis ſuæ abdicaret aſſenſu, & fratris ſui Anatolii nocituram ipſi (ſi perſtitiſſet) cupiditatem ſalubriter comprimeret.*

ò, Anatolium quoque iuribus prætenſis, Martiani Imperatoris perſuaſione, endit idem S. Leo epiſt. 71. *ad prædictum Anatolium.*

Initio ſiquidem epiſtolæ queritur eius erga ſe dilectionem tepuiſse, anxietatis nullam ei occaſionem fuiſſe, quod eius illicitum ambitum repreſſiſſet: charitatem ſe ipſius & conſortium nunquam ſpreuiſse: illius ſtudiis ita vſum fuiſse, *vt nullus auderet vel fidei Catholicæ reſultare, vel Nicænis venerabilium Patrum regulis contraire:* quibus verbis oſtendit nouam ipſius aduerſus canones Nicænos præſumptionem, nouum conatum ſuum fuiſſe pro obtinendis nouis priuilegiis, non antiquis retinendis, ſed & illud quod in Chalcedonenſi actum eſt Anatolium ipſum agnouiſſe contra Nicænos canones tentatum fuiſſe; & ſcandalum in Eccleſiis peperiſſe (quod vtrumque eſt contra aduerſarii hypotheſes) verba quæ ſubiungit, oſtendunt, *ſed cùm in iniuriam canonum (vt agnoſcis) illa tentata ſint, quæ omnibus Eccleſiis ſcandalum maximum generarent, quid aptius ac modeſtius facerem, quam vt te primùm, vt ab hac intentione diſcederes, fraterno animo miſsis literis admonerem, ad quas cùm non reſcriberes ipſe te colloqui mei conſortio ſeparaſti. Denique inde iam tacui, ſed clementiſsimo Principi cuſtodi fidei, frequenti literarum petitione ſuggeſsi, vt pro pace Eccleſiarum quam tibi maximè prodeſſe cognoſcis, hæc quæ nunc à tua dilectione facta ſunt implerentur. Cui ineffabiles gratias ago, quod ſecundùm eruditionem Spiritus ſancti, cuius eſt virtute pleniſsimus, Sacerdotali dignetur ſtudere concordiæ.*

Hæc præfationis loco eſse poſsunt, vt Anatolium inductum à Martiano Imperatore, quatenus prætenſis ſuæ ſedis in Chalcedonenſi Concilio priuilegiis cederet, colligamus: hæc enim ex prædictis verbis inferimus, quæ ſimul vera eſſe non poſſunt, niſi prædictis iuribus ambitioſe expetitis Anatolius ceſserit.

Primum, igitur ex iis colligimus Anatolium grauiter tuliſse reprehenſionem factam à Leone propter ambitam malis artibus Primatis inſolitam prærogatiuam; ideò à ſcribendo S. Leoni aliquo tempore ceſsaſse: ceſsaſse & Leonem, non quod communionem cum ipſo aſpernaretur, ſed quòd neglectam ſuam auctoritatem vlciſci ſe ſuo ſilentio oportere credidiſset.

Alterum eundem S. Leonem frequenter apud Imperatorem egiſse, vt cauſæ diſſolutionis amicitiæ, ac charitatis, inter ipſum & Anatolium mederetur, atque adeo vt eum induceret ad cedendum iis quæ contra canones ambitioſè proſecutus fuerat. Hæc enim erat cauſa diſsolutionis priſtinæ amicitiæ quæ vigebat, cùm nihil aduerſus canones Nicænos tentaretur, non ea meditaretur Anatolius ad amplificationem ſuæ dignitatis quæ in Concilio Chalcedonenſi formari procurauit.

Tertium, quæ à Martiano literarum frequenti ſuggeſtione petierat Leo, id tandem Anatolium impleuiſse.

Quartum, contra Nicænos canones pugnare faſsum fuiſse priuilegia quæ à Chalcedonenſibus Patribus extorſerat.

Quintum, hortatu Imperatoris pacem & concordiam Eccleſiarum redditam. Quæ vtique ſi vera ſunt, ceſſiſse Anatolium priuilegiis iniuſtè ambitis neceſſum eſt, hortatuque Imperatoris id factum, & ita pacem Eccleſiæ redditam, quam cum Anatolio habere nolebat Leo niſi iniuſtis illicitiſque priuilegiis renuntiaret.

Sequuntur alia cap. 3 quibus Anatolio ita gratulatur Summus Pontifex ob iſtam ceſſionem, vt tamen oſtendat ſe exoptaſse, vt ſinceriùs culpam fateretur à ſe commiſſam, quàm vt in alios reiiceret, *Illam autem*, inquit, *culpam quàm de augenda poteſtate, aliena, vt aſſeris, adhortatione contraxeras, efficacius, atque ſincerius tua charitas diluiſſet, ſi quod tentari ſine tua voluntate non potuit, non ad ſola clericorum conſilia tranſtuliſſet. Quia ſicut in mala ſuaſione delinquitur, ita & in mala conſenſione peccatur, ſed gratum mihi, frater chariſsime, eſt, quòd dilectio tua id profitetur ſibi diſplicere, quod tunc etiam placere non debuit, ſufficit in gratiæ communis regreſſum profeſsio dilectionis tuæ, & atteſtatio Principis Chriſtiani. Nec videtur tarda correctio cui tam venerabilis aſſertor acceſsit. Abiiciatur penitus inconceſsi iuris qui diſſenſionem fecerat appetitus; ſufficiant limites, quos Sanctiſsimorum Patrum prouidentiſsima decreta poſuerunt: vt quieta ſit ſuis meritis, & antiquis priuilegiis dignitas omnium Sacerdotum renouetur.*

Miror alicui in mentem veniſse, vt ex iis verbis inferri tantum poſse ſcriberet Anatolium, neque ambiuiſse, neque procuraſse dignitatem ſedis Conſtantinopolitanæ in Chalcedonenſi Conc. firmatam, eius inſtitores fuiſse ſolos clericos Conſtantinopolitanos, dolere ſe quòd huic ſe negotio immiſcuiſset, eorumque ipſorum teſtem Imperatorem allegaſse. Cæterùm non inferri ipſum iniuſtè faſsum fuiſse quidquam ſe egiſse,

aut priuilegio ſuæ ſedis renuntiaſſe, aut preces Eccleſiæ ſuæ pro iſtius prærogatiuæ obtinenda confirmatione damnaſſe.

Miror aliquem inutilibus quibuſdam exemplis extra rem prolatis conatum tenebras tam apertæ veritati obducere, & offuſa caligine Leonis teſtimonium obſcurare. Præterquam quod enim hæc eius reſponſio pugnantia inuoluit, vt quod proteſtatus ſit Anatolius ſe non procuraſſe cathedræ ſuæ, quam indebitam aſſerebat Leo, dignitatem, & tamen faſſus ſit ſe huic negotio immiſcuiſſe, & dolere dixerit quod ſe immiſcuiſſet, non enim ſe immiſcuiſſe dici poteſt huic curationi niſi vt dignitatem iſtam cathedræ ſuæ impetraret.

Sed hæc mittamus, dicimus, non in eo ſiſtere Anatolium, vt aſſerat doluiſſe ſe clericos Conſtantinopolitanos de augenda Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ dignitate cogitaſſe: quamuis ſi id duntaxat faſſus fuiſſet, nouæ dignitatis augmentum expetiiſſe Conſtantinopolitanum, non antiquæ tantum confirmationem contra ſua principia fateri deberet aduerſarius. Verùm non in eo ſiſtit, ſed ſingula quæ dixiſſe ipſum negat aduerſarius, Anatolium aſſeruiſſe S. Leo perhibet. Etenim negat ille Anatolium ſe in eo negotio immiſcuiſſe, negat faſſum illum fuiſſe eos qui eidem ſe immiſcuerant, aliquid iniuſtè feciſse: at teſtatur Leo culpam illum agnouiſſe, ſed vt eam eleuaret, contendiſſe ſe eam aliena adhortatione contraxiſse: teſtatur Leo Anatolium faſſum fuiſse contra Nicænos canones conatus iſtos quos ipſe promouerat, pugnaſse, ac fateri aliquid contra canones attentatum quid aliud eſt quàm crimen ambitioſæ curationis, & iniuſtum ſtudium euertendorum canonum confiteri? culpam clericorum ſuorum ipſum admiſiſse Leo diſerte teſtatur, & fatetur alienam culpam cui ipſe conſenſit; nonne igitur fatetur ſuam culpam, cuius duntaxat grauitatem conatur ex aliena impulſione minorem facere? Negat Anatolium prætenſis ceſſiſse priuilegiis; quaſi vero aliquis verè dicere poſſit ſincere dolere ſe patratæ alicuius iniuſtæ prætenſionis, niſi eidem renunciet, aut prudens ac cordatus vir, qualis Leo ab omnibus admittitur non expreſſam renuntiationem ab eo poſtularit, vt pax Eccleſiæ firma eſſet, non pacis iſtam conditionem præſcripſerit, quam cùm impletam gratuletur, non generali eum aſseueratione, non fraudulenta, non ambagibus verborum contentum fuiſſe certiſſimum eſt, ſed aperta ac nuda renuntiationis ac ceſſionis proteſtatione. Et ſane ad quid Imperatoris teſtificatio niſi proteſtationi alicui accederet: non egent officioſa verba quibus nulla promiſſio ſubeſt aſſertore, & teſtificatore tantæ præſertim dignitatis atque auctoritatis. Opus eſt, ergo aliquid promiſiſſe Anatolium, opus conditionibus à Leone præſcriptis ipſum conſenſiſse, vt eiuſdem communicationem promereretur, conditiones autem ei præſcriptas audiuimus, *vt abijceretur penitus inconceſſi iuris, qui diſſenſionem fecerat, appetitus.*

Itaque eum his conditionibus conſenſiſse Leo ſatis euidenter teſtatur, dum ipſius excuſationes admiſit & pacem cum eo, & communionem redintegrauit, dum ſufficere in gratiæ communis regreſsum profeſſionem Anatolii ſcripſit, dum correctioni eius, & emendationi teſtimonium præbuit. Neque enim eum correptum ſcripſiſset Leo, niſi iniuſtæ vſurpationis voluntatem ſe abieciſse ſignificaſset: nec ſufficere profeſſionem Anatolii ad pacis renouationem dixiſset, niſi ambitioſis conatibus, quos ſcandalum induxiſse ait, diſsenſiones fuiſse ac ſciſsuras feciſse prædictus Anatolius renuntiaſset. Nec aſsertorem correctioni Anatolii Imperatorem acceſſiſse adiunxiſset, ſi ab Imperatore quædam duntaxat verba officioſa Anatolii accepiſset, niſi præterea, ea omnia Imperatore referente ab illo reſciuiſset impleta, quæ ipſe ad correctionem neceſsaria putabat: at non dubium quin perfectam renuntiationem prætenſis iſtis omnibus priuilegiis ad correctionem neceſsariam iudicarit ſanctus Leo, ergo & Anatolium hanc renuntiationem feciſse, & Imperatorem teſtificatorem huic renuntiationi acceſſiſse ſignificat, dum ait illius correctioni Martianum Imperatorem aſſertorem acceſſiſse.

Leonis teſtimonium omni exceptione maius eſt, quippe à magno Pontifice & ſanctiſſimo profectum, & iis epiſtolis exaratum quæ ad ipſum Anatolium & Martianum ſcriptæ falſitatis ſuſpicione omnino carere debent: nam omnem ſuperat fidem, adeò inuerecundum, & impudentem fuiſse Leonem, vt auderet Anatolio ſcribere ipſum priuilegiis Eccleſiæ ſuæ malis artibus procuratis renuntiaſse, niſi verè renun-

Digitized by Google

tiaſset: auderet Imperatorem renuntiationis ipſius aſsertorem nominare, niſi id verum eſset; auderet ad ipſum Imperatorem gratulatorias literas ea de re ſcribere, & aperte Anatolio atque Imperatori mentiri.

Eidem tamen Gelaſii auctoritatem ſubiungo epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ iis verbis, *Poſtremò, ſi ſibi, de præſentia Imperatoris blandiuntur, & inde putant Conſtantinopolitanæ ciuitatis Epiſcopi potiorem fieri poſſe perſonam, audiant Martianum eiuſdem Principem ciuitatis, poſteaquam pro augmento vrbis ipſius ſacerdotis interceſſor accedens, contra regulas obtinere nihil potuit, ſanctæ memoriæ Papam Leonem ſummis laudibus proſecutum, quod eas canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpeſſus. Audiant Anatolium eiuſdem ſedis antiſtitem, clerum potius Conſtantinopolitanum quàm ſe tentaſſe talia confitentem, atque in Apoſtolici præſulis totum dicentem poſitum poteſtate. Ipſum beatum Leonem Sedis Apoſtolicæ præſulem, cuius Synodus Chalcedonenſis auctoritate firmata eſt, quicquid vltra quàm ab eodem pro fide & communione Catholica, atque Apoſtolica illic agendum conſtaret, eſſe delegatum, per occaſionem congregationis illius præter Nicænos canones noua videretur actione tentatum, competenti refutatione vacuaſſe.*

Tria ſiquidem ex iis verbis Gelaſi, cuius tempore tam Martiani Imperatoris, quàm Anatolij epiſtolas aſseruatas, & à Gelaſio lectas, & aliquos adhuc iſtorum temporum ſuperfuiſse viros dubitare non poſsumus: tria, inquam, diſcimus, Martianum Imperatorem, qui initio apud Leonem interceſsor extiterat quatenus Chalcedonenſes canones confirmaret, ipſorum iniquitate ei per Leonem manifeſtata, non ſolùm iſtam confirmationem vrgendi finem feciſse, verùm etiam laudaſse Leonem quòd illicitis conatibus, & contra canones pugnantibus obſtitiſset. Anatolium verò & totius negotij inuidiam, in clericos Conſtantinopolitanos reieciſse & agnouiſse poteſtatem iſtam in Romani Pontificis poteſtate poſitam eſse: atque adeo proteſtatum ſe illo inuito nunquam incrementum ſedis ſuæ ambiturum. Denique Leonem reſcidiſse quæcumque præter ſuam intentionem contra interceſſionem ſuorum legatorum atque inſtructionem à Chalcedonenſi Synodo tentatum fuiſset.

Duo proinde ex iis comperta & explorata haberi poſsunt. Primum, Anatolium hoc ce tempore prætenſis priuilegiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in Chalcedonenſi Synodo firmatis, Leonis voluntate & Martiani Imperatoris ab eodem tandem perſuaſi auctoritate ceſſiſse. Alterum, nec, quandiu Martianus Imperator ſuperſtes fuit, vnquam priuilegia iſta prætendiſse, aut executioni demandaſse. Synodus autem Chalcedonenſis habita eſt anno 452. Anatolius nonniſi anno 454. depoſuit ſtudium Primatus monente Leone, & hortante Imperatore. Mortuus eſt Martianus anno 457. Anatolius obiit anno 458. Vtrum ipſe poſt Martiani obitum, vtrum eius ſucceſſores idem iſtud reſumpſerint, & Chalcedonenſis Concilii executionem obtinuerint, hoc demum eſt quod inuolutum magis & intricatum à nobis explicari debet.

§. XXXIII.

Non fuiſſe etiam poſt Concilium Chalcedonenſe vſu receptum, vt à Patriarcharum ſententiis prouocaretur ad ſedem Conſtantinopolitanam, nec vt Metropolitani iiſdem ſubditi apud eandem ſedem conuenirentur.

EGo ſic cenſeo. Primum quidem vnum eſse quòd in Chalcedonenſi Concilio in gratiam Conſtantinopolitani antiſtitis decretum videri poſset, nec vnquam vſu receptum fuerit, nunquam admiſsum, nimirum vt à Patriarchis Alexandrino, Antiocheno, aut etiam Hieroſolymitano ad ſedem Conſtantinopolitanam appellaretur, vel à Metropolitanis Ægyptiacæ diœceſeos Orientalis, aut Paleſtinæ, omiſſis prædictis Patriarchis prouocaretur: vel in Metropolitanorum earundem diœceſeon cauſis optio eſset, ad ſedem Conſtantinopolitanam, vel ad Primatem prouocandi.

Nullum ſiquidem huius poteſtatis exemplum ſequentibus ſæculis proſtat, quo pacificè hoc iure Conſtantinopolitanum antiſtitem vſum fuiſse conſtet. Quinimmo poſterioribus ſæculis Imperatorum legibus aliter cautum eſt: nam, verbi gratia, omiſsa optione agendi apud ſedem Conſtantinopolitanam Primati, ſeu Patriarchæ in ſuam.

diœceſim liberam poteſtatem Iuſtinianus Nouella 123. cap. 22. ex vſu certe præcedentium temporum, & ſuo attribuit. *Si quis verò, inquit, ſanctiſſimorum Epiſcoporum eiuſdem Synodi dubitationem aliquam adinuicem habeat, ſiue pro Eccleſiaſtico iure, ſiue pro aliis quibuſdam rebus, primò Metropolita eorum cum aliis de ſua Synodo Epiſcopis cauſam examinet, & iudicet, & ſi non rata habuerit vtraque pars, quæ iudicata ſunt, tunc beatiſſimus Patriarcha diœceſeos illius inter eos audiat, & illa determinet, quæ Eccleſiaſticis canonibus & legibus conſonant, nullâ parte eius ſententiæ contradicere valente. Si autem & à clero, aut alio quocumque aditio contra Epiſcopum fiat propter quamlibet cauſam apud ſanctiſſimum Metropolitam ſecundùm ſacras regulas & noſtras leges cauſa iudicetur: & ſi quis iudicatus contradixerit ad beatiſſimum Archiepiſcopum & Patriarcham diœceſeos illius referatur cauſa, & ſecundùm canones & leges huic præbeant finem: ſi verò contra Metropolitam talis aditio fiat, ab Epiſcopo aut clero, aut alia quacumque perſona diœceſeos illius, beatiſſimus Patriarcha ſimili modo cauſam iudicet.*

Idem confirmat Nouella 137. capite 5. *Et ſi quidem Epiſcopus eſt is qui accuſatus eſt, eius Metropolitanus examinet*, εἰ δὲ Μητροπολίτης κατηγορεῖται, ὁ Πατριάρχης αὐτοῦ ζητείτω, *ſi verò Metropolitanus accuſatur, eius Patriarcha cognoſcat.* Quas vtique duas nouellas conſtitutiones Photius Nomocanonis titulo 9. cap. 11. tanquam in viridi ſuo tempore obſeruantiâ exiſtentes refert. Conſentiuntque iuris interpretes Græci, Zonaras, Balſamon, Blaſtares & alii, nec à Metropolitani ſententia ad alium quàm ad Patriarcham diœceſeos appellari, nec ab eius ſententia prouocationem admitti ad Conſtantinopolitanum Patriarcham: nec Metropolitanum coram alio quàm ſuo primate, ſeu Patriarcha conueniri potuiſſe.

Quare nequaquam receptum dicendum eſt priuilegium iſtud à Synodo Chalcedonenſi Patriarchæ Conſtantinopolitano conceſſum canone 9. quo ſtatuitur, vt ſi cum ipſius prouinciæ Metropolitano Epiſcopus vel clericus controuerſiam habeat, diœceſis Exarchum adeat, ἢ τὸν τῆς βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον καὶ ἐπ᾽ αὐτῷ δικαζέσθω, *vel Imperialis vrbis Conſtantinopolis thronum, & apud eum litiget.* Nequaquam pariter admiſſum fuiſſe idem Conſtantinopolitano Patriarchæ confirmatum priuilegium canone 17. eiuſdem Synodi, & ſi quis iniuria officiatur à proprio Metropolitano παρὰ τῷ ἐξάρχῳ τῆς διοικήσεως, ἢ τῷ Κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ δικαζέσθω, *apud Exarchum diœceſis, vel Conſtantinopolitanam ſedem litiget.* Hoc ipſum tamen priuilegium duobus iſtis canonibus confirmatum notat Hincmarus Opuſculo quinquaginta quinque capitum, cap. 23. receptum non fuiſſe, ſed reclamantibus Summis Pontificibus irritatum.

§. XXXIV.

Cur canones 9. & 17. Concilii Chalcedonenſis quaſi canones approbati in collectionibus habeantur, vigeſimus autem octauus reiiciatur.

Nec obſtat quòd canones iſti nonus & decimus ſeptimus, tum à Theodoſio in Synagoga canonum, tum à Dionyſio Exiguo in ſua verſione, tum à Creſconio in collectione canonum, tum in Aquiſgranenſi Concilio ſub Ludouico Pio canone 86. referantur: quod item iiſdem canonibus Sedis Apoſtolicæ Legati minimè contradixiſſe legantur in actis Synodi Chalcedonenſis. Etenim ideò canones iſti retenti ſunt in collectione canonum, quod vt tradit Hincmarus loco citato, *Iſtud capitulum aliis neceſſariis interpoſitum de appellatione Epiſcoporum & clericorum ad ſedem regiæ vrbis Conſtantinopolitanæ foret; quamuis malo vtique ſine intextum fuiſſet, quatenus conſtitutionem Sardicenſis Concilii de appellatione clericorum apud finitimos Epiſcopos, & appellationem Epiſcoporum de regionali Concilio ad Sedem Apoſtolicam eidem ſedi abriperet, & ſibi adſcribi faceret.*

Ea ergo fides collectorum fuit, vt quia mutilare canones aliqua ſui parte noluerunt, & illos omittere vtpote neceſſarios minimè debuerunt, etiam additamen, tum iſtud inſeruerint quod nobis viſum eſt poſt diſceſſum Legatorum æquè editum, ac canonem integrum vigeſimum octauum, & ſimiliter Legatis Sedis Apoſtolicæ diſplicuiſſe, ſicut & Leoni diſplicuit, & quidem præ cæteris, vt ex ipſius epiſtolis hac de re ſcriptis patet.

Digitized by Google

Nihilominus ſolùm canonem 28. impugnaſſe legatos Sedis Apoſtolicæ, quia & additamentum iſtud continebat, qnod in canonibus nono & decimo ſeptimo habebatur: Itemque quia addit amentum iſtud, quod habetur prædictis Canone 9. & 17. ita explicari poterat, vt quam iam vſurpauerant in pluribus Eccleſiis ſibi proximis diœceſeon Thracicæ, Aſiaticæ, & Ponticæ poteſtatem, eam illis Canones iſti confirmarent. Diximus enim Conſtantinopolitanum antiſtitem in variis prouinciis Epheſinæ, & Ponticæ diæceſeos, & in tota fere Thracica diœceſi ante Canonem Chalcedonenſem varios Metropolitanos depoſuiſſe: quam conſuetudinem voluerunt Canon 9. & 17. roborari, vt ſcilicet ipſi auctoritate Chalcedonenſis Canonis concederetur, quatenus in iis prouinciis Conſtantinopolitanæ ciuitati proximis, in quibus Metropolitanos Conſtantinopolitanæ vrbis Epiſcopi iudicauerant, li[illegible]um eſſet ei qui aduerſus Metropolitanos agere vellet, vel coram Primate ſingularu[illegible]œceſeon, Thracicæ quidem, Heracleenſi, Epheſino, Aſiaticæ, Ponticæ Cæſarienſi litem ipſis intentare, vel certe illos apud regiæ vrbis Conſtantinopolis antiſtitem in ius vocare, quod aliàs factitatum fuerat: nam conſtat ex prædictis, quoſdam Metropolitanos earum diœceſeon à Conſtantinopolitano antiſtite, alios ab Epheſino, & Cæſarienſi iudicatos fuiſſe, & eo Canone Chalcedonenſem Synodum expreſſe tantum loqui de Metropolitanis prædictarum diœceſeon, ait Zonaras in Canonem 17. Itaque exiſtimo Legatos, quibus tantum curæ erat, nè Conſtantinopolitanorum ambitio noui aliquid tentaret, prudenter iſtos Canones diſſimulaſſe, quibus antiquas vſurpationes ſuas defendere videri poterant, vt Primates iſtos antiquos in Concilio Conſtantinopolitano primò confirmatos, non omnino abolerent. At Canonem 28. totis viribus impugnaſſe, quippe qui & Primates iſtos extinguebat penitus, atque ordinarium totius Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ diœceſeon Primatem conſtituebat Conſtantinopolitanum antiſtitem, & dum paria cum Romano Pontifice priuilegia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ antiſti conferebat, ac pariter magnificari in cauſis Eccleſiaſticis illum ſtatuebat, non ſolùm ius præuentionis de cauſis Metropolitanorum cognoſcendi verùm etiam ius appellationis ei conferebat. Nam certum eſt Romanum Pontificem tunc temporis eo iure vſum non ſolùm vt iuxta Sardicenſis Concilii decretum de appellationibus Epiſcoporum ex omnibus Patriarchatibus cognoſceret, verum etiam, vt iuxta aliorum Conciliorum decreta etiam primo iudicio de Metropolitanorum cauſis decerneret: quod vltimum conſtat tum ex Concilio Romano, cui interfuit Ambroſius, coacto anno 378. quòd Gratiani reſcripto confirmatum eſt, iis verbis: *Si in longinquioribus partibus alicuius ferocitas talis emerſerit, omnino eius cauſæ dictio ad Metropolitæ in eadem prouincia Epiſcopi deducatur examen: ſi vel ipſe Metropolitanus eſt, Romam neceſſario, vel ad eos quos Romanus Epiſcopus iudices dederit ſine dilatione contendat.* Habetur hoc reſcriptum ſimul cum epiſtola Synodi Romanæ poſt appendicem codicis Theodoſiani opera doct. viri Sirmondi publici iuris factum.

Conſentit Leo primus eodem fere tempore, quo habitum eſt Chalcedonenſe epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem capite 1. vbi loquens de Attico Metropolitano veteris Epyri ab Anaſtaſio Theſſalonicenſi ad Concilium venire coacto, *An forte*, inqnit, *aliquod tibi facinus fratris innotuerat, & Metropolitanum Epiſcopum noui apud te criminis pondus vrgebat? at hoc quidem alienum ab illo eſſe, etiam tu nihil ei obiiciendo confirmas, ſed etiam ſi quid graue intolerandumque geſſiſſet, noſtra erat expectanda cenſura, vt nihil prius ipſe decerneres, quam quid nobis placeret agnoſceres.*

Extant & aliqna continnati iſtius moris veſtigia in epiſtola Gregorii magni libro 7. indictione 2. epiſt. 8. Innocentio, & aliis Sardiniæ Epiſcopis, vbi eos monet, vt ſi transmarina iudicia petere voluerint, licentiam petant à ſuo Metropolitano; *Excepto*, inquit, *ſi, quod non optamus, contra eundem Metropolitanum veſtrum vos habere aliquid cauſæ contigerit, vt ob hoc Sedis Apoſtolicæ iudicium requiratis.* Conſonant autem epiſtolæ, nomine Aniceti prima in principio, Sixti ſecundi prima ante medium, Victoris prima in medio Iulii, ſecunda capite 4. & 54. in qnibns ſtatuitur, vt ſi qnid cuiquam aduerſus Metropolitanum fuerit, vel apud Primatem diœceſeos, vel apud Sedem Apoſtolicam litem intentare poſſit; quos ſecutus Hadrianus primns capitulis Angilramno datis, capite 26. quibus omnibus quæ in Concilio Chalcedonenſi in gratiam Conſtantinopolitanæ ſedis indulgentur, eadem vt debita Romanæ Sedi promulgantur, Hadriani autem

Digitized by Google

verbis exſcripta habentur lib. 7. capitularium cap. 241. Non motor explicationem Nicolai primi epiſt. 8. Michaeli Imperatori, quæ incipit *propoſueram*, circa medium, qua *Primatem diœceſeos* explicat Romanum Pontificem, qui neceſſario adiri deberet, vt ſententia aduerſus Metropolitanum effectum ſortiri poſſit, permiſſum autem iis qui prope ciuitatem Conſtantinopolitanam morarentur, vt ſi eorum aliquis ſolius præſulis eius iudicio velit eſſe contentus, peteret eandem regiam vrbem. Non, inquam, hanc explicationem moror, quia minus conſentanea videatur, vtpote dum in Chalcedonenſi Synodo, ſicut & in aliis Synodis ſubſequentibus Græcis, & apud Iuſtinianum conſtitutionibus citatis, Balſamonem, Zonaram & alios, Exarchus diœceſeos dicatur, qui diœceſi ſeu collectioni multarum ptouinciarum præeſt. Vnde & eos titulos Heracleenſis, & Epheſinus, & Cæſarienſis ſibi vendicabant ex prædictis. Nihilominus interpretatio iſta oſtendit Romanos Pontifices, eo ſenſu priuilegium Conſtãtinopolitanæ ſedis conceſſum Canonib. 9. & 17. interpretatos fuiſſe, illudque eodem ſenſu toleraſſe, ac proinde non iniquè tuliſſe canones iſtos Canonibus Conciliorum inſeri, & adcenſeri, quamuis Canonem 28. nunquam paſſi fuerint Canonibus Concilii Chalcedonenſis inſeri. Sed nec Græci Canon. 28. pro legitimo habere viſi ſunt, nam Theodoretus auctor coætaneus in ſua collectione Canonum, 27. tantum Canones Concilii Chalcedonenſis refert, 28 & duos ſequentes qui habentur apud Balſamonem prætermittit, & Theodorus lector lib. 1. hiſtor. 27. tantum Canones ediſſe Concilium Chalcedonenſe affirmat, quos tantum admittunt Dionyſius Exiguus tempore Iuſtiniani, & alii. Et ſane, qui apud Balſamonem & Zonaram loco Canonum 29. & 30. referuntur, Canones non ſunt, ſed prior nihil aliud eſt quàm interlocutio Paſchaſini Legati Sedis Apoſtolicæ, & Anatolii Conſtantinopolitani præſulis; poſterior, temporaneum decretum, nè Epiſcopi Ægyptii, qui non ſubſcripſerant epiſtolæ Leonis (quia nondum ordinato Epiſcopo Alexandrino piaculum credebant aliqui magni momenti aggredi) nè inquam, Conſtantinopoli abire permitterentur antequam de ordinato Alexandriæ Patriarcha nuntium accipientes Concilio per ſubſcriptionem ſatisfacerent.

§. XXXV.

Corrollaria quædam ex prædictis deducuntur circa ea quæ vſus poſteriorum temporum probaſſe, vel improbaſſe viſus eſt, tanquam à Concilio Chalcedonenſi Conſtantinopolitano Epiſcopo conceſſa.

QVARE non cunctanter aſſeuerare audemus nunquam receptum quod intendere videbantur Conſtantinopolitani canonibus 9. 17. & 28. vt Patriarcha Conſtantinopolitanus ex aliis Patriarchatibus appellationes à Metropoliranis reciperet, aut conquerentes de Metropolitanis aliorum Patriarchatuum admitteret, eoſque in ius coram ſe vocaret, quemadmodum nec quod in alios Patriarchas Alexandrinum, aut Antiochenum ius vllum ſibi vendicaret; quod videre eſt ex epiſtolis Leonis 56. & 57. in qua acriter Anatolium redarguit, quòd Antiochenum Patriarcham ordinare præſumpſiſſet. Ac proinde concludendum eſt; nunquam æqualia priuilegia Conſtantinopolitanum eitam in Oriente conſecutum fuiſſe, quibus in Occidente Patriarcha Romanus fruebatur, imo etiam in totò orbe, quamuis rarius in Oriente poteſtatem omnem ſuam explicaret, nec niſi cum cauſa maior eſſe videretur, & Eccleſiæ neceſſitas poſtularet.

Quin etiam priuilegium Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ antiſtiti conceſſum canonibus 9. & 17. ex vſu frequenti ad appellationes ex aliis Patriarchatibus non videri ampliatum, ſicut ampliari poterat, imò nec ad Metropolitanorum in alio Patriarchatu conſiſtentium cauſas ad ſedem Conſtantinopolitanam euocandas valuiſſe: eo ſenſu à Summis Pontificibus initio videri approbatum, quo Nicolaus primus explicuit: eo ſenſu toleratum tum ab iiſdem poſtea, tum à Legatis Sedis Apoſtolicæ in Concilio Chalcedonenſi, quo nos expoſuimus: eo ſenſu receptum quo vſu & conſuetudine tum ante Concilium Chalcedonenſe, tum poſtea vigente præſcriptum fuit. Hoc autem nunquam, receptum vt æqualia omnia priuilegia in Oriente Conſtantinopolitanus

obtineret, quæ Romanus; nec vnquam intentum à Conſtantinopolitanis, vt generale foret priuilegium, & ad Eccleſias Occidentales extenderetur, tum quod adinſtar tantum Eccleſiæ Romanæ obtinere illud ſatagerent, ac proinde ademptum Romano in Occidente nolebant, nec in maioribus cauſis eidem in Oriente derogari petebant, ſed tantum enitebantur dummodo ordinarium ipſi in Oriente, extraordinarium tantum Romani Pontifices in cauſis ſcilicet maioribus appellationes recipiendi priuilegium haberent: tum quod & Patriarchatus Occidentis fines aliquando reuellere Conſtantinopolitani conati fuerint, & id perfecerint interdum, nunquam tamen in Eccleſiis quandiu Patriarchatus eas Romani eſſe faſſi ſunt, aut ius præuentionis aut appellationes ad ſedem Conſtantinopolitanam ſibi præſumpſerint.

Neque iis opponi poteſt lex *Sancimus* Iuſtiniani Imperatoris, quæ eſt 29. codice *de Epiſcopali audientia*, qua ex interpretatione latius ſupponi videtur, quòd liceat ad Epiſcopum Conſtantinopolitanum appellare à iudicio reddito per ipſos Patriarchas verbis iſtis quæ habentur §. 22. *Enimuero ſi remiſſa cauſa ad Sanctiſſimum Patriarcham, aut ad aliquem ex religioſiſſimis Epiſcopis, aut Metropolitanis, aut ad alium Dei amantiſſimum Epiſcopum lata ſit quæ alicui parti diſpliceat, ac prouocetur ad Archiepiſcopalem hanc ſedem, referatur appellatio, in qua, vt adhuc ſeruatum eſt, lis cognoſcatur.* Verùm contraria ſunt his verbis, ea quæ initio eiuſdem legis habentur: *Nam contra horum antiſtitum*, (id eſt Patriarcharum) *ſententias non eſſe locum appellationi, à maioribus noſtris conſtitutum eſt*, quæ paragrapho, *has autem* confirmantur: *actiones ſiquidem quæ ad negotia Eccleſiaſtica pertinent neceſſe fore iubemus, vt à ſolis religioſiſſimis Epiſcopis aut Metropolitanis, aut à ſacris Synodis, aut à ſanctis Patriarchis cognoſcantur.* Itaque mendum ineſſe Latinæ verſioni rectè monet vir clariſſimus & eruditiſſimus Præſes à Marca, nimirum vt in ea ſpecie, de qua loquitur lex §. 2. conſtituat quòd ſi appelletur à ſententia iudicis delegati per Patriarcham tunc ἀρχιερατικὸς θρόνος *Patriarchica ſedes*, non *hæc Patriarchica ſedes*, id eſt, Conſtantinopolitana litem finire ſtatuatur, cuius loco Latina verſio habet, *hæc Archiepiſcopalis ſedes*, quam Conſtantinopolitanam interpretes expoſuerunt. Quod ſi textum Latinum intactum ſeruare velimus, per *hanc Archiepiſcopalem ſedem*, dicendum erit non intelligi Conſtantino politanam, ſed hanc quæ delegauit, vt particula, hæc, vim demonſtrationis non habeat, ſed particulæ relatiuæ ſignificationem.

Verùm eſt quidem poſterioribus temporibus Ioannem Conſtantinopolitanum poſtea ſimul cum titulo œcumenici Patriarchæ voluiſſe poteſtatem Synodi ex toto Oriente conuocandæ ſibi vendicare, vt teſtatur Pelagius epiſtola 1. Verùm eſt Conſtantinum & Leonem Imperatores à Conſtantinopolitano antiſtite perſuaſos ſtatuiſſe, vt in aliorum Patriarchatibus Monaſteria erigere, eaque exempta declarare crucis fixione poſſet, ac lites ex iis emergentes dirimere, apud Lenuclauium titulo 3. *de Patrarchis*. Verùm eſt Nilum de Primatu Papæ lib. 2. & Balſamonem in caput 5. Concilii Sardicenſis prouocandi ius ad Conſtantinopolitanum Patriarcham ex quacumque diœceſi Orientali conuenire putaſſe, quod æqualia haberet cum Romano priuilegia: ſed hi omnes conatus irriti & inanes fuerunt, nec vnquam effectum ſuum habuerunt, adeoque 28. canon ea ſaltem ex parte effectu caruit.

Secundò, quamuis verba Leonis & Gelaſii videantur, vt ſuprà monuimus, æquè canonem nonum & 17. Concilii Chalcedonenſis impetere, ac canonem 28. quippe cum aduerſus ambitionem Antiſtitis Conſtantinopolitani acrius inuecti ſummo iure cum iis agant, & ea illi denegent, quæ ſummo iure illi denegare poterant: adeout Gelaſius nec antiſtitem Conſtantinopolitanum à Metropolitani poteſtate exemptum eſſe concedat, ſed Parochiæ Heracleenſis duntaxat Epiſcopum illum agnoſcat epiſt. 13. *ad Epiſcopos Dardaniæ* dum ait, *cuius ſedis Epiſcopus Conſtantinopolitanus: cuius Metropolitanæ ciuitatis antiſtes? nonne parochiæ Heracleenſis Eccleſiæ?* Nihilominus conniuebant, ſaltem ad hanc eius αὐτοκεφαλίαν, ſeu Metropoliticam dignitatem Romani Pontifices. Igitur diſtinguenda hæc ſunt: priuilegia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ quæ expreſſe approbare Romanus Pontifex nolebat, & quæ tolerabat. Priuilegium Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quo dabatur optio iis qui aduerſus Metropolitanos controuerſiam mouebant, vt vel apud Primatem diœceſeos, aut Conſtantinopolitanæ ſedis antiſtitem agerent, tolerabat, dummodo poteſtas iſta ad diœceſes Thracicam, Aſiaticam & Ponticam, vel eas prouincias diœceſeon, quas ſibi ſubmittere aggreſſus fuerat reſtrin-

geretur. Ad quas quidem diœceſeos vſus antiquus etiam poſt Concilium Chalcedonenſe poteſtatem iſtam reſtrinxit, & huius tolerantiæ Romanorum Pontificum argumentum eſt, quòd Canones nonum, & decimum ſeptimum, qui id videbantur, vt iam diximus, inſinuare, à codice Canonum non expunxerint, quamuis nec expreſsè illud probabant: vt Conſtantinopolitanos ſi quando vellent ambitioſius noua in dies exigere, hoc fræno retinerent, quod illa etiam quæ tolerata fuerant in controuerſiam reuocarent.

At non tolerabant, vt, quod, iam docuimus in Patriarchatibus Alexandrino, Antiocheno, vel Hieroſolymitano quidquam tentarent, quod tamen eorum aliqui ex canone Chalcedonenſi octauo ſibi datum prætenderunt. Nec tolerabant, vt ſaltem Aſiaticam diœceſim & ponticam ita ſibi ſubiicerent (nam de Thracica alia forte eſt ratio) vt Epheſinum, & Cæſarienſem primatum omnino extinguerent, atque abolerent; quos tamen primatus Canon 28. Chalcedonenſis receptus funditus ſuſtuliſſet. Quippe qui Metropolitanos omnes Aſianæ, ponticæ, & Thracicæ diœceſeos à Conſtantinopolitano antiſtite ordinari iubeat, at lex Eccleſiæ ea eſſe videtur, vt ab eo quis iudicetur à quo ordinatus eſt; ac proinde nihil relinquere videtur Canon iſte Metropolitanis iſtis Heracleenſi, Epheſino, & Cæſarienſi, quod in diœceſibus Thracica, Aſiatica, & pontica deinceps agant.

Quin etiam dum paria cum Romano pontifice Conſtantinopolitano Epiſcopo priuilegia tribuit, quia ex vſu iſtius temporis, qui conſtat ex Concilii Romani ſub Damaſo decreto anno ſeptingenteſimo trigeſimo octauo Gratiani reſcripto, & S. Leonis epiſtolâ *ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem* citatis, cui innge epiſtolam citatam Gregorii vno poſt Concilium Chalcedonenſe ſæculo, cauſæ aduerſus Metropolitanos ad Sedem Apoſtolicam referri debebant, nec poſtea optio data videtur apud Primatum illos vocandi, niſi ex conſenſu expreſſo Apoſtolicæ Sedis, vt ex tractatione de primatibus Theſſalonicenſi, Iuſtinianæ primæ, Corinthiorum, & Arelatenſi colligi poteſt; ſane ſimili modo & cauſas Metropolitanorum Canon. 28. primatibus iſtis omnino eripuiſſet, apud quos tamen agendi aduerſus Metropolitanos poteſtatem, ſi ita luberet actori Canones nonus & decimus ſeptimus Chalcedonenſes relinquunt. Vnde Euagrius lib. 3. capite 6. per Concilium Chalcedonenſe, Canone ſcilicet illo 28. ius patriarchicum, ſeu Exarchicum Epheſino Epiſcopo in Aſiaticam diœceſim ademptum dixit: quod enim Legati Sedis Apoſtolicæ in Concilio Chalcedonenſi penſarent, inre 28. Canonem expreſſiùs refutarunt, quamuis de 9. & 7. controuerſiam non mouerent.

§. XXXVI.

Vtrum ſtatim poſt Concilium Chalcedonenſe Patriarcha Conſtantinopolitanus ius integrum Exarchicum Heracleenſi, Epheſino, & Cæſarienſi Cappadociæ præſulibus in diœceſibus Thracica, Aſiana, & Pontica ademerit.

QVAMVIS autem poſt Concilium Chalcedonenſe variis occaſionibus tentarint Conſtantinopolitani patriarchæ, vt eas diœceſes ſibi ſubiicerent ac tandem extinguerent, nihilominus id perficere niſi forte ſerius minimè potuerunt, nec ordinationes Metropolitarum ad ſe omnes rapere, nec iudicia de cauſis Metropolitanorum eis adimere; nec impedire quominus à Metropolitanorum ſententiis ad eos appellaretur, nec firmitatem ſententiæ ab iis latæ euertere, nec Primatum dignitatem iis auferre potuerunt: nam verbi gratia quibuſdam annis poſt Concilium Chalcedonenſe Epiſcopi Ægyptii, & clerici Alexandrini epiſtolis, tam ad Leonem Imperatorem quàm ad Anatolium conſcriptis Concilii Chalcedonenſis parte tertia cap. 21. & 23. precantur vtrumque, vt Romano pontifici, necnon Antiocheno, Hieroſolymitano Theſſalonicenſium, & Epheſiorum Epiſcopis aliiſque quibus videretur, calamitates Eccleſiæ Alexandrinæ renuntiari procurarent; vt omnes quid faciendùm eſſet conſulerent: in qua enumeratione videmus nonniſi Exarchos diœceſeon nominatim expreſſos, atque inter eos Epheſinum, ſupra quoque exemplum protulimus iudiciariæ poteſtatis in diœceſi pontica retentæ ab Alypio Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo Thalaſii ſucceſ-

ſore qui Concilio Chalcedonenſi interfuit, quod refertur à Photio codice quinquageſimo ſecundo.

Tertiò, ſuperiùs quoque notauimus à Primate Cæſarienſi à tempore Leontii, qui diu ante Concilium Chalcedonenſe ſedit, ad tempus hæreſeos Armenorum, quæ paulò ante Phôtium emerſit, conſuetum fuiſſe, vt magnus Armeniæ Metropolitanus à Primate Cæſarienſi ordinaretur. Ponamus enim hoc Canone non agi de iis qui extra Imperium Romanum erant, dum Ponticæ diœceſis Metropolitani à Conſtantinopolitano Epiſcopo ordinari iubentur. At certum eſt eodem Canone, quatenus Epiſcoporum per Barbaricas prouincias ordinatio ſedi Conſtantinopolitanæ attribuitur, prouinciarum extra Romanum Imperium fieri mentionem; nam ſiue Alaniæ & Ruſſiæ, ſiue Cholcidis & Iberiæ prouinciæ per Barbaricas intelligantur, certum eſt extra Romanum Imperium eas ſaltem magna ex parte fuiſſe. Videturque intentio Concilii Chalcedonenſis fuiſſe, vt Epiſcoporum magnæ Armeniæ inter prouincias locum habentis ordinatio ei tribueretur, quod tamen minimè vſu receptum eſt, ſed manſerunt iſtæ prouinciæ, quæ magnæ Armeniæ nomine intelliguntur, ſub poteſtate Cæſarienſis Epiſcopi, à quo Metropolitanus eorum ordinari conſueuerat.

Addimus etiam non eſſe probabile, magnæ Armeniæ, ad quam per Romani Imperii minorem Armeniam iter eſſe debebat, Cæſareę Cappadocum Antiſtiti Metropolitanum, ſeu Catholicum, vt vocant, ordinari debuiſſe, & Armeniæ minoris Romano Imperio ſubditæ Metropolitanos à Patriarcha Conſtantinopolitano ordinari debuiſſe, ipſamque Armeniam minorem à Cæſarienſis poteſtate omnino ſubſtractam, magnâ Armeniâ in poteſtate remanente: & potuiſſe magnæ Armeniæ populos reſpondere Catholicis ipſis obiicientibus falſatam ab iis fidem datam Leontio Cæſarienſi, quod ab eius ſucceſſoribus Metropolitanum peterent; mutatam fuiſſe rerum conditionem, Primatis dignitatem ſublatam Cæſareæ Cappadociæ ſedi, ac proinde mutatâ eius ſedis conditione ab eo iuramento ſe iuſte exolui potuiſſe, non enim Metropolitanos niſi à Primatibus ordinari potuiſſe. Igitur Canon Chalcedonenſis, vt Metropolitani omnes Ponticæ diœceſeos & Epiſcopi barbaricarum prouinciarum à Conſtantinopolitano antiſtite ordinarentur non fuit in vſu ſtatim à Concilio Chalcedonenſi.

Quartò, quia ordinatos à Conſtantinopolitano antiſtite vix vllos in Armenia aliiſque prouinciis remotioribus Metropolitanos reperies. Non dubitamus autem quin ambitioſo conatu eadem priuilegia ambierint Conſtantinopolitani Antiſtites ab Imperatoribus obtinere, quod incaſſum à Chalcedonenſi obtinuerant, & quidem varia vt plurimum ſorte. Nam à Leone Imperatore, qui Martiano ſucceſſit, hoc priuilegium expetiit Acacius vir factioſus, & doloſus, cuius & opera & occaſione Eccleſia Orientalis ab Occidentali diuturno ſchiſmate diuulſa eſt. Hic enim cum poſt Gennadium virum ſanctũ Anatolii ſucceſſorem creatus fuiſſet, continuò de promouendâ ſedis ſuæ dignitate cogitauit, ac proinde opportunam occaſionem nactus deuaſtatæ à barbaris Romanæ ciuitatis, & fere peſſundati penitus in Occidente Romani Imperii, apud eum egit, vt Conſtantinopolit. ſedi collata à Synodo Chalcedonenſi priuilegia Imperiali ſanctione firmarentur, quod vtiq; minimè ipſum ſollicitè petiturũ probabile eſt, ſi iam & Chalcedonis ciuitas recepta fuiſſet, & Martiani Imperatoris auctoritate confirmata. Sed ceſſiſſe Leonem interceſſioni Probi Canuſini Epiſcopi Legati Sedis Apoſtolicę tunc Conſtantinopoli degentis videntur verba iſta Gelaſii indicare epiſt. 13. *ad Epiſcopos Dardaniæ* tom. 2. Concil. Binii part. 1. loquens enim de priuilegiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ fruſtra à Chalced. Conc. expetitis, mox ſubdit, *Eaque nihilominus ſub ſanctæ memoriæ Papa Simplicio Legatum Sedis Apoſtolicæ ſanctæ memoriæ Probum Canuſinæ vrbis Epiſcopum, Leone Principe tunc petente præſente, docuiſſe, nullatenus poſſe tentari, neque his prorſus præbuiſſe conſenſum, atque adeò non ad ciuitatis cuiuſlibet reſpiciant qualitatem, ſed modum diſpenſationis Eccleſiaſticæ paterna traditione firmatum conuenienter obſeruent.* Verba iſta certè indicant Leonem Imperatorem qui doceri voluerit à Probo Legato Sedis Apoſtolicæ, fuiſſe perſuaſum, maxime cùm nulla ipſius conſtitutio extet, quæ priuilegia iſta confirmet.

Digitized by Google

§. XXXVII.

De vſurpationibus Epiſcopi Conſtantinopolitani temporibus Zenonis & Anaſtaſii Imperatorum.

LEONI ſucceſſit Zeno, piiſſimo Imperatori flagitioſiſſimus & hæretica communione fœdatus, ac tantum non apertè Eutychianus, quippe qui & Petri Fullonis Antiocheni, & aliorum Eutychianorum hæreticorum patrocinium ſuſceperit, & hæſitantium auctor fuerit, & ſuo henotico ſeu epiſtolâ conciliatrice Eccleſiam valde afflixerit, vt leges apud Euagrium & Liberatum, diſceſque ex variis Romanorum Epiſcoporum ad ipſum epiſtolis. Aduerſus ipſum excitatus eſt Baſiliſcus tyrannus ſimiliter hæreticus, qui biennio in Oriente dominatus eſt, vt narrant Theodorus lector lib. 1. collectaneorum, & Liberatus in Breuiario. Huic hæreſim apertè profitenti, vt verum fatear, reſtitit Acacius, vt teſtantur acta S. Danielis capite 41. apud Surium die vndecima Septembris, Theodorus & Euagrius: quare vtrum odio in Acacium incenſus, vtrum vero odio Synodi Chalcedonenſis inductus fuerit Baſiliſcus, vt priuilegia Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ reſcinderet parum intereſt; certum eſt reſcidiſſe ex Zenonis lege reuocatoria ſubſecuta, & ita reſcidiſſe, vt primum Alexandrino Patriarchæ locum conceſſerit, cui ſcilicet epiſtolam ſuam encyclicam abrogatoriam Conc. Chalcedonenſis direxit, apud Euagrium libro 3. cap. 4. Vnde in executionem edicti Imperatoris Timotheus Paulum illius Epheſinæ vrbis Epiſcopum, *Qui ab Epiſcopis prouinciæ, ſicut vetus Eccleſiæ conſuetudo poſtulat, creatus fuerat, ſede tamen poſt exciderat, in ſede rurſus collocaſſe ac Patriarchicum ius quod Concilium Chalcedonenſe ademerat ei reſtituiſſe*, apud eundem Euagrium lib. 3. cap. 6. legitur. Ex qua narratione duo colliguntur.

Primùm non habita ratione Canonis 28. Chalcedonenſis Paulum iſtum ab Epiſcopis prouinciæ poſt Concilium Chalcedonenſe fuiſſe ordinatum; nam Baſſianum & Stephanum ſede ſua pulſos affirmant acta Concilii Chalcedonenſis actione 11. & Liberatus in Breuiario, quamuis laudatus Euagrius lib. 6. cap. 16. & ipſum ſecutu. Nicephorus Stephanum in Epiſcopatu retentum, Baſſianum ceſſiſſe referant: Iis autem Paulum ſiue mediatè, ſiue immediatè ſucceſſiſſe conſtat; hunc ergò Paulum expreſsè ab Epiſcopis prouinciæ, & quidem ſecundùm antiquum morem Epheſi ordinatum fuiſſe teſtatur Euagrius, contra quàm Conſtantinopolitani actione prædicta 11. contendunt Epheſinorum Epiſcoporum vt Conſtantinopoli ordinarentur morem fuiſſe conteſtantes, qua actione licet nihil concluſum ſit, imo nec ſequenti, in quam remiſſa amplior huius rei diſceptatio videbatur: tamen lis iſta occaſionem dedit, vt in fine Conc. Clerici Conſtantinopolitani de priuilegiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ quæſtionem proponerent, ac iudicium vrgerent, cuius exitus hic fuit vt Canon 28. ederetur, in quo Epheſinum Primatum abolitum notat Euagrius, ſubſtractis tam ordinationibus Metropolitanorum Aſianæ prouinciæ quàm iudicio de Metropolitanis Epheſino Epiſcopo, vt ſuperiùs explicuimus. In quo etiam cautum vt Metropolitani omnes Aſianæ prouinciæ à Conſtantinopolitano ordinarentur, ac proinde & Epheſinus, qui Metropolitanus eiuſdem prouinciæ & quidem præcipuus erat: cuius proinde ordinatio ab antiſtite Conſtantinopolitano, ad cuius thronum dignitate propius accedebat, conuenientius exquirenda videbatur quam cæterorum Aſianæ diœceſeos Metropolitanorum; maximè pro ipſius ordinatione ad ſe trahenda inſtiterint præſertim Conſtantinopolitani, & in ſpeciem argumenta probabiliora, atque exempla plura protulerint, quem proinde iſte Canon quo omnes Aſianæ diœceſeos Metropolitani ordinari præcipiuntur, haud dubiè comprehendit: hunc tamen non diu poſt teſtimonio Euagrii patet ab Epiſcopis prouinciæ Epheſi ordinatum fuiſſe: ergo Canon Chalcedonenſis 28. quoad hoc ſaltem caput non fuit receptus.

Alterum infertur, quòd ius Patriarchicum ademptum Epheſino antiſtiti à Concilio Chalcedonenſi, fuiſſe à Timotheo reſtitutum, eo ſenſu probabiliter interpretari poſſumus, vt ademptum dicamus à Concilio Chalcedonenſi ius Patriarchicum, quia tentauit Chalcedonenſe ius Patriarchicum ei adimere, vt explicuimus, & ſuo decreto quantum potuit ademit, licet de facto ademptum non fuerit: quia decretum Chalcedonenſe effectu caruit: reſtitutum vero à Timotheo, quia Chalcedonenſem ille Synodũ irritam declarans, & omnia quæ in ea Synodo perpetrata fuerant, nulla atque

irrita declarauit, Epheſini antiſtitis ius integrum eſſe definiuit, ac Conſtantinopolitanum ab omni iure, quod vi illius decreti competere ipſi potuiſſet, eiecit.

Aliter etiam explicare poſſumus ius Patriarchicum Epheſino antiſtiti ademptum eſſe, quia ipſius prætextu Conſtantinopolitani Eccleſias, quas antiquo iure ſibi ſubiecerant, in poteſtate retinuerunt, ac proinde plures Metropolitanos Aſianæ diœceſeos quos ſolebant ordinare, poſt Concilium Chalcedonenſe contra iura Epheſinis Canonibus confirmata conſecrare perſeuerarunt: ea verò iura reſtituiſſe Timotheum declaratione edita in gratiam Epheſini, & iudicio aduerſus Conſtantinopolitanum præſulem lato ex commiſſione Imperatoris hæretici. Sed hæc poſterior explicatio quæ nullo exemplo firmatur, videtur minus probabilis quàm præcedens, quæ exemplo Pauli Conſtantinopolitani fulcitur: quem nimirum notat Euagrius contra Chalcedonenſem Canonem ordinatum ab Epheſinæ prouinciæ Epiſcopis, vt quòd tentaſſet Chalcedonenſe Concilium, inane fuiſſe oſtenderet: Ex quo etiam exemplo concedere poſſumus, ſi poſt Chalcedonenſem Synodum Epheſini ordinatio denegata fuit Conſtantinopolitano Antiſtiti, quam pluribus exemplis ad ſe pertinere contenderant, ſimiliter & Metropolitanos exceptis quibuſdam vicinis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ contra fas à Conſtantinopolitano ordinatos, licet eorum prædeceſſores aliqui ordinati fuiſſent à Conſtantinopolitano antiſtite; tamen vbi Leonis Papæ contradictio, cui conſenſiſſet Martianus, vbi Simplicii Papæ renitentia, quam approbaſſet Leo Imperator, innotuerunt, ab Epheſino ex antiquo more ordinari, vel de eius conſenſu renuiſſe probabile eſt. Quæcumque tandem verò ſolutio placeat, non conficietur Chalcedonenſi Canone, vel tantillum amplificatam ſedis Conſtantinopolitanæ poteſtatem, ſed omnia ſaltem eo in ſtatu permanſiſſe in quo antea fuerant: quod Leoni Magno placuiſſe ex eius commonitorio Legatis Apoſtolicæ Sedis ad Concilium proficiſcentibus dato, quod actione 16. eiuſdem Concilii lectum eſt, diſcere poſſumus.

Deſtructa porro Baſiliſci tyrannide Zeno Imperator in gratiam Acacii, cui valde gratioſus erat, in odium Baſiliſci, cuius acta reſcindebat, in fauorem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, quæ potentia præcellebat, & ad Romanæ ciuitatis depreſſionem, cuius gloriæ in Odoacri Erulorum Regis poteſtatem redactæ inuidebat, declarationem factam à Baſiliſco reuocauit, & Conſtantinopolitanæ ea priuilegia indulſit, quæ Synodus olim Chalcedonenſis ipſi indulſerat, ita tamen vt ſupra maiores Patriarchas nullam ei poteſtatem largitus ſit. Et quidem anno quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Odoacer Auguſtulo Imperatore relegato Roma, totaque Italia potitus eſt: anno ſequenti expulſus fuit Baſiliſcus Imperator, quo ſtatim eiecto notat Euagrius libro tertio capite octauo decreta eius publicis literis abolita. Vnde corrigi debet legis decimæ ſextæ, codice *de ſacroſanctis Eccleſiis* inſcriptio. *Iidem Augusti Sebaſtiano præfecto prætorio*, quaſi diuerſi Imperatores hanc legem ſanxerint, cùm tunc vnicus abolito Imperio Occidentali eſſet Imperator Zeno, ac proinde eorum loco reponi debet iſta, *Zeno Auguſtus Sebaſtiano PP.* meendari etiam debet eidem legi notatio temporis perperam adſcripta: etenim data dicitur 16. Calendas Ianuarii, Armato V. C. conſule anno 476. non potuit autem anno quadringenteſimo ſeptuageſimo ſexto data eſſe, quia eo anno cœpit Baſiliſcus imperare, non ſub conſulatu Armati, quia eodem anno quo Baſiliſcus & Armatus conſules creati ſunt, imperare cæpit Baſiliſcus, ſed commodè dici poteſt data decimo ſexto Calendas Ianuarii, menſe ſcilicet Decembri anno quadringenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, poſt Conſulatum Armati, nam hic annus nonniſi poſt Conſulatum Baſiliſci, atque Armati inſcribi conſueuit, cùm nullum haberet proprium Conſulem, & ita inſcribitur epiſtolâ 7. Simplicii Papæ data 7. idus Octobr. quâ illi victoriam de tyranno reportatam gratulatur, & ab eo petit, vt Epiſcopos Orthodoxos à tyranno eiectos ſedibus ſuis reſtitueret, & ab eo male acta in fidei perniciem reſcinderet.

Legis aútem, quæ Acacii ſtylo ac ſpiritu videtur eſſe conſcripta, hæc verba ſunt, quæ rediuiuam ambitionem in Conſtantinopolitanis teſtantur, *Decernimus vt antiquatis & infirmatis funditus iis, quæ contra ipſum religionis Dominum quodammodo facta ſunt, in integrum reſtituantur vniuerſa, & ad vnum ordinem reuocentur, quæ ante profeſſionem noſtræ manſuetudinis de orthodoxæ religionis fide & ſanctiſſimarum Eccleſiarum, & Martyriorum ſtatu firmiter obtinebant, iis quæ contra hæc tempore tyrannidis innouata ſunt, tam contra ve-*

Digitized by Google

nerabiles Eccleſias quarum Sacerdotium gerit beatiſsimus ac religioſiſsimus Patriarcha noſtræ pietatis pater Acacius, quam contra cæteras, quæ per diuerſas prouincias collocata ſunt (putà apud Alexandriam, Antiochiam, Tharſum, Chalcedonem, Hierapolim, Conſtantiam, Theodoſiopolim, Mopſueſtiam, *necnon & reuerendiſſimos earum antiſtites, ſeu de iure Sacerdotalium, ſeu de expulſione cuiuſquam Epiſcopi à quolibet illis temporibus facta, ſeu de prærogatiua in Epiſcoporum Concilio, aut extra Concilium ante alios reſidendi vel de priuilegio Metropolitano vel Patriarchico ſub iiſdem impiis temporibus penitus antiquandis, vt caſſatis & reſciſsis, quæ per huiuſmodi ſceleratas iuſsiones, aut pragmaticas ſanctiones, aut impias conſtitutiones, ſeu formam ſubſecuta ſunt, quæ à diuæ recordationis retro Principibus ante noſtrum Imperium, & deinceps à noſtra manſuetudine indulta, vel conſtituta ſunt ſuper ſanctis Eccleſiis, & Martyriis, & religioſis Epiſcopis, & clericis aut Monachis inuiolata ſeruentur. Sacroſanctam quoque religioſiſsimæ huius ciuitatis Eccleſiam, & matrem noſtræ pietatis, & Chriſtianorum orthodoxæ religionis omnium*, (hic ſe prodit mendax & ambitioſa Acacii præſumptio iam œcumenici Patriarchæ titulum meditantis) *& eiuſdem regiæ vrbis ſanctiſsimam ſedem, priuilegia, & honores omnes ſuper Epiſcoporum creationibus & iure ante alios reſidendi, & cætera omnia, quæ ante noſtrum Imperium, & deinceps à noſtra manſuetudine indulta, vel conſtituta ſunt ſuper ſanctis Eccleſiis & religioſis Epiſcopis, & Clericis aut Monachis inuiolata ſeruentur.*

Legem iſtam Acacii ſtylo & ſpiritu conſcriptam ſuſpicati fuimus. Nam hominis vafriciem ex tota ipſius ſerie admirari licet, qui tempori ſeruiens Zenonis animo in Baſiliſcum infenſo vſus eſt, vt iſtam legem impetraret prætextu quidem reuocandi ea quæ in præiudicium Eccleſiarum diuerſarum à Baſiliſco perpetrata erant, & Epiſcopos Catholicos reſtituendi, quod ab Imperatore expetierat Simplicius; reuera autem vt Conſtantinopolitani Patriarchæ concuſſa à Leone & Simplicio iura Patriarchica erigeret, conſtitutione adeo generali, vt damnari non poſſet, & tamen adnitente Imperatore illud ipſum obtineret, quod ſpecialibus verbis lex concepta operari poſſet.

Nihilominus ad reformandum totius Orientis ſtatum, non putauit Acacius ſibi poteſtatem ſuam ſufficere, adeoque Simplicii Papæ legationem admiſit: cuius legationis meminere Simplicius Papa epiſtolâ 17. ad Acacium tomo 2. Concil. Binii part. 1. in qua vbi mirari ſe, & dolere dixit, quòd æternæ gratiæ & vigilantiæ paſtoralis oblitus non reſcripſiſſet, hæc ſubiungit, *Atque ideo frater chariſsime, quæ non immeritò cernis libera affectione culpari potiori diligentia repenſando cognoſce proinde delegatum tibi munus impendens.* Et Gelaſius epiſt. 13. *ad Epiſcopos Dardaniæ*, eadem parte, iis verbis *poſtremo cur tanto tempore cùm iſta gererentur, vel gerenda cognoſceret, non ad Sedem Apoſtolicam à qua ſibi curam illarum regionum nouerat delegatam, referre maturauit.* Eundem de iſto ſilentio redarguit Simplicius tum citatâ epiſtolâ, tum ſequenti. Hanc verò delegationem recognoſcere videtur ipſe Acacius epiſt. ad Simplicium poſt 8. Simplicii epiſt. ibidem.

Nec dicas delegationem, cuius meminere Simplicius, & Gelaſius, fuiſſe tantùm commiſſionem Acacio datam, vt ſuo & Romanæ Eccleſiæ procuratorio nomine communem Eccleſiæ vtilitatem prouideret: nam delegationem iſtam à ſuperiori factam eſſe oſtendunt, quod ipſum adſtruxiſſe Simplicius voluerit, vt rationem rei geſtæ apud ſe redderet, nec vllam poteſtatem Acacii agnoſcat in regiones Alexandrini, & Antiocheni Patriarchatus, niſi quam ipſi commiſiſſet, vt ex allatis verbis, & ex epiſtolarum ſerie manifeſtè innoteſcit.

Ne tamen Acacius in exemplum traheret Antiocheni à ſe factam ordinationem, prudentiſſimus Pontifex cauiſſe videtur epiſtolâ 15. ad eundem ita ſcribens, *Quamuis enim profecerit ad quietem quòd Chriſtianiſsimi Principis iuſsione, vel ſine præiudicio Canonum*, (quia Legatus erat Sedis Apoſtolicæ) *à tua charitate fuerit Antiochenus Epiſcopus ordinatus: tamen non eſt ſine inuidia factum, cuius cauendum deinceps ille teſtatur qui præcepit exemplum.* Quæ verba indicant vſu receptum non fuiſſe, ſed contra Canones viſum, ſi Conſtantinopolitanus Antiſtes Antiochenum crearet & ius quoddam in eius Patriarchatu exquireret.

Neque à ſcopo arberrauit Simplicius, nam paulò poſt in deterius prolapſus Acacius, qui hactenus cauſam Catholicorum promouere videri potuerat, demum vt Zenoni abblandiretur Ioanni de Talaia infenſus, quod Synodicam ad ipſum de ſua ordinatione non miſiſſet epiſtolam, eum de ſede ſua eiici per Zenonem curauit, &

Petro Moggo hæretico reſtituto communicauit, Calendionem Antiochenum Catholicum *tanquam indeuotum principi mittentem populum in rebellionem* iuſſione Principis depoſuit reuera quod Felici Papæ, à quo propter communicationem cum Petro Moggo excommunicatus fuerat, Calendion communicaret, Legatos Felicis Papæ corrupit: Ioannem à Catholicis Apameæ reiectum Tyriis præfecit, Petrum Fullonem hæreticum in eius locum creari permiſit eique communicauit, vnitiuum, ſeu henoricon Zenonis ipſe dictauit; totamque Eccleſiam Orientalem turbauit. Hos ambitionis Acacii fructus animaduertes, cui ſe & Felix Papa, & ſequentes Romani Pontifices fortiter oppoſuerunt, adeout nec eius nomen in Dypticis referri conſenſerint: propter quod diu Eccleſia Conſtantinopolitana à Romana ſchiſmate diuulſa eſt, quæ omnia narrant Liberatus in Breuiario, Euagrius libro tertio hiſtoriæ, & alii, quæ etiam ex epiſtolis Romanorum Pontificum Simplicii, Felicis, Gelaſii, Anaſtaſii II. Symmachi, Hormiſdæ innoteſcunt. Vt autem hominis ambitionem penitus intuearis non inutile fuerit, meminiſſe ex Suida *in Acacio*, adeo ambitioſum & arrogantem illum fuiſſe, vt ſuas ipſius viuentis imagines in Eccleſia erigi, & coli paſſus ſit. Verùm extra rem iſta ſunt. Alia ſunt obſeruanda diligentius.

Primum, Gelaſium epiſtola citata *ad Epiſcopos Dardaniæ*, Acacium ea quæ in Patriarchatibus Alexandrino, & Antiocheno, imò & circa ipſos Patriarchas innouauerat à ſe competenter geſta defendiſſe prærogatiua regiæ ciuitatis cuius Epiſcopus exiſtebat: quam vtique rationem deridet eadem epiſtola Gelaſius, & fuſiùs refellit: vnde quæ ille in Eccleſiæ præiudicium tentauit, nullam Conſtantinopolitanis antiſtitibus prærogatiuam acquiſiuiſſe colligere viri boni, & ſapientes poſſunt.

Alterum, Felicem epiſt. 6. qua eum ab officio deiicit, hanc rationem fortiter vrgere aduerſus Acacium, *quod in venerabilis Concilii Nicæni contumelia ſæpe verſatus alienarum ſibi prouinciarum iura temerarie vindicaſſet.*

Poſt Acacii mortem Flauitas, *non conſenſit ſine Romano Epiſcopo inthroniſari, ſed tranſmiſit Synodicam Papæ Romano Felici*, inquit Liberatus capite 18. ſed quia pauco tempore ſedit quid factũrus fuiſſet minimè liquet. Succeſſor Euphemius alias Catholicus eo ipſo minimè admiſſus in communionem Romanæ Sedis, ſicut nec Flauitas, quòd Acacii nomen in Dypticis reliquiſſet, eidem cum Petro Alexandrino certamen ob fidem, mutuoque inter ſe digladiati ſunt, alterque aduerſus alterum Synodos coegit, teſtibus Euagrio libro tertio capite vigeſimo tertio, & Nicephoro libro decimo ſexto, capitibus decimo nono & vigeſimo: laborauit à Gelaſio communicationem recipere, ſed fruſtrà ob retentum Acacii nomen, vt conſtat vel ex Epiſtola nona Gelaſii. Indignatus ob hoc Euphemius etiam in Romanam ſedem ſupercilium erigere auſus eſt quam eius amentiam refutauit Gelaſius citata *ad Epiſcopos Dardaniæ* epiſtola. Eo expulſo ab Imperatore Anaſtaſio Macedonius ordinatus cum vnitiuo Zenonis ſubſcripſiſſet, teſte Theodoro lectore libro ſecundo collectaneorum: rectam tamen fidem amplexum fuiſſe ait Cyrillus in vita ſancti Sabæ capite ſexageſimo nono apud Surium tomo ſexto; ſerenturque omnes ipſum propter defenſam viriliter fidem ab Anaſtaſio eiectum, & ab Antiocheno Seuero hæretico Acephalorum auctore damnatum, vt teſtatur Liberatus capite decimo nono, ſubrogatur Timotheus cui ſe communicare iactauit prædictus Seuerus in expoſitione fidei, *quæ ab eo dicta eſt in Inthroniſmo*, teſte Liberato citato mox capite. Illum hæreſi fauentem ad meliora adhortatus eſt Hormiſda epiſtola 10. tomo 1. epiſtolarum Romanorum Pontificum, ſed inanis eius adhortatio fuit, cuius pertinaciam inopinatus interitus terminauit.

Toto iſto tempore quo nullus ex Patriarchis Conſtantinopoleos in communionem Sedis Apoſtolicæ receptus eſt, variæ eſſe potuerunt Conſtantinopolitanæ ſedis vſurpationes ſub Imperatoribus Baſiliſco, Zenone, Anaſtaſio hæreſi fauentibus, & Pontificibus Romanis à quibus damnati erant infenſis, quorum ſedem in aliorum Principum poteſtate conſtitutam in Eccleſiaſticis negotiis principatum habere grauiter ferebant.

Sed in exemplum trahi iſta non debent, ſicut nec quod Epiſcopi Aſiæ ab Euagrio cap. 8. & 9. ſupplicem Acacio libellum porrexiſſe dicantur eo tempore quo fidem Catholicam ipſe tutabatur: nec illud certum argumentum eſt prouinciam Aſianam totam in poteſtate Conſtantinop. Epiſcopi conceſſiſſe, quandoquidem Legationem eo tẽpore gerebat Acacius ſummi Pontificis, vt demõſtrauimus, ſicut nec Alexandrini poteſtatem

aut Antiocheni in Patriarcham Conſtantinopolitanum conuincunt, aut Petri Alexandrini ſententia aduerſus Euphemium, aut Seueri Antiocheni aduerſus Macedonium.

§. XXXVIII.

De poteſtate Patriarchæ Conſtantinopolitani tempore Iuſtini Imperatoris.

SVCCESSERVNT meliora tempora ſub Imperio Iuſtini & regni Iuſtiniani exordiis, Iuſtino quidem ſtatim imperante ſuffectus in locum Timothei Ioannes fidem Catholicam amplexatus eſt, & communionem cum Sede Apoſtolica expetiit, ad quam profeſſionem ſuæ fidei direxit, & Legatos deſtinauit quam promeritus tandem eſt, Acacio eiuſque communicatoribus damnatis, vt ex variis ipſius ad Hormiſdam, & Hormiſdæ tum ad ipſum, tum ad alios epiſtolis innoteſcit: neque verò paria ille cum Romana Sede priuilegia ſua eſſe iactauit, cum *Domino ſuo Hormiſdæ*, ſcribens, *ſanctiſſimas Dei Eccleſias, id eſt, ſuperioris & nouellæ Romæ vnam eſſe* profitetur: *illam Sedem Apoſtoli Petri & illius Auguſtæ ciuitatis vnam eſſe* definiuit. Quin imò eadem epiſtola ſententiam Chriſti, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, rerum euentu probatam in Sede Petri* aſſerit, *Quia*, inquit, *in Sede Apoſtolica inuiolabilis ſemper Catholica cuſtoditur religio*, ac ſi diceret indefectibilem in ea fidem eſſe, quod priuilegium tantum abeſt vt Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ attribuat, quin immo & Neſtorium tanquam hæreticum, & Acacium tanquam hæreticorum fautorem ibidem condemnat.

Alterum priuilegium Romanæ Eccleſiæ, vt ab eius communione diſtracti, ab Eccleſiæ vnitate diuiſi cenſeri debeant, ibidem quoque profitetur iis verbis, *Promittentes in ſequenti tempore ſequeſtratos à communione reliquæ Eccleſiæ Catholicæ, id eſt in omnibus non conſentientes Sedi Apoſtolicæ eorum nomina inter ſacra non recitanda eſſe myſteria.*

Quibus verbis & tertium Eccleſiæ Romanæ ſingulare priuilegium indicat vt κατ' ἐξοχὴν ſit *Apoſtolica Sedes*, à qua ſcilicet cæteræ Eccleſiæ tanquam ſoboles doctrinæ ſemina & Sacerdotii vnitatem accipiunt. Vnam ergo Conſtantinopolitanam Eccleſiam cum Romana definit quia eiuſdem ſenſus vtraque, & in eadem charitate & communicatione deinceps futura erat. Quam ſuam mentem ſatis explicat in exemplo relationis *Domino ſuo Hormiſdæ fratri, & comminiſtro*, iis verbis, *Sicut oportet dicere, & olim ſcripſi vtraſque Eccleſias tam ſenioris quàm nouæ Romæ vnam eſſe euidenter intelligens, & vtriuſque earum vnam ſedem rectè definiens indiuiſibilem adunationem & vtriuſque noſtrum conſonam conformationem cum iudicii integritate cognoſco.* Conſtantinopolitanam vnam dixit cum Romana propter ſubordinationem eidem, neque enim duæ Eccleſiæ vna eſſe poſſunt, ſicut nec duo regna vnum regnum, niſi vna alteri ſubordinaretur. Denique vnam forte dixit cum Romana ſuam Eccleſiam, quòd ipſa in Patriarchalium conſortium aſſumpta eſſet, quæ Patriarchales Eccleſiæ vnam cum Romana Sedem efficiunt propter delegationem ab Apoſtolica ſede qua honorantur, eo ſcilicet ſenſu quo Romana, Alexandrina, & Antiochena vna Cathedra à Gregorio Magno dicuntur.

Qua autem animi ſubiectione, quo obſequio, qua reuerentia erga Apoſtolicam Sedem Ioannes Conſtantinopolitanus iſtam reconciliationem peregerit deletis è ſacris Dypticis Acacii, Flauitæ, Macedonii, & Timothei prædeceſſorum ſuorum Zenoniſque & Anaſtaſii Imperatorum nominibus: quo ritu Conſtantinopolitana vt verbis vtar Dioſcori diaconi *in ſua ſuggeſtione ad Hormiſdam, Apoſtolicæ Sedi reſtituta ſit*, id eſt, in eius poteſtatem redierit, ſuſe oſtendunt Ioannes, & Germanus Epiſcopi, Felix & Dioſcorus diaconi, & Blandus Presbyter. Item prædictus Dioſcorus ſuggeſtionibus *ad Hormiſdam*, & Iuſtinus Imperator epiſtola ad eumdem. Nec dubitamus quin Ioannes Cappadox cum priuilegiis Patriarchalis ſedis ab Hormiſda in communionem admiſſus ſit, quo ſcilicet ad Eccleſiaſticam communionem redeunte tot Eccleſias pariter rediiſſe ex epiſtolis Hormiſdæ, & aliis ad eum ſcriptis, diſcimus. Vnde quanta ſcriptor Gallicus Auitus Viennenſis Epiſcopus reuerentia Eccleſiam Conſtantinopolitanam complecteretur, ex eius gratulatoria epiſt. 7. *Papæ Conſtantinopolitano* ſcripta diſcimus, quem vt docuimus *Papam* vocauit, quo nomine non ſingulos paſſim Epiſcopos, ſed ſolos Romanum, Conſtantinopolitanum, & Hieroſolymitanum inſigniuit: ſed præſtat eum de

Conſtantinopolitana ſede magnificè loquentem audire: *Adiecit vir illuſtris Laurentius honorem veſtri animi noſtris indicans apicibus ſuis, omne nubilum quod quietem Orientalium populorum ambiguo caligante fuſcauerat, reintegratæ pacis ſerenitate deterſum: & eam cum Romano antiſtite vos habere concordiam, quam velut geminos Apoſtolorum Principes mundo adſignare conueniat. Quis enim, qui vel Catholicus dici poteſt, de tantarum ac talium Eccleſiarum pace non gaudeat, quas velut in cælo poſitum religionis ſignum pro gemino ſedere mundus expectat? Quis non meritò delectetur infirmantium reditu, incolumium ſtatu, cum aliis ouibus intrà clauſtra ſaluatis. Illa quæ vitio errantis arbitrii fuerat euagata, cæleſtibus caulis lætitia plaudente reuocatur? Cuſtodite igitur quaſi Patres traditam vobis etiam ſuper nos Eccleſiæ diſciplinam. Concordiæ veſtræ tantum opus eſt magiſterio, quantum & exemplo. Quam charitatem populis ſuadebimus, ſi hanc in noſtris rectoribus neſciamus? quid in corpore firmum videri poterit, quod nutet in vertice mancum?*

Verba iſta integra exſcripſimus, ne nouatores querantur vim nos ipſorum argumentorum diſſimulare aut ſilentio præterire, quæ diſſoluere non poſſimus.

Fatemur ergo Conſtantinopolitanum Epiſcopum eo loci in aliquo cum Romano æquari, geminis Apoſtolorum Principibus compatari. Petro, ſi placeat & Paulo, ex quibus Petrus gradu celſior, Paulus doctrina vberior: ambos tanquam geminum ſidus adinſtar ni fallor Solis & Lunæ, quorum ſiderum poſterius à priori lucem mutuatur: ambos rectores dici, ſed quorum vnum alteri ſubordinari nec Conſtantinopolitanus ex prædictis inficiabatur, ambos in Eccleſiæ vertice poſitos, quia Patriarchæ ſi cum reliquis Epiſcopis comparentur in Eccleſiaſtica ſummitate conſtituti ſunt.

Hæc omnia encomiaſticè & gratulatoriè dicta in alium ſenſum qui torqueret, ab Auito ſenſu haud dubiè recederet, nam & ex verbis diſcet Conſtantinopolitanam Eccleſiam quamdiu Alexandrinæ & Antiochenæ communicans à Romana diuulſa fuit, extra clauſtra errabundam deſcribi, non aliam ob cauſam niſi quia Eccleſia Romana vnicum centrum eſt Eccleſiaſticæ cõmunionis, vnde vnitasq; Sacerdotalis exoritur. Qui verò telegerit epiſt. eius 87. *Hormiſdæ*, reperiet profecto & *gregem per tota Eccleſiæ membra commiſſum* Romano Pontifici dici ab Auito: & Conſtantinopolitanam Alexandrinam. & Antiochenam Eccleſias pro ſchiſmaticis haberi quandiu Romanæ non adhæreſceret & profiteri Auitum omnes *ſuper ſtatu fidei Romani Pontificis debere captare ſententiam*: & Romanum Pontificem, *regere vnitatem*. Sed ne extra prædictam epiſtolam excurramus ſatis vtique euidenter Romanam Eccleſiam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ præponit, quod huic niſi Romanæ communicet, & eius fidei conſentiat Satanæ in deprędationem dandum, & in Orientis præiudicium non Occidentis id euenturum minetur ſcribens, *Proſpicite ne ſpeculata ſigna tam fera beſtia populetur, ſi ab vnitate ſenſus veſtri Roma diſſultet. Memores verò noſtri, quia ſi ſuper diſſenſionem veſtram ſol occidat, damnum Orientis eſt.* In quo ergo Romanæ Eccleſiæ Conſtantinopolitana comparatur ab Auito, niſi in Patriarchali dignitate, quam toto iſto tempore Oriente fere toto ab Occidente diuiſo regiæ vrbis antiſtitem longa poſſeſſione radicatam habuiſſe non dubito. Quamuis ex prædicta Auiti *ad Hormiſdam* epiſtola Scythiæ Epiſcopos in Thracica diœceſi ex epiſtola Hormiſdæ Thracas Conſtontinopolitanis conterminos, Dardanos quoque Illyricos, & Epyri veteris Epiſcopos qui Imperatorum hæreticorum iuſſione, & Theſſalonicenſis Epiſcopi exemplo ab Eccleſiæ, & Patriarchæ Romani ſingulari obſequio deſciuerant, & ſe Conſtantinopolitanæ ſedi ſubiecerant, ad Eccleſiæ vnitatem rediiſſe diſcamus, poſteriores autem iſtos etiam ob Patriarchalem Romani Pontificis curam rediiſſe ſuperiùs docuimus.

Nec omittendum per illam reintegrationem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Eccleſiæ totius corpori, cuius vnitatis centrum eſt Romana, non emarcuiſſe in Conſtantinopolitanis, nec extinctam in iis cæteros ſibi Patriarchas ſubigendi cupiditatem. Nam conſtat ex ſuggeſtione Dioſcori diaconi poſt epiſtolam ſexageſimam quintam Hormiſdæ, expetiiſſe ipſos vt Paulus electus in Antiochenum Patriarcham ex Preſbytero Conſtantinopolitano in earum ciuitate ordinaretur, nec tamen id renitente Legato Sedis Apoſtolicæ, obtinere potuiſſe: *Antiochena*, inquit, *Eccleſia ordinata eſt, electus eſt quidam Paulus nomine Preſbyter Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, quem huic honoris aptiſſimum Imperatoris teſtimonio comprobatum voluerunt, & tentauerunt eum hic ordinare. Ego iuſſionis veſtræ non immemor contradixi dicens, Iuſſit Dominus noſter bea-*

tiſſimus Papa ſecundum antiquam conſuetudinem ibi eum Epiſcopum ordinari hoc obtinuit, quod præcepiſti.

Audis nouator de Antiochenæ ſedis ordinatione à Romano Pontifice præceptum emanaſſe, audis ei Conſtantinopolitanos acquieuiſſe, & ſpes ſuas ac vota abieciſſe ad vnius diaconi à ſede Apoſtolica miſſi contradictionem.

§. XXXIX.

De Patriarchica poteſtate Epiſcopi Conſtantinopolitani ſub Iuſtiniano *Imperatore.*

IOANNI ſucceſſit Epiphanius de quo refert Dioſcorus ſuggeſtione *ad Hormiſdam*, quod *promiſerit Patrum ſe regulas ſeruaturum, pacem vnitatemque ordinatam non diſſipare, ſed magis augere.* Relatio Synodi Conſtantinopolitanæ ad Hormiſdam de eius electione à Sumimo Pontifice admiſſa eſt, in qua Epiphanius non ſemel dicitur *Patriarcha*, quemadmodum & eius prædeceſſor Ioannes Epiphanius epiſtolam de ſua electione ſcribit *ad Hormiſdam*, in qua hoc primo notandum quod prædeceſſorem ſuum ſimiliter *Patriarcham* nominet.

Secundò, quod vtramque ſedem *vnam Patriarchalem* appellet iis verbis, *Nam dum vna vtraque ſit Eccleſia, procul dubio & bona quæ per vigilantiam eueniunt communis exinde laudis vtriſque Patriarchalibus ſedibus rimatur.*

Tertiò, quod *non paruos ſibi ſubditos Sacerdotes, nec rurſus paruam ſub eorum ordinatione Epiſcoporum ſubditam multitudinem*, communicationem cum Eccleſia Romana expetere ſignificet, qui eâ ſolum conditione impediuntur, quod Epiſcoporum prædeceſſorum ſuorum nomina damnare nollent, quos ex prouinciis tam Ponti quàm Aſianæ prouinciæ, & maxime Orientis pro ea relaxanda refert paulò poſt ſupplicare: cùm autem certum ſit Orientis prouinciam ſubditam fuiſſe Antiocheno Patriarchæ, in quem vidimus nullam poteſtatem Conſtantinopolitano permiſſam, illos Sacerdotes *ſibi ſubditos* ſub quorum ordinatione Epiſcoporum non parua ſit multitudo, Metropolitanos Aſiæ & Ponti eſſe neceſſum eſt, atque prærogatiua iſta potitum Conſtantinopolit. Patriarcham, in quos poteſtatem vt vidimus à multo tempore ſibi vendicarat quam progreſſu temporis auxiſſe probabile eſt. Quia vero poteſtas Conſtantinopolit. Patriarchæ ad reſtituendas Catholicæ communioni Eccleſias omnes, maximè vero Orientales non ſufficiebat, ideo Hormiſda eidem Epiphanio vicariam Sedis Apoſtolicæ præfecturam in recipiendis lapſis delegauit epiſtola quæ habetur actione prima, aliàs quinta Concilii Conſtantinopolitani *ſub Agapeto & Menna*, *Perſonam*, inquit, *meam in hoc te oportet ſubintrare, ſeu ſubire vices meas*, vt indicant verba Græca, τὸ ἐμὸν πρόσωπόν σε ἐν τούτῳ χρὴ ὑπελθεῖν. Quibus verbis expreſſiora alia non video, quibus vicaria poteſtas explicari potuerit. Quam etiam indicat inſtructio ampliſſima de ſua voluntate circa formam lapſorum reſtituendorum, item limitatio eiuſdem facultatis circà reconciliationem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, cuius libellum ſupplicem cum informatione ipſius ad Sedem Apoſtolicam deferendum præſcribit, quæ omnia ſigna ſunt delegatæ poteſtatis, atque adeo coniicitur iudiciatum ab Hormiſda, Conſtantinopolitano in eas Eccleſias nullam ordinariam poteſtatem fuiſſe.

Verùm ab eo tempore Eccleſia Romana admiſiſſe videtur Patriarchatum Conſtantinopolitanum, ab eoque tempore in diœceſibus Thracica, Pontica & Aſiatica Patriarcha Conſtantinopolitanus pro Primate & Exarcho agnitum fuiſſe aduertimus, ſaltem in iis omnibus prouinciis quibus à ſententiis iudicum ad vrbis Conſtantinopolitanæ præfectum prouocabatur: nam iſtorum veterum Exarchorum non omnino extinctam fuiſſe poteſtatem, ſed aliquam retentam ſimul cum ipſa dignitate probabile eſt.

§. XL.

Admiſſam ab Orientalibus inter Patriarchas Conſtantinopolitanum Epiſcopum circa tempora Iuſtini ſenioris & Iuſtiniani ab Eccleſia Romana tunc tacitè ſaltem, poſtea verò expreſſe probatum.

QVOD ab eo tempore Eccleſia Romana Patriarchatum Conſtantinopolitanum admiſiſſe viſa ſit.

Primò, quia ex prædictis relationibus & epiſtolis Ioannis & Epiphanii Conſtantinopolitanorum antiſtitum patet ipſos ſe Patriarchas & Archiepiſcopos ſæpe profiteri, quæ tamen epiſtolæ & relationes à Romanis Pontificibus admiſſæ ſunt.

Secundò, quia Patriarchas Conſtantinopolitanos iure vel iniuria ſub hæreticis Imperatoribus, quamdiu ab Eccleſiæ Romanæ communione ſeparati fuerunt, priuilegio Patriarchico in iis prouinciis vſos fuiſſe docuimus. Porrò niſi Romana Eccleſia tacitè ſaltem approbaſſet ipſos in ea poſſeſſione manere, quemadmodum conditionem iſtam reconciliationi Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ adhibuit, vt Anthimum, alioſque vel hæreticos, vel hæreticorum communicatores Conſtantinopolitanæ ſedis Epiſcopos damnaret, ita & hanc conditionem adhibere debuiſſet, vt diœceſibus iniuſtè acquiſitis cederet: quam cum non legamus adhibitam, tacito ſaltem conſenſu Summum Pontificem Hormiſdam & reliquos deinceps Pontifices hanc poſſeſſionem approbaſſe neceſſum eſt. Et prudenter ſane: nam qui tam ægrè conſenſerant vt ſuæ ſedis Epiſcopos damnarent, adeout pacis & communionis fœdera ob hanc conditionem fere diſrupta fuerint, quomodo conſenſiſſent, vt diuturniori poſſeſſioni renuntiarent, & ſuæ ſedis auctoritati cederent? turbare certe conciliationem pacis hæc conditio potuiſſet. Deinde eo tempore agebatur de Chalcedonenſi Synodo recipienda, quam & Conſtantinopolitana Eccleſia, & aliæ Orientales reiecerant: quod ſi vel ſpurium & adulterinum Canonem, quem tamen à Synodo Chalcedonenſi editum conſtitiſſet, (qualis eſt 28. citatus) Romanus Pontifex proſcribi voluiſſet, timendum erat ne non ſatis potenter induxiſſet Conſtantinopolitanos ad Synodum Chalcedonenſem admittendam: Nam quemadmodum poſtea ex quibuſdam capitibus Chalcedonenſis Concilii, quæ circa factum verſabantur in controuerſiam vocatis iudicium Synodi Chalcedonenſis circa doctrinam eiuſque auctoritas periclitata ſunt. Ita ſi priuilegio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ à Chalcedonenſi Conc. quo quomodo probato coacti fuiſſent Conſtantinopolitani renuntiare, timendum erat ne totius Synodi auctoritas in dubium reuocari viſa fuiſſet.

Tertiò, quia in plurimis Iuſtiniani Imperatoris legibus Epiſcopi Conſtantinopolitani paſſim Archiepiſcopi & Patriarchæ dicuntur, quarum plures ſuperiùs retulimus. Inſcribuntur nouellæ conſtitutiones tertia & quinta, *Epiphanio regiæ vrbis Archiepiſcopo, & vniuerſi eius tractus Patriarchæ*, ſexta, *Epiphanio Archiepiſcopo & Patriarchæ Conſtantinopolitano*: decima quinta *Anthemio, ſeu Anthymio*: quadrageſima ſecunda *Mennæ* cum iiſdem epithetis: quinquageſima quinta eidem *Mennæ Archiepiſcopo Conſtantinopolitano*: quinquageſima ſexta & quinquageſima ſeptima eidem *Mennæ Archiepiſcopo regiæ ciuitatis Conſtantinopolitanæ*: quinquageſima octaua, ſexageſima octaua, & ſeptuageſima nona eidem, *Regiæ vrbis Archiepiſcopo, & vniuerſi eius tractus Patriarchæ*, centeſima trigeſima tertia, *Ioanni beatiſſimo Archiepiſcopo.* Legitur & eiuſdem Imperatoris *conſtitutum*, ſeu forma, collatione prima quintæ Synodi, *beatiſſimis Epiſcopis & Patriarchis Eutychio Conſtantinopolitano, Apollinario Alexandrino, Domno Theopolitano, & aliis vicem gerentibus Euſtochij viri beatiſſimi Archiepiſcopi Hieroſolymitani, & Patriarchæ, & reliquis religioſiſſimis Epiſcopis ex diuerſis prouinciis in hac regia vrbe degentibus.* Legitur & tractatus eiuſdem Iuſtiniani miſſus *ad Mennam beatiſſimum Archiepiſcopum felicis vrbis, & Patriarcham.* In collatione Catholicorum cum Seuerianis habita anno 532. tempore Iuſtiniani: in Concilio ſub Agapeto & Menna: In quinta Synodo quæ circa iſta tempora habita ſunt innumeris locis Conſtantinopolitanæ vrbis antiſtites, & Patriarchæ dicuntur, & honore Patriarcharum potiti ſunt, conſentientibus omnibus Patriarchis,

& Epiſcopis ex toto Oriente, conſentientibus vel certe non reluctantibus Agapeto, & Vigilio, quórum hic dum celebraretur quinta Synodus Conſtantinopoli intererat, ille Concilio Conſtantinopolitano ſub eodem Menna, cui etiam aliqui ex Italia interfuerunt Epiſcopi. Quin etiam & ab omnium Orientalium Epiſcopis, Monachis, vel clericis variis libellis Patriarchæ vocantur. Denique & ipſe Imperator Iuſtinianus nouellam conſtitutionem edidit de Patriarchatu Conſtantinopolitano inter Patriarchas poſt Romanum primum locum habituro, vt mox dicemus. Quare non dubitandum quin tempore Iuſtiniani notiſſimus fuerit Patriarchatus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ: quin etiam ſaltem tacito conſenſu Romanus Pontifex eum firmaret, quem Orientales omnes etiam, vt primum totius Orientis adorabant. Nondum tamen quemquam Pontificum Romanorum expreſsè legimus aut Patriarcham Conſtantinopolitanum appellantem, aut eius Patriarchatui expreſsè conſentientem. Citat Spalatenſis epiſtolam primam Felicis tertii, in qua Felix tertius Acacium agnoſcat habere ſubditos ſibi Epiſcopos, ſed hæc in ea epiſtola non legi. Vigilius quidem *Eutychio Epiſcopo Conſtantinopolitano, & Epiſcopis ſub ſe conſtitutis*, epiſtolam ſcripſiſſe legitur collatione prima Synodi 5. atque hæc prima ſaltem confeſſio eſt Metropoliticæ ſaltem dignitatis Epiſcopi Conſtantinopolitani à Romanis Pontificibus edita: nam vt docuimus ſupra, ne quidem Metropolitanum voluit fateri. Conſtantinopolitanum antiſtitem Gelaſius epiſt. 11. alias 13. quamuis in Concilio Conſtantinopolit. *τὴν Θρᾴκην*, Thracicam, ſeu prouinciam, ſeu diœceſim obtigiſſe Socrates lib. 5. cap. 8. referat. Nec vllum ex Romanis Pontificibus memini me legere ante Gregorium Magnum, qui Patriarchis Conſtantinopolitanum antiſtitem expreſſe adnumerarit, hic autem quatuor Patriarchis, (nam Romanum ſupra omnes eorum numero iis locis non recenſuit) in Oriente diſerte admiſit libro ſecundo epiſtola 37. iis verbis. *Quod ſi quilibet ex quatuor Patriarchis feciſſet, ſine grauiſſimo ſcandalo tanta contumacia tranſire nullomodo potuiſſet*, & libro 7. epiſtola 5. indictione 1. *Sed ita illos erroris labes imbibit, vt ignorantiæ ſuæ credentes vniuerſam Eccleſiam, atque omnes quatuor Patriarchas non ratione, ſed malitioſa mente tantum refugiant*: libro ſeptimo, epiſtola quinquageſima quarta, indictione 2. *Hinc eſt enim vt quoties in præcipuis ſedibus antiſtites ordinatur, Synodales ſibi inuicem epiſtolas mittant.* Quin etiam Cyriaco ſcribens eidem Patriarchæ Conſtantinopolitano epiſtolam inſcripſit vndecima indictione 6. libro 11. à qua nuncupatione eum ſalutando abſtinuerat lib. 6. epiſtola quarta, quinta, & vigeſima octaua, abſtinuerat & in ſalutando *Ioanne Epiſcopo Conſtantinopolitano*, libro primo epiſtola quarta, & vigeſima quarta, quamuis alioqui hunc titulum liberaliter *Anaſtaſio Antiocheno* largiatur epiſt. vigeſima quinta, & vigeſima ſeptima libro primo, epiſtola tertia libro ſeptimo indictione prima; *Eulogio Alexandrino* libro ſeptimo indictione prima epiſtola trigeſima, & indictione ſecunda, epiſtola vigeſima nona, libro octauo epiſtola trigeſima quinta & quadrageſima, libro decimo epiſtola quinquageſima quarta, libro vndecimo, epiſtola quadrageſima octaua, & quadrageſima nona; quatuor quoque Patriarchas, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, & Hieroſolymitanum ſimul coniungit ipſis epiſtolam mittens *à paribus*, qua epiſtola nomen Patriarchæ ſoli Antiocheno attribuit: ſed cùm Conſtantinopolitanum primo loco nominet eius haud dubiè videtur agnoſcere Patriarchalem dignitatem.

Hic autem obſerua quatuor à Gregorio Patriarchas prædictis epiſtolis numerari, quippe qui ſe ab eorum numero exemerit, quia cæterorum caput erat: quod etiam fecerunt aliquando Græci, nam Nicephorus Gregoras lib. 5. cap. 1. in Conc. Lugdunenſi conuentum ait, *vt in ſacrorum voluminum Hymnodia Papæ cum quatuor Patriarchis mentio fieret*: quem loquendi morem imitatur Synodus 8. actione 10. Canone 21. *præcipue quidem*, inquit, *ſanctiſſimum Papam ſenioris Romæ, deinceps autem Conſtantinopolitanum Patriarcham, deinde verò Alexandriæ, ac Antiochiæ, & Hieroſolymorum.* Rationem adfert Conſtantinus in edicto donationis ſeu vero ſeu falſo, apud Balſamonem ad titul. octauum Canone primo nouo Canonis Photii: *ſancimus vt Romana ſedes principatum teneat ſuper quatuor præcipuas ſedes Antiochenam, Alexandrinam, Conſtantinopolitanam, Hieroſolymitanam, quamque ſupra omnes, in vniuerſo orbe terrarum Dei Eccleſias*, &c.

Conſtat edictum iſtud falſum eſſe, & à Græcis confictum, quorum proinde fides hæc fuiſſe colligitur, quod ſuprà quatuor Patriarchales Sedes Romana tanquam ſu-

perior auctoritate emineat, illiſque præſit, quod ex octauâ Synodo paſſim deduci poteſt.

Alii quinque Patriarchas ab eo tempore, quo Conſtantinopolitanus in aliorum ſocietatem adſcitus eſt, numerant Romanum, Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum, Iuſtinianus Nouella 131. capite ſecundo, Nouella centeſimâ nonâ, Nouella centeſimâ vigeſimâ tertiâ, capite tertio, Baſilius octauæ Synodi actione ſexta. Metrophanes Metropolitanus Smyrnæ eadem actione in principio, Theodorus Studita epiſtolâ centeſimâ vigeſimâ nonâ Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. capite quinto, Balſamon in Melete, *de Patriarchis*, & alii paſſim. Egregiè ſane Theodorus Studita prædicta epiſtola: *Quinam hi verè quibus id mandatum eſt? Apoſtoli, & horum ſucceſſores. Quinam ergò ſucceſſores? qui Romanæ Eccleſiæ primam ſedem nunc obtinet, qui Conſtantinopolis ſecundam, qui Alexandriæ, Antiochiæ, Hieroſolymorum, hos quinque vertices habens imperium Eccleſiæ, apud hos diuinorum dogmatum eſt iudicium.* Audiendus & Metrophanes citatâ actione octauæ Synodi, *Dominus & Deus noſter qui dixit, fiant luminaria in firmamento cæli, ad illuminationem terræ: & fecit duo magna luminaria, luminare quidem maius in principio diei, minus autem in principio noctis, & poſuit ea in firmamento cœli, & tanquam quædam magna luminaria, videlicet quinque Patriarchalia capita in illuminationem totius terræ, quo præſint die ac nocte, & ſeparent lumen inter & tenebras, id eſt inter eos qui agunt opera lucis, id eſt diuina, & inter eos qui agunt opera tenebrarum.* Eadem comparatione vſus fuerat Anaſtaſius Bibliothecarius epiſt. *ad Adrianum ſecundum* octauæ Synodo præfixa, eamque iis verbis expreſſerat, *Cum Chriſtus in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, tot Patriarchales ſedes, quot in cuiuſque mortali corpore ſenſus locauerit, profectò nihil generalitati deeſt Eccleſiæ, ſi omnes illæ ſedes vnius fuerint voluntatis.* Balſamon citatâ meditatione *de Patriarcharum priuilegiis*, lib. 7. iuris Græco-Romani, quinque Patriarchas comparat quinque ſenſibus.

Quamuis autem Gregorius quinque Patriarchas admiſerit, tamen videtur ſingulariter erga tres antiquos Patriarchas affectus fuiſſe, quorum ſedes *vnam Petri Sedem* eſſe docuit lib. 6. indict. 15. epiſt. 37. *Eulogio Alexandrino.* Quin etiam Nicolaus I. diu poſt receptum quinarium Patriarcharum numerum *ad conſulta Bulgarorum*, cap. 92. *Deſideratis*, inquit, *noſſe, quot ſint veraciter Patriarchæ. Veraciter illi habendi ſunt Patriarchæ, qui Sedes Apoſtolicas per ſucceſſiones Pontificum obtinent: id eſt, qui illis præſunt Eccleſiis, quas Apoſtoli inſtituiſſe probantur, Romanam videlicet, Alexandrinam, & Antiochenam.*

§. XLI.

Aliqua præmittuntur ad accuratiorem diſcuſſionem circa poteſtatem Patriarchæ Conſtantinopolitani in diœceſibus Thracica, Aſiana, & Pontica, & extinctionem antiquorum earum diœceſeon Primatum.

CONTINVO verò vt inter Patriarchas Conſtantinopolitanus admiſſus eſt, oportuit, vt ei diœceſis aliqua aſſignaretur. Ex tribus itaque Thracica ſcilicet, Aſiana, & Pontica vel integris, vel mutilatis vna diœceſis compacta eſt, eique ſubiecta. Aquemadmodum ſtatuerat Chalcedonenſis Synodus. Mitto ſiquidem toto tempore ſchiſmatis apparere Conſtantinopolitanam Eccleſiam eas ſibi prouincias, vel ex toto, vel ex parte in ſuam poteſtatem redegiſſe, præſertim ex lege Zenonis Imperatoris, quæ eſt decima ſexta, codice *de ſacroſanctis Eccleſiis*, quâ nimirum priuilegia omnia Eccleſiæ, quæ vel ad ius ipſius Metropoliticum, vel Exarchicum ſpectarent reſtitui mandauit; & Baſiliſci tyranni acta reſcidit, cuius iuſſione Timotheus Ælurus ademptum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ in Aſianam diœceſim Epheſinæ ius reſtitutum fuerat, quod circa Ponticam prouinciam ſimiliter factum fuiſſe probabile, & in vtráque Eccleſia Zenonis ſanctione fuiſſe Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ reſtitutum: quo vtique gauiſam fuiſſe, vel illud argumento eſt, quod prouinciæ iſtæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ in ſchiſmate adhæſerint, & eâ ad Catholicam redeunte vnitatem, etiam ipſæ redierint. Sed & alia ex prædictis vſurpatæ in iis prouinciis poteſtatis argumenta ſuppetunt plurima. At non eſt vero ſimile Eccleſiam Conſtantinopolitanam redeuntem ad Eccleſiæ

Catholicæ communionem poteſtate quàm antea haberet excidiſſe, quemadmodum antea arguimus. Igitur & poſt reconciliationem cum Romana Eccleſia eandem illi poteſtatem relictam dubitare non debemus.

Non potuit autem Conſtantinopolitanus primas & Patriarcha diœceſes Thracicæ, Aſianæ & Ponticæ ſub ſuâ poteſtate plenè habere, niſi cùm eorum qui antea fuerant Patriarchæ poteſtatis Exarchicæ extinctione vel decremento: quid nam eorum contigerit hic deſcribendum eſt.

Duæ autem excogitari poſſunt rationes, quibus manentibus iſtis Primatibus earumdem diœceſeon Conſtantinopolitanus Patriarcha & Primas creatus dicatur.

Prima ratio eſt, vt & ſupra Primates iſtarum diœceſeon, Epheſinum Aſianæ Thracicæ Heracleenſem, Ponticæ, Cæſarienſem, Conſtantinopolit. dicamus conſtitutum fuiſſe cum illa ampliori & ſuperiori poteſtate, tum quod Metropolitanos iſtarum prouinciarum ordinaret iuxta Canonem vigeſimum octauum Chalcedonenſem, non autem illi: tum quod ſaltem in ſuo Patriarchatu ad illum prouocaretur ab horum ſententiis, ſicut ab omnibus Eccleſiis appellatur ad Papam Romanum, quia æqualia cum eo priuilegia ſibi vendicabat: iù maximè quòd optio daretur vel ad ipſum, vel ad Primatem cuiuſque diœceſis prouocandi, itavt ſecundum Chalcedonenſes Canones nonum & decimum ſeptimum, liceret vel ad Conſtantinopolitanam ſedem, vel Primates Heracleenſem ex diœceſi Thracica, Epheſinum ex Aſiana, Cæſarienſem ex Pontica prouocare. Atque hæc prima ratio imminutæ poteſtatis Exarchicæ iſtorum antiquorum Primatum, qua accreſcere poſſet poteſtas Conſtantinopolitani.

Altera verò ratio ſuperiùs à nobis expoſita eſt, vt nimirum eas prouincias quæ præfecto vrbis Conſtantinopolitanæ ſubdebantur in ciuilibus, Conſtantinopolitanus priùs ſibi ſubiecerit, quàm illas à quarum rectoribus ad præfectum vrbis Conſtantinopolitanæ minimè appellaretur, quamuis nec ab iſtis abſtinuerit omnino, cum in Orientis prouinciis primatum exercere aliquando conatus ſit, atque adeo ob relictam quarundam prouinciarum adminiſtrationem Epiſcopi iſti Primates dicerentur.

Verùm vero tempore Iuſtiniani & paulò poſt ipſius tempus aliquis ex iis titulis Primatibus illis antiquis ſuperfuerit, Epheſino ſaltem & Cæſarienſi, ratione cuius verè Primates dici poſſent, hoc loco diſcutiendum eſt.

§. XLII.

Rationes proferuntur, quibus probari videtur Primatum Heracleenſis, Epheſini, & Cæſarienſis Cappadociæ poſt erectionem Patriarchatus Conſtantinopolitani non fuiſſe penitus abolitam dignitatem.

ALIQVO ex iis modis Primates remanſiſſe etiam poſt Iuſtiniani tempora colligunt aliqui, quia retinuerunt honorificum locum in Conciliis ante alios Metropolitanos, nam verbi gratia in Concilio Chalcedonenſi conſtare iſta poſſunt.

Primò, quia vt ſupra agendo de Cæſareæ Cappadociæ Primatu in Pontica diœceſi monuimus, honorificus illis locus ſemper conceſſus eſt in Concil. propter iſtam Exarchi dignitatem, nam verbi gratia in Concilio Chalcedonenſi actione 16. Cyriacus Metropolitanus, Heracleæ ſtatim poſt Iuuenalem ſubſcripſit, ſtatim quoque poſt legatos Concilii Occidentis Ipatius, alias Hypatius Epheſinus, & Conſtantinus Epiſcopus Heracleenſis; Conſtantinopolitano Concilio ſub Agapeto & Mennâ, ante cæteros ex Oriente Metropolitanos ſubſcripſerunt; quintæ Synodo poſt Patriarchas & eorum miſſos, poſtque miſſum Theſſalonicenſis Primatis Theodorus Cæſarienſis, & Andreas Epheſinus primi ſubſcribunt, & poſt Carthaginenſem Africæ totius Primatem Megethius Heracleenſis; honorificum quoque locum retinent iſtarum ſedium Epiſcopi in ſexta, ſeptima, & octaua Synodo, ſed in ſexta hoc inſuper notandum eſt titulum etiam Exarchorum retinere Cæſarienſem & Epheſinum. Nam actioni decimæ octauæ iis verbis primus ſubſcribit φιλαλήθης ἐλέῳ θεοῦ ἐπίσκοπος πόλεως τῶν Καισαρέων μητροπόλεως τῆς πρώτης τῶν Καππαδοκῶν ἐπαρχίας, καὶ ἔξαρχος τῆς Ποντικῆς διοικήσεως ὁρίσας ὑπέγραψα, *Philaletes miſericordia Dei Epiſcopus Metropolis Cæſarienſium ciuitatis primæ Cappadociæ prouinciæ & Primas Ponticæ diœceſeos definiens ſubſcripſi*: Similiter ſecundus.

Θεόδωρος,

Θεόδωρος ἐλέῳ Θεοῦ ἐπίσκοπος τῆς Ἐφεσίων μητροπόλεως, καὶ ἔξαρχος τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως ὁρίσας ὑπέγραψα. *Theodorus miſericordiâ Dei Epheſiorum Metropolis Epiſcopus & Primas.*

§. XLIII.

Prædictos Primates in Diœceſibus ſibi ab antiquo aſſignatis auctoritatem iudiciorum aliquam retinuiſſe.

QVòD verò Primates iſti poteſtatem in ſuis prouinciis retinuerint, vt ad illos à Metropolitanorum ſententia prouocare liceret; illúdque duntaxat priuilegium eſſet Conſtantinopolitanæ Sedis, vt optio actori remaneret, vel coram Primate Heracleenſi in Thracica Diœceſi, coram Epheſino in Aſiana, coram Cæſarienſi in Pontica cauſam diſceptandi, vel in his omnibus Diœceſibus coram Conſtantinopolitano Antiſtite, probant; Primò, quia nihil aliud volunt Canones 9. & 17. Chalcedonenſis: probabile autem eſt, non plus Patriarchæ Conſtantinopolitano conceſſum, quàm Canones iſti Chalcedonenſes tribuerent.

Secundò, quia tres illos gradus Epiſcoporum agnoſcere videtur Iuſtinianus ſupra Epiſcopos, Archiepiſcopum, & Patriarcham, & Metropolitam, Nou. 123. c. 3. *Iubemus vnumquemque beatum Archiepiſcopum, & Patriarcham, & Metropolitam, ſanctiſſimos Epiſcopos ſub ſe conſtitutos in eadem prouincia ſemel aut ſecundò per ſingulos annos ad ſe conuocare.* Vnde inferunt non ſolùm Patriarchas & Metropolitas, verùm etiam Archiepiſcopos ſeu Primates ipſius tempore auctoritatem habuiſſe Epiſcopos ad Synodum conuocandi, & ita ius Exarchicum aliquod retinuiſſe. Ij autem Archiepiſcopi, qui Metropolitanis ſuperiores, Patriarchis inferiores eſſent, non poſſunt eſſe alij quàm Primates prædicti, Antiſtites Heracleæ Thracicæ, Epheſi, & Cæſareæ Cappadociæ. Igitur nondum illorum Exarchica poteſtas tempore Iuſtiniani extincta penitùs erat.

Tertiò, quia Iuſtinianus Nou. 137. cap. 5. à Metropolitano ad Patriarcham Diœceſis appellationes iubet eſſe ratas: cùm enim à Iuſtiniano maiores Patriarchæ κατ' ἐξοχὴν, & ſine addito Patriarchæ, vel Exarchi vocari ſoleant, dum Primatem Diœceſeos, aut Patriarcham Diœceſeos nominat, ad quem à Metropolitano appellare liceat, videtur de Primatibus, qui ſingulis Diœceſibus Aſianæ, Thracicæ & Ponticæ præſiderent, loqui; qui proinde ipſius tempore poteſtatem iudicandi in ſuis Diœceſibus adhuc retinerent. Videturque Iuſtinianus alludere ad Canones 9. & 17. Concilij Chalcedonenſis, quibus vel apud Primatem Diœceſeos, id eſt, Epheſinum Aſiaticæ, Cæſarienſem Ponticæ, Heracleenſem Thracicæ, vel apud Sedem Conſtantinopolitanam litigandi poteſtas datur, ſi quis de Metropolitano ſuo conqueratur, aut aduerſus illum agere velit. Sicut enim his Canonibus Primas Diœceſeos opponitur Patriarchæ Conſtantinopolitano, & ſignificat Primates inferiores Patriarchâ Conſtantinopolitano, qui ſingulis Diœceſibus præerant, quas ipſe generali poteſtate complectebatur: ita prædictâ Nouellâ Iuſtinianeâ Primates ſeu Patriarchas Diœceſeωn eoſdem interpretari conuenit, ad quos liceret à ſententia Metropolitani prouocare.

§. XLIV.

Rationes, quibus probatur partem prædictarum Diœceſeωn à Patriarcha Conſtantinopolitano, aliam partem à Primatibus antiquis ordinatam fuiſſe.

SI quis verò putet relictas fuiſſe Primatibus prædictis aliquas prouincias, in quas nihil ſibi Conſtantinopolitanus arrogaret, alias autem à Patriarcha Conſtantinopolitano earundem Diœceſeωn vendicatas, quas Exarchico iure regeret; iis vtique rationibus perſuadere id poterit.

Prima, quia probabile eſt Patriarchæ Conſtantinopolitani ad inſtar ciuilis vrbicæ præfecturæ Exarchicam poteſtatem fuiſſe determinatam, quemadmodum reuerà patet & ſpecialem Diœceſim Romani Pont. fuiſſe vniuerſum illum tractum,

qui ſub vrbici Præfecti poteſtate erat. Atqui docuimus ſuprà ex Imperij Notitia lege Conſtantij Imperatoris *Si apud*, Codice *de præſcriptionibus*, apud Præfectum vrbis Conſtantinopolitanæ à duobus Ponticæ Diœceſis Rectoribus, id eſt, Bithyniæ & Paphlagoniæ, & totidem Aſianæ, id eſt, Lydiæ & Phrygiæ ſalutaris, & duobus Proconſulibus Aſiæ Helleſponti inſularum, & à tribus Thracicæ Diœceſeos, Europæ, Rhodope & Hemimonti appellarum fuiſſe. Igitur in his prouinciis Conſtantinopolitanum ſuam Exarchicam poteſtatem exercuiſſe reliquas iſtarum Diœceſeon prouincias ſingularum Diœceſeon Primatibus relictas fuiſſe, in quas Exarchicam poteſtatem haberent, probabile eſt.

Cui rationi ſuffragatur altera: nam ſi quid tentaſſe Conſtantinopolitanum legimus in prædictis Diœceſibus, id maximè patet in iis quas deſignauimus prouinciis tentatum fuiſſe, in reliquis rariora poteſtatis ipſius exercitæ exempla ſunt, quibus vt plurimùm contradictum reperimus: ergo in prouinciis iſtis quæ ſuburbicariæ Conſtantinopolis dici poſſunt, liberam poteſtatem illum præſcriptione adeptum fuiſſe probabile eſt; nec in aliis prouinciis aliquid niſi ex vſurpatione tentaſſe: ac proinde nec toto iſto tempore valuiſſe Chalcedonenſem vigeſimum octauum Canonem, quo in totis iſtis ſingulis Diœceſibus Metropolitanis ordinandis ius ipſi conceditur.

Accedit tertia, quia Iuſtinianus Nouellâ 7. cap. 1. Lyciam & Lycaoniam, quæ ſunt prouinciæ Diœceſis Aſiaticæ ſuis rectoribus ſubditæ, à quibus, vt ex Notitia Imperij Orientalis ex lege Conſtantij deducitur, non dabatur prouocationi locus ad Præfectum vrbis Conſtantinopolitanæ, videtur inter eas recenſere, quæ non ſuberant Patriarchicæ Sedi Conſtantinopoleos, cuius Metropolitæ ab ea non ordinabantur, quemadmodum nec Orientis, Illyrici, Ægypti, & Africanarum prouinciarum Metropolitani: verba enim Imperatoris hæc ſunt, *Neque alias omnes Eccleſias, in hac fœliciſſima exiſtentes ciuitate, aut circa eius confinia, neque ſub Patriarchica Sede huius fœliciſſimæ ciuitatis conſtitutas, quarum Metropolitas ipſe ordinat, neque vllam alium vndique Patriarcham, neque Epiſcopum. Dicimus autem & eos qui in Oriente, & in Illyrico, inſuper & in Ægypto, & in Lycaonia, atque in Lycia, & eos qui in Africana prouincia ſunt, & complexiùs dicendo omnes, quæcunque non ſunt terræ.*

Adde Epiphanium Nou. 3. & Mennam Conſtantinopolitanos Antiſtites Nou. 67. *Conſtantinopolis & vniuerſi illius tractus* Patriarchas inſuper, quæ verba videntur vicinas tantùm prouincias ſignificare.

Quarta denique, quia vſque ad hæreſim Armenorum, magnæ Armeniæ Metropolitanum fuiſſe ab Epiſcopis Cæſareæ Cappadociæ ordinatum liquet ex teſtimonio Niconis ſuperiùs citati libello *de falſa Armenorum religione*: iſtam autem hæreſim viguiſſe ad tempora ferè Photij, conſtat ex teſtimonio eiuſd. Photij, qui in epiſtola ſua encyclica ipſius tanquam recentis mentionem facit. Ergo toto iſto tempore oportebat hanc poteſtatem in Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo Exarchicam remanſiſſe: quâ vtique ſi potitus eſt in ordinando magnæ Armeniæ Metropolitano, quandocumque per obitum ſedes eius vacaſſet; quidni ſaltem in Cappadocia, parua Armenia, aliiſque finitimis prouinciis, per quas ad magnam Armeniam iter erat, hanc poteſtatem retinuiſſe credamus?

§. XLV.

Expenduntur argumenta, quibus generatim vel in ſolidum in iiſdem prouinciis Primatus Cæſarienſis, Heracleenſis & Epheſini Epiſcopi, poſt erectionem Patriarchatus Conſtantinopolitani manſiſſe probantur.

NIHILOMINVS non ſunt illa adeò certa, vt conuelli non poſſint, imò nec omni ex parte videntur eſſe vera.

Primò enim quòd Exarchi dicantur Heracleæ, Thraciæ, Cæſareæ, Cappadociæ & Epheſi Antiſtites, non eſt certum argumentum poteſtatis Exarchicæ ab ipſis retentæ. Nam, vt notat Balſamon in Can. 9. Concilij Chalced. etiam abolito priuilegio quod habebant in aliquâ totam Diœceſim, Exarchorum nomen retinuerât, *prouinciæ autem Exarchus*, inquit, *eſt, vt mihi quidê videtur, non vniuſcuiuſque prouinciæ Metropolita-*

nus, ſed Metropolitanus totius Diœceſis. Diœceſis autem eſt, quæ multas habet ſub ſe prouincias, hoc autem Exarchorum priuilegium non eſt ampliùs in vſu. Etſi enim dicuntur Exarchi quidam ex Metropolitanis, ſed tamen alios Metropolitanos, qui ſunt in Diœceſibus non habent omninò ſibi ſubiectos. Eſt ergo veroſimile alios fuiſſe, qui tunc erant, Exarchos Diœceſeon, vel eſſe quidem adhuc ipſos, ſed quæ eis data ſunt à Canonibus priuilegia exoleuiſſe.

Zonaras quoque Canonem 17. Chalcedonenſem ita interpretatur, vt nihil relictum à Concilio Chalcedonenſi in iudiciis Eccleſiaſticis præter honorem Exarchicum Cæſareæ, Epheſi, & Heracleæ Metropolitanis inſinuet. Eo ſiquidem Canone ſtatutum putat, quòd ſi Clericus aduerſus Clericum agere velit, apud Exarchum, id eſt, Metropolitanum prouinciæ litigare debeat: ſi de Metropolitano conqueratur, ad Conſtantinopolitani Antiſtitis tribunal eum ſiſtere iudicandum; ac proinde ſuperiùs nominatis Præſulibus, quòd honoris cauſâ Exarchos dictos ſubiungit, nullam in iudiciis auctoritatem relictam explicat, ſed honoris duntaxat aliquam prærogatiuam.

Secundò, nec argui poſſe putamus, ex eo quòd Canones Chalcedonenſes 9. & 17. poteſtatem Primatibus Ponticæ, Aſiaticæ, & Thracicæ Exarchicam aliquam relinquant, eámque ſolùm imminuant in quantum optionem actori tribuunt, vt ſi aduerſus Metropolitanum agere velit, ad Sedem Conſtantinopolitanam eum vocet ad iudicium, nullam maiorem auctoritatem Patriarchas Conſtantinopolitanos poſteriori tempore popoſciſſe: creſcit enim in dies ambitio, nec in vllo vnquam gradu pedem figit, ſed ad maiora ſemper contendit, præſertim vbi cupiditatis materiam prætextúmque repererit.

Ex prædictis verò conſtat Canonem 9. & 7. Chalcedonenſem Conſtantinopolitanos Patriarchas ita explicaſſe, vt licentiam concederet iis qui de Metropolitanis cuilibet Patriarchæ ſubditis conquererentur, vel ad Patriarcham Diœceſeos, vel ad Conſtantinopolitanum totius Orientis œcumenicum cauſam deferrent, quod Balſamon & Zonaras receptum fuiſſe negant. Canone verò 28. eiuſdem Synodi, pro quo tuendo tam acriter diſputarunt, contendiſſe ſibi eadem priuilegia in Oriente conceſſa quæ Romano Pontifici; ac proinde ius præuentionis & appellationis, plenámque auctoritatem; quâ ſtante inutiles eſſent Primatum in ipſius ditione poſitorum operæ; vel certè nulla deinceps iſtis Primatibus auctoritas conuenire debuit, quàm quæ Apoſtolicæ Sedis Vicariis in Occidente; quam poteſtatem valdè tenuem & anguſtam fuiſſe ſuperiùs diximus.

Tertiò, Nouellæ Iuſtinianæ 123. cap. 10. diuerſas habet verſiones inter ſe multùm differentes. Verſio vulgata eſt, quam protulimus, *Vt autem omnis Eccleſiaſticus ſtatus, & ſacræ regulæ diligenter cuſtodiantur; iubemus vnumquemque beatum Archiepiſcopum & Patriarcham & Metropolitam, ſanctiſſimos Epiſcopos ſub ſe conſtitutos in eadem prouincia ſemel aut ſecundò per ſingulos annos ad ſe conuocare, & omnes cauſas ſubtiliter examinare, quas Epiſcopi, Clerici aut Monachi ad inuicem habeant eaſque diſponere, & ſuper hoc quidquid extra regulas à quacumque perſona delinquitur, emendare.*

Ex his verbis deducunt aliqui tres gradus Præſulum ſupra inferiorum Sedium Epiſcopos, quorum ſinguli ius habeant & conuocandi Concilium Epiſcoporum ſibi ſubditorum, & in eo cauſas quæ inter Clericos & Epiſcopos verſantur, diſcutiendi ac iudicandi.

Sed nec ſi verſio iſta probatiſſima foret, tamen id efficaciter conuinceret, nam Archiepiſcopi & Patriarchæ non hîc diſtinguuntur, quaſi duos diuerſos gradus iuriſdictionis efficiant, & diuerſa ſint Concilia, vnum ſuperius, quod ſit Patriarchæ, alterum inferius, quod ſit Archiepiſcopi, quod vtrumque ſupra Concilium Metropolitani emineat: ſed Archiepiſcopus & Patriarcha hoc loco voces ſunt Synonymæ, quo pacto capite præcedenti Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus & Patriarcha dicitur: vel ſi diſtinguere voces iſtas placet, Archiepiſcopus & Patriarcha hîc diſtinguendi ſunt nomine tenus, quia tempore Iuſtiniani ex Primatibus quidam dicebantur Archiepiſcopi & Patriarchæ, putà Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, & qui cæteris eminet Romanus; alij duntaxat Archiepiſcopi, putà Theſſalonicæ, & Iuſtinianæ primæ Antiſtites, quos Patriarchas nunquam à Iuſtiniano dictos legimus.

Digitized by Google

Alia autem verſio quæ eſt Haloandri, eâq; Græco textui conformis, clarè oſtendit diuerſos non cõſtitui à Iuſtiniano Patriarchæ & Archiepiſcopi ordines, nec diuerſa Concilia Patriarchalia & Archiepiſcopalia, nec diuerſos proinde tribunaliũ gradus, ſed vnum ordinem Archiepiſcoporum & Patriarcharum, vnum Concilium ſuperius Metropolitico, quòd Archiepiſcopale, Exarchicum, Patriarcharum dicatur; vnum iuriſdictionis graduũ Archiepiſcopi & Patriarchæ; adeò vt nec ab vno ad alium prouocetur; nec optio ſit, aut hunc aut illum pro ſententia obtinenda adire. *Quia verò*, habet hæc verſio, *quod à ſacris dictum eſt Canonibus de ſanctiſſimis Epiſcoporum Synodis, quæ per ſingulas celebrari debent prouincias, huc vſque obſeruatũ non eſt, maximè neceſſarium fuerit, ad rectam id denuò viam reducere. Ac ſancti quidem Apoſtoli & Patres definierunt, vt bis per ſingulos annos religioſiſſimorum ſacerdotum, ſeu Epiſcoporum in quaque prouincia celebrarentur Synodi, & quæ ſuppullularent, examinarentur, potirentúrque competenti correctione, hoc eſt, alterâ quidem quartâ feriâ S. Pentecoſtes, alterâ vero in menſe Septembri. Nos autem cùm ex huiuſmodi negligentia multos variis implicatos peccatis inuenerimus: iubemus vt omnibus modis in quacumque prouincia per ſingulos annos, vel in menſe Iulio, vel in menſe Septembri vna Synodus celebretur: coëántque in vnum apud beatiſſimos quidem Patriarchas illi qui ab iis ordinantur, neque ius habent alios ordinare Epiſcopos: apud religioſiſſimos vero cuiuſque prouinciæ Metropolitanos hi qui ab ipſis ordinantur: quo magis mota cauſa, & quæ ab aliquibus denuntiantur, vel occaſione fidei, vel Canonicarum quæſtionum, vel adminiſtrationis rerum Eccleſiaſticarum, vel de Epiſcopis, Presbyteris, aut Diaconis, aut aliis Clericis, vel de Monaſteriorum Præſulibus, aut Monachis, vel de reprehenſibili vita, aut aliis quæ correctionem deſiderant, agitentur iuxtà & conuenienter examinentur, vt correctio iis adhibeatur, quæ ſacris Canonibus & noſtris conueniat legibus.* Conſentit omninò hæc explicatio Greco textui, & longè eſt clarior quàm præcedens, præterquàm quòd tam textui quàm verſioni particula negatiua infœliciter irrepſit, vbi *conuenire* ſtatuit *apud beatiſſimos Patriarchas illos qui ab ipſo ordinati ſunt, & qui non habent ius alios Epiſcopos ordinandi*, Græcè (συνιέναι παρὰ μὲν τοῖς μακαριωτάτοις Πατριάρχαις ἐκείνους τοὺς παρ' αὐτῶν μὲν καὶ χειροτονουμένους, μὴ ἔχοντας τὸ δίκαιον ἄλλους ἐπισκόπους χειροτονεῖν. delenda eſt particula negatiua μὴ, & à verſione Latina particula *non*, quâ ſtante Conſtitutionis Iuſtinianæ nullus commodus ſenſus excogitari poteſt: quâ expunctâ apertiſſimè duo nobis genera Conciliorum præcepta ſignificantur, vnum Merropolitanorum, quos à Patriarcha Conſtantinop. Concilium Chalcedonenſe Can. 28. voluit ordinari in totis Diœceſibus, Aſiana, Pontica, & Thracica, qui quidem inferiores ſe Epiſcopos ius habent ordinandi: & ij conueniunt apud Patriarcham; cuiuſmodi ſunt Concilia Conſtantinopolitana habita à Gennadio tempore Leonis Imp. ac Mennâ tempore Iuſtiniani, & alia paſſim relata libris ſententiarum Synodalium in iure Græco-Romano Leunclauij: alia verò Epiſcoporum apud Metropolitanum ſuum, à quo ordinantur: illorum primum vocatur Exarchicum, alterum Prouinciale: in alterutro cauſas omnes diſcuti mandat. Eúmque ſenſum legis eſſe indicat Photius tit. 8. cap. 8. Nomocanonis, nimirùm (σύνοδοι τῶν μητροπολιτῶν παρὰ τοῖς Πατριάρχαις, καὶ τῶν ἐπισκόπων παρὰ τοῖς μητροπολίταις, *Synodos Metropolitanorum apud Patriarchas, & Epiſcoporum apud Metropolitanos* cogendas eſſe. Ex qua proinde Iuſtiniani Conſtitutione hęc deducimus.

1. Conſueuiſſe duntaxat in Orientali Eccleſia duo genera Conciliorum celebrari, quædam à Patriarchis Metropolitanorum totius Patriarchatus ſui; alia à Metropolitanis Epiſcoporum totius ſuæ prouinciæ; nulla verò numerari Concilia, quæ à Primatibus inferioribus dignitate Patriarchis, ſuperioribus verò auctoritate Metropolitanis cogerentur; ac proinde non ſimul iſta ſubſtitiſſe, Patriarcham Conſtantinop. in Diœceſibus, Pontica, Aſiana, & Thracica, conſueuiſſe Concilia Patriarchalia cõgregare, & Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopũ in Diœceſi Pontica: Epheſinũ in Diœceſi Aſiana, Heracleenſem in Diœceſi Thracica ius conuocandi Concilia retinuiſſe.

2. In Conciliis iſtis omnes controuerſias ſiue de religione, ſiue de diſciplina, ſiue de correctione & emendatione iniuriæ cuiquam illatæ fuiſſe diiudicatas. Vnde pariter concluditur in more poſitum fuiſſe, vt controuerſiæ omnes iſto tempore iuxta illam Conſtitutionem nonniſi in alterutro iſtorum Conciliorum deciderentur; Primatibus prædictis relictam duntaxat in ſuis prouinciis decidendi poteſtatem cæteris Metropolitanis communem, nullam autem per appellationem à Metropolitanis, ex

tota Diœceſi Pontica, Aſiana, vel Thracica cauſarum, totius Diœceſis cognoſcendarum ſuperiorem iiſdem Metropolitanis ipſos habuiſſe poteſtatem: quandoquidem penes Patriarcham Conſtantinopolitanum illorum Conciliorum, in quibus iſtæ controuerſiæ dirimerentur conuocandorum ius & poteſtas fuerit.

3. Coniuncta eſſe iſta habere ius conuocandi Concilij, & habere iudicandi auctoritatem: ideóq; ſicut ex prædictis Conſtit. duo tantùm genera Conciliorum ſtatuuntur; ita & duo tantùm gradus iuriſdictionis ſuperioris Epiſcopali, duóque tantùm tribunalia eriguntur vnum Metropolitani, alterum Patriarchæ; nullum tertium Primatis ſeu Archiepiſcopi inferioris Patriarchâ ſuperioris Metropolitano.

4. Coniuncta etiam eſſe illa, putà poteſtatem ordinandi & poteſtatem conuocandi Concilium, adeò vt ad eorum Concilium Epiſcopi pertinere dicantur, ad quorũ ordinationem ſpectant; eorum ſe Synodis ſiſtant, quorum iudicio & auctoritate ordinantur: vnde & conſtare illud, quòd ſi Patriarcha Conſtantinop. ius haberet conuocandi Metropolitanos omnes ex tribus prædictis Diœceſibus ad Conciliũ ſuum, eoſdem ordinandi habuiſſe poteſtatẽ; & vice verſâ illos potuiſſe ad Concilium conuocare, ſi legitimè potuit ordinare. Ex quo pariter infertur nullum mediũ ordinem eſſe Archiepiſcoporum, qui in iiſdem Diœceſibus haberent poteſtatem conuocandi Concilia in quibus & Patriarchæ illis ſuperiores ius haberent; nam vel Metropolitani in iis Diœceſibus à Patriarchis ordinabantur, vel ab Archiepiſcopis ſeu Exarchis inferioribus: ſi à Patriarchis ordinabantur, non autem ab Exarchis, Patriarcharum tantùm Conciliis ſeſe ſiſtere debebant, non Exarchorum; ſi ab Exarchis conſecrationem accipiebant, à Patriarchis ad Synodum compelli non poterant, à quibus non fuerant ordinati. Quamobrem ſi lex citata Iuſtiniani accuratè pendatur, tantùm abeſt, vt Archiepiſcoporum ſeu Primatum, qui ſuperiores eſſent Metropolitanis, inferiores autem Patriarchis, diſtinctus ab vtroque ordo concludatur, quin potiùs ordo ille nullus tempore Iuſtiniani fuiſſe oſtendatur.

5. Nec prædicto ordini Archiepiſcoporum ſtabiliendo cum poteſtate inferiori Patriarchali, & inferiori Metropolitanâ, fauet caput 5. Nou. 137. quin potiùs illi videtur repugnare: verba Conſtitutionis hæc ſunt, *Et ſi quidem Epiſcopus eſt is, qui accuſatus eſt, eius Metropolitanus examinet ea quæ dicta ſunt; ſi verò Metropolitanus ſit, eius beatiſſimus Archiepiſcopus ſub quo degit. Si verò Presbyter, vel Diaconus, vel alius Clericus, vel Abbas, vel Monachus, tunc ſanctiſſimus Epiſcopus, cui ſubſunt, examinet delatas huiuſmodi querelas: & cùm veritas probata fuerit, vnuſquiſque pro qualitate delicti Canonicis pœnis ſubdatur examinantis arbitrio. Hæc autem omnia obtinere volumus non ſolùm in ordinandis poſthac Epiſcopis, Clericis & Abbatibus, ſed etiam in his quibuſcumque cauſis per Canones, & noſtras leges interdictis accuſantur.*

Huius enim Conſtitutionis ſimilia ſunt conſectaria quæ præcedentis: putà tribunalia duntaxat iſta fuiſſe, in quibus primo iudicio cauſæ omnes Eccleſiaſticarum perſonarum diſcuterentur; Metropolitanos ab Archiepiſcopis ſeu Patriarchis, ſub quibus degunt, ordinatos, nonniſi ab iis iudicari debere: Epiſcopos, nonniſi à Metropolitanis ſuis, à quibus conſecrantur: Presbyteros, ac cæteros Clericos, & Monachos ab Epiſcopis, à quibus vel conſecrantur, vel admittuntur; apud eoſdem accuſari perſonas Eccleſiaſticas iam ordinatas, vt repellantur à ſuo gradu, apud quos accuſantur, ne ordinationem ſuſcipiant. Quæ Conſtitutio Canonibus 9 & 17. Concilij Chalcedonenſis derogat: nam prædicti Canones optionem relinquunt accuſandi Metropolitanos, vel coram Primate Diœceſeos, putà coram aliquo ex tribus in ditione Conſtantinopolitani Epiſcopi poſitos, nimirùm apud Epiſcopum Cæſareæ Cappadociæ, ſi Metropolitanus accuſatus eſſet Ponticæ Diœceſis; apud Epheſinum, ſi foret Aſianæ; apud Heracleeſem, ſi Thracicæ foret Diœceſis; vel apud Conſtantinopolitanæ Sedis Antiſtitem ex quacunque ex iis Diœceſibus foret: hanc autem optionem adimit Conſtitutio Imperatoris, & Metropolitanum in ius vocari duntaxat permittit, coram iſto Patriarcha, Epiſcopum coram illo Metropolitano, à quo ordinationem ſuſcepit. Quare diſtinctio adhibita Patriarchæ *abſolutè* dicti, & Patriarchæ *ſecundum quid*, ſeu *Diœceſis*, cuius eſt Metropolitanus, vel ſub quo degit, vt Patriarcha *κυρίως*, ſeu *ſimpliciter* dictus ſit Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus: Patriarcha verò Diœ-

Alia autem verſio quæ eſt Haloandri, eáq; Græco textui conformis, clarè oſtendit diuerſos non cōſtitui à Iuſtiniano Patriarchæ & Archiepiſcopi ordines, nec diuerſa Concilia Patriarchalia & Archiepiſcopalia, nec diuerſos proinde tribunaliū gradus, ſed vnum ordinem Archiepiſcoporum & Patriarcharum, vnum Concilium ſuperiùs Metropolitico, quòd Archiepiſcopale, Exarchicum, Patriarcharum dicatur; vnum iuriſdictionis graduū Archiepiſcopi & Patriarchæ; adeò vt nec ab vno ad alium prouocetur; nec optio ſit, aut hunc aut illum pro ſententia obtinenda adire. *Quia verò*, habet hæc verſio, *quod à ſacris dictum eſt Canonibus de ſanctiſſimis Epiſcoporum Synodis, quæ per ſingulas celebrari debent prouincias, huc vſque obſeruatū non eſt, maximè neceſſarium fuerit, ad rectam id denuò viam reducere. Ac ſancti quidem Apoſtoli & Patres definierunt, vt bis per ſingulos annos religioſiſſimorum ſacerdotum, ſeu Epiſcoporum in quaque prouincia celebrarentur Synodi, & quæ ſuppullularent, examinarentur, potirentúrque competenti correctione, hoc eſt, alterà quidem quartà ferià S. Pentecoſtes, alterà vero in menſe Septembri. Nos autem cùm ex huiuſmodi negligentia multos variis implicatos peccatis inuenerimus: iubemus vt omnibus modis in quacumque prouincia per ſingulos annos, vel in menſe Iulio, vel in menſe Septembri vna Synodus celebretur: coëántque in vnum apud beatiſſimos quidem Patriarchas illi qui ab iis ordinantur, neque ius habent alios ordinare Epiſcopos: apud religioſiſſimos vero cuiuſque prouinciæ Metropolitanos hi qui ab ipſis ordinantur: quo magis motæ cauſæ, & quæ ab aliquibus denuntiantur, vel occaſione fidei, vel Canonicarum quæſtionum, vel adminiſtrationis rerum Eccleſiaſticarum, vel de Epiſcopis, Presbyteris, aut Diaconis, aut aliis Clericis, vel de Monaſteriorum Præſulibus, aut Monachis, vel de reprehenſibili vita, aut aliis quæ correctionem deſiderant, agitentur iuxtà & conuenienter examinentur, vt correctio iis adhibeatur, quæ ſacris Canonibus & noſtris conueniat legibus.* Conſentit omninò hæc explicatio Grçco textui, & longè eſt clarior quàm præcedens, præterquàm quòd tam textui quàm verſioni particula negatiua infœliciter irrepſit, vbi *conuenire* ſtatuit *apud beatiſſimos Patriarchas illos qui ab ipſo ordinati ſunt, & qui non habent ius alios Epiſcopos ordinandi*, Græcè συνιέναι παρὰ μὲν τοῖς μακαριωτάτοις Πατριάρχαις ἐκείνους τοὺς παρ' αὐτῶν μὲν καὶ χειροτονουμένους, μὴ ἔχοντας δὲ ἐξουσίαν ἄλλους ἐπισκόπους χειροτονεῖν. delenda eſt particula negatiua μὴ, & à verſione Latina particula *non*, quâ ſtante Conſtitutionis Iuſtinianæ nullus commodus ſenſus excogitari poteſt: quâ expunctâ apertiſſimè duo nobis genera Conciliorum præcepta ſignificantur, vnum Metropolitanorum, quos à Patriarcha Conſtantinop. Concilium Chalcedonenſe Can. 28. voluit ordinari in totis Diœceſibus, Aſiana, Pontica, & Thracica, qui quidem inferiores ſe Epiſcopos ius habent ordinandi: & ij conueniunt apud Patriarcham: cuiuſmodi ſunt Concilia Conſtantinopolitana habita à Gennadio tempore Leonis Imp. ác Mennâ tempore Iuſtiniani, & alia paſſim relata libris ſententiarum Synodalium in iure Græco-Romano Leunclauij: alia verò Epiſcoporum apud Metropolitanum ſuum, à quo ordinantur: illorum primum vocatur Exarchicum, alterum Prouinciale: in alterutro cauſas omnes diſcuti mandat. Eúmque ſenſum legis eſſe indicat Photius tit. 8. cap. 8. Nomocanonis, nimirùm συνόδους τῶν μητροπολιτῶν παρὰ τοῖς Πατριάρχαις, καὶ τῶν ἐπισκόπων παρὰ τοῖς μητροπολίταις, *Synodos Metropolitanorum apud Patriarchas, & Epiſcoporum apud Metropolitanos* cogendas eſſe. Ex qua proinde Iuſtiniani Conſtitutione hęc deducimus.

1. Conſueuiſſe duntaxat in Orientali Eccleſia duo genera Conciliorum celebrari, quædam à Patriarchis Metropolitanorum totius Patriarchatus ſui; alia à Metropolitanis Epiſcoporum totius ſuæ prouinciæ; nulla verò numerari Concilia, quæ à Primatibus inferioribus dignitate Patriarchis, ſuperioribus verò auctoritate Metropolitanis cogerentur; ac proinde non ſimul iſta ſubſtitiſſe, Patriarcham Conſtantinop. in Diœceſibus, Pontica, Aſiana, & Thracica, conſueuiſſe Concilia Patriarchalia cōgregare, & Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopū in Diœceſi Pontica: Epheſinū in Diœceſi Aſiana, Heracleenſem in Diœceſi Thracica ius conuocandi Concilia retinuiſſe.

2. In Conciliis iſtis omnes controuerſias ſiue de religione, ſiue de diſciplina, ſiue de correctione & emendatione iniuriæ cuiquam illatæ fuiſſe diiudicatas. Vnde pariter concluditur in more poſitum fuiſſe, vt controuerſiæ omnes iſto tempore iuxta illam Conſtitutionem nonniſi in alterutro iſtorum Conciliorum deciderentur; Primatibus prædictis relictam duntaxat in ſuis prouinciis decidendi poteſtatem cæteris Metropolitanis communem, nullam autem per appellationem à Metropolitanis, ex

tota Diœceſi Pontica, Aſiana, vel Thracica cauſarum, totius Diœceſis cognoſcendarum ſuperiorem iiſdem Metropolitanis ipſos habuiſſe poteſtatem: quandoquidem penes Patriarcham Conſtantinopolitanum illorum Conciliorum, in quibus iſtæ controuerſiæ dirimerentur conuocandorum ius & poteſtas fuerit.

3. Coniuncta eſſe iſta habere ius conuocandi Concilij, & habere iudicandi auctoritatem: ideóq; ſicut ex prædictis Conſtit. duo tantùm genera Conciliorum ſtatuuntur; ita & duo tantùm gradus iuriſdictionis ſuperioris Epiſcopali, duóque tantùm tribunalia eriguntur vnum Metropolitani, alterum Patriarchæ; nullum tertium Primatis ſeu Archiepiſcopi inferioris Patriarchâ ſuperioris Metropolitano.

4. Coniuncta etiam eſſe illa, putà poteſtatem ordinandi & poteſtatem conuocandi Concilium, adeò vt ad eorum Concilium Epiſcopi pertinere dicantur, ad quorũ ordinationem ſpectant; eorum ſe Synodis ſiſtant, quorum iudicio & auctoritate ordinantur: vnde & conſtare illud, quòd ſi Patriarcha Conſtantinop. ius haberet conuocandi Metropolitanos omnes ex tribus prædictis Diœceſibus ad Conciliũ ſuum, eoſdem ordinandi habuiſſe poteſtatẽ; & vice verſâ illos potuiſſe ad Concilium conuocare, ſi legitimè potuit ordinare. Ex quo pariter infertur nullum mediũ ordinem eſſe Archiepiſcoporum, qui in iiſdem Diœceſibus haberent poteſtatem conuocandi Concilia in quibus & Patriarchæ illis ſuperiores ius haberent; nam vel Metropolitani in iis Diœceſibus à Patriarchis ordinabantur, vel ab Archiepiſcopis ſeu Exarchis inferioribus: ſi à Patriarchis ordinabantur, non autem ab Exarchis, Patriarcharum tantùm Conciliis ſeſe ſiſtere debebant, non Exarchorum; ſi ab Exarchis conſecrationem accipiebant, à Patriarchis ad Synodum compelli non poterant, à quibus non fuerant ordinati. Quamobrem ſi lex citata Iuſtiniani accuratè pendatur, tantùm abeſt, vt Archiepiſcoporum ſeu Primatum, qui ſuperiores eſſent Metropolitanis, inferiores autem Patriarchis, diſtinctus ab vtroque ordo concludatur, quin potiùs ordo ille nullus tempore Iuſtiniani fuiſſe oſtendatur.

5. Nec prædicto ordini Archiepiſcoporum ſtabiliendo cum poteſtate Inferiori Patriarchali, & inferiori Metropolitanâ, fauet caput 5. Nou. 137. quin potiùs illi videtur repugnare: verba Conſtitutionis hæc ſunt, *Et ſi quidem Epiſcopus eſt is, qui accuſatus eſt, eius Metropolitanus examinet ea quæ dicta ſunt; ſi verò Metropolitanus ſit, eius beatiſſimus Archiepiſcopus ſub quo degit. Si verò Presbyter, vel Diaconus, vel alius Clericus, vel Abbas, vel Monachus, tunc ſanctiſſimus Epiſcopus, cui ſubſunt, examinet delatas huiuſmodi querelas: & cùm veritas probata fuerit, vnuſquiſque pro qualitate delicti Canonicis pœnis ſubdatur examinantis arbitrio. Hæc autem omnia obtinere volumus non ſolùm in ordinandis poſthac Epiſcopis, Clericis & Abbatibus, ſed etiam in his quibuſcumque cauſis per Canones, & noſtras leges interdictis accuſantur.*

Huius enim Conſtitutionis ſimilia ſunt conſectaria quæ præcedentis: putà tribunalia duntaxat iſta fuiſſe, in quibus primo iudicio cauſæ omnes Eccleſiaſticarum perſonarum diſcuterentur; Metropolitanos ab Archiepiſcopis ſeu Patriarchis, ſub quibus degunt, ordinatos, nonniſi ab iis iudicari debere: Epiſcopos, nonniſi à Metropolitanis ſuis, à quibus conſecrantur: Preſbyteros, ac cæteros Clericos, & Monachos ab Epiſcopis, à quibus vel conſecrantur, vel admittuntur; apud eoſdem accuſari perſonas Eccleſiaſticas iam ordinatas, vt repellantur à ſuo gradu, apud quos accuſantur, ne ordinationem ſuſcipiant. Quæ Conſtitutio Canonibus 9 & 17. Concilij Chalcedonenſis derogat: nam prædicti Canones optionem relinquunt accuſandi Metropolitanos, vel coram Primate Diœceſeos, putà coram aliquo ex tribus in ditione Conſtantinopolitani Epiſcopi poſitos, nimirùm apud Epiſcopum Cæſareæ Cappadociæ, ſi Metropolitanus accuſatus eſſet Ponticæ Diœceſis; apud Epheſinum, ſi foret Aſianæ; apud Heracleeſem, ſi Thracicæ foret Diœceſis; vel apud Conſtantinopolitanæ Sedis Antiſtitem ex quacunque ex iis Diœceſibus foret: hanc autem optionem adimit Conſtitutio Imperatoris, & Metropolitanum in ius vocari duntaxat permittit, coram iſto Patriarcha, Epiſcopum coram illo Metropolitano, à quo ordinationem ſuſcepit. Quare diſtinctio adhibita Patriarchæ *abſolutè* dicti, & Patriarchæ *ſecundum quid*, ſeu *Diœceſis*, cuius eſt Metropolitanus, vel ſub quo degit, vt Patriarcha *κυρίως*, ſeu *ſimpliciter* dictus ſit Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus: Patriarcha verò Diœ-

Alia autem verſio quæ eſt Haloandri, eáq; Græco textui conformis, clarè oſtendit diuerſos non cōſtitui à Iuſtiniano Patriarchæ & Archiepiſcopi ordines, nec diuerſa Concilia Patriarchalia & Archiepiſcopalia, nec diuerſos proinde tribunaliū gradus, ſed vnum ordinem Archiepiſcoporum & Patriarcharum, vnum Concilium ſuperiùs Metropolitico, quòd Archiepiſcopale, Exarchicum, Patriarcharum dicatur; vnum iuriſdictionis graduū Archiepiſcopi & Patriarchæ; adeò vt nec ab vno ad alium prouocetur; nec optio ſit, aut hunc aut illum pro ſententia obtinenda adire. *Quia verò*, habet hæc verſio, *quod à ſacris dictum eſt Canonibus de ſanctiſſimis Epiſcoporum Synodis, quæ per ſingulas celebrari debent prouincias, huc vſque obſeruatū non eſt, maximè neceſſarium fuerit, ad rectam id denuò viam reducere. Ac ſancti quidem Apoſtoli & Patres definierunt, vt bis per ſingulos annos religioſiſſimorum ſacerdotum, ſeu Epiſcoporum in quaque prouincia celebrarentur Synodi, & quæ ſuppullularent, examinarentur, potirentúrque competenti correctione, hoc eſt, altera quidem quartâ feriâ S. Pentecoſtes, alterâ vero in menſe Septembri. Nos autem cùm ex huiuſmodi negligentia multos variis implicatos peccatis inuenerimus: iubemus vt omnibus modis in quacumque prouincia per ſingulos annos, vel in menſe Iulio, vel in menſe Septembri vna Synodus celebretur: coeántque in vnum apud beatiſſimos quidem Patriarchas illi qui ab iis ordinantur, neque ius habent alios ordinare Epiſcopos: apud religioſiſſimos vero cuiuſque prouinciæ Metropolitanos hi qui ab ipſis ordinantur: quo magis motæ cauſæ, & quæ ab aliquibus denuntiantur, vel occaſione fidei, vel Canonicarum quæſtionum, vel adminiſtrationis rerum Eccleſiaſticarum, vel de Epiſcopis, Presbyteris, aut Diaconis, aut aliis Clericis, vel de Monaſteriorum Præſulibus, aut Monachis, vel de reprehenſibili vita, aut aliis quæ correctionem deſiderant, agitentur iuxtà & conuenienter examinentur, vt correctio iis adhibeatur, quæ ſacris Canonibus & noſtris conueniat legibus.* Conſentit omninò hæc explicatio Græco textui, & longè eſt clarior quàm præcedens, præterquàm quòd tam textui quàm verſioni particula negatiua infœliciter irrepſit, vbi *conuenire* ſtatuit *apud beatiſſimos Patriarchas illos qui ab ipſo ordinati ſunt, & qui non habent ius alios Epiſcopos ordinandi*, Græcè συνιέναι παρὰ μὲν τοῖς μακαριωτάτοις Πατριάρχαις ἐκείνους τοὺς παρ' αὐτῶν μὲν καὶ χειροτονουμένους, μὴ ἔχοντας δὲ δίκαιον ἄλλους ἐπισκόπους χειροτονεῖν. delenda eſt particula negatiua μὴ, & à verſione Latina particula *non*, quâ ſtante Conſtitutionis Iuſtinianæ nullus commodus ſenſus excogitari poteſt: quâ expunctâ apertiſſimè duo nobis genera Conciliorum præcepta ſignificantur, vnum Metropolitanorum, quos à Patriarcha Conſtantinop. Concilium Chalcedonenſe Can. 28. voluit ordinari in totis Diœceſibus, Aſiana, Pontica, & Thracica, qui quidem inferiores ſe Epiſcopos ius habent ordinandi: & ij conueniunt apud Patriarcham; cuiuſmodi ſunt Concilia Conſtantinopolitana habita à Gennadio tempore Leonis Imp. ác Mennâ tempore Iuſtiniani, & alia paſſim relata libris ſententiarum Synodalium in iure Græco-Romano Leunclauij: alia verò Epiſcoporum apud Metropolitanum ſuum, à quo ordinantur: illorum primum vocatur Exarchicum, alterum Prouinciale: in alterutro cauſas omnes diſcuti mandat. Eúmque ſenſum legis eſſe indicat Photius tit. 8. cap. 8. Nomocanonis, nimirùm συνόδους τῶν μητροπολιτῶν παρὰ τοῖς Πατριάρχαις, καὶ τῶν ἐπισκόπων παρὰ τοῖς μητροπολίταις, *Synodos Metropolitanorum apud Patriarchas, & Epiſcoporum apud Metropolitanos* cogendas eſſe. Ex qua proinde Iuſtiniani Conſtitutione hęc deducimus.

1. Conſueuiſſe duntaxat in Orientali Eccleſia duo genera Conciliorum celebrari, quædam à Patriarchis Metropolitanorum totius Patriarchatus ſui; alia à Metropolitanis Epiſcoporum totius ſuæ prouinciæ; nulla verò numerari Concilia, quæ à Primatibus inferioribus dignitate Patriarchis, ſuperioribus verò auctoritate Metropolitanis cogerentur; ac proinde non ſimul iſta ſubſtitiſſe, Patriarcham Conſtantinop. in Diœceſibus, Pontica, Aſiana, & Thracica, conſueuiſſe Concilia Patriarchalia cōgregare, & Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopū in Diœceſi Pontica: Epheſinū in Diœceſi Aſiana, Heracleenſem in Diœceſi Thracica ius conuocandi Concilia retinuiſſe.

2. In Conciliis iſtis omnes controuerſias ſiue de religione, ſiue de diſciplina, ſiue de correctione & emendatione iniuriæ cuiquam illatæ fuiſſe diiudicatas. Vnde pariter concluditur in more poſitum fuiſſe, vt controuerſiæ omnes iſto tempore iuxta illam Conſtitutionem nonniſi in alterutro iſtorum Conciliorum deciderentur; Primatibus prædictis relictam duntaxat in ſuis prouinciis decidendi poteſtatem cæteris Metropolitanis communem, nullam autem per appellationem à Metropolitanis, ex

tota Diœceſi Pontica, Aſiana, vel Thracica cauſarum, totius Diœceſis cognoſcendarum ſuperiorem iiſdem Metropolitanis ipſos habuiſſe poteſtatem: quandoquidem penes Patriarcham Conſtantinopolitanum illorum Conciliorum, in quibus iſtæ controuerſiæ dirimerentur conuocandorum ius & poteſtas fuerit.

3. Coniuncta eſſe iſta habere ius conuocandi Concilij, & habere iudicandi auctoritatem: ideóq; ſicut ex prædictis Conſtit. duo tantùm genera Conciliorum ſtatuuntur; ita & duo tantùm gradus iuriſdictionis ſuperioris Epiſcopali, duóque tantùm tribunalia eriguntur vnum Metropolitani, alterum Patriarchæ; nullum tertium Primatis ſeu Archiepiſcopi inferioris Patriarchâ ſuperioris Metropolitano.

4. Coniuncta etiam eſſe illa, putà poteſtatem ordinandi & poteſtatem conuocandi Concilium, adeò vt ad eorum Concilium Epiſcopi pertinere dicantur, ad quorũ ordinationem ſpectant; eorum ſe Synodis ſiſtant, quorum iudicio & auctoritate ordinantur: vnde & conſtare illud, quòd ſi Patriarcha Conſtantinop. ius haberet conuocandi Metropolitanos omnes ex tribus prædictis Diœceſibus ad Conciliũ ſuum, eoſdem ordinandi habuiſſe poteſtatẽ; & vice versâ illos potuiſſe ad Concilium conuocare, ſi legitimè potuit ordinare. Ex quo pariter infertur nullum mediũ ordinem eſſe Archiepiſcoporum, qui in iiſdem Diœceſibus haberent poteſtatem conuocandi Concilia in quibus & Patriarchæ illis ſuperiores ius haberent; nam vel Metropolitani in iis Diœceſibus à Patriarchis ordinabantur, vel ab Archiepiſcopis ſeu Exarchis inferioribus: ſi à Patriarchis ordinabantur, non autem ab Exarchis, Patriarcharum tantùm Conciliis ſeſe ſiſtere debebanr, non Exarchorum; ſi ab Exarchis conſecrationem accipiebant, à Patriarchis ad Synodum compelli non poterant, à quibus non fuerant ordinati. Quamobrem ſi lex citata Iuſtiniani accuratè pendatur, tantùm abeſt, vt Archiepiſcoporum ſeu Primatum, qui ſuperiores eſſent Metropolitanis, inferiores autem Patriarchis, diſtinctus ab vtroque ordo concludatur, quin potiùs ordo ille nullus tempore Iuſtiniani fuiſſe oſtendatur.

5. Nec prædicto ordini Archiepiſcoporum ſtabiliendo cum poteſtate inferiori Patriarchali, & inferiori Metropolitanâ, fauet caput 5. Nou. 137. quin potiùs illi videtur repugnare: verba Conſtitutionis hæc ſunt, *Et ſi quidem Epiſcopus eſt is, qui accuſatus eſt, eius Metropolitanus examinet ea quæ dicta ſunt; ſi verò Metropolitanus ſit, eius beatiſſimus Archiepiſcopus ſub quo degit. Si verò Presbyter, vel Diaconus, vel alius Clericus, vel Abbas, vel Monachus, tunc ſanctiſſimus Epiſcopus, cui ſubſunt, examinet delatas huiuſmodi querelas: & cùm veritas probata fuerit, vnuſquiſque pro qualitate delicti Canonicis pœnis ſubdatur examinantis arbitrio. Hæc autem omnia obtinere volumus non ſolùm in ordinandis poſthac Epiſcopis, Clericis & Abbatibus, ſed etiam in his quibuſcumque cauſis per Canones, & noſtras leges interdictis accuſantur.*

Huius enim Conſtitutionis ſimilia ſunt conſectaria quæ præcedentis: putà tribunalia duntaxat iſta fuiſſe, in quibus primo iudicio cauſæ omnes Eccleſiaſticarum perſonarum diſcuterentur; Metropolitanos ab Archiepiſcopis ſeu Patriarchis, ſub quibus degunt, ordinatos, nonniſi ab iis iudicari debere: Epiſcopos, nonniſi à Metropolitanis ſuis, à quibus conſecrantur: Presbyteros, ac cæteros Clericos, & Monachos ab Epiſcopis, à quibus vel conſecrantur, vel admittuntur; apud eoſdem accuſari perſonas Eccleſiaſticas iam ordinatas, vt repellantur à ſuo gradu, apud quos accuſantur, ne ordinationem ſuſcipiant. Quæ Conſtitutio Canonibus 9 & 17. Concilij Chalcedonenſis derogat: nam prædicti Canones optionem relinquunt accuſandi Metropolitanos, vel coram Primate Diœceſeos, putà coram aliquo ex tribus in ditione Conſtantinopolitani Epiſcopi poſitos, nimirùm apud Epiſcopum Cæſareæ Cappadociæ, ſi Metropolitanus accuſatus eſſet Ponticæ Diœceſis; apud Epheſinum, ſi foret Aſianæ; apud Heracleeſem, ſi Thracicæ foret Diœceſis; vel apud Conſtantinopolitanæ Sedis Antiſtitem ex quacunque ex iis Diœceſibus foret: hanc autem optionem adimit Conſtitutio Imperatoris, & Metropolitanum in ius vocari duntaxat permittit, coram iſto Patriarcha, Epiſcopum coram illo Metropolitano, à quo ordinationem ſuſcepit. Quare diſtinctio adhibita Patriarchæ *abſolutè* dicti, & Patriarchæ *ſecundum quid*, ſeu *Diœceſis*, cuius eſt Metropolitanus, vel ſub quo degit, vt Patriarcha *κυρίως*, ſeu *ſimpliciter* dictus ſit Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus: Patriarcha verò Diœ-

Alia autem verſio quæ eſt Haloandri, eáq; Græco textui conformis, clarè oſtendit diuerſos non cõſtitui à Iuſtiniano Patriarchæ & Archiepiſcopi ordines, nec diuerſa Concilia Patriarchalia & Archiepiſcopalia, nec diuerſos proinde tribunaliũ gradus, ſed vnum ordinem Archiepiſcoporum & Patriarcharum, vnum Concilium ſuperius Metropolitico, quòd Archiepiſcopale, Exarchicum, Patriarcharum dicatur; vnum iuriſdictionis graduũ Archiepiſcopi & Patriarchæ; adeò vt nec ab vno ad alium prouocetur; nec optio ſit, aut hunc aut illum pro ſententia obtinenda adire. *Quia verò*, habet hæc verſio, *quod à ſacris dictum eſt Canonibus de ſanctiſſimis Epiſcoporum Synodis, quæ per ſingulas celebrari debent prouincias, hut vſque obſeruatũ non eſt, maximè neceſſarium fuerit, ad rectam id denuò viam reducere. Ac ſancti quidem Apoſtoli & Patres definierunt, vt bis per ſingulos annos religioſiſſimorum ſacerdotum, ſeu Epiſcoporum in quaque prouincia celebrarentur Synodi, & quæ ſuppullularent, examinarentur, potirentúrque competenti correctione, hoc eſt, alterá quidem quartá feriá S. Pentecoſtes, alterá vero in menſe Septembri. Nos autem cùm ex huiuſmodi negligentia multos variis implicatos peccatis inuenerimus: iubemus vt omnibus modis in quacumque prouincia per ſingulos annos, vel in menſe Iulio, vel in menſe Septembri vna Synodus celebretur: coeántque in vnum apud beatiſſimos quidem Patriarchas illi qui ab iis ordinantur, neque ius habent alios ordinare Epiſcopos: apud religioſiſſimos vero cuiuſque prouinciæ Metropolitanos hi qui ab ipſis ordinantur: quo magis motæ cauſæ, & quæ ab aliquibus denuntiantur, vel occaſione fidei, vel Canonicarum quæſtionum, vel adminiſtrationis rerum Eccleſiaſticarum, vel de Epiſcopis, Presbyteris, aut Diaconis, aut aliis Clericis, vel de Monaſteriorum Præſulibus, aut Monachis, vel de reprehenſibili vita, aut aliis quæ correctionem deſiderant, agitentur iuxtà & conuenienter examinentur, vt correctio iis adhibeatur, quæ ſacris Canonibus & noſtris conueniat legibus.* Conſentit omninò hæc explicatio Greco textui, & longè eſt clarior quàm præcedens, præterquàm quòd tam textui quàm verſioni particula negatiua infœliciter irrepſit, vbi *conuenire* ſtatuit *apud beatiſſimos Patriarchas illos qui ab ipſo ordinati ſunt, & qui non habent ius alios Epiſcopos ordinandi*, Græcè *συνιέναι παρὰ μὲν τοῖς μακαριωτάτοις Πατριάρχαις ἐκείνους τοὺς παρ' αὐτῶν μὲν καὶ χειροτονουμένους, μὴ ἔχοντας δὲ ἐξουσίαν ἄλλους ἐπισκόπους χειροτονεῖν.* delenda eſt particula negatiua *μὴ*, & à verſione Latina particula *non*, quâ ſtante Conſtitutionis Iuſtinianæ nullus commodus ſenſus excogitari poteſt: quâ expunctâ apertiſſimè duo nobis genera Conciliorum præcepta ſignificantur, vnum Metropolitanorum, quos à Patriarcha Conſtantinop. Concilium Chalcedonenſe Can. 28. voluit ordinari in totis Diœceſibus, Aſiana, Pontica, & Thracica, qui quidem inferiores ſe Epiſcopos ius habent ordinandi: & ij conueniunt apud Patriarcham: cuiuſmodi ſunt Concilia Conſtantinopolitana habita à Gennadio tempore Leonis Imp. ác Mennâ tempore Iuſtiniani, & alia paſſim relata libris ſententiarum Synodalium in iure Græco-Romano Leunclauij: alia verò Epiſcoporum apud Metropolitanum ſuum, à quo ordinantur: illorum primum vocatur Exarchicum, alterum Prouinciale: in alterutro cauſas omnes diſcuti mandat. Eúmque ſenſum legis eſſe indicat Photius tit. 8. cap. 8. Nomocanonis, nimirùm *συνόδους τῶν μητροπολιτῶν παρὰ τοῖς Πατριάρχαις, καὶ τῶν ἐπισκόπων παρὰ τοῖς μητροπολίταις, Synodos Metropolitanorum apud Patriarchas, & Epiſcoporum apud Metropolitanos* cogendas eſſe. Ex qua proinde Iuſtiniani Conſtitutione hęc deducimus.

1. Conſueuiſſe duntaxat in Orientali Eccleſia duo genera Conciliorum celebrari, quædam à Patriarchis Metropolitanorum totius Patriarchatus ſui; alia à Metropolitanis Epiſcoporum totius ſuæ prouinciæ; nulla verò numerari Concilia, quæ à Primatibus inferioribus dignitate Patriarchis, ſuperioribus verò auctoritate Metropolitanis cogerentur; ac proinde non ſimul iſta ſubſtitiſſe, Patriarcham Conſtantinop. in Diœceſibus, Pontica, Aſiana, & Thracica, conſueuiſſe Concilia Patriarchalia cõgregare, & Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopũ in Diœceſi Pontica: Epheſinũ in Diœceſi Aſiana, Heracleenſem in Diœceſi Thracica ius conuocandi Concilia retinuiſſe.

2. In Conciliis iſtis omnes controuerſias ſiue de religione, ſiue de diſciplina, ſiue de correctione & emendatione iniuriæ cuiquam illatæ fuiſſe diiudicatas. Vnde pariter concluditur in more poſitum fuiſſe, vt controuerſiæ omnes iſto tempore iuxta illam Conſtitutionem nonniſi in alterutro iſtorum Conciliorum deciderentur; Primatibus prædictis relictam duntaxat in ſuis prouinciis decidendi poteſtatem cæteris Metropolitanis communem, nullam autem per appellationem à Metropolitanis, ex

tota Diœceſi Pontica, Aſiana, vel Thracica cauſarum, totius Diœceſis cognoſcendarum ſuperiorem iiſdem Metropolitanis ipſos habuiſſe poteſtatem: quandoquidem penes Patriarcham Conſtantinopoliranum illorum Conciliorum, in quibus iſtæ controuerſiæ dirimerentur conuocandorum ius & poteſtas fuerit.

3. Coniuncta eſſe iſta habere ius conuocandi Concilij, & habere iudicandi auctoritatem: ideóq; ſicut ex prædictis Conſtit. duo tantùm genera Conciliorum ſtatuuntur; ita & duo tantùm gradus iuriſdictionis ſuperioris Epiſcopali, duóque tantùm tribunalia eriguntur vnum Metropolitani, alterum Patriarchæ; nullum tertium Primatis ſeu Archiepiſcopi inferioris Patriarchâ ſuperioris Metropolitano.

4. Coniuncta etiam eſſe illa, putà poteſtatem ordinandi & poteſtatem conuocandi Concilium, adeò vt ad eorum Concilium Epiſcopi pertinere dicantur, ad quorũ ordinationem ſpectant; eorum ſe Synodis ſiſtant, quorum iudicio & auctoritate ordinantur: vnde & conſtare illud, quòd ſi Patriarcha Conſtantinop. ius haberet conuocandi Metropolitanos omnes ex tribus prædictis Diœceſibus ad Conciliũ ſuum, eoſdem ordinandi habuiſſe poteſtatẽ; & vice verſâ illos potuiſſe ad Concilium conuocare, ſi legitimè potuit ordinare. Ex quo pariter infertur nullum mediũ ordinem eſſe Archiepiſcoporum, qui in iiſdem Diœceſibus haberent poteſtatem conuocandi Concilia in quibus & Patriarchæ illis ſuperiores ius haberent; nam vel Metropolitani in iis Diœceſibus à Patriarchis ordinabantur, vel ab Archiepiſcopis ſeu Exarchis inferioribus: ſi à Patriarchis ordinabantur, non autem ab Exarchis, Patriarcharum tantùm Conciliis ſeſe ſiſtere debebant, non Exarchorum; ſi ab Exarchis conſecrationem accipiebant, à Patriarchis ad Synodum compelli non poterant, à quibus non fuerant ordinati. Quamobrem ſi lex citata Iuſtiniani accuratè pendatur, tantùm abeſt, vt Archiepiſcoporum ſeu Primatnm, qui ſuperiores eſſent Metropolitanis, inferiores autem Patriarchis, diſtinctus ab vtroque ordo concludatur, quin potiùs ordo ille nullus tempore Iuſtiniani fuiſſe oſtendatur.

5. Nec prædicto ordini Archiepiſcoporum ſtabiliendo cum poteſtate inferiori Patriarchali, & inferiori Metropolitanâ, fauet caput 5. Nou. 137. quin potiùs illi videtur repugnare: verba Conſtitutionis hæc ſunt, *Et ſi quidem Epiſcopus eſt is, qui accuſatus eſt, eius Metropolitanus examinet ea quæ dicta ſunt; ſi verò Metropolitanus ſit, eius beatiſſimus Archiepiſcopus ſub quo degit. Si verò Presbyter, vel Diaconus, vel alius Clericus, vel Abbas, vel Monachus, tunc ſanctiſſimus Epiſcopus, cui ſubſunt, examinet delatas huiuſmodi querelas: & cùm veritas probata fuerit, vnuſquiſque pro qualitate delicti Canonicis pœnis ſubdatur examinantis arbitrio. Hæc autem omnia obtinere volumus non ſolùm in ordinandis poſthac Epiſcopis, Clericis & Abbatibus, ſed etiam in his quibuſcumque cauſis per Canones, & noſtras leges interdictis accuſantur.*

Huius enim Conſtitutionis ſimilia ſunt conſectaria quæ præcedentis: putà tribunalia duntaxat iſta fuiſſe, in quibus primo iudicio cauſæ omnes Eccleſiaſticarum perſonarum diſcuterentur; Metropolitanos ab Archiepiſcopis ſeu Patriarchis, ſub quibus degunt, ordinatos, nonniſi ab iis iudicari debere: Epiſcopos, nonniſi à Metropolitanis ſuis, à quibus conſecrantur: Preſbyteros, ac cæteros Clericos, & Monachos ab Epiſcopis, à quibus vel conſecrantur, vel admittuntur; apud eoſdem accuſari perſonas Eccleſiaſticas iam ordinatas, vt repellantur à ſuo gradu, apud quos accuſantur, ne ordinationem ſuſcipiant. Quæ Conſtitutio Canonibus 9 & 17. Concilij Chalcedonenſis derogat: nam prædicti Canones optionem relinquunt accuſandi Metropoliranos, vel coram Primate Diœceſeos, putà coram aliquo ex tribus in ditione Conſtantinopolitani Epiſcopi poſitos, nimirùm apud Epiſcopum Cæſareæ Cappadociæ, ſi Metropoliranus accuſatus eſſet Ponticæ Diœceſis; apud Epheſinum, ſi foret Aſianæ; apud Heracleeſem, ſi Thracicæ foret Diœceſis; vel apud Conſtantinopolitanæ Sedis Antiſtitem ex quacunque ex iis Diœceſibus foret: hanc autem optionem adimit Conſtitutio Imperatoris, & Metropolitanum in ius vocari duntaxat permittit, coram iſto Patriarcha, Epiſcopum coram illo Metropolitano, à quo ordinationem ſuſcepit. Quare diſtinctio adhibita Patriarchæ *abſolutè* dicti, & Patriarchæ *ſecundum quid*, ſeu *Diœceſis*, cuius eſt Metropolitanus, vel ſub quo degit, vt Patriarcha *κυρίως*, ſeu *ſimpliciter* dictus ſit Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus: Patriarcha verò Diœ-

tota Diœceſi Pontica, Aſiana, vel Thracica cauſarum, totius Diœceſis cognoſcendarum ſuperiorem iiſdem Metropolitanis ipſos habuiſſe poteſtatem: quandoquidem penes Patriarcham Conſtantinopolitanum illorum Conciliorum, in quibus iſtæ controuerſiæ dirimerentur conuocandorum ius & poteſtas fuerit.

3. Coniuncta eſſe iſta habere ius conuocandi Concilij, & habere iudicandi auctoritatem: ideóq; ſicut ex prædictis Conſtit. duo tantùm genera Conciliorum ſtatuuntur; ita & duo tantùm gradus iuriſdictionis ſuperioris Epiſcopali, duóque tantùm tribunalia eriguntur vnum Metropolitani, alterum Patriarchæ; nullum tertium Primatis ſeu Archiepiſcopi inferioris Patriarchâ ſuperioris Metropolitano.

4. Coniuncta etiam eſſe illa, putà poteſtatem ordinandi & poteſtatem conuocandi Concilium, adeò vt ad eorum Concilium Epiſcopi pertinere dicantur, ad quorũ ordinationem ſpectant; eorum ſe Synodis ſiſtant, quorum iudicio & auctoritate ordinantur: vnde & conſtare illud, quòd ſi Patriarcha Conſtantinop. ius haberet conuocandi Metropolitanos omnes ex tribus prædictis Diœceſibus ad Conciliũ ſuum, eoſdem ordinandi habuiſſe poteſtatẽ; & vice versâ illos potuiſſe ad Concilium conuocare, ſi legitimè potuit ordinare. Ex quo pariter infertur nullum mediũ ordinem eſſe Archiepiſcoporum, qui in iiſdem Diœceſibus haberent poteſtatem conuocandi Concilia inquibus & Patriarchæ illis ſuperiores ius haberent; nam vel Metropolitani in iis Diœceſibus à Patriarchis ordinabantur, vel ab Archiepiſcopis ſeu Exarchis inferioribus: ſi à Patriarchis ordinabantur, non autem ab Exarchis, Patriarcharum tantùm Conciliis ſeſe ſiſtere debebant, non Exarchorum; ſi ab Exarchis conſecrationem accipiebant, à Patriarchis ad Synodum compelli non poterant, à quibus non fuerant ordinati. Quamobrem ſi lex citata Iuſtiniani accuratè pendatur, tantùm abeſt, vt Archiepiſcoporum ſeu Primatum, qui ſuperiores eſſent Metropolitanis, inferiores autem Patriarchis, diſtinctus ab vtroque ordo concludatur, quin potiùs ordo ille nullus tempore Iuſtiniani fuiſſe oſtendatur.

5. Nec prædicto ordini Archiepiſcoporum ſtabiliendo cum poteſtate inferiori Patriarchali, & inferiori Metropolitanâ, fauet caput 5. Nou. 137. quin potiùs illi videtur repugnare: verba Conſtitutionis hæc ſunt, *Et ſi quidem Epiſcopus eſt is, qui accuſatus eſt, eius Metropolitanus examinet ea quæ dicta ſunt; ſi verò Metropolitanus ſit, eius beatiſſimus Archiepiſcopus ſub quo degit. Si verò Presbyter, vel Diaconus, vel alius Clericus, vel Abbas, vel Monachus, tunc ſanctiſſimus Epiſcopus, cui ſubſunt, examinet delatas huiuſmodi querelas: & cùm veritas probata fuerit, vnuſquiſque pro qualitate delicti Canonicis pœnis ſubdatur examinantis arbitrio. Hæc autem omnia obtinere volumus non ſolùm in ordinandis poſthac Epiſcopis, Clericis & Abbatibus, ſed etiam in his quibuſcumque cauſis per Canones, & noſtras leges interdictis accuſantur.*

Huius enim Conſtitutionis ſimilia ſunt conſectaria quæ præcedentis: putà tribunalia duntaxat iſta fuiſſe, in quibus primo iudicio cauſæ omnes Eccleſiaſticarum perſonarum diſcuterentur; Metropolitanos ab Archiepiſcopis ſeu Patriarchis, ſub quibus degunt, ordinatos, nonniſi ab iis iudicari debere: Epiſcopos, nonniſi à Metropolitanis ſuis, à quibus conſecrantur: Presbyteros, ac cæteros Clericos, & Monachos ab Epiſcopis, à quibus vel conſecrantur, vel admittuntur; apud eoſdem accuſari perſonas Eccleſiaſticas iam ordinatas, vt repellantur à ſuo gradu, apud quos accuſantur, ne ordinationem ſuſcipiant. Quæ Conſtitutio Canonibus 9 & 17. Concilij Chalcedonenſis derogat: nam prædicti Canones optionem relinquunt accuſandi Metropolitanos, vel coram Primate Diœceſeos, putà coram aliquo ex tribus in ditione Conſtantinopolitani Epiſcopi poſitos, nimirùm apud Epiſcopum Cæſareæ Cappadociæ, ſi Metropolitanus accuſatus eſſet Ponticæ Diœceſis; apud Epheſinum, ſi foret Aſianæ; apud Heracleeſem, ſi Thracicæ foret Diœceſis; vel apud Conſtantinopolitanæ Sedis Antiſtitem ex quacunque ex iis Diœceſibus foret: hanc autem optionem adimit Conſtitutio Imperatoris, & Metropolitanum in ius vocari duntaxat permittit, coram iſto Patriarcha, Epiſcopum coram illo Metropolitano; à quo ordinationem ſuſcepit. Quare diſtinctio adhibita Patriarchæ *abſolutè* dicti, & Patriarchæ *ſecundum quid*, ſeu *Diœceſis*, cuius eſt Metropolitanus, vel ſub quo degit, vt Patriarcha *κυρίως*, ſeu *ſimpliciter* dictus ſit Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus: Patriarcha verò Diœ-

ceſis ſit aliquis ex Primatibus, Heracleenſi, Epheſino, Cæſarienſi: hæc, inquam, diſtinctio non congruit menti Iuſtiniani: nam Iuſtinianus Conſtitutionibus prædictis non loquitur de ſolo Conſtantinopolitano Patriarcha, aut Metropolitanis ſolius iſtius Patriarchatus; ideóque non ſimpliciter dicit à Patriarcha Metropolitancs eſſe iudicandos, ſed ab eo Patriarcha, in cuius Diœceſi, vel ſub quo degit: ne Patriarcharum ioduceret confuſionem, & inouere videretur promiſcuè à quibuſlibet Patriarchis quoſlibet Metropolitanos poſſe iudicari: vnde quos Patriarchas Diœceſis vocat, mox eoſdem Patriarchas ſioe addito appellat, v. g. Nou. 6. cap. 3. & alibi non ſemel: paſſim autem idem Iuſtioianus quæ diſciplinæ ſunt & emendationis circa Epiſcopos à Metropolitanis, circa Metropolitanos à Patriarchis ſatagenda præſcribit, v.g. ne Epiſcopus inferioris ſedis vltra annum extra propriam Eccleſiam degat, Metropolitanorum; ne Metropolitani, Patriarcharum inſpectionis eſſe ſtatuit, Nou. 6. c. 2. oe Metropolitani ſine acceptis à Patriarcha litteris Syſtaticis, ne Epiſcopi ſine iiſdem à Metropolitano ſuo ſumptis, ad Comitatum accedant, præſcribit eiuſdem Nou. cap. 3. & Nou. 123. c. 9. & alibi: Monaſteriorum curam gerere vult Epiſcopos, Metropolitaoos, Patriarchas, Nouellæ 133. cap. 4. & 6. rerum Eccleſiæ, & redituum monumenta apud Epiſcopos, Metropolitanos, & Patriarchas fieri, Nouell. 120. cap. 6. ne Clericorum numerus plus nimiùm augeatur, Patriarcharum curam eſſe, & Metropolitanorum, Nouell. 6. & alibi.

Tres tantùm gradus iuriſdictionis ſæpè ſtatuit: oam verbi gratiâ, Nouellæ 123. cap. 23. œcooomos deceroit, Xenodochos, & cęteros, primò apud Epiſcopum proprium conueniri: ab eius ſententia ad Metropolitaoum noo ad Patriarcham Diœceſeos prouocare coocedit, prouocationem oullam aliam agnoſcit.

Tres illos duntaxat iuriſdictionis ordines agnoſcit citatis cap. 22. Nouellæ 123. & cap. 5. Nouellæ 137. Quibus etiam à Patriarcharum Diœceſis ſenteotia nullam prouocatiooem admittit; quam legem confirmauit Heraclius lege 1. lib. 2. iuris Græco-Romani. Igitur ex Iuſtiniaoo maoifeſtè refellitur diſtinctio iſta Patriarcharum Diœceſis, & Patriarcharum ſimpliciter; ratúmque ac fixum maoet in Orientali Eccleſia ſupra Epiſcopos aliquos Metropolitanos ipſius tempore agnitos fuiſſe: ſupra Metropolitanos, oonoiſi vnum geous Patriarcharum; Exarchis, qui ſuperiores eſſent Metropolitanis, & inferiores Patriarchis nullum locum eſſe, nihilque relioqui quod ab iis geri poſſit.

Quamobrem prima illa ratio, iuxta quam dici poſſet, admiſſâ poteſtate Patriarchicâ Conſtantioopolitaoi Antiſtitis ſupra tres illas Diœceſes, Thracicam, Aſianam & Pooticam, ſuperfluos non eſſe Heracleenſem in Thracica, Epheſinum in Aſiana, Cæſarieoſem in Pontica Primates, non videtur eſſe firma.

§. XLVI.

Oſtenditur Diœceſes, Thracicam, Ponticam, & Aſianam, ex æquo inter Patriarcham Conſtantinopolitanum, & Primates proprios non fuiſſe tempore Iuſtiniani diuiſas.

ALTERA expoſitio, quòd ſcilicet prædicti Primates Diœceſeon prouincias cum Patriarcha Cooſtantinopolitano partiti fuerint, ita vt prouinciæ illæ quæ Præfecto vrbis Cooſtaotioopolitanæ quoad iudicia ſubiacebant, ceſſerint Conſtantinopolitano; illæ verò, à quarum rectoribus ad Præfectum vrbis Conſtantinopolitanæ non licebat appellare, in poteſtate Primatum ſingulorum remanſerint, etiam tempore Iuſtiniaoi. Hæc, inquam, expoſitio, etſi prioribus temporibus, loquendo vt plurimùm, vera à me cenſeatur, tamen temporibus Iuſtiniani ac ſubſequentibus, ſaltem io totum noo videtur eſſe admittenda.

Primò, quia & aote decretum Coocilij Chalcedoneoſis iam Conſtantinopolis Antiſtites vſurpauerant in diuerſis prouinciis Ponticæ, & Aſiaoæ Diœceſeos, etiam iis quæ Prefecto vrbis Conſtantioopolitanæ ſubditæ non erant, Metropolitanorum ordinationem, verbi gratiâ Myrorum in Lycia, Amaſiæ in Helleſponto, Syn-

Digitized by Google

nadorum in Phrygia Pacatiana, Aphrodiſiadis in Caria, Ancyræ in Galatia, vt conſtat ex actione 16. Concilij Chalcedonenſis: ergo quamuis longiùs diſtantes Metropolitanos nondum ſibi quoad ordinationem ſubieciſſent, tamen plures ex iis prouinciis, quæ à Præfecto vrbis Conſtantinopolitanæ non dependebant, iam ſibi ſponte ſubiecerant; quæ ſubiectio, vt iam diximus, parabat eis aditum, vt eoſdem quoque deponendi, & quoquo modo corrigendi, ac eorum cauſas dirimendi poteſtatem ſibi arrogarent.

Quas autem prouincias ſibi ſubiicere incœperant, non eſt probabile eas tempore ſchiſmatis cum Romana Eccleſia per Acacium incœpti, deſeruiſſe, maximè cum Synodi Chalcedonenſis conceſſione niti viderentur, & Zenonis Imperatoris reſcripto ſuperiùs citato, lege *decernimus*, Cod. *de ſacroſanctis Eccleſiis*, quo nominatim conſultum eſt Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, *vt priuilegia & honores omnes ſuper Epiſcoporum creationibus, & iure ante alios reſidendi, & cætera omnia quæ ante ſuum imperium vel ipſo imperante habere dignoſceretur, haberet in perpetuum firmiter regiæ vrbis intuitu.*

Cuius etiam priuilegij recepti indicium eſt, quòd Eccleſiæ iſtæ omnes, vel ferè omnes ſimul cum Acacio Conſtantinopolitano, & ſequentibus Patriarchis Conſtantinopolitanis ab Eccleſia Romana, atque Occidentalibus omnibus diuulſæ fuerint; iiſdémque ad Eccleſiæ Catholicæ vnitatem redeuntibus redierint. Quamobrem cùm per reuerſionem ad Eccleſiam Catholicam nihil ipſis deperierit, nec Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ ſplendori, fauentibus Imperatoribus, & nominatim Iuſtiniano eius priuilegia confirmante, Nouellâ 131. cap. 2. derogatum aliquid fuiſſe probabile ſit; in iſtas etiam prouincias quas ſibi ſubiicere incœperat, integram auctoritatem ipſos retinuiſſe non eſt dubitandum.

Secundò, quia Iuſtinianus Ponti Polemoniaci & Helleſponti Metropolitanos in vrbe Conſtantinopolitana ordinari debere ſignificat Nouel. 28. cap. 2. *Omnes autem illæ tredecim vrbes*, inquit, *vnius ſunto prouinciæ, vt tamen neque alterutri in iis, Metropoli Amaſiæ ſcilicet, & Neocæſareæ, Metropolis nomen detrahatur: & Dei amantes earum Epiſcopi; Metropolitani quidem in hac vrbe, qui verò ſub Metropolitanis collocati ſunt, ab his qui Metropoles ſub ſua cura habent (vt hactenus in more fuit) ordinentur.* Nouel. quoque ſequenti cap. 29. Paphlagoniam, & Honoriadem prouincias vni Prætori deinceps ſubiectas eſſe decernens, *circa ſacerdotia nihil ſe innouare* admonet, *ſed Metropolitanos qui olim ſacerdotia Conſtantinopoli ſuſcipiebant, tam in eodem manſuros ordine, ipſorum ordinatione quoad locum non mutandâ, ſed ab huius almæ vrbis beatiſſimis Patriarchis ordinandos, eoſdémque ordinaturos ſub ſe poſitos Epiſcopos quos ordinabant.*

Tertiò, idem Imperator Nouel. 23. cap. 3. Epiſcopos omnes ſub Imperio ſuo complectitur, ac primo quinque Patriarchas nominat, *Senioris Romæ, & Conſtantinopoleos, & Alexandriæ, & Theopoleos, & Hieroſolymorum*, quibus Metropolitas ſubiungit, *à propria Synodo, aut à beatiſſimis Patriarchis ordinatos: deinde alios omnes Epiſcopos, qui aut à Patriarchis, aut à Metropolitis ordinantur.* Ex hac autem diſtributione diſcimus formam hierarchicam hocce tempore in Oriente præſertim ſeruatam: duóque elicimus.

Primùm, tres tantùm ordines Epiſcoporum recenſeri, quoſdam Patriarchas, eóſque quinque duntaxat maiores, Metropolitanos, & inferiorum ſedium Epiſcopos: Exarchos nullos ſeu Primates eâ conſtitutione numerari: At verò ſi viguiſſent adhuc Exarchi Diœceſeωn Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ, nulla fuiſſet ratio, cur iſti vbi de inthroniſticis ſoluendis vel non ſoluendis ageretur, prætermiſſi fuiſſent; proindéque concludendum eſt, eos, cùm à Patriarcharum numero excludantur, Metropolitanorum numero fuiſſe comprehenſos qui Epiſcopos inferiorum ſedium ordinabant, non Metropolitanos.

Alterum eadem conſtitutione demonſtrari Exarchorum Ponticæ, Aſianæ, & Thracicæ Diœceſeωn poteſtatem extinctam, quoad ordinationes fuiſſe, ſed omnes Metropolitanos, aut à propria Synodo debuiſſe ordinari, vt Salaminæ in Cypro, quem ab Antiocheni Epiſcopi poteſtate quoad ordinationem exemptum declarauit Epheſina Synodus Can. 9. vel à Patriarchis illis, nempe quinque, quos iam

euumerauerat; nullos proinde ampliùs Heracleenſi, Cæſarienſi, & Epheſino. Hoc verò iure ſublato, & Conciliorum conuocandorum poteſtas tollitur: nam cùm ex eodem Imperatore maiorum ſedium Antiſtites, eos duntaxat conuocare ad Synodum ex auctoritate potuerint, quos ipſi ordinabant, ſublato iure ordinationis conuocandorum Conciliorum prærogatiuam illo tempore ſublatam fuiſſe neceſſum eſt.

Quartò, argumentum etiam abolitæ, & extinctæ poteſtatis Exarchorum, qui ſingulis iſtis Diœceſibus Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ vel integris præeſſent, vel notabili earum parti, eſt, quòd ſi eorum poteſtas adhuc viguiſſet Imperatori Iuſtiniani tempore per eos ad Metropolitanos ipſos ſubditos leges Imperiales miſſæ, & à Metropolitanis eiſdem ſubditis ad Epiſcopos directæ fuiſſent: hic enim eſt ordo conſentaneus, quem ipſe Imperator præſcribit, Nou. 142. in epilogo *ad Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum*, quem his verbis alloquitur, *Cuſtodiat itaque beatitudo tua, quæ recte adnotata ſunt, & mittat ipſa per ſuas Deo dilectas literas omnibus ſanctiſſimis Metropolitis ſub ipſa exiſtentibus, quorum cuilibet cura erit ipſa manifeſta facere ſanctiſſimis Eccleſiis ſub ipſa ordinatis, vt neminem ex omnibus lateant, quæ ſacerdotio viſa ſunt, & ab imperio confirmata*: quibus ſimilia habentur in fine Nouellæ 5. & 55.

At verò leges Imperiales non ad alios quàm ad quatuor in Oriente Patriarchas, ſolebat Imperator dirigere, vt conſtat ex epilogo Nouellarum 6. & 67. & aliarum; in quibus notatur Autographi legis ad Conſtantinopolitanum tranſmiſſæ exemplaria ad Patriarchas Alexandriæ, Theopoleos, & Hieroſolymorum ſcripta fuiſſe.

Quintò, quia Nou. 109. c. 3. §. 4. centra communionis Eccleſiaſticæ vbique recenſet, duntaxat beatiſſimos Patriarchas, quorum nomina in Dypticis ſacris inſcripta habebantur; Exarchos prædictos his minimè annumerat, quorum tamen vnuſquiſque, ſi in poteſtate manſiſſet, maiorem vtique ditionem habebat quàm Hieroſolymorum verbi gratiâ Antiſtes: quæ ratio videtur probabiliter oſtendere tunc temporis eorum in Oriente poteſtatem deſiiſſe.

Sextò, quia, ſicut ſuprà docuimus, ordinationes Metropolitanorum in Diœceſibus Aſiana, Thracica & Pontica, omnium præterquam eorum qui αὐτοκέφαλοι dicebantur, quòd à propria Synodo ordinarentur, poteſtatem arripuiſſe Conſtantinopolitanum Patriarcham, adeò vt vix vllus idem ſupereſſet, qui ab Exarchis antiquis ordinaretur tempore Iuſtiniani, ita & prærogatiuam eoſdem Metropolitanos ad Concilium vocandi à tempore Chalcedonenſis Concilij omnibus modis ad ſe attraxiſſe Conſtantinopolitanos Antiſtites facilè eſt demonſtrare: nam verbi gratiâ libro 3. iuris Græco-Romani legitur epiſtola Synodica Gennadij Conſtantinopolitani, qui floruit ſub Leone Imperatore, non diu poſt Chalcedonenſem Synodum, *ad omnes Metropolitanos*, quibus exemplaria decreti Synodici dirigit, ad Epiſcopos tranſmittenda: ſubſcribunt autem tum ipſe primo loco; tum Ioannes Epiſcopus Metropolis Heracleæ, & ex Metropolitanis, Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ, Diœceſeon plurium, quorum ſubſcriptio, vt verum fatear, non vrget illos omnes Conſtantinopolitano iam tum ſubditos fuiſſe: quandoquidem & ex Oriente ſub Antiocheno Patriarcha conſtituti aliqui, & inferiorum ſedium Epiſcopi ſubſcribunt: ac proinde nondum obſeruatum fuiſſe ordinem ſequenti tempore præſcriptum innoteſcit, vt vel Metropolitanos ſolos vel vicinos Epiſcopos ad Synodum cogeret, ſed ad vrbem regiam quicumque occurriſſent, eos ad Synodum amicè inuitatos, non iuridicè vocatos colligitur: nihilominùs gradus hic fuit ad Synodos numeroſas congregandas ex Metropolitanis, quas poſteà ſtatutâ lege & auctoritate Patriarchicâ ab iis collectas à Schiſmaticis ex lectione hiſtoriæ Eccleſiaſticæ legimus, quibus pſeudoſynodis prætermiſſis, quæ in exemplum poſteà tractæ ſunt, Synodum congregatam legimus à Ioanne Cappadoce (quem Romanæ Eccleſiæ tempore Iuſtini reconciliatum diximus) aduerſus Seuerum, cuius acta referuntur actione 5. Synodi ſub Agapeto & Menna, cui præſentes fuiſſe Theophilum Heracleanum, Theodorum Gangrenorum, Hypatium Claudiopolitanum, Ioannem Boſphorium, Pythagoram Epiſcopum Sinopenum, & alios ex Aſiana, Pontica & Thracica Metropolitanos.

Digitized by Google

Legimus & collationem habitam Conſtantinopoli auctoritate Epiphanij Conſtantinopolitani cum Seuerianis tempore Iuſtiniani, quâ abſolutâ miſſos ad Ioannem ſecundum Romanum Pontificem, tum ab Imperatore, tum ab Epiphanio Conſtantinopolitano, Hypatium Ephesiorum, & Demetrium Cæſareæ Cappadociæ Metropolitanos tanquam Legatos; vt conſtat tum ex actis collationis, tum ex epiſtola Ioannis ſecundi, *ad Imperatorem Iuſtinianum*; quod vtique arguit exaltationem Sedis Conſtantinopolitanæ ſuper iſtos antiquos Primates ad depreſſionem eorumdem: eidem verò collationi multos ex tribus iſtis Diœceſibus interfuiſſe ex geſtis ipſius diſcere poſſumus.

Sed luculentiùs iſtud patet ex actis Conſtantinopolitani Concilij ſub Agapeto & Menna, vt vulgò inſcribitur, cùm conſtet poſt obitum Agapeti, à Menna adiuto operâ Legatorum Sedis Apoſtolicæ, quos Agapetus præmiſerat, celebratum fuiſſe. Interfuiſſe autem Concilio referuntur præter Epiſcopos ex Italia Legatos, plurimi Metropolitani ex pluribus iſtis Diœceſibus, inter quos Hypatium Metropolitanum Epheſinum, & Conſtantium Heracleæ Metropolitanum Europæ, à ſiniſtra parte legimus conſediſſe: interfuiſſe, inquam, referuntur ex iſtis Diœceſibus Metropolitani plurimi, iique ferè ſoli præter paucos Epiſcopos ex Orientis atque Illyrici Diœceſibus, qui aggregati ex occaſione dici poſſunt. Itaque iam tum quod Iuſtinianus lege ſtatuit vſu inducebatur, vt ex iſtis Diœceſibus conuocandi Metropolitanos ius haberet Epiſcopus Conſtantinopolitanus.

Hoc autem argumentum eſt auctoritatis iam inolitæ Patriarchæ Conſtantinopolitani per totas iſtas Diœceſes, quorum Metropolitanos, imò & ipſos antiquos Exarchos ad ſuum Concilium cogebat: vocatio autem ad Concilium ex prædictis, ſuperioris in aliqua prouincia vel Diœceſi poteſtatis indicium eſt: quandoquidem Epiſcopos Concilij alicuius Antiſtites dicamus qui ipſi obnoxij ſunt ac ſubiecti: Liberatus Breuiarij cap. 4. *Mandauit ergo Andreæ & Theodoro Epiſcopis Concilij ſui:* & cap. 20. *& omnes Metropolitani illic Epiſcopi cum ſuis Conciliis.*

Septimò, Iuſtini Imperatoris tempore conſtat ex epiſtola Synodi Conſtantinopolitanæ, *de ordinatione Epiphanij*, illum à Metropolitanis Diœceſeon iſtarum electum fuiſſe in Epiſcopum Conſtantinopoleos. Subſcribunt enim Theophilus Heracleenſis, tum Zicinenſium, Nicomedienſium, Rhodiorum, Nicæenſium, Claudiopolitanæ ciuitatis, Chalcedonenſis, prouinciæ Scythiæ, Iſauriæ, Eudoxiopolitanæ, Antiochenæ, Melitenæ Metropolitani, & ex prouinciis Piſidiæ, Lyciæ, Helleſponti, prouinciæ inſularum Epiſcopi: quod arguit Conſtantinopolitanum in iſtis prouinciis ius Exarchicum habuiſſe: cùm ex epiſtola Synodica Concilij Conſtantinopolitani notauerimus ab Epiſcopis præſertim Metropolitanis Diœceſis ſuæ ſolitos Patriarchas ordinari. Ac proinde oportet, vt illæ quæ antiquitùs tres erant diuerſæ Diœceſes ſub diuerſis Primatibus conſtitutæ, vnica effecta fuerit Diœceſis ſubdita Patriarchæ Conſtantinopolitano.

Octauò, probauit etiam hanc auctoritatem Exarchicam etiam in prouincia Aſianæ Diœceſeos, quæ Præfecto vrbis Conſtantinopolitanæ nullo pacto obnoxia erat, ſanctus Gregorius: nam cùm de cauſa Anaſtaſij Presbyteri Monaſterij ſancti Mile, quòd in Lycaonia eſt conſtitutum, de hæreſi accuſati, qui ad Apoſtolicam Sedem recurrerat, ageretur, nihil voluit decernere ſanctus Pontifex, antequam quid in iſta cauſa actum eſſet, à Conſtantinopolitano Antiſtite didiciſſet, vt diſces ex iis eius verbis, *ad Anaſtaſium Presbyterum de Iſauria*, vt minùs correctè ſcriptum putò, cùm *de Lycaonia* ſcribi oporteret, epiſt. vlt. lib. 6. indict. 15. *Ne quid tamen nobis ambiguum potuiſſet exiſtere, ſanctiſſimo Ioanni quondam fratri & coepiſcopo noſtro Conſtantinopolitanæ ciuitatis Antiſtiti, de te præuidimus ſcribendum, vt ſuis nos quid actum eſſet epiſtolis informaret: qui ſæpe à nobis admonitus, reſcribens innotuit Codicem apud te fuiſſe inuentum, in quo plurima continebantur hæretica, & ab hoc ſe aduerſus dilectionem tuam fuiſſe commotum.* Sententiæ quoque ſuæ poſteà datæ executionem eiuſdem regiæ ciuitatis Epiſcopo commendauit, vt conſtat ex eiuſd. Gregorij *Cyriaco Epiſcopo Conſtantinopolitano*, lib. 2. indict. 15. epiſt. 5. *Præterea Ioannem Chalcedonenſem Presbyterum, & Athanaſium Lycaoniæ ſanctitati veſtræ commendo, vt nullius vobis contra eos falſidica locutione ſubrepant, quia eorum fidem ſubtiliter diſcuſſi, eoſ-*

que rectos in ſuis confeſſionibus quæ & ſcripto datæ ſunt, inueni. Iis adde ſub Imperatoribus Iconomachis in odium Eccleſiæ Romanæ totam Diœceſim Illyricam Theſſalonicenſi Vicario Sedis Apoſtolicæ ſubditam, Siciliam totam, Calabriæ & Apuliæ prouincias à Romanæ Eccleſiæ throno Patriarchali auulſas; itémque & Seleucienſem in Pamphylia integram Metropolim, cum tredecim Epiſcopatibus ab Antiochena Sede diſtractam Conſtantinopolitanum Patriarcham ſuffuratum fuiſſe: quod vtique exploratum habebis ex Notitia Leonis Sapientis, Balſamonis Scholiis in Can. 2. Conſtantinopolitani I. Concilij, & aliis. Ignatium ſanctiſſimum virum, tamen cum Romanis Pontificibus pro Bulgaria, quæ ſita erat in Illyrica Diœceſi, contendiſſe, eúmque lapidem Photium quoque verſaſſe conſtat teſtimoniis Nicetæ in vita Ignatij, necnon ex actis octauæ Synodi, & epiſtolis ſummorum Pontificum, Nicolai I. & Adriani II. Metropoles Diœceſeωn Thracicæ, Aſianæ, & Ponticæ etiam remotiores ſimul cum ipſis ſedibus, quæ antiquitùs Exarchicæ erant, putà Epheſi, Cæſareæ Cappadociæ, & Heracleæ Thracicæ referri inter thronos Eccleſiarum Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubditos, in Notitia Leonis Sapientis lib. 2. iuris Græco-Romani apud Leunclauium. Denique Zonaram & Balſamonem, vt ſuperiùs notauimus, teſtari ſuo tempore nullam Exarchicam poteſtatem iſtis ſedibus relictam. Ex quibus omnibus progreſſus Patriarchæ Conſtantinopolitani oſtenditur, qui ex ambitione profectus non diſſimiles peperit, hæreſes ſcilicet, & Eccleſiæ Catholicæ ſciſſuras; quæ mala vltus Deus & Imperium Orientis perdidit, & Tyrannidi Mahumetanorum mancipauit. Sed hæc non moramur.

§. XLVII.

Argumenta prolata ſuperiùs ad prædictarum Diœceſeωn partitionem probandam, diſcutiuntur.

SVFFICIAT obſeruare his & aliis rationibus, quæ huc congeri poſſent, efficaciter, niſi fallor, concludi tempore Iuſtiniani Imperatoris, & ſequentibus temporibus Patriarchatum Conſtantinopolitanum omnes prouincias vel ferè omnes, paucis ſcilicet fortè exceptis, quarum vix haberi deberet ratio, trium Diœceſeωn, Aſianæ, Ponticæ, Thracicæ complexum fuiſſe, adeò vt Exarchica poteſtas antiquis earum Exarchis Cæſareæ Cappadociæ, Heracleæ Thraciæ, & Epheſi omninò deleta & abolita fuerit, vel potiſſimis ac pluribus prouinciis truncata ac mutilata, vnâ ferè aut alterâ in obſequio fortè remanente: ipſóſque in poteſtate Conſtantinopolitani Antiſtitis fuiſſe: ab eo ipſos ordinatos & depoſitos extitiſſe. Neque argumenta in contrariam partem ſuperiùs adducta aſſertionem iſtam labefactant.

Primum enim tantùm abeſt vt eandem conuellat, quin ne concutiat quidem, ſed potiùs adſtruat. Si enim æmulari per omnia voluit Conſtantinopolis Romanæ Patriarchalis poteſtatis amplitudinem, cùm certum ſit illam etiam extra ſuburbicarias, ſeu Præfecto vrbis Romæ ſubditas prouincias extendi, licèt eas ſingulari quadam auctoritate, & prouidentiâ per ſe regeret, quæ ſuburbicariæ erant, alias verò per Vicarios ſedis ſuæ, aut per Metropolitanos αὐτοκεφάλους adminiſtraret, Conſtantinopolitanum quoque Patriarchatum extra prouincias vrbis Conſtantinopolitanæ ſuburbicarias, Præfecto ſcilicet vrbis Conſtantinopolitanæ nullatenus obnoxias, extenſam fuiſſe colligemus, tantùm abeſt, vt intra illas prouincias coarctatum inferamus.

Vnde & ſoluitur ſecundum argumentum, nam ex prouinciis ſuburbicariis vtpote vicinioribus, ideò videmus Epiſcopos ad Synodos ſæpiùs euocatos, quia viciniores erant. Ideò ordinationis Metropolitanorum ex iſtis prouinciis in vrbe Conſtantinopolis ab Epiſcopis vrbis regiæ plura exempla ſuperſunt, quia & iſtas prouincias priùs in ſuam poteſtatem redegit, quàm cæteras: & vbi has quoque redegit, probabile eſt exemiſſe Metropolitanos remotiorum prouinciarum ab hoc onere veniendi Conſtantinopolim, & ab antiquis Exarchis, vel à Synodis prouin-

ciæ permiſiſſe illos commiſsâ ſibi poteſtate ordinari. Nihilominùs & aliqua, vt ſuprà demonſtrauimus exempla ſupereſſe, & Metropolitanorum prouinciarum remotiorum Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ, paucis duntaxat exceptis, tum ordinatorum à Conſtantinopolitano antiſtite, tum ad Synodos Conſtantinopolitanas euocatorum.

Tertium, vel non probat Lyciam, & Lycaoniam eximi earum numero, quæ ſub Patriarchica Sede Conſtantinopoleos conſtitutæ erant, & quorum Metropolitani ab ea ſede ordinantur, ſed duntaxat ſingularem aliquam rationem earum prouinciarum fuiſſe, ob quam vbi de alienatione & emphyteuſi bonorum Eccleſiæ ageretur exprimi deberent: vel certè tantùm oſtendit prouincias iſtas in aliquo à Patriarchica Sede Conſtantinopoleos immunes fuiſſe: vt quod à Synodis vel Epheſino Antiſtite, vt Vicario Sedis Conſtantinopolitanæ ordinarentur: licèt ab Eccleſia Conſtantinopolitana leges acciperent, & ad Synodos Patriarchæ Conſtantinop. Antiſtitis, eorum Metropolitani ex more conuenirent, & lites ex iis prouinciis per appellationem ad ſedem iſtam deferrentur, quemadmodum exemplis ſuperiùs allatis demonſtratum eſt. Porrò nec in Græco textu Patriarcha Conſtantinopolitanus dicitur, *Conſtantinopolis, & vniuerſi illius tractus Patriarcha*, ſed οἰκουμενικὸς Πατριάρχης, *œcumenicus Patriarcha*: & verba allata verſionis poſſunt æquè totam ditionem Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubditam ſignificare, ac vicinas prouincias.

Quartum denique argumentum probat duntaxat Conſtantinopolitanum Patriarcham, qui Imperatoriarum non Eccleſiaſticarum legum vigore Diœceſes Aſianam, Ponticam, & Thracicam, ſibi vendicarat, extra Romanum Imperium non potuiſſe eodem iure perfrui: ac proinde remanſiſſe penes Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum antiquam prærogatiuam ordinandi Catholicum magnæ Armeniæ extra Imperium Rom. ſitæ. Quin etiam cùm Iuſtinianus magnæ Armeniæ olim ſub Barbaris Principibus gubernatæ, partem Romano Imperio deuictis Barbaris finitimis ſubieciſſet, & Armeniis, quæ anteà Romano Imperio ſubdebantur, in tres prouincias diuiſis, quartam adieciſſet, vt patet ex lege vlt. Cod. *de Offic. Magiſt. militum*, & Nouell. 21. cap. 1. & præfatione vigeſimæ-octauæ; tamen, ne illam quidam Armeniam quartam Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubditam euaſiſſe colligimus ex capite ſecundo eiuſdem Nouellæ: nam addit quidem Iuſtinianus, *Quæ ad ſacerdotalia ſpectant in Armeniis ea ſe velle in priſtina manere forma, negotio ipſo, neque circa ius Metropoliticum, neque circa ordinationes vel mutationem, vel nouationem ſuſcipiente, ſed priùs ordinatis, nunc quoque ordinationis auctoritatem obtinentibus; & prioribus item Metropolitanis in ſuo permanentibus ordine, vt quantum ad ipſa nihil penitùs innouetur.* Neque verò quòd Nou. 28. *de prouinciis Helenoponti, & Ponti Polemoniaci*, & 29. *de prouinciis Paphlagoniæ & Honoriadis* ſtatuerat, vt earum Metropolitani à Patriarcha vrbis Conſtantinopolitanæ ordinarentur: non, inquam, hoc de Metropolitanis Armeniarum ſtatuit, ſed tantùm vt antiqua conſuetudo ſeruaretur: ſcilicet hoc indicat, non eandem conſuetudinem circa Metropolitanorum Armeniæ ſaltem aliquos viguiſſe illius tempore, quæ circa prædictarum prouinciarum Metropolitanos.

Idipſum etiam conſtat ex veteri Notitia Græca deſcripta tempore Photij, in qua de magna Armenia hæc notantur, χρὴ εἰδέναι ὅτι αὐτὴ αὐτοκέφαλός ἐστι, μὴ τελοῦσα ὑπὸ ἀποστολικὸν θρόνον, ἀλλὰ τιμηθεῖσα διὰ τὸν ἅγιον Γρηγόριον Ἀρμενίας, ἔχουσα πόλεις καὶ κάστρα σ'. *Scire oportet hanc prouinciam eſſe ſui iuris, minimèque ſubditam Apoſtolicæ Sedi*, (Conſtantinopolitanæ) *ſed honorari tamen intuitu ſancti Gregorij Armeniæ Epiſcopi, & præeſſe ducentis vrbibus & caſtris.* Huc refer in Notitia Leonis Sapientis Metropoles quatuor Armeniæ referri ſubditas Patriarchæ Conſtantinopolitanæ, Sebaſteæ, Melitanæ, Camachij, & Coloniæ, cui vltimæ nulla ſubſit Epiſcopalis Sedes, à Nicone referri Armenorum Catholicum ab eo tempore, quo ab auitis inſtitutis deſciuerunt, magnum eorum Catholicum ſeu Metropolitanum à Syriæ Amerano ordinationem ſuſcepiſſe. Hæc omnia varias in his prouinciis immutationes factas oſtendunt. Nos iſta omnia perſequi non eſt neceſſe.

que rectos in ſuis confeſsionibus quæ & ſcripto datæ ſunt, inueni. Iis adde ſub Imperatoribus Iconomachis in odium Eccleſiæ Romanæ totam Diœceſim Illyricam Theſſalonicenſi Vicario Sedis Apoſtolicæ ſubditam, Siciliam totam, Calabriæ & Apuliæ prouincias à Romanæ Eccleſiæ throno Patriarchali auulſas; Itémque & Seleucienſem in Pamphylia integram Metropolim, cum tredecim Epiſcopatibus ab Antiochena Sede diſtractam Conſtantinopolitanum Patriarcham ſuffuratum fuiſſe: quod vtique exploratum habebis ex Notitia Leonis Sapientis, Balſamonis Scholiis in Can. 2. Conſtantinopolitani I. Concilij, & aliis. Ignatium ſanctiſſimum virum, tamen cum Romanis Pontificibus pro Bulgaria, quæ ſita erat in Illyrica Diœceſi, contendiſſe, eúmque lapidem Photium quoque verſaſſe conſtat teſtimoniis Nicetæ in vita Ignatij, necnon ex actis octauæ Synodi, & epiſtolis ſummorum Pontificum, Nicolai I. & Adriani II. Metropoles Diœceſeωn Thracicæ, Aſianæ, & Ponticæ etiam remotiores ſimul cum ipſis ſedibus, quæ antiquitùs Exarchicæ erant, putà Epheſi, Cæſareæ Cappadociæ, & Heracleæ Thracicæ referri inter thronos Eccleſiarum Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubditos, in Notitia Leonis Sapientis lib. 2. iuris Græco-Romani apud Leunclauium. Denique Zonaram & Balſamonem, vt ſuperiùs notauimus, teſtari ſuo tempore nullam Exarchicam poteſtatem iſtis ſedibus relictam. Ex quibus omnibus progreſſus Patriarchæ Conſtantinopolitani oſtenditur, qui ex ambitione profectus non diſſimiles peperit, hæreſes ſcilicet, & Eccleſiæ Catholicæ ſciſſuras; quæ mala vltus Deus & Imperium Orientis perdidit, & Tyrannidi Mahumetanorum mancipauit. Sed hæc non moramur.

§. XLVII.

Argumenta prolata ſuperiùs ad prædictarum Diœceſeωn partitionem probandam, diſcutiuntur.

SVFFICIAT obſeruare his & aliis rationibus, quæ huc congeri poſſent, efficaciter, niſi fallor, concludi tempore Iuſtiniani Imperatoris, & ſequentibus temporibus Patriarchatum Conſtantinopolitanum omnes prouincias vel ferè omnes, paucis ſcilicet fortè exceptis, quarum vix haberi deberet ratio, trium Diœceſeωn, Aſianæ, Ponticæ, Thracicæ complexum fuiſſe, adeò vt Exarchica poteſtas antiquis earum Exarchis Cæſareæ Cappadociæ, Heracleæ Thraciæ, & Epheſi omninò deleta & abolita fuerit, vel potiſſimis ac pluribus prouinciis truncata ac mutilata, vnâ ferè aut alterâ in obſequio fortè remanente: ipſóſque in poteſtate Conſtantinopolitani Antiſtitis fuiſſe: ab eo ipſos ordinatos & depoſitos extitiſſe. Neque argumenta in contrariam partem ſuperiùs adducta aſſertionem iſtam labefactant.

Primum enim tantùm abeſt vt eandem conuellat, quin ne concutiat quidem, ſed potiùs adſtruat. Si enim æmulari per omnia voluit Conſtantinopolis Romanæ Patriarchalis poteſtatis amplitudinem, cùm certum ſit illam etiam extra ſuburbicarias, ſeu Præfecto vrbis Romæ ſubditas prouincias extendi, licèt eas ſingulari quadam auctoritate, & prouidentiâ per ſe regeret, quæ ſuburbicariæ erant, alias verò per Vicarios ſedis ſuæ, aut per Metropolitanos αὐτοκεφάλους adminiſtraret, Conſtantinopolitanum quoque Patriarchatum extra prouincias vrbis Conſtantinopolitanæ ſuburbicarias, Præfecto ſcilicet vrbis Conſtantinopolitanæ nullatenus obnoxias, extenſam fuiſſe colligemus, tantùm abeſt, vt intra illas prouincias coarctatum inferamus.

Vnde & ſoluitur ſecundum argumentum, nam ex prouinciis ſuburbicariis vtpote vicinioribus, ideò videmus Epiſcopos ad Synodos ſæpiùs euocatos, quia viciniores erant. Ideò ordinationis Metropolitanorum ex iſtis prouinciis in vrbe Conſtantinopolis ab Epiſcopis vrbis regiæ plura exempla ſuperſunt, quia & iſtas prouincias priùs in ſuam poteſtatem redegit, quàm cæteras: & vbi has quoque redegit, probabile eſt exemiſſe Metropolitanos remotiorum prouinciarum ab hoc onere veniendi Conſtantinopolim, & ab antiquis Exarchis, vel à Synodis prouin-

ciæ permiſiſſe illos commiſsâ ſibi poteſtate ordinari. Nihilominùs & aliqua, vt ſuprà demonſtrauimus exempla ſupereſſe, & Metropolitanorum prouinciarum remotiorum Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ, paucis duntaxat exceptis, tum ordinatorum à Conſtantinopolitano antiſtite, tum ad Synodos Conſtantinopolitanas euocatorum.

Tertium, vel non probat Lyciam, & Lycaoniam eximi earum numero, quæ ſub Patriarchica Sede Conſtantinopoleos conſtitutæ erant, & quorum Metropolitani ab ea ſede ordinantur, ſed duntaxat ſingularem aliquam rationem earum prouinciarum fuiſſe, ob quam vbi de alienatione & emphyteuſi bonorum Eccleſiæ ageretur exprimi deberent: vel certè tantùm oſtendit prouincias iſtas in aliquo à Patriarchica Sede Conſtantinopoleos immunes fuiſſe: vt quod à Synodis vel Epheſino Antiſtite, vt Vicario Sedis Conſtantinopolitanæ ordinarentur: licèt ab Eccleſia Conſtantinopolitana leges acciperent, & ad Synodos Patriarchæ Conſtantinop. Antiſtitis, eorum Metropolitani ex more conuenirent, & lites ex iis prouinciis per appellationem ad ſedem iſtam deferrentur, quemadmodum exemplis ſuperiùs allatis demonſtratum eſt. Porrò nec in Græco textu Patriarcha Conſtantinopolitanus dicitur, *Conſtantinopolis, & vniuerſi illius tractus Patriarcha*, ſed οἰκουμενικὸς Πατριάρχης, *œcumenicus Patriarcha*: & verba allata verſionis poſſunt æquè totam ditionem Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubditam ſignificare, ac vicinas prouincias.

Quartum denique argumentum probat duntaxat Conſtantinopolitanum Patriarcham, qui Imperatoriarum non Eccleſiaſticarum legum vigore Diœceſes Aſianam, Ponticam, & Thracicam, ſibi vendicarat, extra Romanum Imperium non potuiſſe eodem iure perfrui: ac proinde remanſiſſe penes Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum antiquam prærogatiuam ordinandi Catholicum magnæ Armeniæ extra Imperium Rom. ſitæ. Quin etiam cùm Iuſtinianus magnæ Armeniæ olim ſub Barbaris Principibus gubernatæ, partem Romano Imperio deuictis Barbaris finitimis ſubieciſſet, & Armeniis, quæ anteà Romano Imperio ſubdebantur, in tres prouincias diuiſis, quartam adieciſſet, vt patet ex lege vlt. Cod. *de Offic. Magiſt. militum*, & Nouell. 21. cap. 1. & præfatione vigeſimæ-octauæ; tamen, ne illam quidam Armeniam quartam Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubditam euaſiſſe colligimus ex capite ſecundo eiuſdem Nouellæ: nam addit quidem Iuſtinianus, *Quæ ad ſacerdotalia ſpectant in Armeniis ea ſe velle in priſtina manere forma, negotio ipſo, neque circa ius Metropoliticum, neque circa ordinationes vel mutationem, vel nouationem ſuſcipiente, ſed priùs ordinatis, nunc quoque ordinationis auctoritatem obtinentibus; & prioribus item Metropolitanis in ſuo permanentibus ordine, vt quantum ad ipſa nihil penitùs innouetur.* Neque verò quòd Nou. 28. *de prouinciis Helenoponti, & Ponti Polemoniaci*, & 29. *de prouinciis Paphlagoniæ & Honoriadis* ſtatuerat, vt earum Metropolitani à Patriarcha vrbis Conſtantinopolitanæ ordinarentur: non, inquam, hoc de Metropolitanis Armeniarum ſtatuit, ſed tantùm vt antiqua conſuetudo ſeruaretur: ſcilicet hoc indicat, non eandem conſuetudinem circa Metropolitanorum Armeniæ ſaltem aliquos viguiſſe illius tempore, quæ circa prædictarum prouinciarum Metropolitanos.

Idipſum etiam conſtat ex veteri Notitia Græca deſcripta tempore Photij, in qua de magna Armenia hæc notantur, χρὴ εἰδέναι ὅτι αὐτὴ αὐτοκέφαλός ἐστι, μὴ ὑπεύθυνος τοῖς ἀποστολικοῖς θρόνοις, ἀλλὰ τιμηθεῖσα διὰ τὸν ἅγιον Γρηγόριον Ἀρμενίας, ἔχουσα πόλεις καὶ κάστρα σʹ. *Scire oportet hanc prouinciam eſſe ſui iuris, minimèque ſubditam Apoſtolicæ Sedi,* (Conſtantinopolitanæ) *ſed honorari tamen intuitu ſancti Gregorij Armeniæ Epiſcopi, & præeſſe ducentis vrbibus & caſtris.* Huc refer in Notitia Leonis Sapientis Metropoles quatuor Armeniæ referri ſubditas Patriarchæ Conſtantinopolitanæ, Sebaſteæ, Melitanæ, Camachij, & Coloniæ, cui vltimæ nulla ſubſit Epiſcopalis Sedes, à Nicone referri Armenorum Catholicum ab eo tempore, quo ab auiris inſtitutis deſciuerunt, magnum eorum Catholicum ſeu Metropolitanum à Syriæ Amerano ordinationem ſuſcepiſſe. Hæc omnia varias in his prouinciis immutationes factas oſtendunt. Nos iſta omnia perſequi non eſt neceſſe.

Digitized by Google

quæ rectos in ſuis confeſſionibus quæ & ſcripto data ſunt, inueni. Iis adde ſub Imperatoribus Iconomachis in odium Eccleſiæ Romanæ totam Diœceſim Illyricam Theſſalonicenſi Vicario Sedis Apoſtolicæ ſubditam, Siciliam totam, Calabriæ & Apuliæ prouincias à Romanæ Eccleſiæ throno Patriarchali auulſas; itemque & Seleucienſem in Pamphylia integram Metropolim, cum tredecim Epiſcopatibus ab Antiochena Sede diſtractam Conſtantinopolitanum Patriarcham ſuffuratum fuiſſe: quod vtique exploratum habebis ex Notitia Leonis Sapientis, Balſamonis Scholiis in Can. 2. Conſtantinopolitani I. Concilij, & aliis. Ignatium ſanctiſſimum virum, tamen cum Romanis Pontificibus pro Bulgaria, quæ ſita erat in Illyrica Diœceſi, contendiſſe, eúmque lapidem Photium quoque verſaſſe conſtat teſtimoniis Nicetæ in vita Ignatij, necnon ex actis octauæ Synodi, & epiſtolis ſummorum Pontificum, Nicolai I. & Adriani II. Metropoles Diœceſeon Thracicæ, Aſianæ, & Ponticæ etiam remotiores ſimul cum ipſis ſedibus, quæ antiquiùs Exarchicæ erant, putà Epheſi, Cæſareæ Cappadociæ, & Heracleæ Thracicæ referri inter thronos Eccleſiarum Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubditos, in Notitia Leonis Sapientis lib. 2. iuris Græco-Romani apud Leunclauium. Denique Zonaram & Balſamonem, vt ſuperiùs notauimus, teſtari ſuo tempore nullam Exarchicam poteſtatem iſtis ſedibus relictam. Ex quibus omnibus progreſſus Patriarchæ Conſtantinopolitani oſtenditur, qui ex ambitione profectus non diſſimiles peperit, hæreſes ſcilicet, & Eccleſiæ Catholicæ ſciſſuras; quæ mala vltus Deus & Imperium Orientis perdidit, & Tyrannidi Mahumetanorum mancipauit. Sed hæc non moramur.

§. XLVII.

Argumenta prolata ſuperiùs ad prædictarum Diœceſeon partitionem probandam, diſcutiuntur.

SVFFICIAT obſeruare his & aliis rationibus, quæ huc congeri poſſent, efficaciter, niſi fallor, concludi tempore Iuſtiniani Imperatoris, & ſequentibus temporibus Patriarchatum Conſtantinopolitanum omnes prouincias vel ferè omnes, paucis ſcilicet fortè exceptis, quarum vix haberi deberet ratio, trium Diœceſeon, Aſianæ, Ponticæ, Thracicæ complexum fuiſſe, adeò vt Exarchica poteſtas antiquis earum Exarchis Cæſareæ Cappadociæ, Heracleæ Thraciæ, & Epheſi omninò deleta & abolita fuerit, vel potiſſimis ac pluribus prouinciis truncata ac mutilata, vnâ ferè aut alterâ in obſequio fortè remanente: ipſóſque in poteſtate Conſtantinopolitani Antiſtitis fuiſſe: ab eo ipſos ordinatos & depoſitos extitiſſe. Neque argumenta in contrariam partem ſuperiùs adducta aſſertionem iſtam labefactant.

Primum enim tantùm abeſt vt eandem conuellat, quin ne concutiat quidem, ſed potiùs adſtruat. Si enim æmulari per omnia voluit Conſtantinopolis Romanæ Patriarchalis poteſtatis amplitudinem, cùm certum ſit illam etiam extra ſub vrbicarias, ſeu Præfecto vrbis Romæ ſubditas prouincias extendi, licèt eas ſingulari quadam auctoritate, & prouidentiâ per ſe regeret, quæ ſuburbicariæ erant, alias verò per Vicarios ſedis ſuæ, aut per Metropolitanos αὐτοκεφάλους adminiſtraret, Conſtantinopolitanum quoque Patriarchatum extra prouincias vrbis Conſtantinopolitanæ ſuburbicarias, Præfecto ſcilicet vrbis Conſtantinopolitanæ nullatenus obnoxias, extenſam fuiſſe colligemus, tantùm abeſt, vt intra illas prouincias coarctatum inferamus.

Vnde & ſoluitur ſecundum argumentum, nam ex prouinciis ſuburbicariis vt potè vicinioribus, ideò videmus Epiſcopos ad Synodos ſæpiùs euocatos, quia viciniores erant. Ideò ordinationis Metropolitanorum ex iſtis prouinciis in vrbe Conſtantinopolis ab Epiſcopis vrbis regiæ plura exempla ſuperſunt, quia & iſtas prouincias priùs in ſuam poteſtatem redegit, quàm cæteras: & vbi has quoque redegit, probabile eſt exemiſſe Metropolitanos remotiorum prouinciarum ab hoc onere veniendi Conſtantinopolim, & ab antiquis Exarchis, vel à Synodis prouin-

Digitized by Google

ciæ permiſiſſe illos commiſsâ ſibi poteſtate ordinari. Nihilominùs & aliqua, vt ſuprà demonſtrauimus exempla ſupereſſe, & Metropolitanorum prouinciarum remotiorum Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ, paucis duntaxat exceptis, tum ordinatorum à Conſtantinopolitano antiſtite, tum ad Synodos Conſtantinopolitanas euocatorum.

Tertium, vel non probat Lyciam, & Lycaoniam eximi earum numero, quæ ſub Patriarchica Sede Conſtantinopoleos conſtitutæ erant, & quorum Metropolitani ab ea ſede ordinantur, ſed duntaxat ſingularem aliquam rationem earum prouinciarum fuiſſe, ob quam vbi de alienatione & emphyteuſi bonorum Eccleſiæ ageretur exprimi deberent: vel certè tantùm oſtendit prouincias iſtas in aliquo à Patriarchica Sede Conſtantinopoleos immunes fuiſſe: vt quod à Synodis vel Epheſino Antiſtite, vt Vicario Sedis Conſtantinopolitanæ ordinarentur: licèt ab Eccleſia Conſtantinopolitana leges acciperent, & ad Synodos Patriarchæ Conſtantinop. Antiſtitis, eorum Metropolitani ex more conuenirent, & lites ex iis prouinciis per appellationem ad ſedem iſtam deferrentur, quemadmodum exemplis ſuperiùs allatis demonſtratum eſt. Porrò nec in Græco textu Patriarcha Conſtantinopolitanus dicitur, *Conſtantinopolis, & vniuerſi illius tractus Patriarcha*, ſed οἰκουμενικὸς Πατριάρχης, *œcumenicus Patriarcha*: & verba allata verſionis poſſunt æquè totam ditionem Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubditam ſignificare, ac vicinas prouincias.

Quartum denique argumentum probat duntaxat Conſtantinopolitanum Patriarcham, qui Imperatoriarum non Eccleſiaſticarum legum vigore Diœceſes Aſianam, Ponticam, & Thracicam, ſibi vendicarat, extra Romanum Imperium non potuiſſe eodem iure perfrui: ac proinde remanſiſſe penes Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum antiquam prærogatiuam ordinandi Catholicum magnæ Armeniæ extra Imperium Rom. ſitæ. Quin etiam cùm Iuſtinianus magnæ Armeniæ olim ſub Barbaris Principibus gubernatæ, partem Romano Imperio deuictis Barbaris finitimis ſubieciſſet, & Armeniis, quæ anteà Romano Imperio ſubdebantur, in tres prouincias diuiſis, quartam adieciſſet, vt patet ex lege vlt. Cod. *de Offic. Magiſt. militum*, & Nouell. 21. cap. 1. & præfatione vigeſimæ-octauæ; tamen, ne illam quidam Armeniam quartam Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubditam euaſiſſe colligimus ex capite ſecundo eiuſdem Nouellæ: nam addit quidem Iuſtinianus, *Quæ ad ſacerdotalia ſpectant in Armeniis ea ſe velle in priſtina manere forma, negotio ipſo, neque circa ius Metropoliticum, neque circa ordinationes vel mutationem, vel nouationem ſuſcipiente, ſed priùs ordinatis, nunc quoque ordinationis auctoritatem obtinentibus; & prioribus item Metropolitanis in ſuo permanentibus ordine, vt quantum ad ipſa nihil penitùs innouetur.* Neque verò quòd Nou. 28. *de prouinciis Helenoponti, & Ponti Polemoniaci*, & 29. *de prouinciis Paphlagoniæ & Honoriadis* ſtatuerat, vt earum Metropolitani à Patriarcha vrbis Conſtantinopolitanæ ordinarentur: non, inquam, hoc de Metropolitanis Armeniarum ſtatuit, ſed tantùm vt antiqua conſuetudo ſeruaretur: ſcilicet hoc indicat, non eandem conſuetudinem circa Metropolitanorum Armeniæ ſaltem aliquos viguiſſe illius tempore, quæ circa prædictarum prouinciarum Metropolitanos.

Idipſum etiam conſtat ex veteri Notitia Græca deſcripta tempore Photij, in qua de magna Armenia hæc notantur, χρὴ εἰδέναι ὅτι αὐτὴ αὐτοκέφαλός ἐστι, μὴ ὑπὸ τὸν ἀποστολικὸν θρόνον, ἀλλὰ τιμηθεῖσα διὰ τὸν ἅγιον Γρηγόριον Ἀρμενίας, ἔχουσα πόλεις καὶ κάστρα σʹ. *Scire oportet hanc prouinciam eſſe ſui iuris, minimèque ſubditam Apoſtolicæ Sedi,* (Conſtantinopolitanæ) *ſed honorari tamen intuitu ſancti Gregorij Armeniæ Epiſcopi, & præeſſe ducentis vrbibus & caſtris.* Huc refer in Notitia Leonis Sapientis Metropoles quatuor Armeniæ referri ſubditas Patriarchæ Conſtantinopolitanæ; Sebaſteæ, Melitanæ, Camachij, & Coloniæ, cui vltimæ nulla ſubſit Epiſcopalis Sedes, à Nicone referri Armenorum Catholicum ab eo tempore, quo ab auitis inſtitutis deſciuerunt, magnum eorum Catholicum ſeu Metropolitanum à Syriæ Amerano ordinationem ſuſcepiſſe. Hæc omnia varias in his prouinciis immutationes factas oſtendunt. Nos iſta omnia perſequi non eſt neceſſe.

quæ rectos in ſuis confeſsionibus quæ & ſcripto datæ ſunt, inueni. Iis adde ſub Imperatoribus Iconomachis in odium Eccleſiæ Romanæ totam Diœceſim Illyricam Theſſalonicenſi Vicario Sedis Apoſtolicæ ſubditam, Siciliam totam, Calabriæ & Apuliæ prouincias à Romanæ Eccleſiæ throno Patriarchali auulſas; itémque & Seleucieoſem in Pamphylia integram Metropolim, cum tredecim Epiſcopatibus ab Antiochena Sede diſtractam Conſtantinopolitanum Patriarcham ſuffuratum fuiſſe: quod vtique exploratum habebis ex Notitia Leonis Sapientis; Balſamonis Scholiis in Can. 2. Conſtantinopolitani I. Concilij, & aliis. Ignatium ſanctiſſimum virum, tamen cum Romanis Pontificibus pro Bulgaria, quæ ſita erat in Illyrica Diœceſi, contendiſſe, eúmque lapidem Photium quoque verſaſſe conſtat teſtimoniis Nicetæ in vita Ignatij, necnon ex actis octauæ Synodi, & epiſtolis ſummorum Pontificum, Nicolai I. & Adriani II. Metropoles Diœceſeωn Thracicæ, Aſianæ, & Ponticæ etiam remotiores ſimul cum ipſis ſedibos, quæ antiquiùs Exarchicæ erant, putà Epheſi, Cæſareæ Cappadociæ, & Heracleæ Thracicæ referri inter thronos Eccleſiarum Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubditos, in Notitia Leonis Sapientis lib. 2. iuris Grçco-Romani apud Leunclauium. Denique Zonaram & Balſamonem, vt ſuperiùs notauimus, teſtari ſuo tempore nullam Exarchicam poteſtatem iſtis ſedibus relictam. Ex quibus omnibus progreſſus Patriarchæ Conſtantinopolitani oſtenditur, qui ex ambitione profectus non diſſimiles peperit, hçreſes ſcilicet, & Eccleſiæ Catholicæ ſciſſuras; quæ mala vltus Deus & Imperium Orientis perdidit, & Tyrannidi Mahumetanorum mancipauit. Sed hæc non moramur.

§. XLVII.

Argumenta prolata ſuperiùs ad prædictarum Diœceſeωn partitionem probandam, diſcutiuntur.

SVFFICIAT obſeruare his & aliis rationibus, quæ huc congeri poſſent, efficaciter, niſi fallor, concludi tempore Iuſtiniani Imperatoris, & ſequentibus temporibus Patriarchatum Conſtantinopolitanum omnes prouincias vel ferè omnes, paucis ſcilicet fortè exceptis, quarum vix haberi deberet ratio, trium Diœceſeωn, Aſianæ, Ponticæ, Thracicæ complexum fuiſſe, adeò vt Exarchica poteſtas antiquis earum Exarchis Cæſareæ Cappadociæ, Heracleæ Thraciæ, & Epheſi omninò deleta & abolita fuerit, vel potiſſimis ac pluribus prouinciis troncata ac mutilata, vnâ ferè aut alterâ in obſequio fortè remanente: ipſóſque in poteſtate Conſtantinopolitani Antiſtitis fuiſſe: ab eo ipſos ordinatos & depoſitos extitiſſe. Neque argumenta in contrariam partem ſuperiùs adducta aſſertionem iſtam labefactant.

Primum enim tantùm abeſt vt eandem conuellat, quin ne concutiat qoidem, ſed potiùs adſtruat. Si enim æmulari per omnia voluit Conſtantinopolis Romanæ Patriarchalis poteſtatis amplitudinem, cùm certum ſit illam etiam extra ſuburbicarias, ſeu Prçfecto vrbis Romæ ſubditas prouincias extendi, licèt eas ſingulari quadam auctoritate, & prouidentiâ per ſe regeret, quæ ſuburbicariæ erant, alias verò per Vicarios ſedis ſuæ, aut per Metropolitanos αὐτοκεφάλους adminiſtraret, Conſtantinopolitanum quoque Patriarchatum extra prouincias vrbis Conſtantinopolitanæ ſuburbicarias, Præfecto ſcilicet vrbis Conſtantinopolitanæ nullatenus obnoxias, extenſam fuiſſe colligemus, tantùm abeſt, vt intra illas prouincias coarctatum inferamus.

Vnde & ſoluitur ſecundum argumentum, nam ex prouinciis ſuborbicariis vtpote vicinioribus, ideò videmos Epiſcopos ad Synodos ſæpiùs euocatos, quia viciniores erant. Ideò ordinationis Metropolitanorum ex iſtis prouinciis in vrbe Conſtantinopolis ab Epiſcopis vrbis regiæ plura exempla ſuperſunt, quia & iſtas prouincias priùs in ſuam poteſtatem redegit, quàm cæteras: & vbi has quoque redegit, probabile eſt exemiſſe Metropolitanos remotiorum prouinciarum ab hoc onere veniendi Conſtantinopolim, & ab antiquis Exarchis, vel à Synodis prouin-

Digitized by Google

ciæ permiſiſſe illos commiſsâ ſibi poteſtate ordinari. Nihilominùs & aliqua, vt ſuprà demonſtrauimus exempla ſupereſſe, & Metropolitanorum prouinciarum remotiorum Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ, paucis duntaxat exceptis, tum ordinatorum à Conſtantinopolitano antiſtite, tum ad Synodos Conſtantinopolitanas euocatorum.

Tertium, vel non probat Lyciam, & Lycaoniam eximi earum numero, quæ ſub Patriarchica Sede Conſtantinopoleos conſtitutæ erant, & quorum Metropolitani ab ea ſede ordinantur, ſed duntaxat ſingularem aliquam rationem earum prouinciarum fuiſſe, ob quam vbi de alienatione & emphyteuſi bonorum Eccleſiæ ageretur exprimi deberent: vel certè tantùm oſtendit prouincias iſtas in aliquo à Patriarchica Sede Conſtantinopoleos immunes fuiſſe: vt quod à Synodis vel Epheſino Antiſtite, vt Vicario Sedis Conſtantinopolitanæ ordinarentur: licèt ab Eccleſia Conſtantinopolitana leges acciperent, & ad Synodos Patriarchæ Conſtantinop. Antiſtitis, eorum Metropolitani ex more conuenirent, & lites ex iis prouinciis per appellationem ad ſedem iſtam deferrentur, quemadmodum exemplis ſuperiùs allatis demonſtratum eſt. Porrò nec in Græco textu Patriarcha Conſtantinopolitanus dicitur, *Conſtantinopolis, & vniuerſi illius tractus Patriarcha*, ſed οἰκουμενικὸς Πατριάρχης, *œcumenicus Patriarcha*: & verba allata verſionis poſſunt æquè totam ditionem Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubditam ſignificare, ac vicinas prouincias.

Quartum denique argumentum probat duntaxat Conſtantinopolitanum Patriarcham, qui Imperatoriarum non Eccleſiaſticarum legum vigore Diœceſes Aſianam, Ponticam, & Thracicam, ſibi vendicarat, extra Romanum Imperium non potuiſſe eodem iure perfrui: ac proinde remanſiſſe penes Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum antiquam prærogatiuam ordinandi Catholicum magnæ Armeniæ extra Imperium Rom. ſitæ. Quin etiam cùm Iuſtinianus magnæ Armeniæ olim ſub Barbaris Principibus gubernatæ, partem Romano Imperio deuictis Barbaris finitimis ſubiecíſſet, & Armeniis, quæ anteà Romano Imperio ſubdebantur, in tres prouincias diuiſis, quartam adiecíſſet, vt patet ex lege vlt. Cod. *de Offic. Magiſt. militum*, & Nouell. 21. cap. 1. & præfatione vigeſimæ-octauæ; tamen, ne illam quidam Armeniam quartam Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubditam euaſiſſe colligimus ex capite ſecundo eiuſdem Nouellæ: nam addit quidem Iuſtinianus, *Quæ ad ſacerdotalia ſpectant in Armeniis ea ſe velle in priſtina manere forma, negotio ipſo, neque circa ius Metropoliticum, neque circa ordinationes vel mutationem, vel nouationem ſuſcipiente, ſed priùs ordinatis, nunc quoque ordinationis auctoritatem obtinentibus; & prioribus item Metropolitanis in ſuo permanentibus ordine, vt quantum ad ipſa nihil penitùs innouetur.* Neque verò quòd Nou. 28. *de prouinciis Helenoponti, & Ponti Polemoniaci*, & 29. *de prouinciis Paphlagoniæ & Honoriadis* ſtatuerat, vt earum Metropolitani à Patriarcha vrbis Conſtantinopolitanæ ordinarentur: non, inquam, hoc de Metropolitanis Armeniarum ſtatuit, ſed tantùm vt antiqua conſuetudo ſeruaretur: ſcilicet hoc indicat, non eandem conſuetudinem circa Metropolitanorum Armeniæ ſaltem aliquos viguiſſe illius tempore, quæ circa prædictarum prouinciarum Metropolitanos.

Idipſum etiam conſtat ex veteri Notitia Græca deſcripta tempore Photij, in qua de magna Armenia hæc notantur, χρὴ εἰδέναι ὅτι αὕτη αὐτοκέφαλός ἐστι, μὴ τελοῦσα ὑπὸ ἀποστολικὸν θρόνον, ἀλλὰ τιμηθεῖσα διὰ τὸν ἅγιον Γρηγόριον Ἀρμενίας, ἔχουσα πόλεις καὶ κάστρα σ'. *Scire oportet hanc prouinciam eſſe ſui iuris, minimèque ſubditam Apoſtolicæ Sedi,* (Conſtantinopolitanæ) *ſed honorari tamen intuitu ſancti Gregorij Armeniæ Epiſcopi, & præeſſe ducentis vrbibus & caſtris.* Huc refer in Notitia Leonis Sapientis Metropoles quatuor Armeniæ referri ſubditas Patriarchæ Conſtantinopolitanæ, Sebaſteæ, Melitanæ, Camachij, & Coloniæ, cui vltimæ nulla ſubſit Epiſcopalis Sedes, à Nicone referri Armenorum Catholicum ab eo tempore, quo ab auitis inſtitutis deſciuerunt, magnum eorum Catholicum ſeu Metropolitanum à Syriæ Amerano ordinationem ſuſcepiſſe. Hæc omnia varias in his prouinciis immutationes factas oſtendunt. Nos iſta omnia perſequi non eſt neceſſe.

182

ciæ permiſiſſe illos commiſsâ ſibi poteſtate ordinari. Nihilominùs & aliqua, vt ſuprà demonſtrauimus exempla ſupereſſe, & Metropolitanorum prouinciarum remotiorum Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ, paucis duntaxat exceptis, tum ordinatorum à Conſtantinopolitano antiſtite, tum ad Synodos Conſtantinopolitanas euocatorum.

Tertium, vel non probat Lyciam, & Lycaoniam eximi earum numero, quæ ſub Patriarchica Sede Conſtantinopoleos conſtitutæ erant, & quorum Metropolitani ab ea ſede ordinantur, ſed duntaxat ſingularem aliquam rationem earum prouinciarum fuiſſe, ob quam vbi de alienatione & emphyteuſi bonorum Eccleſiæ ageretur exprimi deberent: vel certè tantùm oſtendit prouincias iſtas in aliquo à Patriarchica Sede Conſtantinopoleos immunes fuiſſe: vt quod à Synodis vel Epheſino Antiſtite, vt Vicario Sedis Conſtantinopolitanæ ordinarentur: licèt ab Eccleſia Conſtantinopolitana leges acciperent, & ad Synodos Patriarchæ Conſtantinop. Antiſtitis, eorum Metropolitani ex more conuenirent, & lites ex iis prouinciis per appellationem ad ſedem iſtam deferrentur, quemadmodum exemplis ſuperiùs allatis demonſtratum eſt. Porrò nec in Græco textu Patriarcha Conſtantinopolitanus dicitur, *Conſtantinopolis, & vniuerſi illius tractus Patriarcha*, ſed οἰκουμενικὸς Πατριάρχης, *œcumenicus Patriarcha*: & verba allata verſionis poſſunt æquè totam ditionem Conſtantinopolitano Patriarchæ ſubditam ſignificare, ac vicinas prouincias.

Quartum denique argumentum probat duntaxat Conſtantinopolitanum Patriarcham, qui Imperatoriarum non Eccleſiaſticarum legum vigore Diœceſes Aſianam, Ponticam, & Thracicam, ſibi vendicarat, extra Romanum Imperium non potuiſſe eodem iure perfrui: ac proinde remanſiſſe penes Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopum antiquam prærogatiuam ordinandi Catholicum magnæ Armeniæ extra Imperium Rom. ſitæ. Quin etiam cùm Iuſtinianus magnæ Armeniæ olim ſub Barbaris Principibus gubernatæ, partem Romano Imperio deuictis Barbaris finitimis ſubieciſſet, & Armeniis, quæ anteà Romano Imperio ſubdebantur, in tres prouincias diuiſis, quartam adieciſſet, vt patet ex lege vlt. Cod. *de Offic. Magiſt. militum*, & Nouell. 21. cap. 1. & præfatione vigeſimæ-octauæ; tamen, ne illam quidam Armeniam quartam Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubditam cuaſiſſe colligimus ex capite ſecundo eiuſdem Nouellæ: nam addit quidem Iuſtinianus, *Quæ ad ſacerdotalia ſpectant in Armeniis ea ſe velle in priſtina manere forma, negotio ipſo, neque circa ius Metropoliticum, neque circa ordinationes vel mutationem, vel nouationem ſuſcipiente, ſed priùs ordinatis, nunc quoque ordinationis auctoritatem obtinentibus; & prioribus item Metropolitanis in ſuo permanentibus ordine, vt quantum ad ipſa nihil penitùs innouetur.* Neque verò quòd Nou. 28. *de prouinciis Helenoponti, & Ponti Polemoniaci*, & 29. *de prouinciis Paphlagoniæ & Honoriadis* ſtatuerat, vt earum Metropolitani à Patriarcha vrbis Conſtantinopolitanæ ordinarentur: non, inquam, hoc de Metropolitanis Armeniarum ſtatuit, ſed tantùm vt antiqua conſuetudo ſeruaretur: ſcilicet hoc indicat, non eandem conſuetudinem circa Metropolitanorum Armeniæ ſaltem aliquos viguiſſe illius tempore, quæ circa prædictarum prouinciarum Metropolitanos.

Idipſum etiam conſtat ex veteri Notitia Græca deſcripta tempore Photij, in qua de magna Armenia hæc notantur, καὶ εἰδέναι ὅτι αὐτὴ αὐτοκέφαλός ἐστι, μὴ τελοῦσα ὑπὸ ἀποστολικὸν θρόνον, ἀλλὰ τιμᾶται διὰ τὸν ἅγιον Γρηγόριον Ἀρμενίας, ἔχουσα πόλεις καὶ κάστρα σ'. *Scire oportet hanc prouinciam eſſe ſui iuris, minimèque ſubditam Apoſtolicæ Sedi*, (Conſtantinopolitanæ) *ſed honorari tamen intuitu ſancti Gregorij Armeniæ Epiſcopi, & præeſſe ducentis vrbibus & caſtris.* Huc refer in Notitia Leonis Sapientis Metropoles quatuor Armeniæ referri ſubditas Patriarchæ Conſtantinopolitanæ, Sebaſteæ, Melitanæ, Camachij, & Coloniæ, cui vltimæ nulla ſubſit Epiſcopalis Sedes, à Nicone referri Armenorum Catholicum ab eo tempore, quo ab auitis inſtitutis deſciuerunt, magnum eorum Catholicum ſeu Metropolitanum à Syriæ Amerano ordinationem ſuſcepiſſe. Hæc omnia varias in his prouinciis immutationes factas oſtendunt. Nos iſta omnia perſequi non eſt neceſſe.

§. XLVIII.

A quo tempore primus in Oriente Patriarcha Conſtantinopolitanus eſſe cæperit.

VLTIMVM caput ſupereſt de prærogatiua honoris Patriarchæ Conſtantinopolitano attributa Can. 3. Concilij Conſtantinopolitani, vt ei primus locus poſt Romanum Pontificem deferatur. Quam prærogatiuam dicimus ipſi in Oriente à tempore Concilij Chalcedonenſis paſſim fuiſſe delatam, etiam antequam tres prædictas Diœceſes ſibi planè ſubiecisset. Occaſio fuit Alexandri Dioſcori depoſitio in Concilio Chalcedonenſi, tum Proterij eiuſdem ſedis Epiſcopi ab hæreticis, ſtatim ferè, vt creatus eſt, occiſio: deinde multorum hæreticorum in ea ſede paucis annis exceptis (quibus duo Ioannes ſederunt, qui ab ea breui expulſi ſunt) vſque ad Zoilum tempore Iuſtiniani continua ſucceſſio: item Antiochenæ Sedis tum diuturnum ſchiſma ante Synodum Chalcedonenſem, tum poſt iſtam Synodum eiuſdem deprædatio ab intruſis hæreticis.

Hanc autem prærogatiuam poſt Concilium Chalcedonenſe ſeruatam non mirum eſt, quandoquidem & in Concilio Chalcedonenſi ſeruata fuerit, nemine reclamante: nam Anatolius primus vbique nominatur poſt Legatos Sedis Apoſtolicæ, primus ſubſcribit, imò actione 1. Concilij, Orientales tanquam abhorrentes à moribus receptis & inſtitutis, iudicarunt, quòd Flauianus Conſtantinopolitanus Antiſtes in Concilio pſeudo-Epheſino quinto loco ſederet; quin etiam Paſchaſinus Legatus primum ſedere ex Orientalibus Anatolium adnotauit. Actione verò 14. Concilij, legitur deprecatio Sabiniani Epiſcopi oblata Archiepiſcopis, Leoni, Anatolio, Maximo, & omni ſancto Concilio. Sexto verò anno à celebratione Concilij Chalcedonenſis ſtatim poſt Proterium ab hæreticis in Eccleſia Alexandrina occiſum, & creatum ab iiſdem Timotheum Ælurum, cùm obiiſſet Marcianus Imperator, & in eius locum ſuffectus eſſet Leo, legimus ab ipſis Epiſcopis Ægyptiis, & Clericis Alexandrinis, epiſt. *ad Leonem Auguſtum*, relatâ Concilij Chacedonenſis part. 3. cap. 22. Conſtantinopolitanum Antiſtitem ante Antiochenum & Hieroſolymitanum nominatum; nam non adeò longè ab initio epiſtolæ hæc ſcribunt, *Quapropter & noſtro Ægyptio Concilio neceſſariè cum Epiſcopo noſtro ſanctæ memoriæ Proterio indubitanter ei conſentiente, & ea ſapiente, & vnanimiter cum vniuerſis totius orbis Chriſti ſacerdotibus, & præ omnibus ſummis ſanctis Epiſcopis, id eſt, Romano Leone, regia Conſtantinopolis Anatolio, & Antiocheno Baſilio, & omnibus orthodoxis Epiſcopis.* Similiter & paulò ante finem, *Cúmque ipſe Timotheus*, inquiunt, *cum ſuis inſtanter vſque ad præſens, impudentérque deroget, & anathematizet ſummos Archiepiſcopos, id eſt, Romanum Leonem, & Conſtantinopolitanum Anatolium, & Baſilium Antiochenum, cunctúmque Chalcedonenſe Concilium, cunctóſque totius orbis Epiſcopos*, &c. Iidem quoque Anatolio ſcribunt, vt manus auxiliares porrigat, vt apud Imperatorem vrgeat, quatenus Alexandrinam Eccleſiam à tyrannide Timothei Æluri liberaret, ſuóſque gemitus prædictis Leoni, Antiocheno, Hieroſolymorum, atque Theſſalonicenſi, & Epheſino Epiſcopis literis ſignificaret. Quibus literis τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς, ſeu *priuilegia honoris*, quæ ei à Concilio Conſtantinopolitano decreta fuerant, ab Ægyptiis ſeruata animaduertimus. Sed colligere non poſſumus illum amplam iſtam poteſtatem habuiſſe, quâ pacificè poſteà potitus eſt. Non enim aut Diœceſi illi aſſignant, quinimmò Epheſinum ei coniungunt; nec vt iudicem eum interpellaot, ſed vt potentem inſtitorem, atque exactorem operis rogant, eique negotij ſui procurationem commendant.

Nec aliud ex eius epiſtola *ad Leonem Auguſtum*, in hac cauſa feciſſe deprehenditur, quàm quod curatores cauſarum facere poſſunt, dum rogati vel iuſſi ſibi commiſſum negotium promouent; Anatolius autem & rogatum ſe ab Ægyptiis, & iuſſum ab Imperatore inſtitoriam operam nauaſſe apud Leonem Romanum Pontificem, & cæteros Exarchos Diœceſeωu oſtendit eadem epiſtolâ iis verbis, *In his quæ ſunt præſumpta in Alexandrina Eccleſia non quieui: ſed ſequens veſtræ Chriſtianæ tranquillitatis intentionem, volentem & ſanctorum Patrum regulas non ſperni, & ciuilia*

iura

Digitized by Google

iura ſeruari, quod me facere congruebat, ſcilicet Sedem gubernantem huius regiæ ciuitatis, egi: & hæc manifeſta veſtræ pietati fient per ea, quæ ſcripſi tam Romano Pontifici, quàm omnibus vniuſcuiuſque Diœceſeos venerabilibus Metropolitanis Epiſcopis, apud quos ingenui petulantiam contra ſanctorum Patrum regulas perpetratam.

Secundò, illi tamen prærogatiuæ reluctati ſunt Leo variis epiſtolis, & Gelaſius epiſt. 11. aliàs 13. *ad Epiſcopos Dardaniæ*, contendentes contra Nicænos Canones eſſe, quòd Antiochenæ, & Alexandrinæ Eccleſiæ honoris prærogatiuam Conſtantinopolitanus Antiſtes præriperet: & ideò reluctati ſunt, quòd alia maioris momenti priuilegia ambirent, atque adeò ipſorum ambitioni renitendum exiſtimarent. Schiſmate per Acacium inducto, nec niſi tempore Iuſtini reintegrato, non dubium eſt quin iſta prærogatiua Conſtantinopolitani Patriarchæ fauentibus ei Imperatoribus Conſtantinopolitanis ſeruata fuerit. Nec illam de honore indebito contentionem Patriarchæ Conſtantinopolitani Eccleſiarum paci obeſſe voluerunt Romani Pontifices, nec aduerſus pertinaciùs obluctari. Quare Iuſtinianus paſſim Conſtantinopolitanum primum ante cæteros Patriarchas nominat, vt conſtat ex citatis locis Nouellarum ipſius Conſtitutionum; necnon ex edicto eiuſdem Imperatoris, collatione 1. V. Synodi, quod dirigitur *beatiſſimis Epiſcopis, & Patriarchis Eutychio Conſtantinopolitano, Apollinario Alexandrino, Domnino Theopolitano, Stephano, Georgio & Damiano religioſiſſimis Epiſcopis vicem agentibus Euſtochij viri beatiſſimi Archiepiſcopi Hieroſolymitani, & Patriarchæ, & reliquis religioſiſſimis Epiſcopis*, &c. Quin etiam in fine conſtituti Vigilij Papæ hæc legimus, *His autem & ſubſcripſimus in hunc modum, fratres & coepiſcopi noſtri,*

Eutychius Conſtantinopolitanus Epiſcopus,
Apollinaris Epiſcopus Alexandrinus,
Domninus (aliàs Domnus) *Antiochiæ Syriæ Epiſcopus,*
Elias Epiſcopus Theſſalonicenſis.

Scilicet probabat Vigilius vt primo poſt ſe loco ante Orientales omnes, Conſtantinopolitanus Antiſtes ſubſcriberet. In quinta Synodo, & cæteris deinceps Synodis in Oriente habitis Patriarcha Conſtantinopolitanus, nemine reclamante priùs quàm alij ex Imperio Orientali Patriarchæ nominatur, & ſubſcribit. Gregorius ſummus Pontifex libri 1. epiſtolâ 24. ſcribens quatuor Patriarchis *à paribus*, Ioannem Conſtantinopolitanum primo loco nominat, vtrùm verò conſulto egerit, ordinem inter illos non ſeruans, & Hieroſolymorum Ioannem Anaſtaſio Antiocheno præponens, coniiciant alij. A nullo verò reprehenſus legitur Iuſtinianus, dum Nouel. 131. cap. 2. legem de ordine ſedendi Patriarcharum hanc promulgat, *Ideòque ſancimus ſecundum earum* (Synodorum quatuor generalium) *definitiones ſanctiſſimum ſenioris Romæ Papam primum eſſe omnium ſacerdotum: beatiſſimum autem Archiepiſcopum Conſtantinopoleos nouæ Romæ ſecundum habere locum poſt ſanctam Apoſtolicam ſenioris Romæ ſedem, aliis autem omnibus ſedibus præponatur.*

Vno poſt Iuſtinianum ſæculo, quiniſexta Synodus in Trullo habita prærogatiuam eandem honoris Conſtantinopolitani Patriarchæ confirmat Canone 36. *Renouantes, quæ à ſanctis centum & quinquaginta Patribus, qui in hac à Deo conſeruanda, & regia vrbe conuenerunt, & ſexcentis triginta, qui Chalcedone conuenere, conſtituta ſunt, decernimus, vt thronus Conſtantinopolitanus æqualia priuilegia cum antiquæ Romæ throno obtineat, & in Eccleſiaſticis negotiis, vt ille magnifiat, vt qui ſit ſecundus poſt illum. Poſt quæ magnæ Alexandrinorum ciuitatis numeratur thronus; deinde Antiochiæ, & poſt eum Hieroſolymitanorum ciuitatis.*

Non hîc diſputo cuius auctoritatis fuerit quiniſexta iſta Synodus, quam iure *erraticam* appellauit Beda libro *de ſex ætatibus, in Iuſtiniano Seniore*, cuius errata plurima notari poſſunt: ſolùm ex ea elicio vſum continuum & vigentem ipſius tempore, vt Conſtantinopolitanus ſoli Romano Pontifici cederet, reliquos Patriarchas præcederet.

Denique (nam exempla iſtius prærogatiuæ nullo labore colligi poſſent innumera) Concilium œcumenicum Lateranenſe ſub Innocentio III. cap. 5. eandem confirmans, *antiquam* vocat, quia multò ante iſtam confirmationem tempore ſummis Pontificibus ad Eccleſiæ pacem fouendam conſentientibus recepta fuerat.

Antiqua, inquit, *Patriarchalium Sedium priuilegia renouantes ſacrâ vniuerſali Synodo approbante ſancimus, vt poſt Romanam Eccleſiam*, &c. *Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Hieroſolymitana quartum locum obtineant, reſeruatâ cuilibet propriâ dignitate: ita quòd poſtquam earum Antiſtites à Romano Pontifice receperunt pallium, quod eſt Pontificalis dignitatis inſigne, præſtito ſibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipſi ſuis Suffraganeis pallium largiantur: recipientes pro ſe profeſſionem Canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab iiſdem. Dominicæ verò crucis vexillum ante ſe faciant vbique deferri niſi in vrbe Romana, & vbique ſummus Pontifex præſens extiterit, vel eius Legatus vtens inſigniis Apoſtolicæ dignitatis, in omnibus autem prouinciis eorum iuriſdictioni ſubiectis, ad eos cùm neceſſe fuerit, prouocetur, ſaluis appellationibus ad Sedem Apoſtolicam, interpoſitis quibus eſt ab omnibus humiliter deferendum.*

§. VLTIMVS.

Corollarium ex prædictis elicitur circa receptionem priuilegiorum Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, eorúmque refutationem à Romana Sede.

EX quibus omnibus patet quo ſenſu intelligenda ſunt, quæ de priuilegiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ à Liberato, qui vixit paulò poſt quintam Synodum, Breuiarij cap. 13. ſcripta ſunt: *Licèt Sedes Apoſtolica nunc vſque contradicat, quod à Synodo Chalcedonenſi firmatum eſt Imperatoris patrocinio permanet quodammodo*, ſuo tempore notat contradixiſſe Apoſtolicam Sedem Conſtantinopolitani Patriarchæ priuilegiis à Synodo Chalcedonenſi decretis.

Primò, quia ante Gregorium, qui poſteà vixit, nullus ſummorum Pontificum legitur, qui expreſsè tanquam Patriarcham Conſtantinopolitanum Antiſtitem agnouerit, multò minùs qui primum ei inter Orientales locum tribuerit, licèt *pro bono vnitatis tolerarent quod pro bono æquitatis oderant.*

Secundò, quia contradixerunt ſummi Pontifices, ne Conſtantinopolitani Antiſtites ſuperioris auctoritatis in cæteros Patriarchas vllos actus exercerent, illúdque euicerunt, cùm è contrà ipſi & eorum ordinationem ad ſe rapere, & ad Synodos ab ipſis indictas illos cogere, & ab eorum ſententiis appellationes recipere, ſed fruſtrà, variis occaſionibus tentarint.

Tertiò, contradixerunt etiam diuerſis temporibus, ne tres iſtas Diœceſes, Aſianam, Ponticam & Thracicam omninò ad ſe raperent, ſed Imperatorum legibus & operâ potiùs quàm Synodi Chalcedonenſis decreto (cui contradictum initio, & ceſſione Anatolij derogatum fuerat, tres iſtas Diœceſes, atque alias etiam viciniores rapuerunt, illorúmque Primates ſubiecerunt, vt nullam vel minimam ipſis auctoritatem relinquerent. Particula verò iſta *quodammodo*, quæ apud Liberatum habetur, videtur iudicare non plenè executioni demandatum, quod Chalcedonenſe Conſtantinopolitano Antiſtiti tribuerat; quia nec æqualia priuilegia cum Romano omninò obtinuit, quippe cùm Romanus de omnibus Patriarchis Orientis indicaret, eorúmque ſententias reſcindere poſſet, non autem Conſtantinopolitanus; nec fortè tempore Liberati, qui vel tempore Iuſtiniani, vel paulò pòſt floruit, integras tres prædictas Diœceſes adhuc obtinebat, quod ſuprà probabile eſſe docuimus. Vel certè indicat iſta particula, licèt obtineret Conſtantinopolitanus Antiſtes, quæ ipſi à Chalcedonenſi decreta fuerant, putà vt in ſua Diœceſi æqualia haberet iura Patriarchica quæ habet Romanus in ſua, & tres iſtas Diœceſes in vnam ſibi ſubditam redegiſſet, atque adeò permanerent priuilegia ipſi conceſſa; non tamen firma eſſent & inconcuſſa, Romano Pontifice contradicente, ſeu nondum apertè conſentiente: atque quodammodo permanere cenſerentur, quod non certâ ac ſtabili ratione perſeuerarent, ſed violentâ per potentiam Imperatorum, cui non conſentaneum neque vtile ducerent ſummi Pontifices omni ratione obluctari.

ARTICVLVS V.

De erectione Patriarchatus Hieroſolymorum.

§. I.

Quæ cauſa fuerit huius Patriarchatus erigendi.

SIMVL ferè cum Patriarchatu Conſtantinopolitano Hieroſolymitanus emerſit, & ſicut regiæ ciuitatis conditio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ad hoc faſtigium erigendæ obtenta eſt; ita conſilio Hieroſolymitanæ ad hunc apicem ſacrum euehendæ prætexta æquitatis hæc cauſa fuit, ſanctitas ciuitatis, in qua maxima noſtræ redemptionis myſteria perfecta ſunt, cœpit Religio Chriſtiana, & fidei promulgatio perfecta eſt, *De Sion enim exiuit lex, & verbum Domini de Ieruſalem*, quemadmodum diu anteà prædixerat Pſaltes regius: hæc primùm Eccleſiæ collecta fidem Chriſti edocta, & ad diſciplinam exquiſitæ perfectionis formata eſt, Act. 4. cuius naſcentis conſtantiam eodem cap. deſcriptam miratus Irenæus ſcripſit, *Hæ voces Eccleſiæ, ex qua habet omnis Eccleſia initium.* Similiter Hieronymus in cap. 2. Iſaiæ, *In Hieruſalem primùm fundata Eccleſia totius orbis Eccleſias ſeminauit.* Iuſtinus Apolog. 2. & Auguſtinus in Pſal. 109. initium Chriſti Eccleſiæ Hieroſolymis fuiſſe docent, illúdq; prædictum à Dauide contendunt, dum Deo plenus verba iſta pronuntiauit, *Virgam virtutis ſuæ emittet Dominus ex Sion.* Sed hic eleganter in iſta materia, concione in Pſal. 147. *Remiſſio*, inquit, *peccatorum in Chriſti nomine prædicatur: vbi prædicatur? per omnes Gentes. Vnde incipit? ab Hieruſalem: communica huic Eccleſiæ; quare litigamus? cœpit enim hæc Eccleſia ab Hieruſalem iſta terrena, vt gaudeat de Deo in illa Hieruſalem cæleſti: ab hac enim incipit, in illa terminat: in illa tota Eccleſia erit, ab iſta exordium fidei ſumpſit.* Hinc à Conſtantinopolitano primo Concilio epiſtolâ Synodicâ *ad Damaſum, aliόſque Occidentales*, apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. ἁπασῶν τῶν ἐκκλησιῶν μήτηρ, *omnium Eccleſiarum mater* dicitur Eccleſia Hieroſolymitana: à Iuſtino Imperatore, epiſt. *ad Hormiſdam*, poſt ſeptuageſimam-quartam Hormiſdæ inter eiuſdem epiſtolas, *mater Chriſtiani nominis* vocatur, *vt nemo audeat ab ea ſeſe diſcernere*: quæ tandem *patria Domini, & mater Religionis* nuncupatur ab Vrbano ſecundo apud Guillelmum Tyrium lib. 1. cap. 15. hanc inhonoratam Eccleſiam dimittere, cui pro tantis beneficiis obſtrictæ cæteræ eſſent Eccleſiæ, viſum eſt ingrati eſſe animi, nec ſatis antiquitatem obſeruantis. Ideò hæc Eccleſia ab eius incunabulis, quantumcumque, ne Metropoliticâ quidem dignitate fulgeret; vt pote quam exſcindendam, & diruendam Apoſtoli à Chriſto didicerant, & in tranſlati ſacerdotij Moſaici ſignum, honore principali donare eam ciuitatem noluerant, quæ ſacerdotalis & regia apud Hebræos extiterat, in qua ſola templum Domini conſecratum, & ſummi Pontificatus ſedes conſtituta fuerat; licèt, inquam, ne Metropoliticâ quidem dignitate fulgeret, ſed Cæſareæ Palæſtinæ, tanquam Metropoli ſuæ obſequeretur, tamen ſingulari ſemper in honore fuit & veneratione, quemadmodum teſtatur Concilium Nicænum Can. 7. iis verbis, ἐπειδὶ συνήθεια κεκράτηκε, καὶ παράδοσις ἀρχαία, ὥστε τὸν ἐν Αἰλίᾳ ἐπίσκοπον τιμᾶσθαι, ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος, *Quoniam obtinuit conſuetudo, & antiqua traditio, vt qui eſt in Ælia Epiſcopus honoratur, habeat honoris conſequentiam, Metropoli propriâ dignitate ſeruatâ.*

§. II.

De interpretatione Canonis Nicæni ſeptimi, & prærogatiua honoris Epiſcopo Hieroſolymitano attributa, cum ſubiectione Cæſarea Metropoli.

ÆLIAM vocat hic Canon ciuitatem Hieroſolymitanam, quòd à Veſpaſiano deſtructa ab Ælio poſteà Adriano reparata fuiſſet. Zonaras & Balſamon eo Canone Exarchicam poteſtatem Hieroſolymis attributam interpretantur, ſed perperàm, & abſque ſundamento, quandoquidem nulla Diœceſis ibi ei aſſignetur, & Exarchica poteſtas ei conferri non potuerit, quandiu ſub poteſtate Metropolitica Cæſareæ Palæſtinæ fuiſſet: at verba iſta, *propriâ Metropoli dignitate ſeruatâ*, indicant Eccleſiæ Cæſareæ Palæſtinæ Metropoliticam dignitatem integram & illibatam remanere debuiſſe, quantuncùmque honoris prærogatiua Hieroſolymis ſingularis aſſereretur; ſuberat enim ratio dubitandi quomodò honorari præ cæteris præciperetur Hieroſolymorum ſedes ſibi ſubdita; quomodo Metropolitæ ſubiecta, ſi tantopere honoraretur; quem modum ſoluit Nicæna Synodus hæc tanquam minimè pugnantia coniungens, & honorem præcipuum Hieroſolymorum Antiſtiti exhibendum ſtatuens, & ſubiectionis ei ſuo Metropolitæ exhibendæ neceſſitatem iniungens, vt nihil illius auctoritati deperiret.

Nam duæ aliæ interpretationes iſtorum verborum diſtortæ, & à ſenſu Concilij alienæ ſunt. 1. quòd hoc decreto à Cæſareæ Palæſtinæ throno ſubducatur Hieroſolymorum Eccleſia, nihilominùs Cæſareæ Metropoli circa alias Eccleſias ſua iura ſeruanda præſcribantur; quæ interpretatio eſt Balſamonis, & viri cuiuſdam hocce ſæculo docti ſanè & eruditi, ſed vtinam à Catholicis partibus ſtaret. Ea verò iſtis rationibus reiicitur: prima, quia de exemptione Hieroſolymorum Eccleſiæ à ſubiectione Metropolis Palæſtinæ Cæſareæ, ne verbum quidem dicit Concilium Nicænum; ac proinde ſuppoſitio iſta mera eſt diuinatio & coniectura, quæ nullum in Concilio Nicæno fundamentum habet.

Secundò, quia tantùm abeſt, vt in Canone Nicæno fundamentum habeat, cùm potiùs contraria ei videatur: cùm enim Concilium Nicænum Canone 6. cum quo ſeptimus ille cohæret, omnibus Eccleſiis ſua iura, & priuilegia ſeruari velit: non ſeruaſſet vtique omnibus Eccleſiis ſua iura, ſi à Cæſareæ Palæſtinæ Metropolis ſubiectione Hieroſolymorum Eccleſiam ſubduxiſſet: tum quòd nihil noui ſe Concilium Nicænum decernere velle oſtendat, ſed ea tantùm priuilegia Eccleſiæ Hieroſolymitanæ aſſerere, & vendicare quæ antiquâ conſuetudine & traditione obſeruarentur. Si autem tanto tempore, quo Hieroſolymitanus honoris conſequentiam obtinuit, in alias tamen Eccleſias Cæſareæ Palæſtinæ ſuum ius Metropoliticum ſeruauit; quid opus erat præcautionem iſtam adhibere, vt Metropoli ſua iura ſeruarentur? an verò neceſſaria fuit, vt exemptio iſta explicaretur? neutiquam certè; ſed optimè intelligitur exemptio vnius Eccleſiæ, etiamſi cæterarum in priori ſtatu manere conditionem intelligamus: imò cùm exceptio regulam firmet, qui vnam tantùm memorat exemptam, circa alias antiquum ius manere innuit.

Verùm placet & hoc argumento aduerſarios vrgere; vel enim Hieroſolymorum Eccleſia olim ſubdita erat Cæſareæ Palæſtinæ, poſteà verò exempta, & quidem à multo tempore, quam *veterem conſuetudinem* vocat Nicæna Synodus, vel nunquam Cæſareæ Palæſtinæ ſubdita fuit: ſi priùs ſubdita, poſteà ab ea obligatione ſoluta dicitur, velim vt dicant quo tempore id contigerit, quâ occaſione, & quibus id coniecturis probent, cùm è contrà quæcumque proferunt, ſi quid probent, Hieroſolymorum Eccleſiam nunquam Cæſareæ Palæſtinæ ſubditam fuiſſe probant, non eam primùm ſubditam, deinde ab illius poteſtate ſubductam: nam illius ſub Apoſtolis maior erat gloria ac ſplendor, quàm reliquis temporibus vſque ad Nicænum Concilium excurrentibus: ſi verò nunquam Cæſareæ Palæſtinæ fuit ſubdita, cur quæſo præcaueret, ne ipſius αὐθεντία Cæſareæ Metropoli auctoritati in alias Eccleſias, quibuſcum Hieroſolymorum Eccleſiæ nullum vnquam commercium fuit, præiudicium inferret?

Tertiò, ab vſu antiquo Eccleſiæ, à mente Concilij Nicæni, quod antiqua inſtituta firmare voluit, non noua inducere, alienum videtur, quòd aliqua

Eccleſia verbi gratiâ Hieroſolymorum Metropolitica non fuerit, & tamen ab omni Metropoliticæ Eccleſiæ dignitate immunis à Concilio Nicæno ex antiqua traditione declaretur, quippe cùm ſiue Metropolitani ſententiâ Epiſcopi factam ordinationem irritam declaret, & Hieroſolymorum Antiſtites eandem olim cum Cæſarea Cappadociæ prouinciam effeciſſe, eius Synodis interfuiſſe, & ab eius Epiſcopis ordinatos fuiſſe legamus. Quòd autem alicuius ſedis Antiſtes ſubditus alteri fuerit, & tamen honoris aliquid amplius habeat, hoc non videtur, aut ab antiquo vſu Eccleſiæ, aut à Concilij Nicæni mente alienum; quandoquidem Apoſtolos ipſos, quorum in Eccleſia maior poteſtas erat, Eccleſias fundaſſe, & in iis ſedem ſuam fixiſſe legamus, quæ ab aliis Eccleſiis ſub aliorum quàm Apoſtolorum poteſtate poſitis regebantur. Sic enim v. g. Andræas dicitur Bizantinam Eccleſiam fundaſſe, & in ea ſediſſe, cùm tamen illa Heracleenſi Metropolitano ſubiaceret, cui nullus Apoſtolus præfuiſſe narratur: ſic in Æthiopia plures Apoſtolos fundaſſe Eccleſias docuimus, cùm tamen Æthiopicæ Eccleſiæ ab Alexandrina, quam Marcus Euangeliſta regebat, penderent. Neq; id in vſu fuiſſe tempore Concilij Nicæni mirum eſt, quandoquidem iſto tempore docuerimus inferiorum ſedium Epiſcopos, etiam ante ſuos Metropolitanos ſubſcribere nonnunquam ſolitos.

Denique priuilegium honoris, cuius duntaxat Concilium Nicænum meminit, extendere ad exemptionem à poteſtate proprij Metropolitani, eſt verborum ſignificationem corrumpere, & ad alienas ſignificationes nimiùm ampliare, & quæ de Cæſareæ Metropolis dignitate ſeruanda præſcribuntur, non relationem ad Epiſcopum Hieroſolymorum, de quo ſolùm eo Canone ſermo eſt, ſed per ordinem ad Eccleſiarum aliarum Antiſtites, de quibus ibi non agitur, velle exponere, eſt ſenſum Concilij, qui ex verborum ſerie colligitur, velle corrumpere.

Standum ergo in verbis Concilij, vt priuilegium tantùm honoris Hieroſolymorum Antiſtiti deferatur, non immunitatis à ſubiectione Metropolitani ſui, cui potiùs conſulitur, ne honoris priuilegium Suffraganeo confirmatum in præiudicium imminutæ auctoritatis ipſius Metropolis (quod aliquando euenturum ſagaciter Patres præuidebant) traheretur: quod proinde ad explicationem iſtius priuilegij honoris, quod nudum erat, & ſine auctoritate, neceſſarium viſum fuit.

Secunda interpretatio eſt Zonaræ in eundem Canonem, vt nimirùm prædicto Canone Hieroſolymorum ciuitas in ſua ditione honoranda tanquam Metropolis decernatur, ſicut præcedenti Canone Alexandrino, & Antiocheno in ſuis prouinciis priuilegia antiqua decreta fuerant: adeò vt verba iſta, *Metropoli propriâ dignitate ſeruatâ*, Hieroſolymorum vrbem, cui dignitas Metropolitica conſeruetur, non ad Cæſaream Palæſtinam referantur.

Illa quoque interpretatio repudiatur, tum quòd, cùm ſexto Canone præcedenti Metropolitanis Eccleſiis ſua priuilegia ſeruari præceptum ſit, ſi Metropolitica iura Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſeruanda præciperet Canon 7. inutilis foret, & ſuperuacaneus, nullâ peculiari ratione occurrente, cur potiùs ſpeciali Canone huic Eccleſiæ ſingulari Canon 6. applicaretur, quàm ſexcentis aliis; tum quòd ſi hic ſenſus eſſet Canonis, malè vtique acceptus, & ineptè expreſſus fuiſſet, nec enim Ælia honoranda dici debuiſſet competenti honore, τῇ μητροπόλει, ſed τῆς μητροπόλεως, *propriâ dignitate ſeruatâ*, vt quæ dignitas ei ſeruanda decerneretur, innoteſceret, putà dignitas Metropolis ſeu Metropolitica; non autem cui eſſet ſeruanda abſque neceſſitate ſignificaretur; nec abſque neceſſitate tantùm, ſed & affectata cum obſcuritate: quia cùm iam nominata eſſet Ælia ciuitas, nec Metropolis dicta fuiſſet, non potuit ipſa Metropolis dici, niſi obſcuritas & inuolutio propoſitionis quæri videatur, quæ pronomine relatiuo, quòd antecedentem Æliam ſignificaret, appoſito leuitata fuiſſet.

Reiectis igitur duabus iſtis interpretationibus certa iſta Canonis interpretatio colligitur, nimirùm decerni prædicto Canone, vt honoretur Epiſcopus Hieroſolymitanus ſingulari quodam honore: neque tamen à Cæſareæ Palæſtinæ Metropolitani obedientia eximatur, eodem modo quo Syagrio Auguſtodunenſi prærogatiuam honoris præcipuam à S. Gregorio decretam docuimus, quamuis ſub Lugdunenſis Metropolitica poteſtate maneret: quemadmodum & Patronis Eccleſia-

Digitized by Google

ſticis merum honorem ſeu *proceſſionis aditum* non vllam adminiſtrationem concedit Gelaſius Papa Canone *piæ mentis*, & ſequenti 16. quæſt. 7. hunc honorem vocat Canon Nicænus τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, ſeu *honoris conſequentiam*, quibus verbis vel debitum honorem gradui, quem tenet iſta Eccleſia inter Apoſtolicas, quarum omnium prima eſt, intelligit, vel aliquid expreſſiùs circa honorem decernit, vt ſcilicet referendo Canonem iſtum ad Eccleſias pręcedenti Canone nominatim expreſſas, ſicut Epiſcopo Alexandriæ inter Orientales Eccleſias primus poſt Romanam Eccleſiam honoris locus in ſeſſionibus, ſubſcriptionibus, nominationibus defertur, Antiocheno ſecundus, & Hieroſolymorum Antiſtiti *conſequentia honoris*, id eſt, tertius locus concedatur.

Quam tamen dignitatem non obſtare monet Synodus ipſius Metropoli non præiudicare, quominùs ſua iura Metropolitica & ſuam auctoritatem circa Hieroſolymorum Antiſtitem in ordinationibus, iudiciis Eccleſiaſticis, aliiſque intacta & illibata cuſtodiat.

Metropolim autem Hieroſolymorum Cæſaream Paleſtinæ intelligit, quæ nimirùm dirutis Hieroſolymis caput Palæſtinæ fuit, cùm vnica prouincia eſſet Paleſtina: quòd in ea poſt Iudaicas victorias Veſpaſianus inter Imperatores adſcriptus fuiſſet, vt tradit Iuſtinianus, Nou. 54. *in præfatione*. Cùm ergo Apoſtoli, & qui ipſis ſucceſſerunt, in erigendis Metropolibus prouinciarum ciuilem diuiſionem, & vrbium dignitatem ſequi ſolerent, propter rationes allatas hinc Cæſaream quoque Metropolim Eccleſiaſticam eſſe ſanxerunt, quæ totius Palæſtinæ ciuilis Metropolis erat.

§. III.

Ex Hieronymo Hieroſolymorum Epiſcopum Metropolitano Cæſareæ Palæſtinæ, & Patriarchæ Antiocheno ſubditum fuiſſe.

PRÆDICTÆ explicationi Concilij Nicæni lucem adferunt verba iſta Hieronymi epiſt. 61. *ad Pammachium aduerſus errores Ioannis Hieroſolymitani. Tu qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilij Canonibus vteris, & alienos Clericos, & cum ſuis Epiſcopis commorantes tibi niteris vſurpare, reſponde mihi, ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? niſi fallor, hoc ibi decernitur, vt Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia: aut igitur ad Cæſarienſem Epiſcopum referre debueras, cui ſpretâ communione tuâ, communicare non noueras. Aut ſi procul-iudicium expetendum erat, Antiochiam potiùs literæ dirigendæ. ſed noui cur Cæſaream, cur Antiochiam nolueris mittere, ſciebas quid fugeres, quid vitares, maluiſti occupatis auribus moleſtiam facere, quàm debitum Metropolitano ſuo honorem reddere.*

Diſcimus ex hoc teſtimonio eo tempore, quo epiſtolam iſtam ſcribebat Hieronymus nondum Exarchicâ, aut Metropoliticâ poteſtate potitum Hieroſolymitanum Antiſtitem, ſed eum Cæſareæ Palæſtinæ tanquam Metropolitano Epiſcopo, Antiocheno tanquam Patriarchæ ſubditum fuiſſe Epiſcopum Hieroſolymorum Ioannem de hæreſi accuſatum apud Metropolitanum Cæſareæ ſe purgare primo iudicio debuiſſe, vel apud Antiochenum Patriarcham, ſi per appellationem, aut alio modo ad eum cauſa iſta deferretur. Hoc enim aduerſus illum contendit Hieronymus, quem ideò incuſat, quòd accuſatus de hæreſi ab Epiphanio in Cypro Epiſcopo, & Hieronymo, Apologiam ad Theophilum Alexandrinum ſcriberet: quem agendi modum contra Canones Nicænos pugnare ait idem ſanctus Doctor: cuius etiam & Monachorum ſub ipſius poteſtate conſtitutorum exemplo, patet eum qui Epiſcopi Hieroſolymitani communicationem haberet, tutum ſibi & aliis viſum fuiſſe, quia Epiſcopo Cæſarienſi, putà Metropolitano ipſius Ioannis communicabat: cui proinde in ipſa parochia Hieroſolymitana auctoritas ineſſe debebat.

Huc etiam adde, quòd cùm Ioannes Hieroſolymorum vetuiſſet, ne competentes ex Monaſterio Hieronymi ad Baptiſmum reciperentur, Epiſcòpus Dioſpolitanus, ad quem miſerunt iſtius Monaſterij viri, quos habebant competentes, neglectâ iuſſione Ioannis, ad Baptiſmum illos receperit; quod ex aduer-

Digitized by Google

ſo oſtendit, nec Metropolitanum, nec Patriarcham Hieroſolymorum Antiſtitem hoc tempore agnitum fuiſſe. Qui ſenſus verborum Hieronymi cùm clarè & manifeſtè præſidentiam tam Eccleſiæ Cæſarienſis, quàm Antiochenæ demonſtret; miror quomodo ſubtilitate rationum perficere conatus ſit aliquis, teſtimonium iſtud infirmare quaſi neutrum oſtendat: exceptiones primò iſtas adhibet aduerſus auctoritatem Hieronymi. Primam, bilem Hieronymi aduerſus Ioannem Hieroſolymitanum excandeſcentem: alteram, ſtudium eiuſdem erga Gelaſium Cæſarienſem, cui communicationis beneficio deuinctus erat; quæ ſanè exceptiones non oſtendunt Hieronymum mentiri voluiſſe, & ſe mentiendo omnibus ridendum vel reprehendendum exhibere.

Hæc proinde cùm leuiora aduerteret aduerſarius, alia hæc addidit, quibus præcedentia firmaret.

Primùm, controuerſiam fuiſſe de Primatu inter Gelaſium Cæſarienſem, & Ioannem Hieroſolymitanum, Hieronymum partes Gelaſij ſecutum, atque adeò in eius gratiam locutum. Verùm controuerſiæ iſtius inter Gelaſium & Ioannem de Primatu nullus niſi ipſe teſtis eſt: atque adeò mera iſta diuinatio eſt. Ponamus tamen controuerſiam aliquam inter eos fuiſſe, auctoritas Hieronymi maximi, vt opinor, ponderis erit, & incertis ab aduerſario prolatis coniecturis præponderabit. Neque enim Hieronymi teſtimonium reiiciendum erit, quòd Gelaſio ſtudioſus, Ioanni infenſus eſſet, cùm non priuata ei cum Ioanne ſimultas, non priuata eum Gelaſio amicitia fuerit, ſed huic ob Catholicam fidem fauerit, illi ob Origeniſtarum hæreſim infenſus extiterit: quæ exceptiones aduerſus Patrum teſtimonia nemini ſufficientes videbuntur.

Deinde efficiet ſaltem Hieronymi auctoritas, vt vtriuſque iura dubia fuerint Cæſarienſis, & Hieroſolymitani: ideóque cùm omnes in his rebus controuerſiæ ab alicuius vſurpatione & innouatione ab vno incipiente ducere debeat originem, inquirendum erit, qui innouationis auctor fuerit. Conſtabit autem ab Hieroſolymitano contentionis initium fuiſſe, qui prætextu honoris ipſi à Concilio Nicæno decreti, immunitatem quoq; ab omni ſubiectione ſuo Metropolitano contra eiuſdem, vt vidimus, Concilij mentem ambierit: atq; adeò conſtabit, & ex Hieronymi mente, & ex rei veritate Cæſarienſis Epiſcopi meliora iura fuiſſe, & poſſeſſionem Hieroſolymitani tempore Hieronymi incertam, ius Cæſarienſis certum fuiſſe.

Alterum addit, non dicere Hieronymum Ioannis Metropolitanum fuiſſe Gelaſium Cęſarienſem, ſed Patriarcham Antiochiæ, cuius ſedem tunc temporis tenebant duo, Euagrius à pluribus, Paulinus à paucioribus agnitus. Etenim multa ſimul congerit, Theoſebæ Diaconi Tyrij in Preſbyterum factam ordinationem à Ioanne: vendicatum ab eodem Ioanne Paulinianum ab Epiphanio in ſuo Monaſterio ordinatum & Cypri commorantem; hæc contra regulas Nicænas facta aſſerit: ac proinde de his poſtulatum Ioannem ab Epiphanio debuiſſe coram iudice communi, Antiocheno ſcilicet, à quo Paleſtina, Tyrus, Salamina dependebanr, reſpondere: & debuiſſe ipſum queri aduerſus Epiphanium ob ordinatum Paulinum, quia *actor ſequitur forum rei*, debuiſſe vtrumque de aliis intentatis ſibi viciſſim vſurpationibus apud illum ſe purgare. Et quidem Hieronymum docere in poteſtate Ioannis fuiſſe Antiochiam ſuam querimoniam deferre; ac proinde ex eius ſententia duntaxat ſequi Hieroſolymorum Antiſtitem Antiochenæ Sedi, non Cæſarienſi fuiſſe ſubiectum.

Verùm huic explicationi nihil video niſi tenebras veritati offuſas. Nam conſtat mentem Hieronymi aliam eſſe, nimirùm tam Antiochenæ quàm Cæſarienſi Eccleſiæ ſubditam eſſe eam quæ eſſet Hieroſolymorum. Refellit enim verba iſta, quæ initio epiſtolæ ſuæ *ad Theophilum* Ioannes ſcripſerat, quibus æquè ſubiectionem vni quàm alteri impetere videbatur; hunc enim ita compellaſſe refertur. *Tu quidem vt homo Dei, & Apoſtolicâ ornatus gratia, curam omnium Eccleſiarum, maximè eius, quæ in Hieroſolymis eſt, ſuſtines.* Quam adulationem ita refellit, Palæſtinam ad Alexandrinum Patriarcham non pertinere eum admonens, ideóque vel ad Cæſarienſem, vel ad Antiochenum referre debuiſse iſta quæ ad Theophilum retulit. Duo ſiquidem ad Theophilum ab eo relata fuiſse · vnum de fide, alterum de or-

Digitized by Google

dinatione Pauliniani: nam & obiectos ſibi in fide errores eluere conabatur Ioannes epiſt. *ad Theophilum*, & tam Epiphanium, quàm Hieronymum, & Paulinianum eius fratrem de ordinatione eiuſdem Pauliniani in eorum Monaſterio ab Epiphanio perperàm, & contra Canones factâ incuſabat; itaque & apud Cæſaream Palæſtinæ, & apud Antiochiam agere poterat: apud Cæſareæ quidem Antiſtitem potuerat, & impactum ſibi crimen diluere, & Hieronymum accuſare: apud Antiochenum vtrumque poterat. Nam vbi de hæreſeos ſuſpicione agitur, remouenda illa eſt quàm maximè: conuenitque inferiores apud ſuperiores ſuos etiam mediatos ſeſe purgare; imò etiam aliquando apud extraneos. Et cùm Hieronymus in Monaſterio ſubdito Cæſarienſi Epiſcopo moraretur, haud dubiè, ſi de aliquo contra Canones ab eo procurato litem ei mouere voluiſſet Ioannes, apud Cæſarienſem Metropolitam id conuenienter efficere potuiſſet.

Aduerſus Epiphanium autem lite quidem agere apud Cæſarienſem Epiſcopum non poterat, quia Epiphanius Cæſareæ Palæſtinæ Metropolitano ſubditus non erat: ſed cùm Cypri Metropolitanus eſſet, nonniſi apud ſuum Primatem ſeu Patriarcham, eum in ius vocare poterat: querimoniam tamen ad Cæſarienſem deferre poterat, vt & ipſe aduerſus illum commoueretur, vt iniuriæ ipſi quoque illatæ, in cuius prouincia ordinationes indebitas peregiſſet, reparationem proſequeretur. Ad vtramque ergo ſedem ſingulari iure potuiſſe ſecundum Canones querimoniam ſuam Ioannem Hieroſolymorum deferre contendit ibi Hieronymus, & culpæ adſcribit Ioanni, quòd vtroque neglecto ad Theophilum Alexandrinum libellum, tam defenſionem quàm querimonias continentem ſcripſiſſet: vtriuſque autem neglectum vocat neglectum Metropolitani; nam & prouinciæ caput, cuiuſmodi erat Cæſarienſis maximè propriè; & Diœceſeos caput, interdum etiam Metropolitanus vocari ſolet, competentem vtrique ſcribit hunc honorem debuiſſe Ioannem, vt ea quæ in ſuo Epiſcopatu querimoniâ vel defenſione digna acciderent, renuntiaret.

Obiter duntaxat Theoſebæ Diaconi Tyrij meminit Hieronymus, nec plus Antiocheno detulit, quàm Cæſarienſi Præſuli: non enim ſimpliciter dixit Antiochiam potiùs literas eſſe dirigendas, quàm Cæſaream; ſed tantùm ex hypotheſi, quod procul expetendum iudicium eſſet, id eſt, ad maius tribunal cauſa deferenda, & vlteriùs quàm apud ſimplicem Metropolitanum negotium promouendum: ſed, etſi apud Antiochenum, vt pote maioris dignitatis Præſulem, potiùs quàm apud Cæſarienſem Ioannem vellet Hieronymus rationem ſuæ doctrinæ reddere, & Epiphanium alióſque per literas incuſare; non tamen hoc impediret, quominùs Cæſarienſem Antiſtitem competentem iudicem eorum, quæ in Palæſtina contra Canones facta eſſent clarè dixerit: quin Ioannes eum Metropolitanum nuncupauerit; quin apud eum ſe purgare debere Ioannem ſcripſerit; denique quin teſtimonio Hieronymi pateat Cæſaream totius Palæſtinæ, ac ipſorum Hieroſolymorum Metropolim fuiſſe. Vrget iterùm aduerſarius, non dixiſſe Hieronymum Hieroſolymorum Eccleſiam Cæſareæ Palæſtinæ ſubditam fuiſſe: ſed tantùm *ſecundum Canones Nicænos* oportuiſſe Ioannem, ſi quam haberet pro crimine in prouincia commiſſo querelam, ad caput prouinciæ, putà Cæſarienſem Antiſtitem deferre, cui Monachi Monaſterij Hieronymi certiſſimè ſuberant, & cui Ioannem ipſum ſubiectum eſſe prætendebat ipſe: vel certe ad Antiochenum Patriarcham eum deferre debuiſſe, quem certiſſimum eſſet totius Diœceſis Orientis, cuius prouincia erat Palæſtina, eſſe ſubiectum.

Verùm inſtantia friuola eſt: nam ex dictis conſtat clariùs dixiſſe Hieronymum Ioannem Hieroſolymorum, Cæſareæ Palæſtinæ Antiſtiti ſubiectum fuiſſe, quàm Monachos Palæſtinos ſubditos eſſe: nec optionem illi concedit ad Cæſarienſem vel Antiochenum querimoniam deferendi, eò quòd huius certiora eſſent iura in Hieroſolymorum Antiſtitem, illius verò obſcuriora; ſed quòd cauſa, de qua agebatur eſſet Religionis, & aduerſus Metropolitanum Cypri querimonia præſertim agitaretur, & terminandæ litis maiori auctoritate polleret Antiochenus, quàm Cæſarienſis.

Coniecturæ porrò quibus vtitur aduerſarius, ſi quid probarent, æquè proba-

rent Antiocheno non fuiſſe ſubditum Hieroſolymorum Antiſtitem, quàm non fuiſſe ſubditum Cæſarienſi: at ſaſſus eſt ibi non ſemel Antiocheno Diœceſeos Orientis Exarcho Hieroſolymorum Antiſtitem ſubditum fuiſſe. Cur ergo poſteà obiicit, quòd ſi Gelaſium Cæſarienſem aut Antiochenum Antiſtitem Ioannes pro Metropolitano admiſiſſet, non contentus fuiſſet Hieronymus, cuius Monaſterium à Ioanne interdictum fuerat, communionem Gelaſij obtinere, ſed à ſententia interdicti aduerſus Monaſterium ſuum lata prouocaſſet; Nec Gelaſius abſtinuiſſet à vocando in ius Ioanne, nec eum ſi deſeruiſſet vadimonium quietè agere permiſiſſet, ſed apud Antiochenum Patriarcham egiſſet, vt commentarium prouocatorium proferret: Nihil autem eorum in hac cauſa factum legimus, nam nec Hieronymus à Ioannis ſententia prouocaſſe, nec Gelaſius vllam auctoritatem in Ioannem exercuiſſe, nec Antiochenus Exarchus tanquam iudex ab vllo aditus legitur. Cur, inquam, illud obiicit, quandoquidem Antiocheni poteſtatem in Hieroſolymitanum æquè illud impugnat, ac Cæſarienſis?

Addit vnum aduerſus ſummi Pontificis poteſtatem conſectarium, quod non eſt huius loci. Coniectura verò quâ vtitur aduerſus Metropolitani Cæſarienſis poteſtatem, in multis peccat.

Primò, quod, vt obſeruauimus, æquè, vt ipſa eius verba ferunt, Antiocheni ac Cæſarienſis auctoritatem Ioanne Hieroſolymorum ſuperiorem probet, ſi quid probet; pari enim facilitate qua quæritur, cur Hieronymus ad Cæſarienſem Metropolitanum non prouocauerit, ſi Cæſarienſis Epiſcopo Hieroſolymorum fuit ſuperior; quæri poterit cur ad Antiochenum non prouocauerit, ſi Antiocheno ἀμέσως Hieroſolymitanus ſubditus fuerit, & quæ ratio erit, cur Cæſarienſis Ioannem in ius minimè vocauerit, eadem ratio erit cur Antiochenus non ſiſtere Ioannem coram ſe coegerit.

Peccat ſecundò, quia eodem artificio quo aduerſarius vtitur, certiſſima quæque deſtrui poſſint. Nam nihil tam in antiquis ritibus & inſtitutis certum, cuius non ratio explicandi incerta ſit dum ad ſingulares circumſtantias deſcenditur: quare quantumcumque ignota nobis ſint acta quæ in diſceptatione inter Hieronymum, & Ioannem contigerunt, non ſequitur nulla huiuſmodi acta fuiſſe, aut Cæſarienſem antiſtitem pro iudice agnitum non fuiſſe.

Peccat tertiò, quia quantumcumque ponamus Metropoliticam Cæſarienſis, & Exarchicam Ioannis auctoritatem in Ioannem Hieroſolymorum agnitam fuiſſe, quam clarè aſſerit Hieronym. potuerunt tamen occurrere infinitæ prope rationes eidem Hieronymo cur aduerſus Ioannem lite agere noluerit; quod ab eo pati maluerit dura quæque, quàm de ipſo apud iudicem queri, & intempeſtiuè litem mouere, diſcordiarum ſeminarium, atque vnitati Eccleſiaſticæ nocituram: cur ſimiliter Cæſarienſis & Antiochenus antiſtites tacere ſatius duxerint, & rem componendam potius exiſtimarint amicabiliter, quàm contentioſè diſceptandam. Igitur coniecturæ aduerſarii friuolæ & inanes ſunt, ſingulis tamen reſpondere placet aduerſarii quæſtionibus.

Quærit cur Hieron. à ſententia interdicti aduerſus Monaſterium ſuum per Ioann. lata non prouocarit ad Cæſarienſem. Nego ſententiam iſtam Ioannem tuliſſe; quî tu id probas? an forte ex eo quod dixerit Hieronym. Ioannem Bethleem Preſbyteris ſuis mandaſſe, ne competentibus Monaſterii, in quo degebat, Hieronym. in Paſcha baptiſmum traderent? an quia ſtatuerit, vt Eccleſiam prohiberetur intrare qui Paulinianum ab Epiphanio Epiſcopo conſecratum diceret? an quia tum ipſe Hieronymus, tum qui cum eo verſabantur, tanquam excommunicati *ſpeciem Domini* (ſepulchrum interpretor) *videre prohiberentur?* quæ omnia habet Hieronym. prædicta epiſt. 60. ad Pammachium, ſed nihil eorum Monaſterium Hieronymi interdictum demonſtrat: imò nec interdici potuit Monaſterium Hieronymi à Ioanne Hieroſolymitano, etenim in eo morabatur Hieronymus in quo ordinatus eſt Paulinianus ab Epiphanio, teſte Epiphanio epiſt. 60. *ad Ioannem* cap. 1. Monaſterium autem illud teſte eodem ibidem, non erat ſub poteſtate Ioannis, nec in Helienſi, ſed in Eleuteropolitano territorio ſitum, vt teſtatur Hieronymus epiſt. 62. *ad Theophilum*, cap. 3. videturque fuiſſe in ſuburbio Bethleem: nam Eccleſia in qua erat iuxta Monaſte-

rium iſtud in qua conueniebant Monachi, *Eccleſia villæ* vocatur ab Epiphanio cap. 1. citato epiſt. *ad Ioannem:* Bethleem quidem parebat Ioanni Hieroſolymorum ex cap. 16. epiſtolæ Hieronymi ad Pammachium: ſed ſuburbium in alterius Epiſcopi poteſtate ſitum erat. Quid ergo fecit Ioannes Preſbyteris ſuis? communionem cum Hieronymo, & eius Monachis Clericis ſuis interdixit; in territorio ſuo communionem ſuam illis denegauit, & denegari iuſſit; excommunicare propriè in alieno territorio verſantem non potuit; ſed ſuam duntaxat illi & ipſius Monachis communionem ſubtraxit; ſicut & Ioanni viciſſim nec Hieronymus, nec alij plurimi communicabant, vt patet ex epiſt. 61. citata cap. 21. & 25.

Iſtam verò ſubſtractionem communionis ab homine, quem deuitarent Catholici, & cui nequaquam ſubditus erat, curaret Hieronymus præſertim, & Cæſarienſis, & Metropolitæ, & omnium Catholicorum Epiſcoporum communione tutus? Cæſarienſi ipſum communicaſſe iam ab ipſo accepimus: cum Epiſcopis communionem habuiſſe teſtatur ſimiliter epiſt. 60. cap. 16. dicens, *His nos blandimentis bonus paſtor inuitat ad pacem, & proprium arguit facere Principatum, qui omnibus Epiſcopis rectam duntaxat fidem tenentibus, & communione, & charitate ſociamur.* Quin etiam nec in ipſa vrbe Bethleem, quæ ſubiacebat Hieroſolymorum Antiſtiti, magnam habuiſſe rationem prohibitionis à Ioanne factæ Preſbyteros ipſius probabile eſt; quandoquidem dicat idem Hieronymus ſe & omnem domum Bethleem in Eccleſia communicare cap. 16. toties laudato; quod ergo non fore neceſſarium putauit Hieronymus aduerſus Ioannem inaniter contra ipſum tonantem litem agere, nec ſe abſolui petiit à ſententia Ioannis, à quo non poterat ligari: communionem ſubtrahenti Epiſcopo ſuam Preſbyter denegauit, tutus communione ſui Metropolitani de Ioannis communione non curauit.

Quantos ex lectione diſcimus qui etiam damnati, ſolæ Romanæ Eccleſiæ vel etiam ſuperioris throni ad communionem admiſſi ſufficienter ſe purgatos exiſtimarunt? de Cæciliano in Concilio Africæ damnato ait Auguſtinus epiſt. 162. *Epiſcopis Donatiſtarum: Potuiſſe non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cùm ſe videret & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias literas eſſe coniunctum.* Vtrùm tamen Ioannem ad Cæſarienſem Metropolitanũ citandum curauerit Hieronymus, neſcimus; nónne incuſatur ab Hieronymo epiſt. aduerſus *eius errores*, cap. 4. quòd *Palæſtinæ prouocatus, Alexandriæ loqueretur?* nónne & teſtium ab Epiphanio aduerſus eum productorum paulò antè meminerat, quos Ioannes *nollet audire productos:* & cap. 2. ſic eum interpellat, *Cur ab alio prouocatus aliorſum arma conuertis? Palæſtinæ interrogaris, & reſpondes Ægypto.* Quid ſcimus an Gelaſius Cæſarienſis aduerſus eum aliquid egerit? an agere conſentaneum duxerit? an non exiſtimauit ſatius eſſe præſtolari, donec ratione animus quieſceret, & contentiones pacificè componi poſſent? maximè cùm non omnis aduerſus Epiſcopos accuſatio facilè admitti debeat, præſertim ſi ſine vnitatis Eccleſiaſticæ detrimento admitti non poſſit? Quid ſcimus an Gelaſius priùs conatus fuerit ad bonam frugem Ioannem reducere, antequam aduerſus eum duriùs ageret, metuens ne leuis iſta ſcintilla magnum excitaret incendium? Quid tandem ſcimus nùm cogendæ Synodi occaſio ei non occurrerit, ſine qua nec vllum ex Suffraganeis, nec tantæ dignitatis in ius vocare aut agere aduerſus eum potuit. Hæc & alia innumera occurrere poſſunt, quæ aduerſarij quæſtionibus omnibus plenè ſatisfaciant.

§. IV.

Alia duo argumenta, quibus probatur Eccleſiæ Cæſar. prærogatiua ſupra Hieroſolymitanã.

ADDIMVS duo alia argumenta. 1. refert Marcus Diaconus in narrat. rerum geſtarum S. Porphyrij Epiſcopi Gazenſis cap. 9. 10. 11. 12. apud Surium 26. Februarij, ſanctum iſtum Porphyrium, cuius coætaneus ac miniſter fuit, à Praylio Epiſcopo Hieroſolymitano Presbyterum ordinatum fuiſſe; eundem tamen cùm Eccleſia Gazenſis vacaret, à Ioanne Archiepiſcopo Cæſarienſi vocatum fuiſſe, vt illius ciuitatis ordinaretur Antiſtes. Ex qua narratione duo colligimus: 1. Gazenſem Eccleſiam, quæ poſteà vna fuit, ex Suffraganeis Epiſcopi Hieroſolymitani Cæſarienſi Archiepiſcopo tunc temporis ſubditam fuiſſe.

Alterum, ſuperioris etiam auctoritatis Cæſarienſis Metropolitani in Hieroſolymorum Eccleſiam illud argumentum eſſe, quòd Porphyrium Clero Hieroſolymitano adſcriptum, & in ea Presbyterum ordinatum, ac ſacri ligni officio cuſtodiendi mancipatum auſus fuerit Epiſcopus Cæſarienſis ad ſe vocare, & ſine ſententia Epiſcopi Hieroſolymitani ordinare, cùm tamen Canones nonniſi hoc Metropolitanis, vel aliis Primatibus concedant.

Nihil moror ſuſpectam iſtarum rerum geſtarum fidem, circa plura quæ Chronologiam ſpectant: nam, ſicut fatemur, circa nomina ſæpiùs in his, ſimilibúſque, vt vocant, legendis erratum; qui errores Chronologiam denſiſſimis tenebris inuoluunt; tamen circa res in his erratum non facilè vnuſquiſque ſuſpicari debet, vbi ab auctoribus coætaneis conſcriptæ ſunt.

Alterum, quia vnum ex tribus neceſſum eſt, vel Hieroſolymitanum Antiſtitem ante Concilium Epheſinum per ſe ſolitariè Eccleſiam ſuam rexiſſe, exemptum à poteſtate Cæſarienſis Epiſcopi, Antiocheno ἀμέσως ſubiectum, nullos tamen habentem Suffraganeos, nullius prouinciæ caput conſtitutum: vel ipſum volunt prouinciæ Palæſtinæ Metropolitanum fuiſſe: quam tunc temporis vnicam fuiſſe prouinciam Eccleſiaſticam conſtabit ex dicendis, nec niſi poſteà in plures diuiſam: vel denique Epiſcopum fuiſſe prouinciæ Palæſtinæ Suffraganeum Cæſarienſis Metropolitani, eiq; ſubditum. Duo priora falſa ſunt: neceſſe eſt ergo vltimum verum eſſe. Primum videtur is aduerſus quem agimus intendiſſe: quamuis argumenta quæ profert, vel nullam vim habere, vel ſecundum probare neceſſum ſit.

Refellitur autem vtrumq; iis rationibus, quia Cæſarienſem & Hieroſolymitanum in eadem prouincia inſtitutos fuiſſe patet, tum ex Synodis Palæſtinis in quibus vterque locum habuit, tum ex variis ordinationibus, quas vterque communiter peregerunt: vel ſibi inuicem Hieroſolymitanus Cæſarienſi, Cæſarienſis Hieroſolymitano impenderunt: nam v. g. ſubſtracto ex hominum conſortio Narciſſo, cùm quo in loco eſſet, vnumquemque lateret, refert Euſebius finitimis Epiſcopis viſum alium in eius locum eligere: eodem Narciſſo redeunte, & cùm præ ſenio Eccleſiam adminiſtrare non poſſet, finitimis quoq; communi conſilio Hieroſolymitanorum ſibi Alexandrum alterius loci Epiſcopum depoſcentium vota probata fuiſſe narrat lib. 6. cap. 9. Cyrillum Hieroſolymitanum à prouinciæ Epiſcopis ordinatum refert Synodus Conſtantinop. I. epiſtolâ Synodicâ *ad Damaſum, aliòſque Occidentales.* Sed & idem Euſebius refert lib. 6. cap. 17. Origenem, cùm in Græciam per Palæſtinam iter faceret, manus impoſitionem Cæſareæ ſuſcepiſſe πρὸς τῶν τῇδε ἐπισκόπων, *Ab iis qui illic erant Epiſcopi:* quinam autem eſſent illi Epiſcopi ſignificauerat eiuſdem lib. cap. 7. iis verbis, *Et quoniam Theoctiſtus Cæſareæ Epiſcopus, & Alexander Hieroſolymorum ſpectati in primis, & præſtantes præ cæteris Palæſtinæ Epiſcopis* (τῶν κατὰ Παλαιστίνην οἱ μάλιστα δόκιμοι καὶ διαπρέποντες) *ampliſſimâ dignitate & ſummo honoris gradu Origenem dignum arbitrati, manus illi, vt Presbyterio fungeretur, impoſuerant.* Eundem pariter cap. 13. Origenem in eadem vrbe Cæſareæ non ad diſputandum ſolùm, ſed ad Scripturas etiam aperiendas in communi Eccleſiæ conſeſſu rogatum ſcribit, antequam Presbyter deſignatus fuiſſet: auctores huius conſilij Epiſcopos denotat eoſdem Alexandrum Epiſcopum Hieroſolymorum, & Theoctiſtum Cæſareæ, quos ait pro defenſione Origenis ad Demetrium ſcripſiſſe; quæ ſanè oſtendunt Cæſaream Metropolim fuiſſe, & ad eam pro prouinciæ negotiis Alexandrum Hieroſolymorum tanquam primæ Sedis poſt Cæſarienſem inter Palæſtinæ Epiſcopos, ſeu primi honore Suffraganei decoratum acceſſiſſe pro communibus prouinciæ negotiis: huc etiam adde, quòd Epiphanius hæreſi 73. Philomenem Cæſareæ à Cyrillo Hieroſolymitano ordinatum refert: Theodoretus epiſt. 10. *Domno Antiocheno*, à Praylio Epiſcopo Hieroſolymitano Domninum Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopum digamum ordinatum obſeruet; quemadmodum & viciſſim Acacium Cæſarienſem Epiſcopos Hieroſolymitanos ordinaſſe quos vellet, colligimus ex Hieronymo in Chronico ad annum 351. Epiphanio hæreſi 73. & aliis. Arguunt enim iſta eiuſdem prouinciæ fuiſſe Cæſarienſem Epiſcopum cum Hieroſolymitano, quandoquidem communis lex fuerit, in prouinciis ſui iuris, vt à Metropolitanis Suffraganei prouinciæ, à Suffraganeis, præſertim ab eo qui dignior eſſet, Metropolitani ordinarentur.

Digitized by Google

Sed hoc euidentiùs probaot Synodi variæ Palæſtinæ, in quibus Hieroſolymorum Antiſtes cum Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopo, & cęteris prouinciæ Epiſcopis conueniſſe leguntur. Sed in his illud etiam obſeruandum eſt, Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopo primas partes delatas fuiſſe, & ſecundum poſt illum honoris gradum Hieroſolymitano: nam verbi gratiâ de Synodo Palæſtina tempore Victoris Papæ hæc ſcribit Euſebius lib. 5. cap. 22. *Decretum Epiſcoporum, qui tunc erant in Palæſtina conuocati, ad hanc vſque ætatem cuſtoditum eſt.* ὧν προὐτέτακτο Θεόφιλος ὁ ἐν Καισαρείᾳ παροικίας ἐπίσκοπος, καὶ Νάρκισσος τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις, *in qua Synodo primum locum tenuerunt Theophilus Cæſareæ Epiſcopus, & Narciſſus Hieroſolymorum:* extant autem acta illius Synodi apud Bedam de æquinoctio vernali, ex quibus apparet Theophilum Concilium Victoris Papæ iuſſu coegiſſe, & eidem tanquam Metropolitanum præfuiſſe: nam ad eum *Cæſarienſis Palæſtinæque Antiſtitem* (Cęſarienſis nimirùm ciuitatis Epiſcopum Palæſtinæ Metropolitanum) litteræ ibidem ſcriptæ referuntur à Victore Papa; ipſe eandem auctoritatem ad ſe miſſam in Concilio allegaſſe legitur: quæſtionem propoſuiſſe, Epiſcoporum ſuffragia collegiſſe; quare quæ Eccleſiæ Hieroſolymitanæ honoris prærogatiua deferebatur, non impediebat quominùs Metropolitani Cæſarienſis auctoritas, primúſque locus in Conciliis prouinciæ ſeruaretur. Quædam autem ex iis quæ in illis actis habebantur referens Euſebius lib. 5. c. 25. Narciſſum & Theophilum à duobus, qui ex Phœnice conuenerant, Tyri & Ptolemaidis Epiſcopis, & cæteros quoque Epiſcopos ab iſtis diſtinguit; ſic enim loquitur, *Epiſcopi verò quos modò percenſuimus, Narciſſus, & Theophilus, & vnà cum illis Caſſius Eccleſiæ Tyri Epiſcopus, & Clarus, qui Ptolemaidis rexit Eccleſiam, quique cum iſtis in Palæſtina in vnum conuenerant:* quam diſtinctionem ex profeſſo adhibet, quia primores Concilij ex eadem prouincia erant, Narciſſus & Theophilus, extranei Caſſius & Clarus, quorum prior erat Metropolitanus; cæteri inferiorum ſedium in Palæſtina Epiſcopi erant. In Synodo quoque Hieroſolymitana ex variis Epiſcopis diuerſarum prouinciarum ad encænia conuenientibus conflata, prærogatiuam Metropolitæ Euſebio Cæſarienſi ſeruatam collige ex iis verbis eiuſdem Euſebij lib. 4. *de vita Conſtantini*, cap. 45. *quo etiam in loco noſmetipſi, cui multa ſuprà noſtram dignitatem tributa ſunt, publicis iiſque ſanè variis orationibus celebritatem illam exornabamus*, &c. In eo autem Concilio dolis prædicti Euſebij, Arrij confeſſionem ſubdolam probatam, & Arrium ipſum receptum leges apud Athanaſium Apolog. 2. Habemus & aliam Synodum Palæſtinam tempore Innocentij I. quæ Dioſpoli habita eſt, cuius mentionem facit Auguſtinus retractationum lib. 2. cap. 27. cui Epiſcopos quatuordecim interfuiſſe refert, propriiſque nominibus numerat lib. 1. cap. 5. *contra Iulianum*, & quidem primo loco *Eulogium*, ſecundo *Ioannem*: Eulogium, inquam, Cæſarienſem Epiſcopum Gelaſij ſucceſſorem: Ioannem verò Hieroſolymitanum, aduerſus quem ſcripſit Hieronymus, & qui huic Concilio interfuiſſe narratur in epiſtola Luciani encyclica *de reuelatione Reliquiarum ſancti Stephani*, & aliorum. Quin etiam ſtatim poſt Concilium Sardicenſe, Hieroſolymis ex Epiſcopis Palæſtinis & Syris, Maximum huius vrbis Epiſcopum Synodum collegiſſe in præſentia Athanaſij, teſtis eſt tum ipſe Athanaſius Apolog. 2. & epiſtolâ *ad ſolitariam vitam agentes*, tum Socrates lib. 2. cap. 19. quo loco expreſsè *Maximum ex Syria & Palæſtina Epiſcopos accerſiſſe* dicit; & cap. 21. *Concilium* vocat *à Maximo coactum:* ſexdecim Epiſcopi ab Athanaſio nominantur, qui interfuerint Apolog. 2. *ab omnibus* verò idem Athanaſius *Palæſtinæ Epiſcopis*, præter duos aut tres, ſe cum pace receptum refert prædictâ epiſtolâ; & certè clarum eſt iis verbis excipi ab Athanaſio Acacium Cæſarienſem, & Patrophilum Scythopolitanum, & ſi qui alij fuerint Patroni Arrianæ hæreſeos.

Quare exemplo allato confirmatur quidem conſociatio Maximi Hieroſolymitani cum reliquis Palæſtinæ Epiſcopis, ſed non probatur auctoritas Metropolitica Hieroſolymitani Epiſcopi in cæteros Epiſcopos Palęſtinæ: quandoquidem potuit Hieroſolymitanus Antiſtes primæ ſedis Antiſtes poſt Metropoliticam, & potiſſimæ dignitatis inter Epiſcopos, Acacij Metropolitani Cæſarienſis à Concilio Sardicenſi excommunicati vicefungi, & orthodoxos colligere, eo tempore quo Acacius Athanaſio, & Catholicæ fidei inſidias parabat.

Cæſarienſem

Cæſarienſem porro Metropolitanum fuiſſe totius Palæſtinæ hæc confirmant.

Primùm, quod Theoctiſtus inter præcipuos ſedi Antiochenæ ſubditos Metropolitanos, à quibus ipſe acceerſitus fuerit ad Synodum Antiochenam, referat Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 2. cap. vlt. quo tempore videtur vacua fuiſſe ſedes Antiochena per obitum Fabii vt ex eodem capite coniicies.

Alterum, quòd Theotechnus Cæſareæ Palæſtinorum Epiſcopus nouo exemplo ſibi ſucceſſurum Epiſcopum deſignaſſe, atque ordinaſſe ſcribatur ab Euſebio libro ſeptimo capite vigeſimo ſexto, cùm tamen Epiſcoporum alicuius prouinciæ ordinatio ad Metropolitam ſpectet, ſine quo etiam aggredi aliquid quod magni ſit momenti ſuffraganei prohibentur, vnde vel hoc facto ſe Cæſarienſis nulli Metropolitano ſubditum fuiſſe teſtatus eſt. Tertium, quòd Cæſarea tum dicto capite 26. libro 2. tum vigeſimo primo libri quinti, & alibi, *Cæſarea Palæſtinorum* dicatur, non alia certe ratione quàm quod Palæſtinis omnibus præſideret, ſed clariùs Theodoretus libro 2. capite 27. Cæſaream τὴν Παλαιστίνων μητρόπολιν appellat.

Quartum, quòd Nicetas libro quinto theſauri capite decimo quinto, referat Macarium damnatum ab Acacio Cæſarienſi, quòd ipſius Synodo ſæpe vocatus, non comparuiſſet, ſed ad maius tribunal prouocaſſet, quæ narratio ab aliis prætermiſſa, videtur incerta. Sed illud de Macario ab Acacio damnato falſum videtur: ſed illud certum, Maximum Hieroſolymitanum ab Acacio Cæſarienſi expulſum, cuius rei teſtes ſunt Socrates lib. 2. cap. 38. Sozomenus libro quarto capite vigeſimo. Certum item ab eodem Acacio Cyrilium Hieroſol. leuem ob cauſam depoſitum, & Eccleſia expulſum, eiuſque depoſitionem ab Acacio factam in Palæſtina, in Conciliis Seleucienſi, & Conſtantinopolitano fuiſſe confirmatam: quorum mentionem faciunt Theodoretus lib 27. & 28. Socrates lib. 2 capitibus 31. 32. & 33. Sozomen. libro quarto capitibus vigeſimo primo & vigeſimo quarto, Philoſtorgius libro quarto capite duodecimo, & quidem ſpeciatim Sozomenus tres cauſas profert ob quas in Concilio Seleucienſi abdicatus fuerit Cyrillus, quorum prima videtur abdicatione eius ab Acacio facta poſterior eſſe, ſecunda abdicationem ab eodem Acacio factam confirmat; nã ei vitio ducitur quòd cùm abdicatus eſſet, Baſilio Ancyrano & Georgio Laodicæno communicaret, quod & Baſilio obiectum ab Acacio notat Philoſtorgius ibidem. Tertiò vnica videtur fuiſſe, ob quam ab Acacio depoſitus primum fuerit ἐπειδὴ ἐπιλέγεται τὴν Ἱεροσολύμων ἐπισκοπὴν, περὶ μητροπολιτικῶν δικαίων διεφέρετο πρὸς Ἀκάκιον τὸν Καισαρείας, ὡς ἀποστολικοῦ θρόνου ἡγούμενος, *quod cam Epiſcopus Hieroſolymorum conſtitutus eſſet, velut ſedis iam Apoſtolicæ antiſtes cum Acacio Epiſcopo Cæſareæ de iure Metropolitico diſſenſiſſet.* Quis verò miretur Cyrillum Hieroſolymitanum recte de fide ſentientem Maximo & Macario orthodoxis ſuccedentem, iniquè tuliſſe Acacium Cæſarienſem Euſebii ſimiliter hæretici ſucceſſorem abuti ſua auctoritate Metropolitica ad ſtabiliendum errorem, eique reſtitiſſe, & de primatu cum eo contendiſſe; ſuæque ſedis auctoritatem efferre conatum, vt hæretici deprimeret, ſed hoc non patienter ferentem Acacium, eaque æmulatione prouocatum aduerſus ipſum excanduiſſe, & illum leuem ob cauſam depoſuiſſe refert Theodoretus eodem cap. quòd prætextu diſciplinæ vendicandæ, & nouæ præſumptionis damnandæ Arrianos vltos aduerſus Cyrillum prædicti auctores referunt.

Quintò denique, quod Sozom. lib. 1. cap. 15. ſcribat, Arrium cùm Alexandri Alexandrini auctoritate & ſententia ab Eccleſię cõmunione eiectus eſſet, ad Paulinũ Tyri Epiſcopum, & Euſebiũ Cæſareæ Palæſtinę & Patrophilum Scythopolitanum ſe contuliſſe, vt in eorum prouinciis reciperetur: nulla ibi mentio Hieroſol. Epiſcopi, quia nulla ei prouincia ſuberat, ſed Tyrus Phœnices, Cæſarea Metropolis erat Palæſtinæ.

Ex iis igitur, & innumeris aliis quę prolatis adiungi poſſent exploratum habetur totius Palæſtinæ ante Iuuenalem Metropolit. fuiſſe Epiſcopũ Cæſareæ in eadem prouincia, Hieroſolym. vero eidem prouinciæ aggregatum, non à prouinciæ conſortio, aut vnitate diuulſum, nec à capitis auctoritate ſubductum Eccleſiam exemptam ac per ſe cohærentem gubernaſſe, inter ſuffraganeos tamen primum habitum fuiſſe ob honorem ſedis Apoſtolicæ, & forte in iis quæ ad prouinciam non ſpectarent, vel ipſo Metrop. honoris priuilegio ſuperiorem fuiſſe. Quare nudũ honorem abſq; officio, aut munere Metrop. vel Exarchico Hieroſol. Epiſcopo delatum fuiſſe concludendum eſt, eodem modo quo dixit Socr. lib. 1. c. 6. conceſſam in Synodo Nicena Meletio τὸ μὲν ἀξίαν τῆς ἐπισκοπῆς ἔχειν,

Verùm circa auctoritatem iſtam hæc notari debent. Primùm Audianorum hæc eſſe verba, non Epiphanii: nam Audiani ex conſtitutione quadam Apoſtolica quam iis verbis conceptam proferebant, *vos temporum rationes ne ſubducite, ſed eo tempore celebrate, quo fratres veſtri, qui ex circumciſione prodierunt, quamuis aberrent ipſi, nihil id vos commoueat.* Inferebant ex iis antiquam fuiſſe & diuturnam Paſchatis celebrandi cum Iudæis conſuetudinem, atque ideo Synodum Nicænam carpebant, quod Imperatoris, vt ipſi contendebant, rationem habentes Patres paternam in celebrando Paſchate conſuetudinem relinquentes eam commutaſſent, vt ſeſe ad Imperatoris nutum accommodarent, vt patet ex numero 9. & 10. eiuſdem diſputationis aduerſus Audianos. Subſumebant enim Audiani cum prædicta conſtitutione Apoſtolica Epiſcoporum ex circumciſione, qui in Eccleſia Hieroſolymorum quindecim fuerunt, morem in Paſchate celebrando totus orbis ſequi debuerit, & hi cum Iudæis celebrarint: toto iſto tempore Paſcha Iudæis celebratum fuiſſe, atque adeò innouatum fuiſſe auitum morem in Nicæna Synodo, dum Synodus cum Iudæis definiuit Paſcha non eſſe celebrandum.

Alterum, nihilominus quia Epiphanius huic obiectioni reſpondens admittit Epiſcopos Hieroſolymitanos, qui ex circumciſione prodierant, conſtitutos ab Apoſtolis, ex eo tempore duces & auctores cæteris fuiſſe vt tempus, quo Paſcha celebrari deberet, reliquis notum facerent; adeovt etiam illos orantes ſequi oporteret.

Ideo ad auctoritatem iſtam reſpondendum eſt, Epiphanium tria reſpondiſſe ad iſtam obiectionem Audianorum: primùm, librum quem proferebant dubiæ fuiſſe fidei, non tamen improbandum; nam in iis quæ ad Eccleſiæ diſciplinam attinent omnia comprehendi, neque quidquam aut in fide ac Catholica profeſſione deprauatum, aut Eccleſiæ adminiſtrationi aut decreto contrarium reperiri.

Alterum, Audianos conſtitutionem Apoſtolorum malè interpretatos fuiſſe quaſi decretum ea conſtitutione fuiſſet decima quarta Lunæ cum circumciſis Paſcha eſſe celebrandum, cùm aliud cautum eſſet, nimirum, non vt cum his qui è circumciſione ſunt, ac proinde ſecundùm legem Moſaïcam celebrant Paſcha decima quarta Lunæ, ſed cum iis qui ex circumciſione ad Eccleſiam tranſierunt, ac proinde Iudaicos ritus abiecerunt, & Chriſtianæ Eccleſiæ aſſumpſerunt, Paſcha celebrandum eſſe.

Tertium, decretum iſtud κατ' οἰκονομίαν, & ad tempus editum fuiſſe, ad hominum mentes in vnam Eccleſiæ ſocietatem religandas, & ad pacem ac concordiam adſtringendã.

Secùndò, ex eo proinde decreto non poſſe inferri Hieroſolymitanæ Eccleſiæ priuilegium vllum aut Metropoliticum aut Exarchicum, ſicut enim cycli Paſchalis conficiendi, vt patet ex epiſt. 64. Leonis Papę *Martiano Auguſto*, & 65. *ad Eudoxam Auguſtam*, ac Theophili & Cyrilli Alexandrinorum Homiliis Paſchalibus, Alexandrinæ Eccleſiæ cura commiſſa eſt, non ob iſtius Eccleſiæ auctoritatem in cæteras, ſed ob Aſtronomiæ peritiam in qua excelluerunt Ægyptii, ita ad tempus Epiſcopis Hieroſolymorum, qui ex circumciſione prodierant, & ſupputationis per Lunas more Iudaici populi ineundæ peritiſſimi erant, illiuſque diſciplinæ Eccleſiaſticæ partis valde ſtudioſi, cura committi potuit, etiamſi nulla ipſis, aut Metropolitica aut Exarchica poteſtas ineſſe crederetur.

Tertiò, falſum eſſe ab Apoſtolis decretum, vt cum circumciſis, aut iis qui ex circumciſione crediderant Paſcha celebraretur; conſtitutiones Apoſtolicas à Clemente conſcriptas libro quinto cap. 15. contrarium definire, ad eamque rationem Paſchatis celebrandi fideles adſtringere, quæ in vſu deinceps in Eccleſia fuit, etiam in Eccleſia Hieroſolymitana, vt ex Conciliorum variorum decretis etiam Palæſtinæ à Theophilo Cæſarienſi habitæ tempore Victoris Papæ innoteſcit: nullum iſtius decreti veſtigium prioribus temporibus legi. Verum quidem eſſe aliquot Apoſtolos initio ſe Iudæis accommodaſſe quoad tempus celebrandi Paſchatis; ſed id ſolis Aſiaticis Eccleſiis diu obſeruatum à Ioanne legimus; nam & Eccleſiam Hieroſolymitanam cum Romana, & cæteras conſenſiſſe tempore Theophili Cæſarienſis exploratum eſt teſtimonio Euſebii libro 5. cap. 23. Socratis lib. 5. cap. 22. & aliorum.

Obiicitur tertiò, Euſebium Cæſarienſem Epiſcopum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſucceſſionem à Iacobo continua ſerie deductam in ſua hiſtoria proſecutum fuiſſe. Cæſarienſium Epiſcoporum non meminiſſe ante Narciſſum, qui trigeſimus tantũ in ordine Epiſcoporum Cæſarienſium fuit, Epiphanium hæreſi ſexageſimâ ſextâ, eandem in Catalogo Hieroſolymitanorum Epiſcoporum contexendo diligentiam adhibuiſſe.

Sed hæc enumeratio tam accurata præſulum Hieroſolymitanorum non probat vllam in Eccleſia Hieroſolymitanâ iuriſdictionis, & auctoritatis, ſed honoris duntaxat præ-rogatiuam, non enim profertur aut ab Epiphanio, aut ab Euſebio tanquam neceſſaria nota, aut teſſera Catholicæ communionis, quemadmodum ab Irenæo libro 3. capite 3. Optato libro ſecundo, Auguſtino epiſtolâ quadrageſimâ ſecundâ contra epiſtolam fundamenti, & alibi, Romanæ Eccleſiæ ſucceſſio profertur, *Vnde*, ſcilicet *vnitas Sacerdotalis*, teſte Cypriano, *exorta eſt*.

Sed profertur aliis titulis, & quia Apoſtolica erat Eccleſia, à qua proinde traditiones Eccleſiæ aduerſus hæreticos hauriri, & interrupta Eccleſiæ ſucceſſio deſumi poterat, eodem modo quo conformitatem in doctrina, & communionem cum Theſſalonicenſi, Corinthiaca, & aliis Apoſtolicis Eccleſiis vrgent Tertullianus libro *de præſcriptionibus*, Optatus libro ſexto, Auguſtinus libro ſecundo capite 37. *contra Creſconium*, quo loco Auguſtinus inter plures Apoſtolicas Eccleſias Hieroſolymitanæ meminit, & quia Eccleſia vniuerſa ex Iudæis & Gentibus conflata eſt, ita tamen vt qui primi erant facti fuerint nouiſſimi, & ad populos Gentiles hæreditas tranſlata ſit: ideo conſentaneum duxerunt ſancti iſti Patres vt Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ex Iudæis collectæ tam ſtudioſè ſucceſſionem cuſtodirent: quæ ratio fuiſſe videtur, cur Auguſt. lib. 2. contra Petilianum cap. 52. Romanæ Eccleſiæ Hieroſolymitanam coniunxerit, vt vniuerſæ Eccleſiæ Catholicos communicare aduerſus Donatiſtas oſtenderet.

Obiicitur quarto, in epiſtola Synodica Concilii Antiocheni aduerſus Paulum Samoſatenum apud Euſebium libro ſeptimo capite vigeſimo quarto (nam malè citatur trigeſimum) poſt Helenum Tarſi, Hymenæum primo loco referri ante Theophilum Tyri, Theotecnum Cæſareæ, & alios Metropolitanos; cui addi poteſt, quod Euſebius libro ſeptimo capite vigeſimo ſecundo, illuſtres ea ætate Epiſcopos numerans, qui ad Synodum aduerſus Paulum Samoſatenum commouerant, illos hoc ordine recenſeat, *Firmilianum Cæſareæ Cappadociæ, Gregorium & Athenodorum fratres Paſtores Eccleſiarum quæ ſunt in Ponto, Helenum Tarſi, Nicomam Iconii, Hymenæum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopum, & Theotecnum, qui Cæſareæ Paleſtinæ, Hieroſolymis finitimæ adminiſtrationem obtinuit*: vbi nota Cæſarienſem antiſtitem ſubiungi Hieroſolymitano, & tanquam per notiorem Hieroſolymam Cæſarienſem ciuitatem explicari.

Addit aduerſarius Concilio aduerſus Quartadecimanos apud eundem Euſebium lib. 5. cap. 22. præfuiſſe Theophilum Cæſareæ Palæſtinæ, & Narciſſum Epiſcopum Hieroſolymitanum, & cap. 25. dum Epiſcopi referuntur, qui eidem Concilio interfuerunt, Narciſſum nominari ante Theophilum.

Verùm hæc prærogatiua non oſtendit priuilegium aliquod aut Metropoliticum, aut Exarchicum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, ſed meram duntaxat honoris prærogatiuam quam eidem vendicamus, reuera enim præſidis Concilii officio functum ſolum Theophilum patet ex iis quæ diximus, nimirum ad eum ſolum pro conuocando Concilio Romanum Victorem ſcripſiſſe, eum ſolum Epiſcopos Palæſtinos conuocaſſe, ſolum agitanda in Concilio propoſuiſſe; ideoque præſidentiam tantum honoris, non munus præſidendi Narciſſo conueniſſe. Nihilominus obſeruandum Epiſcopum Hieroſolymorum non ſemper nominari ab Euſebio, & aliis ab eo relatis ante Cæſarienſem: nam lib. 5. cap. 25. Theophilus Cæſarienſis ab Euſebio nominatur ante Narciſſum Hieroſolymorum in Synodo Palæſtina, & lib. 7. cap. 4 ſeu 5. in Græco ἐπιφανεστέρους *illuſtriores Epiſcopos*, qui Nouati hæreſim damnauerant, hoc ordine à Dionyſio Alexandrino numeratos refert idem Euſebius, *Demetrianum Antiochiæ, Theoctiſtum Cæſareæ, Mazabanem Aeliæ, Marinum Tyri, Heliodorum Laodiceæ, Helenum Tarſi*: quo loco inter Metropolitanos celebriores Hieroſolymorum antiſtitem legimus, ſed poſt Metropolitanum ſuum, non quod ipſe Metropolitanus eſſet, ſed quòd eaſdem iis honoris prærogatiuas obtineret. Deníque, ne alia paſſim congeramus, eiuſdem libri capite 13. referri Epiſcopos iſtos celebriores, *Demetrianum, Gregorium & Athenodorum fratres in Ponto, Dominum Cæſarienſem, vltimo loco Hymenæum*. Inter iſtos autem ſicut Gregorium & Athenodorum inter priores nominat, quorum aliquem non fuiſſe Metropolitanum probabile eſt, quia prouinciam Ponti vnum tantum habuiſſe tunc temporis Metropolitanum prudenter exiſtimare debemus; ſic inter illos celebriores Hymenæo locum tribui, quamuis Metropolita non eſſet, non eſt mirandum. Imò nec abſurdum iudicandum quod Theophilus & Nar-

Digitized by Google

ciſſus primum locum in Concilio Palæſtinæ habuerint; cum Gregorium & Athenodorum fratres, fuiſſe ἐπὶ τούτοις τῶν κατὰ Πόντον ἐκκλησιῶν, *ſupra omnes Ponti Eccleſias*, legamus libro ſeptimo capite tertio, & *Paſtores Eccleſiarum quæ ſunt in Ponto fuiſſe*, capite 22. citato eiuſdem libri, quæ verba auctoritatem & curam magis ſonant, quam illa quibus vſus eſt dum in Synodo Palæſtina aduerſus Quartadecimanos illarum ſedium Epiſcopos coniungit, & verbo προὐτετάχατο vſus eſt.

Obiicitur quinto notari ab Euſebio libro ſexto capite vndecimo, ſeu nono in latino, Alexandrum Narciſſo coadiutorem datum communi Epiſcoporum conſenſu, qui finitimas Eccleſias procurabant: cum enim Cæſarienſis Epiſcopi conſenſus nulla fiat mentio, cuius maximè munus fuiſſet in hanc rem intendere, ſi Metropoliticam etiam in Eccleſia Hieroſolymorum habuiſſet poteſtatem, infertur Hieroſolymitanam Eccleſiam à poteſtate Cæſarienſis Epiſcopi immunem fuiſſe.

Verùm contrarium ex hoc loco potiùs colligendum notauimus; nam ſi Eccleſia Hieroſolymorum ab que vlla auctoritate Metropolitica in alias vicinas Eccleſias, immunis ipſa fuiſſet à Cæſarienſis Metropolitani poteſtate ſoli Antiocheno Primati ſubdita; nec conſortium habuiſſet cum finitimis Eccleſiis Cæſarienſi Metropolitano ſubditis, nec Epiſcoporum iſtarum ciuitatum conſenſum experiiſſet, ſed ſolius Antiocheni. Huius autem conſenſum experiiſſe non legitur, nec generali Epiſcoporum finitimorum mentione contineri poteſt Antiochenus, ſicut Cæſarienſis, qui & ipſe finitimus Epiſcopus, & caput prouinciæ, cuius proinde conſenſus exquiſitus intelligitur, dum finitimorum prouinciæ Epiſcoporum expetita ſuffragia dicuntur: non enim iis ſe electionibus comprouinciales Epiſcopi immiſcebant, à quibus Metropolitanus excluderetur.

§ VI.

Diſcutiuntur exempla prærogatiuæ antiſtitis Hieroſolymorum ſub Macario.

OBIICITVR ſexto Conſtantinum apud Euſebium lib. 3 de eius vitâ capite 29. ſoli Macario Hieroſolymorum Epiſcopo literas dirigere *de ædificando templo Seruatoris in ſancta ciuitate*, abſque vlla mentione facta Metropolitani ipſius Cæſarienſis Epiſcopi, ac eidem Macario & cæteris Palæſtinæ Epiſcopis ſcribere de repurgando loco, qui *propter quercum Mambre* dicebatur, in quo apparuerat Deus Abrahamo, qui variis modis à quibuſdam ſuperſtitioni deditis, inquinari referebatur apud eundem libri citati cap. 51. quæ literæ apud Sozomenum lib. 2. cap. 3. *ad Macarium Epiſcopum Hieroſolymorum, & Euſebium cognomento Pamphilum, & alios Palæſtinæ Epiſcopos* conſcriptæ dicuntur. Verùm hæc obiectio omnino videtur eſſe friuola. Nam de Eccleſia Seruatoris in vrbe Hieroſolymorum exædificanda quis alius debuit admoneri, quàm Macarius Hieroſolymorum? Neque enim, vt in alicuius diœceſi, ſeu territorio Eccleſia conſtruatur, alterius quàm Epiſcopi loci conſenſus, vel auctoritas vnquam deſiderata eſt, quemadmodum peruetuſta Eccleſiæ conſuetudo tulit, cui antiquæ Clementis epiſt. 2. & 3. latinitate à Ruffino donatæ, ante finem, adſtipulantur, necnon Innocentii I. epiſtola 4 *ad Felicem* Epiſcopum in principio, & alii paſſim ſacri auctores: confirmantque Canones quartus Concilii Chalcedonenſis, quintus Aurelianenſis, tertii Arauficani decimus, Epaunenſis quintus, Toletani tertii nonus, & decimus quintus; quarti trigeſimus quartus, Emeritenſis decimus quartus, aliique innumeri. Quod verò ſpectat ad alias eiuſdem Conſtantini literas quæ pro extirpatione ſuperſtitionum, quas circa quercum Mambre fieri acceperat, Macario aliiſque Palæſtinæ Epiſcopis ſcripſit Conſtantinus, non magis ex iis exemptio Epiſcopi Hieroſolymitani à poteſtate Metropolitani Cæſarienſis induci poteſt, quàm eiuſdem Hieroſolymitani Epiſcopi Metropolitica in Palæſtina auctoritas: nam vel locus iſte *ad quercum Mambre*, qui ſtadiis circiter ducentis, & 5. ſecundum Sozomen. loco cit. diſtabat ad Hieroſol. fuit in diœceſi Hieroſol. (in qua ſitum non fuiſſe certiſſimum eſt) vel non fuit, ſi fuit in diœceſi Hieroſol. apparet clarè, cur Macarius præ aliis nominetur & priori loco: ſi extra diœceſim Hieroſolymit. in Palæſtina tamen ſitus fuit, niſi Metrop. Palæſtinæ Hieroſol. antiſtes admittatur, quantumcunq; exemptus foret à poteſtate Metropolit. Cæſarienſis, tamen ratio nulla ex iſta exemptio

ne naſceretur, cur Macario potiùs inuigilandum in ſuperſtitionibus exſtirpandis fuerit quam Euſebio Cæſarienſi, imò ſi non ſpectauit ad prouinciam Palæſtinæ Eccleſiaſticam Hieroſolymitanus antiſtes, ſed Eccleſiam ſui iuris habuit à totius Palæſtinæ corpore diuulſam, non debuit eadem epiſtolâ Macarius cum cæteris Epiſcopis Palæſtinis interpellari. Igitur exemptio iſta, & αὐτοκεφαλία Eccleſiæ Hieroſolymitanæ prædicto argumento nullatenus ſuadetur, ſed ſola prærogatiua honoris Hieroſolymitani antiſtitis ex iſtis allatis duntaxat deduci poteſt: quæ cauſa fuit, vt in re ad bonum totius prouinciæ ſpectante communes literæ ad omnes Epiſcopos Palæſtinæ, ab Imperatore conſcriptæ fuerint, in quibus Macarius primus nominatus ſit propter honoris prærogatiuam Æliæ Epiſcopo debitam: vel certe dicendum eſt ſolùm illum nominatum fuiſſe, quòd Imperator Macario ſpecialem curam dediſſet, vt mandati regii executionem curaret, & eiuſdem violatores ad Imperatorem deferret puniendos, hanc enim curam imponit eiuſdem epiſtola apud Euſebium loco citato. Nec iuriſdictionis ſacræ rationem habuiſſe Imperatorem neceſſarium eſt, quandoquidem ſicut Palæſtinæ, ita & Phœnicæ Epiſcopis pro eiuſdem loci expurgatione ſcripſiſſe Imperatorem teſtetur Sozomenus ibidem.

Septimò, obiicitur Macarium Epiſcopum Hieroſolymorum Concilio Nicæno ante Euſebium Cæſareæ Palæſtinæ ſubſcriptum legi, propter quam cauſam Photius libro de Synodis, Nilus de Primatu, arbitrantur Macarium Concilio Niceno præfuiſſe cui obiectioni reſpondemus.

Primùm ex ſubſcriptionibus, vt ſupra probatum eſt, auctoritatis, vel ſubiectionis leue argumentum duci, quandoquidem & ſuffraganeos ante ſuos Metropolitanos nonnunquam ſubſcriptos legamus.

Alterum, ſingularem eſſe rationem cur in Synodo vniuerſali Epiſcopus Hieroſolymorum priorem tam in ſedendo, quàm in ſubſcribendo locum teneat, nonniſi poſteriorem ipſius Metropolitanus, quia nempe hæc eſt prærogatiua honoris Epiſcopi Hieroſolymitani, quam antiquam agnouit Synodus Nicena, eique aſſeruit, vt in Conciliis generalibus præferri ſuo Metropolitano mereretur, eique paſſim præponeretur, prærerquam vbi Metropolitanum hic ageret, ipſe verò ſuffraganeum. Cùm enim Hieroſolymorũ Eccleſiam Hieeroſolymitanus ſingulariter repræſentet, poſt Patriarchas maiores ſedet qui, vt ex Iſaia ſuperiùs docuimus, Eccleſiæ ex gentilibus collectæ generalitatem referunt, atque ideo Hieroſolymitano præferuntur, quia de duobus populis Gentili, & Iudaïco in figura Iacob & Eſaü præfiguratum fuerat quod *maior ſeruiret minori*, & Iudæo primogenituræ iura Gentilis eriperet, teſte Apoſtolo ad Romanos nono.

Octauo; obiicitur Sozomenus (malè enim citatur ab aduerſario S. Epiphanius) lib. 2. cap. 19 ex fama referre Maximum Epiſcopum Eccleſiæ Dioſpolitanæ à Macario Epiſcopum Hieroſolymorum ordinatum fuiſſe, ſed à populo Hieroſolymitano ne eam ſedem capeſſeret, impeditum; nam, quia confeſſor erat, & vir alioqui ſpectatus, populi ſuffragiis decretum fuiſſe, vt poſt mortem Macarii in illius Epiſcopatum ſuccederet, viſumque tandem Dioſpolitanis alium Epiſcopum deligere, vti Maximus maneret Hieroſolymis, & ſacro Epiſcopatus munere vnà cum Macario fungeretur, & poſt eius mortem Eccleſiam illam ſolus gubernaret.

Duo enim ex illa narratione animaduertimus.

Primùm, Macarium Hieroſolymorum Epiſcopum poteſtatem Metropoliticam in Palæſtina exercuiſſe ordinandorum Epiſcoporum. Alterum, ſine conſenſu Epiſcopi Cæſareæ Palæſtinæ ſolius populi ſuffragiis, & aſſenſu Macarii, coadiutorem qui ei ſuccederet delectum & conſtitutum fuiſſe.

Duo reſpondeo. Primùm, hanc obiectionem ſi quid probat, oſtendere non ſolùm Epiſcopum Hieroſolymitanum fuiſſe exemptum à poteſtate Metropolitani Cæſareæ Paleſtinæ, verùm etiam ipſum fuiſſe in Palæſtina Metropolitanum, quippe qui Epiſcopos (quod proprium eſt Metropolitani) in Palæſtina conſtitueret, quod tamen vltimum negat aduerſarius.

Alterum, non iure communi nixum Hieroſolymorum Epiſcopum Macarium ordinaſſe Maximum epiſcopum Dioſpolitanum, ſed deuolutis ad ſe Metropoliticis iuribus propter hæreſim Euſebii Nicomedienſis Metropolitani, quam rationem indicat Sozomenus ibidem narrans, *Macarium omni cura incubuiſſe vt Maximus poſt ſe conſtitueretur*

Digitized by Google

Epiſcopus, propterea quòd mente complectebatur, illum cùm rectam, veramque de Deo opinionem tenere: & ob fidei confeſsionem populo percharus eſſet, neceſſario ad ſibi ſuccedendum reſeruandum eſſe: ſiquidem veritus eſt, ne ſe mortuo Euſebius, & Patrophilus (Epiſcopus Scythopolitanus) *ſectæ Arrianæ fautores, tempus idoneum nacti illam Epiſcopalem ſedem alicui ſuæ opinioni dedito tribuerent, quandoquidem, dum Macarius maneret in vita, nouis rebus cœperunt ſtudere illi quidem, ſed cum ab eo eſſent ea de cauſa ab Eccleſia ſegregati, conquieuerunt.*

Ex quibus verbis innoteſcit ordinario iure Euſebio Cæſareæ tanquam Metropolitano ordinationem Epiſcopi Hieroſolymorũ conueniſſe, illiuſque ciuitatis Epiſcopum & à Metropolit. Cæſareæ & ab Epiſcopis Palæſtinæ ſicut cæteros ſuffraganeos ordinari debuiſſe: veritum proinde Macarium ne Euſebius, & Patrophilus Arriani, Arrianum in ſui locum intruderent. Quod autem ſubiungit Euſebium & Patrophilum ab Eccleſia ſegregatos fuiſſe à Macario Hieroſolymorum, non hoc Metropoliticum ius Hieroſolymitani oſtendit: ſed illum primæ ſedis inter ſuffraganeos prouinciæ Palæſtinæ Epiſcopum fuiſſe demonſtrat. Nam Metropolitanos ipſos in hæreſim lapſos à primo ſuffraganeo coacto totius prouinciæ Concilio ſegregari, atque ordinari Canonibus Eccleſiaſticis conſentaneum eſt, vt à nobis libro *de ſacris electionibus* probatũ eſt. Quòd ſi graſſante hæreſi Euſebius Samoſatenus nullius inſignioris Eccleſiæ Epiſcopus variis Eccleſiis Epiſcopos orthodoxos præfecit etiam extra prouinciam: ſi Acacius Cæſarienſis extra prouinciam ſuam varios Epiſcopos ſuæ opinionis ſibi conſtituere licere credidit, & reuera conſtituit, teſte Philoſtorgio libro 5. capite 1. quidni orthodoxum Epiſcopum Macarius primæ ſedis inter comprouinciales Palæſtinos Epiſcopos Metropolitano ſuo in hæreſim lapſo conſtituere potuit?

§. VII.

Exempla prærogatiuæ Eccleſiæ Hieroſolymorum ſub Maximo Macarii ſucceſſore expenduntur.

NONO, ab Athanaſio referri Apologiâ ſecundâ Maximum ſucceſſorem Macarii Concilium ſuum connocaſſe, ipſumque excepiſſe quantumuis in Concilio totius Orientis antea damnatum. Socratem libro 2. capite 24. notare Concilium iſtud ex Syris & Palæſtinis conuocatum fuiſſe, & in eo Athanaſium communi conſenſione reſtitutum.

Reſpondeo argumentum iſtud à nobis iam fuiſſe ſolutum. Hæc addo. Primùm, non dicere Athanaſium Maximum ſuum Concilium conuocaſſe: imò nec Maximum ab Athanaſio nominari, niſi quod ſimul cum aliis in ſubſcriptionibus Concilii ipſum primo loco numeret. Verba Athanaſii hæc ſunt. *Deductus igitur cum ſuis ad iſtum modum Athanaſius in peragranda Syria, Syros & Palæſtinos Epiſcopos conuenit, qui Synodo Hieroſolymis coacta ſinceriter eum cum ſuis exceperunt, & cum pace deduxerunt, ſimul has literas ad Eccleſiam & Epiſcopos ſcripſerunt.*

Alterum, Athanaſium damnatum in Conciliis Tyrio, & Antiocheno, in Sardicenſi fuiſſe reſtitutum antequam communio ei reſtituenda in Concilio Hieroſolymitano decerneretur, vt patet ex eodem Athanaſio Apologiâ citatâ, ac proinde Hieroſolymitanam iſtam Synodum ſententiam duntaxat Concilii Sardicenſis, cui Maximus & alii Palæſtini Epiſcopi interfuerant, ſecutam, non primam Antiocheni vel Tyrii Concilii actus reſcidiſſe.

Tertium, Maximi ius fuiſſe, abdicato à Concilio Sardicenſi Acacio Cæſarienſi, & nullo in eius locum ſubſtituto (nam adeo peruicacem fuiſſe Acacium refert Theodoretus libro 2. cap. 27. *Vt damnatus non acquieſceret* tantâ Epiſcoporum multitudine contemptâ) Concilium tanquam primæ inter ſuffraganeos dignitatis Epiſcopum conuocare.

Decimò, eundem Socratem lib. 2. cap. 24. tanquam exceptionem aduerſus Concilium Antiochenum proferre abſentiam Maximi Hieroſolymorum Epiſcopi.

Verùm, primò falſum eſt abſentiam Maximi illum retuliſſe tanquam exceptionem aduerſus Concilium Antiochenum: ſed abſentiæ Maximi cauſam reddit, diffidentiam

Digitized by Google

ipſius, nè cogeretur Athanaſii damnationi ſubſcribere, qnippe cùm in Concilio Tyrio Arrianorum dolis parum abfuerit, quin Athanaſium damnaret, niſi à Paphnutio à Concilio retractus fuiſſet, vt refert Sozomenus lib. 2 cap. 24. ſolam verò Romani Pontificis ab iſto Concilio abſentiam tanquam exceptionem legitimam aduerſus Antiochenum adducit; nam verba Socratis ibidem, hæc ſunt. *In iſto Concilio Epiſcopi nonaginta ex diuerſis ciuitatibus conuenerunt. Verùm Maximus Hieroſolymorum Epiſcopus qui Macario ſucceſſerat, ad illud neutiquam acceßit, ratus ſi acceßiſſet, ſe compulſum iri Athanaſii abdicationi ſubſcribere. Quin etiam Iulius Romanus Epiſcopus, neutiquam aderat, neque quemquam qui eius locum ſuppleret, eò miſit, idque cùm Canon Eccleſiaſticus iubeat, non oportere abſque ſententia Epiſcopi Romani decreta Eccleſiis ſancire.*

Secundò, nec ex ea narratione Socratis inferri poſſe exemptionem Eccleſiæ Hieroſolymitanæ à ſubiectione Cæſareæ Palæſtinæ potiùs quàm Metropoliticam eius dignitatem, imo magis hanc quam illam, ſcilicet, vt cùm eſſet ex præcipuis Metropolitanis à Synodus ſine eo haberi potuerit; ſed nec illud ſufficere, vt Socrates potuerit infirmare Concilium Antiochenum propter abſentiam Hieroſolymitani Epiſcopi, niſi ſuperiorem Antiocheno ipſo Hieroſolymitanum fuiſſe oſtendat, ſine quo ſcilicet Antiochenus in ſua diœceſi Concilium conuocare non potuerit, quod omnino ridiculum eſt: quare Socratem nullatenus videri abſentiam Macarii tanquam exceptionem, quæ Concilium Antiochenum infirmare potuerit, proferre, nec Eccleſiæ Hieroſolymitanæ αὐτοκεφαλίας ex iis verbis Socratis inferri poſſe.

Obiicitur vndecimo, Hieronymum in Chronico affirmare Heraclium, quem moriens Maximus in ſuum locum ſubſtituerat, à Cyrillo de Epiſcopo in Preſbyterum regradatum: duo enim hæc probant.

Primùm, Maximum in ſui locum Epiſcopum ſubſtituere potuiſſe.

Alterum, iudicium degradationis non ad Cæſarienſem, ſed ad Hieroſolymitanum ſpectaſſe.

Reſpondeo primò, Hieronymi locum corruptum credi à quibuſdam, vel non in omnibus veritati conſentaneum, quippe qui narrationi Epiphanii hæreſi 56. Ruffini lib. 1. cap 23. Philoſtorgii lib. 4. cap. 12. & patrum Conſtantinopolitani Concilii epiſt. Synodica *ad Damaſum* repugnantia contineat.

Secundò, neutrum eorum quæ infert aduerſarius ex Hieronymi teſtimonio colligi; nam ſi Maximus Heraclium ſibi ſucceſſorem deſignauit, metu Acacii id fecit, à quo & cæteris Arrianis promiſſum Eccleſiæ Hieroſolymorum Sacerdotium refert Hieronymus eo loci, à quo etiam, & Patrophilo ordinatum Cyrillum Hieroſolymitanum tradit Sozomen. lib. 4. cap. 19. ac proinde ſingularis hic caſus eſt, qui non ordinarium ius infert, ſed οἰκονομίαν quam Eccleſiæ neceſſitas exigeret.

Quòd verò competitorem ſuum degradarit Cyrillus, non argueret Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ αὐτοκεφαλίας; nam nec in Eccleſiis quæ ſunt ſui iuris, ſi diſſenſio in electione accidat, ſolet vnus electus in alium pronuntiare legitimam ſententiam, ſed Epiſcoporum prouinciæ, vel finitimorum iudicum auctoritas intercedit.

Tertiò, ex iis potius inferri Acacii Cæſarienſis in Eccleſiis Palæſtinæ, etiam in Hieroſolymitanæ tyrannidem, ob quam confuſæ fuerint Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcoporum ſucceſſiones, quæ variæ à variis narrantur, vt ex lectione citatorum auctorum conſtat: de qua legantur Epiphanius hære 73. Philoſtorgius lib. 5 cap. 1. Theodoretus lib. 2. cap. 27. Socrates lib. 2. capite trigeſimo quinto, Sozomenus libro quarto capite vigeſimo.

§. VIII.

Exempla prærogatiuæ Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſub Cyrillo.

DVODECIMO refert Epiphanius hæreſi 73. Cyrillum in locum Acacii demortui creaſſe Philumenum Epiſcopum Cæſareæ: eum ab Euzoio Arriano Antiocheno expulſum, in locum eundem poſtea Cyrillum Gelaſium nepotem ſuum ordinaſſe.

Reſpondeo, hæc probare duntaxat Hieroſolymorum antiſtitem primæ dignitatis

inter comprouinciales Palæſtinos Epiſcopos fuiſſe, ad quem proinde Metropolitani ordinatio ſpectaret, ſuperiorem autem ipſis gradus auctoritate Antiochenum Patriarcham fuiſſe, qui factam totius prouinciæ electione poſſet reſcindere.

Obiicitur 13. quod Liberius Papa literis *ad Orientales*, relatis à Socrate lib. 4. cap. 11. Cyrillum ſecundo loco nominet.

Reſpondeo, vel nihil ex hac nominatione inferri poſſe, quandoquidem Hythius qui primo loco nominatur ibidem, vtrum vel Metropolitanus fuerit alicuius ſedis obſcurum ſit; nec ſi honori ſedis Hieroſolymitanæ conſulto id datum eſſet, aliud colligi exinde poſſet, quàm honoris priuilegium huic Eccleſiæ debitum, non eiuſdem αὐτοκεφαλίαν.

Obiicitur decimo quarto, Theodoretus libro ſeptimo capite 27. ſcribens, *Cyrillum & Acacium inter ſe de primatu digladiantes populum ſuarum Eccleſiarum grauiſſimis affeciſſe incommodis.*

Quid tum? de Primatu contenderunt illi; ſed conſtat Acacium qui Cyrillum expulerit, ſi ſe inferiorem, ſuæ Eccleſiæ iure potiorem fuiſſe.

De Primatu verò iure contendere potuit Cyrillus ob hæreſim Acacii, ob quam dignitate exciderat, & ob diuturnam Epiſcoporum Cæſareæ Euſebii primum, tum eiuſdem Acacii in hæreſi pertinaciam.

Quòd autem ait Sozom. lib. 4. cap. 24. (non autem 21. vt citat aduerſarius) depoſitum ab Acacio Cyrillum fuiſſe, quod cùm Epiſcopus Hieroſolymorum conſtitutus eſſet, velut Sedis iam Apoſtolicæ antiſtes, cùm Acacio Epiſcopo Cæſareæ de iure Metropolitico diſſenſiſſet, ius Cyrilli non fundat, ſed prætentionem oſtendit; nec Hieroſolymorum Eccleſiæ exemptionem, ſeu αὐτοκεφαλίαν abſque Metropolitica auctoritate, ſed auctoritatem Metropoliticam in totam Palæſtinam, cuiadiudicanda eſſet Cæſarienſi, an Hieroſolymit. Eccleſiæ in controuerſiam adductam fuiſſe demonſtrat.

Obiicitur 15. Socrates lib. 2. cap. 32. non autem trigeſimo nono, teſtatur Cyrillum Epiſcopatu ſubmotum, quod ſæpenumero, vt de eo decerneretur, accerſitus, per duos annos continuos, vti eo pacto criminatione elaberetur, non omnino comparuiſſet, eumque ſimul atque deiectus eſt, appellationis libello ad eos qui eum deiecerant miſſo, ad maiores iudices prouocaſſe: illiuſque appellationi Conſtantinum Imperatorem ſuffragatum fuiſſe. Theodoretus lib. 7. cap. 27. adiungit eo tempore Cyrillum primum profectum Antiochiam tunc paſtore orbatam, inde Tarſum periiſſe, & ibi receptum fuiſſe à Siluano Epiſcopo viro planè admirabili, quantumcumque ſuis literis Acacius de Cyrilli abdicatione certiorem feciſſet: eundem Cyrillum ad Concilium Seleucienſe vocatum, à quo cùm diſcedere nollet, Acacium Epiſcopis relictis ad Eudoxium abiiſſe, ſed in Conſtantinopolitano, quod poſt diſceſſum Patrum habitum eſt, damnatum fuiſſe Sozomenus lib. 2. cap. vigeſimo quarto etiam cum Euſtathio illum communicaſſe refert.

Hæc nos diſtinctius retulimus, quæ confuſius aduerſarius. Ex quibus tantum abeſt, vt tunc temporis Hieroſolymorum Eccleſia à poteſtate Cæſareæ libera, cum potius ſubdita fuiſſe oſtendatur. Quod enim Siluanus (& idem dicas de aliis orthodoxis Epiſcopis) damnatum Cyrillum à ſuo Metropolitano miniſterio Eccleſiaſtico non prohibuerit, rationem aſſignat Theodoretus loco citato, *Quoniam & reuerebatur Cyrillum, & multitudinem quæ Cyrilli doctrinam cupidiſſime amplexa eſt, nonnihil pertimeſcebat.*

Ex quibus verbis collige Siluanum ſententiâ depoſitionis latâ ab Acacio aduerſus Cyrillum commotum fuiſſe, ſed Cyrilli ſanctitate, & recta doctrina plebi perſpecta ex alia parte inductum, vt eum innocentem crederet, nec à miniſterio Eccleſiaſtico prohibere auderet.

Obiicitur 16. prædictum Cyrillum Conc. Conſtantinopolitano œcumenico ſecundo ſubſcripſiſſe ſecundum, ob eamque cauſam à Sozom. lib. 7. cap. 7. & Photio lib. *de Synodis* credi ipſum Concilio iſti præſediſſe.

Reſpondeo primò, vtrumque falſum eſſe: falſum eſt ſecundo loco ſubſcripſiſſe Cyrillum Hieroſolymitanum Conſtantinopolitano. Nam primo loco Nectarium legimus, ſubſcripſiſſe tum per prouincias cæteros ex prouincia Ægypti Timotheum Alexandrinum & Dorotheum Oxyrinchitem: ex Palæſtina vero primo loco ſubſcribit Cyrillus Hieroſolymitanus, & poſt eum Thalaſius ſeu Gelaſius Cæſarienſis.

Digitized by Google

Secundò falſum eſt, Sozomenum lib. 7. cap. 7. Cyrillum præſidem Concilii cenſuiſſe, quin immo Catholicis præfuiſſe Timotheum Alexandrinum, & Meletium Antiochenum, ait Sozom. quibus coniungit Cyrillum, Aſcholium Theſſalonicenſem, Diodorum Tharſenſem, & Acacium Berœenſem.

Secundò ſubſcriptiones Conc. Conſtantinopolitani valde confuſas & incertas fuiſſe à nobis ſuperiùs dictum eſt.

Tertiò, hoc vnum conſtat, Cyrillum Hieroſolymitanum in Concilio generali Cæſarienſi fuiſſe prælatum, propter prærogatiuam honoris illi in Concilio Nicæno attributam, non propter exemptionem à poteſtate Metropolitica Epiſcopi Cæſareæ, cui Hieroſolymitanum manere voluit ſubditum eadem Nicæna Synodus. Decimo ſeptimo eandem quoque prærogatiuam dicimus teſtatam fuiſſe Synodum Conſtantinopolitanam, dum epiſtolâ Synodicâ *ad Occidentales*, apud Theodoretum lib. 5. cap. 9. confirmationem Cyrilli in Eccleſia Hieroſolymorum (quam varia ſorte, teſte Hieronymo *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis in Cyrillo*, poſſederat) ab ipſis decretam tanti momenti eſſe ſe putare ſignificant, vt eam Damaſo atque Occidentalibus cæteris ſignificarent: dumque *matrem Eccleſiarum* Hieroſolymitanam appellant: ſed non probat iſta Metropoliticam aut Patriarchicam vllam poteſtatem ipſi decretam fuiſſe.

§. IX.

Prærogatiua Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſub Ioanne.

DECIMO OCTAVO obiicitur Ioannem Hieroſolymorum antiſtitem, contra quem acriter tanquam aduerſus Origeniſtarum fautorem inuectus eſt Hieronymus, à Ruffino libro 2. capite vigeſimo primo inter Apoſtolicarum ſeu primarum ſedium Epiſcopos recenſeri. *Igitur*, inquit, *ille in vrbe Roma poſt Damaſum Syricius Eccleſiæ ſuſcepit Sacerdotium, apud Alexandriam verò defuncto Petro Timotheus, & poſt hunc Theophilus, in Hieroſolymis autem poſt Cyrillum Ioannes Apoſtolicas reparauit ſedes, Apud Antiochiam vero defuncto Meletio ſubſtituitur Flauianus*, &c. à Sozomeno libro octauo, capite primo inter magnarum ciuitatum Epiſcopos eundem conſtitui, *Præerat tunc temporis Eccleſiæ Romanæ ſucceſſor Damaſi, Siricius, Conſtantinopolitanæ verò Nectarius, ac Theophilus Alexandrinæ, & Flauianus Antiochenæ, & Ioannes Hieroſolymitanæ.*

Reſpondeo, nondum tamen hoc tempore auctoritatem Patriarchicam habuiſſe Hieroſolymitanum Epiſcopum, ſicut nec Conſtantinopolitanum; hunc ab Orientalibus vt plurimum eodem honore quo Patriarchæ affici ſolent ex Canone Concilii Conſtantinopolitani honoratum fuiſſe; ſed Occidentem nondum hunc honorem ipſi collatum probaſſe. Atque adeo à Sozomeno Orientali Patriarchis hoc tempore adnumeratum, quod honorem haberet Patriarchæ, licet nondum haberet poteſtatem, à Ruffino homine occidentali fuiſſe prætermiſſum: illam verò tam ab Orientalibus quàm ab Occidentalibus ex Canone Nicæno ſeptimo τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, *honoris conſequentiam* habuiſſe, id eſt, vt explicuimus, meruiſſe ſtatim poſt Patriarchas numerari, ſeu vltimum inter Patriarchas locum obtinere, huncque honorem à Ruffino, & Sozomeno ei exhibitum fuiſſe.

§. X.

Eadem prærogatiua à Iuuenali plurimum aucta, cuius primi conatus pro Patriarchica Hieroſolymorum Antiſtitis auctoritate obtinenda referuntur.

CÆTERA quæ aduerſarius obiicit, oſtendunt Iuuenalem Hieroſolymorum qui Praylio ſucceſſit, poteſtatem aliquam ſibi vſurpaſſe, quam poſtea à Concilio Epheſino confirmari fruſtrà petiit, à Chalcedonenſi certis limitibus coarctatam obtinuit, quod iam nobis explicandum erit, vt iſtius Patriarchatus initia nobis conſtent.

Digitized by Google

Dicimus igitur ambitione Primatus creſcente, cum Nicænum Concilium honoris priuilegia Hieroſolymitano antiſtiti confirmaſſet, eundem tamen ad obedienriam & reuerentiam Metropolitæ Cæſarienſi adſtrinxiſſet, durum viſum fuiſſe Hieroſolymitano antiſtiti, vt ſe ſubiiceret ei, quem extra Concilia prouincialia, alioſque pro ordinatione priuata prouinciæ conuentus, præcedere poſſet. Obductam huic facto religionis ſpeciem à diuturna graſſatione hæreſeos in Eccleſia Cæſarienſi: æquum enim exiſtimatum eſt, ab eorum ſe obedientia ſubtrahere, quorum vitari deberet communio; facile fuiſſe Hieroſolymitanis Epiſcopis geſtam nomine Metropolitani Cæſarienſis, prouinciæ Paleſtinæ adminiſtrationem, quaſi ſuam ſuæque dignitati debitam vendicare.

Quare primùm Cyrillus Hieroſolymitanus cum Acacio de primatu contendit; Ioannes, vt Hieronymi aſſeueratione conſtat, epiſt. 61. aduerſus eius errores, Metropolitani Cæſarienſis cognitionem declinauit, neglexit iudicium, ſimiliterque Antiocheni Patriarchæ Palæſtinæ, quippe qui Palæſtinæ interrogatus reſponderit Ægypto. Tantæ etiam fuit eo tempore auctoritatis, vt vulgo gloriaretur ſe *in vna hora mille clericos facere*, teſte Hieronymo eadem epiſtolâ.

De Praylio quem Theodoretus commendat lib. 2. cap. 37. nihil habeo quod dicam: quod autem de Polichronii ambitu & depoſitione legitur in quibuſdam actis Concilii Romani ſub Xiſto tertio, videtur eſſe fabula. Praylio verò ſucceſſit Iuuenalis, teſte Nicephoro Conſtantinopolitano in Chronico, & Nicephoro Caliſto libro 14. capite 13. Hic magnorum ſpirituum, & magni ingenii vir toto conatu Exarchicam poteſtatem ſibi vendicare ſategit, tantæ auctoritatis fuit, vt Cyrillus Alexandrinus & Celeſtinus Romanus ſcriptis ad eum literis exortam Neſtorii hæreſim expoſuerint. Legitur epiſt. Cyrilli *ad Iuuenalem* cap. 14. partis primæ Concilii Epheſini qua eum rogat, vt viriliter aduerſus hæreſim Neſtorii exurgat, & ad ipſum Neſtorium ac populum Conſtantinopolitanum ſcribat; Cæleſtini verò epiſtola, quæ Iuuenali eadem, *Ioanni Antiocheno, Ruſo Theſſalonicenſi, & Flauiano Philippenſi* Epiſcopis ſcripta eſt, *a pari*, haberurque capite 20. eiuſdem partis Concilii. Notandumque eius mentionem facientem Cyrillum Alexandrinum priùs nominaſſe Rufum Theſſalonicenſem, tum alios, nonnullos religioſiſſimos Macedoniæ Epiſcopos, deinde Iuuenalem. Apud Liberatum verò cap. 5. poſt Rufum nominatur ante Archiepiſcopum Philippopolitanum.

Primùm autem Iuuenalis vſurpationis indicium fuit, quod gentis Sarracenorum Epiſcopum crearit Petrum, teſte Cyrillo diſcipulo ſancti Sabæ in vita ſancti Euthymii apud Metaphraſtem & Surium die vigeſima Ianuarii, conſtat enim ex eius narratione Sarracenos ab Euthymio Monacho ad fidem fuiſſe conuerſos, qui Euthymius ad Orientalem ſollicitudinem habitabat in torrente prope viam quæ tendit verſus Hiericho, decem millibus diſtante ab Hieroſolymis.

Hunc ergo Monachum fuiſſe in regione ſubdita Epiſcopo Hieroſolymitano probabile eſt, atque hinc eſt, quod vt refert idem Cyrillus auctor huius ſæculi, *Cùm vſque adeo multiplicarentur filij Agar, & ad veram traducerentur nobilitatem, & in diuerſas excreſcerent copias, miſerit diuinus Euthymius ad Iuuenalem Patriarcham Hieroſolymitanum, poſtulans vt eis ordinaretur Epiſcopus. Ille vero miſerit ad eum Petrum patrem Cerebonis, vt qui eſſet idoneus præeſſe animabus, & deducere ad ſalutem. Petrus ergo ſic primus ordinatur Epiſcopus copiarum quæ eſſent in Palæſtina*; in quibus verbis etiam hoc notandum Iuuenalem dici Patriarcham, non quod tunc temporis adhuc Patriarchæ Hieroſolymitani dicerentur; ſed quod poſteriori ætate Cyrilli Patriarchæ dicti ſint, eodem elogio Anaſtaſium qui poſtea Epiſcopus fuit Hieroſolymorum, exornat Cyrillus ibidem.

Alterum indicium, quod ipſe Iuuenalis in iiſdem actis Stephanum quendam Melitenum Armeniæ Epiſcopum ordinaſſe referatur cap. 40. ſed tertium illud luculentius, quod ex actis Concilii Epheſini cernitur: nam in prima petitione Orientalium ſchiſmaticorum, qui ſeparatim conuenerant duce Ioanne Antiochiæ Epiſcopo, miſſa *ad Imperatorem*, quidam ex iis, ſe à Iuuenali Hieroſolymorum Epiſcopo ordinatos teſtantur, nam & illum carpentes hæc ſcribunt. *Iam enim per ordinatos manifeſtum eſt, quoſdam ex illis pro hac impietate meditatos eſſe, vt dignitatibus conceſſis nonnullos demereantur, & alios quoſdam modos excogitaſſe. Et id manifeſtius obſeruet, & videbit eos pietas tua non multo poſt*

Digitized by Google

proditionis mercedem. At ex nobis quidam à pientiſſimo Iuuenali Hieroſolymorum Epiſcopo olim ordinati ſiluimus, quamuis pro canonibus certandum eſſet, ne videremur noſtræ gloriæ cauſa dolere. Et nunc quoque illius ſtudia & præſtigias tales per Phœnicem ſecundam, & Arabiam non ignoramus. Sane de illis nobis non vacat curam habere, qui ciuitatibus ipſis quarum nobis miniſterium contraditum, atque adeo vita noſtra deſtitui maluimus quam iſta pro fide promptitudine. Verùm aduerſus illorum conatus Dei ac veſtræ pietatis iudicium opponemus. Quædam autem præmittenda ſunt vt aliqua ex iis verbis conſectaria eruamus.

Primùm, epiſtolam ex qua hæc verba decerpuntur, Ioannis Antiocheni Patriarchæ nomine, necnon Epiſcoporum Orientalium qui eius Patriarchali throno ſuberant, atque aliorum quorumdam quos ipſe collegerat, editam fuiſſe, quæ ergo in ea habentur epiſtola cogitanda eſſe tanquam Ioannis verba & iſtorum ex diuerſis prouinciis congregatorum, & quidem in actis conciliabuli quæ ſubſequuntur Epheſini Concilii actiones, ex Bythinia, Piſidia, Cappadocia ſecunda, Paphlagonia, Europa, Myſia, Rhodope, Theſſalia collecti fuiſſe dicuntur ſtatim initio, qui omnes ſubſcribunt ſententiæ aduerſus Cyrillum Alexandrinum & Mennonem Epheſinum numero 43. quæ ſententia refertur poſt actionem primam Concilii Epheſini, qua quidem actione 4. non longe ab initio, quidam ex iis olim depoſiti fuiſſe, alii vero ſolo nomine Epiſcopi eſſe, vtpote nullas ciuitates obtinentes notantur.

Alterum, ex illa enumeratione iſtorum ſchiſmaticorum cum expreſſione ciuitatum quibus præeſſent, quæ fit actione quinta circa medium, vbi nempe nominatim à Synodo damnantur, colligi cum ex diuerſis prouinciis ſchiſmatici iſti collecti eſſent: vnum duntaxat è Palæſtina fuiſſe, reliquos ex variis aliis prouinciis quarum aliquæ vicinæ erant Palæſtinæ. Quare ex præſictis verbis hæc colliguntur,

Primum, Iuuenalem non ſolùm in Palæſtina, verum etiam extra Palæſtinam aliquos Epiſcopos ordinaſſe.

Alterum, fidei Catholicæ fouendæ cauſam illi fuiſſe, vt ordinationes in diuerſis iſtis prouinciis auderet perficere, auctore ſcilicet Neſtorio, & conniuente Ioanne Antiocheno, Neſtorii, ac Pelagii hæreſibus per Palæſtinam & vicinas regiones diſſeminari cœptis, ideoque vitio Iuuenali adſcripſiſſe Orientales Neſtorii errori fauentes, & Catholicæ Eccleſiæ obluctantes, quaſi ordinationibus iſtis obſtringeret homines ad Catholicam doctrinam tuendam, quam ipſi impietatem vocant.

Tertium, Orientales tamen ab ipſo Iuuenale ordinatos falſos fuiſſe ordinationes iſtas fuiſſe contra Canones, ac proinde Iuuenalis Exarchicam poteſtatem firmam nondum fuiſſe, nec tanquam legitimam admiſſam eo tempore fuiſſe, maximè cum ordinationes ab eo peractæ non fuerint Epiſcoporum iſtius regionis quæ illi poſtea primùm aſſignata eſt; leuiter tamen de illis ordinationibus conqueſtos fuiſſe Orientales iſtos, ne, vt aiunt ipſi, viderentur ſuæ gloriæ: id eſt exaltationis & promotionis propriæ cauſa dolere.

Quartum, nec Ioannem Antiochenum iis ordinationibus firmiter obſiſtere, ne Epiſcoporum quos factioni ſuæ adiunxerat ordinationes vitioſas irritas declarari procurans, eos à ſe ab alienaret, ipſorumque ſuffragiis & votis deſtitueretur; cum enim Ioannes Antiochenus ſtudioſe conquiſiuiſſet Epiſcopos quos legitimo Concilio opponeret, atque adeo, vt habetur actione quinta Concilii Epheſini, *Simulatque Epheſum ingreſſus eſt, antequam puluerem ex itinere contractum excuſiſſet, pallio nondum exutus, congregatis quibuſdam, qui cum Neſtorio ſimul receſſerant & blaſphema verba in ſuum caput loquebantur, & gloriæ Chriſti tantum non illudebant, ac veluti collecto collegio hominum circiter triginta numero, qui nomen habebant Epiſcoporum, ex quibus alii erant extorres, otioſi, Eccleſiiſque carentes; alii quoque ante multos annos ob graues culpas à ſuis Metropolit. depoſiti: cum ipſis etiam Pelagiani & Cæleſtiani, ac nonnulli ex iis qui ex Theſſalia eiecti fuerant*, ardenter & præcipitanter aduerſus Cyrillum Alexandrinum inſurrexiſſet: non mirum eſt eum ſtudio retinendi Epiſcopos à Iuuenali Hieroſolymorum ordinatos, qui ipſius parti ſeſe addixerant, leuius, mitiuſque ordinationes iſtas reprehendiſſe, contentumque fuiſſe, vt ipſæ tanquam contra Canones factæ notarentur, ne vllum ex iis ius Hieroſolymitano in Eccleſiæ ſuæ præiudicium acquireretur.

Quinto denique, prouincias, in quibus indebitas ordinationes Hieroſolymitanus peregiſſet,

Digitized by Google

peregiſſet, notari, Phœnicem, & Arabiam eadem petitione *ad Imperatorem*, directa à ſchiſmaticis, in quibus prouinciis primatum ſuum ſtabilire nitebatur Iuuenalis. Ii porro primi ſunt conatus Iuuenalis Hieroſolymitani, quibus Exarchicam, ſeu Patriarchicam poteſtatem ſibi vendicare aggreſſus eſt, cui ſtabiliendæ opportunam nactus eſt occaſionem, Concilii celebrationem, in quo propter altercationem inter Cyrillum Alexandrinum, pro Fide Catholica dimicantem, & Ioannem Antiochenum Neſtorio Conſtantinopolitano depoſito fauentem, magnam ipſe auctoritatem nactus fuerat, adeovt in Concilio poſt Cyrillum, & alios Legatos Sedis Apoſtolicæ, primus conſederit, ſubſcripſerit, nominatus fuerit; ſæpe interlocutus ſtatuenda, ac facienda in Concilio propoſuerit, vt patet ex initio actionis tertiæ & quartæ. Quin etiam actioni quintæ primus ſubſcripſiſſe legitur; & actione quarta cum Cyrillus Alexandrinus, & Memnon Epheſinus libellum Synodo obtuliſſent, hunc ille recitari iuſſit. Ob quas cauſas Iuuenalem Hieroſolymorum, & Theodotum Ancyræ Epiſcopum notaor egiſſe patronos Synodi; Nicephorus vero Calliſtus libro decimo quarto capite trigeſimo quarto hanc Synodum habitam dixit, *præſidente Iuuenali, & diuino Cyrillo, qui locum Cæleſtini tenuit Romani Epiſcopi*; ſed dum præſidem Synodi appellanit Nicephorus, patronum intellige, præſediſſe vero Cyrillum Proſper in Chronico, Liberatus capite decimo quinto, Euagrius libro primo capite quarto, & alii paſſim tradunt.

Hæc auctoritas, quam in Concilio propter vrbis cui præſidebat ſanctitatem, antiquitatem, venerationem, & egregias animi ſui dotes comparauerat, eum impulit, vt primatum Eccleſiæ ſuæ Concilii decreto firmari niteretur, cui Cyrillus Alexandrinus reſtitit.

Quamuis enim acta Concilii huius conatus Iuuenalis non meminerint, eiuſdem tamen teſtis omni exceptione maior ſanctus Leo epiſtolâ ſexageſimâ ſecundâ *ad Maximum Antiochenum Epiſcopum* capite quinto his verbis, *Subrependi occaſiones non prætermittit ambitio, & quoties ob intercurrentes cauſas generalis congregatio facta fuerit Sacerdotum, difficile eſt, vt cupiditas improborum non aliquid ſuprà menſuram ſuam moliatur appetere: ſicut etiam in Epheſina Synodo, quæ impium Neſtorium cum dogmate ſuo percutit, Iuuenalis Epiſcopus ad obtinendum Paleſtinæ prouinciæ principatum, credidit ſe poſſe ſufficere, & inſolentes auſus per commentitia ſcripta firmare. Quod ſanctæ memoriæ Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus merito perhorreſcens, ſcriptis ſuis mihi, quid prædicta cupiditas auſa ſit, indicauit, & ſollicita prece multum popoſcit, vt nulla illicitis conatibus præberetur aſſenſio. Nam cuius epiſtolæ ad nos exemplaria direxiſti ſanctæ memoriæ Cyrilli, eam in noſtro ſcrinio requiſitam, nos authenticam noueris reperiſſe; hoc tamen proprium definitionis meæ eſt, vt quantumlibet numerus Sacerdotum amplior aliquid per quorumdam ſubreptionem decernat, quod illis trecentis decem & octo Patrum conſtitutionibus inueniatur aduerſum, id iuſtitiæ conſideratione caſſitur.* Quæ verba ſi attente cogitaueris, plura vtique diſces.

Primùm, Iuuenalis ambitionem in Conc. Epheſino ad primatum Palæſtinæ duntaxat extenſam, nec auſum ipſum illa prouincias finitimas Phœniciæ ſecundæ, & Arabiæ quaſi ſuas in Concilio expetere, in quibus tamen ordinationes varias peregerat, ſed ſola Palæſtina fuiſſe contentum.

Alterum, Cyrillum Alexandrinum in Concilio ei reſtitiſſe. Tertiò, veritum Cyrillum, ne quod à Concilio Iuuenalis obtinere non poterat, à Romano Pontifice peteret, cuius conſenſione Patriarchas dari ac firmari ſciebat, occurriſſe petitioni Iuuenalis, & à Romano præſule ſollicita prece popoſciſſe, ne illicitis conatibus aſſentiretur.

Quartum, Maximum Antiochenum hanc epiſtolam allegaſſe aduerſus conatus tam Conſtantinopolitani Anatolii, quam eiuſdem Iuuenalis, quibus ſocorditer aſſenſum præbuerat.

Quintum, Leonem profiteri proprium Romani Pontificis eſſe primatus Eccleſiaſtici beneficium, proprium definitionis ſuæ eſſe, vt quantaliber congregatorum Epiſcoporum multitudine alicuius Eccleſiæ primatus decretus ſit, ſtatutum iſtud Canonum Nicænorum oppoſitione, ſuaque interceſſione poſſet ſolus elidere.

Quin etiam ſi vera eſt Romano editio Concilii, à qua differt editio Peltani, quam duo eminentiſſimi Cardinales Baronius anno quadringenteſimo octuageſimo ſeptimo, numero octuageſimo nono, & ſequentibus, & Perronius capite 27. reſponſionis

Iacobo Britanniarum Regi, propugnant, qua de re iam nos legimus, ſi, inquam, hæc editio vera eſt, Iuuenalis videtur Hieroſolymorum thronum maximè extollere actione quarta his verbis, *Oportet quidem Ioannem reuerendiſſimum Antiochiæ Epiſcopum, hac ſancta & magna & œcumenica Synodo conſiderata, confeſtim accurrere, vt de illis, quæ illi obiiciuntur, ſe purget, & ad Apoſtolicam Sedem magnæ Romæ nobiſcum conſidentem, & obedientiam & honorem deferre Apoſtolico ſanctæ Dei Eccleſiæ Hieroſolymorum, apud quem maxime mos eſt ex Apoſtolico ordine, & traditione, vt ipſa ſedes Antiochena dirigatur, & apud eum iudicetur.* Ibi enim ſibi hoc proprium arrogat, vt ſicut Romanus Epiſcopus propter dignitatem capitis Eccleſiæ, poteſtatem habet de omnium Eccleſiarum Epiſcopis iudicandi, ita Hieroſolymitanus, quem in Orientis diœceſi Exarchicam habere auctoritatem prætendebat, & in Conciliis generalibus primùm poſt Alexandrinum, & Antiochenum locum ex veteri traditione per Nicænam Synodum confirmata, haberet quoque de Antiocheno iudicandi auctoritatem, eodem ſcilicet modo quo qui inter ſuffraganeos primus eſt, vel Metropolitanus vicinus ad alterius cauſam Metropolitani audiendam ſolebat accerſiri. habens poteſtatem cum Concil. prouinciæ de Metropolitano iudicandi; & primus Metropolita de Primatibus; & vniuerſim quicumque Concilio præſidet, cui ſiſti aliquis poteſt, hic iudicandi auctoritate præditus cenſetur. Sic ergo Ioannis contumaciam probat Iuuenalis, vel Ioannes non vult comparere coram Synodo quia renuit apud alium cauſam dicere quàm apud ſuperioris ſedis antiſtitem, vel quia non vult ab aliis iudicari quam coram ſuæ diœceſis Epiſcopis præſidente digniſſimo ex totius diœceſis Epiſcopo, nec vult finitimorum ſubire iudicium: ſi non niſi coram ſuo ſuperiori cauſam ſuam agere vult Ioannes, adeſt per legatos ſuos Romanus Epiſcopus, quorum proinde iudicium declinare non debet: ſi coram Epiſcopis diœceſis, aut finitimis præſidente prima ex omnibus Orientalibus antiſtite, ſeu digniori Exarcho vult cauſam dicere, adſunt Epiſcopi ex toto Oriente, adeſt & Hieroſolymorum Epiſcopus inter omnes Orientales dignitate maiori præditus, iſque finitimus, cui in Concilio obedientiam & honorem debet. Itaque effugere non poteſt contumaciæ notam dum noſtrum omnium, concludit Iuuenalis, indicium declinat. Qua argumentatione volebat Iuuenalis concludere ſibi primum non ſolum honoris, verùm etiam auctoritatis in Concilio locum dari oportere.

Dicere enim, quod Hieroſolymorum antiſtes ſubditus eſſet Orientis Patriarchæ Antiocheno, quod certiſſimum eſt: & tamen iudicandus Antiochenus coram eo iſti deberet ſingulari quodam priuilegio, diuinare eſt, priuilegium enim iſtud confictum eſt, nullibi extat, nec vllo exēplo comprobatur; nam ea, quæ aliquis ex Nouatoribus exempla profert, non ſunt ad rem; non primum exemplum, quod ex Act. cap. 15. petitur, vbi nimirum ſeditione aduerſus Paulum & Barnabam in cauſa legalium cæremoniarum Antiochiæ excitata, ſtatutum ſcribitur, vt aſcenderent *Paulus & Barnabas, & quidam alij ex aliis ad Apoſtolos, & Presbyteros in Ieruſalem ſuper hac quæſtione.*

Nam cum Petrus, cui Romanus Pontifex ſucceſſit, cum Apoſtolis, quorum poteſtatis, præ cæteris Epiſcopis ſucceſſores ſunt Patriarchæ, Hieroſolymis tunc morarentur; nec Paulus & Barnabas Antiochenam Cathedram tanquam propriam tenerent, nec tenuerint vnquam, ſed eo tempore, fundata iam à Petro Romana Cathedra, Euodius vel Ignatius Antiocheni præſules eſſent, nam Euſebius in Chronico anno tertio Claudii Euodium creatum Epiſcopum Antiochenum tradit; ea autem quæ prædicto capite Actorum narrantur, contigerunt anno 9. eiuſdem Claudii, vt rectè obſeruat Baron. ad ann. Chriſti 51. ſequitur ex iis, quæ ibi narrantur, nullatenus probari Antiochenos Epiſcopos ab Hieroſolymitano præſule debere iudicari, ſed potius omnes vbique terrarum Epiſcopos, etiam eos qui maioris dignitatis, & auctoritatis videntur, à Petro, ſeu Petri in Romana Cathedra ſucceſſore.

Non ſecundum exemplum, quod profertur Pauli Samoſateni Antiochiæ Epiſcopi in Conc. Antiocheno depoſiti, intentum vllatenus probat, ſed potius contrarium adſtruit; Etenim dum enumerantur præſtantiores Epiſcopi, qui eius doctrinam primò damnarunt, Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ 1. loco numeratur, tum Gregor. Neocæſarienſis, & Athenodorus fratres, tum Helenus, qui Tarſi rexit Eccleſiam; deinde Hymenæus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopus, & Theotecnus Cæſareæ Paleſtinæ, lib. 7. Eccleſiaſt. hiſt. Euſebii cap. 20. in epiſt. vero Synodica apud eundem cap. 24. eiuſdem libri

Digitized by Google

Hymenæus nonniſi ſecundo loco nominatur; priorem verò locum tenet Helenus Tarſi, ſcilicet quia Concilium iſtud erat Metropolitanorum, aut aliorum celebriorum Epiſcoporum Orientis, cuius diœceſis antiquior Metropolitanus Helenus Tarſi in Cilicia fuiſſe videtur, cuius proinde curæ fuit errorem ſui primatis & patriarchæ denuntiare, & Epiſcopos aduerſus ipſum conuocare, Hymenæus quoque Hieroſolymitanus, quamuis Metropolitanus non eſſet, quia tamen eadem dignitate & honore ex ornabatur, quibus Metropolitani, ſuo quoque loco inter Epiſcopos diœceſis Orientalis numeratur; quod non oſtendit iudicium Antiocheni fuiſſe penes Hieroſolymitanum, ſed potiùs penes Tharſenſem, ſeu melius, & veriùs fuiſſe penes Metropolitanos & Epiſcopos ipſius diœceſis auctoritatem habentes in patriarcham ſuum inquirendi, eumque primo iudicio damnandi, ita tamen vt lata ab ipſis ſententia vim habitura non eſſet, niſi à ſummo Pontifice aliiſque conſequenter patriarchis firmaretur. Ideoque notat Euſebius capite citato 24. illos nominatim *ad Dionyſium Romanum & Maximum Alexandrinum* ſcripſiſſe, eiuſque epiſtolæ exemplaria per omnes prouincias, miſiſſe. Narrat etiam eodem capite Aurelianum Imperatorem, quippe qui probè noſſet, quod poſtea Cæcilianus Carthaginenſis, teſte Auguſtino, ſuo exemplo docuit, ſententiam depoſitionis aduerſum aliquem Epiſcopum, præſertim maiorum ſedium latam nullius momenti futuram, niſi eam ſuæ ſubſtractione communionis Romanæ pontifex ratam haberet, diſceptantibus Paulo & Domno ſeu Domino in eius locum ſuffecto, cui domus Epiſcopalis tribueretur Domino adiudicaſſe, vbi conſtitit Romanum ipſi Epiſcopum communicare, non Paulo.

§. XI.

Patriarchicæ dignitatis quædam argumenta in Iuuenale Hieroſolymorum Antiſtite.

HI ſunt igitur conatus à Iuuenale pro Exarchica dignitate totius palæſtinæ obtinenda in Concil. Epheſino adhibiti, cuius tota contentio reſiſtente Cyrillo inanis fuit, in quantum obtinere non potuit, vt eius ſupra totam palæſtinam poteſtas à Synodo probaretur, atque adeo iſto Concilio nihil omnino in eius fauorem decretum legitur, nec propoſitũ aliquid acta referunt quia non concluſum, illũ tamen ſeipſum in poteſtatem Exarchicę iſtius dignitatis miſiſſe, quę ſubiungemus, oſtendũt. Secuta eſt enim non multo tẽpore Epheſina 2. adulterina Synodus pręſide Dioſcor. Alexandr. ad quam act. 1. Conc. Chalced. qua acta illius pſeudo-Synodi referuntur duo iſti duntaxar act. 1. referuntur inuitati ſpecialibus Imperatoris literis Dioſcorus ſcilicet Alexandr. & Iuuenalis Hieroſolymorum Epiſcopi: & quidem in epiſtola Imperatoris Theodoſii, ὁ θεοσεβέστατος ἀρχιεπίσκοπος Ἱεροσολύμων Ἰουβενάλιος, *reuerendiſſimus Archiepiſcopus Hieroſolymorum Iuuenalis* nominatur, & quidem ante Epiſcopum Cæſareæ Cappadociæ Thalaſſium, qui ponticæ diœceſeos Exarchus fuerat, aitque Imperator ſperare ſe illos Dioſcoro futuros conſentaneos. Legitur & initio Synodi Chalcedonenſis hæc dixiſſe Dioſcorus, *Comperit veſtra clementia, quia non mihi ſoli ſacratiſſimus Imperator commiſit iudicium,* ἀλλὰ καὶ τῷ θεοσεβεστάτῳ ἐπισκόπῳ Ἰουβεναλίῳ, ϗ τῷ ὁσιωτάτῳ ἐπισκόπῳ Θαλασσίῳ τὴν αὐθεντίαν τῆς συνόδου δέδωκεν, *ſed & beatiſſimo Iuuenali & ſanctiſſimo Epiſcopo Thalaſſio auctoritatem Synodi dedit.* Atque adeo eadem actione 1. Concilii Chalcedonenſis, & apud Liberatum Breuiarii cap. decimo tertio, Euagrium, & alios iudicatũ eſt à patribus Chalcedonenſibus eidem, qua Dioſcorũ, pœnæ ſubiacere Iuuenalem Hieroſolymitanum, Thalaſſium Cæſareæ Cappadociæ, & alios quoſdã Epiſcopos oportere: *Quia*, inquiunt iudices in Chalcedonenſi Concilio reſidentes act. 4. eiuſdem Conc. & refert cap. citato Liberatus, *poteſtatem habuerunt, & Principes fuerunt tunc Epheſini latrocinij.* Hoc etiam abſoluto ſpurio Conc. palæſtinos Dioſcorum ſecutos ex iſta lectione act. 2. 3. & 4. Synodi Chalcedonenſis, & teſtificatione Liberati cap. 12. conſtar. Liquet etiam ex act. 4. Synodi Chalced. ante medium palæſtinam tunc temporis in tres Eccleſiaſticas prouincias diuiſam, quæ antea vni Cęſarienſi ſedi ſubiacebat. Ac proinde non dubium eſt, quin vni earũ Hieroſol. Metrop. iure præſideret, & Exarchicã in reliquas prouincias auctoritatem exerceret. Quin etiã in eodem pſeudo-Epheſino Cõc. ambitio Iuuenal. Hieroſol.

Epiſcopi in eo elucet, quod ſtatim poſt Dioſcorum Alexandrinum ante Domnum Antiochiæ, & Flauianum Conſtantinopolis nominetur ſtatim initio actionis primæ, quod Chalcedonenſes Patres, quia extra rem erat, non notarunt, ſed ſolùm quod quinto loco ſediſſet Flauianus tanquam adiudicatus. Prætexta autem cauſa tam honorifici conſeſſus mihi fuiſſe videtur mandatum Imperatoris, quod Dioſcoro & Iuuenali dirigebatur quo nixus Dioſcorus cedere noluit Legatis ipſis Sedis Apoſtolicæ, vt obſeruat Liberatus Breuiarii cap. 12.

Quamuis autem Iuuenalis in iſto Concilio tam magna auctoritate polleret, tamen non auſus mihi viſus eſt præſidente Dioſcoro viro auctoritatis & Imperii ſeuero oſtentatore à Concilio petere nouę litæ Patriarchicæ poteſtatis confirmationem, ne cùm recens eſſet exemplum refutatæ iſtius petitionis propter renitentiam Cyrilli Alexandrini non facile à Dioſcoro eius ſucceſſore conſenſum extorqueret.

§. XII.

Confirmata in Concilio Chalcedonenſi Patriarchica poteſtas Hieroſolymitano Epiſcopo, & diœceſis ei aſſignata.

HVIVS verò Patriarchatus confirmationem, ſed reſtrictiorem, quàm cupiſſet Iuuenalis, in Concil. Chalcedonenſi ipſe tandem obtinuit, & honore iſto, vt poſt cæteros Patriarchas nominaretur, & ſubſcriberet, ſibi vt videbatur in Concilio Nicæno olim conceſſo, nemine reclamante, potitus eſt ſtatim initio Synodi Chalcedonenſis, vbi nominantur omnes qui Concilio interfuerunt, poſt Legatos Sedis Apoſtolicæ, Anatolius Conſtantinopolitanus, Dioſcorus, Alexandrinus, Maximus Antiochiæ Syriæ, Iuuenalis Hieroſolymorum, cæteris omnibus præferuntur, & ordine à nobis deſcripto proponuntur.

Poſtquam inter reos delatus eſt Iuuenalis, hic tamen honor ei ſeruatus eſt, vt omnium eorum qui lapſi fuerant in Concilio Epheſino, ex quibus multi ex Palæſtinis numerantur, primus ipſe ſubſcriberet epiſt. S. Leonis etiam ante Thalaſſium Epiſcopum Cæſareæ Cappadociæ, Ponticæ diœceſeos primatem: poſtquam verò decreto Concilii act. 14. indultum ipſi fuiſſet, & reſtitutus eſſet Epiſcopatui, quo iuſte excedere debuerat, primum ſuum locum obtinuit, ſtatimque reſumpſit animos, & pro obtinenda confirmatione ſui Patriarchatus laborauit, opportunam vt ſibi videbatur occaſionem nactus Anatolii ambitionem, qui cum rebus nouis ſtuderet, innouationi non videbatur interceſſurus in ſimili negotio; depoſitionem item Dioſcori Alexandrini; & Maximi, cuius electio, vt diximus, titubabat, Antiocheni Patriarchæ puſillanimitatem. Cùm ergo non ſolùm in Palæſtina verum etiam, vt ſupra vidimus in Arabia & Phœnice prouincia poteſtatem Iuuenalis Patriarchicam exercuiſſet, cum Maximo Antiocheno conuenit, vt Arabiam & Phœnicias haberet Antiochenus, tres autem Palæſtinæ ab Hieroſolymorum antiſtite regerentur. Res tota narratur actione ſeptima eiuſdem Concilii. Iudices ab Imperatore delegati dixerunt, *Diuiniſſimus & piiſſimus Dominus noſter rogatus à Maximo, & Iuuenale ſanctiſſimis Epiſcopis, præcepit nos diſceptare de motis inter eos capitulis. Vnde conuenientes prædicti ſanctiſſimi viri, certa adinuicem inter ſe, ex non ſcripto conſtituerunt, quæ etiam nobis manifeſta fecerunt, & videntur ex conſenſu iuſtè diſpoſita. Hæc etiam neceſſarium iudicauimus, etiam coram ſancta Synodo vnumquemque eorum edocere, quatenus & ex veſtro decreto, & ex veſtra ſententia, quæ fuerint placita confirmentur. Maximus reuerendiſſimus Epiſcopus Antiochiæ Syriæ dixit; Placuit mihi, & reuerendiſſimo Epiſcopo Iuuenali poſt multam contentionem per conſenſum, vt ſedes quidem Antiochienſium maximæ ciuitatis B. Petri duas habeat Phœnicias & Arabiam: ſedes autem Hieroſolymorum habeat tres Palæſtinas, & rogamus ex decreto veſtræ magnificentiæ & ſancti Concilii hæc ex ſcripto firmari. Iuuenalis ſanctiſſimus Hieroſolymorum ciuitatis Epiſcopus dixit: Hæc etiam mihi complacuerunt, vt ſancta quidem Chriſti reſurrectio tres Palæſtinas habeat, ſedes autem Antiochienſium duas Phœnicias decreto veſtræ magnificentiæ, & ſancti Conc. iſta firmentur.*

Cui tranſactioni Paſchaſinus & Lucentius Legati Sedis Apoſtolicæ conſenſerunt ὑπὲρ ἀγαθῆς εἰρήνης *pro bono pacis*, Anatolius quoque, & cæteri deinceps Epiſcopi conuenta iſta inter vtramque Eccleſiam ſuo calculo firmauerunt. Atque ita concluſum eſt.

Cur autem Legati Sedis Apoſtolicæ huic erectioni ſedis patriarchiæ Hieroſolymitanæ contra decreta Concilii Nicæni conſenſerint, Conſtantinopolitanæ verò tam firmiter obſtiterint, multiplex eſſe poteſt ratio.

Prima, quòd propter ſanctitatem myſteriorum redemptionis noſtræ, quæ in Eccleſia Hieroſolymitana peracta fuerant, irreligioſum quodammodo videbatur, eius exaltationi ſeſe tam pertinaciter opponere.

Altera, quod nulla exinde Eccleſiæ perturbatio futura præuidebatur, quæ ex ſedis Conſtantinopolitanæ exaltatione prudenter coniiciebatur, quam coniecturam euentus probauit; nam ab eo tempore, quo Conſtantinopolitana Eccleſia in Patriarchalem erecta eſt, ſchiſmate fere ſemper, & hæreſi Oriens laborauit, quæ monſtra Conſtantinopolitanorum ambitio vel peperit, vel abluit: præuidebatur æmula ipſa veteri Romę futura, cui ſingularis gratia Spiritus ſancti promiſſa fuerat, atque adeo non poterat ſine veritatis fidei, & vnitatis Eccleſiæ diſpendio noua iſta poteſtas conſtitui, cui reſiſtens Romanus Pontifex, non tam ſibi, quàm Eccleſiæ paci, quæ cum primatu Sedis Apoſtolicæ indiuulſo nexu coniuncta eſt, conſuluiſſe cenſendus eſt: at Eccleſiæ Hieroſolymorum in tribus exiguis prouinciis erectio nullas turbas excitatura credebatur.

Tertiò, quia per ceſſionem Maximi, qui Patriarcha erat totius Orientis, & vices ſuas delegare poterat in tribus Palæſtinis cui voluiſſet Epiſcopo, poteſtas ad Iuuenalem Hieroſolymorum Epiſcopum æquiori titulo tranſmitti poterat, quàm ad Patriarcham Conſtantinopolitanum titulo voluntarię ſubiectionis quorumdam Metropolitanorum ſibi exhibitæ, qui nempe à ſuis primatibus, & Patriarchis deſciſcentes debitam ipſis obedientiam cum obedientia Conſtantinopolitano Epiſcopo exhibenda commutare volebant, quod numquam licuit nec licere vnquam poteſt.

Ideoque vtriuſque diſpar erat ratio, & Legati Sedis Apoſtolicæ vni poterant conſentire, alteri non debebant.

Quòd autem ſpectat ad decreta Concilii Nicæni, Metropoliticam quidem Cæſarienſis Epiſcopi palęſtinæ poteſtatem in Hieroſolymorum Epiſcopum, ſaluam manere voluerat Nicęna Synodus, non tam præcipiendo vt illa ſalua maneret, quam admonendo non fuiſſe illam iſto Canone ſublatam, quo honor antiquus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſanciebatur, ac proinde cum diuiſa poſt Concilium Nicænum Palęſtina prouincia in tres prouincias, diuturna conſuetudine probata, & ab Antiocheno Patriarcha, qui Metropolitano Cæſarienſi ſuperior erat, Metropoliticam auctoritatem in vna ex Palæſtinis Hieroſolymorum Epiſcopus obtinuiſſet (quod in omnibus fere Romani Imperij prouinciis contigit, & in Concilio Chalcedonenſi ſuppoſitum fuit, non expreſſe approbatum) facile fuit, vt cùm tota iam quæſtio de Exarchica poteſtate verteretur inter Antiochenum & Hieroſolymitanum Epiſcopos, cedente iuri ſuo Antiocheno, Legati Sedis Apoſtolicæ violationem Nicænæ Synodi rebus mutatis, nec in eodem, quo erant ſtatu permanentibus, diſſimularint: eiuſdem autem violationem in Patriarchatus Conſtantinopolitani erectione in diſſimili cauſa oppoſuerint.

Nihilominus, quandoquidem S. Leonem ſupra obſeruauerimus factam à Cyrillo Alexandrino interceſſionem Hieroſolymorum Eccleſiæ in Patriarchalem erectioni probaſſe, & tam fortiter inſtitiſſe pro Canonum Concilii Nicæni obſeruatione, vt ne latum quidem vnguem ſe paſſurum ab eo Concilio diſcedi, ſæpius proteſtatus ſit, non arbitramur illum huic decreto Concilii Chalcedonenſis expreſſe acquieuiſſe vnquam, ſed tantum, vt ſæpius ipſe conteſtatus eſt, ea tantum probaſſe, quæ ad fidem, propter quam conuocatum ipſum erat, ſalubriter fuerant conſtituta. Sed nec expreſſe diſſenſiſſe ipſum legimus: quia res iſta iudiciario ordine peracta fuerat, nec erat tanti momenti vt propter eam valde commoueretur. Imò ad Iuuenal. ſcribens epiſt. 72. qua illi gratulatur, quod ad Epiſcopatus ſui ſedem redire ipſi licuiſſet, & condolet aduerſitatum ſuarum ſemetipſum ſibi fuiſſe materiam, nè verbum quidem de noua iſta Patriarchatus confirmatione, aut probando, aut improbando inſerit. Epiſtolâ vero ſexageſimâ octauâ *ad Iulianum Epiſcopum*, quàm ſcripſit poſtquam Proterius Epiſcopus ordinatus eſt, generatim quoque ſignificare videtur conuenta iſta, ſicut & alia poſt fidei definitionem, (quæ actione quintâ concluſa eſt) in eodem Concilio

decreta, ſibi minime placuiſſe iis verbis, *Epiſtolam ſane meam ad Chalcedonenſem Synodum datam præſentibus Epiſcopis, & Clericis lectam fuiſſe tuis epiſtolis retuliſti, ſed vſque ad illud capitulum, quo ea quæ de fide acta ſunt meus videtur firmaſſe conſenſus. Vnde miratus ſum quod reliqua, quæ ſecuta fuerunt, non pariter in notitiam eorum, quibus ſunt lecta prolata ſint, cum maximè omnibus innoteſcere debuiſſet, improbum à nobis ambitum notatum fuiſſe, ne nouis vſurpationibus conſtituta, inuiolata ſeruarentur.* Lege varias eiuſdem epiſtolas nobis ſuperiùs citatas quinquageſimam tertiam *Anatolio*, quinquageſimam quartam *Martino*, quinquageſimam quintam *Pulcheriæ*, ſexageſimam ſecundam *Maximo*, quibus ea ſolum Conc. Chalcedonenſis decreta, quæ ad fidem ſpectarent, à ſe confirmata teſtatus, ambitionem Conſtantinopolitani Patriarchæ perſtringit hæc enim & Hieroſolymitani Patriarchatus erectionem à Leone minimè probatam fuiſſe, Leoni eandem diſplicuiſſe oſtendunt, quamuis non expreſſe ab eodem improbatam, vel damnatem fuiſſe conuincant.

§. XII.

Corollaria quædam circa Patriarchatum Epiſcopi Hieroſolymitani, diœceſim ipſi vt Patriarchæ, ac prouinciam eidem vt Metropolitano attributam.

ATQVE adeo non dubitamus quin nemine obluctante, quandoquidem Epiſcopus Cæſar. ex Palæſtinæ iam ab aliquo tẽpore parti Palæſtinæ ceſſerat, & Palæſtina in tres prouincias diuiſa fuerat, Antiochenus de iure Exarchico in iis prouinciis ceſſerat, Romanus Pontifex neque apertè neque expreſſe reluctabatur, probauerat Martianus Imperator, Synodus Orientalis ſolemnia pacta firmauerat; non, inquam dubitàmus quin in tribus iſtis prouinciis Exarchus, ſeu Patriarcha agnitus fuerit Epiſcopus Hieroſolymitanus.

Ex tribus iſtis prouinciis vna diœceſis conflata eſt, cui præſedit tanquam Patriarcha Hieroſolymitanus Epiſcopus, primam verò ſeu tertiam *Salutarem* dictam ipſe tanquam Metropolitanus gubernauit, tertiam, aliàs primam Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus: ſecundam Scythopolitanus. Epiſcopi Palæſtinæ primæ ante ordinationem Concilii Chalcedonenſi actione 4. ante medium qui Concilio intereſſent, hi numerantur Leontius Aſcalonę Photinus Lyddæ, Paulus Anthedonis, Heraclius Azotę, Stephanus Iamniæ: Pancratius Lybiadis, Zoſimus Minoidis: ſecundæ Paleſtinæ recenſentur Anianus Capitoliadis, Zebenus Pellenni ciuitatis, Ioannes Tiberiadis, Ioannes Gadarorum: tertiæ Beryllus Aialæ, Aretas Eluſæ. Muſonius Zoaræ, in Notitiis Epiſcopatuum diuerſa iſtarum ciuitatum eſt ordinatio: nam aliquæ ex iis ciuitatibus, quæ vni ex Palęſtina adſcribuntur, in aliis collocantur; ciuitatum etiam mutata nomina, nam verbi gratia Aialam Palęſtinæ tertiæ, in Notitiis non inuenies, quæ prędicto Concilii Chalcedonenſis loco nominatur. Sed hæc obiter.

§. XIII.

Poſt Concilium Chalcedonenſe iure Metropolitani vnius Palæſtinæ, & Patriarchæ diœceſis trium Palæſtinarum potitum fuiſſe Epiſcopum Hieroſolymorum,

IAM probauimus diuiſionem iſtam prouinciarum manſiſſe poſt Synodum Chalcedonenſem, primæ quoque Palęſtinæ Metropolitanum fuiſſe ac totius diœceſeos Patriarcham Iuuenalem. Id autem demonſtrari pluribus poteſt.

Primò, ex reſcripto Synodicarum literarum Iuuenalis ſanctiſſimi Hieroſolymorum Epiſcopi, *ad reuerendos Presbyteros & Archimandritas, & reliquos Monachos Palæſtinæ prouinciæ ſub eius diæ eſi conſtitutos*, parte 3. Concilii Chalcedonenſis cap. 20. cui primus ſubſcripſit Iuuenalis Epiſcopus Hieroſolymorum, ſecundus Ireneus Epiſcopus Cęſareæ, tertius de abſente, vt veriſimile eſt, Metropolitano Palęſtinæ ſecundæ Epiſcopo Scythopolis (quam ciuitatem ſecundam Palęſtinæ Metropolim vocat Ioannes Moſchus prati ſpiritualis cap. 50. & à qua prouincia iſta Palęſtinæ Scythopolitana dicitur à Cyrillo, qui vixit tempore Iuſtiniani in vita S. Sabæ cap. 99.) tertius, inquam, Paulus Epiſcopus Parali, & conſequenter trium Palęſtinarum Epiſcopi ſubſcripſerunt. Hanc

Digitized by Google

autem Palęſtinæ Synodum aceldiſſe ſnſpicamur, ob turbas à Monachis quibuſdam incentore & duce Theodoſio pſeudo-Monacho, excitatas aduerſus Chalcedonenſem Synodum & Iuuenalem, quem exturbarunt ab Eccleſia, & Pontifices Orthodoxos, quorum ſanguine manus cruentarunt, vt fuſe narrat Cyrillus in vita S. Euthymii, cap. 49. & tribus ſequentibus.

Secundò, ex epiſtola Ægyptiorum Epiſcoporum, & Clericorum Alexandrinorum *ad Leonem Auguſtum*, parte 3. Concilii Chalcedonenſis cap. 20. quâ quinam ſint *ſummi ſancti Epiſcopi*, explicant, *id eſt, Romanum Leonem, regiæ Conſtantinopolis Anatolium, & Antiochenus Baſilium, & Iuuenalem Hieroſolymorum.*

Terriò, ex narratione auctoris cuiuſdam Græci, lib. 5. *de vitis Patrum*, cuius interpres fuit Pelagius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ diaconus, hic enim libello 15. num. 87. refert excommunicatos quoſdam ab aliquo Archiepiſcopo profectos ad Hieroſolymitan. Archiepiſcopum vt aduerſus excommunicatum illum interpellarent; deinde ad Patriarcham Antiochenum profectos, quia nondum forte Hieroſolymorum antiſtes, licet iugum excuſſiſſet Cęſarienſis, ſeſe ab Antiocheni poteſtate ſubduxerat, deinde *ad Summum Archiepiſcopum Romanæ ciuitatis* perrexiſſe, *quia eſt caput omnium*, quorum omnium ſententiæ concordes repertæ ſunt.

Quartò, ex catalogo eorum, ad quos ſimul cum epiſtola ſua ad Anatolium de Proterii nece preces direxit Leo Auguſtus. Primo enim, *Leoni reuerendiſſimo vrbis Romæ Pontifici, tum Baſilio Epiſcopo Antiochiæ Syriæ, deinde Iuuenali Epiſcopi Hieroſolymorum*, denique aliis Metropolitanis celebrioribus Epiſcopis & Monachis dicitur preces direxiſſe, vt ipſi ſatagerent, quatenus Alexandrinæ Eccleſiæ pax reſtitueretur.

Quintò, ex relatione Cyrilli prædicti in vitis ſanctorum Euthymii apud Surium, vigeſima Ianuarii, Sabæ 5. Decemb. Ioannis Silentiani 13. Maii, quibus locis paſſim mentionem facit Epiſcoporum Hieroſolymorum poſt Iuuenalem, puta Anaſtaſii, Martyrii, Saluſtii, & Eliæ, quos omnes ſicut & Iuuenalem ipſum nomine Patriarcharum, & Archiepiſcoporũ (quo nomine à Iuſtiniano, & aliis quibus auctor coætaneus erat, Patriarchæ vocari ſolebant) inſigniunt, appareique ex iis, quæ ille ibid. ſcripſit per totam Palęſtinam Hieroſolymitanos Epiſcopos Monachorum, & Monaſteriorum curam geſſiſſe, totius etiam Palęſtinæ curam eidem auctor attribuit, quemadmodum verbi gratia ex illis illius verbis animaduertes in vita ſancti Sabæ cap. 68. *Anaſtaſio & Elia, illo quidem imperii, hoc verò Eccleſiæ quæ eſt in Palæſtina ſedem adminiſtrante*, & paulò poſt, *Elias qui præerat Palæſtinæ Eccleſiæ.*

Sextò, quia ſedente Hormiſda Pontifice Auitus Viennenſis epiſt. 23. *Papæ Hieroſolymitano* (quo nomine ſolos Patriarchas ipſum inſignire ſuperiùs notauimus) hæc habet, quę illum eo tempore pro Patriarcha in Eccleſia Occidentali agnitum ſignificant, *Exercet Apoſtolatus veſter conceſſos à diuinitate primatus, & quod principem locum in vniuerſali teneat, non priuilegiis ſolum ſtudet monſtrare, ſed meritis, ornat pariter legem noſtram cathedra veſtra, cathedramque perſona.*

Septimò, ſtatim atque Ioannes Cappadox Patriarcha Conſtantinopolitanus Romanæ Eccleſiæ reconciliatus eſt, & ab Hormiſda ſuſceptus, atque admiſſus fuit, epiſtolam ipſe ſcripſit: *Ioanni ſanctæ memoriæ Archiepiſcopo Hieroſolymitano, & omnibus Metropolitis ibidem congregatis*, qua quidem epiſtola ſignificat quid Conſtantinopoli actum fuiſſet.

Ex illa verò inſcriptione Archiepiſcopum, ſeu patriarcham à Conſtantinopolitano patriarcha agnitum fuiſſe Hieroſolymitanum diſcimns, & Synodum Hieroſolymis habitam fuiſſe eo tempore, ad quam Ioannes Conſtantinopolitanus ſcriberet. Huius autem Synodi reſcriptum habetur actione 4. Synodi Conſtantinopolitanæ ſub Agapeto, & Menna cum hac inſcriptione, *reſcriptum Ioannis Hieroſolymitani, & Epiſcoporum* τῶν ὑπ' αὐτὸν, *qui ſub eo ſunt, ad Ioannem Conſtantinopolitanum*, ſubſcribunt autem huic Synodo primi ſcilicet poſt Hieroſolymitanum Ioannes Epiſcopus Cæſarienſis, & Theodoſius Scythopolitanus, qui duabus palęſtinis tanquam Metropolitani pręerant, tum reliqui Epiſcopi illis ſubditi.

Septimò, in quintâ Synodo generali Epiſcopi vicem agentes Euſtochii Hieroſolymorum antiſtitis ſtatim nominantur & ſubſcribunt poſt patriarchas Conſtantinopolitanum, Alexandrinũ & Antiochenum, ante cęteros maiorum ſedium epiſcopos, Iuſti-

niani epiſtola, quæ refertur ſtatim initio 4. Synodi, dirigitur ad ſolos nominatim patriarchas, eorumve vicem tenentes, in cuius inſcriptione *Euſtochius beatiſſimus Hieroſolymitanus & Patriarcha* inſcribitur. Idem Iuſtinianus variis Nouellis à nobis citatis triarchis, inſerit Hieroſolymitanum, & Conſtitutiones ſuas ad eum quoque ſubditis ſibi Metropolitanis tranſmittendas dirigit. Nouellam verò 40. *Sanctiſſimo, & beatiſſimo Archiepiſcopo Hieroſolymorum* ſingulariter inſcribit, qua Nouella ſicut & 120. c. 9. quædam priuilegia Eccleſiæ reſurrectionis, quæ erat primaria ciuitatis Hieroſolymorum, largitur.

Gregorius Magnus Hieroſolymitanum, quoque vt ſupra vidimus, patriarchis adcenſet, ſicut & ſexta Synodus Canone 36. Ioannes Moſchus Gregorii coætaneus, qui nempe vixit tempore Mauritii cap. 33. prati ſpiritualis, Theodotum 34. Alexandrinum, 35. Hieroſolymorum Archiepiſcopos & Patriarchas vocat.

Cætera quæ ex prædictis de patriarcha Conſtantinopolitano erui poſſunt, repetere nec lubet, nec vacat.

Nota tamen adſcititios patriarchas diu in Eccleſia Occidentali minoris auctoritatis viſos, quàm priores & natiuos, vt ex Nicolao I. notauimus. Ideoque Iſidorus Hiſpalenſis lib. 7. Originum cap. 12. in exemplum patriarcharum, quos ab Epiſcopis diſtinguit Occidentalium more, qui primates & vicarios Sedis Apoſtolicæ, verbi gratia Theſſalonicenſem, Arelatenſem, Toletanum, & alios Archiepiſcopos vocabant, eos diſtinguentes tam à Metropolitanis quàm à patriarchis, ſolos patriarchas Romanum, Alexandrinum, & Antiochenum adducit.

§. XIV.

De noua acquiſitione quarumdam prouinciarum Patriarchatui Hieroſolymitano poſt Synodum Chalcedonenſem.

PATET autem ex Notitiis peruetuſtis, non ſolùm palæſtinam integram, verùm etiam quaſdam Metropoles in Syria, & phænice habuiſſe ſibi ſubiectas Hieroſolymitanam Eccleſiam. Innoteſcit etiam Berythum, & Rubam Moabitidem eius Patriarchatui adiectas fuiſſe in quinta Synodo generali, tum ex manuſcriptis exemplaribus prouincialis Romani, quæ à Baronio in annalibus referuntur, tum ex atteſtatione Vvillelmi Tyrii lib. 14. cap. 12. *de bello ſacro*, quo loco de huius patriarchatus initiis hæc habet, quæ tamen appoſitè præcedentibus interpretari oportebit: *Iuxta traditiones veterum, & quædam alia ſcripta, quæ auctoritatem habent non modicam apud Palæſtinos, & maximè Græcos, Hieroſolymitana Eccleſia vſque ad tempora Iuſtiniani ſacræ recordationis Augusti, Epiſcopum habuit, nulla vel modica dignitatis prærogatiua gaudentem, tẽpore verò prædicti Deo dilecti Principis congregata eſt Synodus generalis Conſtantinopolim tempore Domini Vigilij Papæ, Eutychij Conſtantinopolitani, Apollinarij Alexandrini, Pauli Antiocheni, Euſtochij Hieroſolymitani Patriarcharum ſuper tribus capitulis videlicet ſcriptis Theodoreti Syri, item ſcriptis Mopſueſtiæ Epiſcoporum, & epiſtolis Ibæ ad Marim Perſam. In qua Synodo poſt alias Dei Eccleſiæ inſtitutiones, quas pro tempore promulgandas decreuerat, ſanctorum Patrum, qui ad eam conuenerant, auctoritas, prædictam peramabilem honorare Eccleſiam, & eius Epiſcopo locum inter Patriarchas dare communi ſanxit voluntate, reuerentiam exhibens ſanctæ reſurrectioni. Et quoniam prædicta Dei cultrix ciuitas, quaſi in limite Alexandrini, & Antiocheni Patriarchatuum erat, nec haberet, vnde illi vrbes ordinaret ſuffraganeas, niſi vtique Patriarchæ aliquid detraherent, viſum eſt expedire ab vtroque aliquid decerpere, vt iuxta formam aliorum Patriarchatuum, ordinaret ſubiectas. Subſtraxerunt ergo Antiochenus Cæſarienſem & Scythopolitanum Metropolitanos, Alexandrino vero Rubenſem & Berthyenſem etiam Metropolitanos. Et quoniam eundem Patriarcham oportebat habere præter ſupradictos Metropolitanos familiares ſuffraganeos, quos Græce ſyncellos vocant, ſubſtraxerunt prædictis Metropolitanis quoſdam Epiſcopos, & quoſdam de nouo creauerunt vſque ad 24.*

Fateor non omnia iſta ſi accurate expendantur, veritati conſentanea videre. Nam Berythenſem in Syria, vel Rubenſem in Phænicia ſecunda prouincia, quis Alexandrino Patriarchæ ſubductas dicet? conſtat illas ciuitates in Oriente ſitas fuiſſe, non in Ægypto, Libya Pentapoli, aut Thebaïde, atque adeo nunquam Alexandrino, ſed

Antiocheno potiùs Patriarchæ olim fuiſſe ſubiectas. Certe Phæniciæ maritimæ extra diœceſim Ægyptiacam poſitæ (cuius diœceſis Epiſcoporum petitione, & iuſſu Leonis Imperatoris, in Oriente & alibi variæ Synodi congregatæ ſunt) epiſtolam Synodicam legimus, tertia parte Concilii Chalcedonenſis capite 37. cui tanquam Metropolitanus ſubſcripſit Dorotheus Epiſcopus Tyri, quem ſequitur Euſtathius Epiſcopus Berythi, in Concilio verò Chalcedonenſi actione quintâ controuerſia diſceptata eſt inter Photium Epiſcopum Tyri primæ Phæniciæ, & eundem Euſtathium Berythi, qui ſe à Tyri Metropolitano ſubduxerat, & Bilton, Botryn, Tripolim, Orthoſiadem, Arcas, Autharadon ſibi ſubiecerat, eo prætextu quod in duas prouincias Imperator Phæniciam maritimam diuiſiſſet, & vnius Metropolim Berythom eſſe iuſſiſſet. Extat huius diuiſionis præceptum lege ſecunda, Codice *de Metropoli Beritho*, quæ eſt Theodoſii Iunioris; ea tamen non obſtante Tyri Metropolitano integra prouincia adiudicata eſt, & in ordinem redactus eſt Euſtathius Berytenſis quem Synodo prędictæ à Metropolitano Tyri coacto interfuiſſe videmus.

Quare cùm Epiſcopus Tyrios Antiocheno abſque vlla dubitatione ſubiaceret, Berythenſem quoque Metropolim vbi à Metropoli Syria ſubducta propriam conſtituit prouinciam Patriarchæ Hieroſolymit. ſubiectam, ab Antiocheno Patriarcha ſubſtractam fuiſſe ambigere nemo poteſt. Idem de Roba Moabitide dicendum eſt, quam Ptolomæus diſertè in Syria collocarat, ſed cùm Syria poſt Ptolomæum in varias prouincias diuiſa fuerit, cuius Syriæ ipſa fuerit, diſcutiendum relinquo, nam nihil ad propoſitum intereſt, cum Syriæ in quacomque amplitudine ſumatur, prouincias omnes conſtet olim Patriarchæ Antiocheno fuiſſe ſubiectas, quæ ipſa Syriæ Cœles ab omnibus Geographis Metropolis, ac totius Orientis primaria ciuitas à Concilio Nicæno ſtatuitur.

ARTICVLVS VI.

De Patriarcharum officiis & prærogatiuis.

§. I.

Prima prærogotiua Patriarcharum, quod vnitatem Eccleſiæ eorum concordia foueat, & arguat.

QVÆDAM ſunt Patriarcharum prærogatiuæ quæ maxime ipſis propriæ ſunt, eoſque quodammodo ab Exarchis diœceſeωn ſeù primatibus, & vicariis Sedis Apoſtolicæ diſtinguunt.

Prima, quòd communionis Eccleſiaſticæ & vnitatis poſt Romanum Pontificem qui eius eſſentiale centrum eſt, quia ab eo *vnitas Sacerdotalis exorta eſt*, teſte Cypriano epiſt. 55. *Cornelio*, centra quoque accidentalia videantur: nam Eccleſiæ Catholicæ vnitas maxime earum ſedium inter ſe charitate & communione fouetur. Probant primò ea quæ ex ſancti Gregorii epiſtolis 60. lib. 5. indictione 15. & 37. lib. 9. indict. 15. *Eulogio Alexandrino* protulimus de vnitate Sedium Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ; quæ de vnitate Sedium Romanæ & Conſtantinopolitanæ ex libello Ioannis Cappadocis Patriarchæ Conſtantinopolitani *Hormiſdæ*, poſt epiſt. 37. eiuſdem Pontificis ſuperiùs docuimus: quæ ex relatione Epiphanii Epiſcopi Conſtantinopolitani ad eundem inter epiſtol. eiuſdem Papæ poſt epiſt. 72. de neceſſitate vnionis Patriarch. ſedium cum Romana, & cæteratum cum Patriarchalibus, quibus ſubduntur, colligi poſſunt iis nempe verbis expreſſa, *Habeat igitur hanc ſententiam circa nos veſtræ beatitudinis ſancta fraternitas, vobis enim manifeſtam feci, & ſub me Eccleſiis hæc prædico, feſtinans per omnia eas, mihique & veſtræ beatitudinis vinculo charitatis adunari, quas omnino oportet eſſe vnitas & inuiolabiles & corpus vnum communis Apoſtolicæ Eccleſiæ, eundemque perpetuo cuſtodire.* Item, quæ ex epiſtola Ægyptiorum Epiſcoporum *ad Leonem Auguſtum*, parte tertia Concilii Chalcedonenſis cap. 22. deſumuntur, quibus ſe Catholicæ communionis Epiſcopos eſſe probant illi, quia Patriarchæ communicarent, qui ipſe aliis Patriarchis

communicabat, *Quapropter*, inquiunt, *& noſtro Aegyptiaco Concilio neceſſariè cum Archiepiſcopo noſtro ſanctæ memoriæ Proterio indubitanter es conſentiente, & ea ſapiente, & unanimiter cum vniuerſis totius orbis Chriſti Sacerdotibus, & præ omnibus ſummis ſanctis Epiſcopis id eſt Romano Leone, Regiæ Conſtantinopolis Anatolio, & Antiocheno Baſilio, & Iuuenali Hieroſolymorum, & orbis orthodoxis Epiſcopis.*

Secundò, quæ ex Iuſtiniani Nouella 109. in præfat. 8. à nobis ſimiliter allata ſunt, quæ Eccleſiæ pacem in prædictarum ſedium Epiſcoporum concordia ſitam demonſtrant. Loquens enim Imperator de hæreticis hæc habet, *Non ſunt membrum ſanctæ Dei Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, in qua omnes concorditer ſanctiſſimi Epiſcopi, & totius orbis terrarum Patriarchæ, & Heſperiæ, & Romæ, & huius Regiæ ciuitatis, & Alexandriæ, & Theopoleos & Hieroſolymorum, & omnes qui ſub eo conſtituti ſunt, ſanctiſſimi Epiſcopi, Apoſtolicam prædicant fidem atque traditionem.*

Quibus ſimilia ſunt verba eiuſdem Imperatoris Nouella 115. cap. 3. §. 4. *Si quis de prædictis parentibus orthodoxis conſtitutus ſenſerit ſuum filium, vel liberos non eſſe Catholicæ fidei, nec in ſacroſancta Eccleſia communicare, in qua omnes beatiſſimi Patriarchæ vna conſpiratione, & concordi fide rectiſſimam prædicant, & quatuor ſanctas Synodos, Nicænam, Conſtantinopolitanam, Epheſinam, & Chalcedonenſem amplecti, ſeu recitare noſcuntur*, hanc concordiam ad Eccleſiæ vnius pacem neceſſariam commendat Gregor. *Cyriaco Conſtantinopolitano* lib. 6. indict. 5. epiſt. 5.

Quibus concinit Baſilius Imperator octauæ Synodi actione 6. iis verbis, *Vtique noſtis & vos vniuerſitas quæ ſub ſole eſt, quia protectione veri Dei noſtri quinque Patriarchia orbis terrarum recta ſentiunt, & non eſt læſio fidei: & ideo quicquid iudicant, neceſſario debetis recipere.* Et poſtea eadem actione, *iudicium quatuor Patriarchalium ſedium quis diſſoluere poterit?* Concinit Bahanes Patritius verbis iſtis compellans Photianos. *Homines dicite vnde eſtis? de cœlo eſtis? de abyſſo eſtis? an de terra, in qua nos degimus? & oſtendite hac hora, quia ſiue hæreſis nota eſt, ſiue ſchiſma emerſit in qualibet parte, & ſenſit aliquis extra quatuor Patriarchas, & ſaluatus eſt?* eſt, audio vos. Cùm autem repudiata Patriarcharum concordi ſententia Photiani ad Canones prouocarent, ſic vrget idem Bahanes, *Dicite quis Canon vos adiuuet, & vbi poſuerit Dominus Canones in Eccleſiis ſuis? an in aliquo alio loco, & vbi Eccleſiæ ſunt hodie? & vbi prædicetur Euangelium? eſt alius locus præter quem ſanctiſſimi iſti vicarij*, &c. Hinc Conſtantino Pogonato in epiſt. *ad Leonem II.* Synthroni dicũtur reliqui Patriarchæ cũ Romano, ſed infra ipſum τῆς ὑμετέρας μακαριότητος, τῶν τε καὶ συνθρόνων αὐτῇ μετ' αὐτὴν ἁγιωτάτων Πατριαρχῶν. *Veſtræ beatitudinis, & qui cum ea poſt ipſam ſolum obtinent ſanctiſſimorum Patriarcharum.* Hinc Eccleſia ob quinque Patriarchales ſedes à Theodoro Studita lib. 2. epiſt. 129. ad Leonem Sacellarium dicta πεντακόρυφος, quaſi *quinque capitum*, & πεντακόρυφον κράτος *imperium quinque capitum.* Quæ tamen non præiudicant Monarchiæ Romani antiſtitis, qui ita vnus eſt ex quinque Patriarchis, & dignitate Patriarchicâ ipſis ſimilis, vt tamen eminentiori alia ratione aliis ſuperpoſitus emineat tanquam mons in vertice montium eodem modo quo Romanorum Imperator à multo tempore quatenus Archidux Auſtriæ, Comes Tirolis, aliorumque Germanici Imperii ſtatuum Dominus, Duci Bauariæ, Lantgrauio Heſſiæ aliiſque in Imperio liberis dominis æqualis eſt, quatenus vero Imperator omnibus præcellit, ac præponitur.

§. II.

De communicatione ſtrictiori Patriarcharum inter ſe.

EX hac prærogatina antiqua Patriarcharum priuilegia iſta ſequuntur. Primùm, quod electi Patriarchæ ſibi mutuò literas communicatorias mitterent. Teſtis huius antiqui moris S. Gregorius lib. 7. indict. 2. epiſt. 54. *ad Secundinum incluſum: Hinc eſt enim*, inquit, *vt quoties in quatuor præcipuis ſedibus antiſtites ordinantur, Synodales ſibi epiſtolas viciſſim mittant in quibus ſe ſanctam Chalcedonenſem Synodum cum aliis generalibus Synodis cuſtodire fateantur.* Quem morem ipſe religioſe obſeruauit, qui ſtatim atque electus eſt, & fuit ordinatus Romanus Pontifex, legitur ad quatuor Patriarchas Conſtantinopolitanum, Alexandrinum, Hieroſolymitanum, & Antiochenum *à paribus* epiſtolam miſiſſe, quæ eſt 24. regiſtri. Qui etiam in iis adeo religioſus fuit, vt ab vſitata formula poſ-

Digitized by Google

feſſionis fidei Patriarcham Cyriacum vel paululum diſceſſiſſe reprehenderit epiſt. 4. *Cypriaco*, ſeu *Cyriaco Epiſcopo Conſtantinopolitano* libro 6. indict. 15. qua de re Eulogium Alexandrinum admonet eiuſdem libri epiſtola 31. Item ad Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcribere diſtulerit, quòd ab eo epiſtolas Synodicas de eius electione nondum recepiſſet, quemadmodum ipſe ſignificat lib. 5. *de hoc quoque & dilecto fratri noſtro Conſtantinopolitanæ ciuitatis antiſtiti, qui in ſupradicti S. Ioannis loco ordinatus eſt, noſtra volumus ſcripta tranſmittere, ſed quia conſuetudo non eſt, vt priuſquam ad nos eius Synodica deferatur, debeamus ſcribere, idcirco diſtulimus: ſed poſteaquam ea nobis delata fuerit, & hac, dum nobis opportunum fuerit, indicabimus.* Teſtis etiam huius moris Taraſius in epiſtola ad Epiſcopos Orientis relata ſeptimâ Synodo, actione 3. initio, *Quandoquidem antiqua quædam obſeruantia, imo verò Apoſtolica traditio in Eccleſiis diu obtinuit, vt illi qui recens aſſumpti fuiſſent ad ſummi alicuius Sacerdotii gradus, illis qui & ante eos, & multis temporibus ſummi Sacerdotii gradum obtinuiſſent, fidem ſuam exponerent, viſum eſt mihi hac ſecuto, & me ſubmittere vobis, & manifeſtè meæ fidei confeſſionem apud vos exponere.*

§. XIII.

De Nominibus Patriarcharum ſacris dyptichis inſcribendis & recitandis.

ALTERUM, vt nomina Patriarcharum ſacris dyptichis vbique inſcribantur, & in ſacris Liturgiis legantur. Quem morem oſtendit luculenter controuerſia, quæ tantopere Eccleſiam Orientalem agitauit de nominibus Acacii, & aliorum, qui in ſede Conſtantinopolitana ei ſucceſſerunt, retinendis, vel expungendis: de qua legantur Gelaſii epiſt. 13. Hormiſdæ, Legatorum Hormiſdæ, Iuſtini Imperatoris, Ioannis Cappadocis & Epiphanii epiſt. ad Hormiſdam, & aliorum inter illius epiſt. itemque libelli varii Monachorum actione 5. (olim prima) Concilii Conſtantinopolitani ſub Menna relati. Oſtendunt & ea quæ apud Liberatum, & Euagrium leges de expuncto è ſacris dypticis ab Eutychianis Leonis nomine & reſtituto à Catholicis. Oſtendit & epiſtola Ægyptiorum Epiſcoporum *ad Anatolium Conſtantinopolitanum* aduerſus Timotheum inuaſorem, parte tertia Concilii Chalcedonenſis, qua queruntur expunctum è ſacris diptychis Proterii nomen à Timotheo Æluro, & Dioſcori inſcriptum. Oſtendit quæſtio de nomine Ioannis Chryſoſtomi in iſtas ſacras tabellas referendo, cuius nomen refert Theodoret. lib. 5. capite 25. Caſſiodorus libro 10. hiſtor. Tripartitæ cap. 25. & vitæ ipſius ſcriptores ab Alexandro Antiocheno diptychis ſacris primùm inſcriptum.

Extat Innocentii I. Romani Pontificis epiſt. *ad Arcadium Imperatorem*, apud Georg. Alexandr. & Iſidorum Trimethenſem Epiſcopum in vita Chryſoſtomi, iubentis ſacris diptychis nomen eius inſeri.

E contra Theophilum Alexandrinum nomen ipſius expunxiſſe, & Cyrillum Alexandrinum eadem æmulatione diu reſtitiſſe, ne in ſacras tabulas reſtitueretur, leges apud Nicephorum lib. 14. capite 27. & colliges ex Iſidori Peluſiotæ epiſt. *ad Cyrillum*, quæ habetur in appendice ad Liberatum diaconum & eſt 370. lib. 1.

Oſtendit orta contentio propter nomen Flauiani Conſtantinopolitani damnati in pſeudo-Epheſina Synodo à Dioſcoro, quod renuebant qui eiuſdem in Ægypto erant ſententiæ, reſtituere, vt leges apud Euagrium libro 2. & Liberatum *in Breuiario*, narraturque in epiſt. Iuſtiniani *ad quintam Synodum generalem*.

Oſtendunt eundem morem Vigilius Papa in damnatione Theodori, *Etiam Alexandrinæ Eccleſiæ Sacerdotem fratrem noſtrum Zoilum, cuius nomen vſque ad memoratum diem communicatum vobis fuerat diptychis eximentes Apollinarem quendam peruerſorem, atque Eccleſiæ ipſius adulterum vobis ſociaſtis.* Diualis ſacra Conſtantini Pogonati ad Donum Papam, contradita Agathoni eius ſucceſſori, quæ præmittitur ſextæ Synodo generali, *Multam enim nobis inſtantiam fecerunt, tam hic ſanctiſſimus ac beatiſſimus Patriarcha, quamque Macarius ſanctiſſimus Patriarcha Theopoleos, vt eiiceretur Vitalianus beatiſſimus de diptychis, propter honorem Apoſtolicæ Sedis antiquæ noſtræ Romæ*; & Ioannes Diaconus lib. 4. *vitæ ſancti Gregorij*, capite vigeſimo tertio, *quam videlicet conſuetudinem*, (vt non ſcribat Romanus Pontifex ad quemquam ex Patriarchis anteqnam hic Synodicam epiſtolam miſerit) *ſicut noſtri quoque qui ante biennium ab Adriano beatiſſimo Papa in octaua Synodo*

Præfuere, teſtantur, ita Orientales præcipuè retinent hactenus ſedet, vt in ſuis diptychis nullius Pontificis nomen deſcribant, quouſque Synodicam ipſius ſuſcipiant, & tandiu defunctum Pontificem inter viuentes numerent, quandiu ſucceſſor illius ſuas literas ſtuduerit deſtinare. Octaua Synodus generalis Canone decimo, *Sed neque recuſet quiſquam nomen ipſius Patriarchæ referre inter diuina myſteria, vel officia*, &c. *quod etiam circa Patriarcham ſuum Metropolitas facere oportet.* In Concilio Lugdunenſi Nicephorus Gregoras libro quinto hiſtoriæ in principio, concordiæ Græcorum cum Romanis initæ tria recenſet capita: primum, *Vt in ſacris voluminum hymnodiis Papæ cum quatuor Patriarchis mentio fieret. Alterum, vt liceret cuiuis Romam veterem, quæ curia maior & perfectior eſſet, appellare: tertium, vt illi principatus in omnibus deferretur.* Ei conſentit Gregorius Pachymeres libro ſimiliter quinto hiſtoriæ. Fateor Epiſcoporum quoque inferiorum ſedium, in Sacras tabulas relata, vel ex iis eraſa fuiſſe: ſed non lego eorum vbique nomina inſcripta fuiſſe, & extra Eccleſiam ſuam, aut prouinciam neceſſe fuiſſe inſcribi, vel expungi: quod Patriarcharum, quandiu in communione tam cum Romana Eccleſia, quam ad inuicem ſecum manſerunt, proprium fuit.

§. IV.

Patriarchæ vbique deferunt inſignia poteſtatis.

TERTIVM priuilegium, quod non in ſuis ſolùm prouinciis, ſed vbique crucem ante ſe deferri, iubere poſſint, huius priuilegii meminit Iſidorus Hiſpalenſis libro ſeptimo capite duodecimo.

Hoc ſtatuit Concilium Lateranenſe generale ſub Innocentio III. capite quinto, quod refertur *de priuilegiis*, capite, *antiqua. Dominicæ vero crucis vexillum ante ſe faciant vbique deferri, niſi in vrbe Romana, & vbicumque Summus Pontifex præſens extiterit, vel eius Legatus vtens inſigniis Apoſtolicæ dignitatis.* Græci alia inſignia dignitatis Patriarchalis adiungunt, vt quod quinque Patriarchæ vbiuis cum lampade, vel face ſibi prælata progrediantur, quod priuilegium in ſuis diœceſibus, ſeu prouinciis Archiepiſcopis Bulgariæ, & Cypri, & paucis quibuſdam Metropolitanis conceſſum Imperatoria munificentia ſpeciali tradit Balſamon *in Melete*, ſeu *meditatione de Patriarchis:* qui etiam habitum Patriarchalem ſingularem nobis ibidem deſcribit, & tam præcedentis ritus quam veſtimentorum Patriarchalium myſteria fuſe exponit, Phrantes libro tertio capite decimo nono, huius ritus præferendi lampadem Patriarchis etiam meminit: Itemque Codinus capite quarto, numero ſexto, *de officiis Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.* Prædictus quoque Balſamon tum prædicta meditatione, tum in reſponſis, *ad Marcum Alexandrinum*, reſponſione trigeſima ſeptima, πολυςαύριον nobis deſcribit, veſtem Patriarchalem cui multæ cruces intertextæ, quæ alias φαιλόνιον dicebatur: eiuſdem meminere Cabaſilas in quæſitis, Demetrius Chomarenus in reſponſi, libro quinto iuris Græco-Romani, Malaxius in hiſtoria, & alii. Sed Polyſtauria iſta in ſuis duntaxat Eccleſiis, maioribus duntaxat prælatis, qui olim Exarchicâ dignitate fungebantur, præſulibus nimirum Cæſareæ Cappadociæ, Epheſi, Theſſalonicæ, & Corinthi tributa fuiſſe notat Zonaras in Canonem 17. Concilii Chalcedonenſis; adeoque dignitatis inſignia quæ vbique quinque Patriarchis maioribus concedebantur, ea in ſuis Eccleſiis ſibique ſubditis Exarchis inferioris dignitatis, & Metropolitanis quibuſdam permiſſa ſunt, eo quòd non tam vniuerſitatis Eccleſiæ figuram repræſentarent, quàm ipſi Patriarchæ.

§. V.

§. V.

Patriarchæ in vniuerſali Eccleſiæ regimine ſummi Pontificis ſingulares aſſeſſores, & adiutores.

SECVNDA prærogatiua Patriarcharum eſt, quòd ſummi Pontificis in vniuerſalis Eccleſiæ regimine aſſeſſores & conſiliarij ſpeciali ratione habiti fuerint, & in ferendo Eccleſiæ onere adiutores, atque in vniuerſalis Eccleſiæ negotiis, (cuiuſmodi ſunt ea quæ ad Religionis veritatem ac vnitatem Eccleſiæ præſertim ſpectant) præcipui collaboratores. Quam prærogatiuam exprimunt Gregorius iis litteris, quibus initio ſui Pontificatus quatuor Patriarchas ſalutat, iiſque electionem ſuam denuntiat, id eſt ep. 24. lib. 1. *Dum enim*, inquit, *nos vobis per orationis opem coniungimur, quaſi ambulantes per lubricum viciſſimque nobis manum tenemus: fitque ex magna prouiſione charitatis vt eo ſingulorum robuſtior charitas præfigatur: quo in alterum innititur*; & Theodorus Studita lib. 2. epiſt. 121. *Patriarchæ Hieroſolymitano*; *quid hoc rei eſt, quod feruente hæreſis perſecutione, conueniebat ſublimium ſedium Antiſtites, tanquam ſpiritus adiutores, & Apoſtolici conſilij plenos fraterno animo commoueri, manúmque pro veritate certantibus compatiendo porrigere: & ſi quid patitur*, inquit Apoſtolus 1. Corinth. 12. *vnum membrum, compatiantur alia membra: ſiue gloriatur vnum membrum, congaudeant omnia membra, quia nimirum caput eſt totius Eccleſiaſtici corporis Chriſtus verus Dominus, ac Deus noſter. Quòd ſanè Occidentis Apoſtolicus cùm præſtitiſſet, quantum profuerit, quid opus eſt loqui?* audis *ſpiritus adiutores, & Apoſtolici conſilij plenos, ſublimium ſedium Antiſtites*, id eſt Patriarchas hoc loco dici, eorúmque officium deſcribi, vt graſſante hæreſi commoueantur, vt vbique Eccleſiæ periclitanti ſuccurrant. Quamuis enim omnium Epiſcoporum hoc munus ſit, vt præclarè oſtendunt, Cyprianus epiſt. 67. *ad Stephanum*, Epiphanius epiſt. *ad Ioannem Hieroſolymitanum*, Baſilius epiſt. 70. *Italiæ & Galliæ Epiſcopis*, Celeſtinus tum epiſt. *ad Gallos*, tum epiſt. *ad Synodum Epheſinam*, Synodus Myrenſis, *ad Leonem Imperatorem*, parte tertiâ Concilij Chalcedonenſis, Gregorius lib. 3. epiſt. 27. indict. 12. & lib. 11. epiſt. 31. indict. 7. necnon homil. 22. lib. 2. *in Ezechielem*; Ioannes primus epiſtolâ *ad Zachariam Archiepiſcopum*, Nicolaus primus epiſtolâ quadrageſimâ-ſecundâ *ad Gallos*, Silueſter ſecundus epiſtolâ octuageſimâ-octauâ Gilberti, & alij paſſim. Quos omnes non dubium eſt moueri potuiſſe eadem ratione, quam profert Theodorus Studita, quæ ex membrorum omnium Eccleſiæ inter ſe connexione deſumetur, ob quam compati inuicem debent, & collætari, quam pariter rationem vrgent Baſilius epiſt. 70. & 77. Ambroſius libro tertio *de officiis*, cap. 3. Chryſoſtomus homil. *de ſancto Euſtathio Antiocheno*, tomo primo; Auguſtinus libro ſecundo *contra Parmenianum*, capite octauo, & epiſtolâ octuageſimâ primâ *ad Eudoxium*, & de geſtis Pelagij capite vltimo, Concilij Arelatenſis tertij Patres ſtatim initio, Lugdunenſis primi Can. 2. Leo epiſt. 84. *ad Anaſtaſium*: Socrates libri octaui capite ſexto, Nicephorus libri octaui capite octauo, & alij paſſim. Nihilominùs Patriarcharum hæc maximè cura eſſe debet, qui in ſpecula poſiti, & toti Diœceſi prælati, boni publici maiori ſtudio flagrare, & cùm ſint cardines Eccleſiæ, quorum interuentu reliqui inferiores Epiſcopi, Clerici ac laici ſummo viſibili Eccleſiæ capiti vniuntur, proculdubio ſatagere præſertim debent, ne compago iſta corporis Eccleſiæ diſſoluatur, aut aliqua parte dehiſcat. Atque hoc ſenſu totius Eccleſiæ curam gerunt, quo nempe Gregorius Nazianzenus Oratione vigeſimâ-primâ, *In laudem Athanaſij Alexandrini Patriarchæ*, ipſum dixit *leges orbi terrarum præſcripſiſſe; atque omnium mentes ad ſe conuertiſſe, aliis epiſtolas mittendo, alios accerſendo*, de Euſtathio Antiocheno dixit Chryſoſtomus homiliâ quinquageſimâ-ſecundâ, *in ſanctum Euſtathium Antiochenum*, ipſum non in ſua duntaxat Eccleſia, hanc curam adhibuiſſe, ne hæreſis Arriana ſerperet, *ſed in omnes partes miſiſſe qui docerent, qui cohortarentur, qui diſ-*

putarent, qui hoſtibus aditum omnem intercluderent. Atque hinc eſt quod ad Patriarchales ſedes ſuborta de nouo hæreſi renuntiare in Eccleſiaſtico more ſemper fuerit: nam verbi gratiâ, de Nouatiani (quem Græci Nouatum vocant) ſchiſmate enato Cornelius *ad Fabium Antiochenum*, literas dedit, quæ habentur apud Euſebium lib. 6. cap. 35. miſiſſe & Cornelium de eadem hæreſi literas ad Dionyſium Alexandrinum, ex Dionyſij Alexandrini litteris ad Dionyſium Romanum tunc Preſbyterum Romæ colligitur, quarum meminit Euſebius lib. 7. cap. 9. aduerſus ſchiſma iſtud ſeu hæreſim pugnans Dionyſius Alexandrinus Nouatum monet, vt in viam ſinceriorem reuertatur, apud eundem Euſebium libri 16. capite quadrageſimo-quinto, & *ad Fabium Antiochenum* ſcribit libri ſeptimi capite decimo. Vnde & in Synodum Antiochenam contra Nouatianos ſe vocatum ab Heleno Tarſi, Firmiliano Cappadociæ, & Theoctiſto Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopis teſtatur idem Dionyſius Alexandrinus, lib. 6. hiſtoriæ Euſebij cap. vlt.

Exortâ Pauli Samoſateni hæreſi, Epiſcopi Orientis qui ei ſubdebantur Concilium congregant, & ad illum Dionyſium Alexandrinum vocant, teſte Euſebio lib. 7. cap. 22. ſed cùm per corporis imbecillitatem adeſſe non poſſet, epiſtolam ſcripſit, teſte eodem capite vigeſimo tertio, quam è latebris vindicatam Latinitate donauit Turrianus. E Synodo verò ad Dionyſium Romanum alij ſcribunt de Pauli depoſitione, & Demetriani ſubſtitutione, cui Demetriano *vt ſcribat* Dionyſium rogant, & vt *ab illo litteras accipiat communionis*, ſcilicet quatenus communio Eccleſiæ & vnitas ſeruaretur: habentur literæ iſtæ Synodicæ capitibus vigeſimo-tertio, & vigeſimo-quarto libri ſeptimi citatæ hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capite vigeſimo-tertio & vigeſimo-quarto. Legantur epiſtolæ Dionyſij Alexandrini libro ſexto, & ſeptimo Euſebij; eæque docebunt te, Patriarcharum ſibi inuicem relationes vſitatas, & Alexandrini Dionyſij in iis, quæ ad Eccleſiæ pacem, & Religionis Catholicæ doctrinam ſinceram pertinerent, ſtudium indeficiens.

Arrianâ emergente hereſi, ſtatim Alexander Alexandrinus epiſtolas numero ferè ſeptuaginta encyclicas *ad Epiſcopos* miſit, teſte Epiphanio, hæreſi ſexageſimâ-nonâ: Philogono Antiocheno, & variis Epiſcopis extra Diœceſim Ægyptiacam ſcripſit, vt ab Arriana hæreſi ſibi cauerent, teſte Theodoreto libri primi capite quarto. De Origeniſtarum hæreſi conſultos Theophilum Alexandrinum, & Anaſtaſium Romanum Pontificem Hieronymus epiſtolis *ad Pammachium, ad Theophilum*, & aliis pluribus oſtendit. Quamuis enim reprehenderit Ioannem, quòd accuſatus de hæreſi Patriarcham Antiochenum, cui ſuberat, neglexerit, & ad Theophilum Apologeticum ſcripſerit, non tamen communicationem Sedi Alexandrinæ factam reprehendit, quandoquidem ipſe apud Theophilum ſe purgarit, epiſt. 65. eúmque laudarit, quòd Priſcum & Eubulum Legatos miſiſſet, qui in Palæſtina hæreſi iſti ſeſe opponerent, epiſt. 70. Cui congratulatur *ob Romam, & totam Italiam ipſius epiſtolis liberatam*, epiſt. 71. cuius communione gloriatur lib. 3. aduerſus Ruffinum cap. 3. de quo Anaſtaſio cap. 11. hæc ſcribit, *Iungamus dextras, animos copulemus, & duas Orientis atque Occidentis τροπαιοφόρους alacri ſequamur inceſſu.*

Statim atque Neſtorius hæreſim ſuam diſſeminaſſet, Cyrillus Alexandrinus ſe illi viriliter oppoſuit, de eàque *ad Cæleſtinum, ad Ioannem Antiochenum, ad Iuuenalem Hieroſolymitanum* epiſtolas ſcripſit, quæ habentur inter præambulas Concilij Chalcedonenſis. Occiſo Proterio ab hæreticis Eutycheti fauentibus in vrbe Alexandrina ſcripſerunt Ægyptiacæ Diœceſis Epiſcopi, & Clerici Alexandrini, *ad Leonem Imperatorem, & Anatolium Conſtantinopolitanum*, quibus illos rogant, vt quæ Alexandriæ acciderant, Romano Epiſcopo, Antiocheno, Hieroſolymitano ſignificare dignarentur: quibus adiungunt Theſſalonicenſium, & Epheſinorum Antiſtites ob Exarchicam illis conceſſam dignitatẽ. Legantur epiſtolæ Simplicij Papæ, ex quibus patebit Acacium Conſtantinopolitanum de ſtatu Eccleſiæ Alexandrinæ, mortuo Timotheo Æluro reſcripſiſſe, Simplicium Acacio de eiuſdem Eccleſiæ ſtatu literas dediſſe: item de electo Calendione Eccleſiæ Antiochenæ: eas prætereà Simplicium Acacio Eccleſias commendaſſe: & quidem epiſtolâ 17. curam iſtam

Digitized by Google

generalem ipſius officio neceſſariam his verbis inculcaſſe, *Fidelis ſeruus oſtenderis, ſi non tantùm in Eccleſia, cui præſides, ſed vbicumque poteris pro vnitate Eccleſiæ Catholicæ, & paternis definitionibus ſuadere non renuas.* Fauet Baſilius Macedo, qui, prout refertur libro Iuris Græco-Romani, *Scopus*, inquit, *Patriarchæ propoſitus eſt primùm quidem, vt quos à Deo accepit, in pietate ac honeſtate vitæ conſeruet: deinde & omnes hæreticos pro virili ſua conuertat ad rectam veritatis ſententiam, & vnitatem Eccleſiæ.* Innumera ſunt huiuſmodi teſtimonia, quæ ne Lectori faſtidium creent, lubens prætermitto.

§. VI.

Patriarcharum in Conciliis generalibus præſentia, vel legatio quantum expetita.

SED ad Concilij œcumenici plenitudinem Patriarcharum omnium quandiu in Eccleſiæ Catholicæ communione fuerint, inuitationem neceſſariam iudicatam oſtendam. Sufficiat notare primò id adeò neceſſarium viſum, vt Photius quatenus falſa Concilij vniuerſalis ſpecie hominibus illuderet, falſos vicarios ſanctiſſimarum trium Patriarchalium ſedium Orientis nominaſſe, ac propoſuiſſe, & ita Concilium vnitatis collegiſſe arguatur ab octaua Synodo generali ſub Hadriano ſecundo Capitulo 6.

Lubet etiam ex Theodoro Studita lib. 2. epiſt. 129. *Leoni ſacellario*, quædam exſcribere, quæ veterem hac in re Eccleſiæ ſenſum ac praxim demonſtrant, *Fieri ergo*, inquit, *nulla ratione poteſt, Domne, vt ſæculari iudicio diuinum iudicium comparetur, aut vt coaleſcat hæc Eccleſia non conſencientibus quinque Patriarchis. Quòd ſi roget quiſpiam, quo pacto id fieri poſſit. Si excedant, inquam, Eccleſiis Dei heterodoxi, & propriam ſedem recipiat Nicephorus ſacer Patriarcha: qui coacto eorum conuentu, cum quibus certamen ſuſtinuit, ſi fieri non poſſit vt ab aliis Patriarchis adſint vicarij (quod certè fieri poteſt ſi velit Imperator Occidentalem intereſſe, cui & poteſtas ſumma defertur Synodi œcumenicæ) attamen pacem conficiis, & coniunctionem, Synodicas ſuas ad primæ ſedis Præſulem mittendo. Quòd ſi hoc minimè probet Imperator, deflexitque (vt ipſe ait) à veritate Nicephorus Antiſtes: mittenda eſt ad Romanum ex vtraque parte legatio, & inde fidei accipienda certitudo. Etenim ſic res ſe habet, vt ſi aberret vnus ex Patriarchis, à cæteris eiuſdem ordinis, quemadmodum diuinus Dionyſius tradit, correctionem admittat, non ab Imperatoribus iudicetur, licèt omnes, quotquot vnquam fuerunt Imperatores orthodoxi.*

Agitabatur duplex eo tempore quæſtio, propter quam Eccleſiæ erant ſchiſmate diuiſæ, vna fidei, altera vnitatis Eccleſiæ; nam & Catholica fides impetebatur à Leone Armeno Iconoclaſtarum hæreſim promouente, & Imperator Conſtantinopolitanus è ſede ſua Nicephorum Patriarcham Conſtantinopolis exturbarat, & per vim ipſi exulanti ſuffecerat Theodotum Meliſſinum, quemadmodum narrat illius temporis Scriptor in Nicetа. Reuocandæ verò vnitatis Eccleſiæ hoc conſilium ſubminiſtrat Theodorus, vt ſi fieri poſſit Concilium generale celebretur, ad quod omnes Patriarchæ conuocentur, qui per ſe vel per Legatos interſint: penes Romanum qui Occidentis eſt Patriarcha, poteſtatem ſummam Synodi œcumenicæ eſſe debere: ſi Concilium generale conuocari commodè non poſſit, ſaltem prouinciale celebretur, ita tamen vt Synodicæ epiſtolæ ad primæ ſedis Antiſtitem, id eſt, Romanum mittantur, qui acta in legitima Synodo confirmet. Si nec iſtud fieri poſſit, ſaltem ab vtraque parte contendentium ad eum legatio decerni debeat, vt ab ea ſede fidei reſponſa petantur, & hic meliorem cauſam fouere cenſeatur, cui Romanus Pontifex conſenſerit.

Hæc ipſe de vnione Eccleſiarum interuentu Patriarcharum facienda, ita ſcilicet vt Epiſcopi ſuis Patriarchis conſentiant, & hi ſummo Pontifici, legitimique illi, & veri cenſeantur, qui Romano communicauerint, adulterini, quos ipſe reiecerit.

Quare quæ in fine verba ſubduntur malè, à Spalatenſi torquentur lib. 3. cap. 10. numero trigeſimo-quinto, quaſi inter Patriarchas æqualitatem & parem in omnibus Patriarchis errantem ex ipſorum cœtu corrigendi poteſtatem

Digitized by Google

inducant; cùm contrarium ex præcedentibus manifeſtè pateat: ex quibus ſcilicet innoteſcit, ſi fieri poſſit, vt aberrans Patriarcha à cæteris corrigatur, optimum illud eſſe & ſalutare, cùm hac ratione ad pacem Eccleſiæ faciliùs reuocetur: ſin minus, vnicum eſſe neceſſarium & ſufficientem Romanum Pontificem, qui & cæteris conuocatis præeſt, & eorum ſententiam probat, & correctionem ſolus adhibet, ſi cæteri aut officio defuerint, & opem ferre vel neglexerint, vel non potuerint. hoc vnum verò præſertim hac clauſulâ intendit, nimirùm ne Patriarcha ab aliis extra ordinem Patriarcharum iudicetur ſeu damnetur.

Eodem ſæculo Patriarcharum in iis quæ ad Eccleſiæ pacem, & vnitatem ſpectant, poteſtatem hac comparatione illuſtrat Walafridus Strabo *de rebus Eccleſiaſticis*, cap. 31. iis verbis, *Comparetur ergo Papa Romanus Auguſtis & Cæſaribus; Patriarchæ verò Patriciis, qui primi poſt Cæſares in imperiis fuiſſe videntur: ita & iſti qui ſatis pauci ſunt, primi poſt trium ſedium* (Romanam intelligit, Alexandrinam & Antiochenam) *Præſules habentur: deinde Archiepiſcopi qui ipſis Metropolitanis præeminent regibus conferamus, Metropolitanos autem ducibus comparemus.* Lyranus quatuor Patriarchas inferiores Romano Pontifice quatuor animalibus comparat, quæ plena oculis antè & retrò ante thronum Dei viuentis deſcribuntur in Apocalypſi, propter vigilantiam & intentam diligentiam in iis quæ ad bonum Eccleſiæ ſpectant.

§. VII.

Patriarchæ præ cæteris Epiſcopis Apoſtolicæ poteſtatis magis participes.

TERTIA prærogatiua Patriarcharum eſt, quòd Apoſtolicæ plenitudinis præ cæteris participes effecti, Apoſtolos proinde magis quàm cæteri Epiſcopi repræſentent. Leo primus Apoſtolicam fieri Eccleſiam dixit, quæ Patriarchalis fieret, epiſt. 54. *Martiano Auguſto.* his enim Anatolij ambitum verbis perſtringit, *Non dedignetur regiam ciuitatem, quam Apoſtolicam* (id eſt Patriarchalem) *non poteſt facere Sedem.* Cui conſentiens Iſidorus Hiſpalenſis libri ſeptimi Originum capite duodecimo, *Patriarcha Græcâ linguâ ſummus Pater interpretatur, quia primum, id eſt Apoſtolicum retinet locum; & ideò quia ſummo honore fungitur, tali nomine cenſetur.* Sic etiam, & Primatis à Siricio Papa epiſtolâ quartâ capite primo, Apoſtolica Sedes eſſe dicitur, ſtatuit enim ſummus Pontifex, *vt extra conſcientiam Sedis Apoſtolicæ, id eſt Primatis nemo audeat ordinare.* Apoſtolorum ſucceſſores ſingulariter Patriarchas prædicat citatâ Theodorus Studita epiſtolâ *ad Leonem ſacellarium. Quinam autem*, inquit, *hi ſunt quibus iuſſum fuit? Apoſtoli & eorum ſucceſſores. Quinam porro ſunt ſucceſſores? Qui Romanam nunc primam Sedem tenet? Qui Conſtantinopolitanam ſecundam, qui Alexandrinam, & Antiochenam, & qui Hieroſolymitanam. Hæc quinuertex, hoc eſt quinque Patriarcharum poteſtas: Eccleſiæ penes hos diuinorum dogmatum iudicium.*

Ratio eſt, quia Apoſtolorum referunt illi maximè figuram, & prout Chriſti comites & ſodales erant, & prout in vniuerſum orbem diſperſi fuerant, nam & ipſi ſummi Pontificis in ampliſſimo Eccleſiæ ſenatu & conuentu, id eſt, in Conciliis collegæ ac cooperarij, ac totius Eccleſiæ publicis vtilitatibus ex ſtatu ſuo collaborantes, vt probatum eſt, & vniuerſalioris poteſtatis præ cæteris participes. Primò, quia totus orbis ipſis quodammodo contraditus eſt, quemadmodum Iuſtiniani ſupra quibuſdam auctoritatibus eluceſcit, & alibi fuſiùs, Deo dante probabimus. Cuius rei rationem habens Euagrius libri ſecundi cap. 8. omnes ex vniuerſo orbe Chriſtiano ſacerdotes, qui ad Concilium Chalcedonenſe conuenerant, numerat *quinque Patriarchas, qui per ſe, vel Legatos eidem interfuerunt*, & Epiſcopos τοὺς ἀμφ᾽ αὐτούς, *qui circa ipſos ſunt.* Apoſtolicæ autem poteſtatis plenitudo in Patriarchis præ cæteris elucet.

Primò, quia amplas, & longè latéque patentes Diœceſes habent, ac totum orbem inter ſe, vt iam docuimus, partiti ſibi videntur, quemadmodum Apoſtoli

prouincias olim diſtribuerunt, vt ex Apoſtolica traditione referunt Iuſtinus in Oratione *ad Antoninum*, Chryſoſtomus homil. *de duodecim Apoſtolis*, Euſebius lib. 2. cap. 1. Ruffinus lib. 1. cap. 1. Nicephorus lib. 1. cap. 39. & ſeqq.

Secundò, quia ipſi ſoli pallium, per quod Epiſcopalis poteſtatis plenitudo ſignificatur, ſubditis ſiue Metropolitanis impertiri poſſunt, iuxta Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. cap. 5. Conſtitutionem, *Inter antiqua Patriarchalium Sedium priuilegia*, quæ ab ipſo renouantur, recenſentes, illud quod *poſtquam earum Antiſtites à Romano Pontifice receperunt pallium, quod eſt Pontificalis plenitudinis inſigne, præſtito ſibi fidelitatis & obedientiæ iuramento, licenter & ipſi ſuis Suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro ſe profeſſionem Canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem.*

Tertiò, quòd eorum præ cæteris officium ſit barbaris præſertim populis, & infidelibus prouidere, vt Chriſti fides ipſis prędicetur, & Eccleſiæ apud eos per Epiſcoporum ordinationem erigantur. Cùm enim orbem partiti fuerint, partitio tamen iſta, quia non in eorum commodum, quemadmodum prædiorum aut bonorum temporalium fieri ſolet, ſed in Eccleſiæ vtilitatem facta fuerit, non anxiâ religioſitate ſibi certos terminos, & fines præſcriptos eſſe putauerunt, quin vicinas prouincias à nemine adhuc vindicatas Chriſto acquirere ſibi licuiſſe putarint; ſed quemadmodum Apoſtoli, ita & ipſi prouincias inter ſe partiti ſunt, illi ſiquidem huc illúcque diſcurrentes, in ea, quæ alteri obtigiſſet, prouincia, ſine formidine violatæ partitionis Euangelium Dei diſſeminarunt, vt ex eo patet quòd in eadem prouincia plurimi verbum Dei prædicaſſe legantur: ſic & Patriarchæ non orbis regiones ſibi demandatas ita curarunt, quin prouincias ſibi commodiores ab aliis aut neglectas, aut non ita commodè procuratas & illas ſibi Chriſtóque lucrati neglexerint; quemadmodum in Africa olim cautum legimus in Concilio Mileuitano II. Can. 24. vt *Epiſcopis negligentibus loca ad Cathedram ſuam pertinentia in Catholicam vnitatem lucrari* vicini Epiſcopi per fructuoſa in populis ad fidem conuertendis exhibitam operam ea Cathedræ ſuæ acquirere poſſint.

Quare legimus apud Euſebium lib. 6. cap. 13. à Demetrio Epiſcopo Alexandrino, Origenem in Arabiam miſſum, vt Arabiæ Præſidem in ſacris Literis erudiret, apud eundem lib. 5. cap. 10. & Hieronymum epiſt. 84. Pantænum ſectâ Philoſophum ab eodem Demetrio in Indiam miſſum eſſe, vt Chriſtum apud Brachmanas, & illius gentis Philoſophos prædicaret: apud Ruffinum lib. 1. cap. 6. Socratem lib. 1. cap. 15. Theodoretum lib. 1. cap. 23. Sozomenum lib. 2. cap. 23. Frumentium Epiſcopum Indorum ab Athanaſio Alexandrino ordinatum eſſe, ad animos illius gentis pietatis doctrinâ excolendos: apud Theodoretum lib. 4. cap. 21. Socratem lib. 4. cap. 29. Sozomenum lib. 6. cap. 38. Moſem ab Iſmaëlitis ad fidem conuerſis delectum Epiſcopum Alexandriam à Valente miſſum fuiſſe ordinandum, ſcilicet quia Patriarchæ iſtud officium conueniebat. Sed eò quòd Alexandrinus Epiſcopus Lucius Arrianus eſſet, manus impoſitionem ab eo ſuſcipere nolentem, ad Epiſcopos Catholicos, quos ipſe poſtularat, deductum manus impoſitionem ab iis recepiſſe: apud Cyrillum in vita S. Euthymij, Petrum Sarracenorum iterùm de nouo ad fidem conuerſorũ Epiſcopum à Iuuenali Hieroſolymorum pro Patriarcha ſe gerente conſecratum fuiſſe: apud Procopium *de bello Perſico*, lib. 1. & 2. Euagrium lib. 4. cap. 21. & 22. Nicephorum lib. 17. cap. 23. variis populis ad Pontum Euxinum, & Mœotidem paludem iuſſu Imperatoris Iuſtiniani à Conſtantinopolitano Patriarcha Epiſcopum datum, conſentaneè Canoni 28 Concilij Chalcedonenſis, quo barbaris gentibus Epiſcoporum ordinandorum cura illi demandatur.

Verùm hæc quoque prærogatiua Exarchis ſaltem quibuſdam conceſſa legitur, vt Cæſareæ Cappadociæ Primati, quem docuimus ſanctum Gregorium Armeniæ magnæ primum Epiſcopum præfeciſſe, quia & illa Armenia vicina erat Armeniæ paruæ, & ad Ponticam Diœceſim commodiùs quam ad vllam aliam ſpectare poterat. Iam verò per Clementinam *in plerìſque, de electione, & electi poteſtate*, hæc poteſtas de Eccleſiis Cathedralibus Clero, ac populo, ac reditibus carentibus prouidendi ſolo ſummo Pontifici reſeruata eſt: quamuis anteà, vt notat Gloſſa in

dictam Clementinam, verbo *Superiorum*, & verbo *quantumcumque*, Patriarchæ & quidam Archiepiſcopi hac poteſtate fruerentur.

§. VIII.

De poteſtate Patriarcharum in ordinandis tam Metropolitanis quàm Epiſcopis quibuſdam ſuarum Diœceſeon.

ALIA verò ſunt plurima priuilegia ſeu officia Patriarcharum, quæ ipſis cum Primatibus atque Exarchis communia ſunt, & vt plurimùm ipſis, ac Primatibus, ac Canonibus conceduntur & imponuntur. Primum eſt ius ordinandi Metropolitanos, vel illorum ordinationibus auctoritatem præſtandi; aut ſaltem, ſi remotiores fuerint ordinationes ipſorum confirmandi: qua de re fuſiſſimè tractauimus parte ſecunda *de ſacris electionibus & ordinationibus*, ſectione 5. cap. 4. artic. 3. & 4. ideóque repetere ipſa inutile fuerit.

Alterum ius quoque ordinandi Epiſcopos, vel per ſe, vel per alium in ſpeciali ſua Diœceſi obtinuerunt aliqui Patriarchæ. Hoc iure certiſſimè fruitus eſt Patriarcha Alexandrinus, vt conſtat ex epiſtola Synodica Concilij Nicæni apud Theodoretum lib. 1. cap. 9. & Caſſiodorum hiſtoriæ tripartitæ lib. 2. cap. 12. ex epiſtolis Paſchalibus 1. & 3. Theophili Alexandrini, 67. & 76. Syneſij *ad Theophilum Alexandrinum*, Athanaſio epiſt. *ad Dracontium*, Nicephoro lib. 13. cap. 17. Ioanne Moſcho cap. 128. Prati ſpiritualis, Iſidoro Peluſiota lib. 2. epiſt. 127. *ad Cyrillum Alexandrinum*, Palladio hiſtoriæ Lauſiacæ cap. 12. Epiphanio hæreſi 68. & aliis paſſim. Antiochenus in prouinciis Syriæ, & aliis quæ ſunt Orientis ſtrictè ſumpti, hanc poteſtatem prætendit vi Canonis 6. Nicæni: quem ita explicuit Innocentius I. epiſt. 18. *ad Alexandrum Antiochenum*, & illius poteſtatis aliqua exempla leguntur, quemadmodum & contrarij vſus.

Conſtantinopolitanus ex Canone Chalcedonenſi 18. citato Metropolitanos in Diœceſibus, Aſiana, Thracica, & Pontica ordinandi poteſtatem prætendit, vt ſuperiùs docuimus, quâ poteſtate paucis fortè exceptis vſum illum fuiſſe tradidimus. Primò quidem ex vſurpatione, tum ex approbatione ſummorum Pontificum. Eidem quoque conceſſum, vt barbararum circa Conſtantinopolim vicinarum, ſcilicet Ponto & Mœotidi regionum Epiſcopos ipſe crearet, id eſt, apud Alanos & Ruſſos, vt explicat Balſamon in Can. 28. Chalcedonenſem; qui populi vbi Metropolitanos proprios habuerunt, tranſlatam Epiſcoporum ordinandorum curam ad ipſos fuiſſe non dubium eſt: quamuis & variis prætextibus tum ante Concilium Chacedonenſe, tum poſteà, Patriarchas iſtos etiam Epiſcopos ordinare præſumpſiſſe, tum ex prædictis, tum ex aliis conſtare poſſet, quæ non moramur.

Solùm adnotamus apud Socratem lib. 7. cap. 28. legem aliquam in gratiam Attici Conſtantinopolitani extortam referri ab Imperatore, quo cauebatur, ne quis Epiſcopus deſignaretur abſque ſententia & auctoritate Epiſcopi Conſtantinopolitani, de qua ſuperiùs diximus, ſic & Patriarcham Hieroſolymitanum, Epiſcopos quoque aliquos inferiorum ſedium ex ſua Diœceſi per ſemetipſum ordinaſſe ſuperiùs docuimus. Quibus addi poſſunt alia exempla, quæ legere eſt apud Euagrium lib. 2. cap. 5. & alios. Romanum quoque Pontificem tanquàm Patriarcham, & Primatem in Diœceſi ſingulari iure ſibi ſubiecta Epiſcopos aliquos etiam aliis Metropolitanis ſubiectos ordinaſſe, vel ordinari mandaſſe, ſine eius auctoritate, & mandato nequaquam ordinandos, colliges ex Leonis epiſt. 4. *ad vniuerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos*, cap. 1. Gregorij Magni lib. 2. epiſt. 19. indict. 10. & epiſt. 39. indict. 11. lib. 6 epiſt. 38. & 39. indict. 15. lib. 7. epiſt. 25, 51. 52. 101. indict. 2. & aliis paſſim: quam diſtinctionem in Romano Pontifice ſummi Pontificis, Patriarchæ Occidentis, & Primatis ſuburbicarum regionum, putà eius regiones, quæ ab Athanaſio Apolog. 2. *Romanin* dicta eſt, petes à Carolo Caluo epiſtolà *ad Ioannem VIII.* inter epiſtolas Hincmari, & Ioanne XXII. Bullâ aduerſus Marſilium de Padua, apud Bzouium ad annum 1327.

Ab eodem quoque ſummo Pontifice ob neceſſitates varias Eccleſiarum miſſos

& ordinatos inferiorum ſedium Epiſcopos præſertim in Occidente, pluribus exemplis probauimus artic. 3. citaro capiris citati, *de ſacris ordinationibus*; quibus innumera addi poſſent: à quibus referendis abſtineo, prærerquam quòd ſilere non poſſum nequaquam id à moribus & inſtitutis Eccleſiæ Catholicæ, tempore Auguſtini iudicatum fuiſſe: quaodoquidem nec ipſe, nec vllus vnquam reprehenderit morem iſtum apud Donatiſtas vſitatum, vt ab vrbe Roma, in qua vnum ſuæ factionis Epiſcopum habebant, Africanis præfuturum ſuæ ſectæ hominibus Epiſcopum ab eo ordinatum ſuſciperent, cuius ſcilicet teſtis eſt Auguſtinus cootra Creſconium, lib. 2. cap. vlt. iis verbis, *Vos itaque ſecundum veſtrum errorem, vel potius furorem accuſare cogimini non ſolùm Cæcilianum, & ordinatores eius, verùm etiam illas Eccleſias, quas in Scripturis Canonicis & Apoſtolicis pariter legimus non ſolùm Romanorum, quo ex Africa ordinare ſoletis paucis veſtris Epiſcopum*, &c. Iis adde eos quos ordinare poſſunt, etiam ab vna ſede ad aliam transferre poſſe Patriarchas prætendiſſe, vt paret ex facto Athanaſij, qui Philonem à Vicana Eccleſia ad Metropolitanam gubernandam, eumque ob ſenectutem ad Vicanam Eccleſiam remiſit, teſte Syneſio epiſtolâ 67. *Theophilo*.

§. IX.

De relationibus maiorum cauſarum ad Patriarchas.

ALTERVM officium ac priuilegium Patriarcharum eſt, vt ad eos maiores cauſæ & grauiora negotia referantur, ſic Petrus apud Clementem epiſt. 1. poſt med. *Epiſcoporum iudicia & maiora Eccleſiarū iudicia ad Primates vel Patriarchas ſunt deferenda*, Anacletus epiſt. 1. c. aote fin. *Si autem difficiles cauſæ aut maiora negotia orta fuerint, ad maiorem Sedem referantur. Et ſi illic facilè diſcerni non poterint, ac iuſte terminari, vbi fuerit ſummorum congregata congregatio, quæ per ſingulos annos fieri ſolet, & debet, iuſtè, & Deo placitè coram Patriarcha aut Primate Eccleſiaſtico, & coram Patricio ſæculari iudicentur negotia in commune.* Idem epiſt. 2. cap. 4. *Ad Primates vel Patriarchas poſt Sedem Apoſtolicam ſumma negotia conueniant, vt ibidem quibus neceſſe fuerit releuentur, & iuſtè reſtituantur, & ij qui iniuſtè opprimuntur, iuſtè reformentur, atque fulciantur. Epiſcoporùmque cauſæ, & ſummorum negotiorum iudicia, ſalua Apoſtolicæ Sedis auctoritate iuſtiſſimè terminentur hæc ab antiquis, hæc ab Apoſtolis, hæc à ſanctiſſimis Apoſtolis accepimus.* Stephanus epiſt. 9. cap. 5. *ad Patriarchas & Primates. Epiſcoporum negotia, ſalua in omnibus Apoſtolica auctoritate, & maiores cauſæ poſt Apoſtolicam Sedem ſunt referendæ.*

Exceptio Sedis Apoſtolicæ ſemper habetur, nec niſi inferiori ab ea gradu cauſarum maiorum diiudicatio Patriarchis & Primatibus tribuitur, quia in Concilio Sardicenſi, quæ ex veteri more Romaoo Pontifici competebat prærogatiua, vt in maioribus cauſis & Epiſcoporum iudiciis vltimum penes eum iudicium maneret, confirmata eſt; cuius prærogatiuæ meminere prædictæ epiſtolæ, quas non germanas ſpondere audet, ſed ab octingentis annis in Eccleſia Dei receptas; ac proinde tantæ auctoritatis quantæ Scriptores à tot ſæculis illuſtres eſſe poſſent. Sed de hac exceptione non eſt hîc dicendi locus.

Exempla porrò grauiorum negotiorum ad Patriarchas delatorum ſparſim totâ hac diſputatione de Patriarchis illuſtria ſunt, quorum etiam aliqua protulimus. Sed inſigne exemplum eſt Ægyptiorum Epiſcoporum in Concilio Chalcedonenſi, qui adeò Patriarchali Sedi Alexandrinæ detulerunt, vt cùm Dioſcorus ipſorum Patriarcha à Synodo depoſitus fuiſſet, decretis fidei ab eadem editis ſubſcribere non auſi fuerint, antequam Alexandriæ Patriarcha ordinatus fuiſſet, quem ſubſcriptionis, ſicut & ordinationis auctorem haberent, vt refertur actione 4. Concilij Chalcedonenſis circa medium.

Digitized by Google

§. X.

De cauſis Epiſcoporum à Patriarchis, & Primatibus iudicandis, imò etiam cauſis Clericorum.

TERTIÒ, nominatim Epiſcoporum cauſæ per appellationem à Metropolitanis ad Patriarchas & Primates referuntur, tam vt condemnentur, quàm vt abſoluantur. Appellationes Epiſcoporum ad Patriarchas & Primates referri tradunt Anacletus epiſt. 2. poſt medium, Eleutherius epiſt. 1. ante finem, Felix epiſt. 1. poſt principium, Concilium Nicænum Can. 60. apud Iulium epiſt. 2. Can. 55. Anianus Nouellà Valentiniani, & Marciani *neminem exhiberi*, poſt Codicem Theodoſianum, Iuſtinianus Nouellis ſuperiùs citatis, 123. cap. 22. & 137. cap. 5. Carolus lib. 7. Capitularium cap. 177. *in additis.*

Quibus adde Synodi VIII. generalis ſub Hadriano II. Can. 26. & decretum Innocentij III. in Concilio generali Lateranenſi cap. 5. Synodus VIII. generalis ſic loquitur, *Quicumque Presbyter aut Diaconus à proprio Epiſcopo depoſitus fuerit propter aliquod crimen, vel ſi quamlibet iniuſtitiam ſe pati dixerit, & non acquieuerit iudicio proprij Epiſcopi, poteſtatem habeat ad Metropolitanum ipſius prouinciæ concurrere. Similiter etiam Epiſcopos concurrere ad Patriarchale caput decernimus, qui à Metropolitis ſuis talia ſe pertuliſſe fatentur, vt apud Patriarcham Metropolitas, qui ſub ipſo ſunt iuſtam, & ſine ſuſpicione ſententiam, quod mouetur negotium, accipiat.* Decretum verò Innocentij III. illud eſt, *In omnibus prouinciis Patriarcharum iuriſdictioni ſubiectis, ad eos cùm neceſſe fuerit, prouocetur, ſaluis appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis, quibus eſt ab omnibus humiliter deferendum.*

Iuſtinianus autem non ſolùm Epiſcopis, verùm etiam Clericis ad Patriarcham prouocare concedit, Nou. 123. cap. 10. *Iubemus vnumquemque beatum Archiepiſcopum & Patriarcham, & Metropolitam ſanctiſſimos Epiſcopos ſub ſe conſtitutos in eadem prouincia ſemel aut ſecundò, per ſingulos ad ſe conuocare, & omnes cauſas ſubtiliter examinare quas Epiſcopi, aut Clerici, aut Monachi habent.* Et cap. 22. *Si autem & à Clero, aut alio quocumque aditio contra Epiſcopum fiat, propter quamlibet cauſam: apud ſanctiſſimum Metropolitam ſecundum ſacras regulas & noſtras leges cauſa iudicetur: & ſi quis contradixerit, ad beatiſſimum Archiepiſcopum & Patriarcham Diœceſeos illius referatur cauſa, & ille ſecundum Canones, & leges huic præbeat finem*

Capite 23. *Oeconomos autem & Xenodochos, Noſocomos, Procotrophos, & aliorum venerabilium locorum gubernatores apud proprium Epiſcopum, cui ſubiacent, conueniri, & rationem ſuæ gubernationis facere, & exigi quod ex ipſis debentes oſtenduntur illi venerabili reddendum domui. Si verò putauerint ſe grauari, poſt repetitionem Metropolita cauſam examinet. Si verò Metropolita fuerit contra quampiam prædictarum perſonarum huiuſmodi cauſas examinans, & debitum exegerit, & exactus putauerit ſe grauatum, Diœceſeos illius beatiſſimus Patriarcha cauſam determinet: non enim concedimus prædictis perſonis pro memoratis cauſis ante examinationem & exactionem debiti propter Epiſcopos declinare, & ad alia venire iudicia.* Concilium Chalcedonenſe Canonibus 9. & 17. citatis Primatem prouinciæ aut Conſtantinopolitanum adire Clericis permittit, qui aduerſus Metropolitanos conquerendi cauſam habuerint. Exempla tam Epiſcoporum quàm Clericorum, coram Patriarchis per appellationem litigantium ex prædictis innumera ferè deſumi poſſunt. Nos iſta non moramur.

§. XI.

Antiquæ ad Patriarchas maiorum cauſarum relationes, antiquus mos Presbyterorum coram Patriarchis litigantium.

QVAM antiquum tamen ſit, vt ad Patriarcham Eccleſiaſtica negotia ſaltem maiora deferrentur, vel ex eo colligi poteſt quod narret Epiphanius hæreſi 68. num. 1. Meletium Lycopolytanum Antiſtitem adiutorem Petri Alexandrini Patriarchæ, & ad ipſum de cauſis Eccleſiaſticis referentem. Tantâ ſcilicet negotiorum multitudine Petrus Patriarcha Alexandrinus, in ipſo acerbæ ab Ethnicis illatæ perſecutionis æſtu vrgebatur, vt Archiepiſcopo negotiorum Eccleſiaſticorũ relatorum vti cogeretur. Egregium autem exemplum cauſarum, quæ inter Preſbyteros agitarentur apud ſedem Alexandrinam conqueſtionis, & ab eadem ſede delegati Epiſcopi ad audiendam cauſam apud Syneſium epiſt. 67. qui vbi de Epiſcoporum diſſenſionibus à ſe ex mandato Theophili Alexandrini terminatis ad ipſum Theophilum retulit, mox iſta ſubiunxit, Ἐπίταγμα δὲ ἦν, ὅπως ἀκούσομεν καὶ Ἰάσονος, ὃς ἔφη πολλὰ καὶ ἄδικα παρὰ συμπρεσβυτέρου παθεῖν, *Mandatum hoc inſuper mihi erat, vt & Iaſonem audirent, qui multa & indigna à Presbytero collega paſſum ſe eſſe aiebat.* Res autem ita ſeſe habere retulit, Iaſonem à Lamponiano iniuriarum conuictum fuiſſe: illum conuictionem præuenientem pœnas luiſſe ab Eccleſiaſticis conuentibus ſeparatum, neque remiſſam eſſe ſententiam, aut crimen ipſi condonatum, quamuis reus ex animi pœnitentia illachrymaſſet, & ſupplex populus eum condonari ſibi petiiſſet.

Sed & illud memorandum addit, ſe illius, quem vt delegatus ab Alexandrino Patriarcha damnauerat, abſolutionem ad eandem Sedem remiſiſſe; hæc enim ipſe, ἀλλ' ἐγὼ τοῖς δεδογμένοις ἐνεκαρτέρησα, τὴν δὲ λῦσιν τῆς αὐθεντίας εἰς τὴν ἱερατικὴν καθέδραν ἀνέπεμψα, *Sed & ego in iis quæ ſemel decreueram perſeueraui, ſoluendi autem ius atque auctoritatem ad Pontificiam Sedem reieci.*

§. XII.

Metropolitanos primo iudicio coram Patriarchis conueniri ſolitos.

QVARTÒ, primo iudicio Metropolitani coram Primatibus ſeu Patriarchis conuenire debere ſtatuunt, Concilium Chalcedonenſe Can. 9. & 17. citatis, cui iunge Aniceti epiſtolam primam in principio, Victoris epiſtolam primam in medio, Xiſti II. epiſtolam primam ante medium, Nicæni Canonem 21. & 52. apud Iulium, Hadriani Capitulorum per Angilramnum miſſorum Canonem ſextum, Nicolai epiſtolam *ad Michaelem Imperatorem*, quæ incipit *Propoſueramus*, in medio, Concilij Aquiſgranenſis Canonem 86. Capitularium lib. 7. cap. 321. Expreſſa in hanc rem videtur ſententia Synodi VIII. generalis Can. 17. *Patriarchæ habeant poteſtatem ad coercendum Metropolitanos vrgente neceſſitate, & ad corrigendum cùm fama eos ſuper quibuſdam delictis forſitan accuſauerit.*

Canone 19. *Definit hæc ſancta Synodus nullum Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum relinquere propriam Eccleſiam, & ſub occaſione quaſi viſitationis ad alias accedere, & poteſtate propriâ contra infirmiores abuti, & conſumere reditus, qui apud illos inueniuntur,* &c. *Quiſquis ergo Metropolitanorum poſt hanc definitionem noſtram tale quid facere tentauerit: pœnam à Patriarcha ſubeat, qui per tempus fuerit, ſecundum congruentiam iniuſtitiæ ac auaritiæ ſuæ, & deponatur & ſequeſtretur,* &c.

Canone 24. *Quiſquis Metropolitanorum,* &c. *Non per ſe cum timore Dei & alacritate ſeu conſcientiâ bonâ debita miniſteria in propria ciuitate, ſed per Suffraganeos ſuos efficere tentauerit, pœnas exſoluat coram proprio Patriarcha, aut deponatur.*

Denique Canone 26. *Inſuper etiam nullo modò quiſquam Metropolitanorum, vel Epiſcoporum à vicinis Metropolitis, vel Epiſcopis prouinciæ ſuæ iudicetur, licèt quædam immiſſa crimina perhibeantur, ſed à ſolo Patriarcha proprio iudicetur, cuius ſententiam ratio-*

nabilem, & iudicium iuſtum, ac ſine ſuſpicione fore decernimus: eò quòd apud eum honorabiliores quinque colligantur: ac per hoc ratum & firmum penitùs ſit, quod ab ipſo fuerit iudicatum. Si quis autem non acquieuerit iis quæ à nobis edita ſunt, excommunicatus exiſtat.

Eâ verò conſtitutione notandum eſt Metropolitanum negari ex Synodo prouinciæ poſſe iudicari; antiquitùs tamen aliter factitatum. Nam plutes legimus Metropolitanos à Synodis prouinciæ ſuæ iudicatos fuiſſe, illiúſque moris exempla plurima ex prædictis peti poſſunt: quin etiam Canones quidam huic Eccleſiæ praxi fauere videntur; nam verbi gratiâ Aniceti epiſt. *ad Epiſcopos Galliæ* c. 1. apud Gratianum 9. quæſt. 3. cap. *Si autem*, decretum legimus, *Vt ſi aliquis Metropolitanorum inflatus fuerit, & ſine omnium comprouincialium præſentia, vel conſilio Epiſcoporum, aut eorum, aut alias cauſas* (niſi eas tantùm quæ ad proprias Parochias pertinent) *agere, aut eos grauare voluerit, ab omnibus diſtrictè corrigatur. Si verò incorrigibilis eiſque inobediens apparuerit, ad hanc Apoſtolicam Sedem, cui omnia Epiſcoporum iudicia referri præcepta ſunt, eius contumacia referatur, vt vindicta de eo fiat, & cæteri timorem habeant.*

Higini Papæ epiſt. 1. cap. 2. cautum legimus, relatâ ab eodem Gratiano Canone præcedenti, *vt irrita ſint, quæ abſque comprouincialium ſententiâ à Metropolitano peragantur, & ipſe ſi quid abſque illorum ſententia fecerit, coerceatur à fratribus.* Concilio Nicæno, ab Athanaſio & aliis epiſt *ad Felicem ſecundum*, in medio, decretum iſtud attribuitur, vt *ſi quiſquam Epiſcoporum aut Metropolitanorum comprouinciales vel iudices ſuſpectos habuerit, veſtram ſanctam Romanam interpellat ſedem.* Ex eo autem clarè conſtat etiam Metropolitanos à comprouincialibus potuiſſe iudicari, cùm ab illis, ſi ſuſpectum fuerit, conceſſum ſit prouocari.

Concilium Epheſinum primum Canone 1. ſtatuit vt *ſi quis Metropolitanus à ſancta & vniuerſali Synodo deficiens, apoſtaſiæ ſeu defectionis conſeſſui, ac conuenticulo adhæſit, vel poſteà adhæſerit, vel cum Cæleſtio ſenſit aut ſenſerit, is aduerſus ſuæ prouinciæ Epiſcopos nihil penitùs agere poteſt, omni Eccleſiaſticâ communione ab hinc iam à Synodo eiectus, & ad nullum exercendum munus officiúmque idoneus exiſtens. Sed & ipſis prouinciæ Epiſcopis, & qui ſunt circumcircà, Metropolitanis, qui quæ ſunt rectæ opinionis ſentiunt, omninò ſubiicietur, & de gradu deiicitur.*

Similiter ſtatuit Concilium Aurelianenſe V. Can. 17. vt *ſi Metropolitanus à quocumque comprouinciali Epiſcopus bis fuerit in cauſa propria appellatus, & eum audire diſtulerit, ad proximam Synodum quæ conſtituetur, negotium ſuum in Concilio habeat licentiam exercendi, & quicquid pro iuſtitia à comprouincialibus ſuis ſtatutum fuerit, ſtudeat obſeruare.*

Nihilominùs Canonem citatum Concilij œcumenici confirmat Concilium Chalcedonenſe Can. 9. & 17. quibus Metropolitanos, (quos à Conſtantinopolitano Patriarcha ordinandos ſtatuit Can. 28.) nonniſi apud Primatem Diœceſeos, vel apud Conſtantinopolitanam ſedem conueniri debere ſtatuit, atque Synodo prouinciæ cauſarum ipſorum diſceptationem ac iudicium adimit.

Depreſſis verò Primatibus Aſianæ, Ponticæ & Thracicæ Diœceſeos, & eorum poteſtate ad Pattiarcham Conſtantinopolitanum, vt ſuperiùs docuimus, tranſlatâ, Iuſtinianus nonniſi cotam Patriarchis Metropolitanos conueniti ſtatuit, Nouel. 123. cap. 22. *Si verò contra Metropolitam talis aditio fiat, ab Epiſcopo aut Clero, aut alia quacumque perſona Diœceſeos illius, beatiſſimus Patriarcha ſimili modo cauſam iudicet.* Et Nou. 137. cap. 5. *Et ſi quidem Epiſcopus eſt is, qui accuſatus eſt, eius Metropolitanus examinet: ſi verò Metropolitanus ſit, eius beatiſſimus Archiepiſcopus, ſub quo degit.* Nam Archiepiſcopus eò loci Patriarcha Diœceſeos intelligitur.

Fauet Concilium Lateranenſe cap. 30. relato cap. *graue nimis, de præbendis*, vbi poſtquam Epiſcopos indignis beneficia conferentes à Concilio prouinciæ ſuſpendendos declarauit, de Metropolitano aliter ſtatuit, eum duntaxat deferendi, non puniendi Concilio prouinciali auctoritatem decernens, his verbis, *Metropolitani verò delictum ſuperioris iudicio relinquatur ex parte Concilij nuntiandum.*

Conciliari poſſunt iſtæ Eccleſiaſticæ leges adhibitâ iſtâ diſtinctione Metropolitanorum; nam qui à Synodo propria ordinantur, ij primo iudicio coram propria Synodo conueniuntur; qui verò nonniſi à Primatibus ſeu Patriarchis ordinantur,

Digitized by Google

eos non à propria Synodo, ſed à ſolis Primatibus ſeu Patriarchis iudicari viſum eſt: quia nempe, vt ſuperiùs notauimus, poteſtas iudicandi cum poteſtate ordinandi ex Eccleſiaſtico vſu, & ratione coniuncta eſſe ſolet, vt qui poteſt ordinare & confirmare, poſſit etiam iudicare.

Quare antiquitùs, vt plurimùm Metropolitani ſolerent ordinari à propria Synodo, cùm etiam in Galliis antiquus iſte vſus diutiſſimè viguerit, imò & in toto ferè Occidente: ideò Metropolitani à propriis Synodis iudicari ſolebant: at verò cùm in Oriente poſt decretum Chalcedonenſe communi vſu receptum foret, vt Metropolitani à Patriarchis, ſub quibus degebant, ſolerent ordinari, ideò receptum fuit, vt ab iis duntaxat iudicari poſſent. Quæ pariter conſuetudo in Occidente recepta eſt, poſtquam ius ordinationis ſeu confirmationis electionum, aut præſentationum Epiſcoporum, ad ſummum Pontificem transferri cœpit; tunc enim ius quoque de eorum cauſis iudicandi, & eoſdem deponendi ad ipſum ſolùm pertinere creditum fuit.

Nihilominùs quidam in Concilio Tridentino caſus excepti ſunt, in quibus prouinciæ Synodo in Metropolitanum ſuum animaduertere licèt: primus, verbi gratiâ, eſt defectus circa reſidentiam in propria Eccleſia, de quo ſeſſ. 7. *de reformatione*, cap. 1. ſic ſtatuitur, *Metropolitanum verò abſentem Suffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens pœnâ interdicti ingreſſus Eccleſiæ eo ipſo incurrenda infra tres menſes per litteras, ſeu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur, qui in ipſos abſentes, prout cuiuſque maior aut minor contumacia exegerit, ſupremæ ſedis auctoritate animaduertere, & Eccleſiis ipſis de paſtoribus vtilioribus prouidere poterit, ſicut in Domino nouerit ſalubriter expedire.* Idem verò Concilium cauſas abſentiæ Metropolitani ab antiquiori Suffraganeo Epiſcopo probandas ſtatuit, ſeſſ. 23. *de reformatione*, cap. 1. alter caſus eſt negligentia Metropolitani in erigendo Seminario, de qua hoc decretum legitur eiuſdem Tridentini ſeſſ. 24. *de reformatione*, cap. 18. *Quòd ſi Cathedralium & aliarum maiorum Eccleſiarum prælati in hac Seminarij erectione, eiúſque conſeruatione negligentes fuerint, ac ſuam portionem ſoluere detrectauerint, Epiſcopus, Archiepiſcopus, Archiepiſcopum & ſuperiores Synodus prouincialis acriter corrigere, vt quamprimùm hoc ſanctum & pium opus vbicumque fieri poterit promoueatur, ſtudioſè curabit.*

§. XIII.

Patriarcharum eſſe dare iudices.

QVARTÒ, Primatum & Patriarcharum eſt dare iudices. Exemplum protulimus Syneſij à Theophilo Patriarcha Alexandrino delegati: alia ex prædictis colligi poſſunt. Annuit Iulius epiſt. 2. cap. 4. refertur 11. quæſt. 1. Can. 3. *Iudices autem alij eſſe non debent quàm quos ipſe qui impetitur elegerit, aut quos ſuo cum conſenſu, aut eius Primates auctoritate huius ſanctæ Sedis delegauerint.* Fauent Concilium Mileuitanum ſecundum Can. 21. Africanum Can. 87. 88. 89. vbi plura de iudicibus à Primatibus Africanis dandis, vel non ſine conſultu Primatum è vicinia petendis.

Certè Conſtantinopolitani Patriarchæ ad iudicandum de omnibus cauſis Eccleſiaſticis Chartularium loco ſui iudicem conſtituerunt: cui ideò tanta reuerentia ab omnibus exhibebatur, vt in iis congreſſibus, qui fierent extra Patriarchale tribunal etiam Metropolitanos præcederet, teſte Balſamone in Meditatione *de duobus officiis Chartulary & defenſoris*, & edicto Alexij ibidem citato.

§. XIV.

Epiſcopos in certis caſibus coram Patriarchis conuentos fuiſſe.

SExtò, quin etiam in quibuſdam caſibus apud Patriarchas ſeu Primates Epiſcopi primo iudicio conueniebantur.

Primò, ſi Metropolitanus tanquam ſuſpectus repudiatus fuiſſet, ex Concilio Nicæno Can. 54. apud Iulium epiſt. 2. Can. 17. *Si ipſe Epiſcopus Metropolitanum, aut iudices ſuſpectos habuerit, aut infenſos ſenſerit apud Primatem Diœceſeos, aut apud Romanæ Sedis Pontificem iudicetur.* Cui conſentiunt Clemens epiſt. 1. *Sed ſi Epiſcopi reclamauerint ab Archiepiſcopis, vel eos ſuſpectos habuerint, ad Primates vel Patriarchas transferantur.* Hadrianus in Capitulis per Angilramnum datis cap. 8. Imperator, Capitularium lib. 7. cap. 314. & alij paſſim. Nam iuri communi conformis eſt vt aduerſus ſuſpectum iudicem exceptio proponi poſſit, quæ ſi probata fuerit, ad ſuperiorem cauſa deuoluatur.

Secundò, certis caſibus nominatim præſcribitur, vt Epiſcopus coram Primate conueniatur: nam octaua verbi gratiâ Synodus ſtatuit Can. 10. *Vt ſi quis Epiſcopus aut Metropolita præter definitionem ſuam abſtulerit aliquem locum à quoquam (qui illum per emphyteuſim præcepit) putans quòd Eccleſiam propriam defendat, ſequeſtretur à proprio Patriarcha per aliquod tempus, dans primo quòd per poteſtatem ſuam abſtulis, vel ſubripuit.*

Tertiò, quidam Patriarchæ ius præuentionis prætendebant Romanum eo iure vſum ex decreto Concilij Romani habiti anno 378. & reſcripto Gratiani Imperatoris oſtendimus, Conſtantinopolitanum ad hanc formam ius præuentionis prætendiſſe docuimus. Alexandrinum eo iure vſum ex epiſt. Syneſij 67. *Theophilo* colligimus: Patet enim ex ipſa Epiſcoporum Ægypti plurimas cauſas ad Theophilum Alexandrinum anteà à nullo iudicatas, delatas fuiſſe, earúmque cognitionem Syneſio Ptolemaïdis Epiſcopo delegatam fuiſſe.

Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 127. *Cyrillo* quoque ſcribit ipſius prudentiæ atque auctoritatis fuiſſe Peluſienſem Eccleſiam Præfectorum & Antiſtitum ſceleribus fractam potentiæ integritate ac ſtudio recreare. Sed Peluſij Eccleſia vna ex Suffraganeis Alexandrinæ videtur. Innumera alia huiuſmodi ſunt poteſtatis Alexandrini Epiſcopi exempla: nam inter Patriarchas hic elatiùs principatum ſacrum exercuit, quemadmodum ſuperiùs notauimus. Antiochenum eandem interdum poteſtatem exercuiſſe probari poſſet. Hieroſolymitano, cùm vrbs Hieroſolymorom in Latinorum poteſtate eſſet, id videtur denegatum reſponſo Innocentij tertij Archiepiſcopo ſubdito Hieroſolymitano Patriarchæ, cap. *duo ſunt, de officio iudicis ordinarij*, his verbis, *Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quod cùm ſit in Canonibus definitum, Primates vel Patriarchas nihil iuris præ cæteris habere, niſi quantum ſacri Canones concedunt, vel priſca illis conſuetudo contulit ab antiquo, ita vt ſecundum Nicænas regulas ſua priuilegia ſeruentur Eccleſiis: præterquam ſi Apoſtolica Sedes aliquam Eccleſiam, vel rectorem ipſius quolibet ſpeciali priuilegio decreuerit honorare: quandiu Clerici tui coram te voluerint ſtare, iure compelli non debent iudicium Patriarchæ ſubire: niſi cauſa per appellationem ad eius audientiam præferatur: aut ei aliquid ſuper hoc à Sede Apoſtolica ſit indultum.* Ex quo proinde reſponſo inſuper colliges Patriarchis iure ademptum ius præuentionis, niſi ex conſuetudine præſcriptum illud habuerint, vel ex priuilegio conceſſum.

§. XV.

§. XV.

Patriarchis ius Concilia conuocandi conuenire.

SEPTIMÒ, Patriarcharum eſt Concilia Exarchica ſeu totius Diœceſis conuocare, vel ad ſuum Concilium quos voluerit Metropolitanos conuocare. Anacletus hanc auctoritatem Patriarchis vendicat epiſt. 1. in fine, quam vſus Eccleſiæ antiquus illis attribuit, qui ex prædictis Sole clarius innoteſcere poteſt. Fuſè verò aduerſus quoſdam Metropolitanos inobedientes illum confirmat octaua Synodus generalis Can. 17. *Sancta*, inquit, *& vniuerſalis Nicæna prima Synodus antiquam conſuetudinem iubet ſeruari per Ægyptum, & prouincias quæ ſub ipſa ſunt, ita vt horum omnium Alexandrinus Epiſcopus habeat poteſtatem, dicens quia in Romanorum ciuitate huiuſmodi mos præualuit, qua pro cauſa, & hæc magna & ſancta Synodus tam in ſeniori & noua Roma, quàm in ſede Antiochiæ, & Hieroſolymorum priſcam conſuetudinem decernit in omnibus conſeruari; ita vt eorum Præſules vniuerſorum Metropolitanorum, qui ab ipſis promouentur, & ſiue per manus impoſitionem, ſiue per paludationem* (aliàs *pallij dationem*) *Epiſcopi dignitatis firmitatem accipiant, & habeant poteſtatem, videlicet ad conuocandum eos vrgente neceſſitate ad Synodalem conuentum, vel etiam ad coercendos illos & corrigendos, cùm fama eos ſuper quibuſdam delictis forſitan accuſauerit. Sed quoniam ſunt quidam Metropolitanorum, qui ne ſecundum vocationem Apoſtolici Præſulis occurrant, à mundi Principibus ſe detineri ſine ratione cauſantur, placuit talem accuſationem omnimodis eſſe inualidam. Cùm enim Principes pro ſuis cauſis conuentus frequenter agant, impium eſt vt ſummos Præſules ad Synodos pro Eccleſiaſticis negotiis celebrandas impediant*, &c. *Conſueuerunt autem Metropolitani bis in anno Synodos facere, ideòque ſicut dicunt ad Patriarchale penitùs non poſſe occurrere caput. Sed ſancta hæc & vniuerſalis Synodus nec Concilia, quæ à Metropolitanis fiunt, interdicens; multò magis illa nouit rationabiliora eſſe & vtiliora Metropolitanorum Conciliis, quæ à Patriarchali ſede congregantur. Quos leges Eccleſiaſticæ ſeuerè condemnantes, omni excuſatione remota, ſubiacere vocationi proprij Patriarchæ, ſiue cùm communiter, ſiue cùm ſigillatim factæ fuerint*, &c. *Quiſquis ergo Metropolitanorum proprium Patriarcham contempſerit, & vocationi, quæ ſiue ad vnum, & ſolum, ſiue ad plures & omnes ſit, & abſque validiſſima ægrotatione, vel paganorum incurſu non obedierit, & per totos duos menſes poſt notitiam vocationis ad proprium venire Patriarcham minimè feſtinauerit, vel ſi non quocunque modò latitare, aut non cognoſcere nuntium ab illo miſſum tentauerit, ſegregetur; ſiue verò intra vnum annum eandem contumaciam, & inobedientiam demonſtrauerit, deponatur omnimodis, & ab omni ſacerdotali operatione decidat; atque à dignitate, & honore, qui Metropolitanis conuenit, propellatur. Is autem qui huic definitioni non obedierit, etiam anathema ſit.*

Præter id verò quod præcipuum caput eſt, ex dicto Canone hæc obiter colligi poſſunt, ad antiquæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ illuſtrationem. 1. Metropolitanorum duntaxat ad Concilium Exarchicum ſeu Patriarchale congregari ſolitorum mentionem fieri, quia reuerà, vt ſuperiùs iam à nobis notatum, Patriarcharum Concilium maximè proprium erat Metropolitanorum, eorum præſertim quos ordinare ſuo iure poterat; illi enim totius ſuæ prouinciæ ſententiam tanquam capita proferebant: & moleſtum fuiſſet tot Epiſcopos totius alicuius Diœceſis longinquâ peregrinatione fatigari. Propter quam etiam rationem ad Concilia generalia, ex prouinciis remotioribus non omnes conueniebant; ſed ſi in Oriente celebrarentur; ex Occidentali Concilio Legati deſtinabantur, ex prouinciis propioribus magno numero tam Metropolitani, quàm Epiſcopi, ex remotioribus plures Metropolitani, vel æquali numero cum Epiſcopis. Sic enim v. g. Imperator Theodoſius Iunior epiſt. *ad Dioſcorum Alexandrinum* relatâ in actis Concilij pſeudo Epheſini, quæ recitata fuerunt actione 1. Concilij Chalcedonenſis, Dioſcoro Alexandrino mandat, quatenus *aſſumptis ſecum decem Metropolitanis Epiſcopis, qui in ſua degerent Diœceſi, & aliis ſimiliter decem ſanctis Epiſcopis ſermone & vita ornatis, Epheſum quantocyùs ad Concilium generale properaret accedere.*

Alterum, ſiue vniuerſos, ſiue ſingulares quoſdam Metropolitanos Patriarcha vocaret (hoc enim liberum ei fuit) illos inuitationi, & conuocationi parere de-

buiſſe. Tertium Patriarchas per nuntios ſuos Concilia conuocare ſolitos fuiſſe. Cæ-
tera non moror.

Concilium etiam ſuæ prouinciæ Patriarchas conuocare debere ſtatuit Iuſtinianus Imperator Nouellâ centeſimâ vigeſimâ tertiâ capite decimo, *Vt autem regulæ diligenter cuſtodiantur, iubemus vnumquemque beatum Archiepiſcopum & Patriarcham, & Metropolitam ſanctiſſimos Epiſcopos ſub ſe conſtitutos ſemel aut ſecundò per ſingulos annos ad ſe conuocare, & omnes cauſas ſubtiliter examinare, quas Epiſcopi, aut Clerici, aut Monachi adinuicem habeant, eaſque diſponere, & ſuper hoc quicquid extra regulas à quâcumque perſona delinquitur emendare.*

§. XVI.

Ius abſoluendi à peccatis & cenſuris Patriarchæ conceſſum.

OCTAVÒ, Patriarchis quoque & Primatibus ius abſoluendi à peccatis & cenſuris totius ſuæ diœceſis nonnunquam conceſſum eſt, quin etiam abſolutio à quibuſdam caſibus, & cenſuris reſeruari aliquando conſueuit, vt ſcilicet nec inferiorum ſedium Epiſcopi ab iis quemquam ligare poſſent.

Primùm enim, recepta illa in Eccleſia fuit regula, quam ſtatuunt Gelaſius Opuſculo *de anathemate*, & Nicolaus I. epiſtola *ad Michaelem Imperatorem*, ſcilicet vt qui ligatus eſt à maiori ſede, à minori abſolui non poſſit, verbi gratia excommunicatus à Papa, ab aliis Epiſcopis abſolui nequeat, quemadmodum docet Goffridus Vindocinenſis lib. 1. epiſt. 12.

Secundò, è contra ſedium ſuperiorum ius eſt ſententias iniuſtè ab inferioribus prolatas reſcindere, ex Concilio Sardicenſi Canone 17. Africano Concilio in epiſt. *ad Bonifacium*, Carthaginenſi VI. Can. 6. Athanaſio & aliis, epiſt. *ad Fœlicem ſecundum* in medio, Antiocheno Concilio Can. 12. Martini Bracharenſis Can. 35. imò & ad tempus nonnunquam relaxare, vt patet ex facto Domni Antiocheni, inter acta Concilij Berytenſis in Concilio Chalcedonenſi, actione 10. poſt principium; vel impoſitâ pœnitentiâ abſoluere, ex reſponſo Theophili Epiſcopi Alexandrini *ad Mennam Epiſcopum*, quamuis, vt alibi à nobis explicatum eſt, ſolerent ſæpiùs Patriarchæ ac Primates ad eos reiicere abſoluendos, à quibus damnati fuerant, vt nempe, iuxta Canonem 16. Synodi Arelatenſis primæ, in eodem loco quis abſolueretur, à quo damnatus fuiſſet, quod obſeruatum leges apud Epiphanium hæreſi 42. quæ eſt Marcioniſtarum.

Tertiò, recepta quoqne in iure regula eſt, vt à delegato Principis, nonniſi ad delegantem appelletur, toto titulo *de officio Iudicis delegati*, & titulo etiam *de officio Iudicis ordinarij* ſparſim: ſecundum quam regulam cenſura lata ab Epiſcopo per Primatem, ſeu Patriarcham delegato, abſoluenda ipſi Patriarchæ vel Primati reſeruanda eſt, vt oſtendimus ex epiſt. 67. Syneſij *Theophilo*.

Quartò, quædam etiam grauiora crimina Patriarchis & Primatibus reſeruabantur, vt horrore reſeruationis ab iſtis criminibus homines deterrerentur: indultum etiam ab Eccleſia, vt ad eos pro maioribus criminibus accederetur.

Proferri poteſt Nouella Iuſtiniani 141. cap. vnico, quæ Patriarchæ Conſtantinopolitano crimen Sodomiæ reſeruat, *Qui verò*, inquit, *hoc morbi genere contabuerunt, illi non ſolùm de cætero peccare deſinant, ſed etiam ritè agant pœnitentiam, & coram Deo procidant, & morbum beatiſſimo Patriarchæ renuntient, rationémque curationis percipiant, & prout ſcriptum eſt, fructus producant pœnitentiæ.* Et paulò pòſt: *Prædicamus autem omnibus deinceps, qui huiuſmodi alicuius ſibi peccati conſcij ſunt, niſi peccare deſierint, & ſeipſos renuntiantes beatiſſimo Patriarchæ ſalutis ſuæ curam geſſerint, pro tam impiis actionibus Deum intra ſanctum feſtum placantes, quòd acerbiora ſibi accerſent ſupplicia, nimirùm qui nulla de cætero venia digni habebuntur.*

Quia tamen hæc Nouella ſolis Conſtantinopolitanis ciuibus dirigitur, dubium eſt vtrùm ſufficiens ex ea argumentum peti poſſit, reſeruatæ abſolutionis iſtius criminis ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſi quis extra ciuitatem Conſtantinopolitanam ex Diœceſibus Thracica, Pontica & Aſiana, in illud crimen prolapſus fuiſſet.

Digitized by Google

Certè Concilium Londinenſe ſecundum ſub Paſchali II. cap. vlt. nonniſi Epiſcopo hoc crimen reſeruat iuxta antiquiſſimum morem in Concilio Eliberitano probatum, Can. 32. & in Epiſtolis Cypriani ſæpiùs deſcriptum, vt maiora crimina non apud Preſbyterum, ſed Epiſcopum deponerentur. Proferri poteſt epiſtola Vigilij Papæ *Cæſario Arelatenſi*, cùm aduerſus Siluerium pro Pontifice ſe gereret; cùm enim Theodebertus Rex per Medericum virum illuſtrem ab eo requiſiuiſſet, *Cuiuſmodi pœnitentiâ poſſit illius purgare delictum, qui cum vxore fratris ſui illicitum præſumpſit inire coniugium*, ei viſum eſt, *quia modus pœnitentiæ præſentium potius ſacerdotum inſpectioni committitur, vt iuxta compunctionis meritum veniæ quoque poſſit indulgeri remedium*, Cæſario Arelatenſi, qui Apoſtolicæ Sedis Legatus erat, ſeu Primas abſoluendum hunc hominem remittere.

Iis autem plurima adiici poſſunt; 1. quidem loco quæſtio in Concilio Lemouicenſi anno 1034. actione 2. de iis, qui ad Apoſtolicam ſedem pro pœnitentiâ accipienda, & abſolutione impetranda accedebant, vel eos ad iſtam ſedem remittentibus Epiſcopis, vel vt accederent conſentientibus, acriter diſceptatâ, contendentibus ſcilicet Epiſcopis Gallicanis, ſine Epiſcoporum conſenſu neminem ad Apoſtolicam Sedem debere pro beneficio abſolutionis proficiſci, ne per obreptionem illud obtineant, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigor ſoluatur. Legantur acta iſta apud Baronium ad annum citatum, num. 21. 22. 23. 24.

Secundo loco exempla vxoricidæ in epiſt. Stephani V. *Haſtulpho*, & matricidæ in epiſt. Nicolai V. *Rhotaldo Epiſcopo ſanctæ Eccleſiæ Argentoratenſis*, quæ referuntur à Gratiano 33. quæſt. 2. Can. *admonere*, 8. & Can. *Latorem*, 15. quorum vterque ad Romanum Pontificem ad obtinendum beneficium abſolutionis profectus narratur, & quidem primo impoſita pœnitentia Epiſcopo à Papa ſignificata eſt: alteri pœnitentia ſubeunda à ſummo Pontifice iudicetur, quâ abſolutâ Eccleſiæ reconciliari poſſit, ſcilicet per Epiſcopum.

Item exempla plurimorum paſſim è Galliis ad vrbem Romam proficiſcentium, vt à ſummo Pontifice grauiorum criminum abſolutionem conſequerentur, quas peregrinationes aduerſus Claudium Taurinenſem tutatur Ionas Aurelianenſis lib. 3. *de cultu imaginum*, proferri iure merito hîc poſſent. Præterea verò plurima huiuſmodi exempla illorum, qui pro venia peccatorum conſequenda, & reconciliatione Eccleſiæ obtinenda Romam olim aduentarunt, vel primis Eccleſiæ ſæculis; quia hæc non ad Patriarchicam ſummi Pontificis illuſtrandam, ſed ad ſummam ipſius cathedræ ſupra cæteras eminentiam & auctoritatem demonſtrandam valent. Et quidem id in vſu fuiſſe tempore Nicolai primi, vt non ſolùm ex Occidente, verùm etiam ex Oriente ad Romanum Pontificem, pro venia peccatorum impetranda ſeſe plurimi conferrent, collige ex verbis Nicolai primi *Photio*, & *quia vniuerſitas credentium ab hac ſancta Romana Eccleſia, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei expoſcit, criminum ſolutionem qui digni ſunt, & gratia Dei redempti exorant.*

Denique abſolutionem à cenſuris quibuſdam Patriarchis reſeruatam expreſsè legimus in Concilio generali Lateranenſi cap. 30. relato, cap. *graue nimis, de præbendis*: vbi ſuſpenduntur Prælati indignis beneficia conferentes, & abſolutio ab iſta ſuſpenſione Patriarchis reſeruatur, *Vt autem*, inquit Concilium, *hæc ſalubris prouiſio pleniorem conſequatur effectum, huiuſmodi ſuſpenſionis ſententiam præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprij Patriarchæ minimè relaxetur: vt in hoc Patriarchales ſedes ſpecialiter honorentur.*

§. XVII.

De poteſtate legiſlatiua Patriarcharum.

NONÒ, poſſunt Patriarchæ leges & ſtatuta condere ad bonum regimen totius Diœceſis: huiuſmodi Conſtitutiones plurimæ Synodales Patriarcharum Conſtantinopolitanorum Ioannis Chryſoſtomi, Gennadij, Taraſij, Nicephori, Confeſſoris, Siſinnij, Sergij, Alexij, Michaëlis, Conſtantini, Chliateni, Ioannis Xiphilini, Nicolai I. Nicolai Mazelonis, Leonis Slypitæ, ſeu Stupæ, & Arſenij Auctoriani, Lucæ cognomento Chryſebergis, Michaelis Anchiali, Theodoti, Germani, Manuelis, & incertorum Patriarcharum, habentur libro 3. iuris Græco-Romani; libro verò

Digitized by Google

buiſſe. Tertium Patriarchas per nuntios ſuos Concilia conuocare ſolitos fuiſſe. Cæteranon moror.

Concilium etiam ſuæ prouinciæ Patriarchas conuocare debere ſtatuit Iuſtinianus Imperator Nouellâ centeſimâ vigeſimâ tertiâ capite decimo, *Vt autem regulæ diligenter cuſtodiantur, iubemus vnumquemque beatum Archiepiſcopum & Patriarcham, & Metropolitam ſanctiſſimos Epiſcopos ſub ſe conſtitutos ſemel aut ſecundò per ſingulos annos ad ſe conuocare, & omnes cauſas ſubtiliter examinare, quas Epiſcopi, aut Clerici, aut Monachi adinuicem habeant, eaſque diſponere, & ſuper hoc quicquid extra regulas à quâcumque perſona delinquitur emendare.*

§. XVI.

Ius abſoluendi à peccatis & cenſuris Patriarchæ conceſſum.

OCTAVÒ, Patriarchis quoque & Primatibus ius abſoluendi à peccatis & cenſuris totius ſuæ diœceſis nonnunquam conceſſum eſt, quin etiam abſolutio à quibuſdam caſibus, & cenſuris reſeruari aliquando conſueuit, vt ſcilicet nec inferiorum ſedium Epiſcopi ab iis quemquam ligare poſſent.

Primùm enim, recepta illa in Eccleſia fuit regula, quam ſtatuunt Gelaſius Opuſculo *de anathemate*, & Nicolaus I. epiſtola *ad Michaelem Imperatorem*, ſcilicet vt qui ligatus eſt à maiori ſede, à minori abſolui non poſſit, verbi gratia excommunicatus à Papa, ab aliis Epiſcopis abſolui nequeat, quemadmodum docet Goffridus Vindocinenſis lib. 1. epiſt. 12.

Secundò, è contra ſedium ſuperiorum ius eſt ſententias iniuſtè ab inferioribus prolatas reſcindere, ex Concilio Sardicenſi Canone 17. Africano Concilio in epiſt. *ad Bonifacium*, Catthaginenſi VI. Can. 6. Athanaſio & aliis, epiſt. *ad Fœlicem ſecundum* in medio, Antiocheno Concilio Can. 12. Martini Bracharenſis Can. 35. imò & ad tempus nonnunquam relaxare, vt patet ex facto Domni Antiocheni, inter acta Concilij Berytenſis in Concilio Chalcedonenſi actione 10. poſt principium; vel impoſitâ pœnitentiâ abſoluere, ex reſponſo Theophili Epiſcopi Alexandrini *ad Mennam Epiſcopum*, quamuis, vt alibi à nobis explicatum eſt, ſolerent ſæpiùs Patriarchæ ac Primates ad eos reiicere abſoluendos, à quibus damnati fuerant, vt nempe, iuxta Canonem 16. Synodi Arelatenſis primæ, in eodem loco quis abſolueretur, à quo damnatus fuiſſet, quod obſeruatum leges apud Epiphanium hæreſi 42. quæ eſt Marcioniſtarum.

Tertiò, recepta quoque in iure regula eſt, vt à delegato Principis, nonniſi ad delegantem appelletur, toto titulo *de officio Iudicis delegati*, & titulo etiam *de officio Iudicis ordinarij* ſparſim: ſecundum quam regulam cenſura lata ab Epiſcopo per Primatem, ſeu Patriarcham delegato, abſoluenda ipſi Patriarchæ vel Primati reſeruanda eſt, vt oſtendimus ex epiſt. 67. Syneſij *Theophilo*.

Quartò, quædam etiam grauiora crimina Patriarchis & Primatibus reſeruabantur, vt horrore reſeruationis ab iſtis criminibus homines deterrerentur: indultum etiam ab Eccleſia, vt ad eos pro maioribus criminibus accederetur.

Proferri poteſt Nouella Iuſtiniani 141. cap. vnico, quæ Patriarchæ Conſtantinopolitano crimen Sodomiæ reſeruat, *Qui verò*, inquit, *hoc morbi genere contabuerunt, illi non ſolùm de cætero peccare deſinant, ſed etiam ritè agant pœnitentiam, & coram Deo procidant, & morbum beatiſſimo Patriarchæ renuntient, rationémque curationis percipiant, & prout ſcriptum eſt, fructus producant pœnitentiæ.* Et paulò pòſt: *Prædicamus autem omnibus deinceps, qui huiuſmodi alicuius ſibi peccati conſcij ſunt, niſi peccare deſierint, & ſeipſos renuntiantes beatiſſimo Patriarchæ ſalutis ſuæ curam geſſerint, pro tam impiis actionibus Deum intra ſanctum feſtum placantes, quòd acerbiora ſibi accerſent ſupplicia, nimirùm qui nulla de cætero venia digni habebuntur.*

Quia tamen hæc Nouella ſolis Conſtantinopolitanis ciuibus dirigitur, dubium eſt vtrùm ſufficiens ex ea argumentum peti poſſit, reſeruatæ abſolutionis iſtius criminis ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſi quis extra ciuitatem Conſtantinopolitanam ex Diœceſibus Thracica, Pontica & Aſiana, in illud crimen prolapſus fuiſſet.

Digitized by Google

Certè Concilium Londinenſe ſecundum ſub Paſchali II. cap. vlt. nonniſi Epiſcopo hoc crimen reſeruat iuxta antiquiſſimum morem in Concilio Eliberitano probatum, Can. 32. & in Epiſtolis Cypriani ſæpius deſcriptum, vt maiora crimina non apud Presbyterum, ſed Epiſcopum deponerentur. Proferri poteſt epiſtola Vigilij Papæ *Cæſario Arelatenſi*, cùm aduerſus Siluerium pro Pontifice ſe gereret; cùm enim Theodebertus Rex per Medericum virum illuſtrem ab eo requiſiuiſſet, *Cuiuſmodi pœnitentiâ poſſit illius purgare delictum, qui cum vxore fratris ſui illicitum præſumpſit inire coniugium*, ei viſum eſt, *quia modus pœnitentiæ præſentium potius ſacerdotum inſpectioni committitur, vt iuxta compunctionis meritum veniæ quoque poſſit indulgeri remedium*, Cæſario Arelatenſi, qui Apoſtolicæ Sedis Legatus erat, ſeu Primas abſoluendum hunc hominem remittere.

Iis autem plurima adiici poſſunt; 1. quidem loco quæſtio in Concilio Lemouicenſi anno 1034. actione 2. de iis, qui ad Apoſtolicam ſedem pro pœnitentiâ accipienda, & abſolutione impetranda accedebant, vel eos ad iſtam ſedem remittentibus Epiſcopis, vel vt accederent conſentientibus, acriter diſceptatâ, contendentibus ſcilicet Epiſcopis Gallicanis, ſine Epiſcoporum conſenſu neminem ad Apoſtolicam Sedem debere pro beneficio abſolutionis proficiſci, ne per obreptionem illud obtineant, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigor ſoluatur. Legantur acta iſta apud Baronium ad annum citatum, num. 21. 22. 23. 24.

Secundo loco exempla vxoricidæ in epiſt. Stephani V. *Haſtulpho*, & matricidæ in epiſt. Nicolai V. *Rhotaldo Epiſcopo ſanctæ Eccleſiæ Argentoratenſis*, quæ referuntur à Gratiano 33. quæſt. 2. Can. *admonere*, 8. & Can. *Latorem*, 15. quorum vterque ad Romanum Pontificem ad obtinendum beneficium abſolutionis profectus narratur, & quidem primo impoſita pœnitentia Epiſcopo à Papa ſignificata eſt: alteri pœnitentia ſubeunda à ſummo Pontifice iudicetur, quâ abſolutâ Eccleſiæ reconciliari poſſit, ſcilicet per Epiſcopum.

Item exempla plurimorum paſſim è Galliis ad vrbem Romam proficiſcentium; vt à ſummo Pontifice grauiorum criminum abſolutionem conſequerentur, quas peregrinationes aduerſus Claudium Taurinenſem tutatur Ionas Aurelianenſis lib. 3. *de cultu imaginum*, proferri iure merito hîc poſſent. Prætereà verò plurima huiuſmodi exempla illorum, qui pro venia peccatorum conſequenda, & reconciliatione Eccleſiæ obtinenda Romam olim aduentarunt, vel primis Eccleſiæ ſæculis; quia hæc non ad Patriarchicam ſummi Pontificis illuſtrandam, ſed ad ſummam ipſius cathedræ ſupra cæteras eminentiam & auctoritatem demonſtrandam valent. Et quidem id in vſu fuiſſe tempore Nicolai primi, vt non ſolùm ex Occidente, verùm etiam ex Oriente ad Romanum Pontificem, pro venia peccatorum impetranda ſeſe plurimi conferrent, collige ex verbis Nicolai primi *Photio*, & *quia vniuerſitas credentium ab hac ſancta Romana Eccleſia, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei expoſcit, criminum ſolutionem qui digni ſunt, & gratiâ Dei redempti exorant.*

Denique abſolutionem à cenſuris quibuſdam Patriarchis reſeruatam expreſsè legimus in Concilio generali Lateranenſi cap. 30. relato, cap. *graue nimis, de præbendis*: vbi ſuſpenduntur Prælati indignis beneficia conferentes, & abſolutio ab iſta ſuſpenſione Patriarchis reſeruatur, *Vt autem*, inquit Concilium, *hæc ſalubris prouiſio pleniorem conſequatur effectum, huiuſmodi ſuſpenſionis ſententiam præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprij Patriarchæ minimè relaxetur: vt in hoc Patriarchales ſedes ſpecialiter honorentur.*

§. XVII.

De poteſtate legiſlatiua Patriarcharum.

NONÒ, poſſunt Patriarchæ leges & ſtatuta condere ad bonum regimen totius Diœceſis: huiuſmodi Conſtitutiones plurimæ Synodales Patriarcharum Conſtantinopolitanorum Ioannis Chryſoſtomi, Gennadij, Taraſij, Nicephori, Confeſſoris, Siſinnij, Sergij, Alexij, Michaëlis, Conſtantini, Chliareni, Ioannis Xiphilini, Nicolai I. Nicolai Mazelonis, Leonis Slypitæ, ſeu Stupæ, & Arſenij Auctoriani, Lucæ cognomento Chryſebergis, Michaelis Anchiali, Theodoti, Germani, Manuelis, & incertorum Patriarcharum, habentur libro 3. iuris Græco-Romani; libro verò

buiſſe. Tertium Patriarchas per nuntios ſuos Concilia conuocare ſolitos fuiſſe. Cæ-tera non moror.

Concilium etiam ſuæ prouinciæ Patriarchas conuocare debere ſtatuit Iuſtinianus Imperator Nouellâ centeſimâ vigeſimâ tertiâ capite decimo, *Vt autem regulæ diligenter cuſtodiantur, iubemus vnumquemque beatum Archiepiſcopum & Patriarcham, & Metropolitam ſanctiſſimos Epiſcopos ſub ſe conſtitutos ſemel aut ſecundò per ſingulos annos ad ſe conuocare, & omnes cauſas ſubtiliter examinare, quas Epiſcopi, aut Clerici, aut Monachi adinuicem habeant, eaſque diſponere, & ſuper hoc quicquid extra regulas à quâcumque perſona delinquitur emendare.*

§. XVI.

Ius abſoluendi à peccatis & cenſuris Patriarchæ conceſſum.

OCTAVÒ, Patriarchis quoque & Primatibus ius abſoluendi à peccatis & cenſuris totius ſuæ diœceſis nonnunquam conceſſum eſt, quin etiam abſolutio à quibuſdam caſibus, & cenſuris reſeruari aliquando conſueuit, vt ſcilicet nec inferiorum ſedium Epiſcopi ab iis quemquam ligare poſſent.

Primùm enim, recepta illa in Eccleſia fuit regula, quam ſtatuunt Gelaſius Opuſculo *de anathemate*, & Nicolaus I. epiſtola *ad Michaelem Imperatorem*, ſcilicet vt qui ligatus eſt à maiori ſede, à minori abſolui non poſſit, verbi gratia excommunicatus à Papa, ab aliis Epiſcopis abſolui nequeat, quemadmodum docet Goffridus Vindocinenſis lib. 1. epiſt. 12.

Secundò, è contra ſedium ſuperiorum ius eſt ſententias iniuſtè ab inferioribus prolatas reſcindere, ex Concilio Sardicenſi Canone 17. Africano Concilio in epiſt. *ad Bonifacium*, Carthaginenſi VI. Can. 6. Athanaſio & aliis, epiſt. *ad Fœlicem ſecundum* in medio, Antiocheno Concilio Can. 12. Martini Bracharenſis Can. 35. imò & ad tempus nonnunquam relaxare, vt patet ex facto Domni Antiocheni, inter acta Concilij Berytenſis in Concilio Chalcedonenſi, actione 10. poſt principium; vel impoſitâ pœnitentiâ abſoluere, ex reſponſo Theophili Epiſcopi Alexandrini *ad Mennam Epiſcopum*, quamuis, vt alibi à nobis explicatum eſt, ſolerent ſæpiùs Patriarchæ ac Primates ad eos reiicere abſoluendos, à quibus damnati fuerant, vt nempe, iuxta Canonem 16. Synodi Arelatenſis primæ, in eodem loco quis abſolueretur, à quo damnatus fuiſſet, quod obſeruatum leges apud Epiphanium hæreſi 42. quæ eſt Marcioniſtarum.

Tertiò, recepta quoque in iure regula eſt, vt à delegato Principis, nonniſi ad delegantem appelletur, toto titulo *de officio Iudicis delegati*, & titulo etiam *de officio Iudicis ordinarij* ſparſim: ſecundum quam regulam cenſura lata ab Epiſcopo per Primatem, ſeu Patriarcham delegato, abſoluenda ipſi Patriarchæ vel Primati reſeruanda eſt, vt oſtendimus ex epiſt. 67. Syneſij *Theophilo*.

Quartò, quædam etiam grauiora crimina Patriarchis & Primatibus reſeruabantur, vt horrore reſeruationis ab iſtis criminibus homines deterrerentur: indultum etiam ab Eccleſia, vt ad eos pro maioribus criminibus accederetur.

Proferri poteſt Nouella Iuſtiniani 141. cap. vnico, quæ Patriarchæ Conſtantinopolitano crimen Sodomiæ reſeruat, *Qui verò*, inquit, *hoc morbi genere contabuerunt, illi non ſolùm de cætero peccare deſinant, ſed etiam ritè agant pœnitentiam, & coram Deo procidant, & morbum beatiſſimo Patriarchæ renuntient, rationémque curationis percipiant, & prout ſcriptum eſt, fructus producant pœnitentiæ.* Et paulò pòſt: *Prædicamus autem omnibus deinceps, qui huiuſmodi alicuius ſibi peccati conſcij ſunt, niſi peccare deſierint, & ſeipſos renuntiantes beatiſſimo Patriarchæ ſalutis ſuæ curam geſſerint, pro tam impiis actionibus Deum intra ſanctum feſtum placantes, quòd acerbiora ſibi accerſent ſupplicia, nimirum qui nullâ de cætero veniâ digni habebuntur.*

Quia tamen hæc Nouella ſolis Conſtantinopolitanis ciuibus dirigitur, dubium eſt vtrùm ſufficiens ex ea argumentum peti poſſit, reſeruatæ abſolutionis iſtius criminis ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſi quis extra ciuitatem Conſtantinopolitanam ex Diœceſibus Thracica, Pontica & Aſiana, in illud crimen prolapſus fuiſſet.

Certè Concilium Londinenſe ſecundum ſub Paſchali II. cap. vlt. nonniſi Epiſcopo hoc crimen reſeruat iuxta antiquiſſimum morem in Concilio Elibertano probatum, Can. 32. & in Epiſtolis Cyprianicis ſæpius deſcriptum, vt maiora crimina non apud Preſbyterum, ſed Epiſcopum deponerentur. Proferri poteſt epiſtola Vigilij Papæ *Cæſario Arelatenſi*, cùm aduerſus Silucrium pro Pontifice ſe gereret; cùm enim Theodebertus Rex per Medericum virum illuſtrem ab eo requiſiuiſſet, *Cuiuſmodi pœnitentia poſſit illius purgare delictum, qui cum vxore fratris ſui illicitum præſumpſit inire coniugium*, ei viſum eſt, *quia modus pœnitentiæ præſentium potius ſacerdotum inſpectioni committitur, vt iuxta compunctionis meritum veniæ quoque poſſit indulgeri remedium*, Cæſario Arelatenſi, qui Apoſtolicæ Sedis Legatus erat, ſeu Primas abſoluendum hunc hominem remittere.

Iis autem plurima adiici poſſunt; 1. quidem loco quæſtio in Concilio Lemouicenſi anno 1034. actione 2. de iis, qui ad Apoſtolicam ſedem pro pœnitentiâ accipienda, & abſolutione impetranda accedebant, vel eos ad iſtam ſedem remittentibus Epiſcopis, vel vt accederent conſentientibus, acriter diſceptatâ, contendentibus ſcilicet Epiſcopis Gallicanis, ſine Epiſcoporum conſenſu neminem ad Apoſtolicam Sedem debere pro beneficio abſolutionis proficiſci, ne per obreptionem illud obtineant, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigor ſoluatur. Legantur acta iſta apud Baronium ad annum citatum, num. 21. 22. 23. 24.

Secundo loco exempla vxoricidæ in epiſt. Stephani V. *Haſtulpho*, & matricidæ in epiſt. Nicolai V. *Rhotaldo Epiſcopo ſanctæ Eccleſiæ Argentoratenſis*, quæ referuntur à Gratiano 33. quæſt. 2. Can. *admonere*, 8. & Can. *Latorem*, 15. quorum vterque ad Romanum Pontificem ad obtinendum beneficium abſolutionis profectus narratur, & quidem primo impoſita pœnitentia Epiſcopo à Papa ſignificata eſt: alteri pœnitentia ſubeunda à ſummo Pontifice iudicetur, quâ abſolutâ Eccleſiæ reconciliari poſſit, ſcilicet per Epiſcopum.

Item exempla plurimorum paſſim è Galliis ad vrbem Romam proficiſcentium, vt à ſummo Pontifice grauiorum criminum abſolutionem conſequerentur, quas peregrinationes aduerſus Claudium Taurinenſem tutatur Ionas Aurelianenſis lib. 3. *de cultu imaginum*, proferri iure merito hîc poſſent. Præterea verò plurima huiuſmodi exempla illorum, qui pro venia peccatorum conſequenda, & reconciliatione Eccleſiæ obtinenda Romam olim aduentarunt, vel primis Eccleſiæ ſæculis; quia hæc non ad Patriarchicam ſummi Pontificis illuſtrandam, ſed ad ſummam ipſius cathedræ ſupra cæteras eminentiam & auctoritatem demonſtrandam valent. Et quidem id in vſu fuiſſe tempore Nicolai primi, vt non ſolùm ex Occidente, verùm etiam ex Oriente ad Romanum Pontificem, pro venia peccatorum impetranda ſeſe plurimi conferrent, collige ex verbis Nicolai primi *Photio*, & *quia vniuerſitas credentium ab hac ſancta Romana Eccleſia, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei expoſcit, criminum ſolutionem qui digni ſunt, & gratiâ Dei redempti exorant.*

Denique abſolutionem à cenſuris quibuſdam Patriarchis reſeruatam expreſsè legimus in Concilio generali Lateranenſi cap. 30. relato, cap. *graue nimis, de præbendis*: vbi ſuſpenduntur Prælati indignis beneficia conferentes, & abſolutio ab iſta ſuſpenſione Patriarchis reſeruatur, *Vt autem*, inquit Concilium, *hæc ſalubris prouiſio pleniorem conſequatur effectum, huiuſmodi ſuſpenſionis ſententiam præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprij Patriarchæ minimè relaxetur: vt in hoc Patriarchales ſedes ſpecialiter honorentur.*

§. XVII.

De poteſtate legiſlatiua Patriarcharum.

NONÒ, poſſunt Patriarchæ leges & ſtatuta condere ad bonum regimen totius Diœceſis: huiuſmodi Conſtitutiones plurimæ Synodales Patriarcharum Conſtantinopolitanorum Ioannis Chryſoſtomi, Gennadij, Taraſij, Nicephori, Confeſſoris, Siſinnij, Sergij, Alexij, Michaëlis, Conſtantini, Chliareni, Ioannis Xiphilini, Nicolai I. Nicolai Mazelonis, Leonis Slypitæ, ſeu Stupæ, & Arſenij Auctoriani, Lucæ cognomento Chryſebergis, Michaelis Anchiali, Theodoti, Germani, Manuelis, & incertorum Patriarcharum, habentur libro 3. iuris Græco-Romani; libro verò

Digitized by Google

buiſſe. Tertium Patriarchas per nuntios ſuos Concilia conuocare ſolitos fuiſſe. Cætera non moror.

Concilium etiam ſuæ prouinciæ Patriarchas conuocare debere ſtatuit Iuſtinianus Imperator Nouellâ centeſimâ vigeſimâ tertiâ capite decimo, *Vt autem regulæ diligenter cuſtodiantur, iubemus vnumquemque beatum Archiepiſcopum & Patriarcham, & Metropolitam ſanctiſſimos Epiſcopos ſub ſe conſtitutos ſemel aut ſecundò per ſingulos annos ad ſe conuocare, & omnes cauſas ſubtiliter examinare, quas Epiſcopi, aut Clerici, aut Monachi adinuicem habeant, eaſque diſponere, & ſuper hoc quicquid extra regulas à quâcumque perſona delinquitur emendare.*

§. XVI.

Ius abſoluendi à peccatis & cenſuris Patriarchæ conceſſum.

OCTAVÒ, Patriarchis quoque & Primatibus ius abſoluendi à peccatis & cenſuris totius ſuæ diœceſis nonnunquam conceſſum eſt, quin etiam abſolutio à quibuſdam caſibus, & cenſuris reſeruari aliquando conſueuit, vt ſcilicet nec inferiorum ſedium Epiſcopi ab iis quemquam ligare poſſent.

Primùm enim, recepta illa in Eccleſia fuit regula, quam ſtatuunt Gelaſius Opuſculo *de anathemate*, & Nicolaus I. epiſtola *ad Michaelem Imperatorem*, ſcilicet vt qui ligatus eſt à maiori ſede, à minori abſolui non poſſit, verbi gratia excommunicatus à Papa, ab aliis Epiſcopis abſolui nequeat, quemadmodum docet Goffridus Vindocinenſis lib. 1. epiſt. 12.

Secundò, è contra ſedium ſuperiorum ius eſt ſententias iniuſtè ab inferioribus prolatas reſcindere, ex Concilio Sardicenſi Canone 17. Africano Concilio in epiſt. *ad Bonifacium*, Carthaginenſi VI. Can. 6. Athanaſio & aliis, epiſt. *ad Fœlicem ſecundum* in medio, Antiocheno Concilio Can. 12. Martini Bracharenſis Can. 35. imò & ad tempus nonnunquam relaxare, vt patet ex facto Domni Antiocheni, inter acta Concilij Berytenſis in Concilio Chalcedonenſi. actione 10. poſt principium; vel impoſitâ pœnitentiâ abſoluere, ex reſponſo Theophili Epiſcopi Alexandrini *ad Mennam Epiſcopum*, quamuis, vt alibi à nobis explicatum eſt, ſolerent ſæpiùs Patriarchæ ac Primates ad eos reiicere abſoluendos, à quibuſ damnati fuerant, vt nempe, iuxta Canonem 16. Synodi Arelatenſis primæ, in eodem loco quis abſolueretur, à quo damnatus fuiſſet, quod obſeruatum leges apud Epiphanium hæreſi 42. quæ eſt Marcioniſtarum.

Tertiò, recepta quoque in iure regula eſt, vt à delegato Principis, nonniſi ad delegantem appelletur, toto titulo *de officio Iudicis delegati*, & titulo etiam *de officio Iudicis ordinarij* ſparſim: ſecundum quam regulam cenſura lata ab Epiſcopo per Primatem, ſeu Patriarcham delegato, abſoluenda ipſi Patriarchæ vel Primati reſeruanda eſt, vt oſtendimus ex epiſt. 67. Syneſij *Theophilo*.

Quartò, quædam etiam grauiora crimina Patriarchis & Primatibus reſeruabantur, vt horrore reſeruationis ab iſtis criminibus homines deterrerentur: indultum etiam ab Eccleſia, vt ad eos pro maioribus criminibus accederetur.

Proferri poteſt Nouella Iuſtiniani 141. cap. vnico, quæ Patriarchæ Conſtantinopolitano crimen Sodomiæ reſeruat, *Qui verò*, inquit, *hoc morbi genere contabuerunt, illi non ſolùm de cætero peccare deſinant, ſed etiam ritè agant pœnitentiam, & coram Deo procidant, & morbum beatiſſimo Patriarchæ renuntient, rationémque curationis percipiant, & prout ſcriptum eſt, fructus producant pœnitentiæ.* Et paulò pòſt: *Prædicamus autem omnibus deinceps, qui huiuſmodi alicuius ſibi peccati conſcij ſunt, niſi peccare deſierint, & ſeipſos renuntiantes beatiſſimo Patriarchæ ſalutis ſuæ curam geſſerint, pro tam impiis actionibus Deum intra ſanctum feſtum placantes, quòd acerbiora ſibi accerſent ſupplicia, nimirùm qui nullâ de cætero veniâ digni habebuntur.*

Quia tamen hæc Nouella ſolis Conſtantinopolitanis ciuibus dirigitur, dubium eſt vtrùm ſufficiens ex ea argumentum peti poſſit, reſeruatæ abſolutionis iſtius criminis ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſi quis extra ciuitatem Conſtantinopolitanam ex Diœceſibus Thracica, Pontica & Aſiana, in illud crimen prolapſus fuiſſet.

Certè Concilium Londinenſe ſecundum ſub Paſchali II. cap. vlt. nonniſi Epiſcopo hoc crimen reſeruat iuxta antiquiſſimum morem in Concilio Eliberitano probatum, Can. 32. & in Epiſtolis Cyprianiſæp ùs deſcriptum, vt maiora crimina non apud Preſbyterum, ſed Epiſcopum deponerentur. Proferri poteſt epiſtola Vigilij Papæ *Cæſario Arelatenſi*, cùm aduerſus Siluerium pro Pontifice ſe gereret; cùm enim Theodebertus Rex per Medericum virum illuſtrem ab eo requiſiuiſſet, *Cuiuſmodi pœnitentia poſſit illius purgare delictum, qui cum vxore fratris ſui illicitum præſumpſit inire coniugium*, ei viſum eſt, *quia modus pœnitentiæ præſentium potius ſacerdotum inſpectioni committitur, vt iuxta compunctionis meritum veniæ quoque poſſit indulgeri remedium*, Cæſario Arelatenſi, qui Apoſtolicæ Sedis Legatus erat, ſeu Primas abſoluendum hunc hominem remittere.

Iis autem plurima adiici poſſunt; 1. quidem loco quæſtio in Concilio Lemouicenſi anno 1034. actione 2. de iis, qui ad Apoſtolicam ſedem pro pœnitentiâ accipienda, & abſolutione impetranda accedebant, vel eos ad iſtam ſedem remittentibus Epiſcopis, vel vt accederent conſentientibus, acriter diſceptatâ, contendentibus ſcilicet Epiſcopis Gallicanis, ſine Epiſcoporum conſenſu neminem ad Apoſtolicam Sedem debere pro beneficio abſolutionis proficiſci, ne per obteptionem illud obtineant, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigor ſoluatur. Legantur acta iſta apud Baronium ad annum citatum, num. 21. 22. 23. 24.

Secundo loco exempla vxoricidæ in epiſt. Stephani V. *Haſtulpho*, & matricidæ in epiſt. Nicolai V. *Rhotaldo Epiſcopo ſanctæ Eccleſiæ Argentoratenſis*, quæ referuntur à Gratiano 33. quæſt. 2. Can. *admonere*, 8. & Can. *Latorem*, 15. quorum vterque ad Romanum Pontificem ad obtinendum beneficium abſolutionis profectus narratur, & quidem primo impoſita pœnitentia Epiſcopo à Papa ſignificata eſt: alteri pœnitentia ſubeunda à ſummo Pontifice iudicetur, quâ abſolutâ Eccleſiæ reconciliari poſſit, ſcilicet per Epiſcopum.

Item exempla plurimorum paſſim è Galliis ad vrbem Romam proficiſcentium, vt à ſummo Pontifice grauiorum criminum abſolutionem conſequerentur, quas peregrinationes aduerſus Claudium Taurinenſem tutatur Ionas Aurelianenſis lib. 3. *de cultu imaginum*, proferri iure merito hîc poſſent. Præterea verò plurima huiuſmodi exempla illorum, qui pro venia peccatorum conſequenda, & reconciliatiooe Eccleſiæ obtinenda Romam olim aduentarunt, vel primis Eccleſiæ ſæculis; quia hæc non ad Patriarchicam ſummi Pontificis illuſtrandam, ſed ad ſummam ipſius cathedræ ſupra cæteras eminentiam & auctoritatem demonſtrandam valent. Et quidem id in vſu fuiſſe tempore Nicolai primi, vt non ſolùm ex Occidente, verùm etiam ex Oriente ad Romanum Pontificem, pro venia peccatorum impetranda ſeſe plurimi conferrent, collige ex verbis Nicolai primi *Photio*, & *quia vniuerſitas credentium ab hac ſancta Romana Eccleſia, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei expoſcit, criminum ſolutionem qui digni ſunt, & gratiâ Dei redempti exorant.*

Denique abſolutionem à cenſuris quibuſdam Patriarchis reſeruatam expreſsè legimus in Concilio generali Lateranenſi cap. 30. relato, cap. *graue nimis, de præbendis*: vbi ſuſpenduntur Prælati indignis beneficia conferentes, & abſolutio ab iſta ſuſpenſione Patriarchis reſeruatur, *Vt autem*, inquit Concilium, *hæc ſalubris prouiſio pleniorem conſequatur effectum, huiuſmodi ſuſpenſionis ſententiam præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprij Patriarchæ minimè relaxetur: vt in hoc Patriarchales ſedes ſpecialiter honorentur.*

§. XVII.

De poteſtate legiſlatiua Patriarcharum.

NONÒ, poſſunt Patriarchæ leges & ſtatuta condere ad bonum regimen totius Diœceſis: huiuſmodi Conſtitutiones plurimæ Synodales Patriarcharum Conſtantinopolitanorum Ioannis Chryſoſtomi, Gennadij, Taraſij, Nicephori, Confeſſoris, Siſinnij, Sergij, Alexij, Michaëlis, Conſtantioi, Chliareni, Ioannis Xiphilini, Nicolai I. Nicolai Mazelonis, Leonis Slypitæ, ſeu Stupæ, & Arſeoij Auctoriani, Lucæ cognomento Chryſebergis, Michaelis Anchiali, Theodoti, Germani, Manuelis, & incertorum Patriarcharum, habentur libro 3. iuris Græco-Romaoi; libro verò

buiſſe. Tertium Patriarchas per nuntios ſuos Concilia conuocare ſolitos fuiſſe. Cæ-tera non moror.

Concilium etiam ſuæ prouinciæ Patriarchas conuocare debere ſtatuit Iuſtinianus Imperator Nouellâ centeſimâ vigeſimâ tertiâ capite decimo, *Vt autem regulæ diligenter cuſtodiantur, iubemus vnumquemque beatum Archiepiſcopum & Patriarcham, & Metropolitam ſanctiſſimos Epiſcopos ſub ſe conſtitutos ſemel aut ſecundò per ſingulos annos ad ſe conuocare, & omnes cauſas ſubtiliter examinare, quas Epiſcopi, aut Clerici, aut Monachi adinuicem habeant, eaſque diſponere, & ſuper hoc quicquid extra regulas à quâcumque perſona delinquitur emendare.*

§. XVI.

Ius abſoluendi à peccatis & cenſuris Patriarchæ conceſſum.

OCTAVÒ, Patriarchis quoque & Primatibus ius abſoluendi à peccatis & cenſuris totius ſuæ diœceſis nonnunquam conceſſum eſt, quin etiam abſolutio à quibuſdam caſibus, & cenſuris reſeruari aliquando conſueuit, vt ſcilicet nec inferiorum ſedium Epiſcopi ab iis quemquam ligare poſſent.

Primùm enim, recepta illa in Eccleſia fuit regula, quam ſtatuunt Gelaſius Opuſculo *de anathemate*, & Nicolaus I. epiſtola *ad Michaelem Imperatorem*, ſcilicet vt qui ligatus eſt à maiori ſede, à minori abſolui non poſſit, verbi gratia excommunicatus à Papa, ab aliis Epiſcopis abſolui nequeat, quemadmodum docet Goffridus Vindocinenſis lib. 1. epiſt. 12.

Secundò, è contra ſedium ſuperiorum ius eſt ſententias iniuſtè ab inferioribus prolatas reſcindere, ex Concilio Sardicenſi Canone 17. Africano Concilio in epiſt. *ad Bonifacium*, Carthaginenſi VI. Can. 6. Athanaſio & aliis, epiſt. *ad Fœlicem ſecundum* in medio, Antiocheno Concilio Can. 12. Martini Bracharenſis Can. 35. imò & ad tempus nonnunquam relaxare, vt patet ex facto Domni Antiocheni, inter acta Concilij Berytenſis in Concilio Chalcedonenſi, actione 10. poſt principium; vel impoſitâ pœnitentiâ abſoluere, ex reſponſo Theophili Epiſcopi Alexandrini *ad Mennam Epiſcopum*, quamuis, vt alibi à nobis explicatum eſt, ſolerent ſæpiùs Patriarchæ ac Primates ad eos reiicere abſoluendos, à quibus damnati fuerant, vt nempe, iuxta Canonem 16. Synodi Arelatenſis primæ, in eodem loco quis abſolueretur, à quo damnatus fuiſſet, quod obſeruatum leges apud Epiphanium hæreſi 42. quæ eſt Marcioniſtarum.

Tertiò, recepta quoque in iure regula eſt, vt à delegato Principis, nonniſi ad delegantem appelletur, toto titulo *de officio Iudicis delegati*, & titulo etiam *de officio Iudicis ordinarij* ſparſim: ſecundum quam regulam cenſura lata ab Epiſcopo per Primatem, ſeu Patriarcham delegato, abſoluenda ipſi Patriarchæ vel Primati reſeruanda eſt, vt oſtendimus ex epiſt. 67. Syneſij *Theophilo*.

Quartò, quædam etiam grauiora crimina Patriarchis & Primatibus reſeruabantur, vt horrore reſeruationis ab iſtis criminibus homines deterrerentur: indultum etiam ab Eccleſia, vt ad eos pro maioribus criminibus accederetur.

Proferri poteſt Nouella Iuſtiniani 141. cap. vnico, quæ Patriarchæ Conſtantinopolitano crimen Sodomiæ reſeruat, *Qui verò*, inquit, *hoc morbi genere contabuerunt, illi non ſolùm de cætero peccare deſinant, ſed etiam ritè agant pœnitentiam, & coram Deo procidant, & morbum beatiſſimo Patriarchæ renuntient, rationémque curationis percipiant, & prout ſcriptum eſt, fructus producant pœnitentiæ.* Et paulò pòſt: *Prædicamus autem omnibus deinceps, qui huiuſmodi alicuius ſibi peccati conſcij ſunt, niſi peccare deſierint, & ſeipſos renuntiantes beatiſſimo Patriarchæ ſalutis ſuæ curam geſſerint, pro tam impiis actionibus Deum intra ſanctum feſtum placantes, quòd acerbiora ſibi accerſent ſupplicia, nimirùm qui nullà de cætero veniâ digni habebuntur.*

Quia tamen hæc Nouella ſolis Conſtantinopolitanis ciuibus dirigitur, dubium eſt vtrùm ſufficiens ex ea argumentum peti poſſit, reſeruatæ abſolutionis iſtius criminis ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſi quis extra ciuitatem Conſtantinopolitanam ex Diœceſibus Thracica, Pontica & Aſiana, in illud crimen prolapſus fuiſſet.

Digitized by Google

Certè Concilium Londinenſe ſecundum ſub Paſchali II. cap. vlt. nonniſi Epiſcopo hoc crimen reſeruat iuxta antiquiſſimum morem in Concilio Eliberitano probatum, Can. 32. & in Epiſtolis Cypriani ſæpius deſcriptum, vt maiora crimina non apud Presbyterum, ſed Epiſcopum deponerentur. Proferri poteſt epiſtola Vigilij Papæ *Cæſario Arelatenſi*, cùm aduerſus Siluerium pro Pontifice ſe gereret; cùm enim Theodebertus Rex per Medericum virum illuſtrem ab eo requiſiuiſſet, *Cuiuſmodi pœnitentia poßit illius purgare delictum, qui cum vxore fratris ſui illicitum præſumpſit inire coniugium*, ei viſum eſt, *quia modus pœnitentiæ præſentium potius ſacerdotum inſpectioni committitur, vt iuxta compunctionis meritum veniæ quoque poßit indulgeri remedium*, Cæſario Arelatenſi, qui Apoſtolicæ Sedis Legatus erat, ſeu Primas abſoluendum hunc hominem remittere.

Iis autem plurima adiici poſſunt; 1. quidem loco quæſtio in Concilio Lemouicenſi anno 1034. actione 2. de iis, qui ad Apoſtolicam ſedem pro pœnitentiá accipienda, & abſolutione impetranda accedebant, vel eos ad iſtam ſedem remittentibus Epiſcopis, vel vt accederent conſentientibus, acriter diſceptatâ, contendentibus ſcilicet Epiſcopis Gallicanis, ſine Epiſcoporum conſenſu neminem ad Apoſtolicam Sedem debere pro beneficio abſolutionis proficiſci, ne per obreptionem illud obtineant, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ rigor ſoluatur. Legantur acta iſta apud Baronium ad annum citatum, num. 21. 22. 23. 24.

Secundo loco exempla vxoricidæ in epiſt. Stephani V. *Haſtulpho*, & matricidæ in epiſt. Nicolai V. *Rhotaldo Epiſcopo ſanctæ Eccleſiæ Argentoratenſis*, quæ referuntur à Gratiano 33. quæſt. 2. Can. *admonere*, 8. & Can. *Latorem*, 15. quorum vterque ad Romanum Pontificem ad obtinendum beneficium abſolutionis profectus narratur, & quidem primo impoſita pœnitentia Epiſcopo à Papa ſignificata eſt: alteri pœnitentia ſubeunda à ſummo Pontifice iudicetur, quâ abſolutâ Eccleſiæ reconciliari poſſit, ſcilicet per Epiſcopum.

Item exempla plurimorum paſſim è Galliis ad vrbem Romam proficiſcentium, vt à ſummo Pontifice grauiorum criminum abſolutionem conſequerentur, quas peregrinationes aduerſus Claudium Taurinenſem tutatur Ionas Aurelianenſis lib. 3. *de cultu imaginum*, proferri iure merito hîc poſſent. Præterea verò plurima huiuſmodi exempla illorum, qui pro venia peccatorum conſequenda, & reconciliatione Eccleſiæ obtinenda Romam olim aduentarunt, vel primis Eccleſiæ ſæculis; quia hæc non ad Patriarchicam ſummi Pontificis illuſtrandam, ſed ad ſummam ipſius cathedræ ſupra cæteras eminentiam & auctoritatem demonſtrandam valent. Et quidem id in vſu fuiſſe tempore Nicolai primi, vt non ſolùm ex Occidente, verùm etiam ex Oriente ad Romanum Pontificem, pro venia peccatorum impetranda ſeſe plurimi conferrent, collige ex verbis Nicolai primi *Photio*, &. *quia vniuerſitas credentium ab hac ſancta Romana Eccleſia, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum, doctrinam exquirit, integritatem fidei expoſcit, criminum ſolutionem qui digni ſunt, & gratia Dei redempti exorant.*

Denique abſolutionem à cenſuris quibuſdam Patriarchis reſeruatam expreſsè legimus in Concilio generali Lateranenſi cap. 30. relato, cap. *graue nimis, de præbendis:* vbi ſuſpenduntur Prælati indignis beneficia conferentes, & abſolutio ab iſta ſuſpenſione Patriarchis reſeruatur, *Vt autem*, inquit Concilium, *hæc ſalubris prouiſio pleniorem conſequatur effectum, huiuſmodi ſuſpenſionis ſententiam præter Romani Pontificis auctoritatem, aut proprij Patriarchæ minimè relaxetur: vt in hoc Patriarchales ſedes ſpecialiter honorentur.*

§. XVII.

De poteſtate legiſlatiua Patriarcharum.

NONÒ, poſſunt Patriarchæ leges & ſtatuta condere ad bonum regimen totius Diœceſis: huiuſmodi Conſtitutiones plurimæ Synodales Patriarcharum Conſtantinopolitanorum Ioannis Chryſoſtomi, Gennadij, Taraſij, Nicephori, Confeſſoris, Siſinnij, Sergij, Alexij, Michaëlis, Conſtantini, Chliareni, Ioannis Xiphilini, Nicolai I. Nicolai Mazelonis, Leonis Slypitæ, ſeu Stupæ, & Arſenij Auctoriani, Lucæ cognomento Chryſebergis, Michaelis Anchiali, Theodoti, Germani, Manuelis, & incertorum Patriarcharum, habentur libro 3. iuris Græco-Romani; libro verò

quarto aliæ referuntur, Nectarij, Nicolai, Priſci, Alexij, Michaëlis, Conſtantini, Lichundis, Xoannis, Xiphilini, Euſtratij, Lucæ, Georgij Xiphilini, Ioannis Camateni, & incertorum Patriarcharum, quorum Conſtitutiones pleráſque obſeruare poſſumus Synodicè factas, ſed & aliquas à Patriarchis extra Synodum, decreto ſolius Patriarchæ vel reſponſo firmatas; quod ab aliis ſimiliter Patriarchis factum fuiſſe ambigere non debemus; præſertim à Patriarcha Alexandrino, cuius maxima auctoritas antiquis temporibus emicuit, adeò vt Socrates lib. 7. cap. 7. notarit illum τῆς ἱερατικῆς τάξεως καταδυναστεύειν, *ſacro ordini dominari dixerit*, eúmque præterea à tempore Cyrilli Alexandrini τὴν πραγμάτων ἀρχὴν, *rerum ſæcularium principatum* aſſumpſiſſe teſtetur: ac proinde conſulens Theophilum Alexandriæ Patriarcham Syneſius quid agendum eſſet circa Epiſcopos, qui βακαντίβοι vocabantur ob vagam ſedium mutationem hæc ſcribit, circa finem epiſtolæ 67. *Ac publicè quidem ita cum iis agendum erit tanquam cum priuatis* (εἰ καὶ τῷ σεμνοτάτῳ σου θρόνῳ συνδοκεῖ) *Si auguſtiſſimæ tuæ ſedi ita viſum fuerit. Priuatim verò ac domi, quemadmodum vti iis oportebit, tunc ſciemus; cùm à pietate tua reſponſum allatum erit, de ea quæſtione, quam nuper de Alexandro propoſui, qui genere Cyrenenſis eſt, Eccleſiæ autem cuiuſdam Bithynorum Epiſcopus fuit, quà per ſeditionem pulſus, cùm redire liberum ſit, nequaquam reuertitur, ſed apud nos commoratur.*

Et quidem generatim ſtatim initio epiſt. eiuſdem, ad commendationem poteſtatis Alexandrinæ ciuitatis Epiſcopi hæc habet, Ἐγὼ καὶ βούλομαι, καὶ ἀνάγκη μοι θεία, νόμον ἡγεῖσθαι πᾶν ὅ, τι, ἂν ἐκεῖνος ὁ θρόνος θεσπίζῃ, *Mihi quidem & libet, & diuina prope impoſita neceſſitas pro lege id habendi quidquid thronus ille ſtatuerit.* Diuinam prope iſtam neceſſitatem appellat, quia cùm Patriarchatus Alexandrinus, vt ipſe alibi agnoſcit, *Apoſtolicæ* eſſet *ſucceſſionis*, ad diuinam legem prope accedere cenſuit obſequium illud, quod ei tanquam Patriarchæ debetur.

Inter ea autem quæ illi debentur hæc reponit, quòd eius ſedis ſacra oracula ac reſponſa pro lege haberi debeant; ſicut & fortiori ratione reſponſa ſummorum Pontificum Occidentalibus miſſa, ab iis pro legibus habita & admiſſa ſunt, quibus in iudiciis Eccleſiaſticis, aliiſque extraiudicialibus ſeſe omnes conformare deberent. Quemadmodum aſſerunt Agatho *omnibus Epiſcopis*, Stephanus Papa, Nicolaus I. *Archiepiſcopis & Epiſcopis per Gallias conſtitutis*, & epiſt. *Photio*, Leo IV. *Epiſcopis Britanniæ*, Gregorius IV. & alij relati diſt. 20. & 21. apud Gratianum: ſed & leges Imperiales ad Eccleſiæ diſciplinam ſpectantes, ad Patriarchas, vt ſuprà vidimus, tanquam ad executores ab Imperatoribus diriguntur; vt ſi quid aduerſus Eccleſiaſticam libertatem ab iis decerneretur, modeſtè Imperatoribus reſcriberent, exemplo Gregorij Mauritium reprehendentis, quòd milites in Monaſteriis ſuſcipi prohibuiſſet epiſt. 61. *Mauritio*, lib. 2. indict. 11. quam legem ab Imperatore poſteà correctam ad Epiſcopos tranſmiſit, epiſt. 11. lib. 7. indict. 1.

§. XVIII.

Cura diſciplinæ Eccleſiaſticæ penes Patriarchas.

DECIMÒ, ſunt etiam aliqua ad Eccleſiæ diſciplinam ſpectantia, quorum cura Patriarchis præſertim demandata eſt, verbi gratiâ, Epiſcoporum reſidentiam, maximè verò Metropolitanorum ſatagere debere Primatem Diœceſeos, ſeu Patriarcham ſanxit Imperator Iuſtinianus Nou. 6. cap. 6. prouidere eundem debere conſtituit, ne in Eccleſiis numerus Clericorum nimiùm excreſcat, Nou. 9. c. 8. ne Epiſcopi ſine ſyſtaticis literis Metropolitani, vel Patriarchæ ſuas relinquant Eccleſias decernit, Nou. 123. cap. 9. præſertim ſi ad comitatum Principis accedant, Nou. 6. cap. 3. Quin etiam apud Chryſoſtomum epiſt. 14. *Olympiadi*, exemplum legimus obtentæ ab Epiſcopo ex vrbe regia diſcedendi facultatis à Ioanne regiæ ciuitatis Epiſcopo, & ſe pro Patriarcha gerente. Inuentarium, vt aiunt, rerum Eccleſiarum, Monaſteriorum, aliorúmque piorum locorum apud Patriarchas, à quibus promouentur vel ordinantur, fieri conſtituit idem Imperator, Nou. 120. cap. 6. §. 2.

Patriarcharum quoque ſeu Primatum munus dicitur ab Euſebio epiſt. 2. Ioanne epiſtolâ primâ, Stephano epiſt. 2. ab Imperatore Capitularium libri ſeptimi capite centeſimo vigeſimo primo *in additione*, Epiſcopis ablata reſtituere; ab Euariſto epiſt. 2. in medio innocentes protegere ac tueri: Concilium Pariſienſe ſub Ludouico & Lothario lib. 1. cap. 17. ſtatuit, ne Epiſcopus ſine conſenſu Primatis res Eccleſiaſticas alienet. Si Metropolitani œconomum in Eccleſia ſua conſtituere neglexerint, conſtituit Patriarcha ex decreto Synodi Chalcedonenſis Can. 26. Innumera alia ſunt eiuſmodi quæ ſilentio prætereo.

§. XIX.

Monaſteriorum ſingularis cura, & in ea auctoritas penes Patriarchas.

VNDECIMÒ denique Patriarchis & Primatibus ſingularis cura & ſollicitudo Monaſteriorum fuit, ideóque & leges communes diuerſis Monaſteriis totius Diœceſeos præfixerunt, & Conſtitutiones Monaſticas probarunt, & eundem omnium Monachorum iiſdem inſtitutis militantium ſpiritum fouerunt, & pacem atq; vnitatem, necnon vniformem viuendi rationem aluerunt; quin etiam quędam Monaſteria à propriorum, in quorum territorio ſita ſunt, Epiſcoporum ſubſtracta poteſtate, ſibi ſingulari iure reſeruarunt.

Quorum omnium exempla & probationes dum ſuppetant, paucis iſtis contenti erimus. Ac primò legimus in vita ſancti Pachomij cap. 27. Athanaſium ex Patriarchali ſuo munere in Epiſcopatu Teutyrorum poſitum, Monaſterium Pachomij, aliáque viſitaſſe & perluſtraſſe; *Per idem tempus*, inquit Scriptor vitæ Pachomij lib. 1. de vitis Patrum, *Alexandrinæ Eccleſiæ S. Epiſcopus Athanaſius præerat, vir omni virtute mirabilis, qui cùm ſolemniter ſuperioris Thebaidis circuiret Eccleſias, & ſalutari doctrinâ in fide Chriſti plebem inſtitueret, accidit, vt ad loca Tabennenſium nauigio perueniret. Quod vbi Pachomius agnouit, ſtatim cum vniuerſis Monachis in eius properat occurſum; omnéſque gaudentes & exultantes cum Pſalmis & Hymnis ſummum Chriſti ſuſcepere Pontificem.* Eundem Athanaſium curam ſingularem Monachorum geſſiſſe oſtendunt epiſtolæ ipſius, vna *ad ſolitariam vitam agentes*, quâ ſui exilij & perſecutionum ab Arrianis illatarum narrationem accuratam contexit; altera ad Ammon Monachum, quâ quibuſdam Monachorum ſcrupulis medetur; tum verò maximè exhortatio ad Monachos, quâ quidem (quod Baſilius poſteà ſcripſit) Monachorum perfectionem ſuam gloriationem dicit, *Si quid*, inquit ſtatim initio epiſtolæ, *gloriari in Chriſto licet, huiuſmodi principiis initiati, vt ſit inchoatio veſtra perfectio, & ad veram viuendi frugem gradus interpoſitos peruolantes, apice ipſius culminis occupato diſciplinæ ſummam teneatis, vt in votis habere debeat & imitari quiſquam vos quàm poſſe credat? inſtituti mihi tamen huius licentiam prærogatiuæ paternus adſcripſit affectus, & amplectenda mihi veſtræ expoſtulationis exactio.*

Legimus in vitis ſanctorum Euthymij & Sabæ à Cyrillo Monacho conſcriptis, Patriarchas Hieroſolymitanos ſpecialem curam diuerſorum Monaſteriorum geſſiſſe; cuiuſmodi exempla innumera apud Ioannem Moſchum in Prato ſpirituali, Palladium in hiſtoria Lauſiaca, alióſque, quorum Opuſcula habentur integro tomo *de vitis Patrum*; exempla, inquam, innumera, curæ ſpecialis, quam Monachorum ac Monaſteriorum geſſerunt varij Patriachæ Alexandriæ, Antiochiæ, & Hieroſolymorum. Ex illo verò ſingulari ſtudio quo Monachos & Monaſteria complexi ſunt Patriarchæ, accidit vt Patriarchæ Monaſteria ſui iuris plurima fecerint, ab Epiſcoporum poteſtate ipſa eximentes ſibique eorum directionem reſeruantes.

Ordinaria ratio, quâ Monachi in Oriente ab Epiſcoporum poteſtate eximebantur, erat, ſi crucis fixio, (quam σταυροπήγιον vocant) quæ cuiuſlibet Eccleſiæ, vel Monaſterij ædificationi præmittebatur, vt oſtendit Imperator Iuſtinianus, Nou. 5. cap. 1. Nou. 67. cap. 1. & Nou. 131. cap. 7. & cuius ritum in Euchologio fusè deſcriptum habes, à Patriarcha vel eius auctoritate fieret.

Eius rei teſtis Conſtitutio Alexij Comneni apud Balſamonem Scholiis in Canonem 19. ſeptimæ Synodi, quæ refertur libro ſecundo Nouellarum Imperatoriarum à Leniclauio tomo iuris Græco Romani collectarum, vbi duo genera Monaſte-

riorum ſtatuit, in quæ Patriarcha habeat τὴν ἐπιτήρησιν, καὶ διόρθωσιν τῶν ψυχικῶν σφαλμάτων, *Obſeruationem & correctionem lapſuum animarum.*

Primò quidem Patriarcha ius habere dicitur, ἐπὶ τοῖς ἐλευθέροις μοναστηρίοις, *in monaſteriis liberis*, quæ ſcilicet à prima ſua creatione ab Epiſcoporum poteſtate ſunt exempta propter crucis Patriarchalis fixionem. Secundò, ἐπὶ τοῖς ἐπιδοθεῖσι καὶ ἐπὶ τοῖς κατ' ἐφορείας, ἢ οἰκονομίας δοθεῖσι, *In traditis & donatis, & his quæ ad adminiſtrationem vel diſpenſationem data ſunt.* Mox verò inſinuare videtur quæ ſunt monaſteria tradita ad adminiſtrationem Patriarchæ, nempe ea quæ ſunt Imperatoria, aut expreſſâ conuentione eorum, qui illa ædificarunt, gubernationi commiſſa ſunt. Certè Imperatoria omnia Monaſteria ex antiqua conſuetudine libera, id eſt, à Metropolitanorum & Epiſcoporum poteſtate exempta fuiſſe ſcribit Innocentius tertius lib. 13. Regiſtri epiſt. 39. *Heracleenſi Archiepiſcopo*: quam conſuetudinem obſeruari vult, cùm Conſtantinopolis in Latinorum poteſtatem deueniſſet.

Lege pariter in hanc rem epiſtolam Monachorum Monaſterij ſancti Apoſtoli & Euangeliſtæ Ioannis lib. 4. Turgo-Græciæ Cruſij: ſed expreſſior eorum explicatio colligi poteſt, tum ex ſubnotatione Germani Patriarchæ contra Metropolitanum Naupacti, tum ex ſigillo eiuſdem Patriarchæ, *de paralauriis Patriarchalium Monaſteriorum*, ad quem pertinere debeant, an ad Epiſcopum, in cuius Diœceſi ſita ſunt Monaſteria; an ad Exarchum à Patriarcha miſſum ad Monaſteriorum iſtorum viſitationem: tum denique ex alia quadam obſeruatione addita lib. 1. ſententiarum Synodalium, ſeu tertio iuris Græco-Romani. Ex eo enim plura diſcere poteris: putà per crucis fixionem Patriarchalem ius in Monaſteria Patriarchis acquiri; in regione Paphlagoniæ, & in prouincia Ætoliæ, cuius Metropolitanus erat Naupacti Epiſcopus, plura fuiſſe huiuſmodi Monaſteria Patriarchica. Epiſcopos grauiter id nonnunquam tuliſſe: quoſdam cruces Patriarchales euertiſſe, & proprias erexiſſe; quoſdam allegaſſe crucis fixionem à Patriarcha factam ſede Epiſcopali vacante, nullum Epiſcopo detrimentum inferre potuiſſe; Patriarcham autem Germanum ceſſiſſe Epiſcopis Monaſteria, quæ ab initio non habuere *Stauropegium*: ſubieciſſe etiam Epiſcopis illos Monachos, qui ante extructionem diuinorum templorum, quæ ſub Patriarchalibus crucibus præædificata ſunt, vel poſteà inædificabuntur, locum inhabitarunt: aut qui cùm poſteriùs inhabitarunt, ab indigenis & incolis originem ducere reperiuntur. Exemptionem iſtam in tribus præſertim ſitam recenſeri, putà quoad ἱεροπραξίαν, id eſt, *confeſſionem ſacrorum*, *quoad Præfecti Monaſterio deſignationem*, εἰς ἡγουμένου σφραγίδα, *& quoad peccatorum animarum inquiſitionem*, εἰς ψυχικῶν σφαλμάτων ἀνάκρισιν; itémque, vt ſolius Patriarchæ nomen in iis Monaſteriis inter ſacra recitetur. Denique Patriarcham ad ipſorum Monaſteriorum viſitationem Legatum mittere ſolere, qui ἔξαρχος dicitur, aliàs τῶν πατριαρχικῶν δικαίων ἔξαρχος, cuius officium deſcribitur, vt & ad ordines ſuſcipiendos examinatione teſtimoniorum conuenienti factâ, Monachis licentiam concedat, quatenus nuptialibus præſit contractibus, ſpiritales Patres, qui confeſſiones excipiant, probet, Præfectos Monaſteriis confirmet, aliiſque Epiſcopalibus iuribus fruatur.

Fuſiùs verò ipſorum Patriarchalium Exarchorum officium deſcribitur lib. 6. iuris Græco-Romani, titulo qui inſcribitur ἔνταλμα διδόμενον τοῖς ἐξάρχοις, *Mandatum quod datur Exarchis*: ex hoc ordine videtur Marianus ille Monachus & Archimandrita Monaſterij ſancti Dalmatij fuiſſe, qui in actis Concilij Conſtantinopolitani ſub Menna actione 5. inſcribitur ἔξαρχος τῶν ἁγίων μοναστηρίων τῆς βασιλικῆς πόλεως, *Exarchus Monaſteriorum regiæ vrbis.* Faſtuoſo aliàs nomine ac pompatico Balſamon Scholiis in Nomocanonem Photij tituli 1. cap. 20. παντοκρατορικὸν illum, & παντοκράτορα, quaſi *omnipotentem* appellat, quòd multis Monaſteriis præeſſet.

§. XX.

Concluſionem totius diſputationis de hierarchica ſubordinatione, Metropolitanis, Primatibus, Patriarchis complectens.

EX iis autem omnibus, quæ anteà de Metropolitanis, Primatibus, Patriarchis docuimus, colligere licet quàm vetus ſit hierarchicæ iſtius ſubordinationis inſtitutio, vt iure merito ab Apoſtolis initium duxiſſe credatur; nam cùm illius initium poſt Apoſtolos minimè reperiatur, & vbique per totam Eccleſiam ordo iſte cuſtoditus, atque obſeruatus animaduertatur, licèt cum aliquo in dies incremento vel decremento; certè ex regula quam ſæpiùs inculcauit Auguſtinus à nobis alibi citatus, ea ad Apoſtolos eſſe referenda, quæ nullis in Conciliis inſtituta, vbique in Eccleſia obſeruata videntur; ab Apoſtolis bunc ordinem initium ſumpſiſſe, non eſt ambigendum.

Metropolitanorum & Primatum ſeu Patriatcharum antiquiorum originem ab Apoſtolis eſſe petendam, innuit Dionyſius epiſt. *ad Demophilum*, dum ſupra Epiſcopos Apoſtolos, & Apoſtolorum ſucceſſores, Metropolitanos ſcilicet & Primates, & maximè Patriarchas, vt interpretatur ſanctus Maximus, conſtituit. Inſinuat ſanctus Leo epiſt. 85. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Can. vltimo; dum ab Apoſtolis formam iſtam peti tradit Leo in Concilio Lateranenſi ſeſſ. 11. *bullà primitiuà*, primis etiam ſæculis hunc ordinem receptum teſtatur.

Et ſanè ex epiſtolis ad Timotheum & Titum, iunctâ interpretatione Patrum, Titum in inſula Cretæ, Timotheum in Aſia Metropolitanos creatos fniſſe dedncere poſſumus. De Tito ſcribit Apoſtolus epiſtolâ ad eundem cap. 1. *Reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut & ego conſtitui tibi.* Creta verò inſula dicitur à Strabone *in medio Ponto centum vrbium famà memorabilis*; eandem centum vrbes complexam fuiſſe canunt Virgilius 3. Æneidos, Horatius in Epodo, Seneca in Troade: vnicum in ea Epiſcopum Apoſtolum eſſe voluiſſe quis credat? quanto veriſimiliùs mentem Pauli fuiſſe, vt plures in ea inſula Epiſcopi crearentur à Tito ſub eius poteſtate manſuri, ex iis verbis quæ de Epiſcopis per ſingulas ciuitates conſtituendis ait Apoſtolus, interpretantur Chryſoſtomus homil. 2. in epiſtolam iſtam, Hieronymus ibidem, & epiſt. 85. ad Euagrium, Sedulius & alij. Integram illi inſulam permiſſam, & tam multorum Epiſcoporum iudicium commiſſum ait Chryſoſtomus homil. 1. Cretam atque inſulas adiacentes ei aſſignat Hieronymus, *de Scriptoribus Eccleſiaſticis, in Tito:* & poteſtatem conſtituendi Epiſcopos in qualibet ciuitate Cretæ eidem attribuit, Commentariis in caput 1. ad Titum. Theodoretus vt Cretenſium Titum, ita Aſianorum Epiſcopum Timotheum fuiſſe affirmat in cap. 3. prioris ad Timotheum; hunc Apoſtolus eò loci à ſe rogatum ſcribit, *vt remaneret Epheſi:* ſed Epheſum conſtat Aſiæ Metropolim fuiſſe, & ex hiſtoriæ Eccleſiaſt. lectione liquet, Epheſinum Epiſcopum ducem ſe Epiſcoporum Aſiæ geſſiſſe, qualem ſe in controuerſia de die Paſchatis exhibuit Polycrates ſecundo ſæculo: huius autem poteſtatis Metropoliticæ Epheſini origo repeti non poteſt, niſi à tempore Apoſtolorum. Extat pro antiqua Metropolitanorum inſtitutione Canon Apoſtolorum nomine ſcriptus vigeſimus-ſextus, qui quidem præſcribit *debere Epiſcopos cuiuſque nationis agnoſcere eum, qui in ipſis primus eſt, haberéque eum vt caput; & præter ſententiam illius nihil exuperans facere, ſed illa tantummodo quæ ſuæ cuiuſque parœciæ, & locis ei ſubiectis competunt.* Addit etiam, *Nec illum ſine voluntate & ſententia omnium quicquam facere oportere: ſic enim concordiam futuram & glorificandum Deum per Chriſtum in Spiritu ſancto.*

Atque hæc prima ratio eſt inſtitutionis Metropolitanorum, Primatum, & Patriarcharum, putà vnitas Eccleſiæ quæ Epiſcoporum concordiâ fouetur: concordiæ autem iſtius procurandæ optima videtur eſſe ratio, ſi omnium vna voluntas pro lege habeatur, & ad vnitatem diuerſorum multitudo ordinatè recurrat. *Nec enim*, inquit ſanctus Leo epiſt. 84. *ad Anaſtaſium*, cap. vlt. mox citato, *Poterit vnitatis noſtræ firma eſſe compago, niſi nos ad inſeparabilem ſoliditatem vinculum charitatis*

adſtrinxerit: quia ſicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Connexio totius corporis vnam ſanitatem, vnam pulchritudinem facit: & hæc quidem connexio totius quidem corporis vnanimitatem requirit, ſed præcipuè exigit concordiam ſacerdotum: quibus etſi dignitas non ſit communis, eſt tamen ordo generalis. Quoniam & inter beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cum omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret. De qua forma Epiſcoporum quoque orta eſt diſtinctio: & magnâ diſpoſitione prouiſum eſt, ne omnes ſibi omnia vendicarent, ſed eſſent in ſingulis prouinciis ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia, & rurſus quidam in maioribus vrbibus conſtituti ſollicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret.

Aſſentitur ſanctus Gregorius epiſt. 52. *vniuerſis Epiſcopis Galliarum*, lib. 4. indict. 13. *Ad hoc diſpenſationis diuinæ prouiſio gradus diuerſos & ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhibent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordiæ fieret ex diuerſitate connexio, & rectè officiorum gereretur adminiſtratio ſingulorum; neque enim vniuerſitas aliâ poterit ratione ſubſiſtere, niſi in huiuſmodi magnus eam differentiæ ordo ſeruaret.*

Hanc propoſitionem probat ſanctus Gregorius exemplo cæleſtis hierarchiæ, *Quia verò*, inquit, *quæque creatura in vna eadémque qualitate gubernari vel viuere non poteſt; cæleſtium militiarum exemplar nos inſtruit; quia dum ſunt Angeli, & ſunt Archangeli, liquet quòd non ſunt æquales, ſed in poteſtate & ordine, ſicut noſtis, vnus differt ab altero.* Vnde infert, *ſi ergo inter hos qui ſine peccato ſunt, iſta conſtat eſſe diſtinctio: quis hominum abnuat huic ſe libenter diſpoſitioni ſubmittere, cui nouit etiam Angelos obedire? hinc enim pax & charitas mutuâ ſe vice complectuntur, & manet forma concordiæ in altera, & Deo placitâ dilectione ſinceritas.*

Notandum verò ſanctum Gregorium hanc diſpoſitionem & ſubordinationem hierarchicam *diſpenſationis diuinæ prouiſionem* vocare: quia licèt expreſſâ iuris diuini præceptione ſancita non ſit, tamen & ab exemplo operationis diuinæ, per quam omnia in pondere, numero & menſura creata ſunt, atque ita diſpoſita, vt ſuperiora ab inferioribus regantur, & tota rerum vniuerſitas ſuperiorum & inferiorum coordinatione ſubſiſtat: & ab exemplo diuinæ ſeu cæleſtis hierarchiæ, à qua terreſtris formam habet; diſpoſitionem illam diuinam dicere licet: denique, quia ab Apoſtolis diuinitùs afflatis inſtituta, ab Eccleſia, quæ Dei ſpiritu gubernatur, ac regitur, religioſè cuſtoditur.

Aliam rationem innuit ſanctus Gregorius eodem loco, *quia vnumquodque tunc ſalubriter completur officium, cùm fuerit vnus, ad quem recurri poſſit, præpoſitus.* Quæ ratio neceſſitatem vnius præpoſiti in vnaquaque prouincia, & in vnaquaque Diœceſi, & in toto orbe demonſtrat, tum ad directionem ſalubriter agere volentium, tum ad emendationem delinquentium: non enim dubium eſt, quin ſinguli Epiſcopi ſæpè in arduis & difficilibus negotiis conſilio, auxilióque indigeant: Metropolitanorum verò in iis, & Primatum ac Patriarcharum opera quantùm neceſſaria ſit ex prædictis peti poteſt.

Nec dubium, quin etiam vtiliſſimum ſit vnum aliquem eſſe, ad quem qui ab Epiſcopis grauatos ſe queruntur, recurrere poſſint, iugum fortaſſe excuſſuri, iudices ſe Epiſcoporum ſuorum declaraturi, niſi prouiſi eſſent ab Eccleſia iudices, ad quos per appellationis remedium confugere poſſint. Quin ſalubre quoq; ſit, vnúmquemque Epiſcoporum noſſe ſibi aliquem ſuperpoſitum minoris ſedis Epiſcopum, qui ab ipſis rationem iudicatorum, ac factorum exigere debeat. Eâ ſiquidem ratione, & in officio benè contineri, & malos ad officium reuocari nouimus.

Vnde nec conqueri debent de ſuperpoſitis ſibi maioribus ab Eccleſia & ſummo Pontifice prælatis, niſi & moderationem oderint, & malefacta latere velint. Bonorum Paſtorum hæc mens eſſe debet, quæ fuit ſanctiſſimi Abbatis Claræuallenſis, epiſt. 42. ad Henricum Senonenſem, *Quis dabit mihi centum in mei cuſtodiam deputari paſtores? quantò plures ſentio mei curam gerere, tantò ſecurior exeo in paſcua. Stupenda inſania! animarum non cunctor turbas mihi cuſtodiendas colligere, & vnum ſuper propriam grauor habere cuſtodem: & quidem ſubiecti me de reddenda pro ſe ratione ſollicitant:*

qui autem præſunt mihi, Paulo dicente, peruigilant, tanquam rationem pro me reddituri. Illi etſi honorant, onerant, hi non tam premunt, quàm protegunt. Plura non addo, quia ex prædictis innumera in hanc materiam colligi poſſunt.

Neque hanc ſubordinationem ex vrbium dignitate petitam damnauit Nazianzenus, qui potiorem duxit eam quæ ex virtutibus peteretur, ſi reuerà eâ rerum conditione nati eſſemus, vt nonniſi ex virtutum præcellentia Principatus conferretur. Verba ſiquidem Theologi hæc ſunt, Oratione 28. quam Conſtantinopoli habuit, cùm poſt ea quæ à Maximo perpetrata ſunt, rure in vrbem rediiſſet, ὡς ὄφελόν γε μηδὲ ἦν προεδρία, μηδέ τις τόπου προτίμησις, καὶ τυραννικὴ προνομία, ἵν᾽ ἐξ ἀρετῆς ἐγινωσκώμεθα, *Vtinam autem ne vllius quidem ſedis Principatus eſſet, nec vlla loci prælatio, nec tyrannica prærogatiua, vt ex ſola virtute cognoſceremur.* Votum illud eſt ſanctiſſimi viri; votum illius Patris, qui anarchiam ſummè deteſtatus eſt, Orat. 1. num. 11. & 12. necnon Orat. 32. Votum, cuius expletio expeti quidem, ſed in hac vita poſt naturam humanam originali peccato fœdatam ſperari non poteſt. Sicut enim regiæ poteſtatis & herilis neceſſitatem agnoſcunt, rectè tamen expetere poſſunt, & ſeruitutis & ſubiectionis ab hominum conditione abeſſe tyrannica iura, & eâ nos conditione naſci, quâ nullis indigeamus deſpotici Imperij legibus, nullâ ſeueritate pœnarum, nullis imperantium minis: ſic ab Eccleſiaſtico principatu ſedium differentiam abeſſe, ſolam vigere doctrinæ, eruditionis, ſanctitatis gloriam, expetendum maximè eſſet, ſed quâ ratione mos iſte induci poſſit, ſi quis cogitet, reperiet ſuperare humanæ conditionis poteſtatem, iſtam omnium conſenſionem: vt eundem omnes optimum iudicent, & eum ſibi quem optimum iudicauerint præferri velint.

Tyrannicum ergo ius dixit Nazianzenus, quòd nonnunquam priores cæteris nullâ animi dote ſuperiores melioribus ſe præferri contingat, quia in maiorum ſedium Epiſcopos electi ſunt: ſed hanc nobis tyrannidem neceſſariam impoſitam à concupiſcentiæ vitio cenſuit Gregorius: eóſque cupiditatis fœtus enumerat ſequentibus verbis: *Nunc autem dextrum, & ſiniſtrum, & medium latus, & ſublimior, atque inferior gradus, & præcedere, & ſimul incedere, multas nobis contritiones incaſſum pepererunt, atque ad hircorum regionem adduxerunt, non plebeiorum tantùm, ſed etiam paſtorum, qui cùm magiſtri Iſraelis eſſent, hæc ignorauerunt.*

Quis ſanè dubitet ex Regum, Ducum & Magiſtratuum contentionibus maximas ſæpè Reipublicæ calamitates inferri? ideóne verò hos ordines à rectè conſtituta Republica abigere neceſſarium fuerit? grauis hæc hallucinatio, grauis error. Similiter & omnem ſacri Principatus diſtinctionem euertere velle, quia ab ambitioſa maiorum ſedium cupiditate multa in Eccleſiam mala inducuntur, præcipitantis eſt animi & traditionem antiquam auerſantis.

Nec plus virium habet vulgata illa hierarchiæ oſorum obiectio deſumpta ex Concilij Carthag. III. Can. 26. *Ne quis primæ Sedis Epiſcopum principem ſacerdotum, aut ſummum Sacerdotem, aut aliquid huiuſmodi appellet, ſed tantùm primæ ſedis Epiſcopum.* Moderatio hoc Canone Primatibus ac Metropolitanis commendata, non poteſtas adempta. Etenim, eſto, ne inſoleſcerent Metropolitani Africæ, nomen Archiepiſcopi, aut Principis ſacerdotum eis denegatum fuerit: vt Primatis ſeu primi ſacerdotum nomen tribueretur; quid exinde ſequitur niſi commendatam humilitatem, repreſſam ambitionem? Archiepiſcopi tamen nomen leges in Eccleſia à multo tempore vſurpatum. Leges apud Athanaſium Apolog. 2. vbi Alexandrino Preſuli tribuitur: apud Epiphanium hæreſi 68. vbi Meletio Lycopolitano, & hæreſi 69. vbi Alexandriæ Epiſcopo: apud Ambroſium *de dignitate ſacerdotali*, cap. 6. vbi cuilibet Metropolitano ius ordinandi Epiſcopos habenti: deincépſq; frequentiùs, verbi gratiâ, in Concilio Epheſino actione 1. 2. 4. 5. vbi tribuitur Celeſtino Romano, Cyrillo Alexandrino, Memnoni Epheſino, quem etiam titulum aſſumit Cyrillus, epiſt. *ad Comarium & Potamonem*, & initio declarationis anathematiſmorum ſuorum, reſponſionis ad Orientales & ad Theodoretum, ac libri de Incarnatione, ſermones item Epheſi habiti *contra Neſtorium*, epiſt. *ad Ioannem Antiochenum*, commonitorij *ad Eulogium Diaconum*, & expoſitionis de Symbolo.

Illud ipſum leges in Concilio Epheſino Orientalium Ioanni Antiocheno attributum, parte 3. Concilij Epheſini cap. 28. 30. 31. 32. ab Auctore vitæ ſancti Porphyrij Gazenſis Ioanni Chryſoſtomo, & Ioanni Cæſareæ Palæſtinæ: à Theodoreto epiſt. 83. Domno Antiocheno: à Sozomeno lib. 2. cap. 28. Simeoni Epiſcopo Seleucienſi & Cteſiphontis: in Concilio Conſtantinop. ſub Flauiano, eidem, & Cyrillo Alexandrino variis actionibus relatis actione 1. Concilij Chalcedonenſis. In eodem Chalcedonenſi Concilio paſſim maiorum ſedium Præſulibus; ab Ægyptiis, epiſtolis *ad Leonem Imperatorem, & Anatolium*, quinque Patriarchis, necnon Theſſalonicenſi & Epheſino Epiſcopis: à Luciano Biziæ, à Conciliis Piſidiæ, Lydiæ, Pamphiliæ, & aliis, omnibus Diœceſeωn capitibus, maximè verò Patriarchis, quibus paſſim attribuitur ab eiuſdem ſæculi auctoribus.

I Legimus quoque à ſancto Remigio attributum illud nomen omnibus Metropolitanis Galliæ apud Flodoardum hiſtoriæ Remenſis lib. 1. cap. 18. Cætera non refero, quia innumera ſunt. Solùm adnoto ex Iſidoro lib. 7. Originum cap. 12. Ioanne Nicopolitano veteris Epiri Metropolita, epiſt. *ad Hormiſdam*, inter epiſtolas ipſius, Archiepiſcopum eum exponi, qui ſit *Princeps Epiſcoporum*, vt & notatio nominis indicat.

Singularis autem ratio eſt, ob quam Metropolitanos primæ potiùs ſedis Epiſcopos appellari voluerit Concilium Africanum, quàm Principes Epiſcoporum, quia nempe & illorum, & Primatum, & Patriarcharum reſtricta eſt poteſtas ſupra Epiſcopos, nec ſumma in omnibus auctoritas eſt, ſed tanta, quantam ſummus illis Pontifex, Canonéſque concedunt, vt toties docuimus.

At diuerſa eſt ratio poteſtatis Epiſcoporum in Clericos, & Papæ in omnes Epiſcopos; nam huius, tractatu ſingulari *de Romano Pontifice*, ſummam & illimitatam in omnibus ſupra Epiſcopos auctoritatem ineſſe; illis quoque ex ſuo ſtatu & gradu illimitatam; & (niſi reſtringatur à ſummo Pontifice, à quo intra certos limites coerceri poteſt) vniuerſalem auctoritatem iure diuino conuenire, altero *de Hierarchis* tomo oſtendemus: in quem proinde locum de Epiſcoporum auctoritate in ſuos & ſuorum ipſis ſubordinatione reiicimus.

SECTIO V.

DE PRÆROGATIVA HONORIS modò Ordini, modò Iuriſdictioni attributa.

CAPVT I.

Nulli olim Juriſdictionem niſi in ſui vel inferioris ordinis viros conueniſſe.

SVBORDINATIONEM ratione iuriſdictionis inter membra hierarchiæ Eccleſiaſticæ copioſè ſuperiùs explicuimus: alia nobis affectio explicanda eſt, quæ ad prælationem in honoribus attinet: circa quam variis prætermiſſis, hoc pręſertim hîc tractandum eſt, vtrùm Ordinis ſacri an Iuriſdictionis ad honoris prærogatiuam deferendam maior habeatur ratio; cuius quæſtionis neceſſitas ex eo oritur, quòd in Eccleſia aliquando contingat, vt qui Ordine ſacro inferior eſt, is ordinarium in eos qui ſuperiorem ordinem nacti ſunt, ſortiantur imperium: & vice verſâ, quod in Eccleſia veteri rarò permiſſum, in qua proinde hęc quæſtio minimè mouebatur.

Statim initio hîc demonſtrandum prærogatiuas ordinis Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum adeò ſtrictè olim obſeruatas, vt vltimus Epiſcoporum, ordinis Preſbyterorum nobiliſſimis quibuſque præferretur, vltimus Presbyterorum præponeretur omnibus Diaconis, nec vllus ex Diaconorum ordine Presbyteris æquaretur, multominùs poteſtate iuriſdictionis antiſtaret.

Conſtitutiones Apoſtolicæ lib. 8. cap. vltimo, exemplo hierarchiæ legalis hunc ordinem ſeruandum præſcribunt, quod ſicut in hierarchia legali Pontifex præferebatur omnibus ſacerdotibus, ſacerdotes Leuitis; lèxque ea quæ à Pontificibus fieri oporteret, diſtinxerit, & quæ à ſacerdotibus, quæ item à Leuitis, aſſignans cuique religionem, quæ eſſet cuiuſque gradus propria, eúmque deceret, vt quæ ſacerdotibus præſcripta eſſent hæc Leuitæ non attingebant, ſed potius ſinguli miniſteria certa & definita quæ ſuſceperant cuſtodirent: ita lex Euangelica (inquiunt iſtæ conſtitutiones) Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum diſtinxit gradus, & officia. Nec inferiores ordines ſuperioribus ſubſultare vel præferri voluit Epiſcopis quæ ad Principatum, Presbyteris quæ ad Sacerdotium, Diaconis quæ ad miniſterium pertinent, aſſignans; nec vnum ordinem in alium inuolare permittens, addunt, οὐ γάρ ἐστιν ὁ Θεὸς ἀκαταστασίας, ἵνα οἱ ὑποβεβηκότες τὰ τῶν κρειττόνων τυραννικῶς σφετερίζωνται, νομοθεσίαν χαρίεν ἀναπλάττοντες ἐπὶ κακῷ τῷ ἑαυτῶν ἀγνοοῦντες ὅτι σκληρὸν αὐτοῖς τὸ πρὸς κέντρα λακτίζειν; *Si quidem non licet ordinem inuertere, cùm non ſit Deus diſſenſionis vt inferiores, quæ ſunt ſuperioris per vim ſibi vendicent, nouam legem in malum ſuum refingentes, ignorantes durum eſſe ſibi contra ſtimulum calcitrare.*

Ignatius pluribus epiſtolis hanc graduum ſubordinationem commendat, vt ſcilicet Epiſcopis Presbyteri, Presbyteris Diaconi parere debeant. lege præſertim epiſtolas eius ad Tharſenſes, & ad Epheſios.

Clemens Alexandrinus lib. 6. ſtromatum exemplo Hierarchiæ cæleſtis eaſdem progreſſiones Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum nobis proponit, in eo

ſcilicet ſitas, vt ſicut in hierarchia cæleſti ordines inferiores à ſuperioribus illuſtrantur, ita in Eccleſiaſtica.

Sed cæteris clariùs Dionyſius Magnus hierarchiæ magiſter pluribus locis, à nobis ſuprà in explicatione hierarchiæ Eccleſiaſticæ prolatis: quo loco vtriuſque Gregorij primi & ſeptimi Romanorum Pontificum, & aliorum Patrum teſtimonia licebit intueri. Nec pigeat ex eodem Dionyſio cap. 4. cæleſt. hier. obſeruare περὶ τῆς πάντων ὑπερουσίου ταξιαρχίας, ſeu *à ſupereſſentiali omnibus eminente ordinato Principatu* ſtatutam eſſe, vt in quaque hierarchia & primi ſint, & medij, & poſtremi ordines, inferiorúmque diuiniores Doctores ſint. Accipe etiam ab eodem Doctore, quæ tanquam ſuâ commendat epiſtolâ *ad Demophilum*, οὐ θεμιτὸν ἱερέα πρὸς τῶν ὑπὸ σὲ λειτουργῶν, ἢ τῶν ὁμοταγῶν σοι θεραπευτῶν εὐθύνεσθαι, κἂν ἀσεβεῖν εἰς τὰ θεῖα δοκῇ, κἂν ἄλλο τι τῶν ἀπειρημένων ἐξελέγχοιτο δράσας, *Nefas eſt ſacerdotem à miniſtris, qui te ſuperiores ſunt à tui ordinis Monachis corrigi & reprehendi, ſiue aliquid impiè in diuina facere videatur, ſiue aliquid aliud eorum quæ vetant leges, feciſſe arguatur.* Rationem ſubdit, εἰ γὰρ ἀκοσμία, καὶ ἀταξία τῶν θειοτάτων ἐστὶ, καὶ ὅρων καὶ θεσμῶν ἔκβασις οὐκ ἔχει λόγον ὑπὲρ θεοῦ τὴν θεοπαράδοτον ἀνατρέπεσθαι τάξιν, *Si enim diſtinctionis, ordiniſque confuſio quædam inſtitutorum legúmque Dei violatio eſt, nullam habet rationem Dei causâ, & nomine diuinitùs traditum ordinem peruertere.* Quæ poſteà confirmat iis verbis, αὐτὸς μὲν οὖν ἐπιθυμίᾳ, καὶ θυμῷ, καὶ λόγῳ, τὰ κατ' ἀξίαν ἀφόριζε, σοὶ δὲ οἱ θεῖοι λειτουργοί, καὶ τούτοις οἱ ἱερεῖς, ἱεράρχαι δὲ τοῖς ἱερεῦσι, καὶ τοῖς ἱεράρχαις οἱ ἀπόστολοι, καὶ οἱ τῶν ἀποστόλων διάδοχοι. κἂν εἴ πού τις καὶ ἐν ἐκείνοις τοῦ προσήκοντος ἀποσφαλείη, παρὰ τῶν ὁμοταγῶν ἁγίων ἐπανορθωθήσεται, καὶ οὐ περιτραφήσεται τάξις ἐπὶ τάξιν, ἀλλ' ἕκαστος ἐν τῇ τάξει αὐτοῦ. *Ipſe ergo cupiditati, iracundiæ, & rationi modum dignitatis ſtatue, tibi autem Dei, miniſtri & his Sacerdotes, Pontifices verò Sacerdotibus, atque Pontificibus Apoſtoli ſucceſſoreſque Apoſtolorum. Quòd ſi quis etiam in illis deſit officio, à ſanctis eiuſdem ordinis corrigetur, atque ita ordo in ordinem non commutabitur, ſed in ſuo quiſque erit ordine.*

Ex quibus verbis duo diſces: Primum, ſuperiores ordines inferioribus imperitare, verbi gratiâ Monachis Miniſtros ſeu Diaconos, Diaconis Sacerdotes, Sacerdotibus Epiſcopos, Epiſcopis inferioris loci, Apoſtolicatum Eccleſiarum Præſules Metropoliticarum, vel Patriarchalium.

Alterum, in ſingulis etiam tribus iſtis ordinibus hierarchicis quoſdam eſſe cæterorum eiuſdem ordinis primores, qui inferiores in officio ſuo peccantes corrigere, & plectere poſſint acceptâ ſcilicet à ſuperioribus ordinibus poteſtate. Ex qua obſeruatione diuiſiones iſtorum ordinum aliquæ colliguntur, vt ſcilicet in Epiſcopali ordine aliqui, qui Apoſtolicas Eccleſias tenent, aliis inferiorum Eccleſiarum Epiſcopis præferantur: in ordine Preſbyterali aliqui primum locum teneant, quos Decanos, Archipreſbyteros, Corepiſcopos, aliiſve dignitatum nominibus inſigniuit Eccleſia. In Diaconorum ordine Archidiaconi ſint, qui omnibus inferioribus miniſtris immineant, quos aliis nominibus dignitatum ſimiliter Eccleſia diſcreuit. De quibus omnibus, Deo dante, dicturi ſumus. Hîc verò ſufficiat obſeruare differentem in vnoquoque ordine cuiuſdam præpoſiti conſtitutionem, qui cæteris emineat, quemadmodum idem Dionyſius ſignificare videtur, dum cap. 1. Eccl. hier. duplicem hierarchiæ notionem nobis tradit: vnam pro ratione ſacrorum quæ ſubiecta ſunt: alteram *pro vniuerſa ſacrorum huius vel illius hierarchiæ ſumma*, quam κεφαλαιωτάτην τῆς δὲ τυχὸν ἱεραρχίας, τὴν τῶν δὲ ἱερῶν συγκεφαλαίωσιν appellat: hæc enim verba ita explicat ſanctus Maximus, φησὶν οὖν ὅτι τυχὸν ἁπάσης τάξεως, ἱεραρχίας λεγομένης, ἱεραρχία ἐστὶ ἁπάσης ἱεραρχίας ἡ ἀρχικωτέρα καὶ γενικωτέρα συγκεφαλαίωσις, οἷον τῆς πρεσβυτέρων ἱεραρχίας, τουτέστι τάξεως, ἱεραρχία ὁ ἐπίσκοπος ὀφείλων γινώσκειν, καθαίρειν, φωτίζειν, τελεῖν, τῆς διακόνων ἱεραρχίας, ἱεραρχία, ὁ ἀρχιδιάκονος, ὃ ὀφείλει γινώσκειν τὰς λειτουργικὰς ἐνεργείας, καὶ οὕτω καθεξῆς τὰ λοιπὰ συντάγματα, *Ait ergo quòd fortaſſe omni ordine hierarchia nuncupato, hierarchia eſt omnis hierarchiæ principalior, generaliorque ſumma, vt Preſbyterorum hierarchiæ, id eſt, ordinis hierarchia eſt Epiſcopus, qui ſcire debet, purgare, illuſtrare & perficere; Diaconorum hierarchiæ, hierarchia Archidiaconus, qui cognitas habere debet officia miniſtrorum; atque deinceps reliquos ordines.*

Itaque Dionyſius ſecundum interpretationem S. Maximi nequaquam ex Preſbyterali ordine Preſbyterum deligit, qui vniuerſam ordinis illius perfectionem contineat:

neat, ſed Epiſcopum tanquam ſummum illius ordinis complectentem ei præficit.

Ex diaconali vero ordine Archidiaconum non ſolum diaconorum, ſed reliquorum miniſtrorum doctrinam tenentem, ac diſciplinam ſatagentem nobis deſcribit. Idem tamen ſuperiùs in vtroque ordine Epiſcopali, presbyterali & diaconali præpoſitos vnicuique ordini præfectos & imminentes nobis exhibet.

Conciliari autem facilè iſta poſſunt; nam & tres ordines Hierarchicos ſtatuere poſſumus quemadmodum ſuperiùs ſtatuimus, & duos: alterum Sacerdotum, alium miniſtrorum: quam diuiſionem tradere videtur Vrbanus II. apud Gratianum diſtinctione 60. Canone *nullus*, & Bleſenſis ſermone 47. *ad Sacerdotes & Prælatos*, tradit Paulus epiſtolæ prioris ad Timotheum tertio, duos tantum ordines presbyterorum & diaconorum commendans, In quem locum Patres Epiſcopum & presbyterum vnum Sacerdotii ordinem conſtituere docet, maiorum ſcilicet, & minorum Sacerdotum, quorum differentia ex Conſtitutionibus Apoſtolicis ſupra citatis ea eſt, quod minores ea tantum gerant, quæ ſunt Sacerdotii, maioribus vero reſeruentur, quæ ad principatum Sacerdotum pertinent.

Quòd diſcrimen videtur amplexus Dionyſius dum Epiſcopos à presbyteris diſtinguit, quod ii ſint *ἱερέας*, illi *ἀρχιερέας*; miniſtros vero communi vocabulo, *λειτουργοὺς* nominat ex quibus aliquos *ἐκκρίτους*, ſeu *ſelectos* facit.

Atque eo ſenſu rectè dicere poſſumus Epiſcopum Sacerdotii ſummam perfectionem, plenitudinem ac faſtigium continentem, Hierarchiam aliquo ſenſu, ſeu potius Hierarcham à Dionyſio ſimpliciter & abſolutè exiſtimatum. Archidiaconum vero & ipſum principatus nomine donatum, ſed inferiori: quod in diaconos & cæteros miniſtros inferiores imperium gerat, vniuerſámque rationem ſacrorum ſcire debeat, vt aliis in ſacro miniſterio præſit.

Propter has rationes aliaſque plurimas, quas inferius proponemus, Archidiaconorum auctoritas adeo creuit, vt minores Epiſcopi viderentur, ſuumque quod erga omnes miniſtros imperium exercebant, ad ipſos presbyteros progreſſu temporis extenderint, presbyteri iis ſubiecti eſſe cœperint, ex eoque ordine paucæ dignitates inſtitutæ ad imperium Eccleſiaſticum & iuriſdictionis exercitium, ſed presbyterorum ordo retentus ad Epiſcoporum conſilium, atque ab eo paulatim excluſus, iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſaltem exterioris fori minus particeps habitus ſit.

CAPVT II.

Diaconorum in Presbyteros inſurgentium ambitus & antiquus, & antiquis temporibus notus.

ARTICVLVS I.

Varia eius rei teſtimonia proferuntur.

DIACONI veterem legem, qua inferioris ordinis nemo ſuper aliquem ſuperioris ordinis efferebatur, tranſire conati ſunt, & diuitiarum quas adminiſtrabant potentia freti, & clientela miniſtrorum, quibus imperitabant, & Epiſcoporum in quorum comitatu verſabantur amicitia, & aſſiduo quod illis impendebant, miniſterio tumeſcentes inualuerunt. Eorum audacia à variis primum auctoribus reprehenſa, variiſque decretis Eccleſiæ ad tempus retuſa, tandem conſuetudine, ac poſtea lege probata in legitimam poteſtatem & adminiſtrationem tranſiit. Nicæna Synodus Canone decimo octauo, diaconorum reprimit audaciam, qui presbyteris Euchariſtiam dare, & ante Epiſcopos attingere præſumebant, eoſque in ordinem hac contentione redigi voluit, *ταῦτα οὖν πάντα περιῃρήσθω, καὶ ἐμμενέτωσαν οἱ διάκονοι τοῖς ἰδίοις μέτροις, εἰδότες ὅτι τοῦ μὲν ἐπισκόπου ὑπηρέται εἰσί, τῶν δὲ πρεσβυτέρων ἐλάττους τυγχάνουσι. λαμβανέτωσαν δὲ κατὰ τὴν τάξιν τὴν εὐχαριστίαν*

μετὰ τοὺς πρεσβυτέρους, ἢ τοῦ ἐπισκόπου διδόντος αὐτοῖς ἢ τοῦ πρεσβυτέρου, ἀλλὰ μηδὲ καθῆσθαι ἐν μέσῳ τῶν πρεσβυτέρων ἐξέστω τοῖς διακόνοις παρὰ κανόνα γὰρ καὶ παρὰ τάξιν ἐστὶ τὸ γινόμενον, εἰ δέ τις μὴ θέλῃ πειθαρχεῖν, καὶ μετὰ τούτους τοὺς ὅρους, πεπαύσθω τῆς διακονίας. *Hæc ergo omnia auferantur, & diaconi intra ſuas menſuras permaneant, ſcientes quod ſunt quidem Epiſcopis miniſtri, presbyteris vero minores. Accipiant autem ſuo ordine Euchariſtiam, poſt presbyteros, eis præſente Epiſcopo vel presbytero. Sed nec in medio quidem presbyterorum liceat diaconis ſedere; id enim fit præter Canonem & ordinem. Si quis autem non vult obedire etiam poſt has conſtitutiones, à diaconatu deſiſtat.*

Preſbyteris ſubiectos diaconos hic Canon pronuntiat, Sacerdotibus ſcilicet miniſtros, in medio presbyterorum ſedere eos vetat, vel quod medius locus dignior in ſacris ex conſtitutionibus Apoſtolicis libro 2. capite 61. Gregorio Nazianzeno *inſomnio, de Anaſtaſiæ templo*, Ioanne Moſcho *prati ſpiritualis* capite nonageſimo ſexto, & aliis paſſim: nec non apud ipſos prophanos, vt ex Saluſtio in Iugurtha colliges, vel certe quod omnino presbyteros ſedere in ſacris, ipſis nefas eſſet. Stare enim iubebantur ex conſtitutionum Apoſtolicarum libro ſecundo capite quinquageſimo ſeptimo, ſedebant presbyteri cum Epiſcopo ex Cypriano epiſtolà trigeſimà quintà *de Numidico presbytero ordinato*. Et inter presbyteros locum habere diaconi vetabantur, ſed inter ſui ordinis viros ex eodem capite conſtitutionum Apoſtolicarum, & capite quinquageſimo octauo eiuſdem libri, Dionyſio capite ſexto *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ*, & aliis. Quin etiam maiores in conuiniis, quæ Agapæ vocabantur, partes preſbyteris, quam diaconis, aut aliis inferioribus miniſtris dabantur, earumdem conſtitutionum libro ſecundo capite vigeſimo octauo, & ſportulæ maiores, niſi forte ex priuilegio, verbi gratia, deſignatis iam presbyteris æquales darentur, vt Aurelio & Celerino apud Cyprianum, epiſt. 34. porro Arelatenſe Can. 15. & Aquiſgranenſe Canone 41. Nicæn. legem renouarunt, & inculcarunt.

Synodus Romana ſub Sylueſtro ducentorum octuaginta quatuor Epiſcoporum eidem conſentit, dum Canone 7. Pontifici preſbyterum, preſbytero diaconum, & ita cæteros inferiores Clericos ſuperioribus obſequium præſtare iubet.

Arelatenſe primum Concilium ante Nicænum ſub eodem Silueſtro Canone 18. ſtatuit, *de diaconis vrbicis, vt non aliquid per ſe præſumant, ſed honor presbyteris reſeruetur.* Vrbicos præſertim reprimit iſte Canon, quia ii maximè qui in ciuitate degebant, & in Epiſcopali gubernatione Epiſcopum ſubleuabant, referentes ad eum quid ageretur, minora iudicia exercentes, introducentes ad ipſum aduentantes, Eccleſiaſticas ſubſtantias diſpenſantes, vt fusè citato libro conſtitutionum integro refertur; ij inquam, non autem diaconi forenſes, in ſacris duntaxat presbyteris miniſtrantes, aduerſus preſbyteros intumeſcebant.

Laodicænum hanc legem ſubordinationis Clericorum ratione ordinum ſuorum ſimiliter firmat Canone 20. ὅτι οὐ δεῖ διάκονον ἔμπροσθεν πρεσβυτέρου καθέζεσθαι, ἀλλὰ μετὰ κελεύσεως τοῦ πρεσβυτέρου καθέζεσθαι. ὁμοίως δὲ ἔχειν τιμὴν καὶ τοὺς διακόνους ὑπὸ τῶν ὑπηρετῶν, καὶ πάντων τῶν κληρικῶν. *Quod non oporteat diaconum coram presbytero ſedere, ſed iuſſione presbyteri ſedeat: ſimiliter autem & diaconis honor habeatur à ſubdiaconis, & omnibus clericis.*

Carthaginenſe 4. Canone 39. *diaconus quolibet in loco iubente presbytero ſedeat.* Agathenſe Canone 56. Martinus Bracharenſis Canone 40. Aquiſgranenſe Conc. Can. 77. hanc legem exſcribunt.

Quam explicat Toletanum quartum Canone trigeſimo nono, *Nonnulli diaconi in tantam erumpunt ſuperbiam, vt ſeſe presbyteris anteponant, atque in primo choro ipſi priores ſtare præſumant, presbyteris in ſecundo choro conſtitutis: ergo vt ſublimiores ſe presbyteros agnoſcant*, id eſt ſupra ſe preſbyteros diaconi recognoſcant; *tam hiquam illi in vtroque conſiſtant.* Ideſt preſbyteri in vtroque choro priores diaconis vtrimque pariter ſedentibus ſedeant.

Quo Canone immutatus videtur antiquus ordo ſecundùm quem presbyteri circa thronum Epiſcopalem ſellis vtrimque diſpoſitis ſedebant, miniſtrorum turba adſtabat, quemadmodum deſcribunt Gregorius Nazianzenus in ſomnio, de Anaſtaſiæ templo, & Conſtitutiones Apoſtolicæ citatæ, conceſſum autem in hoc Concilio, vt in Choro, ex vtraque parte tam presbyteri, quam diaconi conſiſterent, ſed preſbyteri priori quam diaconi loco.

Carthagineuſe Concil. prædictum hauc etiam prærogatiuam preſbyteris ſeruauit Canone 40. vt *Diaconus in conuentu presbyterorum interrogatus loquatur*, id eſt nonniſi interrogatus loquatur. Cuius rei ratio continetur in eodem Concilio excerpta ex Nicæno, & probata ab Aquiſgranenſi Concilio Nicænum Cauonem exſcribente capite 1. quod neceſſum ſit, *vt diaconus ita ſe presbyteri, vt Epiſcopi miniſtrum eſſe cognoſcat.* Ideóque Andegaueuſe abſolutè decernit Canone 3. *vt diacons nouerint presbyteris omni humilitate eſſe deferendum.*

Vetus iſta videtur diaconorum eſſe ambitio, quæ vetuſtiſſimis iſtis legibus reprimi debuerit, cuius iſtis omnibus antiquior Cyprianus mentionem facit epiſto à 65. *ad Rogatianum Epiſcopum de ſuperbo diacono*, *Meminiſſe autem*, inquit, *diaconi debent quoniam Apoſtolos, id eſt Epiſcopos & præpoſitos Dominus elegit: diaconos autem poſt aſcenſum Domini in Cœlis Apoſtoli ſibi conſtituerunt, Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ miniſtros. Quod ſi nos aliquid audere contra Deum poſſumus, qui Epiſcopos facit, poſſunt & contra nos audere diaconi, à quibus fiunt.*

Quæ verba malè Nouatores trahunt ad ordinem diaconatus deprimendum, quaſi diuina ordinatione conſtitutus uon ſit; cùm non iutendat negare S. Cyprianus quòd inſtitutio diacouatus diuina ſit, ſed tautum, quod Chriſtus primos ex ipſis crearit, aſſerens diaconorum creationem Apoſtolorum arbitrio reliquiſſe, vt quando creandos illos ducerent, & quos houore iſto diguos arbitrarentur, crearent, cum *è contra Epiſcopos & presbyteros Chriſtus ante ſuam Aſcenſionem*, & deſignaſſet, & per ſeipſum creaſſet.

Fuſiſſimè Hieronymus epiſt. 85. ad Euagrium aduerſus diaconos inuehitur qui aduerſus preſbyteros efferri vellent.

Ab eo primùm diſce diaconos ex eo tumoris occaſionem accepiſſe.

Primò, quod ad eorum teſtimonium preſbyter ordinari ſoleret, *Sed dicis*, iuquit, *quomodo Romæ ad teſtimonium diaconi presbyter ordinatur.* Subdit autem, *quid mihi profers vnius vrbis conſuetudinem?* Secuudò, quod preſbyteris pauciores eſſent, uam paulò poſt ſubiungit, *quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vindicas? omne quod rarum eſt plus appetitur. Pulegium apud Indos pipere pretioſius eſt; diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles faciat.*

Quem autem morem Eccleſiæ carpit eo loci Hierouymus, is poſtea in Eccleſia Occidentali vſitatus eſſe cœpit, vt patet ex veteri ordine Romauo, & Poutificali, & capite vnico *de ſcrutinio in ordine faciendo.* In Eccleſia tamen Orientali, quod muuus Archidiaconi Romæ fuit in ordinatiouibus, hoc munus Chorepiſcoporum antiquum videtur fuiſſe: qui aſſumpto couſilio preſbyterorum, & diacouorum ad Epiſcopos de ordinaudis referebaut, vt patet ex epiſtola Baſilii Canonica *Chorepiſcopis.* Veterem autem in Eccleſia Romana ante Hieronymum morem fuiſſe, vt Archidiaconus Antiſtiti preſbyteros ordinandos præſentaret, ex eo collige quod auctor quæſtio. *ex vtroque teſtamento*, apud Auguſt. qui quidem quæſt. 44. annos à Natiuitate & Paſſioue Domini, vel certè ab excidio Hieroſolymorum circiter 300. numerat, antiquior proinde Hieronymo & Auguſtino, quæſtioue 101. aduerſus Romanæ Eccleſiæ diaconos declamitans, huius moris meminerit, nec eum ad Romanam Eccleſiam, vt Hieronymus reſtringat, ſed ex eo diacouorum aliquam prælationem iuferri poſſe uégat. Ita enim ſibi obiicit, *Sed teſtimonio*, inquit, *diaconi fit presbyter, quaſi iſtud ad prærogatiuam pertineat magnitudinis, legimus enim ad plebem dixiſſe Petrum Apoſtolum, Eligite, inquit, ex vobis quos conſtituamus deſeruire myſteriis Eccleſiæ*, & paulò poſt, *ita & teſtis poteſt eſſe creandi presbyteri.*

Neque verò adeo multo poſt Hieronymi obitum, Iſidorus Peluſiota ſatis oſtendit, quanta eſſet Archidiaconorum in Oriente poteſtas iu ordinationibus, dum Lucium Peluſii Archidiaconum accuſat, quòd Epiſcopo ipſi morem gerente, nummos ex ordinationibus corraderet ſibique aggereret, lib. 1. epiſt. 29. & lib. 4. epiſt. 118. *eidem Lucio.* In Coucilio quoque Chalcedonenſi act. 10. iu libello Samuelis & aliorum preſbyterorum aduerſum Ibam oblato Concilio legimus prohibitum ab Archidiacono Epiſcopum, ne indignum ordinaret: verba libelli hæc ſuut, μετὰ ταῦτα, οὐκ οἴδαμεν πῶς ὑποπεισθεὶς, ἀπολογίας παρ' αὐτοῦ οὐδαμῶς προχωρησάσης, ἐπιχείρησεν αὐτὸν ἐπίσκοπον χειροτονῆσαι τῆς Βατνῶν πόλεως. καὶ κωλυθεὶς παρὰ τοῦ τηνικαῦτα ἀρχιδιακόνου αὐτοῦ ἠγανάκτησε. *Poſt hoc neſcimus, quomodo perſuaſus ſatisfactione ab eo nullatenus prouenente tentauit eum Batenorum ciuitatis ordinare Epiſcopū, & prohibitus eſt ab eo qui tunc Archidiaconus erat, & indignatus eſt,*

Quæ narratio, quantum auctoritatis habuerit etiam in Epiſcoporum ordinatione, Archidiaconorum teſtimonium in Eccleſia Orientali nemo non videt.

Reſpondet etiam Balſamon ad interrogationem 40. Marci Alexandrini: *Vtrum diaconi præter Archidiaconorum voluntatem Sacerdotalem gratiam poſsint conſequi, an non*, quæ habetur libro 5. iuris Græco-Romani, reſpondet, inquam, *Epiſcopis ordinationum poteſtatem attributam eſſe, oporteret itaque*, inquit, vt ipſorum conſenſu diaconi ſacrarentur, τῷ ἀρχιδιακόνου ὡς συναδέλφου, μόνον παρουσιάζοντος, *Archidiacono tanquam fratre ſolum præſente*, ſeu teſtimonio ſuo ſuffragante.

Diſce præterea ab Hieronymo loco citato iam tum incœpiſſe in Eccleſia Romana diaconos aduerſus presbyteros efferri: ita vt aduerſus presbyteros abſente Epiſcopo ſedere vellent, & in conuiuiis coram presbyteris benedictionem darent, vt legit Gratianus in veteribus editionibus, diſtinct. 93. canone *Legimus*, ſeu quod eodem recidit, *benedictiones dantes omnium conuiuantium nomine conſequenter presbyteris benedicere viderentur*, vt fert lectio vulgata epiſtolæ Hieronymi. *Cæterum*, ait ille, *etiam in Eccleſia Romæ presbyteri ſedent, & ſtant diaconi: licet paulatim increbreſcentibus vitiis inter presbyteros abſente Epiſcopo ſedere diaconum viderim, & in domeſticis conuiuiis presbyteris benedictiones dare.*

Hanc autem præſumptionem iis verbis caſtigat idem ſanctus doctor epiſtola citata. *Diſcant qui hoc faciunt non ſe recte facere, & audiant Apoſtolos* (Actor. 6.) *non eſt dignum vt relinquentes verbum Dei, miniſtremus menſis: ſciant quare diaconi conſtituti ſunt, legant acta Apoſtolorum, recordentur conditionis ſuæ. Presbyter & Epiſcopus aliud ætatis, aliud dignitatis eſt nomen: vnde & ad Titum* (primo cap.) *& ad Timotheum* (epiſtolæ primæ cap. 3.) *de ordinatione Epiſcopi, & diaconi dicitur, de Epiſcopis omnino reticetur, quia in Epiſcopo & presbyter continetur. Qui prouehitur de minori ad maius prouehitur. Aut igitur ex presbytero ordinetur diaconus, vt presbyter minor diacono comprobetur, in quem creſcit; aut ſi ex diacono ordinatur presbyter, nouerit ſe lucris maiorem, ſacerdotio eſſe minorem. Et vt ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri Teſtamento, quod Aaron, & filii eius, atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi & presbyteri vindicent in Eccleſia.*

Prætermitto explicationem rationum Hieronymianarum quæ ſatis ſeipſas produnt, vel ex prædictis intelliguntur.

Vltimum iſtud adnoto, iam tum diaconos contra veterem Eccleſiæ morem ſacerdotibus lucris maiores fuiſſe & ſportulas maiores habuiſſe.

ARTICVLVS II.

Auctoris quæſtionum ex veteri, & nouo teſtimonium profertur, vbi varia circa reuerentiam ſingulis ordinibus exhibitam obſeruantur.

AVCTOR laudatus quæſtionum *ex veteri & nouo Teſtamento*, quæſt. 101. citata plura diſputat aduerſus diaconorum elationem ſuo tempore inualeſcentem, præſertim in Eccleſia Romana, Falcidii cuiuſdam ſcriptum, quo diaconi presbyteris quodammodo coæquabantur vel etiam præferebantur, exagitat iiſdem fere rationibus, quibus Hieronymus, quas repetere ſuperfluum foret: ad illuſtrationem vero præſentis quæſtionis hæc adnotaſſe ſufficiat.

Primùm, nequidem Romæ ſuo tempore diaconos ſedendi inter presbyteros, imò nec ſedendi omnino in Eccleſia (qui honor ipſis abſente Epiſcopo in Laodiceno, aliiſque citatis Conciliis tributus eſt) morem habuiſſe, *Quamquam*, inquit, *Romanæ Eccleſiæ modicè inuerecundiores videantur, ſedendi tamen dignitatem in Eccleſia non præſumunt.*

Alterum, diaconos iſtos potiſſimum videri hanc æqualitatem affectaſſe, non eos qui miniſtrarent in altari, ſed qui Eccleſiaſticarum rerum procurationi, vel regimini inuigilarent, qui ideo miniſterio altaris operam nauare non iubebantur, ait enim, *Vt autem omnia miniſteria obſequiorum per ordinem agant, multitudo facit Clericorum: nam vtique & altare portarent, & vaſa eius; & aquam in manus funderent Sacerdoti, ſicut videmus per omnes Eccleſias, & ſicut conſtitutum eſt à Domino per Moyſem, aut numquid meliores Heliſæo ſunt qui aquam fundebat in manus Eliæ?*

Tertium, huius etiam ambitus notari præſertim Eccleſiæ Romanæ diaconos

quj & Romanis Preſbyteris coæquari aliquantum contenderent, licet tamen in Eccleſia ſedentibus Preſbyteris, vt ſupra vidimus adſtarent, ſed & aliarum ciuitatum Preſbyteris ſublimiorem locum, vel parem ambirent. Subdit enim paulò poſt: *Sed quia Romanæ Eccleſiæ miniſtri ſunt, ideo honorabiliores putantur, quam apud cæteras Eccleſias propter magnificentiam vrbis Romanæ, quæ caput eſſe videtur omnium ciuitatum.*

Probat autem, ſi ex Romanæ Eccleſiæ dignitate habent diaconi quod ſublimentur, habituros potiori ratione Preſbyteros, vt & ſublimiores euadant, *Si itaque ſic eſt hoc, debent*, inquit, *& Sacerdotibus ſuis vindicare, quia ſi ij qui inferiores ſunt? creſcunt propter magnificentiam ciuitatis, quantò magis qui potiores ſublimandi ſunt, quicquid enim officialibus præſtatur, augmentum fit poteſtati, ſicut honor ſerui ad laudem proficit Domini.*

Negat etiam, ex eo quod nobilioris Eccleſiæ ſunt diaconi Preſbyteris alterius Eccleſiæ debere præferri, eoquod, *apud iuſtum iudicem Deum vnicuique hic honor maneat qui decretus eſt ſingulis Eccleſiarum officiis, vt qui diaconus eſt, diaconi honorem per omnes Eccleſias habeat.* Item quia maior ordo intra ſe minorem habet.

Ad hanc ſententiam arrigunt aures quidam Eccleſiæ Romanæ infenſi, & eiuſdem Eccleſiæ Cardinalibus obloquendi occaſionem ſumunt, eumque Canonem, quem in tota iam Eccleſia vſitatum nec ſine ratione immutatum, putant vt ab officio potius & dignitate Eccleſiaſticis ſedendi prærogatiua, quæ ab ordine ſumatur, eum inquam, in ſola Romana Eccleſia, cui honoris Eccleſiaſtici faſtigium, & capitis dignitatem auctor citatus non abnuit, canino dente arrodunt.

Quartam profert idem auctor inter cæteras rationem ad refellendam Preſbyterorum prærogatiuam ſupra diaconos, quæ morem iſtius ſæculi non contemnendum continet, Epiſcopum nempe, Preſbyteros, conſacerdotes, diaconos non fuiſſe ſolitos condiaconos dicere, *Denique*, inquit, *non aliter quàm conſacerdotes hic vocat, & conſacerdotes ſuos: Nunquid & miniſtros condiaconos ſuos dixit Epiſcopus? non vtique: quia multo inferiores ſunt.* Et id in Eccleſia vt plurimum vſitatum credo, quemadmodum, & quod fratres vocarent Presbyteros, diaconos filios. Nam verbi gratia Ignatius epiſt. 13. Heronem diaconum filium ſalutat, Presbyteros fratres vocat. Auguſt. Hieronymum Presbyterum literis omnibus ad eum ſcriptis *fratrem, & compresbyterum* appellat, Preſidium Presbyterum epiſt. 16. *fratrem, & conſacerdotem*: cæteris ſimilibus elogiis donat. Cyprianum diaconum, *filium* appellat epiſt. 10. & 15. Quam loquendi rationem in aliis paſſim obſeruat. Eandem ſanctus Leo religioſe ſectatur, verbi gratia epiſtolâ 10. 12. 15. 18. 19. Iulianum Coënſem Epiſcopum, & Renatum Presbyterum vocat *fratres*, Hilarium diaconum *filium*, Flauinianum & cæteros epiſcopos ſemper *fratres* nominat, epiſtolâ vndecimâ & vigeſimâ Baſilium diaconum *filium* nuncupat. Religioſe etiam id ſeruaſſe videntur varii ſcriptores epiſtolarum quæ epiſtolis Ruricii præfiguntur tomo ſecundo Bibliothecæ Patrum, itemque Ruricus ipſe in epiſtolis ad varios ſcriptis. Nam verbi gratia Fauſtus epiſtolâ ſeptimâ ad Ruricium, *filios, & diaconos ſuos*, in ordine diaconali poſitos vocat: idem Fauſtus epiſtolâ octauâ, Memorium Presbyterum, Cæſarius epiſtolâ decimâ octauâ, Capillutium item Presbyterum: Sedatus alium quoque Presbyterum epiſtolâ decimâ nonâ fratris nomine donant ſemel duntaxat iis epiſtolis; Turentius Epiſcopus epiſtolâ duodecimâ Ruricio ſcribens Ruſticum Presbyterum *filium communem ſui & Ruricii nominat*, vt ita Ruricio honorem deferret, Ruricius verò libro ſecundo epiſtola 13. Presbyterum *fratrem* vocat: eiuſdem vero libro epiſt. octaua & trigeſima nona, & quinquageſima quinta, *fratrem & compresbyterum*, quin etiam libro 2. epiſtola decima miratos fuiſſe qui Sacerdotalis gradus non eſſent, ſi fratres ab Epiſcopis vocarentur, ſatis indicat, dum ait, *Relictis literis meis fortaſſe miraberis, quod venerationi tuæ fratri ſcripſerim, cùm hoc nec ætati noſtræ conueniat, nec honori, quia ſicut me maior es natu, minor es gradu.*

Rationem autem conſilii ſui ſubdit fratrem illum vocaſſe, dicens propter ſtudium perfectionis quod amplecteretur: fuſius in iis morari nolim, ſi monuerim ab hac aliquando regula deflexiſſe ſanctiſſimos præſules: nam verbi gratia Nazianz. epiſt. ad Cæſarienſes nomine patris ſcripta, quæ 23. inter eius epiſtolas legitur, Baſilium presbyterum vocat *filium*. Idem quoque Nazianzenus epiſtola centeſima vigeſima ſexta *Aſterio* Georgium diaconũ τὸν ἀδελφὸν, συνδιάκονον, *fratrem & condiaconum*, ſeu comminiſtrũ & epiſt. 159. *Amphilochio*, & centeſima octuageſima ſecunda Georgio Euthalium *condiaconum*

appellat. Gregorius quoque Magnus Romæ Eccleſiæ diaconos *filios* quidem ſæpe nuncupat, verbi gratia epiſtola 50. lib. 1. indict. 9. & lib. 2. epiſtolas 34. 58. & 66. indict. 11. lib. 4. epiſtola 72. & 30. indictione decima tertia, & libro 5. epiſtola 27. quinquageſima quinta, 57. 58. 59 60. & alibi. Nihilominus communes *filios* nominat Georgium Preſbyterum, & Theodorum diaconum libro 6. epiſtola 4. indictione 15. Candidum Preſbyterum *communem filium* epiſtolâ 53. & 54. libro 5. indictione 13. quod tamen forte honori alterius antiſtitis dedit. Sidonius quoque Apollinaris Donidium (ſi tamen Preſbyter fuit, quem clericum Aruernum fuiſſe conſtat) lib. 3. epiſt. 5. *Aetate fratrem, profeſſione filium* vocat. Euolue ſi lubet paſſim aliorum ſcripta, & exempla propoſitæ denominationis conquire, nos huic rei vacare non conuenit, ſed hanc diſputationem obſeruatione breuiori concludimus, & fratris & filii nomina amicitiæ aliquando fuiſſe: fratris vero potius reuerentiæ cauſa nomen impoſitum fuiſſe, quàm filii. Eo ſiquidem nomine viri illuſtres ab Imperatoribus honorabantur, cuius rei fidem faciunt Theodoſius Nouella *de Tyronibus*, Nouella *de Lampadariis*, Nouella *de principibus agentibus in rebus, de ambitu, & locis limitatis, de metatis, de Patrimonialibus* & aliis, Maiorianus Nouella *de bonis caducis.* Conſtantinus epiſtolâ *ad Porphyrium*, hoc nomine viros illuſtres afficientes, ſed clarius Caſſiodorus lib. 6. epiſtolâ 21. *Additur quod à Principe frater vocaris*, loquens de rectore prouinciæ. ſed hæc obiter notata ſunt.

Quintum, propoſito magis conſentaneum ex eodem auctore quæſtionum ex veteri, & nouo Teſtamento obſeruandum eſt, diaconos aliqua ſacerdotalis officii propria munia ſibi arrogaſſe: *Nunc enim*, inquit, *videmus diaconos temere, quod ſacerdotum eſt, agere per conuiuia & in oratione id velle, vt reſpondeatur illis, cùm illud ſolis liceat ſacerdotibus diaconi ergo ordo eſt ſuſcipere à ſacerdote, & ſic dare plebi, vides quid pariat vana præſumptio.*

Ambigua hæc ſunt variaque ſignificant: forte quod ſibi corpus Chriſti erogandi poteſtatem concedi vellent, & ſibi reſponderi *amen* à communicantibus ex antiqua formula, forte quod benedictiones publicas vellent ſuper populum fundere eiſque iſta ſalutatione *Dominus vobiſcum* bene precari, ita vt reſponderet populus, *& cum Spiritu tuo*; quod ſolis Preſbyteris tunc eſſet proprium, forte quòd orationes publicas vellent dicere, & ſibi populum reſpondere. Certe quicquid illud ſit, in ſignum auctoritatis maioris quam tunc temporis conueniret, arrogare ſibi aliquid volebant, quod auctor iſte tam acriter reprehendit.

Cætera omitto, quæ ad antiquitatis Eccleſiaſticæ illuſtrationem minus faciunt. Ex iis porrò innoteſcit à multo tempore diaconos conatos fuiſſe ſeſe Preſbyteris præferre, & quibuſdam gradibus ad hanc dignitatem, ad quam aliqui ex ipſorum ordine prouecti ſunt, aſcendiſſe.

Neque verò tot decretis Conciliorum eadem diaconorum ambitio omnino coerceri potuit quin variis temporibus repullulaſceret.

ARTICVLVS IV.

Decretum quiniſextæ Synodi quo diaconorum ambitio reprimitur.

AD eam reprimendam quiniſexta Synodus in Trullo Canonem iſtum ſeptimum edidit: ἐπειδὴ δὲ μεμαθήκαμεν ἔν τισι τῶν ἐκκλησιῶν, διακόνους τυγχάνειν ὀφφίκια ἐκκλησιαστικὰ ἔχοντας· ἐντεῦθέν τε τινὰς αὐτῶν αὐθαδείᾳ καὶ αὐτονομίᾳ κεχρημένους πρὸ τῶν πρεσβυτέρων καθέζεσθαι, ὁρίζομεν ὥστε τὸν διάκονον κἂν ἐν ἀξιώματι, τουτέστιν ἐν ὀφφικίῳ τῷ οἱῳδήποτε ἐκκλησιαστικῷ τυγχάνοι, τὸν τοιοῦτον μὴ πρὸ τοῦ πρεσβυτέρου καθέζεσθαι, ἐκτὸς, εἰ μὴ τὸ πρόσωπον ἐπέχων τοῦ οἰκείου πατριάρχου ἢ μητροπολίτου, ἐν ἑτέρᾳ πόλει παραγένηται ἐπί τινι κεφαλαίῳ. τότε γὰρ, ὡς τὸν ἐκείνου τόπον ἀναπληρῶν τιμηθήσεται. *Quoniam in nonnullis Eccleſiis diaconos officia Eccleſiaſtica habere didicimus, & ex hoc nonnullos eorum arrogantia, & licentia fretos ante Presbyteros ſedere, ſtatuimus, vt diaconus etiamſi in dignitate, id eſt in quouis ſit Eccleſiaſtico officio, ante Presbyterum ne ſedeat: preterquam ſi proprii Patriarchæ vel Me-*

tropolitani vicem gerens adſit in alia ciuitate, ſuper aliquo capite, tunc enim vt locum illius implens honorabitur.

Nota exceptionem à Synodo Trullana appoſitam, vt diaconi præferri poſſint ſuperiorum ordioum viris, ſi in aliam ciuitatem vel à Patriarcha, vel à Metropolitano mittaotur, vt vicem illius gerant, nam in propria ciuitate vicem Epiſcopi Metropolitani aut Patriarchæ minime diaconus gerere poteſt, ſed Presbyter; Epiſcopus verò Legatos in alias ciuitates, in quibus alii præſideant Epiſcopi, mittendi qui vicem ſuam teneant, conſuetudinem non habebat, atque ita iure merito Metropolitani, vel Patriarchæ legatos excipit Synodus, qui quamuis in ordine taotum ſint diaconatus, tamen cæteris præferuntur dum Patriarchæ vel Metropolitani vice iuriſdictiooem exercent. Sic enim verbi gratia legimus Cyprianum diaconum in varias ciuitates à Gregorio miſſum cum auctoritate, libro 4. indict. 13. epiſt. 22. 27. 28. lib. 1. indictiooe ſequenti, epiſt. 13. & 20. libro 6. indict. 15. epiſt. 19. 38. & 41. Caſtorium diacooum epiſt. 24 eiuſdem libri. Sabioum libro 7. indictiooe 2. epiſt. 46. & alios, imo & ſubdiaconos quoſdam miſſos legimus, quos omnes Romani Pontificis locum teoentes etiam io Epiſcopos inquiſiuiſſe, & imperium exercuiſſe ex iiſdem epiſtolis colligimus, nec dubitamus quin eo titulo iiſdem etiam præferrentur; ſed hæc alterius ſunt inſtituti.

Ad hanc exceptionem ſpectat, quod diaconi, ac presbyteri miſſi à Patriarchis, Metropolitaois, Epiſcopis nomine eorum à quibus mittebantur, etiam ante alios Epiſcopos ſubſcripſiſſe legantur in variis Conciliis, verbi gratia Epheſino, Chalcedonenſi, aliiſque: quod licet grauiter tulerit Emeritenſis Synodus in Hiſpania Canone 5. prohibeos diaconos ab Epiſcopis ad Concilia Epiſcoporum nomine mitti, ne in contemptum Presbyterorum cum Epiſcopis ſedere viderentur, tamen hoc decretum vim in Hiſpania ipſa non obtinuit, ſed mox cootrario vſu abrogatum eſt, vt ſuperiùs docuimus probaotes Hierarchicam diacooorum in Eccleſia auctoritatem.

§. IV.

Decretum Alexij Comneni, & Balſamonis teſtimonium, & variæ obſeruationes circa morem Græcorum.

SIMILITER nec Synodus Trullana huic controuerſiæ finem impoſuit, nam conſtitutionem Alexii Comneni referr Balſamon in Canonem 18. Nicænum, cuius meminit in Canonem 17. Trullaoum, quâ ambiguum, vt refert eadem conſtitutio, priuilegium Carthophylacis firmatur, vt qui hac dignitate ornatus eſſet, licet ex diaconorum ordine, tamen io congregationibus, præterquam in diuino altari, ante Presbyteros, imò & Epiſcopos ſederet. Eiuſdem contentionis meminit in meditatiooe *de officio Defenſoris & Chartularij*, ex quibus hæc præcipue notanda ſunt.

Primùm, hanc peruulgatam quæſtionem multa diuerſis temporibus excitauiſſe ſcandala, variéque diſceptatam fuiſſe ioter Chartularium, & Pontifices ſolii Conſtantinopolitani.

Alterum, Patriarchale Coocilium Pontificibus fauiſſe. Tertium, Alexium Comoenum eo tempore pro Chartulario pronuntiaſſe ſolo conſuetudinis prætexto, & Canonum diſtortione.

Quartum, Occidentales Epiſcopos huic præſertim edicto renitteotes iuſſos ab Alexio in ſuas Eccleſias proficiſci, ex eadem conſtitutione, qualis refertur ab ipſo in Canonem 18. Nicænum.

Quintum, longam conſuetudinem Principis edicto ſtabilitam viguiſſe, ita vt Chartularius quibuſlibet Epiſcopis etiam ὑπέρτιμον, καὶ πρωτοσυγκέλλου ἀξίωμα, ſeu *ſuperhonorati, & protoſyncelli dignitatem* habentibus præpooerentur.

Sextum, non probari à Balſamone, quod ſola conſuetudine aduerſus Canones prima iſta ſeſſio Chartulario deferretur, quippe cùm conſuetudo etiam in iudicio probata, & examinata valere non debeat aduerſus ſacros Canones, cui ea in re faueot lex 34. digeſtis *de legibus*, & lex tertia, Codice *quæ ſit longa conſuetudo*.

Septimum, cooari Balſamonem Canooum auctoritatem eludere Nicæni quidem, quaſi prima ſeſſio diaconis tantum in altari prohibita ſit iſto Canone: Trullani verò

Digitized by Google

quia cùm Chartularius Patriarchæ os cenſeretur, eius vicem gerebat: rationi autem conſentaneum eſſe, vt qui alicuius perſonam ſuſtinent, eius loco ſedeant, & inſignia geſtent.

Octauo, Cardinalium exemplo id probare qui pileis aureis ornarentur, veluti Papæ perſonam repræſentantes, eiuſque iura fulcientes: prioris vero ſeſſionis Cardinalium ante Epiſcopos non meminit, forte quod nondum vſitata eſſet, ſed inuecta poſtea fuerit, nè Cardinales Romanæ Eccleſiæ minus honoris haberent quàm Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ officiales, omnes enim præcipuæ dignitates in Eccleſia Conſtantinopolitana quas ἐξωκατακοίλους vocant Balſamon citata *meditatione*, Ioannes Epiſcopus Citri *ad Conſtantinum Cabaſilam*, reſponſione ad interrogationem 8. Codinus *de officiis*, cap. 9. num 4. auctor actorum Concilii Florentini, & alii; omnes inquam illi videntur in Synodo Patriarchali etiam Epiſcopis prælati.

Primò enim, ſi hæc prærogatiua Cartophylaci collata eſt, qui à ſuperius laudatis Balſamone, Citrio, Codino 4. etiam loco poſt magnum œconomum, magnum Sacellarium, & magnum Scenophylacem numeratur: probabile non eſt, eum, qui ab iſtis dignitatibus præcedebatur, Epiſcopis priorem locum obtinuiſſe, quin & ipſi ſaltem obtinuerint.

Secundò, quia de omnibus Exocatacœlis ait Codinus cap. 1. οὗτοι καθέζονται ἐν τῇ θείᾳ καὶ ἱερᾷ συνόδῳ μετὰ τοῦ ἀρχιερέως, *iſti ſedent in ſacra Synodo cum Patriarcha.* Nihilominus in Synodo œcumenica Florentina videntur poſt Epiſcopos ſediſſe: prima enim ſeſſio habita ſcribitur παρακαθημένου ἐν αὐτῷ τοῦ βασιλέως, τῶν καρδιναλέων, καὶ πάντων τῶν ἀρχιερέων. καὶ τῶν ἐξωκατακοίλων. Iidem tamen pari cum Epiſcopis honore affecti in ſalutatione Papæ referuntur, quibuſcum nempe Epiſcopi Papæ ſedentis dexteram, atque genam dicuntur oſculati.

Illi porro exocatacœli è diaconorum ordine erant, quamuis olim Sacerdotes fuerint, nam ſi credimus eidem Codino cap. 9. num. 4. olim ipſi Sacerdotes erant, ſub ſe habentes clerum & Eccleſias gubernantes, ſed quia feſtis & illuſtribus diebus in propriis Eccleſiis occupari eos contingebat, Patriarcha quidem, nè honoratioribus deſtitueretur miniſtris, eos ex diaconorum ordine eſſe voluit, idcirco Exocatacœlos ipſos vocat Cabaſilas διακόνους ἔχοντας ἀρχοντικὰ ἐκκλησιαστικὰ ὀφφίκια, *Diaconos habentes principalia Eccleſiaſtica officia.*

Hæc maxima diaconorum ordinis prouectio fuit, ex quo tantæ dignitatis & excellentiæ miniſtri aſſumpti, qui etiam Epiſcopis præirent.

ARTICVLVS V.

De prærogatiua S. R. E. Cardinalium.

EORVM exemplo videtur ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus etiam ante Epiſcopos, ordo ſedendi ac procedendi attributus, quem Eugenius IV. in Bulla, *Non mediocri, magiſtro Henrico Archiepiſcopo Cantuarienſi*, num. 11. antiquis Conc. generalibus præſertim in duobus Lugdunenſibus, in vno præſidente Greg. IV. in altero Gregor. X. vſitatum fuiſſe teſtatur, item in Anglia delatum à multo tempore fuiſſe contendit, aduerſus eundem Henricum cedere nolentem Vvitonienſi Epiſcopo ad hanc dignitatem promoto: ante tempora verò Conciliorum Lugdunenſium vix apparet in vllis Conciliis Cardinalibus præterquam Legatis Sedis Apoſtolicæ, quibus ſemper hic honor ante Patriarchas ipſos habitus eſt, priori loco ſedendi priuilegium fuiſſe conceſſum.

Hoc vero exemplo ordinum ſacrorum Hierarchia minus turbata eſt, quam apud Græcos qui priores dignitates Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ diaconis addixerunt, cum iuſtior multo Romanæ Eccleſiæ mos hic fuerit, vt eum Summo Pontifice Cardinales Epiſcopi prioribus locis ſederent, hos ſequerentur Preſbyteri, infra quos diaconi Cardinales, *Itavt*, inquit prædicta bulla Eugenius, *in hac Romana Eccleſia tres conſtituerentur ordines adſiſtentium Papæ, qui purgantium, illuminantium, & perficientium*

fungerentur officio, veluti ſunt diaconi, presbyteri, & Epiſcopi Cardinales.

Quòd autem ij tres ordines cæteris poſtea reliquarum Eccleſiarum Epiſcopis, preſbyteris, diaconis prælati fuerint, factum in honorem Romanæ Eccleſiæ, quæ cum cæteris tanquam Hierarchia quædam Eccleſiis antiſtet, cæteris ordinibus reliquarum Eccleſiarum etiam prælata eſt.

Quòd ſecundùm ordinem qui iam in Eccleſia ſeruatur, vt officium ac dignitas, ſiue iuriſdictio præponderet ordini, ratione cuius Archidiaconus præfertur Archipresbytero, & electus Epiſcopus quamuis in inferioribus ordinibus, presbyteris quibuſlibet, graue aut moleſtum cuiquam eſſe non poſſe monet Eugenius prædictus nu. 13. *Cardinales Epiſcopis præferri, qui Romano Pontifici adſiſtentes etiam de Epiſcopis cum eo iudicant, & vniuerſo Eccleſiæ bono ſatagendo proficiuntur.*

Hæc ratio olim ceſſabat; nam nec presbytero in Epiſcopos, nec diacono in preſbyteros ordinaria iuriſdictio concedebatur, ideoque nec ratione iuriſdictionis presbyter Epiſcopo, presbytero diaconus præferri ambiebat, qui ordine inferior eſſet.

Verùm quoniam in presbyteros progreſſu temporis, & longa Eccleſiæ conſuetudine diaconi tandem imperium ac iuriſdictionem conſecuti ſunt, quomodo id factum fuerit breuiter à nobis explicandum eſt.

CAPVT III.

Quomodo diaconorum auctoritas & iuriſdictio progreſſu temporis ad Clericos ſuperiorum ordinum extenſa fuerit.

ARTICVLVS I.

Diaconos olim in ſolos diaconos & inferiores miniſtros poteſtatem habuiſſe, iiſque prælatos fuiſſe.

QVICVMQVE olim ex ordine diaconorum dignitate aliqua eminebant, in ſolos ordinis ſui diaconos, vel inferiorum ordinum miniſtros imperium Eccleſiaſticum exercebant. Conſtitutiones Apoſtolicæ libro 8. capite 28. non in presbyteros, ſed in inferioris ordinis miniſtros extenſam fuiſſe eorum poteſtatem demonſtrant iis verbis, διάκονος ἀφορίζει ὑποδιάκονον, ἀναγνώστην, ψάλτην, διακόνισσαν, ἐὰν ᾖ τι τοιοῦτον μὴ παρόντος πρεσβυτέρου. *Diaconus excommunicat hypodiaconum, lectorem, & cantorem, & diaconiſſam, ſi hoc facere opus ſit abſente presbytero.* Dionyſius epiſtola ad Demophilum citata Epiſcopos ab Epiſcopis, presbyteros à presbyteris, non autem à diaconis corrigi poſſe expreſſe aſſerit. Ignatius epiſtolis pluribus, ex quibus aliqua ſuperiùs citauimus, Epiſcopis presbyteros, presbyteris diaconos, diaconis nonniſi inferioris gradus Clericos paruiſſe teſtatur. Synodus Romana eiuſdem veſtigiis inſiſtens ſub Silueſtro Canone 7. apud Gratianum diſtinctione 93. Canone *à ſubdiacono*, Burcbardum libro ſecundo Canone 224. Iuonem parte ſexta Canone 299. Anſelmum libro ſeptimo capite 66. iuſſit, vt *à ſubdiacone vſque ad lectorem omnes ſubditi ſint diacono Cardinali vrbis Romæ.* Iſidorus Pelnſiota libro 1. epiſt. 29. & libro 4. epiſt. 188. Archidiaconi commendat poteſtatem quod Dei permiſſu diaconis præeſſet, ſic enim vtrobique vix vna ſyllaba mutata reſcribit, οἱ ὀφθαλμοὶ ἐπισκόπου τυγχάνουσιν οἱ τοῦ σεπτοῦ θυσιαστηρίου διάκονοι, σὺ δὲ τούτων κατὰ θεοῦ συγχώρησιν ἀρχῆς, ὅλος ὀφθαλμὸς ὀφείλεις ὑπάρχειν, *oculi ſunt Epiſcopi venerandi altaris diaconi: tu vero cùm horum ſis permiſſione diuina princeps, totus oculus eſſe debes.* Ideo Archidiaconus dictus non tam quod diaconus Princeps, quam quòd Princeps diaconorum, cæterorumq; ſub eis conſtitutorũ miniſtrorum eſſet. Theodor. lib. 1. Eccleſiaſt. hiſt cap. 16. Athanaſ. Alexandrinæ Eccleſiæ Archidiaconum τοῦ χόρου τῶν διακόνων ἡγούμενον, *Choro diaconorum præſidentem* vocat: ſcilicet quia eorum collegio præficiebatur. Canon etiam Nicænus 57.

ex Arabicis tranſlatus, hanc diaconorum in diaconos ſingularem poteſtatem nobis ob oculos ponit iis verbis, *In omnibus vero quæ ad diaconos ſpectant, quibus præeſt Archidiaconus, ſiue quid inimicitiæ aut peccati aut litis intereos ortum fuerit, aut aliud quid, quod ad iudicium eius neceſſario pertineat, nihil referat Archidiaconus ad Epiſcopum, ſed ipſe potius eorum controuerſias dirimat: ſiquidem ſub poteſtate eius ſunt diaconi.*

Leguntur innumera veteris æui exempla poteſtatis diaconorum in fideles & miniſtros; nullum eorum poteſtatis in presbyteros, ſed tantum in graduum inferiorum viros ac populos animaduertimus: Ideóque recte de ſuo tempore loquens docuit Petrus Bleſenſis epiſt.123. *Richardo Londoninenſi Epiſcopo*, quo quidem Archidiaconus ex ordine diaconorum eſſe debebat, ſui temporis morem à veteri conſuetudine longe diſcrepare docet; *Nam*, inquit, *dignitatis turbato ordine Archidiaconi hodie Sacerdotibus præeminent, & in eos vim & poteſtatem ſuæ iuriſdictionis exercent, eapropter Archidiaconum in presbyterum promoueri non eſt honorem eius augeri, ſed minui.* Et paulò poſt, *Si diligentius attendatur Archidiaconorum præemenentia, & depreſſio ſimplicium ſacerdotum quædam degradationis ſpecies eſt in Archidiaconis iſta promotio.*

ARTICVLVS II.

Origo prælationis Archidiaconorum ſupra Presbyteros in Gallia.

VIGVISSE videtur iſta Eccleſiæ praxis ſaltem ad vſque quintum ſæculum quo ſæculo in Gallia, ſicut & in aliis deinceps prouinciis Archidiaconorum dignitas ſupra presbyteros accreuiſſe videtur, ita vt presbyteros iudicarent, vel ſaltem in eos inquirerent, eorum crimina deferrent, Epiſcopalibus iudiciis ſiſterent, & ſententiam in eos latam executioni demandari curarent atque aliqua etiam imperarent, quæ ad officium Eccleſiaſticum pertinerent.

Concilium Agathenſe habitum anno 56. Can. 20. *Clericos qui comam nutriunt ab Archidiacono etiamſi noluerint, inuitos detonderi præcipit.*

Vtrum Clericorũ nomine indefinito etiam presbyteri intelligantur incertum eſt, ego non intelligendos arbitror. Archidiaconum Eccleſiæ ordinationi præponi idem Conc. docet Can. 23. quod ad commendationem ipſius officii valet, non ad præfecturam ſupra presbyteros oſtendendam. A quo tempore conſcripti ſint Nicæni Canones Arabici, incertum eſt; videntur certe antiqui, ſed non à tempore Concilii Nicæni abſque vllo additamento vel immutatione permanſiſſe.

Ex iſtis vero Canonib. 57. & 58. Archidiacono etiam ante Chorepiſcopum & cæteros presbyteros ac diaconos ſedendi prærogatiuam, & conſentaneè Agathenſi conſtitutioni vniuerſæ ordinationi Eccleſiæ præſidendi poteſtatem tribuunt.

Vir clariſſimus Ioannes Sauaro notis in epiſt. 11. & 25. lib. 4. Sidonii Apollinaris, putat Archidiaconos preſbyteros, & ſecundi ordinis Sacerdotes à Sidonio dictos fuiſſe. Neutrum meo iudicio ſufficienter probat. Nam nec diu poſtea Archidiaconos ſolitos presbyteros conſecrari, ſed ſtatim atque ordinarentur presbyteri, dignitate Archidiaconali excidiſſe, patet exemplo tum Ætii diaconi, quem eodem fere tempore quo Sidonius floruit, S. Leo epiſt. 56. 57. 58. queritur ab Anatolio presbyterum factum, vt Archidiaconatus munere priuaretur; tum Honorati Salonitani Archidiaconi, quem S. Gregor. integro poſt Sidonium ſæculo ſimiliter queritur epiſt. 10. & 20. libro 2. indict. 10. aliiſque pluribus ordinatum presbyterum, vt ab iſto officio deiiceretur: tum ex ipſo Sidonio qui de Ioanne Cabilonenſi electo Epiſcopo, ait eum *multum retentum in diaconi gradum propter induſtriam, diu dignitate non potuiſſe augeri, ne poteſtate poſſet abſolui*, libro 4. epiſt. 25. citata: vnde cùm ſubiungit, *attamen hunc iam ſecundi ordinis Sacerdotem* electum fuiſſe in Epiſcopum, oſtendit diu quidem ipſum in Archidiaconatus munere manſiſſe, nè per ordinationem ad Sacerdotium à poteſtate Archidiaconi abſolueretur, tandem tamen in Sacerdotem ordinatum fuiſſe, & à poteſtate ac cura Archidiaconi ſimul liberatum, cùm in Epiſcopum electus eſt, non autem vt contendit Sauaro, ſimul & presbyterum & Archidiaconum fuiſſe. Nam ſi hæc ex conſuetudine Eccleſiæ conſiſtere

potuiſſent, non opus fuiſſet tantopere differri ordinationem eius in presbyterum, quatenus in officio Archidiaconi permaneret. Primum itaque argumentum Sauaronis in in ipſum retorqueri poteſt, vt probetur Archidiaconos nullos presbyteros fuiſſe, aut ſecundi ordinis Sacerdotes, ſed deſiiſſe eſſe Archidiaconos, cùm ſecundi ordinis eſſent conſecrati.

Secundum ſimiliter eius argumentum nullius eſt ponderis. Neque enim Claudianum Mammercum S. Mammerci Viennenſis fratrem Archidiaconum fuiſſe credimus, ſed presbyterum, quod vtique teſtantur Gennadius *in Catalogo*, c. 83. & S. Ado Viennenſis *in Chronico*: presbyterum autem eum fuiſſe cæteris prælatum, & præpoſitum, ſeu vt loquitur Sidonius epiſt. 11. citata, *Fratris Epiſcopi conſiliarium in iudiciis, vicarium in Eccleſiis, procuratorem in negotiis*, de quo proinde in carmine paulò poſt rectè cecinit.

Antiſtes fuit ordine in ſecundo
Fratrem faſce leuans Epiſcopali.

Tertium autem eius argumentum ex eo petitur, quòd S. Iuſtus, quem S. Gregor. Turon. libro 1. hiſt cap. 45. & Chartelacei codices Illidiani Cœnobii Archidiaconum S. Hillidii Aruernenſis Epiſcopi fuiſſe teſtantur, nominetur Epiſcopus in area marmorea, cum hoc titulo, *Ibi requieſcit S. Iuſtus Aruerniæ vrbis Epiſcopus*: vnde infert etiam Archidiaconos, vtpote presbyteros, Epiſcopi nomine donatos fuiſſe.

Valeret vtique hoc argumentum ſi non recens, ſed antiqua arca marmorea, ſi non ab imperito, vt ſuſpicari fas eſt, titulus iſte inſculptus foret. Sed quia in eo titulo errati ſuſpicio non mediocris ex dictis ſuboriri poteſt, ideo nullatenus inſcriptione moueor.

Quamuis vt ingenuè fatear, mallem eum quod Epiſcopi adiutor fuiſſet, Epiſcopum ideo dictum (quemadmodum Choreſpicopum olim Archidiaconum Sigebertus *in Chronico*, vbi de Damaſo Papa, admiſit) quam Archidiaconum presbyterum aut ſecundi ordinis ſacerdotem admittere. Nec repugnat eum primo Hillidii Epiſcopi Archidiaconum, poſtea presbyterum adiutorem, aut Chorepiſcopum fuiſſe. Conſtat autem ex iis quæ de Ætio & Honorato Archidiaconis diximus, jam tum Archidiaconi poteſtatem tantam fuiſſe exiſtimatam, vt per promotionem ad presbyterorum ordinem, *degradari quodammodo*, vt ait Gregor. *diaconus videretur*. Conſtat etiam ex iis quæ ex Sidonio Cabilonenſi Archidiacono protulimus, Archidiaconum poteſtatem maiorem, & ſollicitudinem ampliorem presbytero habuiſſe, ſed dignitatẽ maiorem presbyterorũ fuiſſe. Conc. Aurelianenſe 4. anno 541. ſub Childeberto Rege Can. 26. Clericos ab Archidiacono corrigi præcipit, iubet enim, vt *Si quæ parochiæ in potentum domibus conſtitutæ ſunt, ubi obſeruantes Clerici ab Archidiacono ciuitatis admoniti ſecundum qualitatem ordinis ſui fortaſſe quod Eccleſiæ debent ſub ſpecie Domini munus implere neglexerint, corrigantur ſecundum Eccleſiaſticam diſciplinam, &, ſi ab agentibus vel ab ipſis rei Dominis de agendo officio Eccleſiæ in aliquo prohibentur, auctores nequitiæ à ſacris ceremoniis arceantur, donec ſubſecuta emendatione, in pace Eccleſiaſtica reuocentur.* Poteſtatem eo Canone Archidiaconorum in Clericos indefinite animaduerto: ſed nondum aperte video eamdem ad presbyteros, niſi forte ad eoſdem inquirendos, & Epiſcopo deferendos poteſtatem ipſis collatam fuiſſe.

Fortior vtique ex Concilio Antiſſiodorenſi habito anno 578. ab Amachario Epiſcopo, regnante Chilperico Francorum Rege, in fauorem Archidiaconorum probatio ducitur.

Primum enim Can 20. ſtatuitur, *Quod ſi presbyter, quod nefas eſt dicere, aut diaconus, aut ſubdiaconus, poſt acceptam benedictionem infantes procreauerit, aut adulterium commiſerit, & Archipresbyter* (de vicano loquitur non de ciuitatenſi) *hoc Epiſcopo aut Archidiacono non innotuerit, ſi ſcit, integro anno non communicet: illi vero qui hoc commiſerint deponantur.*

Quo quidem Canone non ſolum inferiorum Clericorum deliquentium, verum etiam presbyterorum nomina ad Archidiaconum, vel ad Epiſcopum deferri vſitatum conſtat, & vicanis Archipresbyteris ſuperiores Archidiaconos exiſtimatos fuiſſe, apud quos nempe presbyteros accuſarent. Deinde Canone 43. decernitur, vt *Quicumque iudex, aut ſæcularis presbytero, aut diacono, aut cuilibet de clero, aut de iunioribus abſque voluntate Epiſcopi, aut Archidiaconi, vel Archipresbyteri iniuriam inferre præſumpſerit, anno ab omnium Chriſtianorum conſortio habeatur extraneus.*

Duo enim circa hunc Canonem obſeruo: primùm, Archidiaconum ante Archipreſbyterum tanquam digniorem numerari: alterum ſupponi pœnam aliquam per ſæcu-

larem infligi potuiſſe presbyteris aliiſqueinferioribus clericis ex voluntate Epiſcopi, Archidiaconi vel Archipresbyteri, quod vltimū arguit poteſtatem Archidiaconoiū iam tum in presbyteros ipſos viguiſſe: ſaltémque illis mandari ſolitum, vt latam ab Epiſcopo ſententiam executioni demandari curarent. Quemadmodum in monaſteriis Cabilonenſe primum Canone 11. ſatis indicat etiam Archipresbyteris poteſtatem fuiſſe, vt iudices laïcos ad infligendam Monacho damnato pœnam ad monaſteria ipſa aduocarent. In eodem verò Cabilonenſi primu Canone 14. reprehenduntur illi, qui clericos qui ad oratoria deſeruiunt, ab Archidiacono coërceri minimè permitterent. Ex iis vero aliquos presbyteros fuiſſe haud dubium eſt: eos ergo ab Archidiaconis coërceri potuiſſe mos iſtius temporis fuit. Habitum autem à Sirmundo hoc Concilium ponitur anno Chriſti 650. & ſexto regni Clodouæi II. Francorum Regis.

Concilium vero Matiſconenſe primum ante Cabilonenſe habitum anno ſecundum eundem Sirmondum 581. ſub Pelagio II. eandem Archidiaconorum auctoritatem exhibet, dum capite octauo ſtatuit, vt *Nullus Clericus ad iudicem ſæcularem, quemcumque alium fratrem de clericis accuſare, aut ad cauſam dicendam trahere quocumque modo præſumat, ſed omne negotium clericorum, aut in Epiſcopi ſui, aut in presbyterorum, vel Archidiaconi præſentia finiatur. Quod ſi quicumque clerus hoc implere diſtulerit, ſi iunior fuerit, vno minus de quadraginta ictus accipiat, ſin certe honoratior, triginta dierum concluſione mulctetur.*

Patet etiam honoratiores è Clero (quo nomine presbyreros, Abbates, Leuitas, comprehendi indicat Bracharenſis tertia Synodus Canone ſexto) ab Archidiacono iudicari potuiſſe inſequenti tempore. Concilium Metenſe ſub Pepino Rege Canone 3. *de presbyteris*, inquit, *& clericis ſic ordinamus, vt Archidiaconus Epiſcopi eos ad Synodum commoneat, vnà cum comite & ſi quis contempſerit, Comites eum diſtringere faciat, vt ipſe presbyter, aut defenſor ſuus ſexaginta ſolidos componat.*

Concilium Cabilonenſe ſecundum ſub Carolo Canone 15. *Dictum eſt etiam quod in pleriſque locis Archidiaconi ſuper presbyteros parochianos quondam exerceant dominationem, & ab eis cenſus exigant, quod magis ad tyrannidem quam ad rectitudinis ordinem pertinet. Si enim Epiſcopi iuxta Petri Apoſtoli ſententiam non debent eſſe dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo, multo minus iſti hoc facere debent: ſed contenti ſint regularibus diſciplinis, & quod ab eis ab Epiſcopis iniungitur, hi per parochias ſuas exercere ſtudeant nihil per cupiditatem & auaritiam præſumentes.* In Concilio Sueſſionenſi ſecundo ſubſcribit aliquis *ſeruans locum Archidiaconi.* Quaſi ſuo iure Archidiaconus ſubſcribere poſſet. Idem Monachos & Presbyteros ad audientiam Epiſcopi deducit canone quinto eiuſdem Concilii. In Valentino ſub Carolo Caluo Archidiaconus ante præpoſitum nominatur.

Quæ omnia confirmantur ex Conſtitutionibus Regiis Caroli Magni. Nam libro 5. capitularium Canone 9. ex Metenſi Concil. verbis parum immutatis, ſed diuerſo ſenſu lex iſta promulgatur, *De presbyteris & Clericis ſic ordinauimus, vt Archidiaconus Epiſcopi eos ad Synodum conuocet, & ſi quis ire contempſerit, tunc comes iuſſione Epiſcopi monitus eum diſtringere faciat.* Capitulare vero 121. eiuſdem lib. Concilii Antiſſiodorenſis citati Canonem 43. penitus ex ſcripſit. Capitulare tandem eiuſdem Caroli anno 11. regni ipſius editum, relatum in additione 4. Ludouici Imperatoris capite 49. eiuſdem conſuetudinis fidem facit ſtatuens, vt *prouideant Epiſcopi ne cupiditas Archidiaconorum culpas nutriat Sacerdotum, quia multis modis mentitur iniquitas ſibi.*

Quibus adde Lotarii III. Imperatoris bullam in priuilegio S. Seruatii Traiectenſis, *Et conſuetudo longo vſu in habitum conuerſa, vt presbyter parochiæ S. Seruatii, & presbyter parochia S. Mariæ præſidente Archidiacono communiter habeant Synodum in Eccleſia ſanctæ Mariæ.*

Innumera alia ſunt quæ ex more Eccleſiæ Gallicanæ de Archidiaconis dici poſſunt. Duo ſolum ſubtilius explicanda adiungo, quæ prædictis videntur officere.

Primùm, libellum quendam veterem in appendice hiſtor. Flodoardi de miniſtris Eccleſiæ Remenſis, quos inordinatè Elbo Epiſcopus inuenit, &c. omnium Eccleſiæ Remenſis dignitatū officia ſigillatim & accurate explicare. Primò, quidem loco præpoſitū vt digniorem nominat. Secūdò Archidiaconū, ante Chorepiſcopum, Archidiacono autem hoc officium tribuit, *Gradus Eccleſiaſticos ſumma cum prouidentia ætatum & meritorum ordinare: de tempore in tempore nominibus certis vniuſcuiuſque officium de omni regione præfigere, ſubtiliterue merita probare, & gratiam S. Spiritus vnicuique inueſtigando miniſtrare*, &c.

Circa

Digitized by Google

Circa quam officiorum Archidiaconi deſcriptionem tria obſeruo, quæ ad propoſitum pertinent. Primum officium Archidiaconorum Eccleſiæ Remenſis, ſi vera narrat iſte libellus, in formandis potiùs Clericis inferioribus, & inſtruendis *vſque ad conſecrationem Presbyteri*, (vt ibidem poſteà ſubditur) quàm in Preſbyteris gubernandis ac dirigendis (quod officium Chorepiſcopo idem libellus aſſignat) occupatum fuiſſe. Alterum, tamen Archidiaconum Chorepiſcopo fuiſſe in honore ac dignitate prælatum. Tertium, Presbyterorum correctionem nequaquam eis videri eo libro permiſſam. Tribuit enim Archidiacono, vt poſſit *pro neglecta lectione aut officia gradus ſui à Diacono vſque ad infimum excommunicare, etiam & iuuenculos talibus pro exceſſibus verberibus arcere.* Quibus verbis videtur limitare poteſtatem coercitiuam Archidiaconorum, vt tantùm ad Diaconos & cæteros inferioris gradus, non autem ad Preſbyteros extendi poſſit.

Alterum, Hincmarum Remenſem qui Ebboni depoſito in eadem cathedra ſucceſſit, à quo Ebbone prædictus liber videtur fuiſſe conſcriptus, vel ab aliquo eiuſdem contemporaneo, Capitula tredecim anno Incarnat. Dom. 874. dediſſe *Gunthario & Odelhardo Archidiaconibus Presbyteris*, ex quibus ius viſitationis & Synodi & eligendorum Decanorum, & in Presbyteros iuriſdictionem ampliſſimam Archidiaconos habuiſſe manifeſtiſſimum eſt: totúmque illorum officium, vel potiſſimùm in Parochiis viſitandis, & iis quæ à Presbyteris fiebant, vel in Parochiis animaduerſione aut prouidentia eorum digna erant, inquirendis verſatum fuiſſe: vno verbo, ea omnia præſtare quæ Chorepiſcopis prædictus libellus Ebbonis attribuit.

Quæ cùm attentiùs conſidero, in rebus vix differentiam, ſed tantùm in nominibus animaduerto: nam & præpoſitum Canonicorum in Eccleſia Remenſi nominat Flodoardus libello 3. hiſt. cap. 28. & Theodacium præpoſitum, & Rodardum Canonicorum item præpoſitum, ad quos literas ſcripſerit Hincmarus, ex quibus literis eadem officia, quæ præpoſito libellus tempore Ebbonis conſcriptus attribuit, penes præpoſitum viguiſſe innoteſcit. Chorepiſcopum quoque & Archipresbyterum nominat idem Flodoardus, ad quos ſcripſerit Hincmarus, quibus ſcilicet ea demandarit quæ in citatis capitul. *Archidiaconis Presbyteris* inſcriptis, ex officio conueniſſe colliguntur.

Quin etiam ad omnem tollendam dubitationem Flodoardus eodem cap. refert, Hincmarum *Gunthario & Odelardo Archipresbyteris* commonitorium miniſterio ipſorum aptum deſcripſiſſe in capitulis tredecim. Iiſdem autem inſcribuntur citata capitula, numero ſimiliter tredecim, quæ habentur tomo 3. Conciliorum Galliæ. Itaque eadem illa eſſe oportet, quorum meminit Flodoardus, & Archipresbyteris data aſſerit. Ex quibus colligo eoſdem qui *Archidiaconi Presbyteri* dicti ſunt, Archipresbyteros, imò etiam Chorepiſcopos videri dictos in Eccleſia Remenſi. Archidiaconos quidem, quòd eadem officia præſtarent, quæ Archidiaconi ex ordine Diaconorum in cæteris Eccleſiis obire ſolerent; Presbyteros verò Archidiaconos dictos, quòd in Eccleſia Remenſi nonniſi ex ordine Presbyterorum eligerentur; ideóque eoſdem propter ordinem Presbyterij Archipresbyteros, propter Epiſcopalis miniſterij participationem Chorepiſcopos appellatos.

Scilicet Remenſem Eccleſiam, quam Stephanus Tornacenſis epiſt. 160. Magiſtro R. Remenſi Decano ſupra cæteras Regni Eccleſias diſciplinâ præcelluiſſe prędicat, vbi vidit Archidiaconorum poteſtatem in Presbyteros Eccleſiæ vſu confirmatam; Canonum verò antiquorum auctoritate Diaconis iuriſdictionem in Presbyteros interdictam; vt & Canones antiquos ſeruaret, nec ab Eccleſia recepto vſu abhorreret, ſtatuiſſe probabile eſt, vt Archidiaconi ex Presbyterorum ordine eligerentur, eámque ob cauſam & *Archidiaconos Presbyteros*, & *Archipresbyteros*, & *Chorepiſcopos* eoſdem nominaſſe. Eandem tamen Archidiaconum alium habuiſſe ex Diaconorum ordine, qui omnibus Eccleſiaſticis officiis rectè & conuenienter obeundis inuigilaret, quod officium Archidiacono attribuit Iſidorus epiſt. *ad Leudifredum* mox citandâ, & Diaconos atque inferiores Clericos Eccleſiæ Cathedralis ſui officij admoneret, ac delinquentes puniret, quos nempe inferiores Clericos idem Iſidorus Archidiaconos ſimiliter, Primicerio & Theſaurario ſecundum diuerſas claſſes ſubiecit.

ARTICVLVS III.

Origo præeminentiæ Archidiaconorum ſupra Presbyteros in Hiſpania.

HIs gradibus Archidiaconorum officium ad illud dignitatis ſupra Presbyteros faſtigium, ad quod progreſſum ipſum animaduertimus, in noſtris Galliis conſcendit. In Hiſpania eodem ferè tempore ac ordine illa ipſa ſupra Presbyteros Archidiaconorum dignitas ſublimata eſt. Concilium Toletanum quarto ſæculo ſub Innocentio primo habitum occaſionem dediſſe videtur Archidiaconorum poteſtati amplificandæ, Canone 20. dum enim Archidiacono iſtud officium commendat, vt aliquam conſtitutionem editam in Concilio Epiſcopis tam præſentibus quàm abſentibus ſuggerat, videtur tanquam vindicem Canonum, & conſiliarium Epiſcopi in iudiciis, & deliberationibus Archidiaconum conſtituiſſe.

Toletanum quartum ſexto ſæculo ſub Honorio primo, anno, vt aiunt, 633. eandem ampliauit, dum Can. 3. ſeu 4. ſecundum editionem Garſiæ, in Conciliis Preſbyteros ab Epiſcoporum tergo ſedere; Diaconos verò ſtare in conſpectu Epiſcopi præcipit, & ita licèt Diaconorum ordinem ordine Presbyterorum multo interuallo inferiorem faciat, nihilominùs Archidiacono prærogatiuam iſtam tribuit, vt ſi *Presbyter aliquis aut Diaconus, Clericus, ſiue laicus, de his qui foris ſteterint, Concilium pro qualibet re crediderit appellandum, Eccleſiæ Metropolitanæ Archidiacono cauſam ſuam intimet, & ille Concilio denuntiet.* His enim verbis actoris Concilij ac Syndici munus Archiacono quodammodo tributum, à quo ad iudicis delegati, ac mox ordinarij officium tranſire facile ei fuit: dum item Canone 35. aliàs 36. Epiſcopo permittit, *vt ſi ipſe aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus, id* (nempè viſitationem annuam Parochiarum omnium Diœceſeos) *explere nequiuerit, Preſbyteros probabiles, aut Diaconos mittat, qui & reditus Baſilicarum, & reparationes, & miniſtrantium vitam inquirant.*

Eâ enim permiſſione breui factum eſt, vt quia Presbyteri ſacramentorum adminiſtrationi, & Eccleſiaſticis officiis magis addicti quàm Diaconi erant: & Diaconi vt plurimùm magis induſtrij, & rerum gerendarum magis periti; ac Epiſcopis, in quorum ſemper comitatu verſabantur, magis fidi erant; præſertim verò Archidiaconi; & Presbyterorum aduerſus Diaconos vlciſcebantur iniurias, vt conſtat ex Maræ Diaconi excommunicatione inflicta à proprio Archidiacono, quòd Presbytero ſuo feciſſet iniuriam, in Concilio Chalcedonenſi actione 10. ideò contigit, vt ipſi potiùs quàm Presbyteri, non ſolùm ad ea, quæ ad reditus Eccleſiaſticos ſpectabant, diſcutienda, verùm etiam ad lites, & cauſas inſtruendas electi ſæpiùs fuerint ab Epiſcopis, quàm Preſbyteri: atque ita tanquam ordinarium iſtud munus ſubierint viſitandi Parochias, & de reditibus Eccleſiarum ac miniſtrantium vita inquirendi, & de plano ſaltem leuiores cauſas diiudicandi.

In eo verò Concilio tres Archidiaconi poſt Presbyteros, nomine Epiſcoporum ſecundum editionem Garſiæ, ſecundum vulgatam turbatis ordinibus ſubſcribunt. Nondum tamen ordinariam Diaconi ante Preſbyteros ſedendi, vel iiſdem imperandi habuiſſe videntur poteſtatem: nam Concilium Emeritenſe ſub Vitaliano Papa Canone 5. Diaconos ad Concilium prouinciale mitti nomine Epiſcoporum grauiter tulit, ne Presbyteris præferri, & cum Epiſcopis ſedere viderentur. Decernit ſiquidem vt Epiſcopus abſens à Concilio, *ad ſuam repræſentandam perſonam, non aliter niſi aut Archipresbyterum dirigat, aut ſi Archipresbytero impoſſibilitas fuerit, Presbyterum vtilem, cuius dignitas cum prudentia pateat, à tergo Epiſcoporum inter Preſbyteros ſedere, & quæque in eo Concilio fuerint acta, ſcire & ſubſcribere. Iniuſtum enim hoc accipit cœtus noſter, vt quiſquam Epiſcoporum Diaconum ad ſuam perſonam repræſentandam dirigat: hic enim, quia Presbyteris iunior eſſe videtur, ſedere cum Epiſcopis in Concilio nullatenus permittitur.* Decretum tamen iſtud obſeruatum minimè fuiſſe, & poſterioribus Conciliis Diaconos Epiſcoporum nomine ſubſcripſiſſe ſuperiùs docuimus.

Nihilominùs vſque ad Concilium Toletanum vndecimum Archidiaconos proprio nomine ſubſcripſiſſe minimè legimus. Sed Toletano VIII. Archipresbyterum, & Primicerium Toletanæ Eccleſiæ, eoſdemque Toletano nono ſubſcriptos legimus. In Concilio verò Toletano vndecimo Archidiaconi Toletani ſolemnem ſubſcriptionem iis verbis tenemus, *Gudila Eccleſiæ ſanctæ Mariæ regiæ Sedis Archidiaconus hæc geſta Synodica à nobis definita ſubſcripſi*: ad tantum ſcilicet honoris apicem iam tum in Eccleſiis Hiſpaniarum Archidiaconi dignitas conſcenderat. Habita ſunt autem iſta Concilia Toletanum quartum, octauum, nonum, vndecimum, itémque Emeritenſe, ſeptimo ſæculo.

Verùm Iſidorus Hiſpalenſis cæteris accuratiùs nobis deſcribit Archidiaconorum officium, ab eóq; Archidiaconorum prærogatiuam ſupra Preſbyteros, ſi quæ ipſius tempore fuerit, diſcere licebit. Floruit autem paulò poſt tempora ſancti Gregorij; nam & ſancti Gregorij, & ſequentium quorumdam Romanorum Pontificum ſententias ſuis operibus plurimas inſeruit: electus fuit in Archiepiſcopum Hiſpalenſem in locum fratris demortui ſancti Læandri, anno (ſi credimus Baronio Notis in Martyrologium) Incarnationis Dominicæ 603. præfuit Hiſpalenſi II. anno 619. tempore Bonifacij Papæ celebrato ante Toletanum IV. & cætera citata Concilia, eiúſque ſucceſſor Honoratus Toletano VI. ſubſcripſit: ſententiam ergo Iſidori exquirere oportet. Quam dubiam reddit pars aliqua epiſtolæ *ad Ludifredum*, apud Iuonem parte 6. decreti cap. 20. & Gratianum Canone *Perlectis*, diſtinct. 25. quæ etiam inſeritur eidem epiſtolæ, qualis excuſa habetur inter opera Iſidori, ſtudio & diligentiâ fratris Iacobi du Breul Monachi ſancti Germani à pratis, quam nempe congruere manuſcriptis quibuſdam Codicibus à ſe lectis aſſerit, dum poſtremam eiuſdem epiſtolæ partem aliquam nondum excuſam edidit inter epiſtolas Iſidori. Pars iſtius epiſtolæ hæc eſt, *Archipresbyter verò ſe eſſe ſub Archidiacono, eiúſque præceptis, ſicut Epiſcopi ſui, ſciat obedire; & quod ſpecialiter ad eius miniſterium pertinet, omnes Presbyteros in ordine poſitos curam agere, & aſſiduè in Eccleſia ſtare, & quando Epiſcopi ſui abſentia contigerit, ipſe vice eius Miſſarum ſolemnia celebret, & Collectas dicat, vel cui ipſe iniunxerit.*

Hæc pars epiſtolæ, ſi verè eſt Iſidori Hiſpalenſis, non dubium erit, quin Archidiaconus ipſius tempore in Eccleſiis Hiſpanienſibus poteſtatem habuerit, non ſolùm ſupra Diaconos & cæteros inferiores Clericos, verùm etiam ſupra digniſſimum Presbyterum & Archipresbyterum ciuitatis, cuius officium ibidem deſcribitur; idémque Archidiacono ſubeſſe, eique obedire debere ſtatuitur. Verùm hanc partem in epiſtolam Iſidori irrepſiſſe ex aliquo Toletano Concilio, cuius nomine citatur lib. 1. Decretalium titulo 24. cap. 1. & à Bernardo Præpoſito Papienſi lib. 1. tit. 16. cap. 1. probabilius eſt.

Correctores Romani Notis in citatum Canonem *Perlectis*, in dubium eam reuocant, quia omittitur à Burchardo lib. 3. decreti, cap. 50. Sed cùm Burchardus, nec cætera eiuſdem epiſtolæ quæ ad Primicerium & Theſaurarium pertinent, deſcripſerit, de quibus agere debuiſſe videtur Iſidorus: ideò infirmum ex ea omiſſione argumentum ſumi poteſt: quia omittitur ab Iuone in Pannormia lib. 3. tit. 4. cap. 1. Sed infirmum ſimiliter ex eo argumentum deſumeretur, cùm Iuo alibi eam partem exſcripſerit.

Fortius autem eſt, quod Correctores iidem aſſerunt in manuſcriptis Codicibus eiuſdem epiſt. hanc partem non haberi, quorum teſtimonio fauet Garſias Loayſa, qui in antiquo Cod. Monaſterij S. Laurentij, quod à Philippo II. magnificentiſſimè ædificatum eſt (quem Codicem Vigilanum vocant) eandem epiſt. abſque iſto additamento haberi teſtatur. Probatur etiam iis argumentis: 1. quia cùm Iſidorus prædictâ epiſt. poſt enumerata ordinum omnium officia hæc adiungat, *Hi ſunt ordines & miniſteria Clericorum, quæ tamen auctoritate Pontificali in Archidiaconi cura, & Primicerij ac Theſaurarij ſollicitudine diuiduntur*, quibus ſtatim iſta ſubnectit, *Archidiaconus enim imperat Subdiaconis*: videretur inordinatè propoſitā proſequi deſcriptionē, ſi officij Archipresbytero demandati, quam iſta pars continet, explicationi Archidiaconi ſubiungeret, ac Primicerij & Theſaurarij expoſitioni præmitteret: ſic enim trium iſtorum officiorum ſuſceptam explicationem interrumperet: ex quo patet aſſumendam eſſe

iſtam Archipresbyterorum officij deſcriptionem, nec geminæ epiſtolæ Iſidori partem.

Secundò, quia non congruit Toletanis Conciliis citatis, vt Archipresbyter ciuitatis, quem in Conciliis prælatum Archidiaconis animaduertimus, ſubeſſe dicatur Archidiacono ab Iſidoro Hiſpalenſi: nec ſpeciatim congruit Emeritenſi, cuius Can. 10. hæc continentur, *Communi deliberatione ſancimus, vt omnes nos Epiſcopi intra noſtram prouinciam conſtituti in Cathedralibus noſtris Eccleſiis ſinguli noſtrûm Archipresbyterum, Archidiaconum & Primiclerum* (aliàs Primicerium) *habere debeamus, ſanctus quippe eſt ordo, & à nobis per omnia obſeruandus. Ideòque placuit huic magnæ Synodo, vt quicumque ad hoc officium peruenerit, humilitatem Pontifici ſuo, & reuerentiam præbeat*, &c. *Si quis ex his ſui gradus ordinem non cuſtodierit, & quæ illi pro tali officio à ſuo Epiſcopo impetrata fuerint, adimplere diſtulerit, prout cauſa patuerit, excommunicationis damno mulctandum ſe nouerit.* Numerantur enim hoc Canone tres dignitates Eccleſiarum Cathedralium totius Hiſpaniæ, prima Archipresbyteri, ſecunda Archidiaconi, tertia Primicleri, ſeu Primicerij: gradus ſui ordinem cuſtodire aliquam ex his dignitatibus adeptus mandatur; innuitúrque Presbyteros Archipresbytero, Diaconos Archidiacono, aliquos ex inferioribus ordinibus Primiclero parere debuiſſe, quemadmodum in eum Canonem notat Frontoducæus, qui *Primicerium* legit, non *Primiclerum*.

Tertiò, quia nec iſta obedientia Archipresbyterorum Archidiaconis omnino conſentit reliquis partibus epiſtolæ eiuſdem Iſidori. Etenim ita partitur inſpectionem in Clericorum miniſteria Iſidorus, vt Archidiacono inſpectionem in Diaconos & Subdiaconos tribuat, dicens, *Archidiaconus enim imperat Subdiaconis & Leuitis, ad quem iſta pertinent miniſteria. ordinatio veſtiendi altaris à Leuitis, cura incenſi, & ſacrificij neceſſaria ſollicitudo, quis Leuitarum Apoſtolum & Euangelium legat*, &c. ad Primicerium pertinere dicat inſpectionem in Acolythos, Pſalmiſtas atque Lectores.

In qua partitione Presbyterorum nulla mentio, quorum officia non attingit Iſidorus, quia in celebratione Miſſæ, quæ propria eſt Presbytero, nullum Presbyterum habet ſuperintendentem, quemadmodum in miniſteriis cæteris ſupra Diaconos, & cæteros inferiores Clericos aliqui ſuperintendentes, & inſpectores erant, qui vnumquemque ſui officij admonebant: at quis credat ab Iſidoro, ſi ipſe Archidiaconum Presbyteris etiam imperaſſe, ac præfuiſſe credidiſſet, hanc prærogatiuam in Archidiaconorum officio deſcribendo prætermiſſam, quæ & potiſſima & nobiliſſima erat?

Itaque pars iſta quæ Archipresbytero, ait Archidiaconum præfuiſſe, non videtur eſſe Iſidori Hiſpalenſis, quinimmò videtur ex iſta epiſtola Iſidori probabiliùs colligi poteſtatem Archidiaconi eius tempore nullatenus ad Presbyteros, ſed præcipuè ad Diaconos & Subdiaconos extenſam fuiſſe: alios verò inferiores Clericos ad curam minorum dignitatum, putà Primicerij & Theſaurarij pertinuiſſe. Eadem tamen epiſtolâ iam tum fundamenta poteſtatis, quam poſteà Archidiaconi Eccleſiæ conſuetudine compararunt, iacta fuiſſe libenter admitto. Subdit enim, *Sollicitudo quoque Parochitanorum* (quæ lectio eſt Garſiæ, Correctorum Romanorum & Buchardi ſuprà) aliàs Parœciarum (quæ lectio eſt Gratiani Canone *Perlectis* citato, & Iacobi du Breul) *& ordinatio, & iurgia ad eius pertinent curam, pro reparandis Diœceſanis Baſilicis, ipſe ſuggerit ſacerdoti: ipſe inquirit Parœcias, cum iuſſione Epiſcopi, & ornamenta, vel res Baſilicarum parochitanarum, geſta libertatum Eccleſiaſticarum Epiſcopo idem defert, & Clerico partes proprias idem diſtribuit: ab Archidiacono nuntiatur Epiſcopo exceſſus Diaconorum.*

Nolim ſingula iſta officia explicare: neque enim inſtituti mei illud eſt: ſolùm adnoto ab iſtis principiis Archidiaconorum iuriſdictionem originē ſumpſiſſe. Nam inquiſitio iſta, & cognitio Archidiacono demandari ſolita ad inſtructionem Epiſcopi, iuriſdictione poſteà armatam fuiſſe, tum occaſione conciliandorum iurgiorū quæ inter Parochianos emergerent, Archidiaconos poteſtatem Presbyterorum Curatorum in Parochianos totam ferè ad ſe traxiſſe: maluiſſe ſcilicet Parochianos extraordinarij ſeſe viſitatoris; cuius maior è longinquo eſſe ſolet reuerentia, quam

Digitized by Google

proprij ſacerdotis, cuius auctoritas familiaritate vilior, iudicio ſubducere. Eoſdem Archidiaconos, dum Parochi ſententias retractant, iudices ſe Parochorum conſtituiſſe, vixque populorum iurgia componere, miniſtrorum exceſſus Epiſcopo nunciare potuiſſe, quin & Paſtorum negligentias, & Presbyterorum crimina detegerent, vix auſos reniti Presbyteros etiam iniuſtæ ab Archidiacono vindicatæ poteſtati, à quibus in redituum Eccleſiaſticorum perceptione penderent: atque ita tempore Iſidori complanatam iam tum viam fuiſſe, quâ in Presbyterorum iura Archidiaconi irruerent, eiſque & ſedendi prærogatiuam præriperent, & de iis iudicandi poteſtatem vſurparent.

Firmata eſt poſteà non vſu ſolùm, verùm etiam lege eadem poteſtas in Eccleſiis Hiſpaniarum. Superſunt enim aliqua fragmenta Conciliorum Toletanorum abſque numero, ſed quæ ante irruptionem Saracenorum in Hiſpanias, & deſtructum Gothicum Imperium habita fuiſſe fatentur omnes, id eſt ante annum 713. quo irruptio iſta contigit, in quibus Archidiaconorum poteſtas in Presbyteros, & dignitatis eorumdem ſublimatio confirmata eſt. Referuntur iſta à Garſia Loayſa in Notis ad Concilium Toletanum primum. Eorum primum habetur antiquæ Collectionis primæ Decretalium apud Antonium Auguſtinum libro primo, titulo decimo-quinto, capite decimo-tertio, in quo inter officia Archidiaconi numeratur, *Omnem cauſam ſeu querimoniam vel iniuſtitiam Presbyterorum, vel Subdiaconorum debere deliberare, ordinare & facere.*

Alterum habetur lib. 1. eiuſdem Collectionis lib. 1. tit. 16. *de officio Archipresbyteri* cap. 1. in quo monetur Archipresbyter, *vt ſciat ſe ſubeſſe Archidiacono, & eius præceptis omnibus & præceptionibus, ſicut Epiſcopi ſui, obedire debere* dicitur.

Tertium, tit. 19. *de officio Cuſtodis*, cap. vltimo, vbi de Archidiacono, Archipresbytero, & Cuſtode hæc habentur, quæ poteſtatem Archidiaconorum maiorem cæteris eſſe dignitatibus oſtendunt.

In his tribus Eccleſiæ columnis, vt ſancta ſanxit Synodus, conſiſtere debet alma mater Eccleſia, vt ad hoc opus tales ordinentur, quales plus meliores & ſanctiores eſſe viderint, vt nulla negligentia in ſancta Dei Eccleſia eſſe videatur. Hi tres Archidiaconus, Archipresbyter, Cuſtos prouidè ſimul iuncti vno animo peragant, & perfectè, & non ſit inuidia nec zelus inter illos. Cætera minoris momenti omitto.

ARTICVLVS IV.

Origo præeminentiæ Archidiaconorum in Italia & Oriente.

De more Italiæ plura dicere ſuperuacaneum fuerit, ſolùm obſeruare ſufficiet ex libello veteris ordinis Romani, antiquæ primæ Collectionis Decretalium cap. 2. & Collectionis Gregorij noni cap. 1. *de officio Archidiaconi*, ita referri, *vt Archidiaconus poſt Epiſcopum ſciat ſe vicarium eſſe eius in omnibus, & omnem curam in Clero, tam in vrbe poſitorum quàm eorum, qui per parochias habitare noſcuntur, ad ſe pertinere, ſiue de eorum conuerſatione, ſiue de honore & reſtauratione Eccleſiarum, ſiue de doctrina Eccleſiaſticorum, vel cæterarum rerum ſtudio, & delinquentium rationem coram Deo redditurus eſt.*

Quæ verba in veteri ordine Romano, qualis nunc ſeparatim excuſus eſt, minimè habentur, ſed iſta ſolummodo, *Obſeruandum eſt ſeptem eſſe regiones vrbis Romæ, ſingulas regiones, ſingulos Diaconos regionarios habere, & vniuſcuiuſque regionis Acolythos per manum Subdiaconi regionarij Diacono regionis ſuæ, officij causâ ſubditos eſſe, hos omnes Archidiacono qui vicarius eſt Pontificis, obedire, ſeruato vnicuique per eum proprij gradus miniſterialis ordine.*

Hæc quæ in ordine Romano leguntur, antiquum Eccleſiæ Romanæ morem referunt: illa verò quæ ex veteri ordine Romano in Decretalibus citantur, recentiorem morem exhibent; ideóque ab aliquo ex Romanis Pontificibus veteri ordini Romano ex vſu poſteriori eiuſdem Eccleſiæ addita, in librum Decretal. congeſta ſunt, quemadmodum & quæ in prima Collectione Decretalium capite vnico *de*

Digitized by Google

officio Primicerij, ex Concilij Romani ordine; in collectione Decretalium Gregorij capite ſimiliter vnico, eodem titulo, correctiùs ex libro Romani ordinis, in gratiam Archidiaconi laudantur, vt ſcilicet tam Primicerius, quàm Archipreſbyter Archidiacono ſubſint: ea, inquam, Gelaſio poſteriora ſunt, qui vt ſuprà vidimus, epiſt. *ad Epiſcopos Lucaniæ*, Diaconos infra propriam menſuram continuit, nec ſupra Preſbyteros efferri voluit, neque in veteri ordine Romano eadem habentur, neque veterem toto ſaltem quinto ſæculo conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ ſapiunt. Sub finem tamen quinti ſæculi quantum accreuerit Archidiaconorum Romanæ Eccleſiæ auctoritas, ex eo patet, quòd in Synodo Romana prima ſub Symmacho ſtatim legatur *Suggeſtio Fulgentij Archidiaconi Eccleſiæ Romanæ de congreganda Synodo*; nihilominùs in hac Synodo lego Archipresbyterum primum ſubſcripſiſſe, tum Presbyteros, deinde Diaconos; lego etiam in quinta & ſexta Synodis ſub eodem Symmacho Epiſcopos acclamaſſe, tacentibus Diaconis.

Initio verò ſexti ſæculi lego in epiſtolis Papæ Hormiſdæ 24. & 63. Dioſcorum & Felicem Diaconos deſignatos Legatos, priùs nominari quàm Blondum Presbyterum ſimiliter deſignatum, eodémque ordine nominari in exemplo libelli Ioannis Epiſcopi Conſtantinopolitani, & in Suggeſtionibus variis inter eiuſdem Hormiſdæ epiſtolas: nihilominùs nihil ex eo certi conſtitui poteſt, quandoquidem epiſt. 32. *ad Iuſtinum Imperatorem*, idem Hormiſda Blondum nominet ante Felicem Diaconum, & liber Pontificalis præferat Blondum Presbyterum vtrique Diacono Legato.

Igitur vel ordo in nominandis iſtis Legatis incurioſè prætermiſſus eſt, vel Diaconi Prælati tanquam de rebus inſtructiores: nam ex iis Dioſcorum relationes ad Hormiſdam aliquas miſiſſe, & Hormiſdam ad eum ſingulariter ſcripſiſſe lego; Blondum autem Presbyterum aut ſcripſiſſe quippiam ad Pontificem, aut ad eum ſingulariter ab eo ſcriptum eſſe non obſeruo.

Hoc etiam obſeruatu dignum eſt, quòd Hormiſda Papa epiſtolam vigeſimamſextam *ad Theodoſium Archidiaconum, & Clerum Conſtantinopolitanum* inſcribat, quaſi Archidiaconum Cleri iſtius principem & anteſignanum agnoſceret. Nec prætermittendum puto, quòd in Synodo Romana ſub Leone IV. nono ſæculo Presbyteri omnes ante Diaconos quoſlibet legantur ſubſcripſiſſe.

ARTICVLVS V.

De prærogatiua Archidiaconorum, ex more Eccleſiæ Orientalis.

ALIQVA circa Archidiaconorum auctoritatem, & Diaconorum præſidentiam ex more Eccleſiæ Orientalis antiquo adiungo, putà quòd Chryſoſtomus *ad Innocentium primum*, per Archidiaconum Conſtantinop. dicat Theophilum totum Clerum ſibi conciliaſſe, ac ſi iam Eccleſia vacaſſet: quod Iſidorus Peluſiota lib. 1. epiſt. 157. *Panſophio*, Archidiaconos moneat, *ne forenſem præfecturam, ſed tranquillum imperium munus ſuum* cogitent; quòd Ioannes Hieroſolymitanus per Archidiaconum ſilentium imperarit Epiphanio Salaminæ in Cypro Epiſcopo prædicanti, teſte Hieronymo epiſt. 61. *ad Pammachium*. Quòd Concilium Chalcedonenſe actione 10. referat, Maram Diaconum à proprio Archidiacono excommunicatum, quoniam iniuriam Presbytero intulerat; quòd eadem actione ἀκροάσις ſeu *audientia* Abrahamij Diaconi memoretur, ad quam Diaconus alius vocatus fuerit, quòd in eodem Concilio maxima Ætij Diaconi auctoritas fuerit; quòd in Concilio Conſtantinopolitano ſub Agapeto & Menna, actione 5. Romanus quidam Archidiaconus ſe admonitum ab Epiſcopis prouinciæ, antiquas Eccleſiaſtici ſtatus conſuetudines: idque ab eo totus Apamæarum Clerus exegiſſe referatur; quòd in eodem Concilio non ſeruatâ prærogatiuâ Ordinis ſacri, Diaconi aliqui Monachi Presbyteris itidem Monachis, tum in epiſtolis quibuſdam, tum in Concilij actionibus præferantur, prioréſque nominentur, & ſubſcribant eo fortè titu-

Digitized by Google

lo, quòd in Monaſteriis antiquiores eſſent; quem ordinem ſeruandum voluit in Occidente ſanctus Benedictus cap. 62. ſuæ Regulæ, quo præſcribitur vt Monachus ordinatus ſacerdos *locum illum ſemper attendat, quo ingreſſus eſt Monaſterium, præter officium altaris, etſi fortè electio congregationis, & voluntas Abbatis pro vitæ merito, eum promouere voluerit.* Nec dubium eſt quin exemplum iſtud multùm valuerit ad infringendum iſtum ordinem, quo qui ſuperiori ordine inſignitus erat, cæteris inferiorum ordinum præferebatur.

ARTICVLVS VI.

Poſteriorum ſæculorum teſtimonia pro Archidiaconorum præeminentia.

VERVM antiquiora fruſtrà proſequimur, quandoquidem conſtet totius Eccleſiæ conſuetudinem iam receptam, & Canonibus probatam eſſe, vt & Archidiaconus digniorem locum Presbyteris, & Archipresbyteris ruralibus obtineat, Presbyteróſque ipſos viſitet, in eos inquirat, eoſdémque corrigat. Lege integros titulos *de officio Archidiaconi, de officio Archipresbyteri*, alióſque paſſim toti iuri Canonico inſertos Canones. Lege Codicem donationum Auberti Miræi, in quo Archidiaconos etiam ante Decanos ſubſcribentes obſeruabis in donatione Arnulfi primi, cognomento magni, Flandriæ Comitis Monaſterio Blandinienſi, & ante Præpoſitum, Decanum, Cantorem in Theodulni Leodienſis Epiſcopi diplomate, anno 1066. ante Decanum & Subdecanum in diplomate Gerardi ſecundi Epiſcopi Cameracenſis, anno 1089. ante Decanum, Cantorem, Præpoſitum, in donatione Baldrici Nouiomenſis, anno 1105. ante Decanum & Subdecanum, in charta donationis Odoardi Cameracenſis, anno 1108. ante Abbates in charta Euſtachij Comitis Bononienſis, anno 1122. poſt præpoſitum vnum maioris, vt opinor, Eccleſiæ: ante Decanum & Præpoſitum alterius Eccleſiæ, in donatione Burchardi Cameracenſis Epiſcopi: & in aliis paſſim, ante Abbates, Diaconos, Præpoſitos, alióſque Presbyteros Eccleſiaſticâ dignitate fungentes.

Lege epiſtolas Fulberti Carnotenſis trigeſimam-quartam, Iuonis Carnotenſis ducenteſimam-tertiam, Hildeberti Cœnomanenſis quinquageſimam-quintam, Arnulfi Lexouienſis quadrageſimam-tertiam, Stephani Tornacenſis quinquageſimam-ſeptimam, quinquageſimam-octauam, & centeſimam nonageſimam-quintam; Ioannis Sariſberienſis Epiſcopi Carnotenſis plurimas, Bleſenſis ſermones in Synodo, & epiſtolas plures, præſertim verò centeſimam vigeſimam-tertiam *R. Londonienſi Epiſcopo.* Lege de eadem poteſtate Archidiaconorum in Presbyteros Mathæum Paridem in veteribus conſuetudinibus Angliæ, Baldricum Nouiomenſem apud Miræum Codice donationum piarum cap. 71. Ordericum Vitalem libro tertio hiſtoriæ, & alios. Lege Concilij Romani ſub Gregorio ſeptimo, anno incerto habiti Canonem 4. Concilij ſub eodem apud Iullam Bonam habiti, præſente Guillelmo Rege, caput 6. & 7. apud Ordericum Vitalem lib. 5. Concilij Lateranenſis generalis, Calixto ſecundo præſente, Can. 7. Londinenſis ſub Honorato ſecundo, anno milleſimo centeſimo vigeſimo ſeptimo, Can. 5. Remenſis ſub Eugenio tertio Canonem 10. Turonenſis, præſente Alexandro tertio, Canonem ſeptimum: Lateranenſis œcumenici eodem præſente Canonem 4. & 6. ſtatuta Odonis Pariſienſis in præceptis communibus cap. 16. & 54. Lateranenſis œcumenici ſub Innocentio tertio caput 33. Concilij Londinenſis ſub Gregorio nono caput tertium, octauum, vigeſimum-primum, vigeſimum-ſecundum, vigeſimum-quartum, vigeſimum-nonum, in quibus fusè de Archidiaconorum iuriſdictione; Concilij habiti in Alemannia ſub Conrado Cardinali, Canonem 3. aliáque plurima. Quibus adde varia Alexandri tertij, & Innocentij aduerſus Archidiaconorum indebitas à Presbyteris parochianis exactiones reſcripta titulo *de ſimonia*, & aliis titulis. Quæ omnia, & quamplurima ſimilia oſtendunt Archidiaconorum in Presbyteros poteſtatem probatam fuiſſe, eiſque honoratiorem locum

Dddd iiij

Digitized by Google

conceſſum: Quod etiam ex eo patet, quia à ſeptingentis & ampliùs annis, vbi eorum mentio fit, Presbyreris ſemper præferri ſolenr.

Archidiaconi porrò ex Diaconorum ordine ſunt: licèt enim iam ij qui ad ſacerdotium promoti ſunt, Archidiaconatum & habere, & retinere poſſunt; quod in Eccleſia Remenſi tempore Hincmari communiter receptum fuiſſe coniecimus: nibilominùs iſtud ab initio nequaquam admiſſum fuiſſe, exemplis Ætij Conſtantinopolitani, Honorati Salonirani, Ioannis Cabilonenſis ſuprà docuimus. Quibus recentius teſtimonium addo Petri Bleſenſis Archidiaconi Bathonienſis in Anglia, qui epiſt. 123. *Richardo Londonienſi Epiſcopo*, contendit ſe non poſſe cogi ad ſacerdotium, quia iſta promotio in Archidiaconis degradationis quædam ſpecies eſſet. quæ omnia ſuperiùs à nobis prolata ſunt.

Quin immò ſenſim hominum ignauia factum eſſe recolimus, vr Arcbidiaconi aliqui eligerentur, qui nondum Diaconatus ordinem conſecuri eſſent, quos intra annum ſaltem Diaconos fieri debere diſtrictè percipiunt Concilia Claromontanum ſub Vrbano ſecundo Can. 3. Pictauienſe ſub Paſchali II. Can. 7. Lateranenſe œcumenicum ſub Callixto ſecnndo Can. 2. Londinenſe primum ſub Honorio ſecundo Can. 6. & ſecundum ſub eodem Can. 6. Lareranenſe item generale ſub Innocentio II. Can. 10. Remenſe ſub Eugenio tertio Can. 9. Lateranenſe maximè generale ſub Alexandro III. cap. 3. & alia plurima.

SECTIO VLTIMA.

IN QVA PLVRIMA CELLOTII ERRATA aduerſus Hierarchicam iuriſdictionem, & quoſuis in Hierarchia Eccleſiaſtica hominum ſtatus notantur.

ABSOLVTA hierarchicæ iuriſdictionis accurarâ tractatione ſupereſt, vt Ludouici Cellorij hallucinationes varias arque errores veræ de hierarcbia, quatenus ipſa ratione iuriſdictionis ſpectatur, doctrinæ conrrarios ſigillatim & referamus, & refellamus quàm breuiſſimè fieri poterit. Neq; enim hîc omni ex parte perfectam refutationem iſtorum errorum aggredimur; tum quia adeò craſſi ſunt, vt eos detexiſſe refutaſſe ſit: tum quia plures ex iis quæſtionibus, quas attigir Cellotius, extra hierarchicam tractationem eſſe videntut, vel aliàs à nobis commodiori loco ſunt explicandæ.

Vt autem conſtet, quàm fœdè totam hierarchiam iſte auctor tractarit, eius errorum tot vtique claſſes conſtituemus, quot hierarchicæ diuiſionis laræ ſumptæ eſſe poſſunt. Nam de Eccleſia ipſa ſeu de hierarcbia latè ſumpra malè ſenſiſſe à nobis demonſtrabitur, Eccleſiaſtici regiminis naturam minimè intellexiſſe docebitur; ſummi Pontificis auctoritatem, Conciliorum venerationem, Epiſcoporum dignitatem, Parochorum conditionem violaſſe deprehendetur; de Presbyteris omnibus contemptim locutus, Monachorum dignitati non peperciſſe, laicorum neglexiſſe, pœnitentium vituperaſſe demonſtrabitur. Hæc verò Eccleſiaſticæ hierarchiæ inſtauratio, an verò depreſſio & commutatio dici poteſt? boc Dionyſij Magni Eccleſiaſticæ hierarchiæ Doctoris ſupplementum, an verò traditæ ab eo doctrinæ euerſio? Sed ad rem ipſam omiſſâ quauis licet æquâ reprehenſione veniamus.

CAPVT I.

Errores Cellotij aduerſus Eccleſiaſticam Hierarchiam vniuerſim ſumptam.

ARTICVLVS I.

Error primus Cellotij aduerſus Eccleſiæ viſibilitatem.

DVÆ ſunt Eccleſiaſticæ hierarchiæ maximè neceſſariæ dotes: primò, ipſius viſibilitas, vt docere omnes poſſit & iubere; nam ſi inuiſibilis eſt Eccleſiaſtica hierarchia, quomodo ad eam pro doctrina haurienda accedetur? ſi inuiſibilis eſt Doctorum cathedra, quomodo ab ea ſinguli, atque vniuerſi fideles dirigerentur?

Altera ipſius infallibilitas, ſeu ineluctabilis auctoritas aduerſus quam excipi non poſſit, quòd aut malè ſentiat, aut malè doceat; ſi enim alterutrum opponi poſſet, nec traditionis Eccleſiæ conſtaret auctoritas, nec iudiciorum firma & inuiolabilis ſanctitas; ſed vnuſquiſque apud ſe & de Eccleſiæ doctrina, & de eius ſententia dubitans, fluctuaret cui ſe parti adiungeret? Nihil ampliùs tutum, nihil ſecurum, nihil quod in Eccleſiæ ſinu nos teneret, quod errandi formidinem tolleret, ſublatâ ſcilicet omni fidei noſtræ certâ regulâ, ſublato omni circa res fidei irrefragabili iudicio.

Duæ iſtæ ſunt præcipuæ Eccleſiæ dotes, quam vtramque à Chriſto Domino promiſſam, ab antiquis Patribus recognitam, perpetuâ totius orbis Chriſtiani traditione conſignatam contra aduerſarios Eccleſiæ Catholicæ oſtendunt Doctores Catholici. Hanc vtramque impetit Ludouicus Cellotius; nam & hæreticis ſe adiungens, veram Eccleſiæ infallibilitatem ridiculis conditionibus eludit, & plurimùm ipſis adiumenti tribuit ad obſcurandam hanc inextinguibilem viſibilis Eccleſiæ lucem, quâ omnes errorum ſuorum tenebras diſſipari ſentiunt hæretici.

Nihil hactenus ad reprimendam hæreticorum veſaniam efficaciùs indicauerat Eccleſia, quam ſi continuam, nec vllâ prorſus tempeſtate interruptam viſibilium ſuorum Paſtorum ſucceſſionem obiiceret. Hæc ſunt Eccleſiæ militantis arma, quibus omnes hęreticorum impetus fregit hactenus. Hæc ſunt arma, quibus Tertullianus libro de præſcriptionibus, omnes Eccleſiæ hoſtes vno ictu debellat: hæc ſunt arma quibus Auguſtinus Donatiſtas toties iugulat. Hæc denique ſunt arma, quibus Eccleſia quibuſcumque hæreticis fauces pręcluſit hactenus.

Quis ergo ferat Cellotium inuictiſſima hæc Eccleſiæ arma præripere? Quis ferat Ieſuitam ex Eccleſiæ Catholicæ caſtris ad aduerſarios deficere, ſacrámque Chriſtiani orbis teſſeram (ſic enim eam vocat Tertullianus) hæreticis prodere? Quis hoc credat? niſi ſuam ipſemet Cellotius mentem euidenter aperiret, lib. 1. cap. 20. Satis ipſi non erat eò loci Angelos inuiſibiles Paſtoribus viſibilibus adiungere, niſi & Eccleſiam ad eum aliquando ſtatum redigi doceret, in quo ab hominum aſpectu & oculis fugiens, nullos alios habentem Paſtores quàm Angelos inuiſibiles induceret: *Mulier*, inquit, *enixa fugit in ſolitudinem, & ibi paſcunt eam diebus mille ducentis ſexaginta: ſi mulier illa Eccleſia eſt, metu perſecutorum in deſertum abrepta, qui ſunt Paſtores eius futuri? an homines? at illi ipſi ſunt qui fugiunt, qui latent, qui paſcuntur. Angeli ergo qui mulieris partum rapiunt in cælum, iidem matrem paſcunt.* Quibus in verbis tria potiſſimùm animaduerto.

Primum eſt, ex mente Cellotij mulierem illam, quæ Apocal. 12. fugit in ſolitudinem, intelligi poſſe Eccleſiam metu perſecutorum in deſertum abreptam, ac ſic Eccleſiam ab hominum oculis ſeſe ſubducere: quod mirum in modum conſentit cum hæreticorum omnium doctrina. Ergòne, Celloti, Eccleſia in deſer-

ſertum abrepta eſt, de qua expreſsè promittit Deus, Iſaiæ 60. fore vt non ſit ampliùs derelicta? quomodo in ſolitudinem Eccleſiam amandas, cùm hoc eodem capite polliceatur Deus fore vt Gentes ſolitudine vaſtentur: cùm è contrà vaſtitas & contritio in terminis Eccleſiæ nunquam recipiendæ ſint, & dicentibus hæreticis, *Ecce in deſerto eſt*, illis non eſſe credendum Chriſtus ipſe moneat, Math. 24.

Alterum eſt, hunc Cellotij locum intelligendum eſſe non de Synagoga Iudæorum: ſed præſertim de Eccleſia in ſanguine Chriſti fundata: agit enim hoc loco contra Petrum Aurelium, quem ait fateri quidem Angelos in veteri Teſtamento Paſtorum munus obiiſſe; negare verò munus hoc Angelis in noua lege conceſſum: vt ergo contra Aurelium probet Cellotius in noua lege Angelos veros eſſe Eccleſiæ Paſtores, eam indeſertũ crudeliter eiicit, vbi ab inuiſibilibus illis Paſtoribus duntaxat gubernetur. Quid ergo? ipſamet Chriſti Eccleſia, quæ teſte Apoſtolo, Hebræorum 8. melius ſortita eſt miniſterium, quantò & melioris teſtamenti mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt, tam parum firmas promiſſiones habuit, vt ad aduerſariorum conſpectum ab hominum conſpectu ſtatim euanuerit? illáne Eccleſia, quæ cùm ſit ciuitas ſupra montem poſita, abſcondi non poteſt (vt explicat Auguſtinus *de vnitate Eccleſiæ*, cap. 10.) obſcuras deſerti latebras profuga quærere cogetur? illáne Eccleſia, cuius fides ſuper ipſa tecta palam pronuntianda eſt? cuius mamillas ſugent Reges terræ? quæ in Solis tabernaculo poſita eſt vt explicat idem Auguſtinus in Pſalm. 186. in tenebroſa deſertorum antra tyrannorum metu compulſa eſt?

Tertium eſt, quòd in Eccleſia ad miſerum hunc ſtatum redacta omnes & quoſcumque viſibiles Paſtores deficere doceat Cellotius; quod euidenter repugnat diuinis illis Scripturæ ſacræ promiſſionibus, ex quibus perpetuam Paſtorum viſibilium in Eccleſia ſucceſſionem Patres omnes inferunt: nam verbi gratiâ, vbi Propheta regius Pſal. 44. Epiſcopos Apoſtolis ſucceſſuros, interprete Auguſtino, pollicitus ex his verbis, *Pro patribus nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram*; mox ad perpetuam ipſorum ſeriem oſtendendam, addidit, *Memores erunt nominis tui, in omni generatione & generationem.* Vides non ſolùm Paſtores Eccleſiæ Chriſti, ore prophetico promitti, qui ſuccedant in locum Apoſtolorum, ſed etiam quorum legitima ſucceſſio in omnem omnimo generationem ſine intermiſſione perduratura ſit. Plura alia teſtimonia omitto, quæ paſſim apud Catholicos controuerſiarum ſcriptores occurrunt.

Vrgeat iam ergo Tertullianus omnes ſui temporis hæreticos: poſtulet ab illis, vt edant origines ſuarum Eccleſiarum, euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum. Vrgeat Donatiſtas Auguſtinus hoc eodem argumento, vt quâ lineâ ab Apoſtolis deſcenderent oſtendant. Vrgeant omnes Catholici Lutheranos, Caluiniſtas, & cæteros veterum hæreſeωn refricatores, vt dicant nobis, qui ſint, & vnde venerint? vt aperiant à quibus ordinati, poteſtatem prædicandi acceperint, à quibus miſſi. Pro omnibus ſe ſiſtet vnus Cellotius, Marcionitarúmque cauſam contra Tertullianum, Donatiſtarum contra Auguſtinum, omniúmque omninò hæreticarum contra totam Eccleſiam amplectens, facilè reſpondebit Eccleſiam eam eſſe mulierem, quæ metu perſecutorum in deſertum abrepta eſt. Quòd ſi ampliùs vrgeat Eccleſia, vt ſaltem aperiant hæretici, à quibuſnam Paſtoribus ſuam doctrinam acceperint, breuiter reſpondebit Cellotius, nullos tunc homines Paſtorum munus in Eccleſia obiiſſe, cùm illi ſint, qui fugiant, qui latent, qui paſcuntur, ſolos eſſe Angelos, qui mulieris (hoc eſt Eccleſiæ) partum rapiunt in cælum, iidémq; matrem paſcant.

Vide quàm pernicioſa ſit hęc doctrina, quæ validiſſima Catholicorum argumenta conuellat: hoc ſaltem nomine pericuſoſa, quod planè conueniat cum clandeſtinis & inuiſibilibus illis cœtibus, quos ſomniarunt hæretici, vt ad illos tanquam ad ſecùrum mendacij aſylum recurrerent, hócque validiſſimum Eccleſiæ Catholicæ argumentum à perpetua Paſtorum viſibilium ſucceſſione petitum eluderent.

Occurret fortè Cellotius, & Eccleſiam duntaxat à ſe inuiſibilem dictam aſſeret in fine ſæculorum: eóque ſolùm tempore Paſtores viſibiles ceſſaturos, eorúmq;

locum tanquam vacantem Angelos occupaturos. Vacare autem errore propoſitionem iſtam de inuiſibilitate Eccleſiæ, & defectu viſibilium Paſtorum, ſi ad tempus Antichriſti referatur, dummodo toto iſto tempore, quod ad illam mundi deſinentis periodum excurrit, & Eccleſiæ viſibilitas agnoſcatur, & Paſtorum viſibilium neceſſitas adſtruatur. Verùm nec argumentationi allatæ à Cellotio interpretatio iſta affingi, nec ſi affingeretur tanquam Catholica admitti poſſet. Non, inquam, hæc interpretatio Cellotij verbis vel intento congruit. Non verbis, quandoquidem ille generatim & indefinitè loquitur, nec Eccleſiæ perſecutionem potiùs exprimit, quàm aliam quamuis atrocem, quam hæretici aduerſus ſe ab Eccleſia excitatam fingere poſſunt: non intento Cellotij, quia cùm Angelorum paſtorale officium ordinarium probare intendat, eóſque Paſtores eſſe æque ac Sacerdotes viſibiles conetur oſtendere, & Eccleſiam ita inſtitutam à Chriſto eſſe velit, vt ab Angelis Paſtoribus, ſecluſis Paſtoribus viſibilibus, regi & gubernari poſſit, non eſt eius propoſitio reſtringenda ad ea tempora, quibus hac poſità reſtrictione, Eccleſiæ à Chriſto inſtitutæ ſtatus deſiturus, & confuſa Eccleſiæ gubernatio futura reſponderi poſſet. Itaque mens Cellotij eſſe debet, Eccleſiam ex ſua conditione non neceſſariò viſibilem eſſe debere; non Paſtores eius viſibiles eſſe oportere; ſufficere, ſi Angeli inuiſibiles Paſtores eam regant, & viſibilem gubernationem ſuppleant; hanc in Apocalypſi eius conditionem deſcribi, hunc ſtatum Eccleſiæ ingruente perſecutione prædici.

Sed eſto mens Cellotij fuerit, vt Eccleſiam inuiſibilem Sacerdotibus viſibilibus carentem ſolis Angelis paſcendam admiſerit *diebus mille ducentis ſexaginta*, quibus Antichriſti perſecutio deſæuiet, & vt explicat Andræas Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus in eum locum, ἐπὶ παρουσίας τῦ Ἀντιχρίστου ὑπὸ τῦ διαβόλου ἐνεργουμένης φεύξονται οἱ κορυφαιότατοι τῆς ἐκκλησίας, *in Antichriſti aduentu facto per operationem Satanæ fugient præcipui omnium qui in Eccleſia fuerint*. Eſto, inquam, hæc mens Cellotij fuerit; nec reprehenſione vacat, quandoquidem nec iſto toto tempore annorum trium & dimidij, quod explent mille ducenti & ſexaginta dies, credibile eſt nullum Paſtorem in Eccleſia viſibilem futurum, & Eccleſiam Paſtorum viſibilium operâ omninò deſtitutam iri: nam hanc propoſitionem ita explicatam Apoſtolus ad Epheſios 4. cap. deſtruit, teſtatus, *dediſſe Deum in Eccleſia Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*. Tempus ſiquidem iſtud, ad quod vſque Paſtorum & Doctorum viſibilium (de iis enim ibi eum loqui omnes conſentiunt) Eccleſiæ prouidendorum à Deo beneficium extendit Apoſtolus, perſecutione ab Antichriſto excitatâ poſterius eſt; ad illud ſiquidem alludit, quod Antichriſto deſtructo futurum eſt: dum in vnitatem fidei Iudæi cum Chriſtianis conuenient, & Eccleſia ſuam plenitudinem obtinebit, nullâ ampliùs acceſſione ei futurâ, vt interpretatur Auguſtinus lib. 22. *de ciuitate*, cap. 18. Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, Hieronymus, Ambroſiaſter, Anſelmus in eum locum, qui etiam docent ad illud tempus Paſtorum & Doctorum continuationem viſibilium proferendam eſſe, quòd hominũ generalis interitus, & reſurrectio corporum, in ſtatu perfecto ac robuſto mox conſequetur: ſic enim explicant idem Auguſtinus loco citato, Hieronymus in Epitaphio Paulæ cap. 12. Anſelmus & alij. Nec dubium apud Patres relinquitur, quin & viſibiles Paſtores tempore Antichriſti multi ſuperfuturi ſint, quorum aliqui Antichriſto palam contradicent; ex quibus illi ſunt duo qui deſcribuntur Apoc. 12. ac prophetaturi prædicuntur *diebus mille ducentis ſexaginta amicti ſaccis, quorum corpora iacebunt in platea ciuitatis magnæ*, qui ab interpretibus dicuntur futuri Elias & Enoch, de quibus lege Andræam Cæſarienſem in eum locum: quin etiam futuri ſint ex illis Prophetæ illi multi ſeu ſacri Doctores, qui ab Antichriſto occidendi, & à Deo remunerationem accepturi præuidentur à ſancto Ioanne prædicto capite.

Nec probabile eſt ſacramenta & ſacrificium, quæ ſine Paſtoribus viſibilibus adminiſtrari non poſſunt, toto tempore Antichriſti ceſſatura, ſine quibus in vnum nomen religionis populi colligari non poſſunt, vt ait Auguſtinus, ac proinde nec Eccleſia adunari. Verba autem iſta Danielis cap. 9. *Et in dimidio hebdomadis deficiet ho-*

ſtia, & ſacriſitium, & erit in templo abominatio deſolationis, iuxta traditam ab ipſo Chriſto Domino explicationem, cap. 24. & conſenraneè Danielis narrarioni, ac verborum ſeriei: ex qua innoreſcir tempus Chriſti mortis, quæ precedentibus verbis futura prænuntiara eſt, & ea quæ illam ſubſecuta ſunt ibi prænunriari: atque adeò vel de cruenta Chriſti oblatione, quæ tunc conſummara eſt, eſſe ſermonem, vel de ſacrificiis legalibus, quæ Euangelicâ lege promulgara eo tempore, quo Hieroſolymorũ ciuiras erat à Romanis deſtruenda, ceſſarura deſcribuntur, vt explicant Auguſtinus epiſt. 80. ad Heſychium, & interpretes paſſim.

Sed hunc errorem Cellotij iam notauimus, eiúſque accutata refuratio alterins eſt loci ac inſtituti, proindéq; pauca iſta ad illius condemnarionem ſufficiunt: ad alium qui Eccleſiæ infallibilitarem imminuit, eiuſdem errorem refellendum accedimus.

ARTICVLVS II.

Alter error Cellotij contra Eccleſiæ infallibilitatem.

NATVM apud ſe Aurelij Theologi ab Aurelio Grammatico diſcrimen profiretur Cellotius. Potiori ſanè iure Cellotium in Theologũ & Grammaticũ diuiderẽ, niſi rorus potiùs Declamator videretur. Vix infallibilitatis nomen auder proferre, *Quia*, inquir, *Theologicum vocabulum eſt*: ſed in hoc Theologico vocabulo, quàm parùm Theologicè, ſeu potiùs quàm ineptè, quàm periculosè loquatur, videamus.

Libri 4. c. 10. agens de Conciliorũ generalium auctoritate, recenſet conditiones requiſiras ad hoc vr ſummus Pontifex loqui ex cathedra, adeóq; infallibilirer quidquã poſſir decernere; *quarum*, inquir, *conditionũ vel vna ſi defuerit, ex edito vniuerſalis Doctoris ſolio ad priuatæ perſonæ conditionem deuoluitur.* Age ergo, Celloti, profer nobis conditiones illas ad ſupremi Ponr. infallibilirarem adeò neceſſarias; aperi nobis arcanũ illud. Profer eximium hunc lapidem Lydium, ad quem vniuerſalis Doctoris decreta examinanda ſint. *Primam*, inquit, *conditionem ex parte materiæ deſumo, quam volo eſſe propoſitionem veram, verè reuelatam.* Eandem infallibiliraris Conciliorum vniuerſalium condirionem eſſe contendit; nam paulò pòſt pag. 198. ſubdit, *Quæ autem de Pontifice dicimus, ad Concilium generale pro rata portione referri poſſunt.* Ergóne, Ludouice, hæc eſt inſignis ſummi Pontificis, hæc Conciliorum vniuerſalium cum ſummo Pontifice prærogatiua, vt nimirùm nunquam erret Ponrifex, quando ſtatuit propoſitionem veram, & verè reuelatam? nunquam erret Concilium vniuerſale, dummodo propoſirionẽ veram, & verè reuelatam decernat? Hoccine eſt peculiare illud priuilegium à Chriſto Domino vni Petro conceſſum, vt non deficiar fides eius, vr ſc. non aberret, quando veram & verè reuelatam propoſitionẽ ſtarnet? Itáne Eccleſia collecta ſupra fundamenrũ Apoſtolorum ſtar inconcuſſa: turris eſt fortiſſima, ex qua pendet omnis armatura fortiũ, aduerſus eam portæ inferi prevalere non poſſunt, in medio eius eſt Chriſtus, eâ ſcilicet duntaxat adhibitâ conditione, vt veram propoſitionem, & verè reuelarã ſtatuar, ſecus aurem minimè. Quaſi verò de perdiriſſimis quibúſq; hereticis illud eriam dici non poſſit, eos nunquam erraturos, quando veram ſtaruent propoſitionem? quaſi verò infenſiſſimi quoque ipſi Eccleſiæ aduerſarij, ipſam infallibilitatẽ agnoſcere dubirent, modò tua hæc apponarur diſtinctio, vr nimirùm nihil niſi verum decernat, & verè reuelatum à Deo. Vide quàm parùm Theologicè Theologicam hanc rractes quæſtionẽ. Quæris quandónam infallibiliter iudicare Eccleſia cenſenda eſt: *Quando*, inquis, *vera decernit!* abſurda planè reſponſio & vero Theologo indigniſſima; idipſum reſpondes, quod quæritur; cùm Eccleſiam infallibilem eſſe nihil ſir alind quàm eam nihil niſi verum poſſe decernere: adeoq; idem planè ſit qnærere, quandonam Eccleſia propoſitiones veras ſtaruere cenſenda eſt, ac ſi quæreres, quandonam Eccleſia infallibilis habenda ſit. Sed eſto, legitima ſit hæc rua condirio, vt tunc ſolùm infallibiliter iudicaſſe cenſeatur, aut ſummus Pontifex, aut Conciliũ generale, cùm verã propoſitionẽ pronuntiant; ar cuius erir iudicare an vera ſir illa propoſitio, an ipſiuſmet ſummi Pontificis? an populi? Vr ab hac ſe difficultate expediar Cellotius, duplicem in Eccleſia comminiſcirur infallibilitatẽ; actiuam vnam, quæ ſuperioribus propria; paſſiuam alteram, quæ etiam in inferioribus reſideat: atqui dubia futura, & incerta ſupetiorum decreta, nec ab errore tuta, donec ab inferioribus probata fuerinr; donec ſubditorum approbario dubiam alioqui Eccleſiaſticæ hierarchiæ, &

Hierarcha-

Digitized by Google

Hierarcharum confirmet ac ſtabiliat ſententiam: egregium ſane effugium.

Videmus quidem in ſcripturis paſſim promiſſam eſſe paſtoribus in ferendis ſuis legibus infallibilitatem: ſed vbi eam populo ad comprodandas latas à ſuis paſtoribus leges promiſſam reperiet Cellotius? iubet quidem Deus apud Malachiam, vt à Sacerdotibus vera requiratur ſcientia, quia *labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam*. Sed ex populi acceptatione requirendam eſſe non docet.

Legimus quidem in Euangelio Chriſtum amplam paſtoribus prædicandi poteſtatem conceſſiſſe, quia *qui vos audit me audit*: atque inde habemus poteſtatem illam quæ eſt in paſtoribus, non à populi acceptatione, ſed à Chriſto dependere?

Verum non ſolum inferiores ſuperioribus adæquant hæc ſomnia: ſed etiam, quod longe abſurdius eſt, inferiores ſuperiorum ſuorum iudices conſtituunt. Quid enim aliud eſt populum paſſiuam habere infallibilitatem in ſuſcipiendis ſuperiorum decretis, qua ſuperiorum decreta accipiant firmitatem, quam populum conſtitui iudicem, vt ſuperiorum ſuorum decreta ad paſſiuæ ſuæ infallibilitatis regulam examinet? cumque iuxta mentem Cellotii, vt ſciamus an ex cathedra ſummus Pontifex iudicare dici debeat, videndum ſit prius, an veram pronuntiet ſententiam; inferiorum iam erit iudicare, an veram protulerit ſententiam, adeoque an ex cathedra loquutus fuiſſe cenſeri debeat: & quia abyſſus abyſſum inuocat, quis non videt exinde ſequi quod longe ſuperiores ab inferioribus, quam inferiores à ſuperioribus dependeant.

Sed quis ferat quod capite 2. addit idem Cellotius, ius etiam illud ſuperiorum ſuorum decreta examinandi, ad laicos extendi debere, quaſi vero non ſatis eſſet homini Eccleſiaſticæ Hierarchiæ infenſiſſimo, Prælatos inferioribus Clericis ſubiicere, niſi etiam & ipſiſmet laicis venerandos Eccleſiæ antiſtites ſubmitteret?

Quærit hoc capite an ad Concilium Epiſcopale admitti debeant laici? admittendos eſſe reſpondet. *Quod eo*, inquit, *magis concedendum eſt, quod eorum cauſa non infrequenter agitur, & intereſt nullum inuito atque abſenti onus imponi.*

Quid ergo? non iam eſt Epiſcopi ponderare quid ſubditis ſuis præcipere debeat, ſed ipſorummet laicorum expendere quid ſibi placeat? Quid? nihilne poteſt imperare Prælatus, niſi quod populo adlubeſcat, cum è contra Paulus clamitet, ſi *hominibus placerem, ſeruus Dei non eſſem*? ad eumne infelicem ſtatum redacta Eccleſia quem tot lachrymis deplorabat Propheta, vbi ius habet populus præſulibus ſuis imperandi, *vt dicant ſibi placentia*? Et hoc eſt quod Cellotius paſſiuæ infallibilitatis partem ac ſpeciem vocat.

At, inquis, nonniſi legitimas ob cauſas refragari debet populus? Recte, ſed tui eſt examinare, an cauſæ iſtæ legitimæ ſint. Si hoc populo ius tribuas, num illico illum præſulis ſui iudicem ſtatuis: ſi cauſas illas ipſimet præſuli examinandas tribuis? quid opus eſt paſſiua illa infallibilitate tanquam regula, ad quam examinari ſuperiorum reſponſa & decreta debeant? Certe prædicta doctrina Cellotii aliquid habere videtur cum ſententia Spalatenſis commune, quæ continetur lib. 1. c. 12. num. 42. *Deus*, inquit, *Spiritum ſuum toti Eccleſiæ promiſit, non alligando ipſum certis perſonis, ſiue certo generi perſonarum, puta ſolis Presbyteris, aliiſue Clericis ad miniſteria Eccleſiaſtica deputatis: ſed ipſum voluit eſſe per omnes, licet non per ſingulos diffuſum: & conſenſus totius Eccleſiæ non minus intelligitur in laicis, quam etiam in Presbyteris, & Prælatis. Sunt enim etiam laici in Eccleſia, imò ex Eccleſia, ipſiuſque ſolidam, & maiorem partem conſtituunt.* Æqualem ſcilicet quoad infallibilitatem inter laicos & clericos inducebat pſeudo-Epiſcopus Spalatenſis: at Cellotius non æqualem duntaxat, ſed maiorem populo prærogatiuam attribuit: hunc enim paſtorum ſuorum definitionibus robur & firmitatem addere docuit, hunc ad Concilia ad diſcutiendum vocauit, huius conſenſum ad definitionis certitudinem requiſiuit. Nihilominus Facultas Theologiæ Pariſienſis, antequam Cellotius ad ſcribendum de Hierarchia animum appuliſſet, hac cenſura prædictam propoſitionem perſtrinxit. *Hæc propoſitio eſt hæretica, & ſtatus Eccleſiæ perturbatiua, quatenus ad fidei propoſitiones ſtatuendas conſenſum laicorum requirit.*

Ergo, inquies, duplicem negamus eſſe infallibilitatem Eccleſiæ, vnam actiuam, paſſiuam alteram? Vnam in doctoribus, alteram in populis? Abſit vt vtramque negemus, aut alterutram ab Eccleſia tollamus; vtramq; agnoſcimus, vtramque admittimus, quia & Eccleſiæ doctores & paſtores nunquam defuturos prouidit Deus, qui vera ſcient, &

numquam ad hunc ſtatum Eccleſiam redigi ſinet, quin aliqui ſint ex populis qui vera docentibus credant: ſicut enim populis paſtores Deus veridicos, ita populos bonis paſtoribus docibiles promiſit.

Vtrumque promiſit Dominus per Hieremiam cap. 23. & oues quæ ipſum ſequantur, & paſtores qui ad paſcua veræ doctrinæ gregem deducant. *Et ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris ad quas eiecero eos illuc, & conuertam eos ad iura ſua, & creſcent, & multiplicabuntur. Et ſuſcitabo ſuper eos paſtores, & paſcent eos, non formidabunt vltra, & non pauebunt.* Eccleſiæ infallibilitatem vtramque promiſit Deus, actiuam, vt recte doceant qui præficiendi erant, paſſiuam, vt illam docentibus crederent qui in Eccleſiæ ſchola inſtituendi erant; nam & dixit Chriſtus Ioan. 14. cap. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum Spiritus veritatis, quem mundus non poteſt accipere.* Et paulò poſt, *Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.*

Eaque confiſi promiſſione Apoſtoli in Conc. Hieroſolym. congregati Spiritus ſancti oracula eſſe aſſerebant, quæ ab ipſis eſſent decreta, dicentes, *viſum eſt Spiritui ſancto & nobis*, Act. 15. Et ſicut doctoribus illis Spiritus veritatis ad docendum, ita & populis in Eccleſiæ vnitate coniunctis idem Spiritus ad credendum promiſſus fuerat per Ioel. cap. 2. dicentem, *Et erit in nouiſſimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ, & iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores veſtri ſomnia ſomniabunt*: quæ verba Apoſtolus Petrus de diſpoſitione quam ad Euangelii aſſenſum præparaturus erat Dominus in populis, interpretatus eſt Act. 2. Et ab Iſaia prædictum fuerat cap. 54. *Et erunt omnes docibiles Dei*, quæ verba Chriſtus in Euangelica lege complenda docuit, Ioan. 6.

Sed abſit vt infallibilitas actiua, quæ ſolius Chriſti beneficium, eſt paſtoribus ea tantum conditione donetur, vt à ſubditis doctrina paſtorum approbetur: cum potius infallibilitas populorum à paſtorum infallibilitate tanquam à conditione pendeat, non enim ideo vera docent paſtores quia vera credunt auditores, ſed ideo vera credunt auditores, quia vera docentibus aſſentiuntur, quia Dei vocem per eos audiunt iuxta promiſſum Chriſti, *Qui vos audit, me audit*, nam *fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti* ad Rom. 10. ſed *non omnes*, vbi ibid. habetur, *obediunt Euangelio, Iſaias enim dicit, Domine quis credidit auditui noſtro?* Neque tamen minus vera docebant Apoſtoli quando in auditores incidebant incredulos, quam quando credulos nanciſcebantur.

Non ergo infallibilitas doctoris ab infallibilitate diſcentis, ſed ab illuſtratione Dei inſpirantis, & adſiſtentia diuini numinis per Apoſtolos, atq; eorum ſucceſſores loquentis dependet. E contra verò licet fides ſit donum Dei, tamen à doctorum propoſitione dependet, & regula credendi eſt doctrina magiſtri, non è contra; nec populis adſiſtit Deus ad credendum, vt docentis certam doctrinam efficiat, ſed ideo adſiſtit doctoribus, vt eis adhærentes populi ab errore ſeruentur immunes. Quod egregie oſtendit Apoſtolus, dum ad Epheſios quarto dicit Deum Eccleſiæ ſuæ Apoſtolos doctores & paſtores ad vſque ſæculi conſummationem dediſſe, ſecundùm explicationem nobis ſuperiùs traditam, *vt iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumuentionem erroris*. Ac ſi diceret ideo paſtores orthodoxos Eccleſiæ Deum prouidiſſe, vt populorum fides alioqui titubatura firmaretur.

Vnde hæretici, quia Eccleſiæ docentis vocem tanquam incertam contemnunt, tanquam paruuli fluctuantes, *ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis peruenientes* deſcribuntur poſterioris ad Timoth. 3. cap. Pro Petro quoque Chriſtus rogauit Luc. 22. cap. *Vt non deficeret fides eius*, quatenus nimirum, *conuerſus confirmaret fratres ſuos*, & vt nobis ſignificaretur, ideo indefectibilem Romano Pontifici fidem à Deo dari, vt definitionem ſedis ipſius auctoritas cæteros in Chriſti fide circa dubia emergentia roboraret.

Hæc Catholica doctrina eſt quam impugnat Cellotius Eccleſiæ docentis infallibilitatem reſpuens, niſi populorum acceptatione firmetur.

Quod, ne ipſi videamur falſo impegiſſe, audi quid ſcribat capite decimo citato lib. 4. quod *de legitima Conciliorum generalium auctoritate* inſcribitur, pagina 197. *Erit autem hoc loco qui quærat, ſic propoſito fidei articulo* (id eſt, poſt accuratam diſcuſſionem & maturam deliberationem) *ſic latæ, promulgatæque legi quem præſtare cogatur aſſenſum fidelis*

Digitized by Google

quilibet? imo, vt plura vno complectamur articulo, quam habeat in animos noſtros iuriſdictionem aut Concilium generale, aut priuatum Romani Pontificis diploma rem antea dubiam ac incertam auctoritate ſua in alterutram partem definientes? huic vt quæſtioni ſatisfiat, certa ſi placet ab incertis ſecernamus, inuolucra verborum aperta explicatione prodamus. Infallibilitatem Theologico vocabulo notam Eccleſiæ promiſit ſpiritus veritatis. Eſt autem illa duplex, actiua qua quis in veritate proponenda fallere non poteſt, & falſum pro vero oſtendere: paſſiua qua quis falli non poteſt, & falſum ab alio traditum pro vero accipere. Et in Eccleſia quidem tota, ſiue congregatam in Concilio generali, ſiue toto orbe ſparſam conſideres, vtramque infallibilitatem, virtutem ſcilicet primæ veritatis participatricem in eſſe nemo Catholicus ignorat.

Mox verò de ſummo Pontifice differens, eum tanquam priuatum falli poſſe docet, & rationem, ob quam auctoritatis eius reſpondentis tanquam priuati doctoris non ſit admittenda, ait eſſe, quòd non reſponſum illud ipſius ab omnibus recipiatur, eoque titulo eius decretis circa fidem deeſſe aſſerit auctoritatem, quòd à populis non admittantur: verba eius ſunt, *Poteſt enim ipſe* (ſummus Pontifex tanquam priuatus doctor) *& falli credendo, & fallere proponendo, vt cum Stephanus iunior* (*hoc enim exemplum ad manum eſt*) *infantes vino baptiſari poſſe aqua deficiente reſpondit. Cui ſane ſimilibuſque reſponſis ex eo deeſt auctoritas, quòd communi omnium Catholicorum conſenſu non admittantur: quæ paſſiuæ in Eccleſia infallibilitatis effectus eſt & character.*

Ac paulò poſt hæc ſubiungit, *Quæ autem de Pontifice diximus, ad Concilium generale pro-rata portione referri poſſunt.*

Vnde infero, quod ſicut Pontificum decretis etiam circa fidem (nam de iis ſermo eſt, iiſque ſolum propria eſt infallibilitas, quemadmodum aliis ad diſciplinam ſpectantibus eo titulo propria eſt æquitas) auctoritas deeſſe à Cellotio aſſeritur eo titulo, quod à populis non admittatur: eodem quoque Conciliis generalibus, etiam à ſummo Pontifice probatis, poſt maturam diſcuſſionem aliquid definientibus auctoritatem ineluctabilem defecturam, quia populi definitionem Concilii repudiabunt.

Quam ſententiam Cellotii eſſe ea confirmant quæ ſubdit cap 12. eiuſdem lib. pagina 208. vbi probans Conciliis generalibus etiam laïcos intereſſe debere, quod eorum cauſa non infrequenter agitur, & intereſt nullum inuito atque abſenti onus imponi: ſubdit, *Certè in rebus ſubditorum conſenſus exquiritur: quemadmodum ſupra* (ideſt capite 10. cit.) *vidimus reclamantis Eccleſiæ vocem Pontificum & Conciliorum decretis robur detrahere, quæ paſſiuæ infallibilitatis pars eſt, & ſpecies.*

Vult ergo Cellotius definitionibus Conciliorum robur auctoritatémque detrahi reclamante Eccleſiæ voce, quaſi vero veritas veritati poſſit eſſe contraria, & veraci Eccleſiæ docentis definitioni verax & fidelis eiuſdem Eccleſiæ audientis fides contraria eſſe poſſit.

Certe dum in negotio fidei Eccleſiæ acceptantis vocem Eccleſiæ docentis ſententiæ contrariam eſſe admittit, aut docendo Eccleſiam fallere, aut diſcendo falli poſſe, fateri cogitur, & alterutram infallibilitatem euertit Cellotius; eoque periculoſius aberrat, quod eam quæ alterius origo eſt deſtruit, dum ei robur auctoritatémque detrahi docet Eccleſiæ renitentia, cuius acceptationem quæ populis & laïcis etiam conuenit, potiorem exiſtimat eâ quæ in definiendo conſiſtat, & doctorum paſtorumque propria eſt; quam proinde euacuat, & ad conſenſum populorum tanquam ad regulam ſuam reuocat: laïcoſque ad Concilium conſultatores adhibet, quod eorum interſit, cum è contra ſicut officium paſtoris eſt docere, ita vnicum laïcorum munus eſſe debeat, dociles ſe præbere & paſtorum definitionibus parere. Ad quos ſcilicet præclara eſt Gregorii Nazianz. admonitio orat. 9. τὰ πρόβατα μὴ ποιμαίνετε τοὺς ποιμένας, μηδὲ ὑπὲρ τοὺς ἑαυτῶν ὅρους ἐπαίρεσθε. ἀρκεῖ γὰρ ὑμῖν, ἂν καλῶς ποιμαίνησθε· μὴ κρίνετε τοὺς κριτάς, μηδὲ νομοθετεῖτε τοῖς νομοθέταις, οὐ γάρ ἐστι θεὸς ἀκαταστασίας, καὶ ἀταξίας, ἀλλ' εἰρήνης καὶ τάξεως. *Oues, paſtores ne paſcite, nec ſupra fines veſtros aſſurgite, ſatis enim vobis eſt ſi rite paſcamini: Iudices ne iudicate, nec legiſlatoribus leges præſcribite. Non enim eſt diſſenſionis, & confuſionis Deus, ſed pacis & ordinis.*

Digitized by Google

CAPVT III.

Errores Cellotii aduerſus Summum Pontificem.

ARTICVLVS I.

Primus error Cellotii contra auctoritatem Summi Pontificis in aſsignandis limitibus ipſius poteſtatis Patriarchalis.

SVPREMAM Summi Pontificis auctoritatem nullo alio argumento melius conuelli poſſe exiſtimabat Antonius de Dominis libro primo *de republica Eccleſiaſtica*, quam ſi probari poſſet, omnibus & ſingulis Apoſtolis æque datam fuiſſe à Chriſto poteſtatem, ex eoque inferret æqualem quoque Epiſcopis & Patriarchis omnibus ac ipſi Romano Epiſcopo poteſtatem collatam eſſe.

Non longe abeſt ab hoc fundamento Cellotius libro quarto capite ſeptimo, hic enim licet in ſpeciem Summi Pontificis auctoritatem videatur adſtruere, reuera tamen non paruam ipſi infert iniuriam dum ait, *Eccleſia in Conciliis congregata non minus potuit Patriarchæ Romano diœceſes ſuas definire, quam deſcripſit Concilium Nicænum Alexandrino, Chalcedonenſe Conſtantinopolitano, quinta Synodus Hieroſolymitano.*

Non iam diſputo an abſolute poſſit Eccleſia Patriarchatus Romani limites extendere vel minuere; vererer quippe ne ad eam nos quæſtionem adigeret hæc diſputatio, *Quam præterita ſchiſmata & luctuoſiſsimæ orbi Chriſtiano clades tractare nos docuerunt*, vt ipſemet ait Cellotius lib. 4. cap. 10.

Temerariam illam Patriarcharum aliorum cum Romano collationem pronuntio; *Non minus poteſt Eccleſia Romani Patriarchæ quam aliorum diœceſes definire.* Vnde hanc Patriarcharum omnium æqualitatem comminiſceris, Cellotii? an vero te latet quæ in confeſſo eſt apud omnes Catholicos Romani Pontificis ſupra cæteros auctoritas? an neſcis Patriarchalem omnem poteſtatem Apoſtolicæ poteſtatis in Romano Pontifice reſidentis eſſe particulam? Patriarchas Romani Pontificis quodammodo vicarios eſſe, non alterius Patriarchæ? an putas vicarium alicui inconſulto dari poſſe? an auctoritatem alicui Epiſcopo in alios concedi poſſe, quæ non ab eo profluat, qui ſolus plenitudinem habet poteſtatis, & à quo cæteri vocati ſunt in partem ſollicitudinis, vt aiunt S. Leo ſerme 3. *in die aſſumptionis ſuæ*, & epiſt. 89. *ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis*, Vigilius epiſtolâ primâ, *ad Eleutherium*, Gregorius VII. in Synodo Romana capite 23. & in Apologetico Innocentius III. ſermone 2. *in die conſecrationis Pontificis Maximi*, & alii.

Si hoc ignoras, & Patriarchatum nondum didiciſti à Petro originem duxiſſe, & nullum vigere poſſe, qui non ab eo vel eius ſucceſſoribus tacito ſaltem conſenſu firmatus ſit.

Lege quæ de Patriarchis ſuperiùs docuimus, tum vbi de antiquorum erectione, tum vbi de Conſtantinopolitani approbatione per Synodum Chalcedonenſem docuimus.

At, inquis, de Romano Pontifice loquor, non vt totius Eccleſiæ capite, ſed vt Patriarcha; negas, volo, vniuerſalis Eccleſiæ capitis, ſed duntaxat Patriarchæ Romani limites conſtringi poſſe.

Sed cùm idem omnino ſit Patriarcha Romanus qui totius Eccleſiæ caput, poteſtne Eccleſia tam facile ipſo renuente ipſius limites deſcribere, quam aliorum omnino Patriarcharum.

Nulla ſanè difficultas eſt quin Patriarchæ, verbi cauſa Conſtantinopolitani limites coercere poſſit Eccleſia, etiam ipſo renuente, vt ſuperius demonſtratum eſt: ac idemne proferri poteſt de Patriarcha Romano iudicium? pone hinc Eccleſiam in Concilio

congregatam quæ Romanæ diœceſi terminos præſcribere aggrediatur, inde vero Romanum Pontificem huic ſe operi, pro ea qua pollet auctoritate, opponentem, quid putas tunc eventurum? An neſcis primæ Sedis Epiſcopum ab inferiorum antiſtitibus non iudicari? eamque in Eccleſia ſententiam à multo tempore obtinuiſſe? quæ in Concilio Sinueſſano ſub Marcello, & Romano ſub Silueſtro Canone 20. firmata dicitur; quæ à Cyrillo Alexandrino in Concilio Epheſino parte 1. à Concilio ipſo Epheſino in epiſt. Synodica ad Leonem actione 5. ab Anatolio in Synodo Chalcedonenſi act. 3. ab ipſa Synodo epiſt. ad Leonem, & alia ad Valentinianum & Marcianum Imperatores recepta: tandem ne plura congeram, in Synodo Romana quarta ſub Symmacho in principio, Romana ſub Adriano II. Canone 1. relata actione 7. octauæ Synodi ante finem, à Proceribus Galliarũ in vita Leonis III. ab Anaſtaſio Bibliothecario conſcripta, obſeruata, à Gelaſio pluribus epiſtolis, & Opuſculo *de Anathematis vinculo*, Nicolao ad Michaelem Imperatorem poſt medium, Leone IX. epiſtola ad Michaelem Conſtantinopolitanum Patriarcham, Gregorio VII. libro 2. regiſtri, in Ennodio Ticinenſi in Apologetico aſſerta eſt, & ab aliis fortiter defenſa.

Vbi examinanda ſe offert hæc quæſtio, an Concilium ſupra Papam, an Papa ſupra Concilium. Ab hac abſtinendum putas, cuius tamen ſolutionem à doctore Duualio potius quam à Gerſone petendam arbitraris: immo addis, *Nam qui præfractim negant capitis præter Concilium habendam eſſe rationem, edicant, amabo, quæ res Conciliis nonnullis, vt Epheſino ſecundo, & Trullano, & Ariminenſi, Piſano, & ex parte Conſtantienſi pondus auctoritatis abſtulerit?*

Non ergo difficultate caret, poſſit ne Eccleſia Patriarchæ Romano limites decernere, ſi ipſe renuat, cum è contra nulla ſit de aliis Patriarchis difficultas. Cur ergo tam temerè pronuntias, *Non enim Eccleſia in Conciliis congregata minus potuit Patriarchæ Romano diœceſes ſuas definire, quam deſcripſit Concilium Nicænum Alexandrino*, &c.

Non eſt quod pluribus argumentis vrgeam Cellotium, ipſe ſuo ſe telo confodit, nec quidquam eſt quo refelli poſſit efficacius quam illud ipſum, quod profert Conc. Chalcedonenſis exemplum.

Non minus, inquit, *Eccleſia in Concilio congregata potuit Patriarchæ Romano diœceſes ſuas definire, quam Concilium Chalcedonenſe Conſtantinopolitano.* Atqui hoc ipſum eſt Concilium ex quo euidentiſſimum deduci poteſt contra errorem Cellotii argumentum.

Docuimus enim ſuperiùs Legatos Summi Pontificis auſos decreto Concilii in fauorem Conſtantinopolitanæ ſedis intercedere, nec eorum interceſſionem præter morem factam à Conc. Patribus viſam fuiſſe: aut vllum eam tanquam iniquam accuſaſſe: docuimus Concilii Patres à Leone petiiſſe, vt Canones in Concilio editos confirmare dignaretur; excuſaſſe, quod ipſius fauore inchoatam ſedis Conſtantinopolitanæ erectionem ad gradum Patriarchalem promouere auſi fuiſſent: hanc poteſtatem Apoſtolicæ ſedis quandam participationem & effluxum agnouiſſe.

Denique Anatolium Patriarcham Conſtantinopolitanum, ſecundam ad quam anhelabat inter Patriarchas ſedem conſequi non potuiſſe, totius licet Concilii Chalcedonenſis auctoritate, ipſiuſque Imperatoris poteſtate fretum, quod ſolus Patriarcha Romanus S. Leo iſti vſurpationi conſentire noluiſſet.

Vide quæ hac de re fuſe docuimus ſupra agendo de Patriarchatus Conſtantinopolitani erectione, quæ quidem ad nauſeam inculcare piget.

Vnum tantum ad aurem tibi Celloti inſuſurrabo, odioſas eſſe iſtas comparationes eaſdem à te intempeſtiuè prolatas; nec probatione opus, nam id norunt qui tuas lucubrationes notauerunt: denique malo à te ſcriptas animo non dicam: neque enim mali aliquid ſuſpicari velim; ſed nullo bono euentu quæſtiones iſtas ventilare potuiſſe.

ARTICVLVS II.

Error Cellotii Pontificis auctoritatem in Eccleſia Gallicana indebite conſtringentis.

QVI Patriarchicam diuexauit Cellotius Romani Pontificis poteſtatem, ſummam alibi vellicat eius auctoritatem. Et ne quicquam plus æquo Summo Pontifici tribuere videatur, de ſuprema ipſius auctorirate tractare non audet, niſi adhibita hac præfatiuncula qua Ieſuitarum calamum quæſtuoſum non eſſe comprobet, ſeque non vanæ aſſentationis gratia Primatum Petri contra Nouatores aſſerere libro 4. cap. 7. *Maldonatus*, inquit, *noſter Primatum Petri aduerſus Nouatores aſſerturus, ne vana quadam aſſentatione gratiam Pontificis emereri videatur, ita venuſte & aperte præfatur. Ego a Romano Pontifice nihil vnquam habui, nihil me habiturum ſpero, nihil habere volo: quod non ſuo tantum, ſed maximè poſterorum nomine profeſſus cenſeri debet, Ieſuitarum calamum minimè eſſe quæſtuoſum.*

Non eſt Celloti quod tantum labores, vt te à vanæ aſſentationis ſuſpicione libéres; nec tam benignus es erga ſummum Pontificem, vt quæ de ipſius auctoritate ſcribis, hæc à te dicta puremus, quod aliquid vnquam à Romano Pontifice habueris, aut te habiturum ſperes.

Vbi obſeruabis, Lector, poſitam in operis veſtibulo ſupremi antiſtitis effigiem, vbi totum opus VRBANO OCTAVO HIERARCHIARVM PRINCIPI conſecratum conſideras. Vbi magnificam illam ad Sanctiſſimum Pontificem euoluis epiſtolam: vbi denique expendis attentè quanto cum ſtudio vanæ aſſentationis ſuſpicionem à ſe remouere conetur Cellotius, dum ſe ad explicandam Summi Pontificis auctoritatem accingit.

Quid aliud expectas niſi ampliſſimam auctoritatis Pontifici deſcriptionem, quæ nec vllis temporum ſpatiis, nec vllis locorum terminis circumſcribi poſſit.

Vide ergo, mi Lector, quantum tua te fallat expectatio, cum ille ipſe Cellotius quem totum putas eſſe in promouenda Summi Pontificis auctoritate, totus ſit in ea coarctanda libro 5. cap. 17. §. 2. intra eos limites reſtringendam putat Summi Pontificis poteſtatem, vt in Gallia, etiam quoad res mere ſpirituales, locum abſolute non habeat, ſed ea tantum hoc in regno poſſit decernere, quæ iam olim per antiquorum Conciliorum Canones ſtatuta ſunt. *Licet*, inquit, *in Spiritalibus ſupremam habeat poteſtatem, illam tamen abſolutam & indefinitum in Gallia locum non habere, ſed finibus & limitibus iis contineri qui per Canones, & antiquorum Conciliorum in Eccleſia receptorum decreta præſcribuntur.*

Contra quam ſententiam, quam alias ex profeſſo aduerſus hæreticos, & pſeudopoliticos quoſdam impugnaturus ſum, hæc ſolum obiter eo loci obſeruabo; Primùm, hanc propoſitionem in aliquo ſenſu ſumi poſſe, quò nihil prorſus excogitari queat quo magis deprimatur ſupremi Pontificis auctoritas. Nam, amabo, qualis & quam futilis eſt eius poteſtas qui nihil præſcribere poſſit, quam quod antea præſcriptum fuerit à Conciliis & Canonibus antiquis.

Hæccine ſunt, Celloti, Summi Pontificis inſignia priuilegia, quæ tanto ambitu tanta pompâ te expreſſurum pollicebaris! Hæ ſunt ergo peculiares Sedis Apoſtolicæ dotes vt ius habeat ea præcipiendi, quæ iam alias præcepta ſunt, quaſi vero vel vllus ſit in toto orbe cui obediendum non ſit, dummodo ea nobis imperet, quæ iam à veteribus Concil. ſtatuta fuerint, ſaltem ſi in vſu viguerint?

Mirabar ſuperius, vbi agebas de Summi Pontificis infallibilitate, eam te illuſoriam & ridiculam conditionem requirere, vt tunc ſolum infallibiliter iudicet, quando veram proponit ſententiam.

Verùm non minus ridicula hæc eſt noua conditio, quam ad eius decretorum validitatem requiris, vt nempe tunc tantum illi parere debeamus, quando præſcribit, quænam à longo tempore per Canones & antiquorum Conciliorum in Eccleſia receptorum decreta præſcripta ſunt.

Alterum, ſequitur poteſtatem Summi Pontificis ita explicatam non tam præceptiuam

Digitized by Google

fore quàm mere executiuam, quid eſt enim aliud Summum Pontificem ea præſcribere quæ iam aliàs decreta, & recepta ſunt, quam eam ſolum Summo Pontifici curam incumbere, vt veterum Conciliorum ſtatuta recepta executioni demandentur? At ipſe Cellotius lib. 4. capite 10. omnium plane Epiſcoporum poteſtatem non ſolum executiuam, ſed etiam præceptiuam eſſe contendit contra Stapletonum lib. 4. cap. 10. *Ego vero*, inquit, *Apoſtolorum & Epiſcoporum poteſtatem præceptiuam eſſe diſputo, non ſolum executiuam*. Quî vero fieri poteſt vt eam poteſtatem quam Epiſcopis vltro concedit, Summo Pontifici audacter deneget?

Tertium eſt, ſi tunc ſolum audiendus eſt in Gallia Summus Pontifex, cum ea quæ nobis præcipit, veterum Conciliorum ſtatutis præcepta ſunt; Cuius erit, amabo, conformitatem iſtam expendere? nullum ſanè dubium eſt, quin hoc etiam populo ius tribuat Cellotius; id enim infallibilitatis paſſiuæ pars eſt, ea ſpecies, vt iam ex eius libri 4. cap. 10. & 11. retulimus.

Sed quis non videt quam facilem exinde occaſionem accepturus ſit populus contra Summi Pontificis ſtatuta rebellandi, eaque repudiandi quoties lubebit, dum ea aliquid noui continere comminiſcetur, quod per Canones & antiquorum Conciliorum in Eccleſia receptorum decreta præceptum non ſit? atque adeo quis non videt non tam Summum Pontificem populi, quam populum Summi Pontificis iudicem conſtitui?

Quartum vel Cellotius loquitur de ſtatutis quæ ad fidem, vel de iis, quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinent.

Non loquitur ſane de fidei: quis enim credat in hunc errorem delapſum eſſe Catholicæ profeſſionis Sacerdotem, vt credat aliam in Gallia, aliam in Italia fidem prædicandam eſſe? Hanc peculiarem Eccleſiæ Romanæ prærogatiuam tribuit S. Paulus ſcribens ad Romanos cap. 1. quod eius *Fides annuntietur in vniuerſo mundo*: at ſane ab hac ſua excemplo prærogatiua excideret, ſi ſedis Apoſtolicæ decreta ad fidem ſpectantia, quæ à toto orbe Chriſtiano ſumma cum reuerentia ſuſcipiuntur, in vno Galliæ regno non annuntiarentur?

Vult idem Apoſtolus ad Epheſios 4. vt ſicut eſt *vnus* omnium *Dominus*; ſic etiam *vna fides & vnum baptiſma*. Atqui foret vna omnium fides; ſi ſpeciale ius ſibi Gallia arrogaret, eam non admittere fidei regulam quæ à cæteris orbis Chriſtiani partibus admitteretur?

Conſtat ergo Cellotium loqui de iis ſtatutis quæ à morum directionem pertinent. Quis autem ferat ius illud ab eo Summo Pontifici hoc loco detrahi quod lib. 8. cap. 10. infinitis prope doctoribus concedit. Totus eſt hoc cap. 10. vt oſtendat nouum in dies Theologiæ moralis ſcriptorum agmen prodire in lucem debere: quia cum quotidie nouæ exurgant difficultates, nouis quoque reſolutionibus opus eſt. Paragrapho primo Reginaldum laudat quod recentiorum præſertim ſententiam ſequeretur, quia *quæ circa fidem emergunt difficultates, eæ ſunt à veteribus hauriendæ, quæ vero circa mores homine Chriſtiano dignos, à nouiſsis ſcriptoribus qui temporum noſtrorum naturam & ſtudia penitus introſpexerunt*, inquit ipſe.

Quid ergo? nouæ quotidie prodibunt ſcriptorum cateruæ, qui nouas etiam in Gallia præſcribant viuendi regulas, non licebit verò Summo Pontifici, cui præſertim incumbit deprauatos Chriſtianorum mores corrigere, de nouis iis difficultatibus ſuum proferre iudicium?

Licebit recentioribus illis Theologiæ moralis ſcriptoribus nouis ſuis operibus Bibliopolarum officinas implere, vt qui ſummam ingentem pecuniæ confeſſarii iudicio reſtituendam deferunt, ſi rogent *num quid noui?* offeratur ipſis recens Theologiæ moralis ſcriptor, à quo reſtituendi obligationem ſolutam diſcant, & abiecta ſcrupuli ſarcina retento auri onere leuiores domum repetant: vt alibi non ſine egregia approbatione narrat Cellotius.

Non licebit verò Summo Pontifici plures ex iis ſcriptoribus, pro ſumma qua pollet auctoritate condemnare, quod morbos animæ non tam curent quam diſſimulent, diſciplinamque Eccleſiaſticam non tam confirment quam eneruent; certè dum euolnis illos recentiores, non eos iis limitibus continendos putas, vt nihil prorſus dicant, quam quod alias per veterum Conciliorum Canones decretum fuit?

Expreſsè quæris, *numquid noui?* tantum abeſt vt ea requitas quæ ſacram antiquita-

tem redoleant, cur ergo à Sũmmo Pontifice ſolus antiqui iuris confirmationem poſtulas, quod recentioribus illis ſcriptoribus nouis gloſſematis, interpretationibuſque corrumpi probas?

Quintum, non parum hac ſententia de auctoritate Summi Pontificis detrahit, & quidem contra apertas Chriſti Domini promiſſiones toties S. Petro repetitas. Quis enim dicat iis limitibus conſtrictam fuiſſe à Chriſto D. Petri poteſtatem, vt ad primos ſolum eius ſucceſſores deberet extendi, totaque ipſius auctoritas intra quatuor priora ſæcula exhaurienda eſſet, cum è contra polliceatur Chriſtus ſe ſemper ſuę adfuturum Eccleſiæ vſque ad conſummationem ſæculi, nihilque ſit apud Patres communius quam Petrum in omnium ſuorum perſona viuere & docere.

Age enim, Celloti, profer vel vnum ſcripturæ teſtimonium, vel vnicam è Conciliis aut ſanctis Patribus ſyllabam, vnde hæc auctoritatis Pontificiæ diminutio, vel leiuſcula ipſius vmbra poſſit erui? à quo tempore, quo pacto, qua ratione tantum de ſua auctoritate deperdidit Summus Pontifex, vt nihil amplius de nouo poſſit ſtatuere, cum è contra, noua in dies etiam in Gallia graſſentur mala quibus vetera Concilia prouidere non potuerunt, quibus proinde nouum adhibendum eſt aliquando remedium; à quo vero nouum hoc parabitur remedium? an à Conciliis? Verum hi cœtus Cellotio non placent, cum periculoſa ſit eorum conuocatio, eoſque ſapientiſſimi quique ſemper timuerint, vt ait libro 4. capite 10. An à temporali magiſtratu? ſed eam à iudiciis Eccleſiaſticis legibuſque circa res ſpiritales ferendis tot leges, tot Concilia, tot Patres remouerunt, vt eum circa Eccleſiaſticam diſciplinam ſolum legiſlatorem admittere citra errorem non poſſis? An à Facultate Pariſienſi, quæ auctoritatem legiſlatiuam nunquam habere prætendit, didactiuam vero nec Cellotius admiſit? (An à recentioribus Theologiæ moralis ſcriptoribus? placeret forte hoc Cellotio, iiſque omnibus qui planam & facilem ad cœlum viam ſterni cupiunt: ſed neſcio an in Chriſti ſchola enutritis placeat, qui à magiſtro didicerunt nonniſi per violentiam cœlum rapi.) A quo ergo tam ſalutare tantique ponderis expectabimus remedium, niſi ab eo ad quem totius orbis Chriſtiani cura pertinet? qui ſi ſecuram decretorum ſuorum oraculo conſcientiam noſtram fecerit, num (potiori iure quam ſi recentem aliquem auctorem conſuluiſſet) erumpes tu in lætum εὕρηκα? non triumphabis gaudio? abſtinebis ab oſculo decretis ſalutaribus imprimendo?

Abiura, ergo mi Ludouice, hunc circa Summi Pontificis poteſtatem, grauiſſimum errorem, quo Eccleſiæ periculum, Galliæ infamiam creas.

Noli quæſo dicere, in Gallia Summum Pontificem, nihil poſſe de nouo præcipere, niſi quod præcedentes Canones in Gallia recepti determinarint. Hic tamen prædictorum tuorum verborum videtur eſſe planiſſimus ſenſus. Niſi forte dixeris, aliud tibi viſum, aliud intentum, aliud à te ſcriptum fuiſſe, nimirum abſolutam in Gallia Summi Pontificis poteſtatem non recipi, ſed eam non quidem reſtringi ad ea ſtatuenda quæ antiqui Canones in Gallia recepti demonſtrarunt: hic enim tuæ propoſitionis alter ſenſus eſſe poteſt; ſcilicet vt aliquibus limitibus concluſam dicas à Conciliis Summi Pontificis poteſtatem, nec Galliam pati, vt extra limites illos excurrat.

Verum hic ſenſus conſtare nullatenus poteſt: numera enim, vel, ſi plura referre non potes, vel vnum nomina antiquum Concilium, quod Summi Pontificis poteſtatem reſtrinxerit, quod eius poteſtati limites perſcripſerit, quod intra certos fines eam coercuerit.

Nullum certè ex antiquis nominare poteris. Conſtantienſe vel Baſilcenſe ſi citere, memineris illa antiqua non eſſe Concilia, & in paucis quibuſdam poteſtatem Summi Pontificis reſtrinxiſſe, eaſque ab eodem factas Pontificiæ poteſtatis reſtrictiones, vt circa Cardinalium numerum, aliaque id genus ne in Gallia quidem eſſe receptas.

E contra nullos fines, nullos limites ab antiquis Conciliis, & Canonibus in Gallia receptis Pontificiæ poteſtati præſcriptos fuiſſe legimus. Innumera proferre poſſumus decreta in Galliis recepta, quibus illimitata quædã poteſtas Summis Pontificibus conceſſa animaduertatur, quæ & ab omnibus ad Sedem Apoſtolicam appellari, & de omnibus Summum Pontificem iudicare, & ab eius ſententia non prouocari, & inuiolabilem ipſius decretis in omnibus obedientiam ſeruari debere conſtituunt: ſed paucis contentus ab aliis abſtinebo. Audi Siricium, epiſt. ad Himerium Tarraconenſem decreta ſua

Digitized by Google

Canonibus exæquantem iis verbis: *Qnamquã ſtatuta Sedis Apoſtolicæ vel Canonũ venerabilia definita nulli ignorare ſit liberum.* Audi Zoſimum in decretis cap. 1. & 2. *Scis quiſquis hæc poſtpoſitâ Patrum & Apoſtolicæ Sedis auctoritate neglexerit, diſtrictius vindicandum, vt loci ſui minimè dubites ſibi non conſtare rationem, ſi hæc putat poſt prohibitiones impune poſſe tentari.* Scias tamen has literas Zoſimi ad Gallias, Africam, Hiſpaniaſque tranſmiſſas: lege & eiuſdem epiſt. ad Patrophilum Arelatenſem.

Audi quid dicat Gelaſius Epiſcopis Lucaniæ, *Indignum eſt quemquam Pontificum hanc obſeruantiam refutare, quam B. Petri Sedem & ſequi videat, & docere.*

Audi Simplicium epiſt. Zenoni Epiſcopo Hiſpalenſi, *Apoſtolicæ inſtitutionis decreta, & Sanctorum ſermones Patrum nullo modo tranſcendi permittas.*

Audi Papam Agathonem II. diſtinct. 19. relatum, *Sic omnes Apoſtolicæ Sedis ſanctiones accipiendæ ſunt tanquam ipſius diuini Petri voce firmatæ ſint.* Audi Gregorium *ad Abbatem Giraldum, Hæc Sedes Romana ſpeculationem ſuam toti orbi indicit, & nouas conſtitutiones omnibus mittit.* Audi Stephanum V. cit. diſt. 4. Can. 4. *Enimvero quia in ſpeculum & exemplum Romana Eccleſia, cui nos Chriſtus præeſſe voluit, propoſita eſt, ab omnibus quicquid ſtatuit, quidquid ordinat, perpetuo & irrefragabiliter obſeruandum eſt.* Audi Greg. IV. Can. ſequenti, *Nulli fas eſt vel velle vel poſſe tranſgredi Apoſtolicæ Sedis præcepta.* Lege Vrbani II. Can. *Sunt quædam* 25. quæſt. 1. Nicolai I. epiſt. *ad Epiſcopos Galliæ*, cuius fragmentum habetur diſtinct. 19. Can. 1. & alios paſſim. Hæc decreta negas in Galliis recepta, quorum obſeruationem tot ſæculis in Gallia vidimus. Sed ſi tot ſanctiſſimis Romanis Pontificibus fidem denegas, aliorum auctoritas præſto erit, idem affirmantum quod Romani Pontifices docuerunt.

Audies Epiſcopos Dardaniæ epiſt. *ad Gelaſium*, Stephanum Dorenſem Epiſcopum libello Martiano Papæ oblato, Theodorum Studitam, epiſt. *ad Paſchalem*, Concil. 1. Bracharenſe 22. & 23. Iuſtinianum Imperatorem epiſtola *ad Bonifacium Papam*, Kenulphum Regem Merciorum apud Anglos epiſt. *ad Leonem III.* & alios paſſim. Sed placet domeſticos audire, vel domeſticæ Galliarum diſciplinæ teſtes.

Audi Valentinianum III. Imperatorem in cauſa Gallicana ita reſcribentem, *Verùm ne leuis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliqua minui religionis diſciplina videatur, hoc perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis Gallicanis aliarum prouinciarum contra conſuetudinem veterem liceat ſine viri venerabilis Papæ vrbis æternæ tentare, ſed illis omnibuſque pro lege ſit, quicquid ſanxit vel ſanxerit Apoſtolicæ Sedis auctoritas.*

At legem forte Valentiniani minime receptam dices? Itane Imperatorio reſcripto Galli ſub Imperio Romano eo tempore poſiti reſiſtere potuiſſe aut voluiſſe præſumentur, qui Romanorum leges religioſe obſeruaſſe deprehenduntur ex Conc. Aurelianenſis anni 521. Canone 1. Synodi Turon. 2. an. 567. Canone 20. & 21. Clotarii Regis edicto anni 560. & aliis.

Sed audire vis ipſos Gallos, nec illi tibi deerunt rationabilis obſequii, vt loquitur Apoſtolus, Romano Pontifici in omnibus exhibendi teſtes, Conc. Turonici 2. Patres Canone 2. *Quis Sacerdotum*, inquiunt, *contra decreta talia, quæ à Sede Apoſtolica præceſſerunt, agere præſumat?* & paulò poſt; *Quorum auctorum valere poſſit prædicatio, niſi quos Sedes Apoſtolica aut intromiſit ſemper, aut apocryphos fecit? & Patres noſtri hoc ſemper cuſtodierunt, quod eorum præcepit auctoritas.*

Vnde in Synodo Galliarum à Pipino & Carolomanno ducibus coacta an. 743. Galli teſtantur & Bonifacius Moguntinus epiſt. 105. profeſſi ſunt *ſe vnitatem & ſubiectionem Romanæ Eccleſiæ fine tenus vitæ velle ſeruare, S. Petro & eius Vicario velle ſubiici.* Eorum quoque regius Imperator Carolus recepto Romani Pontificis epiſtolarum codice ab Adriano II. per Angilramnum Metenſem, in capitulari Aquiſgranenſi dato anno 789. cap. 58. in eorum decretorum gratiam decreuit, vt *ſi quis Sacerdotum contra conſtituta decretalia præſumptuoſe agat, & corrigi nolens ab officio ſuo ſubmoueatur.* Eiuſdem apud Nauclerum volumine 2. generatione 28. Ivonem Carnotenſem parte 5. decreti Can. 50. & Gratianum diſt. 9. Can. 3. egregia vox quæ ab aliis Carolo Caluo tribuitur, refertúrque in Concilio Triburienſi Can. 30. *In memoriam B. Petri Apoſtoli honoremus ſanctam Romanam, & Apoſtolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſe debeat Eccleſiſticæ magiſtra rationis: quare ſeruanda eſt cum manſuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa ſancta ſede imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus.*

Denique Patres Concilii Pontigonenſis anno 871. collecti, cui intererat Hincmarus Remenſis cum variis diuerſarum prouinciarum Metropolitanis & Epiſcopis, *Vt honor,* inquiunt, *Domino, & ſpiritali Patri noſtro Ioanni Summo Pontifici & venerabili Papæ ab omnibus conſeruetur, & quæ ſecundùm ſacrum ſuum miniſterium auctoritate Apoſtolica decreuerit, cum ſumma veneratione & debita illi obedientia in omnibus conſeruetur*, quæ totidem verbis habentur inter capitula Ludouici Pii.

Hæc mens Eccleſiæ Gallicanæ ſemper fuit; hæc antiqua maiorum noſtrorum traditio: ideoque poteſtatem iſtam Romani Pontificis ampliſſimam, libertatum Eccleſiæ Gallicanæ fundamentum & principium ſtatuit illuſtriſſimus Præſes à Marca lib. 1. *de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, ſeu *de concordia Sacerdotii, & imperij*. Tu vero imminutionem iſtius poteſtatis idem fundamentum ſtatuis; ne pudeat te à Præſide curiæ ſæcularis, & Conſiſtoriano Comite viro clariſſimo religioſum & Sacerdotem venerationem erga Romanum Pontificem, mentem ea de re Galliarum, & regiorum miniſtrorum ſententiam edoceri.

Citas ſomnium Viridarii Carolo V. oblatum, & in Catalogo librorum prohibitorum relatum à Paulo IV. anno 1564. die 4. Martii; ab auctore innominato tempore iam ſchiſmatis inchoati conſcriptum, qui Philothei Achillini conſiliarii Regii laruam induit, vt tutiùs lateret. Hic ficto inter militem & clericum dialogo, de iuriſdictione Regis & Sacerdotali diſputauit: tu, quæ à milite pro tua ſententia ſcripta quoquo modo videntur, profers, neque enim adeo reſtrictam, ac tu Romani Pontificis poteſtatem miles contendis: nec attendis quæ à Clerico in contrarium diſceptantur.

Citas tractatus quoſdam à diuerſis conſcriptos, & tom. 1. de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ inſertos, in quibus craſſos errores & patentes hæreſes adnotarunt octodecim Epiſcopi Gallicani ab Eminentiſſimo Cardinali de la Rochefoucault Pariſiis collecti epiſtola ſua encyclica edita anno Dom. 1639. quorum aliqua leges ſi vacet pag. 169. linea 6. & lin. 22. & 23. pag. 170. lin. 2. pag. 172. lin. penult. pag. 174. lin. 25. & 26. pag. 176. lin. 17. pag 179. lin. 9. & 13. & alibi paſſim.

Hos præſertim tractatus erroris nota inuſſerunt Epiſcopi Gallicani, potius quam grande illud opus pro defenſione libertatum Eccleſiæ Gallicanæ, quod te non tangere ſcribis ad marginem, reuerentiâ Epiſcopalis cenſuræ qua affectum eſt.

Citas Facultatem Theologiæ Pariſienſis oratione habita in Senatu Pariſienſi, cum Legationi Cardinalis Amboſii intercederet, quæ quidem oratio refertur tom. 2. libertatum Eccleſiæ Gallicanæ capite 23. num. 12. nec eam omnino propoſitionem continet quam tu ei affingis, dum ait, *in hoc maximè* (puta quod abſolutam & indefinitam Romanus Pontifex in ſpiritalibus poteſtatem non habeat, ſed finibus & limitibus iis contineatur qui per Canones, & antiquorum Conciliorum in Eccleſia receptorum decreta præſcribuntur) *conſiſtere libertatem Eccleſiæ Gallicanæ Facultas Pariſienſis olim in Senatu Pariſienſi profeſſa eſt, cùm Legationi Cardinalis Amboſii, intercesſit*: Non, inquam, hanc propoſitionem continet: Hac oratione Pariſienſis Vniuerſitas gratis expectatiuis, & reſeruationibus beneficiorum à Papa fieri ſolitis ſeſe oppoſuit, Concilii Baſileenſis in fauorem Graduatorum decreta tutatus eſt, ius commune quo Gallia in electionibus ad Sacerdotia fruebatur, immutari doluit: non poteſtatem, ſed æquitatem Summi Pontificis conatibus deeſſe cauſata eſt: hæc ad tuæ cauſæ patrocinium ne vel tantillum faciunt.

Hanc ſi tu agnoſceres libertatem eſſe Eccleſiæ Gallicanæ, vt antiqua decreta conſtanter teneat, relaxationem diſciplinæ non patienter ferat, priuilegia Eccleſiæ vtilia à Summis Pontificibus ſibi rationabiliter proinde conceſſa ægrè abſque cauſa ſibi eripi patiatur; iura antiqua ſtudioſè foueat, ſuaque ita tueatur, vt non euertat aliena; legibus Summi Pontificis interdum ita obſiſtat, vt perturbationem ex innouatione prouenientem impediat, quam nec Summus ipſe Pontifex vellet inducere: conſentientes habebis ipſos Summos Pontifices, Zoſimum epiſt. *ad Epiſcopos Narbonenſis* prouinciæ, Celeſtinum epiſt. 1. ad eoſdem, & 2. *ad Epiſcopos per Apuliam & Calabriam conſtitutos*, Leonem epiſt. 51. *Anatolio*, & 52. alias 54. *Martiano*, 95. *Rauennio*, Gelaſium *ad Epiſcopos Dardaniæ*, & epiſt. *Creſconio, & Ioanni Meſſaliæ Epiſcopis*. Gregorium Magnum libro 1. epiſt. 75. *Epiſcopis Numidiæ*, lib. 2. epiſt. 37. *Natali Epiſcopo*, lib. 3. indict. 10. *Dominico Carthaginenſi*, epiſt. 39. libro 70. indict. 1. epiſt. 17. *Bonifacio defenſori*, eiuſdem lib. indictione 2.

epiſt. 64. *Proiecto illuſtri*, & 117. *Virgilio Arelatenſi*, Leonem IV. *Lothario*, Nicolaum *Hincmaro Rhemenſi*, & alios ex quibus plurima citant Hincmarus Remenſis opuſc. 55. capitum cap. 10. Ivo Carnotenſis epiſt. 60. *Hugoni Lugdunenſi*, Gratianus 25. quæſt. 1. & 2. & alii paſſim. Qui omnes nec ſtatuta maiorum conuelli, nec priuilegia Eccleſiarum immutari, nec ſemel ordinata & rationabiliter deciſa vlla in poſterum refragatione turbari volunt.

Hæc vera libertatis Eccleſiæ Gallicanæ, notio eſt, quam ἐλευθερίαν Conc. Epheſinum Can. 8. approbauit, Eccleſiam Cypriorũ ſui iuris eſſe definiens, ab Antiocheni Patriarchæ ordinatione immunem, cui antiquam allegatam prærogatiuam ſeruari voluit, ne quid circa eam innouaretur, non poteſtati Eccleſiæ terminos figens, ſed officio. Quem diſtinctionem eleganter explicat S. Ber. lib. 3. de Conſider. cap. 4. vbi apud Eugenium variis priuilegiis ordinem antiquum perturbari conqueritur, *Sic*, inquit, *factitando, probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed iuſtitiæ forte non ita.* Eandem inſinuat Apoſtolus 1. Cor. 6. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt.*

Atque ita fit, vt Summi Pontifices inre præſumantur nolle eas prouincias, quæ antiquam retinent Eccleſiæ diſciplinam, nonis ſuis legibus, quas exerratio aliarum prouinciarum à veteri diſciplina differentes extorſit, obligare; vt tuta conſcientia poſſe dicantur prouinciæ iſtæ antiquitatis tenaces noua iſta ſtatuta non acceptare: tum quod minus perfectam, vt plurimum regulam præſcribant quæ antiquo mori præiudicant, tum quod à veteri conſuetudine ſine graui plurium ſcandalo & perturbatione vix dimoueri poſſint: *Ipſa quippe*, vt ait Aug. epiſt. 118. ad Ianuarium, *mutatio conſuetudinis etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat: quapropter quæ vtilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt.* Cui conſonat Synodus Conſtantinopolitana 9. ſub Ioan. 8. Act. 2. *Vbi neceſſitas non eſt, nullo modo violentur Patrum ſtatuta, vbi vero neceſſitas fuerit, ad vtilitatem Eccleſiæ, qui poteſtatem habet, ea diſpenſet; ex neceſſitate enim fit mutatio legis.* Tum quod quæuis immutatio circa veterem diſciplinam plurinm ambitionem accendat, vt contra ſtatuta maiorum importuna procuratione, & flagitatione graſſentur.

Contingit etiam non male aliquando pro lege ſua introducenda agere Summum Pontificem, quando ipsâ demptâ vna aut altera prouincia per reliquum orbem vim obtinet, tunc enim habet iuſtam occaſionem vrgendi, ne à capite & reliquo fere toto corpore pauca aliqua membra diſſideant, quod incongruum duxit Gelaſius epiſt. ad *Epiſcopos per Lucaniam*: quod Auguſt. pariter abſurdum viſum eſt in libris Confeſſ. docenti, *turpem eſſe omnem partem quæ toti non congruit*, ſi diſcriminis ſcilicet nulla ratio adfuerit. Ideoque iuſta interdum vtrinque cauſa eſt, vt Summo Pontifici pro conformitate totius Eccleſię pugnandi, & quibuſdam prouinciis pro antiquitate tuenda renitendi: quæ contentio dummodo charitatis in Summo Pontifice, modeſtiæ in populis limites non excedat, non magis vituperanda videtur, quam quæ olim inter Angelos Perſarum & Iudæorum refertur in ſcripturis, vel quæ inter Polycarpum & Anicetũ pro die Paſchatis interceſiſſe narratur ab Euſebio lib. 4. cap. 13. & 5. cap. 240. eo nempe tempore, quo inter Catholicos de diſciplina tantum agebatur, & Aſiaticarum Eccleſiarum mos vetus tolerandus cenſebatur; qui tamen iure poſtea præſcriptus eſt à Victore, eo ſcilicet tempore quo Cataphryges hæretici, teſte Paciano epiſt. *ad Sympronianum, de nomine Catholica*, Eccleſiam Catholicam incuſabant quod Aſiaticorum morem non obſeruarent, eoque argumento Blaſtus quidam hæreticus Iudaïſmum latenter in vrbe Roma introducere tentaret, teſte Tertulliano *de præſcriptionibus* cap. 53. Hæc quia ignorauit Cellotius, prætextu libertatum Eccleſiæ Gallicanæ propugnandarum, quas antiquo iure præſcriptas non inficiamur, auctoritatem Summi Pontificis ſupra modum imminuere tentauit, quod iniurium diuinitus inſtitutæ poteſtati ducimus.

Plura addit idem auctor cit. cap. 5. pag. 358. item pag 37. cap. 20. lib. 5. quorum aliqua ſchiſma redolent, & defectionem a Romana Sede, vt dum Galliarum Reges Chriſtianiſſimos, nec Epiſcoporum inferiorum ſedium, nec ipſius Summi Pontificis cenſuris imperi poſſe innuit, ſed à cenſuris Epiſcopalibus immunes eos eſſe vniuerſim docet, quæ propoſitio nunquam in mentem venit cuiuſquam Catholici. Alia contra fidem hiſtoriæ, & aperte falſa effutit, plurima Catholico Sacerdote indigna, & turpem adulationem continenria, quorum explicatio, quia fuſiorem diſputationem exquireret, à nobis prætermittitur. Quibus tamen nolim adſcribat aduerſarius hanc opinionem quaſi

Digitized by Google

Regum noſtrorum, qui Eccleſiæ columnæ, Sedis Apoſtolicæ defenſores, libertatis Eccleſiæ propugnatores præ cæteris regibus extiterunt, priuilegia non ſumma reuerentia complectar, non omni ardore defendere paratus ſim, non magnifice prædicem. Sed *honor Regis iudicium diligit*, nec reuerentiam dicta priuilegia Regibus noſtris conciliant, ſed inuidiam, eoſque turpificant potius, quam honorant, & dum mendacia proferuntur, veris derogatur.

ARTICVLVS III.

Varia errata Cellotii circa Summum Pontificem, & poteſtatis ipſius inſtitutionem: vbi varia inſerit reprehenſione pariter digna, circa Apoſtolos & Epiſcopos.

§. I.

Docet Cellotius rationem capitis, & Epiſcopatum ſibi inuicem in Petro accidentaria eſſe.

HACTENVS circa præcipuas dotes Summi Pontificis, infallibilitatem ſcilicet eius in docendo, poteſtatis amplitudinem tam ſummæ quam Patriarchalis, hallucinatum Cellotium vidimus: ſed nullibi ſæpius craſſiuſque aberrauit, quam dum eiuſdem poteſtatis, tam vt Eccleſiæ caput eſt, quam vt Occidentis Patriarcha, aut Romanus Epiſcopus, inſtitutionem & originem in Petro delineare nobis voluit. Multos enim ibi errores ſimul inuoluit, qui ſi à nobis ſepararentur ad eius mentem percipiendam, eadem pluries reperere cogeremur. Itaque vt mens ipſius pateat, nec aliquid ei affingere videamur, conſequenti ſerie integram ab eo inſtitutam Summi Pontificis cum Petro, & Apoſtolorum cum Epiſcopis comparationem κατὰ πόδα impugnare aggrediemur.

Suam verò ſententiam fuſius ipſe explicat lib. 4. cap. 9. quo loco ſtatuit, *Tria eſſe in Petro, rationem capitis, Apoſtolatum, Epiſcopatum, omnia ſibi inuicem accidentaria, duo in reliquis, Apoſtolatum, & Epiſcopatum: vnum in eo ordine quem tractat Epiſcopatum. Petrum, qua caput, maiorem eſſe Apoſtolis; qua Apoſtolum, parem; qua Epiſcopum, inferiorem: vt caput nihil poſſe etiam in Apoſtolos; vt Apoſtolum nihil non poſſe, quod illi, in omnes fideles: vt Epiſcopum priuato gregi ius dicere. A capite eſſe Patriarchalium in Eccleſia Sedium inſtitutionem, ab Apoſtolatu Epiſcoporum ordinationem, ab Epiſcopatu Presbyterorum conſecrationem.* Quibus verbis plura peccat.

Primum, quod Epiſcopatum, & rationem capitis in Petro ſibi inuicem accidentaria eſſe doceat, quæ vnica propoſitio duos errores complectitur.

Primùm Montaniſtarum, qui teſte Hieronymo epiſt. 54. *ad Marcellam, in tertium, ac penè vltimum locum Epiſcopos deuoluebant, quorum apud Catholicos primus erat locus: habebant enim ſuprà Epiſcopus primos de Pepura Phrygiæ Patriarchas; ſecundos quos appellabant Cenones*, quam vtique temerariæ & erroneæ Epiſcoporum collationis notam à ſe repellunt Catholici ea ratione, quia Montaniſtæ ſupra Epiſcopos alios non ex ordine Epiſcoporum conſtituebant, ideoque Epiſcopatum tertium in Eccleſia gradum ponebant, nos vero neminem directe ſupra Epiſcopos conſtituimus niſi ex Epiſcoporum ordine, ideoque ſupra hunc ordinem nullum alium ſtatuimus, licet ex Epiſcoporum numero vnum cæteris prælatum defendamus.

At ruit iſta ſolutio, ſi Petro vt capiti Eccleſiæ, accidentarium ſit eſſe Epiſcopum: hoc enim poſito, quamuis per accidens cõtingat in eodem Petro ſimul hæc duo reperiri, Epiſcopatum & rationem capitis Eccleſiæ: quia tamen dignitati capitis Eccleſię accidentaria erit dignitas altera Epiſcopalis, verè ſupra Epiſcoporum ordinem diſtinctus ordo aliquis à Catholicis ſtatueretur, ſicut à Montaniſtis ſupra Epiſcopos Patriarchæ de Pepura, & Cenones. Quod ex Cellotii propoſitione conſectarium reſpuit Eccleſia Catholica, quæ à Chriſto edocta ſtatuit, ſicut presbyteri dignitas in Epiſcopali includitur, ita in Papali Pontificiam, ſeu Epiſcopalem includi, & ſicut accidentarium dici nequit Epiſcopo, qui ſummus Sacerdos antiquitus vocabatur, quod ſit Sacerdos: ita Summo Pontifici, ſeu ſummo Hierarchæ accidentarium non eſſe, quod Epiſcopus ſit & Hierarcha.

Alterum

Google

Alterum errorem eadem propoſitio continet, nempe quòd duæ iſtæ rationes in Petro accidentariæ ſint, eſſe ipſum caput Eccleſiæ, & eſſe vel eſſe debuiſſe certæ Eccleſiæ Epiſcopum, in qua Cathedram principalem conſtitueret, à qua vnitas ſacerdotalis exoriretur. Quæ duo licèt formaliter diuerſa ſtatuantur, diuidere tamen ſine grandi ſacrilegio non licet, nec illas rationes quaſi ſibi inuicem accidentarias diſtinguere; aliàs enim quomodo Cathedra Romana ab Optato lib. 2. *Eccleſiæ Catholicæ propria dos* dici poſſet? quomodo à Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. c. 5. à Lugdunenſi ſub Innocentio IV. in ſententia contra Fridericum, ab alio Lugdunenſi ſub Gregorio X. in profeſſione tradita Michaeli Imperatori, & ab eo emiſſa, à Florentino in decreto vnionis Græcorum, Romana Eccleſia *à Domino inſtituta* diceretur, in qua eſſet plenitudo poteſtatis, & Primatus capitis Eccleſiæ?

§. II.

Petrum docuit Cellotius quà Epiſcopum Romanum, ſeu quà priuato gregi ius dicit, & Presbyteros ordinat, Apoſtolis inferiorem eſſe.

PECCAT ſecundò, in eo quòd Petrum, quà Epiſcopum, id eſt, vt ipſe ſtatim explicat, quà priuato gregi ius dicit, & Preſbyteros ordinat, Apoſtolis inferiorem ſtatuit: quaſi verò potuerint Apoſtoli Petro leges ſtatuere, quas in Eccleſia Romana regenda, ac gubernanda ſeruaret, leges ei præfigere pro Preſbyterorum Romanæ Eccleſiæ ordinationibus ritè atq; conſentaneè celebrandis, quibus ipſe alligaretur, peccaturus alioquin, ſi ſuperiorum in eo ſibi Apoſtolorum iuſſa non cuſtodiret.

Apage hæc deliria, quæ ex propoſitione Cellotiana conſequuntur, ſicut & illius propoſitionis error ex præcedenti dimanat, quòd ratio capitis Eccleſiæ, & ratio Epiſcopi Romani ſibi inuicem accidentariæ fuerint in Petro: ſi enim iſtæ rationes verè ſibi inuicem acciderent, & in vno Petro per accidens tantùm reperirentur; conſentaneè vtiq; diceretur Petrum, quà caput Eccleſiæ, Apoſtolis imperare potuiſſe: eundem verò, quà Epiſcopus Romanus eſt, Apoſtolorum præceptis conſtrictum fuiſſe: ſicut quia accidentarium eſt Regi, quatenus Rex eſt, quòd etiam dominium vtile alicuius prædij beneficiati, ſeu clientaris habeat, cuius patronus ſit aliquis ex ſubditis ſuis, ideò diuerſis iſtis rationibus & ſuperior & inferior eſſe poteſt, parendique & imperandi poteſtatem habet; iuramentum fidelitatis exigit & præſtat, tanquam Rex ſiquidem leges etiam feudales ſtatuit; vt cliens ſtatutas à patrono poſſeſſionis ſuæ conditiones ſeruare debet: vt Princeps à ſubdito fidei iuramentum poſtulat; vt cliens applicare ſe debet ad fundi acquiſiti patronum, eique fidem dare.

At commentum iſtud auerſatur Eccleſia Catholica, quæ docet Petrum ita Rom. Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe, vt liberam & ab omni ſuperiori poteſtate ſolutam, atque independentem in functionibus, quas tanquam Rom. Epiſcopus exercebat, habuerit auctoritatem; nec vt Epiſcopus Romanus cuiuſquam imperio, etiam Apoſtoli ſubditus fuerit. Quis enim vnquam ab aliis Apoſtolis leges, quibus Romanam Eccleſiam regeret, potiùs quàm quibus totam Eccleſiam gubernaret, Petro impoſitas fuiſſe audiuit? vtrobique ſupremam habuit poteſtatem, quemadmodum Archiepiſcopi non inferiorem habent poteſtatem in ſua Diœceſi, quàm in tota prouincia; nec inferiorem vel minùs amplam in ſua prouincia, quàm in tota prouinciarū complexione, quæ olim Diœceſis ſeu Exarchia dicebatur, nec Patriarchæ minorem in ſuo Patriarchatu quàm in Diœceſi, cuius Primates cenſentur; quin immò ampliorem in iis locis, quorum ſpecialis ipſis cura atque inſpectio committitur.

Poſtulat ratio matrimonij ſpiritalis, quod contrahit quilibet Epiſcopus cum ſua Eccleſia, vt priuilegia Epiſcopi Eccleſiæ, cuius eſt ſponſus, communicentur, v. g. Eccleſia, cui præſidet Metropolita, Metropolitica, cui præeſt Primas, Primatialis, cui Patriarcha, Patriarchalis; cui ſummus Pontifex, eadem prima ac ſuprema inter reliquas Eccleſias nuncupetur: quemadmodum videre eſt apud Cyprianum epiſt. 55. Cornelio, qui Eccleſiam Romanam *Petri Cathedram*, atque adeò *Eccleſiam principalem* vocat. Colligere etiam poſſumus ex Eccleſiæ conſuetudine, iuxta quam inferiores Epiſcopi non ſolùm ſuperiori Antiſtiti, verùm etiam Eccleſiæ honorem & obſequium promittit.

Idipſum exigit vinculum Eccleſiaſticæ ſocietatis, atque vnitatis Eccleſiæ Catholicæ, vt Eccleſiæ iſtæ, quarum Epiſcopi ſuperiorem in alios habent poteſtatem, tanquam matrices aliarum cenſeantur, à quibus aliarum deducantur origines; tanquã centra in Eccleſia ſtatuantur ad compagẽ vnitatis & ſacerdotij conſtringendam, ad quod inferiores Eccleſiæ tanquam lineæ confluant. Vbicumq; ergo Petrus ſupremâ poteſtate vſus eſt, etiã dum ea exercuit munia, quæ ab alio Epiſcopo fieri potuiſſent: multò minùs, vbi cathedram ſtabilem habuit, vbi Epiſcopus fuit, duæ in eo poteſtates à ſe inuicem ſeparabiles admitti poſſunt, Epiſcopi, & capitis Eccleſiæ; quaſi aut caput Eccleſiæ eſſe potuerit, non exiſtens Epiſcopus, aut Epiſcopus ipſe alicuius loci fuerit, cuius non etiam ſummus Epiſcopus foret. Sed quemadmodum in homine non triplex eſt anima, ſed vnica rationalis, quæ ratiocinandi principium eſſe non poſſet, niſi viuendi & ſentiendi principium foret; & licèt aliqua anima viuendi & ſentiendi principium ſit, non ratiocinandi; non tamen deſinit ipſa anima humana, etiam dum viuendi ac ſentiendi functiones obit, rationalis eſſe. Ita Petrus vnicum habuit Epiſcopatum: ſed non ſicut cæteri Epiſcopi dependentem, ſed ſummum & independentem ab alterius ſuperioris imperio. Et quamuis Epiſcopus eſſe poſſit, qui ſummus Epiſcopus non ſit, non tamen Petrus Epiſcopus vnquam fuit, quin ſummus Epiſcopus eſſet, etiam dum iis actionibus incubuit, quibus inferiores Epiſcopi defungi poſſent.

§. III.

Petro vt Capiti Eccleſiæ, vt Patriarchæ, vt Epiſcopo Romano, ineptæ functiones aliquæ ſingulis rationibus reſpondentes à Cellotio aſſignantur.

ERRAT tertiò, quòd diuerſis in Petro rationibus iſtis reſpondentes functiones aſſignare volens, Apoſtolatui propriam faciat Epiſcoporum ordinationem, quæ ratio capiti Eccleſiæ magis conuenit, & aliquo ſenſu propria eſt: in quantum ab Eccleſia principali vnitas ſacerdotalis oritur, nec ſine capitis conſenſu implicito vel explicito aliquis ordinari poteſt Epiſcopus, vt alibi docebimus; quod vtique Cellotius negare non poteſt, qui poteſtatem ac iuriſdictionem Epiſcoporum à ſummo Pontifice, non à Chriſto immediatè deriuatam cenſet. Item quòd Epiſcopatui ſingulari Petri Presbyterorum ordinationem tribuat; quam non ita huic Epiſcopatui propriam eſſe certum eſt, certum eſt quin non ita ipſi tanquam Epiſcopo propriam eſſe, quin & eidem tanquam Apoſtolo, & capiti Eccleſiæ ordinato conuenire poſſit: quemadmodum etiam & priuato gregi ius dicere poteſt Apoſtolus, poteſt & caput Eccleſiæ in iis etiam locis, in quibus Epiſcopi proprij curam & officium non habet: ſimiliter nec leges Eccleſiæ Chriſti ferre, fideles quoſcunque quocunq; mittere, ita proprium eſt Apoſtolis, quin etiam capiti Eccleſiæ ſub ea ratione proprium ſit, cùm tamen has functiones nunquam Apoſtolis proprias Ludouicus Cellotius ſtatuat.

Inſinuare etiam ibidem videtur Apoſtolis in fideles aliquid minimè licuiſſe, quod capiti Eccleſiæ liceret: quod vtique falſum eſt; nam Apoſtolorum poteſtas extraordinaria ad eadem extendebatur, ad quæ eiuſdem Petri tanquam Eccleſiæ capitis poteſtas ordinaria: in quo æqualitatem Apoſtolorum cum Petro communiter Patres & Theologi admittunt; in iis vtramque poteſtatem diſcriminantes, quòd Apoſtolica iuriſdictio quatenus Apoſtolica extraordinaria eſſet, ad Eccleſiæ conſtitutionem neceſſaria, non ad conſeruationem; atque adeò ad ſucceſſores Apoſtolorum minimè tranſmitteretur, quibus Epiſcopalem ſolùm poteſtatem ſuam relinquebant: capitis verò dignitas ordinaria eſſet, ad Eccleſiæ ſtatum & gubernationem neceſſaria, donec occurramus in Chriſto in virum perfectum. Deinde quòd Apoſtolica iuriſdictio, nonniſi cum reſpectu ad Petrum, in cuius communione Apoſtoli ſuo officio fungebantur, ei aliquâ ratione ſubordinati tanquam ſuo Principi, exerceretur; dignitas verò capitis Eccleſiæ omnem huiuſmodi ſubordinationem excludat, quia Primatum & Principatum ſacrum inuoluit, ſubiectúmque ſuum, centrum Eccleſiæ & Principem cæterorum conſtituit.

§. IV.

Cellotius tres dotes, rationem capitis, Apoſtolatum & Epiſcopatum habere Apoſtolos, priores duas à Chriſto, vltimam dependentem à Petro aſſerit.

ERRAT quartò, quòd Petrum tres ſuas dotes habere à Chriſto immediatè doceat, alios Apoſtolos duas à Chriſto immediatè; ſed vltimam pendentem à Petro, qui præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claues regni cælorum communicandas cæteris ſolus accepit. Quibus verbis quid dicat non intelligit, niſi manifeſtam hæreſim ſe docuiſſe fateatur. Etenim tres iſtæ dotes, de quibus ſermo eſt, ſunt ratio capitis, Apoſtolatus & Epiſcopatus, quas tres Petro immediatè à Chriſto collatas aſſerit: ex iis autem duas aliis Apoſtolis, nimirùm rationem capitis, & Apoſtolatum immediatè conueniſſe tradit: tertiam, putà Epiſcopatum, nonniſi mediante Petro. At fide diuinâ certum eſt rationem capitis, neque à Chriſto, neque ab Eccleſia cæteris Apoſtolis collatam fuiſſe: cæteriſque Apoſtolis iſtam dotem à Chriſto quocunque iure attribuere hæreticum eſt.

Præterea dicere Apoſtolos claues cælorum, nonniſi à Petro communicandas accepiſſe, quaſi non ab ipſo Chriſto ligandi ac ſoluendi poteſtatem, ipſamq; Epiſcopalem iuriſdictionem acceperint, nullatenus probabile eſt, nec ab iis communiter admittitur, etiam qui iuriſdictionem Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus à Chriſto immediatè conferri negant; eóque proinde ſenſu Optatum Mileuitanum lib. 7. *contra Parmenianum*, ſcribentem ſolum Petrum claues à Chriſto cæteris communicandas accepiſſe, interpretantur, vt nihil aliud velit quàm Apoſtolos, qui iuriſdictionem Epiſcopalem vniuerſim accepiſſent à Chriſto, nonniſi à Petri conſenſu explicito vel implicito habuiſſe, vt huic vel illi ſingulari Diœceſi certos limites habenti præficerentur. Eámque ipſe Ludouicus interpretationem probat, dum paulò pòſt cum Gloſſa in Can. *Porrò*, diſtinct. 66. Iacobum eo ſenſu ab Apoſtolis ordinatum explicat, *quòd inthroniſatus ſit ad adminiſtrationem certi loci*; cùm prius eſſet Epiſcopus ſine titulo: dum concludit, *Apoſtolos ſimul conſecratos, ſimul Spiritu ſancto, & æque ligandi ſoluendique poteſtate donatos*, & ad illius confirmationem ex Hieronymo lib. 1. *contra Iouinianum*, hæc profert, *cuncti claues regni cælorum accipiunt, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidatur:* quæ cum verbis Optati conciliari non poſſunt, niſi clauium Eccleſiæ poteſtatem Apoſtolis immediatè à Petro datam, determinationem, & vſum à Petro pendere interpretemur.

§. V.

Circa Apoſtolorum inſtitutionem primam Cellotius aliqua turbat contra Euangeliſtarum narrationem.

CIRCA Apoſtolorum primam inſtitutionem aliqua turbat, dum ait, illos electos, & inſtitutos fuiſſe Apoſtolos, priuſquam ſacerdotio initiarentur, inque ipſa inſtitutione nullam ipſis actu imperatam miſſionem, nullos determinatè greges aſſignatos: nam & apud Mathæum cap. 10. & Lucam cap. 9. & Marcum c. 6. legimus in illa prima electione, imperatam illis profectionem, & miſſos à Chriſto actu fuiſſe, & greges determinatos, Iudæorum ſcilicet populos illis aſſignatos fuiſſe. *Hos*, inquit, Mathæus, *duodecim miſit Ieſus præcipiens eis, dicens; In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorũ ne intraueritis, ſed potiùs ite ad oues quæ perierunt domus Iſrael*, &c. Quibus conſentaneè Lucas inquit, *Et miſit illos prædicare regnum Dei*, quod ne ad remotam tantùm, non ad proximè ſecuturam miſſionem eos à Chriſto poteſtate munitos diceret, ſtatim ſubdit, *Egreſſi autem circuibant per caſtella euangelizantes, & curantes vbique*. Similiter & Marcus cap. 6. *Et exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent, & dæmonia eiiciebant.* An expreſſius quidpiam deſiderari poteſt, quo actualis miſſio ſignificaretur, ad quam mox electi & inſtituti Apoſtoli accingerentur?

De iſta prima electione adiungit, in ipſa Apoſtolos parum idoneos, & in remotiore adhuc potentia ad tantum munus, ad quod eligebantur, pro dignitate, Deique vo-

luntate implendum, quibus verbis contradicunt Lucas & Marcus citati, qui pro dignitate & Dei voluntate Apoſtolos mox à prima electione ſuo munere perfunctos tradunt.

§. VI.

Peccat in comparatione Apoſtolorum cum Cardinalibus & Epiſcopis nondum ordinatis.

NEQVE valdè gratificatur Eminentiſſimis Cardinalibus, dum ſubdit: *ſtatum primitiuum Apoſtolorum appellant, qui eo maximè Cardinales volunt adumbrari.* Neque enim qui Apoſtolorum formam Rom. Eccleſiæ Cardinalibus tribuunt, adeò imperfecti ſtatus, qualem ipſe depingit, illos figuram repræſentare volunt, ſed longè perfectioris & nobilioris; quippe cum Apoſtolis ſtatuunt Cardinales ſuccedere, in quantum fuerunt Chriſti ante ſuam Aſcenſionem Aſſeſſores, & conſiliorum atque arcanorum participes, ac poſteà D. Petri antequam per orbem diſpergerentur: lege Henricum Kalteiſen, *in Replica facta in Concilio Baſileenſi, de libera verbi Dei prædicatione*, in defenſione finalis ſuæ concluſionis; Petrum de Alliaco, *de Eccleſiæ auctoritate*, 1. part. Capitulo 1. concluſ. 6. & 3. 1. partis, & alios qui ex ea ſimilitudine diuino iure Cardinalium ſtatum inferunt, ſicut etiam Epiſcoporum ac Curatorum, quod ſimiliter aſſeruit Gerſonius lib. *de ſtatibus, de ſtatu Cardinalium*, conſ. 1.

Comparat Apoſtolos cum Epiſcopis confirmatis necdum ordinatis, in quibus maiorem ait reperire ſe iuriſdictionē, quàm tunc temporis Apoſtoli à Chriſto acceperint, quippe qui Clericos rebelles corrigere poſſint, ex cap. *tranſmiſſam*, & cap. *nihil eſt, de electione & electi poteſtate.* Quæ poteſtas quantumuis Epiſcopis electis & confirmatis, ſed nondum conſecratis conueniat, non tamen Apoſtolicæ par eſt, quæ multò eminentior fuit etiam à ſui initio, quàm Epiſcopi nondum ordinati exiſtat: nam ſi rei imperfectæ, cuiuſmodi vtraque iſta poteſtas eſt, poteſtas eò maior quò ad maiorem perfectionem peruentura deſtinatur, quia Apoſtolica in eo ſtatu ad maiorem celſitudinem deſtinabatur, maior vtique, & ſublimior cenſenda; præſertim cùm in eo etiam ſtatu coercitiua fuerit, & puniendi vim habens, cùm, ex prædictis, excutiendi pulueris ſymbolo, quod Apoſtolis in eo ſtatu mandatur, excommunicationis ferendæ poteſtas ſignificaretur; cùm ante ipſum ſacerdotium Apoſtolis collatum, ad quod vſque tempus hunc ſtatum ſaltem extendit Aduerſarius, ligandi atque ſoluendi Apoſtoli poteſtatem à Chriſto acceperint longè perfectiorem quàm Epiſcopi nondum conſecrati, qui nondum cum Eccleſia ſua matrimonium conſummarunt: longè vniuerſaliorem, quia ſuper vniuerſam terram exercendam acceperant. Ideóque, qui huic ſtatui Cardinalium ſtatum comparant Kalteiſen & Alliacenſis, ex eo Cardinales Epiſcopis ſuperiores probare nituntur locis nobis citatis.

§. VII.

Defenditur Aurelij dictum de Epiſcopis electis nondum ordinatis.

INVEHITVR in Aurelium, quòd Epiſcopos electos & confirmatos, ante ſuam ordinationem embryones vocarit: quòd nunquam dictum ab Aurelio, ſed grauiter atque eruditè confirmans cenſuram propoſitionum 2. & 3. ex libris Danielis à Ieſu notatarum tit. 3. *de Epiſc. & Curatis*: grauiter, inquam, & prudenter docuit electionem Epiſcopi non eſſe Epiſcopi creationem, ſed creationis inchoationem, *quæ tandiu fluere, & in via quodammodo ad ſui eſſe ſtatum, ſeu ſtabilitatem tandiu verſari cenſenda ſit, donec ad terminum conſecrationis peruenerit.* Vnde concluſit non minùs errare eos, qui ex priore illa conditione inchoata Epiſcopalis dignitatis & poteſtatis naturam metiuntur, quàm ſi hominem ex embryone, pictam tabulam ex prima pictoris delineatione iudicent.

Quod vtique rectè dictum confirmari poteſt ex iis quæ diximus *de ſacris Ordinat.* 2. part. ſect. 7. cap. 2. artic. 3. §. 5. nimirùm Eccleſiam viduatam in iure dici, donec Epiſcopum conſecratum habuerit, ipſúmque electum etiam confirmatum, niſi conſecratus fuerit, *Prælatum* quidem dici poſſe, *Epiſcopum* non poſſe.

Digitized by Google

Quæ ſi vera ſunt, vt certè vera eſſe liquidis iuris auctoritatibus demonſtrauimus, non malè embryoni, qui nondum homo dici poſſit, licèt ad hominis naturam & perfectionem formetur, electus ad Epiſcopatum, qui nondum ſit aut dicatur Epiſcopus, ſed ad Epiſcopalem dignitatem ac ſtatum in vtero Eccleſiæ formetur, comparari potuit.

§. VIII.

Errata Cellotij circa quæſtionem ab eo propoſitam de poteſtate Epiſcoporum, à quo ſit immediatè, an à Deo, an à Papa.

REDIIT ad ſuſceptam de Epiſcopis diſputationem, ad quam ex Bellarmino lib. 4. de ſummo Pontifice (primùm malè ipſe citat) cap. 22. obſeruat, *Triplicem eſſe in Pontifice Romano, aliiſque Epiſcopis poteſtatem, vnam Ordinis, alteram Iuriſdictionis interioris, tertiam iuriſdictionis exterioris, quarum priores referuntur ad Sacramenta conficienda & miniſtranda, altera ad populum Chriſtianum regendum in foro exteriori*: quæ poſtrema verba nec mentem Bellarmini exprimunt, nec grammaticam conſtructionem habent (vox enim *altera* tertium diuiſionis membrum non ſatis explicat) nec Philoſophiæ regulis conſentiunt, nec Theologiæ definitionibus; ſed naturam poteſtatis ordinis cum poteſtate iuriſdictionis interiorioris confundunt. Meliùs itaque Bellarminus, *Prima*, inquit, *refertur ad Sacramenta conficienda, & miniſtranda, altera ad populum regendum in foro interiori, tertia ad eundem populum regendum in foro exteriori.*

Pergit Cellotius docere de qua poteſtate diſceptatio ſit, dum quæritur vtrùm à Chriſto immediatè, an verò à ſummo Pont. Epiſcoporum poteſtas hauriatur. *Certum eſſe* docet *apud omnes, primam æquè immediatè habere à Deo Epiſcopos ac ipſum ſummum Pontificem.* In quo cum Bellarmino conſentit, ſed diſſentir in eo, quòd Bellarminus quæſtionem de poteſtate & iuriſdictione in foro interiori, de qua varias opiniones ſtatuit Abulenſis dicentis eam cum ordine eſſe coniunctam, Turrecrematæ id negantis, ac ſolâ iniunctione ſuperioris concedi arbitrantis, quamuis vterque conueniat vſum iſtius poteſtatis à iuriſdictione in foro exteriori pendere: ex quo concludit ſufficere de iuriſdictione in foro exteriori tractare, vt illa quæ eſt in foro interiori innoteſcat.

Vera ſit an falſa hæc concluſio Bellarmini iam non diſputo, ſolùm oſtendo Cellotium à Bellarmino à ſe citato diſſidere: nam de ſecunda iſta poteſtate in foro interiori, hæc addit, *Eam etiam æqualem eſſe in omnibus illud mihi perſuadet, quòd Epiſcopi cuiuſlibet poteſtas in ſuum gregem ea eſt, quæ Pontificis ſupremi in Eccleſiam, exceptis iis quæ in iure excipienda exprimuntur*: probàtque ex cap. *Nuper, de ſent. excom.* teſtimoniis Suaris, Sancheſij & Victoriæ. Quâ ratiocinatione nulla ineptior, nulla periculoſior in fide eſſe poteſt. Error enim eſt contra fidem, poteſtatem in foro interno Epiſcoporum æqualem eſſe poteſtati ſummi Pontificis: cùm nec ad omnes fideles extendatur, nec ad omnia crimina, quorum aliqua ſibi reſeruare poteſt ſummus Pontifex, imò ex more Eccleſiæ minimè recenti ſibi reſeruat.

Vnde eodem argumento, quo probatur ab aduerſario æqualis omnibus tam in ſummo Pontifice quàm reliquis Epiſcopis poteſtas in foro interno, inæqualis potiùs oſtenditur. Nam æquales poteſtates ſimpliciter dici nequeunt, quarum vna in totam Eccleſiam fertur; altera vnius Diœceſis limitibus continetur: vna ab altera reſtringi, & intra certos agendi fines arctari poteſt.

Prætereà, quàm inſulſa ſit iſta probatio inſuper animaduerti poteſt; quòd cum ipſa eò tendat, vt proprium eſſe poteſtati fori interni demonſtret, quòd ſit in omnibus æqualis, in eóque à poteſtate fori externi diſtinguatur, quæ ſit inæqualis; nihilominùs id in ea aſſumatur, quod de iuriſdictione fori externi æquè ac fori interni dici poteſt: nam ſicut omnes Epiſcopi in foro interno id poſſunt in ſubditos ſuos, quòd ſummus Pontifex, ita & in foro externo, niſi eorum poteſtatem ſummum Eccleſiæ caput reſtrinxerit. Et ſanè cap. *Nuper*, à Cellotio adductum, potiùs de abſolutione in foro externo quàm de foro interno loquitur. Idipſúmque æquè fatentur de vtroque foro citati Suarez in 3. part. diſp. 25. ſect. 1. n. 13. Sanchez *de matrim.* lib. 1. diſp. 61. Victoria relect. 7. *de matrimonio.* Quibus adde Henriquem *de Sacramentis*, lib. 10. cap. 25. §. 2. Barboſam *de officio & poteſtate Epiſcoporum*, alleg. 1. numero ſexto,

& alios ab ipſis citatos; deducúntque eorum aliqui non ſolùm ex prædicto capite, *Nuper*, verùm etiam ex cap. *ad honorem, de auctoritate & vſu pallij*, & cap. *Nouit, de iudiciis*, quæ de foro externo loquuntur.

Deinde nec exceptionem Cellotius adfert congruentem: falſum eſt enim quòd Epiſcopi cuiuſlibet poteſtas in ſuum gregem ea ſit, quæ eſt Pontificis ſupremi, cum iſta ſolùm exceptione quam adhibet, eorum *quæ in iure excipienda exprimuntur*; neque enim neceſſum eſt omnia quæ ipſe ſummus Pontifex reſeruat, iure expreſſa eſſe, cùm multa ſolâ conſuetudine reſeruentur, circa abſolutiones in vtroque foro, circa indulgentias, impedimenta, diſpenſationes, beneficiorum inſtitutionem & collationem, vt notat citato loco Henriquez. Quin etiam, quod vtique rarò accidit, cùm abſque vlla lege vel ſtatuto poſſit iuſta ex cauſa ſummus Pontifex aliqua Epiſcopo prohibere, vel ſimplici præcepto, vel ſententiâ, quæ deinceps ipſi attentare minimè licebit.

Deniq; extra quæſtionis propoſitæ metas perperàm iſta proferuntur; æqualis ſcilicet illa poteſtas vel inæqualis in omnibus Epiſcopis non agitur, ſed vtrùm ſit iuris diuini: ad quam quæſtionem non refert ſitne æqualis, an inæqualis in omnibus alterutra poteſtas, quippe vtramque quoad vſum à ſummo Pontifice reſtringi poſſe certum, & ita reddi poſſit in praxi inæqualis. *Tertiam porro iuriſdictionem, quæ eſt fori exterioris, nõ à Chriſto immediatè, ſed à Petro pendentem accepiſſe Apoſtolos, quod Bellarminus, & alij Nouatorum mallei fusè demonſtrant.*

Quod vtique ab ipſo vniuerſaliter dictum gratulor, dummodo ſe contrarium docuiſſe meminerit, dum claues regni cælorum à Petro communicatas, non à Chriſto acceptas tuetur, vt ſuprà notauimus. In hac verò iuriſdictione ſubiungit, *diſſidere aliquantulum imaginem ab archetypo: ſiquidem vera eſt communis Pariſienſium Doctorum ſententia, accipere poteſtatem Epiſcopos à Deo non immediatè, ſed tantùm mediatè, & per Petri ſucceſſorem.*

Aliam Theologorum Pariſienſium ſententiam fuiſſe alibi docebimus, ſed iam ineptam Aduerſarij conſecutionem videamus. *Vnde*, inquit, *factum eſt, vt ea iuriſdictio in omnibus æqualis non ſit, & Epiſcopi aliqui in alios, vt Patriarchæ in Archiepiſcopos, Archiepiſcopi in Epiſcopos poteſtatem aliquam exerceant.* Hæc inæqualitas iuriſdictionum in Epiſcopis malè ex eo conijcitur, quòd humani iuris Epiſcoporum poteſtas à quibuſdam cenſeatur: ſecùs enim ſequeretur, quòd ſicut Archiepiſcopalis & Patriarchalis poteſtas de medio tolli ab Eccleſia poſſet, ſimiliter & Epiſcopalis funditùs tolli poſſet.

Meliùs ergo, qui Epiſcopalem poteſtatem à Deo tradi docent, ex diuina inſtitutione nullam inæqualitatem inter Epiſcopos omnes, præterquam reſpectu ſummi Pontificis inductam à Chriſto reſpondent: ſed quia Chriſtus inferiorem Papali poteſtatem inſtituit, & ab illa ſuprema dependentem eſſe voluit; hinc ſequi dicunt Epiſcoporum quoque poteſtatem illorum Epiſcoporum auctoritate inferiorem eſſe, qui ſummi Pontificis vices obtinentes Patriarchali vel Primatiali, vel Metropoliticâ dignitate præfulgent.

ARTICVLVS IV.

Quædam alia circa ſummum Pontificem errata.

AVDIVIMVS Cellotium confusè de Petro, Apoſtolis, ſummo Pontifice & Epiſcopis differentem, varióſque errores incautè propinantem; alios quoſdam adiungere libet, quibus ſummi Pontificis maieſtatem deprimit, & poteſtatem coarctat. Nam, verbi gratiâ pag. 336. lib. 5. cap. 13. §. 1. neceſſarium & eſſentiale eſſe docere videtur, quòd Monachorum regulæ ab Epiſcopis inferiorum ſedium probentur: quia diſcipulatus Monachis eſſentialis eſt, cui non repugnare ait, quòd regulas Monaſticas videamus à ſummo Pontifice probari, quandoquidem id ex eo faciat ſummus Pontifex ex conſenſu Epiſcoporum tacito, quem in arbitrio ſui

Pontificis repoſuerint. Verba ipſius hæc ſunt, *Cùm enim nulla vnquam religio ſtatum Eccleſiaſticum ſine Epiſcoporum auctoritate conſtituerit, fuit & ex vſu & ex rei natura neceſſarium, vt iis legibus ſtatus ille vteretur, quæ aut condita aut probatæ eſſent ab Epiſcopis. Quod & modò adhuc implicitè ſaltem obſeruatur, Epiſcopis communi conſenſu ſuam in hac re auctoritatem in vnius Romani Pontificis arbitrio ponentibus.* De Epiſcopis inferioribus eum loqui, qui ſcilicet expreſsè nouis Regularium ſtatutis non conſentiant, quibus ſummus Pontifex conſenſum ſuum exhibere debet, non dubium eſt; illos autem auctoritatem ſuam in arbitrio Romani Pontificis poſuiſſe aſſerit, quaſi Romanus Pontifex regulas Monachorum, quas iam approbat, auctoritate ab iis acceptâ, & per eorum voluntariam ſaltem implicitam ceſſionem duntaxat approbet: nec poſſet eas approbare niſi ipſi Epiſcopi explicitè vel implicitè conſenſiſſent.

Quæ doctrina primò quidem non conſentit cum ea, quam alibi tradit, ſed in altero extremo vitioſo poſita ei contradicit: nam alibi, vt mox videbimus, docet priuilegiorum exemptionis ab Epiſcoporum poteſtate (de iis enim loquitur) neceſſitatem tantam eſſe ad finem quorumdam Ordinum Regularium, vt ſine iis aut oriri in Eccleſia, aut diu ſtare non poſſint: ex quo etiam concludit, eſſentialem & intrinſecam habere habitudinem illos Ordines, vt ab Epiſcoporum poteſtate eximantur: quomodo ergo verum erit habere quoſlibet Ordines Regularium eſſentialem ordinem, vt Epiſcopis inferioribus ſubiaceant tanquam diſcipuli magiſtris? & eorum ſaltem implicito conſenſu probari debeant, à quorum conſenſu non pendent vt ſubſiſtant, imò à quorum conſenſu independentes eſſe debent, vt ſubſiſtere poſſint, nec tantùm vt ſubſiſtere queant, ſed vt hierarchicis ſe circa populos officiis, (quod vtique grauius eſt) ſeſe immiſceant? Quantò veriùs & moderatiùs ſentiunt, qui mediam inter duas iſtas vitioſas ſententiam amplectuntur: nullum Ordinem Regularem eſſe, qui ab Epiſcopis inferioribus eximi debeat: & aliquem eſſe poſſe, qui tam vt inſtituatur, quàm vt ſubſiſtat ab inferioribus Epiſcopis non pendeat, ſed à ſolo ſummo Epiſcoporum Romano Pontifice, à quo qui dependent, diſcipuli non deſinunt eſſe Epiſcopalis ordinis, qui in ipſo tanquam in apice Epiſcoporum cumulatiſſimè continetur.

Secundò, hæc ſententia Cellotij abſque errore defendi non poteſt: nam error eſt ſummum Pontificem ad approbandas regulas Monaſticas poteſtatem ab inferioribus ſuis accipere debere, ipſis renitentibus in aliqua, verbi gratiâ, prouincia regulam Monaſticam approbare non poſſe; Epiſcoporum inferiorum ſedium ſaltem implicito conſenſu indigere, vt aliquas ſolus regulas approbet.

Docuimus ſuprà in Eccleſiaſtica hierarchia poteſtatem ſuperiorum ab inferioribus nunquam hauriri; & apud Catholicos Doctores conſtare quædam reſeruari ſummo Pontifici, non quòd inferiores ſuam auctoritatem in ipſius arbitrio reponant; ſed quòd ipſi expedire videatur illorum poteſtatem reſtringere. Vnde non legimus inferiores Epiſcopos ius, quo anteà fruebantur, ſummo Pontifici ceſſiſſe, ſed potiùs ſummum Pontificem ſuo iudicio reſtrinxiſſe: quibus etiam Innocentium tertium, ſacro approbante Epiſcoporum Concilio, legimus interdixiſſe regularum Monaſticarum de cætero approbandarum facultatem.

Alter error eiuſdem Cellotij eſt, dum reſtringit poteſtatem ſummi Pontificis, vt Ordines aliquos in ſubſidium Prælatorum inſtituere, verbi gratiâ, Mendicantium non poſſit, quin eos priuilegiis exemptionis (nam licentia functiones exercendi hierarchicas ſacerdoti conceſſa, cum ſubordinatione ſuperioribus, priuilegium non eſt) ab Epiſcoporum poteſtate illos donet: quia nempe eos Ordines ait ſine iis aut oriri in Eccleſia, aut diutiùs conſiſtere non poſſe: cùm tamen Canonici Regulares, imò & Monachi Benedictini diu in ſubſidium Prælatorum inſtituti fuerint, abſque eo quòd à poteſtate Prælatorum eximerentur, & Franciſcanos Fratres, qui Eccleſiæ Dei maximè vtiles fuerunt, quandiu ſancti Franciſci monitis paruere, nullam exemptionem habuiſſe, primùmque illorum inſtitutorem ſanctiſſimum ſubiectionem Epiſcopis commendaſſe in ſuo teſtamento, ac vetuiſſe vllo priuilegio à Romana Sede impetrato infringi, pro comperto habeamus.

Nihilominus audacter hæc habet Cellotius cap. 20. lib. 5. pag. 733. *Quam ego*

hypotheſim ad vberius caput reducendam puto, vt in ipſis ordinibus tantam aliquando priuilegiorum neceſſitatem reperiamus, vt ſine iis aut oriri in Eccleſia, aut diutiùs conſiſtere non potuerint, &c. addit pag. ſeq. *Horum igitur operum* (adminiſtrationis Sacramenti, Pœnitentiæ & Euchariſtiæ) *ſi negetur facultas, tolli etiam finem neceſſe eſt. At fine ex rebus ablato illam eiuſcemodi religionum eſſentiam, id eſt, religiones ipſas deleri & diſſipari neceſſe eſt. Dicam equidem quod ſentio, quocunque animo ſententiam hanc accepturi ſint Aduerſarij, qui omnia in odium, & inuidiam trahere ſolent, talem ab Eccleſia religionis formam potuiſſe non probari, atque inuehi facilè concedo: ſed eam quæ alienæ ſaluti ſeruiat ſine priuilegiis erigi potuiſſe, aut etiam cum illis reuocatis conſeruari poſſe, nunquam mihi perſuadere potui. Neque vereor dictum Canoniſtarum, licèt ſummo Pontifici competat, ante collationem omnimoda poteſtas, non tamen libera priuatio, huic propoſito accommodare.* Illa propoſitio eadem eſt, imò audacioribus verbis aliquanto concepta, cum ea quæ à pſeudo-Nicolao Smithæo quæſt. 7. num. 6. *modeſtæ diſcuſſionis* prolata, à Facultate Pariſienſi (quam ſe reuereri ſimulat Cellotius) damnata eſt. Affinis illi alia eiuſdem Cellotij ſententia, quâ eodem cap. priuilegia meritis data reuocari à ſummo Pontifice negat, & Religioſorum huiuſmodi priuilegia eſſe affirmat eodem cap. fusè pag. 376. quam Facultas Pariſienſis ſimiliter damnauit 11. propoſitionum Hibernicarum, illas iam non diſcutio alibi fortè examinandas.

Solùm adnoto, quàm reuerentes ſint dignitatis Pontificiæ illi, qui tot à ſancta Sede beneficiis affecti, negant ſe ipſi obnoxios, aut beneficiarios eſſe, ſed merita ſua deprædicant, vt non gratuitò, ſed quaſi ex contractu obtinere videri velint, quæ à ſancta Sede priuilegia omnia acceperunt; & cùm ex Epiſcoporum atque Parochorum decremento creuerint, faciliùs quæ his Chriſtus largitus eſt, ſolui poſſe defendunt, quàm quæ homines deinceps ſanctiſſimis Monachis indulſerunt.

CAPVT III.

Error Cellotij circa Romanæ Eccleſiæ Cardinales.

ARTICVLVS I.

Impropria quædam Cellotij locutio notatur, tum refellitur eiuſdem ſententia, quâ Clero Romano, & Cardinalibus, Sede vacante, imperium in Eccleſias huc illuc diſperſas adimit.

PLVRIMA ſunt quæ Cellotio circa Eminentiſſimos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales exciderunt. Primum, impropriæ locutionis arguam, alia duo etiam erroris. Quòd Cellotius lib. 4. cap. 8. pag. 183. dixit à Cardinalibus conſtitui ſummum Pontificem ſuper Gentes & regna, hoc impropriæ locutionis eſt. Verba Cellotij hæc ſunt: *Magna profectò poteſtas orbi Chriſtiano rectorem dare, & homini vni quodammodo dicere, Ecce conſtitui te ſuper Gentes & regna, vt ſpiritali in animos ipſos poteſtate euellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Verba iſta inſtitutionem ſignificare videntur, non ſolùm electionem. At certum eſt propriè non inſtitui à Cardinalibus ſummum Pontificem, ſed à ſolo Deo, præſuppoſitâ factâ à Cardinalibus electione. Cæteros Epiſcopos ſuperiores ipſorum, penes quos confirmandi, & inſtituendi poteſtas eſt, conſtituere propriè dici poſſunt. Romanus verò Pontifex, quia ſuperiorem non habet, non conſtitui à Cardinalibus, non inſtitui propriè dici poteſt, ſed eligi, deſignari, nominari. Verùm hæc anxiè nimis non diſcutienda exiſtimo: quia ſcio & ab aliis, etiam ſummis Pontificibus, non accuratè ſemper hanc loquendi proprietatem fuiſſe ſeruatam.

Alterum verò eſt, quod excuſari non poteſt Cellotij erratum, quod haud du-

biè Cardinalium dignitatem & poteſtatem multùm deprimit. Petitur illud ex cap. 18. lib. 4. iis verbis. *Neque vnquam ſanctus Cyprianus Clerum Romanum, vt Petri ſucceſſorem & Eccleſiæ vniuerſalis rectorem, ſed vt amicum & conſiliarium in re dubia & ancipiti conſuluit, eiúſque lecta epiſtola; Standum, inquit, putaui cum veſtra ſententia, ne actus noſter, qui adunatus eſſe, & conſentire circa omnia debet, in aliquo diſcreparet. Sententiam dicit, non decretum; cum illa ſtandum putat libertate iudicij, non ſubdiei neceſſitate, ne diſcreparent actus eandem Dei gloriam promouentium amicorum, non ordinem inuicem ſubiectorum: & Clerus ipſe Cypriani conſulentis mentem ſic explicuit, qui & negat quidquam ſe in propoſita quæſt. ex auctoritate ſtatuere.* Suprà verò nos Clerum Romanum ex auctoritate in propoſita quæſtione egiſſe, Cypriano imperaſſe: non amicabiliter tantùm, ſed iuridicè reſpondiſſe ex ipſius Cleri & Cypriani verbis oſtendimus, & Cellotij futiles coniecturas refutauimus.

Duo hîc duntaxat hoc loco adiungi poſſunt: Primum, vt hanc ſententiam Cardinalium Romanæ Eccleſiæ auctoritatem lædere demonſtremus: alterum, vt Cardinalium, vacante Sede Romanâ, auctoritatem quibuſdam peculiaribus teſtimoniis confirmemus. Primum euidentiſſimum eſt: cùm enim ex Eugenij IV. conſtitutione, anno 1439. edita, Cardinales ab exordio Eccleſiæ fuiſſe doceat Cellotius lib. 4. cap. 8. nec alij eſſe potuerint, qui Cardinalium perſonam ſuſtinerent quàm Clerici Romani: profectò ſi Clericorum Romanorum, vacante Sede, dignitas adeò deprimitur, vt omnis eis iuriſdictio in Eccleſiaſticis negotiis adimatur, deperibit quoque Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus quippiam, illiſque pariter iuriſdictio in Eccleſiis Patriarchatus Occidentis auctoritas, Sede vacante, denegari debebit, præſertim cùm Clericis Romanis ideò deneget Aduerſarius prædicto cap. 18. lib. 4. auctoritatis Apoſtolicæ vices & miniſterium, quod putet Presbyteris & Diaconis (quorum Ordinum magna pars Cardinalium titulis gloriatur) conuenire illud poſſe, vel ab iis ſuppleri neget; illúdque aſſerat conuenire duntaxat poſſe legitimis Petri ſucceſſoribus in Sede Apoſtolica reapſe inſidentibus, & Eccleſiam regentibus, auctoritate à Chriſto per Canonicam electionem, & Petri ſucceſſionem acceptâ, ab iis ſolummodo ipſam poſſe ſuppleri, cuius principij veritas ſtare non poteſt cum ea auctoritate Apoſtolica, quam ſibi aſſumunt S. R. E. Cardinales. Et meritò quidem, nam cùm ſint inſtar Capituli, & Capitulum quodlibet, vt ſuprà probauimus, in Epiſcopalis iuriſdictionis miniſterio, Sede vacante, ſuccedat Epiſcopo. Ipſi quoque Eminentiſſimi Cardinales in exercitiis Apoſtolicæ poteſtatis ſuccedent, neque tantùm vt conſiliarij, & amici emergentibus illis controuerſiis, quæ Eccleſiæ Catholicæ pacem turbare poſſent, ſeſe ingerent, verùm ex officio ac poteſtate Apoſtolica ipſorum fidei ad tempus commiſſa, occurrentibus & vrgentibus quibuſcunque neceſſitatibus Eccleſiæ prouidebunt.

Et hoc alterum caput quod nobis probandum eſt, nimirùm poſito eo rerum ſtatu, de quo agebat Cellotius, vel alio ſimili, quo nempe Romanus Pontifex eligi quam citiſſimè non poſſet, quale erat tempus ſcriptæ Cleri Romani ad Cyprianum epiſtolæ, in quo, vt alia epiſtolâ quæ 31. inter epiſtolas Cypriani, idem Clerus Romanus reſcribit, *Poſt exceſſum nobiliſſimæ memoriæ viri Fabiani nondum erat Epiſcopus propter rerum & temporum difficultates conſtitutus:* illo, inquam, rerum ſtatu Cardinales, non tantùm occurrentibus Eccleſiæ neceſſitatibus, quæ moram minimè paterentur, amicabiliter conſulere, verùm etiam ex auctoritate mederi poſſe. Nam eam iuriſdictionem in habitu iis ineſſe, licet ad accelerandam prouiſionem Romanæ Eccleſiæ, ex cuius dilatione periculum grande imminet, exercitium eiuſdem poteſtatis variis Canonibus reſtringatur, notat optimè Gloſſa v. *Sede vacante*, cap. 1. *de Schiſmaticis*, in ſexto, poſt Hoſtienſem, in cap. *cùm ex eo, de pœnitentiis & remiſſionibus*, in fine. Hugonem, Ioannem & alios, in Can. *nullus*, ſecundo diſt. 79. vnde antequam ad paucos dies in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. reſtricta fuiſſet Papæ per Cardinales in vno conclaui incluſos creatio, Cardinalibus excommunicationem, quæ Epiſcopalis eſſet ferendi poteſtas, cum occaſio iuſta videretur, concedebatur à Nicolao II. in Concilio Romano, cuius hęc verba referuntur à Gratiano 70. Can. 9. *Si quis pecunia, vel gratiâ humanâ, vel populari, ſeu militari tumultu, ſine concordi, & Canonicâ electione & benedictione Cardina-*

Digitized by Google

lium Epiſcoporum , ac deinde ſequentium Ordinum Religioſorum Clericorum, fuerit Apoſtolicæ Sedi inthronizatus, non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus habeatur: liceátque Cardinalibus Epiſcopis cum Religioſis, & Deum timentibus Clericis & laicis, inuaſorem, etiam cum anathemate & humano auxilio, & ſtudio à Sede Apoſtolica repellere, & quem dignum iudicauerint præponere. Quòd ſi hoc intra vrbem perficere nequiuerint, noſtrà auctoritate Apoſtolicà congregati in loco qui eis placuerit, eligant quem digniorem & vtiliorem Apoſtolicæ Sedi perſpexerint. Quare Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. cap. *vbi periculum*, §. *iidem quoque*, *de electione*, in ſexto, poteſtatis iſtius exercitium ad accelerandam Romani Pontificis electionem reſtringit, vt occurentibus grauioribus negotiis, quæ moram minimè patiantur, poteſtatem ipſis conceſſam eſſe ſignificet: *Iidem quoque*, inquit, *Cardinales accelerandæ prouiſioni ſic vacent attentiùs, quòd ſe nequaquam de alio negotio intromittant, niſi forſan neceſſitas adeò vrgens incideret, quòd eos oporteret de terra ipſius Eccleſiæ defendenda vel eius parte aliqua prouidere, vel niſi aliquod tam grande, & tam euidens periculum immineret, quòd omnibus & ſingulis Cardinalibus præſentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum.*

Eadem eſt Conſtitutio Clementis V. in Concilio Viennenſi, Clementinâ *Ne Romani de elect. Ne Romani electioni Pontificis indeterminata opinionum diuerſitas, aliquod poſſit obſtaculum vel dilationem afferre, nos inter cætera præcipuè attendentes, quòd lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt; opinionem adſtruere, ſicut accepimus, ſatagentem, quòd Conſtitutio fœlicis recordationis Gregorij Papæ X. prædeceſſoris noſtri circa editionem præfatam edita, in Concilio Lugdunenſi, per cætum Cardinalium Romanæ Eccleſiæ (ipſa vacante) modificari poſſit, corrigi, vel immutari, aut quidquam ei detrahi, ſiue addi, vel diſpenſari, quomodolibet circa ipſam ſeu aliquam eius partem, aut eidem etiam renuntiari per eum, tanquam veritati non conſonam, de fratrum noſtrorum conſilio reprobamus, irritum nihilominùs & inane decernentes, quidquid poteſtatis aut iuriſdictionis ad Romanum dum viuit Pontificem pertinentis (niſi quatenus in Conſtitutione prædicta permittitur) cætus ipſe duxerit eadem vacante Eccleſia exercendum. Concedit tamen vt morientibus, Sede vacante, Pœnitentiario vel Camerario Cardinalibus, aliquos in eodem officio ſufficere poſſint.*

Ex quibus iſta colligi poſſe mihi videntur. 1. cùm Conſtitutio Gregorij X. quæ Cardinalium poteſtatem, vacante Sede, reſtrinxerat, in medium prodiiſſet, nouam illam viſam fuiſſe, atq; à praxi præcedentium ſæculorum abhorrentem: proindeq; in varias ſententias Doctores abiiſſe, aliis affirmantibus ſeueritatem iſtius Conſtit. in Concilio generali editæ à Cardinalium Collegio, Sede vacante, molliri poſſe, aliis verò negantibus. 2. Ad horum ſententiam Clementem V. acceſſiſſe, & Lugdunenſis Concilij Conſtitutionem perpetuam vim habituram, atque irreuocabilem confirmaſſe, poteſtatémque Cardinalium reſtrinxiſſe; non aliâ ratione ductum, quàm quòd non expediret eos electionem ſummi Pont. aliis conſultationibus interturbare, eámve differre. 3. Conceſſiſſe tamen illis iuriſdictionem in caſibus, qui non patiuntur moras, adeò vt etiam Pœnitentiarium & Camerarium creare poſſint: quæ præſertim Pœnitentiarij creatio habitu ſaltem, & quoties expedierit, iuriſdictionem in iis manere Pontificalem oſtendit, ligatam quidem illam interdicto Pontificio, non deſtructam; ſopitam, non extinctam.

Quare ante illud interdictum, vel ſublato exinde differendæ electionis Romani Pontif. periculo, ſi Cardinales ad eligendum conuenire, vel vi, vel alio impedimento externo non poſſent, & neceſſum eſſet differri electionem, quemamodum poſt obitum Fabiani per biennium ferè non potuit alterius fieri electio, tum ob turbas à Nouatiano excitatas, tum ob grauiſſimam à Decio commotam perſecutionem, quæ Clericos Romanæ Eccleſiæ diſperſerat; tunc temporis non dubium eſt E. R. Cardinales neceſſariis Epiſcoporum conſultationibus cum auctoritate ſatisfacere, & ea quæ moram non patiuntur, cum auctoritate ordinare poſſe. Vnde cùm c. 1. *de Schiſmaticis*, in 6. ſtatuitur, ne illi de quibus prędicto cap. agebatur, poſſent abſolui, *Nec etiam per Collegium Apoſtolicæ Sedis, eadem Sede vacante*, innuitur aliàs potuiſſe abſoluere, niſi interdictum fuiſſet à ſummo Pontifice. Quare ſententia Cellotij, quæ, vacante Sede, incapaces quoſcumque Clericos etiam Cardinales ſupplendæ & exercendæ Pontificiæ iuriſdictionis aſſerit, ea iuri contraria eſt, & S. R. E. Cardinalium dignitati infert iniuriam.

ARTICVLVS II.

Error Cellotij, Cardinalium collegium ſeu Clerum Romanum Senatum olim orbis Chriſtiani non fuiſſe.

TERTIVM Cellotij erratum eſt, quòd neget Cardinales, ſeu eos, quorum loco ſucceſſerunt, Clericos Romanos Senatum olim Romani Pontificis fuiſſe. Id enim colligitur ex iis ipſius verbis quæ habentur initio capitis 9. lib. 4. pag. 109. vbi de Epiſcoporum ordine hæc præmittit. *Aggredior antiquiſſimum Apoſtolicæ ſucceſſionis ordinem, orbis Chriſtiani Senatum olim vnicum, modò alterum, auguſtiſſimi capitis nobiliſſima membra.* Quid enim ſibi volunt iſta, niſi Epiſcopos orbis Chriſtiani capitulum exſtare: ac proinde Epiſcoporum ordinem non iam vnicum, ſed alterum, vnum ſcilicet ex duobus efficere. Hæc autem ſententia & Romani Pontificis auctoritatem valdè deprimit, quaſi nihil olim ſine Epiſcoporum Concilio in toto orbe Chriſtiano fecerit, nihil molitus, aut aggreſſus fuerit; & Clericorum Romanorum, quibus Cardinales ſucceſſerunt: ac proinde Eccleſiæ Romanæ dignitatem eleuat, quaſi Concilium ſeu Senatus ſummi Pontificis olim Clerus Romanus fuerit, ſed ab eo ipſi fuerint excluſi: quaſi non ipſa abſque aliarum conſortio mater & magiſtra Eccleſiarum fuerit, quemadmodum à Conciliis Lugdunenſi ſub Gregorio X. & Florentino vocatur.

Vtrumque illud falſum. Primum quidem, quia non dubium eſt, quin perſecutione graſſante ſolius Romani Cleri iudicio multa ad Eccleſiæ pacem & directionem neceſſaria Romanus Pontifex ſtatuerit, quo tempore Epiſcoporum generalia Concilia nullatenus haberi, prouincialia etiam vix poterant. Certum eſt etiam quotidie Romanum Pontificem ex toto orbe miſſis ad ſe Synodicis conſultationibus reſpondiſſe, quibus adiutorem ſe Damaſo ab ipſo adhibitum teſtatur Hieronymus epiſt. 11. an verò quotidie Concilia Epiſcoporum celebrari potuerunt, vt ex eorum conſilio Romanus Pontifex reſponderet? neque verò leguntur Concilium conuocaſſe Pius I. dum aduerſus inueteratam quorumdam populorum conſuetudinem Paſcha die Dominico celebrandum ſanxit, apud Euſebium in Chronico: Victor I. cùm Aſiaticas Eccleſias reliquis orbis totius Eccleſiis pertinaciùs renitentes ab vnitate ſeparauit, teſte eodem Euſebio lib. 5. hiſtoriæ cap. 34. cuius ſententiam Nicæna Synodus poſteà probauit, & tota Eccleſia amplexa eſt. Zephyrinus, dum *edicto*, vt loquitur Tertullianus cap. 1. de pudicitia *peremptorio*, Mœchiæ & fornicationis delicta ſacramento Pœnitentiæ expiari poſſe pronuntiauit, ac Montaniſtas damnauit, teſte eodem *contra Praxeam.* Stephanus I. cùm pro rebaptizandis hæreticis totam Africam cum Cypriano conſpirantem, magnam Aſiæ partem cum Firmiliano Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo, Ægyptum cum Dionyſio Alexandrino epiſtolâ ſua repreſſit, *nihil innouandum* dictitans, vt leges apud Euſebium lib. 7. cap. 6. Vincentium Lirinenſem commonitorij primi capitibus 9. & 10. alióſque complures.

Fateor, ſi quid magni momenti deliberandum occurreret, Romanos Pontifices ſimul cum Clericis Romanis Epiſcopos qui Romæ reperirentur, conuocare ſolitos fuiſſe; ſed hi quaſi fortuitò occurrentes primarium ipſius Concilium non erant, ſed Romanus Clerus, atque Preſbyterorum ac Diaconorum cœtus, qui proinde tantum abeſt, vt à conſultationibus pro Chriſtiani orbis adminiſtratione excluderentur, cùm potiùs primarium & ordinarium eſſent Romani Pontificis Concilium; Epiſcopi verò qui fortuitò in vrbe Roma reperirentur, accidentarium: patet id ex epiſtola Cornelij *ad Cyprianum*, inter eius epiſtolas 46. qui in cauſa Confeſſorum ad vnitatem redeuntium cùm anteà ab ea diſceſſiſſent, hæc habent, *Omni igitur actu ad me perlato placuit contrahi Presbyterium: adfuerunt etiam Epiſcopi quinque, qui & hodie præſentes fuerunt, vt formato Concilio, quid circa perſonam eorum obſeruari deberet, conſenſu omnium ſtatueretur.* Ac paulò pòſt, *His ita geſtis in Presbyterium venerunt Maximus, &c.* Nam Preſbyteros à Cornelio ad Concilium primo loco nominatos re-

peries; acceſſiſſe eis aliquos Epiſcopos leges tanquam accidentarios conſiliarios; Presbyteriúmque vocari conuentum, ad quem illi Epiſcopi acceſſiſſent: Patet etiam ex epiſt. Cypriani 58. Lucio Papæ: nam ex ea colligitur, ſicut in cæteris Eccleſiis, ita & in Romana ſacerdotali honore Presbyteros Romano Pontifici coniunctos & in conſultationibus aſſeſſores fuiſſe, *vt*, inquit, *oſtenderet quæ eſſet Eccleſia, quis Epiſcopus vnus diuinâ ordinatione delectus, qui cum Epiſcopo Presbyteri ſacerdotali honori coniuncti.* Hinc & Clericos Romanos Epiſcopi Romani Senatum, & conſiliarios cum Romano Pontifice præſidentes habitos paſſim legimus: Pius I. epiſt. *ad Iuſtum Viennenſem Epiſcopum*, Clericos Romanos *Senatum*, Viennenſes *Collegium fratrum* appellat: *Salutat te Senatus pauper Chriſti apud Romam conſtitutus; ſalutat & omne Collegium fratrum, qui tecum ſunt in Domino.* Cyprianus epiſt. 55. *Cornelio*, Romanæ ciuitatis *Clerum florentiſſimum* cum Romano Pontifice *præſidentem* dicit, *Pro mutua*, inquit, *dilectione quam debemus, & exhibemus nobis inuicem, florentiſſimo illic Clero tecum præſidenti, & ſanctiſſimæ & ampliſſimæ plebi te ſemper legere literas noſtras*, &c. Hieronymus in cap. 3. Iſaiæ, Senatui Romano politico alium in Eccleſia reſpondere inſinuat, iis verbis, *Senatus quoque conſulta dicuntur, & principes quondam Romani Conſules appellati ſunt, vel à conſulendo ciuibus, vel ab agendo cuncta conſilio: & nos habemus in Eccleſia Senatum noſtrum, cœtum Presbyterorum.*

Sanè Eugenius quoque Bullâ, *non mediocri*, edita anno 1439. tom. 1. Bullarij, apertè Cellotij ſententiæ contradicit, §. 4. dum ex Innocentio III. refert, *Id quod Deuteronomy 17. dicitur, vt pro difficultate & ambiguitate iudicij accedatur ad Sacerdotes Leuitici generis, & iudicem, qui fuerit illo tempore, & obediatur illorum iudicio, qui præſunt loco, quem Dominus elegerit; de ſummo Pontifice intelligendum eſſe, & fratribus eius S. R. E. Cardinalibus, qui ei iure Leuitico in executione ſacerdotalis officij coadiutores exiſtunt. Itaque* (addit) *& ab exordio Eccleſiæ, ſicut & hodie ſummis Pontificibus in regenda gubernandáque vniuerſali Eccleſiæ adſiſtebant*, &c.

Duo enim illi Pontifices Innocentius III. & qui eum refert Eugenius IV. docent Cardinales ab initio Eccleſiæ Romanis Pontificibus in regimine vniuerſalis Eccleſiæ adſtitiſſe, id eſt Senatum Eccleſiæ Chriſti fuiſſe. Id verò negat Cellotius, ſolos Epiſcopos olim vnicum Eccleſiæ Senatum conflaſſe aſſeuerat, ac nouum proinde aſſerit eſſe, quòd Cardinalium ſeu Clericorum Collegium delectum ſit, vt eſſet vnus Senatus Eccleſiæ, alter verò Epiſcoporum cœtus. Cellotio forſan adhibebimus fidem contra expreſſam duorum ſummorum Pontificum teſtificationem?

ARTICVLVS III.

Quomodo Cardinales in hierarchia Eccleſiæ conſiſtant, aduerſus Cellotium explicatur.

QVÆ verò hîc docuimus, explicant quo ſenſu aſſeruimus vindiciarum cenſuræ lib. 4. c. 1. S. R. E. Cardinales, nonniſi coniunctim cum Romano Pontifice in hierarchia collocari, quia cum eo iuriſdictionem communem habent, vt pote ſecundum Petrum Damiani lib. 2. epiſt. 2. ſeu Opuſc. 31. lib. 7. *Spirituales vniuerſalis Eccleſiæ Senatores*, & lib. 1. epiſt. 20. *Cadaloo oculi vnius lapidis*, id eſt, *Romanæ Eccleſiæ, & lucernæ vnius candelabri*. Secundum Bernardum lib. 4. de conſid. cap. 4. *Collaterales & coadiutores* Papæ, de quibus paulò pòſt ait, *poteſtatem non habent, niſi quam tu eis tribueris, aut permiſeris*, item *eligendi de toto orbe orbem iudicaturi*. Secundum Baſilienſis Concilij Patres ſeſſ. 23. *Summi Pontificis in dirigenda Chriſtiana republica collaterales;* qui denique ſecundum Baldum Cod. *de bonis, quæ liberis*, lege penult. atque iuxta Gloſſam in Extrauagantem Ioannis 22. *Execrabilis, de præbendis*, ſunt *pars corporis Papæ, cùm cæteri prælati ſint partes coporis Eccleſiæ.*

Et hęc ſanè expoſitio omninò videtur eſſe rationi & citatis auctoritatibus conformis. Nihilominùs eam vellicat Cellotius lib. 4. c. 8. p. 190. *Quia*, inquit, *licèt Pontificis*

ficis iuriſdictionem participent, non habent tamen eandem, quam ille: participant & Epiſcopi atque Archiepiſcopi, quos à Pontifice ſeparat HALLIER; *& ne quo ſubterfugiat, ſunt etiam iſti Pontificis conſiliarii, & pars corporis eius, quibus cum diſtinctam ſedem aſſignet, quidni & Cardinalibus?*

Sed nec mentem meam capit aduerſarius, nec ſomnia ſua rectè impugnat. Non dixi, ideo Cardinales poni coniunctim cum Summo Pontifice duntaxat in Hierarchia ſtrictè ſumpta, quod Summi Pontificis poteſtatem participent, ſed quod nullam iuriſdictionem eminentem exerceant, niſi cum Summo Pontifice (namquam in ſuis titulis exercere poſſunt, non eſt maioris dignitatis quam Parochi, Archipreſbyteri, vel Archidiaconi:) & quia iuriſdictionis viam cum eo communem habent, ſicut & Canonici cum Epiſcopo, ideò diximus nonniſi communem in Hierarchia locum habere, ſicut & Canonici habent cum Epiſcopo: item quia ſicut hi cum Epiſcopis ſuis non ſuo nomine propriam exercent in ſubditos Epiſcopo iuriſdictionem; ita Cardinales nonniſi Pontificis iuriſdictionem exequuntur in ſubditos ſummo Pontifici: Horum ideo cum Pontifice idem eſt tribunal; Epiſcopi vero diuerſum à Pontifice tribunal efficiunt, & ſubordinatam Summo Pontifici poteſtatem habent, quam ſeparatim à Summo Pontifice in ſuæ diœceſeos homines exercent: atque adeo in Eccleſiæ Hierarchia locum ſibi ſeorſim vendicant. Conſiliarii ſunt Epiſcopi Summi Pontificis, non ordinarii, ſed extraordinarii, in rebus arduis à Summo Pontifice vocati; Cardinales vero ordinarii & collaterales: pars Papæ nunquam dicitur Epiſcopus, ſed pars Eccleſiæ: ſed propter vnitatem tribunalis pars Papæ Cardinales dicuntur, quam differentiam citata gloſſa expreſſit. Et ſane niſi Preſbyteri & diaconi Cardinales cum Summo Pontifice in Hierarchia collocentur, quomodo præcipuus in Hierarchia locus Epiſcopis aſſeritur in Tridentino ſeſſ. 23. capite 4. quomodo reprehenduntur Montaniſtæ ab Hieronymo epiſt. 54. quod non primo loco Epiſcopos ſtatuerent, ſed aliquos ipſis præferrent?

Cellotius ipſe 70. ſeu 72. ſenioribus, qui Sanhedrin conficiebant, in Hierarchia legali, *eundem cum ſummo ſacrorum Principe locum* aſſignat, *cuius hic erat Senatus:* quemadmodum inquit, *in prophana politia Regum Conſilium quia regiæ auctoritati participat, vnum quodammodo, & idem videtur eſſe cum Rege*, capite 2. lib. 3. pag. 100. Quidni ergo à pari, locus in Hierarchia Euangelica idem Cardinalibus cum Summo Pontifice aſſignandus erit, cuius nempe collegium iſtud ſenatus eſt, cuius ipſi conſiliarii & aſſeſſores? hæc expreſſa videtur eſſe mens Sixti V. conſtitutione edita anno 1586. circa Cardinales, quæ incipit, *Poſtquam verus*, ſicut ex verbis iſtis innoteſcit, *ſicut in cathedra ipſius Petri ſucceſſor & verus Chriſti Vicarius Romanus Pontifex, diuina præordinatione, eiuſdem ſupremæ Apoſtolicæ dignitatis faſtigium & locum in terris tenet: ita etiam S. R. E. Cardinales repræſentantes perſonam Apoſtolorum, dum Chriſto Saluatori regnum Dei prædicanti atque humanæ ſalutis myſterium operanti miniſtrarent, eidem Pontifici in executione Sacerdotii officii, & in dirigenda ipſa Eccleſia Catholica, cui præeſt, conſiliarii & coadiutores adſiſtunt quaſi oculi, & aures, & nobiliſſimi ſacri capitis partes, & præcipua illius membra à Spiritu ſancto conſtituta, qui in hac ipſa Eccleſiaſtica Hierarchia diuina diſpoſitione inſtar illius cœleſtis, cui ex altera parte reſpondet, ordinata, ad altiſſimum gradum euecti cum Romano Pontifice, communi Patre ac Paſtore, ad quem ex omnibus gentibus, ac nationibus, in grauiſſimis, maximéque arduis rebus fideles omnium generum, omnium ordinum ſummi, infimi quoque quotidie confluunt, tanti ponderis molem, atque onus populorum ſuſtineant.*

CAPVT IV.

Perperam quædam dicta à Cellotio tum circa Romani Epiſcopatus limites, tum circa Patriarchas.

LONGVM eſſet ſingulos Cellotii lapſus enumerare, eaque omnia proferre, quæ contra rerum fidem paſſim ipſi exciderunt; eorum ſpecimina aliqua proferamus circa diœceſim propriam Romani Epiſcopi, & circa Patriarchas.

Circa primum turpiter hallucinatur dum diœceſis Romanæ proprias parochias ſuburbitarias quaſi ab antiquo conſtituras memorat cap.7. lib. 4. pag. 184. contra Innocentii I. teſtimonium epiſt. 1. *ad Decentium Eugubinum*, cap. 5. *de fermento vero quod die Dominico per titulos mittimus, ſuperflue nos conſulere voluiſti, dum omnes Eccleſiæ noſtræ intra ciuitatem ſunt conſtitutæ, quarum presbyteri quia die ipſa propter plebem ſibi creditam nobiſcum conuenire non poſſunt, idcirco fermentum à nobis confectum, per Acolythos accipiunt, vt ſe à noſtra communione, maximè illa die non indicent ſeparatos.*

Quod ait eadem pag. Patriarchatum Romanum primis temporibus magnam Græciæ partem tenuiſſe, incogitanter dictum, quandoquidem totam Græciam teneret; nam cum ad Romani Pontificis Patriarchatum ſpectarint, quæcumque Theſſal. Apoſtolicæ ſedis vicarii curæ committebantur, huic vero vniuerſam Græciam ſubditam fuiſſe docuerimus, ſequitur totam Græciam ſub Romani Pontificis Patriarchatu fuiſſe comprehenſam. Certum eſt quoque integram præfecturam prætorio Illyrici Patriarchæ Romano vt Patriarchæ fuiſſe ſubditam. At Zoſimus lib. 2. à Conſtantino Magno eius primo auctore ſub præfecto prætorio Illyrici, Græciam vniuerſam, Cretam & inſulas adiacentes, aliaſque prouincias quas Romano Pontifici ſubditas fuiſſe conſtat, conſtituit.

Turpis etiam lapſus Cellotii cap. 12. lib 4. pag. 205. *Patriarcham* S. Iacobum Hieroſolymorum primum antiſtitem vocantis, cum nondum ſedes Hieroſolymitana Patriarchalis effecta eſſet, imo cum nonniſi quadringentis poſt Iacobum annis Patriarchalis confirmata fuerit in Concilio Chalcedonenſi, vt ſupra docuimus.

Eiuſdem quoque haud abſimilia errata leguntur lib. 5. cap. 17. §. 1. in his verbis, *quæ quidem Eccleſiæ vtriuſque* (Viennenſis & Arelatenſis) *controuerſia conſimilem animo meo in Oriente obiicit Conſtantinopolitanæ ſedis, quæ dignitatis prærogatiuam ſupra cæteros Patriarchas in Concilio Chalcedonenſi contra Eccleſiarum ſuperiorum priuilegia cum ſubripuiſſet, quanto zelo Patriarchæ Alexandrini pro ſuo priuilegio, Romani Pontifices pro æquitate certarunt, vt in ordine ſuo poſt Romanam Alexandrina perſtaret! & factum id foret niſi ambitionis pertinacia Romam fatigaſſet, & pacis ſtudium Alexandriam mitigaſſet.*

Primùm enim Conſtantinopolitani Patriarchæ pretenſio ab Arelatenſis & Viennenſis contentione toto cœlo diſtat. Nam inter Arelatenſem & Viennenſem de Metropolis finibus certabatur: vtraque Eccleſia antiqua Metropolis fuerat. Variis euentibus limites vtriuſque obſcuri euaſerant, vna aduerſus aliam æmulatione contendebat.

Quid in ea tota quæſtione ſimile cum prætentione Conſtantinopolitanæ ſedis, quæ, cum conſtaret ipſam Heracleenſi parochiæ ſubditam fuiſſe, repente Imperatorum fauore, & nouo ſplendore Metropoliticam dignitatem, Patriarchicam auctoritatem affectabat non antiquo iure nitens, ſed gratiam aucupans, multaſque ſibi Eccleſias Metropoliticas atque Exarchicas, imo & Patriarchicas ſubiugare quærebat. Quid hoc commune contentione inter Viennenſem, & Arelatenſem Eccleſias, quæ prolatis tabulis, & antiqua poſſeſſione cum iudice legitimo diſceptata fuit, vt ſupra vidimus?

Secundò, ſupra cæteros Patriarchas dignitatis prærogatiuam in Synodo Conſtantinopolitana ſibi primum quæſiuit antiſtes Conſtantinopolitanus, in Chalcedonenſi tantum eiuſdem confirmationem petiit: inſuperq; viſus eſt auctoritatis quandam prærogatiuam ex duorum iſtius Concilii Canonum obſcuritate affectaſſe, quibus ſcilicet, vel ad ſedem Conſtantinopolitanam, vel ad ſuum Patriarcham ſingulis prouocatio permiſſa videretur, ſed nec illorum Canonum is ſenſus fuiſſe creditus eſt vt Patriarchis aliis præiudicaret: nec quidquam auctoritatis in aliis Patriarchatibus vi Canonum Chalcedonenſium obtinere potuit, vt ſupra demonſtratum eſt.

Tertiò, à tempore Conc. Chalcedonenſis Patriarchas Alexandrinos magno zelo pro ſuo priuilegio decertaſſe, aut ſtudio pacis tandem acquieuiſſe non legimus: quin immo ſtatim poſt Proterii necem paucis poſt Synodum Chalcedonenſem annis notauimus ſuprà, Alexandr. Clericos & Epiſcopos Ægyptios Anatolium Conſtantinop. primum inter Patriarchas nominaſſe epiſt. *ad Leonem Imperatorem*: & Vigilii conſtitutioni Apollinarem Alexand. poſt Eutychiū Conſtantin. ſubſcripſiſſe, & in quinta Synodo Alexand. Conſtātin. primū locum ceſſiſſe, toto vero tēpore quod excurrit inter Synodū Chalced.

in qua depoſitus fuit Dioſcorus, ſedem Alexandrinam hæreticorum procellis exagitatam de iſta controuerſia non cogitaſſe, vt non tam ſtudio pacis quam inteſtinis diſſidiis conflictatos Alexandrinos præſules depoſuiſſe contendendi voluntatem, & prærogatiuam dignitatis Patriarchæ Conſtantinopolitano conceſſiſſe dicendum ſit.

Quartò, è contra vero Romanum Pontificem ſtudio pacis, vt ſupra vidimus, tandem acquieuiſſe prærogatiuæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ nouimus, dum ſcilicet ſub Iuſtino, ac demum ſub Iuſtiniano Eccleſiarum Orientis reconciliationem hac remora retardare prudenter noluit: illum vero fatigatum pertinacia antiſtitum Conſtantinopolitanorum deſiiſſe pro æquitate certare, nec veriſimile eſt, nec Romanæ Sedi honorificum. Veriſimile id non eſt, quippe cum de aliis capitibus quæ fidem & Eccleſiæ vnitatem ſpectarent, ante iſta tempora Romanus Pontifex cum Patriarchis Conſtantinopolitanis decertaret, non de Primatu Conſtantinopolitanæ ſedis inter eos quæſtio verteretur: quæ diſceptatio Romanum Pontificem dici potuerit fatigaſſe? Nec honorificum eſſet Romano Pontifici, ſi plus pertinaciæ ad iniuſta priuilegia obtinenda Conſtantinopolitanus, quam conſtantiæ ad æquitatem defendendam attuliſſe ipſe dicatur. *Quod ſi ita res eſt*, inquit Cyprianus epiſt. 55. *Cornelio, vt nequiſſimorum timeatur audacia, & quod mali iure atque æquitate non poſſunt, temeritate ac deſperatione perficiant, actum eſt de Epiſcopatus vigore, ac de Eccleſiæ gubernandæ ſublimi, ac diuina poteſtate: nec Chriſtiani vltra aut durare aut eſſe iam poſſumus, ſi ad hoc ventum eſt, vt perditorum minas atque inſidias pertimeſcamus. Manere apud nos debet fides robur immobile, & ſtabilis, atque inconcuſſa virtus contra omnes incurſus, atque impetus oblatrantium fluctuum, velut Petræ obiacentis fortitudine & mole debet obſiſtere.* Alia plurima ſimilia omittimus.

CAPVT V.

Quid peccet Cellotius contra Epiſcopos.

ARTICVLVS I.

Peccat Cellotius contra ſtatum & inſtitutionem Epiſcoporum.

CVm ſe ad exprimendam ſummam qua pollent in Eccleſia poteſtatem Epiſcopi, accingit Cellotius, tanta pollicetur libro 4. cap. 6. tam præclara ſpondet, vt nemo ſit qui non eum acerrimum dignitatis Epiſcopalis vindicem futurum ſperet. E contra dignitatem Epiſcopalem paſſim conſpurcat, ſtatum deprimit, eleuat poteſtatem: neque tamen dictum illud in eum retorquemus, quod in me coniicit præfatione ad Lectorem: *inuitat vt Abſalom, ſalutat vt Ioab, conſulit vt Chuſai, eo pernicioſior quo tectior.*

Modeſtius cum eo ago, præuaricationem ſolum obiicio, quam ſequenti tomo, quo *de Epiſcopis & parochis* diſſeram, apertius & fuſius demonſtrabo. Sed pauca eo loci Lectorum oculis ſubiiciam errorum ipſius aduerſus Epiſcopalem dignitatem ſpecimina.

Hanc eſſe præcipuam Epiſcoporum prærogatiuam putauerat Hieronymus epiſt. 54. *ad Marcellam*, quod nullus Epiſcopis in Eccleſia anteponi poſſit qui non ſit Epiſcopus, in eoque præſertim Catholicos à Montaniſtis diſcrepare docet ibidem, quod Montaniſtæ aliquos ipſiſmet Epiſcopis auderent anteponere, qui tamen non erant ex ſacro Epiſcoporum ordine deſumpti. Hanc ipſam cum Montani ſectatoribus Epiſcopis iniuriam infert etiam eo ipſo loco, vbi Epiſcopalis dignitatis vindicem fore potiſſimum pollicetur Cellotius, vt ſupra notauimus. *Tria ſunt*, inquit, *in Petro, ratio capitis, Apoſtolatus, Epiſcopatus, omnia ſibi inuicem accidentaria.*

Si illa omnia ſibi inuicem accidentaria ſunt: ergo & ratio Epiſcopatus accidentaria eſt in Eccleſiæ capite; ergo poteſt eſſe caput Eccleſiæ qui non ſit Epiſcopus: ergo non

laïcis ſolum, ſed & ipſiſmet Epiſcopis præeſſe poteſt qui ſacris infulis non fuerit inſignitus? & hæc ſunt ſumma illa encomia quibus te ſacram Epiſcoporum dignitatem exornaturum pollicebaris?

Quid quod ſi vllum ſit Epiſcoporum encomium quod hoc loco veritatis vis ab eius ore extorſerit, totus eſt poſtea vt illud reuocet audacter, adeo veritati vel dignitati Epiſcopali infenſus eſt. Epiſcopatũ quidem hoc loco *magiſterium eſſe hominibus à Deo conceſſum* agnoſcit: quod ipſum lib. 5. c. 13. confirmat vbi aſſerit *Epiſcopatus magiſterium ex natura rei conuenire*: quid tamen toto ſuo opere aliud agit, quam vt acriter ſuſtineat Epiſcopis prout in Hierarchia ordinis conſtituuntur, iuriſdictionem neceſſario non competere? Nonne reprehendit Aurelium quod lib. 4. c. 17. § 3. *Epiſcopalem dignitatem, ait ſummam, & in ſuo genere perfectam iuriſdictionem neceſſario complecti, nec ſine ea conſiſtere?* at quod Aurelius dixit, illud idem eſt quod Cellotius; præterquam magis prope loquitur Aurelius: nam Epiſcopus degradatus, verbi gratia, Epiſcopatum habet, quia characterem habet; iuriſdictionem non habet, nec magiſterium, ſed nec dignitatem Epiſcopalem: quam diſtinctionem percipies, ſi memineris: *Martyrium Antiochenum clero immorigero, plebique rebelli nuntium remiſiſſe, retenta ſibi Epiſcopali dignitate*, teſte Theodoro lectore lib. 1. collect. Hoc ipſo loco dignitatis Epiſcopalis ſummam in eo collocat quod non ſolum Patres & Concilia, ſed etiam ipſemet Chriſtus nos iubeat, vt Epiſcopos tamquam veros Apoſtolorum ſucceſſores veneremur.

Ex quo proinde ſequitur ab ipſomet Chriſto Epiſcopos inſtitutos fuiſſe, *Vnus*, inquit, *tantam dignitatis auctoritatiſque amplitudinem æquare hominum linguis, videtur titulus, cum inſtituti à Chriſto, eruditi à Patribus, informati à Conciliis corde credimus & ore confitemur Epiſcopos eſſe Apoſtolorum ſucceſſores.*

At quam acriter poſtea in meipſum inuehitur lib. 5. cap. 23. quod Epiſcopos & parochos iuris diuini eſſe docuerim: eoque tranſfert quod dixi, quaſi poteſtatem illos immediate habere à Deo ſcripſiſſem: qua de re non cogitabam, ſed ſolum vtriuſque ordinis diuinã inſtitutionem aſſerebam: hoc ipſum vero, puta Epiſcopos à Deo non accepiſſe immediate poteſtatem libri 4. cap. 9. auide impugnat, negatque aliis ſæpius locis. Libenter vero hoc ipſi indulgerem, niſi Theologis Pariſienſibus ſententiam ſuam audacter imponeret, lib. 4. cap. 9. *Iuriſdictionem*, inquit, *Epiſcopos immediate à Pontifice habere Pariſienſes doctores nobis declararunt: quod repetit cap. 18.*

Quis non hominis huius frontem miretur, cum è contra Pariſienſium Doctorum communis ſententia fuerit, Epiſcopos à Deo immediate fuiſſe inſtitutos. Nam in ea ſententia numerari poſſunt Petrus de Alliaco, Cardinalis Cameracenſis vulgo dictus, libro vnico *de Eccleſiæ auctoritate*, in Concilio Conſtantienſi edito, titulo de *origine Eccleſiaſticæ poteſtatis*, concluſione 3. Ioannes Gerſon Opuſc. *de ſtatibus Eccleſiaſticis*, conſider. 1. *de ſtatu Prælatorum*, Ioan. Maior in 4. diſt. 4. qu. 3. concluſ. 2. & diſt. 7. qu. 2. capite 6. *de auctoritate Eccleſiæ*, Henricus Gandauenſis quodlib. 9. quæſtione 22. Gamach. in 3. part. ideo Henriquez contrariam ſententiam, quod Epiſcopi habeant à Deo iuriſdictionem, Doctoribus Pariſienſibus attribuit tomo 1. lib. 6. cap. 5. in notis ad literam B.

Neque bona fide agere videtur, dum ſententiam iſtam, quod Epiſcopi à Deo ſuam poteſtatem immediate accipiant, vni Spalatenſi tribuit, quam conſtat eſſe plurium Catholicorum doctorum; nam præter citatos eam propugnant Abulenſis in caput 15. Num. quæſt. 48. & 2. parte defenſorii cap. 64. nec non in Mathæi caput 16. quæſt. 17. Alphonſus à Caſtro *de iniuſta hæreticorum punitione* cap. 2. qui dicit hanc ſententiam eſſe omnium SS. & Doctorum, & lib. *de hæreſibus*, v. *Epiſcopatus.* Franciſcus à Victoria relectione 2. *de poteſtate Eccleſiæ*, quæſt. 2. num. 27. 28. & 29. propoſit. 2. 3. & vltima. Dominicus à Soto in 4. diſt. 28. quæſt. 4. art. 2. & lib. 1. de iuſtitia & iure quæſt. 1. art. 4. Petr. à Soto lect. 5. *de inſtitutione Sacerdotum*, Andreas Vega libro 1. in Tridentinum Can. 1. & 8. Tapperus art. 3. de abſolutione, & alibi paſſim. Quam inepte tota hæc quæſt. intricata potius quam explicata fuerit, ex præcedentibus peti poteſt. Quæſtionem hic non attingo: ſed malam fidem Cellotii aperio.

ARTICVLVS II.

Errata Cellotii circa Epiſcoporum iuriſdictionem.

PERGIT Cellotius lib. 4. cap. 40. in enumerandis Epiſcoporum prærogatiuis, ſed quas paulò poſt ſolius erroris tenax ac veritatis impatiens reuocaturus eſt. Hanc ergo etiam Epiſcoporum prærogatiuam aſſignat, quod ſoli tanquam iudices ad Concilia conuocandi ſint, verum quia puderet eum aliquid Epiſcopis tribuiſſe, quod non etiam quantum in ſe eſt, regularibus attribueret, idcirco paulo poſt cap. nimirum 10. ipſos etiam Monachos tanquam veros iudices intrudit in Concilia, hac friuola nixus coniectura, quod ſeniores qui Act. 15. Concilio Hieroſolymitano interfuiſſe leguntur, nec Epiſcopi nec ſimplices presbyteri eſſe potuerint, ſed regulares: quaſi vero Epiſcopus, aut presbyter hoc nomine dignus non foret niſi votis Monaſticis adſtrictus.

Verùm ſicut hoc ipſo capite, vbi protulit generalis Concilii Chalcedonenſis ſtatutum quo à Concilio omnes omnino clerici arcentur, qui Epiſcopali dignitate inſigniti non ſunt: *Synodus Epiſcoporum eſt non Clericorum, ſuperfluos foras mitte*, ab hac communi generali regula excipiendos putat Regulares; quaſi regularem eſſe, nihil ſit aliud quam regulas omnes Eccleſiaſticas infringere: ita & lib. 5. cap. 25. vbi protulit generale Concilii Tridentini decretum, quo vniuerſim ſtatuitur, *nè cui etiam Regulari liceat confeſſiones ſecularium audire, nec ad id idoneum reputari niſi ab Epiſcopis approbationem obtineat, priuilegiis & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus*, ab hac communi regula adhuc Regulares excipit.

Non iam de hac quæſtione diſputo, eſt enim alterius loci: hoc ſolum placet aduertere, qua fronte poſſunt ab hoc vniuerſali Canone diſpenſari Regulares, cum expreſsè Regularium fiat mentio, *ne cui etiam Regulari*: quid prodeſt ad priuilegia recurrere, cum conceptiſſimis verbis iis deroget Synodus? *priuilegiis & conſuetudine quacumque etiam immemorabili non obſtantibus.*

Et hæc ſunt reuerentiæ Cellotianæ in Epiſcopos monimenta, vt cum ipſorum auctoritatem temerè vult impugnare, patres ad ſuum ſenſum detorqueat, toti Facultati Pariſienſi turpiter imponat, apertiſſima Concilij Trident. verba ineptis & ridiculis euaſionibus eludat, nullumque non moueat lapidem vt Regulares ab ea quam ſacris antiſtitibus debent reuerentiâ, & obedientiâ iniuſtè diſtrahat.

Tumultus Aurelianos & Hallerianas procellas per contumeliam obiiciat in ea cauſa in qua ipſe palinodiam cecinit.

Sed vt verum fatear, quia verum Cellotius fatetur, non Concilii Tridentini, non aliorum Conciliorum auctoritate coactus, ſed ſuorum confeſſione perſuaſus. Sic enim in ſua ipſe declaratione loquitur; *Non debent nec poſſunt Regulares ſæcularium confeſſiones audire, niſi approbationem ab Epiſcopo obtinuerint.*

Aliud quidem dixi, auctores aliquos ſecutus, nunc autem volens ac lubens probo, & amplector ſcriptum illud quod anno 1633. die 19. Februarii, tum ex ordinibus aliis, tum è ſocietate noſtra ſuperiores aliqui Eminentiſſimo Cardinali Duci Richelio dederunt nominibus, ſyngraphiſque ſuis conſignatum, atque inferius expreſſum: quod quidem ſcriptum nondum mihi innotuerat cum meos de Hierarchia libros ſcripſi.

Ponamus id verum eſſe; at tibi, Ludouice, num Concilium Tridentinum, num varia Concilia, Hiſpaniæ, Italiæ à Summo Pontifice probata, num Bulla Gregorii XV. aliaque plurima innotuerunt, quibus approbatio etiam in Regularibus ad confeſſiones audiendas deſideratur? Sed hæc præ duorum aut trium è Societate tua virorum declaratione minoris tibi momenti viſa ſunt, vt te ab his, non ab illis perſuaſum fateri audeas, non Eccleſiæ Catholicæ traditionem pro doctrinæ & diſciplinæ regula habens, ſed tuorum aut ſuperiorum aut ſociorum iudicium?

Regulares quoſdam à caſibus reſeruatis abſoluere conqueſtus fueram, cum ab eiuſmodi caſibus abſoluẽdi poteſtatem non habeant: huicce grauiſſimæ querimoniæ cauillationem ſophiſticam opponit Cellotius lib. 7. cap. 11. pag. 619. ſeque ſatis Regularium

modeſtiam commendare perſuadet, ſi eos dicat *ab omnibus caſibus non abſoluere, à quibus abſoluit Summus Pontifex*, vt tamen mentem ſuam clarius aperiat, Regularéſque ſi non Summo Pontifici, at ſaltem Epiſcopis pares faciat, negat *vllum eſſe decretum, quo prohibeatur Regularibus, ne à caſibus Epiſcopo reſeruatis abſoluere præſumant.*

Quid ergo tibi videtur, Celloti, de Concilio Viennenſi, quod Clementina *dudum, de ſepulturis* §. *huiuſmodi*, & Clementina *religioſi, de priuilegiis*, ſub pœna excommunicationis ſanctæ Sedi Apoſtolicæ reſeruatæ prohibet, ne quis Regularium à caſibus Epiſcopo reſeruatis abſoluere audeat? Quid tibi videtur de conſtitutione Bonifacii VIII. relata Clementina *dudum*, citata §. *per huiuſmodi*, & extrauagante Benedicti I. *Inter cunctas, de priuilegiis*, & Pauli II. *Etſi Dominici, de pœnitentiis, & remiſſionibus*, quibus confirmatur eadem conſtitutio: & quia tam pertinacirer negas vllum eſſe de hac ſanctæ R. E. congregationis Cardinalium decretum, tamque audacter quæris quod? quale? quo anno datum ſit? breuiter docendus es.

Decretum illud à ſancta Congregatione latum eſſe anno Domini 1557 quod quidem decretum ſua etiam auctoritate Clemens VIII. anno 1601. & Paulus V. anno 1617. corroborarunt. Cuius momenti cenſes Concilia Mediolanenſia anni 1311. ſub Caſtore Archiepiſcopo? tertium & ſextum ſub ſancto Carolo? aliaque plurima Italica & Gallica à ſummis ipſis Pontificibus probata, quæ morem iſtarum nationum, & Summorum Pontificum voluntatem in hoc negotio aperte produnt?

Poſſem addere & totius Eccleſiæ Gallicanæ Antiſtitum auctoritatem, qui in ſolemnibus Comitiis anno Domini 1625. habitis expreſsè prohibuerunt, ne Regulares à caſibus Epiſcopo reſeruatis abſoluerent.

Verum parum te mouet Epiſcoporum auctoritas, nec plus obedientiæ ipſorum ſtatutis, quam venerationis ipſorum dignitati deferre credendus es. Plura alio loco referemus, vbi hanc diſciplinam Eccleſiaſticam ſartam tectam fuſius tuebimur.

Nec plus Conciliorum ac Summorum Pontificum auctoritati Ludouice detuliſti, dum pag. 627. & ſeq. lib. 7. cap. 12. §. 2. Regulares à quocumque Catholico Antiſtite ordinari poſſe defendiſti: dum ab Epiſcopo inquiri in Regulares ordinandos tibi diſplicet, cum tamen dicat Apoſtolus ad Timoth. 5. *Manus cito nemini impoſueris, neque communicaueris peccatis alienis.*

Quid quod contra Gregorii Magni reſponſum epiſt. 54. *Ioanni Epiſcopi Rauennati*, lib. 2. indict. 11. quod à Gratiano refertur diſtinct. 100. Can. *contra morem*: contra alia expreſſa iuris teſtimonia cap. *porro*, & cap. *recepimus, de priuilegiis* cap. *de perſonæ*, eodem in 6. Clem. 2. §. 2. *de pœnitentiis*, & cap. *accepimus, de fide inſtrumentorum*, atque alia paſſim, contendis priuilegia mendicantium Epiſcopis oſtendi, ſeu nota fieri non debere, cap. ſcilicet 20. lib. 5. pag. 374. & 375.

Quid quod alia paſſim toto opere effundis quæ Epiſcoporum poteſtatem mirum in modum coarctant, ſine lege, ſine Canone? quæ omnia ſuis locis refutabo copioſè, & ridiculas tuas aduerſum me ratiunculas quam modeſtè diſcutiam, & veritatis manifeſtatione quædam mihi vel ex imprudentia, vel ex malitia, quam ſuſpicari non auſim, impoſita refellam. Nam hæc omnia diſcutere non eſt huius loci, nec præſentis inſtituti.

ARTICVLVS III.

Errata Cellotii circa Epiſcoporum dignitatem.

CÆTERVM quanti Epiſcopalem dignitatem faciat Cellotius, patet ex diſpoſitionibus quas ad gradum Epiſcopalem adſequendum lib. 2. capite 20. requirit. Non probat, quod dixeram ad Epiſcopalem ſtatum nonniſi qui perfectioris virtutis ſunt eligi debere, vt facilius ſacram illam dignitatem poſſit deſpicere, ad quam aſſequendam magna virtute opus non fuerit, *Apoſtolus*, inquit, *ſiue ad Titum ſcribens, ſiue ad Timoth. virtutes non admodum ſupra vulgares deſiderat in Epiſcopo, ſi quis, inquit, ſine crimine eſt, & oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, ad marginem vero iſta verba adhibet, *mediocris & ſufficiens diſpoſitio ad ſtatum Epiſcopalem.* Et quia ſuam hanc Pauli explicationem Patribus non

placere ſuſpicabatur, ſuam audacter auctoritatem vniuerſali Patrum conſen ſui opponit vt ſolus eam dignitatem carpat quam adeo venerantur ſapientiſſimi Eccleſiæ præſules. *Quæ verba*, inquit, *videri fateor non Chryſoſtomo ſoli, & eius ſcholæ, ſed etiam latinis quibuſdam Patribus admirabilem quandam continere perfectionem, ſed ab illis exiſtimo locum oratoriè potiùs quam literaliter explicari.*

Sed vtri, mi Lector, credendum potius putes, an Chryſoſtomo tum Græcorum omnium, tum latinorum quorumdam, vt fatetur Cellotius, Patrum auctoritate fulto an Cellotio omni Eccleſiæ auctoritate deſtituto, & neſcio quam ſubtilitatem mere Grammaticam proferenti?

Vbi de Monachorum perfectione loquitur Chryſoſtomus non paritur aduerſarius Aurelium reſpondere, hæc à Chryſoſtomo oratorie dicta: vbi vero idem Chryſoſtom. de ſacrorum Eccleſiæ præſulum perfectione ſermonem habet, videtur ipſimet non literaliter, ſed oratoriè loquutus. Adeo parcus eſt in laudanda Epiſcoporum dignitate, qui tam liberalis eſt in exaggerandis Monachorum encomiis.

Qui vult Monachum eſſe ſanctum innocentem, impollutum, à peccatoribus ſeparatum, tam ieiunè de Epiſcopali gradu loquitur, vt ipſi ad tantum munus, Angelicis humeris formidandum ſufficere videatur, vt qui aſſumendus eſt non commiſerit aliquod graue peccatum accuſatione, & damnatione digniſſimum, ſicut eſt homicidium, adulterium, ſacrilegium.

A qua periculoſa ſententia procul abſunt omnes Græci Latinique interpretes in cap. 3. prioris ad Timotheum, & cap. 2. ad Titum, quorum eo maior debet eſſe auctoritas quod non Sacerdotii laudibus intenti, ſed operam dantes ſacrarum ſcripturarum explicationi, quæ debet accuratiſſime exponi, veritatem iſtam doceant, de non vulgari diſpoſitione, non dicam ad Epiſcopatum, verum etiam ad quemlibet Eccleſiaſticum gradum præſertim Hierarchicum. His quoque conſentiunt Dionyſius cap. 1. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, Origenes lib. 1. contra Celſum, Synodus Antiochena apud Euſebium lib. 7. hiſtor. 24 Nazianz. orat. 1. fere integra, Ambroſius de dignitate Sacerdotali cap. 2. & 3. epiſt. *ad Irenæum*, & 25. *ad Vercellenſes*, quæ habentur lib. 3. Chryſoſt. Hom. 3. in acta lib. 2. de Sacerdotio cap. 1. & lib. 4. ac 6. fuſe Hieronymus epiſt. 1. *ad Heliodorum*, & epiſt. *ad Oceanum* Auguſt. ſerm. 106. *de diuerſis*, cap. 10 Iſidorus Peluſiota lib. 2. epiſt. 121. & libro 5. epiſt. 436. Auctor operis imperfecti in Mathæum inter opera Chryſoſt. Homil. 48. in cap. 2. Mathæi, Saluianus *ad Eccleſiam Catholicam*, lib. 2. Hormiſda epiſt. 4. cap. 1. Greg. Magnus lib. 2. indict. 9. epiſt. 39. *Dominico Carthaginenſi*, & lib. 1. *Paſtoralis*. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 3. *Sententiarum* cap. 3 Toletanum Concil. 11. cap. 9. Beda in Math. refertur 8. quæſt. 1. cap. *qualis*, Synodus Romana ſub Eugenio I. & Leone IV. cap. 1. Aquiſgran. Canone 11. & 13. Petrus Damiani opuſc. 25. *de dignitate Sacerdotii*. Bern. *de conuerſione ad Clericos*, cap. 27. & 30. Petrus Bleſenſis in *Canone Epiſcopali*, & ep. 15. *ad electum Carnotenſem*. Hos omnes putabis per exaggerationem locutos, quos conſtat didacticè agentes exquiſitam, & eximiam & ſupra vulgarem, morum probitatem ad Sacerdotium tanquam diſpoſitionem neceſſariam requiſiuiſſe, tantum abeſt vt nonniſi vacuitatem à grauiſſimis criminibus ſufficere putauerint. Quid amplius certi ex doctrina Patrum colligi poterit, ſi teſtimonia Patrum impune friuola iſta diſtinctione liceret eludere?

Apage hanc temeritatem, quam vt opinor, Cellotius ipſe recognouit ſua illa declaratione cuius mox mẽtionem faciemus. Imo qui caput hoc attente enucleabit, reperiet profecto Cellotium quantum in ſe eſt eo tendere, vt vitioſas tueatur electiones, in quibus non vnica ſpectatur Dei gloria, ſed multum terreni deſiderii carnis & ſanguinis admiſcetur, qua intentione, vtrum quis aggredi poſſit Epiſcopatum, vtrum procurare lector diiudicet: ſcio Patres, ſcio Theologos quoſuis contradicere. Sed nos de eo iam non agimus.

Sed omnem ſuperat reprehenſionem, quod eodem capite Anſelmi, Diui Thomæ, Gratiani abutatur auctoritatibus, eorumque teſtimoniis mutilatis vel corruptis, vt etiam infames & tantum non adulteros, homicidas, ſacrilegos, maioribus criminibus maculatos ad Sacerdotii gradum admittat, *Anſelmus*, inquit, *crimen quo carere debet Epiſcopus, explicat graue peccatum accuſatione. & damnatione digniſſimum, ſicut eſt, homicidium.*

At Anſelmus in cit. cap. 1. ad Timoth. hæc ſolum grauiora crimina enumerat, quæ à ſuſcepto baptiſmate, hominem ab ordinatione excludant: ſed proximam diſpoſitionem longe aliam eſſe vult, ſcilicet, & illũ qui ordinandus eſt à ſuſcepto baptiſmate vult hæc grauiora crimina non commiſiſſe, & leuiora etiam pœnitentia deleuiſſe, ſic enim Anſel. *Si quis ſine crimine eſt, illum* (ſubaudi conſtituas.) *Non vt eo tẽpore quo ordinatus eſt ſine vllo crimine ſit, & præteritas maculas noua cõuerſatione deleuerit, ſed vt ex eo tẽpore quo in Chriſtũ renatus eſt, nulla criminis conſcientia mordeatur. Crimen autem eſt graue peccatum accuſatione & damnatione digniſſimũ. Et prima libertas eſt, carere criminibus. Multi quippe fideles ſunt ſine crimine, ſine peccato autem nullus eſt in hac vita. Et ideo Apoſtolus deſignans, quis ſit ordinandus, non a t, ſiquis ſine peccato eſt, hoc enim ſi diceret, omnis honor reprobaretur, nullus ordinaretur: ſed, ſi quis ſine crimine eſt, ſicuti eſt homicidium, adulterium, aliqua immunditia fornicationis, furtum, fraus, ſacrilegium, & cætera eiuſmodi. Cum ea homo non habet (debet autem omnis Chriſtianus homo non habere) incipit caput erigere in libertatem. Et idcirco qui ordinatur careat omni crimine, vt libera fronte poſſit aliorum crimina redarguere, & nemo valeat illi ſua obiicere.* Quo loco videmus crimina maiora ſpeciali duntaxat titulo dici ab Anſelmo aliquem ab ordinatione excludere, vt vel ſi ſemel poſt baptiſmum in iſta inciderit, illum reliquo vitæ tempore ab ordinatione excludendum Apoſtolum præcepiſſe arbitretur.

Sed alio in loco idem Anſelmus in cap. 3. prioris ad Timoth. ita permittit minoribus vitiis obnoxium ordinari, vt tamen præ reliquis eundem velit minoribus ac paucioribus vrgeri; *Et quandoquidem*, inquit, *tale eſt vitium Epiſcopi, ergo oportet eſſe irreprehenſibilem, id eſt talem, vt nullum in eo vitium notetur, quod reprehendi poſſit, quæ res pene contra naturam eſt, omne enim vitium etiam in otioſo verbo reprehenſione dignum eſt, & quis eſt qui nec in his quæ loquitur reprehendi queat? ſed futurus Paſtor Eccleſiæ debet talis eligi, ad cuius comparationem rectè grex cæteri nominetur, vt cum reprehenderit alios ipſe à nemine reprehendi poſſit, perdit enim auctoritatem arguendi, cui poſſunt ab eo quem arguit propia delicta improperari.*

Subdit Cellotius, *& breuius D. Thomas eligi vult Epiſcopum, non eum, qui baptiſmi innocentiam lethali peccato non violauerit, ſed qui crinine infami, aut accuſatione digno non notetur.*

Dico Cellotii verba mentem D. Thomæ non ita belle exprimere quam eiuſdem verba exprimant, quæ nempe de diſpoſitione proxima non loqui S. Thomam apertius oſtendunt, ſed de recta diſpoſitione, quam à baptiſmo neceſſe ei conuenire qui ad Sacerdotium paratur: ſic enim ille. *De primo dicitur, ſine crimine, ſed quis talis erit?* 1. Ioan. 1. *ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus. Dicendum eſt, quod aliud eſt crimen, aliud eſt peccatum peccatum: dicit quodcumque ſiue magnum, ſiue paruum, ſiue occultum: crimen autem magnum & infame; pſalmo Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. & poſtea ſubdit, qui ingreditur ſine macula non quod qui mortaliter peccat: poſt baptiſmum non poſſit eligi, ſed quod eligendus non ſit infamis.*

Et hanc mentem eſſe D. Thomæ collige ex Commentariis eiuſdem in epiſt. prioris ad Timoth. cap. 3. lect. 1. vbi hanc egregiam habet ſententiam dictis meis, quæ ibi impugnat Cellotius, omnino conformem, *Status Epiſcoporum præſupponit perfectionem, & ideo nullus appetere debet, niſi habeat eam; ſed ſtatus religioſorum eſt via, & ideo non requiritur perfectio iam habita, ſed quod teneatur acquirere eam, niſi habeat.*

Sed Gratiani teſtimonium magis corrumpit Cellotius, quem vage citat, & à diſt. 24. ad 61. quaſi infamem, non vi ſtatus Epiſcopalis, ſed ex optimo tantum Eccleſiæ inſtituto, ab ordinatione excludi poſſe cenſuerit, cum explicatio iſta apud Gratianum nullatenus legatur, nihilque tale ipſe docuerit, ſed eandem fere Gratianus explicationem præſertim 25. diſtinct. quam Anſelmus inculcat, quæ ſcilicet ex Hieronymi Commentariis in epiſt. ad Titum deſumitur.

Puduit Cellotium tot errorum, ideoque in ea quam edidit declaratione, ſic mentem ſuam contra ſenſum verborum interpretatus eſt, *Dixi*, inquit, *in diſpoſitione ſufficienti ad căpeſſendum Epiſcopatum, hominem criminibus nonnullis infamem: excidit ea vox, infamem, incogitanti, quam deleri volo, & reponi, criminum quorumdam occultorum reum: ab Epiſcopatu remoueri, non vi ſtatus, ſed Eccleſiæ inſtituto, quod nolim ſic intelligi, quaſi ſpectata ſtatus Epiſcopalis dignitate ſumma non debeat comparari innocentia, & perfectio, vt quis rite decenterque conſecretur, vt oſtendi eodem cap. pag. præcedenti 946. Verum id ſcripſi, ne quis arbitretur ita*

neceſſario ad Epiſcopatum afferri debere innocentiam, vt ſine illa criminis alicuius etiam veus validè conſecrari non poſſit: quod veritati repugnat, & fidei.

Optima quidem, ſed minus ſincere dicta, nec ad auctoris excuſationem valitura; Neque enim de validitate conſecrationis Epiſcopalis agebatur, ſed de diſpoſitione legitima ad Epiſcopatum, ex qua oſtendebamus ſanctiorem eſſe Epiſcopatum quam Monachatum, quia ad illum maxima vitæ puritas tanquam diſpoſitio requirebatur, cum è contra vitiis ſordidatis aliquando Monachos fieri non dedeceret. Quam differentiam Cellotius, Epiſcopalis ſtatus dignitatem volens eleuare, conatus eſt eludere, conſentaneè iis quæ alibi ſcripſerat, dum pœnitentiæ loco ſacerdotium imponi poſſe dictauerat, quod ſupra refutauimus. Deinde differentiam ibidem adhibet Cellotius inter grauiora crimina, atque infamia, & leuiora, nec aliam diſpoſitionem requiri contendit ad Epiſcopatum, quam vacuitatem à grauiſſimis criminibus & quæ ſecum infamiam coniunctam habent. Vnde contra ſenſum verborum eſt, quod ſiue maiora, ſiue minora crimina dicat non impedire validitatem conſecrationis Epiſcopalis, cum omnium criminum quoad hoc par ſit ratio: ibidem autem maiorum & minorum, occultorum & publicorum diſtinctionem adhibet.

Ac proinde ſatius erat candidè & ſincerè fateri, ex diſputandi ardore, & libidine reprehendendi in iſtos errores incidiſſe, quam inepta excuſatione & violenta interpretatione errorem à ſe amoliri velle. Nam quod ait ſe pag. præced. ad ordinationem Epiſcopalem vitę ſanctitatem deſideraſſe, falſum eſt, ſed tantum ad officii ipſius executionem deſiderauit, vt ex lectione eiuſdem innoteſcet.

Quin etiam grauem cenſuram meretur, quod vt carnales & ex carnali affectione prodeuntes electiones ad Epiſcopatum, quas vituperant Patres omnes, quorum teſtimonia plurima leges apud Gratianum 1.q.1. Excuſat autem Cellotius, vt illas, inquam, carnales electiones, vtcumq; tueatur, Baſilii exemplum, quo cum nihil ſimile in medium adducit, *Magnis*, inquit, *viris rationes humanas ſcimus non raro eiuſmodi parentum atque amicorum ordinationes perſuaſiſſe: & à S. Baſilio Eccleſiaſtica narrat hiſtoria, Saſimis vili ac deſpecto oppido erectam Epiſcopatus ſedem, vt ea conſtitutione Greg. Nazianz. amici ſui partes aduerſus Anthimum ſecundæ Cappadociæ Metropolitanum tueretur. Quo facto ſi vnicam Dei ſpectaſſet gloriam, neque terrenis deſideriis quidquam admiſcuiſſet, prius faciliuſque ſine dubio ceſſiſſet Baſilio Gregor. neque tandiu ſubamaras contentiones atque altercationes continuaſſet, quæ in eius epiſtolis leguntur*, &c.

Nemo vt opinor non videt, quam extra propoſitum ſit, quamque male cohæreat iſta narratio. Nam vbi carnalis affectus in Baſilio hic deprehendi poteſt? an quod Epiſcopum Gregorium ſibi amicum conſtituerit? ſed quis hic licet auſterioris ingenii de Baſilio ex eo facto id rationabiliter ſuſpicetur, cum & Gregorium Maximum virum, & Epiſcopatu digniſſimum fuiſſe conſtet; vt ſic iſtre proinde mentem Baſilii interpretetur, qui amicitiæ potius quam meritis eius promotionem ipſius ad Epiſcopatum aſſignare voluerit: ſi quis certè hoc ſæculo nobis Gregor. ad ſacerdotium eligat, nunquam eum iniuſtæ acceptationis, aut carnalis affectus in iſta electione accuſabo; ſed & alia ratio hanc ſuſpicionem excludit, & contrariam opinionem inducit, quod nimirum in vico ignobili, inculto, horrido, inſalubri, minus populoſo Baſilius Gregorium ordinauerit ſibi amiciſſimum, qua proinde ordinatione eum potius deiicere, & à ſe ablegare videri poſſit, quam promouere, virum nempe ſpectatiſſimum, & longe maiori cathedra dignum (vt ipſe Nazianz. tum carmine de vita ſua, tum etiam quibuſdam epiſtolis queri videtur.)

Quare ſi quis in contrariam partem inflecteretur, quaſi nempe non amici cauſa, ſed ſui gratia Baſilius ordinationem peregerit, probabilius quidem, ſed non verius ſentiret. Licet enim Baſilius virum maxime venerandum Saſimorum Epiſcopum ordinarit Gregorium credens Anthimum eius ſanctitatem & famam reueritum illum quietè regionem ſibi commiſſam regere permiſſurum; non tamen in eo facto aut ſuorum iurium, aut ſedis ſuæ conſeruationem tam quæſiuiſſe dici poteſt, quam Dei honorem & animarum ſalutem, quæ ſane in diſcrimen vocabatur ob iſtam contentionem, quæ impediebat, ne paſtoris certi in tota iſta regione quam diuerſi ad ſe trahebant Epiſcopi, conſtitui poſſent. Cui malo mederi ſe poſſe putauit Baſilius Gregorii ordinatione.

Vnde ex iſto exemplo, quomodo aut excuſari poſſint qui amicis in ſacerdotiorum

Digitized by Google

diſtributione gratificari, cognatis, vel affinibus volunt, aut ſuum ſplendorem ex ordinationibus quæritant, nondum percepi. At reſtitit aliquantulum Greg. Baſilii voluntati. Quid tum? non poſſunt magni viri circa aliqua particularia præſertim diſſentire, vt vnus Dei gloriæ promouendæ quippiam conducere exiſtimet, quod alius non conducere ſentiat? Quare gratis & ſine fundamento Baſilio crimen impingitur, vt hominum ignauia, & carnalis indulgentia illuſtri exemplo palpetur.

Proſequamur cætera ex quibus quam contemptim Epiſcopos, quam cæteros è clero habeat Cellotius, innoteſcet, quæ abunde videbuntur refutata cum lecta fuerint: libri ſiquidem 9. cap. 3. problematicum eſſe inſinuat, vtrum Epiſcopus in ſtatu ſit perfectionis, & vtrum religioſis ea in re inferior ſit: vbi enim Hierarchiæ chariſmatum ſupremum gradum deſcripſit, *in charitate, in ſanctitate, in Dei ſimilitudine fundatum*, & regularium ſtatum *ad horum abſolutam perfectionem per Hierarchas deſtinatum, ſupremum in illa Hierarchia tenere ordinem* docuit, hæc ſubiungit *ſolúſne in eo conſiſtat, non diſputo, indicabit lector in Patrum lectione verſatus. Sed tantum volo, cum gradus iſte Hierarchiæ ex Dei contemplatione amorem elicere debeat, illum in ea ſtatum eſſe maximo, qui & Deum contempletur proximè, & amet ardentiſſimè.*

Quis enim non videt Cellotium iis verbis ſubindicare voluiſſe, diſputari poſſe, num, excluſo ſcilicet Epiſcoporum ordine, ſolus regularium ſtatus Hierarchiæ chariſmatum in ſupremo gradu conſiſtat: imo inſinuari præcipuum ſaltem locum regularibus tribuendum, *qui & Deum contemplentur proximè, & ament ardentiſſime.* Obſtinatumque in eo errore Cellotii animum oſtendit hæc ipſius diſputatio lib. 7. cap. 4 §. 1. pag. 527. vbi ex loco Chryſoſt. in quo ſæculares tantum laici cum regularibus comparantur, non autem clerici, audacter inferre non metuit, communem ab initio Eccleſiæ ſenſum fuiſſe ad hodierna vſque tempora, perfectionis ſtudium ſolis Monachis, non autem vllis clericis, atque adeo etiam nec Epiſcopis conuenire. *Prior*, inquit, *locus educitur ex Hom. 7. in epiſt. ad Hebr. vbi in parte morali vir diſertus poſtquam improbos ac proteruos ſenes reprehendit, adiicit homini adhuc iuueni adiumenta ad virtutem, quibus aſſumendis ferendiſq; corporis vires ſunt doneæ. Quænam ea ſunt? labores, lectiones, vigiliæ, ieiunia. Tum ipſe ſæcularium lingua locutus ſibi obiicit. Cur autem hæc nobis dicis, qui non ſumus Monachi? qui, quæ Dei gratia eſt, modus adhuc ſentiendi & loquendi apud ſæculares, tum clericos, tum laicos perſeuerat, oſtenditque nullo non ſæculo communem fuiſſe omnium ſenſum, chriſtianæ perfectionis ſtudium Monachis ſolis competere.*

An vero id omnes putauerunt ſolis Monachis ſtudium conuenire perfectionis, etiam excluſis Epiſcopis? At quam longe ab hac ſententia abfuerunt, qui maius ſtudium perfectionis Epiſcopis & quibuſlibet paſtoribus competere aſſerunt, quam Monachis, Dionyſius cap. 1. & 6. Eccleſiaſt. Hierar. Greg. Naz. orat. 1. pag. 40. & orat. 8. fuſe pag. 147. & 148. S. Ephrem *in vita S. Abrahami*, Chryſoſt. Hom. 78. in cap. 24. Math. & lib. 6. *de ſacerdotio* cap. 5. & 6. nec non orat. *de B. Philogonio* inter Homilias ad populum Antiochenum 31. Ambr. epiſt. 76. Iſidorus Peluſiota epiſt. 184. *Palladio Epiſcopo*, Aug. epiſt. 148. & *de moribus Eccleſiæ Catholicæ*, lib. 1. cap. 32. Bern. epiſt. 248. *ad Eugenium*, & alii paſſim: ſed hoc fuſius non moramur, quæ ad hierarchicam iuriſdictionem cum non ſpectent, eorum accurata diſquiſitio alterius eſt inſtituti.

Obiter duntaxat vnum monebo, perperam me, nec ſatis bona fide, à Cellotio reprehendi c. 19. lib. 9. pag. 944. Quaſi vniuerſe dixerim, *Religioſos bene agendi materiam abunde accerſere, & ab Epiſcopali munere decerpere. Quod*, inquit, *de exercenda perfectione tantum debet intelligi*: quod tamen ipſum eſt quod intellexi: Nam citato ab eo loco vindiciarum mearum pag. 605. expreſſe addidi hanc ipſam reſtrictionem iis verbis expreſſam, *dum ſe Epiſcopalibus quibuſdam muniis in proximorum ſalutem ex parte impendunt.* Nihilque aliud ſignificare volui, quam, & Epiſcopali ſtatui ſua eſſe media obtinendæ perfectionis, quod negauerat Daniel à Ieſu, & Monachos ab iis etiam perfici dum Epiſcopi in animarum ſalute procuranda adlaborant.

Addere potuiſſem & ampliorem ſuppeditari perfectionis materiam à gradu Epiſcopali, quàm Monaſtica exercitatione, vt docent ſupra citati auctores, quibus addere poſſum Greg. Nazianz. orat. 2. pag. 343. 21. pag. 38. & ſeq. Hieron. *contra Iouinianum* pag. 319. col. 1. & alios plures. Cætera omitto quæ innumera proferri poſſent.

CAPVT VI.

Errata Cellotii aduerſus parochorum ordinem & adminiſtrationem.

QVI Epiſcoporum dignitatem & auctoritatem eleuare non eſt teueritus, parochorum ordinem licentius offendit.

Primò quidem tanquam crimen mihi aperte obiecit, quod parochorum diuinam inſtitutionem eſſe crediderim. Nam libro 5. capite 23. citans verba quædam Bonauenturæ Opuſculo, *Quare Fratres Minores prædicent, & confeſſionem audiant*, & ex cap. 9. in regulam Fratrum Minorum, coronidis loco hæc adiungit, *Diſputabit igitur Franciſcus Hallier aduerſus S. Bonauenturam pro diuino iure parochorum, quando ſua illum Theologia ſtimulabit.*

Æquius reponere poſſem. Primò, me de iure diuino, ſeu inſtitutione diuina parochorum eo loco quem mihi obiicit, puta vindiciarum cenſura lib. 4. cap. 1. §. 4. num. 31. nequaquam diſputaſſe, ſed ſolum generatim & vniuerſim de ordine Paſtorum, quem dixi eſſe à Deo, & diuino iure ſancitum, atque inſtitutum, quod nemo negare poteſt, qui paſtores à Deo per Prophetas promiſſos, qui eoſdem à Deo, teſtimonio Pauli cap. 4. ad Epheſ. Eccleſiæ prouiſos, in Euangelio promiſſos & inſtitutos, atque Eccleſiaſtica traditione teſte, à Chriſto ſtabilitos legerit.

Secundò, nec ſi iure diuino parochos ſtatutos ſcripſiſſem, Bonauent. teſtimoniis citatis me motum iri, quandoquidem id non neget Bonauent. ſed priori teſtimonio Parochos ait immediate à Chriſto auctoritatem accepiſſe, poſteriori diſtinctionem curarum à Romanæ Eccleſiæ auctoritate proceſſiſſe: quæ duo vera eſſe poſſunt, quamuis parochorum ordo à Deo inſtitutus admittatur, vt docebimus cum ſequenti tomo, quem in lucem breui edituri ſumus, ex profeſſo quæſtiones iſtas tractabimus.

Tertiò, quamuis S. Bonauent. in contraria ſententia ſteriſſet, mihi liberum ſemper fuiſſet innumeram turbam ſequi Doctorum, qui parochorũ inſtitutionem diuino iure eſſe cenſent. Nam & ipſe alibi modeſtius dubiam tantum ait parochorum à Chriſto inſtitutionem, non auſus eam negare lib. 4. c. 15. pag. 217. *Atqui*, inquit, *ne parochos quidem ipſos diuino iure conſtat curam ouium ſuarum poſſidere.* Eſto vero, non poſſiderent curã ouium ſuarum diuino iure, attamen inſtitutionis eorum ordo dici poſſet diuino iure. Ita ſcilicet vt aliquos parochos eſſe debere Chriſtus voluiſſe dicatur, ſed variabiles & ad nutum Epiſcoporum: ac proinde diuino iure curam ouium ſuarum minime poſſiderent, & cap. 18. eiuſdem lib. pag. 228. *A quibuſdam officium parochi negari diuinæ inſtitutionis eſſe* docet, quæſtionem iſtam in vtramque partem agitari innuens. Certam autem hanc ſemper propoſitionem Eccleſia Gallicana, atque vniuerſitas Pariſienſis tenuit, parochorum ordinem à Chriſto inſtitutũ fuiſſe. Petrum de Alliaco, Gerſonem, Ioannem Maiorem, Henricum Gandauenſem, Almaynum ſuperius citatos, alioſque Doctores Pariſienſes ad nauſeam non inculco. Solum admoneo à Facultate integra Pariſienſi ſæpius hoc decretum deciſumq; fuiſſe, vt patet ex determinatione Facultatis an. 1408. die 21. Ianuar. cuius meminit Gerſon ſerm. *contra bullam Mendicantiũ*, decreto eiuſdem Facultatis anni 1482. aduerſus fratrem *Ioannem Angeli*, qui contrariam reuocare coactus eſt, denique cenſura eiuſdem Facultatis anni 1516. qua damnantur propoſitiones quædam F. *Claudii Cognati.* Itaque non debuiſſet aduerſus Pariſienſem Doctorem iraſci Cellotius, ſi cenſuram Facultatis Pariſienſis propugnans, eiuſdem doctrinam ſecutus fuiſſet, eamque tanquam certam propoſuiſſet. Iuſtæ potius nobis ſubeſſet aduerſus eum indignationis occaſio, quod inolitam, & à maioribus receptam de parochorum diuina inſtitutione ſententiam conuellere, & in dubium reuocare voluerit, vt ordinis parochorum venerationem minueret.

Secundò, multa contra parochos diſputat, vt ſucceſſionem ipſorum 70. ſeu 72. diſcipulis, quam ſequenti tomo ſolide demonſtrabimus, impugnet: quædã etiam inter diſputandum coniiciens quæ totum Parochorum ordinem conſpurcant, quæ etiam ibidem refellemus. Nam v.g. verba iſta, *gratis accepiſtis, gratis date*, quibus Patres vetitam rerum

ſacrarum venditionem teſtantur, Parachos ſibi dicta non exiſtimare ſcribit lib. 5. cap. 13. pag. 335. quæ tamen omnibus Chriſtianis dicta ſunt, atque ita oblique tanquam ſimoniacos, & turpis lucri cupidos Parochos omnes carpens.

Deinde tam Epiſcopis quam Parochis pag. 834. infidelium conuertendorum munus adimit, & ſolius fidelis populi eis curam commiſſam defendit pagina 334. cum tamen oſtenſuri ſimus vtrumque tam Epiſcopis quam Parochis munus optimo iure competere.

Tertiò lib. 1. cap. 2. negat Parochos, *Hierarchas, principes, populi Chriſtiani duces, Patres* dici poſſe: negat à Patribus aliquo vnquam ex iis nominibus illos vel etiam Preſbyteros aut diaconos dictos fuiſſe, quod nos lib. 1. refellimus.

Quartò Parochis, & Epiſcoporum vicariis iniurius eſt, dum vtriſque negat Monachos olim ſubiectos fuiſſe; & Monachos ex ſuo ſtatu, ab eorum poteſtate exemptos contendit: vide lib. 5. cap. 5. §. vnico, pag. 262. & ſequentes, lib. 5. capite 2. pag. 262. lib. 7. cap. 3. pagina 566. Quibus locis hanc exemptionem defendit, & quidem adeo confidenter, vt nos quaſi magni criminis reos incurſet, qui eos vtriſque ſubditos fuiſſe docuerimus.

Verùm tum harum, tum cæterarum huiuſmodi quæſtionum examen ad ſequentem tomum reiiciamus, in quo de Parochis fuſius diſſeremus.

CAPVT VII.

Quæ peccet Cellotius aduerſus vniuerſum cleri ſæcularis ordinem.

NEQVE vero Parochorum duntaxat Cellotius ordinem impetit; vniuerſum etiam clericalem ordinem adoritur, quem contemptim ſæpe nominat, iiſque conſpurcat eloquentiæ non Chriſtianæ, ſed ſæcularis floribus, quorum apud viros omnes bonos Eccleſiaſticæ dignitatis reuerentes non poteſt non eſſe grauiſſimus fœtor. Cap. 16. lib. 9. pag. 920. vniuerſe aſſerit *clerum ad magnam obligari perfectionem, cuius media ex ſe non obtinet ſæcularis?* Rationes autem quibus hoc probat, æquè Epiſcopos, ac Clericos inferiores oſtenderent in ſtatu eſſe ſummam exigente perfectionem, mediis vero ad eam perfectionem neceſſariis carente, adeoque propoſitio iſta continet propoſitionem Danielis à Ieſu cap. 5. Apolog. num. 30. quæ damnata à Facultate Pariſienſi, puta, *Epiſcopalem ſtatum ſummam exigere perfectionem, ſed mediis carere ad illam perfectionem neceſſariis; ideoque periculoſum & miſerandum eſſe.*

Nos vero in vindiciis fuſe lib. 4. cap. 8. §. 4. Epiſcopalem & clericalem ſtatum media conuenientia tam augendæ quam acquirendæ perfectioni habere demonſtrauimus, nec probationes iſtas repetimus, ne moleſti ſimus, nec nouas addimus, quia hæc diſputatio ad Hierarchicam tractationem non ſpectat. Solum ex Proſp. lib. 1. *de vita contemplatiua,* capite 13. notamus duo illa media potiſſima ſuppetere, *vacuitatem ab omnibus occupationibus mundi, & diuinarum ſtudia literarum.* Quorum medium primum Clericis cum Monachis commune eſt; nam Monachi vitam vniformem, ſeu vnius modi ex Dionyſio cap. 1. & 6. *Eccleſiaſticæ Hierarchiæ*, amplectentes, à negotiis ſæcularibus abſtracti atque ſeparati eſſe debent: quorum vitam Clericorum ordo vtpote ſuperior prætergreſſus, ac deiformem, quæ priorem eminenter complectitur, ſectatur, ex Dionyſ. cap. 1. & 5. eiuſd. libri: deiformis autem illa vita in diuinarum ſcientiarum cognitione maximè conſiſtit: ac proinde ſtudium diuinarum literarum quamuis Monachis pro ſuo modulo conuenire poſſit, tamen Clericis aliorum Doctoribus ex ſtatu ſuo maximè conuenit.

Addo diuinas gratias, quæ omnibus exterioribus adiumentis longè præualent, Clericorũ ordini copioſius quã Monachali tum ratione ſublimioris ſtatus, tũ ratione ſacramenti ordinationis, cui adnexę ſunt, cõmunicari ſolere. De Sacramẽtalibus gratiis non dubitatur. Ordinem quoque diuinæ prouidẽtiæ eſſe, vt hominibus ſuperioris, ac digni oris ordinis, ac gradus, maiores gratiæ ſubminiſtrẽtur, ex verbis Pauli epiſt. ad Epheſ. c. 4. inferunt

inferunt Chryſoſtomus, Oecumenius, & alij tum Græci, tum Latini Interpretes, ex illis, inquam, verbis, *Ex quo totũ corpus compactũ, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate.* Aiunt enim iis verbis ſignificari quòd *quemadmodum in noſtris corporibus ſpiritus vitalis à cerebro per neruos deſcendens, non æqualiter omnibus membris inſpirat virtutem, ſed huic quidem ampliùs potenti ſuſcipere plus tribuit; ei autem, quòd minùs poteſt, minùs elargitur: ita & Chriſtus. Tanquam enim membris animarum noſtrarum ex ipſo, & in ipſum pendentibus, ſpiritualis eius virtus, ac donorum diuiſio iuxta proportionem cuiuſque ipſius membri applicata, augmentum efficit ſpiritualis ætatis.* Quæ verſio eſt verborum Oecumenij, quibus omnino ſimilia habet Chryſoſtomus hom. 11. in cap. 4. ad Epheſios. Lege etiam Primaſium, Sedulium & alios; & nota verba iſta ſubiungi diuiſioni membrorum Eccleſiæ in Apoſtolos, Prophetas, Doctores, &c. vt videas ad iſta membra hanc ſententiam referri pro menſura dignitatis membrorum ſingulorum enarratorum chariſmata ampliora nobilioribus membris, ex diuinæ prouidentiæ ordine communicari, docuiſſe ſanctum Paulum fusè in Synodo Turonenſi Arnulphus Lexouienſis Clericis copioſiorem gratiam quàm cæteris à Deo tribui oſtendit.

Addo denique ipſam officij ſanctitatem, quæ nobis reuerentiam incutit, piáſque affectiones, & augendæ perfectioni inſeruit, docente Auguſtino epiſt. 132. *officium impertiendi meritum eſſe accipiendi.* De quibus etiam functionibus loquens Apoſtolus 1. ad Tim. 4. *hæc enim faciens & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Quòd autem pluribus obſeruantiis ligetur Regularis, non eſt indicium nobilioris ſtatus, ſed ignobilioris, quia vt rectè probat Chryſoſtomus lib. 6. *de ſacerdotio*, cap. 6. ideò Epiſcopi nobiliores, quia inſtrumentis minùs indigent ad perfectionem. Sed hæc non ſunt huius inſtituti, nec quàm pluribus inſtrumentis aliquis iuuetur, attendendum, ſed quàm efficacibus, *Corporalis autem exercitatio*, inquit Apoſtolus, *modicum prodeſt, pietas autem ad omnia vtilis eſt.*

Vnde non ſufficienter ſatisfecit Cellotius in ea, quam iuſſus edidit, declaratione, dum prædictam propoſitionem explicans ſcribit, *Id autem dixi comparatè ſolùm non abſolutè, prout inſtituta diſputatio requirebat: aliúdque nihil volui quàm ſæcularem ex ſe pauciora & minus efficacia habere media, quam Regularis propter vota Regularium, vt quòd horum ſtatus ſit ab impedimentis remotior, vt patet locum totum perlegenti pag. 119. nam ſi abſolutè & non per comparationem loquendum eſt, agnoſco nullam eſſe ſtatum, cui non ſuppetant media neceſſaria & ſufficientia ad obtinendam eam perfectionem ad quam obligatur.* Non, inquam, ſufficit hæc declaratio. 1. quia cùm allatis ex ipſius libri verbis nulla ſit comparatio, ſed abſolutè Clerum ſæcularem media perfectionis ſibi debitæ non obtinere aſſerat, idque Daniel à Ieſu, quem defendit, ex profeſſo probauerit, nemo eſt qui non eandem quoque illi mentem ineſſe iure merito credat.

2. Nec quæ ipſe ſubdit, hanc notam eluunt, quin immò confirmant; licèt enim in probatione deficiat, quòd eius vitium non infrequens, tamen deſcriptio iſta quam ſubdit paulò pòſt Cleri ſæcularis cum Regulari, quam mox ſubnectemus, nobis exhibet Clericum ſæcularem mediis omnibus ad debitam perfectionem habendam deſtitutum.

3. Comparationes iſtæ, quocumq; modo odioſæ ſunt, nam ſtatus ille vitæ Clericalis & Regularis etiam quoad media perfectionis acquirendæ vel augendæ excedunt ſe inuicẽ, & exceduntur, vt ex prædictis innoteſcit. Porrò comparari debent duo illi inter ſe ſtatus, Monaſticus & Clericalis: nam inter nos hæc ſola diſputatio verſabatur, *Vter ſtatus perfectior eſſet*, quod & titulus ipſe capitis Celloriani oſtendit, *Religioſi ſtatus cum ſtatu Clericorum ſæcularium comparatio inſtituitur.* Fraudulenter ergo agit Cellotius, qui Clericum ſęcularẽ cum regulari comparat: præcisè enim Clerici Regularis conditionẽ præfero conditioni Clerici ſæcularis, niſi aliunde habeat Clericus ſæcularis, quo Regulari præferatur, vt pote quia Paſtor eſt, atq; adeò animam ſuam oppignerauit Chriſto pro ſubditis ſuis, *maiorémq; hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, Ioan. 15. id eſt, pro iis quibus amicus eſſe debet, ex ſuſcepto Paſtoris officio: tunc enim mutuus quidam adhuc inter eos exceſſus foret. At ſæpè ſignificauimus etiam in vindiciis cenſuræ nos optare Clericos omnes, ſi non voto,

ſaltem conuerſatione Regulares eſſe: ſæpè monuimus, Regulares cæteris paribus ſæcularibus à nobis præferri, quòd iterùm repetimus, ne quis nobis aliam mentem affingat, quàm quæ noſtra eſt, & quam detorquere voluit Cellotius, dum aduerſus nos diſputans, Clericum Regulari comparat.

Iniurioſa porrò & Clero ſæculari probroſa à Cellotio collatio inſtituta: 1. quatenus innuit, qui tria vota non profitentur, Clericos integrum Clericalem ſtatum non poſſidere, ac dimidios cecidiſſe, idque ex Auguſtino probaſſe videtur, cùm tamen Auguſtinus ſer. 1. *de communi vita Clericorum*, *dimidios cecidiſſe* dicat, qui bonorum proprietati, vbi renuntiaſſent vel voto, vel nudo propoſito, proprium habere vellent & extra ſocietatem, quos in officio Clericatus manere permittit, nec tanquam apoſtatas eodem ſermone puniendos cenſet. De iis agere ſanctum Auguſtinum, non ſimpliciter de omnibus Clericis teſtantur hæc verba, *Ergo profeſſus eſt ſanctitatem, profeſſus eſt communiter viuendi ſocietatem, & profeſſus eſt quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum: ſi ab hoc propoſito ceciderit, & extra manens Clericus fuerit, dimidius & ipſe cecidit.* Et paulò ante dixerat: *Ego ſcio quantum mali ſit profiteri ſanctum aliquid, nec implere. Vouete*, inquit, *& reddite Domino Deo veſtro: & melius eſt non vouere quàm vouere, & non reddere.* Auguſtinum autem non eos à Clericatu deieciſſe, iis verbis ipſe oſtendit, *qui volunt habere aliquid proprium, quibus non ſufficit Deus, & Eccleſia ſua, maneant vbi volunt, & vbi poſſunt: non eis aufero Clericatum: nolo habere hypocritas. Malum enim eſſe quis neſciat? malum eſt cadere à propoſito, ſed peius eſt ſimulare propoſitum. Ecce dico, audite: qui ſocietatem vitæ iam ſuſceptam, quæ laudatur in Actibus Apoſtolorum, deſerit, à voto ſuo cadit, & à profeſſione ſancta cadit; obſeruet iudicem ſcilicet Deum, non me: ego ei non aufero Clericatum. Quantum ſit periculum, ante oculos eius poſui, faciat quod vult. Noui enim quòd ſi aliquem hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt patroni, non ei deerunt ſuffragatores, & hic apud Epiſcopos qui dicant, quid mali fecit? non poteſt tecum tolerare iſtam vitam. Extra Epiſcopatum vult manere, & de proprio viuere, ideò non debet perdere Clericatum.*

De iis ergo loquitur Auguſtinus, qui vel abdicatæ proprietatis bonorum votum propriè dictum fregerunt; vel leuitatis & inconſtantiæ, ac infidelitatis cuiuſdam erga diuinam vocationem rei ſunt, quia nudum propoſitum (quod impropriè votũ dicitur) vitæ communis ineundæ ſuſceptum poſteà deſeruerunt: hos dimidios ait cecidiſſe, non autem vniuerſim de Clericis omnibus loquitur, qui Clericatum ſuſceperunt, abſq; eo quòd vitam communem amplecterẽtur; eos enim nequaquam aut dimidios Clericos, aut cecidiſſe diceret, nam Eccleſia aduerſus Valdenſes, ac Wiclephum defendit Clericos perfectos eſſe poſſe, etiamſi paupertatem non vouerent, quem fuſiùs errorem ſecundo tomo inſectabimur, Vnde nec tuta ſunt, quæ à Cellotio ſubduntur, quòd vitiorum fontes recludere ſit, moderationem in diuitiarum vſu permittere: nec Clericis ſæcularibus ſine dedecore affingi poteſt perpetua cum viris, fœminiſque ſæcularibus conſuetudo: vtrumque autem ſubiungit eadem pag. *Denique fontes illos vitiorum non tam intercludi quàm recludi libero diuitiarum vſu, quamuis legitimo* (ſcilicet vitiorum fontes recluſit Apoſtolus, dum nos eſſe debere admonet, *habentes tanquam non habentes*) *perpetuà virorum fœminarumque ſæcularium conſuetudine*, (vbi quæſo iſta Clericorum ſæcularium deprehenſa cum viris, fœminiſque ſæcularibus conſuetudo?) *plenà ſui rerumque ſuarum libertate quantumuis moderatà.*

Sequuntur verò iſta apud Cellotium magnifica in religioſi ſtatus commendationem elogia, grauia verò in vituperium ſæcularis conuitia, *quamobrem obicibus omnibus* (nota particulam iſtam generalem, vt Clerici ſæcularis & laici nullam differentiam eſſe animaduertas) *circumſeptos eſſe Clericos in ſæculo: quos à ſe fortiter reiecerunt viri religioſi, votorum obligatione, regularum obſeruantià, clauſtri ſolitudine, ſuperiorum vigilantià, mortificatione corporum, animorum ſubiectione* (gratiæ Chriſti, & obſeruationis præceptorum nulla hìc mentio, quæ tamen ad abſtruendum vitiis aditum potiſſimùm valent) *vt non iniurià quis poſſit dicere olim Clericis leges datas, à Religioſis accuratè ſeruari* (etiam à non reformatis, Celloti?) *quoniam illi de Religioſis facti ſunt ſæculares: hi ſuis conſtricti regulis permanſerunt.* Sed quid magni, Ludouice, conſtrictos manſiſſe regulis ſuis? annon & flagitioſiſſimi diuinâ lege conſtringuntur, quà niſi conſtringerentur rei non eſſent, dum eius negligunt obſeruationem?

Sed leuiora iſta ſunt præ iis quæ ſubdit ad Regularis commendationem præclara elogia, & Clerici ſæcularis terra conuitia, in quibus explicandis, dum eloquentiæ ſuæ vela pandit, nemo eſt, qui ſi Euangelij recordetur, non ſibi Phariſæum Publicano inſultantem audire videatur. *Itaque in eodem vterque ſtadio currimus, ego ſolus, expeditus, alacer, nuſquam à ſacra linea deflexus* (nam ab hac regula, ſecundum quam *ſepties in die cadit iuſtus*, excipiendus videtur Regularis;) *inter adhortantium fauores, plauſus æqualium* (quàm ſæpè ij plauſus noxij!) *ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis: tu oneribus degrauatus, curis ſæcularibus impeditus, turbarum frequentia retardatus, incertus viæ, ignarus periculi. Eandem vterque munditiem iubemur procurare: ego ab omnibus rerum externarum ſordibus remotiſſimus: tu luto & pice toto corpore volutatus.* (ſine infamia iſta dici non potuiſſe non vides?) *Ad eandem vterque pugnam ab iiſdem hoſtibus prouocamur: ego fidelibus munitus armis, & vndique cataphractus* (vide ne odioſa ſit iſta metaphora) *progredior in campum, vim hoſtis habeo cognitam, artes perdidici, rarò victus, ſæpè victor euaſi: tu latus nudas, cauere neſcis, ſæpè proſtratus, vulneribus exhauſtus, vix vt poſſis ſperare victoriam.* (itâne, itâne, mi Ludouice, de ſalute Clerici ſæcularis deſperas?) *Ad idem in cælo præmium inuitamur vterque: ego callem obſcurum* (ſemitam iuſti lucidam eſſe meminiſſe debueras, nec ad cælum obſcuro calle perueniri,) *rimatus viâ aſperâ, & tenui ad anguſtam portam crepo: illam ſubeo nudus veſtibus, ieiuniis extenuatus, pœnitentiæ laboribus & lachrymis penè eliquatus: tu benè curato corpore, ſplendidè veſtitus*, (quantum hæc deſcriptio à maiori parte ſacerdotum diſtet, vel oculi iudicent) *latâ viâ in multorum conſortio ridens & hilaris eò putas peruenire?* Nihil rege ro aduerſus Regulares, quos ſuſpicio, quorum omnium inſtitutum, plurium benè compoſitos mores demiror. Totum Clerum ſæcnlarem iis coloribus à te depictum, quibus Sardanapalum, aut alium Epicuri de grege porcorum delinearemus, Vide, Ludouice Celloti, ne modeſtiæ tuæ, & charitati non benè conueniat.

Dabo & aliam ſæcularis Cleri à te nobis exhibitam deſcriptionem lib. 5. cap. 16. pag. 146. Ibi enim reprehendens quòd dixiſſem, *Clericum quantumuis ſæcularem ad eam* (hierarchiam) *ſpectare, vt eſt hierarchizans, ſeu vt virtutem quandam ſacra diſpenſandi, & regendi populi auctoritatem importat:* quibus verbis nolui Clerico ſæculari præcisè, quatenus ſæcularis eſt, potiùs quàm Regulari in hierarchia locum tribuere: id enim ſæpiùs auerſatus ſum; nec verba mea id ferunt, ſed volui Clero ſiue ſæculari, ſiue regulari in hierarchia docere perfectam ſedem non eſſe, niſi in quantum regendi populi auctoritatem habet, & ſacra diſpenſandi facultatem: ea, inquam, verba mea reprehendens, quaſi ſæcularem viuendi rationem in hierarchia prærogatiuam aliquam præ vita Regulari habere dixiſſem, plurima aduerſus Clerum ſæcularem vniuerſim, & Parochos declamat homo in iſtis diſertiſſimus, ex qnibus hæc ſeligam, *Hoc eſt quod doletis, eadem omnia committi Regularibus. Quid? vicarij libera vobis eſt electio: temporariam Presbytero, ſolà amici veſtri commendatione noto, iuriſdictionem poteſtis concedere: non poterit idem Epiſcopus, non ſummus Pontifex? & ille fors ruſticus, fors imperitus ſacerdos, quia poteſt hanc ſuſtentandæ vtcumque vitæ rationem, veſtro beneficio, accipere, directè, vt ſic pars eſt hierarchizantis hierarchiæ. Religioſus autem ſacerdos, Theologiæ Doctor, eximius Concionator, tractandarum animarum exercitatiſſimus artifex, quia in hiſce muneribus à vobis pendere non poteſt, ab omni hierarchiæ gradu deiicitur & eliminatur? Cur enim? quia determinatos non habet ſubditos. Ille autem alius quos habet ante commiſſionem veſtram? quia non imperat? Et ille veſter qui Miſſæ ſuæ operam locat audituris, quàm magnus Imperator eſt? quia non hierarchizat actu myſticum Eccleſiæ corpus? Ille videlicet ſæcularis ex ordinis ſui ſtatu, quàm multos cum auctoritate purgat, illuminat, perficit? itaque vel horum neutrij, vel vtrique danda eſt hierarchia: ſed vtrique, quando committitur officium, neutri ſi non committitur.* Conuitia primùm huic diſceptationi tanquam eius ornamenta inſerta animaduerte, Lector: deinde huius diſceptationis alia vitia, quæ ad rẽ faciunt, deprehendes.

Nónne conuitiũ eſt Parochis obiectare, in eligendo vicario iniuriam, vt *ſolà amici commendatione notos* homines ſibi aſſumant vicarios, doctrinam per ſe non explorent, mores notos habere non pertentent? nónne conuitium in eoſdem vicarios, quòd tãquam ignoti, & de terra homines Curatis obtrudantur? nónne conuitiũ eſt eoſdem Parochos ruſticos & imperitos ſupponere? neq; enim dicti aſperitatem particula *fors* omninò tollit: nã ſi grauiter ferret Cellotius à nobis de Religioſo Clerico dici forſan

ipſum ruſticum & imperitum, ad ſacra tractanda accedere; cur idipſum de Paſtoribus ſcribit? cur Parochis improperat? præſertim nullâ neceſſitate, nullâ cauſâ vrgente? nónne conuitium eſt aduerſus Clericos ſæculares, quod etiam in ipſum ſacrificium Miſſæ recidit, quòd illi *Miſſæ operam ſuam locare* dicantur audituris? quód irriſoriè *magni* dicantur *Imperatores*?

Ignorationem etiam diſciplinæ Eccleſiaſticæ Cellotio obiicere poſſumus, quòd Vicarij electionem, quæ paſſim non à ſolis Parochis fieri ſolet, ſed approbatione Epiſcopi indiget, ab iis ſolis fieri ſupponere videatur: quod item à Clericorum ſæcularium adſcriptione Eccleſiæ alicui Parœchiali Epiſcopi iudicium excludit: cùm è contra Clericos alicui Eccleſiæ in ipſa ſui ordinatione Epiſcopis adſcribi debere, aliter nequaquã ordinandos ſtatuant non ſolùm antiqui Canones Apoſt. 35. aliàs 36. Arelarenſis I. ſub Silueſtro ſecundus & vigeſimus-ſecundus, Chalcedonenſis ſextus, Francofordienſis ſub Carolo vigeſimus-octauus; Canones item Concilij Placentini ſub Vrbano II. qui apud Gratianum incipit *Sanctorum*, diſt. 70. Concilium Normaniæ apud Abrincas ſub Alexandro III. apud Odericum Vitalem ex decretis per Theodinum & Albertum Cardinales: Londinenſis Concilij I. ſub Honorio II. ſeptimus: deuique, ne innumera alia proferam, vetus ordo Romanus, vbi de ordinatione loquitur, verùm etiam alia recentiora Eccleſiæ decrera, nam Tridentinum hanc praxim reuocat, ſeſſ. 23. c. 16. de reform. his verbis, *Cùm nullus debeat ordinari, qui iudicio ſui Epiſcopi non ſit vtilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſiis, ſancta Synodus veſtigiis 6. Canonis Concilij Chalced. inhærendo, ſtatuit: vt nullus in poſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ aut pio loco, pro cuius vtilitate aut neceſſitate aſſumitur, non adſcribatur, vbi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus; quòd ſi locum inconſulto Epiſcopo deſeruerit, ei ſacrorum exercitium interdicatur.* Hunc Canonem reuocãt plura alia poſteriora Tridentino Concilia: hæc ergo lex Eccleſiæ, hic ſtatus Clericorum eſſe deber, hæc conditio: Vnde quemadmodum nollet Cellorius de regulari ſtatu diſputari, qualis eſt in quibuſdã Monaſteriis deploratiſſimus, ſed qualis ſecundum regulas Monaſticas & inſtituta approbata vigere debet. Ita ſtatum Clericorum ſæcularium expendere non debemus, qualis in quibuſdam locis, in quibus corrupta Eccleſiæ diſciplina fuerit, animaduerti poteſt, ſed qualis ſecundum Eccleſiæ regulas eſſe debet.

Quo ſuppoſito, iam patet meliori titulo Clericos illos ſæculares, qui ad populi regimen ſimul cum Curato ab Epiſcopo in ſua ordinatione adſcripti ſunt, meliori titulo in hierarchia eſſe, quàm Regioſos etiam ad confeſſiones audiendas approbatos. Tum quòd certos illi ſibi ſubditos habeant, totius ſcilicet Parœciæ fideles, qui tam Curato quàm Parœcianis Preſbyteris coadiutoribus ipſius, & membris ipſius Parochi vnum Collegium ſimul efficientibus obedientiam exhibere tenentur, iiſque in Sacramentorum adminiſtratione ſubiiciuntur: ira vt ex lege communi, & abſque priuilegio ab aliis ſacramenta percipere nequeant; Religioſi etiam approbati ad confeſſiones audiendas nullos habent ſubditos ſibi aſſignatos, nec aliquibus ſacramenta impertiri poſſunt, niſi qui voluntariè ſeſe ipſis ſubiicere voluerint, fauore priuilegij ipſis indulti. Tum quòd Religioſi ſimiliter ſubſidiarij curam nullius ſibi aſſignatam habeant, ſed voluntariam duntaxat operam impendant quibus, & quando lubet. Illi verò & curam animarum habent, & officium, nec ſe merè ſpontaneè animarum curæ & adminiſtrationi ſacramentorum impendunt, ſed ſecundum Canones Spartam, quam nacti ſunt, adornare debent, & Parœcianorum ſibi commiſſorum ſaluti inuigilare cum Curato tenentur; ad hoc officium ordinati, ſunt ad hunc finem ſacrati, & Eccleſiæ Parœciali adſcripti: ideóque non merè voluntariam, ſed neceſſariam, tam ex parte ſui, quàm ex parte populi ipſis ſubditi iuriſdictionem exercent, ac proinde etiam ordinariam: quæ vtique ſolæ iuriſdictiones propriè ſunt hierarchicæ, & in hierarchia aliquem conſtituunt ex prædictis. Tum denique, quia ordinatior eſt etiam ipſorũ ſeries ac diſpoſitio, vt pote ſub Parochis, Epiſcopis, & cæteris Epiſcoporum apicibus, ac vno tandem ſummo Pontifice; cùm è contrà Religioſi ſubſidiarij hunc ordinem abrumpant, dum ſeſe à ſummo Pontifice ἀμέσως dependentes iactant; at in eo ordine hierarchiæ, quæ cap. 4. ſeſſ. 23. Concilij Tridentini, & alibi paſſim tanquam caſtrorum acies ordinata deſcribitur, vis & pulchritudo conſiſtit. Sunt ergo illi hierarchici opifices Concurati, & Compaſtores, præ quibus Curatus

nihil aliud ſecundum ius habet, quàm prærogatiuam officij, & ſollicitudinis priores partes, & ipſorum Parochitanorum Preſbyterorum regimen, atq; in eos imperiũ, ratione cuius olim *Rectores* vocabantur, quod nomen in Aremorica noſtra retentum, & Vicariis ipſorum Curatorum adſcriptum eſt.

Extra rem profers, Celloti, prærogatiuas Regularium ſubſidiariorum, quòd Theologiæ Doctores, quòd eximij Concionatores, quòd exercitatiſſimi tractandarum animarum artifices: quòd Parœcitani Presbyteri præ illis fungi & ſtipites, nimirùm ruſtici & imperiti. Velim ita eſſe, neque enim aut alienos accuſare, aut noſtros commendare modeſtia permittit: quid tum verò? eodem argumento Epiſcopis, & ſummo ipſi Pontifici, quando tibi in eos declamare placuerit, in hierarchia præferes Regulares tuos? eodem ſcilicet, quo & Wiclephus & Valdenſes, aliſque olim hæretici, in hierarchia laicos etiam Deo deuotos, Paſtoribus præferebant. Apage has periculoſas Eccleſiæ Dei, quæ exinde deduci poſſunt, cõſecutiones. Plures ab eodem Cellotio adductas comparationes Clerici ſæcularis cum Religioſo, in quibus & modeſtiæ & veritatis limites excedit, prætermitto, quandoquidem in iis ſe aliquando exceſſiſſe fateri videtur in ſua toties citata declaratione prope finem, iis verbis, *Idem ſuo modo de Clero ſæculari iudiciũ ferri cupio, quem ex animo ſemper colui, & honoraui: quòdque in commendationem ſtatus Regularis attuli, id in Clericorum ſæcularium depreſſionem referri nolo, cùm ſua vtrique ſtatui, ſine alterutrius contemptu conſtet in Eccleſia dignitas, & coram Deo meritum. Quare lectorem in præfatione atque iterum in libri concluſione præfatus ſum* (affatum dicere debuit) *& rogare nunquam deſinam, ne contentionis & æmulationis, ſed charitatis ſtudio ad hoc opus accedat, vt ſi quæ nonnunquam occurrent, verbis potiùs quàm ſenſu duriora (quod in illo ſcriptionis contentioſæ genere difficile eſt penitùs euitare) charitas quæ non cogitat malum, toleret interim, donec ipſe aliquando, ſi Deus dederit, in ſecunda editione recenſeam & mitigem.*

Optaſſem ſanè Cellotium eorum memorem eſſe, quæ in me toties coniecit, quòd aliqua ſcripſerim, quæ palato eius non ſaperent. ſcripſi, inquam, neceſſitate coactus exigente rei materiâ, non ad contemptum Regularis ſtatus (quem vnicè me colere & diligere candidè & ingennè proteſtatus ſum) ſed ad auctoritatis Paſtoralis grauiter impugnati defenſionem: ſcripſi *abſque verborum conuitiis*, vt fatetur Cellotius in præfatione; Nihilominùs ea ipſe mihi obiecit, quaſi *ſenſuum malignitate* religioſum ſtatum dedecorarim. Velim expendat Cellotius, quàm iniquè meam mentem interpretetur, quàm gratioſè ſuam explicari velit: quæ ſine verborum conuitiis à me dicta ſunt, à ſenſuum malignitate religioſum ſtatum dedecorare contendit: quæ ipſe verbis durioribus aduerſus Clerum ſæcularem edidit, quaſi ſenſu mitiora exponi poſtulat: in me non verba, quæ reprehendere non poteſt; ſed animum, qui nonniſi ex verbis innoreſcit, criminatur; ſua autem verba quæ animum infenſum aduerſus ſæculares indicant, etſi duriora, tamen in mitiorem partem interpretanda, quòd animum innocentem gerat.

Proteſtationi meæ, quòd Regularem ſtatum & diligam, & colam, credi non vult; quamuis verbis meis læſus ille non fuerit; proteſtationi ſuæ, quòd Clerum ſæcularẽ ex animo coluerit, & ſemper honorauerit, fidem adhibendam admonet, cùm aduerſus ipſum verba duriora ſe ſcripſiſſe fateatur. Charitatem violat, quæ non cogitat malum, ſi quis verba Cellotij ſecundum germanam eorum ſignificationem interpretatur, ſenſum aliquem reconditiorem innocuum ſuſpicari oportet in eius verbis. Sed in verbis Hallieri innocuis, malignitatem ſenſuum diuinare culpa non eſt, nec charitas læditur, quæ non cogitat malum, quando Sacerdotis, Doctoris, publicique Theologiæ Profeſſoris verba à ſuo proprio ſignificato ad malignum detorquentur. Verè *mendaces filij hominum in ſtateris*, Pſal. 61. audiat Cellotius diuinæ Sapientiæ oraculum, Prou. 20. *Pondus & pondus, menſura & menſura, vtrumque abominabile eſt apud Deum.*

CAPVT VIII.

Errores Cellotij contra Concilia Eccleſiæ.

ARTICVLVS I.

Error eiuſdem contra vtilitatem Conciliorum generalium.

SATIS non eſſet Cellotio in ſingulos hierarchiæ Eccleſiaſticæ ordines debacchari, & modò in ſupremum totius Eccleſiæ caput, modò in Cardinales, modò in Epiſcopos, modò in Parochos, eorúmque adiutores nobiliſſima Chriſtiani corporis membra ſtilum ſtringere, niſi & totam Eccleſiam in Conciliis generalibus congregatam vno ictu confoderet.

Mirum non eſt ſi lib. 4. cap. 10. Conciliorum generalium decretis auctoritatem detrahere voluerit, tum illuſorias ad eorum infallibilitatem conditiones requirendo: tum etiam ea populi iudicio ſubiiciens, cùm ſe ſub finem eiuſdem capitis Conciliorum iudicem imprudenter conſtituat, ſuúmque contra ipſorum auctoritatem iudicium interponere non vereatur. Non probat quod decreuerat Conſtantienſe Concilium, vt quoque decennio Synodus generalis conuocaretur ad reformationem Eccleſiæ.

O imprudentes & malè ſenſati Concilij Conſtantienſis Patres, qui Cellotium non conſuluerant! Si tanti viri iudicium expectare potuiſſent, ab eo hoc axioma didiciſſent, quod apponit in margine tanquam ad clariorem mentis ſuæ declarationem, *Conciliorum generalium periculoſa conuocatio*; & ne in toto hoc euoluendo volumine perderent operam, reperire potuiſſent in indice, *Conciliorum generalium raritas optanda*. Itáne, Celloti? periculoſa eſt Conciliorum generalium conuocatio? Scio periculoſam eſſe, & à multis reformidatam: ſed quibus? & à quibus? hæreticis planè omnibus, qui nullum vnquam firmiorem in Eccleſia contra inualeſcentes hæreſeon ſuarum impetus obicem experti ſunt, quam inconcuſſam Conciliorum generalium auctoritatem. Vis ſcire qui fieri potuerit, vt in ipſiuſmet Eccleſiæ primordiis, dum adhuc purior Chriſti ſanguis in Chriſtianorum venis ebulliret, tot tamen támque frequentes contra Eccleſiæ tranquillitatem graſſarentur hæreſes, diſces ab Iſidoro *in præfatione Conciliorum*, non alia de cauſa Chriſtianam Eccleſiam ante Conſtantini tempora in varias hæreſes diuiſam fuiſſe, quàm quòd propter Imperatorum perſecutionem, non liceret Epiſcopis Concilia celebrare: quod ſanè de Conciliis generalibus intelligendum eſt, cùm apertè conſtet plura hiſce temporibus Concilia particularia celebrata fuiſſe.

Mirum ergo, ſi generalium Conciliorum conuocatio hæreticis periculoſa viſa fuerit, quibus nimirùm viam omnem graſſanti ſuæ hæreſi præcluſam intelligebant? quid mirum ſi Arrianis non placeat Nicænum Concilium, Macedonio Conſtantinopolitanum, Neſtorio Epheſinum, Tridentinum Luthero, cæteriſque ipſius inſaniæ ſequacibus.

Liceat inſipientibus contra iudices ſuos debacchari; liceat hæreticis hominibus contra Eccleſiæ edicta recalcitrare. Sed quis ferat, quod addit Cellotius, *certè ſapientiſſimi quique tales conuentus*, (nimirùm Conciliorum generalium) *ſemper timuerunt*. Quid ais, Celloti? ſapientiſſimi quique Conciliorum conuocationem timuerunt? ergo ſapientiſſimorum nomine Arrianos, Macedonianos, Neſtorianos, Lutheranos, Caluiniſtas, cæteráſque humani generis peſtes intelligis? quaſi verò ab impuris illis Antichriſti præcurſoribus purioris ſapientiæ fundamenta Chriſtiani metiri debeant. Non ergo ſapientiſſimi tibi videntur Patres omnes, qui nihil aliud habebant in ore, cùm diſputarent contra hæreticos, quàm ſtatuta Conciliorum generalium.

Inſipientes forte tuo iudicio ſancti Patres qui, vt diſputat ſancta Synodus collat. 8. *Per tempora in ſanctis quatuor Conciliis conuenerunt, antiquis exemplis vtentes, communiter de exortis hæreſibus, & quæſtionibus diſpoſuerunt, certo conſtituto quod in communibus diſceptationibus cum proponuntur, quæ ex vtraque parte diſcutienda ſunt, veritatis lumen tenebras expellat mendacii.*

Inſipientes ipſi Patres 5. Synodi (quam ſe venerari profeſſus eſt S. Gregorius lib. 1. epiſt. 24. *ad Ioannem Conſtantinopolitanum & alios Patriarchas*, quam veluti *Spiritus ſancti Macharam*, amplecti ſe profitetur Taraſius Conſtantinopolitanus epiſtola *ad Epiſcopos Antiochiæ, Alexandriæ & ſanctæ vrbis*, in medio apud 7. Synodum act. 3. quam denique ſexta, ſeptima, octaua Synodi legitimam declararunt) inſipientes, inquam, illi Patres qui aſſerunt, *non poſſe in communibus de fide diſceptationibus aliter veritatem manifeſtari, cum vnuſquiſque proximi adiutorio indiget, ſicut in Prouerbiis dicit Salomon, Frater fratri adiutorium præſtans exaltabitur, ſicut ciuitas munita, valet vero ſicut regnum fundatum: & iterum in Eccleſiaſte dicit: Optimi duo quam vnus, quibus eſt merces bona in labore ipſorum.* Sapiens ſane tuo calculo dicendus non eſt S. Auguſt. qui lib. 1. de Bapt. contra Donat. cap. 7. Donatiſtarum errorem conuinci non potuiſſe docet, *Donec plenario totius orbis Concilio quod ſaluberrime ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur.*

Sed caue, Celloti, ne inter ſapientes illum enumeres qui ſcribens ad Ianuarium *inſolentiſſimæ inſaniæ* te condemnat, ſi contra Conciliorum vtilitatem diſputes, *cum eorum ſaluberrima ſit in Eccleſia auctoritas.* Multo magis ſine dubio Gregorium è ſapientiſſimorum numero expunges qui lib. 2. epiſt. 10. Sabino diacono indict. 15. *Sicut ſancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſe ſuſcipere & venerari fatebatur.* Cui proinde periculoſa Conciliorum conuocatio videri non poterat, niſi & de ipſiſmet Euangeliis male eum ſenſiſſe calumnieris. Atque dum de S. Gregorio nobis ſermo eſt, vnum occurrit quod ſilentio prætermittere non poſſum, ſanctum nempe Gregorium inter quatuor illa Concilia, quibus non minorem quam Euangeliis venerationem ſe deferre profitetur, recenſere Concilium Epheſinum primum, quod tamen Concilium, vna cum quinta, & octaua Synodo inter nociua & periculoſa Concilia eodem iure quo Ariminenſe reponenda cenſes.

Quid ergo? Gregorius, imo tota Eccleſia Epheſinum Concilium vt vnum ex quatuor Euangeliis veneratur: Cellotius illud ipſum Concilium inter nociuas Synodos cum Ariminenſi conuenticulo reponit; Vtri credemus? ac ne quis putet Cellotium decipi potuiſſe in Concilii Epheſini æquiuocatione, expreſſe vtramque Synodum Epheſinam recenſet, vt aperte oſtendat, nullam eſſe Synodum Epheſinam cuius conuocatio periculoſa non fuerit. Sed ad propoſitum redeamus.

An à ſapientiſſimorum numero expungendos putas Apoſtolos, Celloti? auſim enim hic audacter dicere, & verius quam tu de Petro Aurelio, vel Apoſtolos non ſapere, vel errare Cellotium. Hoc ipſo cap. 10. agnoſcis Conciliorum generalium inſtitutionem ab Apoſtolis deriuatam eſſe, imò eos nobis formam inſtituendæ Synodi generalis delineaſſe. *Quod*, inquis, *ad generale Concilium pertinet, eius formam delinearunt* Apoſtoli *in primo Hieroſolymitano.* Ac proinde nec Conciliorum conuocationem periculoſam duxerunt, nec tales conuentus ſemper timuerunt. Sub finem tamen huius ipſius capitis addit, *Sapientiſſimi quique tales conuentus ſemper timuerunt.* Ecce vtraque præmiſſa apud te eſt eodem capite expreſſa, quam exinde concluſionem eliciendam putas, mi Lector, niſi Cellotium potius quam Apoſtolos hallucinatum fuiſſe.

Sed placet paululum in Apoſtolorum exemplo morari, nec meis verbis, ſed 5. Synodi generalis ipſum illuſtrare, quæ quidem in definitione contra tria capitula initio collationis primæ hæc pro Conciliorum neceſſitate vel vtilitate nos docet, *Piiſſimus Imperator, ſecundum quod inter nos placuit, tam ipſum* (Vigilium) *quam nos hortatus eſt communiter conuenire, eo quod Sacerdotes decet communibus quæſtionibus finem communem imponere. Vnde neceſſariò petiuimus ipſius reuerentiam, ſcriptas ſuas promiſſiones adimplere; nec enim iuſtum eſſe amplius ſcandalum pro tribus iſtis capitulis creſcere, & Dei Eccleſiam conturbari. Et pro his ad memoriam eius perduximus magna illa Apoſtolorum exempla, & Patrum traditiones: licet enim Spiritus ſancti gratia, & circa ſingulos Apoſtolos*

abundaret, vt non indigerent alieno conſilio, ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt, de eo quod mouebatur, ſi oporteret Gentes circumcidi, definire, priuſquam communiter congregati diuinarum Scripturarum teſtimoniis vnuſquiſque ſua dicta confirmauerunt. Vnde communiter de eo ſententiam protulerunt ad Gentes, ſcribentes, Viſum eſt Spiritui ſancto.

Acriùs verò aduerſarium vrgeamus; nemo eſt ſanæ mentis, qui Chriſtum in ſapientiſſimorum numero non reponat, vt pote in quo ſunt *theſauri ſcientiæ & ſapientiæ:* At ille ipſe eſt, qui legitimam Conciliorum conuocationem inſtituit; tantúmque abeſt, vt eam vel periculoſam crediderit, vel tales conuentus ſemper timuerit, quin potiùs nullum aliud efficacius contra graſſantem in dies ſchiſmatum, hæreſeωnq; peſtem remedium Eccleſiæ reliquerit, vt ex hac eius promiſſione, Math. 18. *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum*, apertè colligunt. Concilium Chalcedonenſe in epiſt. *ad Leonem*, quæ eſt poſt finem tertiæ actionis eiuſdem Concilij, V. Synodus collat. 8. citatâ, VI. Synodus act. 17. Toletanum III. Celeſtinus epiſt. 7. *ad Epheſinum Concilium*, Cyrillus Alexandrinus epiſt. *ad Anaſtaſium & Alexandrinum*, Ioannes Damaſcenus Orat. 1. *de Imaginibus*, & alij paſſim ſancti Patres.

Quis ergo cum Cellotio auſit dicere ſapientes quoſque hos ſemper cœtus timuiſſe, quibus ſuam pollicitus eſt Chriſtus præſentiam? quos in Eccleſiæ militantis ſolatium inſtituit? quos tanquam ordinariam Eccleſiæ ſuæ gubernandæ, cùm maiores difficultates occurrerent, formam præſcripſit? quos Apoſtoli vſurparunt, & vſurpandos ſuo exemplo docuerunt? quos Eccleſia frequentauit? de quibus Tertullianus ſuo æuo, id eſt, inſequenti Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum ſæculo ſcripſit *aduerſus Pſychicos*, cap. 13. *aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis Concilia ex vniuerſis Eccleſiis, per quæ & altiora quæque in communi tractantur, & ipſa repræſentatio totius nominis Chriſtiani magnâ veneratione celebratur.*

Nec iis obſtat Nazianzenus, dum epiſt. 42. *ad Procopium* ſcribit, *ita ſe affectum eſſe animo, vt omnia Epiſcoporum Concilia defugeret, quoniam nullius Concilij finem lætum, fauſtúmque viderat, nec quòd depulſionem malorum potiùs, quàm acceſſionem & incrementum habuerit; pertinaces enim contentiones & dominandi cupiditates, ne vllis quidem verbis explicari queant.* Nam huic obiectioni, quam ſæpiùs ad depreſſionem Conciliorum Nouatores noſtri allegarunt, reſponderunt Catholici, tempus conſiderandum eſſe, in quod Nazianzenus inciderat, nam fieri poteſt, vt quod abſolutè, ſimpliciter vtile, imò & neceſſarium eſt, intempeſtiuè vſurpatum, nociuum exiſtat: quod & in cibo & potu, & aliis paſſim animaduertere licet, & fusè oſtendit Eccleſiaſtes, cap. 3. vniuſcuiuſque ferè actionis tempus eſſe deſcribens. Igitur Gregorij Nazianzeni tempore & anteriore, poſt Catholicam fidem in Concilio Nicæno ſtabilitam Arriani potentiâ Principum hæreticorum freti Conſtantij primùm, deinde Valentis, Concilia varia congregarunt, quibus Nicænam definitionem clanculùm euerterent, aliâ in illius locum ſubrogatâ: qua de re conqueruntur Athanaſius epiſt. *ad Epictetum*, Orat. 1. *contra Arrianos*, Baſilius epiſt. 79. *ad Euſtathium Sebaſtenum*, Hilarius lib. *de Synodis*, & lib. *ad Conſtantinum Auguſtum*, Ambroſius lib. 5. epiſt. 31. Theodoretus lib. 2. hiſtoriæ cap. 21. & alij paſſim. Eadem Iuliani Imperatoris ars fuit, vt inter ſe Chriſtianos committeret, teſte Chryſoſtomo, lib. *contra Gentiles*. Eo ergo tempore, quo, vt ait Athanaſius epiſt. citatâ, Nicæua Synodus *omnium hæreſeωn profligatarum, ac in primis Arrianæ trophæum erexerat*, celebrari Synodos, in quibus de fide diſputaretur, & nouæ fidei formulæ conderentur, periculoſum & intempeſtiuum Nazianzeno viſum eſt, atque huiuſmodi Synodos rarò bonum finem habuiſſe veriſſimè teſtatur.

Acceſſit & alia occaſio, quæ Synodorum Nazianzeno peperit faſtidium, ſeditiones nempe & tumultus, qui in Concilio Conſtantinopolitano primo (cui ſoli generali conuentui interfuit) excitati ſunt occaſione diſſidentium Epiſcoporum, propter Maximi inſtitutionem in Sede Conſtantinopolitana ab Alexandrino Præſule, & ordinationem ipſius Nazianzeni in eadem ſede, ac poſteà eiuſdem eiectionem: Flauiani in locum Meletij, viuente adhuc Paulino, ſubrogationem, vt ipſe narrat, Carm. *de vita ſua*, & Orat. *de Epiſcopis*, in fine Operum

ſuorum. Lubenter ſanè fateremur Synodos iſtas pernicioſas eſſe, quæ poſt definitionem alicuius generalis Synodi ad retractandam quæſtionem iam deciſam haberentur; nam vt aiunt Valentinianus & Marcianus Imperatores edicto, *quo prohibentur quæſtiones de fide*, quod habetur act. 3. Concilij Chalcedonenſis, *iniuriam facit iudicio religioſiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel iudicata, & rectè diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare contendit.* Quibus conſentit Leo Magnus epiſt. 43. *ad Marcianum Auguſtum*, cap. 2. dum precatur, ne fidem in Chalcedonenſi Synodo traditam pateretur, quaſi dubiam retractari.

Eámque ob cauſam timens Flauianus, ne Theodoſij Iunioris ſocordiâ, & Eutichianorum artibus damnatio hæreſis Eutychianæ legitimè facta in Concilio Conſtantinopolitano reuocaretur, approbationem Leonis Magni petiit, quâ habitâ, alio deinceps Concilio opus non eſſet; *Sic enim*, inquit, *hæreſis quæ ſurrexit, & turbæ quæ propter eam factæ ſunt, facillimè deſtruentur. Remouebitur autem* (addit idem Flauianus à Cellotio citatus) *& Concilium quod fieri diuulgatur: quatenus nequaquam ſanctiſſimæ turbentur Eccleſiæ.* Idipſum reueritus S. Leo epiſt. 16. *ad Flauianum*, Concilij celebrationem, quod Epheſi haberi volebat Imperator, ipſe verò in Italia cogi expetierat, epiſt. 9. *Theodoſio*, inutilem eſſe cenſuerat, ratus ſcilicet rem, de qua ageretur, nequaquam Synodali indigere tractatu. Et certè euentus docuit imprudenter illud ab Imperatore conuocatum, tyrannicè à Dioſcoro habitum, infœliciter concluſum fuiſſe.

Fateremur etiam eo tempore, quo Epiſcoporum grauior eſt diſſenſio, pericloſum eſſe ad Concilium eos conuocare: ſed extra has ſingulares circumſtantias, quas ſuo tempore ſpectabat Nazianzenus, Conciliorum celebrationem pericloſam dicere, nec rationabile, nec Catholicum videtur. Quod aliàs, Deo dante, fuſiùs demonſtrabimus, ſi quando de Conciliis ex profeſſo tractandi occaſio ſeſe obtulerit.

ARTICVLVS II.

Iniuria à Cellotio illata Conciliis Epheſino primo, quinta & octaua Synodis generalibus.

EO verò periculoſior eſt Cellotij error Conciliorum generalium celebrationem damnantis, quòd in exemplum noxiorum ſanctiſſima & grauiſſima adducat; eaque cum hæreticis vel reprobatis coniungat. Nam ait *poſteritatem malo ſuo expertam Concilij Conſtantienſis decretum de Synodo generali quoque decennio celebrando omiſiſſe exequi, memorem Ariminenſis, Epheſinæ vtriuſque, quintæ, octauæ Synodorum.* Quibus verbis omnia iſta Concilia Eccleſiæ luctuoſa refert, Ariminenſe ex parte reprobatum: Epheſinum vtrumque, quorum primum ſanctiſſimum multas clades Eccleſiæ intuliſſe fingi non poteſt: alterum Conciliabulum hæreticum fuit, in quo vi omnia acta ſunt; quintam Synodum ab Eccleſia receptam, quæ maius ſchiſma ſedauit quàm peperit, & dum Eccleſias Orientales Occidentalibus coniunxit, quibuſdam in Occidente breui tempore ad Eccleſiæ vnitatem redituris iniuſtam diſcedendi occaſionem dedit: octauam denique Synodum, cui nulla Eccleſiæ clades adſcribi poteſt: Nam quòd Photius ab ea damnatus ſchiſma creauit, accidentarium omninò eſt, & probabiliter ſchiſma creaturus homo ſuperbiſſimus credi poteſt, etiamſi æquitate ſpretâ, Ignatij veri Patriarchæ cauſâ neglectâ intruſus ipſe toleratus fuiſſet. Et certè hæretici quiuis damnati ſchiſma fecerunt, neque tamen ab eorum damnatione abſtinendum cenſuit Eccleſia. Arrianorum ea olim vafrities fuit, ea noxia calliditas, vt Alexandrinum criminarentur, quaſi de re minimi momenti dicam Arrio intentaſſet, quæ ſeparationem non mereretur, vt colligere licet ex epiſtola Conſtantini *Alexandro & Arrio*, apud Euſebium lib. 2. cap. 66. 67, 68. horum oporteat conſilia ſequatur, qui Concilium reprobet, quòd ex eo ſchiſma perditorum contigerit. Voluiſſes fortè, Celloti, Neſtorium ſuum virus, vt cœperat, per Orientem impunè diſſeminare, nec ab Epheſino Concilio

comprimi voluiſſe, Neſtorianam hęreſim repullulaſcere, ad quam renouandam Ibæ Edeſſeni epiſt. *ad Marim Perſam*, & Theodori Mopſueſteni ſcriptis, quaſi nondum ab Eccleſia damnatis in ſuam aliorúmque perniciem complures vtebantur, teſte Liberato cap. 10. voluiſſes Epiſcopos Orientis & Occidentis inter ſe digladiari, aliis tria Capitula Concilij Chalcedonenſis damnantibus, aliiſque approbantibus, cui diſſenſioni imprudenter quidem à Iuſtiniano, infideliter à Theodoro Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo excitatæ, ſed tamen excitatæ V. Synodus generalis componendæ conuocata eſt? Quid tibi in hac tanta diſcordia, in qua Orientales Imperatorem ſecuti, tria Chalcedonenſis Concilij Capitula damnabant, Occidentales Vigilium de iis reticendum initio exiſtimantem ſequebantur, & commodè explicanda, quæ duriùs à Theodoreto Cyri, Theodoro Mopſueſteno, Iba Edeſſeno ſcripta fuerant, cenſebant, teſtibus Liberato cap. 23. & 24. Facundo Hermianenſi integro Opere *pro tribus Capitulis* conſcripto *ad Imperatorem Iuſtinianum*, & lib. contra *Mocianum Scholaſticum*? voluiſſes, inquam, in apertum ſchiſma erupturam diſſenſionem iſtam diſſimulari, nec Concilij celebratione pacem vnionémque Eccleſiarum tentari, quæ ſi perfectè obtenta non eſt, Africanis quibuſdam, & Iſtriæ, Liguriæ, Venetiarum & aliarum Italiæ vrbium Epiſcopis auſis trium Capitulorum damnationem execrari, vt ex Facundi Hermianenſis teſtimonio, Pelagij epiſt. *ad Narſetem*, Gregorij lib. 3. epiſt. 2.3.4. & 37. ac lib. 12. epiſt. 7. & alibi diſcere poteris: tamen iſtud ſchiſma minùs timendum erat, minúſque duraturum credebatur, quàm totius Orientis, defectio. Et ſanè, ſi Eccleſiæ luctuoſam V. Synodi celebrationem propter iſtarum Eccleſiarum defenſionem cenſes, caue ne aut V. Synodi, quam Eccleſia recepit, auctoritatem, aut Vigilij prudentiam, qui eius celebrationi conſenſit, incuſes; iiſque obiectionibus ſchiſmaticorum vtaris, quas Gregorius & Pelagius citatis epiſt. refutarunt. Voluiſſes fortè Origenis errores per Orientem latens diſſeminari, quos ſcilicet eodem tempore editis ipſis voluminibus diuulgabant Monachi duo Nouæ Lauræ, Nonnus, & Leontius Byzantinus, vt narrant Cyrillus Monachus *in vita ſancti Sabæ*, Iuſtinianus epiſt. *ad Mennam, contra Origenem*, quos pariter Theodorus Cæſarienſis prædictus ſtudioſiſſimè fouebat, teſte Liberato cap. 23.

Hæc omnia te velle oportet, ſi V. Synodum incuſas, quæ iſtas hæreſes damnauit, & ſchiſmati inter Eccleſiam Orientalem & Occidentalem naſcenti occurrit, quam tamen probauit Vigilius: laudarunt præter citatos Synodus Mediolan. ſub Manſueto Archiepiſcopo, VI. Synodus act. 17. Trullana epiſt. ad Iuſtinianum ſecundum, Nicæna II. 2. art. 7. 8. ſub Adriano II. act. 10. Gregorius Magnus variis literis, Nicolaus I. epiſt. *ad Michaelem*, Leo IX. epiſt. *ad Petrum Antiochenum*, Anglicana Synodus Can. 2. Sophronimus Hieroſolymit. epiſt. *ad Sergium Conſtantinop.* poſt medium, relatâ act. 11. VII. Synodi, Theodorus item Hieroſolymit. in Synodica poſt med. act. 3. VII. Synodi & alij: tota denique Eccleſia Catholica ſuſcepit. Voluiſſes, Ludouice Celloti, Photium, expulſo Ignatio vero Patriarcha, Eccleſiæ Orientali dominari, & dominationi Nicolai primi atque Adriani impunè illudere.

Voluiſſes ergo, cum eo quem nouem Romani Pontifices damnarunt, ex indulgentia agi, cum eo, inquam, qui indulgentiâ vnius Ioannis VIII. poſt mortem Ignatij abuſus, Pontificem coegit, vt reſtitutionem, quam conceſſerat, illicò reuocaret: quòd ſi negas ei indulgendum fuiſſe: cur periculoſam dices VIII. Synodum, quæ conſentientibus votis eum depoſuit, atque Ignatium iniuſtè, corruptiſque Legatis ſummi Pontificis, ac ſubintroductis pſeudolegatis aliorum Patriarcharum depoſitum reſtituit: cur, inquam, illam periculoſam dicis? Quid Epheſinæ I. V. & VIII. Synodis generalibus Conſtantinopoli habitis, obijcere poteris, quod non Nicæno ipſi Concilio, quod non fortiori ratione Conſtantinopolitano I. quod non aliis Conciliis obiicere poſſis? Quòd autem Ariminenſis Concilij conuocationem, in quo nempe *totus penè orbis Arrianum ſe eſſe ingemuit*, teſte Hieronymo, Dialogo *aduerſus Luciferianos*, Quòd Epheſini II. periculoſam fuiſſe ſcribis conuocationem non queror: ſed optaſſem maximè, vt non turbationem Concilij Ariminenſis à Conſtantio Imperatore Arriano proueniſſe, periculum Eccleſiæ exinde creatum adnotaſſes; vt ab Epheſino II. Concilio creatam Eccleſiæ confuſionem enatam obſeruaſſe ex reſcripto Theodoſij Iunioris, qui Dioſcorum Alexandrinum Præſidem Concilij contra Eccleſiæ

leges conſtituit, eiúſque audaciam Palatinâ auctoritate, & militum furore armauit: ita vt auſus ille fuerit reiicere Apoſtolicæ Sedis Legatos, Leonis epiſtolam ſupprimere, Epiſcopos orthodoxos, qui Eutychetem damnauerant, à Concilio excludere, Imperatoriâ ſcilicet auctoritate nixus, & operâ Elpidij Comitis, armatorum item militum & Monachorum validâ manu ſeptus, ac vi omnia egerit, quemadmodum referunt Liberatus cap. 12. Breuiarij, Synodus Chalcedonenſis act. 1. Leo epiſt. 22. & ſequentibus vſque ad trigeſimam ſecundam. At generale Concilium legitimè celebratum periculoſum fuiſſe nunquam leges: nec periculoſa iſta Concilia cenſeri poſſunt in quibus oracula diuina redduntur, doctrina Catholica defenditur, diſciplina reſarcitur.

ARTICVLVS III.

Quædam alia errata Cellotij circa Conciliorum tractationem caſtigantur.

NEQVE hæc ſola aduerſarij circa Conciliorum tractationem peccat aduerſarius; alia quędam ſunt non negligenda. 1. quòd Conciliis generalibus non ex priuilegio duntaxat, ſed natiuo quodam ipſis inhærente iure Abbates, & Monaſteriis præfectos intereſſe debere contendit. Id primùm docet expreſsè lib. 5. c. 14. in fine, pag. 345. vbi prolatis pluribus Conciliorum exemplis, in quibus Abbates & Archimandritæ, vel ad diſputandum, vel aliam ob cauſam ad Synodos vocati ſunt, vel ex priuilegio inuitati, modeſtiſſimè aduerſum nos iis verbis perorat, *Sufficiunt, opinor, iſta vt vel oſcitantia, vel ignorantia Doctoris Hallier reuincatur, qui docet Monaſteriorum & integrorum etiam ordinum præfectos non niſi peculiari priuilegio Conciliis œcumenicis intereſſe.*

Neque tamen oſcitantiæ vel ignorantiæ eius adſcribendum cenſeo, quòd in ſua poſteà declaratione eadem mecum ſentire ſe confeſſus eſt, dicens, *Abbates, & alij Regularium ſuperiores non per ſe præcisè ex eo quòd Regulari præſunt ordini, nec ius habent adſiſtendi Conciliis, atque in iis deliberandi, ſed in iis adſiſtunt, atque in iis decernunt, tantùm ex priuilegio.* Neque ego veritatem iſtam fuſiùs oſtendo, quæ alibi commodiùs exponetur, neque obiectionibus Cellotij reſpondeo.

Aliud ſolùm ipſius erratum præcedenti affine adiungo, quòd rem continet valdè ridiculam; nam vt probet Conciliis generalibus Regularium præfectos interfuiſſe, Concilium Apoſtolorum, cuius fit mentio Act. 15. in exemplum adducit lib. 4. c. 10. pag 145. in quo hac præclarâ diſputatione, *ſeniores*, qui ibidem interfuiſſe leguntur, Abbates, ſeu Regularium primores eſſe interpretatur, hancque interpretationem probat abſurdiſſimâ diſſertatione quam ipſius verbis, ne à me ad eius deriſionem conficta videatur, proferam. *Seniores in Apoſtolica Synodo cuiuſmodi ſunt, videndum: non certè alij Epiſcopi, qui tam multi Hieroſolymis cur eſſent morati? Presbyteri igitur non ſimplices, qui primis temporibus ſine animarum cura, vt putant, nulli erant. Curati ergo? neque ſimpliciter iſtud. Nam ſediſſe, iudicaſſe, ſubſcripſiſſe in Conciliis generalibus Presbyteros vllos ſuo nomine non legimus, & adhuc extant acta: & in Chalcedonenſi Synodo acclamatum eſt: Synodus Epiſcoporum eſt, non Clericorum. Aliquid igitur iſtis quærendum eſt dignitatis præter alios Clericos, & ſacerdotes. Demonſtraturi autem ſumus hoc opere optimam primitiuorum fidelium partem votis religioſis adſtrictam perfectioni ſtuduiſſe. Horum primores fuerunt ſeniores illi, ad quorum exemplum quamplurima è ſequentibus Conciliis Abbates cum Epiſcopis ſedentes viderunt.*

Ridicula hæc expoſitio, ridicula eius probatio, quid enim iſtâ probatione abſurdius, in qua principia proferuntur. Ex quibus quamuis vera eſſent omnia, concluſio probanda minimè inferretur, quorum pluribus ſuppoſitis eadē concluſio deſtruitur. Ac iſtius probationis hæc conditio eſt, vt ſiue vera, ſiue falſa ſint eius principia, concluſio nec probabilior, nec veriſimilior videatur: nam ponamus per ſeniores non intelligi Epiſcopos, non Curatos, ponamus magnam plebis fidelis fuiſſe votis adſtrictam: non ſequeretur potiùs per ſeniores intelligi debere Abbates ſeu præpo-

comprimi voluiſſe, Neſtorianam hęreſim repullulaſcere, ad quam renouandam Ibæ Edeſſeni epiſt. *ad Marim Perſam*, & Theodori Mopſueſteni ſcriptis, quaſi nondum ab Eccleſia damnatis in ſuam aliorúmque perniciem complures vtebantur, teſte Liberato cap. 10. voluiſſes Epiſcopos Orientis & Occidentis inter ſe digladiari, aliis tria Capitula Concilij Chalcedonenſis damnantibus, aliiſque approbantibus, cui diſſenſioni imprudenter quidem à Iuſtiniano, infideliter à Theodoro Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo excitatæ, ſed tamen excitatæ V. Synodus generalis componendæ conuocata eſt? Quid tibi in hac tanta diſcordia, in qua Orientales Imperatorem ſecuti, tria Chalcedonenſis Concilij Capitula damnabant, Occidentales Vigilium de iis reticendum initio exiſtimantem ſequebantur, & commodè explicanda, quæ duriùs à Theodoreto Cyri, Theodoro Mopſueſteno, Iba Edeſſeno ſcripta fuerant, cenſebant, teſtibus Liberato cap. 23. & 24. Facundo Hermianenſi integro Opere *pro tribus Capitulis* conſcripto *ad Imperatorem Iuſtinianum*, & lib. contra *Mocianum Scholaſticum*? voluiſſes, inquam, in apertum ſchiſma erupturam diſſenſionem iſtam diſſimulari, nec Concilij celebratione pacem vnionémque Eccleſiarum tentari, quæ ſi perfectè obtenta non eſt, Africanis quibuſdam, & Iſtriæ, Liguriæ, Venetiarum & aliarum Italiæ vrbium Epiſcopis auſis trium Capitulorum damnationem execrari, vt ex Facundi Hermianenſis teſtimonio, Pelagij epiſt. *ad Narſetem*, Gregorij lib. 3. epiſt. 2.3.4. & 37. ac lib. 12. epiſt. 7. & alibi diſcere poteris: tamen iſtud ſchiſma minùs timendum erat, minúſque duraturum credebatur, quàm totius Orientis, defectio. Et ſanè, ſi Eccleſiæ luctuoſam V. Synodi celebrationem propter iſtarum Eccleſiarum defenſionem cenſes, caue ne aut V. Synodi, quam Eccleſia recepit, auctoritatem, aut Vigilij prudentiam, qui eius celebrationi conſenſit, incuſes; iiſque obiectionibus ſchiſmaticorum vtaris, quas Gregorius & Pelagius citatis epiſt. refutarunt. Voluiſſes fortè Origenis errores per Orientem latens diſſeminari, quos ſcilicet eodem tempore editis ipſis voluminibus diuulgabant Monachi duo Nouæ Lauræ, Nonnus, & Leontius Byzantinus, vt narrant Cyrillus Monachus *in vita ſancti Sabæ*, Iuſtinianus epiſt. *ad Mennam, contra Origenem*, quos pariter Theodorus Cæſarienſis prædictus ſtudioſiſſimè fouebat, teſte Liberato cap. 23.

Hæc omnia te velle oportet, ſi V. Synodum incuſas, quæ iſtas hæreſes damnauit, & ſchiſmati inter Eccleſiam Orientalem & Occidentalem naſcenti occurrit, quam tamen probauit Vigilius: laudarunt præter citatos Synodus Mediolan. ſub Manſueto Archiepiſcopo, VI. Synodus act. 17. Trullana epiſt. ad Iuſtinianum ſecundum, Nicæna II. 2. art. 7. 8. ſub Adriano II. act. 10. Gregorius Magnus variis literis, Nicolaus I. epiſt. *ad Michaelem*, Leo IX. epiſt. *ad Petrum Antiochenum*, Anglicana Synodus Can. 2. Sophronimus Hieroſolymit. epiſt. *ad Sergium Conſtantinop.* poſt medium, relatâ act. 11. VII. Synodi, Theodorus item Hieroſolymit. in Synodica poſt med. act. 3. VII. Synodi & alij: tota denique Eccleſia Catholica ſuſcepit. Voluiſſes, Ludouice Celloti, Photium, expulſo Ignatio vero Patriarcha, Eccleſiæ Orientali dominari, & dominationi Nicolai primi atque Adriani impunè illudere.

Voluiſſes ergo, cum eo quem nouem Romani Pontifices damnarunt, ex indulgentia agi, cum eo, inquam, qui indulgentiâ vnius Ioannis VIII. poſt mortem Ignatij abuſus, Pontificem coegit, vt reſtitutionem, quam conceſſerat, illicò reuocaret; quòd ſi negas ei indulgendum fuiſſe: cur periculoſam dices VIII. Synodum, quæ conſentientibus votis eum depoſuit, atque Ignatium iniuſtè, corruptiſque Legatis ſummi Pontificis, ac ſubintroductis pſeudolegatis aliorum Patriarcharum depoſitum reſtituit: cur, inquam, illam periculoſam dicis? Quid Epheſinæ I. V. & VIII. Synodis generalibus Conſtantinopoli habitis, obijcere poteris, quod non Nicæno ipſi Concilio, quod non fortiori ratione Conſtantinopolitano I. quod non aliis Conciliis obiicere poſſis? Quòd autem Ariminenſis Concilij conuocationem, in quo nempe *totus penè orbis Arrianum ſe eſſe ingemuit*, teſte Hieronymo, Dialogo *aduerſus Luciferianos*, Quòd Epheſini II. periculoſam fuiſſe ſcribis conuocationem non queror: ſed optaſſem maximè, vt non turbationem Concilij Ariminenſis à Conſtantio Imperatore Arriano prouenisſe, periculum Eccleſiæ exinde creatum adnotaſſes; vt ab Epheſino II. Concilio creatam Eccleſiæ confuſionem enatam obſeruaſſe ex reſcripto Theodoſij Iunioris, qui Dioſcorum Alexandrinum Præſidem Concilij contra Eccleſiæ

leges conſtituit, eiúſque audaciam Palatinâ auctoritate, & militum furore armauit: ita vt auſus ille fuerit reiicere Apoſtolicæ Sedis Legatos, Leonis epiſtolam ſupprimere, Epiſcopos orthodoxos, qui Eutychetem damnauerant, à Concilio excludere, Imperatoriâ ſcilicet auctoritate nixus, & operâ Elpidij Comitis, armatorum item militum & Monachorum validâ manu ſeptus, ac vi omnia egerit, quemadmodum referunt Liberatus cap. 12. Breuiarij, Synodus Chalcedonenſis act. 1. Leo epiſt. 22. & ſequentibus vſque ad trigeſimam ſecundam. At generale Concilium legitimè celebratum periculoſum fuiſſe nunquam leges: nec periculoſa iſta Concilia cenſeri poſſunt in quibus oracula diuina redduntur, doctrina Catholica defenditur, diſciplina reſarcitur.

ARTICVLVS III.

Quædam alia errata Cellotij circa Conciliorum tractationem caſtigantur.

NEQVE hæc ſola aduerſarij circa Conciliorum tractationem peccat aduerſarius, alia quędam ſunt non negligenda. 1. quòd Conciliis generalibus non ex priuilegio duntaxat, ſed natiuo quodam ipſis inhærente iure Abbates, & Monaſteriis præfectos intereſſe debere contendit. Id primùm docet expreſsè lib. 5. c. 14. in fine, pag. 345. vbi prolatis pluribus Conciliorum exemplis, in quibus Abbates & Archimandritæ, vel ad diſputandum, vel aliam ob cauſam ad Synodos vocati ſunt, vel ex priuilegio inuitati, modeſtiſſimè aduerſum nos iis verbis perorat, *Sufficiunt, opinor, iſta vt vel oſcitantia, vel ignorantia Doctoris Hallier reuincatur, qui docet Monaſteriorum & integrorum etiam ordinum præfectos non niſi peculiari priuilegio Conciliis œcumenicis intereſſe.*

Neque tamen oſcitantiæ vel ignorantiæ eius adſcribendum cenſeo, quòd in ſua poſteà declaratione eadem mecum ſentire ſe confeſſus eſt, dicens, *Abbates, & alij Regularium ſuperiores non per ſe præcisè ex eo quòd Regulari præſunt ordini, nec ius habent adſiſtendi Conciliis, atque in iis deliberandi, ſed in iis adſiſtunt, atque in iis decernunt, tantùm ex priuilegio.* Neque ego veritatem iſtam fuſiùs oſtendo, quæ alibi commodiùs exponetur, neque obiectionibus Cellotij reſpondeo.

Aliud ſolùm ipſius erratum præcedenti affine adiungo, quòd rem continet valdè ridiculam; nam vt probet Conciliis generalibus Regularium præfectos interfuiſſe, Concilium Apoſtolorum, cuius fit mentio Act. 15. in exemplum adducit lib. 4. c. 10. pag. 145. in quo hac præclarâ diſputatione, *ſeniores*, qui ibidem interfuiſſe leguntur, Abbates, ſeu Regularium primores eſſe interpretatur, hancque interpretationem probat abſurdiſſimâ diſſertatione quam ipſius verbis, ne à me ad eius deriſionem conficta videatur, proferam. *Seniores in Apoſtolica Synodo cuiuſmodi ſunt, videndum: non certè alij Epiſcopi, qui tam multi Hieroſolymis cur eſſent morati? Presbyteri igitur non ſimplices, qui primis temporibus ſine animarum cura, vt putant, nulli erant. Curati ergo? neque ſimpliciter iſtud. Nam ſediſſe, iudicaſſe, ſubſcripſiſſe in Conciliis generalibus Presbyteros vllos ſuo nomine non legimus, & adhuc extant acta: & in Chalcedonenſi Synodo acclamatum eſt: Synodus Epiſcoporum eſt, non Clericorum. Aliquid igitur iſtis quærendum eſt dignitatis præter alios Clericos, & ſacerdotes. Demonſtraturi autem ſumus hoc opere optimam primitiuorum fidelium partem votis religioſis adſtrictam perfectioni ſtuduiſſe. Horum primores fuerunt ſeniores illi, ad quorum exemplum quamplurima è ſequentibus Conciliis Abbates cum Epiſcopis ſedentes viderunt.*

Ridicula hæc expoſitio, ridicula eius probatio, quid enim iſtâ probatione abſurdius, in qua principia proferuntur. Ex quibus quamuis vera eſſent omnia, concluſio probanda minimè inferretur, quorum pluribus ſuppoſitis eadē concluſio deſtruitur. Ac iſtius probationis hæc conditio eſt, vt ſiue vera, ſiue falſa ſint eius principia, concluſio nec probabilior, nec veriſimilior videatur: nam ponamus per ſeniores non intelligi Epiſcopos, non Curatos, ponamus magnam plebis fidelis fuiſſe votis adſtrictam: non ſequeretur potiùs per ſeniores intelligi debere Abbates ſeu præpo-

Digitized by Google

comprimi voluiſſe, Neſtorianam hęreſim repullulaſcere, ad quam renouandam Ibæ Edeſſeni epiſt. *ad Marim Perſam,* & Theodori Mopſueſteni ſcriptis, quaſi nondum ab Eccleſia damnatis in ſuam aliorúmqne perniciem complures vtebantur, teſte Liberato cap. 10. voluiſſes Epiſcopos Orientis & Occidentis inter ſe digladiari, aliis tria Capitula Concilij Chalcedonenſis damnantibus, aliiſque approbantibus, cui diſſenſioni imprudenter quidem à Iuſtiniano, infideliter à Theodoro Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo excitatæ, ſed tamen excitatæ V. Synodus generalis componendæ conuocata eſt? Quid tibi in hac tanta diſcordia, in qua Orientales Imperatorem ſecuti, tria Chalcedonenſis Concilij Capitula damnabant, Occidentales Vigilium de iis reticendum initio exiſtimantem ſequebantur, & commodè explicanda, quæ duriùs à Theodoreto Cyri, Theodoro Mopſueſteno, Iba Edeſſeno ſcripta fuerant, cenſebant, teſtibus Liberato cap. 23. & 24. Facundo Hermianenſi integro Opere *pro tribus Capitulis* conſcripto *ad Imperatorem Iuſtinianum*, & lib. contra *Mocianum Scholaſticum*? voluiſſes, inquam, in apertum ſchiſma erupturam diſſenſionem iſtam diſſimulari, nec Concilij celebratione pacem vnionémque Eccleſiarum tentari, quæ ſi perfectè obtenta non eſt, Africanis quibuſdam, & Iſtriæ, Liguriæ, Venetiarum & aliarum Italiæ vrbium Epiſcopis auſis trium Capitulorum damnationem execrari, vt ex Facundi Hermianenſis teſtimonio, Pelagij epiſt. *ad Narſetem,* Gregorij lib. 3. epiſt. 2.3.4. & 37. ac lib. 12. epiſt. 7. & alibi diſcere poteris: tamen iſtud ſchiſma minùs timendum erat, minúſque dnraturum credebatur, quàm totius Orientis, defectio. Et ſanè, ſi Eccleſiæ luctuoſam V. Synodi celebrationem propter iſtarum Eccleſiarum defenſionem cenſes, caue ne aut V. Synodi, quam Eccleſia recepit, auctoritatem, aut Vigilij prudentiam, qui eius celebrationi conſenſit, incuſes; iiſque obiectionibus ſchiſmaticorum vtaris, quas Gregorius & Pelagius citatis epiſt. refutarunt. Voluiſſes fortè Origenis errores per Orientem latens diſſeminari, quos ſcilicet eodem tempore editis ipſis voluminibus diuulgabant Monachi duo Nouæ Lauræ, Nonnus, & Leontius Byzantinns, vt narrant Cyrillus Monachus *in vita ſancti Sabæ,* Iuſtinianus epiſt. *ad Mennam, contra Origenem*, quos pariter Theodorus Cæſarienſis prædictus ſtudioſiſſimè fouebat, teſte Liberato cap. 23.

Hæc omnia te velle oporret, ſi V. Synodum incuſas, quæ iſtas hæreſes damnauit, & ſchiſmati inter Eccleſiam Orientalem & Occidentalem naſcenti occurrit, quam tamen probauit Vigilius: laudarunt præter citatos Synodus Mediolan. ſub Manſueto Archiepiſcopo, VI. Synodus act. 17. Trullana epiſt. ad Iuſtinianum ſecundum, Nicæna II. 2. art. 7. 8. ſub Adriano II. act. 10. Gregorius Magnus variis literis, Nicolaus I. epiſt. *ad Michaelem*, Leo IX. epiſt. *ad Petrum Antiochenum,* Anglicana Synodus Can. 2. Sophronimus Hieroſolymit. epiſt. *ad Sergium Conſtantinop:* poſt medium, relatâ act. 11. VII. Synodi, Theodorus item Hieroſolymit. in Synodica poſt med. act. 3. VII. Synodi & alij: tota denique Eccleſia Catholica ſuſcepit. Voluiſſes, Ludouice Celloti, Photium, expnlſo Ignatio vero Patriarcha, Eccleſiæ Orientali dominari, & dominationi Nicolai primi atque Adriani impunè illudere.

Voluiſſes ergo, cum eo quem nouem Romani Pontifices damnarunt, ex indulgentia agi, cum eo, inquam, qui indulgentiâ vnius Ioannis VIII. poſt mortem Ignatij abuſus, Pontificem coegit, vt reſtitutionem, quam conceſſerat, illicò renocaret: quòd ſi negas ei indulgendum fuiſſe: cur periculoſam dices VIII. Synodum, quæ conſentientibus votis eum depoſuit, atque Ignatium iniuſtè, corruptiſque Legatis ſummi Pontificis, ac ſubintroductis pſeudolegatis aliorum Patriarcharum depoſitum reſtituit: cur, inquam, illam periculoſam dicis? Quid Epheſinæ I. V. & VIII. Synodis generalibus Conſtantinopoli habitis, obijcere poteris, quod non Nicæno ipſi Concilio, quod non fortiori ratione Conſtantinopolitano I. quod non aliis Conciliis obiicere poſſis? Quòd autem Ariminenſis Concilij conuocationem, in quo nempe *totus penè orbis Arrianum ſe eſſe ingemuit*, teſte Hieronymo, Dialogo *aduerſus Luciferianos,* Quòd Epheſini II. periculoſam fuiſſe ſcribis conuocationem non queror: ſed optaſſem maximè, vt non turbationem Concilij Ariminenſis à Conſtantio Imperatore Arriano proueniſſe, periculum Eccleſiæ exinde creatum adnotaſſes; vt ab Epheſino II. Concilio creatam Eccleſiæ confuſionem enatam obſeruaſſe ex reſcripto Theodoſij Iunioris, qui Dioſcorum Alexandrinum Præſidem Concilij contra Eccleſiæ

leges conſtituit, eiúſque audaciam Palatinâ auctoritate, & militum furore armauit: ita vt auſus ille fuerit reiicere Apoſtolicæ Sedis Legatos, Leonis epiſtolam ſupprimere, Epiſcopos orthodoxos, qui Eutychetem damnauerant, à Concilio excludere, Imperatoriâ ſcilicet auctoritate nixus, & operâ Elpidij Comitis, armatorum item militum & Monachorum validâ manu ſeptus, ac vi omnia egerit, quemadmodum referunt Liberatus cap. 12. Breuiarij, Synodus Chalcedonenſis act. 1. Leo epiſt. 22. & ſequentibus vſque ad trigeſimam-ſecundam. At generale Concilium legitimè celebratum periculoſum fuiſſe nunquam leges: nec periculoſa iſta Concilia cenſeri poſſunt in quibus oracula diuina redduntur, doctrina Catholica defenditur, diſciplina reſarcitur.

ARTICVLVS III.

Quædam alia errata Cellotij circa Conciliorum tractationem caſtigantur.

NEQVE hæc ſola aduerſarij circa Conciliorum tractationem peccat aduerſarius, alia quędam ſunt non negligenda. 1. quòd Conciliis generalibus non ex priuilegio duntaxat, ſed natiuo quodam ipſis inhærente iure Abbates, & Monaſteriis præfectos intereſſe debere contendit. Id primùm docet expreſsè lib. 5. c. 14. in fine, pag. 345. vbi prolatis pluribus Conciliorum exemplis, in quibus Abbates & Archimandritæ, vel ad diſputandum, vel aliam ob cauſam ad Synodos vocati ſunt, vel ex priuilegio inuitati, modeſtiſſimè aduerſum nos iis verbis perorat, *Sufficiunt, opinor, iſta vt vel oſcitantia, vel ignorantia Doctoris Hallier reuincatur, qui docet Monaſteriorum & integrorum etiam ordinum præfectos non niſi peculiari priuilegio Conciliis œcumenicis intereſſe.*

Neque tamen oſcitantiæ vel ignorantiæ eius adſcribendum cenſeo, quòd in ſua poſteà declaratione eadem mecum ſentire ſe confeſſus eſt, dicens, *Abbates, & alij Regularium ſuperiores non per ſe præcisè ex eo quòd Regulari præſunt ordini, nec ius habent adſiſtendi Conciliis, atque in iis deliberandi, ſed in iis adſiſtunt, atque in iis decernunt, tantùm ex priuilegio.* Neque ego veritatem iſtam fuſiùs oſtendo, quæ alibi commodiùs exponetur, neque obiectionibus Cellotij reſpondeo.

Aliud ſolùm ipſius erratum præcedenti affine adiungo, quòd rem continet valdè ridiculam; nam vt probet Conciliis generalibus Regularium præfectos interfuiſſe, Concilium Apoſtolorum, cuius fit mentio Act. 15. in exemplum adducit lib. 4. c. 10. pag 145. in quo hac præclarâ diſputatione, *ſeniores*, qui ibidem interfuiſſe leguntur, Abbates, ſeu Regularium primores eſſe interpretatur, hancque interpretationem probat abſurdiſſimâ diſſertatione quam ipſius verbis, ne à me ad eius deriſionem conficta videatur, proferam. *Seniores in Apoſtolica Synodo cuiuſmodi ſunt, videndum: non certè alij Epiſcopi, qui tam multi Hieroſolymis cur eſſent morati? Presbyteri igitur non ſimplices, qui primis temporibus ſine animarum cura, vt putant, nulli erant. Curati ergo? neque ſimpliciter iſtud. Nam ſediſſe, iudicaſſe, ſubſcripſiſſe in Conciliis generalibus Presbyteros vllos ſuo nomine non legimus, & adhuc extant acta: & in Chalcedonenſi Synodo acclamatum eſt: Synodus Epiſcoporum eſt, non Clericorum. Aliquid igitur iſtis quærendum eſt dignitatis præter alios Clericos, & ſacerdotes. Demonſtraturi autem ſumus hoc opere optimam primitiuorum fidelium partem votis religioſis adſtrictam perfectioni ſtuduiſſe. Horum primores fuerunt ſeniores illi, ad quorum exemplum quamplurima è ſequentibus Conciliis Abbates cum Epiſcopis ſedentes viderunt.*

Ridicula hæc expoſitio, ridicula eius probatio, quid enim iſtâ probatione abſurdius, in qua principia proferuntur. Ex quibus quamuis vera eſſent omnia, concluſio probanda minimè inferretur, quorum pluribus ſuppoſitis eadẽ concluſio deſtruitur. Ac iſtius probationis hæc conditio eſt, vt ſiue vera, ſiue falſa ſint eius principia, concluſio nec probabilior, nec veriſimilior videatur: nam ponamus per ſeniores non intelligi Epiſcopos, non Curatos, ponamus magnam plebis fidelis fuiſſe votis adſtrictam: non ſequeretur potiùs per ſeniores intelligi debere Abbates ſeu præpo-

comprimi voluiſſe, Neſtorianam hęreſim repullulaſcere, ad quam renouandam Ibæ Edeſſeni epiſt. *ad Marim Perſam*, & Theodori Mopſueſteni ſcriptis, quaſi nondum ab Eccleſia damnatis in ſuam aliorúmque perniciem complures vtebantur, teſte Liberato cap. 10. voluiſſes Epiſcopos Orientis & Occidentis inter ſe digladiari, aliis tria Capitula Concilij Chalcedonenſis damnantibus, aliiſque approbantibus, cui diſſenſioni imprudenter quidem à Iuſtiniano, infideliter à Theodoro Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo excitatæ, ſed tamen excitatæ V. Synodus generalis componendæ conuocata eſt? Quid tibi in hac tanta diſcordia, in qua Orientales Imperatorem ſecuti, tria Chalcedonenſis Concilij Capitula damnabant, Occidentales Vigilium de iis reticendum initio exiſtimantem ſequebantur, & commodè explicanda, quæ duriùs à Theodoreto Cyri, Theodoro Mopſueſteno, Iba Edeſſeno ſcripta fuerant, cenſebant, teſtibus Liberato cap. 23. & 24. Facundo Hermianenſi integro Opere *pro tribus Capitulis* conſcripto *ad Imperatorem Iuſtinianum*, & lib. contra *Mocianum Scholaſticum*? voluiſſes, inquam, in apertum ſchiſma erupturam diſſenſionem iſtam diſſimulari, nec Concilij celebratione pacem vnionémque Eccleſiarum tentari, quæ ſi perfectè obtenta non eſt, Africanis quibuſdam, & Iſtriæ, Liguriæ, Venetiarum & aliarum Italiæ vrbium Epiſcopis auſis trium Capitulorum damnationem execrari, vt ex Facundi Hermianenſis teſtimonio, Pelagij epiſt. *ad Narſetem*, Gregorij lib. 3. epiſt. 2.3.4. & 37. ac lib. 12. epiſt. 7. & alibi diſcere poteris: tamen iſtud ſchiſma minùs timendum erat, minúſque duraturum credebatur, quàm totius Orientis, defectio. Et ſanè, ſi Eccleſiæ luctuoſam V. Synodi celebrationem propter iſtarum Eccleſiarum defenſionem cenſes, caue ne aut V. Synodi, quam Eccleſia recepit, anctoritatem, aut Vigilij prudentiam, qui eius celebrationi conſenſit, incuſes; iiſque obiectionibus ſchiſmaticorum vtaris, quas Gregorius & Pelagius citatis epiſt. refutarunt. Voluiſſes fortè Origenis errores per Orientem latens diſſeminari, quos ſcilicet eodem tempore editis ipſis voluminibus diuulgabant Monachi duo Nouæ Lauræ, Nonnus, & Leontius Byzantinus, vt narrant Cyrillus Monachus *in vita ſancti Sabæ*, Iuſtinianus epiſt. *ad Mennam, contra Origenem*, quos pariter Theodorus Cæſarienſis prædictus ſtudioſiſſimè fouebat, teſte Liberato cap. 23.

Hæc omnia te velle oportet, ſi V. Synodum incuſas, quæ iſtas hæreſes damnauit, & ſchiſmati inter Eccleſiam Orientalem & Occidentalem naſcenti occurrit, quam tamen probauit Vigilius: laudarunt præter citatos Synodus Mediolan. ſub Manſueto Archiepiſcopo, VI. Synodus act. 17. Trullana epiſt. ad Iuſtinianum ſecundum, Nicæna II. 2. art. 7. 8. ſub Adriano II. act. 10. Gregorius Magnus variis literis, Nicolaus I. epiſt. *ad Michaelem*, Leo IX. epiſt. *ad Petrum Antiochenum*, Anglicana Synodus Can. 2. Sophronimus Hieroſolymit. epiſt. *ad Sergium Conſtantinop.* poſt medium, relatâ act. 11. VII. Synodi, Theodorus item Hieroſolymit. in Synodica poſt med. act. 3. VII. Synodi & alij: tota denique Eccleſia Catholica ſuſcepit. Voluiſſes, Ludouice Celloti, Photium, expulſo Ignatio vero Patriarcha, Eccleſiæ Orientali dominari, & dominationi Nicolai primi atque Adriani impunè illudere.

Voluiſſes ergo, cum eo quem nouem Romani Pontifices damnarunt, ex indulgentia agi, cum eo, inquam, qui indulgentiâ vnius Ioannis VIII. poſt mortem Ignatij abuſus, Pontificem coegit, vt reſtitutionem, quam conceſſerat, illicò reuocaret; quòd ſi negas ei indulgendum fuiſſe: cur periculoſam dices VIII. Synodum, quæ conſentientibus votis eum depoſuit, atque Ignatium iniuſtè, corruptiſque Legatis ſummi Pontificis, ac ſubintroductis pſeudolegatis aliorum Patriarcharum depoſitum reſtituit: cur, inquam, illam periculoſam dicis? Quid Epheſinæ I. V. & VIII. Synodis generalibus Conſtantinopoli habitis, obiicere poteris, quod non Nicæno ipſi Concilio, quod non fortiori ratione Conſtantinopolitano I. quod non aliis Conciliis obiicere poſſis? Quòd autem Ariminenſis Concilij conuocationem, in quo nempe *totus penè orbis Arrianum ſe eſſe ingemuit*, teſte Hieronymo, Dialogo *aduerſus Luciferianos*, Quòd Epheſini II. periculoſam fuiſſe ſcribis conuocationem non queror: ſed optaſſem maximè, vt non turbationem Concilij Ariminenſis à Conſtantio Imperatore Arriano proueniſſe, periculum Eccleſiæ exinde creatum adnotaſſes; vt ab Epheſino II. Concilio creatam Eccleſiæ confuſionem enatam obſeruaſſe ex reſcripto Theodoſij Iunioris, qui Dioſcorum Alexandrinum Præſidem Concilij contra Eccleſiæ

Digitized by Google

leges conſtituit, eiúſque audaciam Palatinâ auctoritate, & militum furore armauit: ita vt auſus ille fuerit reiicere Apoſtolicæ Sedis Legatos, Leonis epiſtolam ſupprimere, Epiſcopos orthodoxos, qui Eutychetem damnauerant, à Concilio excludere, Imperatoriâ ſcilicet auctoritate nixus, & operâ Elpidij Comitis, armatorum item militum & Monachorum validâ manu ſeptus, ac vi omnia egerit, quemadmodum referunt Liberatus cap. 12. Breuiarij, Synodus Chalcedonenſis act. 1. Leo epiſt. 22. & ſequentibus vſque ad trigeſimam-ſecundam. At generale Concilium legitimè celebratum periculoſum fuiſſe nunquam leges; nec periculoſa iſta Concilia cenſeri poſſunt in quibus oracula diuina redduntur, doctrina Catholica defenditur, diſciplina reſarcitur.

ARTICVLVS III.

Quædam alia errata Cellotij circa Conciliorum tractationem caſtigantur.

NEQVE hæc ſola aduerſarij circa Conciliorum tractationem peccat aduerſarius, alia quędam ſunt non negligenda. 1. quòd Conciliis generalibus non ex priuilegio duntaxat, ſed natiuo quodam ipſis inhærente iure Abbates, & Monaſteriis præfectos intereſſe debere contendit. Id primùm docet expreſſè lib. 5. c. 14. in fine, pag. 345. vbi prolatis pluribus Conciliorum exemplis, in quibus Abbates & Archimandritæ, vel ad diſputandum, vel aliam ob cauſam ad Synodos vocati ſunt, vel ex priuilegio inuitati, modeſtiſſimè aduerſum nos iis verbis perorat, *Sufficiunt, opinor, iſta vt vel oſcitantia, vel ignorantia Doctoris Hallier reuincatur, qui docet Monaſteriorum & integrorum etiam ordinum præfectos non niſi peculiari priuilegio Conciliis œcumenicis intereſſe.*

Neque tamen oſcitantiæ vel ignorantiæ eius adſcribendum cenſeo, quòd in ſua poſteà declaratione eadem mecum ſentire ſe confeſſus eſt, dicens, *Abbates, & alij Regularium ſuperiores non per ſe præciſè ex eo quòd Regulari præſunt ordini, nec ius habent adſiſtendi Conciliis, atque in iis deliberandi, ſed in iis adſiſtunt, atque in iis decernunt, tantùm ex priuilegio.* Neque ego veritatem iſtam fuſiùs oſtendo, quæ alibi commodiùs exponetur, neque obiectionibus Cellotij reſpondeo.

Aliud ſolùm ipſius erratum præcedenti affine adiungo, quòd rem continet valdè ridiculam; nam vt probet Conciliis generalibus Regularium præfectos interfuiſſe, Concilium Apoſtolorum, cuius fit mentio Act. 15. in exemplum adducit lib. 4. c. 10. pag 145. in quo hac præclarâ diſputatione, *ſeniores*, qui ibidem interfuiſſe leguntur, Abbates, ſeu Regularium primores eſſe interpretatur, hancque interpretationem probat abſurdiſſimâ diſſertatione quam ipſius verbis, ne à me ad eius deriſionem conficta videatur, proferam. *Seniores in Apoſtolica Synodo cuiuſmodi ſunt, videndum; non certè alij Epiſcopi, qui tam multi Hieroſolymis cur eſſent morati? Presbyteri igitur non ſimplices, qui primis temporibus ſine animarum cura, vt putant, nulli erant. Curati ergo? neque ſimpliciter iſtud. Nam ſediſſe, indicaſſe, ſubſcripſiſſe in Conciliis generalibus Presbyteros vllos ſuo nomine non legimus, & adhuc extant acta: & in Chalcedonenſi Synodo acclamatum eſt: Synodus Epiſcoporum eſt, non Clericorum. Aliquid igitur iſtis quærendum eſt dignitatis præter alios Clericos, & ſacerdotes. Demonſtraturi autem ſumus hoc opere optimam primitiuorum fidelium partem votis religioſis adſtrictam perfectioni ſtuduiſſe. Horum primores fuerunt ſeniores illi, ad quorum exemplum quamplurima è ſequentibus Conciliis Abbates cum Epiſcopis ſedentes viderunt.*

Ridicula hæc expoſitio, ridicula eius probatio, quid enim iſtâ probatione abſurdius, in qua principia proferuntur. Ex quibus quamuis vera eſſent omnia, concluſio probanda minimè inferretur, quorum pluribus ſuppoſitis eadē concluſio deſtruitur. Ac iſtius probationis hæc conditio eſt, vt ſiue vera, ſiue falſa ſint eius principia, concluſio nec probabilior, nec veriſimilior videatur; nam ponamus per ſeniores non intelligi Epiſcopos, non Curatos, ponamus magnam plebis fidelis fuiſſe votis adſtrictam; non ſequeretur potiùs per ſeniores intelligi debere Abbates ſeu præpo-

Digitized by Google

comptimi voluiſſe, Neſtorianani hęreſim repullulaſcere, ad quam renouandam Ibæ Edeſſeni epiſt. *ad Marim Perſam*, & Theodori Mopſueſteni ſcriptis, quaſi nondum ab Eccleſia damnatis in ſuam aliorúmque perniciem complures vtebantur, teſte Liberato cap. 10. voluiſſes Epiſcopos Orientis & Occidentis inter ſe digladiari, aliis tria Capitula Concilij Chalcedonenſis damnantibus, aliiſque approbantibus, cui diſſenſioni imprudenter quidem à Iuſtiniano, infideliter à Theodoro Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo excitatæ, ſed tamen excitatæ V. Synodus generalis componendæ conuocata eſt? Quid tibi in hac tanta diſcordia, in qua Orientales Imperatorem ſecuti, tria Chalcedonenſis Concilij Capitula damnabant, Occidentales Vigilium de iis reticendum initio exiſtimantem ſequebantur, & commodè explicanda, quæ duriùs à Theodorero Cyti, Theodoto Mopſueſteno, Iba Edeſſeno ſcripta fuerant, cenſebant, teſtibus Liberato cap. 23. & 24. Facundo Hermianenſi integro Opere *pro tribus Capitulis* conſcripto *ad Imperatorem Iuſtinianum*, & lib. contra *Mocianum Scholaſticum*? voluiſſes, inquam, in apertum ſchiſma erupturam diſſenſionem iſtam diſſimulari, nec Concilij celebratione pacem vnionémque Eccleſiarum tentari, quæ ſi perfectè obtenta non eſt, Africanis quibuſdam, & Iſtriæ, Liguriæ, Venetiarum & aliarum Italiæ vrbium Epiſcopis auſis trium Capitulorum damnationem execrari, vt ex Facundi Hermianenſis teſtimonio, Pelagij epiſt. *ad Narſetem*, Gregorij lib. 3. epiſt. 2. 3. 4. & 37. ac lib. 12. epiſt. 7. & alibi diſcere poteris: tamen iſtud ſchiſma minùs timendum erat, minúſque duraturum credebatur, quàm totius Orientis, defectio. Et ſanè, ſi Eccleſiæ luctuoſam V. Synodi celebrationem propter iſtarum Eccleſiarum defenſionem cenſes, caue ne aut V. Synodi, quam Eccleſia recepit, auctoritatem, aut Vigilij prudentiam, qui eius celebrationi conſenſit, incuſes; iiſque obiectionibus ſchiſmaticorum vtaris, quas Gregorius & Pelagius citatis epiſt. refutarunt. Voluiſſes fortè Origenis errores per Orientem latens diſſeminari, quos ſcilicet eodem tempore editis ipſis voluminibus diuulgabant Monachi duo Nouæ Lauræ, Nonnus, & Leontius Byzantinus, vt narrant Cyrillus Monachus *in vita ſancti Sabæ*, Iuſtinianus epiſt. *ad Mennam, contra Origenem*, quos pariter Theodorus Cæſarienſis prædictus ſtudioſiſſimè fouebat, teſte Liberato cap. 23.

Hæc omnia te velle oportet, ſi V. Synodum incuſas, quæ iſtas hæreſes damnauit, & ſchiſmati inter Eccleſiam Orientalem & Occidentalem naſcenti occurrit, quam tamen probauit Vigilius: laudarunt præter citatos Synodus Mediolan. ſub Manſueto Archiepiſcopo, VI. Synodus act. 17. Trullana epiſt. ad Iuſtinianum ſecundum, Nicæna II. 2. art. 7. 8. ſub Adriano II. act. 10. Gregorius Magnus variis literis, Nicolaus I. epiſt. *ad Michaelem*, Leo IX. epiſt. *ad Petrum Antiochenum*, Anglicana Synodus Can. 2. Sophronimus Hieroſolymit. epiſt. *ad Sergium Conſtantinop.* poſt medium, relatâ act. 11. VII. Synodi, Theodorus item Hieroſolymit. in Synodica poſt med. act. 3. VII. Synodi & alij: tota denique Eccleſia Catholica ſuſcepit. Voluiſſes, Ludouice Celloti, Photium, expulſo Ignatio vero Patriarcha, Eccleſiæ Orientali dominari, & dominationi Nicolai primi atque Adriani impunè illudere.

Voluiſſes ergo, cum eo quem nouem Romani Pontifices damnarunt, ex indulgentia agi, cum eo, inquam, qui indulgentiâ vnius Ioannis VIII. poſt mortem Ignatij abuſus, Pontificem coegit, vt reſtitutionem, quam conceſſerat, illicò reuocaret: quòd ſi negas ei indulgendum fuiſſe: cur periculoſam dices VIII. Synodum, quæ conſentientibus votis eum depoſuit, atque Ignatium iniuſtè, corruptiſque Legatis ſummi Pontificis, ac ſubintroductis pſeudolegatis aliorum Patriarcharum depoſitum reſtituit: cur, inquam, illam periculoſam dicis? Quid Epheſinæ I. V. & VIII. Synodis generalibus Conſtantinopoli habitis, obijcere poteris, quod non Nicæno ipſi Concilio, quod non fortiori ratione Conſtantinopolitano I. quod non aliis Conciliis obiicere poſſis? Quòd autem Ariminenſis Concilij conuocationem, in quo nempe *totus penè orbis Arrianum ſe eſſe ingemuit*, teſte Hieronymo, Dialogo *aduerſus Luciferianos*, Quòd Epheſini II. periculoſam fuiſſe ſcribis conuocationem non queror: ſed optaſſem maximè, vt non turbationem Concilij Ariminenſis à Conſtantio Imperatore Arriano proueniſſe, periculum Eccleſiæ exinde creatum adnotaſſes; vt ab Epheſino II. Concilio creatam Eccleſiæ confuſionem enatam obſeruaſſe ex reſcripto Theodoſij Iunioris, qui Dioſcorum Alexandrinum Præſidem Concilij contra Eccleſiæ

leges conſtituit, eiúſque audaciam Palatinâ auctoritate, & militum furore armauit: ita vt auſus ille fuerit reiicere Apoſtolicæ Sedis Legatos, Leonis epiſtolam ſupprimere, Epiſcopos orthodoxos, qui Eutychetem damnauerant, à Concilio excludere, Imperatoriâ ſcilicet auctoritate nixus, & operâ Elpidij Comitis, armatorum item militum & Monachorum validâ manu ſeptus, ac vi omnia egerit, quemadmodum referunt Liberatus cap. 12. Breuiarij, Synodus Chalcedonenſis act. 1. Leo epiſt. 22. & ſequentibus vſque ad trigeſimam-ſecundam. At generale Concilium legitimè celebratum periculoſum fuiſſe nunquam leges: nec periculoſa iſta Concilia cenſeri poſſunt in quibus oracula diuina redduntur, doctrina Catholica defenditur, diſciplina reſarcitur.

ARTICVLVS III.

Quædam alia errata Cellotij circa Conciliorum tractationem caſtigantur.

NEQVE hæc ſola aduerſarij circa Conciliorum tractationem peccat aduerſarius; alia quędam ſunt non negligenda. 1. quòd Concilijs generalibus non ex priuilegio duntaxat, ſed natiuo quodam ipſis inhærente iure Abbates, & Monaſteriis præfectos intereſſe debere contendit. Id primùm docet expreſsè lib. 5. c. 14. in fine, pag. 345. vbi prolatis pluribus Conciliorum exemplis, in quibus Abbates & Archimandritæ, vel ad diſputandum, vel aliam ob cauſam ad Synodos vocati ſunt, vel ex priuilegio inuitati, modeſtiſſimè aduerſum nos iis verbis perorat, *Sufficiunt, opinor, iſta vt vel oſcitantia, vel ignorantia Doctoris Hallier reuincatur, qui docet Monaſteriorum & integrorum etiam ordinum præfectos non niſi peculiari priuilegio Concilijs œcumenicis intereſſe.*

Neque tamen oſcitantiæ vel ignorantiæ eius adſcribendum cenſeo, quòd in ſua poſteà declaratione eadem mecum ſentire ſe confeſſus eſt, dicens, *Abbates, & alij Regularium ſuperiores non per ſe præcisè ex eo quòd Regulari præſunt ordini, nec ius habent adſiſtendi Concilijs, atque in iis deliberandi, ſed in iis adſiſtunt, atque in iis decernunt, tantùm ex priuilegio.* Neque ego veritatem iſtam fuſiùs oſtendo, quæ alibi commodiùs exponetur, neque obiectionibus Cellotij reſpondeo.

Aliud ſolùm ipſius erratum præcedenti affine adiungo, quòd rem continet valdè ridiculam; nam vt probet Concilijs generalibus Regularium præfectos interfuiſſe, Concilium Apoſtolorum, cuius fit mentio Act. 15. in exemplum adducit lib. 4. c. 10. pag. 145. in quo hac præclarâ diſputatione, *ſeniores*, qui ibidem interfuiſſe leguntur, Abbates, ſeu Regularium primores eſſe interpretatur, hancque interpretationem probat abſurdiſſimâ diſſertatione quam ipſius verbis, ne à me ad eius deriſionem conficta videatur, proferam. *Seniores in Apoſtolica Synodo cuiuſmodi ſunt, videndum: non certè alij Epiſcopi, qui tam multi Hieroſolymis cur eſſent morati? Presbyteri igitur non ſimplices, qui primis temporibus ſine animarum cura, vt putant, nulli erant. Curati ergo? neque ſimpliciter iſtud. Nam ſediſſe, iudicaſſe, ſubſcripſiſſe in Concilijs generalibus Presbyteros vllos ſuo nomine non legimus, & adhuc extant acta: & in Chalcedonenſi Synodo acclamatum eſt: Synodus Epiſcoporum eſt, non Clericorum. Aliquid igitur iſtis quærendum eſt dignitatis præter alios Clericos, & ſacerdotes. Demonſtraturi autem ſumus hoc opere optimam primitiuorum fidelium partem votis religioſis adſtrictam perfectioni ſtuduiſſe. Horum primores fuerunt ſeniores illi, ad quorum exemplum quamplurima è ſequentibus Concilijs Abbates cum Epiſcopis ſedentes viderunt.*

Ridicula hæc expoſitio, ridicula eius probatio, quid enim iſtâ probatione abſurdius, in qua principia proferuntur. Ex quibus quamuis vera eſſent omnia, concluſio probanda minimè inferretur, quorum pluribus ſuppoſitis eadē concluſio deſtruitur. Ac iſtius probationis hæc conditio eſt, vt ſiue vera, ſiue falſa ſint eius principia, concluſio nec probabilior, nec veriſimilior videatur: nam ponamus per ſeniores non intelligi Epiſcopos, non Curatos, ponamus magnam plebis fidelis fuiſſe votis adſtrictam: non ſequeretur potiùs per ſeniores intelligi debere Abbates ſeu præpo-

ſitos quoſuis Regularibus, quàm Archipreſbyteros, Vicarios generales, Doctores Theologos, aut alios eminenti quadam affectos dignitate Preſbyteros· imò nec ſequitur eo ſæculo vllos fuiſſe præpoſitos Regularibus, alios ab Epiſcopis & Curatis: vt iure mirari ſubeat, quâ confidentiâ aduerſarius ex iis principiis quaſi certum & indubitatum eliciat, *per ſeniores* illos intelligi Regularium primores, quibus Abbates ſucceſſere: cùm ex tota iſta diſputatione nihil ſimile, ne quidem probabiliter ſequatur: imò nec verum ſit tempore primitiuæ Eccleſiæ *Regularitatem clauſtralibus ſeptis coercitam fuiſſe; ſed tantùm arctiorem quandam ſanctè pièque viuendi obligationem regulis ſeu moribus inuectam, quibus non tam fundator vllus hominum quàm ſpiritus vnctio fecit initium.* vt fatetur aduerſarius lib. 5. cap. 1. pag. 244. At huiuſmodi Regularitati nulli Abbates, nulli præpoſiti neceſſarij erant; nullique alij Directores, quàm Epiſcopi & Preſbyteri ſub Epiſcopis curam animarum gerentes, qui Curati dicuntur; & Diaconi, quibus Archidiaconi, aliique Epiſcoporum adminiſtri & Officiales ſucceſſerunt, vt expreſsè docet Philo apud Euſebium, lib. 2. cap 16. colligitúrque ex Apoſtolo qui variis epiſtolis multitudini fidelium, cuius ſecundum aduerſarium plurimi regularibus votis adſcripti erant, non alios præpoſitos nominat, quàm Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos. Epiſcoporum nomen cum Presbyterorum nomine ſæpè confundens, quòd vtriuſque ordinis viri curam animarum gererent, & morum grauitate ſeniores viderentur. Idipſum clariùs ex Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Ignatij epiſtolis coniicies. ſed hac de re nos alibi fuſiùs.

Hæc verò quæ obiter diximus, ſufficiunt ad abſurditatem expoſitionis iſtius refellendam, ac probationis infirmitatem oſtendendam: quæ multò notior euadit, ſi ex principiis ex ea allatis deſtrui concluſionem, quam probare intendit, demonſtremus.

Id verò manifeſtiſſimum: nam vnum ex principiis, quo nititur tota hæc diſputatio, eſt, Synodum eſſe Epiſcoporum, non Clericorum: atqui ex eo principio ſequitur, nec Abbatum eſſe Concilium, cùm Epiſcopi non ſint, Clerici autem ſint, ſi credimus aduerſario, qui & Clericos Monachos dici paſſim contendit, & primores illos Regularium Clericis adcenſet, & ſacerdotibus; eóſque eminentis cuiuſdam præ cæteris ait eſſe dignitatis. Et ſi à Clericorum Collegio excluduntur, multò miuùs ius habere ipſi poterunt Conciliis generalibus adſiſtendi, & cum Epiſcopis Eccleſiaſtica negotia decernendi. Nititur quoque hæc probatio iſto principio, quòd tempore primitiuæ Eccleſiæ nulli fuerint Presbyteri ſine cura animarum: vnde etiam infert Curatos omnes fuiſſe. Ex quo principio duplex argumentatio aduerſus ipſum deduci poteſt; nam & ſubſumere poſſumus primores Regularium Curatos non fuiſſe, quia ab his illos diſtinguit: vnde elicimus nec Preſbyteros ſeu ſeniores fuiſſe: ſubſumere quoque aliter licet, ſi ſeniores ſeu Presbyteri primores iſti Regularium fuerint, curam animarum habuiſſe; Curatos proinde extitiſſe; Curatos autem à Concilio abfuiſſe: igitur & primores iſtos Regularium à Concilio excluſos fuiſſe.

Cætera Cellotianæ ratiocinationis vitia taceo. Nam contra Dialecticæ regulas peccari lubentiùs condono, quàm contra Scripturarum loquendi proprietatem, & traditionis Eccleſiaſticæ veritatem. Peccat autem iſta expoſitio contra Scripturarum proprietatem; etenim ſeniores illos Acta πρεσβυτέρους vocans, quo nomine nulli alij quàm Eccleſiæ Paſtores, *qui laborant in verbo & doctrina*, 1. Tim. 5. qui ſuper infirmos ad orandum accerſendi dicuntur, Iacobi 5. qui ad regendam Eccleſiam à Spiritu ſancto conſtituti, Act. 20. qui manus cum Epiſcopo imponebant, vel quibus manus in collatione Presbyterij imponebatur, 1. ad Timoth. 5. qui tandem ad Titum 3. iidem qui Epiſcopi per ſingulas ciuitates conſtituendi præſcribuntur; quos Regularium domeſticos Patres interpretari non magis licet, quàm cum hæreticis laicos quoſdam conſultores, populique primores. Desertâ enim expoſitione Eccleſiæ Catholicæ, quæ ex collatione prædictorum inter ſe Scripturæ locorum colligitur, vt Eccleſiæ miniſtri fuerint, atque ordinati ſacerdotes, non magis licet vuam quàm alteram expoſitionem ſequi.

Peccat contra Eccleſiaſticæ traditionis veritatem: Patres ſiquidem omnes &

Interpretes

Interpretes per *ſeniores*, qui Concilio Hieroſolymitano habito pro deciſione quæſtionis de legalium obſeruantia, vel abolitione interfuerunt, Epiſcopos inferiores Apoſtolis, vel Preſbyteros ipſorum aſſeſſores, conſiliarios, & cũ iiſ populorũ Paſtores intellexerunt: vel certè partim hos, partim illos: nam & in Iudæa, qui conſtituti erant Epiſcopi, euocatos, & aliquos etiam, qui Epiſcopi ſine plebe ordinati Hieroſolymis morabantur, ad fidelium conuerſionem mittendi, inuitatos: Preſbyteros quoque Hieroſolymitanæ Eccleſiæ huic Concilio interfuiſſe probabile eſt: quos omnes communi nomine Preſbyterorum vocatos fuiſſe non infrequens Scripturarum loquendi ratio perſuadet. Nec mirum in hac Epiſcoporum paucitate, Preſbyteris etiam ſecundi ordinis locum fuiſſe conceſſum, qui in Concilijs generalibus ipſis poſteà ordinariè denegatus eſt. Nullus autem ante Cellotium reperitur, qui per ſeniores, Regularium domeſticos præfectos intellexerit: nouitates porrò huiuſmodi comminiſci, & mali eſt exempli & prauæ conſecutionis: atque hoc alterum Cellotij erratum dici poteſt.

Tertium huic ſubiungo, ridiculum eſſe quod ipſe Concilium iſtud Hieroſolymitanum circa legalia, generalium formam habere ſcribat citato capite, potiùs quàm Concilium habitum ſtatim poſt Chriſti Aſcenſionem ab Apoſtolis pro ſubrogando in locum Iudæ ſucceſſore, quod prouincialibus & priuatis in exemplum Apoſtolos dediſſe notat aduerſarius cap. ſequenti, cuius rei non aliam rationem tradit, quàm iſtam, *Quia ſcimus è præcipuis cauſis Conciliorum prouincialium vnam olim fuiſſe Antiſtitum electionem, conſecrationémque, aut ex diuerſo exauctorationem.* At infirma iſta ratio, quandoquidem non Epiſcopum duntaxat, ſed Apoſtolum in vniuerſam Eccleſiam auctoritatem habentem eligere vnius prouinciæ iuris non ſit: & interdum legamus etiam à Concilijs generalibus electos fuiſſe primarios Antiſtites, ſicut & exauctoratos: imò & ad hoc officium generales conuentus conuocatos: nam verbi gratiâ, ad Nanzianzeni electionem, ſeu confirmationem in Sede Conſtantinopolitana Concilium œcumenicum ſecundum conuocatum tradit Nazianzenus ipſe Carmine *de vita ſua*, & Sardicenſe præcipuè ad confirmationem Athanaſij collectum docet ipſe Athanaſius Apolog. 2.

E contrà verò prius iſtud Concilium Hieroſolymitanum, in quo pro Iuda prævaricatore electus eſt Mathias, vniuerſalis Concilij eo titulo ſpeciem magis exhibet, quàm Concilium iſtud Hieroſolymitanum, in quo quæſtio de legalibus deciſa eſt. Huic enim poſteriori Concilio ex collatione cap. 15. Act. cum cap. 2. epiſt. ad Galatas colligitur, non alios Apoſtolos interfuiſſe quàm Petrum, Ioannem, Iacobum Minorem Epiſcopum Hieroſolymitanum, Paulum & Barnabam; Iacobus Maior iam occiſus fuerat ab Herode Agrippa Act. 12. cæteri Apoſtoli per mundum ad Euangelij prædicationem diſperſi erant. Addimus ex hiſtoria Eccleſiaſtica Iacobum Minorem Hieroſolymis moratum, Petrum à Claudio Romà pulſum, atque in Palæſtinam regreſſum: Ioannem ſtudio viſendi Petrum diuinâ prouidentiâ Hieroſolymis cum Petro conueniſſe: enatâ de legalibus quæſtione Paulum & Barnabam, ad eos qui inter cæteros *videbantur aliquid eſſe, & columnæ Eccleſiæ* cenſebantur, aſcendiſſe: atque ita collectum Concilium iſtud ſine præuia indictione, aut conuocatione fuiſſe, tum ex iſtis Apoſtolis, tum ex viciniorum locorum Epiſcopis, & Preſbyteris Eccleſiæ præſertim Hieroſolymitanæ, cuiuſmodi Preſbyteri inferiores in Concilijs vniuerſalibus ad definiendum & iudicandum non conſueuerunt aſſumi, ſed tantùm ad deliberandum.

Priori verò Concilio vniuerſi Apoſtoli intererant, qui ſoli in electione Mathiæ ſuffragium tuliſſe, totâ reliquâ Eccleſiâ annuente duntaxat, & conſentiente, videntur ex lectione capitis primi Actorum. Igitur tum propter vniuerſitatem iſtam Eccleſiæ collectæ, tum propter Apoſtolorum ſuffragium in Concilio iſto priori duntaxat admiſſum: tum propter conuocationem à Petro factam, quæ ex prædicto capite in priori iſto Concilio magis emicat, videtur potiùs Concilij vniuerſalis ſpeciem primum iſtud Concilium exhibuiſſe, quàm poſtremum: tantùm abeſt, vt hoc vniuerſalis, illud verò Concilij prouincialis formam nobis exprimere dici poſſit.

ARTICVLVS IV.

Archicapellanum Regum Franciæ Conciliorum Præſidem ſine fundamento ſtatuit Cellotius.

QVartò peccat Cellotius libro 4. cap. 11. §. vnico pagina 203. contra Conciliorum Eccleſiaſticam auctoritatem, dum nobis non patronum, aut defenſorem Concilii Palatinum Officialem, ſed verum & ordinarium Concilii Præſidem, hominem quidem in Eccleſiaſtico ordine conſtitutum, ſed in ſecundo Sacerdotio ſæpius, quàm in primo, Epiſcopis ſuperpoſitum aſſerit, puta regium Archicappellanum, qui nullâ aliâ quàm regia auctoritate Conciliis præſediſſe dici poteſt; quo ſemel admiſſo Conciliorum caput, & negotiorum Eccleſiaſticorum Iudicem primarium admittere neceſſum eſt, qui regia auctoritate Eccleſiaſticis negotiis componendis legibuſque condendis præſideat Preſbyter Epiſcopis, laicali, inquam, auctoritate atque imperio, quod Eccleſiaſticam Iuriſdictionem omnino peruertit, & Antichriſtianum à Lucifero Calaritano olim iudicatum eſt. Id vero finxiſſe aduerſarium, quod in Eccleſia inſolitum, & inauditum fuit, nullâ certâ ratione vel auctoritate motum, valde temerarium eſt.

Rationes, quibus nititur eæ ſunt: Prima, *quia Stephanus Papa II. Capitulare illud ſuum ſæpe à nobis productum, Angilramno alteri Galliæ Epiſcopo miſit, quia is ſacri Palatij Archiepiſcopus tunc erat.* Vnde colligit Archicapellanum *præcipuum Canonum cuſtodem & Eccleſiaſtici ordinis conſeruatorem* exiſtimatum.

Primo quidem erat circà citationem. Nam capitulare iſtud Angilramno datum Stephano II. adſcribit, cum auctorem habeat Hadrianum Papam I. teſtibus Hincmaro Remenſi Opuſc. 55. cap. 24. & 36. & Hincmaro Laudunenſi, cuius in codice Sanctæ Mariæ Virdunenſis poſt hæc Hadriani capitula Angilramno data extat profeſſio, quâ *ea ſe capitula ſuſcipere, & amplecti* profitetur; quibus conſentiunt collectores omnes.

Secundo, nec quidquam ex iſtis capitibus Angilramno, ſeu Ingilramno ab Hadriano Papa traditis colligi poteſt: Nam & tradita ſunt, *quando pro ſui negotij cauſa agebatur*, vt vetus fert ipſorum inſcriptio, quæ habetur apud Hincmarum cap. 24. citato: itaque ipſi tradita videntur Romæ agenti ad Imperatorem deferenda, apud quem agerer, vt auctoritatem ipſe ſuam impendere dignaretur quatenus in Gallia capitula iſta reciperentur. Hoc enim proprium munus erat Archicapellani, qui olim Apocriſiarius dicebatur, vt ad Regem omnia deferret, apud eum Eccleſiaſtica negotia procuraret, & viciſſim regia reſponſa cæteris proferret, vt ex libro *de ordine Palatij* ab Adalhardo Monaſterii Corbeienſis Abbate diſcimus apud Hincmarum epiſt. 14. *de inſtitutione Carolomanni Regis, & de ordine Palatij*, num. 13. Vnde capitula iſta omnia in libr. capitularium Regum transfuſa ſunt, vt patet ex notis Sirmondi ad ſingula capita. Conciliis vero Gallicanis non ita: quinimò horum auctoritatem tanquam à ſacris Canonibus diſcrepantium eleuare atque infringere conātur Hincmarus Remenſis aduerſus nepotem ſcribens, cuius etiam iſtis capitulis ſubſcriptionem vellicat cap. 36.

Secunda Cellotii ratio: *Fulradum etiam ſancti Dionyſii Abbatem in illo Archicapellani officio conſtitutum tanti facit Adrianus Papa, vt Archipresbyterum Franciæ appellet.* Quod hic tribuit Adriano, Stephano ſecundo eſt tribuendum, qui in priuilegio Fulrado Abbati, eiuſque ſucceſſoribus indulto, *Archipresbyterum* eum vocat. Archipresbyterum verò dictum puto quod vel cæteris Preſbyteris ſimpliciter, vel cæteris palatii Preſbyteris inſtar Protopapæ apud Græcos emineret; nam dignitas Archicapellani maxima erat: ſed non quod Conciliis Epiſcoporum præſideret. Nam monſtroſum in Eccleſia videtur, vt proprio nomine Preſbyter Epiſcopis præſideat. Quod monſtrum in Ecleſiam inducere conatur Cellotius, vt Abbates, quorum plurimi Officio Archicapellani functi ſunt, Epiſcopis non ſolum diſperſis, verum etiam collectis, in vnâ ex potiſſimis Hierarchicis functionibus, ac prærogatiuis præponar, cum tamen ex iis, qui de Archicapellanorum Officiis & Priuilegiis ex profeſſo diſſeruerint, quales ſunt Adalhardus, & Hincmarus citati, nullus hoc priuilegiũ ipſis adſcripſerit.

*Tertia ratio, *Quia Fulradum etiam ſancti Dionyſii Abbatem in illo officio conſtitutum tanti facit Hadrianus Papa, vt Archipresbyterum Franciæ appellet, Bonifacius autem Archiepiſcopus Moguntinus tanquam conſacerdoti ſcribat, rogetque vt ſibi ſucceſſorem Lullum curet deſignari, ſi Deus voluerit, & ſi clementiæ veſtræ placeat.* Citatur ad marginem epiſtola Bonifacii Moguntini *ad Tilpinum Remenſem*, quæ nulla eſt, imo nec eſſe potuit, quia Bonifacius Moguntinus obierat antequam Tilpinus Remenſis eſſet electus: obiit ſiquidem anno 755. ſub Stephano Papa II. & Pipino Rege: electus eſt Tilpinus an. 772. ſub Hadriano I. & Carolo Magno, Hadriani verò extat epiſtola apud Flodoardum lib. 2. cap. 17. in qua Fulradus *Franciæ Archiepresbyter* dicitur, fitque mentio Bonifacii, & Fulradi quaſi multum laborauerint tempore anteceſſorum Zachariæ ſcilicet & Stephani, vt pallium Archiepiſcopo Remenſi daretur & res Eccleſiæ Remenſis ſartæ tectæ eſſent. Item fit mentio Lulli, de cuius ordinatione Tilpino Remenſi aſſumptis Viomago, & *Poſſeſſore Epiſcopis, & Miſſis Caroli Regis*, Hadrianus inquirendum mandat quæ omnia officia eſſe potuerunt Fulradi, quem in Italia relictum legimus ad recipiendas ciuitates ab Aſtulfo Rege deuicto, earumque partem Romano Pontifici cedendam: gratioſum fuiſſe Romanis Pontificibus, quemadmodum & Imperatori Carolo domeſticum & familiarem: atque adeo non auctoritate, ſed ſollicitatione (quod apocriſiarii officium eſt) in iis ſimilibuſque negotiis plurimum potuiſſe indubitatum eſt. Legitur epiſtola vnica Bonifacii Moguntini *chariſſimo conſacerdoti Fulredo Presbytero*, quæ eſt 92. inter epiſtolas Boniſacii, in qua verba iſta habentur, *Præterea almitatis veſtræ clementiam diligenter in Dei nomine deprecor, vt filium meum Lullum, & coepiſcopum, ſi Deus voluerit, & ſi clementiæ veſtræ placeat in hoc miniſterium populorum, & Eccleſiarum componere, & conſtituere faciatis Prædicatorem & Doctorem Presbyterorum & populorum.* Quæ verba nihil aliud indicant quàm inſtitoriam operam Fulredi, & ſollicitam procurationem circa Regem, & Summum Pontificem, quam proprium apocriſarii officium faſſi ſuimus, ſed non auctoritatem in Eccleſiaſtici ordinis viros, non enim petit Bonifacius, vt ipſe conſtituat, ſed vt à Rege vel à Pontifice conſtitui faciat vt ſupra explicuimus: nam de conſenſu Regis Pipini Lullum electum fuiſſe Archiepiſcopum Moguntinum poſt obitum Bonifacii, legimus in vita Bonifacii cap. 18. Quod conſacerdotem Fulradum Bonifacius vocat, non ideo eminentem in eo quandam ſupra Epiſcopos poteſtatem agnoſcit. Nam & alium Abbatem *dilectiſſimum conſacerdotem* appellat idem Bonifacius epiſt. 106. & vſitatum eſſe vt Preſbyteri ab Epiſcopis eo nomine honorentur, alibi docuimus.

Vltima ratio. *Nam Heldebaldus ſeu Hildebaldus Archiepiſcopus Colonienſis idemque Regis Archicapellanus Concilio Moguntino ſub Carolo Magno præſedit, & primus ſubſcripſit, etiam præſente Ricolpho Moguntinæ ſedis antiſtite, quod nunquam fieri permiſiſſet religioſus Imperator niſi hoc Archicapellano ſuo auctoritatis priuilegium putauiſſet eſſe donandum.* Nos in contrarium opponimus Carolum Magnum nunquam permiſſurum contra regulas Eccleſiaſticas, quæ vel Primatem vel antiquiorem Archiepiſcopum Conciliis præſidere permittunt, & locali Archiepiſcopo poteſtatem faciunt, prærogatiuam honoris alteri cedendi, vt ſuperiùs docuimus, non permiſſurum, inquam, aliquem eo titulo Præſidendi auctoritatem ſibi vendicare quod ſacri Palatii Archicapellanus eſſet. Prædictum itaque huic Concilio præſediſſe, vel quod antiquior eſſet, vel quia Apoſtolicum ſingulare mandatum præſidendi haberet (quod quibuſdam datum ſupra legimus) non autem quod Archicapellanus eſſet, nam & ſupra docuimus extraneos plurimos Archiepiſcopos prætermiſſis prouinciæ Metropolitanis Conciliis præſediſſe, & Conciliis ſub Carolo Hildebaldum, aut alium Archicapellanum præſediſſe non obſeruamus, cùm tamen non minus Synodi Regiæ dici poſſent, quàm Moguntina.

Digitized by Google

ARTICVLVS IV.

Archicapellanum Regum Franciæ Conciliorum Præſidem ſine fundamento ſtatuit Cellotius.

QVartò peccat Cellotius libro 4. cap. 11. §. vnico pagina 203. contra Conciliorum Eccleſiaſticam auctoritatem, dum nobis non patronum, aut defenſorem Concilii Palatinum Officialem, ſed verum & ordinarium Concilii Præſidem, hominem quidem in Eccleſiaſtico ordine conſtitutum, ſed in ſecundo Sacerdotio ſæpius, quàm in primo, Epiſcopis ſuperpoſitum aſſerit, puta regium Archicappellanum, qui nullâ aliâ quàm regia auctoritate Conciliis præſediſſe dici poteſt; quo ſemel admiſſo Conciliorum caput, & negotiorum Eccleſiaſticorum Iudicem primarium admittere neceſſum eſt, qui regia auctoritate Eccleſiaſticis negotiis componendis legibuſque condendis præſideat Preſbyter Epiſcopis, laicali, inquam, auctoritate atque imperio, quod Eccleſiaſticam Iuriſdictionem omnino peruertit, & Antichriſtianum à Lucifero Calaritano olim iudicatum eſt. Id vero finxiſſe aduerſarium, quod in Eccleſia inſolitum, & inauditum fuit, nullâ certâ ratione vel auctoritate motum, valde temerarium eſt.

Rationes, quibus nititur eæ ſunt: Prima, *quia Stephanus Papa II. Capitulare illud ſuum ſæpe à nobis productum, Angilramno alteri Galliæ Epiſcopo miſit, quia is ſacri Palatij Archiepiſcopus tunc erat.* Vnde colligit Archicapellanum *præcipuum Canonum cuſtodem & Eccleſiaſtici ordinis conſeruatorem* exiſtimatum.

Primo quidem erat circà citationem. Nam capitulare iſtud Angilramno datum Stephano II. adſcribit, cum auctorem habeat Hadrianum Papam I. teſtibus Hincmaro Remenſi Opuſc. 55. cap. 24. & 36. & Hincmaro Laudunenſi, cuius in codice Sanctæ Mariæ Virdunenſis poſt hæc Hadriani capitula Angilramno data extat profeſſio, quâ *ea ſe capitula ſuſcipere, & amplecti* profitetur; quibus conſentiunt collectores omnes.

Secundo, nec quidquam ex iſtis capitibus Angilramno, ſeu Ingilramno ab Hadriano Papa traditis colligi poteſt: Nam & tradita ſunt, *quando pro ſui negotij cauſa agebatur*, vt vetus fert ipſorum inſcriptio, quæ habetur apud Hincmarum cap. 24. citato: itaque ipſi tradita videntur Romæ agenti ad Imperatorem deferenda, apud quem ageret, vt auctoritatem ipſe ſuam impendere dignaretur quatenus in Gallia capitula iſta reciperentur. Hoc enim proprium munus erat Archicapellani, qui olim Apocriſiarius dicebatur, vt ad Regem omnia deferret, apud eum Eccleſiaſtica negotia procuraret, & viciſſim regia reſponſa cæteris proferret, vt ex libro *de ordine Palatij* ab Adalhardo Monaſterii Corbeienſis Abbate diſcimus apud Hincmarum epiſt. 14. *de inſtitutione Carolomanni Regis, & de ordine Palatij*, num. 13. Vnde capitula iſta omnia in libr. capitularium Regum transfuſa ſunt, vt patet ex notis Sirmondi ad ſingula capita. Conciliis vero Gallicanis non ita: quinimò horum auctoritatem tanquam à ſacris Canonibus diſcrepantium eleuare atque infringere conâtur Hincmarus Remenſis aduerſus nepotem ſcribens, cuius etiam iſtis capitulis ſubſcriptionem vellicat cap. 36.

Secunda Cellotii ratio: *Fulradum etiam ſancti Dionyſii Abbatem in illo Archicapellani officio conſtitutum tanti facit Adrianus Papa, vt Archipresbyterum Franciæ appellet.* Quod hic tribuit Adriano, Stephano ſecundo eſt tribuendum, qui in priuilegio Fulrado Abbati, eiuſque ſucceſſoribus indulto, *Archipresbyterum* eum vocat. Archipresbyterum verò dictum puto quod vel cæteris Preſbyteris ſimpliciter, vel cæteris palatii Preſbyteris inſtar Protopapæ apud Græcos emineret; nam dignitas Archicapellani maxima erat: ſed non quod Conciliis Epiſcoporum præſideret. Nam monſtroſum in Eccleſia videtur, vt proprio nomine Preſbyrer Epiſcopis præſideat. Quod monſtrum in Ecleſiam inducere conatur Cellotius, vt Abbates, quorum plurimi Officio Archicapellani functi ſunt, Epiſcopis non ſolum diſperſis, verum etiam collectis, in vnâ ex potiſſimis Hierarchicis functionibus, ac prærogatiuis præponat, cum tamen ex iis, qui de Archicapellanorum Officiis & Priuilegiis ex profeſſo diſſeruerint, quales ſunt Adalhardus, & Hincmarus citati, nullus hoc priuilegiū ipſis adſcripſerit.

* Tertia ratio, *Quia Fulradum etiam ſancti Dionyſii Abbatem in illo officio conſtitutum tanti facit Hadrianus Papa, vt Archipresbyterum Franciæ appellet, Bonifacius autem Archiepiſcopus Moguntinus tanquam conſacerdoti ſcribat, rogetque vt ſibi ſucceſſorem Lullum curet deſignari, ſi Deus voluerit, & ſi clementiæ veſtræ placeat.* Citatur ad marginem epiſtola Bonifacii Moguntini *ad Tilpinum Remenſem*, quæ nulla eſt, imo nec eſſe potuit, quia Bonifacius Moguntinus obierat antequam Tilpinus Remenſis eſſet electus: obiit ſiquidem anno 755. ſub Stephano Papa II. & Pipino Rege: electus eſt Tilpinus an. 772. ſub Hadriano I. & Carolo Magno, Hadriani verò extat epiſtola apud Flodoardum lib. 2. cap. 17. in qua Fulradus *Franciæ Archipresbyter* dicitur, ſitque mentio Bonifacii, & Fulradi quaſi multum laborauerint tempore anteceſſorum Zachariæ ſcilicet & Stephani, vt pallium Archiepiſcopo Remenſi daretur & res Eccleſiæ Remenſis ſartæ tectæ eſſent. Item ſit mentio Lulli, de cuius ordinatione Tilpino Remenſi aſſumptis Viomago, & *Poſſeſſore Epiſcopis, & Miſſis Caroli Regis*, Hadrianus inquirendum mandat quæ omnia officia eſſe potuerunt Fulradi, quem in Italia relictum legimus ad recipiendas ciuitates ab Aſtulfo Rege deuicto, earumque partem Romano Pontifici cedendam: gratioſum fuiſſe Romanis Pontificibus, quemadmodum & Imperatori Carolo domeſticum & familiarem: atque adeo non auctoritate, ſed ſollicitatione (quod apocriſiarii officium eſt) in iis ſimilibuſque negotiis plurimum potuiſſe indubitatum eſt. Legitur epiſtola vnica Bonifacii Moguntini *chariſſimo conſacerdoti Fulredo Presbytero*, quæ eſt 92. inter epiſtolas Bonifacii, in qua verba iſta habentur, *Præterea almitatis veſtræ clementiam diligenter in Dei nomine deprecor, vt filium meum Lullum, & coepiſcopum, ſi Deus voluerit, & ſi clementiæ veſtræ placeat in hoc miniſterium populorum, & Eccleſiarum componere, & conſtituere faciatis Prædicatorem & Doctorem Presbyterorum & populorum.* Quæ verba nihil aliud indicant quàm inſtitoriam operam Fulredi, & ſollicitam procurationem circa Regem, & Summum Pontificem, quam proprium apocriſarii officium faſſi fuimus, ſed non auctoritatem in Eccleſiaſtici ordinis viros, non enim petit Bonifacius, vt ipſe conſtituat, ſed vt à Rege vel à Pontifice conſtitui faciat vt ſupra explicuimus: nam de conſenſu Regis Pipini Lullum electum fuiſſe Archiepiſcopum Moguntinum poſt obitum Bonifacii, legimus in vita Bonifacii cap. 18. Quod conſacerdotem Fulradum Bonifacius vocat, non ideo eminentem in eo quandam ſupra Epiſcopos poteſtatem agnoſcit. Nam & alium Abbatem *dilectiſſimum conſacerdotem* appellat idem Bonifacius epiſt. 106. & viſitatum eſſe vt Preſbyteri ab Epiſcopis eo nomine honorentur, alibi docuimus.

Vltima ratio. *Nam Hildebaldus ſeu Hildebaldus Archiepiſcopus Colonienſis idemque Regis Archicapellanus Concilio Moguntino ſub Carolo Magno præſedit, & primus ſubſcripſit, etiam præſente Ricolpho Moguntinæ ſedis antiſtite, quod nunquam fieri permiſiſſet religioſus Imperator niſi hoc Archicapellano ſuo auctoritatis priuilegium putaſſet eſſe donandum.* Nos in contrarium opponimus Carolum Magnum nunquam permiſſurum contra regulas Eccleſiaſticas, quæ vel Primatem vel antiquiorem Archiepiſcopum Conciliis præſidere permittunt, & locali Archiepiſcopo poteſtatem faciunt, prærogatiuam honoris alteri cedendi, vt ſuperiùs docuimus, non permiſſurum, inquam, aliquem eo titulo præſidendi auctoritatem ſibi vendicare quod ſacri Palatii Archicapellanus eſſet. Prædictum itaque huic Concilio præſediſſe, vel quod antiquior eſſet, vel quia Apoſtolicum ſingulare mandatum præſidendi haberet (quod quibuſdam datum ſupra legimus) non autem quod Archicapellanus eſſet, nam & ſupra docuimus extraneos plurimos Archiepiſcopos prætermiſſis prouinciæ Metropolitanis Conciliis præſediſſe, & Conciliis ſub Carolo Hildebaldum, aut alium Archicapellanum præſediſſe non obſeruamus, cùm tamen non minus Synodi Regiæ dici poſſent, quàm Moguntina.

ARTICVLVS IV.

Archicapellanum Regum Franciæ Conciliorum Præſidem ſine fundamento ſtatuit Cellotius.

QVartò peccat Cellotius libro 4. cap. 11. §. vnico pagina 203. contra Conciliorum Eccleſiaſticam auctoritatem, dum nobis non patronum, aut defenſorem Concilii Palatinum Officialem, ſed verum & ordinarium Concilii Præſidem, hominem quidem in Eccleſiaſtico ordine conſtitutum, ſed in ſecundo Sacerdotio ſæpius, quàm in primo, Epiſcopis ſuperpoſitum aſſerit, puta regium Archicappellanum, qui nullâ aliâ quàm regia auctoritate Conciliis præſediſſe dici poteſt; quo ſemel admiſſo Conciliorum caput, & negotiorum Eccleſiaſticorum Iudicem primarium admittere neceſſum eſt, qui regia auctoritate Eccleſiaſticis negotiis componendis legibuſque condendis præſideat Preſbyter Epiſcopis, laicali, inquam, auctoritate atque imperio, quod Eccleſiaſticam Iuriſdictionem omnino peruertit, & Antichriſtianum à Lucifero Calaritano olim iudicatum eſt. Id vero finxiſſe aduerſarium, quod in Eccleſia inſolitum, & inauditum fuit, nullâ certâ ratione vel auctoritate motum, valde temerarium eſt.

Rationes, quibus nititur eæ ſunt: Prima, *quia Stephanus Papa II. Capitulare illud ſuum ſæpe à nobis productum, Angilramno alteri Galliæ Epiſcopo miſit, quia is ſacri Palatij Archiepiſcopus tunc erat.* Vnde colligit Archicapellanum *præcipuum Canonum cuſtodem & Eccleſiaſtici ordinis conſeruatorem* exiſtimatum.

Primo quidem erat circà citationem. Nam capitulare iſtud Angilramno datum Stephano II. adſcribit, cum auctorem habeat Hadrianum Papam I. teſtibus Hincmaro Remenſi Opuſc. 55. cap. 24. & 36. & Hincmaro Landunenſi, cuius in codice Sanctæ Mariæ Virdunenſis poſt hæc Hadriani capitula Angilramno data extat profeſſio, quâ *ea ſe capitula ſuſcipere, & amplecti* profitetur; quibus conſentiunt collectores omnes.

Secundo, nec quidquam ex iſtis capitibus Angilramno, ſeu Ingilramno ab Hadriano Papa traditis colligi poteſt: Nam & tradita ſunt, *quando pro ſui negotij cauſa agebatur,* vt vetus fert ipſorum inſcriptio, quæ habetur apud Hincmarum cap. 24. citato: itaque ipſi tradita videntur Romæ agenti ad Imperatorem deferenda, apud quem ageret, vt auctoritatem ipſe ſuam impendere dignaretur quatenus in Gallia capitula iſta reciperentur. Hoc enim proprium munus erat Archicapellani, qui olim Apocriſiarius dicebatur, vt ad Regem omnia deferret, apud eum Eccleſiaſtica negotia procuraret, & viciſſim regia reſponſa cæteris proferret, vt ex libro *de ordine Palatij* ab Adalhardo Monaſterii Corbeienſis Abbate diſcimus apud Hincmarum epiſt. 14. *de inſtitutione Carolomanni Regis, & de ordine Palatij*, num. 13. Vnde capitula iſta omnia in libr. capitularium Regum transfuſa ſunt, vt patet ex notis Sirmondi ad ſingula capita. Conciliis vero Gallicanis non ita: quinimò horum auctoritatem tanquam à ſacris Canonibus diſcrepantium eleuare atque infringere conātur Hincmarus Remenſis aduerſus nepotem ſcribens, cuius etiam iſtis capitulis ſubſcriptionem vellicat cap. 36.

Secunda Cellotii ratio: *Fulradum etiam ſancti Dionyſii Abbatem in illo Archicapellani officio conſtitutum tanti facit Adrianus Papa, vt Archipresbyterum Franciæ appellet.* Quod hic tribuit Adriano, Stephano ſecundo eſt tribuendum, qui in priuilegio Fulrado Abbati, eiuſque ſucceſſoribus indulto, *Archipresbyterum* eum vocat. Archipresbyterum verò dictum puto quod vel cæteris Preſbyteris ſimpliciter, vel cæteris palatii Preſbyteris inſtar Protopapæ apud Græcos emineret; nam dignitas Archicapellani maxima erat: ſed non quod Conciliis Epiſcoporum præſideret. Nam monſtroſum in Eccleſia videtur, vt proprio nomine Preſbyter Epiſcopis præſideat. Quod monſtrum in Ecleſiam inducere conatur Cellotius, vt Abbates, quorum plurimi Officio Archicapellani functi ſunt, Epiſcopis non ſolum diſperſis, verum etiam collectis, in vnâ ex potiſſimis Hierarchicis functionibus, ac prærogatiuis præponat, cum tamen ex iis, qui de Archicapellanorum Officiis & Priuilegiis ex profeſſo diſſeruerint, quales ſunt Adalhardus, & Hincmarus citati, nullus hoc priuilegiū ipſis adſcripſerit.

Tertia ratio, *Quia Fulradum etiam ſancti Dionyſii Abbatem in illo officio conſtitutum tanti facit Hadrianus Papa, vt Archipresbyterum Franciæ appellet, Bonifacius autem Archiepiſcopus Moguntinus tanquam conſacerdoti ſcribat, rogetque vt ſibi ſucceſſorem Lullum curet deſignari, ſi Deus voluerit, & ſi clementiæ veſtræ placeat.* Citatur ad marginem epiſtola Bonifacii Moguntini *ad Tilpinum Remenſem*, quæ nulla eſt, imo nec eſſe potuit, quia Bonifacius Moguntinus obierat antequam Tilpinus Remenſis eſſet electus: obiit ſiquidem anno 755. ſub Stephano Papa II. & Pipino Rege: electus eſt Tilpinus an. 772. ſub Hadriano I. & Carolo Magno, Hadriani verò extat epiſtola apud Flodoardum lib. 2. cap. 17. in qua Fulradus *Franciæ Archiepresbyter* dicitur, fitque mentio Bonifacii, & Fulradi quaſi multum laborauerint tempore anteceſſorum Zachariæ ſcilicet & Stephani, vt pallium Archiepiſcopo Remenſi daretur & res Eccleſiæ Remenſis ſartæ tectæ eſſent. Item fit mentio Lulli, de cuius ordinatione Tilpino Remenſi aſſumptis Viomago, & *Poſſeſſore Epiſcopis, & Miſſis Caroli Regis*, Hadrianus inquirendum mandat quæ omnia officia eſſe potuerunt Fulradi, quem in Italia relictum legimus ad recipiendas ciuitates ab Aſtulfo Rege deuicto, earumque partem Romano Pontifici cedendam: gratioſum fuiſſe Romanis Pontificibus, quemadmodum & Imperatori Carolo domeſticum & familiarem: atque adeo non auctoritate, ſed ſollicitatione (quod apocriſiarii officium eſt) in iis ſimilibuſque negotiis plurimum potuiſſe indubitatum eſt. Legitur epiſtola vnica Bonifacii Moguntini *chariſſimo conſacerdoti Fulredo Presbytero*, quæ eſt 92. inter epiſtolas Bonifacii, in qua verba iſta habentur, *Præterea almitatis veſtræ clementiam diligenter in Dei nomine deprecor, vt filium meum Lullum, & coepiſcopum, ſi Deus voluerit, & ſi clementiæ veſtræ placeat in hoc miniſterium populorum, & Eccleſiarum componere, & conſtituere faciatis Prædicatorem & Doctorem Presbyterorum & populorum.* Quæ verba nihil aliud indicant quàm inſtitoriam operam Fulredi, & ſollicitam procurationem circa Regem, & Summum Pontificem, quam proprium apocriſarii officium faſſi fuimus, ſed non auctoritatem in Eccleſiaſtici ordinis viros, non enim petit Bonifacius, vt ipſe conſtituat, ſed vt à Rege vel à Pontifice conſtitui faciat vt ſupra explicuimus: nam de conſenſu Regis Pipini Lullum electum fuiſſe Archiepiſcopum Moguntinum poſt obitum Bonifacii, legimus in vita Bonifacii cap. 18. Quod conſacerdotem Fulradum Bonifacius vocat, non ideo eminentem in eo quandam ſupra Epiſcopos poteſtatem agnoſcit. Nam & alium Abbatem *dilectiſſimum conſacerdotem* appellat idem Bonifacius epiſt. 106. & vſitatum eſſe vt Preſbyteri ab Epiſcopis eo nomine honorentur, alibi docuimus.

Vltima ratio. *Nam Heldebaldus ſeu Hildebaldus Archiepiſcopus Colonienſis idemque Regis Archicapellanus Concilio Moguntino ſub Carolo Magno præſedit, & primus ſubſcripſit, etiam præſente Ricolpho Moguntinæ ſedis antiſtite, quod nunquam fieri permiſiſſet religioſus Imperator niſi hoc Archicapellano ſuo auctoritatis priuilegium putauiſſet eſſe donandum.* Nos in contrarium opponimus Carolum Magnum nunquam permiſſurum contra regulas Eccleſiaſticas, quæ vel Primatem vel antiquiorem Archiepiſcopum Conciliis præſidere permittunt, & locali Archiepiſcopo poteſtatem faciunt, prærogatiuam honoris alteri cedendi, vt ſuperiùs docuimus, non permiſſurum, inquam, aliquem eo titulo Præſidendi auctoritatem ſibi vendicare quod ſacri Palatii Archicapellanus eſſet. Prædictum itaque huic Concilio præſediſſe, vel quod antiquior eſſet, vel quia Apoſtolicum ſingulare mandatum præſidendi haberet (quod quibuſdam datum ſupra legimus) non autem quod Archicapellanus eſſet, nam & ſupra docuimus extraneos plurimos Archiepiſcopos prætermiſſis prouinciæ Metropolitanis Conciliis præſediſſe, & Conciliis ſub Carolo Hildebaldum, aut alium Archicapellanum præſediſſe non obſeruamus, cùm tamen non minus Synodi Regiæ dici poſſent, quàm Moguntina.

ARTICVLVS IV.

Archicapellanum Regum Franciæ Conciliorum Præſidem ſine fundamento ſtatuit Cellotius.

QVartò peccat Cellotius libro 4. cap. 11. §. vnico pagina 203. contra Conciliorum Eccleſiaſticam auctoritatem, dum nobis non patronum, aut defenſorem Concilii Palatinum Officialem, ſed verum & ordinarium Concilii Præſidem, hominem quidem in Eccleſiaſtico ordine conſtitutum, ſed in ſecundo Sacerdotio ſæpius, quàm in primo, Epiſcopis ſuperpoſitum aſſerit, puta regium Archicappellanum, qui nullâ aliâ quàm regia auctoritate Conciliis præſediſſe dici poteſt; quo ſemel admiſſo Conciliorum caput, & negotiorum Eccleſiaſticorum Iudicem primarium admittere neceſſum eſt, qui regia auctoritate Eccleſiaſticis negotiis componendis legibuſque condendis præſideat Preſbyter Epiſcopis, laicali, inquam, auctoritate atque imperio, quod Eccleſiaſticam Iuriſdictionem omnino peruertit, & Antichriſtianum à Lucifero Calaritano olim iudicatum eſt. Id vero finxiſſe aduerſarium, quod in Eccleſia inſolitum, & inauditum fuit, nullâ certâ ratione vel auctoritate motum, valde temerarium eſt.

Rationes, quibus nititur eæ ſunt: Prima, *quia Stephanus Papa II. Capitulare illud ſuum ſæpe à nobis productum, Angilramno alteri Galliæ Epiſcopo miſit, quia is ſacri Palatij Archiepiſcopus tunc erat.* Vnde colligit Archicapellanum *præcipuum Canonum cuſtodem & Eccleſiaſtici ordinis conſeruatorem* exiſtimatum.

Primo quidem erat circà citationem. Nam capitulare iſtud Angilramno datum Stephano II. adſcribit, cum auctorem habeat Hadrianum Papam I. teſtibus Hincmaro Remenſi Opuſc. 55. cap. 24. & 36. & Hincmaro Laudunenſi, cuius in codice Sanctæ Mariæ Virdunenſis poſt hæc Hadriani capitula Angilramno data extat profeſſio, quâ *ea ſe capitula ſuſcipere, & amplecti* profitetur; quibus conſentiunt collectores omnes.

Secundo, nec quidquam ex iſtis capitibus Angilramno, ſeu Ingilramno ab Hadriano Papa traditis colligi poteſt: Nam & tradita ſunt, *quando pro ſui negotij cauſa agebatur*, vt vetus fert ipſorum inſcriptio, quæ habetur apud Hincmarum cap. 24. citato: itaque ipſi tradita videntur Romæ agenti ad Imperatorem deferenda, apud quem ageret, vt auctoritatem ipſe ſuam impendere dignaretur quatenus in Gallia capitula iſta reciperentur. Hoc enim proprium munus erat Archicapellani, qui olim Apocriſiarius dicebatur, vt ad Regem omnia deferret, apud eum Eccleſiaſtica negotia procuraret, & viciſſim regia reſponſa cæteris proferret, vt ex libro *de ordine Palatij* ab Adalhardo Monaſterii Corbeienſis Abbate diſcimus apud Hincmarum epiſt. 14. *de inſtitutione Carolomanni Regis, & de ordine Palatij*, num. 13. Vnde capitula iſta omnia in libr. capitularium Regum transfuſa ſunt, vt patet ex notis Sirmondi ad ſingula capita. Conciliis vero Gallicanis non ita: quinimò horum auctoritatem tanquam à ſacris Canonibus diſcrepantium eleuare atque infringere conātur Hincmarus Remenſis aduerſus nepotem ſcribens, cuius etiam iſtis capitulis ſubſcriptionem vellicat cap. 36.

Secunda Cellotii ratio: *Fulradum etiam ſancti Dionyſii Abbatem in illo Archicapellani officio conſtitutum tanti facit Adrianus Papa, vt Archipresbyterum Franciæ appellet.* Quod hic tribuit Adriano, Stephano ſecundo eſt tribuendum, qui in priuilegio Fulrado Abbati, eiuſque ſucceſſoribus indulto, *Archipresbyterum* eum vocat. Archipresbyterum verò dictum puto quod vel cæteris Preſbyteris ſimpliciter, vel cæteris palatii Preſbyteris inſtar Protopapæ apud Græcos emineret; nam dignitas Archicapellani maxima erat: ſed non quod Conciliis Epiſcoporum præſideret. Nam monſtroſum in Eccleſia videtur, vt proprio nomine Preſbyter Epiſcopis præſideat. Quod monſtrum in Ecleſiam inducere conatur Cellotius, vt Abbates, quorum plurimi Officio Archicapellani functi ſunt, Epiſcopis non ſolum diſperſis, verum etiam collectis, in vnâ ex potiſſimis Hierarchicis functionibus, ac prærogatiuis præponat, cum tamen ex iis, qui de Archicapellanorum Officiis & Priuilegiis ex profeſſo diſſeruerint, quales ſunt Adalhardus, & Hincmarus citati, nullus hoc priuilegiũ ipſis adſcripſerit.

Tertia ratio, *Quia Fulradum etiam ſancti Dionyſii Abbatem in illo officio conſtitutum tanti facit Hadrianus Papa, vt Archipresbyterum Franciæ appellet, Bonifacius autem Archiepiſcopus Moguntinus tanquam conſacerdoti ſcribat, rogetque vt ſibi ſucceſſorem Lullum curet deſignari, ſi Deus voluerit, & ſi clementiæ veſtræ placeat.* Citatur ad marginem epiſtola Bonifacii Moguntini *ad Tilpinum Remenſem*, quæ nulla eſt, imo nec eſſe potuit, quia Bonifacius Moguntinus obierat antequam Tilpinus Remenſis eſſet electus: obiit ſiquidem anno 755. ſub Stephano Papa II. & Pipino Rege: electus eſt Tilpinus an. 772. ſub Hadriano I. & Carolo Magno, Hadriani verò extat epiſtola apud Flodoardum lib. 2. cap. 17. in qua Fulradus *Franciæ Archiepresbyter* dicitur, fitque mentio Bonifacii, & Fulradi quaſi multum laborauerint tempore anteceſſorum Zachariæ ſcilicet & Stephani, vt pallium Archiepiſcopo Remenſi daretur & res Eccleſiæ Remenſis ſartæ tectæ eſſent. Item fit mentio Lulli, de cuius ordinatione Tilpino Remenſi aſſumptis Viomago, & *Poſſeſſore Epiſcopis, & Miſſis Caroli Regis*, Hadrianus inquirendum mandat quæ omnia officia eſſe potuerunt Fulradi, quem in Italia relictum legimus ad recipiendas ciuitates ab Aſtulfo Rege deuicto, earumque partem Romano Pontifici cedendam: gratioſum fuiſſe Romanis Pontificibus, quemadmodum & Imperatori Carolo domeſticum & familiarem: atque adeo non auctoritate, ſed ſollicitatione (quod apocriſiarii officium eſt) in iis ſimilibuſque negotiis plurimum potuiſſe indubitatum eſt. Legitur epiſtola vnica Bonifacii Moguntini *chariſſimo conſacerdoti Fulredo Presbytero*, quæ eſt 92. inter epiſtolas Bonifacii, in qua verba iſta habentur, *Præterea almitatis veſtræ clementiam diligenter in Dei nomine deprecor, vt filium meum Lullum, & coepiſcopum, ſi Deus voluerit, & ſi clementiæ veſtræ placeat in hoc miniſterium populorum, & Eccleſiarum componere, & conſtituere faciatis Prædicatorem & Doctorem Presbyterorum & populorum.* Quæ verba nihil aliud indicant quàm inſtitoriam operam Fulredi, & ſollicitam procurationem circa Regem, & Summum Pontificem, quam proprium apocriſarii officium faſſi fuimus, ſed non auctoritatem in Eccleſiaſtici ordinis viros, non enim petit Bonifacius, vt ipſe conſtituat, ſed vt à Rege vel à Pontifice conſtitui faciat vt ſupra explicuimus: nam de conſenſu Regis Pipini Lullum electum fuiſſe Archiepiſcopum Moguntinum poſt obitum Bonifacii, legimus in vita Bonifacii cap. 18. Quod conſacerdotem Fulradum Bonifacius vocat, non ideo eminentem in eo quandam ſupra Epiſcopos poteſtatem agnoſcit. Nam & alium Abbatem *dilectiſſimum conſacerdotem* appellat idem Bonifacius epiſt. 106. & vſitatum eſſe vt Presbyteri ab Epiſcopis eo nomine honorentur, alibi docuimus.

Vltima ratio. *Nam Heldebaldus ſeu Hildebaldus Archiepiſcopus Colonienſis idemque Regis Archicapellanus Concilio Moguntino ſub Carolo Magno præſedit, & primus ſubſcripſit, etiam præſente Ricolpho Moguntinæ ſedis antiſtite, quod nunquam fieri permiſiſſet religioſus Imperator niſi hoc Archicapellano ſuo auctoritatis priuilegium putauiſſet eſſe donandum.* Nos in contrarium opponimus Carolum Magnum nunquam permiſſurum contra regulas Eccleſiaſticas, quæ vel Primatem vel antiquiorem Archiepiſcopum Conciliis præſidere permittunt, & locali Archiepiſcopo poteſtatem faciunt, prærogatiuam honoris alteri cedendi, vt ſuperiùs docuimus, non permiſſurum, inquam, aliquem eo titulo Præſidendi auctoritatem ſibi vendicare quod ſacri Palatii Archicapellanus eſſet. Prædictum itaque huic Concilio præſediſſe, vel quod antiquior eſſet, vel quia Apoſtolicum ſingulare mandatum præſidendi haberet (quod quibuſdam datum ſupra legimus) non autem quod Archicapellanus eſſet, nam & ſupra docuimus extraneos plurimos Archiepiſcopos prætermiſſis prouinciæ Metropolitanis Conciliis præſediſſe, & Conciliis ſub Carolo Hildebaldum, aut alium Archicapellanum præſediſſe non obſeruamus, cùm tamen non minus Synodi Regiæ dici poſſent, quàm Moguntina.

Tertia ratio, *Quia Fulradum etiam ſancti Dionyſii Abbatem in illo officio conſtitutum tanti facit Hadrianus Papa, vt Archipresbyterum Franciæ appellet, Bonifacius autem Archiepiſcopus Moguntinus tanquam conſacerdoti ſcribat, rogetque vt ſibi ſucceſſorem Lullum curet deſignari, ſi Deus voluerit, & ſi clementiæ veſtræ placeat.* Citatur ad marginem epiſtola Bonifacii Moguntini *ad Tilpinum Remenſem*, quæ nulla eſt, imo nec eſſe potuit, quia Bonifacius Moguntinus obierat antequam Tilpinus Remenſis eſſet electus: obiit ſiquidem anno 755. ſub Stephano Papa II. & Pipino Rege: electus eſt Tilpinus an. 772. ſub Hadriano I. & Carolo Magno, Hadriani verò extat epiſtola apud Flodoardum lib. 2. cap. 17. in qua Fulradus *Franciæ Archiepresbyter* dicitur, fitque mentio Bonifacii, & Fulradi quaſi multum laborauerint tempore anteceſſorum Zachariæ ſcilicet & Stephani, vt pallium Archiepiſcopo Remenſi daretur & res Eccleſiæ Remenſis ſarræ tectæ eſſent. Item fit mentio Lulli, de cuius ordinatione Tilpino Remenſi aſſumptis Viomago, & *Poſſeſſore Epiſcopis, & Miſsis Caroli Regis*, Hadrianus inquirendum mandat quæ omnia officia eſſe potuerunt Fulradi, quem in Italia relictum legimus ad recipiendas ciuitates ab Aſtulfo Rege deuicto, earumque partem Romano Pontifici cedendam: gratioſum fuiſſe Romanis Pontificibus, quemadmodum & Imperatori Carolo domeſticum & familiarem: atque adeo non auctoritate, ſed ſollicitatione (quod apocriſiarii officium eſt) in iis ſimilibuſque negotiis plurimum potuiſſe indubitatum eſt. Legitur epiſtola vnica Bonifacii Moguntini *chariſsimo conſacerdoti Fulredo Presbytero*, quæ eſt 92. inter epiſtolas Bonifacii, in qua verba iſta habentur, *Præterea almitatis veſtræ clementiam diligenter in Dei nomine deprecor, vt filium meum Lullum, & coepiſcopum, ſi Deus voluerit, & ſi clementiæ veſtræ placeat in hoc miniſterium populorum, & Eccleſiarum componere, & conſtituere faciatis Prædicatorem & Doctorem Presbyterorum & populorum.* Quæ verba nihil aliud indicant quàm inſtitoriam operam Fulredi, & ſollicitam procurationem circa Regem, & Summum Pontificem, quam proprium apocriſarii officium faſſi fuimus, ſed non auctoritatem in Eccleſiaſtici ordinis viros, non enim petit Bonifacius, vt ipſe conſtituat, ſed vt à Rege vel à Pontifice conſtitui faciat vt ſupra explicuimus: nam de conſenſu Regis Pipini Lullum electum fuiſſe Archiepiſcopum Moguntinum poſt obitum Bonifacii, legimus in vita Bonifacii cap. 18. Quod conſacerdotem Fulradum Bonifacius vocat, non ideo eminentem in eo quandam ſupra Epiſcopos poteſtatem agnoſcit. Nam & alium Abbatem *dilectiſsimum conſacerdotem* appellat idem Bonifacius epiſt. 106. & vſitatum eſſe vt Presbyteri ab Epiſcopis eo nomine honorentur, alibi docuimus.

Vltima ratio. *Nam Hildebaldus ſeu Hildebaldus Archiepiſcopus Colonienſis idemque Regis Archicapellanus Concilio Moguntino ſub Carolo Magno præſedit, & primus ſubſcripſit, etiam præſente Ricolpho Moguntinæ ſedis antiſtite, quod nunquam fieri permiſiſſet religioſus Imperator niſi hoc Archicapellano ſuo auctoritatis priuilegium putaſſet eſſe donandum.* Nos in contrarium opponimus Carolum Magnum nunquam permiſſurum contra regulas Eccleſiaſticas, quæ vel Primatem vel antiquiorem Archiepiſcopum Conciliis præſidere permittunt, & locali Archiepiſcopo poteſtatem faciunt, prærogatiuam honoris alteri cedendi, vt ſuperiùs docuimus, non permiſſurum, inquam, aliquem eo titulo Præſidendi auctoritatem ſibi vendicare quod ſacri Palatii Archicapellanus eſſet. Prædictum itaque huic Concilio præſediſſe, vel quod antiquior eſſet, vel quia Apoſtolicum ſingulare mandatum præſidendi haberet (quod quibuſdam datum ſupra legimus) non autem quod Archicapellanus eſſet, nam & ſupra docuimus extraneos plurimos Archiepiſcopos prætermiſſis prouinciæ Metropolitanis Conciliis præſediſſe, & Conciliis ſub Carolo Hildebaldum, aut alium Archicapellanum præſediſſe non obſeruamus, cùm tamen non minus Synodi Regiæ dici poſſent, quàm Moguntina.

ARTICVLVS V.

Cellotius iniurius Comitiis Cleri Gallicani & Epiſcoporum Galliæ conuentibus.

NVLLVM eſt Eccleſiæ tribunal cui parcat Cellotius, quia nullus eſt in Eccleſia iudex cuius ſe iudicio audeat ſubmittere. Hierarchiam quidem ſuam ſupremi Pontificis iudicio ſubiicit in ſpeciem, cum *nec ſapientiorem in cognoſcendo, nec æquiorem in decernendo iudicem* poſſit appellare: verum quia omnes errorum motus ad Vaticani radices confringi non dubitat, contra Summi Pontificis ſententiam plura profert quæ ſuis locis expendimus. Conciliorum conuocatio ipſi videtur periculoſa, quia iudices reformidat, quibus imponi non poteſt: ſupererat Comitiorum Eccleſiaſticorum auctoritas, ad quorum lumen diſſipandas errorum ſuorum tenebras vir naſutus ſuſpicabatur; in eam ergo totis viribus, ſed fraudulenter & quaſi per cuniculos inſurgit, eoque impudentius quod contra tantam auctoritatem nihil aliud quam merum contemptum opponat: quaſi tot Epiſcoporum conſeſſus tam parui foret momenti, vt eius auctoritatem ne refellere quidem ex profeſſo dignetur: ſed quaſi per tranſennam & aliud plane cogitans breuiter dicat, *huiuſce conſeſſus, decreta magni non eſſe ponderis, nec eandem Comitiorum Epiſcopalium ac Synodi prouincialis auctoritatem eſſe*, quæ verba ſunt Cellotii lib. cap. 12. §. 6. pag. 639.

Itane, Celloti, tam leuiter locum illum perſtringis in quo tota vis tuæ concertationis collocata fuerat? Tuæ erat facundiæ pluribus contra illuſtrem illum cœtum agere, ad quem aliquando reus ſiſtendus eras, cuiuſque iudicio damnandus.

Alia ſane mens erat veterum Chriſtianorum, qui Epiſcoporum ſtatuta ſumma qua pollebant veneratione complectebantur, quocumque tandem ex loco, quacumque occaſione fuiſſent edita.

Quod ſi primis Eccleſiæ temporibus ea erat Epiſcoporum auctoritas, vt Eccleſiam Catholici melius definiri noo poſſe exiſtimarent, quam ſi eam *numerum Epiſcoporum* vocitarent, quomodo eam definiebant Catholici apud Tertullianum libri de pudicitia cap. 21. non dubium eſt quin ibi potiſſimum reſidere dicenda ſit Eccleſiæ auctoritas, vbi plures Epiſcopi congregati ſunt. Longè vero plures ad Comitia Eccleſiaſtica Epiſcopos ex pluribus prouinciis quam in Synodum prouincialem concurrere experientia conſtat. Quis igitur dubitet Eccleſiam non magis in Comitiis illis, quam in Synodis trium aliquando aut quatuor Epiſcoporum repræſentari? Ac proinde maiorem eſſe Comitiorum iſtorum quam Synodi prouincialis auctoritatem.

Tanta erat primis Eccleſiæ ſæculis Epiſcoporum auctoritas; vt vel vnius Epiſcopi ſigillatim ſumpti iudicium tota Eccleſia magna cum reuerentia ſuſciperet. Ipſamet Concilia generalia Præſules eo in honore habebant, vt ſua ad eos decreta mittere non dedignarentur: quia totius Concilii decretis, licet non certior, tamen amplior, & euidentior aliqua adhuc ex ſingulorum Epiſcoporum conſenſu auctoritas accederet: quanto maiorem eſſe putas Eccleſiaſticorum Comitiorum auctoritatem, ad quæ non vnus aut duo Epiſcopi, non ex vnica duntaxat prouincia, ſed ex omnibus florentiſſimi imperii prouinciis conueniunt.

Quod ſi ex ea potiſſimum parte Conciliorum conuocatio videtur neceſſaria, quicquid è contra effutiat Cellotius, quod perennis Eccleſiæ traditio melius inquiri non poſſit, quam ſi ſinguli præſules ſingularum prouinciarum traditiones referant, vt ex generali tot locorum conſenſu traditionis Eccleſiaſticæ firmetur auctoritas, quis adeo tardus & hebes, vt non videat in Synodo prouinciali vnius duntaxat, in Comitiis vero Eccleſiaſticis ſingularum totius alicuius potentiſſimi regni prouinciarum traditiones referri? in quibus tamen traditionibus totam Synodorum auctoritatem reponit Cellotius.

Scio quid contra hanc inconcuſſam Comitiorum Eccleſiaſticorum auctoritatem non ignotus forſan Cellotio auctor ſpongiæ effutiat: hæc nimirum Comitia in cauſa fidei conuocata non eſſe, nec ſub ea formula indicta, qua Concilia conuocari ſolent. Sed iam alias hominis maledicentiſſimi ora obſtruximus, cum apud omnes antiquitatis Eccleſiaſticæ peritos conſtet plurima antiquitus Concilia ex Epiſcopis diuerſarum prouinciarum, aut fortuito aut ex alia cauſa quam merè Eccleſiaſtica inter ſe conuenientibus conflata fuiſſe.

Quis enim neſciat plures fidei quæſtiones prouidè diremptas fuiſſe, legeſque ad Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantes ſtatutas ab Epiſcopis qui ad Encænia vocati, quocumque modo inter ſe conuenientes nullam Eccleſiaſticæ ſalutis procurandæ, errorisque profligandi occaſionem prætermittendam eſſe cenſuerunt? Nota ſunt omnibus Concilia, Tyrium, Hieroſolymitanum, & Antiochenum ſub Iulio, quæ omnia ex occaſione baſilicarum Deo dedicandarum celebrata ſunt. Ac ne quis aliquid in hiſce Conciliis deſideret, quis neſciat Arauſicani ſecundi Concilii Patres ex Baſilicæ dedicandæ occaſione inter ſe conueniſſe: quo tamen in Concilio de præcipuis Catholicæ myſteriis actum eſt, Pelagiana hæreſis omnino proſtrata eſt, magnique ponderis Canones editi. Quidquod in Concilio Matiſconenſi primo plures editi ſunt Canones, cum tamen in huiuſce Synodi præfatione teſtentur Epiſcopi, *ſe ex euocatione Gunthramni tam pro cauſis publicis quam pro neceſſitatibus pauperum in vrbe Matiſcenſi conueniſſe.*

Quid quod Concilium Andegauenſe primum plures ab Eccleſia receptos Canones non alia occaſione ſanciuit, quam quod *cum ad ordinandum Epiſcopum in ciuitate Andegauorum Epiſcopi conueniſſent, pari conſilio, atque tractatu deciſionem quam verbis decreuerant, etiam ſcripturis mandare voluerunt: vt hac die hæ regulæ Eccleſiaſticæ, quas ſtatuerant, ſeruarentur*: vt expreſſe habetur in præfatione eiuſdem Concilii. Notanda præſertim ſunt Conc. Venetici verba, quibus aperte teſtantur Patres, ſe etſi ex occaſione tantum congregatos, plura tamen in fidei cauſa debere decernere; *Cum ſemper à nobis cura religionis haberi debeat in promptu, nec aliunde debeat eſſe meditatio, eo præcipue tempore quo nos aut voluntas aut occaſio congregarit.* Quid quod Concilia celebrari poſſe ex Epiſcopis in vrbe primaria quacumque de cauſa commorantibus aperte teſtatur Leonis Imperator. epiſt. *ad Anatolinm Epiſcoporum* Conſtantinopolitanum conſcripta tertia parte Conc. Chalcedonenſis cap. 21. *Proinde*, inquit, *tua pietas agat vt omnes orthodoxi & ſanctiſſimi Epiſcopi, qui in hac vrbe primaria commorantur, quin etiam omnes ſanctiſſimi Clerici confeſtim apud te conueniant.* Quid ergo eſt cur ille cuius cauſam tuetur Cellotius, comitiis illis Eccleſiaſticis auctoritatem detrahat, maximè cum ea quæ cum ad fidem tuendam, aut ad Eccleſiaſticam diſciplinam contra prauos mores reſtaurandam in hiſce Comitiis ſtatuuntur, Summi etiam Pontificis aut tacito, aut etiam ſæpius expreſſo iudicio confirmentur. Ad illorum autem comitiorum comprobandam auctoritatem concurrunt varia ſic habitorum Conciliorum exempla, Synodus Conſtantinopolitana ſub Flauiano aduerſus Euticherem celebrata, quæ ideo dicta eſt ἐνδημοῦσα σύνοδος, non συναχθεῖσα, quod ſine vlla conuocatione præcedenti fortuito in eam ciuitatem Epiſcopi conueniſſent: quæ cũ ab Eutichete ideo eſſet reprobata, quod ab Epiſcopis iſtis habita fuiſſet, qui priuatas cauſas in ea vrbe morarentur, vt patet ex libello fidei, quem pſeudo-Epheſino Concilio porrexit, maximæ nihilominus auctoritatis habita eſt in Eccleſia, & à Synodo Chalcedonenſi probata Act. 1. & exceptio Eutichetis reiecta. Idem mos pariter in eodem Chalcedonenſi Concilio ex profeſſo probatus, in quo nimirum iudices ab Imperatore dati, petunt examinari, *Vtrum Concilium ſit Eccleſiaſticus conuentus Epiſcoporum qui ex occaſione in vrbe regia conuenirent.* Tryphon Epiſcopus Chii id iudicat, Anatolius Conſtantinopolitanus vſu & conſuetudine probat, in quam ſententiam nemine reclamante itum eſt, act. 5 Conc. *in actione Photii.* Eodem modo cauſa Meſſalianitarum ventilata eſt in Synodo à Siſinnio habita, quod patet ex Bibliotheca Photii num. 51. pag. 34. quibus exemplis abunde innoteſcit, Epiſcopos vel caſu fortuito concurrentes Concil. habuiſſe, in quibus enaſcentes de rebus fidei controuerſias tractarent, vel aliis de cauſis inuitatos ex accidenti alia attigiſſe: quod fieri ſolere in vrbe regia teſtatur Toletana VII. Synodus capite vltimo, in qua proinde ſtatuitur, *Epiſcopos Toletanæ ciuitatis conuicinos ſingulis per annum menſibus pro reuerentia principis, ac regiæ ſedis honore, debere commorari, & per conſequens, ſi neceſſitas exigeret potuiſſe ibidem cauſas, ſi quæ forent, Eccleſiaſticas ſimul*

terminare. Epiſcopos vero fortuito ita conuenientes comparat Hincmarus Remenſis inter capitula Caroli Calui, capitulo anni 869. *Quando Carolus Caluus in regno Lotharii coronatus eſt* cap. 4. animantibus omnibus quæ *inſtinctu Dei in arcam Noë ſignificantem Eccleſiæ vnitatem, nullo cogente conuenerunt.*

Quod ſi comitia Cleri Gallicani ſtata ſint, ac fixa, & ex conſuetudine conuocari ſolita auctoritate Regis, tacitoque ſaltem conſenſu Summi Pontificis, quorum celebratio à multo tempore vſurpata, cuiuſmodi ſunt iſta quorum auctoritatem vellicat citato loco Cellotius; eorum, inquam, eandem eſſe vel pene eandem auctoritatem quæ Conciliorum Nationalium dubitari non poteſt, quandoquidem ſuam auctoritatem reliqui Epiſcopi in aliquos à ſe miſſos tranſmittant, & hi cum ſint capaces iuriſdictionis acquirendæ, ſi quam ſufficientem auctoritatem non haberent, conſuetudine diuturna acquirere potuiſſent, quemadmodum innumeris prope canonibus probari poteſt.

CAPVT IX.

Errata Cellotii aduerſus membra Hierarchiſatæ (vt vocant) Hierarchiæ.

ARTICVLVS I.

Cellotius in veteres Monachos contumelioſus.

TAM liberalis non eſſet efferendis Monachorum encomiis Cellotius, niſi & in ſeipſum laudem hanc redundare ſentiret, quo fit vt cum nouos Monachos, quorum laudes ad ſe trahere poteſt, vel ſupra Angelorum cœtus efferat; veteres Anachoretas ad infimum belluarum ſtatum adiiciat, lib. 5. cap. 5. pag. 161. veteres Monachos; *horridos & imperitos* in margine adſcribit: In textu vero fuſius iis coloribus depingit, *conueniebant, in probatas haſce ſolitudines, homines ætate maturi, à militia crudi, ab officinis inculti, ab agris, & ſiluis pene ſemiferi, vt plurimum diuinarum æque ac ſæcularium literarum admodum imperiti.* Et cum me grauiter alibi reprehenderit, quod antiquos quoſdam Monachos hæreticos neceſſitate adactus nominaſſem, ipſe nulla neceſſitate, nulla cauſa impellente hæreticos ex ipſis quoſdam nominat. Sic enim pergit, *Doctor* HALLIER *laicos appellat bono ſenſu non male. Doſitheum illum vide ab aula vocatum, cui de religionis noſtræ myſteriis, de cultu animæ, de virtutum ſtudio, nihil vnquam aliud traditum fuerat, quam vnum, velle ſaluari. Specta ſubtiles illos, qui verba Chriſti ex Euangelio, qui non accipit crucem ſuam & ſequitur me, ſimpliciter intelligentes feciſſent ſibi cruces ligneas, eaſque iugiter humeris circumferentes, non ædificationem, ſed riſum cunctis inferebant. Quid dicam de Anthropomorphitarum hereſi totas Ægypti ſolitudines fœde peruagata, & contraria Theophili Patriarchæ ſcripta ſumma cum amaritudine pro ſimplicitatis errore ſuſcipientis.* Hæc ſi protuliſſem, *veri antiregularis character impreſſus* continuo audiſſem: ſed Cellotii auctoritas probata facit, quamuis in quibuſdā ad contumeliam amplificata: ſed minutias iſtas non perſequar, corpus accuſationis tango: hæreſim iſtorum Monachorum non excuſo, quia excuſari non poteſt maxime ob pertinaciam; nec ſimplicitatem quorumdam, quia laudabilis? Inſcitiam excuſo, quæ tanta non fuit, quanta deſcribitur nec vereor eos definitionum charitatis, & virtutum ignaros fateri: dummodo conſtet in earum actionibus ipſos fuiſſe exercitatiſſimos. Sed de intento Cellotii cum Cellotio diſputemus.

Non placet ei hocce Monachorum genus: ſolitudines non amat, idcircoque paulo ſuperius capite quarto, ſic ſuam de illorum inſtituto mentem aperuerat: *Eos tulit potius quam expreſſe probauit Eccleſia homines ſæculi faſtidio, & Dei amore incitatos contento ſtatim curſu in ſolitudinem ſe abſentes, vt ſanctum Paulum, vt primis annis ſanctum Antonium, & aulicos ab Auguſtino memoratos.* Imo & eiuſdem libri initio ferre non poteſt eos à quibus laudatur horrida illa, & ſylueſtris Ægyptiorum Monachorum Ana-

choreſis. Rides eos, *qui rapi ſe dicunt admirantes veterum Monachorum æuo obſitorum virtutes & inſtituta*, quique longos *Antoniis, Macariis, Pachomijs dicunt panegyricos.* Florentem iam Monachorum ſtatum cum Imperii Romani ſub Auguſto ſplendore, antiquorum vero Monachorum *incultam duritiem, & ſemiferos mores* cum rudibus & valde infirmis Imperii Romani incunabulis, *Quibus naſcens curia pellitos habuit, ruſtica corda, Patres, cum totum pene imperium ſuum ficu ruminali opacabant, & hoſticum ſolum è portis videbant.*

Suſpecta ſemper mihi eſt ea Theologia cui ſola placet nouitas, quæ perpetuo antiquitatis contemptu nititur, quæque *ad antiquitatem, ſine periculo reſpectari non poſſe* affirmat. Sed quod adhuc inconſtantem Cellotii animum hac in re præſertim arguit, illud eſt, quod vbi Regulares in Hierarchiam vult intrudere, totus fit ſemper in referendis veterum Patrum encomiis, quibus Anachoretas proſecuti ſunt, vt ea encomia ad ſui temporis Monachos trahat; cum tamen vbi agit de veteribus illis Monachis, mire ſemper eos deſpiciat, & à recentiorum perfectione toto cœlo remotos eſſe contendat lib. 9. cap. 3. præcipuum religioſi ſtatus Encomiaſtem nominat Chryſoſt. qui Hom. 9. in Math. ſic loquitur: *Si quis nunc ad Aegypti ſolitudines, veniat paradiſo prorſus videbit omnem illam eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cætus in corporibus fulgere mortalibus.* At Monachi illi Ægyptii, illi ipſi ſunt quos ſupra vidimus in belluarum ſtatum à Cellotio diſiectos, qui ipſi videbantur ſordidi, inculti, ſemiferi, imperiti, & ab Ecclecleſia tolerati potius, quam approbati.

Pergit Cellotius in recenſendis Chryſoſtomi elogiis, illudque ſe omittere non poſſe teſtatur *Antonium magnum Apoſtolorum ſimillimum*, à Chryſoſtomo nuncupatum fuiſſe, at ille ipſe eſt Antonius quem ſupra nominatim dicebat Cellotius ab Eccleſia toleratum potius quam approbatum: quemque inter eos recenſuerat, quorum encomiaſtæ ipſi diſplicebant: libri quoque 7. cap. 6. vt probet Monachos huiuſce temporis, *vaſa contumeliæ*, dici non poſſe, vrget S. Fulgentii teſtimonium ita Pelagianum hoc dictum inſectantis.

Quis vſque adeo diuinæ fidei & charitatis inimicus, vt Paulum, Antonium, Ioannem, Hilarium, Macarium, alioſque ſimilis vitæ Monachos, in quibus rectæ fidei veritas, & ſanctæ conuerſationis refulget integritas, vaſa contumeliæ non metuat appellare? At illi ipſi, quos beatus Fulgentius vaſa contumeliæ appellari prohibet, à Cellotio dicuntur *ſemiferi*.

Magdeburgenſes reprehendis, Ludouice, quod Monachos hominum monſtra execranda appellauerint; at ſane non video qui hominum monſtra non ſint, qui ſemiferi ſunt: Num iniquus es & ingratus? totam Monachorum tuorum laudem, à veterum illorum Anachoretarum encomiis mutuaris, quamque gloriam ab ipſis in tuos deriuare niteris, hanc ipſis omnino conaris eripere. Aut certe cauendum tibi eſt, ne tui te præuaricationis iuſtè accuſent, cum acriter in eos inueheris, à quibus totam Monachiſmi gloriam deduxiſti.

Quam longè ab iis diſceſſiſti quorum imitari modeſtiam, & iudicium ſequi debueras, qui nempe pene ſemiferos iſtos homines, tanquam perfectum exemplar Monachorum Patres & duces reliquis imitandos propoſuerunt, Athanaſius epiſt. *ad peregrinos Fratres, Optimum*, inquit, *Fratres iniiſtis certamen, aut æquari Aegypti Monachis, aut ſuperare nitentes virtutis inſtantia.* Et paulò poſt, *Etenim mihi ingens lucrum eſt atque vtilitas hoc ipſum quod recordor Antonii, & vos cum admiratione audientes ſcio eius propoſitum cupere ſectari: perfecta ſiquidem ad virtutem via, Antonium ſcire quis fuerit.* Et in fine vitæ Antonii, *Hunc itaque fratribus librum magnopere perlegere curate, vt agnita fideli vita ſublimium Chriſtianorum & Monachorum, ſciant quod Saluator noſter Ieſus Chriſtus glorificantes ſe glorificat*, &c. Hieronymus epiſt. 15. *ad Paulinum* cap. 5. *Nos autem habeamus propoſiti noſtri principes Paulos, Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios*, & epiſt. 29. *ad Euſtochium*, capite 16. *Huius vitæ auctor Paulus, illuſtrator Antonius, &, vt ad ſuperiora conſcendam, princeps Ioannes Baptiſta fuit.* In vita quoque Hilarionis, ſtatim initio obiectionem refellit Cellotii, *Qui olim detrahentes Paulo meo, nunc forte detrahent & Hilarionis illum ſolitudini calumniati, huic obiicientes frequentiam, vt qui ſemper latuit, non fuiſſe. Qui à multis viſus eſt vilis exiſtimetur. Fecerunt hoc & maiores eorum quondam Phariſæi, quibus nec Ioannis eremus, atque ieiunium, nec Domini Saluatoris turba, cibi potuſque placuere.* Auctor vitæ S. Pacomii cap. 1. *Erat per id tempus B. Antonii vita cunctis ad imitandum præclarè propoſita, qui magni*

Eliæ atque Eliſæi, necnon & ſancti Ioannis Baptiſtæ æmulator exiſtens, ſecreta interioris eremi ſtudio ſectatus eſt ſingulari, vitamque cæleſtium in terris geſſit amore virtutis. Ruffinus prologo de vitis Patrum, *Oſtendit nobis Deus mirabilia magna ad poſteritatis memoriam profutura, ex quibus non ſolùm nobis cauſa ſalutis curetur, verùm etiam ex hiſtoria exemplum ſalutis atque doctrina pietatis aptiſſima videretur.* Caſſianus in præfat. Inſtitut. loquens de Ægyptiacis & Palęſtinis Monaſteriis, *Non credens rationabilius quidpiam & perfectius Conſtitutionem nouellam in occiduis Galliarum partibus reperire potuiſſe, quàm illa ſint inſtituta, in quibus ab exordio prædicationis Catholicæ, à ſanctis ac ſpiritualibus Patribus fundata monaſteria ad nos vſque perdurant.* & lib. 2. Inſtitut. cap. 2. *Quapropter neceſſarium reor antiquiſſimorum Patrum proferre in medium conſtitutionem, quæ nunc per totam Ægyptum, à Dei famulis cuſtoditur: quo nouelli Monaſterij in Chriſto rudis infantia antiquiſſimorum potiùs Patrum vetuſtiſſimis inſtitutionibus imbuatur.* Cæteros non moror. Bernardum conſulo: hic epiſt. *ad Guillelmum Abbatem*, cap. 4. quod incipit, *dicitur*, Cellotio manifeſtè contradicit iis verbis, *Quis in principio, cùm ordo cœpit Monaſticus, ad tantam crederet Monachos inertiam deuenire. O quantum diſtamus ab his qui in diebus Antonij extitere Monachi!* &c. Et paulò pòſt, *Ridendas an lugendas dixerim eiuſmodi ineptias? ſic Macarius vixit? ſic Baſilius docuit? ſic Antonius inſtituit? ſic Patres in Ægypto conuerſati ſunt? ſic denique ſanctus Odo, Maiolus, Odilo, Hugo,* &c. Veterum & nouorum Monachorum comparationem eandem non grauatè ferre debent Monachi, quæ Epiſcoporum primorum ſæculorum & Nouitiorum, quæ fidelium primitiuæ Eccleſiæ & hodiernæ fieri ſolet: putà & corrupti progreſſu temporis fuerint mores, relaxata diſciplina, ſtatuum Eccleſiæ ſplendor imminutus fuerit; & vrgente ad exitum mundo Eccleſiæ quoque primæuæ color optimus immutetur, & ſtatus omnes detrimenti aliquid patiantur. Nam prouidentiæ diuinæ hic ordo fuit, vt in primis tam Monachis, quàm aliorum ordinum viris ſua dona cumulatiùs effunderet. Quem ordinem Scriptura ſacra oſtendit, quæ pręſtantiſſima quæque in ſuo genere *primitias* vocat: ſic Chriſtus vocatur *primitiæ dormientium*, 1. Cor. 15. & electi *primitiæ ex hominibus*, Apoc. 14. Vnde & Apoſtolus ad Rom. 8. cap. vbi docuit creaturam omnem ingemiſcere & parturire vſque adhuc, ſubdit, *Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi nos intra nos gemimus:* ac ſi diceret, & nos, qui primitias ſpiritus habemus, atque adeò ampliores gratias, grauati tamen corpore gemimus. Siue enim de omnibus regeneratis ſermo ibi ſit, vt interpretantur Chryſoſtomus, & alij Græci, Auguſtinus de peccatorum meritis cap. 7. & 8. & alij: ſiue de iis, qui primas Chriſtianæ religionis ſuſceperunt partes, vt Ambroſius epiſt. 22. exponit: ſiue de Apoſtolis, vt Sedulius, Anſelmus, D. Thomas & Origenes, qui priori interpretationi hanc etiam adiungit; colligitur certè eos, qui primitias ſpiritus habent, in quocumque ſtatu, diuinis in eo ſtatu gratiis perfectiſſimè cumulari. Quæ ad excellentiam Apoſtolorum oſtendendam argumentatio eſt S. Tho. 1. 2. q 106. a. 4. in corpore. Nec renuit Bernardus poſterioribus ſæculis Monaſtici quoque ordinis decrementa admittere, hom. *de duobus diſcipulis*, quâ Eccleſiæ tempora in tres dies ita diſpenſat, *Primus dies, quo crucifixus eſt Chriſtus, perſecutorum, & hæreticorum ſignificat tempus, qui primitiuam Eccleſiam tormentorum aſperitatibus vexauerunt, quæ caput eſt eius: ſecunda dies, quâ ſepultus fuit, tempus figurat hypocritarum, qui Chriſtum quaſi ſepultum in terra reputant, terrenis commodis & honoribus inhiantes, qui nullam niſi terrenæ facilitatis gloriam pro ſuis laboribus expectant. Super hæc omnia tertia dies eſt, in qua debemus aliud grauius periculum conſiderare, ſcilicet in falſis fratribus, & in hac tertia die Chriſtus debuerat reſurrexiſſe: quia putabamus his diebus vbique diffundi virtutem fidei, & per loca religioſa charitatis radios dilatari, vt poſt Oriones & Hyadas apparuerint interiora auſtri: ſed quia pene omnes declinauerunt, & adhuc in iniquitatibus ſuis Chriſtum crucifigunt: ſuper hæc omnia dolemus, quia tertia dies eſt, ex quo omnia facta ſunt.* hæc Bernardus. Certè priores duas Eccleſiæ ætates vidimus, primam, quæ eius in perſecutione vigentem ſtatum oſtendit: alteram, quæ diſciplinam pacis diſſolutione laxatam: tertiam timemus, quam ipſe minatur.

Quid verò obiicit in contrarium aduerſarius, niſi pluralitatem legum Religioſarum ſalubriter conſtitutarum: ſed legum ſemper pluralitas corrupti Reipubli-

cæ ſtatus indicium ſapientioribus politicis viſa eſt, ſicut pluralitas remediorum, morborum frequentiam arguit.

Antiquorum Monachorum nimirum & ſupra vires noſtras austeritatem obiectat: ſed hæc præcellentiam ipſorum ſatis oſtendit, quem aſſequi non poſſumus: taliaque ſolent eſſe perfectiſſima exemplaria, vt eorum perfectionem quantumque nitaris, nunquam aſſequi poſſis. Neque enim, verbi gratia, definit nobis Deus ipſe, ſeu pater cœleſtis, ad imitandum proponi à Chriſto dum ait, *Eſtote ſancti, ſicut & Pater veſter ſanctus eſt*; quamuis ab eius ſanctitate creatura quæuis infinito diſtet interuallo.

Recte vero de Ægyptiorum Monaſteriorum ſeueritate, eorum quæ per Palæſtinam & Meſopotamiam erant inſtitutis temperatâ, loquens Caſſianus in *præfatione*, ſui temporis Monachos conſolatur, *Quia ſi rationabilis poſſibilium menſura ſeruetur, eadem obſeruantiæ perfectio eſt in impari facultate*: Non ergo Monaſtica prima inſtituta accurate in omnibus ſeruari volumus, ſed negligi nolumus, ſed omnibus admirationi & reuerentiæ eſſe volumus, vt ex iis quiſque decerpat, quod pro viribus ſuis, & diuinæ gratiæ modulo potuerit; ſuſpiciat quod imitari non potuerit. Sed nouitatis amans Cellotius & illa negligit, quæ ſectari vel non poteſt, vel non audet, & noua longe illis inferiora præfert, eodem ſcilicet animo, quo pag. 140. & 141. & 845. periculoſum illud effatum adducit, *Periculoſum ad vetera prouocare*: & lib. 8. c. 16. pag. 714. initio, *quæ circa mores homine Chriſtiano dignos, à nouitiis ſcriptoribus peti* iubet: quaſi vero mores homine Chriſtiano dignos, ac proinde Chriſtianæ legis vel principia, vel concluſiones, aut introſpiciant, melius a, ut de iis ſanctius nouitii Doctores quam antiqui Patres, & in margine vniuerſim ſcribit, *Doctrina morum à recentioribus ſumenda*. Eodem animo quo nec ſanctos Monaſtici ſtatus Patres negligere & contemptim tractare reformidauit, dum pag. 322. S. Paulino Nolano pag. 945. Baſilio non pepercit, & pag. 406. in Bernardi criminationem aliqua effutit: imo & criminatur eius zelum quem Deus miraculo comprobauit. Sed hæc obiter tantum attingo, quia ad Hierarchiam non ſpectant.

ARTICVLVS II.

Cellotius in ſtatum laicorum contumelioſus.

NON abs re ſane lib. 7. cap. 6. Monachos vocat Cellotius Chriſtianæ legis Phariſæos, quos ſcilicet ad Phariſaicam arrogantiam ita conatur euehere, vt cæteros omnes Phariſaico ſupercilio deſpicianr, ſeque ſolos ad perfectionem acquirendam vocatos, dum reliqui ſordibus conſepulti iacent, audacter aſſeuerat. Parcerem libenter, ſi regulares omnes ad ſummam vocaret perfectionem, iactaret etiam ipſorum priuilegia, merita exaggeraret, pietatem & auſteram agendi rationem commendaret; ſed quis ferat eum non alia ratione Regulares ad Chriſtianam perfectionem incitari poſſe arbitrari, quam ſi ab ea arceantur ſæculares? quis ferat verum hunc Chriſtianæ legis Phariſæum libro 7. capite 4. paragrapho primo, generatim pronunciantem, *Nullo non ſæculo communem fuiſſe omnium ſenſum, Chriſtianæ perfectionis ſtudium Monachis ſolis competere.*

Eſto, Celloti, Chriſtianæ perfectionis ſtudium Monachis competat, ſed cur ſolis competat? quaſi vero quod Math. 5. Chriſtus imperat: *Eſtote ergo vos perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*, ad ſolos ſpectet Monachos: cum è contra certum ſit inimicorum dilectionem de qua hic ſermo eſt, non Monachis ſolum, ſed etiam quibuſcumque Chriſtianis præcipi. Num audis Chriſtum contra Phariſaicam hanc arrogantiam fulminantem Matthæi vigeſimo tertio, *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, hypocritæ*, quia *clauditis regnum cœlorum ante homines.*

Quid eſt enim aliud claudere regnum cœlorum ante homines, quam laicos omnes à Chriſtianæ perfectionis ſtudio generatim arcere? ſed caue ne *ſuperbis reſiſtat Deus, humilibus autem det gratiam*: ne conſequentia etiam in te verba retorqueantur, *vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare.*

An forte non idem laicorum Deus eſt, qui Regularium? cur tantum apud eum

fingis laici à Regulari differentiam, *apud quem non eſt diſtinctio Iudæi & Græci.* Quam abhorret inſolens hæc iactantia à zelo Pauli, qui ſcribens ad Coloſſ. cap. 1. tantum abeſt vt dicat ad ſolos Monachos Chriſtianæ perfectionis ſtudium pertinere: quin potius deſcribit Apoſtolos, *omnes corripientes, omnem hominem in omni ſapientia, vt*, inquit, *exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu.* An forte cùm idem Apoſtolus ſcriberet ad Corinthios, ſolos alloquitur Monachos cum 1. epiſt. cap. 1. & cap. 14. inculcat, *vt ſint omnes perfecti ſenſibus*, rurſuſque poſteriorem epiſt. his verbis concludit, *de cætero fratres, gaudete, perfecti eſtote?* an forte Monachi omnes erant Epheſii? an iterum eam quam ad ipſos ſcribit epiſtolam his quoq; verbis concludẽs Monachos illos omnes fuiſſe ſomniat, *propterea accipite armaturam fidei, vt poſſitis in omnibus perfecti ſtare:* præſertim ſi verum eſt, quod de antiquis Monachis dixiſſe Cellotium notauimus illos toleratos tantum fuiſſe, nondum probatos.

Certe ex his omnibus Apoſtoli teſtimoniis eleganter deducit Chryſoſtomus Chriſtianæ perfectionis ſtudium non ad Monachos ſolos, ſed ad omnes omnino Chriſtianos pertinere. Nam Hom. 7. in epiſt. ad Hebræos, ex eo, quòd Apoſtolus vniuerſim doceat neminem eſſe qui non teneatur ad labores, lectiones, vigilias, & ieiunia ad edomandam carnis concupiſcentiam, generatim quoque infert S. Doctor præceptum hoc non ad Monachos ſolum, ſed ad quoſcumque Chriſtianos pertinere: ac vt omnem Cellotio euadendi viam præcluderet ipſe ſibi ſæcularium nomine obiicit: *cur autem hæc nobis dicis, qui non ſumus Monachi?* Quid ad hanc obiectionem Chryſoſtomus: An forte vt ſæcularium intemperantiam foueat, reſpondebit cum Cellotio Chriſtianæ perfectionis ſtudium ſolis Monachis conuenire.

Alia ſane mens eſt ſancti Doctoris. *Hæc mihi dicis*, inquit, *dic Paulo, cum dicit, vigilantes in omni patientia, & oratione, cùm dicit carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis: non enim hoc ſolum ſcripſit Monachis, ſed omnibus qui erant in vrbibus.* Quid contra Cellotium expreſſius dici poteſt: & tamen quis non miretur eum tam aperta verba ad ſenſum ſuum detorquere conari.

Primum, inquit, iſta quam recenſet Chryſoſtomus, ſæcularium obiectio, is loquendi modus, *Qui, quæ Dei gratia eſt, modus adhuc ſentiendi & loquendi apud ſæculares tum Clericos, tum laicos perſeuerat, oſtendit nullo non ſæculo*, &c.

Ergone, Celloti, ea eſt Dei gratia, quod peruerſus ille loquendi, ac ſentiendi modus apud ſæculares perſeuerat? ſiccine diuinæ gratiæ tribuendum putas, quod laici ſe à carnis domandæ obligatione ſolutos exiſtiment? ſiccine laicorum intemperantiam in Deum refundis, vt Monachorum dignitatem extollas?

Addis poſtea Apoſtolum hæcce quidem non ſolis imperaſſe Monachis, cùm tempore Apoſtolorum Chriſtiani omnes Monachi dici poſſent: iam verò aliud ſane futurum S. Pauli iudicium, quæ ſanè ſententia Chryſoſtomo plane aduerſatur: nam certum eſt Chryſoſtomi tempore Chriſtianos omnes dici non potuiſſe Monachos: & tamen Chryſoſtomus vult hæc verba etiam ſuo tempore non de Monachis ſolùm, ſed etiam de omnibus plane Chriſtianis intelligenda eſſe.

Sed te ipſum audiamus. *Diceret*, inquit, *nunc Paulus illa ſe Chriſtianis ſcripſiſſe qui primitias ſpiritus acceperant, qui ſancti & vocabantur & erant, qui facultates ſuas ad pedes Apoſtolorum abiiciebant, forma futurorum Monachorum, & primi ſub Apoſtolis religioſi, quibus ſæculum erat pro Monaſterio, Euangelium pro regula.*

Sagacior itaque tu Chryſoſtomo ad aſſequendum Apoſtoli ſenſum; nam quicquid dicat Chryſoſtomus, ſi iam Cellotium audiret Apoſtolus, *diceret nunc Paulus*; quique ad tyrannorum minas manſit immobilis, ad tanti aduerſarii conſpectum ſuam mutaret ſententiam.

Sed quis putet nefandum hoc, & impium dogma ab Apoſtoli ore proficiſci poſſe? *ſolos veteres Chriſtianos aut Monachos*, non vero ſingulos ſæculares hortandos eſſe, vt vigilent in omni patientia, & oratione, vt carnis curam ne faciant in concupiſcentiis; quaſi verò quia iam Chriſtianorum ardor tepeſcit, vigiliis ideo & orationi minus vacare debeant, cum è contra ægris potius quàm bene habentibus remedia neceſſaria ſint, quaſi verò ſolis veteribus Chriſtianis, quia Monachorum formam gerebant prohibitum fuerit conſentire concupiſcentiæ, vt hæc Apoſtoli verba, *carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis*, ad eos ſolos pertineant.

Addi poſſet & in hoc valde hallucinari aduerſarium, quod exiſtimet Chriſtianos ad quos ſcribit Apoſtolus, Monachorum ideò formam præ ſe tuliſſe, quòd facultates ſuas ad pedes Apoſtolorum abiicerent, cum è contrà doceat ſanctus Auguſtinus in expoſitione Epiſt. ad Gal. quia *nullæ id præſtiterunt gentium Eccleſiæ*: non ad Iudæos autem, ſed ad gentes verba iſta ſcripſit Apoſtolus. Sed illud omitti non poteſt, quod velit verba hæc Apoſtoli ad eos ſolos dirigi Chriſtianos, quibus *ſæculum erat pro Monaſterio, Euangelium pro regula*: quaſi vero aliquis eſſe poſſit verus Chriſtianus cui non ſæculum *pro Monaſterio, Euangelium eſſe debeat pro regula*: quaſi vero vel ipſi Presbyteri, & Epiſcopi, quos ſæculares vocat Cellotius, non habeant Euangelium pro regulâ, ſoliſque Monachis conſcriptum ſit Chriſti Euangelium.

Pergit Cellotius & ad vberiorem non tam ſenſus Apoſtolici, quam mentis ſuæ explicationem ſubjungit, *omnibus igitur illis ſcripſiſſe non Monachis, quia omnes pro Monachis & ſanctis habebantur*, quaſi verò pro ſanctis haberi non potuiſſent, niſi & pro Monachis haberentur: *te peſcente autem*, inquit, *illo ſanctitatis ardore duas in partes diſceſſiſſe Chriſtianos, ſæculares & Monachos; illos multis vitiis legem Euangelicam commaculaſſe, hos fugientem eius integritatem retinuiſſe in ſtatu perfectionis acquirendæ poſitos, eorum imitatores quibus priora illa ſcribebat Apoſtolus.*

Quis non miretur huius ſententiæ arrogantiam, perpetuumque ſtatus ſæcularis contemptum? quâ fronte pronuntiare poteſt Monachus ita Chriſtianos in duas partes diſceſſiſſe, vt ſæcularibus proprium ſit multis vitiis legem Euangelicam commaculare: Monachis vero fugientem eius integritatem retinere: quaſi nullus ſit ſæcularis, qui perditus non ſit & vitiis deditus, vel etiam nullus ſit Monachus, qui legem Euangelicam vitiis commaculet. *Inexcuſabilis es, ô homo omnis qui iudicas, in quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas.*

Sed eſto ſæculares omnes legem Euangelicam commaculent: quid hoc ad tuum propoſitum? an ideo eos Apoſtolus hortari non debet, *vt vigilent in omni patientia, & labore: vt carnis curam nè faciant in concupiſcentiis*, quia vitiis dediti ſunt? an ideo ab hac obligatione ſolutos putas laïcos, eo quòd multis vitiis legem Euangelicam commaculent? putaſne quemquam per flagitia ius acquirere à Chriſtianæ vitæ norma impune deuiandi? putaſne Apoſtolum moralem quorumdam recentem Theologiam inſequutum, vt ſæcularium abuſus in leges vertat, idque licere putes quodcumque vulgo placet: alia ſane mens eſt Apoſtoli: qui vbi vulgaria Ethnicorum ſcelera recenſuit, ſubiungit illico, *qui talia agunt digni ſunt morte: non ſolum, qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Quid eſt enim aliud conſentire peccantibus quàm ſæculares omnes à vigiliarum laboribus, ieiuniorum, cæterarumque ad virtutem adiumentorum obligatione ſolutos eſſe exiſtimare, ex eo quòd legem Euangelicam pluribus vitiis commaculent?

Non mediocriter errat Cellotius dum lib. 9. cap. 16. pag. 920. *initio*, vt conſtantiſſimum ponit, *verba, abrenuntio, volo, credo, promiſſionem ſtrictam non importare*: quod *ſuſceptor puerum neſcientem in baptiſmo voto ſuo obligare non poſſit.* Semper enim credidit Eccleſia ſtrictiſſime ſeruari debere fidem à baptiſatis, quam non ſuo, ſed ore ſuſceptorum profeſſi ſunt. *Ipſis quod in baptiſmo ſunt polliciti ſummopere eſt attendendum, ne infideles ſed fideles inueniantur*, inquit Victor Papa apud Gratianũ can. 22. *de conſecrat.* diſtinct. 3. Sed quis infidelitatis crimini obnoxius foret, niſi aliquâ eaque perfectâ obligatione necteretur? eam ob rationem ſancti Patres abrenunciationem illam Sathanæ, quam emittunt nomine baptiſatorum ſuſceptores, *ſponſionis*, ac *pacti* titulis commendant, quam ſponſionem & pactum violari ſiue ex toto per hæreſim, & ſchiſma, ſiue ex parte per peccata, quæ à Diuo Paulo opera diaboli vocantur, homicidia, adulteria, ebrietates, communi conſenſu prædicant, &c. *Omnes qui Chriſtianitatem ſuſcepiſtis, & à Chriſto vocabulum Chriſtiani aſſumpſiſtis, ne in aliquo Chriſtianitatē veſtram irritã faciatis: ſed ſponſationem, quam Domino in Baptiſmo feciſtis, firmiter teneatis, ne reprobi, ſed condigni coram eo inueniamini*, inquit Vrbanus Epiſt. vnica circa finem: quibus verbis teſtatur totius vitæ Chriſtianæ fundamentum, ab illa, quam emittunt, ſponſione fidei pendere; nec niſi in contemptum Chriſtiani nominis poſſe baptiſatum dici ſui iuris eſſe, non Chriſto ſuâ vel alienâ promiſſione obſtrictum. Quam veritatem tanti fecit Synodus Pariſiis habita ſub Ludouico ac Lothario, vt *non vnius, ſed duarum ſponſionum*

Digitized by Google

vinculis obligari Chriſtianum quemlibet diſtinctè aſſerat lib. 1. cap. 9. *conſtat*, inquit *vnumquemque fidelem Deo in baptiſmate, duarum pactionum nexibus ſe obligare; altera qua abrenuntiare diabolo, & omnibus operibus eius, & pompis eius, altera qua ſe in Patrē & Filiū, ac Spiritum ſanctum credere profitetur, vnde etiam ſub eiuſdem ſanctæ Trinitatis inuocatione baptiſmatis gratiam conſequitur.* Quæ omnia eludere velle allata impropriæ obligationis, ac propriæ differentia, illudere eſt: præſertim cùm eadem Synodus cap. ſequenti promiſſionem iſtam quæ in baptiſmo Deo vouetur, etiam ab infantibus (de his enim præſertim loquitur cùm baptiſatos ſuo tempore omnes fere fuiſſe infantes ipſa teſtetur cap. 16.) *humanis conuentionibus* præferat. *Verùm*, inquit, *ſi iura humanæ pactionis firmiter conſeruantur, fixius tamen, atque feruentius iura tanti pacti, quæ cum Deo facta ſunt, inuiolabiliter ſunt obſeruanda.* Vnde & cap. 9. citato. *Valde*, inquit, *periculoſum eſt, & à religione Chriſtiana alienum, quod poſt tanti doni perceptionem vnusquiſque fidelis cùm ad intelligibilem ætatem venit, myſterium baptiſmatis ſcire, atque intelligere negligit.*

Putaſne, Celloti, promiſſionem non eſſe ſtrictam, quam deſertam, apoſtaſiæ, violatā ſacrilegii reos nos facere teſtatur idem Concilium cap. 9. & 10. Turonenſe ſub Carolo can. 18. Moguntinum ſub Rabano cap. 3. Aquiſgranenſe cap. 114.

Putaſne circumciſionis potiorem eſſe rationem quàm baptiſmi? at in circumciſione ab infantibus pactum legis ſeruandæ initum cum Deo ſcripturæ teſtantur, quæ *ſignum fœderis*, & pactum illam vocant, Gen. 17. & ad Romanos 4. & de circumciſione aſſerit Paulus ad Gal. 5. *teſtificor autem rurſus homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ:* quanto magis ergo qui baptiſatur etiam paruulus diuinæ poſitiuæ legis faciendæ debitor, & ad Chriſtianæ religionis officia explenda, promiſſionis in baptiſmo per ſe vel ſuſceptores editæ vi obſtrictus tenetur? quantò ſalubrius enim eſt legi gratiæ baptizatum illigari, quam olim circumciſum legi Moſaicæ? cur putas infidelium liberos inuitis parentibus Gregorius lib. 11. Epiſtola 15. & lib. 2. epiſt. 52. & Tolet. 4. Synodus can. 56. quorum Canones apud Gratian. habentur c. *qui ſincera* 45. diſt. & can. *de Iudæis* eadem Clemens 3. cap. *ſicut Iudæi, de Iudæis, & Sarracenis*, baptiſari probibuerunt, niſi quia promiſſæ ab iis ſponſionis, & ſuſceptæ obligationis violationem timuerunt?

Nec abſurdum magis eſt vt infantes aliena ſponſione religionis Chriſtianæ officiis ſibi vtiliſſimis futuris innectantur, quàm quòd aliena voluntate perierint, & aliena fide credant, & aliena ſanctitate iuſtificentur. Vide ad huius argumenti illuſtrationem Auguſtinum lib. 1. *de peccatorum meritis, & remiſſ.* cap. 9. & 25. Smaragdum in explicatione Epiſt. *de Sabbato Pentecoſtes*, & alios. Quomodo verò etiam paruulos alloquatur Eccleſia, & eorum nomine fideiuſſores ſatanæ abrenuntient, diſcere poteris à magno Hierarchiæ Magiſtro cap. 7. Eccl. Hierarchiæ.

ARTICVLVS III.

Cellotius in ſtatum pœnitentium contumelioſus.

PArum eſſet Cellotio ſæculares omnes vbique malè deſpicere, niſi & Regulares ſupra modum attolleret. Phariſæis Monachos libenter comparat, & certè Phariſæi ſunt, à voce *phares*, quæ ſeparatum ſignificat teſte Epiphanio Hæreſi 17. numero 1. ac Phariſæos nobis illos exhibet, charactere iſto conſpicuos quo illos paſſim Chriſti Euangelium inuſſit: vt dum Lucæ 18. ita loquentes inducit, *non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus, ieiuno bis in ſabbato*, tantum enim abeſt, vt Monachos cum eo Publicano conferri patiatur, *qui à longe ſtans nolebat nec oculos ad cælum leuare: ſed percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori:* quin potius diabolicam doctrinam audacter appellet, quod dixerat Aurelius ſecundùm Patres, Regularem ſtatum quendam eſſe pœnitentiæ ſtatum, abhorrēs ab hoc pœnitentiæ nomine: & puerili, ac grāmaticâ quadam animaduerſione notat illâ pagina quæ beſtiæ numero ſignatur, rem eam quam à ſolâ beſtiâ potuit accipere, expreſſam eſſe: ferre non poteſt; quod ego ex S. Hieronymo protuleram, monachos

eſſe

eſſe pœnitentibus annumeratos, & quaſi Monachus in eo perfectionis ſtatu collocatus eſſet, in quo eum dedeceret pœnitentia, monachalem ordinem non pœnitentiam, ſed ſanctorum Monachotum ordinem vult appellari, adeoqne quod inſolentiſſimę eſt arrotiæ, ſi quando pœnitentiam agant vult eos non tam de ſuis quàm de alienis peccatis pœnitentiam agere, quis hoc credat niſi ipſummet Cellotium audiat: *Chriſti*, inquit lib. 7. cap. 6. §. 1. *figuram Monachus exprimens graphicè nobis apparet ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & pœnitentibus, vt Chriſtianæ Religionis Phariſæus qui non habet neceſſitatem quotidie prius pro ſuis delictis hoſtiam offerre, & Deo, hominibuſque ſupplicare: hoc enim fecit ſeipſum offerendo, & in Dei familiam inter therapeutas tradendo.*

Deus bone, quis credat Monachos neceſſitatem non habere quotidie priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre? quid arrogantius poſſet dicere non Chriſtianæ, ſed Iudaïcæ legis Phariſæus, *Si dixerimus*, inquit Ioan. epiſt. 1. cap. 1. *quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* An forte ſanctiores Ioanne Chriſti *diſcipulo quem diligebat Ieſus* Monachi, vt dicant ſe à peccatoribus ſeparatos, nec pro ſuis delictis hoſtiam offerendi neceſſitatem habere, *nullus mundus eſt à ſorde*, Iob. 25. *nec eſt homo qui non peccet*, 2. Reg. 8. ſolus Monachus ſanctus eſt, innocens, impollutus.

Sed quis ferat blaſphemam illam Monachi cum Chriſto collationem, vt Monachus Chriſti figurã exprimat, quod cùm ſit in ſe ſanctus, innocens, impollutus, pro aliis hominibus ſatiſfaciat, cùm priùs pro ſuis delictis hoſtiam offerendi neceſſitatem non habeat, quam expreſſius adhuc repetit §. 2. pag. 588. vbi inter alia quæ profert Monaſticæ pœnitentiæ ab Eccleſiaſtica, diſcrimina, quarũ ĩiis verbis exprimitur in margine *religioſi pro aliorum culpis Deo ſatisfaciunt*, quod in textu ita exponit, *ipſo fine diſcriminantur* (ſcilicet pœnitentia Eccleſiaſticâ & Monaſticâ) *ſi quidem pœnitens ab Eccleſia pœne adducitur, vt ſuis propriis peccatis veniam emereatur: at religioſus non ſuis tantum, ſed maxime alienis ſatisfactionem impendit ſuam*, & quia non ipſi ſufficit aſſerere Monaſticam hanc pœnitentiam in Iobo delineatam fuiſſe, *Parum hoc erat*, inquit, *niſi & eam in archetypo innocentiæ Chriſto Domino conſecraret, qui ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.*

Sed quid eſt, cur tanto ſtudio pœnitentium nomen à Monachis amoueat Cellotius: *Quia*, inquit, *pœnitentes vaſa contumeliæ in Eccleſia poſſunt appellari.* Certe non aliunde quàm ab Apoſtolo vaſorum in honorem, & contumeliam acceptionem deſumpſit Eccleſia. Cum autem duobus ſolum locis eiuſmodi vaſorum mentionem faciat Apoſtolus nimirum ad Rom. 9. & 2. Tim. 2. non video quomodo ex his locis eruere poſſit Cellotius pœnitentes eſſe vaſa contumeliæ: priori loco certum eſt Apoſtolum agere de prædeſtinatione, ſiue ea ſit ad gloriam, ſiue ea ſit ad gratiam: ac ſic per vaſa in honorem prædeſtinatos, per vaſa vero in contumeliam reprobos intelligit. Quis autem pœnitentes omnes inter reprobos annumerare audeat, vt eos per vaſa contumeliæ intelligat? quid apud S. Auguſt. communius eſt, quàm donum pœnitentiæ magnum eſſe prædeſtinationis argumentum? An forte inter prædeſtinatos annumerandus non erat Dauid, dum tam ſeueram agebat pœnitentiam? an forte inter vaſa contumeliæ cum reprobis reponendum putas Magdalenam pœnitentium Ideam? Quod ſi poſteriorem S. Pauli locum conſulamus, vbi explicat quænam ſint vaſa in contumeliam: quam apertius adhuc ab hoc numero pœnitentes explodit? *In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam, ſi quis ergo ſe emundauerit erit vas in honorem.* Audis Celloti eos inter vaſa honoris reponi ab Apoſtolo, qui ſe emundant: qui autem ſe verius emundare dici poſſunt quam pœnitentes? cur ergo eos non honoris vaſa, ſed contumelioſos appellas?

Sed quid eſt, cur qui tam magnificè de Monachorum pœnitentia loquitur, tam mirifice ſæcularium pœnitentiam deſpiciat: *Eccleſiaſtica*, inquit §. 2. *pœnitentia vulnus eſt, cum curatur cicatricem imprimit, medicata potio eſt, ſanitatem quam facit, deterit.*

Vnde noua hæc Theologia ſanitatem ſpiritalem pœnitentiâ deteri? Excuſauerant ſe delicati à pœnitentiæ auſteritate, quod ſanitati corporis detrimentum inferret: vlterius progreditur Cellotius, & quam mundani volunt ſanitati corporeæ aduerſari, ipſe audacter aſſerit etiam ſanitati ſpiritali detrimentum inferre. Nam ſi quæramus ab eo cuius ſanitatem facit pœnitentia? reſpondebit, animæ: at eam ſanitatem deterere, ait, quam facit: animæ ergo ſanitatem deterit pœnitentia.

Itane *ſanitatem animæ deterit pœnitentia*? Vox iſta eſt Catholici? vox Doctoris Euan-

gelici? at hanc primam ſententiam, *pœnitentiam agite*, habuit in ore præcurſor Chriſti, Matt.3. hanc primam inquirentibus ſalutis viam in prima ſua concione propoſuit Petr. Act.2. hanc, inquam, pœnitentiam ſcilicet conſulerent quæ animæ ſalutem deterit? detritam quidem peccato ſanitatem ſupponit pœnitentia, ſed ipſam animæ ſanitatem eam atterere ſine grandi crimine dici non poteſt.

Neque minus pœnitentiæ, & pænitentium ordini iniurius eſt Cellotius: dum lib.7. cap.6. §.3. pag. 591. verbis potiſſimum iſtis, *Sane ſi Tertulliani & S. Cypriani lapſos, & pœnitentes volumus recordari, reperimus ſuſceptam ab illis pœnitentiam fuiſſe, vt loquuntur, inuoluntariam ſimpliciter, voluntariam autem ſecundum quid, quatenus alia ratio nulla ſupererat perſoluendæ pœnæ, & ſalutis aſſequendæ.*

Quæ verba cum à nobis lib.3. examinata fuerint, ideo breuiter duntaxat te admoneo, Ludouice, pænitentiam male inuoluntariam dici, eam præſertim quæ ex voluntate ſalutis obtinendæ procedit, non ex ſolo metu gehennæ. Nam ea quæ ex voluntate & amore finis amplectimur, inuoluntaria nullatenus dici poſſunt, licet dura, & aſpera.

Secundò, inuoluntariam ſimpliciter non eſſe pænitentiam etiamſi ex metu gehennæ ſuſciperetur, vt à nobis lib. cit. probatum eſt.

Tertiò, ſtatus pænitentium fundamentum à te deſtrui: nam pænitentia, quæ huius ordinis fundamentum habetur, ita neceſſaria eſt, vt nulla alia ratio ſuperſit ſalutis aſſequendæ, quàm eius à Sacerdote impoſitæ perſolutio: hanc verò pænitentiam reſpuis, tanquam minimè bonam. *Nullum quippe bonum niſi voluntarium*, vt paucis poſtea lineis ſubiungis: atqui pænitentia iſta ex te non voluntaria, ſed inuoluntaria ſimpliciter, cuius nulla ratio non implendæ occurrit niſi cum diſpendio ſalutis. Ergo ex te pænitentia quæ ſtatum pænitentiæ conſtituit non eſt bona. Nonne hoc eſt fundamentum totius ordinis pænitentium euertere? ac proinde ordinem iſtum purgandorum, quem ſtatuit Dionyſius omnino deſtruere?

Quartò, videri à te pænitentiæ à Sacerdote impoſitæ virtuti ac merito multum detrahi, & voluntariam præferri: quia prioris non autem poſterioris explendæ neceſſitas incumbit pænitenti; cùm è contra omnes Theologi, Patres, Canones voluntariæ præferant, quia & à Sacramento virtutem accipit ampliorem, & ab obedientia Chriſto, ac eius vicario exhibita dignitatem maiorem accepit, & valorem.

Quintò denique, pænitentibus quoque tempore Tertull. & Cypr. 2. ſcilicet & 3. ſæculo, quæ ſanctiſſima, & feruentiſſima fuere, in quibus in Deum irretortis magis & oculis & purioribus fideles intendebant te iniuriam inferre, quia nempe Tertulliani & Cypriani lapſos, & pænitentes ſuſcepiſſe affirmas pænitentiam inuoluntariè, quatenus alia ratio nulla ſupererat perſoluendæ pœnæ, & ſalutis aſſequendæ: quaſi vero non Deo ſatisfacere geſtierint propter Deum, non propter illum duriora quæque ſubire parati fuerint, qui quotidie ad Martyrium ſeſe præparabant; quorum plures optabant cum Apoſtolo anteà ex ignorantia lapſo anathema eſſe pro fratribus.

Plura in hanc rem non congero, non exaggero, nam nec limites operis de Hierarchia prætergredi, nec modeſtiæ fines, aut Charitatis tranſilire placet.

Non dubito Celloti, quin in iſtis, quæ ex pluribus pauca erratorum tuorum ſpecimina notaui, colligendis, charitatis me ac modeſtiæ leges violaſſe conqueſturus ſis; ſed doce violaſſe, ſi non vltionis deſiderio, ſed emendationis fraternæ ſtudio te corripui: ſi perſonam tuam, quæ ſane mihi venerationi eſt, non læſi, ſi tu viciſſim eodem modo me tractaueris, nec tibi de me, nec mihi de te conqueri licet: nam ait Chriſtus Matth. 15. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi autem te audierit lucraris fratrem tuum.* Ex quibus verbis ita argumentatur Auguſtinus ſerm. 16. *de verbis Domini*, tom. 10. *ergo propter illum fac, vt lucreris illum; ſic faciendo lucraris, niſi feciſſes perierat.* Hæc profectò corripientis debet eſſe intentio, vt fratrem lucretur, non vt perdat. Quomodo autem lucrari poſſumus, niſi & mali cuius contagione tenetur peſtilentiam oſtendamus, & amicos nos ipſi exhibeamus, vt, non ab inimico conuitium, ſed beneficium accipere ſe geſtiat? Iterum proteſtor Celloti, & ſincerè proteſtor, ſi perſonæ tuæ, vel leuem maculam meditatò inuſſi, habe me pro Antiregulari, vt vocas, ſi vero quidpiam per iniuriam excidit, quod inurere potuerit, habe me pro imprudenti: paratum me crede, qui quācumq; huiuſmodi labem, vel cōtrariā profeſſione, vel etiā lachrymis, ſi venerandā tuam canitiem deſtinatā conſperſione fœdauerim, continuò monitus eluam.

Digitized by Google

Ac ſi doctrinam, tuam quam Summus Pontifex, quam Epiſcopi Galliæ, quam Facultas Theologiæ Pariſienſis damnauerunt, quam tu ipſe in pluribus minus ſanam agnouiſti, acrioribus quam velles, nonnunquam aculeis confodere tibi videar: in iniuriam tuam id factum non iudica: charitatis aut modeſtiæ regulas noli credere in aliquo temeratas. Illas violaſſe te nolim dicere, quia pietatem tuam profeſſio tua indicat, & viri boni teſtantur.

Sed auſim dicere non eum me eſſe, quem depinxiſti: hanc à me proteſtationem famæ meæ cura, honor ordinis Theologici in quem cooptatus, profeſſionis Theologicæ ad quam diuerſi generis bis communibus ſuffragiis electus, officiorum Eccleſiaſticorum, quibus, deligentibus & probantibus bonis functus, ac Cleri totius Gallicani ſcripta mea approbantis reuerentia poſtulant. Finxiſti me antiregularem, *odij cauſas ſilentio te*, obuoluere ſimulaſti, *ne morum diſciplinam læderes*, ea profeſſione manifeſte lædens: ſparſim conuitia in me meamque fortunam, & perſonam iactaſti, falsò plura à me dicta non dicta ſuppoſuiſti, verborum ſenſum corrupiſti, vt reprehenderes. Nec tamen contra charitatem peccaſſe te, vel contra modeſtiam audeo dicere, ne charitatem perdam, aut modeſtiam.

In te deſcendas frater, & vide num conquerendi de te iuſta fuerit occaſio: arbitrum te, iudicemque tui conſtituo: vbi de te recte iudicaueris, iam meorum dictorum iudicem te non refugiam. Interim ſi quæ ad te toto iſto opere pertinent legere non pigeat, iuuabũt iſta ad ſecundam editionem quam paras, non quidem auctiorem, ſed correctiorem in publicum emittendam. Neque tamen perſuaſum habeas, tibi tantum obelis eſſe configenda quæ obſeruaui, innumera ſuperſunt, quorum aliqua ſequenti tomo, alia vero aliis forte, quos publici iuri facturus ſum, adnotabo, ſed ſupreſſo, quantum fieri poterit, tuo nomine: nam ſicut veritatem Chriſtianam, & vnitatem Eccleſiæ, ac diſciplinam nunquam defendendo ſeneſcere glorioſum: ita Catholicæ communionis ſcriptorem ſemel lapſum ad mortem vſque laceſſere inhoneſtum duco.

Laudabo te, ſi quam incepiſti emendationem tui libri ſedulò perficias, vel ſuppreſſionem eius exoptes: ſi hoc facere renueris, in cæteris ingenii, bonorumque operum tuorum, quæ multa, & magna eſſe dicuntur, fructibus laudabo te, in pertinacia iſta, vel pudore, qui ſenem haud decet, confitendi errorem non te laudabo. Etſi enim, vt ait Auguſt. lib. 3. *de anima, & eius origine, ad Vincentium Victorem* cap. vlt. *Non eos*, quos publici iuris feciſti, *libros edere debuiſti: maiore tamen & veriore gloria quiſque correctus, ſua confeſſione reprehenditur, quam cuiuſlibet errantis ore laudatur.* Sed ne me de tuo periculo nimis anxium, de meo minus ſollicitum dicere poſſis, accipe hanc de me ingenuam & candidam profeſſionem: *Homo ſum, humani à me nihil alienum puto.*

Quare ſi quid in te, aut alium quemquam durius ſcriptum à me fuerit, id, vt tu, vel alius quiuis, qui læſum iuſte ſe queri poſſit, id Lector, cui ſcandalo fuerit, indulgeant, enixè obteſtor.

Si quid vero à Catholica veritate alienum exciderit, iamiam reuoco, paratus hoc opus, & quæcumque deinceps ſcripturus ſum, Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ, eiuſque capitis magni Petri ſucceſſoris iudicio ex animo corrigenda ſubiicere.

F I N I S.

Kkkk ij

INDEX RERVM MEMORABILIVM, quæ in hoc opere continentur.

Prior numerus deſignat paginam, poſterior lineam.

A

ACADEMIA.

ACADEMIÆ Iudaïcæ ſceptrum in Simeone defeciſſe falſum eſt, pag.72.lin.5

Achaia.

Achaia quando vicario Theſſalonicenſi fuerit ſubſtracta, p.569.lin.46

actio.

Actio ſola completiuè Hierarchia dici poteſt. 29 lin.22

actio quomodo nobilior paſſione, 38.l.43

actionis hierarchicæ definitiones à Cellotio allatæ reiiciuntur, 39

actiones Hierarchicæ non ſunt plures quam ordines, 45 l.17

actus.

actus Hierarchicus dici poteſt impropriè quicunque Hierarchicum ordinem decet, 34.l.15. non ideo dicitur talis, quia eſt ſecundum ordinationem Hierarchæ, 35 l.10

actus quilibet ab hierarcha elicitus non eſt dicendus hierarchicus, 34.l.8

actus hierarchici variæ & propriæ definitiones, 42. 43. à ſacro principatu dicendi ſunt, 33. l 41 ſunt ſuperiorum in inferiores, 44 l.26

actus ab hierarchicis ordinibus fieri poſſunt, vel elicitiue, vel deriuatiue, vel imperatiue, 34.l.4

actus hierarchici ſine ordine & iuriſdictione exerceri non poſſunt, 146.l.47

actus non hierarchici poſſunt ab ordinibus hierarchicis pendere, 34.l.27

ad actus hierarchicos facilitas quælibet ex fide operans eſt chariſma, 126 l 36. [vide hierarchia.

adamus.

Adamus cum officio patrisfamilias totius generis humani publicam auctoritatem ſacrorum ſibi à Deo diuinitus datam coniunxit, 438.l.27

adminiſtratio.

Adminiſtratio Eccleſiaſtica ciuilem neceſſariò ſequi non debet, 635.l.5. ex occaſione & commoditate eam aliquando ſequitur, ibid.

albenſes.

Albenſium ciuitas quomodo venerit in poteſtatem Viennenſis Eccleſiæ, 616.l.7

Alexandria.

Alexandria tempore S. Petri celeberrima, 704. l.12. erat primaria in Africa, 694.l.12.

alexandriæ in Eccleſiis magiſtri fuerunt, 80.l.28 qui. ibid.

alexandriæ ſedis origo & inſtitutio, 695

alexandrina Eccleſ. cur tantum Marci ſucceſſionem iactat, 699.l.40

alienatio.

Alienatio rerum Eccleſiaſticarum ſine conſenſu Metropolitani quantumuis ab Epiſcopo facta nulla eſt, 495.l.7

amos.

Amos non fuit de genere nobili, 117.l.17

ananias

Ananias & Saphira quomodo damnati morte à S. Petro, 411.l.48

anathema.

Anathema dicitur qui fit alienus à Chriſto, 429.l.35

angelus.

Angelus in hierarchicis actionibus hominem non antecellit, 325

angelus & ſacerdos circa homines aliquando mutuam iuuant operam, 322.l.10

angeli & ſacerdotis communia aliqua officia, 317 lin.44

angeli ſub qua ratione principatus ſunt participes, 110.l.7.

angeli dicantúrne abigendi ex eo quod eorum munia ſacerdotes & epiſcopi obire poſſint, 118 lin. 26

angeli ex Cellotii principiis ſunt paſtores, ſacerdotes, diaconi, 162

angeli circa homines nonniſi effectus naturales producunt, 316.l. 8. quo ſenſu iſti effectus ſint naturalis ordinis, 318

angeli non ſunt dicendi paſtores licet natiuitatis nuntium paſtoribus attulerint, 334 an paſtoratus aliqua munia exercuerint in veteri teſtamento, 354.l.10

angeli non ſunt ſacerdotes, 337.338

angeli naturâ, ſtatu, conditione ſacerdotibus præſtant non officio, 299.l.16

angeli quoad aliqua ab Eccleſiæ paſtoribus illuminantur, 332.l.45

Digitized by Google

angeli cuſtodes angelorum ſuperiorum miniſterio à Deo edocentur, 323.l.30
angelorum preces pro hominibus ſintne ſacerdotum precibus præponendæ, 328.l.52
angelis inferioribus quæ neceſſitas imponitur vt ſuperioribus pareant, 459.l.37
angelos non eſſe paſtores oſtenditur, 331.332.333.

angeſiſus.

Angeſiſo Seoonenſi conceſſa dignitas archipræſulis, 664.l.27

angilramnus.

angiltamno non ſunt tredita capitula à Stephano ſecundo, ſed ab Hadriano, 926.l.11

antiochia.

Antiochia Lud olim dicta, 694.l.48 tempore ſancti Petri celeberrima, 705.l.11
antiochenæ ſedis origo & inſtitutio. 695. eius Epiſcopi ab Hieroſolymitano nullatenus debebant iudicari, 820.l.40
antiochenus Patriarchatus, vide Patriarchatus.

antiphona.

Antiphona dicta eſt à particulis ἀντὶ φωνή, 238.l.24
antiphonas canendi mos olim in ſolis ciuitatibus Epiſcopalibus erat receptus, 238.l.22

apocriſarij.

Apocriſarii qui olim dicebantur, 578 l.40

apoſtoli.

Apoſtoli à Petro non acceperunt ſuam iuriſdictionem Epiſcopalem, 893.l.14
apoſtoli fuerintne prius inſtituti Apoſtoli quàm Sacerdotio initiati, 893.l.40
apoſtoli cum Cardinalibus & Epiſcopis nondum ordinatis male à Cellotio comparantur, 894
apoſtoli cur dicantur aliis prælati, 2.l.17
apoſtoli miniſtri dicuntur ab Apoſtolo 1.l.51. cur inter Eccleſiæ miniſtros à Paulo primi ſunt numerati, 461.l.45
apoſtoli indigerentne aliqoando interprete & quare, 183 184
apoſtolis aliis à Petro ratio capitis oec à Chriſto nec ab Eccleſia fuit collata, 893.l.10

approbatio.

Approbationem ab Hierarcha ad Hierarchiam quomodo neceſſariam Cellotius docet, 143

aqua.

Aquæ luſtralis aſperſio an ſit Hierarchica, 62.l.15

aquenſis.

Aquenſis ciuitas num fuerit Metropolis, 591.l.10
aquenſis Metropolitanus an & quomodo Atelatenſi fuerit ſubditus, 592
aquenſis Metropolis confirmata, 615

ἀρχή.

ἀρχή principatum & initium ſignificat, ſed principatum ſæpius 22.l.31. compoſita ex illa particula principatum potius quam principium ſignificant ibid.l.19
Ex vocabulo ἀρχή conflata nomina dignitates poteſtate coercitiuâ præditas ſignificant, 591.l.52

ἀρχιερεῖς.

ἀρχιερεῖς Sacerdotum Principes dicuntur, 22. l.40

archangelus.

Archangelus ſic dicitur quod Angelis imperet, 22.l.41

archicapellanus.

archicapellanos Regum Franciæ ſine fundamento Conciliis præſidere dicitur, 926. olim apocriſiarius dictus, ibid. cur archipreſbyter à Stephano II dictus, ibid.

archidiaconatus.

archidiaconatus curam animarum habet annexam, 240 l.32
archidiaconi cur ſic dicti, 251 l.38 p.853.l.48
archidiaconi quam habeant iuriſdictionē, 476.l.43
archidiaconi digniorem locum diaconis & preſbyteris ruralibus obtioent, 87.l.12. ſunt ex ordine diaconorum, 874
archidiacooi aliquando electi antequam diaconatus ordinem eſſent conſecuti, 874.l.12
archidiaconorum in Eccleſia Romana quis olim mos eſſet, 857.l.42
archidiaconorum prærogatiuæ ex more Eccleſiæ Orientalis. 872. ex poſterioribus ſæculis, 873
archidiaconorum & Choreþiſcoporum olim idem munus, 857.l.40
archidiacooorom ... a preſbyteros in Gallia prælationis origo 864. in Hiſpania. 868 in Italia & Oriente. 871. ab iis honoratiores è clero potetant iudicari. 866.l 20. varia eorum officia ibid. 867

ἀρχιεπίσκοποι.

ἀρχιεπίσκοποι Epiſcoporum Principes dicuntur. 22. l. 41. vide Metropolitani.
Archiepiſcopi cur ſic dicti, 251.l.36
archiepiſcopi qui dicantur, 574. lin. 8. an maiores Metropolitis. ibid.

archipresbyteri.

Atchipreſbyteri cur ſic dicti, 251.l.37

arelatenſis.

Arelatæ conuentus ex quinque prouinciis tum ex ſeptem ſolitus haberi, 603.l.50
arelatem ad Synodum ſeptem prouinciæ conuenire ſolebant & quæ, 636.637
arelatenſis Epiſcopos ab antiquo Metropoliticâ dignitate otnatus, 597.l.10
arelatenſi Epiſcopo Concilium ex ſingulis prouinciis conuocandi poteſtas ab Hilario Pontifice confirmatur. 649. l. 28 quanta illius Concilii auctoritas, 651.l.4
arelatenſis Eccleſia erat in Gallia communionis Catholicæ centrum. 651.l. 20. quo ſe extenderet eios Exarchia, 652
arelatenſis Metropolitani aotiquitas, 585.l.43. auctoritas, 587
arelatenſis Metropolitani Exarchiæ aon iidem ſemper fuerunt limites, 681 l 18
ex arelatenſis Metropoleos comprouincialibus qui ad Leonem ſcripſerint pro recuperandis antiquis iuribus, 608
arelatenſis & Viennenſis Metropolitani diſſenſionis origo, 595
arelatenſis & Viennenſis præſules, an ſimul, an alternatim prouinciam Viennenſem tanquam Metropolitani regerent aote Leonis ſententiam, 613 poſt decretum Leonis non amplius contendunt, 614
arelatenſis præſul totius Galliæ primas agnitus 648 eius poteſtas exarchica probatur, eius exarchia. 647. 648. fuit habita Sedis Apoſtolicæ legatio 648.l.6.
arelatenſes præſules in plures Galliæ prouincias Metropolitica iura vſurpant, 605. reprobatur illa vſurpatio à ſummis Pontificibus, ibid.

Digitized by Google

arelatenſis primatus origo in Galliis, quæ & quàm iuſta, 634
arelatenſis Primatus cur in quibuſdam Conciliis Galliarum nulla fit mentio, nec ille primo loco ſubſcribit, 615.656
arelatenſis Primatis poteſtas reſtricta tempore S. Gregorii, 669.l.20
Vide Primatus Arelatenſis.
armenia.
armenia magna quid complectatur, 535.l.2
articuli.
articuli noui fidei iámne de nono cudantur, 185
artes.
artium profeſſores olim debebant eſſe cleri, 86.l.12
aſſeſſores.
aſſeſſores, qui in iudicando aſſumuntur ab Epiſcopo, debent eſſe ex presbyterorum vel diaconorum ordine, 64.l.5
aſſidui.
aſſiduæ de numero ſcribarum fuerunt, 75.l.19
auguſtodunenſis.
auguſtodunenſi præſuli vices ſedis apoſtolicæ conceſſæ, 669.l.40
aurelius.
aurelius quomodo dicat prophetas ad Hierarchiam ordinariam aſpirare non poſſe, 114.l.20 quo ſenſu dicat prophetas ſacerdotum Moſaïcæ legis collaterales fuiſſe, 16 eius dictum de Epiſcopis electis nondum ordinatis defenditur, 932
aurelianus.
aurelianus Epiſcopus Primas omnium Galliarum appellatus, 665.l.16
auſcij.
auſciorum an Eluſatium ciuitas initio propagatæ fidei fuerit Nouempopulaniæ Metropolis dubitatur, 619.l.45. vtriuſque ciuitatis diuerſus in politicis & Eccleſiaſticis ſtatus, 620.l.14
auſciorum Metropolis antiquitas, 619

B

Baptiſmus.
BAPTISMVS eſt conſecratio & prædeſtinatio hominis baptizati ad cuſtodiendas leges Eccleſiaſticas, 180.l.33
ad Baptiſmi adminiſtrationem cur poteſtas ordinis non requiritur, 152.l.52
ad Baptiſmum poteſtas ordinis & iuriſdictionis tanquam eius actiuum principium concurrit, 153
Baptizati.
Baptizati ſtrictiſſimè ſeruare debent fidem datam ore ſuſceptorum, 917.l.44
Baſilius.
Baſilius non ordinauit Gregorium ex aliqua affectione carnali, 511.l.30
baſilica.
Baſilicarum dedicatio an ſit Hierarchica, 62 l.15
benedicere
Benedicendi poteſtas in ſacerdote quam iuriſdictionem poſtulet, 457.l.6
benedictio
Benedictio cerei Paſchalis publicè in Eccleſia diacono tribuitur, 251.l.5
Benedictio ſolennis cur à ſacerdote datur poſt Euchariſtiæ perceptionem, 456.l.32. cur in fine Miſſæ, ibid
Benedictio *Dominus vobiſcum*, cur à ſolis Epiſcopis, presbyteris & Diaconis permittitur recitari, 456.l.26
Benedictio priuata à Monachis ob vitæ ſanctitatem fuit aliquando petita, 458 l 13
Benedictio olim ab Epiſcopis etiam extra diœceſim petebatur, 458.l 7. rogatu Epiſcopi id faciebant, 458.l.38
Benedictionis conceſſio videtur eſſe ſuperioris, 250
berythenſis.
Berythenſis prouincia non Alexādrino, ſed Antiocheno potius Patriarchæ erat ſubiecta, 826 l.10
bituricenſis.
Bituricenſis Archiepiſcopus quo iure in Narbonenſem prouinciam auctoritatem prætendit, 619.l.2.
Bonifacius.
Bonifacius Moguntinus obiit ante tilpinum Remanum. 929.l.6
S. Brigitta.
S.Brigitta ſitne in Hierarchia conſtituenda, 158.l 18
bulgari.
Bulgari vnde ſic dicti, 573.l.30

C

Cæſarienſis.
CÆSARIENSIS Epiſcopus totius Ponti diœceſis erat primas, 515. totius Paleſtinæ, 807. an tempore Firmiliani Exarchiam in totam diœceſim Ponticam habeter, 547.l.20
Cæſarienſis Eccleſiæ laudes, 550. quo ſenſu dicatur eſſe mater omnium Eccleſiarum, ibid eius limites, ibid. eius Epiſcopi in Conciliis Epheſino & Chalcedonenſi alios Metropolitas præceſſerunt, ibid.
cæſarienſi Eccleſiæ ſupra Hieroſolymitanam prerogatiua 794.796.798.802
cæſarienſi Epiſcopo ordinario iure tanquam Metropolitano ordinatio Epiſcopi Hieroſolymorum conueniebat, 813.l 9
Vide primas Cæſarienſis.
Canere.
canendi alternis vicibus in Eccleſia, forma quando cæperit, 238
Canon.
canon tertius concilii Conſtantinopolitani non eſt ſuppoſititius, 715. an ſit addititius, ibid. non fuit ab Oecumenico concilio editus, 717. quando additus concilio, 721
canonis Nicæni VII. interpretatio circa poteſtatem Patriarchæ Hieroſolymitani, 796
Canonici.
canonici cathedralis eccleſię quo ſenſu dici poſſint Hierarchici 31 l 30
canonici adſeſſores epiſcoporum quomodo in Hierarchia collocandi, 477.l.3.p 903 l.10
Cantor.
cantorem eccleſię cathedralis minorum ſcholarum moderatorem eſſe nonnullis in locis vetus fert conſuetudo, 87.l.14
Capitulum.
Capitulum ſede vacante iuriſdictionem epiſcopalem habet, 342.l.28. p.347. l 10 quæ illius iura, ibid cur presbyteros ordinare non poſſit, 348.l.50

capitulo ſede vacaote, an ex defectu iuriſdictionis iura aliqua denegentur, 347.l.22
capitulis Archiepiſcopalis dignitas mortuo Archiepiſcopo fuit aliquando conceſſa, 347.l.30

capſenſis.

capſenſis ciuitas io prouincia Bizacena erat ſita, 508.l 50

cardinales.

cardinales io Hierarchia qnomodo collocandi, 477.l.3,p.902
cardinales ad totius orbis regimen à Summo Pontifice aſſumuntur, 247 l.8. ex quibus ordinibos aſſumantur, ibid.
cardinales ab initio in regimine Eccleſiæ adſtiterunt Romano Pontifici, 902.l.28
cardinales ſunt ordinarii conſiliarii Summi Pootificis, 903.l 19
cardinalium dignitas multum à Cellotio deprimitur, 899.l.1
cardinalium ſede vacante quæ auctoritas, 8,9. illi poſſuot exercere Pontificiam iuriſdictionem ibid.
cardinalium prærogatiua, 86:. iis etiam aote Epiſcopos ordo ſedendi & procedendi attributos, ibid.
cardinalium collegium quam ob cauſam concilium vniuerſale nec cogere, nec confirmare poſſit, 346.l.5.344 l.23
cardinales in Hierarchia quomodo collocandi, 477.l.3

carnifex

carnifices Reipub. Chriſtianæ quomodo à patribus Cacodæmones dicti ſont, 412 l.19

carthophilacius.

carthophilacii quæ olim dignitas, 861.l.4.862.l.12

catechumeni.

catechumeni continentur in Hierarchia impropriè dicta, 26 l.24
catechumeni ab Hierarchia ſtricte ſumpta excludendi, 162
catecubmenorom, Gentilium & Hæreticorum in Hierarchia diſpar raoo, 48 l 8. tribuitur diacooo ibid.

Cellotius.

Cellotius ad errorem ſuum obuelandum nominis Hierarchiæ abuſum expedire cogitauit, 2.l.29 rem nomine Hierarchiæ ſignificatam toto ſuo opere conuellere conatur, 23.l.10. male reprehendit preſbyter. & diaconos dici duces populi Chriſtiani, 32 l. 2 male inſcripſit librum ſuum de Hierarchię & hierarchis, 32 l.37. male oſtendit ex theſauro Eccleſiæ non omnes Hierarchicas actiones à ſuperiori in inferiorem tranſire, 37. l.39. Temerè affirmat ooоum eſſe Sorbonæ decretum qoo Doctores in Theologia preſbyteri eſſe iubeotur, 86 l.10. impropriè loquitur dum paſſionem in ſancta Trinitate admittit, 101 l.2 in ſcriptis ſe prodit iræ impotentem, 120 l.21 nuo eſt fictitiæ chariſmatum Hierarchiæ parens 120.l.20
Cellotius ſuis fundamentis & commonibus principiis conſentaneè inſiſtere non poteſt in explicaoone Hierarchiæ chariſmatum, 134.l 5. quodlibet nomen hierarchicum ab vſitato ſuo ſenſu ad alienum & exoticum traduxit, 134 l.38. incooſtanter de hierarchia chariſmatum loquitur 135.l.20. in quam vaſtos, & improprios ſignificatus hierarchiæ chariſmatum oomeo inducat, ibid. qnam turpiter hierarchiæ & chariſmatum nominibus abutatur, 136. hierarchiam chariſmatum omnium primam appellat. 197.198.201. 202 io ſua declaratiooe reuocat hierarchiam chariſmatum eſſe ſopremam in raoone hierarchiæ, 205. hierarchiam chariſmatum quam dixerat eſſe omnium ſupremam noluit in habito doctorum conuentu defendere, 205.l.41
cellotius male aſſerit Ignatium eſſe auctorem hierarchiæ ordinis à iuriſdictione diooſſæ, 213. renouat errorem Montaniſtarum ſupra Epiſcopos aliqoos in Eccleſia gradus ſtatuentium, 259. Cataphrygarum mulieres in hierarchia ordiois collocantium. 260. temeritatem quorumdam Monachorum ſine Eccleſiaſtica ordinatione ſibi clericalem gradum renouantiom, 260. male habet hierarchiam ordinis nullam ei qua talis eſt auctoritatem attribuens, 262. Irriſoriè ſacerdotes imperatores vocat 263.l 14. erroneè exiſtimat quod loco pœnæ ad ſacerdotium ſicut ad monaſterium aliquis aliquo iure detrudi poſſit, 272. falſo impingit Aurelio Monaſticum ſtatum peccata præcedentia requiere. 273.l. 37. male ex Coocil. Tolet. VIII. can 7. probat aliquam monaſtici ſtatus ſupra ſacerdotium prærogatiuã, 277 l 32 ad Clericatum quem poſſe iouitum cogi ooo poteſt oſteodi ex canone VII. concil. Tolet. octaui, 278. ſicut nec pœnæ loco, ibid. ad Monachatum nollum ab Eccleſia poſſe adſtringi falſo aſſerit, 283.l.20. quam ſit iniurius in pœnitentiam primitiuæ Eccleſiæ, 287 in Clerum ſæcularem, 291. 292 oſtendit ſe neſcire errorem in quem Pelagius & Celeſtius impegerint, 318 l.9 dum Epiſcoporum neceſſitatem adſtruere videtur, eam impugnat, 339 aſſerens nullam in Eccleſia remanere dignitatem Epiſcopalem mortuo Epiſcopo in Eccleſia anarchiam inducit 351.l. 4. male ſupponit ſtatum Epiſcopalem eſſe coniugium actuale eiuſdem cum mortali quocumque epiſcopo, 351.l.50. temere in oblatione ſacrificii Miſſæ ſacerdotem Angelo poſtponit, 331.l.26 erroneè Eccleſiam inuiſibilem paſtores tantum inuiſibiles habentem aſſerit, 355.p.36
Cellotius male exemplo Baſilii electiones ad epiſcopatum ex affectione carnali prodeuntes excuſat, 911.l.13
perperam nec ſatis bona fide reprehendit auctorem quaſi vniuerſe dixerit Religioſos bene agendi materiam accerſere, & ab epiſcopali munere decerpere, 912.l.23
Cellotius omnes & quoſcunque viſibilis Eccleſiæ paſtores deficere aſſerit, 876 l.22
docet decretis fidei à Pontifice editis poſſe deeſſe infallibilitatem, 881.l.15
erroneè docet rationem capitis & epiſcopatum ſibi inuicem in Petro eſſe accidentaria, 890
Petrum qua Romanum Epiſcopum eſſe Apoſtolis inferiorem 891
Petro vt capiti Eccleſiæ, vt Patriarchæ, vt Epiſcopo Romano ine. functiones aliquas ſingulis rationibus reſpondentes aſſignat, 892. Apoſtolos à Chriſto accipere rationem capitis & Apoſtolatus; à Petro rationem epiſcopatus erroneè docet, 893

circa Apoſtulorum inſtitutionem contra Euangeliſtarum narrationem plura turbat, 893
peccat in comparatiune Apoſtulurum cum cardinalihus & epiſcopis nondum otdinatis, 894
vucat antiquos Monachos ſemiferus, 933
cellonius in vetetes Monachus contumelioſus, 932
erroneè docet cardinalium collegium ulim orbis Chriſtiani ſenatum non fuiſſe, 907
cellotius nun ſatisfacit in ſua declaratione, vbi explicar ſæcularis & tegularis cumparationem, 915.l.17 fraudulenter agit vbi ſæcularem cum tegulari comparar, 915.l.48
erroneè docet Ahhares & Monaſteriis præfectos non ex priuilegio, ſed ex natiuo quudam iure conciliis intereſſe debere, 915.l.14
ridicule exponit ſeniores qui adfuerunt concilio Apoſtolorum fuiſſe regularium primores, 925.l.30
cellotius iniurius cleri Gallicani comitiis 930
in ſtatum laicorum, 935.l.37
pœnitentium, 938
cellotii liber falſo principiu innititur, 1.l.27
cellutii iniuſta & contra mentem cuncilii hierarchiæ dilaniatio. 20.l.13
de Hierarchia chariſmatum doctrina eadem quo ad ſenſum fuit damnata cum propoſitione Vvicleſi Huſſiique damnata, 137.l.25
cellutii exceptiones aduerſus damnatiunem cuncilii Cunſtanrienſis de hierarchia chariſmatum refelluntur, 140
falſę criminationes de auctore, 157
cellutii contradictiones abſurdę circa hierarchiam chariſmatum, 156. 157. 158 159 160. 161. 162. 163
variæ amhages circa principium conſtitutiuum hierarchię chariſmatum, 163
perplexitates circa urdinem hierarchiæ chariſmatum quem inter alias hierarchias tenet, 165
errores & contradictiones circa fictitiam chariſmatum hierarchiam notantur, 157.205. 206 207.212.213.214.215.
cellotii errores quos ad probandam prerugatiuam Angelorum ſupra ſacerdotes inuexit, 325.327, 328.329
cellutii ridicula ſententia de nunquam nimia multitudine ſacerdutum, 292
periculoſa expoſitio circa iuriſdictiunem in hierarchia requiſitam, 227
errores circa hierarchiam quam vocat urdinis, 259. errures aduerſus epiſcopurum neceſſitatem, 336
cellotii criminationes nonnullæ arguuntur falſitatis, 115
cellotii comptula uratio liberiorem habet in criminationibus quam in Theulogicis diſſertationibus locum, 120.l.33
cellotii in explicarione chariſmatum S. Pauli turbationes & contradictiones, 131.l.33
variæ contradictiones & errures circa varios modus ſanctiratis quos tribus hierarchiis à ſe aſſignaris proprios ſtatuit, 208
circa preſbyterorum ordinem, 362
contemptus circa ſubdiaconatum ac minores ordines, 378
cellotii errures aduerſus eccleſiaſticam hierarchiam vniuerſim ſumptam, 875
aduerſus eccleſię viſibilitatem, ibid,
cuntra eccleſiæ infallibilitatem, 878
quam ineptè circa eam luquatur, ibid.
contra auctoritatem Summi Puntificis in aſſignandis limitibus poteſtatis Patriarchalis, 882
cuotra auctoritatem Pontificis in eccleſia Gallicana, 884
cuntra poteſtatis eius inſtituriunem, 890
cellotii errata circa quęſtionem ab eo propoſitam de poteſtate epiſcoporum à quo ſit immediatè an à Deo, an à Papa, 895
in ea quęſtiune a Bellarminu à ſe citato diſſidet, ibid. circa Summum Pontificem, 896
cellotii circa Rumanæ eccleſię Cardinales errata, 898, errata plurima tum circa Romani Pontificis limites, tum circa Patriarchas, 903.904
cuntra ſtatum & inſtitutiunem epiſcuporum, 905.907. dignitatem, 908
contra cuncilia Eccleſię, 920
cuntra vtilitatem conciliorum generalium, ibid.
aduerſus Paruchurum urdinem & adminiſtrariunem, 913
aduerſus vniuerſum cleri ſæcularis urdinem, 914
cellutii de clericis ſæcularibus eunuitia, 917.l.2

Chalcedonenſe.

Chalcedonenſe concilium, vide concilium Chalcedonenſe.
chalcedonenſem Epiſcopum inter & regulares Anglicanus contruuerſia fuit ſolum de iure approbatiunis regularium ad audiendas confeſſiunes, 339.l.24

character.

character urdinis eſt ornatus quidam animæ à Deo impreſſus, 31.9
characteris baptiſmi dignitas, 308.l.54
characteris ſacerdotalis ſupra baptiſmalem nobilitas, 309.l.1
characterum Ordinatiunis, Baptiſmi, & Cunfirmatiunis differentia, 308.l.35

χάρις.

χάρις, quid ſignificet, pag. 93 ſumitur pru gradu, ibid.l.8 χάρισμα, latinè redditur modu donum, modu dunatio, modo gratia, 122.l.12

χάρισμα.

χάρισμα, aliquando ſumitur pro gratia gratum faciente, ſæpius tamen pru gratia quæ gratiæ gratum facienti oppunitur, 124.l.25
χάρισμα pru gratia ſanctificante ſæpins ſumpſit Cellutius, 123.l.1.
chariſma ſcientiæ propriè dictum nun eſt abſolutè & ſimpliciter neceſſarium ad actus hierarchicos, 126.l.15
chariſma ſpiritale duplex, aliud ſine miniſteriu & auctoritate, aliud cum dignitate & miniſterio 120.l.23. chariſmata quid ſint, 122
χαρίσματα ſumuntur proprie pro gratiis gratis datis. 123.l.17
chariſmata ad hierarchiam fructuoſam & vtilem requiruntur, 124.l.44
chariſmata quibus modis ad hierarchiam ſint neceſſaria, 125
nunnunquam intuitu audientium, nonnunquam intuitu doctorum conceduntur, 127.l.39

nonnunquam

Digitized by Google

nonnumquam ex ordinatione rite ſuſcepta conſequuntur, 125.l 15
Chariſmata ampliora nobilioribus hierarchiæ membris communicantur, 915.l.14
chariſmata ab Apoſtolo quomodo ſumantur, 129 lin. 38,
quomodo diuidantur, ibid & p.130
rectè diuiduntur in ſpiritalia & corporea, 129
chariſmata corporea ad ſalutem infidelium præcipuè ſunt neceſſaria, 130.l.9
chariſmata generice cur miniſtrationes dicuntur, 130 l. 31
quomod diuiduntur, ibid.
chariſmata ſignorum quæ ſint, 130.l.36
chariſmata ſpecificè ſumpta quæ ſint, pag. 130. lin. 42.
chariſmata cur à Paulo Spiritui ſancto tribuuntur, 131.l 4
chariſmata hierarchię Eccleſiaſticę conſtituendæ non ſufficiunt, 133.163.l.30
chariſmatum vſus non poteſt conſtituere hierarchiam, 163.l.30.p 164.l.36
χαρισμάτων alieniſſimę acceptiones à Cellotio, 123
chariſmatum vel functionum diuerſitas diuerſitatem hierarchiarum non operatur, 2.l.25
chariſmatum poteſtas poteſt ęqoè dici poteſtas ordinis ac iuriſdictionis, 97.l 32
nec ęquè ordinata, ibid. nec debitum in ſubditos retinens principatum, ibid.
chariſmatum virtus non hierarchas, ſed hierarchicos efficit, 98.l.5
chariſmatum hierarchiæ parens Nicolaos Smitheuos, 120.l.18
in chariſmatum diuiſione à Paulo facta tam poteſtas ordinis quam iuriſdictionis comprehenditur, 133.l.1.

Charitas.

Charitatis actus non ſunt hierarchici, 89.p.90, p.42.l.23

Chelidonius.

Chelidonius cur ab Hilario damnatus, 644
cur à Leone abſolutus, ibid. inter ſanctos relatus, ibid.

Chriſtianus.

Chriſtiani cur Dominico charactere inſigniti, 244 lin. 43

Chorepiſcopi.

Chorepiſcoporum & Archidiaconorum olim idem munus 857.l.40

Circumciſio.

Circumciſio inducebat maximam obligationem, 938

Clericatus.

Clericatus nulli facinoroſo patet, 271.l.14
pœnæ loco imponi non potuit ſicut Monachatus, 276
Clericalis vitæ & Monaſticæ differentia, 274.l 2. 277.l.22.p.149 l.8.p.150

Clerici.

Clerici in ſubdiaconatus inferiori ordine conſtituti quo ſenſu diaconi dicuntur, 33.l.12
altari deſeruientes à pòpulo ſtipendia percipere debent, 51 l.54.& p.52
clerici olim ita vocabantur quod de bonis Domini viuerent, 52.l.15
clerici inferiores quomodo debeant prò populo orare & illi voluntatem Dei nonciare, pag.52 lin.33
clerici ex fine ſtatus ſui ad exemplum aliis adhibendum adſtringuntur, 150.l.6
prout laicis opponuntur dicuntur Eccleſiaſtici & quare, 161.l.6
olim non conſiſtebant in inferioribus ordinibus diaconatu, ſed in ſuperioribus, vel in ipſo diaconatu, 252
illis veneratio & auctoritas debita à Patribus aſſeritur, vel ipſo ordinationis & clericatus titulo, 264
cur Reuerendi, Reuerendiſſimi & Venerabiles dicantur, pag. 265.l. 42.p.266. 267.268.269 270
clerici cur in modum coronæ attondentur, pag. 270.l.32
clericus ex ritu conſecrationis habere auctoritatem demonſtratur, 270.
clerici Romani dicuntur Senatus Romani Pontificis, 902.l.8
clerici ſęcularis cum religioſo indignę plures comparationes à Cellotio adductæ, pagina 917. 918.
de clerico ſæculari tetra Cellotii conuitia, pag 917 lin. 2.
clerici ſæculares habent media conuenientia tam augendę quam acquirendæ perfectioni debitæ. 914 l. 38
adiumenta exteriora plura habent quàm Monachi, ibid.
clerici ſęculares qui ad populi regimen ſimul cum curato ab Epiſcopo in ſua ordinatione ſunt adſcripti, meliori titulo ſunt in hierarchia collocandi quam Religioſi, 918.l.33
clerici lapſi ad Monaſteria detrudi cœperunt, ſtatim atque Monaſteriorum diſciplina vigere cœpit, 288 l.30
clericorum & laicorum pœnitentia quomodo diſtincta, 289.l.16
clericorum debeatne eſſe determinatus numerus 293
clerici in Eccleſia primitiua pauci, ſed gnaui, 294
eorum ab Eccleſia determinatus numerus, pag. 294
clericos Acephalos, ſeu ſine titulo Eccleſiaſtico Eccleſia ſemper eſt maximè auerſata, 294
clerici olim dicebantur Patres, 445.l.30
clerici crimen depoſitione dignum qua ratione olim Metropolitano reſeruatum, pagina 487
clericis pœnitentia publica non eſt imponenda, 276.l 26
in clericorum iudiciis quis olim ordo inſtitutus, 577.l.50. p.578

Clerus.

Clerus Romanus Pontificale regimen circa Epiſcoporum facta examinanda ſopplere ſe poſſe oſtendit, 355

Coactio.

coactio voluntario & ſpontaneo opponitur, pag. 420.l.34

Coercitio.

coercitio Eccleſiæ non eſt minus efficax quam temporalis, 415.l.24
eſt vtilior, ibid.
collateralis nomen vnde deſumptum, 114.l.2

Colonia.

colonia Agrippinenſis Metropolis Germaniæ ſecundæ, 624
Germaniæ Gallicanæ, ibid.
aliquando fuit ſubiecta Moguntiæ, 624.631
quando ab ea diuiſa, 631

Collyridiani.

Collyridiani Sacerdotii dignitatem mulieribus deferebant, 261.l.10

Comitia.

Comitia cleri Gallicani ſtata ac fixa non ſont minoris auctoritatis quàm concilia nationalia, 932 l.5 quanta eorum auctoritas, 930

Communio.

communionis quis olim eſſet in Eccleſia locus, 380.381.382

Concilium.

Concilii conuocandi ius, & iudicandi auctoritas inter ſe coniuncta, 785.l.5
etiam ordinandi poteſtas, ibid.
concilia conuocandi ius Patriarchis conuenire, p. 843.
concilia principum iuſſione collecta potius ab hiſtoricis notantur quam alia, 660.l.45
concilia nonnunquam ex occaſione plures fidei quæſtiones diremerunt, 931.l.11
etiam in cauſa fidei non vocata non deſinunt eſſe maximæ auctoritatis, 631
aliquando ſunt habita ad eligendum primarium aliquem antiſtitem, 927.l.23
conciliorum conuocatio maxime vtilis, 910.l.20
à Chriſto inſtituta, 922
cur & quomodo intempeſtiua & periculoſa viſa fuerit Gregorio Nazianzeno, 922.l.40
Leoni Magno, 913.l.6
cur viſa ſemper hæreticis periculoſa, 920.l.34
conciliis qui ex veteri Eccleſiæ conſuetudine intereſſe debeant, 247.l.26
conciliis Abbates non ex priuilegio, ſed ex natiuo iure intereſſe erroneè aſſeritur, 925 l.15
concilia vniuerſalia Africana vbi deberent celebrari, 517.l.33
quo die, ibid.
quot ex ſingulis prouinciis debebant illis intereſſe, ibid.
concilia Ponticæ diœceſeos Cæſareæ haberi ſolebant, 544.l.40
interdum tamen in aliis prouinciis, ibid.
an abſentibus primatibus poſſent celebrari, ibidem.
in conciliis Galliarum modò vnus, modò alter Metropolitanus ſubſcribebat & quare, 681.682
modò alter modò alius præſidebat, 682
conciliis à primatibus conuocatis ſoli primates præſidebant, 682.l.37
iis vero quæ aut à Regibus, aut ex motua inuitatione Epiſcoporum conuocarentur non ſemper primates præſidebant, 682.l.40
quomodo iidem aliis modo priores, modo poſteriores in conciliis ſubſcripſiſſe leguntur, p. 683.
concilii Conſtantinopolitani primi hiſtoria, pag. 716.
circa eam aliqui Socratis errores, 720
nonnulla illi concilio addita, 721
quo anno fuerit habitum, 723
omnes eius canones non fuerunt à Summo Pontifice approbati, 724.l.15
duplex illius pars diſtinguenda, 722.l.35
priora eius decreta repugnant cum illis quæ in poſteriori eius conuentu ſunt edita, 724
quænam in poſteriori conuentu in gratiam illius ſedis antiſtitum ſunt decreta, 726
omnes eius canones à toto concilio non ſunt approbati, 747
concilii Conſtantinopolitani canone ſecundo quid præcipiatur, 551
an de primatum iuribus ſtatuendis in eo ageretur, ibid.552
cur in eo Alexandrinus & Antiochenus patriarchæ tantum nominentur, ibid.
concilii chalcedonenſis decretum de Patriarchatu conſtantinopolitano contra morem conciliorum ſtatuitur, 745.l.5
poſt ſolutum conſeſſum editum fuit, 746.l.8
fraudulento conſilio, ibid.l.23
abſentibus iis quorum intererat, 747.l.12
ab Anatolio per fraudem quæſitum, pag 748. lin. 20.
ei non libere ſubſcriptum, 750.l.3
in eo edendo mala fides, 751
circa illud alia chalcedonenſes patres, alia conſtantinopolitani decernunt, ibid.
non erat liberum ei reluctari, 753
circa illud ementitus Leonis conſenſus, p.755 lin.5.
Leonis repugnantia, ibid.
renitentibus Legatis editum fuit, pag. 756. lin.5.
à Leone irritatur, 756.l.40
illius decreti curationem tanquam minus honeſtam à ſe amoliri conatus eſt Anatolius, pag. 760.l.3.
ab eius exequutione procuranda deſtitit Imperator, 760
quando Martianus Imperator vixit ſuo effectu caruit, 760.l.6

aduerſus illud exceptio prima in gratiam Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ proponitur, 745
ſecunda proponitur, 745
tertia confirmatur; 747
quarta proponitur & probatur, 750
quinta ſtatuitur, 757
ſexta confirmatur, 753
ſeptima profertur, 754
octaua exponitur, 756
nona explicatur, ibid.
decima probatur, 760
Poſt Concilium Chalcedonenſe nunquam fuit vſu receptum vt à Patriarcharum ſententiis prouocaretur ad ſedem Conſtantinopolitanam, 763
nec vt Metropolitani iiſdem ſubditi apud eandem ſedem conuenirent, ibid.
Concilii Chalcedon. canones, nonus & ſeptimus quaſi approbati in collectionibus habentur, 764. p 766. vigeſimus octauus reiicitur, ibid. p.766
Conciliis Epheſino primo, quinto & octauo generalibus iniuria à Cellotio illata, 913
Concilium quintum generale nullatenus incuſandum, ſed maximè recipiendum, pag. 624 lin.30.
Concilium Hieroſolymitanum habitum ad eligendum aliquem in locum Iudæ fuit generale, 927. l. 30. magis exhibet ſpeciem vniuerſalis concilii quam poſterius in quo quæſtio de legalibus deciſa fuit, 927.l 32
Concilium Iconienſe habitum fuit in Lycaonia, pag. 515
occaſione cataphrygarum, ibid.
ex Aſiana diœceſi collectum fuit, ibid.
Concilium Mileuitanum primum cum ſecundo confunditur, 515 l.8
Concilium Synnadenſe habitum fuit in Phrygia pag. 515
eodem tempore quo concilium Iconienſe ibid.
occaſione baptiſmatis cataphrygarum fuit habitum, ibid
quibus ex prouinciis, 515.
Concilium Tyanenſe quo tempore fuerit habitum 540. l.15
fuit totius Ponticæ diœceſeos, 543,
ab Euſebio Cæſarienſi fuit collectum, ibid.

Confirmatio

Confirmatio quo ſenſu olim dicebatur baptiſmus perfectiuus, 368.l.20

Conſecratio.

Conſecratio non poteſt ſufficienter Hierarchiam charismatum conſtituere, 165 l.1

Conſtantinopolis

Conſtantinopolis erat Romana colonia, 709.l 34
dicta noua Roma, ibid.
eius celebritas, ibid. 710
quando fuerit Metropolis, ibid.
an tantum poſt decretum concilii primi conſtantinopolitani, 712.713 715
conſtantinopolitanus Epiſcopus ex priuilegio tantum Heracleenſi ſubiiciebatur, 711.l.6
conſtantinopolitanus Epiſcopus fueritne Patriarcha ante canonem concilii conſtantinopolitani, p.727
quas diœceſes poſt conuentum conſtantinopolitanum vſurpare tentauerit, 728

Contemplatio.

Contemplationis actus non ſunt Hierarchici, 89. 90

Corrigere.

corrigere ſitne actus Hierarchicus, 63

Creta.

creta centum vrbes complectebatur, 849 l.24

Criminoſi.

Criminoſi ad Monachatum promoueri poſſunt, non ad Sacerdotium, 272

D

Damaſus.

DAMASI epiſtolæ ad Paulinum Theſſalonicenſium inſcriptio falſa Epiſcoporum, 564.l.24

Delegatus.

Delegatus à vicario, aut officiali quoad iuriſdictionem quomodo diſtinguitur, 471.l.1
iuriſdictioni præeſſe negatur, 473.l.32

Deſignatio.

Deſignationem ab Hierarcha ad Hierarchiam quomodo neceſſariam Cellotius docet, 142 l.48 p.143

Deſtinatio.

Deſtinatio ad vſum charismatis non poteſt Hierarchiam conſtituere, 163.l.32 p.164.l.48.

Diaconatus.

Diaconatus ordo Hierarchicus eſſe oſtenditur, 236
Diaconatus quis ſit potiſſimus finis, pag. 462. lin.11.
è Diaconatu ad preſbyterum qui olim promouebantur ſæpe ſe deiici non promoueri credebant, 253.l.25

Diaconus.

Diaconos os Epiſcopi vocatur, 48.l.54
Item Angelus, ibid.
Diaconi quo ſenſu dicuntur Hierarchæ, 30.l.36
patres & principantes, 31.l.16.p.32
duces populi chriſtiani, ibid.
Diaconi olim Romæ inter preſbyteros ſedendi in Eccleſia poteſtatem non habebant, 858.l.47
qui ex illis eam dignitatem affectarint, ibid.
Diaconi in concilio aliquando tenuerunt Legatorum Sedis Apoſtolicæ perſonam, 249.l.44
Epiſcoporum, 249
Diaconi à Metropolitanis vel Epiſcopis ad concilia nomine Epiſcoporum miſſi ante quoſdam ex aliis Epiſcopis ſubſcribebant, 861 l.40
Diaconi propria Sacerdotalis officii munia ſibi olim arrogarunt, 860.l 20
Diaconi pro ſuo modulo debent pro cæteris orare 40. l. 36.
eorum ordo purgatiuus dicitur, 48. l. 10 per eos Eccleſiæ ordo & diſciplina procuratur, 48.l.52
Diaconi noſtri poſſunt dici nomine publico labores & faſtidia ſuſtinere, 54.l 41
Diaconos inter & inferiores ordines quo ad officia triplex differentia, 98.l.38
Diaconi quibuſdam plebibus præfecti olim leguntur, 236

virginibus ſacris, & monialibus, ibid.
immundorum præcipuam curam habuiſſe, 237
officiis publicis in Eccleſiis præfuiſſe, 237
Eccleſiaſticæ diſciplinæ, 239
Diaconi dicuntur oculi Epiſcoporum, 239 l.21
Dei Archangeli ibid.l 28
Diaconi poſſunt excommunicare, 239.l.44
habent poteſtatem publicè benedicendi cereum Paſchalem, 251. l. 5. dicendi *Dominus vobiſcum*, ibid.l.8
Diaconi olim quando baptizabant, 365.l.50.p 366
cur tantum tempore Paſchatis, 366.l.22
quo ſenſu Patres, Duces, Principes dici poſſunt 366.l.45
Diaconos habere poteſtatem ordinariam ad diſtribuendum corpus Chriſti reiicitur, 364.l.28.370
ad baptiſmum ſolennem ibid.367
Diaconi diſtribuerentne aliquando populo Eucharistiæ myſterium, 373.l.9. quando 375.l.1
Diaconi calicis propinandi poteſtatem frequentius olim ſuſcipiebant, quam corporis Chriſti ſub ſpecie panis diſtribuendi & quare, 376.l.8
Diaconi ſubiecti presbyteris, 856 l 9
Diaconi olim in ſolos diaconos & inferiores miniſtros poteſtatem habebant, 863
Diaconorum ambitio repreſſa per decretum quini ſextæ ſynodi. 860
Diaconorum auctoritas & iuriſdictio progreſſu temporis ad clericos ordinum ſuperiorum extenſa fuit, 863
Diaconorum in presbyteros inſurgentium ambitus antiquus & antiquis temporibus notus, 855.
Diaconorum in conciliis partes quædam propriæ, 249 l.36
Diaconis ordinaria & neceſſaria iuriſdictio conuenire poteſt, 399.l.19
de Diaconis ad concilia non mittendis canon concilii Emeritenſis non fuit in vſu receptus, 249 l. 16.

Diaconiſſa

Diaconiſſæ in auctoritate non ſunt ſuppares diaconis, 179 l.10
quodnam eſſet earum officium, ibid.
male dicuntur collaterales diaconorum, ibid.
Diaconiſſas in Hierarchia locum habere negat ſynodus Nicæna, 261 l.16
Diaconiſſæ non bene æquantur diaconis, 363.l.16

Diœceſis.

Diœceſis vulgò dicitur collectio multarum prouinciarum ſub vno aliquo principe, 525.l 32
Diœceſis præfectus quis olim dicebatur, 525.l.40
in Diœceſi Pontica qui olim dies ad congregationem concilii aſſignabantur, 542
die ſancti Eupſychii Martyris ſolebant coagregari, ibid.543
Diœceſes agnitæ tempore concilii Nicæni, 709

Diſpenſatio.

Diſpenſatiò bonorum Eccleſiæ pertinet ad Epiſcopos, 425.l.8

Diſſenſio.

Diſſenſio inter ſanctos aliquando reperitur, 643

Docere.

Docere in ſcholis ſiue Theologiam, ſiue ius canonicum ſitne functio Hierarchica, 68
Docendi poteſtas poſtulat iuriſdictionem aliquam 391.l. 41
Docendi auctoritas tam Scribis quàm Phariſæis apud Iudæos tradita eſt, 72 l.15
quando & quomodo, 74.l.12
proprie ſolis leuitis conueniebat, 72 l.47
Scribæ apud Iudæos non erant neceſſariò ex tribu Leuitica, 72.l.20
quomodo habuerint prouinciam docendi, 74 l.12.
Docendi primum munus eſt penes paſtores, 77 l.47.p. 78

Doctor.

Doctores Grammaticæ, Rethoricæ, Legum, & Medicinæ circa tempora Conſtantini variis immunitatibus fuerunt donati, 81.l.1.
Doctores in Theologia debere eſſe presbyteros non eſt quid nouum, 86.l.10
Doctores iuris canonici olim debebant eſſe clerici, 86.l.11

Doctrina.

Doctrina ſacra eſt pars quædam principatus ſacri, & quare, 412.l.4

Domini.

Domini ſeruos edocere debent in iis quæ ad pietatem ſpectant, 451.l.32

Donum.

Donum linguarum ad quæ chariſmata reuocatur, 150.l 1.
Doni linguarum nomine quid intelligatur ab Apoſtolo, 182.183.184
Dona Apoſtoli 1. ad Corinth. 12. relata comparantur ferculo Salomonis, 172.l.19
cui Hierarchiæ conueniant, 171.172
quomodo non poſſint conuenire Hierarchiæ chariſmatum, ibid.
Donorum Pauli diuerſa explicatio Patrum diſſentiens ab Hierarchia Cellotiana chariſmatum, 188.189.190.191.192.193 194.195.196

Doſitheus.

Doſitheus Sadducæorum auctor quo tempore vixerit, 76.l 9.

E.

Ebredunenſis.

EBREDVNENSIS Epiſcopus fueritne ſubditus Arelatenſi Metropolitano, 591.l 1.
Ebredunenſis Metropolis confirmata, 615

Eccleſia.

Eccleſia aliquando ſumitur pro quolibet cœtu, 29 l. 1, aliquando definita numerus Epiſcoporum, 930 l.25
Eccleſia malignantium cœtus peruerſorum dicitur 29.l 2
Eccleſia ciuitas in ſcripturis dicitur & quo ſenſu, 444,l.25. domus Dei, domus Domini, ibid.
Eccleſia in prophetis auctoritatem fundatam non habet, 121.l.13
iamne indigeat noua reuelatione prophetica, 185
non eſt inuiſibilis, inuiſibiles tantum habens paſtores, 335.336
Eccleſiæ regimen eſt morale, 341. à presbyteris ſuppleri poteſt, 341. quam ob cauſam aliquando ſuppleri non poſſit, 344 l.24
Eccleſiæ arma cur non carnalia, ſed ſpiritalia dicuntur, 414.l 18
Eccleſiæ ad ſecularem poteſtatem aliquando recurrendum, 413.l.58

cor iſtum recurſum pernicioſi exempli aliquando Patres exiſtimarint, 414.l.24
Eccleſia io eootemptores ſuæ extremæ ſententiæ quid poſſit, 413.l.49
quo ſenſu in eos dicatur non habere poteſtatem, 414.l.42. ratione domeſticæ poteſtatis pœnas corporales poteſt ioferre 422
prodigioſâ virtute pœnas corporales aliquando infert, 421. huius rei exempla plurima, ibid.
vbi fundata eiuſmodi poteſtas, 422.l.23
Eccleſia poteſt cogere ad pœnas corporales ſubeundas excommunicationis metu, 425
ſemper iuſſit excommuoicatos oitari, 433.l.13
in Monaſterium aliquos inuitos detruſit, 280
Eccleſiæ adminiſtratio debet eſſe Mooarchica, 613.l.19
Eccleſiæ principatus eſt potius θεοκρατία quam Monarchia, 672.l.16
in Eccleſia fideles non poſſuot ſibi aliquem ſuperiorum conſtituere, 671.672
Eccleſiæ legis naturæ qoi primi Doctores, 438.l.40 p.439. qui ordinarii ſacerdotes, 440.l.3
Eccleſia io cooſtituendis Metropolitanis ciuilem ordinem non ſemper ſequuta, 627.l.36
Eccleſia dici poteſt manere viduata donec conſecratom habeat antiſtitem, 229.l.40
Eccleſia Epiſcopalis carens Epiſcopo noo tameo caret dignitate Epiſcopali, 354.l.5.894.l.50
Eccleſiæ viduatæ Epiſcopo, & mulieris viduatæ Marito ſitne par ratio, 314.l.25
Eccleſiæ viduatæ Epiſcopo & eccleſiæ habeotis epiſcopum quomodo eadem ratio, 354.l.42
Eccleſiæ rectores dicuntur Hierarchæ, 7.l.26
Eccleſiæ ritus praxim & diſciplinam teroarium hierarchicorum ordinum numcrum probare, ampliorem improbare, 247
Eccleſiæ & Hierarchiæ oon eſt par ratio, 27.l.55
per Eccleſiam Primitiuorum qui conſcripti ſunt in cælis qui intelligantur, 29.l.7
in eccleſia ex hæreticorum ſenſu quis ſit maior, 142 l.13. quos in ea maiores dixerint Huſſitæ & Vviclefiſtæ, 139
Eccleſiam cariturum paſtoribus tempore antichriſti non eſt veriſimile, 877.l.13. nec carituram ſacramentis 877.l.56
eccleſiæ Arelateoſis priuilegia cura Parochi illius epiſcopi ei conceſſa, 638
eccleſia Arelatenſis ex ſeptem prouinciis epiſcopos conuocare poterat, 638.l.10
ad quinqoe prouincias ius Metropoliticom extendebat, exarchicum in vniuerſas Gallias, l.34
ei à Zoſimo fuit conceſſum vt eam eccleſiam etiam extra ſuas parochias retineret quam antiquitus poſſedit, 639.l.19. vt ad eam maiores cauſæ referreotur, ibid.
eccleſiæ Arelatenſis Primatus à variis Pontificibus confirmatus, 640
eos tamen ius Metropoliticum reſtrictum, non exarchicum, ibidem. ab antiquo in Galliis agnitus, 641.l.41
priuilegia fuerintne etiam aliis conceſſa, 667
Vida Arelatenſis.
eccleſia Alexandrina, vide Alexandria.
eccleſiæ ab Apoſtolis fundatæ debeantne dici Patriarchales, 697.l.32
eccleſiæ Conſtantinopolitanę priuilegiorum à Romana ſede refutatio, 794
in eccleſia Orientali quæ conciliorum genera ſolerent celebrari, 784.l.43
ab eccleſia egreſſus duplex, 431.l.38

Electio.

Electionis Romani Pontificis dilatio maximè periculoſa, 343.l.36

Elias.

Elias erat Sacerdos, 70.l.49

Eliſæus.

Eliſæus particeps dignitatis hierarchicæ in veteri lege eſſe potuit, 70.l.56

Elinenſis.

Elinenſium epiſcoporum ſedes tranſlata eſt viuarium, 615.l.43

Eluſa.

Eluſa oon io Narbooenſi, ſed in Nouempopulania ſita eſt, 620.l.4
Eluſatium an Auſciorom ciuitas fuerit Nouempopulaniæ Metropolis, 619
diuerſus vtriuſque illius ciuitatis in eccleſiaſticis & politicis ſtatus, 620.l.14. Vtraqua Metropoleos dignitatem babuit, 620.l.50

Epaona.

Epaona eſt vicus diœceſis Lauſaneoſis, 622.l.21

Epiſcopatus.

ad Epiſcopatum noo vulgaris diſpoſitio eſt adhibenda, 907.24
ad Epiſcopatum electiones ex affectione carnali prodeuntes male excuſat Cellotius examplo Baſilii, 911.l.23

Epiſcopus.

Epiſcopus paſſim vocatur ſummus Sacerdos, 461 l.18. ſummus antiſtes, ibid. & quare, ibid. in ſe omnium gratiarum vſum exigit, 462.450.463
Epiſcopus olim baptizandos ad preſbyteros & diacooos mittebat, & quando 365.l.54.366
Epiſcopus cur dicitur ἱεράρχης, 242.l.49
Epiſcopus ab Amphilochio dicitur magnus hierarcha, 6.l.17. à Chryſoſtomo hierarcha, 6.l.21 poteſt dici ſingulariter hierarcha, 30.l.9. quare, ibid.
Epiſcopus electus & noodum conſecratus in hierarchia impropriè tantum locum habet, 26.l.41
Epiſcopos olim in Eccleſia ſacerdotes, conſacerdotes, fratres, diaconos, filios appellabat, 859.l.30
Epiſcopi electio non eſt epiſcopi creatio, ſed creationis inchoatio, 894.l.48
Epiſcopi cuiuſlibet poteſtas in ſuum gregem non eſt ea quæ Summi Pontificis, 896.l.5
Epiſcopi priuilegia eccleſiæ cuius eſt ſpooſus communicantur, 891.l.46
Epiſcopi ſintne orbis Chriſtiaoi capitulum, 901
Epiſcopi ſont tantum extraordinarii conſiliarii Summi Pontificis, 903.l.18
Epiſcoporum ordo dicitur Patrum generator, 31.l.1 perfectiuus & quare, 48.l.7
Epiſcopis cur doctrina fidei ſingulariter attribuitur 46.l.1
Epiſcopi ipſi etiam poſterioribus ſæculis in epiſcopiis docebaot. 86 l.42. olim per ſeipſos docendi officium in eccleſiis vel epiſcopiis exercuerunt, 79.l.45.80. noonunquam munus docendi in preſbyteros & diaconos reiecerunt, 80.l.27.p.81
epiſcopi ab Apoſtolo miniſtri dicuntur, 131.l.51
eos à ſubditis Religioſis hierarchizari, purgari

& illuminari poſſe erroris arguitur, 214.l.50
Epiſcopi nondum conſecrati non ſunt plenè & perfectè epiſcopi, 229
Epiſcopi obeantne omnia munia Angelicæ cuſtodiæ. 121
Epiſcopi à Deo immediate nonnunquam illuminantur. 322.l 49
Epiſcopi cur aliis prælati dicantur, 2.l 37
Epiſcopi cur ſic dicti, 463.l.50
cur principes ſacerdotum & ſacrorum præpoſiti & præſidentes appellantur, 464.l.10
eorum ordinationes in conciliis olim fieri ſolebant, 547.l.50
epiſcopi cur aliquando ante Metropolitanos ſubſcripti & nominati reperiuntur, 680
in conciliis aliquando per prouincias ſubſcribebant, 680.l.31. aliquando propter magnum nomen aut ſenectutem primi in conciliis ſubſcribebant, 681
epiſcopos inter & Metropolitanos quis ordo ſeruandus, 6?4.685
epiſcopi iuniores etiam ob dignitatem epiſcopalem vocati ſunt aliquando patriarchæ, 688 l.26
epiſcopi Conſtantinopolitani circa quod tempus inter patriarchas admiſſi, 777
epiſcoporum cauſæ per appellationem ad Patriarcham relatæ, 838.l.4
epiſcoporum inferiorum ſedium nomina in tabulas nonnunquam relata, 830 l 11
epiſcopis in eccleſia nullus poteſt anteponi qui non ſit epiſcopus, 905.l.38
epiſcopis perfectionis maius ſtudium debet competere quàm Monachis, 912.l.34
ſuppetit amplior perfectionis materia, ibid 52
epiſcopos à Deo eſſe immediatè inſtitutos communis Doctorum Pariſienſium ſententia, 906
epiſcopos certis in caſibus coram Parochis eſſe conuentos, 842
epiſcopos nouos ſublegere & ſponſi abſentiam ſupplere ſintne ſynonyma, 354.l.4

Epiſcopalis.

epiſcopalis adminiſtratio multo difficilior ciuili, 425 l 20
epiſcopalis dignitas & ſtatus manet in Eccleſia ſede vacante, 848.349 3,0
in quo ſubiecto tunc reſideat, 350.l.35.p.363.l.2
epiſcopalis ſtatus ſitne coniugium actuale eiuſdem cum mortali quocunque epiſcopo, 351.l.14
epiſcopales viri qui ſint, 68.l.6

Erogatio.

Erogatio tempore Iubilæi facta non dicitur Hierarchica, 41.l.16

Eruditio.

eruditionis chriſtianæ capita diuerſa diſtingui poſſunt, 48 l.39

Eſau.

Eſau cur in venditione primogenitorum dicitur ſacrilegus, 41.13

Eſſeni.

Eſſeni qui fuerint, 439 l.8

Eucharistia

Eucharistia olim tempore perſecutionis poterat aſſeruari domi, 376 l.41
poterat a ſeipſo, abſente preſbytero, vel diacono ſumi, 376.l 2. in caſu neceſſitatis per laicum potuit tranſmitti, 376.l.28. per Acolythos, ibid.

Euſebius.

Euſebius Cæſarienſis præfuit concilio Tyanenſi, 540.l.11

Excommunicatio.

Excommunicatio impœnitentibus inferenda, 415.l.30. eſt pœna præcipua qua diſciplina eccleſiaſtica continetur, 245
excommunicatio operatur ſeparationem à Chriſto 429.l 38
excommunicatio vim cogendi habet; 431.l.32
relegationis nomine aliquando appellatur, ibid.
ex Chriſti inſtitutione vim habet, 432 l 39
excommunicandi poteſtas eſt coercitiua, 429.430
nulli ordinaria niſi cui conueniat poteſtas diſtribuendi corpus Chriſti, 246

Excommunicatus.

Excommunicatus per excommunicationem traditur ſatanæ & quo ſenſu 429.l.41
dicitur tolli de medio & auferri, ibid.l.48
mitti foras, 430 l.8
quo ſenſu dicitur conculcari, 430.l,11
virgis ſubiici, 485.l.24
excommunicatus quo ſenſu ſit habendus vt ethnicus & publicanus, 430 .l 25
quo ſenſu dicitur ligari in cælo & terra, 430 l.37
duplici vinculo ligatur, ibid l.49
quando perfectè ſoluitur 431.l.4
excommunicati à fidelibus ſeparatio quam habeat radicem & quem finem, 433.l.35. an ſpiritalem, ibid.

Exemplum.

exemplum bonum non eſt res Hierarchica, 41.l.44

Exocatacæli.

exocatacæli ex ordine diaconorum erant, 862 l.26

Exorciſtæ.

exorciſtarum virtus ſitne Angelorum virtuti poſtponenda, 327.l.50

F

Fides.

FIDEI articuli iamne de nouo cudantur 185
Fidei quæſtiones plurimæ epiſcopis ad encænia vocatis diremptæ, 931

Fratres.

Fratres laici temere ad Hierarchiam ordinis contruduntur, 261 l.44
Fratres laici Regularium malè diaconis comparantur, 362.l.42

Functio.

Functionis Hierarchicæ diuiſio, 44
Functiones Hierarchicæ diuerſæ quomodo epiſcopis, preſbyteris, & diaconis ſub diuerſa ratione conueniant 47 48.49
Functiones Hierarchicæ ſumunt diſtinctionem à ſubiectorum diſpoſitione 47 l 32
ſunt eadem actio diuerſimode ſpectata, ibid.l.4
Functiones ſacræ publicæ nemini perfectè niſi ordinato conueniunt, 220.l.15
Functionum ſacrarum diſtributio, 56.l.6
Functiones ſacræ ſubdiaconatus & inferiorum ordinum quomodo ſunt hierarchicæ, & non hierarchicæ, 57.l 33
Functiones omnes ordinum ſacrorum ſuperiorum num ſint hierarchicæ, 58.p.59.60.61 62
an dicant quamdam poteſtatem agendi circa populum ſibi ſubditum, 63.l.3

in Fonctione hierarchica ordinis Eccleſiaſtici, iuriſdictionis, atque chariſmatum indiuiſam ſocietatem probat *Dionyſius.* 3.l.40

Fundator.

Fundatores antiqui cœnobiticæ vitæ ſintne in hierarchia conſtituendi, 159.l.34

G

Gallia.

GALLIA à Narbonenſi diuerſa ſimpliciter Gallia dicta eſt, 615 l.40

Galliarum diuiſio, 594

in Galliis tempore Cæſaris iuriſdictiones diuerſæ, 596.l.3

Galliæ caruerintne Metropolitanis ab anno 70. ad annum 743. p.630.l. 2.631 l.1.

in Galliis tempore S. Gregorii duo Sedis Apoſtolicæ vicarii Arelatenſis & Augoſtoduneoſis, 669

Germania.

Germaniæ primæ Metropolis Moguntia, 624

Germaniæ 2. Colonia Agrippinenſium, ibid.

Gradus.

Gradus ſupremi Eccleſiaſtici ſub nomine chariſmatum ab Apoſtolo ooo comprehenduntur, 131.l 47.132.

Gratia.

Gratia poſita prædicatione fidei ſine miniſterio Aogeli poteſt remouere incredulitatis affectum, 330.l.24

Graoæ curationum ad quæ chariſmata reuoceotur 229,l.52

Gregorius.

Gregorius qui magnam Armeniam conuertit, quis fuerit, 535 l.1.

Gregorium Nyſſenum Ancyræ contra Baſilium concilium congregaſſe oon eſt credibile, 545.l.7

Gymnaſium.

Gymnaſiis apod Ethnicos ſacerdotes præficiebantur, 83.l.5.

H.

Hadrianus.

HADRIANVS Epiſcopus Thebarum in Theſſalia contra leges canonéſue damnatus, 577.l.50

cur eius cauſa ad Iuſtinianæ primæ Archiepiſcopum delata, 579.l.1.

Hadrianus qui Thebarum dicitur Epiſcopus, an in Græcia, an in Theſſalia fuerit Epiſcopus, 576 l.44

Hæreſis.

Hæreſis noo eſt exorta inter Iudæos quamdiu munus docendi fuit penes ſolos Sacerdotes, 76. l 30. exorta eſt eum fuit penes alios, ibid.l.30

Hæretici.

Hæretici damoati ſchiſma fecerunt, nec tamen ab eorum damnatione abſtiouit Eccleſia, 913.l.40

Helenus.

Helenus Tharſenſis Epiſcopus vtriuſque Ciliciæ Metropolita quanto in honore habitus, 545 cur in Concilio Iconienſi, & Antiocheno ſecundo, primo loco nominatus, 546. cur Firmiliano Cæſarienſi prælatus, 547 l. 9

Heracleenſis.

Heracleenſis Epiſcopus fueritne Metropolitanus conſtantinopolitaoi, 711. an poſt conſtanonopolim in Metropolim erectam retinuerit digoitatem Metropoliticam, 713 l 15

Hierarcha.

Hierarcha dicitur qui principatu potitur, 30.l.3 pro principe Sacerdotum, & pro principe ſacrorum ſumitur, 30.l.6

Hierarchæ nomen improprie poteſt etiam tribui iis omnibus qui in ordioe Eccleſiaſtico & clericali ſuot conſtituti, 32 l. 15. etiam tribuitur iis qui curam Eccleſiæ com Epiſcopo gerebant, aut quibus animarum cura erat commiſſa, 33.l.27

Hierarchæ approbationem & deſtinaoonem non alio modo requirit eellotius quam Huſſitæ requiſierint, 142.l.36

Hierarchæ ij ſoli dicuntur qui à Summo Pontifice approbantur, 449.l.32

Hierarchę minores etiã parochi dici poſſunt, 32.l.26

Hierarchæ nobiliores diceodi noo ſunt qui magis quam alii Angelorum dotes imitantur, 15.l.55

Hierarcharum nomeo ſumitur pro Eccleſiæ rectoribus, 7.l.16

ab Hierarchis qui perficiuntur, ſubiecti vocantor, 9.l.6.

Hierarchia.

Hierarchia ἀπὸ τῆς ἱερᾶς ἀρχῆς, vel ἀπὸ τῶν ἱερῶν ἀρχῶν deriuari poteſt, 22.l.24

Hierarchia minus communiter ſacrum priocipium dicitur, 22.l. 28. potiſſimum à ſacro priocipatu deducitur, ibid.l.35

Hierarchiæ nomen demonſtrat hierarchiam non poſſe eſſe ſine iuriſdictione, 2.l 13

herarchiæ nominis primus aoctor fuit Dioo. 2.l.30

hierarchiæ oomẽ poteſt aboegari indigno, 124.l.24

hierarchię oomen tanqoam peregrinum reprehendit author hiſtoriæ coocilii Tridentini, 2 l.26

ex hierarchiæ vocis abuſu eellotianus error prodiit, 2.l. 28

hierarchia ἱερὰ ἀρχὴ, 2 l.14

hierarchiæ definitionis explicatio ex Guillelmo Antiſſiodorenſi, 11.l.21

hierarchiæ definitiones variæ ex Biele, 16.l.12.l 30

hierarchia ex Tridentino definitur poteſtas ordinis iuriſdictioois & chariſmatũ donis conſtans, 9 l.7

hierarchia poteſt ſumi tam pro ordine agentiom & patientium quam pro functionibus hierarch. 23

hierarchia explicari non poteſt niſi & perſonarum & functionum mentio fiat, 23.l.40

in hierarchiæ definitione cur rerum non perſonarum fit mentio, 94.l.21

hierarchia poteſt dici ſacræ functiones vel earum ordo, 25.l.12

hierarchia deſcribaturne ab Apoſtolo 1. ad Cor. 12. an potios quædam hierarchiæ membra, 174.l.23

hierarchiæ notiooem verã qui oon ſequitur in noo minima abſurda & errorũ precipitia labitur, 2.l.8

hierarchia cur ex S. Dionyſio debet eſſe chariſmatibos innixa, 124.l.32

ad hierarchiam fructuoſam & vtilem requiruntur chariſmata, 124.l.44

hierarchia ſine ſubiectionis & imperii vicibus oulla agnoſcitur, 10.l 14.

hierarchia ab Hugone principatus & imperii oomine inſignitur, 9.l.26

hierarchia pro paſtorum tam ſuperiorum quam

Digitized by Google

inferiorum coordinatione vſurpatur, 21.l.38
de hierarchia Patrum ſententiæ eam ordine, iuriſdictione & chariſmatis debere eſſe inſtructam oſtendunt, 6.l.10
hierarchia quædã ab initio viguiſſe dici poteſt, 24.
hierarchia ſumpta pro virtute regendi eſt in paſtoribus non paſtores in ipſa, 29.l.40
hierarchia non ſumitur apud ſcholaſticos niſi ordinem & iuriſdictionem habeat, 9
hierarchia debet habere ſubditos, 99.100.101.102
quã iuriſdictionẽ poſtulet 111.l.1.an coercitiuã, ib.
hierarchia ex S. Thoma nulla ſine gubernandi poteſtate, 12.l.7
in hierarchia iuriſdictionẽ requirit S Maxim 4.l.44
hierarchia ſtricte ſumpta quomodo diſtinguitur à Cellotio ab hierarchia latè ſumpta, 160.l.26
hierarchiæ & Eccleſiæ non eſt par ratio, 27.l.52
hierarchia nouæ legis reſpondet hierarchiæ veteris, tamquam vmbræ & figuræ, 243.l.12
hierarchiæ propriè dictæ anguſtiores ſunt limites quam Eccleſiæ, 28.l.10
impropriè dictæ ſunt latiores, ibid.l.12
hierarchia cur in diuinis nulla, 99. reſpecto cuius illa dicatur eſſe aliquando in Deo & quomodo, 99.l.46.p.100
hierarchia in diuinis non ponitur, 51.l.44
hierarchia inter beatos ſpiritus & homines poſt diem iudicii ſitne duratura, 139.l.7
hierarchiam quomodo ſumat Dionyſ. 2.l.31.quomodo definiat, ibid.l 40.quomodo deſcribat, 3.l.2
hierarchiam propriè ſumptam in gratia ſanctificante fundare, error eſt Vvicleſi, 137
hierarchiam pro ipſa Pontificali dignitate & diœceſibus ordinibusue hierarchicis ſubditis Epiſcopi regimini vſurpat Sophronius, 6.l.28
ad hierarchiam quæ populorum neceſſitas, 26.l.13
in hierarchiæ graduum & ordinum nominibus non poteſt niſi periculoſe errari, 134 l.36
in hierarchia imperii ſimul & ſubiectionis non ſemel Dionyſius meminit, 2 l.37
in omni hierarchia Dion. adn i tit ordinem ſacrum & operationem aliorum directiuam, 8.l.50
hierarchiarum acceptiones nullas ſuis principiis conſentaneè Cellotius vſurpat, 25.l.18
in hierarchia non ſunt collocandi ii omnes qui auctoritate publica aliquid agunt, 180.l.8.nec õ qui circa executionem legis nudum miniſterium præbent, ibid.l.50
hierarchiæ diuiſio vnde repetenda, 478.l.13
hierarchiæ diuiſio ex Facultate Pariſienſi in Papam, Epiſcopos, & plebanos, 18.l.34
hierarchiæ duæ ſpecies poſſitne ex ordine & iuriſdictionem admitti, 477.l.40
hierarchię finis eſt Euchariſtię diſtributio vel participatio, 245.l.14
hierarchia quo ſenſu dicitur inſtituta ad finem vitę ęternæ obtinendæ, 24.l.51
hierarchiæ ordo quid poſtulat ex Dionyſ. 3.l 20
hierarchiæ ordo in quo conſiſtat, 95. qualis ſit, ibid.l.32. quæ ſubordinatio, 154 l.32
hierarchiæ poteſtas quomodo differat ab aliis poteſtatibus, 97.l.7. habet tres conditiones, ibid. l.21. non poteſt conuenire poteſtati quam chariſmata tribuunt, ibid. quomodo circa res ſacras & rationabiles verſatur, ibid.
hierarchiæ vſus quis fuerit apud cæteros Patres poſt Dionyſium, lin. 40. & quomodo iuriſdictionem in ea requirant, 5.6.7
hierarchiæ Angelorum hominumque beatorum & viatorum, quæ differentia, 401 l.10
hierarchiæ Angelicæ ad homines figuratiua tranſlatio, 13.l.42 cœleſtis ad Eccleſiaſticam, 14
hierarchia Angelorum per quem reſpectum conſtituatur, 110
hierarchia cœleſtis cur potius multiplex quam Eccleſiaſtica, 16.l.46
hierarchiæ cœleſtis & noſtræ differentia, 16.l.1
vtriuſque comparatio, 17.l.25.p.18 l.8
hierarchię cœleſtis ſuperiores perficere potius quam illuminare dicuntur, 47.l.54
medii dicuntur illuminare, ibid.l.55
vltimi purgare, 48.l.1.
in hierarchia etiam cœleſti ſubiectionem admittit S. Maximus, 3.l 10
hierarchia quo ſenſu ſine chariſmatis eſſe poſſit, 123. quo ſeorſu eſſe nequeat, 124
hierarchia chariſmatum quàm ſit Eccleſiæ periculoſa, 133.l.34. eã poſitâ tota Eccleſiæ forma peruertitur, ibid.
hierarchia chariſmatum non modo nouitate ſua, ſed etiam conſecutionum fallacium Collectione periculoſa, 135.l.33
hierarchia chariſmatum fictitia, 96.l.34
hierarchiæ chariſmatum fictitiæ varii errores & contradictiones, 197.205.206.207.211.212.213 214. 215
hierarchia chariſmatum Cellotiana nec principatum ſacrum, nec ſacrum principem dicit, 151. l.21. repugnat naturæ hierarchiæ, 515.l.21
non eſt principium ſacrum, 151.l.29
hierarchia chariſmatum Cellotiana nullum dicit ordinem, nullam ſubordinationem, 154.l 57
hierarchiæ chariſmatum Cellotianæ abſurda quam plurima, 156.157.158.159.160 161. 162.163
ex hierarchia chariſmatum Cellotiana, Eccleſiaſtica conuellitur, 162.l.15
Sacerdotium & poteſtas Eccleſiaſtica quibuſlibet de plebe poterit communicari, ibidem.
Angeli erunt Sacerdotes, paſtores, diaconi, 162
Monachi etiam non ordinati habebunt ordinariam docendi poteſtatem, 163
hierarchiæ chariſmatum Cellotianæ principii conſtitutiui variæ ambages, 163
circa hierarchiæ chariſmatum inter alias hierarchias ordinum variæ Cellotii perplexitates, errores, 165
hierarchia chariſmatum colligi non poteſt ex quarto ad Ephef. & 1.ad Cor.12. p.169.175
hierarchia chariſmatum cellotiana diſcrepat à definitione hierarchiæ concil. Trident. 205
erronea eſt, ibid.
ſi hierarchia chariſmatum ſit ſuprema, hierarchia à Trident. definita æquiuoce tantum dicetur hierarchia, 205.106
ſuprematus Summi Pontificis clanculum euertitur, 206 l.18
hierarchiæ chariſmatum potius quam ordini ſanctitatem eſſe tribuendam erroris arguitur, 207 l.13 naturæ hierarchiæ non conuenit, 146
hierarchiæ chariſmatum cellotianæ quæ confuſio, 135.136
hierarchiæ chariſmatum auctoritatem excellentia

præ

præ cæteris conuenire erroris arguitur, 207.l 4
hierarchiam chariſmatum ſolam in Eccleſia Dei ſufficere, erroris arguitur, 212.l.17
eiſſe omnium primam error eſt Vviclephi, pag. 197.l.15
hierarchiam chariſmatum & tutius certius ſanctitatem conferre quam ſacramentum ordinis, error eſt, 207l.24
per hierarchiam chariſmatum Cellotii fieri aliquem Chriſti vicarium, ex eius doctrina indubitatò colligitur, 138 l.19
hierarchię clericalis cum ſpirituali ſimilitudo, 10 l.26
hierarchia Eccleſiaſtica ſumitur pro ordine ſacro, cui poteſtas ordinis inſeritur, & poteſtas iuriſdictionis debetor, non indiget chariſmatis, ordine & poteſtate diſtinctis, 123.l.30
hierarchia Eccleſiaſtica pro diuerſis legum ſtatibus vna, 94 l.42
hierarchia Eccleſiaſtica & cæleſtis tam ratione finis quam ratione ſubiecti diſtinguuntur, 23.l.52
hierarchia Eccleſiaſtica vna conſtitui oportet, 2.l.10
hierarchia Eccleſiaſtica debet habere pro dotibus ordinem, iuriſdictionem & chariſmata, 2.l.11
has dotes illi tribuunt antiqui ſcriptores, ib.l.22
hierarchiæ Eccleſiaſticæ definitio, 94.l.30
explicatur, 95.l.7
quædam circa illam obſeruantur, 97
hierarchiæ Eccleſiaſticæ duæ dotes maximè neceſſariæ, viſibilitas, & infallibilitas, 875
hierarchiam Eccleſiaſticam Damaſc. vocat ornatum, & quare 3.l.12
ad hierarchiam Eccleſiaſticam nemini niſi per tonſuram aditus patet, 18 l.45
in hierarchia Eccleſiaſtica nemo conſtituitur perfectè qui ſacramento ordinis non ſit initiatus 218. vel ſaltem debeat eſſe, 221
hierarchia legalis qualis fuerit, 112
hierarchia legalis dici poteſt Eccleſiaſtica, 24.l.15
ab Eccleſiaſtica dici poteſt diſtincta ratione finis 24 l 21
hierarchiæ legalis quis olim ordo ſecundus, 853 14
hierarchiæ ordinis à iuriſdictione diuulſæ male a Cellotio Ignatius auctoraſſeritur, 223 226 male Dionyſ. 225.
Hierarchia perſonatum poteſt ſumi tam pro ordinibus ſuperiorum hierarchiſantium, quàm inferiorum hierarchiſandorum, 25.l.31

Hierarchicus.

hierarchicus vir ſumitur pro principantis ordinis atque auctoritatis viro, 8.l.9
hierarchicæ dignitates ex iure tantum Eccleſiæ ortæ non poſſunt ea exercere in ſubditos Epiſcoporũ ſuorum quę poſſunt ipſi Epiſcopi, 482 l 23. quæſit eorum poteſtatis limitatio, ibid.
hierarchicæ ſubordinationis vetus in Eccleſia inſtitutio, 849
hierarchici nominis dignitatem nonniſi Epiſcopo & cæteris è clero eius adiutoribus tribuit Antiochenus Monachus, 5.l.15
hierarchici qui è Chriſtianis dicantur. 392.l.41
hierarchicum miniſterium eſt publicum. 452 l.48
hierarchicis perſonis bonorum publicorum adminiſtratio conceditur, 453.l.9

Hieroſolyma.

Hieroſolyma vocata Aelia, & quare, 796 l 5
Hieroſolymitanę Eccleſię antiqua priuilegia vſque ad tempus Nicænæ ſynodi non notant exemptionem eius ab Eccleſia Cæſarienſi, 806
Hieroſolymorum Epiſcopo qui honor attributus Canone Niceni VII. 7 6
Hieroſolymorum antiſtes erat ſubditus Patriarchę Antiocheno, 810.l.33
hieroſolymorum Epiſcopi ſubiectio Cæſareę Paleſtinę Metropoli, 726 798
Patriarchæ Antiocheno, ibid.
id ex Hieronymo oſtenditur, ibid.
hieroſolymorum antiſtitis ſub Macario prętogatiuæ diſcutiuntur, 811
ſub Maximo Macarii ſucceſſore, 813
ſub Cyrillo, 814
hieroſolymorum Epiſcopus in Conciliis priorem ſuo Metropolitano in ſedendo & ſubſcribendo locum tenebat, 812. l. 16. quare. ibid.
hieroſolymorum antiſtitis ſub Ioanne prętogatiuæ, 816
à Iouenali plurimum auctæ, ibid.
hieroſolymorum primatus initia, 817
confirmata Patriarchica poteſtas in Concil. hieroſol. & diœceſis ei aſſignata, 822
hieroſolymorum Epiſcopus poſt concilium Chalcedonenſe iure Metropolitani vnius Paleſtinæ, & Patriarchę diœceſis trium Paleſtinarum fuit potitus, 824
quaſdam alias prouincias poſt Synodum Chalcedonenſem acquirit, 826

Hilarius.

Hilarius Arelatenſis in condemnatione chelidonii deceptus eſt, 644
non negauit Primatum ſummi Pontificis 645.l.1
cur defendit damnationem Chelidonii, 644 lin. 39
damnatur à Leone, & quare, 605
illud Leonis decretum diſcutitur, ibid.
de hilarii Arelatenſis Primatu multa obſeruantur, 641
hilario Arelatenſi Metropolitica iura ſunt à ſancto Leone adempta, non Exarchica, 646.l.50
hilarii Arelatenſis repreſſa ambitio, non ſublatum Eccleſię Arelatenſis priuilegium. 647.l.10

Homerus.

Homerus longè ante Iſaiam Prophetam floruit, 694

Huſſitæ.

Huſſitæ & Vviclefiſtæ nullam in fideles iuriſdictionem coercitiuam admittebant, pagi. 138. pag. 139
huſſitæ & Vviclefiſtæ ex impuris Valdenſium fontibus ſuos errores hauſerant, 139.l.25
ſuę hierarchiæ proceres Maiores vocabant, ibid.
quomodo maiores, ibid.
huſſitæ & Vviclefiſtę ſolam chariſmatum hierarchiam admiſerunt, 141

I.

S. Iacobus.

S. IACOBVS non fuit primus Hieroſolymorum Patriarcha, 904.l.18

Illuminatio.

Illuminatio hominis ab Angelo quomodo differat ab illuminatione hominis ab homine, 330. lin.4.

Illyricum.

Illyricum in ſeptendecim prouincias diuiſum eſt 554.l.17. eius aliqua pars ſubdita fuit Theodoſio, 555.l.3

Illyricum quando diuiſum in Orientale & Occidentale, 556.18

Illyrici duplex notio, 540.l.50

Illyrici prouincia quando à Romano Pontifice detracta, & à quo, 583.l.25

Impii.

Impii, ſacerdotes eſſe non deſinunt, 123 l.42

Impoſſibile.

Impoſſibile dicitur in iure, quod ſine crimine fieri non poteſt, 224.l.29

Infallibilitas.

Infallibilitas in Eccleſia duplex, vna actiua, altera paſſiua, 880

Infallibilitas popolorum in Eccleſia pendet ab infallibilitate paſtorum, non è contra. ibid.l.27

Initiandi.

Initiandi in Hierarchia locum non habent, 26.l.52

Initiandi non ſunt in vllo ordine aut vlla ſpecie Hierarchiæ, 27.l.28

Inſtrumentum.

Inſtrumenta coniunctiora non ſunt ſemper nobiliora inſtrumentis magis ſeparatis, 313.l.15

Ioannes.

Ioannes Apoſtolus noluit ingredi Balneum in quo eſſet Cerenthus, & quare, 433.l.2

Ioanis Patriarchæ Conſtantinopolitani erga ſedem Apoſtolicam ſubdiecto & reuerentia, pag. 774.l.10

Ionas.

Ionas an ex fæce populi poſſit dici aſſumptus, 117 lin.14.

Iſaias.

Iſaias Propheta quo tempore inceperit prophetare 694.l.20.

Iſidorus.

Iſidorus Hiſpalenſis quo tempore floruerit, pag. 869.l.20

Iudicare ſitne actus Hierarchicus, 63

Iudicia.

Iudicia ciuilia licet ordinata fuerint ab Hierarcha, non ſunt Hierarchica, 63.l.22

Iudicia à ſpiritali poteſtate profecta an ſint Hierarchica ſi laico committantur, aut clerico non initiato, 63.l.42

Iuriſdictio.

Iuriſdictio olim nulli niſi in ſui vel inferioris ordinis viros conueniebat, 853

Iuriſdictio aliquando chariſma dicitur, pag. 129 lin.12

Iuriſdictio ſumi poteſt pro qualibet auctoritate in alios, 384.l.22

Iuriſdictionis tres gradus, 384.l.38

Iuriſdictionis actus debeatne eſſe cum ſanctitate interiori coniunctos 201

Iuriſdictio aliqua coactiua eſt in Eccleſia, pagina 419.

eam adimentes damnantur, ibid.

Iuriſdictio coactiua ad Hierarchiam requiritur, lin.34

omnibus numeris abſoluta ad Hierarchiam non requiritur, 460. quæ ſufficiat, ibidem.

Iuriſdictio delegata non eſt ſtabilis, 471.l.48

nullam tribuit dignitatem, 471.l.50.p.472

nullam ſubordinationem inuoluit, 474.l.10

non dicit neceſſariam cum ſacris ordinibus coniunctionem, 475.l.25

aliquando fœminis fuit delegata, ibid.

Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ duplex virtus, 391.l.12

Iuriſdictio ad Hierarchiam qualis requiratur, 390

an iuriſdictio neceſſaria, ibid.

Iuriſdictio voluntaria ſufficit vt quis in Hierarchia imperfecta conſtituatur. 388.l.53

non ſufficit vt quis conſtituatur perfectè, 390

Iuriſdictio Hierarchica debet eſſe neceſſaria ex parte agentis, ſeu ordinantis, 467.469. 470.471. non delegatur, ibid. debet eſſe cum obligatione coniuncta, ibid. vnde oriatur eiuſmodi obligatio, 468.l.5. qualis eſſe deberet, 469

Iuuenalis.

Iuuenalis. Hieroſol. ſtabiliendæ poteſtatis Patriarchicæ opportunam nactus occaſionem, 819 l.4 circa eam ſtabiliendam varii eius conatus, ibid. nec magnæ exiſtimationis, 817.l.52. primus Hieroſolymis Exarchicam poteſtatem vſurpauit, ib. quæ prima eius vſurpationis indicia, ibid. eius Patriarchicæ dignitatis in Conc. Epheſino quædam argumenta, 821. eius dignitas confirmata in Concil. Chalcedonenſi & diœceſis ei aſſignata 833

L

Laicus.

LAÏCVS in negotio ſpiritali iudicis ordinarii aſſeſſor & conſultor eſſe poteſt, 475.l.48

Laicus in neceſſitate corpus Chriſti aliquando diſtribuit, 376.l.38

Laici quo ſenſu in Hierarchia eſſe dicantur, 26.l.44

nihil habent quo Hierarchiam conſtituant. 26.

male à Cellotin in hierarchia collocantur, 27.l.5

Laici non ſunt in vllo ordine, aut in vlla ſpecie hierarchiæ, 27.l.18.p.160.p.451.l.38. ſunt ſub hierarchia, 29.l.41. non dicuntur eſſe impropriè in hierarchia, ſed eſſe in hierar. impropriè dicta 29

Laici non poſſunt dici hierarchicas actiones exercere, 35.l.44. initio Eccleſiæ in ſacris ſynaxibus canebant, 182l.44.

Laicis etiam competit perfectionis ſtudium, 936

Lariſſa.

Lariſſa Theſſaliæ Metropolis, 576

Lectio.

Lectiones Doctoris nulla iuriſdictione valentis non ſunt hierarchicæ, 89.l.24

ſi ſint ex auctoritate Eccleſiæ, quamuis deſit ordo ſacer, poſſunt dici impropriè hierarchicæ, ib.

Lectiones ſacræ Scripturæ olim in Eccleſia fiebant 82 l.40

Lex.

Legis naturæ tempore domeſticum imperium cum ſacerdotio erat coniunctum, 440 l 18

in Lege Moſaïca ſacrificium aliquod patrum familias diſpoſitioni committebatur, 441 l.30

in eadem lege Summus Pontifex imperium domeſticum in Leuitas & Sacerdotes habebat, 441 l.50

in lege Moſaïca excommunicationis vſus inductus fuit, 440.30. triplex tunc erat excommunicationis ſpecies, 440.

Leonis.

Leonis decretum aduerſus Arelatenſem Metropolitanum diſcutitur, 605

aliud inter Arelat. & Viennenſem diſcutitur, 608.609.610.611 612

eius ferendi neceſſitas 612. illius obſeruatio, 611.

Leoni libellis ſupplicibus oblatis ab Arelatenſis & Viennenſis ſuffraganeis, qui ſubſcripſerint, 609.610.613

Leontius.

Leontius alter Fotoiulienſis, alter Arelatenſis, 606.607. quis fuerit vterque, ibid.

Licentia.

Licentia quę ad miniſteria Eccleſiaſtica liberè exercendi conceditur iuriſdictionis eſt, 19.l.26

Lugdunenſis.

Lugdunenſis Epiſcopus ante Nicęnum habuit aliquos Epiſcopos ſubditos, 585.l.36

eius authoritas, 587

Lugdunenſes præſules Primatus dignitatem fuiſſe conſequutos eſt probabile, 668

quo tempore id contigerit, ibid.

Lydia.

Lydia quæ eſt in Aſia minori tempore Iſaiæ Mæonia vocabatur, 694.l.20

Lydia de qua apud Iſaiam fit mentio, quæ ſit, 694.

Lydii, qui cap. 46 Ieremiæ nominantur, qui fuerint, 695.l.2

M.

MAIOR ex hæreticorum ſenſu quis ſit in Eccleſia, 412 l.13

Maiores quos in Eccleſia dixerint Huſſitæ & Vviclefiſtæ, 139

maiores apud Romanos olim Flamines dicebantur 139.

apud Longobardos qui dicebantur, ibid.

Maioritas.

maioritas quam Huſſius & Vviclefus in Eccleſia militante admittebant Cellotianæ chariſmatum Hierarchiæ conuenit, 138.40

ſecundum eorum mentem nihil eſt aliud, quàm vis quædam Hierarchica ab ordine & iuriſdictione diuulſa, ibid.

illam dari vi chariſmatum charitatis virtutum negat Concilium Conſtantienſe, ibid.

Marſilius.

marſilii de Padua iuriſdictionem Eccleſiæ coactiuam impugnantis quæ fundamenta, 420

Maſſilienſis.

maſſilienſis Epiſcopus fueritne Arelatenſis ſuffraganeus, 604

maſſilienſes Epiſcopi quomodo dicuntur fuiſſe comprouincialium primi, quomodo & quando effecti vltimi, 603

Maurianenſis.

maurianenſis Ecclesiæ quo tempore ſit in hiſtoria mentio, 615.l.37

Maxima Sequanorum

maximæ Sequanorum prouinciæ antiquitas, 621

Medicina.

medicinæ profeſſores olim debebant eſſe clerici, 86.l.12

Mendicantes.

mendicantium priuilegia debent Epiſcopis nota fieri, 908.l.32

Menſa.

menſæ quibus olim diaconi miniſtrabant non ex toto prophanæ, ſed etiam ſacræ erant, 364.l.46

metropolis Arelatenſis dignitas & antiquitas, 587

Lugdunenſis, ibid. Senonenſis, 588

Bituricenſis, ibid. Rothomagenſis, ibid.

Remenſis, 589. Burdegalenſis, ibid.

Turonenſis, 590. Ebredunenſis, ibid.

Aquenſis, 591. Tarentaſienſis, 592

Narbonenſis, 559.6 6

Arelatenſis, Viennenſis 597

Auſciorum, 619

Veſontionenſis, 621

Moguntina & Colonienſis, 624

metropoleon Arelatenſis & Viennenſis termini aliquando ignoti & quare, 602

metropolis Treuirenſis. 631. Tholoſana, 632

Aueniocenſis, 633. Pariſienſis, ibid.

Cameracenſis & Machlinienſis, ibid.

metropoleon diſtinctio in Francia quo ſenſu ſub finem regni Merouingiorum exoleuiſſe dicitur, 628

Metropolita.

metropolita quis dicatur, 574 l.7

an maior Archiepiſcopo, ibid.

metropolitæ antequam pallium à Sede Apoſtolica recipiant conſecrationem facere non poſſunt, 665.l.4

Metropolitanus.

metropolitanus totius prouinciæ iudex dicitur, 484

poteſt in tota ſua prouincia facere crucem ſibi præferri, 495.l.27

metropolitanus graſſante hæreſi per prouinciam, poteſt in eam ſuam iuriſdictionem extendere, 494.l.14

non eſt iudex immediatus omnium fidelium prouinciæ, 497.l.7

circa ſuffraganeos non habet omnimodam poteſtatem, ibid.

inter viſitandum de quibus cognoſcat, 48[illegible]

quid agere vel concedere poſſit, ibid.

in ſua prouincia poteſtatem concedendi indulgentias habet, 488

metropolitanus quid circa ſuos ſuffraganeos & ipſis ſubditos exequi poſſit, 482

Metropolitanus potius circa ſoffraganeos, quàm circa ſubditos ipſorum poteſtatem habet, 433. 500 l 31. quæ præſertim non poſſit in ſuos ſuffraganeos, 497. in ſubditos ſoffraganeorum, 498
eius circa ſuffraganeos poteſtas in Tridentino valde reſtricta, 484.l.34
quid circa ſubditos ſuffraganei poſſit, 485
quibus in caſibus habeat in eos iuriſdictionem, ibid & p 494. ſuffraganeo negligente aut nolente, in eum cura & auctoritas diœceſis incumbit, 485 ad extirpandam inueteratam conſuetudinem in tota prouincia quomodo iudex euadat, 486
Metropolitanus quas ob cauſas integræ ſui ſoffraganei diœceſeos viſitationem aggrederetur, 490 l. 32. quid ſpecialiter in Monachos & Moniales poſſit, ibid.
à ſuffraganeo ad conſulendum & adiuuandum in rebus arduis inuitatur, 491
Metropolitanos ſoffraganei conſilium aliquando debet petere, 493.l.12
Metropolitani iuris eſt Epiſcopos ad Concilium vocare, & ſi opus eſt compellere. 484.l.6
decreta Concilii redigere, ibid.
ad Metropolitanum nonnumquam ab infirmitatem, vel mortem iuriſdictionis officium refertur, 487
Metropolitano clerici crimen depoſitione dignum quomodo olim reſeruatum, 487
à Metropolitano clerici & Epiſcopi extra diœceſim abituri litteras commendatitias nonnunquam ſumere cogebantur, 483.l.40
Metropolitani cur aliquando poſt alios ſibi inferiores ſubſcripſerunt, 678
eorum immotatio ex priori vel poſteriori ſubſcriptionis loco colligi non poteſt, 679
Metropolitanos inter modo vnus modo alter in diuerſis Galliæ Conciliis ſubſcripſiſſe leguntur, 631. & quare, ibid.
Metropolitani cur modo priores modo poſteriores in conciliis ſubſcribunt 683.l.50
Metropolitani Primo iudicio coram Patriarchis conuenire ſoliti, 839
à Synodis prouinciæ aliquando iudicari, 840
Metropolitani maioris dignitatis dicti ſunt Patriarchæ, 687.l.40
Metropolitani Ponticæ, Aſianæ & Thraciæ diœceſeos eſſentne pari iure ac poteſtate, 551.l.11
Metropolitani ſæpe delegati à Sede Apoſtolica ad cauſas aliquas fidelium totius prouinciæ audiendas, 495
Metropolitani in Gallia ante Concilium Nicænum, 585. ante Conſtantinum plures quam quatuor, 595
Metropolitani duntaxat ad Concilium Patriarchale congregari ſolebant, 843.l.43
per Patriarcham conuocati parere debebant, 844
Metropolitani iubentur potius dici primæ ſedis Epiſcopi quam principes Epiſcoporum, 852.l 18
Metropolitanorum in Gallia antiquitas probatur, 584
Metropolitanorum dignitas in Gallia tam antiqua quam Euangelii prædicatio, 596.l.16
in Germania aliquo ante Zachariam tempore viluit, & quare, 628.l.7
Metropolitanorum & primatum diuerſa auctoritas, 643 l.6
Metropolitanorum aliquorum pro primatu obtinendo tempore Gregorii conatus, 662
de ſuis primatibus neglectus, ibid.
Metropolitanorum origo ab Apoſtolis petenda, 849. l.13. quæ prima eorum inſtitutionis ratio, ibid.l.52
Metropolitanis quibuſdam conceſſum fuit priuilegium procedendi cum lampade, 583.l.12
metropolitanos inter & Epiſcopos quis ordo ſeruandus, 684.685

Miniſtratio.

Miniſtrationum chariſmata cur à S. Paulo Chriſto tribuuntur, 131 l.1

Miniſter.

Miniſtri nomine ſoli diaconi intelliguntur à concilio Trident. 255.l,12
Miniſtri nomine paſſim apud Patres diaconi intelliguntur, 240.l.40.241
miniſtri Hierarchici inſtruuntur per communicationem quam in exhibendo altaribus miniſterio recipiunt, 245.l.48

Miraculum.

Miraculorum operatio non eſt Hierarchica, 148. lin.27

Miſſa.

Miſſæ celebratio à ſimplici Sacerdote facta dicit aliquam iuriſdictionem, 59.l.54
quomodo poſſit dici hierarchica, 60 l.12
Miſſæ Parochiales meritò dici poſſunt hierarchicæ 61,l.16. ſunt expreſſa imago ſynaxeon primitiuæ Eccleſiæ, 61.l.2

Moguntia.

Moguntia celebris apud antiquos, 624
Germaniæ primæ Metropolis, ibid.
quo tempore ſit inſtituta, ibid.631

Monachatus.

ad monachatum aliqui inuiti ab Eccleſia contruſi ſunt, 280

Monachus.

Monachus nomine publico non orat aut ieiunat, 40.l.5.
monachi ex ſuo ſtatu tantum recipiendis hierarchicis illuminationibus idonei ſunt, 40.l.14
monachi inſtitutio Epiſcopo tribuitur, 48 l.52
monachi vt monachi ſunt, à ſuperiori hierarchia arcentur, 12 l 16
in priuatis ſcholis preſbyterorum ſubſidio fuerunt, 85.l.34
monachi & moniales ſacerdotibus decimas debent vt precentur & Deum colant. 51.l.31
quod datum eſt monachis ab Eccleſia, id per modum eleemoſynæ fuit conceſſum, 51.l.36
monachi non ſunt in hierarchia reponendi, 179
cur toto capite raduntur, 270.l.34
cur pœnitentes dicuntur, 274.275
ex officio publico non orant, 147.l44
Monachi ex charitate tantum aliis prodeſſe debent, 150.l. 24. ſpecialiter Epiſcopis ſubiici dicuntur, 360.l.19
olim poſt vniuerſum clerum ad communionem accedere ſolebant, 378.l.9
in ſacris & Eccleſiaſticis precationibus clericis cuiuſcunque ordinis poſtponi debent, 379.l.19

Digitized by Google

in proceſſionibus Eccleſiaſticis nonniſi poſt clericos procedebant, 380.l.3
an & quando in eodem quo clerici loco communicarent, 380.l.aa.p.381
monachicum Chriſto inducta à Cellotio comparatio blaſphema, 639
à monachis pœnitentium nomen cur amouet Cellotius, ibid.
monachis primis Deus maiora beneficia effundebat, 914.l.25
monachorum & clericorum vitæ quodnam diſcrimen, 147.l.8.
monachorum vita indiuidua & vniformis eſſe debet, 150.l.42
monachorum in clericos promouendorum poteſt ab Eccleſia numerus determinari, 295
monachorum ieionia & mortificationes non ſunt actiones Hierarchicæ, 54
monachorum in Oriente ab Epiſcoporum poteſtate exemptionis quæ nota, 847.l.50
monachis & monialibus nulla à populo debentur ſtipendia, 52.l.31
monachis ſolis non incumbit perfectionis ſtudium 931.l.41.p.916
monachos presbyteris & diaconis ſubiici oſtenditur, 357.358
monachos magis de alienis quam de propriis peccatis pœnitentiam agere falſum eſt, 639
monachos ex ritu conſecrationis non habere auctoritatem oſtenditur, 276
monaſticæ vitæ ſtatus cur dicatur pœnitentia, 274 l.28. illi non conuenit ex officio pro populo orare, & Dei voluntatem illi nuntiare, 52.l.32. & p.53.

Monaſterium.

monaſterium damnatis ad mortem nonnunquam ad pœnitentiam fuit datum, 281.l.t.
in monaſterium ad tempus pœnitentiæ cauſa multi detruſi, 281 l.·o
aliquando in perpetuum ob atrocia crimina, ibid. l.42. an ii ad monachatus profeſſionem fuerint compulſi, 282.283.284.285
monaſteria quamuis ſceleratos recipiant non minus debent dici adyta ſanctitatis, 288.l.30
in monaſteriis olim litteræ ſacræ edocebantur, 838
monaſteriorum ædes Eccleſiæ non vocantur, & quare, 40.l.55

Moniales.

moniales non ſunt in Hierarchia reponendæ, 179
monialium reſpectu Hierarchiæ eadem ratio quæ monachorum, 150.l.50

P. Morinus.

P. Morinus à quodam Nouatore male reprehenſus, 648.l 6

Mulieres.

Mulieres vxoratæ alternis choris cum hominibus canere permittebantur tempore primitiuæ Eccleſiæ, 181.l.28
mulieribus in Eccleſia tacendi cur à Paulo fuit impoſitum præceptum, ibid.l.44
mulieres in Hierarchia ordinis locum habere non poſſunt, 260.261

N.

Narbona.

NARBONA quarta pars totius Galliæ in diuiſione Auguſti, 599.l.5
quando ad fidem conuerſa, ibid.
eius encomia, 616.l.50.617
Narbonenſis Metropolis antiquitas, 616
eius authoritas ab Arelatenſi vſurpata, 617.l.42
reſtituta, ibid.
quædam circa eius poteſtatem immutata, 618 l.50.p.619
Narbonenſis Archiepiſcopi ſuffraganei, 619.l.33
Narbonenſis prouincia à Quinto Fabio in prouinciam redacta, 635.l.30
in alias prouincias diuiſa, ibid.
eius diuiſio, 595.l.5

Nicon.

Nicon, qui aduerſus Armenorum errores ſcripſit, quis fuerit, 535.l.27

Nicopolis.

Nicopolis olim erat Metropolis Armeniæ primæ, 527.l.6.

Niſibenſis.

in Niſibenſi ſchola diuina lex per Magiſtros publicos docebatur, 80.l.44

O.

Octodorus.

OCTODORVS ciuitas cui Metropolitano fuerit ſubiecta, 593

Officium.

Officia ſubdiaconatus & aliorum inferiorum ordinum ſunt pars aliqua officii diaconatus, 56.l.5

Opus.

Opera religioſæ mortificationis nonniſi ſignificatione ab Hierarchica explicatione alieniſſima poſſunt vocari, 123.l.10
Opera miſericordiæ ſintne Hierarchica, 148.l.40

Operatio.

Operationum chariſmata cur à Paulo patri æterno tribuuntur, 130.l.50
Operationes Hierarchicæ, vide actus Hierarchici.

Oratio.

Oratio ſitne actio Hierarchica, 147.l.42

Ordinatio

per Ordinationem aliquæ gratiæ gratis datæ etiam iam inuiſibili diuinæ gratiæ effectu conceduntur, 125.l.18

Ordo.

Ordo clericalis quo ſenſu dicatur eſſe conſecratorius, p.456 l.12
Ordo opitolatorius ab Apoſtolo 1. ad Corinthios ſtatutos non conuenit Monachis, 175 l 2
Ordo ſacer eſt neceſſarius ad Eccleſiaſticam Hierarchiam, 217
Ordo in Hierarchia dicitur aliquando chariſma, 129.l.12
Ordo Hierarchicus per paſſionem poteſtatis ad agendum in ſuo gradu conſtituitur, 38.l.42
in paſſione tamen non conſiſtit, ibid.l.37
Ordinis acceptiones variæ, 217
Ordines Eccleſiaſtici ſunt participationes Sacerdotii Chriſti, 5 l.8.
Ordines Eccleſiaſtici ſoli ad orandum pro populo deſtinati ſunt, 40.l.42

Ordines populi inſtitutioni à Deo in veteri lege prępoſiti qoi eſſent, 244.l.16
Ordines Epiſcopi, preſbyteri, & diaconi eſſe verè Hierarchicos variis Pattum auctoritatib. oſtenditor 230.231 232.233.234.235
Ordines tantum Epiſcoporum, preſbyterorum, diaconorum, oon inferiorum ordinum ſunt hierarchici, 240
Ordines ſoli Epiſcoporum, preſbyterorum & diaconorum habeot poteſtatem benedicendi, 249
Ordines ſuperiores inferioribus imperitans, 854
Ordines inferiores oon auctoritatiuè, ſed purè miniſterialiter purgant 242.l 31
Ordines inferiores diaconatu dicuntur diaconatus miniſteria, 257.l.21. actiooes Hierarchicas materialiser tantum, non formaliter attingoot, pag. 258.l.14
Ordines inferiores diaconatu quo ſenſu dici poſſiot Hierarchici, 257.l.3.
an Ordines ioferiores inter Angelos à ſoperioribus illuſtrentur, 107 108.109
an ſint Hierarchiſantes & Hierarchiſati, ibid.
Ordinis ſacri an iuriſdictionis ad honoris prærogatiuam deferendam maior habeatur ratio, 833. l.12
Osdinum diuerſitas in Hierarchia requiritur, 11.l.50
Ordioum Epiſcoporum, Preſbyterorum, diaconorum ſupra reliquos variæ prætogatiuæ, 233
Ordinum Hierarchicorum vnus eſt Sacerdotum, alius miniſtrorum. 855
Ordinibus inferioribus cur ad principandum aliqoi eiuſdem ordinis oon aſſumuntur, 251.42
ad Ordines hierarchicos noo vulgaris diſpoſitio eſt adhibenda, 909.l.14
de Ordinibus religioſis ſimile dici non poreſt, qood de Hierarchia, 24.51
in ſingulis Ordinibus Hierarchicis quidam ſuns cæterorom eiuſdem ordinis primores, 864.l.34

Origenes.

Origeoes etiam laicus au & quomodo in Alexandrina ſchola docuerit 66.l.3

Oſtiarius.

Oſtiarii officium Chriſtus demonſtrauit eiiciens vendentes & ementes è templo. 422.l.43

P.

Palæſtina.

PALÆSTINA erat ſubdita Patriarchæ Antiocheno, 708.l.40

Pallium

Palliom ös ſolis olim conceſſum qui Summi Pontificis vicem gereteos, 6. .l.3
Pallii conceſſio ſignum erat independentiæ, 569.

Parentes.

Parentes inſtitutionis ad pietatem debent eſſe auchores, 451.l.5

Pariſienſis.

Pariſienſis ciuitas tempore Iulii Cæſaris præ Senonum & Carnutum ciuitatibos minoris erat momenti, 596 l.30
tempore Conſtantini maioris fuit dignitatis, ib.

Parochi.

Parochi dici poſſunt Hierarchæ minores, 35.l.26

Paſcha.

Paſchatis diem aliis per prouincias ſignificare primatus fuit, 648.l.46

Paſtor.

Paſtoris quænam ſint officia, 333
Paſtores Eccleſiæ aliquando vocaotur principes, Reges, 445.l.18
iudices, ibid. ſenatores, ibid.
Paſtores viſibiles in Eccleſia dantur, 335.l.50.p.336
Paſtores diuino iure ſont inſtituti 911.l.11
Paſtoribus potiſſimùm conuenit & orare Deum pro populo & populis voluntatem Dei nunciare, 52.l.33

Pati.

Pati tantum diſpoſitiuè Hierarchicum dici poteſt, 29.l.32

Patriarcha.

Patriarchæ nominis diuerſæ acceptiones, 686
Patriarchæ nomeo in quauis ſecta fuit honorificum, 687.l 20
Epiſcopis propriè attribui poteſt, 689.l.50
quibos potiſſimum, ibid. & quare, ibid.
pluribus Epiſcopis attributum eorum æqualitatem non oſtendit, 689
ſiogulariter quibuſdam tantum excellentioribus Patriarchis attributum, 690
Patriarcha Iudæorum poſt Chriſtum Tyberiade in Palęſtina verſari ſolebat, 687.l.8
Patriarchæ maiores aliqoando dicti ſunt Archiepiſcopi, 693.l.28
Patriarchæ maiores olim erant taotum tre., 693 l.43. ab Iſaia Propheta ſunt prædicti, 693
Patriarchæ vbique deferunt inſignia poteſtatis, 830
Patriarchæ præ cæteris Epiſcopis Apoſtolicæ poteſtatis magis participes, 834
ii ſoli pallium per quod poteſtatis Epiſcopalis plenitudo ſignificatur, ſubditis ſiue Metropolitanis impertiri poſſunt, 835.l.4
eorum præ ceteris eſt prælodere populis & infidelibus, vt ipſis Chriſti fides prædicetur, 833. l.12
Patriarchę io vniuerſali Eccleſię regimine ſummi Pontifici ſingulares ſunt aſſeſſores, 831
quæ ſenſu sotam Eccleſiam rgeunt, 831
Patriarcharum concordia fouet Eccleſiæ vnitatem, 827
Patriarcharum communicatio inter ſe ſtrictior, 828
Patriarcharum cura circa diſciplinam Eccleſiaſticam, 846. circa Monaſteria cura & auctoritas, 847
Patriarcharum inſtitutionis quæ prima ratio, 849 l.52
Patriarcharum origo ab Apoſtolis repteoda, 849.
Patriarcharum nomina ſacris dyptichis erant inſcribenda, 829. in ſacris liturgiis legenda, ibid.
Patriarcharum poteſtas in Primases, Metropolitanos, Epiſcopos, ib.
in ordinandis tam Metropolitanis quàm Epiſcopis quibuſdam ſuarum diœceſeon, 836
ipſis cum primatibus & Exarchis priuilegia pluſima communia, 836.l.6
Patriarcharum io Conciliis generalibus præſentia vel legatio quantum expetita. 833
Patriarcharum eſſe dare iudices, 841
Patriarchis de nouo ſubortæ hæreſes renunciar, ſolitæ, 832.l.2
Patriarchis conceſſum ius abſoluendi à peccatis & cenſuris, 844

poteſtas legiſlatiua, 845
Patriarchis ius conuocandi concilia conuenire, 843.
ad Patriarchas maiorum cauſarum relationes, 837 Epiſcoporum, primatum, imò & Clericorum cauſæ relatæ, 838.839
patriarchas Alexandrinos poſt Concilium Chalcedonenſe non legimus magno zelo pro ſuo priuilegio decertaſſe, 904.l.50
patriarcha Antiochenus num deberet coram hieroſolymitano ſiſti, 820 l.37
patriarcha Conſtantinopolit. ex aliis patriarchatibus appellationes à Metropolitanis recipere non poterat, 760.l.34
an ſaltem ius integrum Exarchicum Heracleenſi, Epheſino, & Cæſarienſi Cappadociæ præſulibus in diœceſibus Thracica, Aſiana, & Pontica ademerit, 768
quo tempore primùm eſſe cœperit, 792. qua occaſione, ib. ei relučtati ſunt Leo & Gelaſius, 793
patriarchæ Conſtantinopolitani ſub Nectario vſurpationes examinantur, 728
ſub Ioanne Chryſoſtomo, 730.736
ſub Attico, 732 734.735
ſub Proclo & Flauiano, 736.737
ſub Anatolio, 740
temporibus Zenonis & Anaſtaſii Imperatorum, 770. poteſtas tempore Iuſtini Imperatoris 774. ſub Iuſtiniano, 776
patriarchæ Conſtantinopolitani ad indicandum de omnibus cauſis Chartularium loco ſui iudicem conſtituerunt. 8,2.l.46
patriarchæ Conſtantinopolitani prætenſio ab Arelatenſis & Viennenſis contentione toto cœlo diſtat, 904.l.30
patriarchæ Conſtantinopolitano quæ prouinciæ primò ſint ſubiectæ, 779.l.38
patriarcha Conſtantinopolitano inſtituto non deſinebat remanere primatus prouinciarum Thraciæ, Aſianæ & Ponticæ, 780.l.8
patriarchales ſedes cur potiſſimum in maioribus ciuitatibus inſtitutæ, 702
patriarchalium trium primarum ſedium myſticæ quædam ſignificationes, 705 l.33
patriarchalium ſedium erectio prior Concilio Niceno, 709. eſt Apoſtolicæ inſtitutionis, ibid.
patriarchalis dignitatis inſignia apud Græcos, 830 lin.26

Patriarchatus.

patriarchatus Antiochenus per Lydiam ſagittiferam rectè intelligitur, 695.l.12
agnitus à Niceno, 706.l.29
à Concil Conſtantinopolitano primo, 707.l 15 Chalcedonenſi, ibid. ipſi erat ſubdita Palæſtina 708 l.40
patriarchatus Conſtantinopolitani erigendi occaſio, 709
patriarchatus Conſtantinopolitanus cur priuilegiis canonum Concilii Chalcedonenſis ſine conſenſu Summi Pontificis non potuit donari, 572.l.8
patriarchatus Conſtantinopolitanus tempore Iuſtiniani omnes prouincias diœceſeon Aſianæ, Ponticæ, Thraciciæ complexus eſt, 790.l.30
patriarchatus hieroſolymorum erigendi quæ cauſa fuit, 795. initium, ibid.
patriarchatus hieroſolymorum erectioni in Concilio Chalcedonenſi cur legati Sedis Apoſtolicæ conſentiunt, Conſtantinopolitani vero minimè, 823.l.1. circa diœceſim ipſi vt patriarchæ ac prouinciam vt Metropolitano attributam corollaria quædam 824
patriarchatus Romanus etiam primis temporibus totam Græciam tenebat. 904 l.8

Patroclus.

patroclo Arelatenſi fuit conceſſum vt Epiſcopis longius abeuntibus litteras daret ſine quibus proficiſci eis liceret, 638
illud priuilegium fuit illi ſoli proprium, non Eccleſiæ Arelatenſis, 639.l.8

Pelagiana hær.

pelagiana hæreſis non conſiſtebat in eo quod excitationes, & exhortationes quæ ad fidem nos ducunt, naturales, diceret, 318.l.40

Pelagonia.

pelagonia aliquando pro Macedonia ſumitur, 560

Perfectio.

perfectionis ſtudium non competit ſolis Monachis, 935.l.41.p.936
perfectionis maius ſtudium Epiſcopis,& quibuſlibet paſtoribus competere quam Monachis aſſerunt patres, 912.l.34

S. Petrus.

S. Petrus ſemper Romæ in throno ſedere quomodo dicitur, 349 l.31. an etiam tempore interpontificii ibid & p.2.l.16
S. Petrus trium Patriarchalium ſedium author, 695 quorum præcipuè in iis inſtituendis rationem habuerit, 702.703.704
Romanæ ſedis origo & inſtitutio 695
petrus quà Romanus Epiſcopus apoſtolis non erat inferior, 871. quà Romanus Epiſcopus liberam & independentem habebat poteſtatem, 891 cur cæteris apoſtolis auctoritate & imperio dicatur prælatus, 2.l.6
petri principatum ſupra cæteros apoſtolos chariſmatum eſſe, non iuriſdictionis aſſerere vox eſt hæreticorum, 2 l.19
petro cur potius dicantur datæ claues quam ipſi Eccleſiæ, 342.l.47
petro vt capiti Eccleſiæ, vt patriarchæ, vt Epiſcopo Romano ineptæ functiones aliquæ ſingulis rationibus reſpondentes aſſignantur, 892
in petro non fuit accidentarium eſſe caput Eccleſię & eſſe vel debuiſſe certæ Eccleſię Epiſcopum, 892.l.3

Phariſæi.

phariſæi non erant neceſſario ex tribu Leuitica, 71.l.20. quomodo habuerint prouinciam docendi, 74.l.12
phariſæi ſacerdotibus Leuiticæ legis ſubſidiarii creati ſunt, 75 l.6
phariſæi à ſecta & auſteriori viuendi genere ſic dicebantur, 75.l.17. à voce phares, 938.l.42
phariſæi ab Eſſenorum inſtitutis promanarunt, 76 quomodo ab iis differebant, ibid.

Pietas.

pietatis exercitia cur non ſint hierarchiæ functiones, 93.l.15

Plebs.

plebis inſtructio preſbytero committitur, 48.l.13 dicitur illuminatio, ibid.
pœna publica quæ ſit, 447.l.34. domeſtica quæ, ib.
pœnæ corporales principatus ſacri cur quodam-

modo ſpiritales dici poſſunt, 412.l.1.p.413.l.1

Pœnitentes.

pœnitentes publici ad clericatum promoueri non poſſunt, 276. l. 26. debeantne dici vaſa contumeliæ, 639

Pœnitentia.

pœnitentia tempore Tertulliani & Cypriani fueritne ſimpliciter inuoluntaria, & voluntaria ſecundum qoid, 286.l.20.p.287

pœnitentiæ in clericis & Monachis diuerſa ratio, 275. 276

pœnitentiā ſanitas ſpiritalis non deteritor, 639

pœnitentia debeatne dici inuoluntaria pagma. 640.

Pontifex.

Pontifex ordinans alium antiſtitem non adhiber ſigna tantum externa & gratiæ vacua, 203.l.38

Pontifex non poteſt dici conſtitui à Cardinalibus ſuper gentes & regna, 858.l.34

poteſt tamen dici eligi, deſignari, ibid.

Pontifex Romanus ſolius Romani cleri iudicio olim graſſante perſecutione multa ad Eccleſiæ pacem & directionem ſtatuit, 901.l.19

Pontifex Summus ſępe Patriarcha dicitur, pag. 693.l.35

Pontificis auctoritati nulli limites præſcripti, pag. 886.l 50

Pontificis Romani circa Metropolit. Iuſtinianæ primæ iouriſdictio, 582.l.32

Pontifici peculiari iure proprium eſt vt oret pro populo, 40.l.27

Pontificem à ſubditis Religioſis Hierarchiſari, purgari, illuminari poſſe, erroris arguitur, 241.l.50 reiicitur, 215

Pontificem ad approbandas regulas Monaſticas ab inferioribus Epiſcopis poteſtatem accipere erroneum eſt, 897.l.30

ad Pontificem olim omnia grauiora negotia referebantur, 505 l.44

Pontifices electi non ordinati ſintne in Hierarchia conſtituendi, 228

Populus.

Popolorum ad Hierarchiam qoæ neceſſitas, pag. 26.l.13

Poteſtas.

Poteſtas benedicendi popolo quamdam iuriſdictionis ſpeciem in ſacerdote denotat, pag. 59. lin. 33

Poteſtas coercitiua quomodo dignoſcitur eſſe publica, 447.l.19

Poteſtas in corpus Chriſti myſticum fondatur in poteſtate quam quis habet in corpus Chriſti verum, 244

Poteſtas domeſtica circa fidelium ſacram inſtructionem quomodo differat à publica, pag. 446 lin. 50

Poteſtas domeſtica ad Hierarchiam non ſufficit, ſed publica, 448

Poteſtas docendi & ſacramenta adminiſtrandi eſt iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, 388.l. 0

Poteſtas Eccleſiaſtica extenditur etiam ad ligandos mortuos, 436. non ciuilis, ibid.

Poteſtas Eccleſiaſtica eſt tam domeſtica quam politica, 437. ex quibus principiis id deducatur, ibid. l.37.p.438

Poteſtas Hierarchica quomodo differat ab aliis poteſtatibus, 97 l.7

habet tres conditiones, ibid.l.22

non poteſt conueni re poteſtati quam chariſmata tribount, ibid. quomodo circa res ſacras & rationabiles verſatur, ibid. debet eſſe neceſſaria & voluntaria, 455

Poteſtas Hierarchicorum ordinum eſt publica, 446 l 32.p.447

Poteſtatis Hierarchicæ præcipuum monus tempore primitiuæ Eccleſiæ fuit in ſacra ſynaxi, & Eochariſtiæ celebratione, 60.l. 8

Poteſtas incarcerandi & flagellandi Pontificibus Iudaicis in cauſis religionis etiam poſt ablatum ab ipſis ius gladii fuit relicta, 441.l.21

Poteſtas inferendi corporales pœnas in Eccleſia arguit poteſtatem coactiuam, 425.l 31

Poteſtas impotens & violenta non domeſtica, ab Eccleſia excluditur, 426.l.3

Poteſtatis Oeconomicæ & publicæ quædam differentiæ aſſignantur, 446

Poteſtas ſacrificii offerendi poblico nomine auctoritatem quamdam in populum importat, 59.l.25

Poteſtas ordinis & iuriſdictionis in ſacerdotio chariſmatum ſpeciebus poteſt adnumerari, pag. 133.l.5.

Poteſtas ordinis & iuriſdictionis ad Baptiſmom tanquam principium actiuom concurrit, pag. 153.

Poteſtatis politicæ & ſpiritualis quod diſcrimen, 671.l 6

Poteſtas ſacra nouę legis tam œconomica quam poblica eſſe debet, 444

Poteſtas ſpiritalis ſoperior Epiſcopali nulla poteſt eſſe in Eccleſia ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ, 670.671

Prædicare.

Prædicare, ſitne actus Hierarchicus, & quomodo 6,. poſtuletne iuriſdictionem, 67.l.41

Prælatus.

Prælati Eccleſiæ habent poteſtatem indignos ab Eccleſia eiiciendi, adhibita etiam corporali violentia, 422. 423. clericos puniendi, 424.l. 8 in quo fundetur illa poteſtas clericos puniendi, ibid. eſt iuris diuini, 425.l.1. habent poteſtatem diſpenſandi bona Eccleſiæ, 425 l.8.

Pręlatis Eccleſiæ quo ſenſu Principis nomen tribuant & adimant Patres, 428.l.7

Præſidentia.

Pręſidentię nomen ſacrificantibus tribuitur, 60.l.55

Præſul.

Pręſulom ſupra inferiorum ſedium Epiſcopos tres gradus, 783.l.40

Preces

Preces lucernares olim nonniſi præſente Epiſcopo, preſbytero, vel diacono fieri ſolebant, 239

Presbyter.

Presbyter in præſentia Epiſcopi nonniſi ex eius licentia poteſt benedictionem impertiri, 416.l 38

Preſbyteri præ diaconis ſpeciali iure hierarchæ dici poſſunt, 30.l.32. quo ſenſu dicuntur Hierarchæ ibid. l.36

Preſbyteri, patres & principantes poſſunt appellari, 31.l.16.p.32

Preſbyteri etiam poſterioribus ſęculis in Epiſcopiis docębant, 86.l.42.p.87.p.88

Preſbyteri

preſbyteri cur ſic dicti, 242.l.50
poſſintne ad breue tempus Epiſcopale regimen ſupplere. 354
preſbyteri ſimplices propriè in hierarchia locum non habent, 397 l.17
preſbyteri Epiſcopi munere fungentes Epiſcopi dici non poſſunt, 343 l.31
preſbyteri minus perfectè dicuntur hierarchæ, quàm Epiſcopi, 449.l.45
preſbyterorum ordo dicitur filiorum generator per Baptiſmum, 32.l.2
preſbyterorum ordo illominatiuus dicitur, 48.l 9
preſbyteris pro ſuo modulo conuenit vt pro cæteris orent, 40,l,36
Preſbyteris cur conuenienter tribuuntur monita beate viuendi, 48 l,55

Presbyteratus.

preſbyteratus & diaconatus quis ſit potiſſimus finis, 492.l.11

Primas.

Primas aliquando pro Patriarcha ſumitur, 688.689
Primatis dignitas in Eccleſia ſine conſenſu Sedis Apoſtolicæ eſſe non poteſt, 670
ad Primatem olim maiora negotia referebantur, 506 l.2
Primates circa Metropolitanos & eorum ſubditos quid poſſint, 505
Primates Exarchi dicuntur, & quare, 501
qui ſint ibid. diuerſorum primatum diuerſæ poteſtates, 502
Primatum auctoritas eximia cum modeſtia coniuncta, 673.674
Primatum & Metropolitanorum diuerſa auctoritas, 643.l.6
inter primates Thraciæ, Ponticæ & Aſianæ diœceſeon & Conſtantinopolitanum an ex æquo tempore Iuſtiniani facta diuiſio, 786.p.790
Primas Carthaginenſis enitebatur communionem cum Eccleſia Romana tenere, 502 l.50.p.503 504. quibus modis de Epiſcopis Africanis aliarum prouinciarum iudicaret; 505
Primas Carthaginenſis ab Epiſcopis Africanis de grauioribus negotiis conſulebatur, 511
eius in Conciliis Africanis poteſtas, ibid. 511.513 516 eius in tota Eccleſia Africana veneratio, 512
aduerſus eius dignitatem obiectionis ſolutio, 514
Primas Carthagin. etiam extra ſuam prouinciam Conciliis Africanis præſidere poterat, 516.l.5
vbi Concil. præſidebat, Concilium generale totius Africæ dicebatur, 516.l 18
præter Concilia generalia quibus præerat, varia alia habebat in prouincia Carthaginenſi quibus præerat. 516.l.40
Primas Carthagin. omnes Africæ prouincias iure Exarchico viſitare poterat, 511
Primatis Carthaginenſis quanta eſſet auctoritas, 507. vtrum eius relationi fides denegari, ipſius ſententia reſcindi poſſet ex Cypriano diſcutitur, 507. eius circa Epiſcoporum ordinationes poteſtas, 508
Primat. Carthag. iudiciaria poteſtas, 518
ad eum clericorum cauſę ex omni Africa per appellationem deferri poterant, 519.l.18
Primatis Carthaginenſis inſignes prærogatiuæ multæ, 522
primatis Carthaginenſis circa Monachos poteſtas, 523
primas cæſarienſis conuocabat concilia in ſua diœceſi, 544. p. 545. eorum decreta per Ponticam diœceſim promulgari curabat, 548
ſuam prouinciam & alias ſuæ diœceſeos viſitabat, ibid. Epiſcopos Ponticæ diœceſis ad ſe euocare poterat, 549.l 6
iudicem delegare aliquem ex Epiſcopis ſibi ſubditis ad cognitionem alicuius cauſæ, ibid.
nomine cæterorum Epiſcoporum ſuæ diœceſis litteras ſcribere ſolebat, 549
Monachorum ſuæ diœceſis ſingularem curam habebat, ibid.
primatis cæſarienſis circa Epiſcoporum ordinationem poteſtas, 526 527.534
primatis cæſarienſis in iudiciis Eccleſiaſticis poteſtas, 536
circa ſynodorum celebrationem, 540
primatis cæſarienſis multa priuilegia, 548
primatis cæſarienſis an & quomodo poteſtas fuerit reſtricta, 552.553
primatum heracleenſis Epheſini & cęſarienſis cappadociæ poſt erectionem patriarchatus conſtanſtinopolitani non fuit penitus abolita dignitas, 780
nec iudiciorum auctoritas, 781
nec ſublatæ omnes prouinciæ, ibid.
an retenta ab ipſis Exarchica poteſtas, pag. 782 lin. 50
primas Theſſalonicenſis fuit potius Apoſtolicæ Sedis vicarius, quàm primas libera poteſtate præditus, 557.558
ad ipſum Epiſcopus electus ante ordinationem à Metropolitano referri debebat, 559.l.18
quid poſſet in iudiciis Eccleſiaſticis, ibid.l.35
primas Theſſalon. in conciliis generalibus ſtatim poſt patriarchas ſedere ac ſubſcribere ſolebat ante primates Orientis, 560.l.32
eius legatus quem locum habuerit in concilio Epheſino, ibid.
primati Theſſalonicenſi leges quædam generales præfixæ, 557
leges ſpeciales, 559
eius poteſtas minor fuit quam illa cæſarienſis aut carthaginenſis primatis 558.l.32
primates Theſſalonicenſes primi quid potuerint, quid egerint, 565

Primatus.

primatus Arelatenſis probatus à Gregorio in aliquam regni Gallici partem, 657
qui tunc temporis eius limites, 858.l.18
quæ priuilegia, ibid.
tunc temporis etiam imminutus eſt à Gregorio 659. 660.662 663
quam ob cauſam, ibid.
licet debilitatus non deſiit remanere, 661
primatus Arelatenſis poſt Gregorium extincti argumenta, 663
primatus Arelatenſis à Ioanne VIII. ſuſcitatus 664
ſub Carolo Calno confirmatus, 664.l.40
fueritne localis an perſonalis, 666
cur propriorum eius miniſteriorum non multa mentio, 666.l.36

cut eo ſtante pauca in Galliis ab Arelatenſibus præſulibus habita Concilia, ibid.
Primatus Arelatenſis auctoritas oſtenditur, 645.
eius exempla aliqua afferuntur, 651
vſque ad Hiſpanias extenditur, 652
S. Leo quid in Hilario reprehenderit, 646
Primatus Eccleſię Arelatenſis poſt deuictos à Francis Vviſigothos & Arelatem Francis deditam, 653. in regno Childeberti eius Exarchia continuatur, 653.l.45
qui tunc temporis ipſi fuerint ſubiecti, 654.l.24
eius Exarchiæ fines fuerunt mutabiles, ibid l.25
Metropolis certæ & determinatæ, ibid. eius poteſtas in congregandis Conciliis, 654.655
Primatus Arelatenſis ſub Vigilio & Pelagio ſecundo, 656
Primatus Eccleſiæ Carthaginenſis antiquitas & amplitudo, 502. in ſex prouincias extendebatur, ibid.
Primatus Corinthiorũ Metropolis origo, 569.570
Primatus Lugdunenſis origo, 667 antiquitas, ibid. 670.
Primatus Theſſalonicenſis Epiſcopi, 553
quando & à quibus inſtitutus, 556
Primatus Theſſalonicenſis nondum fuit tempore concilii Nicæni, 563. à quibus Pontificibus conſtitutus, quo concilio & cui vtilitati, 564
Primatus Theſſalonicenſis turbatur propter adhæſiculum ſchiſmati Acaciano, 560
Primatui Theſſalonicenſi ſubducta Achaia, 569
ſubductæ variæ aliæ prouinciæ, 573
cui attributæ, ibid.

Primitiæ,

Primitiæ in ſcriptura quæ vocantur, 934.l.30

Principatus.

Principatus prout variè ſumitur variæ & eius functionum acceptiones, 23.l.1. in hierarchia malè ambitioſum nomen vocatur, 23.l.6
Principatus poteſt ſumi pro collatione perſonarum tam principantium quam ſubditorum, 23 l.20
pro functionibus principatus, ibid.
Principatus nomen aliquam iuriſdictionem ſignificat, 392.l.18
Principatus nomen nunquam ſumitur niſi pro eminenti poteſtate publica, 450.l.5
Principatus dici poteſt principis officiorum & functionum complexio, 25.l.20
Principatus tam pro ordinibus ſuperiorum quam eorum qui reguntur poteſt accipi, 25.l.42
Principatus ratio non ſubſiſtit ſine inferioribus, 25.l.47
Principatus quomodo conuenit ſubditis, 27.l 23
Principatus duplex inter viatores eſt neceſſarius, ſacer & politicus, 402 l.20
Principatus Eccleſiaſticus principantium imperium, & parentium ſubiectionem denotat. pag. 2.l.14.
Principatus in Eccleſia nullus eſt, cui non debeatur ſacer ordo, 221 96
Principatus Eccleſiæ quo ſenſu dicatur eſſe ſeruitus, 468.l 9
Principatus in Eccleſia quibus ſingulariter adiudicatur, 650.l.8
Principatum eſſe in Eccleſia oſtenditur, pag. 427 lin. 9.
quo ſenſu patres eum ab Eccleſia aliquando reiiciant, ibid. l.3. 421.l.24
Principatus ſacer corporalem vitam nemini aufert 411 l.40. & quare, ibid.
Principatus ſacer quomodo efficax reddatur, 412 lin. 20.
vt ſit efficax indiget doctrina, ibid.
Principatus ſacri pœnæ etiam corporales ſunt quodammodo ſpiritales, 412 l.1
& quare, ibid. 413 l.1.
Principatus ſacri quo ad modum procedendi excellentia, 415
Principatus ſacri & politici, quis vniuerſalior, pag. 407.
Principatum ſacrum inter & politicum varia diſcrimina, 402.p.409.p..416
oppoſitiones quædam, 410
diuerſus modus procedendi, pag. 411. puniendi ibid.
Principatum Petri ſupra cæteros Apoſtolos chariſmatum eſſe non iuriſdictionis aſſerere vox eſt hæreticorum, 2.l.19

Princeps.

Princeps nemo perfectè dicitur qui non habeat aliquam iudicandi ordinariam poteſtatem, 449 lin.50
Principis ſacri elogium Epiſcopis perfectiſſime tribuitur, 449.l.42
Principes Eccleſiæ quo ſenſu potius ſerui quam domini dicantur, 468 l 38
principes temporales tenentur ex inſtitutione Chriſti aliquando ſuam poteſtatem coercitiuam cum Eccleſia impendere, 414.l.26
Principes in ſcriptura ſacra ii duntaxat vocantur qui ſunt vel Reges vel regni proceres, 448,l.50
Principum vis ſæpe iudicia primatum interuertit, 663.

Principium.

principium Hierarchicarum actionum debet eſſe ſtabile & permanens, 151.l.43
principium ſacrorum debet eſſe actiuum in hierarchia. 152.l.6

Priuilegiati.

priuilegiatorum ordines ratione iuriſdictionis nullum in Eccleſia locum non obtinent, pag 480 lin 30.

Proculus.

proculi Maſſilienſis inuaſio diſſimulatur à Concilio Taurinenſi, 603. à Zozimo reprimitur. ibid.
de Proculo Maſſilienſi cur Arelatenſis non Aquenſis conqueſtus fuerit, 604

Propheta.

prophetarum nomen duplex, 70.l.3
prophetarum collegia à iuriſdictione præditis regi ſolebant, 70 l 43
Prophetas eſſe in Eccleſia quo ſenſu Apoſtolus dixit, 120.l 46
prouectio animæ in virtute non eſt hierarchica, 92.l.32

Pſalmodia.

Pſalmodia non eſt propria actio hierarchica, pag. 50.lin.52.

ſalmodia quæ ex officio fit à clericis improprie melius dicitur actio Hierarchica, quàm prout fit à Monachis,& quare, 50.l.55
Pſalmodia ſitne munus Hierarchicum, pag. 18t lin. 19
Pueri olim ſacris litteris ante alias ſcientias imbuebantur, 81.l 47
Pueri à parentibus oblati poſſintne ad perpetuum Monachatum adſtringi, 285.l.27

R
Raſio.

RAſio totius capitis ſignum eſt luctus & pœnitentiæ, 270.l.34
Recipere.
Recipere Hierarchicum eſſe, agere verò diuinum quo ſenſu debeat intelligi, 39.l.7
Regulares.
Regulares maxima Eccleſiæ ornamenta, 118.l.19
an velit auctor eos exterminari, ibid.
an eorum prærogatiuis detraxerit dicens prophetas fuiſſe de fæce populi aſſumptos. 118
Regulares magis affines fuerunt Apoſtolis quàm prophetis, 120 l.40
Regulares quomodo prophetarum veſtigia ſequi dicantur, 120.l.49
Regulares donatum cœlitus Conciliis ſpiritum potius nobiliuſque reliquis clericis ſeruare error grauiſſimus, 291
Regulares priuilegiati vt ſubſidiarii Epiſcoporum in Hierarchia præcipuè locum non obtinent, pag 476.l.28
Regulares non ſunt nobilioris ſtatus, licet pluribus o ſeruantus l. geutur 915 l 23
Regulares à caſibus reſeruatis non poſſunt abſoluere, 908.l.5
Regulares à canone Conc. Trid. de obtinenda approbatione ad excipiendum confeſſiones non poſſunt diſpenſari, 907.l. 8
Regularibus ſolis Eccleſiæ canonum obſeruationem tribuere conuitium maximum in clericos ſæculares, 292
Regularium fratres laici male diaconis comparantur, 362.l.40
Religioſi.
Religioſorum opera non ſunt Hierarchica licet Hierarchis ſint ſalutaria, 38.l.11
Remenſis.
Remenſis Metropolis diu ante S. Remigium inſtituta fuit, 389
Reſponſales.
Reſponſalibus minores tantum cauſæ committebantur, 578.l.48
Reuelationes.
Reuelationes S. Brigittæ ſintne Hierarchicæ, 158.
Reges.
Regum nomine aliquando in ſcripturis ſacerdotes intelliguntur, 428.l.2
Romanus.
Romanam Eccleſiam matrem & caput cæterarum eſſe eſt de fide, 352.l.10
Ruſticus
Ruſticus Narbonenſis adfuit electioni & ordinationi Rauennii, 609.l.30

S.
Sacerdos.

SAcerdos in ſuo ordine Imperator dici poteſt, 263 l.24
Sacerdos poteſt dici ſplendor gloriæ Chriſti, pag. 307 lin. 17.
Sacerdos in ratione inſtrumenti noſtræ ſalutis magis Deo coniungitur quàm Angelus, 317.l.8
Sacerdos ſacramentalia verba proferre poteſt ſine Angelorum miniſterio, 331.l.4
Sacerdos & Angelus aliquando circa homines mutuam iuuant operam. 312.l 10
Sacerdotis & Angeli communia quædam officia, 51 .l.44
Sacerdotis primi aut ſummi nomine cur vti prohibitum Metropolitanis, 851.l.46
Sacerdote inferiorem Chriſtus ſe quodammodo facere voluit, 31 .l.16
Sacerdotes noſtri poſſunt dici nomine publico labores & faſtidia ſuſtinere, 54.l 41
Sacerdotes quomodo cæteris exemplo prælucere debent, 149.l 47
Sacerdotes ex publico officio aliorum ſalutem procurare debent, 310.l 22
Sacerdotes quomodo gratiam in Chriſtianorum animabus producunt, 30.l. 8
Sacerdotes dicuntur vicarii Dei, 30 .l.22
Sacerdotes circa homines plerumque effectus ſupernaturales operantur, 316.l.15
Sacerdotes apud ethnicos gymnaſiis præficiebantur, 8.l.5
Sacerdotes primi ordinis cur nominibus iuriſdictionem indicantibus inſigniti fuerunt, 463.l 21
cur alii minime, ibid.
Sacerdotes in lege naturæ ordinarii erant primogeniti, 440.l 4
Sacerdotes veteris legis habebant ius eiiciendi indignos è templis 421.l 50
Sacerdotes peccatoribus ad pœnitentiam accedentibus poſſunt pœnas corporales imponere, 421 l 15. eos poſſunt vel per excommunicationem, vel per refutationem abſolutionis vel per ademptionem participationis Euchariſtiæ ligare, ibid.
Sacerdotũ ab Eccleſia determinatus numerus, 927
Sacerdotum prædicationes minus conferant ad hominum ſalutem quàm Angelorum illuminationes, 328 l.13
Sacerdotum preces pro hominibus ſintne Angelorum precibus poſtponendæ. 326 l.52
Sacerdotum officio benedicendi poteſtatem inſitam eſſe demonſtratur, 455.l.40
Sacerdotum poteſtati ordinis adnexa eſt poteſtas benedicendi, 457.l.40
Sacerdotibus in punitionem olim benedicendi facultas adimebatur, 457.l.25
Sacerdotales viri qui ſint, 98.l.9
Sacerdotium.
Sacerdotium eſt quaſi ſemen ſpiritale quo Chriſtus in hominibus per ſubſtantiam vnit, 300 quodammodo beatæ Virgini coæquatur, Ibid. æmulatur diuini patris perſonalem dignitatem, ibid. Spiritum ſanctum ſupra populum effundit tanquam inſtrumentum Deo quodammodo coniunctum ſanctificationis diuinæ, 301.l.6

Sacerdotium eſt imago & character ſacerdotii Chriſti, 303.l.42.p.307
in quo poſita ſit illa imaginis expreſſio, pag. 397.l.33
illo tanquam ſigillo diuinitatis imago imprimitur, 306.l.38
Sacerdotium eſſe imaginem Dei multis comprobatur, 303.l.51
in quo ſumatur iſta ſimilitudo, 304.l.15
Sacerdotium homines diuinos facit, 310
quomodo perficiatur illa deificatio, 311.l.11
Sacerdotium Angelicæ cuſtodiæ officiis præfertur, 324. l.50
Sacerdotium legis Euangelicæ tam ſacerdotio Aaron quàm Melchiſedech comparatur, paginâ 443.l 22
Sacerdotii cum humanitate Chriſti in ſanctificatione comparatio, 301.l.6
Sacerdotii ſupra Angelos prærogatiuæ variæ, 300 301.301.303.304.306.307 308.309
Sacerdotii fœcunditas, 305.l.5
eius cum æterna fœcunditate comparatio, 305 lin.30
eius excellentia non præiudicat dignitati Angelicæ, 306.l.6
Sacerdotii prærogatiua ſupra Angelos ex conformitate ſacerdotii cum diuino principatu, pag. 303
Sacerdotii præcellentiam ſupra officium Angelicæ cuſtodiæ non officere Angelorum dignitati, 298
Sacerdotii nouæ legis & antiquæ quæ diſpar ratio, 444.l.11
Sacerdotio poteſtas ſpiritualis vitæ & necis conuenit, 306.l.51

Sacramentum.

Sacramentorum adminiſtratio poſtulat iuriſdictionem, 44.l.40.392
Sacramenti Euchariſtiæ communionem cuiquam impertiri proprium eſt paſtoris 59 l.44

Sadducai.

Sadducæi à Doſithæo quodam qui ad Samaritanos defecerat originem habuerunt, 76.l.6

Sæcularis.

Sæcularis cum regulari iniurioſa Cellotii comparatio, 916.l.3

Sanctitas.

Sanctitas interior neceſſaria eſt ad Hierarchicam iuriſdictionem, 210
ſitne fundamentum cuiuſlibet alterius ſanctificationis, 201.l.24

Schola.

Scholæ Prophetarum veteris Teſtamenti ad Hierarchicam conſiderationem nullius ſunt momenti, 69.l.31
erant priuatæ & domeſticæ, ibid.& p.70
Scholæ puerorum olim in Baſilica inſtitutæ, pag. 81.l.41
Scholæ publicæ in Galliis ſub Carolo Magno inſtitutæ, 83.l. 49.p.84.85
priuatæ tam in Epiſcopis quam Monaſteriis habitæ ſub eodem, 84 l.19.p.85
Scholę publicæ Pariſienſes quando inſtitutæ, 85. lin. 21
Scholæ Anglicanę à Sigeberto Rege ad formam Gallicanarum fuerunt inſtitutę. 85.l 19
Scholę vt plurimum à canonicis haberi ſolitæ, 87 lin. 3
Scholarum ſacrarum profeſſores ab Epiſcoporum deſignatione olim dependebant, 81.l.24
Scholarum duo genera olim inſtituta, 81. quibus in locis, ibid.l.37
Scholarum priuatarum Magiſtri olim erant preſbyteri, 85.l.33
aliquando Monachi, ibid.
aliquando inferiores clerici, ibid.l40
in Schola Alexandrina an laici docuerint, 66.l.5.
preſbyteri plurimi in ea docuerunt, 78.l.24
in Scholis publicis diuinarum ſcripturarum interpretes erant preſbyteri, 85.l.42
in Scholis Theologicis olim etiam laici admittebantur, 81.l.56
quando reiecti, 82.l 6

Scientia.

Scientia ad omnem Hierarchicam actionem eſt neceſſaria, 125 l.44
Scientia noſtra induſtriâ comparata non poteſt dici chariſma niſi impropriè, 125.l 50
quę ſcientia propriè chariſma dicitur, 126.l.25

Scriba.

Scribæ quando primum fuerint inſtituti, 75.l.18
qui in eorum collegia admiſſi fuerint, ibid.l.41
an à Sammei aut Hillel originem duxerint, ibid.lin. 54.
Scribę in veteri lege habebant aliquem principatum, 74.l.24.& 37
verè ἄρχοντες non ἱερεῖς propriè dici poterant, 74.l.35
Sacerdotibus Leuiticæ tribus ſubſidiarii creati ſunt, 75.l.6
legis Doctores appellantur & quare, ibid.l.11
Scribæ apud Iudęos erant ſicut doctores Theologi ab Vniuerſitatibus creati, 75.l.7

Seniores.

Seniores qui adfuerunt concilio Apoſtolorum ridiculè dicuntur à Cellotio fuiſſe primores regularium, 925.l.30
illa expoſitio refutatur, 926
qui per illos ſeniores intelligantur, ibid.

Senonenſis.

Senonenſis Metropolis dignitas, 588

Seraphim.

Seraphim ſacrorum princeps dicitur, 30.l.12.quare ibid.

Seth.

Seth ad ſacerdotii dignitatem in locum Abelis

deſtinatus eſt, 438.l.50

Sorbona.

Sorbonæ decretum, quo Doctores in Theologia preſbyteri eſſe iubentur, non eſt nouum, 86.l.10

Spiritus.

Spiritus beati qui aliis præſunt, Hierarchæ appellantur, 6.l.40

Spiritus Domini nomine, & Dei apud ſanctum Paulum rectè tres perſonæ Trinitatis poſſunt exprimi, 531.l.9

Status.

Status nouæ legis à ſtatu veteris quomodo diuerſus, 94.l.35

ſtatus papalis an Monarchia potius quàm Hierarchia dici debeat, 480.l.21

Subdiaconatus.

Subdiaconatus miniſterialiter ordo Hierarchicus dici poteſt, & quare, 257.l.3.

Subditi.

Subditi ſuffraganeorum à Metropolitanis variis in caſibus iudicantur, 494

Subſcriptio.

Subſcriptionum in conciliis vnde orta diuerſitas, 677.678.

cur ordo non ſeruatus, 678

Subſcribendi prærogatiua non ſemper auctoritatis argumentum nec obſequii excluſionem inferre viſa, 678

Suffraganei.

Suffraganeorum erga Metropolitanos ſubiectio, 483.

Suffraganei magni momenti negotia agere olim ſine Metropolitano non poterant, pag. 492. lin. 16.

Suſceptores.

Suſceptorum ſponſio pro baptizatis quanta ſit, 937.938

Syagrius.

Syagrio Auguſtodunenſi Legatio Apoſtolica commiſſa, & quam ob cauſam, 659

conuocandæ ſynodi auctoritas, 660.l.7

cauſas cognoſcendi auctoritas, ibid.

Synagoga

Synagoga potuit habere hierarchas extra ordinem ſacerdotalem extraordinariè miſſos, pag 71.l.10

Synodus.

Synodi celebratæ occaſione encæniorum, 542.l.36

T.

Tarentaſia.

TARENTASSA ciuitas Viennæ Metropoli attributa, 593 l.1

Taurinenſe.

Taurinenſe Concilium Proculi Maſſilienſis inuaſionem diſſimulat, 603.l.12

τυπικά.

τυπικά modò cærimoniæ, modo conſecrationes dicuntur, 456.l.12

Theba.

Thebarum ciuitas duplex, vna in Græcia altera in Theſſalia, 576.l 48

Theſſalia.

Theſſalia cuius diœceſi ſubiacebat, 577 l 20

Theſſalonica Theſſalonicenſis.

Theſſalonica ſubiacuit dominio Theodoſii, 555 lin. 3.

non Valentiniani, ibid.

Theſſalonicenſium cædis auctor fuit Theodoſius, 555

Theſſalonicenſis Epiſcopus in plurium prouinciarum Epiſcopos auctoritatem Exarchicam habuit, 553

quibus prouinciis erat præpoſitus, 514

Theſſalonicenſis Epiſcopus Romano Pontifici fuit ſubditus, 583.l.32

Theſſalonicenſis ſedis vicariatus Romano Pontifici quando ablatus eſt, 562.l.50

Theſſalonicenſis ſedis prærogatiuæ, 564.575

cauſas ad ſe delatas dirimere poterat, & quot modis, 575.l 10

illius iuriſdictionis varia exempla, ibid.

Timotheus.

Timotheus in Aſia Metropolitanus fuit creatus, 849 l.21

Titus.

Titus in inſula Cretæ Metropolitanus fuit creatus, 849 l.21

Toloſa.

Toloſa circa tempora Conſtantini vrbs fuit inſignis, 596.l.40

Toloſæ vrbis antiquitas, ac dignitas, 632.l.21

Tonſura.

Tonſura clericalis quomodo dicitur eſſe aditus ad Hierarchiam Eccleſiaſticam, 255.l.33

Treuiri.

Treuirorum ciuitatis encomia, 631

Turo.

Turoni olim ab Epiſcopis conuenientibus ad anniuerſariam ſolemnitatem S. Martini Concilium celebrabatur, 542.l.50

V.

Verbum.

VERBVM diuinum dum producitur à Patre non dicitur pati 101 l.9

Veſontio.

Veſontio prouinciæ maximæ ſequanorum fuit Metropolis, 611

à quo tempore prouincia conſtituta, & vnde ſic dicta, ibid.

à quo & quo tempore accepit Euangelium, ibid.

Veſontionenſis Archiepiſcopus fuit imminutæ inter cæteros Metropolitanos dignitatis 612

fuit Metropolitanus, 622.l.40. eius ſuffraganei, ibid. 625.

Veſontionenſis Metropolis antiquitas, 611

Vicariatus.

Vicariatus Chriſti aliquis quomodo dicitur acquiri à Vvicleſiſtis, 140.l 12

à Cellotio, ibid.

quomodo negatur acquiri à PP. Concilii Conſtantienſis, ibid.

Vicariatus Chriſti ratio in quo reponebatur ab hæreticis. 140.l.30

in quo reponitur à Cellotio, ibid.

Vicariatus Chriſti quomodo admittebatur in Eccleſia militante ab Huſſitis, 132

à Cellotio, ibid. quomodo reiiciebatur à PP. Concilii Conſtantienſis. ibid.

Viennenſis.

Viennenſis & Arelatenſis præſules an ſimul, an alternatim prouinciam Vieunenſem tanquam Metropolitani regerent ante Leonis ſententiam. 614. poſt decretum Leonis non amplius contendunt, 614

Viennenſis Epiſcopus ab antiquo Metropoliticâ dignitate ornatus. 597.l 10

Viennenſis & Arelatenſis Metropolitanorum diſſenſionis origo. 595

Viennenſis Metropolis variæ immutationes, 615

Viennenſis Metropolitę auctoritas in ſuffraganeos repreſſa ab Hilario Papa 615.l.25

Viennenſis Metropolis antiquitas. 616.l.17

qui è Viennenſi prouincia ad Leonem contra Arelatenſem Metrop. ſcripſerint. 608

Vincentius.

Vincentius Ferrarienſis vt tot hominum millia conuerteret gratis datis indigebat gratiis, 127. lin. 28

Virgilius

Virgilius Arelatenſis poſt conceſſam Syagrio Legationem extraordinariam non deſinebat priuilegiis ſuis vti. 661.

Virgo

Virgo beatiſſima in Hierarchia non eſt conſtituenda, 158 etiam ante Christi exortum prophetauerat, ibid. eam poſtea prophetaſſe non legimus. 159.l 2.

Virgines ſacræ olim Epiſcopis mediantibus preſbyteris & diaconis erant ſubiectæ.360.l 33.p. 361

Virtutes

Virtutum exercitium ſitne actus Hierarchicus, 148. l. 53

Viſitatio.

Viſitatio Eccleſiarum primariis Conciliis olim præmittebatur, 521.l.41

Vnguentum.

Vnguenti ſacri confectio ſitne Hierarchica, 62. lin 15.

Vocatio.

Vocatio ad ſacerdotium quo ſenſu dicatur prophetia, 125.l.7

Votum.

Votum quo quis ſe malis Angelum quam ſacerdotem eſſe, imprudentis eſt, 325.l.13

Votorum obſeruatio in monialibus non eſt quid Hierarchicum, 182.l.14

Vſurpatio.

Vſurpationes Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ ſub Nectario examinantur, p.728 ſub Ioanne Chryſoſtomo, 730. ſub Attico, 732. 734.735. ſub Proclo Flauiano, 736.737.740. ſub Anatolio, 740

Vvaldenſis.

Vvaldenſis non fauet Cellotianæ chariſmatum Hierarchiæ, 144.145

Vviclefiſtæ.

Vviclefiſtæ & Huſſitæ nullum ordinem nullam in fideles iuriſdictionem coercitiuam admittebant 138.139

Vviclefiſtæ ex impuris Vvaldenſium Fontibus ſuos errores hauſerant, 39.l 25. ſuæ Hierachiæ proceres *Maistres* appellabant, ibid. quomodo maiores, ibid.

Z.

Zeno.

ZENO Imperator hæretica communione fœdatus, 770.l.4

Zozimus.

Zozimus concedens priuilegia Eccleſiæ Arelatenſi dominationem non affectauit, 639.l.42 cur mentionem Trophymi fecit, ibid. cur illa priuilegia conceſſerit, ibid.

Zozimo ab Arelatenſi Metropolit. obreptum contra Viennenſem, 604

Zoſimo Pontifici ſæpius obreptum, 638

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ELOGIVM SAPIENTISSIMI VIRI

GEORGII FROGER,

DOCTORIS E SCHOLA PARISIENSI, Socij Sorbonici, & Paſtoris Eccleſiæ à S. Nicolao Cardineti,

Doctrinæ & virtutis ſplendore clariſſimo viro, D. F. HALLIER, ſacræ Theologiæ Doctori, in Facultate Pariſienſi Magiſtro, Socio Sorbonico, & Regio apud Sorbonam Theologiæ Profeſſori.

ALLVBESCET, ſpero, ſuaueolenti myrothecio ingenij tui, ſi Dominus Deus quondam citharâ tacentem ſuſcitet muſam meam, quondam tua dicere facta tempus erit, & loqui ad fontes Eccleſiaſticæ ſcaturiginis vt benedicant Domino. Intonuit enim hac ſacrâ Pentecoſte de cælo Dominus, & te Penthînem, imò etiam Caſtellarium militem curatorem adhibuit capitibus fontium Hierarchiæ, dum caues ne quis tranſuertat, aut ſordibus iniectis, aut ſputis conſpurcet. Iunio menſe ieiunabant Hebræi propter fractas legis tabulas, ἐνδελεχισμὸν, quia ceſſauerant omnes dies feſti Dei à terra, & imprimis ſacrificium iuge. At tu, Vir eruditiſſime, ex priſmate fractarum legum non dimidiatum Samech, ſed integrum & plenum exſtare feciſti lucubratiſſimo tuo hoc Opere. Vt propterea digniſſimus ſis cui ſtruatur & literis vncialibus notetur *Domus Lectoris*, & ipſe nobis adſis ſalutatus ὁ Νοῦς παρὼν! Apis Euangelica verè es tu, aculeum habes, ſed non vteris illo. Quinimmo argumentoſus deſeruis etiam iis qui ſemiſonis ceu balbutientis infantiæ labellis, ſeu libellis elegantiſſimam & terſiſſimam faciem tuam commaculare voluerunt, & ad fulgorem tuum quaſi ἀγραμματίτου προσώπου hebeſcere coacti ſunt. Accipe igitur hoc elogij mei Mnemoſynen quod iuſtiſſimo Codici tuo dico, & adiacere valdè volo, ne ſim irreligioſus aut irreuerens.

9. Kal. Iunij cIɔ Iɔ XLVI.

Tuus GEORGIVS FROGER, Doctor è Schola Pariſienſi, Socius Sorbonicus, & Paſtor Eccleſiæ à S. Nicolao Cardineti.

Errata in admonitione ad Lectorem.

Pag. 3. admonitionis. lin. 12. quæ. lege quā. p. 4 lin. 8. doluerunt. l. dolui. l. 24. nos l. nis. p. 5. lin. 23. poſſunt. l. poſſum. l. 12. meris. l. meis. p. 8. l. 35. Domuini l. Domnani. p. 13. l. 33. parere. l. parcere.

Errata in corpore libri.

pag. 4 lin. 51. explicata. l. explicanda. p. 28 l. 9. eandem l. ad eandem. p. 29. l. 4. [illegible] Hierarchiam. l. domeſticam Eccleſiam. eadem [illegible] eccleſiam. l. Hierarchiam. eadem p. lin. 23. traditione l. irradiationes p. 33 lin. 20. Arcadium l. [illegible]drum p. 46 l. 25 notaturus l. non. l [illegible] p. 57. l. 24 quoſdā l. quaſdam. p. 51. l. 9. numero l. numen. p. 53. lin. 48. arſenius l. arſenium [illegible] 50. lin. 46 [illegible]uraſſe. l. deportaſſe. p. 73 lin. 19. docendā iam l. docendum volantatem lin. 15 quàm ad interpretationem l. ad interpr. p. 77 lin. 7. Eccleſiæ l. Eccleſiam. p. 79. lin. 17 gentilibus fidei l. gentilibus [illegible] fidei. p. 88. lin. 31. [illegible] p. 98. lin. 6 canones l conciones. p. 102 lin. 20. mouenda [illegible] monenda. p. 102 lin. 51 Hieronymus l. Dio[illegible] p. 107 lin. 38. Arrianas. l. æternas. p. 116 lin. 56 iſta cum ſis quibus l. iſta quibus p. 125. l. 10. [illegible] lin. 3 poteſtas l. poteſtate lin. 33 præmium eſſe dixit l. præmium eſſe. lin. 25. reddat l. credat lin. 27. tamen vtilitatem l. tamen in vtilitatem. lin. 55 definiunt l. definiunt. p. 1. 9. lin. 10. Reuerij l. Reinerij p. 151 lin. 57. principium factum l. principium eſſe factum. eadem p. lin. 42 capere leg. cupere. p. 151 lin. 27. factam l. ſtatam [illegible] p. 154. lin. 19 charitmara l. pharitmata [illegible] p. 162. l. 55. paratum l. diſparatum. p. 179. lin. 51. non competat l. competat. p. [illegible] conſer. p. [illegible] lin. 44 [illegible] p. 236 l. 62. ex menorum l. ex memorum. p. 237 lin. 18. ſolum l. ſolum ſanguinem p. 240 lin. 13 [illegible] l. proterdie l. lin. 55 autem l. tanquā. p. 257. lin. 46 poſſit l dici poſſit. p. 259. lin. 23. [illegible] l. tenere [illegible] lin. 35 [illegible] dere. p. 267 lin. 60 daret l. non daret p. 276. lin 19. docent l. negant. p. 279. lin. 9 cogerent l. accedit vt cogerent. lin 11. id l quæ id. p. 286 lin. [illegible] l. iubet votum. p. 288 lin. 30 Cæſarius l. cui Cæſarius. p. 289. lin. 17. proſtrata l. procraſta. lin. 37. [illegible] l. cæperiſſe. lin. 62 a lin 8 [illegible] culares. p. 300. ſacerdotalis muneris l. ſacerdotalis muneris. p. 305. lin 55 quam l. per quam p. 307 lin 4. nec l. Argeli veronec p. 31. lin. 40 [illegible] ſtatem. l. gratiæ po eſtatem. p. 318 lin. 54. indigere l non indigere. p. 322. lin 98. obſtaret l. non obſtaret p. 33. lin 30 [illegible] l. fere [illegible] p. 337 lin. 50. velle l. velle dicat lin. 51. veſtitus l. indutos. p. 348 lin. 29. eſſe l. non eſſe. lin. 33 particularibus l. in particul. 348 lin. 58 per l. ne per p. 349. lin. 65 [illegible] l. obitum. p. 361. lin. 10. Ammone l. de Ammone. lin. 49 probata l. prolata p. 362. lin. 62 factum l fontem p. 375. lin. 11. Dominæ l Do[illegible] [illegible] tio fieret. p. 176. lin. 3. Racaldi l. Radbodi p. 379. lin. 9 dum l. dum ſeferant p. 414 lin. 7. 11. l. 19. lin 8 exactior [illegible] p. 429 l 30 æ [illegible] economicæ. p. 424 lin. 69 puniri l. priuatione puniri. p. 431. lin. 27. contendit l. contendit Hieronymus p. 468 lin. 14 [illegible] atque l. [illegible] lin. 27. pertracta l. pertractata lin. 41. modo l. nudo p. 497 impleret l. deſideret p. 483. lin. 23. Angeriamnum l. Angelramnum [illegible] l. 26. Vidicorum l. [illegible] dericum p. 538. l. 58. interfuerat. l. interfuerat accuſauit. p. 539. lin. 8. Euippum l. Eutppum. p. 540 lin. 17. Te[illegible] l Ze[illegible]. p. 545 lin. 2 [illegible] l. frontem verborum. p. 547. lin. 21. Gleogrium l Gregorium lin. 15. Phædimum l Phædimum, & lin. 17. Phædimi. p. 565. lin. 59. [illegible] prudenter. p. 567. l. 33. aduerſus l aduerſus clericatu. lin. 34. admittere l. admitte. p. 568. l. 25. Horſnuiſda l. Horm iſda. p. 574. l. 33. autem l. quem p. 577. lin. 55. diœceſes l. diœceſeos cauſa. p. 584. lin. 17. quæ l quæ idem. lin. 32. alteras l. noſtras. p. 587. lin. 28. ferentes l. conferentes p. 589. l. 43. ariontaſſe l aduenaſſe. p. 622. l. 34 mutilata l. mutato. lin. 48. iudicium l. iudicium interpretantur p. 626 lin. 1. patrium pro & l patet [illegible] Alba viteat quod l. Alba viuariū pro p. 821. l 6. prouinciā l prouinciā ſcribit. p. 825. Equeſtrinnu l. Equeſtrinum l. 47. Eugelenheic [illegible] heimenſi. p. 924 mortuo l. Martino. p. 631. lin 8 contra l. conſenſu p 855. lin. 16. Epiſcopū l. Epiſcopum Presbyterum p 850. lin. 24. [illegible] p. 665 lin. 28 dacti l docti p. 684 lin 23. Nam l. Non p 665. lin. 20. tribus l. tribus quibus. p. 6[illegible] l. 41 voluminis l volumini [illegible] p. 68. lin. 41. Aimonius l. Aimoinus. p 982 lin. 32. imitatione l imitatione. p. 688 lin. 7. aut l. aut ob lin 30 voſtbant l volebant oriundi. lin. 5e tributa l. [illegible] buta Iudæi p. 712. ll. 3 quia ſit l. quis ab Heracleenſis. lin 4 Hera nempe l Heracleenſis. lin 38 ſociatis l. Socratis p 725. lin 50 vicinitor l v [illegible] p. 728. lin. 17. Oſtrelo l. Ottelio. lin. 30. eos l. inter eos. p 728. lin. 21. ipſe l. ipſi ſe p 729. lin. 4e. ſubierunt l ſubiecerunt Conſtantinopolitani [illegible] lin. 55. inuidia l. timore. p. 733. lin. 9. iudicio l indicio lin. 39 lis l. lex. p 737. lin. 8. promittat l. permutat. p 739 l. 5 traſſlatione l. tranſlatio [illegible] lin 5. iudicat l. Indicat. p 743. lin. 40. expetiſſe l. non expetiſſe. p 747. lin. 2. potius l. minus. p 750. lin. 23. Conſtantinopolit. l. Conſtantinopolit[illegible] ſtato. p. 755. lin. 20. mediocriter l. non mediocriter. p. 759. lin. 29. conuenientis l. conniuentis. p 764. lin. 34. Theodoſio l. Theodoreto. p 76[illegible] Chalcedonia l. Chalcedonenſe ciuitas l canone. p 770 lin. 45. hunc l. Paulum p 772. l. 6. Epheſinis l. Nicænis p 781. lin. 32. inſuper l. dici. p 769. lin. [illegible] Heracleenſi l. ab Heracl l. 32. ſcripta l. miſſum p 793 lin 5. Alexandri l. Alexandrini p. 796 lin. 11. modum l. nodum. p. 797. lin. [illegible] non l. non per lin. 35. Hieroſolym. l. ad Hieroſolym. p. 809. l. 19. orantes l. errantes. lin. 49. folis l. in folis p 810. lin. 24. comminuerat l conuenerant p. 811. lin. 28. propter l. prope p. 814. lin 24. [illegible] l. vix. l. 4. Conſtantinopolitanæ l. Hieroſolymitanæ. p. 818. lin. 18. Mernonem l. Memnonem, [illegible] 819. lin. 55. 87. l. 31. lin 56. 47. l. 95. & 54. p. 815. l. 24. Silentiani l. Silentiarii p 827. lin. 17. Syria l. Tyria p. 839. lin. 6. relatorum l. relatores p 80 [illegible] Quare l. Quare cum. l. 2. Epiſcopus l. Epiſcopum. p 845 lin. 8. Medericum. Modericum. lin. 25 iudicetur l indicatur p 847. lin 16 dum l. cum. lin. [illegible] Tentyrorum l. Tentyrorum. lin. 51. Leuiclauio l. Leunclauio p. 852. lin. 16. regiæ l. qui regiæ p. 854. lin. 10. ſua l. recepta ſua p 855 lin. 51. tranſiliſſe. l. tranſilire. 856. lin. 14. presbyteros l. diaconos. ipſis nefas eſſet l nefas eſſet. p 867. arcere l coercere p 876. lin. 31. ex l. eſt. p 878. lin. 4. atque vel. l. intelligenda ſunt vel. lin. 5. eſt, eſſe ſermonem, vel. l. eſt, vel. p. 884. lin. 33. Pontifici l. Pontificiæ. lin. 53 aliquo l. illo p. 887. l. 6. Patrophilum lege Patroclum. lin. 24. 22. l. c. 22. lin 44 profeſſi ſunt l. profeſſus eſt. p. 891. lin. 14. quam non ita huic epiſcopatus proprium eſſe certum eſt, certum eſt quia non leg quam certum eſt non. lin. 39. contentione l. cum contentione. p. 909. lin. 19 contrariam ſententiam l. quam ſententiam p 916 electionis l. clericum ſecularem p 917 lin. 51 iniuriam l. incuriam. p. 923. lin. 41. Alexandrinum l. Alexandrum. p. 924. lin. 22. defenſionem l. defectionem. lin. 29. latens l. latentes l. 14. 11. 2. art 7. l. 11. c. 7. pag. 926. lin. 55. ita l. inſerta p. 931. lin. 4e. cauſas l. ob cauſas. p. 933. lin. 3. ſplendoris l. ſplendore comparat p. 941. lin. 25. nunquam l. non.

Errata in Græco textu.

Pag. 1. lin. 5. καινὸν, lege καινὸν. lin. 6. χαινοτομίας, l. καινοτομίας. p. 2. ἀναλόγως, l. ἀναλόγως. p. 3. ἱερατικοὺς, l. ἱερατικούς. p. 37. μετὰ πόδας, l. μετὰ πόδα [illegible]. *ibid.* γεγράφουσιν, l. γεγράφασιν. p. 45. τελεσιοῦσαν, l. τελεσιοῦσαν. p. 54. δὴ, l. δεῖ. p. 55. μόνοχε, l. μονόχε. p. 95. [illegible], l. ὅτι χρ̄ [illegible]. p. 107. [illegible], l. [illegible]. pag 125 adde in verſione, *etſi ſit indignus*. pag. 128. χ̄ς, l. πᾶν. bonum, l. totum. *ibid.* [illegible], l. [illegible]. pag. 156. patri, l. patri per Chriſtum. pag. 189. ᾧ, l. ᾧ *ibid.* χ̄ς, l. χρ̄. pag. 219. ἐμφαίνοντες, l. ἐμφαίνοντες. & in verſione, experimento, l. *ut exprimerent*. pag. 225. [illegible], l. [illegible]. pag. 331. ſtra, l. noſtra. pag. 237. μαθητεῖς, l. μαθηταῖς, in verſione pag. 243. Diaconus, l Diaconis. pag. 303. [illegible], l. [illegible]. p. 306 [illegible], l. [illegible]. p. 307. [illegible], l. [illegible]. in verſione, factus, l *factum*. maturatis, l. *moderatis*. p. 308. πάλα, l. χάλα. *ibid.* [illegible], l [illegible]. pag. 359. [illegible], l. [illegible]. p 368. διακονῇ, l. διακονῆς. p. 392. ὀχετίνια, l. [illegible]. pag. 404. [illegible], l. [illegible]. p. 412. μαθηταῖς, l. μαθηταῖς. p. 413. πόλει, l. πόλει. p. 424. ἀναβαίνειν, l. ἀναβαίνειν pag. 451. ἀρχόμενα, l. ἀρχόμενον. p. 453. συγχωρήσαντι, l. συγχωρήσαντι. p. 528. [illegible], l [illegible]. p. 529. ἐκκλησίας, l. ἐκκλησίας. p. 537. [illegible], l. [illegible]. p. 549. διεδέξατο, l. διεδέξατο *ibid.* ἀναπίσιος, l. ἀναπίσιος. p. 710. μεγαλωπόλεις, l. μεγάλη πόλις. orat. 23. l. orat. 27. p. 713. [illegible], l. [illegible]. p. 807. ἐπίσταμαι, l. ἐπίσταμαι. p. 839. [illegible], l. [illegible]. [illegible], l. [illegible].

Digitized by Google